BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
17 R
61

Digitized by Google

NATIONALE
14

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS CALVINI,

MAGNI THEOLOGI,

COMMENTARII

IN

QUATUOR EUANGELISTAS

Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem.

Quorum tres priores in formam Harmoniæ ſunt digeſti: quartus vero ſeorſim explicatur, quod pauca cum reliquis communia habeat.

NEC NON IN

ACTA APOSTOLORUM.

CUM
INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JACOBI SCHIPPER.
M. DC. LXVII.

Digitized by Google

Clariſſimis viris & magnificis Dominis, Conſulibus, Senatuique inclytæ urbis Francfordiæ,

JOANNES CALVINUS.

SI virtutum exempla ad imitationem proponi unquam utile fuit, quæ pigris & lentis, vel minus ſtrenue currentibus ſtimulum adderent, facit hujus corruptiſſimi ſeculi nou ignavia modo, ſed etiam ſocordia, ut majorem hominum partem, quæ ſponte non progreditur, quin potius retrocedit, pudore ſaltem neceſſe ſit ad officium cogi. Omnes quidem videmus & privatim & publice ad pravam æmulationem intentos: necui monarchæ ad propagandos quibuſlibet modis imperii ſui fines minus vel ingenii, vel induſtriæ, vel nervorum, vel audaciæ, quam vicinis ſuppetere videatur: nequa civitas vel reſpublica laudem aſtutiæ & captionum omnium aliis concedat: nequis inter homines ambitioni deditos malis artibus ſit inferior: denique ad vitia certatim alii alios quaſi mutua conſpiratione abſque voce ſe invitant: atque ut quiſque peſſime ſe gerit, maximam turbam ſuo exemplo facile præcipitat. Interea in communi vitiorum regno, pauciſſimi reperiuntur recte agendi authores. Quo utilius eſſe judico, ſi in illuſtribus perſonis eminent raræ virtutes, eas juſtis elogiis quaſi longe ſpectandas, in ſublime efferri, ut ad imitandi ſtudium multi excitentur. Atque hoc mihi præcipue conſilium fuiſſe profiteor, Viri ampliſſimi, cur meum hunc laborem ſub nominis veſtri inſcriptione in lucem prodire vellem. Nam etſi præclarum officii mei fructum fore judico, ſiqua forte alacritas ſponte cutrentibus inde accedat: magis tamen illud alterum reſpexi, ut pares alii vobiſcum progreſſus faciant, vel ſaltem eundem ſequantur curſum. Neque tamen omnium quibus excellitis, virtutum catalogum texere mihi propoſitum eſt: ſed unam in præſentia laudare ſufficiet, quæ me & complures Chriſti ſervos quaſi ſanctiore vinculo vobis devinxit. Magnum illud fuit, quod ante quinquennium, horribili terrore paſſim omnibus injecto, quum & Germanicis Eccleſiis miſeram diſſipationem, & Euangelio interitum prope minitaretur accepta clades, vos ad primos quoſque telorum jactus expoſiti, in libera fidei confeſſione tunc valde odioſa firmi ſtetiſtis, ac conſtanter retinuiſtis quam eratis amplexi, ſinceram pietatis doctrinam: ut facile conſtaret, vobis inter ſummas curas & diſcrimina nihil pluris eſſe quam militare ſub Chriſti vexillo. Sed hoc magis ad memoriam inſigne, quod non modo inter vos fovetis purum Dei cultum, fidelemque operam datis ut ſe veſtri cives inter Chriſti ſepta contineant: ſed diſſipatæ Eccleſiæ reliquias aliunde expulſas, tanquam lacera membra colligitis. Hoc certe, ut in rebus acerbis, non parum mihi attulit ſolatii, quum audirem pios Dei cultores, qui ex Anglia profugi & aliis partibus advenerant, iſtic benigne fuiſſe hoſpitio exceptos: neque modo triſti eorum exilio portum eſſe datum, ſed juſtum quoque honorem Filio Dei fuiſſe habitum, ut in urbe veſtra ejus Euangelium linguis exteris perſonet. Non abſimilis nuper Tigurini Senatus humanitas erga miſeros Locarnenſes enituit, quibus non urbem modo ſuam patefecit, quia domi Chriſtum ex animi voto colere non licebat: ſed templum quoque attribuit in quo ſacros ſuos conventus habeant: nec eos deterruit linguæ diverſitas quin Chriſtum apud ſe Italice quoque loqui cuperent. Ut autem ad vos revertar, ego ſimul ac linguæ noſtræ hominibus veſtra humanitate permiſſum eſſe audivi ut Eccleſiam iſtic inſtituerent, privatim me vobis obſtrictum ſentiens, hoc munere quod nunc offero, meam gratitudinem teſtandam cenſui. Nam ut merito deflenda gentis noſtræ conditio eſt, cui ob ſacrilegam Papatus tyrannidem habitatio patriæ exilium fere eſt à regno Dei: ita viciſſim non parum juvat, in alieno ſolo aliquam dari ſtationem ubi legitimum Deo cultum præſtent. Hæc certe ſancta hoſpitalitas, non tam hominibus quam ipſi Chriſto oblata, vos jam proſpero ſtatu florentes, novis (ut ſpero) Dei beneficiis ornabit, & continuam apud vos fovebit eorum ſeriem: me quidem (ut nuper teſtatus ſum) ad dicandum vobis hunc meum laborem impulit. Eſt autem Commentarius in Harmoniam ex tribus Euangeliſtis contextam, à me ſumma fide parique diligentia elaboratus: in quo tamen quantopere ſudaverim, longius referre nihil attinet: quid vero adeptus ſim, aliorum eſto judicium; ingenuos, doctos & cordatos lectores intelligo, quos nec barbarus diſcendi pudor à ſtudio profectus impedit, & communis utilitas delectat. Nam perverſos malignoſque nebulones (non modo cucullatos monachos dico, qui pro tuenda Papæ tyrannide bellum palam nobiſcum gerunt: ſed degeneres fucos qui nobis permiſti, dum tegendæ ſuæ ignorantiæ latebras captant, omnem vellent doctrinæ lucem extinctam) nihil moror. Quantumvis enim proterve me allatrent, in promptu ſemper erit exceptio, me eorum cenſuræ neque Divino neque humano jure eſſe obnoxium, qui non minus propter fœdiſſimam inſcitiam ferula, quam propter obſtinatam malitiæ & impudentiæ duritiem flagello digni ſunt. Sane ut Eccleſiæ Dei prodeſſem, me fidelem operam dediſſe ſine jactantiæ ſpecie profiteri mihi licebit. Jam ante biennium prodiit Joannes cum mea interpretatione, quam non fuiſſe inutilem confido. Sic ergo tanquam unus ex apparitorum numero, Chriſtum regiis ſuis quadrigis vectum magnifice, quoad ferebat virilis mea facultas, celebrare conatus ſum: nec ingenuos lectores, ubi mea opera adjuti fuerint, fateri pigebit, ſtudio reſpondiſſe aliqua ex parte ſucceſſum. Euangelicam hiſtoriam à quatuor teſtibus divinitus ordinatis proditam, quadrigis non abs re comparo, quia ex apta concinnaque hac harmonia videtur conſulto Deus quaſi triumphalem currum Filio ſuo paraſſe, unde toti fidelium populo conſpicuus appareat,

& cujus celeritate terrarum orbem perluſtret. Nec vero inſcite Auguſtinus tubis ſimiles facit quatuor Euangeliſtas, quarum clangor omnes mundi plagas impleat: ut ab Oriente, Occaſu, Meridie, Septentrione in ſacrum fidei conſenſum accita Eccleſia confluat. Quominus tolerabilis eſt inſulſa eorum curioſitas qui cæleſtibus iſtis præconiis non contenti, putidas nugas obtrudunt ſub Euangelii nomine, quæ nihil aliud quam fidei puritatem contaminant, & Chriſti nomen exponunt impiorum ſannis ac ludibrio. Vos autem præſtantiſſimi viri, quando & ab omni fermento quo genuina corrumpitur Euangelii ſinceritas, abhorretis, & oſtenditis nihil magis eſſe vobis cordi, quam ſimplicem doctrinam ut à Chriſto prodita eſt, tueri & aſſerere: non modo perſuaſus ſum, lucubrationem hanc, quæ theſaurum Euangelicum explicat, vobis ſummopere probatum iri; ſed quod veſtro nomini dicata eſt, hoc etiam meæ erga vos obſervantiæ ſignum gratum fore confido. Valete clariſſimi domini. Chriſtus Spiritu ſuo vos gubernet ſemper, virtute fulciat, præſidio conſervet, veſtramque urbem & rempublicam omni benedictionum copia locupletet. Genevæ, Calendis Auguſti, M. D. LV.

INDEX

I N D E X

Eorum quæ in iſta

H A R M O N I A

E X P O N U N T U R.

Prior numerus paginam, alter vero verſum capitum oſtendit. Literæ a. b. *ſi quando adduntur, ubi opus eſt, indicant columnas paginæ, primam atque ſecundam. Quod ſi unicus fuerit numerus, ſignificat, id quod quæris, haberi in Commentario quod verba Euangeliſtarum proxime ſequitur, cui verſuum numerus nullus præponitur.*

A

ABia filius Eleazar Sacerdotis, 5. 5
Abnegatio Chriſti quam noxia, 118. 32. & 506. 70
Abnegatio noſtri præcipitur, 55. 14. & 78. 10 & 88 13. & 91. 24. & 120. 55. & 198. 24 & 222. 20. & 266. 45
Abominatio deſolationis quid, 272. 15. a
Abrahæ filii duplices, 14. 46. & 16. 55. & 46. 9. & 142. 48. & 145. 56 & 168. 22, 25, 25. & 231. 9
Abrahæ ſinus, 168. 22
Abrahæ riſus à riſu Saræ differt, 6. 18
Admiratio quomodo in Chriſtum competat, 95. 10
Admonitiones neceſſariæ, 221. 15
Adoleſcens à Chriſto ſuſcitatus, 96. 14
Adoptio clavis eſt regni cœlorum, 89. 25
Adoptionis nota, de omnibus bene mereri, 75. 45
Adoratio, pro genuflexione, 103. 18
Adulterium coram Deo, 71. 28
Affectus humani non exmundi, 119. 57
Afflictiones piis ac impiis communes, 266. 9
Afflictionibus fideles obnoxii, 120. 58
עלמה quid proprie, 26. 18
Amor noſtri, vide φιλαυτία.
Ambitio quam periculoſa, 66. 24. & 163. 8. &c.
Ambitio inenarrabilis, 15. 51
Ambitio in funeris ſplendore & exequiis, 168. 22
Ambitus ſemper in virtutibus timenda, 76. 1
Ambitus damnatur, 66. 14. & 76. 1. & 162. 7. & 168. 22. & 184. 1. & 228. 22. & 219. 24, 23
Ambitionis corrigendæ vera ratio, 226. 12
Anabaptiſtæ parvulos impie arcent à Baptiſmo, 220. 14. & 118. 19. b. Juramenta imperite damnant, 72. 54. impie Reges & Magiſtratus ab Eccleſia exterminant, 226. 15. b. perperam gladii uſum arcent ab Eccleſia, 301. 52. ordinem politicum labefactant, 215. 25
Anabaptiſtæ homini Chriſtiano hæreditatem partiri licere negant, 157. 15
Anabaptiſtarum inanis gloriatio, 66. 12
Angelus unus totius populi dux, 226. 9
Angelum ſtulte æmulantes Papiſtæ, 9. 18
Angeli quomodo filii Dei, 10. 52
Angeli electorum miniſtri, 168. 22
Angeli fidelium cuſtodes, 55. 6
Angeli diem ultimum ignorant, 277. 56
Angelorum caput Chriſtus, 7. 19. & 42. 51. & 53. 6
Anima pro ſede affectuum, 15. 46
Animæ nomen varie ſumptum, 157. 20
Animæ poſt hanc vitam ſuperſtites, 28. 72
Animarum remigratio Judæis credita, 194. 14
Anna propheteſſa, 27. 56
Antichriſti interitum Scriptura prædixit, 267. 2
Antichriſti miraculis armati, 275. 28
Apoſtoli cur duodecim à Chriſto electi, 111. 1. & 214. 26
Apoſtoli ad defectionem à Scribis ſollicitatione, 100. 11. Eorum vocatio, 211, ante 1
Apoſtolorum libertas in citandis Veteris teſtamenti locis, 52. 6. & 135. 20
Aquæ luſtralis aſperſio à Papiſtis conficta, 184. 2. b
Arbitrium. Vide Liberum arbitrium.
Ariſtoteles in quo locat ſummum bonum, 156. 58
Arrogantia fugienda, 64. 27. & 162. 7. & 170. ante 10
Avaritia ſummopere cavenda, 81. 19. & 85. 24. & 146. 22. & 157. 13, 16 & 166. 14. & 222. 10
Avaritiæ malum, 223. 22, 15 & 128. ante 17
Avaritiæ corrigendæ optima ratio, 84. 16
Auguſtini locus, 86. 24. & 71. 59. & 106. 28. & 115. 25. & 168. 23. & 173. 58
Aulici multis ſceleribus implicantur, 176. 28

B

BAalim, dii minores olim dicebantur, 216. 25
Baptiſmus infantibus non negandus, 220. 14
Baptiſmus doctrinam ſequitur, 358. 16
Baptiſmi veritas penes unum Chriſtum, 48 ante 11
Baptiſmum Papiſtæ quantum in ſe eſt obliterant, 184. 2. b
Baptiſmus Joannis per toto ejus miniſterio, 242. 15
Baptiſmus Joannis & Chriſti idem, 44. 5 Luc. & 48. ante 11
Barrabas Chriſto præfertur, 311. 25
Beatitudo ex amore Dei erga nos, 9. 28
Beelzebub quid, 116. 25. & 156. 14
Benedictio varie ſumitur, 9. 18
Benedictio pro felicitate, ibid.
Benedictio pro gratiarum actione, 150. 19
Benedictio Dei Papiſtarum magica, 6. 28. & 261. 16 a. b
Benedictus pro charo vel dilecto, 285. 34
Beneficentia commendatur, 47. 10. b. & 81. 19. & 155. 41, 44. & 159. 12, 15. & 161. 41. & 287. 11
Bethlehem duplex, 12. 6
Blaſphemia in Spiritum quid, 158. 51
Ea certum reprobationis ſignum, 156. 31. b
Boanerges pro Benæ reges vel ragas, 65. 16
Boni malis permiſti, 155. 47

C.

CAjaphas qui & Joſephus, 301. 57
Calicis nomine Dei providentia notatur, 292. 86
Cæci duo à Chriſto illuminantur, 105. 27
Cælibatus lex tyrannica, 7. 28
Cælibatus quatenus Deo gratus, 219. 12
Cælibatum, ſtatum eſſe angelicum fingunt Papiſtæ, ibid.
Cælum cur Dei ſolium dicatur, 72. 54. b
Cælorum apertio quid, 42. 16
Cæſarea duplex, 294. 11
Camelus pro fune nautico, 223. 28
Canes & porci qui, 86. 6
Capernaum urbs qualis, 94. 5. Matth.
Caro pro hominibus ſine vitii connotatione, 44. 6
Caro ad torporem proclivis, 169. 43
Carnis affectus omnes ſuſpecti eſſe debent, 41. 46
Carnis noſtræ confidentia, 228, ante 23
Centurionis humilitas, 94. 8. Fides, 94. 5 Matth. & 95. 10
Centurionis fides cur Judæorum fidei præfertur, 95. 19
Ceremoniarum ſignificatio æterna, 68. 19
Ceremoniarum uſus externus, ibid.
Ceremoniis non nimium tribuendum, 155. 9
Chananeæ mulieris fides, 188. 25
Charitas à carnali amicitia diſtinguitur, 74. 41. & 162. 12
Charitas activa & paſſiva, 88. 12
Charitas proximi ex Dei amore fluit, 252. 59
Charitas commendatur, 161. 41. & 211. 15. & 155. 40. & 214. 52 & 170. 28. & 284. 53
Charitate num peccata redimantur, 255. 50
Chriſtus Deus, 3. 17. & 35. 30 & 99. 4 & 157. 25. & 154. 40. & 215. 25. & 238. 2 & 240. 14. & 254. 42. & 265. 57. b
Chriſtus Dominus, 15. 45
Chriſtus, natura, Dei Filius, 10. 52 & 50. 17. & 182. 55. Verus Deus & homo, 45. ante 1
Chriſtus etiam quatenus homo, Dei Filius, 11. 35
Chriſtus filius Davidis, 22. 1. & 185. 27. & 188. 22 & 255. 42
Chriſtus cur primogenitus dicitur omnis creaturæ, 50. 17
Chriſtus primogenitus inter multos fratres, 40. 35. b
Chriſtus Mariæ primogenitus, 26. 25
Chriſtus ſemen ſanctum, 61. 35. b
Chriſtus cur Jeſus nominatus, 9. 31
Chriſtus cur Immanuel dictus, 25. 23
Chriſtus ex ſenſu carnis minime æſtimandus, 220. 13. & 154. 18
Chriſtus mediator, 11. 35. & 26. 23. & 41. 40. & 50. 17. & 78. 9. & 181. 21 & 165. 18. & 200. 5. & 220. 13. & 256. 5. & 312. 51
Chriſtus ſcala per quam ad Deum Patrem conſcenditur, 110. 39
Chriſtus gregariis ſanctis minime permiſcendus, 201. 6
Chriſtus paſtorum caput & princeps, 294. 51. Matth. b
Chriſtus verus Sacerdos, 26. 16
Chriſtus ſolus Eccleſiæ fundamentum, 136. 16. a
Chriſtus Eccleſiæ caput, 55. 6. & 61. ante 16. & 116. 15. & 136. 24. & 258. 9. & 174. 28
Chriſtus angelorum caput, 201. 3
Chriſtus unicus Eccleſiæ doctor, 182. 2. & 200. 3
Chriſtus Eccleſiæ ſervatus, 25. 81. & 19. 11. & 106. 36
Chriſtus unicum concordiæ & pacis ſignum, 194. 14
Chriſtus per excellentiam ſervus dicitur, 155. 18
Chriſtus Circumciſionis miniſter, 10. 56. & 21. b. & 15. 52. & 111. 3
Chriſtus Sol juſtitiæ, 16. 76. & 55. 52. & 43. 1. & 54. 12. & 56. 15. a. & 168. ante 23. & 101. 5 & 166. 4. & 230. 50
Chriſtus cur lapis angularis dictus, 245. 42
Chriſtus lapis offenſionis, 122. 6. & 270. 10. Matth.
Chriſtus ſolus Spiritus plenitudine donatus, 55. 17
Chriſtus ab omni peccato liber, 11. 35. & 14. 22. & 40. 40. & 51. b ante 3
Chriſtus ſalutis noſtræ author, 18. 66
Chriſtus perfectæ beatitudinis author, 16. 76
Chriſtus unicus vitæ noſtræ cuſtos, 64. 5
Chriſtus exemplum fidelium, 131. 29. & 250. 26
Chriſtus temperantiæ exemplum, 101. 29. b & 125. 34
Chriſtus totius mundi judex, 106. 29 & 198. 27. & 211. 18. b & 313. 24 & 117. 18
Chriſtus ſeverus judex adverſus incredulos, 41. 12
Chriſtus ab infantia cruci ſubjectus, 38. 15. & 56. 19
Chriſtus quorſum à Patre miſſus, 111. 6. Vide Chriſti officium.
Chriſtus cur circumciſus, 51. 21
Chriſtus arcano Dei conſilio ad mortem crucis deſtinatus, 241. 47. & 300. 47. & 301. 53
Chriſtus cur ante triceſimum ætatis ſuæ annum non baptizatur, 49. 16
Chriſtus cur baptizari voluit, 49. 18
Chriſtus ſecundum animam noſtra cauſa proficere voluit, 40. 40. a
Chriſtus cur in deſertum ſeceſſit, 50. 1
Chriſtus cur à Satana tentatus, 51. 2
Chriſtus tribus modis tentatus, 52. 5
Chriſtus cur in deſerto jejunavit, 50. 2
Chriſtus cur ad annum triceſimum uſque in vita privata ſe continuit, 46. 16 & 175. 55
Chriſtus quietam in uno loco ſtationem non habuit, 215. 14
Chriſtus plus moræ in Galilæa traxit quam alibi, 160 ante 18
Chriſtus carnis infirmitati abſque vitio obnoxius, 58. 13. & 51. 1 & 241. 16 & 266. 17
Chriſtus humanis paſſionibus obnoxius, 237. 41. & 241. 18
Chriſtus ſe ultro morti ſubjecit, 100. 3. & 227. 18
Chriſtus pauper ultro factus, 256. 5
Chriſtus cur craſſos idiotas in Apoſtolos primum ſelegerit, 56. 10. & 100. 6 & 124. 16
Chriſtus cur fuga elabitur, 154. 14
Chriſtus cur litem inter duos fratres dirimere noluit, 157. 18
Chriſtus didrachma pendere ſolitus, 215. 24
Chriſtus quo conſilio Petrum ad mare miſerit pro pendendo tributo, 213. 27
Chriſtus cur dæmonum confeſſionem repulerit, 60. ante 22. Marc.
Chriſtus receſſum in oratione quæſivit, 77. 3
Chriſtus in diverſos fines ad plebem loquutus, 152. 33
Chriſtus hominum hypocriſin per Euangelium detegit, 57. 55
Chriſtus minime otioſus dum laborant Apoſtoli, 121. 1
Chriſtus pro temporis ratione externis ſymbolis uſus, 61. 26. & 160. 51. Marc.
Chriſtus cur miracula ad tempus ſilentio ſupprimi voluerit, 134. 16 & 160. 56. & 185. 26
Chriſtus per Euangelium quomodo nobis pateſit, 147. 16 & 142. 27 Luc.
Chriſtus in cælo quærendus, 282. 2. & 304. 64
Chriſtus bis vendentes & ementes e templo ejecit, 116. 12
Chriſtus contemptim à Nazaræis exceptus, 54. 28
Chriſtus quando Paſcha cum diſcipulis celebravit, 288. 17
à reprobis maximo probro notatus, 216. 25
cur à falſis teſtibus accuſatus tacuit, 304. 62
cur mortem horruerit, 216. 52
Ideo paſſus ut mundum Deo reconciliaret, 227. 17. b
vero dolore affectus, 206. 17
cur ſolenni ritu à terreno judice damnatus, 309. 12. & 313. 24. 26
à mortuis ſuſcitatus, 116. a
honorifice ſepultus, 323. 56
quomodo diem judicii ignorat, 277. 56. b
quando venire dicitur, 115. 13
Chriſti corpus vere humanum, 9. 51
Chriſti anima ignorantiæ ſubjecta, 40. 40. b
Chriſti naturæ duæ, 11. 41
Chriſti cognitio à Deo eſt, 150. 27
Chriſti officium, 25. 16. & 55. 6. & 56. 54. b. & 41. 48. & 100. 18. & 115. 18. & 141. 48. & 134. 56. & 155. 46. & 125. 34. & 155. 9. b. & 268. 5
Chriſti exinanitio, 25. 5. & 28. 7. & 19. 12, & 40. 40. & 42. 51. & 85. 5. & 114. 14. & 225, ante 19. Matth. & 250. 28
Chriſti modeſtia, 41. 44
Chriſti manſuetudo, 46. 16. & 135. 19
Chriſti vitæ conditio, 97. 20
Chriſti gratia & virtus æterna, 16. 72. & 50. 1. & 151. 29
Chriſti jejunium, Euangelii ſigillum, 51. 1
Chriſti tentationes quæ, 224. 28. Luc.
Chriſti paupertas, 156. 5
Chriſti & miniſtrorum diſcrimen, 48. ante 15
Chriſti aſpectus duplex, 55. 10. & 142. 48. & 145. 16
Chriſti regnum ſpirituale, 18. 71. & 31. 1. & 15. 21. & 58. 15. & 215. 25. & 228. 28. & 117. 8. & 246. 42. b. & 310. 11. Matth.
Chriſti regnum æternum, 10. 55. & 194. 16. & 246. 45 & 255. 44
Chriſti regni perfectio in fine mundi, 283. ante 32
Chriſti ſacerdotium æternum, 194. 16
Chriſti imperium in mota elementa, 107. 26
Chriſti confeſſio præcipuus Dei cultus, 118. 52
Chriſti prima ad diſcipulos concio, 64. 8
Chriſti populus quis, 15. 21

* 3

Chriſti

Digitized by Google

Chriſti verba non ſophiſtice urgenda, 74. 30. & 90. 56. & 97. 20
Chriſti vox reprobis mortifera, 181. 57
Chriſti vocis energia, 59. 12. & 100. 9. & 105. 41. & 107. 26. & 109. 9 & 555 22
Chriſti & fidelium afflictiones communes, 228. 22. b. & 269. 9
Chriſti obedientia, 296. 56
Chriſti ſtudium omnibus prodeſſe, 156. 58
Chriſti contemptus unde, 235. 87. & 174. 53. & 175. 55
Chriſti gratia contempta, 130. 28
Chriſti dolor ex hominum ingratitudine, 291. 2. b
Chriſti iracundia, 155. 2. Luc.
Chriſti martyr quis cenſendus, 62. 10
Chriſti zelus, 191. 3. b. & 239 12
Chriſti miraculorum finis, 62. 17
Chriſti ſeſſio ad Patris dexteram, 255. 44. & 304. 64
Chriſti cura pro Eccleſia, 65. 0
Chriſti transformatio qualis, 599 2
Chriſti mors renovatio mundi fuit, 281. 50
Chriſti mors cur aſſumptio vocatur, 216. 55
Chriſti mors cum Baptiſmo confertur, 281 50
Chriſti in cælum aſcenſus vitæ novæ complementum, 323. 31
Chriſti imitatio & exemplum, 36 1 & 59. 10. & 73. 45. & 97. 19. & 118. 31. & 131. 29. & 198. 24. & 240. 14
Chriſti ſecundus adventus, 255. 27
Chriſto uni obediendum, 339. 16
Chriſtum abnegare quam noxium, 318. 32
Chryſoſtomi locus, 102. 15. & 114. 16. & 125. 35
Ciceronis locus, 29. 15
Circumciſio olim domi fiebat, 16. 58
Claves regni cælorum quid ſignificent, 195. 19. & 259 13
Cleri Papalis arrogantia, 46 9
Cleri Papalis immunitas, 215. 14
Commune pro profano, 187. 19
Concilia num errare poſſint, 215. 10
Concionatorum Papalium veſania, 9 28
Concordia mutua commendatur, 70. 23. vide Charitas.
Concupiſcentia peccatum eſt, 71. 28
Confeſſio Chriſti præcipuus Dei cultus, 259. 56
Confeſſio peccatorum utilis & neceſſaria, 45. 6. & 214. 21, 25
Confeſſionem auricularem unde Papiſtæ eliciant, 45. 6 & 33. 4. & 173. 14. & 212. 18
Conjugatorum officium, 218. 5
Conjugium purum & ſanctum, 54. 22
Conjugium paſtoribus verbi licitum, 8. 23
Conjugii hoſtis Satan, 229. ante 12
Conjugii moleſtiæ, ibid.
Conſcientiæ integritas neceſſaria, 3 6. & 119. ante 25
Conſcientiæ tranquillitas in Dei cultu neceſſaria, 18. 73
Conſcientiæ tranquillitas, fidei fructus, 155. 50
Conſcientia mala, ſecura nunquam, 33. 7. & 184 6 & 290 15. & 139. 11
Conſcientiæ malæ vis, 200. 29. & 176. 2. b. & 290. 25
Conſcientiæ malæ ſtupor, 590. 15
Conſcientiis laqueus non injiciendus, 184. 2. & 148. 18, 28
Conſuetudo perperam pro lege habita, 16. 59
Conſuetudini veritas præponderat, 69 21
Conſuetudini receptæ non nimis tribuendum, 102. 59
Contemptus Evangelii unde, 222. 3. b & 127. 16. & 129. 25. & 132 ante 16
Contentiones vitandæ, 52. 5. & 70. 25
Continentia donum Dei ſpeciale, 619. ante 12
Conventus ſacri non negligendi, 215, 20
Converſio patrum ad filios, 5. 17
Converſionis author Deus, 5. 16. vide Pœnitentia.
Cor pro mente, 182. ante 27
Cordis munditiæs virtutum omnium mater, 65. 8
Corbana quid, 308. 6
Corpus etiam cultui Dei conſervandum, 53. 10
Correctionis fraternæ tres gradus, 611. 15
Correctionem repellere, extremum malum, 54. 19
Correctionum contemptus in mundo maximus, ibid & 65. 10
Crates Thebanus ſtulte ſua in mare projecit, 212. 20. b
Credere quid, 13. 45. vide Fides.
Crudelitas Deo abominabilis, 167. ante 21
Crux extra Chriſtum maledicta, 110. 88
Curioſitas vitanda, 1. 1. & 8. 26 & 49. 16. & 56. 19 & 24. 26, 27. & 85. 19. & ibid. 1. & 88. 23. & 131 41. b. & 169 17. b & 177. ante 5. & 229. 28. & 650. ante 10. & 274 16. & 115. 41
Cyril dictum, 209. 16
Cypriani dictum, 296. 8

D.

DÆmones Chriſtum Dei Filium confitentur, 154. 16
Dæmones cur in porcos ingredi optarint, & id Chriſtus cur permiſerit, 110. 35
Dæmones ſunt eſſentiales ſpiritus, ibid.
David typus Chriſti, 245. 42 & 356. ante 25
Davidis nomen ad Meſſiam translatum, 10. 51. b
Davidis conſilium in deſcribendis Sacerdotum ordinibus, 8. 5. 9
Demoſthenis locus, 2 8
Denarius quid, 226. 1. b
Deſertum pro aſpera & montoſa regione, 43. 2. Luc. pro vaſtitatem populi, 44 5. b
Deus verbum ſuum cur vult reprobis annunciari, 147. 12
Deus unus, 252. 57
Deus ſolus bonus, 221. 17
Deus cur cæleſtis pater dicitur, 78. 9
Deus pater noſter vult cognoſci, 50. 19. & 78 9
Deus quomodo in cælo, 78 9
Deus ſolus adorandus & colendus, 53. 10. & 251. 37
Deus cur juraverit, 18. 73
Deus quibus miſericors & propitius, 65. 7
Deus ſemper verax, 55. 45. & 25. 22
Deus author conjugii, 218 6, 7
Deus duobus modis Patribus apparuit, 24 20
Deus ſemper ſui ſimilis, 14. 49
Deus animum præcipue intuetur, 5. 6 & 6. 18. a. & 19. 75. b. & 76. 22. a. & 71 28. & 101. 13. & 167 15. & 232. 37. & 266 43
Deus unicus animarum legiſlator, 246. 11
Deus ſuorum curam gerit, 14 20. & 53. 7. & 18 15. & 54 11. & 57. 28. & 77 8. & 79. 11 & 24 26. & 154. 19. & 159. 29. & 168. 82. & 275. 24. & 284. 54
Deus cur Iſraëlis dicitur, 17. 66
Deus cur interdum auxilium ſuum differt, 24. 20. & 139. 15 & 171. 7. & 182. 27
Deus cur non ſtatim impios punit, 158 6
Deus quomodo omnes amare dicitur, 221. 21
Deus quomodo tentare dicitur, 51. 1. b. & 167. 23
Deus quomodo in tentationem inducat, 80. 13
Deus non eſt author mali, ibid.
Deus impiorum opera utitur, 67. ante 8
Deus ſolus peccata remittere poteſt, 99 3
Deus ſolus totius mundi judex, 75 45
Deus homines ad pœnitentiam invitat, 809. 17
Deus dupliciter regnare dicitur, 78. 10
Deus ubique locorum invocari poteſt, 240. 18
Deus naturæ legibus minime ſubjectus, 6. 18. & 10 54
Deus diverſo modo ſuos ſervat, 38 15
Deus interdum honorem ſuum hominibus transfert, 211. 15. b
Deus veritatis rigidus aſſertor & vindex. 140 34
Dei amor, pietatis initium, 41. 49. & 260 & 261. ante 28
Dei bonitas nobis imitanda, 214. 21. b
Dei brachium pro robore & potentia, 15. 58
Dei dextera quid, 305. 64
Dei cognitio ex ſolo Chriſto, 130. 27
Dei conſilium arcanum, 146 15. & 222. 23. & 246. 42. b
Dei conſilium pro doctrina Evangelii, 115. 10
Dei contemptorum ſpecies duæ, 86 6
Dei cultus ex ejus verbo formandus, 54 23. & 185. 9
Dei cultus ſpiritualis, 55. 15. & 54. 23. & 125. 14 & 240. 18. b. & 254. 32
Dei dona non negligenda, 142. 87. Luc. & 146. 88
Dei donorum communicatio, 151. 8. &c.
Dei dona ſola fides in nobis ſanctificat, 174. 19
Dei donis non abutendum, 126. 10. & 154 15
Dei exemplum quatenus imitandum, 75 45
Dei fidem habere quid, 241. 25
Dei fœdus cum Patribus gratuitum, 25. 54 & 18. 72. & 25. 15
Dei gloria quanti æſtimanda, 45. 49. & 78. 9
Dei gloria miraculorum fructus, 107. 27
Dei gratia cum hominum malitia certat, 175 58
Dei gratia in Angelis & hominibus celebranda, 14. 43. b
Dei gratia prævenit nos, 14. 49. & 44. 8. & 75. 45. & 86 6. & 164. 81. & 215 30. & 214. 25. & 232. 5. & 234 15
Dei erga ſuos indulgentia, 7. 20 & 11. 36 & 18. 73 & 79. 81. b & 105 18 & 140 55. & 158. 2, 6. & 214. 21. b & ibid 25
Dei judicium arcanum, 303. 21
Dei laudes prædicandæ, 29. 13, 14. & 57. 28
Dei miſericordia æterna, 14. 49
Dei miſericordia, pœnitentiæ fundamentum, 44. 2
Dei miſericordiæ agnitio, pœnitentiæ initium, 203. 17
Dei myſteria reverenter excipienda, 42. 49. & 127. 21. & 190. 32. Matt.
Dei myſteriorum ſenſus ad reprobos non pervenit, 146. 18
Dei nomen cur ſanctum vocatur, 24. 49
Dei nominis ſanctificatio quid, 78. 9
Dei opera non oſcitanter conſideranda, 9. 29. & 17. 65. & 50 19. & 105. 45. & 106. 54
Dei potentia infinita, 6. 12
Dei potentia non tyrannica, 15 52
Dei potentia mediis vel adminiculis non adſtricta, 190. 32. Matth.
Dei potentia quomodo conſideranda, 18. 57. & 46 9 & 127. 20, 21
Dei præſcientia quomodo conſideranda, 290. 14
Dei præſentia aliter piis, aliter impiis aſſientitur, 4 12. & 9 50. & 28. 10. & 59. 8 & 96 16
Dei promiſſiones interdum exceptionem admittunt, 86. 2
Dei proprium, hominibus interdum tribuitur, 815. 25. b
Dei providentia erga ſingulas creaturas, 84. 16 & 117. 29
Dei providentia quomodo expendenda, 15. 52. & 17. ante 1. & 78 9. & 84. 26. & 107. 23. & 115. 19. & 117. 29. & 157. 15 & 171. 7. & 275. 62. & 305. 36 & 309. 10
Dei regnum quid, 78. 20
Dei regnum Satanæ interitus, 78. 50. & 187. 25. & 128. 20
Dei verbum Sacramento annexum, 44. 3. Luc.
Dei verbum impune contemni non poteſt, 57. 24
Dei verbum ſcommatibus & ſubſannationibus obnoxium, 166. 14
Dei verbum quomodo excæcat, 146 14. &c.
Dei verbi efficacia, 178. 24. Vide Chriſti vocis energia.
Dei veritas hominum perfidia ſuperior, 25. 82. b
Dei voluntas, ſumma juſtitiæ regula, 130. 26. & 172. 13
Dei voluntas una & ſimplex, quod ad ipſum ſpectat, 79. 10. & 85. 37. b
Dei voluntas bifariam nobis in Scriptura proponitur, ibid.
Dei voluntatem facere quid, 81. 26
Deo vivere quid, 221. 58
Deo affectus humani tribuuntur, 284. 37. &c.
Deo in diſpenſandis ſuis beneficiis lex minime præſcribenda, 57. 25. b
Deum juſtificare qui dicantur, 124. 29
Deum tentare quid, 53 7 & 191. 2
Dies quomodo olim dividebatur, 226. 1. b
Dies Dominicus ſabbatho Judaico ſucceſſit, 55. 16
Dies judicii in ſingula momenta expectandus, 276. 36 & 177. 87
Diei natalis annua ſolennitas per ſe minime mala, 577 6
Digitus Dei pro Spiritu, 557. 18
Dilectio non eſt veniæ cauſa, 855. 47
Diſcipuli à Chriſto vocati, 58. 18
Diſcipuli de primatu contendentes, 203. 3. & 229. 14
Diſcipuli 70. cur bini à Chriſto miſſi, 126 e
Diſcipulorum ignorantia, 187. 15. & 195 8
Diſcipulorum ſtupor & ſocordia, 181. 24. & 130. 35. & 254. 12
Diſcipulorum Joannis ſocordia, 126. 8
Dives in Deo quis, 138 21
Divites à regno Dei non arcentur, 66 24. & 85. 14. & 168. 25. & 223. 23. & 233. 9
Divitiæ per ſe non malo, 166 9
Divitiæ beatum non faciunt, 66. 24
Divortia cur olim permiſſa, 617 ante 4
Divortii legitimi cauſæ, 218 9
Doctiſſimorum inanis gloriatio, 66 ante 24
Doctrina Prophetarum Legis nomine comprehenſa, 42 ante 1
Doctrina ſalutis in diverſos fines hominibus profertur, 146. 18
Doctrina Evangelii quomodo exæcitatis cauſa, 147. 16
Doctrina generalis neceſſaria, 57. 25. b
Doctrina generalis ex particulari, 41. 49 & 57. 25. & 66. 55. & 76. 1. & 95. 13. & 101. 18
Doctrinæ generalis verus uſus, 22. 37
Doctrina particularis neceſſaria, 45 7
Doctrina perſonis accommodanda, ibid & 47. 18
Doctrinæ diſſidium odium generat, 216. 21, 52
Doctrinæ contemptus, Spiritus lucem extinguit, 17 67
Doctrinæ contemptus in mundo maximus, 169 30
Doctrinæ omnes ad Dei verbum exigendæ, 90. 16. b
Donec quomodo ſumitur, 266 59
Dormiendi verbum late patet, 103. 39
Duodecim Apoſtolos cur Chriſtus elegerit, 115. 2. & 224 28
Duliæ & latriæ frivola diſtinctio, 58. 10

E.

EBrietas cavenda, 577. 6
Eccleſia qualis à Chriſto reperta, 5. 16
Eccleſia ex ignobili turba conſtans, 241. 47
Eccleſia in Petro minime fundata, 65. 16
Eccleſia domus ſpiritualis Jacob, 10 38
Eccleſia ager Domini, 350. 8
Eccleſia cum area confertur, 48 18
Eccleſia laborioſis tentationibus obnoxia, 271. 14. & 274. ante 30
Eccleſia variis impoſturis obnoxia, 90 13
Eccleſia verbo Dei ſubjecta, 246. 42. b
Eccleſia multis adhuc vitiis laborat, 150. ante 87
Eccleſia pro ſeſſionibus Eccleſiæ, 811. 16 &c.
Eccleſiæ veteris ſtatus, 5. 16, 17 & 13. 54. & 44. 8. b
Eccleſiæ fœcunda propagatio, 112. 2
Eccleſiæ qualis conditio, 18 71. & 63. 15. Matt. b. & 147. 24. & 133. 18. & 214 23
Eccleſiæ militia cum Satana, 18. 71. & 195 18
Eccleſiæ titulo abutuntur Papiſtæ, 46. 9
Eccleſiæ perfectio qualis, 48. 12
Eccleſiæ judicium minime varium, 212 18
Eccleſiam ſuam Deus ab impiis mirabiliter conſervat, 31. 7
Electio gratuita, 146. 18
Electio ex Dei voluntate, 130 26
Electio ſola origo & cauſa ſalutis, 186. 15. b
Electio fons bonorum omnium, 128. 20
Electionis vis, 129 15
Electi pauci, 284. 28
Electi cur tritico conferuntur, 48 18
Electi extra periculum, 18. 71. & 186 13. & 271 24
Electi ſoli illuminantur, 147 13
Electi ſoli Dei myſteria percipiunt, 146 11
Electi ſoli Dei Spiritu aguntur, 147. ante 12 Matt.
Electi ſoli perſeverant, 147. 30
Electorum perſeverantia, 125 12

Electo

Electorum & reproborum diſcrimen, 4. 12. 13. & 7. 20. & 12. 38 & 17. 69. b. & 28. 20. & 48. 13. & 64. 5. & 80. 10. & 83. ante 25. & 96. 16. & 128. 39. & 124. 15. & 128. 15. & 141. 44. & 168. 21 & 182. 27. & 188. 24. & 212. 18. & 223. 25. & 225. 28. & 275. 28. Luc.
Eleemoſyna boni odoris ſacrificium, 70. 18
Elephantiaſis non juſta repudii cauſa, 218. 9
Elias num vere in Chriſti transformatione apparuerit, 200. 3
Elias & Enoch ante Chriſti adventum expectantur a Papiſtis, 202. 10
cur Joannes dictus Elias, 124. 14. & 175. 2
Elizabeth genus cur Lucas memorat, 3. 5
Elizabeth quomodo juſta & irreprehenſibilis, 2. 6
Elizabeth cur poſt conceptum Joannem ſe occultaverit, 9. 24
Elizabeth quomodo cognata Mariæ, 3. 5. & 11. 18
Epicurei gloriæ Dei contemptores, 66. 24
Epiſcopi Papales non ſunt paſtores, 55. 18
Epiſcopi Papales fruſtra de Apoſtolorum ſucceſſione gloriantur, 66. 55 Matth. & 246. 42. & 257. 2. & 262. 29. & 112. 10
Epiſcopi Papales, canes muti, 104. 38
Eremitarum ſuperſtitio, 44. 4
Ergo, particula interdum ſuperflua, 88. 12
Errores quomodo corrigendi, 260. 12
Et pro quia, 209. 16
Euangelium. Legis eſt complementum, 68. 17. b
Euangelium ſceptrum regni Chriſti, 113. 14
Euangelium à Matthæo Hebraice minime compoſitum, 32. 6
Euangelium cur igni confertur, 181. 49
Euangelium ordinem politicum non evertit, 47. 10. Luc.
Euangelium quomodo diſſidii cauſa, 119. 15
Euangelium non confert peccandi licentiam, 151. 12
Euangelium cur in multis hodie non fructificas, 145. 9. & 146. 11
Euangelium juxta carnem contemptibile, 18. 8
Euangelium regni ab effectu vocatur, 106. 15
Euangelium cur in orbe annuntiatur, 270. 14
Euangelium Nicodemi fabuloſum, 1. 5. b
Euangelii auditorum ſpecies quatuor, 148. ante 19
Euangelii auditorum diſcretio unde, 145. 9
Euangelii commendatio, 55. 18
Euangelii contemptus unde multis obrepis, 88. 4. & 36. 16. & 110 15. & 123. 3. b & 130. 28. & 152. ante 26. & 128. ante 46
Euangelii contemptus non impunitus, 113. 14. & 141. 39. 45
Euangelii maxima dignitas, 16. 6. & 118. 14. & 125. 11. b
Euangelii doctrina nova non eſt, 67. 27
Euangelii doctrina quomodo cæcitatis cauſa, 246. 14
Euangelii doctrinam cur plerique ſepultam optarent, 170. 15
Euangelii finis, 18. 73. & 55. 18. & 119. 31. & 119. 35
Euangelii hoſtes lupis ſimiles, 114. 16
Euangelii initium in Joannis prædicatione propriæ ſtatuitur, 42. b
Euangelii lux hypocriſin denudat, 37 55
Euangelii majeſtas ſupra Legem, 128. 11. b
Euangelii odium unde, 16. 14
Euangelii perſecutores judicium Dei non effugient, 211. 38
Euangelii prædicatio cur vanno confertur, 48. 11
Euangelii prædicatio ſationi ſimilis, 268 4
Euangelii prædicationis ſcopus, 18. 12
Euangelii ſumma, 44. 2
Euangelii hiſtoria, 116. 17. & 117. 18
Euangeliſtæ cur à Chriſti infantia ad annum ejus triceſimum tranſeant, 42. b
Euangeliſtæ in ſerie temporum ſerie parum curioſi, 53. 18. & 61. 59. & 138. ante 12. & 142. 59. & 161. 41. & 229. 24. & 234. 12. & 238. ante 10. & 266. 53
Euangeliſtarum doctrinæ certitudo, 31. 1
Eunuchorum tria genera, 219. 52
Excommunicatio in Eccleſia Chriſti quam utilis, 212. 16
Excommunicatio Papalis nil metuenda, 61. 11
Exempla Patrum quatenus imitanda, 5. 15
Exhortationes neceſſariæ, 30. 15
Exhortationum uſus in Eccleſia, 238. & 259. ante 12
Exorciſtæ vulgares apud Judæos, 137. 27
Exorciſtæ quales in Papatu creantur, ibid.

F.

Facere voluntatem Patris quid, 95. 21
Fatum Stoicorum evertitur, 117. 19
Felicitas omnis ab amore Dei, 9. 21
Felicitas vera ex fide, 13. 43
Felicitas vera à Chriſto pendet, 148. 27
Felicitas ſumma in ſolo Chriſto, 19. 79
Felicitas ſumma in cælo, 88. 21
Felicitatis fidelium & Stoicorum diſcrimen, 65. 10
Fermenti nomen varie ſumitur, 192. 6. & 193. 18
Feſtinatio nimia cavenda, 26. 34. & 115. 13. b. & 120. 28. Luc. & 272. 15
Ficus cur à Chriſto maledicta, 261. 18
Fides ex auditu, 3. 10. & 142. 27. & 193. 82
Fides precibus excitanda, 204. 12. Matth.
Fides voluntaria eſt, 121. 18
Fides donum Dei, 59. 20. & 139. 25. & 136. ante 12. & 169. 50. & 195. 27. & 202. 18
Fides univerſalis & ſpecialis, 6. 18
Fides particularis neceſſaria, 29. 55. & 93. 2. & 188. 25. & 191. 19
Fides temporalis, 148. 20. & 171. 13
Fides ſola juſtificat, 140 17. & 231. 52
Fides quidvis à Deo impetras, 205. 29. & 189. 12. & 204. 23. & 241. 21
Fides à bonis operibus ſeparari non poteſt, 164. 12
Fides imperfecta etiam à Deo non rejicitur, 205. 18. 20. & 149. 22. & 204. 14
Fides timori non ſemper repugnat, 107. 15
Fides ſalutis noſtræ cauſa, 148. 19
Fides noſtra in cælo fundata, 9. 35
Fides cum æterna Dei prædeſtinatione conjuncta, 120. 17
Fides ſola dona Dei in nobis ſanctificat, 174. 19
Fides aliena quatenus aliis proſit, 98. 2
Fides Patrum & noſtra eadem, 95. 13
Fides piorum tentationibus exercetur, 51. 2
Fides juſtorum eſt prudentia, 8. 17
Fides Papiſtarum implicita, 205. 22
Fides Centurionis, 95. 10
Fides mulieris Chananeæ à Chriſto laudatur, 189. 28
Fidei natura, 6. 12. & 131. 1. & 121. 12. & 241. 21
Fidei primum fundamentum, 202. 12
Fidei examen in precibus continetur, 241. 25
Fidei analogia in judicandis pſeudoprophetis dominari debet, 20. 16 b
Fidei obedientia, 12. 38
Fidei gradus, 148. ante 19. & 149. 23
Fidei infirmitas in ſanctis, 6. 18
Fidei confirmatio neceſſaria, 36. 11
Fidei & opinionis diſcrimen, 502. 20
Fidei & verbi relatio, 15. 45
Fidei fructus conſcientiæ tranquillitas, 555. 50
Fidem nemo proprio acumine conſequitur, 129. 25. b
Fidem dubitationi permiſcent Papiſtæ, 241. 22
Fidem Dei habere quid, ibid.
Fide remiſſionem peccatorum conſequimur, 194. 22
Fideles, Dei templa, 595. 18
Fideles manu Dei plantati, 186. 18
Fideles quomodo filii Dei, 10. 52
Fideles fratres Chriſti, 142. 48
Fideles, filii lucis, 87. 14. & 186. 8
Fideles ſal aliis eſſe debent, 67. 50
Fideles quomodo hæredes mundi, 84. 5
Fideles cur puſilli dicantur, 121. ante 12. & 122 5. b
Fideles ſæpe improborum calumniis expoſiti, 68 17
Fideles quomodo juſti coram Deo, 19 77
Fidelium conditio in mundo contemptibilis & miſera, 52. 21. & 61. 10. & 97. 12. & 198. 24. & 269. 9. & 285. 18, 14. & 310. 12
Fidelium gaudium, 14. 46. & 28. 10. & 275. 22. Luc.
Fidelium gloria poſt hanc vitam, 168. 23, 25
Fidelium ſancta gloriatio, 286. 16
Fidelium felicitas, 65. 10. & 82. 25
Fidelium militia, 85. 10. & 143. 43. & 195. 18. & 254. 31. Luc.
Fidelium obedientia imperfecta, 85. 24
Fidelium paucitas, 88. 13. & 206. 35. & 121. 22. & 164. 12. &c.
Fidelium paucitas cur meſſi copioſæ confertur, 106. 37
Fidelium in hac vita qualis perfectio, 75. 48. & 139 35
Fidelium pugna cum Satana, 65. 10. & 294. 51. Luc.
Fidelium certa victoria, 114. 19. & 225. 22. & 120. 38, 39. & 125. 18
Fidelium vita negotiationi ſimilis, 215. 20
Fidelium vitæ ſcopus, 256 43
Fidelium zelus, 195. 2. b. & 203. 22
Fidelium & infidelium diſcrimen, Vide Electorum & reproborum diſcrimen.
Filii Abrahæ duplices, 54. 49. & 56. 55. & 95. 12. & 141. 19. & 181. 23, 31. & 221. 9
Filii regni, pro Judæis, 95 22
Filii ſponſi, pro convivis nuptialibus, 102. 15
Fœcunditas ex Dei benedictione, 2. 23
Fortunæ mundus minime ſubjectus, 117. 19

G.

Gabriel quid ſonat, 7. 19
Gadareni avari & ingrati, 280. 23. Marc.
Galilæa gentium quæ, 58. 53
Gaudium ſolidum ex Dei favore, 14. 46
Gaudium fidelium, ibid. & 28. 10
Gehennæ nomen unde deductum, 70. 22. b
Gehennæ nomen ad inferos translatum, 126. 25
Genealogia Chriſti deſcribitur, 32
Genealogiæ Chriſti narrationis diſcrimen quadruplex, ibid b
Gentium vocatio, 18. 53 & 28. 10. & 31. 5. & 35. 21, 22. & 89. 29. & 95. 10. 12. & 111. 18, 20. & 164. 9 & 137 & 240. 13. & 287. 21 & 318. 47
Gladii uſum perperam Anabaptiſtæ arcent ab Eccleſia, 301. 52
Gloria Dei, Vide Dei gloria.
Gloria fidelium, 288 23, 25
Gratia pro Dei favore, 9. 28
Gratia Dei, Vide Dei gratia.
Gratiam invenire quid, 9 30
Gratiarum actio piis omnibus neceſſaria, 2. 81. & 14. 48. & 16. 64. & 19. 14. & 91. 4. & 110. 13 & 205. 26
Gratitudinis exemplum, 300. 9. & 145. ante 2
Grex Chriſti puſillus, 85. 32. Luc.

H.

Hæreditatem inter fratres dividendam negant Anabaptiſtæ, 157. 13
Hæreticorum natura, 250. 24
Helvidii error confutatur, 25. 23. & 171. 18
Herodes templum magnifice extruxit, 167 2
Herodes Antipatri filius, 2. 5
Herodes Antipas, 160. 52. & 310. 4 Luc.
Herodes ſpiritu vertiginis correptus, Deum imperit, 22 7
Herodes adulterinus Legis profeſſor, 182 5
Herodis aſtutia, ibid. 8. & 160. 12
Herodis ambitio, 178 26
Herodis fermentum quid, 192. 6 b
Herodiani qui, 247. b
Herodias cur Joannis mortem optaverit, 178. 24
Herodiadis exilium, 178. 28
Hieronymi dictum de legis impoſſibilitate, 223. 28
Hieroſolyma quomodo ſancta, 73 14
Hieroſolyma latronum caverna, 260. 12. b
Homo tutela Dei deſtitutus, miſerum animal, 189 9. Marc.
Hominis conditio extra Chriſtum miſera, 18. 71. & 35. 81. & 28. 10. & 15. 18 & 55. 14. & ibid. 18. & 58. 12. b. & 120. 18. & 128. 18. & 141. 41. & 188. 26. & 135. 27. & 220. 14
Hominis converſio opus Dei eſt, 5. 16
Hominis paſſiones per ſe non vitioſæ, 314. 8
Homini interdum tribuitur quod Dei proprium eſt, 5. 16. & 48 ante 12. & 185. 9 & 212. 13. b
Hominem vel bonum vel malum eſſe neceſſe eſt, 139. 22
Hominum naturæ corruptio, 34. 22
Hominum infirmitati quomodo ſuccurrendum, 125. 28
Homicidium à Deo prohibitum, 181. 53
Honos parentibus debitus, Vide Pietas erga parentes.
Horatii locus, 166. 14
Hoſpitalitas Marthæ in quo vitioſa, 158 42
Humilitas quid, 501. 13
Humilitas commendatur, 572. 18
Humilitas, pro vili & abjecta conditione, 14. 48
Humilitas Chriſti, Vide Chriſti exinanitio.
חקים, pro ceremoniis, 2. 6
Hypocriſis ex ſecunda tabula detegitur, 153. 29
Hypocriſis luce Euangelii denudatur, 37. 55
Hypocriſis ſemper ambitioſa, 77 5
Hypocriſis impoſtorum non ſemper latet, 90. 16
Hypocriſis, pro ficta & fucoſa ſapientiæ ſpecie, 192. 6
Hypocriſis damnatur, 19. 75. & 43. 7 & 33. 12. & 81. 24. & 86. 2. & 185. 7 & 222. 20. & 161. 24, 25, 27
Hypocritæ hiſtriones, 78. 2
Hypocritæ ad Chriſti tribunal citandi, 91. 22
Hypocritæ cur Chriſtum reſpuunt, 150 28
Hypocritæ magni ceremoniarum obſervatores, 1. 6. & 47. 2. & 161. 59. & 125. 7
Hypocritæ peccata ſua extenuant, 86. 3
Hypocritæ fruſtra Deum ſibi patrem eſſe gloriantur, 14. 49
Hypocritæ protervi & ſuperbi, 154. 16. & 155. 40. & 291. 57. & 543 ante 52
Hypocritæ alios omnes ſpernunt, 172. 16
Hypocritæ rebus externis addicti, 132. 5. & 185. 7.
Hypocritæ bonis permixti, 48. 22 & 150. 2. & 152. 47
Hypocritæ quomodo tractandi, 45. 7. & 125. 51. & 140. 24. & 142. 39. & 166. 15. & 203. 17. Matth. b. & 240. 15. b. & 261. 52
Hypocritæ ex Eccleſia ejiciendi, 95 22. & 151. 41. & 153. 47. & 186. 13. b
Hypocritarum variæ ſpecies, 78. 2
Hypocritarum morbus, 86. 3. & 100. 12. & 260. ante 23. & 285 20
Hypocritarum ſopita conſcientia, 195. 57
Hypocritarum mores & ingenium, 135. 2. Matth. & 133. 9. & 159. 14. & 191. 2. & 240. 13. b. & 261. 29. & 268. 8
Hypocritarum inanis oſtentatio, 14. 49. & 141. 18. b
Hypocritarum ſecuritas, 45. 7. & 94. 5. Luc.
Hypocritarum pœna & exitium, 141. 41. & 245. 28. b

I.

Jacob Patriarchæ prophetia exponitur, 3. 4
Jactantia Satanica, ſibi ſapere, 595 25
Jejunium quando Deo probatur, 17 27 & 82 ante 19
Jejunium triduanum quomodo intelligendum, 190. 31. Matth
Jejunii Chriſti & Papiſticì diſcrimen, 50. 1. b
Jejunii finis, 204. 22
Jejunii cauſa cum Chriſto expoſtulant Joannis diſcipuli, 102. 14. &c.
Jejunii quadrageſimalis ſtulta inſtitutio, 50. 1 b

Jeſus

Digitized by Google

I N D E X.

Jeſus cur ſic nominatus, 9. 31. & 24. 31. & 34. 23
Ignavia fugienda, Vide Socordia excutienda.
Ignis cur Spiritus vocetur, 48. 33
Ignis æternus qualis, 48. 12. & 151. 41. & 181. 41
Igne ſaluri quid, 67. 49
Ignorantia qualis Chriſto tribuitur, 40. 40. & 241. 18. & 277. 16
Ignorantiæ prætextus non excuſat, 280. 47. Luc.
Immortalitas animæ, 240. 23
Immortalitatis perfecta gloria ad diem redemptionis differtur, 168. 28, ante 23
Impietas cæca, 106. 14
Impii cur offendicula dicantur, 158. 41
Impii ſibi ſcandala accerſunt ne Chriſtum ſequantur, 171. 16
Impii ad Dei tribunal citandi, 91. 22. & 119. ante 13
Impii ad Dei conſpectum contremiſcunt, 109. 28
Impii libenter Dei conſpectum effugerent, 110. 15. b
Impii inexcuſabiles, 20. 17. & 114. 17. & 125. 25. & 142. 39. & 158. 34. & 290. 21
Impii quid excuſando proficiunt, 290. 35
Impii deteriores redduntur Euangelii doctrina, 119. ante 32. & 147. ante 18. & 160. 12. b
Impii proſperitate abutuntur, 66. 34
Impii, licet inviti, Dei providentiæ ſerviunt, 190. 2. ante 23. & 102. 36
Impii inter ſe concordes ad opprimendam Dei veritatem, 16. 24. a. & 134. 14. & 310. 12. b Luc.
Impiorum natura peſſima, 164. ante 7. & 247. 45
Impiorum multitudo, 88. 13
Impiorum fugienda conſortia, 218. ante 18
Impiorum conſcientia mala, 12. 7. & 202. 25. & 241. 2. ante 18. & 308. 3. 4. & 320. 11. Mat. conſilia evertuntur à Domino, 13. 7. conatus in diverſum finem ſæpe convertuntur, 248. 22. pœna horribilis, 180. 48. & 290. ante 21. b. pœna cur differtur, 158. 6. pœnæ cur prædictæ, 287. 2. interitus, 46. 10. & 48. 18. & 144. 41. & 162. 7. & 169. 26. & 186. 13, 14. cruciatus perpetui, 189. 26.
Incredulitas quam deteſtabilis, 29. 13
Incredulitas in Deum blaſphema, 124. 29. Luc. b
Incredulitas quodammodo impedit Dei liberalitatem, 91. 31. & 104. 16
Infantibus fides aliena prodeſt, 98. 2
Infidelitas ſollicitudinis immodica mater, 84. 26
Infirmorum habenda ratio, 207. 10. & 211. 15 & improborum diſcrimen, 111. 19. & 186. 14
Ingratitudo damnatur, 2. ante 3. b. & 13. 12. & 17. 65. & 19. 75. & 10. 79. & 19. ante 12. & 29. 11. & 30. 20. & 32. 2. & 35. 10. & 19. 5. & 35. 7. & 36. ante 2. & 91. 44. & 337. 28. & 144. 41. & 170. ante 10. & 180. 20. & 314. 23
Ingratitudo Judæorum, Vide Judæorum ingratitudo.
Inimici diligendi, 71. 44
Invidia fugienda, 22. 43. & 137. 27. & 256. 1. b
Joas quomodo Dehoziæ filius, 82. 0
Joannes cur ſic nominatus, 4. 13
ad rem magnam & inſolitam deſtinatus, 4. 15
cur à Chriſto laudatur, *ibid.* cur abſtemius, *ibid.*
Chriſti apparitor, 10. 76. quoto ætatis ſuæ anno in publicum prodierit, 42. 1. ad quid miſſus, 242. 25. cur phanaſticus habitus, 111. 22. cur veteribus Prophetis præfertur, 189. 11. quomodo Spiritum ſanctum viderit, 49. 16. quomodo diſcipulos ſuos orare docuerit, 77. 1. quomodo inferior minimo in regno cælorum, 61. 19. cur Elias dictus, 124. 14. & 175. 2. cur in vincula conjectus, 176. ante 5. quo conſilio ſuos ad Chriſtum miſerit, 121. 2. non dio doctoris officio functus, 41. 5
Joannis vocatio, 41. 8. Luc. munus, 5. 17
Joannis Baptiſmus, pro toto ejus miniſterio, 242. 35
Joannis & Chriſti diſcrimen, 10. 32. & 125. 22
Joannis diſcipulos auſterior quam Chriſti, 102. ante 13
Joannis diſcipuli moroſi, *ibid.*
Joannis conſtantia, 46. ante 2. & 54. 10
Joannis modeſtia, 49. 14
Joannis mors, 178. 18
Joannis ſepultura, *ibid.* 29
Joannem cur Chriſtus populo commendat, 4. 15. & 125. 7
Jonæ ſignum, 142. 19
Joſeph filius Jacob, figura Chriſti, 40. ante 40. b
Joſeph vir Mariæ improprie pater Chriſti dicitur, 41. 41
Joſeph inopia, 28. 7. & 34. 24
Joſephi locus, 38. 16. & 30. ante 40. a. & 41. 1. 2. & 14. 19. & 176. b. & 177. 2. & 178. 26. & 267. 3
Joſephi error, 228. 18
Ira pro Dei judicio, 46. ante 8
Ira juſta & ſancta, 133. 8. Luc.
Irenæi locus, 41. ante 41
Judas cur à Chriſto in Apoſtolum ſelectus, 62. ante 13. Luc.
Judæ defectio fidem Eccleſiæ potius confirmavit quam concuſſit, *ibid.*
Judæ pœnitentia qualis, 307. 9
Judæi in Eccleſia primogeniti, 111. 6
Judæi cur Scripturam non intelligant, 18. 70
Judæi maligne Scripturam depravant, 21. 22
Judæi increduli ab Eccleſia rejecti, 20. 30
Judæi inexcuſabiles, 21. 44. & 261. 24. & 261. 2. b. & 308. 4. & 312. 25
Judæorum & Gentium æqualitas, 15. 31. & 182. 26
Judæorum & Gentium diſcrimen, 35. 12
Judæorum vana gloriatio, 21. 4. & 46. 2. & 80. 28. & 159. 15
Judæorum arrogantia retunditur, 267. 18
Judæorum ignavia, 15. 9
Judæorum ingratitudo, 32. 3. & 33. 9. & 38. 15. & 57. 25. & 91. 44. & 158. 28. & 163. 8. & 188. 14. & 189. 26. & 203. 17. Matth. & 262. 14
Judæorum obſtinatio, 185. 37
Judæorum pervicatia velut hæreditaria, 143. 32
Judæorum prærogativa, 35. 32. & 111. 5. 6. & 183. 8. & 188. 36
Judæorum miſera ſervitus, 215. 24
Judæorum ſtupor, 94. 5. Luc. & 310. 45. & 326. 41
Judicare, pro, curioſe inquirere in aliena facta, 85. 3
Judicare licet ex Dei verbo, *ibid.* b
Judicandi verbum late patet, 104. 42
Judicandi temeritas damnatur, 85. 3. & 158. 2. & 186. 1
Judicium ex cæli intuitu licitum, 191. 2
Juliani calumniæ adverſus Euangelium, 71. 32
Juriſdictio duplex, 201. 38
Juriſjurandi religio, 178. 26
Juſtificandi verbum late patet, 140. 17
Juſtificare Deum qui dicantur, 154. 29
Juſtificare quid proprie, 172. 14
Juſtificationes à præceptis differunt, 3. 4. 0
Juſtitia pro Legis obſervatione, 42. 13
Juſtitia Legis, 211. 17. b
Juſtitia fidei, *ibid.*
Juſtitia in Lege traditus, 3. 4. b
Juſtitia in Legis obſervatione, 211. 17. b
Juſtitia in peccatorum remiſſione ſita, 19. 77
Juſtitia nonniſi magno certamine in mundo conſtituitur, 125. 20
Juſtitia pro ſpirituali vitæ novitate, 85. 33. Matth.
Juſti qui cenſendi, 3. 6
Juſtorum prudentia fides eſt, 4. ante 18

L.

Attiæ & duliæ frivola diſtinctio, 53. 10
Latronis fides magna, 318. 40
Lex perfectam juſtitiam continet, 69. 21. & 72. ante 38
Lex recte vivendi regulam complectitur, 851. 26
Lex etiam Prophetarum doctrinam comprehendit, 42. 0
Lex homini impoſſibilis, 283. 26
Lex cur onus grave dicitur, 317. 4
Lex & Prophetæ, pro Veteri Teſtamento, 269. 17. b
Lex & Prophetæ pro præceptis ſecundæ tabulæ, 88. 10
Legis juſtitia, 211. 17. b
Legis abrogatio in Joannis prædicatione ſtatuitur, 42. b
Legis ſumma, 3. 4. 2
Legis finis eſt hominis abnegatio, 222. 30. a
Legis & Euangelii conſenſus, 68. 37. a. b
Legis & Euangelii diſcrimen, 2. 23. & 55. 16. & 42. a. & 183. ante 24. Matth.
Legis infirmitas ex carne noſtra, 69. 21. b
Legis veritate nihil in orbe firmius, 68. 18
Libellus repudii cur olim permiſſus, 71. 32
Liber pro catalogo, 22. 1
Librariorum incuria, 21. 6. b
Liberum arbitrium evertitur, 138. 22
Liberi arbitrii aſſertores & patroni, 81. 22. & 139. 33. & 262. 14. & 263. 37. b
Liberalitas commendatur, 74. 42. Matth. & *ibid.* 11. Luc. & 81. 19. & 222. 20. b
Lingua character mentis, 91. ante 21. b. & 140. 34
Lingua virulenta quam noxia, 286. 8
Liturgia pro functione Sacerdotum, 7. 23
Livii dictum, 266. 10
Locis quantum tribuendum, 284. 37
Loquacitas ſcurrilis damnatur, 140. 36
Lucas cur Euangelii hiſtoriam à Joanne Baptiſta orditur, 2. ante 5
Lucas cur Chriſti genus à Nathan deducat, 81. b
Lumen pro ratione, 82. 23
Lunatici qui, 60. 83. Matth.

M.

Acrobii locus, 38. 16
Magi pro aſtrologis & philoſophis, 33. 1
Magi quomodo ad Chriſtum venire inducti, *ibid.*
Magorum dona quid ſignificent, 18. 11
Magos tres ad Chriſtum veniſſe finxerunt Papiſtæ, 31. 1. b
Magiſter unus Chriſtus, 122. 8
Magiſtratus pii officium, 164. 32
Magiſtratum arcent Anabaptiſtæ ab Eccleſia, 220. 25. b
Malachias ex legitimis Prophetis ultimus, 42. 8
Maledictionum quas Scriptura continet, uſus duplex, 86. 16
Mancipiorum conditio, 170. ante 10. 0
Mandata minima quæ, 62. 19
Manichæi delirium de Chriſti corpore, 9. 31
Manichæorum duo principia, 250. ante 37. b
Manſuetudo commendatur, 70. 33. & 281. 35
Manſuetudine quando Paſtoribus utendum, 135. 19
Manuum impoſitionis uſus, 190. 32. Marc. & 220. ante 31
Marcionis delirium de Chriſti corpore, 9. 31
Maria virgo quomodo cognata Elizabeth, 31. 36
Maria cur ad Elizabeth venerit, 12. 39
Maria quomodo mater Domini, 31. 43
Maria quare beata, 34. 48
Maria in Scripturæ doctrina probe exercitata, 35. 54
Mariæ genus ex Davide, 81. b
Mariæ gratitudo, 33. 46
Mariæ perpetua virginitas, 26. 71
Mariæ inopia, 34. 24
Mariæ ſumma felicitas, 142. 27
Mariæ pietas & modeſtia, 142. 28
Mariæ importunitas, 143. 48
Mariæ quæ laus à Papiſtis tribuatur, 142. 27
Mariam nubere cur Deus voluerit, 24. 18. b
Marthæ hoſpitalitas in qua vitioſa, 156. 42
Martyrum Chriſti conſtantia, 114. 19. & 117. 28. & 118. 32. & 120. 28
Martyrum Chriſti & ſceleratorum diſcrimen, 61. 10, 12
Matthæus Euangelium Hebraice non compoſuit, 32. 6
Matthæus Græca Euangelium conſcripſit, *ibid.*
Matthæus à telonio ad Apoſtolatum vocatus, 100. 9
Matthæi in deſcribenda Chriſti genealogia conſilium, 21. 2
Merces omnis ex mero Dei beneplacito promittitur, 170. ante 10. a
Merces quomodo bonis operibus promittitur, 198. 27. & 281. 34
Merces quo ſenſu jejuniis promiſſa, 81. b
Merces gratuito offertur, 226. 8
Mercedis nomen quomodo intelligendum, 77. 1
Mercedis nomine cur utitur Scriptura, 170. ante 10. b
Mercedis nomine Papiſtæ abutuntur, *ibid.* & 284. 35
Mercedem juſti accipere quid, 121. 43
Meritum de congruo, 222. 28
Meritum de condigno, diabolicum commentum, 270. ante 10. b
Meriti aſſertores, 140. 37. & 166. 9. & 234. 13. & 283. 34. & 284. 35
Meritum humanum tollitur, 19. 77. & 21. 8. & 57. 25. b. & 75. 45. & 80. 22. & 100. 9. & 111. 8. & 146. 11. & 147. 14. Matth. & 170. 10. & *ibid.* ante 10. & 208. 11. & 257. 5
Meſſiæ adventum duplicem Rabbini fingunt, 202. 30
Militia quatenus Chriſtianis permiſſa, 47. 10
Militia fidelium, 61. 30. & 141. 42. b. & 193. 18. & 194. 12
Minimus in regno cælorum quo ſenſu Joanne major, 88. 19
Miniſter verbi, Vide Paſtor.
Miniſterii verbi commendatio, 5. 16. & 7. 19. & 12. 41. & 30. 15, 17. & 128. 18. & 230. 25. & 137. 87. & 140. 20
Miracula à verbo non ſeparanda, 111. 1, ante 0
Miracula Papiſtarum, 171. 38
Miraculorum aviditas, 91. 45
Miraculorum Chriſti finis, 62. 17
Miraculorum fructus, Dei gloria, 107. 27
Miraculorum fructus, 104. 37. & 136. 33. & 159. 12. & 173. 23. b. & 140. 30
Miraculorum uſus legitimus, 111. ante 2. & 140. 30
Miſericordia fidelibus promiſſa, 33. 7
Miſericordia commendatur, *ibid.* & 108. 33. & 132. 7. & 211. 21. &c.
Modeſtia Chriſtianis neceſſaria, 40. 14. & 226. 8
Monachi ex Dei præceptis conſilia fecerunt, 75. 44. qualem perfectionis ſtatum ſibi fingant, 222. 20. b. ex impuris hominibus, diabolici facti, 259. 19
Monachorum vita qualis, 118. 38. & 259. 19
Monachorum inanis jactantia, 224. ante 28
Monachorum ſuperſtitio, 44. 4. & 45
Moroſitas damnatur, 214. 21, 23
Mors non timenda, 117. 28. & 120. 39
Mortuis non eſt cura vivorum, 189. 17
Moſes quomodo in Chriſti transformatione apparuerit, 200. 8
Moſi num fas fuerit divortium permittere, 218. 7
משלים pro gravibus ſententiis, 138. 38
Mulieres ad ſuperſtitionem propenſæ, 326. b
Mulieris Chananeæ fides unde concepta, 188. 20
Mulierum ſequentium Chriſtum gratitudo, 145. ante 3
Multi pro pluribus, 380. 28
Multitudini non ſemper inhærendum, 262. 5
Mundus Satanæ fallaciis olim addictus, 2. ante 3. b
Mundus Dei arbitrio ſubjectus, 167. 29
Mundus ſcandala ſibi fabricat ne Chriſtum ſequatur, 188. 6. & 175. 54
Mundus pro incredulis ſumptus, 207. 7
Mundus pro eccleſia interdum accipitur, 150. ante 37. 0
Mundi princeps Satan, 128. 29
Mundi ſapientia coram Deo maledicta, 6. ante 18. b
Mundi perverſa prudentia, *ibid.*
Mundi perverſum judicium de Dei operibus, 8. 24
Mundi ingratitudo notatur, 29. ante 11. & 65. 7. & 26. ante 1. b. & 111. 14. & 160. 28. b. & 161. 2
Mundi converſio minime expectanda, 275. 10
Mundi contemptus piis neceſſarius, 82. 21. & 164. ante 7. & 198. 26

N.

Ain urbs qualis, 96. 13
Naturæ humanæ corruptio & pravitas, 25. 21. & 14. 22. & 118. ante 35
Naturæ duæ in Chriſto, 277. ante 17. 8
Nazaræi etymon, 19. 23
Nazaræorum malitia, 174. 53. & 175. 54. 83
Nazaræorum ingratitudo, *ibid.* & 57. 25
Necromantia unde fluxerit, 159. 10
נדבים cur Reges & Principes dicti, 210, ante 16
Nico-

Nicodemi fabuloſum Euangelium, 1. 2. b
Nomen Ieſu honorificum, 9. 31. ante 12
Nomen Dei cur ſanctum, 14. 49
Nominis Dei ſanctificatio quid, 78. 9. b
Nomina ſcripta eſſe in cælo quid, 128. 20
Nomina in die circumciſionis infantibus imponebantur, 11. 21. b
Nomina quomodo parvulis imponenda, 16. 19
Nota univerſalis non ſemper univerſaliter ſumitur, 60. 23. Matth. b
Numerus ſeptenarius indefinite ſumptus, 161. 41
Numerus duodenarius quid ſignificet, 131. 1
Numerus pluralis pro ſingulari, 157. 20

O.

OBedientia, principium & caput cultus Dei, 93. 4. & 184. ante 1
Obedientia victimis potior, 7. 19. & 185. 9. & 222. 17
Obedientia piorum imperfecta, 81. 24. b
Obedientia Papiſtarum prævaricatrix, 131. 12
Obedientia commendatur, 7. 19. & 19. 21. & 31. 21. & 34. 23. & 38. 13. & 42. 51. & 49. 14. & 60. 22. Matth. & 100. 9. & 107. 26. & 180. 16. & 181. 22. & 232. 5. & 258. 6. & 289. 19
Occaſione utendum, 89. 25. & 118. 32. & 121. 39. & 158. 42. & 169. 27. & 282. 9
Oculus ſimplex pro minime vitioſo, 82. 23
Oleum quorſum ægrotis adhibebant Apoſtoli, 131. 22
Oleum Papiſtarum putidum, ibid. b
Opinio quid à fide differat, 302. 20
Opinio præſumpta tenebras inducit, 205. 22
Opera bona quomodo facienda, 76. 2
Opera bona à Deo ſunt, 87. 16
Opera bona à fide non ſeparantur, 164. 11
Opera bona fructus ſunt pœnitentiæ, 46. 8
Opera ſupererogationis Papiſtarum, 172. 10
Operum juſtitiæ aſſertores, 1. 4
Operum finis, Dei gloria, 67. 16
Origenis figmentum de Mariæ virginitate, 8. 26
Orare licet in omni loco, 240. 13
Orandi vera ratio, 77. 1. & 78. 9. & 87. 11. & 91. 2. & 211. 13
Oratio cur nobis neceſſaria, 77. 8
Oratio Dominica ſex petitionibus comprehenſa, 78. 9
Oratio ſine fide inutilis & luſoria, 87. 7
Oratio fiduciam requirit, 78. 9. & 87. 7
Orationis Dominicæ partes inter ſe affines, 78. 9
Orationis fidelium finis, 77. 8
Orationes publicæ Chriſto acceptæ, 212. 19
Orationes longæ non ſimpliciter damnandæ, 319. 14
Ordo non ſemper in ſacris literis ſervatus, 6. 17. & 13. 46. & 38. 18. & 79. 11. & 80. 12. & 232. 18
Ordo in precibus quis tenendus, 99. 2
Ordo politicus per Euangelium minime everſus, 47. 11. & 214. 25. & 248. 21
Otium fugiendum, 152. 24

P.

PAnis pro omni genere alimenti, 79. 12. b
Panis quotidianus quomodo noſter, ibid.
Panis ſacræ Cœnæ quomodo vocatur Chriſti corpus, 20. 16
Papa præcepta Dei ſecure contemnit, 185. 1
Papa non eſt Eccleſiæ Chriſti caput, 174. 28
Papa Scripturæ ſacræ lectionem ferro & igni arcet à templis, 15. 16
Papa ſucceſſor Petri non eſt, 338. 20. & 339. 20
Papa cum ejus clero graviter objurgandus, 46. 7
Papæ ſedes qualis, 264. 17
Papæ figmenta cum Euangelio conciliari nequeunt, 103. 6
Papæ confeſſio auricularis, 212. 18. b
Papæ adulatores mercenarii, 264. 17
Papæ & ſuorum latrocinium, 157. 13
Papæ tyrannis maxima, 7. 23. & 65. 12. & 157. 13. & 184. 2. b. & 196. 2. & 282. 18. b. & 259. 13. & 291. 17. & 319. 10
Papæ ſacrifici carnifices, 8. 23
Papalis clerus quomodo tractandus, 256. 2. & 266. 10. & 319. 20
Papiſtæ fidem dubitationi permiſcent, 241. 21
Papiſtæ ſcelerate verbum à miraculis ſeparant, 121. 2. ante 1. Scripturarum depravatores, 70. 25. & 215. 24. ſimiarum ſimiæ, 117. 27. ſigna petunt, 281. 5. concupiſcentiam peccatum eſſe negant, 71. 28. Pacis nomine abutuntur, 6. 17. confeſſionem auricularem unde eliciant, 93. 4. & 171. 14. unde purgatorium fabricarint, 70. 25. & 130. 32. & 214. 11. unde colligant mortuorum interceſſionem, 166. 9. & 169. 27. & 188. 29. unde meritum aſtruant, 214. 15. unde Petri primatum colligant, 212. 24. fundatam in Petro Eccleſiam unde eliciant, 63. 16. audaces Chriſti contemptores, 166. 19. cælibatus ſtatum fingunt angelicum, 219. 22. natali die Joannis abutuntur, 4. 14. concilia errare poſſe negant, 211. 20. b. Deum ſibi aſtringere volunt, 222. 17. cur tres magos ad Chriſtum veniſſe finxerunt, 11. 2. negant Eccleſiam errare poſſe, 5. 16. & 219. 10. Chriſtum honore ſpoliant, 14. 48. & 220. 13. angelica ſalutatione abutuntur, 2. 28. Virgini tradunt imperium in Chriſtum, 14. 48. in eam contumelioſi, ibid. quæ honore Virginem afficiant, 192. 27. Eliam & Enoch ante Chriſti adventum fruſtra expectant, 202. 10

Papiſtarum calumniæ in veros Chriſti miniſtros, 90. 16. Eorum pudenda ineptia, 215. 14
Papiſtarum inſcitia in unctionis ſacramento, 131. 12
Papiſtarum loquacitas, præcipua illis eſt orationis virtus, 77. 7
Papiſtarum maledicta obedientia, 281. 12
Papiſtarum inanes ſatisfactiones, 161. 41. & 130. 28. ante 28
Papiſtarum dira tyrannis, 231. 19
Particula univerſalis non ſemper univerſaliter ſumitur, 60. 23. Matth. & 131. 28
Paſtor ſinceres & fidelis quis, 112. 8. b. & 202. 5. & 148. 16. & 318. 19. & 330. 20
Paſtor quomodo homines convertere dicitur, 5. 16
Paſtores lux mundi, 67. 14
Paſtores quomodo patres ſunt fidelium, 258. 9
Paſtores calumniis obnoxii, 232. 7
Paſtores quomodo peccata remittunt, 99. 6
Paſtores ad Chriſtum omnes mittere debent, 122. 2
Paſtores quomodo Dei cooperatores, 340. 20
Paſtores Euangelici quomodo Joanne Baptiſta majores, 128. 18
Paſtores impii acriter objurgandi, 216. 1
Paſtores papiſtici canes muti, 206. 36
Paſtorum ambitio, maxima Eccleſiæ peſtis, 66. 24. & 257. 3
conſtantia, 46. 7. & 54. 19. & 122. 26
dignitas, 128. 26. militia, 130. 28. Luc.
cruciatus ex verbi contemptu, 113. 14
avaritia damnatur, 248. 16
opera non inanis, tametſi multi maneant incredull, 114. 17. & 126. 2. & 128. 18. & 147. ante 12. Marc. & 152. 26. & 196. 13
prudentia, 114. 31. b
legitima vocatio, 41. 2. Luc.
zelus, 112. 14. & 150. 39. & 184. 1. 3. & 317. 55. habenda ratio, 112. 2. & 120. 40. & 126. 2
munus, 46. 7. & 54. 19. & 60. 22. Matth. & 62. 18. & 66. 13. Matth. & 87. 14. & 68. 19. & 96. 6. & 119. 21. & 122. 2. & 111. 19. & 110. 19. &c. & 152. 26. & 166. 15. & 201. 5. & 202. 12. & 222. 26. & 245. 33. & 280. 43. 47. & 281. 49
Paſtoribus quatenus obediendum, 256. 2
Pati propter juſtitiam quid, 65. 10
Patientia fidelium quid, 298. 24
Patientia ex fide & timore Dei naſcitur, 168. 23
Paucorum pus neceſſaria, 64. 3. & 75. 40. & 74. 10. & 75. 44. & 228. 22. b. & 170. 19. Luc. & 182. 34
Patres nonniſi Chriſto mediatore freti, Deum invocarunt. 10. 32. Sola Chriſti gratia à peccati jugo erepti, 17. 68. b
Patres quid à nobis differant? 67. 24. & 168. 22. ante 23
Patrum fides & noſtra eadem, 95. 11. & 147. 18
Patrum ſtulta imitatio, 5. 11. & 216. 16
Pauperes ſpiritu qui, 64. 2. & 128. 2. b
Pax pro ſtatu felici, 112. 22
Pax apud Deum quærenda, 4. 11
Pax extra Deum maledicta, 6. 17
Pax piis offertur ex mera Dei gratia, 29. 14
Pax fidelibus per Chriſtum datur, ibid.
Pax colenda, 65. 9
Pacis nomen late patet, 29. 14. & 239. 42. nomine non abutendum, 6. 17
Peccandi licentia ex Euangelio non arripienda, 131. 29
Peccandi licentia non ex pravis exemplis accipienda, 316. 1
Peccatores pro ſceleratis, 78. 46. & 100. 19. b. & 114. 17
Peccatum à papiſtis extenuatur, 71. 28
irremiſſibile quid, 119. 31
Peccati confeſſio mutua, 214. 11. 25
Peccata ex prioris præſentibus non æſtimanda, 138. 2
poſt mortem non remittuntur, 182. 92
bifariam remittuntur, 214. 28
Peccatorum remiſſio pars Euangelii, 44. 2
Peccatorum remiſſio primum optanda, 3. 6. & 44. 2. & 79. 11. & 99. 2
Peccatorum remiſſio ſatisfactionibus repugnat, 80. 12
Perfectio piorum qualis in hoc mundo, 9. 6. b & 124. 29. & 119. 32. & 146. 12. & 172. 10. b
Perfectionis ſtatus monachorum, 198. 20. b
Perſecutio quatenus fugienda, 815. 23
Perſeverantia in fide & oratione neceſſaria, 39. 19 & 131. 22. & 323. 28
Perſeverantia electorum eſt, 181. 15
Perſonæ acceptio vitioſa, 14. 19
mutatio, 43. ante 1
unitas in duabus Chriſti naturis, 31. 43
Perſonarum diſtinctio in Deo, 201. 5. & 319. ante 16. Marc.
Petrus à petra, non contra, 196. 8
non Apoſtolorum primus, 132. 2
non eſt Eccleſiæ fundamentum, 196. 8
duplici honore à Chriſto ornatus, 195. 18
non peccavit in Spiritum ſanctum, 306. 74
Petri fides imperfecta, 182. 22. 31
Petri temeritas, ibid. 18
Petri primatum unde papiſtæ colligant, 215. 24
Petri lapſus, 306. 70
Petri pœnitentia vera, 307. 71. b
Phariſæi unde dicti, 29. 20. & 184. 1. & 256. 8
Phariſæi Legis profanatores, 69. 21
Philonis locus, 226. 3

Pietas erga parentes quatenus colenda, 97. 258 & 119. 37. & 142. 41. & 174. 1
Pietatis exercitia, 3. 6. & 37. 37. & 101. 12. & 140. 13. b
Pietatis officia inter ſe non pugnant, 112. 5. Matth.
Pilatus Valerii Grati ſucceſſor, 87. 1. & 41. 5
Φιλαυτία hominibus ingenita, 120. 18
quam noxia, 70. 25. & 87. 9. & 117. 27. & 253. ante 28
Platonis locus, 19. 75
Plinii locus, 41. 2. b
Πληροφορία firma ex fide perſuaſio, 1. 2. b
Pœna remittitur culpa remiſſa, 80. 12
Pœnitentia quid, 308. 2
donum Dei, 44. 2. & 54. 16. & 110. 28. & 114. 21. b. & 118. 40. Luc.
cum peccatorum remiſſione conjuncta, 41. 2. Matth.
in fidelibus perpetua, 127. 21. b. & 208. 10. Luc.
non eſt ſanationis cauſa, 147. 12
ab externis ſignis deſcribitur, 127. 21. b. & 232. 8
ſera rarior, 282. 8
Pœnitentiæ initium, donum eſt Spiritus ſancti, 130. 28
fundamentum, Dei miſericordiæ agnitio, 44. 2. & 209. 13
abuſus in papatu, 46. 8
Pœnitentiam præcedit diſplicentia, 124. 2. & 208. 3
Polygamia damnatur, 217. 4. 5
Populus Dei quis, 21. 28. & 23. 10
Portæ inferi, 191. 18
Præcepta à juſtificationibus differunt, 1. 6
Præceptorum Dei connexio, 261. 23
Prædeſtinationis doctrinæ hoſtes, 261. 14
Prædeſtinationi fides conjungitur, 130. 27
Præjudicium hominem dementat, 117. 14
Prodigiorum miſeria & egeſtas, 209. 26
Prolis ſuſcipiendæ deſiderium pium & ſanctum, 4. 13
Promiſſiones ad præſentem vitam ſpectantes perpetuæ non ſunt, 20. 1. 8
Prophetæ cur ſancti dicantur, 16. 70
Prophetæ omnes teſtimonium Chriſto reddiderunt, ibid.
Prophetarum doctrina Legis nomine interdum comprehenſa, 42. 8
Prophetarum legitima receptio quæ, 156. 39. b
Prophetia Jacob expoſita, 2. 5. & 21. 12
Prophetiæ nomen late patet, 91. 22
Proſperis rebus non abutendum, 15. 52. & 66. 24. & 102. 11. & 167. ante 29
Proverbiales ſententiæ ad perpetuam normam non exigendæ, 91. 16. & 137. 35. & 160. 34. & 166. 10. & 216. 19
Proximus quis, 75. 43. & 153. 30
Proximi charitas ex Dei amore fluit, 232. 18
Prudentia juſtorum fides eſt, 4. 17
Prudentia quatenus damnatur à Chriſto, 114. 16. & 130. 25
Publicani nomen deteſtabile, 232. ante 18. & 232. 8
Publicani quare cum peccatoribus verſabantur, 100. 29
Publicanorum genus avarum, crudele & rapax, 47. 11. & 75. 43. Eorum munus, 73. 46
Pueri nomen varie ſumptum, 19. 10
Pueri à Chriſto ſuſcepti, 230. 14
Purgatio Legalis quo ſpectabat, 84. 22
Purgatorium unde fabricarunt Papiſtæ, 70. 25. & 130. 32. & 214. 31
Purgatorium evertitur, 169. 27. b
Pythagoræ delirium de animarum migratione, 5. 17

Q.

QUadrageſimalis jejunii ſtulta inſtitutio, 50. 1. b
Quadrans pro ternuncio vel minuta alia pecunia, 71. 0
Quæſtiones curioſæ omittendæ, 27. b

R.

RAbbi qui olim vocabantur, 257. 4
Rabbini duplicem fingunt adventum Meſſiæ, ant. 20. Eorum de Jeſu filio Mariæ judicium, 9. 31. ante 12
Ratio in homine per peccatum viriata, 22. 22. b
Redemptio à ſolo Dei Filio fieri potuit, 43. ante 1
Redemptio fidelium qualis, 275. 28. Luc.
Redemptionis per Chriſtum partæ vis & effectus ſeculis omnibus communis fuit, 27. 68. b
Regeneratio creatione major, 5. 16. a
Reges quo ſenſu dicantur filii Dei, 30. 32
Regimen politicum quid à ſpirituali differat, 157. 12. & 229. 25. b. & 248. 28
Regnum Juda quando deſierit, 2. 5
Regnum cælorum quid, 43. 2. Matth.
Regnum cælorum pro novo Eccleſiæ ſtatu, 43. 2. Matth. & 62. 19. & 122. 11. & 214. 39
Regnum Dei quid, 78. 10. quam late pateat nomine, 123. 11. b. in primis quærendum, 85. 32
Regnum Dei juſtitia conſtat, ibid.
Regni cælorum clavis eſt gratuita Dei adoptio, 141. 17
Regula æquitatis, 28. 12
Regula pie juſteque vivendi, 2. 6. & 19. 71. & 88. 12
Regula laudandi Angelos & homines, 14. 48. b
Religio vera quæ, 41. 41
Religionis diverſitas, odii cauſa, 206. 32
Remittere peccata, ſolius Dei proprium, 89. 3
Remiſſionem peccatorum fide conſequimur, 104. 22
Renunciare omnibus quid, 120. 33. b. & 153. 0
Repro-

Reprehenſiones neceſſariæ, 318.15.b
Reprobatio ex Dei voluntate, 265.17.b. & 290.24.b
Reprobationis ſignum, 139.31.b
Reprobi, antequam naſcantur, morti devoti, 285.46. exitio deſtinati, 290.14.b
Reprobi omnes luce vitæ privari, 147. ante 13. Marc.
Reprobi myſteria Dei non percipiunt, 146.11
Reprobi cur Euangelio non credant, 139.25.9
Reprobi etiam crucem ſuam ferunt, 180.33
Reprobi pertinaciter Deo reſiſtunt, 134.26
Reprobi nunquam vere reſipiſcunt, 146.12. & 147.12. Marc. & 308.3
Reprobi paleis conferuntur, 48.22
Reprobi interdum oves dicuntur, 112.6. & 138.24
Reprobi nonnunquam filii regni appellantur, 112.6
Reprobi peccata peccatis accumulant, 320.11. Matth.
Reprobi ſponte excæcantur, 147.14. ante 12
Reprobi inexcuſabiles, 158.26
Reproborum caput diabolus, 285.43
Reproborum pœna horribilis, 48.22. & 151.41. & 168.11, 22. & 315.41. Eorum ſtupor, 302.51. Luc.
Reprobis cur Deus verbum ſuum annuntiari velit, 147.12. & 316.46. Cur iis mortifera ſalutis doctrina, 146.11. & 186.13. & 195.19
Reprobis oneratur Eccleſia uſque ad ſeculi conſummationem, 150.32
Repudii libellus cur olim permiſſus, 71.31. & 218.7. Repudiandæ uxoris cauſæ, 218.9
Reſpicere à tergo quid, 97.61
Reſponſa pro quovis ſermone, 42.46
Reſurrectio humanum captum longe ſuperat, 350.22
Revelationes novæ non expectandæ, 369.17.b
Romanenſes unde primatum ſuum eliciant, 111.2

S.

SAbbathum pro hebdomada, 372.10.b
Sabbathi colendi legitima ratio, 58.16. & 358.17. Marc. & 155.11. & 159.14, 15. & 161.5
שבת, vox ambigua, 112.8
Sacerdotum ingratitudo, 21.44
Sacerdotum ignavia, 106.36
Sacerdotium ambitione & tyrannica potentia laceratum, 43.2. Luc.
Sacramenta fictitia, 262.25.b
Sacramentorum natura, 281.26.b
Sacrificia quomodo Deo grata, 314.12
Sacrifici Papales, canes muti, 106.36
Sacrifici Papales, lupi rapaces, 90.16
Sadducæi Chriſtum doloſe aggrediuntur, 249. ante 23
Sadducæorum error, ibid. 23
Sal pro Spiritus prudentia, 67.50
Sal terræ, Apoſtoli & fideles omnes, 66.15
Salem in ſe habere quid, ibid. & 67.50
Salus ex ſola Dei electione, 186.23
Salus in mera Dei bonitate fundata, 182.20
Salutis noſtræ partes omnes in Chriſto, 25.30
Salutis noſtræ ſumma, 25.22. & 44.2. & 130.11.b & 152.19.
Salutis certitudo, 130.17. & 191.19
Salutare, pro ſalutis materia, 25.30
Salutare aliquem in via quid, 106.2
Samaritanorum ſuperſtitio, 316.12
Samſon figura Chriſti, 40.13.b
Sanctorum mortuorum patrocinium unde Papiſtæ colligant, 166.9. & 169.17. & 188.23
Sanctorum ſtulta imitatio, 37.37. & 50.1. & 192.20
Sanctorum exempla quatenus imitanda, 37.37. & 78.9
Sapientia vera quæ, 397.22
Sapientia quomodo à filiis ſuis juſtificatur, 325.35
Sapientiæ fons ex Dei ſpiritu, 41.40
Saræ riſus cur reprehenſus, 6.18
Satan quomodo hujus mundi Princeps, 32.71. & 198.29
Satan reproborum caput, 136.24. & 285.41
Satan malorum omnium architectus, 80.15
Satan acerrimus humanæ ſalutis hoſtis, 51.1. & 80.13. & 109.22. & 110.31. & 142.19
Satan Chriſti fidem recta aggreſſus, 51.3
Satan juſtitiæ adverſarius, 335.20
Satan hoſtis conjugii, 319. ante 12
Satan nocendi avidiſſimus, 309.28. & 109.30. & 203.17. Marc. Nihil poteſt Deo invito, 238.29
Satan non graſſatur in filios Dei pro libidine, 306.78
Satan Scripturæ ſacræ depravator, 52.6
Satan ad Dei conſpectum contremiſcit, 309.19
Satan Evangelium ſuſpectum reddere conatur, 90. ante 22. Marc.
Satan ab hominibus exire dicitur, dum Chriſtus advenit, 141.48
Satan nonniſi ſumma contentione vincitur, 204.32
Satan à ſolo Dei filio ejici poteſt, 141.48
Satanæ aſtus, 6.28.b. & 60. ante 21. Marc. & 90.15. & 302.14. & 325.31. & 354.42. & 373.19. & 394.21. Luc.
Satanæ ingenium, 148.43
Satanæ conſilium in Chriſti tentatione, 51.3
Satanæ tyrannis variis undique præſidiis munita, 138.29
Satanæ tyrannidi ſubeſſe quam miſerum, 109.3. Marc.
Satanæ ſtudium hominibus nocere, 110. ante 51. Matth.
Satanæ ſtudium Chriſti gloriam pervertere, 153.13
Satanæ artificium in opprimenda veritate, 5.16. & 192.9.b. & 194.15
Satanæ artificium in evertendo verbi miniſterio, 5.16. imperium in homines, 128.18. & 141.43
Satanæ regnum ſubeſt Chriſti imperio, 109.6
Satanæ regni interitus, 108.13
Satisfactiones papiſticæ evertuntur, 110.18. ante 29
Scandalum duplex, 186.16
Scandala vitanda, 93.33. Marc. & 182.6. & 215.24
Scandala ſibi homines maligne accerſunt ne Chriſtum ſuſcipiant, 26.22
Scandalis fortiter reſiſtendum, 131.6
שכר pro quovis factitii vini genere, 5.35
Scribæ & Pontifices quanto Chriſtum odio ſint proſequuti, 52.4
Scribarum ingratitudo, 137.28. & 143.43
Scribarum ſuperbia, 100.11
Scriptura, armatura ſpiritualis, 52.4
Scriptura reverenter tractanda, 55.16
Scripturæ partitio, 351.44
Scripturæ corruptio ex ambitione, 66.34. Luc. b
Scripturæ lectio ſub Papa obſolevit, 55.16
Scripturarum ignoratio, fons errorum omnium, 250.19
Sepultura ultimæ reſurrectionis ſymbolum, 97.22. & 178.19
Sepultura Joannis Baptiſtæ, 378.29
Sepultura Chriſti, 314.17
Sermo otioſus, pro inutili, 140.56
Servetus Chriſti divinitatem negabat, 10.12
Serveti error de fide implicita, 388.12
Signi nomen improprie ſumptum, 343.39.b
Signa petunt Papiſtæ, 191.1
Signa petere an malum ſit, 143.39. & 191.4. Matth.
Simeon Chriſtum novit ab ejus infantia, 14.25
Simeon quomodo Chriſto benedixerit, 23.34
Similitudines cur ſæpe ænigmaticæ, 145.10. & 146.13. ſcrupuloſius non excutiendæ, 314.16. & 100.2. & 235.20
Simulatio quomodo in Chriſtum competat, 122.28
Simplicitas Chriſtiana, 114.16
Sobrietas animi commendatur, 100.5. & 204.19. & 129.22. Vide Curioſitas.
Socordia ex piorum paucitate, 88.13
Socordia hominum voluntaria, 151.8
Socordia excutienda, 30.15, 20. & 33.8. & 43.12. & 19.6. & 59.5. Luc. & 67.49. & 82.22. & 88.33. & 90.15. & 109.9. Matt. & 120.28. Luc. b. & 128.30. & 141.43. b. & 147.14. ante 12. & 149.22. b. & 165.2. & 180.20. & 191.2. & 194.14. & 325.50. & 234.38. & 225.20. & 218.43. & 272.39. & 279.43. b
Solis eclipſis in Chriſti morte non univerſalis, 320.43
Solicitudo ſeculi ſemen verbi ſuffocat, 149.22
Solicitudo de victu & veſtitu tollenda, 85. ante 25
Solicitudo prava corrigenda, 52.4.b
Solicitudo non quælibet damnanda, 84. ante 29. Luc. & 85. ante 22. Matth.
Solicitudo immodica ex infidelitate, 84.26
Solomon typus Chriſti, 88. ante 1.b
Somnia divina, quid ab humanis differant, 24.20
Sophiſtarum ſubtilis diſputatio de igne gehennæ, 151.43
Σωτὴρ plus Græcis ſignificat quam Latinis, 14.46. & 29.11
Spiritus aqua vocatur, item ignis, 48.11
Spiritus ſanctus quomodo à Joanne Baptiſta viſus, 50.16
Spiritus ſancti libera in hominibus operatio, 5.15
Spiritus, fidelium doctor, 270.18. Marc.
Spiritus diſcretionis Eccleſiæ neceſſarius, ibid. & 90.15, 16. b. & 118.52
Spiritus rectitudinis ſolis Chriſti membris datur, 288.21
Spiritus pro intelligentia, 12.46
Stater & ſiclus idem valent, 225.27
Stella quæ Magis apparuit, extraordinaria fuit, 31.1.b
Stephanus ſeditioſe interfectus, 307.1.b
Sterilitas probri loco habita, 2.25, ante 26
Sterilitas neminem à regno Dei excludit, ibid.
Stoicorum fatum everſitur, 117.19
Summum bonum quid Ariſtoteli & philoſophis, 32.21. & 116.33
Superbia contumeliæ mater, 107.16
Superbia inſitana, 25.51
Superbia fugienda, ibid. & 84.27
Superſtitio maligna & implacabilis, 132.24. Matt.
Superſtitio pertinax, 336.12
Superſtitio in cibo & potu cavenda, 125.26
Συμπάθεια commendatur, 163. ante 3. & 167.31
Synedrion Judæorum, 2.5.b & 38.16. & 226.1. & 312.16

F I N I S.

T.

TAbula poſterior priori ſubeſt, 41.49
Ea hominum hypocriſin detegit, 253.19
Temeritas quam noxia, 90.16. & 182.22. & 119.35. Marc. & 117.55. & 106. ante 69
Temperantia commendatur, 167. ante 11
Temperantiæ exemplum Chriſtus, 59.1. & 100.29. Luc. & 155.44. & 216.52. & 186.10
Templum pro ſancto ſumptum, 1.9. & 7.21
Templum pro atrio ſumptum, 240.12. & 264.35.b
Templi ſumptuoſa exſtructio, 367.1. Ejus vaſtatio prædicta, 295.58. Cur exciſum, 297.2
Tempus præteritum, pro præſenti, 7.19
Temporis longi præſcriptio tuendis erroribus maligne obtenditur, 69.12
Tenebræ exteriores unde dictæ, 91.12. & 355.24
Tentandi verbum late patet, 20.15. & 191.2
Tentare Deum quid, 191.8
Tentationes quæ à Deo immittuntur, quo ſpectent, 51.1.b
Tentationes quæ ad malum ſollicitant, nonniſi à Satana proveniunt, ibid.
Tentationes Chriſti pro certaminibus quæ ſuſtinuit, 324.32. Luc.
Tetrarchæ nomen improprie ſumptum, 41.1.b
Theologia Papiſtarum ſpeculativa, inanis & frigida, 60.22. Marc.
Theſaurum in cœlo reponere quid, 81.19
Timiditas ex mala conſcientia, 22.7
Timor non ſemper fidei repugnat, 33.15. & 107.25. & 188.51
Timor Domini totam pietatis religionem comprehendit, 14.49
Timor piorum ab impiorum timore differt, 96.16
Traditionum humanarum variæ ſpecies, 134.2
Tranſſubſtantiatio Papiſtica evertitur, 291.26.b. & 314.18
Tunc, non ſemper continuum tempus deſignat, 82.16.b

V.

VAſis nomen late patet, 240.11.b
Velum templi ſciſſum quid deſignet, 322.52
Venire in nomine Domini quid, 257.9
Verbum pro re ſumptum, 12.37
Verbum pro Dei nutu & decreto, 52.4
Verbi Dei contemptores, canes & porci, 86.6
Verbi Dei contemptus non impunitus, 82.9
Veritas conſuetudini præponderat, 69.22
Veritatis rigidus aſſertor & vindex Deus, 140.59
Veritatis hoſtes quomodo depellendi, 219.37. Luc.
Veritate Legis nihil in toto orbe firmius, 68.18
Vim vi repellere num liceat, 75.44. & 301.52
Virtutis ſimulatio difficillima, 90.16.b
Viſitatio pro integra reſtitutione, 96.16
Vita activa & ſpeculativa quid Monachis, 158.38
Vita æterna ex gratuita Dei miſericordia, 85.32. Luc.
Vita piorum, negotiationi confertur, 335.20
Vitæ integritas pietate & juſtitia conſtat, 24.33
Vitæ humanæ fluxa brevitas, 157.16. & 166.9. & 178.40
Vitæ beatæ perpetuitas, 199.16
Vitam invenire quid, 120.59
Vita legum patrocinio non tegenda, 181.32. & 213.7.b
Unctionis extremæ fictum ſacramentum, ibid.
Unitas ſancta quomodo fovenda, 174.28
Vocari, pro, Cenſeri & palam agnoſci, 12.76
Vocatio gratuita, 246.11
Vocatio in electis efficax, 5.16.b
Vocatio non ſufficit niſi adſit fidelitas, 90.16.b. & 246.42
Vocatio gentium, Vide Gentium vocatio.
Vocationis Chriſti præludium, 63.46
Vocationis noſtræ finis, 18.73. & 75.45. & 101.18. & 155.13. & 157.18
Voluntatem Patris facere quid, 91.21. & 142.48
Votum continentiæ periculoſum, 219. & 250.12
Vota non pro libidine concipienda, 85.19
Vota monaſtica conſcientias non ligant, 178.26.b
Ut, interdum conſequentiam tantum notat, 37.35
Vulgi importunitas in flagitandis miraculis, 95.48
Vulgi inconſtantia, 312.20

Z.

ZAcchæi pœnitentia, 232.8
Zacchæi fides, ibid. ante 5
Zacharias ex genere ſacerdotali, 1.5
Zacharias quomodo juſtus & irreprehenſibilis, 1.6. cur tam ſevere reprehenſus, 6.18
Zachariæ incredulitatis pœna, 7.20
Zachariæ gratitudo, 16.64
Zelotypia quam impotens, 24.19
Zelotypia ſancta, 39.25
Zelus non quivis probandus, 46.7. & 93.4. & 135.30. & 197.22. & 216.54. & 217.55. & 212.12. & 295.21.b. & 302.51. Luc.
Zelus hypocritarum fictus, 184.3
Zelus præpoſterus, 197.22.23
Zeli prætextu charitas non violanda, 311.13
Zeli veri moderatio, 292.2. Luc.

Digitized by Google

INDEX

CAPITUM ET VERSUUM SINGULORUM EUANGELISTARUM,

Quota pagina reperiantur.

MATTHÆUS.

Cap.	verſ.	pag.
I.	1	20
	18	21
II.	1	31
	7	33
	13	37
	19	39
III.	1	42
	7	45
	13	47
	16	49
IV.	1	50
	5	52
	12	54
	13	57
	17	54
	23	58
V.	1	61
	13	65
	17	67
	20	69
	21	70
	27	71
	31	ibid.
	33	72
	38	73
	42	74
	43	ibid.
VI.	1	76
	5	ibid.
	9	77
	14	81
	16	ibid.
	19	ibid.
	22	82
	25	83
	31	84
VII.	1	85
	6	86
	7	ibid.
	12	88
	15	89
	21	91
	24	ibid.
VIII.	1	92
	5	93
	14	61
	19	96
	23	106
	28	108
IX.	1	97
	9	99
	14	101
	18	102
	23	104
	27	105
	35	106
X.	1	110
	9	112
	16	113
	21	115
	26	116
	31	118
	37	119
XI.	1	121
	7	123
	16	124
	20	126
	25	129
XII.	1	131
	9	133
	14	134
	22	131
	25	136
	38	139
	38	143
	41	140
	46	141
XIII.	1	144
	13	145
	24	145
	31	148
	36	150
	44	151
	53	174
XIV.	1	175
	5	176
	13	178
	22	180
	34	182
XV.	1	183
	10	185
	21	187
	29	189
XVI.	1	190
	5	192
	13	193
	29	196
XVII.	1	199
	9	201
	14	202
	19	204
	22	ibid.
	24	114
XVIII.	1	204
	6	206
	11	207
	15	210
	21	213
XIX.	1	215
	3	217
	10	219
	13	220
	16	221
	23	223
	27	224
XX.	1	225
	17	226
	20	227
	24	229
	29	230
XXI.	1	235
	10	236
	23	242
	33	243
	43	ibid.
XXII.	1	162
	15	247
	23	249
	34	251
	41	254
XXIII.	1	255
	13	258
	16	259
	23	260
	29	261
XXIV.	1	227
	2	269
	15	271
	29	274
	32	276
	37	277
	43	279
XXV.	1	281
	14	283
	31	282
XXVI.	1	285
	24	287
	31	289
	36	290
	31	293
	36	296
	43	299
	51	300
	57	302
	62	303
	69	305
XXVII.	1	307
	11	309
	15	310
	24	312
	33	315
	39	316
	45	320
	57	323
	62	325
XXVIII.	1	326
	8	328
	11	329
	16	337

MARCUS.

Cap.	verſ.	pag.
I.	1	42
	7	47
	9	49
	12	50
	13	52
	14	54
	16	56
	21	60
	29	61
	40	92
II.	1	97
	13	99
	18	101
	23	111
III.	1	113
	6	114
	13	62
	20	115
	23	116
	31	142
IV.	1	144
	21	148
	21	14
	21	116
	24	85 & 148
	25	145
	26	111
	35	106
V.	1	108
	22	102
	35	104
VI.	1	174
	7	110
	8	112
	13	122
	14	175
	17	176
	30	178
	45	180
	53	182
VII.	1	131
	14	133
	24	187
	31	189
VIII.	1	ibid.
	11	190
	14	192
	22	193
	27	ibid.
	30	196
	36	118
IX.	1	197
	2	199
	9	201
	14	202
	33	204
	30	ibid.
	38	212
	41	210
	42	206
	49	84
X.	1	216
	2	217
	15	219
	17	221
	13	223
	28	224
	32	226
	35	227
	41	229
	46	230
XI.	1	235
	11	238
	13	85
	27	242
XII.	1	243
	13	247
	13	249
	28	251
	35	254
	38	255
	40	258
	41	266
XIII.	1	267
	9	269
	14	271
	24	274
	28	276
	33	277
	34	279
XIV.	1	283
	10	287
	12	289
	22	290
	27	293
	32	296
	43	299
	47	300
	53	302
	60	303
	66	305
XV.	1	307
	2	309
	6	310
	15	312
	22	315
	29	316
	33	320
	42	323
XVI.	1	326
	8	326
	12	330
	13	333
	15	337
	19	339

LUCAS.

Cap.	verſ.	pag.
I.	1	2
	5	3
	14	4
	18	6
	61	7
	26	8
	34	10
	39	12
	46	13
	51	15
	56	16
	67	17
	76	19
II.	1	27
	8	23
	15	29
	22	33
	33	33
	40	40
	48	41
III.	1	42
	7	45
	15	47
	19	54
	21	49
	23	50
IV.	1	50
	5	52
	14	54
	16	55
	33	56
	31	60
	35	61
V.	1	58
	12	92
	17	97
	27	99
	33	105
VI.	1	131
	6	133
	21	134
	12	62
	20	63
	27	74
	26	73
	31	83
	32	74
	34	ibid.
	35	ibid.
	37	85
	39	135
	40	113
	45	85
	41	89
	46	91
	47	ibid.
VII.	1	92
	11	96
	18	122
	21	ibid.
	24	122
	29	124
	36	154
VIII.	1	145
	11	198
	16	66
	17	118
	18	145
	19	143
	22	106
	26	108
	40	102
	49	104
IX.	1	110
	3	112
	6	113
	7	175
	10	178
	16	181
	21	198
	26	118
	26	199
	56	201
	37	202
	43	204
	49	211
	57	96
X.	1	123
	13	126
	17	125
	61	129
	21	143
	65	211
	33	116
XI.	1	77
	5	86
	14	115
	16	143
	17	116
	24	140
	27	141
	29	143
	33	66
	34	82
	37	260
	42	260
	43	256
	44	260
	45	255
	47	261
	52	258
	53	262
XII.	1	192
	2	116
	6	118
	10	117
	13	118
	13	156
	22	83
	29	84
	33	81
	35	270
	51	131
	54	190
	58	70
XIII.	1	158
	10	159
	18	155
	23	86
	25	89
	31	160
	34	261
XIV.	1	161
	2	ibid.
	15	162
	25	119
	34	66
XV.	1	207
	11	208
	35	212
XVI.	1	165
	13	82
	14	165
	16	139
	17	67
	18	72
	19	167
XVII.	1	206
	2	210
	4	113
	5	194
	7	139
	11	176
	22	272
	26	277
XVIII.	1	170
	9	172
	15	220
	18	222
	24	218
	28	224
	31	226
	35	230
XIX.	1	231
	11	232
	29	235
	39	238
	41	237
	45	238
XX.	1	242
	9	243
	20	247
	27	249
	41	254
	45	256
	47	258
XXI.	1	266
	5	267
	12	269
	20	272
	25	274
	29	276
	34	277
	37	282
XXII.	1	285
	3	287
	15	288
	24	290
	31	289
	64	292
	28	224
	31	293
	35	295
	39	296
	47	298
	49	300
	54	302
	55	297
	63	303
XXIII.	1	307
	6	309
	13	310
	24	312
	31	315
	33	316
	38	313
	39	317
	44	320
	50	323
XXIV.	1	326
	9	316
	13	350
	31	333
	41	335
	50	339

ARGU-

A R G U M E N T U M,

I N

EUANGELIUM JESU CHRISTI

SECUNDUM

MATTHÆUM, MARCUM, & LUCAM.

UT cum profectò hiſtoriam Euangelicam legimus, magni intereſt quid valeat ipſum Euangelii nomen tenere. Nam hinc ſtatuere licebit quodnam Divinis iſtis teſtibus fuerit ſcribendi conſilium, & quorſum referre conveniat quæcunque ab illis traduntur. Neque enim hoc nomen ipſorum hiſtoriis aliunde impoſitum, ſed ab authoribus ita fuiſſe inſcriptum, conſtat ex Marco, qui diſerte ita loquitur, ſe initium tradere Euangelii Jeſu Chriſti. Porro certa & dilucida Euangelii definitio ex uno Pauli loco maxime colligitur, ubi à Deo promiſſum eſſe dicit in Scripturis per Prophetas, de Filio ſuo qui genitus eſt ex ſemine David, manifeſtatus autem Dei Filius in potentia, ſecundum Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum ad Rom. 1. verſ. 2. *Primo oſtendit, teſtimonium eſſe de exhibita ſalute quæ Patribus olim per continuos ætatum ſucceſſus promiſſa fuerat. Quo etiam diſcrimen notatur inter promiſſiones quæ ſpem fidelium tenebant ſuſpenſam, & hunc lætum nuntium quo ſe Deus præſtitiſſe teſtatur quod ante ſperari voluerat. Quemadmodum & paulo poſt, Juſtitiam Dei palam hic manifeſtari tradit, quæ teſtimonium habebat à Lege & Prophetis. Ideo alibi ab eodem Apoſtolo vocatur Legatio, qua reconciliatio mundi cum Deo, ſemel morte Chriſti peracta, quotidie ad homines defertur.* 2 Cor. 5. verſ. 20. *Deinde ſignificat non modo Chriſtum pignus eſſe bonorum omnium quæ unquam promiſit Deus: ſed plenam & ſolidam exhibitionem in eo extare; quemadmodum alibi tradit, omnes Dei promiſſiones in ipſo eſſe etiam & amen.* 2 Cor. 1. verſ. 20. *Et certe gratuita adoptio qua filii Dei efficimur, ſicut ab æterno Patris beneplacito manat, ita in eo nobis patefacta eſt, quod Chriſtus qui unicus natura filius eſt, carne noſtra indutus, nos ſibi in fratres aſcivit. Expiatio qua delentur peccata, ne amplius maledictio & mortis judicium nobis incumbant, non alibi quam in ſacrificio mortis ejus quærenda. Juſtitia, & ſalus, perfectaque felicitas in ejus reſurrectione fundata eſt. Ergo Euangelium ſolennis eſt promulgatio de Filio Dei in carne exhibito, ut perditum mundum inſtauret, ac homines reſtituat ex morte in vitam. Nec abs re bonus vocatur ac lætus nuntius, quando in eo continetur perfecta felicitas. Finis enim eſt, ut regnum Dei in nobis inchoans, abolita carnis corruptione, ſpiritu renovatos in cæleſtem gloriam deducat. Qua ratione ſæpe regnum cælorum nuncupatur: & inſtauratio beatæ vitæ per Chriſtum allata, interdum regnum Dei. Ut quum Marcus dicit cap.* 15:43. *Joſeph expectaſſe regnum Dei, proculdubio ad Meſſiæ adventum id refertur. Unde conſtat, in novum teſtamentum proprie competere Euangelii nomen: nec ſatis diſtincte eos loqui ſcriptores qui commune ſeculis omnibus faciunt, nec Prophetas minus quam Apoſtolos, Euangelii miniſtros eſſe putant. Longe aliter Chriſtus, qui Legem & Prophetas uſque ad Joannem viguiſſe docens, ab eo tempore pronuntiat euangelizari cœptum eſſe Dei regnum,* Luc. 16: 16. *Et Marcus Euangelii exordium in Joannis prædicatione ſtatuit, ut nuper dictum eſt. Cæterum non temere quatuor hiſtoriis quæ Chriſtum Mediatoris officio defunctum eſſe narrant, nominatim data fuit hæc inſcriptio. Nam quum Chriſti nativitas, mors & reſurrectio totam ſalutis noſtræ ſummam in ſe contineant, adeoque propria ſint ejus materia: merito apteque Euangeliſtæ dicuntur qui Chriſtum à Patre miſſum ante oculos repræſentant, ut eum beatæ vitæ authorem agnoſcat fides noſtra. Vim & effectum adventus ejus magis exprimunt alii Noui teſtamenti libri. Imo Joannes hac in parte multum differt à tribus reliquis, quod in explicanda Chriſti virtute & fructu qui inde ad nos provenit, fere totus eſt: quum illi in uno capite magis inſiſtant, Chriſtum noſtrum illum eſſe Dei Filium qui promiſſus erat mundo Redemptor. Doctrinam quidem interſerunt de Chriſti officio, ut teneamus qualis ſit ejus gratia, & quorſum nobis datus. Præcipue tamen quod dixi, agunt, impletum eſſe in Chriſti Jeſu perſona quod Deus ab initio pollicitus fuerat. Neque enim animus illis vel conſilium fuit, Legem ac Prophetas ſcriptis ſuis abolere: quemadmodum fanatici quidam ſomniant, ſupervacuum nunc eſſe Vetus teſtamentum, ex quo per Chriſtum & Apoſtolos patefacta nobis fuit cæleſtis ſapientiæ veritas. Quin potius Chriſtum digito monſtrantes, ab eo petendum admonent quicquid in Lege & Prophetis illi tribuitur. Quare tunc demum utilis erit & fructuoſa Euangelii lectio, ſi eam cum vetuſtis promiſſionibus conjungere diſcamus.*

Quantum ad tres Euangelicæ hiſtoriæ ſcriptores attinet, quos enarrandos ſuſcipio, Matthæus ſatis notus eſt. Marcum putant fuiſſe familiarem Petri diſcipulum: atque etiam quod ſcripſit Euangelium, à Petro fuiſſe ei dictatum, ut amanuenſis modo vel ſcribæ operam præſtiterit. Qua de re non eſt anxie nobis laborandum: quia noſtra parum refert, modo teneamus legitimum ac Divinitus ordinatum eſſe teſtem, qui nihil niſi præeunte dictanteque Spiritu ſancto, prodiderit. Quod tamen dicit Hieronymus, ratione prorſus caret, Epitomen eſſe Euangelii à Mathæo ſcripti. Nam neque ſervatum à Mathæo ordinem ubique ſequitur, & ab ipſo ſtatim initio diſſimilis eſt quantum ad tractandi rationem: & quædam refert ab altero illo omiſſa, & in ejuſdem rei narratione interdum prolixior eſt. Mihi certe magis probabile eſt, & ex re etiam ipſa conjicere licet, nunquam librum Mathæi fuiſſe ab eo inſpectum quum ipſe ſuum ſcriberet: tantum abeſt ut in compendium ex profeſſo redigere voluerit. Idem & de Luca judicium facio. Nam quæ in tribus ipſis apparet diverſitas, eam non dicemus data opera fuiſſe affectatam: ſed quum ſingulis propoſitum eſſet, bona fide mandare literis quod certum compertumque habebant, rationem quiſque tenuit quam optimam fore cenſebat. Quemadmodum autem id non fortuito contigit, ſed moderante Dei providentia: ita Spiritus ſanctus in diverſa ſcribendi forma mirabilem illis conſenſum ſuggeſſit; qui ſolus fere ad fidem illis aſtruendam ſufficeret, ſi non aliunde major ſuppeteret authoritas. Lucas vero ſe individuum illum eſſe Pauli comitem luculentus eſt teſtis. Sed puerile eſt quod ab Euſebio refertur, Euangelii quod ejus nomine inſcribitur, Paulum eſſe authorem: quia alicubi Euangelii ſui meminerit. 2 Tim. 2: 8. *Quaſi vero ex eo quod mox ſubjicitur, non liquido pateat, de tota prædicatione non autem de libro uno loqui. Dicit enim, Pro quo laboro uſque ad vincula. Atqui certum eſt non ideo actum fuiſſe reum quod librum aliquem ſcripſiſſet: verum quod vocalis fuiſſet doctrinæ Chriſti miniſter & præco. Unde apparet laborioſum quidem hominem fuiſſe Euſebium, ſed judicio parum valuiſſe, qui tam inſulſas nænias ſine delectu congeſſit. Cujus rei lectores ideo volui monitos, ne quem offendant ſimiles ineptiæ quæ paſſim apud illum occurrunt.*

Porro quia genus interpretationis mihi delegi quod forte multi primo aſpectu non probabunt, ejus reddenda eſt ratio, qua piis & æquis lectoribus ſatisfiat. Hoc primo extra controverſiam eſt, non poſſe unum ex tribus Euangeliſtis ſcite dextreque exponi, niſi cum duobus reliquis conferatur. Itaque fidi & periti interpretes hac maxime in parte ſudant, ut inter ſe concilient quæ à tribus dicta ſunt. Sed quia mediocribus ingeniis ſæpe non facilis eſt comparatio, ubi huc illuc ſubinde tranſeundum eſt, hoc & gratum & utile fore compendium putavi, ſi continua ſerie velut in una tabula tres ſimul hiſtorias digererem, in qua uno intuitu cernant lectores quid ſimile habeant vel diverſum. Ita nihil omittam quod ab uno ex tribus ſcriptum ſit: & quicquid apud plures extat, uno contextu exequar. Verum an operæ pretium, quale ſpero, fecerim necne, judicium ex ſuo uſu facient lectores. Certe adeo nullam ex novitate ipſa laudem captavi, ut libenter profitear, ſicut homine ingenuo dignum eſt, hanc methodum ex aliorum imitatione ſumptam eſſe. Bucerum præſertim ſanctæ memoriæ virum, & Eximium Eccleſiæ Dei doctorem ſum imitatus, qui præ aliis non pœnitendam hac in re operam meo judicio navavit. Quemadmodum autem ipſe veterum labore adjutus fuit, qui in hoc ſtudio eum præceſſerant: ita mihi ſua induſtria & ſedulitate non parum levationis attulit. Sicubi autem ab eo diſſentio (quod mihi libere, quoties neceſſe erat, permiſi) ne ipſe quidem, ſi ſuperſtes ageret in terra, moleſte ferret.

Digitized by Google

JOANNIS CALVINI COMMENTARII IN HARMONIAM EX TRIBUS EUANGELISTIS, MATTHÆO, MARCO, ET LUCA, COMPOSITAM.

Matth.	Marc.	Luc. I.
		Quoniam complures aggreſſi ſunt contexere narrationem earum rerum quæ certæ ſunt inter nos fidei:
		2. Sicuti tradiderunt nobis ab initio qui ſuis oculis viderant, & miniſtri fuerant ſermonis:
		3. Viſum eſt etiam mihi, omnibus ab initio exacte perveſtigatis, deinceps tibi ſcribere, optime Theophile:
		4. Ut agnoſcas eorum, de quibus edoctus fuiſti, certitudinem.

Solus Lucas in ſuum Euangelium præfatur, ut breviter cauſam exponat qua ad ſcribendum inductus fuit. Quod unum hominem compellat, videtur abſurdum eſſe, quum potius officium ejus fuerit, publico tubæ clangore omnes ſimul vocare ad fidem. Ergo conſentaneum non videtur ut doctrinam, quæ ooo unius vel alterius eſt propria, ſed omnium communis, privatim ſuo Theophilo deſtinet. Hinc factum eſt ut putarent quidam appellativum eſſe nomen, & Theophilos vocari pios omnes à Dei amore. Cui ſententiæ repugnat epitheton quod ſimul additur. Nec vero timenda eſt abſurditas quæ illos coëgit tale effugium quærere. Neque enim ideo minus ad omnes pertinet Pauli doctrina, quia ex ſuis Epiſtolis alias certis urbibus, alias etiam hominibus dicavit. Imo ſi in mentem nobis veoiat illorum temporum conditio, fatebimur ſancte & prudenter captum fuiſſe conſilium à Luca. Undique inſtabant tyranni, qui metu & terroribus impedirent ſanæ doctrinæ curſum. Hæc Satanæ ejuſque miniſtris occaſio erat ad ſpergendas errorum nebulas, quæ puram lucem turbarent. Quoniam autem de cuſtodienda Euangelii puritate minus ſollicitum erat hominum vulgus, & pauci attente reputabant quid machinaretur Satan, & quaotum ſubeſſet io talibus fallaciis periculi: ut quiſque rara fide & eximiis Spiritus donis alios præſtabat, ita majore ſtudio & diligentia ipſum incumbere oportuit ut pietatis doctrinam ab omni corruptela puram & illæſam pro virili ſervaret. Tales, non ſecus ac ſacri nomophylaces, divioitos electi fueruot, qui cæleſtem doctrinam apud ſe depoſitam, bona fide ad poſteros tranſmitterent. Quare hac lege Euangelium ſuum Theophilo nuncupat Lucas, ut fidelem ejus cuſtodiam ſuſcipiat. Quas etiam partes Paulus ſuo Timotheo injungit & commendat, ſecundæ Epiſtolæ 1. cap. v. 14. & 3. v. 14.

1. *Quoniam complures.*] Videtur pro cauſa ſcribendi ponere quod potius illum à ſcribendo revocare debuerat. hiſtoriam enim à multis tractatam retexere, ſuperfluus erat labor: ſi quidem illi probe in ſuo officio verſati fuerant. Atqui eos ne uno quidem verbo vel fraudis, vel negligentiæ, vel cujuſpiam vitii inſimulat. ergo perinde eſt acſi actum ſe velle agere dicat. Reſpondeo, quamvis aliis parcat qui prius ſcripſerant, non tamen penitus eorum laborem probare. Non exprimit, illos de rebus parum compertis ſcripſiſſe: ſed rerum certitudioem ſibi vendicans, modeſte certam illis & indubiam fidem derogat. Si quis objiciat, debuiſſe potius acriter invehi, ſi fallebant: iterum reſpondeo, fieri poſſe ut leviter peccarint, idque inconſiderato zelo potius quam malitia: ac proinde noo fuiſſe cauſam cur vehementius in eos inſurgeret. Et certe credibile eſt, fuiſſe quædam tantum præludia, quæ tunc noo tantopere noxia, niſi mature obviam itum eſſet, fidem in poſterum gravius læſiſſent. Cæterum operæpretium eſt notare, Deum qui ſuperfluis ſcriptionibus remedium hoc per Lucam adhibuit, admirabili etiam conſilio feciſſe ut aliis publico conſenſu repudiatis, fidem obtinuerint iſtæ ſolæ, in quibus liquido refulget veneraoda ejus majeſtas. Quo minus tolerabilis eſt eorum vecordia, qui putidas fabulas ſub Nicodemi vel cujuſpiam alterius titulo nunc orbi obtrudunt.

Certæ ſunt inter nos fidei.] Participium quo utitur Lucas, ſignificat res probe compertas & quæ dubitatione carent. In quo non ſemel deceptus fuit vetus interpres: hacque ioſcitia pulcherrimos quoſdam locos nobis corrupit: in quibus eſt ille Pauli, ubi quemque ſuæ mentis certum eſſe jubet, ne conſcientia dubiis opinionibus huc illuc agitata fluctuet ac vacillet. *Rom. 14. verſ. 5.* Inde etiam deſcendit nomen πληροφορίαν, quam male plenitudinem vertit, quum firma ſit ex fide perſuaſio, in qua piæ mentes tuto acquieſcunt. Subeſt autem tacita antitheſis, ut admonui, quia ſibi fidi teſtis auctoritatem vendicans, fidem abrogat aliis diverſa tradentibus. *Inter nos* tantundem valet, atque Apud nos. Sed videtur fidem in hominum relatu parum ſolide fundare, quæ in ſolum Dei verbum recumbere debeat: & certe fidei πληροφορία Spiritus obſignationi tribuitur. Reſpondeo, fidem, niſi priores partes teneat Dei auctoritas, nullis quidem hominum teſtimoniis fore contentam: ubi tamen præceſſit interior Spiritus confirmatio, illis quoque in hiſtorica rerum notitia locum aliquem dare. Hiſtoricam voco notitiam quam de rebus geſtis, vel ex proprio intuitu, vel ex aliorum ſermone concipimus. Nam de manifeſtis Dei operibus non minus audiendi ſunt oculati teſtes, quam experientiæ credendum eſt. Adde quod Lucas non privatos ſequitur auctores, ſed

qui ſermonis etiam fuerunt miniſtri. Quo elogio ſupra humanæ auctoritatis gradum eos extollit. ſignificat enim de Euangelio ſibi teſtatos eſſe, quibus divinitus ejus publicandi commiſſa erat provincia. Hinc etiam illa ſecuritas, cujus paulo poſt meminit, quæ niſi Deo nitatur, poterit ſubinde inquietari. Magnum ergo pondus habet quod miniſtros ſermonis vocat à quibus accepit ſuum Euangelium: quia inde colligunt fideles, teſtes eſſe omni exceptione majores, ut loquuntur Jureconſulti, & quos repudiare fas non ſit. Eraſmus (qui ex Virgilio mutuatus eſt quod tranſtulit, partem aliquam fuiſſe) non ſatis expendit quanti æſtimanda eſſet Dei vocatio, aut quid valeret. Non enim profano more loquitur Lucas: ſed ad Chriſti mandatum in perſona ſui Theophili reſpicere nos jubet, ut Dei Filium reverenter audiamus per ſuos Apoſtolos loquentem. Magnum eſt quod ſpectatores fuiſſe dicit: ſed miniſtros vocando, eos eximit à communi hominum ordine, ut fides noſtra ſuam in cælo fulturam habeat, non in terra. Hoc autem ſibi vult in ſumma Lucas, Ut literis fideliter conſignatum habens quod didiceras antehac viva voce, ſecurius acquieſcas in recepta doctrina. Unde apparet, modis omnibus promiſſum fuiſſe à Deo, ne ex dubiis hominum ſermonibus ſuſpenſa fides noſtra fluctuaret. Quo minus excuſabilis eſt mundi ingratitudo, qui vagos & temere ſparſos rumores in quibus alternet, quaſi ex profeſſo appetens, tantum Dei beneficium reſpuit. Nos vero teneamus inſigne diſcrimen quod Dominus interpoſuit, ne fatua credulitas pro fide ſe venditet. Interea mundum ſinamus, ut dignus eſt, ſtultæ curioſitatis illecebris ineſcatum, Satanæ fallaciis, imo præſtigiis ultro ſe addicere.

3. *Omnibus exacte perveſtigatis.*] Vetus interpres habet, Omnia aſſequuto. Et verbum Græcum metaphorice ab iis deductum eſt qui veſtigiis inſiſtunt, nequid ipſos fugiat. Sedulum ergo ſciſcitandi ſtudium exprimere voluit Lucas quemadmodum eodem verbo utitur Demoſthenes, dum in examinanda legatione quam accuſat, ſe tam diligentem fuiſſe jactat, ut non ſecus perſpexerit quæcunque acta erant, acſi ipſe fuiſſet ſpectator.

MATTH. | MARC. | LUC. I.

5. Fuit in diebus Herodis regis Judææ ſacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia: & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen ejus Eliſabeth.

6. Erant autem juſti ambo coram Deo, verſantes in omnibus præceptis & juſtificationibus Domini irreprehenſibiles

7. Nec erat illis proles, eo quod eſſet Eliſabeth ſterilis, & ambo provectæ jam ætatis forent.

8. Factum eſt autem quum is ſacerdotio fungeretur in ordine vicis ſuæ coram Deo,

9. Secundum conſuetudinem ſacerdotii, fors illi obvenit ut odores incenderet, ingreſſus templum Domini.

10. Et omnis multitudo populi precabatur foris tempore thymiamatis.

11. Apparuit autem illi Angelus Domini ſtans à dextris altaris in quo thymiama adolebatur.

12. Et Zacharias turbatus eſt eo viſo, & timor irruit ſuper eum.

13. Ait autem ad illum Angelus, Ne timeas Zacharia: quoniam exaudita eſt deprecatio tua: uxorque tua Eliſabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem.

Apposite Lucas Euangelium ſuum à Joanne Baptiſta orditur: perinde acſi quis de luce diei verba facturus, ab aurora inciperet. Nam Solem juſtitiæ qui mox exoriturus erat, inſtar auroræ præceſſit. Ejus quidem fit etiam apud alios mentio: ſed officio ſuo jam fungentem inducunt. Lucas autem nondum genito auctoritatem conciliat, quum divinæ potentiæ miracula prædicat in ejus incunabulis, & Prophetam cælitus fuiſſe deſignatum oſtendit, antequam ſcire homines poſſent qualis erat futurus: idque eo conſilio, ut majore deinde reverentia audiatur, ubi publica perſona indutus, ad illuſtrandam Chriſti gloriam prodierit.

5. *In diebus Herodis*] Hic fuit Antipatri filius, quem pater ad regnum uſque provexit: in quo augendo tantum habuit ipſe induſtriæ, & tam ſtrenue laboravit, ut inde Magni cognomen illi fuerit inditum. Putant autem quidam, ideo hic nominari à Luca, quia primus Rex extraneus fuerit. opportunum ergo fuiſſe redemptioni tempus: quia ſceptrum ad gentem alienam tranſierat. Verum qui ſic loquuntur, non ſatis intelligunt vaticinium Jacob: ubi non ſimpliciter promittitur Meſſiæ adventus, poſtquam imperio privati fuerint Judæi, ſed poſtquam à tribu Juda ablatum fuerit. Quanquam ne hoc quidem voluit ſanctus Patriarcha, ſpoliandam eſſe tribum Juda ſuo principatu, antequam veniret Chriſtus: ſed regimen populi in ea fore ſtabile uſque ad Chriſtum, in cujus perſona, ſolida demum eſſet ejus perpetuitas. Etſi autem quo tempore floruerunt Machabæi, Tribus Juda fere in ordinem privatum coacta erat, & paulo poſt Dux ultimus ex gente illa Joannes occiſus fuit: non tamen in totum extinctus fuit dominatus, quia manebat adhuc ſynedrion, hoc eſt, delectum conſilium ex familia & poſteris Davidis, cujus ſumma erat auctoritas: duravitque uſque ad Herodem, qui nefanda Judicum cæde pœnam ſibi olim inflictam ultus eſt, quod cædis damnatus, in voluntarium exilium migrare coactus fuerat, ut ſupplicium capitis effugeret. Regnum ergo Herodis, eo quod alienigena eſſet, non fregit ſceptrum Tribus Juda: ſed quia abolitum fuit ejus latrocinio quicquid in tribu illa dignitatis reſiduum manebat. Quod autem collapſa multo ante fuerat regia dignitas, & paulatim fere conciderat dominatus, non pugnat ea interruptio cum prophetia Jacob. Duo enim in ſpeciem diverſa promiſerat Deus: æternum fore ſolium Davidis: poſtquam vero dirutum eſſet, ejus ruinas ſe inſtauraturum: æternam fore regni potentiam, & tamen ſurculum proditurum ex trunco Iſai: quorum utrumque impleri oportuit. Paſſus eſt ergo Deus, principatum quem erexerat in tribu Juda, ad tempus collabi: quo major eſſet populi attentio ad ſperandum Chriſti regnum. Quum autem Synedrii interitu ſpes fidelium quaſi præciſa eſſet, repente affulſit Dominus. Jam vero hoc ad ſeriem

hiſtoriæ pertinet, dum notatur tempus rei geſtæ: ſed non temere ſub Regis nomine ſimul miſera temporis conditio notata fuit, ut agnoſcerent Judæi vertendos jam oculos eſſe in Meſſiam, ſi quidem fœdus Dei bona fide colerent. *Zacharias de vice Abia.* Notum eſt ex Sacra hiſtoria, deſcriptas fuiſſe à Davide Sacerdotum familias certis ordinibus. Qua in re nihil aggreſſus eſt David contra Legis præſcriptum. Sacerdotium Deus Aaroni & ejus filiis contulerat: reliquos Levitas deſtinaverat minoribus officiis. In eo nihil mutatum fuit à Davide: ſed conſilium ejus fuit, partim cavere ne quid tumultuoſe fieret in turba, partim etiam occurrere ambitioni, & ſimul efficere ne paucis totum munus ad ſe trahentibus, major pars otioſa domi ſederet. In illa autem diſtributione octavam claſſem tenuit Abia filius Eleazar. Erat ergo Zacharias ex genere Sacerdotali, & quidem ex poſteris Eleazar, qui patri in ſummum Sacerdotium ſucceſſerat. Quomodo autem Eliſabeth, quum eſſet è filiabus Aaron, Mariæ cognata eſſe potuerit, ſuo loco expediam. Honoris certe cauſa genus Eliſabeth Lucas commemorat. licebat enim Zachariæ ſecundum Legem, gregarii cujuſpiam Levitæ filiam ſibi uxorem ſumere. Ex pari igitur conjugio apparet, hominem in ſuo ordine non fuiſſe contemptum.

6. *Erant juſti ambo coram Deo.*] Præclarum illis teſtimonium reddit, non modo quod ſancte & integre verſati ſunt inter homines, ſed coram Deo etiam juſti. Porro juſtitiam hanc breviter definit Lucas, quod ambulaverint in Domini præceptis. Utrumque diligenter notandum. nam etſi in hunc finem laudantur Zacharias & Eliſabeth, ut ſciamus lucernam, quæ prælaxit Filio Dei, non ex obſcura domo, ſed illuſtri quodam ſacrario ſumptam eſſe: ſub eorum tamen exemplo nobis interim monſtratur pie juſteque vivendi regula. Hoc ergo in vita recte inſtituenda primum eſt, ut ſtudeamus nos probare Deo. Scimus autem cor ſincerum & puram conſcientiam ab eo maxime requiri. Itaque perverſus erit ordo, ſi quis poſthabita cordis integritate, externam modo vitam in obſequium Legis componat. Tenendum enim memoria eſt, Deum, ad quem reſpicere jubemur, non externam operum larvam, ſed cor præcipue intueri. Secundo deinde loco accedat obedientia: hoc eſt, ne ſibi quiſque novam juſtitiæ formam, quæ adlibuerit, ſine Dei verbo fabricet, ſed nos Dei imperio ſinamus regi. Neque enim hæc definitio negligenda eſt, Judæos eſſe, qui vitam ſuam formant ad Legis præcepta. quo innuitur, nihil apud Deum eſſe fictitios omnes cultus, & vagum eſſe ac erroneum humanæ vitæ curſum ſimulac diſceditur ab ejus Lege. Inter præcepta & juſtificationes hoc intereſt, quod poſterius nomen proprie ad pietatis & divini cultus exercitia refertur: prius autem magis generale eſt, tamque ad Dei cultum, quam ad charitatis officia pertinet. Nam חוקים, quæ ſtatuta aut decreta ſignificant Hebræis, Græcus interpres juſtificationes vertit. חוקים autem in Scriptura ſacra ceremonias fere ſignificant quibus ſe in Dei cultu & fidei confeſſione exercebat populus. Quamvis autem hypocritæ in parte iſta valde curioſi ſint & anxii, nihil tamen cum Zacharia & Eliſabeth ſimile habent. Nam ſinceri Dei cultores, quales erant hi duo, non arripiunt nudas ceremonias & inanes: ſed in veritatem intenti, ſpiritualiter eas obſervant. Impuri autem & fucati homines, etiamſi aſſidue in externis ceremoniis ſe fatigent: quia tamen eas minime obſervant qualiter præceptæ ſunt à Domino, nihil quam ludunt operam. In ſumma, duobus iſtis verbis complexus eſt Lucas totam Legem. Verum ſi in Lege ſervanda irreprehenſibiles fuerunt Zacharias & Eliſabeth, Chriſti gratia nihil habebant opus. plena enim Legis obſervatio vitam confert: & ubi nulla eſt ejus tranſgreſſio, ceſſat etiam reatus. Reſpondeo, elogia iſta quibus tam magnifice ornantur ſervi Dei, cum exceptione ſumenda eſſe. reputare enim convenit quomodo agat cum illis Deus, nempe ſecundum fœdus quod cum illis pepigit: cujus primum caput eſt gratuita reconciliatio, & quotidiana venia, qua illis peccata ignoſcit. Juſti ergo & irreprehenſibiles cenſentur, quoniam tota vita teſtatur eos juſtitiæ addictos eſſe, regnare in illis Dei timorem, dum quoddam eſt ſanctitatis exemplar. Sed quum à perfectione longe diſtet pium eorum ſtudium, non poteſt ſine venia placere Deo. Quare juſtitia quæ in illis laudatur, à gratuita Dei indulgentia pendet: qua fit ut quod reliquum eſt ipſis injuſtitiæ, non imputet. Sic exponere neceſſe eſt quicquid de hominum juſtitia in Scripturis habetur, ut remiſſionem peccatorum non evertat: cui non aliter innititur, quam ſuo fundamento ædificium. Qui ſimpliciter exponunt Zachariam & Eliſabeth fide juſtos fuiſſe, quia gratis Deo propter Mediatorem placuerint: in alienum ſenſum torquent Lucæ verba. Quod ad rem ipſam pertinet, neque nihil dicunt, neque totum. Fateor quidem juſtitiam quæ illis adſcribitur, non operum merito, ſed Chriſti gratiæ acceptam ferri debere: Dominus tamen, quia illis peccata non imputavit, ſanctam illorum vitam, licet imperfectam, juſtitiæ titulo dignatus eſt. Papiſtarum autem ſtultitia nullo negotio refellitur. Fidei juſtitiæ opponunt hanc quæ Zachariæ tribuitur: quam ut certum eſt ab illa fluere, ita ſubjici & illi ſubeſſe decet, vel (ut vulgo dicunt) ſubordinari, ut inter ſe non confligant. Quod etiam in voce una fucum faciunt, frivolum eſt. Juſtificationes, inquiunt, vocantur Legis præcepta. ergo nos juſtificant. Quaſi vero negemus veram juſtitiam in Lege tradi, vel cauſemur doctrinæ culpam eſſe, quod non juſtificat: ac non potius in carne noſtra infirma ſit. Ergo ut centies fateamur vitam contineri in Legis præceptis, nihil tamen inde ad homines perveniet, qui natura prorſus averſi ſunt à Lege: & jam Dei Spiritu regeniti, procul tamen ab integra ejus obſervatione abſunt.

7. *Nec erat illis proles.*] Singulari Dei conſilio factum eſt ut Joannes præter communem uſitatumque naturæ ordinem genitus ſit. Idem etiam in Iſaac *Geneſ.* 18.
factum eſt, in quo rarum & memorabile gratiæ ſuæ *verſ.* 10.
ſpecimen edere ſtatuerat Deus. Fuerat Eliſabeth in flore ætatis ſterilis: jam ſenectus etiam fœcundis mulieribus uterum claudit. Ergo in duobus obſtaculis duplex apparet divinæ virtutis miraculum: idque in eum finem, ut Dominus, quaſi extenta è cælo manu, Prophetam à ſe miſſum teſtetur. Naſcitur quidem ex terrenis parentibus mortalis homo: ſed ſupernaturalis, ut ita loquar, modus non ſecus illum commendat, acſi è cælo delapſus eſſet.

9. *Secundum conſuetudinem ſacerdotii.*] Suffitum bis quotidie, mane ſcilicet & veſperi, accendere Lex jubebat. Quod autem ſortiebantur inter ſe Sacerdotes, id inſtituerat David, quemadmodum prius retulimus. ergo quod hic de ſuffitu habetur, Lex Dei nominatim mandabat: reliqua à Davide profecta erant, ut ſingulæ familiæ vices ſuas haberent. Quanquam nihil niſi ex Legis præſcripto inſtituerat David. formam enim tantum oſtenderat, qua injunctum ſibi à Deo munus ſinguli poſſent obire. Templi nomen hic pro Sancto accipitur. Quod ideo notandum eſt, quia aliquando atrium etiam comprehendit. Zacharias autem in templum ingreſſus dicitur, quo pedem inferre nullis niſi Sacerdotibus licebat. Ideo populum dicit Lucas procul ſtetiſſe, inter quem & altare ſuffitus longa erat diſtantia: quoniam medium erat altare in quo victimæ offerebantur. Ac notandum eſt quod dicit Lucas, *Coram Deo.* nam quoties in Sanctum ingrediebatur Sacerdos, quaſi in Dei conſpectum prodibat, ut inter eum & populum eſſet mediator. Voluit enim Dominus hoc populo ſuo teſtatum eſſe, nemini mortalium patere aditum in cælos, niſi præeunte Sacerdote: imo quamdiu vi-

Digitized by Google

vuot homioes in terris, non accedere ad thronum cæleſtem, ut illic gratiam inveniant, niſi in Mediatoris perſona. Itaque quum multi eſſent Sacerdotes, noo duobus ſimul fas erar ſolenne ioterceſſionis officium pro populo obire: ſed ideo diſtributi erant in elaſſes, ut unus duntaxat Sanctuarium intraret: atque ita non niſi unus eodem tempore eſſet Sacerdos. Porro huc ſpectat thymiama, ut admooerentur fideles precationum ſuarum odorem non aſcendere in cælum niſi per ſacrificium Mediatoris. Quomodo autem figuræ iſtæ nobis conveniant, ex Epiſtola ad Hebræos petendum eſt.

12. *Zacharias turbatus eſt.*] Tametſi non ideo ſervis ſuis apparet Deus ut eos terreat, utile tamen, imo neceſſarium eſt, eos metu percelli: ut in ſe confuſi, juſtum Deo bonorem præſtare diſcant. Nec ſolum narrat Lucas territum fuiſſe Zachariam, ſed addit timorem irruiſſe ſuper eum: quo ſigoificat adeo expavefactum eſſe ut terrori ſuccumberet. Neque bominibus à Dei præſentia metus tantum incutitur, qui eos ad reverentiam erudiat: ſed qui humiliet carnis ſuperbiam, quæ tam proterva eſt, ut nunquam ſe niſi violenter ſubacti, Deo ſubjiciant. Unde etiam colligimus, non niſi abſente Deo (boc eſt, quum ſe ab ejus conſpectu ſubducunt) ſuperbire, ac ſibi blandiri. Nam ſi Deum ante oculos judicem baberent, neceſſe eſſet protinus concidere. Ac ſi boc Zachariæ, cui juſtitiæ laus datur, ad conſpectum Angeli accidit, qui divinæ lucis ſcintilla eſt: quid fiet nobis miſeris, ſi nos Dei majeſtas ad fulgorem ſuum producat? Jam vero ſanctorum patrum exemplo docemur, non alios vivo divinæ præſeotiæ ſenſu affici, niſi qui tremunt & trepidant ad ejus conſpectum: ſtupidos autem & hebetes eſſe, qui eum loquentem ſecure audiunt.

13. *Ne timeas Zacharia*] Notandum eſt, Dei gloriam ita formidabilem eſſe ſanctis, ut non prorſus abſorbeantur à pavore: ſed tantum ut inani fiducia dejecti, bumiliter eum ſuſpiciant. Simul ergo ac carnis ſuperbiam proſtravit Deus in ſuis fidelibus, porrecta maou eos excitat. cum reprobis aliter agit: nam quoties ad Dei tribunal trabuntur, eos mera obruit deſperatio. Atque hanc Deus juſtam mercedem rependit vanis eorum ſolatiis, quibus ſe ad peccandi laſciviam inebriant. Quare bæc nobis conſolatio amplectenda eſt, qua Zachariam Angelus ſublevat, non aſſe timendum, ubi nobis propitius eſt Deus. Multum enim ſe fallunt, qui, ut pace fruantur, ſe abſcondunt à Dei facie, quum nobis pax apud eum quærenda ſit. *Exaudita eſt precatio tua.* Perperam & contra officii ſui rationem feciſſe videri poſſit Zacharias, ſi Sanctuarium ingreſſus, totius populi nomine, pro impetranda ſobole tanquam homo privatus oraverit: debebat enim Sacerdos, ſuſcepta publica perſona, tanquam ſui oblitus, pro communi Eccleſiæ ſalute preces concipere. Si dicamus nibil in eo fuiſſe abſurdi, quod Zacharias præcipua orandi parte defunctus, ſecundo loco de ſe privatim cogitaverit: non inepta erit ſolutio. Sed vix peobabile eſt, Zachariam tunc pro filio impetrando oraſſe, de quo deſperaverat ob provectam uxoris ætatem. nec ſane ex verbis Angeli elicitur certum aliquod temporis momentum. Quare ſimpliciter interpretor, exauditum tandem fuiſſe votum, quod jam à multo tempore coram Deo effuderat. Porro ſuſcipiendæ prolis deſiderium, modo abſit exceſſus, pium & ſanctum eſſe colligere licet ex Scriptura, quæ inter Dei benedictiones banc non ultimo loco numerat. *Vocabis nomen ejus.* Nomen Baptiſtæ impoſitum fuiſſe exiſtimo ad vim officii ejus commendandam. יוחנן, pro quo Græci Joannem dicunt, Hebræis ſonat Domini gratiam. Sed multi ſic vocatum fuiſſe putant filium Zachariæ, quaſi Deo dilectum. Ego autem non gratiam qua privatim dignatus eſt illum Deus, commendatam fuiſſe exiſtimo: ſed quam ejus legatio allatura erat omnibus. Vim autem & pondus nominis tempus amplificat: quia antequam naſcatur, gratiæ ſuæ ſymbolum illi Deus inſculpit.

MATTH.	MARC.	LUC. I.
		14. Et erit gaudium tibi & exultatio, & multi ſuper ejus nativitate gaudebunt.
		15. Erit enim magnus coram Domino. & vinum ſiceramque non bibet: & Spiritu ſancto replebitur jam inde ab utero matris ſuæ:
		16. Multoſque filiorum Iſraël convertet ad Dominum Deum ipſorum.
		17. Et ipſe præcedet ante illum cum ſpiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda patrum ad filios, & inobedientes ad prudentiam juſtorum: ut paret Domino plebem perfectam.

14. *Erit tibi gaudium.*] Gaudium majus deſignat Angelus quam quod percipere Zacharias potetat ex nova ſobole: filium enim illi fore ſignificat qualem ne optare quidem auſus fuiſſet. Mox etiam ultra progreditur, nnn fore domeſticum iſtud gaudium quo fruaotur ſoli parentes, vel quod ſe privatis parietibus contineat, ſed extraneis etiam commune, ad quos nativitatis fructus patebit. Perinde ergo eſt acſi diceret Angelus, non uni tantum Zachariæ naſciturum filium, ſed doctorem toti populo ac Prophetam. Abuſi ſunt hoc loco Papiſtæ, ut profanum morem inducerent in celebrando Joannis natali. Hoc omitto quod tripudiis & ſaltationibus, ae omne genus laſciviis & comeſſandi licentia oimis præpoſtere diem colunt, quem fingunt ſibi ſacrum eſſe: imo quod magicis artibus & diabolicis præſtigiis in co ſibi ludere permittunt, non ſecus atque in Cereris myſteriis. In præſentia mihi breviter oſtendere ſufficit, Angeli verba inſulſe ab illis torqueri ad annuam diei natalis lætitiam, quum ſimpliciter gaudium commendet Angelus quod rediturum ad omnes pios erat ex fructu doctrinæ. Gaviſi enim ſunt natum ſibi eſſe Prophetam, cojus miniſterio adducti ſunt in ſpem ſalutis.

15. *Erit enim magnus.*] Confirmat quod dixit de gaudio: quia ad rem magnam & inſolitam deſtinatus erat Joannes. Neque enim hic tam laudantur virtutes quibus excelluit, quam magnitudo & excellentia officii extollitur. quemadmodum Chriſtus dum præſtantiſſimum inter filios mulierum eſſe affirmat, non tam ad ſanctimoniam vitæ, quam ad miniſterium reſpicit. *Mat. 11. verſ. 11.* Quod continuo poſt ſequitur, *Vinum & ſiceram non bibet*, non ita accipiendum eſt quaſi præcipua fuerit Joannis virtus, eſſe abſtemium: ſed quia boc conſpicuo ſymbolo ſervum ſuum inſignire voluit Deus, unde mundus perpetuum Nazaræum agnoſceret. Abſtinebaot etiam & Sacerdotes à vino & ſicera, quum ſuas vices in templo peragerent. Eadem abſtinentia Nazaræis præſcripta erat, donec completum foret eorum votum. Deus autem notabili teſſera Joannem in totam vitam Nazaræum dicatum eſſe ſibi monſtravit: ſicuti & io Samſone factum eſſe legimus. Cæterum non eſt boc prætextu fingendus Dei cultus io vini abſtinentia, *Jud. 13. verſ. 5.*

quem-

quemadmodum ſimiæ quidvis ex patrum factis arripiunt quod æmulentur. ſolum omnes temperantiam colant: qui noxam ſentiunt ex vini potu, ſponte abſtineant: qui carent, defectum ferant æquo animo. Quantum ad ſiceræ nomen, libenter eorum ſententiæ ſubſcribo, qui שכר Hebræis dici putant quodvis genus vini factitii. *Spiritu ſancto replebitur.* His verbis nihil aliud ootari arbitror quam indolem apparituram in Joanne quæ ſpem oſtendat futuræ magnitudinis. porro indolem dico non qualis extat etiam in profanis hominibus, ſed quæ officii præſtantiæ reſpondeat. Seſſus ergo eſt, Nnn modo tunc in eo ſe proferet vis & gratia Spiritus quum auſpicabitur munus ſuum, ſed ſtatim ab utero dnnis Spiritus excellet, quæ velut tesſeræ quædam, qualis futurus ſit, teſtentur. *Ab utero* enim tantundem valet atque A prima infantia. Fateor equidem Spiritus virtutem in Joanne quum adhuc incluſus eſſet ntero matris, operatam eſſe: ſed hic, meo judicio, aliud vnluit Angelus, quod Joannes adbue infans quaſi in theatrum proferendus eſſet cum rara gratiæ Dei commendatinne. De plenitudine non eſt quod ſubtilius diſputemus, vel potius nugemur cum Sophiſtis: quia Scriptura non aliud hoc nomine quam eximiam & minime vulgarem donorum Spiritus abundantiam ſignificat. Uni Chriſto ſeimus datum fuiſſe Spiritum abſque menſura, ut ex ejus plenitudine hauriamus nmnes, Joan. 1. verſ. 16. aliis autem ad certum modum diſtribui, 1 Corinth. 12. verſ. 11. Epheſ. 4. verſ. 7. Verum qui ſupra communem vulgi captum uberiore gratia donati ſunt, dicuntur Spiritu pleni fuiſſe. Cæterum ut vis Spiritus uberior extraordinarium fuit donum Dei in Joanne, ita notandum eſt non omnibus ſtatim à pueritia cooferri Spiritum, ſed quando Deo viſum eſt. Joannes ab utero ſymbolum geſtavit futuræ dignitatis: Saul quum homo pecuarius diu nihil regium præ ſe tuliſſet, tandem Rex electus repente mutatus eſt in novum hominem. Diſcamus ergo ex hoc typo, à prima iofaotia uſque ad ultimum ſenium liberam eſſe in hominibus Spiritus operationem.

1 Sam 10. verſ. 16.

16. *Multoſque filiorum Iſraël.*] His verbis oſtenditur fœda, quæ tunc erat in Eccleſia, diſſipatio. Nam apoſtatas fuiſſe oportet, in quibus cooverſio ad Deum locum haberet. Et certe tanta erat corruptio doctrinæ, tanta morum pravitas, tam confuſum regimen, ut miraculi loco habendum ſit pauculos in pietate ſtetiſſe. quod ſi tam horribilis fuit veteris Eccleſiæ diſſipatio, non eſt quod frivolo prætextu ſuas ſuperſtitiones defendant Papiſtæ: quia impoſſibile fuerit errare Eccleſiam, ſiquidem non germanos & electos Dei filios, ſed impiorum turbam hoc titulo intelligunt. Verum plus hic videtur Joanni tribui, quam in hominem competat. Nam quum homines in ſpiritualem vitam renovet ad Deum converſio, non modo proprium eſt Dei opus, ſed ipſam hominum creatinnem ſuperat. Itaque hoc modo videri poſſent miniſtri æquari Deo, atque etiam præferri, quatenus creator eſt: quando majus eſt renaſci in cœleſtem vitam, quam mortales in terra naſci. Solutin facilis eſt: quia Dominus, ubi tantam laudem tribuit externæ doctrinæ, eam ab arcana Spiritus ſui virtute non disjungit. Nam quia Deus homines ſibi deligit miniſtros, quorum opera utatur in Eccleſiæ ſuæ ædificationem, ſimul per ipſos operatur arcana Spiritus ſui virtute, ut efficax ſit ac fructuoſus eorum labor. Quoties hanc efficaciam commendat Scriptura in hominum miniſterio, diſcamus acceptam ferre gratiæ Spiritus, ſine qua vox hominis irrita in aëre diffueret. Sic Paulus, dum ſe miniſtrum Spiritus eſſe gloriatur, oihil ſibi ſeorſum uſurpat, quaſi ſua voce penetret in hominum corda: ſed vim & gratiam Spiritus in ſuo miniſterio prædicat. Loquutiones iſtæ notatu dignæ ſunt, quia miro artificio incumbit Satan ad extenuandum doctrinæ effectum, ut gratiam Spiritus illi annexam enervet. Nihil per ſe, fateor, & ſeparatim poteſt externa prædicatio: ſed quia organum eſt divinæ virtutis in ſalutem noſtram, & organum per gratiam Spiritus efficax: quæ Deus conjungit ne ſeparemus. Cæterum nt gloria converſinnis & fidei penes unum Deum ſolida maneat, ſæpe admonet Scriptura, miniſtros nihil eſſe per ſe: ſed tunc comparat eos cum Deo, ne quis ereptum Deo honorem perperam ad illos tranſferat. In ſumma, quos Deus ad ſe miniſtri opera convertit, eos convertere dicitur miniſter, quia nihil eſt quam Dei manus: ac utrumque diſerte expreſſum eſt in præſenti loco. De efficaeia doctrinæ jam ſatis dictum eſt. Quam autem non ſit in miniſtri arbitrin & manu convertere ad Deum hnmioes, inde colligimus, quia non omnes promiſcue Joannes convertit (quod proculdubio facturus erat, ſi illi pro voto ceſſiſſent omnia): ſed eos tantum convertit quos Domino placuit efficaciter vocare. In ſumma, idem ab Angelo hic docetur quod tradit Paulus ad Romanos cap. 10. verſ. 17. Fidem eſſe ex auditu: ſed in fidem non illuminari niſi quibus brachium ſuum Dominus intus revelat.

2 Cor. 3. verſ. 6.

17. *Præcedet ante illum.*] His verbis definit quale futurum eſſet Joannis munus, & hac nota eum diſcernit à reliquis Prophetis, quibus mandata fuit certa & propria legatio, quum in hoc tantum miſſus ſit Joannes ut Chriſtum præcederet, tanquam Regem apparitor. Sic etiam loquitur Dominus apud Malachiam, Ecce mitto Angelum meum, qui viam ſternat coram me. *Mal. 3. 1.* In ſumma, non alio ſpectavit Joannis vocatio, niſi ut Chriſto audientiam faceret, ac illi pararet diſcipulos. Quod autem hic non fit expreſſa Chriſti mentio, ſed Joannem facit Angelus anteambulooem vel ſigniferum æterni Dei: hinc colligitur æterna Chriſti divinitas. *Cum ſpiritu & virtute Eliæ.* Spiritum & virtutem accipio pro virtute vel excellentia Spiritus qua præditus fuit Elias. neque enim hic nobis fingendum eſt Pythagoræ delirium, quod Prophetæ anima io corpus Joannis tranſierit: ſed ille Dei Spiritus, qui potenter in Elia operatus fuerat, ſimilem vim & efficaciam poſtea in Baptiſta exeruit. Sed poſterius nomen exegetice additum eſt, ad exprimendum gratiæ ſpeciem, qua maxime excelluit Elias: quod ſcilicet cœleſti potentia inſtructus, collapſum Dei cultum mirifice reſtituerit. talis enim inſtauratio humana virtute ſuperior erat. Jam quæ per Joannem inchoata eſt, non minus fuit admirabilis: quare non mirum eſt ſi eodem dono ipſum quoque ornari oportuit. *Ut convertat corda patrum.* Hic notat Angelus quid potiſſimum habuerit Joannes ſimile cum Elia. Mittendum ergo pronunciat ut populum diſſipatum colligat in fidei unitatem. converſio enim patrum ad filios, reductio eſt in gratiam ex diſſidio: unde ſequitur quandam fuiſſe rupturam, quæ populum ſcinderet ac veluti laceraret. Scimus Eliæ tempore quam horrenda fuerit populi defectio, quam turpiter fuerint degeneres à patribus, ut nihil minus cenſeri deberent quam filii Abrahæ, qui ſic disjuncti erant. eos reduxit Elias in ſanctum conſenſum. Talis patrum cum filiis colligatio fieri cœpit per Joannem, quam Chriſtus demum abſolvit. Quare Malachias quum de reductione loquitur, ſignificat diſtractum fore Eccleſiæ ſtatum ubi adveniet alter Elias: qualem tunc fuiſſe, plus ſatis ex hiſtoriis notum eſt, & ſuis locis clarius videbitur. Doctrina Scripturæ innumeris commentis vitiata erat, cultus Dei pluſquam craſſis ſuperſtitionibus corruptus, religio in varias ſectas diviſa: Sacerdotes palam impii & Epicurei, plebs ipſa in omnem nequitiam defluxerat: denique nihil ſanum. Quod hic habetur, Corda patrum ad filios, improprium eſt: quia filios qui fœdifragi erant, & deſciverant à recta patrum fide, potius converti oportuit. Verum etſi

illum

illum converſionis ordinem non ita diſerte exprimat Euangeliſta, ſenſus tamen minime obſcurus eſt, Deum facturum Joannis opera ut in ſanctam concordiam rurſus coaleſcant qui prius fuerant inter ſe diſtracti. Utrumque membrum habetur apud Prophetam, qui nihil tamen aliud voluit quam mutuum conſenſum notare. Verum quia ſæpe homines ſic inter ſe conſpirant, ut alii alios magis alienent à Deo: ſimul definit Angelus qualis futura ſit converſio quam promittit: nempe quæ inobedientes revocet ad prudentiam juſtorum. Quod ideo notandum eſt, ne falſa concordiæ prætextu cum impiis ſtulte implicemur. Quia ſpecioſum ac plauſibile eſt nomen pacis, quoties occurrit in Scriptura, cupide arripitur à Papiſtis ad conflandam nobis invidiam: quaſi nos, qui mundum à perfida defectione revocare ad Chriſtum conamur, diſcordiarum ſimus auctores. Sed hoc contextu pulchre refellitur eorum inſcitia, quod Angelus modum veræ & legitimæ converſionis definiens, fulturam ejus ac vinculum facit juſtorum prudentiam. Maledicta ergo ſit pax & unitas qua inter ſe extra Deum conveniunt homines. Porro minime dubium eſt quin per juſtorum prudentiam intelligenda ſit fides: ſicut ex oppoſito inobedientes vocantur increduli. Præclarum ſane fidei elogium, ex quo diſcimus tunc nos rite ſapere ad juſtitiam ubi obſequimur verbo Domini. Habet ſuam quoque prudentiam mundus, ſed perverſam, ideoque mortiferam, imo quæ vanitatis damnatur. quanquam oblique Angelus umbratilem ſapientiam, qua ſibi placent filii ſeculi, pravam & coram Deo maledictam ſignificat. Jam tenemus, ſic inter ſe conciliandos eſſe homines, ut in primis redeant cum Deo in concordiam. Quod mox ſequitur de paranda Domino plebe perfecta, cum illo membro cohæret, Joannem Chriſti præconem futurum, ut ante faciem ejus ambulet: finis enim prædicationis ejus erat, plebem reddere intentam audiendæ Chriſti doctrinæ. Quanquam participium κατεσκευασμένον non tam perfectionem ſonat Græcis, quam formam & concinnitatem qua res ad uſum ſuum aptantur. Quæ ſignificatio præſenti loco non male quadrabit: quod ſcilicet mittendus ſit Joannes ad plebem Chriſto aptandam, vel formandam, quæ alias rudis & impolita nunquam ſe docilem præbuiſſet.

MATTH.	MARC.	LUC. I.
		18. Et dixit Zacharias ad Angelum, Unde hoc cognoſcam? ego enim ſum ſenex, & uxor mea provectæ eſt ætatis.
		19. Et reſpondens Angelus dixit ei, Ego ſum Gabriel qui adſto coram Deo: miſſuſque ſum ut loquar ad te, & hæc tibi euangelizem.
		20. Et ecce eris tacitus, ut loqui non poſſis uſque ad diem quo hæc fient: eo quod non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur tempore ſuo.

18. *Et dixit Zacharias ad Angelum.*] Sequitur Zachariæ dubitatio, & pœna quam de ejus infidelitate ſumpſit Dominus. Precatus fuerat pro impetranda ſobole: nunc ubi promittitur, quaſi votorum ſuorum & fidei oblitus, diffidit. Quanquam prima ſpecie videri durum poſſet, quod ejus reſponſo tam graviter offenditur Deus. Objicit ſenium ſuum. idem fecit Abraham, cujus tantopere laudatur fides,
Rom. 4. verſ. 19. ut Paulus dicat non reſpexiſſe corpus ſuum emortuum, nec effœtam vulvam Saræ, ſed ſimpliciter acquieviſſe in Dei veritate & potentia. Rogat Zacharias unde, vel quo argumento certior fieri poterit.
Jud. 6. verſ. 17. Atqui non reprehenſus eſt Gedeon, quum duplex ſignum flagitaret. Quin etiam ſimilis paulo poſt Mariæ exceptio refertur, Quomodo fiet iſtud, quando virum non cognoſco? quam tamen Angelus diſſimulat, acſi nihil eſſet in ea vitii. Qui fit ergo ut Zachariam quaſi graviſſimi peccati reum tam ſevere caſtiget Deus? Fateor equidem, ſi verba tantum ſpectentur, vel parem fuiſſe in omnibus culpam, vel Zachariam nihil peccaſſe. Sed quum facta & dicta hominum ex cordis affectu æſtimare conveniat, Dei potius judicio ſtandum eſt, cui patent occultæ cordis latebræ. Vidit proculdubio Dominus in Zacharia aliquid deterius, quam verba ejus præ ſe ferant: atque ideo in ipſum excanduit, quod promiſſam ſibi gratiam diffidentia repelleret. Non eſt quidem noſtrum legem Deo præſcribere, quin liberum ei ſit in uno punire quod aliis ignoſcit delictum. Sed facile apparet diverſam fuiſſe Zachariæ cauſam, quam fuerit Abrahæ, Gedeonis, vel Mariæ. Id in verbis non perſpicitur. Cognitio igitur Deo relinquenda, cujus oculi ad fontem uſque cordis pe-
Geneſ. 17. verſ. 17. & 18. verſ. 10. netrant. Sic Deus inter Saræ riſum & Abrahæ diſcernit: quum tamen alter ab altero in ſpeciem non differat. Porro cauſa diffidentiæ in Zacharia fuit, quod in ordine naturæ ſubſiſtens, Dei potentiæ minus tribuit quam decebat. Nimium enim reſtricte & maligne ſentiunt de operibus Dei, qui non plus facturum credunt quam ſecundum naturam credibile eſt: quaſi ejus manus vel ſenſui noſtro ſubjecta, vel terrenis mediis incluſa eſſet. Atqui fidei proprium eſt longe plus credere quam fieri poſſe carnis ratio dictet. Non dubitavit Zacharias, eſſet vox Dei nec ne; ſed quum nimis defixus eſſet in mundo, obrepſit in ejus mentem obliqua dubitatio, futurumne eſſet quod audierat. Ac ea in re non levem Deo fecit injuriam, quia perinde erat acſi ſecum diſputaret veraxne habendus eſſet Deus, quem conſtabat loquutum eſſe. Quanquam ſciendum eſt non ita incredulum fuiſſe Zachariam ut prorſus à fide deſciſceret. Eſt enim generalis fides quæ promiſſionem æternæ ſalutis amplectitur, & gratuitæ adoptionis teſtimonium. Quemadmodum autem, poſtquam nos ſemel recepit Deus in gratiam, ſpecialiter multa promittit, quod nos paſcet, eripiet ex periculis, erit vindex innocentiæ noſtræ, vitam tuebitur: ita ſpecialis quædam eſt fides quæ ſingulis hujuſmodi promiſſionibus reſpondet. Fiet igitur interdum ut quiſpiam de peccatorum remiſſione & ſalute ſua Deo fidens, in parte aliqua vacillet. nam vel nimium trepidabit in mortis periculo, vel de victu quotidiano nimium erit anxius, vel nimium perplexus erit in ſuis conſiliis. Talis fuit Zachariæ incredulitas, quia ſcilicet fidei radicem ac fundamentum tenens, tantum una in parte hæſitavit, an Deus filium illi daturus eſſet. Quare ſciamus non protinus à fide excidere vel deficere quos ſua infirmitas in aliquo particulari negotio turbat vel concutit, nec fidem à radice labefactari quoties ejus rami ad varios impetus titubant. Adde quod nihil minus voluit Zacharias quam in examen vocare fidem divinæ promiſſionis: ſed quum in genere perſuaſus eſſet veracem eſſe Deum, aſtu & inſidiis Satanæ furtim in pravam diſtinctionem tractus eſt. Quo magis nos ad agendas excubias intentos eſſe decet. Quis enim noſtrum à Satanæ decipulis ſecurus erit, in quas cernimus tam raræ ſanctitatis virum (qui tota vita ſedulo ſibi caverat) delapſum eſſe.

19. *Ego ſum Gabriel.*] His verbis ſignificat Angelus, non ſibi, ſed Deo, à quo miſſus eſt, & cujus mandatum pertulit, abrogatam eſſe fidem, atque ita

Zacha-

Digitized by Google

Zachariæ exprobrat quod in Deum contumelioſus fuerit. *Adſtare coram Deo*, perinde valet ac præſto eſſe ad obſequium: acſi diceret, ſe non hominem eſſe mortalem, ſed cæleſtem ſpiritum: nec temere advolaſſe, ſed ut decet miniſtrum Dei, fideliter defunctum eſſe ſuo officio: unde ſequitur, Deum promiſſionis auctorem io perſona ſui nuncii indigne læſum & contemptum eſſe. Eodem tendit illa Chriſti
Luc. 10. verſ. 16. ſententia, Qui vos ſpernit, me ſpernit, &c. Quanquam enim non è cælo ad nos defertur Euangelii prædicatio per Angelos: quia tamen eam à ſe profectam tot miraculis teſtatus eſt Deus, & Chriſtus princeps Angelorum ac caput eam ſemel ore ſuo publicavit ut in perpetuum ſanciret, non minor illi conſtare debet majeſtas, quam ſi teſtes haberet omnes Ange-
Hebr. 10. verſ. 28. & 12. verſ. 25. los palam è cælo clamantes. Imo Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos, ut vocem Euangelii quæ in ore hominum perſonat, Legi per Angelos latæ æquare non contentus, argumentum à minori ad majus deducit: Si ſermo, inquit, per Angelos allatus non impune rejectus fuit, multo minus vindictam effugient qui ſpernunt hodie Chriſti vocem, cujus eſt cælum & terram concutere. Diſcamus ergo fidei obedientiam præſtare Deo, quam pluris facit omnibus victimis. *Gabriel* ſonat robur, aut fortitudinem, vel principatum Dei: ac nomeo hoc Angelo noſtra cauſa fuit inditum, ut diſcamus nihil Angelis proprium affingere, quum divinum ſit quicquid habent virtutis. Participium παρεστηκὼς temporis quidem eſt præteriti, ſed in ejuſmodi verbis ſatis notum eſt præteritum ſumi præſentis loco, præſertim ubi actus continuus notatur. Porro Angelus, ut nuper dictum eſt, perpetuum ſe Dei miniſtrum his verbis eſſe aſſerit. Euangelizandi verbum crimen Zachariæ amplificat, quod Deo rem lætam & optabilem benigne pollicenti ingratus fuerit.

20. *Et ecce eris tacitus.*] Genus hoc pœnæ conſentaneum fuit Zachariæ infligi: ut mutus promiſſionis eventum expectet, quam quum ſilentio audire deberet, obſtrepero ſuo murmure quaſi abruperat. Fides ſuum ſilentium habet, ut Dei verbo audientiam faciat. Deinde ſuas quoque habet loquendi vices, ut reſpondeat, Amen. ſecundum illud, Dicam illis, Populus meus vos: & ipſi dicent mihi, Tu *Oſee 2. verſ. 23.* Deus noſter. Quia vero Dei verbo temere obloquutus erat Zacharias, hæc ei gratia non conceditur ut ſtatim prorumpat in gratiarum actionem, ſed illi ad tempus eripitur linguæ uſus, quæ nimium feſtinaverat. Clementer tamen Deus pœnam mitigat. primum, quia eam decem menſibus finit: deinde, quia Zachariam beneficio quo indignus erat, privari tamen non patitur. Eadem quotidie indulgeotia nobiſcum agit. nam ut anguſta eſt noſtra fides, & nos multa impedimenta objicimus, veritatem Dei neceſſe eſt quodammodo vi perrumpere, ut curſum erga nos ſuum continuet. Id ſibi vult Angelus, quum Zachariæ incredulitatem accuſans, pronunciat tamen impletum iri quod Zacharias non credidit. ita non parum ſublevatur Zacharias quum audit ſuo vitio non eſſe exinanitam Dei fidem, quin ſuperior demum emergat. Fit quidem interdum ut præſtet Dominus atque impleat quod incredulis promiſit, quantumvis obſiſtant. Cujus rei memorabile habemus exemplum in rege Achaz, qui quum promiſſam *Eſa. 7.* ſalutem reſpueret, liberatus eſt tamen ab hoſtibus. *verſ. 11.* Verum id, nullo ejus profectu, in ſalutem electi populi ceſſit. Zachariæ alia ratio eſt, cui ſic Dominus ignoſcit fidei defectum, ut ſimul corrigat.

Matth.	Marc.	Luc. I.
		21. Et erat populus expectans Zachariam, & mirabantur quod moraretur in templo. 22. Egreſſus autem non poterat illis loqui. Et cognoverunt quod viſionem vidiſſet in templo. Et ipſe innuebat illis, permanſitque mutus. 23. Et accidit, ut impleti ſunt dies officii ejus, abiit in domum ſuam. 24. Poſt hos autem dies concepit Elizabeth uxor ejus, & occultabat ſe menſibus quinque, dicens, 25. Sic mihi fecit Dominus in diebus quibus reſpexit ut auferret probrum meum inter homines.

21. *Et erat populus.*] Narrat jam Lucas, populum hujus viſionis fuiſſe teſtem. Diutius quam pro more, moratus eſt in templo Zacharias. Hinc ſuſpicio naſcitur aliquid ei inſolitum accidiſſe. Egreſſus autem, geſtu & ſignis mutum ſe redditum indicat. Credibile eſt etiam, pavoris ſigna extitiſſe in vultu. Inde colligunt Deum illi apparuiſſe. Erant quidem raræ, vel nullæ eo ſeculo viſiones: ſed memoria tenebat populus frequentes fuiſſe olim Patrum ætate. Quare non abs re ex manifeſtis ſignis tale facit judicium. neque enim humanitus factum erat ut repente ſine morbo obmuteſceret, & poſt moram juſto longiorem attonitus è templo prodiret. Porro Templi nomen (ut jam diximos) pro Sancto accipitur, ubi altare ſuffitus erat. Inde peracto ſacro, egredi ſolebant Sacerdotes in ſuum atrium, unde populo benedicerent.

23. *Ut impleti ſunt dies.*] Liturgiam ponit Lucas pro functione quæ per vices ordine ad ſingulos tranſibat, quemadmodum diximus. Quod domum elapſo officii tempore rediiſſe dicitur Zacharias, hinc colligimus, Sacerdotes, quamdiu in vicibus ſuis erant, abſtinuiſſe à ſuis ædibus, ut ſcilicet divino cultui penitus addicti affixique eſſent. In hunc
1 Reg. 6. verſ. 5. uſum digeſta erant tabulata in lateribus templi, io quibus cubicula habebant. Lex quidem oon prohibebat Sacerdotem à domo ſua: ſed quum ab uxoris *1 Sam. 21. verſ. 4.* contactu arceret qui panibus ſacris veſcebantur, probabile eſt, quum multi parum reverenter ſacra tractarent, remedium hoc fuiſſe inventum, ut ab omnibus illecebris ſubmoti, puros ſe & immunes ab omni inquinamento ſervarent. Nec tantum concubitus uxorum illis vetitus erat, ſed etiam potus vini & ſiceræ. Quum ergo mandata illis eſſet victus ratio, utile fuit à templo non diſcedere, ut conſpectus ipſe loci, eos moneret colendam eſſe puritatem qualis à Domino præſcripta erat. Utile etiam fuit, omnem indulgentiæ materiam præcidi, quo liberius officio ſuo vacarent. Papiſtæ hodie hoc prætextu tyrannicam de cælibatu legem defendunt: ſic enim ratiocinantur, Quum abſtinere olim juſſi ſint Sacerdotes ab uxoribus quo tempore ſacris operam dabant; merito nunc à Sacerdotibus requiri perpetuam continentiam, qui oon per temporum vices, ſed quotidie ſacrificant: præſertim quum longe excellentior ſit ſacrorum dignitas, quam ſub Lege. Verum ſcire velim cur non à vino quoque & ſicera abſtineant. Neque enim præcepta quæ conjunxit Deus, ſeparare fas eſt, ut dimidia tantum pars, altera neglecta, ſervetur. Concubitus uxorum interdicitur non tam *Eze. 44.* diſerte quam vini potus. Si Legis prætextu cælba- *verſ. 21.* tum injunxit ſuis ſacrificis Papa, cur vinum illis permit-

mittit? Imo, ſecundum hanc rationem, in aliquos templorum receſſus ſacrificos omnes conjici oporteret, ut ergaſtulis incluſi, totam vitam tranſigerent extra mulierum & populi contubernium. Jam clare perſpicimus, improbe eos obtendere Legem Dei, à qua diſcedunt. Plena tamen ſolutio ex diſcrimine Legis & Euangelii pendet. Sacerdos ſe ad expianda populi peccata ſiſtebat coram Deo, ut eſſet quaſi Dei & hominum mediator. cui talis perſona impoſita erat, eum aliquid habere oportuit quo exemptus à communi hominum ordine, veri Mediatoris figura agnoſceretur. Huc & ſacræ veſtes ſpectabant, & unctio. Hodie in publicis Eccleſiæ miniſtris & paſtoribus nihil ſimile. loquor de miniſtris quos inſtituit Chriſtus ad gregem paſcendum: non quos ad immolandum Chriſtum carnifices magis quam ſacrificos initiat Papa. Quare Spiritus ſententiæ acquieſca-
Hebr. 13. verſ. 4. mus, quæ pronunciat honorabile in omnibus eſſe conjugium

24. *Occultabat ſe.*] Abſurdum hoc videtur, quaſi divinæ benedictionis ipſam puduerit. Putant quidam re adhuc dubia non auſam fuiſſe prodire in publicum, ne ſe ludibrio exponeret, ſi eam fruſtrata eſſet opinio quam conceperat. Ego vero de promiſſione data ſic fuiſſe perſuaſam ſtatuo, ut de eventu ſecura fuerit. Quum enim de marito ſumptam gravem pœnam cerneret ob inconſideratum linguæ lapſum, an per quinque menſes continuos ſimilem in animo dubitationem foviſſet? & ejus verba clare demonſtrant quam non fuerit ſpes ejus ſuſpenſa, vel ambigua. Nam quum dicit Dominum ſic feciſſe, diſerte & intrepide prædicat notam ejus gratiam. Duplex autem potuit eſſe latendi cauſa. prior, ne Dei miraculum, priuſquam conſpicuum eſſet, variis exponeret hominum ſermonibus: ut ſæpe de operibus Dei temere parumque honorifice garrire ſolet mundus. Altera, ut quum ſubito gravidam cernerent homines, magis excitarentur ad laudandum Deum. Nam quæ paulatim emergunt Dei opera, progreſſu ipſo ſæpe apud nos viléſcunt. Non ergo ſua cauſa latuit Eliſabeth, ſed aliorum magis reſpectu.

25. *Sic mihi fecit.*] Privatim celebrat Dei bonitatem, donec maturum adveniat ejus publicandæ tempus. Credibile eſt ſcripto edoctam fuiſſe à marito de ſobole promiſſa: quo certius & alacriore animo Deum hujus beneficii auctorem prædicat; idque confirmat proximis verbis, Quando reſpexit ut tolleret probrum meum. Sterilitatis enim cauſam fuiſſe notat, quod tunc averſus fuiſſet Dei favor. Inter terrenas Dei benedictiones hanc præcipue commemorat Scriptura, quod Deus ſobole nos dignetur: & merito. nam ſi ejus benedictio eſt brutorum animalium fœcunditas: quo excellentior eſt generis humani propagatio, eo majori in gratia reputanda eſt hominum fœcunditas. Nec vero exiguus eſt aut vulgaris honor, quod quum Deus ſolus ſit & cenſeri mereatur pater, terræ filios in hujus nominis ſocietatem admittit. Sedulo igitur tenenda eſt doctrina, quod liberi ſint hæreditas à Deo ob- Pſal. 127.
veniens: & munus ejus, fructus ventris. Sed altius verſ. 3.
reſpexit Eliſabeth: quia præter conſuetum naturæ ordinem, ſterilis & vetula ſingulari miraculo conceperat.

Ut auferret probrum meum.] Non ſine cauſa probri loco ſemper habita fuit ſterilitas, quum uteri benedictio inter præcipua divini amoris teſtimonia numeretur. Quidam hoc veteri populo ſpeciale fuiſſe putant: quia ex ſemine Abrahæ procreandus eſſet Chriſtus. Atqui hoc ad ſolam tribum Juda ſpectabat. Rectius alii, quod fauſta felixque eſſet populi ſancti multiplicatio: ſicuti Abrahæ dictum fuerat, Erit ſemen tuum ſicut arena maris, & ſtellæ Gen. 13.
cæli. Cæterum conjungi inter ſe debent univerſalis verſ. 15.
benedictio, quæ ad totum genus humanum extenditur; & promiſſio Abrahæ data, quæ Eccleſiæ Dei peculiaris eſt. Diſcant igitur parentes pro ſuſceptis liberis Deo grati eſſe: qui autem ſobole privantur, hac in parte ſe humiliari agnoſcant. Probrum vero hoc ad homines reſtringit Eliſabeth, quia temporalis eſt caſtigatio, ob quam nihil nobis in regno cælorum decedit.

MATTH.	MARC.	LUC. I.
		26. In menſe autem ſexto miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in urbem Galilææ, cui nomen Nazareth. 27. Ad virginem deſponſam viro cui nomen erat Joſeph, de domo David, ac nomen virginis Maria. 28. Et ingreſſus Angelus ad eam, dixit, Ave gratiam conſequuta, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres. 29. Illa vero quum vidiſſet, turbata eſt ſuper oratione ejus, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. 30. Et ait Angelus ei, Ne timeas Maria: nacta es enim gratiam apud Deum. 31. Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum. 32. Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur: & dabit illi Dominus Deus ſolium David patris ipſius. 33. Regnabitque ſuper domum Jacob in æternum, & regni ejus non erit fines.

26. *In menſe autem ſexto.*] Mira divini conſilii œconomia, & quæ à communi hominum judicio valde abhorret, quod nobilius in præcone generationis initium Deus eſſe voluit, quam in Filio ſuo. Vaticinium de Joanne in templo editum paſſim innotuit: Chriſtus Virgini promittitur in obſcuro Judææ oppido, & vaticinium hoc in ſinu puellæ unius ſepultum manet. Sed oportuit, ſcilicet, jam à Chriſti
1 Cor. 1. natalibus illud impleri, Quod Deus per ſtultitiam
verſ. 21. ſalvos fecerit credentes. Theſaurum vero myſterii hujus ſic apud Virginem depoſuit, ut tandem ſuo tempore perveniret ad pios omnes. Contemptibilis, fateor, iſta cuſtodiæ ſpecies: ſed quæ tum ad probandam fidei humilitatem, tum arcendam impiorum ſuperbiam optima fuit. Nos vero, etiamſi non ſtatim ratio appareat, diſcamus modeſte nos Deo ſubjicere: nec magiſtram habere pigeat, quæ Chriſtum æternam Dei ſapientiam utero ſuo geſtavit. Nihil certe magis cavendum, quam ut faſtidioſo contemptu nos privemus incomparabilis arcani notitia, quod Deus parvulis & docilibus conſulto reconditum eſſe voluit. Eadem mihi videtur eſſe cauſa cur Virginem elegerit viro deſponſam. Figmentum Origenis nihil habet ſolidi, id feciſſe ut Satanam ce-

laret

laret quam hominibus ſalutem dare parabat. Velum ergo conjugii obtentum fuit coram mundi oculis, ut quem vulgo credebant eſſe filium Joſeph, pu tandem fide agnoſcerent Dei Filium. Non ita quidem inglorius prodiit Chriſtus, quin divinitatis in eo gloriam ab initio illuſtraverit cæleſtis Pater. Angeli enim nunciarunt natum eſſe Salvatorem: ſed vox eorum tantum à paſtoribus audita non longe manavit. Miraculum unum celebre eſſe potuit, quod paſſim vulgarunt Magi qui ab Oriente venerant, ſtellam ſibi apparuiſſe ſummi Regis nati teſtem: videmus tamen ut Deus Filium ſuum quaſi in occulto continuerit, donec veniret tempus plenæ manifeſtationis. tunc enim quaſi theatrum illi erexit, in quo conſpicuus foret. Participium μεμνηστευμένην, quo utitur Euangeliſta, ſignificat ſponſo promiſſam tunc fuiſſe virginem, non autem marito uxorem traditam. Solenne enim apud Judæos erat parentibus, filias apud ſe domi aliquandiu tenere poſtquam eas viris deſponderant: alioqui lex quæ de ſponſæ corruptione extat Deuteron. 22. verſ. 13. ſupervacua fuiſſet. Joſeph dicit Lucas fuiſſe ex genere David, quia familiæ virorum nominibus cenſeri ſolent. qua de re alibi plura dicturi ſumus.

28. *Ave gratiam conſequuta.*] Quia ſtupenda & fere incredibilis erat legatio, à commendatione gratiæ Dei præfatur Angelus. Et certe quum pro tenui intelligentiæ ſuæ modulo magis anguſtæ ſint noſtræ mentes, quam ut immenſam operum Dei magnitudinem capiant, optimum hoc remedium eſt, quum eas ad meditandam gratiæ ejus infinitatem erigimus. Quum ergo fidei janua ſit ſenſus divinæ bonitatis: merito hunc ordinem tenet Angelus, ut gratiæ Dei meditatione pectus Virginis imbuendo, ipſum ad capiendum incomprehenſibile myſterium dilatet. Nam participium κεχαριτωμένη, quo utitur Lucas, gratuitum Dei favorem exprimit, ſicuti clarius patet ex primo ad Epheſios cap. v. 6. ubi Paulus de noſtra cum Deo reconciliatione tractans, Deus, inquit, nos in Filio ſuo dilecto ἐχαρίτωσεν, hoc eſt, recepit in ſuam gratiam, & favore complexus eſt, qui prius inimici eramus. Poſtea ſubjicit Angelus, Deum cum ipſa eſſe. Nam quos amore ſuo dignatus eſt ſemel Deus, illis ſe propitium & beneficum exhibet, ſuiſque beneficiis ornat & proſequitur. ideo additur tertium membrum, Quod benedicta ſit inter mulieres. Benedictionem enim tanquam effectum, & probationem divini favoris, ponit. Neque enim pro laude hic, meo judicio, capitur: ſed potius felicitatem notat. Sic Paulus gratiam primum, deinde pacem, hoc eſt, omne bonorum genus fidelibus precari ſolet: ſignificans nos tunc demum beatos & divites fore, ſi à Deo bonorum omnium auctore amemur. Quod ſi Mariæ felicitas, juſtitia & vita ex gratuito Dei amore fluant: ejus virtutes, totaque excellentia, mera eſt Dei liberalitas: pluſquam præpoſtere faciunt qui ab ea petendum docent quod aliunde nobiſcum habet. Nimis vero craſſa inſcitia Papiſtæ ſalutationem hanc, quaſi magico exorciſmo, in preculam verterunt: atque eo prorupit veſania, ut concionatoribus fas non ſit, Spiritus gratiam pro ſuggeſtu petere, niſi per ſuum Ave Maria. Atqui præterquam quod ſola gratulatio hic habetur, temere ſibi alienum officium uſurpant, quod Deus nonniſi Angelo injunxit. bis autem ſtulta æmulatio, quod abſentem ſalutant.

29. *Quum vidiſſet, turbata eſt.*] Non dicit Lucas turbatam fuiſſe aſpectu Angeli: ſed ſuper ejus ſermone. Cur ergo aſpectus etiam meminit? Hanc ego eſſe cauſam interpretor, quod aliquid cæleſtis gloriæ in Angelo agnoſcens Maria, ſubitum pavorem ex Dei reverentia conceperit. Turbata ergo fuit, quod ſe non ab homine mortali ſalutari, ſed à Dei Angelo ſentiret. Cæterum non ita turbatam fuiſſe dicit Lucas, ut obſtupuerit: quin potius exprimit ſignum attentæ mentis, & bene compoſitæ, quum paulo poſt ſubjicit, cogitaſſe ipſam qualis eſſet ſalutatio: hoc eſt, quorſum tenderet, quidque ſibi vellet. ſtatim illi occurrit, non fuiſſe de nihilo miſſum Angelum. Monemur autem hoc exemplo, primum non eſſe oſcitanter conſideranda Dei opera: deinde ita à nobis expendi decere, ut religio metuſque præeat.

30. *Ne timeas Maria.*] Quod timorem ponere eam jubet, ſemper veniat nobis in mentem, quæ imbecillitas eſt carnis, fieri non poſſe quin terreamur quoties vel minima gloriæ Dei ſcintilla apparet. Neque enim ubi ſerio Dei præſentiam concipimus, otioſam imaginari licet. Ergo quum obnoxii ſint omnes ejus judicio, ex metu trepidatio oritur, donec ſe patrem exhibeat. Tantam ſancta Virgo in gente ſua cernebat ſcelerum colluviem, ut jure timeret à majoribus vindictis. Quare ut timorem eximat Angelus, teſtem ſe ac præconem incomparabilis boni adeſſe pronunciat. *Invenire gratiam* Hebraica phraſi poſuit Lucas, pro Habere Deum propitium. Neque enim gratiam invenire dicitur, qui eam quæſierit: ſed cui ultro oblata eſt. Exempla quum ſatis nota ſint, adducere ſupervacuum foret.

31. *Ecce concipies in utero.*] Verba ſua conformat Angelus primo ad vaticinium Jeſaiæ, deinde ad alios Prophetarum locos: quo melius in animum Virginis penetrent. notæ enim & celebres paſſim inter pios erant tales prophetiæ. Quanquam ſimul notandum eſt, non privatim duntaxat in aurem Virginis loquutum eſſe Angelum: ſed Euangelium attuliſſe, quod per totum orbem non multo poſt vulgandum erat. Quare non abſque Dei conſilio factum eſt, quod tam diſerte expreſſus fuerit conſenſus inter veteres prophetias & præſentem de CHRISTO manifeſtando nuncium. Concipiendi verbum, refellendo tam Marcionis quam Manichæi delirio ſufficit. Nam inde colligere promptum eſt, non æthereum corpus vel ſpectrum Mariam peperiſſe: ſed quem prius in utero conceperat fœtum.

Vocabis nomen ejus Jeſum.] Nominis ratio apud Matthæum redditur, quod ſalvum à peccatis faciat populum. Ita in nomine ſalus promittitur, & oſtenditur in quem finem miſſus fuerit CHRISTUS à Patre in mundum: quemadmodum ſe pronunciat non ad perdendum veniſſe, ſed ut mundo ſalutem afferat. Meminerimus autem non bominum arbitrio, ſed Dei juſſu nomen hoc impoſitum illi fuiſſe ab Angelo, ut fides noſtra in cælo, non in terra fundata ſit. Deducitur à ישע, quod Hebræis eſt ſalus: unde & verbum הושיע, quod ſervare ſignificat. Porro ſubtiliter arguti ſunt qui differre contendunt ab Hebraico nomine יהושע. Quod Rabbini ſcribunt ubique Jeſu, conſtat maligne ab ipſis fieri, ne Chriſtum honorifice appellent: quin potius inſimulent degenerem fuiſſe aliquem Judæum. Itaque tantundem auctoritatis meretur eorum ſcriptio, ac canis latratus. Quod longe inferius dignitate Filii Dei eſſe objiciunt, ſi nomen habeat cum aliis commune, idem & de Chriſto obtendi poſſet. Sed de utroque ſolutio eſt pluſquam facilis: nempe quod ſub Lege umbratile fuit, in Filio Dei plene & ad ſolidum conſtare: vel ſubſtantiale in ipſo eſſe quod tunc figuratum fuit. Nihilo plus momenti habet altera objectio. Negant venerandum eſſe, & tremendum nomen Jeſu, coram quo omne genu flecti oportet, niſi unice competat in Filium Dei. Neque enim Paulus nomen magicum illi inducit, in cujus ſyllabis incluſa ſit majeſtas: ſed perinde valet loquutio acſi dixiſſet, Chriſto datum eſſe ſummum imperium à Patre, ſub quo totum mundum humiliari oportet. Talibus ergo figmentis valere juſſis, ſciamus nomen Jeſu fuiſſe Chriſto impoſitum, ut in eo quærere diſcant fideles quod olim ſub Lege adumbratum fuerat.

Matth. 1. verſ. 21.

Phil. 2. 9.

32. *Hic*

32. *Hic erit magnus.*] Idem & de Joanne Baptiſta dixerat Angelus, quem tamen Chriſto æquare noluit. Sed Baptiſta in ordine ſuo magnus: Chriſti autem magnitudo continuo poſt exprimitur, quæ eum ſupra omnes creaturas extollit. hoc enim proprium & ſingulare unus habet, ut vocetur Filius Dei, quemadmodum Apoſtolus contendit, 1. ad Hebræos capite, v. 5. Fateor quidem & Angelos & Reges interdum ornari hoc titulo in Scriptura: ſed hi in commune Dei filii propter excellentiam dicuntur. Atqui minime obſcurum vel dubium eſt quin Filium ſuum Deus ab omnibus reliquis eximat, quum peculiari-
[*Pſal.* 2:7.] ter illum ſic alloquitur, Filius meus es tu. Ergo hic neque Angelis, neque hominibus miſcetur Chriſtus, ut ſit unus ex grege filiorum Dei: ſed quod illi datur, nulli alteri ſumere fas eſt. Filii Dei ſunt Reges, certe non jure naturæ, ſed quia tanto eos honore dignatus eſt Deus. Ne Angelis quidem convenit hoc elogium: niſi quia ſub ſummo capite inter creaturas excellunt. Sumus & nos filii, ſed adoptione, quam fide conſequimur, non autem habemus à natura. Chriſtus autem & unicus, & unigenitus. Quod autem verbum futuri temporis eo torquet fœdus canis Servetus, ut Chriſtum probet non æternum eſſe Dei filium, ſed cœpiſſe talem ceoſeri ex quo induit carnem noſtram, nimis calumnioſum eſt. Ratiocinatur ille, non fuiſſe Chriſtum Dei filium antequam carne indutus mundo apparuerit: quia dictum ſit ab Angelo, Vocabitur. Ego autem contra excipio, non aliud ſonare Angeli verba, quam eſſe talem in carne manifeſtandum Dei filium qui æternus fuerat: nam vocari, ad claram notitiam refertur. Atqui inter iſta duo multum intereſt, cœperitne eſſe Dei Filius qui prius non erat: an patefactus fuerit inter homines, ut ſcirent eum eſſe qui promiſſus olim fuerat. Certe quum omnibus ſeculis Deus à populo ſuo iovocatus fuerit Pater: inde conficitur, fuiſſe in cælo Filium, ex quo & per quem iſta paternitas ad homines manaret. Nimium enim ſibi arrogant homines, ſi Dei ſe filios jactare auſint, niſi quatenus ſunt unigeniti Filii membra. Quare certum eſt ſanctos Patres nonniſi Filio mediatore fretos, tam honorificæ invocationis fiduciam ſibi ſumpſiſſe. Cæterum quid plenior iſta, de qua nunc loquimur, cognitio valeat, alibi Paulus docet: nempe ut jam intrepide liceat non modo vocare Deum Patrem, ſed clamare, Rom. 8. v. 15. & Galat. 4. v. 5. *Dabit Deus ſolium David.* Diximus Angelum mutuari ex Prophetis elogia, quibus Chriſtum inſigniat: quo melius agnoſcat ſancta Virgo fore Redemptorem Patribus olim promiſſum. Quoties de Eccleſiæ inſtauratione Prophetæ loquuntur, totam fidelium ſpem ad regnum Davidis revocant: ut tritum eſſet apud Judæos axioma, Eccleſiæ ſalutem in felici regni illius ſtatu fore poſitam: nec Meſſiæ officio quicquam eſſe magis aptum & conveniens, quam regnum Davidis de integro erigere. Quare & nomen Davidis interdum ad Meſſiam transfertur: ut Jeremiæ 30. verſ. 9. Servient Domino ſuo, & David Regi ſuo. Item Ezechielis 34. verſ. 24. & 37. verſ. 24. David ſervus meus regnabit princeps ſuper eos. Oſeæ 3. verſ. 5. Requirent Dominum, & David Regem ſuum. Loci autem, ubi filius Davidis vocitatur, ſatis noti ſunt ac celebres. In ſumma, ſignificat Angelus impletum in Chriſti perſona iri vaticinium Amos de ſuſcitando tabernaculo Davidis, quod dirutum & everſum erat. Amos cap. 9. verſ. 11.

33. *Regnabit ſuper domum Jacob.*] Quum ſalus peculiariter Judæis fuerit promiſſa (ſicuti fœdus cum patre ipſorum Abraham percuſſum erat) & Chriſtus, teſte Paulo, miniſter fuerit Circumciſio- [*Rom.* 15.]
nis: non immerito Angelus regnum ejus ſtatuit in [*verſ.* 8.]
gente illa, ſicuti propria fuit ſedes ac domicilium. Sed hoc cum aliis vaticiniis minime pugnat, quæ regnum Chriſti propagant & extendunt uſque ad ultimos terræ fines. Deus enim nova & admirabili adoptione Gentes inſeruit in familiam Jacob, quæ prius extraneæ fuerant: ſic tamen ut Judæi, tanquam primogeniti, potiorem tenerent gradum, quemadmodum in Pſalmo 110. verſ. 2. habetur, Sceptrum potentiæ tuæ emittet Dominus ex Sion. Locatum ergo fuit ſolium Chriſti in populo Iſraël, unde totum orbem ſibi ſubjiceret. Quotquot autem aggregavit per fidem filiis Abrahæ, verus Iſraël cenſentur. Etſi autem Judæi ſua defectione ſe abdicarunt ab Eccleſia Dei, ſervabit tamen Dominus uſque in finem aliquas reliquias: quoniam vocatio ejus ſine pœnitentia eſt. Corpus quidem populi in ſpeciem reſectum eſt: ſed meminiſſe debemus myſterii de quo diſſerit Paulus ad Romanos capite 11. verſ. 25. Tandem futurum ſcilicet ut Deus aliquos ex Judæis ex diſſipatione colligat. Interim Eccleſia, quæ per totum orbem ſparſa eſt, ſpiritualis eſt domus Jacob, quando originem ſuam ex Sione duxit. *In æternum.* Admonet Angelus quo ſenſu toties apud Prophetas promiſſa fuerit perpetuitas regno Davidis. Hujus tantum & Solomonis ætate floruerat potentia & opibus. Roboam tertius ſucceſſor vix tribum unam & dimidiam retinuit. Ex eo non deſtitit variis cladibus concuti, donec tandem concideret. Nunc Angelus, declarat, ubi ſtabilitum fuerit in Chriſti perſona, excidio non fore obnoxium. & ad eam rem aſſerendam verba Danielis uſurpat, quæ habentur cap. 7. verſ. 14. Hujus regni nullum fore finem. Cæterum etſi verborum ſenſus eſt, Deum regni Chriſti & Eccleſiæ æternum fore præſidem ac cuſtodem, ut nunquam intereat in terra, quamdiu Sol & Luna in cælo fulgebunt: vera tamen perpetuitas ad futuram gloriam pertinet. Sic ergo continua ſerie fideles alii aliis in hac vita ſuccedunt, ut demum colligendi ſint ſimul in cælum, ubi ſine fine regnabunt.

MATTH.	MARC.	LUC. I.
		34. Dixit autem Maria ad Angelum, Quomodo erit iſtud? quandoquidem virum non cognoſco. 35. Et reſpondens Angelus dixit ei, Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: quapropter & quod naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei. 36. Atque ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua: & hic ſextus menſis eſt illi quæ dicebatur ſterilis. 37. Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. 38. Dixit autem Maria, Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Ac diſceſſit ab illa Angelus.

34. *Quomodo erit iſtud?*] Videtur ſancta Virgo non minus maligne reſtringere Dei potentiam quam prius Zacharias. Quod enim præter communem naturæ ordinem eſt, impoſſibile eſſe colligit. Sic enim ratiocinatur: Virum non cognoſco: qui credam igitur futurum quod nuncias? Nec vero magnopere laborandum eſt ut eam purgemus ab omni vitio. fide enim ſtatim transſcendere debuit ad immen-

ſam Dei virtutem, quæ minime alligata eſt naturalibus medis, ſed totum mundum ſuperat. ouoc autem in vulgari generationis modo ſubſiſtit. Quanquam ſciendum eſt non ita dubitare, vel ſciſcitari, ut ſenſibus ſuis Dei potentiam vel ſubjicere vel æquare velit: tantum ſubita admiratione perculſa, ad movendam banc quæſtionem rapitur. Quod autem obedienter amplexa ſit promiſſionem, hioc colligi poteſt, quod quum multa occurrerent in contrariam partem, nonniſi in unn hæſitat. Objicere promptum erat, ubinam eſſet ſolium illud Davidis, quum pridem abolita eſſet omnis dignitas imperii, totuſque regii generis extinctus ſplendor. Certe ſi rem æſtimaſſet judicio carnis, pro fabula duxiſſet quod audierat ab Aogelo. Quare non dubium eſt quin penitus de Eccleſiæ inſtauratione perſuaſa, rei ſecundum carnem incredibili facile locum dederit. Et probabile eſt, tunc paſſim celebratum fuiſſe vaticinium illud Eſaiæ, ubi ſurculum Deus ſe excitaturum promittit ex contempto Iſai trunco. *Eſai. 11. verſ. 1.* Fides ergo de gratia Dei in animo Virginis concepta, effecit ut ſine controverſia admitteret allatum ſibi nuncium de erigendo ſolio Davidis. Si quis excipiat, fuiſſe etiam aliud vaticinium, quod virgo filium paritura eſſet: reſpondeo, ejus myſterii tunc obſcuram fuiſſe notitiam. Naſcitutum quidem ſibi Regem ſperabant Patres, ſub quo beatus ac felix eſſet Dei populus: ſed modus quaſi velo interpoſito abſconditus latebat. Ergo nihil mirum ſi quæſtionem movet ſancta Virgo de re ſibi incognita. Quod autem ex ejus verbis ſuſpicati ſuot quidam, perpetuæ virginitatis conceptum habuiſſe votum: nimis infirmum eſt, imo prorſus abſurdum. perfide enim paſſa fuiſſet ſe marito collocari, ſanctumque conjugii fœdus non ſine Dei ludibrio ſpreviſſet. Quamlibet barbara tyrannis graſſata ſit in bac parte ſub Papatu: nunquam tamen euſque progredi auſi ſunt, ut permitterenr uxori continentiam vovere ſuo arbitrio. Deinde puerile commentum eſt, Monachiſmum fingere inter Judæos. Solvendum eſt tamen objectum illud, quod Virgo in futurum tempus reſpiciat, ideoque ſignificet nullam ſibi fore cobabitationem cum viro. Hæc vero conjectura & probabilis eſt & ſimplex, quod rei magnitudo, vel potius majeſtas, Virginem perculerit, ut ſenſus omnes admiratione ligatos baberet ac conſtrictos. Quum audit naſciturum eſſe Dei filium, aliquid non vulgare concipit. Atque bæc ratio eſt cur coitum viſilem excludat. Hinc attonita exclamat, Quomodo erit iſtud? Ideo tam clementer illi Deus ignoſcit, & per Angelum benigne & comiter reſpondet: quia reverenter & ſobrie, non ſine admiratione divini operis, quæſierat, quomodo futurum eſſet quod ſibi perſuaſerat vulgari & conſueta naturæ ratione eſſe ſublimius. Denique hæc quæſtio fidei adverſa ideo non fuit, quia ex admiratione potius quam ex diffidentia oriebatur.

35. *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te.*] Modum non definit Angelus, qui curioſitati ſufficiat: ſicuti opus non fuit. Sed Virginem ſimpliciter ad conſiderandam Spiritus ſancti virtutem revocat, ut cum ſilentio & quiete ſe illi totam reſignet. Verbum Supervenire, ſignificat extraordinarium fore hoc opus, ubi naturæ media deficiunt. Proximum etiam membrum exegetice additur, Quod virtus Altiſſimi eam nbumbrabit. Spiritus enim quaſi eſſentialis eſt Dei virtus, cujus efficacia ſe profert ac exerit tam in tota mundi gubernatione, quam in miraculis. In verbo Obumbrandi concinna eſt metaphora. virtutem Dei, qua ſuos tuetur & protegit, Scriptura frequenter umbræ comparat. Sed alia videtur eſſe hujus loci peculiaris ratio: nempe arcanam fore Spiſitus operationem, acſi nubes oppoſita hominum oculos ab intuitu ſubmoveret. Sicuti autem in edendis miraculis Deus operum ſuorum rationem nobis ſubtrahit, ita noſtrum eſt ſobrje adorare quod nobis vult eſſe occultum. *Propterea quod naſcetur ſanctum.* Confirmatio eſt proximæ ſententiæ. Docet enim Angelus Chriſtum oportere abſque viri & mulieris coitu naſci, ut ſanctus ſit, & Dei filius: hoc eſt, ut ſanctitate & gloria ſupra omnes creaturas excellar, neque teneat communem inter homines gradum. Hæretici qui fiogunt ipſum, ex quo genitus eſt homo, factum eſſe Dei filium, particulam cauſalem arripiunt, ideo vocandum eſſe Dei filium, quia mirabiliter Spiritus ſancti virtute conceptus erit. ſed perperam ratiocinantur. Quamvis enim manifeſtatus ſit Filius Dei in carne, non ſequitur quin fuerit Sermo ante ſecula ex Patre genitus. Quin potius ille idem qui Filius Dei erat in ſua æterna divinitate, apparuit etiam in humana carne Dei filius. Cæterum locus hic non modo perſonæ unitatem in Chriſto commendat: ſed ſimul oſtendit Cbriſtum, quatenus humanam naturam induit, eſſe Dei filium. Ergo filii Dei nomen ſicuti divinæ Chriſti eſſentiæ ab initio proprium fuit, ita nunc conjunctim in utramque ſimul competit naturam: quia arcana & cæleſtis generationis ratio eum à vulgari bominum ordine exemit. Alibi quidem ſæpius, ut ſevere bominem eſſe affirmet, Filium ſe hominis vocat: ſed non obſtat bumaoæ naturæ veritas, quin peculiarem illi honorem præ aliis omnibus conciliet divina generatio, quod ſcilicet præter ordinarium naturæ modum conceptus ex Spiritu ſancto fuerit. Hinc merito creſcit oobis fiducia, ut liberius audeamus Deum invocare patrem: quia ut eum nobis communem ſecum faceret unicus ejus Filius, frater noſter eſſe voluit. Notandum etiam eſt, quod Chriſtus, quatenos ſpirituali virtute conceptus eſt, dicitur Semen ſanctum. Quemadmodum enim illum oportuit eſſe verum hominem ut peccata noſtra expiaret, mortemque ac Satanam vinceret in carne noſtra, denique ut eſſet verus Mediator: ita neceſſe fuit, ut alios purgaret, immunem eſſe ab omni immunditie & macula. Quamvis ergo ex Abrahæ ſemine genitus ſit Chriſtus, nibil tamen contagii ex vitioſa natura contraxit: quoniam ab ipſa origine purum ſervavit Dei Spiritus: nec tantum ut in ſe privatim ſanctitate polleat, ſed magis ut ſuos ſanctificet. Ergo ipſe conceptionis modus teſtatur Mediatorem nobis eſſe à peccatoribus ſegregatum.

36. *Et ecce Eliſabeth.*] Domeſtico exemplo Angelus fidem Mariæ in ſpem miraculi erigit. Nam ſi non potuit neque ſterilitas, neque ſenectus Eliſabeth obſtare Deo quin ipſam faceret matrem, non eſt quod ſe amplius Maria intra uſitatos naturæ fines contineat, quando tale divinæ potcotiæ ſpecimeo in cognata ſua cernit. Sextum menſem diſerte notat: quia quum menſe quinto ſentire ſoleat mulier vitalem fœtum, ſextus menſis dubitationem eximit. Debuerat quidem Maria ſimplici Dei verbo ſic acquieſcere, ut nihil opus eſſet aliunde fidem adſtrui: ſed ne amplius vacillet, novo hoc adminiculo promiſſionem ſuam Domious fulcire dignatur. Eadem quotidie indulgentia nos levat ac ſuſtinet: imo etiam majore, quo ſcilicet debilior eſt fides noſtra. Itaque ne dubia ſit nobis ſua veritas, teſtimonia quæ eam nobis confirmant, binc inde accerſit. Quomodo interceſſerit cognatio inter Eliſabeth, quæ erat ex filiabus Aaron, & Mariam quæ ex ſtirpe David orta erat, quæritur. Atque etiam videtur id pugnare cum Lege, quum mulieres vetabat abnubere in alienas Tribus. *Num. 36. verſ. 16.* Quantum ad Legem ſpectat, ſi finis reſpicitur, tantum ea connubia vetabat quæ hæreditates miſcere poſſent. Nullum vero tale periculum fuit, ſi qua ex tribu Juda mulier ſacerdoti ouberet, ad quem transferri hæreditas non poterat. Eadem etiam ratio fuit, ſi qua ex tribu Levi mulier extra gentem ſuam elocaretur. Fieri autem poteſt ut origioem duceret ſanctæ Virginis mater ex tribu Aaron, atque ita conſanguinitas eſſet ejus filiæ cum Eliſ beth.

37. *Non*

37. *Non erit impoſſibile apud &c.*] Si *verbum* in propria & nativa ſignificatione accipere libeat, ſenſus erit facturum eſſe Deum quicquid promiſit: quia nullum obſtaculum par ſit ejus virtuti. ac tale erit argumentum, Hoc pollicitus eſt Deus, ergo præſtabit: quia nulla contra ejus verbum impoſſibilitas objici debet. Sed quia *verbum* ſecundum linguæ Hebraicæ phraſin pro Re plerumque capitur, ſimplicius exponere licebit, nihil Deo eſſe impoſſibile. Quanquam ſemper tenendum eſt axioma, perverſe eos vagari qui de potentia Dei imaginantur extra verbum, ſi quid viſum eſt: quia ſic conſideranda eſt ejus immenſitas, ut ſpei & fiduciæ nobis ſit materia. Jam vero non temere ſolum & inutiliter, ſed etiam periculoſe diſputatur quid ſit Deo poſſibile, niſi ſimul occurrat quid ipſe velit. Porro facit hic Angelus quod paſſim ſolet Deus in Scriptura: nempe dum generali doctrina ſpeciem unam promiſſionis confirmat. Atque hic verus eſt rectuſque generalis doctrinæ uſus, dum promiſſiones illic ſparſas ad rem præſentem applicamus, quoties anxii ſumus & perplexi. quamdiu enim manent indefinitæ, frigent. Porro non mirum eſt quod Dei potentiam Mariæ Angelus prædicat, cujus diffidentia fidem promiſſionibus ut plurimum detrahit. Verbo fatentur omnes omnipotentem eſſe Deum: interea ſi quid promittit opinione noſtra majus, hæſitamus. Unde id, niſi quod nihilo plus illi tribuimus potentiæ quam ſenſus noſtri capiunt? Ideo Paulus ad Rom. cap. 4. verſ. 20. fidem Abrahæ laudans, dicit illum dediſſe gloriam Deo, quod implere poſſet quicquid promiſerat. Et alibi quum de
2 Tim. 1. verſ. 12. ſpe vitæ æternæ agitur, Dei potentiam ſibi proponit: Scio, inquit, cui crediderim, quod potens ſit depoſitum meum ſervare. Videtur quidem hæc exigua eſſe fidei portio, quod nemo, quantumvis impius, Deo palam omnipotentis titulum deroget. Verum qui probe & penitus infixam in corde ſuo habet Dei potentiam, reliqua fidei impedimenta facile ſuperabit. Notandum tamen eſt, potentiam Dei vera fide effectualem, ut ita loquar, apprehendi. Potens enim eſt atque agnoſci vult Deus, ut ipſo opere veracem ſe demonſtret.

38. *Ecce ancilla Domini.*] Non permittit ſibi ſancta Virgo ultra diſputare: nec tamen dubium eſt quin obrepere multa potuerint quæ remoram injicerent illius fidei, imo ejus animum prorſus ab Angeli ſermone averterent. Sed anſam præcidens contrariis rationibus, ſeipſam in obſequium cogit. Atque hæc vera eſt fidei probatio, dum cohibemus mentes noſtras, & velut captivas tenemus, ne hoc vel illud Deo opponere audeant: ſicuti rurſum infidelitatis mater eſt diſceptandi licentia. Nec leve his verbis ineſt pondus, Ecce ancilla Domini. ſe enim totam offert Deo & addicit, ut ille jure ſuo libere utatur. Subducunt enim ſe increduli ab ejus manu, & quantum in ſe eſt, opus ejus impediunt. Fides autem nos ſiſtit Deo, ut præſto ſimus ad parendum. Quod ſi ideo ancilla Domini fuit ſancta Virgo, quia obedienter ejus imperio ſe ſubjecit: nulla deterior contumacia eſt, quam fugitando, illi negare quod meretur ac poſtulat obſequium. Denique ut ſola fides nos morigeros Deo ſervos reddit, & tradit in ejus poteſtatem, ita infidelitas rebelles & transfugas facit. *Fiat mihi.* Bifariam exponi poteſt hoc membrum, vel quod ſancta Virgo ſtatim ad vota & preces ſe convertat, vel quod uno contextu ſe Deo reſignare ac tradere pergat. Ego ſimpliciter interpretor, quod de virtute Dei perſuaſa libenterque ſequens quo vocat, ſimul promiſſioni ejus ſubſcribit: atque ita effectum non modo expectat, ſed etiam cupide expetit.

MATTH. | MARC. | LUC. I.

39. Exurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum feſtinatione in civitatem Juda.

40. Et intravit in domum Zachariæ, ac ſalutavit Eliſabeth.

41. Et factum eſt, ut audivit Eliſabeth ſalutationem Mariæ, ſaliit infans in utero illius, & repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth,

42. Exclamavitque voce magna, & dixit, Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.

43. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?

44. Ecce enim ut facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, ſaliit præ gaudio infans in utero meo.

45. Et beata quæ credidit: quia complementum erit iis quæ dicta ſunt illi à Domino.

39. *Exurgens autem Maria.*] Profectio hæc cujus meminit Lucas, teſtatur non evanidam fuiſſe Mariæ fidem: quia non diffluit una cum Angeli conſpectu Dei promiſſio, ſed ejus animo inſidet. Feſtinatio autem ſerii ardentiſque affectus teſtis eſt. Inde colligere licet, poſthabitis omnibus aliis rebus hanc Dei gratiam à Virgine fuiſſe æſtimatam ut par erat. Quæri tamen poteſt quo conſilio ſuſceperit iter illud. Certum eſt non ſimpliciter inquirendi cauſa veniſſe: quia non minus Filium Dei in corde ſuo per fidem quam in utero conceptum fovebat. Neque etiam quibuſdam ſubſcribo qui gratulandi cauſa veniſſe putant. probabilius enim mihi videtur, partim augendæ confirmandæque fidei ſuæ, partim illuſtrandæ ultro citroque gratiæ Dei habitam ab ea fuiſſe rationem. Nec vero eſt cur abſurdum ducamus, quæſitam ab ea fidei confirmationem fuiſſe ex miraculi conſpectu, quod Angelus non fruſtra illi in medium propoſuerat. Nam etſi nudo verbo Domini contenti ſunt fideles: nihil tamen interea operum ejus negligunt, quod ſentiunt ad fidei ſuæ adminiculum valere. Præſertim vero Maria oblatum ſibi adminiculum amplecti debuit niſi reſpuere vellet quod Dominus ultro illi dederat. Deinde mutuus conſpectus tam ipſam quam Eliſabeth accendere potuit ad majorem gratitudinem: ſicuti ex contextu patet. Fuit enim magis conſpicua & inſignis Dei virtus in uno duplicis gratiæ intuitu: quia ipſa comparatio non parum lucis addebat. Cæterum non exprimit Lucas quænam fuerit urbs in qua Zacharias habitabat: ſed tantum commemorat pertinuiſſe ad tribum Juda. deinde, ſitam fuiſſe in regione montana. Unde colligitur, longius abfuiſſe ab oppido Nazareth quam Hieroſolymam.

41. *Ut audivit ſalutationem.*] Naturale eſt ut ad ſubitum gaudium moveat ſe fœtus in utero gravidæ mulieris: ſed Lucas aliquid extraordinarium notare voluit. Quanquam nihil ad rem attinet argutis quæſtionibus nos intricare, an ſenſerit infans Chriſti præſentiam, an ſenſus hic fuerit pietatis: potius hoc unum ſufficiat, arcano Spiritus motu infantem ſaliiſſe. Nec ſane proprium illi ſenſum tribuit Lucas: ſed magis ſignificat hanc divinæ in matre ipſa operationis fuiſſe partem, quod infans exultavit in utero ejus. Quod dicit Spiritu ſancto repletam; ſenſus eſt, Spiritu Prophetico præter conſuetum morem

rem repente donatam eſſe. Neque enim prius Spiritus donis vacua erat: ſed tunc longe uberior vis & inſolita apparuit.

42. *Benedicta tu.*] Videtur in pari gradu Mariam & Chriſtum locare: quod minime conſentaneum foret. Sed ego libenter eorum ſententiam admitto, qui in ſecundo membro cauſam reddi putant. Uſitatum enim eſt, copulam ſumi vice particulæ cauſalis. Benedictam ergo cognatam ſuam prædicat Eliſabeth, propter filii benedictionem. Etſi autem prima non fuit Mariæ felicitas, Chriſtum in utero geſtare: imo ordine poſterior eſt iſta dignitas, quam Spiritu Chriſti renaſci in novam vitam: merito tamen vocatur benedicta, quam Deus ſingulari iſto honore dignatus eſt, ut Filium ſuum, in qua ſpiritualiter erat regenita, mundo pareret. Et hodie celebrari nequit allata nobis per Chriſtum benedictio, quin ſimul occurrat quam honorifice Mariam ornaverit Deus, qui unigeniti Filii ſui matrem eſſe voluit.

43. *Unde hoc mihi.*] Notanda eſt iſta moderatio, quod Eliſabeth eximias in Maria gratias Dei reputans, juſto eam honore proſequitur. neque tamen ſublimius quam deceat extollit cum Dei injuria. Nam (quæ ingenita eſt mundo pravitas) pauci ſunt qui non altero ex duobus his vitiis laborent: quia alii ſibi ultra modum placentes, ut ſoli emineant, dona Dei maligne ſpernunt in fratribus ſuis: alii vero homines adeo ſuperſtitioſe extollunt, ut idola ſibi in illis fabricent. hinc factum eſt ut Chriſto velut in ſubſellium redacto, prima ſedes Mariæ tribueretur. Contra, Eliſabeth in ea celebranda adeo non obſcurat Dei gloriam, ut potius ad Deum omnia referat. Interim tamen, quia ſibi & aliis prælatam agnoſcit, ſuperiorem gradum illi non invidet, pluſque ſibi quam debeatur concedi modeſte prædicat. Quod Mariam appellat Domini ſui matrem: notatur perſonæ unitas in duabus Chriſti naturis: acſi dixiſſet, eum qui genitus eſt mortalis homo in utero Mariæ, ſimul æternum eſſe Deum. Tenendum enim memoria eſt, non loqui ex proprio ſenſu mulierculam, ſed tantum proferre quæ Spiritus ſanctus dictavit. Proprie autem convenit hoc nomen Filio Dei in carne manifeſtato, cui data eſt à Patre omnis poteſtas, & qui ordinatus eſt ſummus cæli & terræ Princeps, per cujus manum Deus omnia gubernet. Fidelium tamen maxime dominus eſt, qui ſe ejus imperio ſponte & placide ſubmittunt: neque enim caput eſt
1 Cor. 8. verſ. 5. niſi corporis ſui. Ideo dicit Paulus, Quamvis multi vocentur domini in mundo, nobis tamen, hoc eſt, fidei domeſticis, unicum eſſe Dominum. Porro quum iſtam Dei gratiam de qua loquitur, amplificat ex ſubito motu infantis quem utero geſtabat, non dubium eſt quin teſtari velit ſe aliquid ſupernaturale & divinum ſenſiſſe.

45. *Beata quæ credidit.*] Quando ex ſuperiore Lucæ teſtimonio conſtat, arcano Spiritus impulſu loquutam eſſe Eliſabeth, ille Spiritus eſt qui Mariam, eo quod credidit, beatam eſſe pronunciat: & Mariæ fidem laudando, generaliter admonet ubi ſita ſit vera hominum felicitas. Felix Maria, quæ Dei promiſſionem corde amplexa, ſibi totique mundo ſalutem concepit ac peperit. Hoc illi ſpeciale: ſed quia nulla nobis juſtitiæ, vitæ, aut ullius boni gutta ſuppetit, niſi quantum verbo ſuo Dominus offert; una eſt fides quæ ab extrema inopia & miſeria ereptos veræ felicitatis nos facit compotes. Et magnum pondus ineſt huic membro, Quia complementum erit omnibus quæ dicta ſunt. ſenſus enim eſt, fide locum dari promiſſionibus divinis, ut ſuum in nobis effectum obtineant. Certum quidem eſt non pendere ex hominum arbitrio Dei veritatem: quin potius verum eſt illud, Deum perpetuo veracem manere, quamvis totus mundus (qui incredulus eſt ac mendax) illius fidem labefactare conetur. ſed quia indigni ſunt increduli qui promiſſionum fructum percipiant, ideo docet Scriptura, fide tantum efficaces eſſe in ſalutem noſtram. Offert enim Deus ſua beneficia promiſcue omnibus: fides autem ſinum ad ea recipienda expandit: incredulitas autem excidere patitur, ne ad nos uſque perveniant. Si qua fuiſſet Mariæ incredulitas, obſtare tamen Deo non poterat quin opus ſuum compleret alio quo viſum eſſet modo. Sed beata dicitur, quæ oblatam ſibi benedictionem fide recipiens, Deo viam patefecit ad complendum opus ſuum: ſicuti rurſum incredulitas januam illi claudit, manumque ejus ab opere arcet, ne ſalvificam ſentiant qui ipſam fraudant virtutis ſuæ laude. Notanda eſt etiam relatio inter verbum & fidem: unde colligimus quid ſit credere: nempe, dum loquenti Deo ſubſcribimus, certoque ſtatuimus, quod nobis promittit facturum eſſe. Particula, A Domino, tantundem valet atque Ex parte Dei, ut vulgo barbari loquuntur. Promiſſio enim per Angelum allata fuerat: ſed prodierat à ſolo Deo. Unde colligimus, ſive Angelorum ſive hominum miniſterio utatur Deus, velle tamen non minus honoris verbo ſuo deferri quam ſi palam ipſe è cælo deſcenderet.

Rom. 3:4.

MATTH.	MARC.	LUC. I.
		46. Et ait Maria, Magnificat anima mea Dominum,
		47. Et exultavit ſpiritus meus in Deo Servatore meo:
		48. Quia reſpexit ad humilitatem ancillæ ſuæ. ecce enim ex hoc tempore beatam me dicent omnes generationes:
		49. Quia fecit mihi magnifica qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus.
		50. Et miſericordia ejus in progeniem & progeniem timentibus eum.

Nunc refertur inſigne & memorabile ſanctæ Virginis canticum: ex quo clare apparet quanta Spiritus gratia excelluerit. Tria autem ſunt hujus cantici membra. Primum enim Maria, quam in ſe experta erat Dei miſericordiam, ſolenni gratiarum actione celebrat. Deinde generalibus elogiis Dei potentiam & judicia commendat. Tandem ea accommodat præſenti cauſæ, ubi de redemptione olim Eccleſiæ promiſſa & jam præſtita diſſerit.

46. *Magnificat anima.*] Hic gratitudinem ſuam teſtatur Maria, quemadmodum nuper dictum eſt. Quia autem plerumque hypocritæ plenis buccis, nullo cordis affectu, Dei laudes cantant, dicit Maria ſe ex interiore animi ſenſu laudare Deum. Et certe nihil aliud quam ſacrum Dei nomen profanant, qui non ex animo, ſed lingua tantum prædicant ejus gloriam. Porro quum voces Animæ & Spiritus varie ſumantur in Scriptura, ſimul tamen conjunctæ duas animæ præcipue facultates denotant. Spiritus enim pro intelligentia capitur, Animus autem pro ſede affectuum. Ut teneamus ſanctæ Virginis mentem, notandum eſt, quod ſecundo loco hic ponitur, ordine prius eſſe. Nam ut ad laudandum Deum incitetur hominis voluntas, præcedat ſpiritus exulta-

Jac. 5. verſ. 13. tio neceſſe eſt: quemadmodum Jacobus docet, Lætatur quis? pſallat. Triſtitia enim & anxietas tum animum conſtringunt, tum linguam impediunt à celebranda Dei bonitate. Ergo ubi gaudio exultat mens Mariæ, cor in laudem Dei erumpit. Nec abs re Deo tribuit epitheton Servatoris quum de cordis ſui lætitia loquitur. donec enim agnitus fuerit Deus Servator, nunquam in verum & liberum gaudium ſolveotur hominum mentes, ſed perplexe & ſollicite hærebunt. Itaque ſolus eſt paternus Dei favor, & ex eo manans ſalus, quæ nos lætitia perfundunt. In ſumma, hoc primum eſt, ut gloriari poſſint fideles ſalutem ſibi in Deo eſſe: alterum deinde ſequi debet, ut beneficum Patrem experti, gratias illi agant. Nomen Σωτήρ plus Græcis ſignificat quam Latinis Servator, nempe qui non ſemel tantum liberat, ſed perpetuæ ſalutis auctor eſt.

48. *Quia reſpexit.*] Exponit cur in Deo ſundatum babeat cordis ſui gaudium: quia ſcilicet gratuito reſpecta xb ipſo fuerit. Humilem enim ſe vocans, dignitate omni ſe abdicat, ut gratuitæ Dei bonitati adſcribat totam gloriandi materiam. Neque enim (ut ſtulte putarunt indocti & barbari bomines) humilitas hic ſummiſſionem, vel modeſtiam, vel animi habitum ſignificat: ſed tantundem valet ac vilis abjectaque conditio. Senſus ergo eſt, Quod ignobilis eram & cootempta, id non obſtitit Deo quo minus dignatus ſit ad me oculos ſuos convertere. Quod ſi Mariæ humilitas excellentiæ opponitur (quemadmodum & res ipſa clamat, & ex Græca voce liquet) videmus ut Maria ſeipſam exinaniens, Deum unum extollat. Nec vero fictæ boc bumilitatis præconium fuit; ſed ſimplex & ingenua ejus, quam animo inſculptam habebat, perſuaſionis confeſſio. Nam & nullius erat coram mundo pretii, & ipſa nihilo pluris ſe æſtimabat. *Ex boc tempore beatam.* Significat, memorabile ſeculis omnibus fore hoc Dei beneficium. Quod ſi tam inſigne eſt ut paſſim omnium ore prædicari debeat; ipſi Mariæ, in quam collatum fuit, de eo ſilete minime fas eſt. Obſerva autem Mariam nihil in ſua felicitate ponere niſi quod ſibi divinitus datum eſſe agnoſcit, ejuſque gratiæ acceptum refert. Beata, inquit, cenſebor per omnes ætates. An quia ſibi propria virtute vel induſtria laudem baoc quæſierit? Quin potius ſolum Dei opus commemorat. Unde perſpicimus quantum ab ea diſtent Papiſtæ, qui inanibus ſuis figmentis eam temere ornantes, quicquid accepit bonorum à Deo, fere pro nihilo habent. magnificos, imo pluſquam ſuperbos titulos affatim congerunt: quod ſit regina cæli, ſtella ſalutis, porta vitæ, dulcedo, ſpes & ſalus. Quin etiam eo impudentiæ & furoris ipſos proripuit Satan, ut imperium illi in Chriſtum traderent: bæc enim eſt eorum cantilena, Roga Patrem, jube Natum. Nihil horum à Domino profectum eſſe quum liquido conſtet, omnia uno verbo ſancta Virgo repudiat, dum totam ſuam gloriam in Dei beneficiis ſtatuit. Nam ſi hoc uno tantum nomine celebranda eſt, quod Deus magnifice cum ipſa egit; fictitiis titulis, qui aliunde proveniunt, nullus relinquitur locus. Adde quod nihil illi magis probroſum eſt, quam Filio Dei eripi quod ſuum eſt, ut ſacrilegis ejus ſpoliis ipſa induatur. Eant nunc Papiſtæ, & nos in Chriſti matrem injurios eſſe clamitent, quia rejectis hominum mendaciis, tantum Dei beneficia in illa prædicamus. Atqui quod ei maxime honorificum eſt, nos concedimus; iſti vero præpoſteri cultores detrahunt. Libenter enim eam amplectimur magiſtram, ejuſque doctrinæ & præceptis obtemperamus. Certe non obſcurum eſt quid hic dicat: quo poſthabito & velut calcato, fidem ejus dictis, quantum in ſe eſt, abrogant Papiſtæ. Nos vero meminerimus communem hic in laudandis tum Angelis tum hominibus præſcribi regulam, ut in illis celebretur Dei gratia: ſicuti etiam nihil ómnino eſt laudabile quod non inde prodierit. Quum dicit, Deum qui potens eſt feciſſe magnifica, ſignificat Deum non alieno ſubſidio fuiſſe adjutum: ut ſola ejus potentia emineat. Jam repetendum eſt quod prius dixit, ſe fuiſſe reſpectam quamvis abjecta & contemptibilis foret. Unde ſequitur præpoſteras & adulterinas aſſe Mariæ laudes, quibus non in ſolidum extollitur Dei potentia & gratuitus favor.

49. *Et ſanctum nomen ejus.*] Hæc eſt ſecunda pars cantici, in qua generalibus ſeotentiis ſancta Virgo Dei virtutem, judicia & miſericordiam commendat. Neque enim uno contextu hoc membrum cum ſuperiori, ſed ſeorſum legi debet. Extulerat Maria quam in ſe experta erat Dei gratiam. Hinc ſumpta occaſione exclamat, ſanctum eſſe ejus nomen, & miſericordiam ejus omnibus ſeculis vigere. Porro ſanctum vocatur Dei nomen, quia reverentiam ſummam meretur: ut quoties Dei fit mentio, ſimul veneranda ejus majeſtas in medium prodeat. Proxima ſententia, ubi laudatur perpetuitas miſericordiæ Dei, ex ſolenni pacti formula ſumpta eſt,
Ero Deus tuus, & ſeminis tui in ſeculum. Item, Ego Geneſ. 17.
ſum Deus faciens miſericordiam in mille generatio- verſ. 7.
nes. Quibus verbis non modo teſtatur ſe perpetuo Deut. 7.
fore ſui ſimilem; ſed continuum favorem exprimit, verſ. 9.
quem erga ſuos proſequitur, ut poſt eorum mortem, filios & nepotes, totamque ſobolem diligat. Sic continuo amoris tenore proſequutus eſt Abrahæ poſteros: quoniam patrem Abraham ſemel io gratiam complexus, æternum cum ipſo fœdus pepigerat. Sed quia non omnes qui deſcendunt ex Abraham ſecundum carnem, genuini ſunt Abrahæ filii, promiſſionis effectum reſtringir Maria ad veros Dei cultores: quemadmodum & David Pſal. 103. verſ. 17. Miſericordia Domini à ſeculo uſque in ſeculum ſuper timentes eum, & juſtitia ejus in filios filiorum iis qui cuſtodiunt fœdus ejus, &c. Sic ergo Deus ſanctorum filiis miſericordem ſe per omnes ætates fore promittit, ut nullam tamen hypocritis vanæ fiduciæ materiam præbeat: quoniam fruſtra & temera Deum ſibi eſſe patrem gloriantur qui degeneres ſunt ſanctorum filii, & ab eorum pietate fideque deſciverunt. Quare hac exceptiooa refellitur eorum vanitas & jactantia, qui falſo gratiæ Dei prætextu, ſine fide, inflati ſunt. Univerſale quidem ſalutis fœdus pepigit Deus cum genere Abrahæ: ſed quemadmodum lapides pluvia irrigati non molleſcunt, ita incredulis obſtitit ſua durities ne ad eos penetraret promiſſa juſtitia & ſalus. Interim Deus, ut ſtabilis rataque eſſet ſua promiſſio, ſemen aliquod ſervavit. Sub timore Domini comprehenditur tota pietas & religio: quæ ſine fide conſtare non poteſt. Verum bic poterit objici quæſtio, Quorſum attinet vocari Deum miſericordem, ſi talem nemo eum ſentit, niſi qui ejus gratiam promeretur? Nam ſi Dei miſericordia eſt ſuper timentes eum, pietas & bona conſcientia gratiam bominibus apud eum conciliant: hoc autem modo ejus gratiam ſuis meritis homines prævenient. Reſpondeo, hanc quoque eſſe miſericordiæ partem, quod timorem ſui & reverentiam piorum filiis Deus inſpirat. Neque enim hic notatur gratiæ initium, quaſi Deus è cælo otioſus ſpeculetur quinam ea digni ſint: ſed tantum hypocritis excutitur perverſa ſecuritas, ne Deum ſibi obſtrictum eſſe putent, quia carnales ſunt ſanctorum filii: quum divini fœderis longe alius ſit finis & diverſa conditio, nempe ut aliquem ſemper in mundo populum habeat à quo pure colatur.

MATTH.	MARC.	LUC. I.
		51. Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos cogitatione cordis ipſorum.
		52. Detraxit primates ex ſoliis, & exaltavit humiles.
		53. Eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes.
		54. Suſcepit Iſraël puerum ſuum, ut memor eſſet miſericordiæ:
		55. Quemadmodum loquutus eſt ad Patres noſtros, Abrahæ & ſemini ejus in ſeculum.

51. *Fecit potentiam.*] Perinde valet acſi dixiſſet, potenter operatus eſt. Brachium autem Dei omnibus aliis adminiculis opponitur: ſicuti apud Jeſaiam, capite 59. verſ. 16. Reſpexit Deus, & nemo fuit adjutor. Itaque ſalutem illi peperit brachium ejus, & juſtitiam ſuam pro fultura habuit. Intelligit ergo Maria, Deum ſua unius virtute contentum, nullos adbibuiſſe operis ſocios, nullos vocaſſe ad opem ſibi ferendam. Quod continuo poſt ſequitur de ſuperbis, videri poteſt additum ob duas cauſas: tum quia nihil proficiunt ſuperbi, qui gigantum more Deo reſiſtere conantur: tum quia non explicat Deus brachii ſui potentiam niſi in ſalutem humilium: ſuperbos vero, qui ſibi multum arrogant, dejicit. Quo pertinet illa Petri exhortatio, Humiliamini ſub potenti Dei manu, &c. *1 Pet. 5. verſ. 6.* Eſt autem notatu digna loquutio, diſpergi ſuperbos cogitatione cordis. Nam (ut immanis eſt eorum ſuperbia & ambitio, ut eſt cupiditas inſatiabilis) in capiendis conſiliis quaſi immenſam molem coagmentant: atque, ut uno verbo dicam, ædificant turrem Babel. Nam minime contenti ſtulte hoc vel illud ſupra vires tentaſſe, novas ſubinde inſanæ audaciæ conſultationes prioribus accumulant. Poſtquam Deus aliquandiu tacitus è cælo deriſit præclaros eorum apparatus, totam illam congeriem repente diſſipat. quemadmodum ſi quis diruto ædificio, quæ prius firma ſolidaque commiſſura inter ſe compacta erant, in plagas diverſas longe diſpergat.

52. *Detraxit primates.*] Ita vertere placuit, ut tollatur ambiguitas. Nam etſi δυνάστας Græcis vocantur à potentia, ſunt tamen præfecti & ſummi magiſtratus. Potentes vero, multi participium eſſe putant. Eos detrahi è ſoliis prædicat Maria, ut in eorum locum evehantur obſcuri & ignobiles. ita Dei providentiæ & judiciis tribuit quod profani homines vocant ludum Fortunæ. Sciamus tamen non tribui Deo abſolutam potentiam, ut tyrannico imperio homines, tanquam pilas, agitet ac verſet ſurſum deorſum: ſed juſtam gubernationem, cui ſubeſt optima ratio, licet nos ſæpe fugiat. Non enim Deum oblectant mutationes, ut per ludibrium in ſublime attollat quos protinus dejicere ſtatuerit: ſed rerum ſtatum potius convertit hominum pravitas: quia nemo in ejus arbitrio & manu poſitam eſſe agnoſcit cujuſque ſortem. qui vero eminent ſupra alios, non modo contumelioſe & crudeliter inſultant proximis ſuis, ſed etiam ferociter contra ſuæ altitudinis auctorem. Ergo ut reipſa diſcamus, quicquid altum eſt in mundo & excellit, Deo ſubeſſe, totumque mundum ejus imperio regi, alii tolluntur in ſublimem honoris gradum, alii autem labuntur ex ſuis ſoliis, vel præcipites cadunt. hanc mutationum cauſam & finem aſſignat David, Pſal. 107. verſ. 20. & Daniel 2. verſ. 21. Videmus ſane ut præter modum inſoleſcant mundi Principes, ut diffluant in luxuriam, ut turgeant ſuperbia, ut eos proſperæ fortunæ dulcedo inebriet. Tantam ingratitudinem ſi ferre nequeat Dominus, nihil mirum. hinc fit ut plerumque non diu maneant ſtabiles quos Deus in ſublime extulit. Jam rurſus Regum & Principum ſplendor hominum vulgus obſtupefacit, ut pauci ſuperius aliquod numen eſſe cogitent. Quod ſi ex utero ſceptrum afferrent ſecum Principes, & continua eſſet regnorum ſtabilitas, ſtatim evaneſceret omnis Dei & ejus providentiæ notitia. Dominus ergo humiles in ſublime tollens, mundi ſuperbiam quaſi in triumpho traducit, & ſimul ad ſimplicitatem ac modeſtiam erudit ſuos. Nunc tenemus quorſum dicat Maria, Deum eſſe qui proceres dejicit ex ſoliis, & infimos exaltat: nempe ut doceat, non cæco fortunæ impetu volvi & rotari mundum; ſed, quæcunque cernuntur converſiones, Dei providentia accidere. deinde ipſum Deum ſumma æquitate moderari quæ totum mundi ordinem turbare & pervertere judicia videntur. quod proximo verſu melius confirmat, Eſurientes (inquit) replevit bonis, & divites dimiſit inanes. Nam hinc colligimus, non per ſe, ſed ex cauſa mutationes placere Deo: quia ſcilicet magni & divites & potentes ſaturitate ſua inflati, ſibi arrogant omnia: ipſi autem Deo nihil faciunt reliquum. Quare ſedulo cavendum eſt ne rebus proſperis efferamur. Cavenda etiam ventoſa carnis ſaturitas, ne ſubito nos Deus exinaniat. piis vero qui egeſtatis ſuæ conſcii & quaſi famelici ad Deum ſuſpirant, non parum ſolatii affert hæc doctrina, quod Deus eſurientes bonis impleat.

54. *Suſcepit Iſraël.*] Hoc poſtremo membro generales ſententias accommodat Maria ad circumſtantiam præſentem. Summa autem eſt, Deum nunc quam olim pollicitus ſalutem ſanctis Patribus fuerat, præſtitiſſe. Sed primum in verbo Suſcipiendi concinna eſt metaphora. ſic enim collapſus erat populi ſtatus, ut nulla vulgo ſpes eſſet poſſe in integrum reſtitui. Suſceptus ergo dicitur Iſraël, quia Deus porrecta manu proſtratum & jacentem erexit. Religio innumeris modis contaminata erat: in publica doctrina nihil fere ſincerum: Eccleſiæ regimen, pluſquam confuſum, nihil aliud quam immanem barbariem ſpirabat: politicus ordo everſus: populi corpus Romani & Herodes, quaſi feræ beſtiæ laniaverant. quo illuſtrior fuit inſtauratio, quam rebus adeo perditis ſperare illis non licebat. *Pueri* nomen hic tam pro filio, quam pro ſervo poteſt accipi: poſterior tamen ſignificatio magis convenit. Et ſervus Dei vocatur hoc loco Iſraël (ſicuti in aliis compluribus) quia in Dei familiam receptus erat. *Ut memor eſſet.* Cauſam reddit Maria cur proclivis in ruinam populus à Deo receptus fuerit, imo cur Deus jam collapſum erexerit: nempe ut in eo ſervando miſericordiæ ſuæ ſpecimen ederet. Nominatim tamen exprimit, Deum miſericordiæ recordatum: cujus videri poterat quodammodo oblitus, quum populum ſuum tam miſere vexari affligique ſineret. Uſitatum enim eſt affectus Deo tribui, prout ex re ipſa homines vel iratum ſibi vel propitium colligunt. Quia vero Dei miſericordiam non concipiunt humanæ mentes, niſi quatenus eam verbo ſuo offert ac teſtatur: hinc ſe & alios ad promiſſiones revocat Maria, Deumque in illis ſervandis fidum ac conſtantem fuiſſe docet. Hoc ſenſu frequenter vocatur Deus benignus & verax: quia nunquam de paterna ejus erga nos benevolentia ſtatuere licebit, niſi verbum, cujus ſe vinculo nobis obſtrinxit, memoriæ noſtræ occurrat, &, quaſi in medio poſitum, ſalutem noſtram cum Dei bonitate individuo nexu copulet. Cæterum iiſdem verbis oſtendit Maria gratuitum fuiſſe quod cum Patribus fœdus olim Deus pepigerat: quia promiſſam illic ſalutem ex mera miſericordia, tanquam ex fonte, derivat. Atque hinc colligimus probe fuiſſe in Scripturæ doctrina exercitam.

tam.

tam. Erat quidem vulgo tunc communis Meſſiæ exſpectatio: ſed pauci fidem in tam ſincera Scripturæ notitia fundatam habebant.

55. *Abrahæ & ſemini.*] Si appoſitive legas, videtur abſurda eſſe caſus mutatio. dicendum enim erat potius, Ad Abraham & ſemen ejus. ſed meo judicio non eſt ſimplex appoſitio: quia non tantum deſignat Maria qui fuerint Patres illi, ad quos loquutus eſt Deus: ſed promiſſionum vim & effectum ad omnes poſteros extendit, qui modo genuinum ſint Abrahæ ſemen. Unde etiam ſequitur de ſolenni fœdere agi quod cum Abraham ejuſque familia ſpecialiter percuſſum fuerat. Nam aliæ promiſſiones, quæ Adæ & Noë & aliis datæ fuerant, promiſcue ad omnes gentes ſpectabant. Cæterum ut multos carnales Abrahæ filios ſua incredulitas abſcidit, & quia degeneres fuerunt, prorſus alienati ſunt à domo Abrahæ: ita nos, qui extranei eramus, fide inſiti, cenſemur verum Abrahæ ſemen. Teneamus ergo, ſic loquutum eſſe olim Deum Patribus ut ad poſteros quoque pertineat oblata illis gratia. Deinde fide, Gentium omnium factam eſſe adoptionem, ut ſpirituales ſint Abrahæ filii qui natura non erant.

MATTH.	MARC.	LUC. I.
		56. Manſit autem Maria cum illa circiter menſibus tribus, & reverſa eſt in domum ſuam.
		57. Ipſi autem Eliſabeth impletum eſt tempus pariendi: & peperit filium.
		58. Et audierunt vicini & cognati ejus quod magnifice Dominus ſua miſericordia uſus eſſet erga illam, & gratulabantur ei.
		59. Et factum eſt in die octavo ut venerint ad circumcidendum puerum: & vocabant eum nomine patris ſui Zachariam.
		60. Et reſpondens mater ejus dixit, Nequaquam: ſed vocabitur Joannes.
		61. Et dixerunt ad illam, Nemo eſt in cognatione tua qui vocetur hoc nomine.
		62. Innuebant autem patri ejus, qui vellet vocari eum.
		63. Et poſtulatis tabellis ſcripſit, dicens, Joannes eſt nomen ejus. Et mirati ſunt univerſi.
		64. Apertum eſt autem os ejus illico & lingua ejus, & loquebatur benedicens Deum.
		65. Et accidit timor ſuper omnes vicinos eorum, & in tota montana regione Judææ divulgabantur omnia verba hæc.
		66. Et poſuerunt omnes qui audierant in corde ſuo, dicentes, Quidnam puer hic erit? Et manus Domini erat cum ipſo.

Vel, Quiſnam.

Summa hujus hiſtoriæ eſt, inſignem fuiſſe Joannis nativitatem variis Dei miraculis, quæ magnum aliquid & ſingulare de infante ipſo in futurum tempus promitterent. Voluit enim eum Dominus ab utero raris inſignibus ornare, ne obſcurus poſtea & tanquam unus quilibet ex vulgo, ad exequendum Prophetæ munus prodiret. Primo narrat Lucas Mariam fuiſſe ad tres fere menſes cum ſua cognata: nempe uſque ad diem partus. probabile enim eſt non aliam fuiſſe tantæ moræ cauſam, niſi ut divinæ gratiæ ſpectaculo frueretur, quæ illi propoſita ab Angelo fuerat in fidei confirmationem.

58. *Audierunt vicini & cognati.*] Dubitari poteſt, ex ſolane benedictione gignendæ ſobolis magnificam Dei gratiam æſtimaverint iſti homines, an vero prius audiſſent apparuiſſe Zachariæ Angelum, qui filium illi pollicitus eſſet. Erat certe hoc beneficium Dei non vulgare, quod præter naturæ ordinem ſterilis mulier exacta jam ætate peperiſſet. Poteſt ergo fieri ut hac tantum de cauſa divinæ bonitatis magnitudinem extulerint. Porro die octavo officii quidam & humanitatis cauſa (ut fieri ſolet) conveniunt: ſed hac occaſione utitur Deus, ut virtutis ſuæ & gloriæ teſtes ac ſpectatores faciat. Nec vero dubium eſt quin major ad extraordinarium partum concurſus hominum factus ſit. Portenti loco habuerant vetulam & ſterilem repente videre gravidam: nunc ubi natus eſt puer, renovatur & augetur admiratio. Colligimus ex Lucæ verbis, quamvis domi circumciderent ſuos infantes, non tamen id facere ſolitos ſine hominum frequentia & conventu. idque merito: nam quum eſſet commune Eccleſiæ Sacramentum, non debuit clam vel privatim adminiſtrari.

59. *Vocabant eum patris nomine.*] Scimus initio impoſita fuiſſe hominibus nomina, vel ex rerum eventu, vel etiam Prophetico inſtinctu ad notandum aliquod arcanum Dei opus: ſed poſtea longo temporis ſucceſſu, quum uberior eſſet nominum copia quam ut nova quotidie fingi commode poſſent, contenti vetuſtis nominibus & jam receptis, majorum nomine poſteros vocarunt. Sic ante patrem Joannis plures fuerant Zachariæ: & forte hic ex filio Barachiæ originem traxerat. Scimus autem ut plurimum quod uſu & conſuetudine receptum eſt, pro lege haberi. Ideo contendunt iſti homines morem qui invaluerat ſervandum eſſe in nomine infantis. Cæterum ut nulla in nominibus ſtatuenda eſt religio, ita pie & utiliter delectum à fidelibus hac in parte haberi nemo ſanus negabit: ut ſcilicet nomina imponant filiis ſuis, quæ doctrinæ & admonitionis vice illis ſint. deinde potius mutuentur ex ſanctis Patribus (ut filios ſuos ad illorum imitationem provocent) quam accerſant à profanis.

60. *Reſpondens mater ejus.*] Incertum eſt an oraculo etiam edocta fuerit Eliſabeth. Quanquam veriſimile eſt, quum videret Zacharias ſe nimiæ in credendo tarditatis pœnam luere, uxori fuiſſe teſtatum per ſcripturam quod de nomine Angelus præceperat. alioqui non paruiſſet Dei mandato. Porro cur nomen hoc Baptiſtæ divinitus inditum fuerit, ſupra expoſui. Cognati, quamvis rationem non teneant, moventur tamen rei novitate, præſertim quia non temere hoc fieri conjiciunt.

64. *Apertum eſt os ejus.*] Deus natalem Prophetæ ſui reſtituta patri lingua nobilitat. neque enim dubium eſt quin beneficium hoc eo fine & conſilio in diem illum diſtulerit, ut hominum oculos in Joannem converteret. Dicitur Zacharias laudaſſe Deum, non modo teſtandæ gratitudinis cauſa, ſed ut cognati & vicini pœnam illi inflictam eſſe ſcirent, quia ad credendum nimis tardus fuerat. Neque enim ipſum puduit cum ſuo dedecore celebrare Dei gloriam. Ita paſſim omnibus innotuit, non fortuito aut vulgari more genitum fuiſſe infantem, ſed cæleſti oraculo promiſſum.

65. Et

65. *Et accedit timor ſuper omnes vicinos.*] Timor hic cujus memioit Lucas, ex ſenſu divinæ potentiæ manavit. ſic enim reverenter conſideranda ſunt Dei opera, ut ſerio nos afficiant. Nec vero Deus ludit in ſuis miraculis, ſed hominum ſenſus, quos torpere cernit, excitat. Dicit etiam Lucas ſparſam earum rerum fuiſſe famam in tota montana regione Judææ. quanquam multis oihil profuit, ſic Dei virtute ad tempus fuiſſe tactos: quia quum docendi munus obire cœpit Joannes, pauci memoria tenebant, quam admirahilis fuiſſet ejus nativitas. Cæterum non tantum eorum cauſa qui audiebaot, voluit Deus harum rerum famam vulgari, ſed ut ſeculis omnibus certius eſſet miraculum, quod tunc paſſim celebre fuit. Interea commune ingratitudinis humanæ ſpeculum hic nobis ante oculos ponitur. Nam quum tenaciter animis noſtris hæreant res vanæ & frivolæ, ſtatim elahitur & effluit quæ perpetuo vigere debebat gratiarum Dei memoria. Nnn loquitur Lucas de homioibus ſtupidis, vel feris Dei contemptoribus. dicit enim eos poſuiſſe in corde ſuo: hoe eſt, ſedulo ad hæc conſideranda fuiſſe attentos. Et probabile eſt quoſdam fuiſſe in tempore memores: ſed major pars conceptum timorem paulo poſt abjecit. Notandum tamen eſt, eos minime aberraſſe à ſcopo, quum ad futuram infantis excellentiam retulerunt quæ videbant miracula. tale enim fuiſſe Dei conſilium diximus, ut poſtea Joannes non ſine eximia commendatione prodiret. Quod dicit Lucas, *Manum Dei fuiſſe cum eo*: ſenſus eſt, multis modis conſpicuam fuiſſe Dei gratiam, quæ palam oſtenderet oon fore hominem gregarium. Eſt autem figurata loquutio, quæ exprimit noo ſecus patefactam eſſe virtutem Dei quam ſi palam conſpecta eſſet ejus manus, ut Deum præſentem agnoſcere cuivis promptum foret.

MATTH. | MARC. | LUC. I.

67. Et Zacharias pater ejus repletus eſt Spiritu ſancto, prophetavit-
que dicens,
68. Benedictus Dominus Deus Iſraël: quia viſitavit, & fecit redem-
ptionem populo ſuo:
69. Et erexit cornu ſalutis nobis in domo David pueri ſui,
70. Sicut loquutus eſt per os ſanctorum, qui à ſeculo fuerunt, Pro-
phetarum ſuorum,
71. Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui ode-
runt nos:
72. Ad præſtandam miſericordiam erga Patres noſtros, & memo-
riam habendam Teſtamenti ſui ſancti,
73. Secundum jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem no-
ſtrum, ad dandum nobis,
74. Ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſer-
viamus illi
75. In ſanctitate & juſtitia coram ipſo cunctis diebus vitæ noſtræ.

67. *Zacharias repletus eſt Spiritu.*] Quid valeat hæc loquutio, nuper dictum eſt, nempe donari uberiore Spiritus gratia ſervos Dei, qua tamen alias vacui non erant. Sic Prophetis datum eſſe Spiritum legimus. nnn quod per intervalla ipſo carerent, ſed quia ejus vis ſe plenius in illis exeruit quoties ad munus ſuum peragendum, quaſi Dei manu, io lucem producti ſunt. Itaque notanda eſt duorum membrorum connexio quam ponit Lucas, quod repletus ſit Spiritu ſancto & propbetaverit. Significat enim tunc præter morem divinitus fuiſſe afflatum, ut non loqueretur humanitus quaſi privatus quiſpiam, ſed cæleſtem tantum doctrinam proferret. Sic & Paulus propbetiam cum Spiritu conjungit, primæ ad Theſſ.5: 19. Spiritum nolite extinguere, propbetias ne ſpernite: ut ſciamus doctrinæ cootemptu extingui Spiritus lucem. Memorahilis autem fuit hæc Dei bonitas, quod Zachariæ non tantum reddita fuit loquendi facultas qua per oovem menſes orbatus fuerat, ſed ejus lingua facta eſt Spiritus ſancti organum.

68. *Benedictus Dominus.*] Orditur Zacharias à gratiarum actione: ſed Prophetico Spiritu celebrat impletam redemptionem olim io Chriſto promiſſam, unde ſalus & felicitas Eccleſiæ pendebat. Cur Deum Iſraël nominet, cujus imperio ſubeſt totus mundus, ex cuntextu melius patehit: nempe quia ſemini Abrabæ ſpecialiter promiſſus fuerat Redemptor. Quia ergo Deus tantum in una gente fœdus ſuum depoſuerat, de quo verba facturus eſt Zacharias, merito nomen gentis illius exprimit, cui proprie, vel ſaltem primo loco, deſtinata erat ſalutis gratia. In verbo Viſitandi ſubeſt tacita antitheſis: quoniam à miſeris Abrabæ filiis Dei facies ad tempus fuerat averſa. Nam eo calamitatis delapſi erant, & tanta malorum congerie obruti, ut nemo à Deo reſpici putaret. Porro hæc Dei viſitatio, cujus meminit Zacharias, tanquam cauſa & principium redemptionis ponitur. Quare ita reſolve, Deus populum ſuum reſpexit, ut redimeret. Quum autem captivos eſſe oporteat quos Deus redimit, & hoc redemptionis genus ſpirituale ſit, inde colligimus ne ſanctos quidem Patres liberos fuiſſe à peccati jugo & mortis tyrannide, niſi per Chriſti gratiam. Sancto enim & electo Dei populo Chriſtus dicitur miſſus redemptor. Sed ſi allata tunc demum à Chriſto fuit redemptio quum carne indutus apparuit, ſequitur, fideles qui ante ejus adventum mortui ſuot, tota vita peccati & mortis fuiſſe ſervos. quod valde abſurdum eſſet. Reſpondeo, vim & effectum bujus redemptionis, quæ ſemel io Cbriſto fuit exhibita, ſeculis omnibus fuiſſe communem.

69. *Erexit cornu ſalutis.*] Hoc eſt, ſalvificam potentiam. Dejecto enim ſolio Davidis & diſſipato populo, ſpes ſalutis in ſpeciem conciderat. Porro alludit Zacharias ad Propbetarum vaticinia quihus ſuhita in rebus deploratis ac perditis inſtauratio promittitur. imo hæc loquutio ex Pſal. 132: 17. ſumpta eſt, ubi habetur, Illic oriri faciam cornu Davidi, paravi lucernam Chriſto meo. Quod ſi Deus non niſi in Cbriſto potentiam ſuam ad nos ſervaodos exeruit, hinc nefas eſt ullo modo deflectere, ſi divinitus ſervari cupimus. Obſerva autem, fidelibus ſalutare eſſe cornu quod impiis terrificum eſt, ut eos diſſipet, vel proſternat ac conterat. Davidem ſervum Dei nominat, oon ſimpliciter quia Deum coluerit, ut unus quilibet piorum: ſed alio reſpectu, quod ſcil. delectus fuerat regendo ſervandoque populo miniſter, ut Cbriſti perſonam ac vices cum ſuis ſucceſſoribus gereret. Etſi autem nullum tunc reſiduum erat apud Judæos regni veſtigium: quia tamen in Dei promiſſiones recumbit Zacharias, Davidem vocare Dei miniſtrum non dubitat, in quo Deus ſpecimen ediderit futuræ ſalutis. Unde ſequitur, tunc nobis Chriſtum re ipſa conſtitus

ſalu-

ſalutis auctorem, dum illi inter nos ſolium erigitur, unde nos gubernet.

70. *Sicut loquutus eſt.*] Ne propter novitatem dubia ſit ſalus quam à Chriſto allatam prædicat, teſtes ejus citat omnes Prophetas, qui diverſis temporibus excitati, uno tamen conſenſu docent ſperandam à ſolo Chriſto ſalutem eſſe. Neque enim tantum Zachariæ conſilium eſt, fidem & conſtantiam Dei laudare, quia præſtet atque impleat quod olim promiſit: ſed potius ad vetuſta oracula revocare voluit fideles, quo certius & alacrius amplecterentur oblatam ſibi ſalutem, de qua omnes ab initio teſtati fuerant Prophetæ. Vere enim ſolida fultura ſtabilitur noſtra in Chriſtum fides, quum Prophetarum omnium teſtimoniis ornatus in lucem prodit. Sanctos vocat Prophetas, quo plus auctoritatis & reverentiæ habeant eorum verba: acſi diceret, non leves, aut gregarios, ſed claſſicos eſſe teſtes: imo publico mandato inſtructos, ut qui divinitus in hunc finem à vulgo hominum ſegregati fuerint. Quomodo autem ſinguli Prophetæ teſtimonium reddiderint Chriſto, minutis partibus differere nimis longum eſſet. Hoc in præſentia ſufficiat, quum omnibus ſolenne ſit, non aliter ſpem facere populo quod Deum habiturus propitium eſſet, niſi propoſito in medium fœdere quod in Chriſto fundatum erat, diſerte ſatis de futura redemptione loqui qualis in Chriſto patefacta eſt. Huc accedunt multi illuſtres loci, ubi non obſcure de Chriſto vaticinantur, ſed eum quaſi digito monſtrant. Præcipue tamen tenenda eſt illa divini fœderis ſubſcriptio: quam ſi quis negligat, nihil unquam in Prophetis intelliget. quemadmodum Judæi miſere vagantur in Scriptura legenda: quia in verbis tantum curioſi, à ſcopo illo aberrant.

71. *Salutem ex inimicis.*] Clarius virtutem & officium Chriſti explicat Zacharias. Et certe parum vel nihil prodeſſet audire datum eſſe nobis Chriſtum, niſi etiam ſciremus quid nobis conferat. Hac ergo de cauſa plenius docet quorſum erectum ſit ſalutis cornu: nempe ut ſalvi ſint fideles ab hoſtibus ſuis. Minime autem dubium eſt quin ſatis teneret Zacharias, Eccleſiæ Dei non eſſe præcipuum bellum cum carne & ſanguine, ſed cum Satana, totoque ejus apparatu, quo nobis æternum exitium machinatur. Etſi autem Eccleſiam infeſtant externi quoque hoſtes, & ab ipſis liberatur per Chriſtum: tamen quum ſpirituale ſit regnum Chriſti, maxime de principe hujus mundi Satana, ejuſque copiis hic ſermo habetur. Iterum notatur quam miſera ſit hominum conditio extra Chriſtum, nempe quod proſtrati jaceant ſub diaboli tyrannide. non enim ex ejus manu, hoc eſt, imperio, alias ſuos liberaret Chriſtus. Admonet tamen hic locus, Eccleſiam præcipue, quamdiu peregrinatur in mundo, inter hoſtes ſuos agere, & eorum violentiæ eſſe obnoxiam, niſi præſto adeſſet Chriſtus ad opem ferendam. Sed hæc inæſtimabilis eſt Chriſti gratia, quod nobis indubia eſt ac tuta ſalus, quamvis undique nos circumdent hoſtes. Cæterum etſi dura eſt loquutio, quum dicit, Salutem ex inimicis: ſenſus tamen minime ambiguus eſt, quod nullæ hoſtium noſtrorum machinæ aut vires, nullæ inſidiæ, nulli impetus Deo obſtabunt, quominus nos ab illis liberatos perpetuo ſervet.

72. *Ad præſtandam miſericordiam.*] Iterum docet Zacharias ex quo fonte fluxerit redemptio, nempe ex Dei miſericordia & gratuito fœdere. Cauſam enim aſſignat cur Deo placuerit ſervare populum ſuum: nempe quia pacti ſui memor, miſericordiam ſuam explicuit. Memor autem ſui teſtamenti fuiſſe dicitur: quia oblivio quædam videri poterat tam longa illa mora ſub qua paſſus fuerat afflictum graviſſimis malis populum languere. Diligenter notandus eſt hic ordo, quod mera inductus miſericordia fuerit Deus ut fœdus cum Patribus percuteret: deinde, quod fœdus percutiens, verbo ſuo alligaverit hominum ſalutem: tertio, quod in Chriſto exhibuerit quicquid eſt bonorum, ut ita promiſſiones ſuas omnes ſanciret. ut certe non aliter rata eſt earum fides niſi quum apparet in Chriſto complementum. Promittitur quidem in fœdere peccatorum remiſſio: ſed ea extat in Chriſti ſanguine. Promittitur juſtitia: ſed in Chriſti expiatione offertur. Promittitur vita: ſed non niſi in Chriſti morte & reſurrectione quærenda eſt. Atque hæc ratio eſt, cur olim ipſum quoque Legis volumen ſanguine victimæ Deus juſſerit aſpergi. Obſervatu quoque dignum eſt, quod præſtitam ſua ætate miſericordiam Zacharias ad Patres mortuos extendit, ut communiter ejus fructum percipiant. Nam hinc ſequitur, non contineri Chriſti gratiam & virtutem hujus caducæ vitæ anguſtiis: ſed æternam eſſe, nec carnis morte finiri, quum & animæ ſint à morte ſuperſtites, & carnis interitum ſequatur reſurrectio. Sicut ergo neque Abraham, neque ullus ſanctorum ſalutem propria virtute vel meritis ſibi acquirere potuit: ita cunctis fidelibus, tam mortuis quam vivis, communis in Chriſto ſalus fuit oſtenſa.

73. *Secundum juſjurandum.*] Græce præpoſitio non exprimitur: ſed hunc familiarem linguæ eſſe uſum ſatis notum eſt, quum nomen accuſativi caſus ponitur ſine regimine, ſubaudiendam eſſe præpoſitionem à qua regatur. Jurisjurandi meminit, quo melius exprimeret quam ſtabilis ac ſancta ſit ejus veritas. eo enim indulgentiæ Deus ſe ſubmittit, ut nomen ſuum in ſubſidium infirmitatis noſtræ interponere dignetur. Quare ſi nobis non ſufficiunt nudæ promiſſiones, ſaltem in mentem veniat hæc confirmatio: quæ niſi omnem dubitationem eximat, pluſquam ingrati Deo ſumus, & ſacro ejus nomini injurii. *Daturum ſe nobis.* Non enarrat Zacharias per ſingula capita quid contineat Dei fœdus: ſed docet in quem finem Deus tam benigne pro ſua miſericordia egerit cum populo ut eum redimeret: nempe ut redempti, ſe totos addicant & devoveant colendo ſalutis ſuæ auctori. Sicuti ergo efficiens humanæ ſalutis cauſa fuit gratuita Dei bonitas: ita finalis eſt, ut homines pie ſancteque vivendo, nomen ejus glorificent. Quod diligenter notandum eſt, ut vocationis noſtræ memores, gratiam Dei referre diſcamus in ſuum uſum. meditandæ ſunt, inquam, iſtæ ſententiæ, non eſſe nos ad immunditiem vocatos, ſed ad ſanctimoniam: nos magno pretio redemptos eſſe, non ut ſervi ſimus cupiditatum carnis, vel ut effreni licentia exultemus, ſed ut regnet Chriſtus in nobis: nos adoptione inſertos in Dei familiam, ut viciſſim tanquam filii patri obſequamur. Nam in hoc apparuit Dei bonitas & φιλανθρωπία, ut abnegatis ſecularibus deſideriis, ſancte & pie & honeſte vivamus. Ideo *Tit. 2: 11.*
Paulus, quum efficaciter hortari vult fideles ut ſe Deo *Rom. 12.*
conſecrent in vitæ novitatem, & depoſito veteri homine priorique mente exuti, cultum illi rationalem exhibeant, proponit illis viſcera miſericordiæ Dei. *verſ. 1.*
Plena eſt ejuſmodi teſtimoniis Scriptura, quæ oſtendunt exinaniri Chriſti gratiam niſi ad hunc ſcopum tendimus. Notandum eſt quod dicit, Ut ſine timore ſerviamus. Significat enim non poſſe niſi tranquillis animis rite Deum coli. Nam qui inquietudine laborant, qui ſecum diſceptant illumne habeant propitium an infenſum; gratane habeat ſua obſequia, an repudiet: qui denique incerti fluctuant inter ſpem & metum: ſollicite interdum ſatagent in colendo Deo, ſed illi nunquam ſincere neque ex animo ſe ſubjicient. facit enim trepidatio & anxietas ut eum horreant: ita, ſi fieri poſſet, extinctum potius cuperent ejus numen. Scimus autem nullum Deo ſacrificium niſi ſpontaneum placere, & quod hilari animo offertur. Quare ut vere Deum colant homines, eorum conſcientias prius ſedari neceſſe eſt: quemadmodum & David loquitur, Apud te eſt propitiatio, ut timearis. Deus enim homines data pace comiter ad ſe invi- *Pſal 130. verſ. 4.*

tans, facit ut libenter accedant & cum liberali ejus colendi affectu. Hinc & Paulus ſententiam illam deducit, peccatum eſſe quicquid ſine fide ſuſcipitur, Rom. 14. verſ. 23. Quum autem Deus homines ſibi in Chriſto reconciliet: quum ejuſdem præſidio ipſos tueatur, ut ſecuri ſint ab omni metu: quum eorum ſalutem in ejus manum & cuſtodiam depoſuerit: merito Zacharias nos ejus gratia prædicat à metu liberari. Ideo Prophetæ hoc proprium adſcribunt ejus regno, ut pacem homines ſecure colant, & tranquillo gaudio fruantur.

75. *In ſanctitate & juſtitia.*] Sicuti duabus tabulis complexus eſt Deus bene vivendi regulam, ita hic Zacharias pronunciat legitime tunc demum nos ſervire Deo quum ad ſanctitatem & juſtitiam compoſita eſt vita noſtra: neque enim dubium eſt quin ſanctitas pietatis officia deſignet quæ ſpectant ad priorem Legis tabulam. quod ne Platonem quidem latuit. Juſtitia autem ad omnia charitatis officia extenditur: quia non aliud exigit Deus à nobis in ſecunda Legis tabula niſi ut cuique reddamus quod ſuum eſt. Additur, *Coram ipſo*: ut ſciant fideles non ſatis eſſe ſi coram hominum oculis vitam ſuam pulchre moderentur, manus, pedes totumque corpus ab omni flagitio contineant: quoniam eos ad Dei arbitrium vivere oportet, qui externa ſanctimonia contentus non eſt, ſed cor præcipue intuetur. Poſtremo nequis ſe defunctum putet ubi aliquo temporis ſpatio Deum coluerit, pronunciat Zacharias hac lege redemptos eſſe homines ut colendi Dei ſtudium tota vita proſequantur. Et certe quum æterna ſit redemptio, ejus memoriam nunquam effluere decet: quum ſibi in perpetuum homines Deus adoptet, non debet caduca vel exigui temporis eorum eſſe gratitudo: denique quum mortuus ſit & reſurrexerit pro illis Chriſtus, eum vitæ & mortis dominum eſſe convenit. Ideo Paulus quem nuper citavi loco, ſanctam & juſtam vitam proſequi nos jubet uſque in adventum magni Dei, Expectantes, inquit, beatam ſpem, &c.

MATTH.	MARC.	LUC. I.
		76. Et tu puer, Propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini ad parandas vias ejus: 77. Ad dandam ſcientiam ſalutis populo ejus in remiſſione peccatorum ſuorum. 78. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, quibus viſitavit nos Oriens ex alto, 79. Ut illuceſceret iis qui in tenebris & umbra mortis ſedebant, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. 80. Puer autem creſcebat, & corroborabatur Spiritu, & erat in deſertis uſque ad diem oſtenſionis ejus apud Iſraëlitas.

76. *Et tu puer.*] Iterum redit Zacharias ad commendationem gratiæ Chriſti: ſed hoc facit quaſi ſub filii ſui perſona, officium docendi, cui deſtinatus erat, breviter definiens. Tametſi autem in parvulo octo dierum infante nondum cernit Propheticas dotes, oculos tamen convertens ad Dei conſilium, quaſi de re nota loquitur. Vocari Dei Prophetam, hic pro cenſeri & palam cognoſci accipitur. Jam præceſſerat occulta Dei vocatio: reſtabat tantum ut pateſieret hominibus qualis eſſet. Quia vero generale eſt Prophetæ nomen, ex revelatione ſibi per Angelum allata illum Chriſto apparitorem ſtatuit. Præibis ante faciem Domini, inquit: hoc eſt, hanc provinciam obibis ut tuo præconio convertas homines ad audiendum Dominum. Cur autem ſe Prophetam Dei prope confecto ſuo curſu Joannes eſſe negaverit, dictum eſt ſuo loco in Joannem. Qualis autem ſit iſta viæ præparatio, poſtea videbimus.

77. *Ad dandam ſcientiam ſalutis.*] Præcipuum Euangelii caput nunc attingit Zacharias, dum ſcientiam ſalutis in remiſſione peccatorum poſitam eſſe docet. Nam quum naſcamur omnes filii iræ, ſequitur natura damnatos eſſe, ac perditos. hæc porro damnationis cauſa, quod injuſtitiæ rei ſumus. Quare non aliud effugiendæ mortis remedium eſt niſi ut nos ſibi Deus reconciliet, peccata nobis non imputando. atque hanc unicam nobis coram Deo juſtitiam reſtare, ex Zachariæ verbis colligere promptum eſt. Unde enim ſalus niſi ex juſtitia? Quod ſi filiis Dei aliam cognoſcere ſalutem quam ex remiſſione peccatorum fas non eſt: ſequitur non alibi quærendam eſſe juſtitiam. Ita juſtitia quam ſuperbi homines ex operum meritis conflant ac fabricant, nihil aliud eſt quam juſtitiæ imputatio, dum nos gratis à reatu Deus abſolvit. Adhæc notandum eſt, Zachariam non de extraneis, ſed de populo Dei habere ſermonem. Unde ſequitur, non modo juſtitiæ principium ex peccatorum remiſſione pendere: ſed imputative (ut ita loquar) juſtos coram Deo in finem uſque eſſe fideles: quia aliter coram ejus tribunali conſiſtere nequeant, niſi quotidie ad gratuitam reconciliationem ſe conferant.

78. *Per viſcera.*] In hoc tanto beneficio miſericordiam Dei, ut par eſt, Zacharias prædicat: nec contentus eam ſimpliciter nominare ſalutem quæ à Chriſto allata eſt, prodiiſſe dicit ex ipſis miſericordiæ Dei viſceribus: quod eſt magis emphaticum. Poſtea metaphorice ſubjicit, factum eſſe ingenti Dei miſericordia ut dies ſedentibus in tenebris illuceſceret. Oriens hic non eſt participium: nam Græce eſt ἀνατολή, hoc eſt, regio orientalis, cui Occaſus opponitur. In hoc extollit Zacharias Dei miſericordiam, quod diſcuſſis mortis tenebris, lux vitæ fuerit reſtituta populo Dei. In hunc modum, quoties de ſalute noſtra agitur, mentes ad Dei miſericordiam erigere convenit. Videtur autem alluſio eſſe ad cap. 4. v. 2. Malachiæ, ubi Chriſtus Sol juſtitiæ vocatur, ſanitatem in alis, hoc eſt, radiis ſuis portans. Quantum ad lucem & tenebras, ſimiles ſunt loquutiones apud Jeſaiam cap. 9. verſ. 1. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: incolis umbræ mortis lux orta eſt. & pluribus aliis locis. Cæterum his verbis docemur, nihil eſſe vivificæ lucis in mundo extra Chriſtum: ſed omnia horribili mortis caligine occupari. ideo alibi Jeſaias beneficium hoc ſoli Eccleſiæ proprium eſſe teſtatur: Ecce, inquit, tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur. cap. 60. verſ. 1. Quæritur tamen quomodo ſederint in umbra mortis Iſraëlitæ, quorum cordibus ſemper Dominus per fidem illuxit. Reſpondeo, pios, qui ſub Lege vixerunt, quum undique cincti eſſent mortis tenebris, lucem in Chriſti adventu procul intuitos, qua fuerunt recreati, ne præſenti morte obruerentur. Fieri etiam poteſt ut Zacharias ad miſerum temporis ſui ſtatum reſpexerit. Sed hoc generaliter verum eſt, Chriſti adventu lucem piis omnibus, qui prius fuerant, & deinde futuri erant, eſſe exortam, quæ eos vivificet: quia vitam in mortuos quoque diffudit. Sedere, tantundem valet ac jacere. Ideo Jeſaias Eccleſiam ſurgere jubet, ubi affulget dies. *Jeſa. 60. verſ. 1.*

79. *Ad dirigendos pedes.*] Hac particula docet Zacharias, perfectionem omnis boni, & felicitatis ſummam in ſolo Chriſto eſſe. Poſſet quidem in pro-

 prio

prio ſenſu accipi nomen Pacis, nec male conveniret: quia illuminatio Chriſti ad pacandas hominum mentes valet. Sed quia Hebræis Pax beatum omnium rerum ſucceſſum ſignificat, non dubito quin Zacharias Chriſtum hic facere velit perfectæ beatitudinis auctorem, ne quam boni partem alibi quæramus; ſed omni ex parte ac ſolide beatos eſſe nos in Chriſto, perſuaſi, in eo ſolo acquieſcamus. Quo ſpectant illa
Jeſa. 60. verſ. 19. Jeſaiæ verba, Non lucebit tibi amplius ſol interdiu, neque luna per noctem: ſed erit tibi Dominus in lucem perpetuam. Quod ſi Zacharias ſolo filii ſui adhuc infantis conſpectu inductus fuit ut de Chriſti gratia & virtute, priuſquam naſceretur, tam magnifice diſſereret: annon ter & quater ingrati ſunt qui de Chriſto, poſtquam mortuus eſt, reſurrexit, & aſcendit in cælum, ut ad dexteram Patris ſedeat, minus honorifice ſentiunt, ac ejus virtutem extenuant, cujus elogio ornatus fuit à Spiritu, adhuc utero matris incluſus? Tenendum enim memoria eſt quod prius attigi, non à ſeipſo loquutum eſſe Zachariam: ſed Spiritu Dei linguam ejus gubernante.

80. *Puer autem creſcebat.*] Hoc ad texendum hiſtoriæ filum addidit Lucas. Primo narrat roboratum fuiſſe Joannem Spiritu: quo ſignificat raram & inſolitam extitiſſe in puero indolem, quæ ſignum eſſet habitantis in eo cæleſtis Spiritus: ſimul tamen dicit latuiſſe quaſi ignobilem in deſertis, uſque ad diem oſtenſionis ſuæ, hoc eſt, quo Dominus eum producere ſtatuerat. Unde colligimus, Joannem, etſi vocationis ſuæ probe conſcius erat, nihil tamen ante tempus aggreſſum eſſe, ſed obſequutum eſſe Deo vocanti.

MATTH. I.

1. Liber generationis Jeſu Chriſti filii David, filii Abraham.

2. Abraham autem genuit Iſaac. Iſaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam & fratres ejus.

3. Judas autem genuit Phares & Zaram è Thamar. Phares autem genuit Eſron. Eſron autem genuit Aram.

4. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naaſſon. Naaſſon autem genuit Salmon.

5. Salmon autem genuit Booz è Rachab. Booz autem genuit Obed è Ruth. Obed autem genuit Jeſſe.

6. Jeſſe autem genuit David regem. David autem rex genuit Solomonem ex ea quæ fuerat *uxor* Uriæ.

7. Solomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abia. Abia autem genuit Aſa.

8. Aſa autem genuit Joſaphat. Joſaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit Oſiam.

9. Oſias autem genuit Joatham. Joatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam.

10. Ezechias autem genuit Manaſſem. Manaſſes autem genuit Amon. Amon autem genuit Joſiam.

11. Joſias autem genuit Jechoniam & fratres ejus in exilio Babylonico.

12. Poſt exilium vero Babylonicum Jechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel.

13. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor.

14. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud.

15. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Jacob.

16. Jacob autem genuit Joſeph maritum Mariæ, ex qua genitus eſt JESUS, qui dicitur Chriſtus.

17. Omnes ergo generationes ab Abraham uſque ad David, generationes quatuordecim: & à David uſque ad transmigrationem Babylonicam, generationes quatuordecim: & à transmigratione Babylonica uſque ad Chriſtum, generationes quatuordecim.

MARC.

LUC. III.

23. Jeſus putabatur filius Joſeph, qui fuit *filius* Heli,

24. Qui fuit Matthat, qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joſeph,

25. Qui fuit Mattathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Naum, qui fuit Eſli, qui fuit Nagge,

26. Qui fuit Maath, qui fuit Matthatiæ, qui fuit Semei, qui fuit Joſeph, qui fuit Juda,

27. Qui fuit Joanna, qui fuit Rheſa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri,

28. Qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Coſam, qui fuit Elmadam, qui fuit Er,

29. Qui fuit Joſe, qui fuit Eliezer, qui fuit Jorim, qui fuit Matthat, qui fuit Levi,

30. Qui fuit Simeon, qui fuit Juda, qui fuit Joſeph, qui fuit Jonam, qui fuit Eliacim,

31. Qui fuit Melea, qui fuit Mainan, qui fuit Mattatha, qui fuit Nathan, qui fuit David,

32. Qui fuit Jeſſe, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naaſſon,

33. Qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Eſrom, qui fuit Phares, qui fuit Judæ,

34. Qui fuit Jacob, qui fuit Iſaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor,

35. Qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale,

36. Qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noë, qui fuit Lamech,

37. Qui fuit Mathuſala, qui fuit Henoch, qui fuit Jared, qui fuit Mahalaleel, qui fuit Cainan,

38. Qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

Quoniam de his duabus genealogiis quæ à Matthæo & Luca deſcriptæ ſunt, non convenit inter omnes: primo videndum eſt, deducantne ambo Chriſti genealogiam à Joſeph, an vero Matthæus tantum, Lucas vero à Maria. Qui hoc poſterius ſentiunt, ſpecioſum habent diſcriminis prætextum in diverſis nominibus. & certe prima ſpecie nihil minus videtur quam genealogia una eademque narrari, quum tantopere Lucas à Matthæo differat: nam à Davide uſque ad Salathiel, & rurſus à Zorobabel uſque ad Joſeph, alios prorſus nominat. Deiode obtendunt, abſurdum fuiſſe in re non neceſſaria tantum ponere laboris, ut genus Joſeph, qui tamen pater Chriſti non erat, bis recitaretur. Quorſum, inquiunt, iſta repetitio unde nihil probatur quod valde ad fidei ædificationem pertineat? Nam ſi hoc tantum cognoſcitur, Joſeph unum eſſe ex poſteris & familia Davidis, Chriſti genus interea manebit dubium. Ergo eorum judicio ſupervacuum fuiſſet, duos Euangeliſtas in hanc rem incumbere. Quod autem Matthæus progeniem Joſeph recenſuerit, ita excuſant, factum ſcilicet fuiſſe multorum cauſa, qui eum Chriſti eſſe patrem adhuc opinabantur. Atqui ridiculum fuiſſet iſta indulgentia fovere pernicioſum errorem: & contextus palam repugnat. Nam ſimulac ventum eſt ad genealogiæ finem, docet Matthæus non ex ſemine Joſeph, ſed arcana Spiritus virtute Chriſtum in utero Virginis fuiſſe conceptum. Quare ſi ſtaret eorum ratio, ſtultitiæ vel incogitantiæ poſſet argui Matthæus: ut qui fruſtra recitet unde originem duxerit Joſeph. Atqui nondum ſoluta eſt eorum objectio, quod progenies Joſeph nihil ad Chriſtum pertineat. Trita & vulgo nota reſponſio eſt, in perſona Joſeph comprehendi etiam Mariæ genus: quia Lex jubebat unumquemque ex ſua tribu uxorem ducere. Excipiunt illi contra, legem hanc omnibus fere ſeculis neglectam fuiſſe. ſed argumenta quibus nituntur, frivola ſunt. Citant exemplum illud, quod undecim Tribus jurejurando promiſerint ſe Benjamitis nullam daturos uxorem. Si hoc Lege præſcriptum eſſet, inquiunt, nihil opus erat nova ſanctione. Ego autem reſpondeo, perperam & inſcite hoc extraordinarium ab illis in communem regulam trahi. neceſſe enim erat, exciſa una tribu, mutilum fieri populi corpus, niſi hoc remedio ſubventum ultimæ neceſſitati foret. Non eſt igitur lex communis hic ſpectanda. Objiciunt præterea, Mariam Chriſti matrem cognatam fuiſſe Eliſabeth, quum prius teſtatus eſt Lucas fuiſſe ex filiabus Aaron. Hic quoque facilis eſt reſponſio, puellis ex tribu Juda vel alia qualibet licitum fuiſſe abnubere in tribum Sacerdotalem: quia non impediebat illa ratio quæ in Lege exprimitur, ne ſcilicet mulier hæreditatem ſuam alio quam ad tribules ſuos
1 Par. 12. transferret. Sic uxorem Jojadæ ſummi Sacerdotis
verſ. 21. Sacra hiſtoria ex regio genere ortam fuiſſe enarrat. Nihil ergo mirum vel inſolitum, ſi mater Eliſabeth elocata fuit Sacerdoti. Si quis hæc ad plenam certitudinem valere neget, ut ſtatuere liceat Mariam fuiſſe tribulem Joſeph, quia fuit ejus uxor: equidem concedo non ſimpliciter id probari ex nuda, qualis hic legitur, narratione, niſi aliæ circumſtantiæ accederent. Sed primo notandum eſt, Euangeliſtas de rebus ſua ætate notis loqui. Ita quum genus Joſeph uſque ad Davidem contextum eſſet, promptum cuivis fuit Mariæ genus inde elicere. Nec dubium eſt quin Euangeliſtæ vulgari ſeculi ſui notitia freti, ideo minus curioſi fuerint. Nam ſi quis dubitaret, non difficilis nec longa erat inquiſitio. Adhæc pro confeſſo ſumpſerunt, Joſeph, quum vir probus eſſet ac modeſtus, uxorem ex Legis præſcripto non niſi è familia ſua duxiſſe. Quanquam ne illa quidem lex communis ad regium Mariæ genus probandum ſufficeret. potuit enim Maria ex tribu Juda progenita eſſe, ut tamen non deſcenderet ex ſtirpe Davidis. Itaque ſic conſtituo, Euangeliſtas piorum rationem habuiſſe, qui non contentioſe litigarent, ſed in perſona Joſeph agnoſcerent Mariæ genus: præſertim quum, ut nuper diximus, eo ſeculo minime dubia eſſet. Poterat autem videri incredibile, pauperculos iſtos & deſpectos conjuges, eſſe ex poſteris Davidis, & regium illud ſemen ex quo oriturus erat Redemptor. Nunc ſi quis roget an genealogia, qualis à Matthæo & Luca deſcribitur, clare & ſine controverſia demonſtret Mariam ex ſtirpe Davidis originem duxiſſe: fateor id non poſſe certo colligi. ſed quum tunc non obſcura eſſet Mariæ & Joſeph cognatio, Euangeliſtæ hac in parte magis ſecuri fuerunt. Interea propoſitum ambobus fuit, offendiculum tollere, quod ignobilitas, & contemptus, & inopia tam Joſeph quam Mariæ pariebat, quo minus in illis quicquam regium poſſet agnoſci. Porro quod Mariæ genus à Luca referri fingunt præterito Joſeph, id nullo negotio refellitur. Sic enim ad verbum ſcribit, Cenſebatur Jeſus filius Joſeph, filii Heli, filii Mathat, &c. Certe nec patrem nec avum Chriſti commemorat: ſed diſerte exponit progeniem ipſius Joſeph. Nec me latet, quo reſponſo nodum hunc ſolvere conentur. filium enim loco generi poſitum eſſe dicunt: atque ita Joſeph, filium Heli vocari interpretantur, qui ejus filiam haberet uxorem. Atqui nec cum naturæ ordine hoc conſentaneum eſt, nec tale exemplum in Scriptura uſquam legitur. Jam ſi à Mariæ genealogia excluditur Solomo, Chriſtus eſſe Chriſtus deſinet. Quicquid enim de ejus genere diſſeritur, in ſolenni illa promiſſione fundatum eſt,
Sedehit ſuper thronum tuum ſucceſſor qui perpetuo *2 Sam. 7.*
regnabit, Ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in *verſ. 12.*
filium. Atqui extra controverſiam eſt, hujus æterni *Pſal. 132.*
Regis, qui promiſſus erat Davidi, Solomonem fuiſſe *verſ. 11.*
typum. Nec Chriſto aliter aptari poteſt promiſſio, niſi quatenus ejus veritas in Solomone adumbrata fuit. Nunc, ſi ad ipſum non refertur Chriſti origo,
unde vel qua ratione cenſebitur ille filius Davidis? *1 Par 28.*
Ergo quiſquis Solomonem expungit à Chriſti ge- *verſ. 5.*
nealogia, ſimul promiſſiones, in quibus agnoſci debet Filius Davidis, obliterat ac delet. Quomodo autem Lucas, ſeriem generis à Nathan deducens, Solomonem non rejiciat, poſtea ſuo loco videbitur. Ac (ne ſim nimium prolixus) duas iſtas genealogias, quantum ad ſummam ſpectat, convenire inter ſe dico: quatuor tamen diſcrimina in illis notanda eſſe. Primum eſt, quod Lucas ordine retrogrado, ut loquuntur, ab ultimo ad primum aſcendit: quum Matthæus ab ipſa origine incipiat. Alterum eſt, quod Matthæus narrationem ſuam ultra ſanctum & electum Abrahæ genus non extendit: Lucas vero ad Adam uſque progreditur. Tertium quod legale genus Matthæus tractat, & ſibi etiam quoſdam reſcindere permittit ex recitationis ſerie: quod lectorum memoriæ conſulere volens, tres ſolum teſſaradecadas enumerat: Lucas vero naturale genus magis exacte proſequitur. Quartum & poſtremum, quod interdum de iiſdem loquentes hominibus, in eorum tantum nominibus variant. De primo diſcrimine, quando nihil difficultatis habet, plus verborum facere ſupervacuum eſt. Secundum optima ratione non caret. nam quia Deus ſibi genus Abrahæ delegerat unde naſceretur mundi Redemptor, & ſalutis promiſſio illic quodammodo incluſa erat uſque ad Chriſti adventum, non egreditur Matthæus ultra conſtitutos à Deo fines. Tenendum eſt quod dicit Paulus, Chriſtum eſſe miniſtrum circumciſionis, ad præſtandam ſalutem quæ promiſſa fuerat ſanctis Patribus, ad Rom. cap. 15. verſ. 8. Cui concinit illud Chriſti dictum, Salutem ex Judæis eſſe, Joannis 4. verſ. 22. Eum itaque Matthæus in ſacro illo genere conſpiciendum proponit cui proprie deſtinatus erat. Ideo in Matthæi catalogo conſiderandum eſt nobis Dei fœdus, quo ſemen Abrahæ ſibi in populum

coopta-

cooptavit, ut à reliquis gentibus, quaſi interpoſita
macetia, diſtinctum eſſet. Lucas autem altius reſpe-
xit. quamvis enim, ex quo fœdus ſuum Deus cum
Abraham pepigerat, peculiatiter ejus ſemini pro-
miſſus fuerit Redemptor: ſcimus tamen ſtatim à pri-
mi hominis defectione fuiſſe omnibus neceſſarium:
ſicuti etiam tunc deſtinatus fuit toti mundo. Cæte-
rum admirabili Dei conſilio factum eſt, ut Chriſtum
Lucas nobis Adæ filium proponeret: eundem vero
Matthæus includeret in una Abrahæ familia. Nihil
enim nobis prodeſſet, Chriſtum eſſe datum à Patre
ſalutis auctorem, niſi promiſcue eſſet omnibus
Hebr. 13. communis. Deinde non eſſet verum illud Apoſtoli,
verſ. 8. ipſum fuiſſe heri, & hodie eſſe, & uſque in ſecula fu-
turum: niſi ad omnes ætates ab ipſa mundi creatione
diffuſa eſſet ejus virtus & gratia. Sciamus ergo pate-
factam & exhibitam toti humano generi in Chriſto
ſalutem eſſe: quia filius Noë & filius Adæ non abs re
vocatur. Quia tamen in Dei verbo quærendus eſt,
non temere per alium Euangeliſtam Spiritus ad ſan-
ctum Abrahæ genus nos revocat, ubi theſaurus vitæ
æternæ una cum Chriſto ad tempus depoſitus fuit.
Veniamus ad tertium diſcrimen. Minime dubium
eſt quin alium teneat ordinem Matthæus quam Lu-
cas. Alter enim Davidi Solomonem, alter Nathan
ſubnectit. unde clare apparet diverſas lineas conſti-
tui. Hanc diſſidii ſpeciem ita conciliant boni & periti
interpretes, quod Matthæus à naturali progenie
diſcedens, quam ſequitur Lucas, legalem genealo-
giam recenſeat. Legalem vero genealogiam inter-
pretor, quia factum eſt ut jus regni ad Salathiel trans-
iret. Quod autem Euſebius, libro primo hiſtoriæ
Eccleſiaſticæ, ſententia Aphricani, genealogiam quæ
à Luca deſcribitur, legalem potius nominat, in eun-
dem ſenſum redit: neque enim aliud ſibi vult, quam
legitima ratione, quod in perſona Solomonis ſtabili-
tum fuerat regnum, tandem ad Salathiel delapſum
eſſe. Sed rectius, magiſque dextre loquuntur qui
legalem ordinem à Matthæo proditum eſſe dicunt:
quia Solomonem continuo poſt Davidem nomi-
nans, non obſervat à quibus ſecundum carnem
continua ſerie genitus ſit Chriſtus: ſed quomodo
ex Solomone & aliis Regibus deſcenderit, ut legi-
timus eſſet ſucceſſor, in cujus manu regni perpe-
tuitas ſtabilienda erat ex Dei pacto. Probabilis au-
2 Reg. 9. tem eorum opinio eſt, qui morte Ochoziæ fini-
verſ. 27. tam fuiſſe Solomonis ſtirpem exiſtimant. Quod ex
& 11: 1. Judæorum commentariis referunt nonnulli, man-
datum fuiſſe à Davide ut ſi quando deficeret ex So-
lomone ſoboles, regia poteſtas deveniret ad poſteros
Nathan: in medio relinquo. tantum ſumo quod cer-
tum eſt, regni ſucceſſionem non fuiſſe confuſam:
2 Par. 22. ſed diſtinctos fuiſſe gradus. Jam, quum narrat Sacra
verſ. 9. hiſtoria, poſt cædem Ochoziæ, regnum à matre ejus
Athalia fuiſſe occupatum, & ſublatum è medio to-
tum regium genus: pluſquam probabile eſt, à mu-
liere dominationis cupida impias illas & nefarias cæ-
des fuiſſe patratas, ne in ordinem privatum coacta,
regnum alio translatum videret. Ergo ſi Ochoziæ ſu-
perſtes fuiſſet filius, libenter avia ſub tutelæ colore
tranquille ſine invidia & periculo regnaſſet. Quod
ergo extremis ſceleribus infamem ſe & exoſam red-
dit, deſperationis ſignum eſt: quia domi regnum te-
nere non poterat. Cæterum quod Joas Ochoziæ dici-
tur filius, ratio eſt, quia gradu proximus erat, ut meri-
to cenſeri deberet verus & nativus regni hæres. Præ-
terquam enim quod Athalia (ſi aviam fuiſſe demus)
libenter abuſa titulo infantis fuiſſet, quis mediocri
judicio præditus veriſimile putabit naturalem Regis
filium potuiſſe à Sacerdote Jojada abſcondi, ut non
magis ſollicite eum avia quæreret? Quin potius, ſi
quis prudenter omnia expendat, colligere prom-
ptum eſt ex alia linea fuiſſe proximum regni hære-
2 Par. 23. dem. Atque id ſibi volunt verba Jojadæ, Regnabit
verſ. 3. filius Regis ſecundum pactum Domini cum Davide.

acſi diceret, indignum eſſe nefas ſi mulier alienigena
ſceptrum ad ſe raperet quod Deus ſtare voluerat in
familia Davidis. Quare nihil abſurdi eſt ſi Chriſti
genus deducat Lucas à Nathan: quia fieri poteſt ut
Solomonis genus, quantum ad regni ſucceſſionem
ſpectat, interciderit. Nunc ſi quis objiciat, Jeſum
non poſſe agnoſci Meſſiam, qui promiſſus erat, niſi
ſit ex Solomonis poſteris, quem certum eſt fuiſſe ty-
pum CHRISTI: in promptu eſt ſolutio: quamvis
naturaliter ex Solomone non fuerit genitus, legali
tamen ordine cenſeri ejus filium, quia ex Regibus
originem duxit. Sed tanta in nominibus diverſitas
multos valde perturbat. nam à Davide uſque ad Jo-
ſeph nullus inter duos Euangeliſtas, niſi in Salathiel
& Zorobabel, conſenſus apparet. Excuſatio quæ
afferri ſolet, inde ortum eſſe diſcrimen quia Judæi
ut plurimum binomines erant, ægre à multis admit-
titur. Atqui quum hodie nobis incognita ſit ducen-
dæ texendæque genealogiæ ratio quam ſequutus eſt
Matthæus, nihil mirum eſt ſi non aſſequimur quo-
modo in ſingulis nominibus ambo vel conveniant
vel differant. nec tamen dubitari poteſt quin à tem-
pore Babylonici exilii quoſdam diverſis nominibus
eoſdem homines recenſeant. In Salathiel vero & Zo-
robabel eadem conſulto retenta fuiſſe nomina arbi-
tror propter mutatum populi ſtatum: quia tunc regia
majeſtas extincta fuit. Tenuis vero dominationis
umbra quum reſidua eſſet, apparuit inſignis muta-
tio, quæ fideles admoneret, ſperandum eſſe aliud
præſtantius regnum quam viſibile illud Solomonis,
quod brevi tempore floruerat. Jam hoc quoque no-
tare operæpretium eſt, nihil eſſe abſurdi quod plu-
res in ſuo catalogo numerat Lucas quam Matthæus:
quando uſitatum eſt plures numero eſſe in naturali
generatione, quam legali. Huc etiam accedit quod
Matthæus, quum in tres claſſes diſtribuere vellet
Chriſti genealogiam, & ſingulis claſſibus attribuere
quatuordecim capita, liberum ſibi fecit quorundam
nomina præterire, quæ Lucas omittere non debuit,
quum ſe ad legem illam non aſtringeret. Hactenus
de Chriſti genealogia differui, quatenus ad ſummam
utile eſſe viſum eſt. Si quem titillat major curioſitas,
ego Paulinæ admonitionis memor, ſobrietatem &
modeſtiam frivolis & nihili argutiis præfero. Notus
eſt locus ad Tit. cap. 3. verſ. 9. ubi nos vetat de ge-
nealogiis nimis anxie diſputare. Nunc poſtremo
tractandum reſtat cur tribus ordinibus complexus ſit
Matthæus totam Chriſti genealogiam, & ſingulis
denos quaternos homines attribuerit. Quibus videtur
hoc feciſſe ut lectorum memoriæ conſuleret, neque
totum dicunt, neque nihil. Eſt quidem iſtud verum,
facilius memoriæ hærere catalogum in tribus pari-
bus numeris propoſitum: ſimul tamen conſtat tripli-
cem populi ſtatum hic diſerte notari, ex quo promiſ-
ſus fuerat Chriſtus Abrahæ, uſque ad tempus pleni-
tudinis quo patefactus in carne fuit. Quamvis enim
uſque ad Davidem Tribus Juda honore reliquas ex-
celleret, nullum tamen Principatum tenuit. In Da-
vide præter ſpem omnium emerſit regia majeſtas,
quæ ſtetit uſque ad Jechoniam. Ab eo tempore ſu-
perfuit in tribu Juda aliqua dignitas & gubernatio,
quæ uſque ad Meſſiæ adventum erectas teneret pio-
rum mentes.

1. *Liber generationis.*] Fruſtra in hoc titulo labo-
rant quidam interpretes, ut excuſent quod totam
hiſtoriam Matthæus à dimidia parte unius capitis
denominet. Neque enim hæc γένεσις ad totum li-
brum extenditur: ſed libri nomen poſitum eſt pro
catalogo: acſi dictum eſſet, Sequitur catalogus ge-
nerationis Chriſti. Porro Chriſtum vocat filium
Abrahæ & Davidis, promiſſionum reſpectu: quia Gen. 12.
Deus ſemen ex Abraham oriturum promiſerat, in verſ. 3.
quo ſe benedicerent omnes gentes. Davidi autem Pſal. 72.
clarior data fuerat promiſſio, fore ut regnum domi v. 5. 7.
ejus ſtabile maneret uſque ad finem ſeculi: & Rex Pſal. 89.
verſ. 29.

ex ejus progenie ſederet in ſolio donec Sol & Luna
in cælo fulgerent. Quare vulgaris loquendi uſus
inter Judæos obtinuerat ut Chriſtum dicerent filium
Davidis.

2. *Jacob genuit Judam & fratres.*] Quum Mat-
thæus Iſmael Abrahæ primogenitum ſilentio tegat,
& Eſau (qui naturæ ordine ſuperior erat fratre ſuo
Jacob): non temere duodecim Patriarchis locum in
genealogia aſſignat, quum omnes Deus ſimili ado-
ptionis gratia dignatus eſſet. Significat ergo, bene-
dictionem in Chriſto promiſſam non ad ſolam tri-
bum Juda ſpectare, ſed communem eſſe omnibus
filiis Jacob, quos Deus in Eccleſiam ſuam collegit:
quum Iſmaël & Eſau facti eſſent extranei.

3. *Judas genuit Phares & Zaram è Thamar.*] Hoc
Phil. 2. præludium fuit exinanitionis de qua loquitur Pau-
verſ. 7. lus. Poterat Filius Dei genus ſuum immune purum-
que ſervare ab omni flagitio & infami nota: ſed in
mundum veniens ut ſeipſum exinaniret, & accepta
Pſal. 22. ſervi forma fieret vermis, & non homo, oppro-
verſ. 7. brium hominum, & deſpectus plebis, tandemque
maledictam crucis mortem ſubiret: hoc etiam pro-
brum in ſuo genere non recuſavit, ut ex inceſto con-
cubitu naſceretur qui inter ejus majores futurus erat.
Nam etſi non libidine impulſa fuit Thamar ut ſoceri
coitum expeteret, illicito tamen modo ulciſci tenta-
vit ſuam injuriam. Judas autem quum ſcortari vel-
let, in nurum ſuam incidit. Atqui cum utriuſque
peccato certavit incomparabilis Dei bonitas, ut
adulterinum hoc ſemen ſceptro nihilominus poti-
retur.

6. *Genuit David Regem.*] Ornatur ſolus David
hoc elogio, quia in ejus perſona Meſſiæ futuri Ducis
typum Deus propoſuit. Prius quidem regnum cœ-
perat à Saule: ſed quia tumultu hoc & improbis po-
puli votis contigerat, cenſetur demum legitima in
Davide mutatio, præſertim quantum ad Dei fœdus,
in quo pollicitus fuerat ſe æternum fore ſuorum gu-
1 Sam. 8. bernatorem. Quum autem populus excuſſo Dei
verſ. 4. jugo infeliciter ac damnatis auſpiciis Regem ſibi
poſtulaſſet, conceſſus eſt Saul ad exiguum tempus.
Sed Deus ſtatim regnum ſuum, quod veræ beatitu-
dinis pignus foret, ſtabilivit in manu davidis. Scia-
mus ergo hic notari ſecundum populi ſtatum qualis
à Domino ordinatus eſt. Interim additur ab Euan-
geliſta humanum decus, quod illam divinæ bene-
dictionis gloriam quodammodo fœdare poſſit: nem-
pe quod Solomonem genuit David ex Berſæbee,
quam marito ſcelerate rapuerat, & cujus fruendæ
cauſa perfide innoxium hominem jugulandum pro-
diderat hoſtium gladiis. Hæc circa regni exordia de-
formitas facere debuit ne Judæi in carne gloriaren-
tur. Teſtatum autem eſſe voluit Deus, ſe in ſta-
tuendo illo regno nihil rependere hominum meritis.
Cæterum in ſucceſſione quam deſcribit Matthæus,
tres Reges fuiſſe omiſſos conſtat ex Sacra hiſtoria.
Hoc qui oblivione factum eſſe dicunt, minime ſunt
audiendi: nec probabilis eſt eorum ratio, qui indi-
gnos fuiſſe dicunt quibus in Chriſti genealogia da-
retur locus. Id enim competeret etiam in complures
alios, quos tamen Matthæus piis & ſanctis indiffe-
renter admiſcet. Verius ergo eſt, quum Regum qua-
tuordecim catalogum vellet conficere, non fuiſſe
valde curioſum in delectu habendo: quia ſatis habe-
bat genealogiæ contextum lectoribus ponere ante
oculos uſque ad regni finem. Quod autem tredecim
ſolum leguntur, librariorum vitio & incuria eſſe fa-
ctum, veriſimile eſt. Epiphanius libro primo contra
hæreſes, cauſam adducit, quod quum bis poſitum
eſſet Jechoniæ nomen, ſecundo loco quaſi superva-
cuum indocti eradere auſi ſunt. Id vero non debuiſſe
fieri admonet, quia Joacim filios regis Joachin com- *1 Par. 3.*
mune Jechoniæ nomen cum filio ſuo habuerit. Et *verſ. 17.*
citatur à Roberto Stephano Græcus codex, ubi in- *2 Par. 16.*
terponitur nomen Joacim. *verſ. 1.*
Jer. 27.
12. *Poſt exilium Babylonicum.*] Hoc eſt, poſtquam *verſ. 20.*
Judæi in captivitatem abducti ſunt. Significat enim *& 28: 4.*
Euangeliſta, Davidis poſteros tunc ex Regibus ſer-
vos factos eſſe & exules. Porro quum illa captivitas
quædam eſſet interitus ſpecies, mirabili Dei provi-
dentia factum eſt non modo ut rurſum Judæi in
unum corpus coaleſcerent, ſed etiam ut aliquæ prin-
cipatus reliquiæ manerent in familia Davidis. Nam
qui domum reverſi ſunt, ultro paruerunt imperio
Zorobabel. Durarunt ergo hunc in modum regii
ſceptri fragmenta uſque dum Chriſti adventus in-
ſtarat, ſecundum vaticinium Jacob, Non exibit ſce- *Gen. 49.*
ptrum è Juda, nec Dux è femore ejus, donec veniat *verſ. 10.*
Silo. Atque in illa quantumvis miſera triſtique po-
puli diſſipatione nunquam tamen fulgere deſtite-
runt ſcintillæ quædam gratiæ Dei. Græcum nomen
(pro quo vetus interpres transmigrationem, Era-
ſmus exilium reddit) proprie mutatam habitatio-
nem ſignificat. Intelligit ergo Judæos è patria mi-
grare coactos fuiſſe, ut alibi tanquam inquilini de-
migrarent.

16. *Jeſus qui vocatur Chriſtus.*] In cognomine
Matthæus officium deſignat, ut ſciant lectores non
eſſe hunc privatum hominem, ſed unctum diviniti-
tus ad implendum Redemptoris munus. Qualis au-
tem fuerit & quorſum ſpectarit ejus unctio, pluri-
bus in præſentia non diſſeram. De voce ipſa ſic ha-
bendum eſt, Poſtquam abolitum fuit regnum, cœ-
piſſe ad unum illum referri, à quo ſperanda erat
plena ſalutis perditæ inſtauratio. Quamdiu enim flo-
ruit in familia Davidis aliqua majeſtas, Reges vocari
ſolebant Chriſti. Atqui ne deformis vaſtitas quæ ſe-
quuta eſt, piorum animos in deſperationem conjice-
ret, unico Redemptori hoc nomen aptari Deus vo-
luit: ſicuti ex Daniele apparet. Hiſtoria vero Euan-
gelica paſſim oſtendit vulgatum tunc fuiſſe loquendi
morem, quum exhibitus eſt Filius Dei in carne.

MARC.	LUC.	MATTH. I.
		18. Porro Jeſu Chriſti nativitas ſic habuit: Quum enim mater ejus Maria deſponſa eſſet Joſeph, antequam convenirent deprehenſa eſt gravida è Spiritu ſancto:
		19. Joſeph autem maritus ejus quum eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.
		20. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini per ſomnium apparuit illi, dicens, Joſeph fili David, ne metuas aſſumere Mariam uxorem tuam. nam quod in ea conceptum eſt, ex Spiritu ſancto eſt.
		21. Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus JESUM. is enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.
		22. Porro totum hoc factum eſt ut impleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam, dicentem,
		23. Ecce, virgo prægnans erit, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel. Quod ſi quis interpretetur, valet, Nobiſcum Deus.

24. Excitatus vero Joſeph à ſomno, fecit ſicut ei præceperat Angelus Domini, & aſſumpſit uxorem ſuam:

25. Et non cognovit eam, donec peperit filium ſuum primogenitum: & vocavit nomen ejus JESUM.

18. *Jeſu Chriſti nativitas.*] Nondum exponit Matthæus ubi aut qualiter natus ſit Chriſtus: ſed quomodo cæleſtis ejus generatio ipſi Joſeph comperta fuerit. Dicit primum inventam fuiſſe Mariam gravidam ex Spiritu ſancto. non quod arcanum illud Dei opus vulgo notum foret: ſed cum hominum notitia miſcet Spiritus virtutem, quæ adhuc latebat. Tempus notat, Quum deſponſa eſſet Joſeph, prius tamen quam convenirent. Nam quoad fidem conjugii, ſimulac puella viro promiſſa erat, Judæi inſtar legitimæ uxoris habebant. Itaque lex adulterii damnabat quæ ſponſalibus contractis caſtitatem violavetaot. Verbum quo utitur Euangeliſta, vel concubitum verecunde notat, vel ſimpliciter accipitur pro ſimul habitare, ut domum & familiam unam efficiant maritus & uxor. Ita ſenſus erit, nondum Virginem traditam fuiſſe in manum viri à parentibus, ſed adhuc ſub eorum cuſtodia vixiſſe.

19. *Quum juſtus eſſet.*] Quidam interpretes intelligunt, Joſeph, ideo quod juſtus eſſet, voluiſſe uxori parcere: ita juſtitia illis eſt humanitas, vel moderatio animi ad clementiam propenſior. Sed alii rectius, qui hæc duo membra adverſative legunt, juſtum quidem fuiſſe Joſeph, ſed tamen de fama uxoris fuiſſe ſollicitum. Proinde juſtitia quæ hic laudatur, in odio & deteſtatione ſceleris fuit. Quia ſuſpectam adulterii habebat uxorem, imo adulteram eſſe perſuaſus erat, tale ſcelus nolebat indulgentia ſua fovere. Et certe uxoris ſuæ leno eſt quiſquis ad ejus impudicitiam connivet. nec tantum à tali flagitio abhorrent ingenuæ & honeſtæ mentes: ſed illam quam dixi ſocordiam leges notant infamia. Ergo Joſeph juſtitiæ zelo, quod putabat eſſe in uxore crimen damnavit: interea proclivis ad humanitatem animus obſtabat ne ſummo juris rigore ageret. Media illa erat & magis temperata ratio, ſi clanculum diſcedens, alio migraret. Unde colligimus non ita molli & effœminato fuiſſe animo, ut miſericordiæ prætextu crimen tegendo aleret: tantum aliquid remiſit ex ſummo jure, ne uxorem turpi judicio exponeret. Nec vero dubium nobis eſſe debet quin arcano Spiritus inſtinctu retentus fuerit ejus animus. Scimus quam impotens ſit zelotypia, & quam violenter hominem abripiat. quare etiamſi nimis præcipitem impetum continuiſſet Joſeph, mirabiliter tamen occurſum fuit variis periculis quæ inſtabant, quum ſoli vertendi conſilium cepit. Idem & de ſilentio Mariæ judico. ut demus pudore fuiſſe cohibitam ne marito prodere auderet ſe gravidam eſſe ex Spiritu: Dei tamen providentia magis quam proprio conſilio retenta fuit. nam ſi verbum feciſſet, ut res erat pluſquam incredibilis, putaſſet Joſeph ſe ludibrio haberi. Id vero omnium riſu tanquam fabuloſum exceptum foret. Nec vero tantum fuiſſet momenti divino oraculo, ſi poſtea ſequutum eſſet. Ergo paſſus eſt Dominus ſervum ſuum Joſeph ignorantia trahi in perverſum judicium, ut ſua ipſe voce eum in viam reduceret. Sciendum vero eſt, magis id noſtra omnium quam privata ejus cauſa factum eſſe. cavere enim modis omnibus voluit Deus ne qua ſiniſtra ſuſpicio in oraculum caderet. Quum Angelus aggreditur Joſeph totius adhuc negotii inſcium, non habent improbi quod calumnientur quin ad Deum audiendum integer acceſſerit. Non fuit uxoris blanditiis pellectus, non obteſtationibus excuſſa fuit quam conceperat opinio, non humanis rationibus flexus in contrariam partem: ſed, quum in animo ejus hæreret falſum uxoris crimen, Deus ſe interpoſuit: quo magis idoneus nobis eſſet teſtis ac plus auctoritatis haberet, tanquam ad nos è cælo demiſſus. Videmus ut Deus per Angelum voluerit docere ſervum ſuum Joſeph, quo aliis cæleſtis eſſet præco: non autem acceptum vel ab uxore vel à quoquam mortalium ſermonem narraret. Quod non pluribus ſtatim patefactum fuit myſterium, hæc fuiſſe videtur ratio: quia incomparabilem hunc theſaurum abſconditum latere, ſolis vero Dei filiis patere decebat. Deinde nihil abſurdi ſi Dominus ſuorum fidem & obedientiam, ut plerumque ſolitus eſt, probare voluerit. Certe niſi quis maligne Deo credere, ſeque illi dare in obſequium detrectet, teſtimoniis, quibus hoc fidei noſtræ caput probatum eſt, abunde contentus erit. Eadem etiam cauſa factum eſt ut Mariam nubere Dominus permitteret, ut ſub conjugii velo uſque ad maturum revelationis tempus cæleſtis Virginis conceptio lateret: interea celati ſunt increduli, ut merebatur eorum ingratitudo & malitia.

20. *Hæc eo cogitante.*] Hic perſpicimus ut Dominus tempeſtive & in ipſo (quod aiunt) articulo ſuis adeſſe ſoleat. Unde etiam colligimus, dum ad noſtras curas & anxietates diſſimulat, nos tamen ab ipſo reſpici. ſed ita ſcilicet ſe occultat, & tacitus quieſcit, donec habito patientiæ noſtræ examine, tempore à ſe conſtituto nos juvet. Certe quantumvis lentum ac ſerum putetur ejus auxilium, utile tamen eſt ita differri. Quod per ſomnium apparuit Angelus, hic alter fuit ex duobus ordinariis revelationum modis, quorum fit mentio Numer. cap. 12. verſ. 7. ubi ſic loquitur Deus, Prophetis, qui inter vos erunt, vel per viſionem, vel per ſomnium me aperiam: at non ſic cum ſervo meo Moſe, cui facie ad faciem me oſtendo. Sciendum autem eſt, ejus generis ſomnia multum à naturalibus differre: quia inſculptam habent certitudinis notam, & divinitus obſignantur, ut minime ambigua ſit eorum veritas. Somnia quæ communiter hominibus eveniunt, vel ex cogitationibus diurnis, vel ex naturæ conſtitutione, vel ex corporibus male affectis, vel ſimilibus cauſis oriri ſolent: ad divina autem ſomnia accedit interim Spiritus teſtimonium, quod certo confirmet Deum eſſe qui loquitur. *Fili David, ne metuas.*) Iſta Angeli exhortatio ſignificat anxium animi fuiſſe Joſeph, ne qua ſe contagione pollueret adulterium uxoris tolerando. Quam ergo ſceleris conceperat opinionem tollit, ut tranquilla conſcientia cum uxore habitet. Epitheton *filii Davidis* aptavit ad præſentem cauſam, ut ejus mentem in ſublime illud myſterium attolleret: quia eſſet ex ea familia (& quidem ſuperſtes cum paucis) unde promiſſa erat mundo ſalus. Joſeph itaque audito Davidis nomine, à quo genus ducebat, revocare in memoriam debuit inſigne illud Dei pactum de inſtauratione regni: ut nihil jam novum ſibi dici agnoſceret. Perinde ergo eſt acſi Angelus allatis in medium Prophetarum vaticiniis pararet animum Joſeph ad amplexandam præſentem gratiam.

21. *Vocabis nomen ejus Jeſum.*] De ipſa voce breviter quidem, ſed quantum ſatis erat, ſupra diſſerui. nunc unum addam duntaxat, refutari Angeli verbis eorum delirium qui à Jehova eſſentiali Dei nomine deducunt: cauſam enim exprimit Angelus cur ita vocandus ſit Filius Dei, Quia populum ſuum ſervabit. Unde elicitur contraria etymologia quam illi fingant. Ac fruſtra iſto cavillo elabi conantur, proprie & apte ſubjici Chriſtum fore ſalutis auctorem quia æternus ſit Deus. neque enim hoc agitur ſolum quid nobis Deus præſtet: ſed Filio ejus ex re nomen imponitur ex mandato quod illi injunctum eſt à Patre, ex officio quo præditus ad nos deſcendit. Jam vero pluſquam inſulſum eſt, quum duæ iſtæ voces

Jeſu

Jeſu & Jehova, nonniſi in duabus literis conveniant, in aliis autem differant, quæ nihil habent prorſus inter ſe affinitatis, ſimul miſcere, quaſi unum ſit nomen. Tale conflandi genus alchumiſtis relinquo, quibus non multum abſimiles ſunt cabaliſtæ, qui putidas iſtas inaneſque argutias nobis fabricant. Ergo Filius Dei quum ad nos carne indutus prodiit, ſimul accepit à Patre nomen: ex quo palam fieret quem in finem venerit, quæ ſit ejus virtus, & quid proprie ab eo ſit expectandum. Radix enim nominis Jeſu eſt ab Hebraico verbo hiphil הושיע, quod Servare ſignificat. Hebraice quidem aliter pronunciatur, nempe Jehoſua: ſed Euangeliſtæ, quum Græce ſcriberent, receptum loquendi uſum ſequuti ſunt. Nam Græci interpretes tam apud Moſen, quam in aliis libris tranſtulerunt Ἰησοῦν. Quo iterum coarguitur eorum inſcitia qui nomen Jeſu à Jehova detorquent potius quam derivant. ducunt enim illi pro magno abſurdo, ſi ſacrum hoc nomen commune mortalis quiſpiam homo habeat cum Filio Dei, ac tragice exclamant, nunquam paſſurum fuiſſe Chriſtum ſic nomen ſuum profanari. Quaſi vero non ſit in promptu ἀντίῤῥησιν, illis hominibus nomen Jeſu non minus quam Jehoſua fuiſſe commune. Nunc quia ſatis conſtat Filium Dei ſub voce Jeſu nobis commendari ſalutis auctorem, propius excutiamus Angeli verba. Salvum, inquit, faciet populum ſuum à peccatis. Primo tenendum eſt, perditos in ſeipſis eſſe, quibus ſervandis mittitur Chriſtus. nominatim autem vocatur Eccleſiæ Servator. Si in morte & interitu demerſi ſunt quos ſibi Deus conjunxit, donec vitam illis reſtituat Chriſtus: quid de extraneis dicendum erit, quibus nulla unquam affulſit ſpes vitæ? quare ſtatuendum eſt, totum genus humanum exitio addici dum in Chriſto includitur ſalus. Verum notanda ſimul eſt exitii cauſa: neque enim nos cæleſtis judex temere & abs re maledictos eſſe pronunciat. Teſtatur ergo Angelus nos periiſſe, ac teneri ſub miſera damnatione oppreſſos, quia peccatis noſtris alienati ſumus à vita. Unde nobis oſtenditur naturæ noſtræ corruptio & pravitas. nam ſi ad juſte vivendum quiſpiam eſſet integer, poſſet Chriſto liberatore carere. Atqui omnes ad unum indigent ejus gratia. ſequitur ergo peccati eſſe ſervos, veraque juſtitia deſtitui. Hinc rurſum colligimus qualis ſit Chriſto ſervandi modus vel ratio: nempe quia nos à peccatis liberat. Duæ porro ſunt liberationis hujus partes: nempe quod peracta expiatione gratuitam veniam nobis affert, qua exempti à reatu mortis, reconciliemur Deo: deinde quod Spiritu nos ſuo ſanctificans, à Satanæ tyrannide vindicat, ut juſtitiæ vivamus. Quare non vere agnoſcitur Servator Chriſtus donec fide amplecti diſcamus gratuitam peccatorum remiſſionem, & nos coram Deo juſtos cenſeri ſciamus quia abſoluti ſumus à reatu: deinde Spiritum juſtitiæ & rectitudinis ab eo petamus, omni & operum & virtutis noſtræ fiducia vacui. Chriſti populum proculdubio Angelus nominat Judæos, quibus in caput & Regem ordinatus erat. Sed quia inſerendæ paulo poſt erant Gentes in genus Abrahæ, extenditur hæc ſalutis promiſſio promiſcue ad omnes qui fide in unum Eccleſiæ corpus coaleſcunt.

22. *Hoc totum factum eſt.*] Inſcite nugantur & pueriliter, qui contendunt Filio Dei ideo impoſitum eſſe nomen Jeſu quia vocetur Immanuel. non enim particulam unam duntaxat arripit Matthæus; ſed quicquid in Chriſti conceptione cæleſte ac divinum eſt complectitur: quo etiam pertinet univerſalis nota. Nunc videndum eſt quam appoſite citetur Jeſaiæ vaticinium. Locus ſatis notus eſt ac celebris, cap. 7. verſ. 14. ſed Judæi pro ſolita ſua malitia eum depravant. quanquam non minus cæcum & fatuum, quam improbum Chriſti & veritatis odium hic produnt. Eo impudentiæ progreſſi ſunt multi eorum Rabbini, ut de Rege Ezechia exponerent, qui tunc annos circiter quindecim natus erat. Qualis, obſecro, iſta eſt mentiendi libido, everſo naturæ ordine juvenem recondere in utero matris, ut ſedecim annorum naſcatur, ne claram lucem admittant? Sed digni ſunt ſcilicet hoſtes Chriſti, quos Deus ſpiritu vertiginis & ſtuporis percuſſos infatuet. Alii ſibi fingunt ignotum quempiam filium Regis Achaz, quem Propheta naſciturum prædixerit. Sed quæro quo jure vocatus fuerit Immanuel, & terra ejus imperio ſubjecta, qui privatus & ſine honore vitam finivit. nam paulo poſt idem Propheta puerum illum, quiſquis eſt, conſtituit terræ dominum. Nec minus inſipide garriunt qui volunt hoc dictum eſſe de Prophetæ filio. Et certe hac in re nimis craſſe hallucinati ſunt Chriſtiani ſcriptores, vaticinium quod proximo capite ſequitur, ad Chriſtum trahendo. Dicit illic Propheta, ſe per viſionem juſſum eſſe cum uxore congredi, & filio quem genuerat, nomen, Dei mandato, fuiſſe impoſitum, Accelera, prædare. Nam illic tantum notatur belli tempeſtas quæ inſtabat cum horribili vaſtitate. Unde facile elicitur, res eſſe prorſus diverſas. Ergo quæramus genuinum præſentis loci ſenſum. Quum obſeſſa urbe Jeruſalem tremeret Rex Achaz, imo pavore fere exanimatus eſſet, mittitur ad eum Propheta, qui promittat Deum fore urbis cuſtodem. Quum ſimplex promiſſio confuſum ejus animum non erigeret, jubetur Propheta ſignum illi offerre qualecunque petierit, *Eſa. 7. verſ. 11.* ſive in cælo ſive in terra. Quum impius ille hypocrita ſuam infidelitatem occultans, ſignum reſpueret, Propheta durius illum objurgat, & tandem ſubjicit, Dabit tamen Deus vobis ſignum: ecce enim virgo concipiet, parietque filium, &c. Hoc de Chriſto dictum interpretamur in hunc modum: Vos tota Davidis poſteritas, quantum in vobis eſt ſtudetis promiſſam vobis gratiam abolere (nam Propheta domum Davidis ignominiæ cauſa diſerte compellat) nunquam tamen perfidia veſtra efficiet quin ſuperior emergat Dei veritas. Urbem Deus ſalvam ab hoſtibus & incolumem fore promittit: ſi non ſufficiat ejus verbum, obſignationis teſſeram veſtro arbitrio dare paratus eſt. Excluditis utramque gratiam, & arcetis à vobis: ſtabit tamen Deus in conſtantia pacti ſui. veniet enim promiſſus Redemptor, in quo ſe Deus perfecte populo ſuo præſentem ſtatuet. Objiciunt Judæi, ſtulte & abſurde facturum fuiſſe Jeſaiam ſi illius ſeculi hominibus ſignum dediſſet, quod octingentis poſtea annis, aut circiter, fuit exhibitum. Et hic pluſquam ſuperbe exultant: quia Chriſtianorum vel imperitia, vel incuria hæc objectio præterita & ſepulta fuit. Atqui mihi non difficilis videtur ſolutio: ſi quidem obſervemus, fœdus adoptionis datum Judæis fuiſſe unde reliqua omnia Dei beneficia penderent. Erat ergo generalis promiſſio, qua ſibi Deus filios Abrahæ in populum cooptaverat, in qua fundatæ erant ſpeciales omnes promiſſiones. Rurſus fœderis hujus fundamentum erat Meſſias. Jam tenemus, cauſam liberandæ urbis fuiſſe quia Dei ſanctuarium erat, & inde prodituruſ erat Redemptor. Hoc reſpectu ſublato, centies periiſſet Hieroſolyma. Expendant nunc pii lectores, quum aperte rejiceret domus regia oblatum à Deo ſignum, annon opportunus fuerit Prophetæ tranſitus ad Meſſiam: acſi dixiſſet, Quamvis ſeculum hoc ſalute quam à Domino polliceor, indignum ſit: Deus tamen fœderis ſui memor, urbem hanc ab hoſtibus eripiet. Ergo ut nullum particulare ſignum nunc edat teſtandæ gratiæ ſuæ cauſa, hoc unum ſatis ſuperque eſſe debet, quod ex ſtirpe Davidis oriturus ſit Meſſias. Notandum vero eſt, quod incredulos revocat Propheta ad generale fœdus, ſpeciem eſſe exprobrationis, eo quod nullum particulare ſignum admitterent. Jam mihi ſatis probaſſe videor, Prophetam, quum præcluſa eſſet miraculis omnibus janua, tempeſtive ad Chriſtum tranſire: ut cogitent increduli non aliam fuiſſe libe-

rationis cauſam, quam fœdus cum Patribus initum. Atque hoc memorabili documento teſtari voluit Deus omnibus ſeculis, ideo ſe continuo tenore tam beneficum fuiſſe erga Abrahæ filios, quia gratuitum cum illis fœdus, in Chriſto, & non eorum meritis, pepigerat. Altero cavillo noſtram ſententiam eludere conantur Judæi: quia mox ſequitur in contextu Prophetæ, Antequam ſciat puer reprobare malum, & eligere bonum, relinquetur terra à duobus Regibus, &c. Hinc colligunt promitti infantis partum, qui minime in longum tempus differendus erat: alioqui non quadraret quod de propinqua regnorum mutatione dicitur, quam Propheta fore denunciat antequam infans ille pueritiam mediam attigerit. Reſpondeo, ubi ſignum de futuro ſalutis auctore protulit Jeſaias, & infantem naſciturum aſſeruit qui verus eſſet Immanuel, vel (ut Pauli verbo *1 Tim. 3. verſ. 16.* utar) Deus in carne manifeſtatus: jam communiter verba facere de quibuslibet ejus ætatis infantibus. Cujus rei firma eſt in promptu ratio: præfatus enim de generali pacto Dei, redit ad ſpecialem promiſſionem, cujus cauſa miſſus fuerat. Ita prior locus qui ad ultimam & plenam redemptionem ſpectat, certum quendam puerum deſignat, in quem ſolum competat Dei titulus: poſterior vero qui ad ſpeciale beneficium refertur quod tunc inſtabat, tempus definit ex eorum pueritia qui tunc recens nati, vel paulo poſt naſcituri erant. Hactenus validis rationibus, niſi fallor, & ſolidis refutavi Judæorum calumnias quibus Chriſti gloriam obruere conantur, ne in hoc vaticinio refulgeat. Nunc diluendum reſtat illorum cavillum in voce עלמה. Proterve exagitant Matthæum, qui Chriſtum ex virgine natum probet, quum nomen Hebraicum ſimpliciter puellam notet: noſque ſubſannant, qui voce perperam reddita decepti, credamus ex Spiritu ſancto natum eſſe, quem Propheta tantum dicit fore puellæ filium. Atqui primum nimiam rixandi libidinem in eo produnt, dum nomen de puella viro cognita intelligendum urgent, quod paſſim virginibus Scriptura tribuit. Convenit etiam etymologia. nam abſconſionem ſonat, qua notatur virginalis pudor. Locum unum adducunt ex Proverbiorum cap. 30. verſ. 19. qui tamen nihil illis ſuffragatur. Illic de puella quam adoleſcens deperit, loquitur Solomo. atqui non protinus ſequitur corruptam eſſe cujus amore ardet adoleſcens: imo conjectura in diverſam partem magis eſſet probabilis. Deinde ut de nomine concedam quod poſtulant, res tamen evincit ac fateri cogit de partu mirabili & inſolito loqui Prophetam. Signum ſe à Domino afferre clamat: neque id vulgare, ſed quod præcellat aliis omnibus. Si tantum parituram mulierem diceret, quam ridicula fuiſſet magnifica illa præfatio? Videmus ut ſua protervia Judæi non ſe modo, ſed veneranda Dei myſteria ludibria exponant. Nec inane argumentum ducitur ex toto contextu, Concipiet puella. Cur nulla fit viri mentio? aliquid minime uſitatum commendat Propheta. Mandatum deinde puellæ injungitur de nominando puero: qua etiam in parte aliquid extraordinarium indicat Propheta. Nam etſi plerumque refert Scriptura, impoſita fuiſſe pueris nomina à matribus, fiebat tamen id ex patrum auctoritate. Propheta ergo ſermonem ad puellam dirigens, viris in hoc puero adimit quicquid juris illis defert ordo naturæ. Maneat ergo illud fixum, laudari inſigne Dei miraculum à Propheta, quod attente & reverenter pii omnes conſiderent: quod Judæi indigne profanant, ad vulgarem conceptum transferentes quod de arcana Spiritus virtute dicitur.

23. *Nomen ejus Emmanuel.*] Solet quidem Scriptura ſic loqui, Deum eſſe nobiſcum ubi auxilio ſuo & gratia nobis adeſt, manuſque ſuæ virtutem ad nos tuendos exerit. Sed hic exprimitur modus quo Deus cum hominibus communicat. nam extra Chriſtum ab ipſo ſumus alienati: per Chriſtum vero non ſolum recipimur in ejus gratiam, ſed unum cum eo efficimur. Quod autem docet Paulus Judæos fuiſſe *Epheſ. 1. verſ. 17.* propinquos Deo ſub Lege: fuiſſe vero illi capitale cum Gentibus diſſidium: non aliud ſibi vult, quam Deum tunc in umbris & figuris dediſſe præſentiæ ſuæ ſigna populo quem adoptaverat. vigebat enim illa promiſſio, Deus in medio tui. Item, Hæc requies mea. *Deut. 6. verſ. 15. & 7: 21. Pſal. 132. verſ. 14.* Sed quum familiaris illa populi cum Deo conjunctio à Mediatore penderet: quod re ipſa nondum plene extabat, ſymbolis adombratum fuit. Sedes ejus ac domicilium locatur inter Cherubim: quoniam arca, gloriæ ejus figura, & viſibile pignus erat. Sed in Chriſto ſolida, non amplius umbratilis Dei præſentia populo exhibita fuit. Qua ratione dicit Paulus in eo habitare omnem Deitatis pleni- *Coloſſ. 2. verſ. 9.* tudinem corporaliter. Et ſane non aliter legitimus eſſet Mediator, niſi individua utriuſque naturæ in ipſo connexio homines Deo adjungeret. Neque eſt quod obſtrepant Judæi, transferri ſæpe Dei nomen ad ea monumenta in quibus ſe fidelibus adeſſe teſtatus eſt. Negari enim non poteſt quin hoc nomen tacitam in ſe antitheſin contineat, quæ Dei præſentiam in Chriſto exhibitam comparat cum toto præſentiæ genere, quale ante ejus adventum patefactum veteri populo fuit. Si vere conſtare cœpit hujus nominis ratio ex quo apparuit Chriſtus in carne: ſequitur, olim non in ſolidum, ſed ex parte duntaxat Deum conjunctum fuiſſe cum Patribus. Unde rurſum conficitur, Chriſtum eſſe Deum in carne manifeſtatum. Functus quidem eſt Mediatoris officio uſque ab initio mundi: ſed quia hoc totum ab ultima revelatione pendebat, tunc merito demum, quaſi nova perſona indutus, vocatur Immanuel, quum in medium Sacerdos procedit, qui corporis ſui victima hominum peccata expiet, ſanguiniſque ſui pretio eos reconciliet Patri, denique omnes humanæ ſalutis partes compleat. Ita priore quidem loco reputanda nobis eſt in hoc nomine divina Chriſti majeſtas, ut reverentiam apud nos obtineat quæ unico debetur & æterno Deo. Sed minime interim negligendus eſt fructus quem inde à nobis Deus colligi ac percipi voluit. Quoties enim Deum & hominem conſpicimus in una Chriſti perſona, certo ſtatuere licet Deum nos poſſidere, ſi Chriſto fide conjuncti ſumus. Quod in verbo Vocandi mutatus eſt numerus, minime diſſentaneum eſt ab iis quæ prius diſſerui. unam quidem virginem alloquitur Propheta, & ideo ſecunda perſona utitur, Vocabis. Sed ex quo promulgatum fuit hoc nomen, communis piorum omnium hæc confeſſio eſt, quod Deus ſe nobis fruendum in Chriſto dederit.

24. *Excitatus Joſeph.*] Promptitudo obſequii quæ hic deſcribitur, non minus ad teſtandam certitudinem fidei Joſeph, quam ad obedientiæ laudem facit. niſi enim exemptus fuiſſet omnis ſcrupulus, probeque ſedata ejus conſcientia, nunquam ita alacriter, mutato repente conſilio, uxorem ſumpſiſſet, cujus contubernio ſe pollutum iri nuper cenſebat. Itaque ſomnio impreſſa fuit aliqua divinitatis nota quæ ejus animum fluctuari non ſineret. Sequutus eſt deinde fidei effectus, quod agnita Dei voluntate, protinus ad parendum ſe accinxit.

25. *Non cognovit eam donec.*] Hujus loci prætextu magnas quondam turbas movit Helvidius in Eccleſia: quod inde colligeret Mariam nonniſi ad primum uſque partum virginem fuiſſe: poſtea autem ex marito ſuſtuliſſe alios liberos. Perpetua Mariæ virginitas acriter & copioſe ab Hieronymo defenſa fuit. nobis hoc unum ſufficiat, ſtulte & perperam ex verbis Evangeliſtæ colligi quid poſt Chriſtum natum contigerit. Vocatur primogenitus: ſed non

alia

alia ratione niſi ut ſciamus ex virgine eſſe natum. Negatur Joſeph rem cum ea habuiſſe donec peperit: hoc quoque ad idem tempus reſtringitur. quid poſtea ſequutum ſit, non indicat. Talem eſſe Scripturæ uſum ſatis notum eſt. Et certe nemo unquam hac de re quæſtionem movebit niſi curioſus: nemo vero pertinaciter inſiſtet niſi contentioſus rixator.

Matth.	Marc.	Luc. II.
		1. Factum eſt autem diebus illis, exiit edictum à Cæſare Auguſto ut cenſeretur univerſus orbis.
		2. Hæc deſcriptio prima facta eſt Præſide Syriæ Cyrenio.
		3. Et ibant omnes ut profiterentur, in ſuam quiſque civitatem.
		4. Aſcendit autem & Joſeph à Galilæa ex urbe Nazareth in Judæam, in urbem David quæ vocatur Bethlehem; quia erat ex domo & cognatione David:
		5. Ut profiteretur cum Maria deſponſa ſibi uxore, quæ erat prægnans.
		6. Accidit autem quum ibi eſſent, completi ſunt dies pariendi.
		7. Et peperit filium ſuum primogenitum, ac faſciis eum involvit, reclinavitque eum in præſepi, quod non eſſet eis locus in diverſorio.

Narrat Lucas quomodo factum fuerit ut naſceretur Chriſtus in urbe Bethlehem, quum Maria mater ejus alibi degeret jam partui vicina. Ac primum excludit humanum conſilium, quum dicit Joſeph & Mariam, relicta domo, illuc veniſſe ut ſecundum familiam ac gentem ſuam profiterentur. Si data opera & conſulto locum mutaſſent ut pareret Maria in Bethlehem, tantum in homines ipſos intenti eſſemus: nunc vero, quum nihil aliud habeant propoſitum quam ut Auguſti edicto pateant, ſatis agnoſcimus, eos, cæcorum inſtar, Dei manu fuiſſe illuc deductos ubi Chriſtum naſci oportuit. Videtur quidem hoc eſſe fortuitum; ſicuti alia omnia, quæ certo hominum conſilio non reguntur, fortunæ adſcribunt profani homines. atqui non ſimpliciter reſpicere convenit quid geratur, ſed in memoriam ſimul venire debet quid multis ante ſeculis prædictum fuerit à Propheta: & comparatio clare oſtendet non ſine admirabili Dei providentia cenſum tunc fuiſſe edictum à Cæſare Auguſto, & Joſeph & Mariam domo pedem moviſſe, ut ipſo temporis articulo venirent in Bethlehem. Ita videmus ſanctos interdum Dei ſervos, etiamſi mente vagentur inſcii quorſum tendant, rectam tamen viam tenere, quia Deus eorum pedes dirigit. Nec minus in eo ſe profert admirabilis Dei providentia, quod tyrannicum imperium Mariam domo extrahit ut prophetia impleatur. Locum Deus per Prophetam deſignaverat (ut poſtea videbimus) ubi Filium ſuum naſci vellet: niſi vi compulſa fuiſſet Maria, domi parere ſtatuerat. Jubet Auguſtus cenſum agi in Judæa, & ſingulos nomen dare, ut annuum deinde tributum pendant, quod prius ſolebant Deo pendere. ita profanus homo ad ſe rapit quod Deus à populo ſuo exigere ſolebat. Id vero perinde erat acſi Judæos prorſus ſibi addictos, vetaret poſthac in Dei populo cenſeri. Quum ita ad ultimam deſperationem ventum eſt; & videntur Judæi in perpetuum à Dei imperio reſecti & alienati eſſe: non ſolum Deus repente & præter omnium ſpem remedium adhibet, ſed impia illa tyrannide ad redimendum populum ſuum utitur. Nam Præſes (vel quiſquis fuit ille Cæſaris miniſter) dum exequitur quod ſibi mandatum eſt, arcanus eſt Dei præco, qui Mariam in locum divinitus ordinatum accerſat. Et certe huc ſpectat tota Lucæ narratio, ut agnoſcant fideles, Chriſtum à ſuis natalibus Dei manu productum eſſe. Neque enim ad fidei certitudinem hoc parum facit, quod ſubito & præter ſuum arbitrium tracta fuit Maria in Bethlehem, ut inde prodiret Redemptor, ſicuti olim promiſſus erat.

1. *Totus orbis.*] Hæc ſynecdoche quum paſſim uſitata ſit Romanis ſcriptoribus, dura videri non debet. Nec dubito quin omnibus provinciis communis fuerit hic cenſus, ut magis tolerabilis nec tam odioſus foret, diverſa tamen eſſe potuit tributi ratio. Primam fuiſſe hanc deſcriptionem interpretor, quia tunc Judæis quaſi plane domitis impoſitum fuit novum & inſolitum jugum. Nam quod alii primam fuiſſe dicunt ex quo Cyrenius Syriæ præfuerat, nihil habet coloris. Annuum quidem erat tributum, ſed non quotannis fiebat deſcriptio: quare ſenſus eſt, longe tunc gravius oppreſſos fuiſſe Judæos. Varietas in nomine Proconſulis nihil habet abſurdi, dum alii Cyrenium, Quirinum vel Quirinium appellant. ſcimus enim Græcos in vertendis nominibus Latinis, in pronunciatione aliquid fere mutare. Sed longe major aliunde emergit difficultas. tradit enim Joſephus lib. Antiq. 18. cap. 1. Quirinum, relegato Viennam Archelao, Proconſulem veniſſe qui Judæam provinciæ Syriæ attribueret. Porro inter ſcriptores convenit Archelaum à morte patris Herodis novem annos regnaſſe. Unde conficitur, inter Chriſti natalem & cenſum illum elapſos fuiſſe annos circiter tredecim. Subſcribunt enim fere omnes Epiphanio, qui tradit Chriſtum triceſimo tertio Herodis anno eſſe natum, hoc eſt, ante illius mortem annis quatuor. Hoc quoque nonnihil perplexum eſt, quod idem Joſephus capite 3. lib. 18. cenſum hunc incidiſſe dicit in annum triceſimum ſeptimum Actiacæ victoriæ. Quod ſi verum eſt, ſupervixit Auguſtus annis fere ſeptem ad ſummum. ita ex ætate octo vel novem anni detracti erunt: patebit enim ex Lucæ 3. cap. nonniſi quindecim tunc fuiſſe annorum. Cæterum quum notior fuerit Chriſti ætas quam ut in quæſtionem vocari debeat: Joſephum hac in parte, ut aliis compluribus, memoria lapſum fuiſſe vero abſimile non eſt. Et ſane Quirinium annales docent annis novendecim aut circiter ante fuiſſe Conſulem, quam devicto Antonio ſolus imperio potiretur Auguſtus. ita valde ſenex in provinciam miſſus foret. Adde quod intra octo annos, quatuor Judææ Præſides numerat idem Joſephus: quum fateatur quintum annis undecim præfuiſſe. is fuit Valerius Gratus, cui Pontius Pilatus ſucceſſit. Quanquam alia poteſt afferri ſolutio, quod cenſum peragere non ſtatim licuerit ex quo edictus fuerat. narrat enim Joſephus Coponium cum exercitu miſſum eſſe, qui Judæos comprimeret. Unde facile colligitur, cenſum populi tumultu fuiſſe ad tempus impeditum. & verba Lucæ hoc patiuntur, quod ſub tempus nativitatis Chriſti edictum exierit de populo cenſendo: deſcriptio autem fieri non potuerit niſi mutato regni ſtatu, quum in partem provinciæ redacta eſſet Judæa. Ita hoc poſterius membrum vice correctionis additum erit, Hæc deſcriptio prima fuit Præſide Cyrenio: hoc eſt, tunc primum ad effectum perducta eſt. Quanquam nondum ſoluta eſt

tota quæſtio. nam quum Judæam Herodes teneret, quorſum attinuit populum cenſeri qui tributum Romano Imperio nullum pendebat? Reſpondeo, nihil eſſe abſurdi, ſi Auguſtus, ut jugo aſſuefaceret Judæos, quorum plus ſatis nota erat pervicacia, cenſeri voluerit etiam ſub Herode. Nec obſtitit peculiare Herodis regnum, quio tributi nomine aliquid in ſingula capita Romano Imperio penderent Judæi. Scimus enim Herodem tantum precario & propemodum ſerviliter regnaſſe. Neſcio unde ſumpſerit Euſebius, quod docet cenſum bunc Senatusconſulto decretum fuiſſe.

7. *Non erat locus in deverſorio.*] Hic videmus non modo quanta fuerit inopia Joſeph, ſed etiam quam acerba fuerit tyrannis, quod nulla excuſatio recipitur quin cogatur Joſeph uxorem partui vicinam adverſo tempore ſecum trahere. Credibile autem eſt, qui ex regio genere progeniti erant, aſperius & magis contumelioſe reliquis fuiſſe tractatos. Non erat tam ſtupidus Joſeph, quin ſollicitus eſſet de partu uxoris. quare libenter hanc neceſſitatem vitaſſet. Sed quia non poteſt, coactus cedit, ſeque Deo commendat. Interea videmus quale vitæ exordium fuerit Dei Filio, & quibus exceptus ſit incunabulis. Talis autem illi fuit naſcendi conditio, quia in hunc finem carnem noſtram induerat, ut ſe noſtra cauſa exinaniret. In ſtabulum ergo rejectus eſt, ac locatus in præſepi, negatuſque illi eſt hoſpitii locus inter homines, ut cælum nobis non modo hoſpitii jure, ſed quaſi æterna patria & hæreditas pateret, ac nos Angeli in ſuum contubernium admitterent.

MATTH. | MARC. | LUC. II.

8. Et paſtores erant in regione eadem vigilantes, & excubantes ad cuſtodiam ſuper gregem ſuum.

9. Et ecce Angelus Domini adſtitit illis, & gloria Domini circumfulſit illos: & timuerunt timore magno.

10. Et dixit eis Angelus, Ne timeatis. ecce enim annuncio vobis gaudium magnum, quod futurum eſt toti populo:

11. Quia hodie vobis natus eſt Servator, qui eſt Chriſtus Dominus, in urbe David.

12. Et hoc vobis ſignum: invenietis infantem pannis involutum, poſitum in præſepi.

13. Et ſubito affuit cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis, laudantium Deum, & dicentium,

14. Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax, hominibus beneplacitum.

8. *Et paſtores erant.*] Supervacuum fuiſſet Chriſtum naſci in Bethlehem, niſi hoc innotuiſſet mundo. Modus tamen quem deſcribit Lucas, videtur hominum judicio parum conſentaneus. Primum, nonniſi paucis teſtibus patefit Chriſtus: & quidem inter noctis tenebras. Deinde, quum Deus ad manum multos haberet honore vel excellentia præditos teſtes, illis poſthabitis, ſolos elegit paſtores, contemptos ſcil. homines ac nullius pretii. Hic ſtulteſcat carnis ratio & prudentia neceſſe eſt, ac fateamur, quod 1 Cor. 1. verſ. 15. ſtultum eſt Dei, ſuperare quicquid eſt aut videtur ſapientiæ in mundo. Cæterum hæc quoque pars exinanitionis fuit: non per quam aliquid decederet Chriſti gloriæ, ſed tantum ut ad tempus abſcondita 1 Cor. 2. verſ. 4. jaceret. Deinde ſicuti Paulus admonet, contemptibile eſſe Euangelium ſecundum carnem, ut fides noſtra in virtute Spiritus, non altis ſapientiæ humanæ verbis, vel aliquo mundi ſplendore fundata ſit: ita hunc incomparabilem theſaurum Deus ab initio depoſuit io vaſis fictilibus, ut fidei noſtræ obſequium melius probaret. Quare ſi cupimus ad Chriſtum venire, ne pigeat nos ſequi quos Dominus, ad dejiciendam mundi ſuperbiam, ex pecudum ſtercore magiſtros ſumpſit.

9. *Angelus Domini adſtitit.*] Dicit gloriam Domini reſplenduiſſe circum paſtores, ex qua Angelum agnoſcerent. Parum enim profuiſſet, dici illis ab Angelo quod refertur à Luca, niſi Deus viſibili aliquo ſymbolo teſtatus eſſet, quod audiebant, à ſe profectum eſſe. Apparuit ergo illis Angelus, non vulgari aliqua forma, vel ſine dignitate, ſed fulgore cæleſtis gloriæ inſtructus, qui paſtorum animos afficeret, ut allatum ſibi ſermonem non ſecus atque ex ore ipſius Dei exciperent. Inde timor, de quo mox loquitur Lucas, quo humiliare ſolet Deus hominum corda, ut verbo ſuo reverentiam conciliet, quemadmodum ſupra expoſui.

10. *Ne timeatis.*] Exhortatio hæc ad levandum timorem pertioet. Quamvis enim utile ſit percelli metu hominum animos ut ſuum Deo tribuere honorem diſcant: ſimul tamen conſolatione opus habent, ne prorſus obruantur. Fieri enim nequit quin totum mundum abſorbeat Dei majeſtas niſi dulcedine aliqua temperet quod in ſe habet terroris. Ideo reprobi ad Dei conſpectum exanimes concidunt, quia illis non apparet niſi judex. Angelus autem ut recreet paſtorum animos, in alium finem ſe miſſum eſſe teſtatur: nempe ut Dei miſericordiam annunciet. nam hæc una vox non modo collapſos homines erigit, ſed perditos inſtaurat, & revocat à morte in vitam, ubi Deum ſibi propitium eſſe audiunt. Præfatur autem Angelus ſe annunciare magnum gaudium: deinde gaudii cauſam vel materiam ſubjicit, quod natus ſit Salvator. Quibus verbis primum docemur, donec pacem cum Deo habeant homines, & illi reconciliati ſint per Chriſti gratiam, evanidum eſſe & fallax quicquid concipiunt lætitiæ. Exultant quidem ſæpe impii ebria veſanaque lætitia: ſed niſi medius ſit inter ipſos & Deum pacificator, cæcis conſcientiæ ſtimulis miſere torqueri neceſſe eſt. Deinde quantumvis blande & molliter ſibi indulgeant in deliciis, ſuæ ipſorum libidines totidem ſunt illis tormenta. Hoc ergo ſolidi gaudii initium eſt, ſentire paternum erga nos Dei amorem, qui ſolus animos noſtros tranquillat. Atque hoc gaudium eſt in Spiritu ſancto, in quo Paulus regnum Dei conſtituit, Rom. 14. verſ. 17. Epitheton vero Magni ideo additum eſt, ut ſciamus non modo præcipue gaudendum eſſe de ſalute nobis in Chriſto oblata: ſed tantam eſſe atque ita immenſam hujus boni magnitudinem, ut merito omnes præſentis vitæ dolores, moleſtias, aoxietates compenſet. Quare diſcamus, ſic uno Chriſto eſſe contenti, ut ſenſus gratiæ ejus exuperet omnes carnis moleſtias, imo tandem aboleat.

Quod futurum eſt toti populo.] Quanquam ſolos paſtores alloquitur Angelus, ſignificat tamen longius patere quod illis affert ſalutis nuncium, ut non ipſi privatim tantum, ſed alii quoque audiant. Porro toti populo commune fuiſſe gaudium intellige, quia omnibus promiſcue offerebatur. Non enim uni vel alteri Deus, ſed univerſo ſemini Abrahæ Chriſtum promiſerat. Quod autem gaudio ad ſe pertinente privati ſunt magna ex parte Judæi, eorum incredulitate factum eſt. ſicuti hodie omnes communiter in-

invitat Deus ad ſalutem per Euangelium; ſed facit mundi ingratitudo, ut gratia hac peræque omnibus expoſita pauci fruamur. Quum ergo inter paucos incluſum fuerit hoc gaudium, commune vocatur Dei reſpectu. Cæterum etſi de electo tantum populo Angelus loquitur, nunc tamen diruta maceria ad totum humanum genus ſpectat eadem legatio. nam Chriſtus pacem annunciat non tantum iis qui prope ſunt, ſed qui procul: nec minus extraneis quam domeſticis *Epheſ.*2. *verſ.*17. Sed quia uſque ad Chriſti reſurrectionem peculiare erat fœdus cum Judæis, ideo Angelus eos à reliquis gentibus ſegregat.

11. *Natus eſt vobis hodie.*] Hic exprimitur cauſa gaudii, ſicuti nuper admonuimus: nempe quia natus ſit Redemptor olim promiſſus, qui Dei Eccleſiam in ſtatum ſuum reſtituat. Neque enim tanquam de re prorſus ignota loquitur Angelus: ſed legationis ſuæ exordium ex Lege & Prophetis ſumit, quia apud Gentiles & profanos hac loquendi formula fruſtra uſus eſſet, Chriſtus Dominus natus eſt vobis Salvator. Eadem quoque ratio eſt cur commemoret natum eſſe in urbe David: quod ſupervacuum foret niſi ad renovandam promiſſionum memoriam quæ paſſim notæ & celebres erant inter Judæos. Denique Angelus ſermonem ſuum auditoribus aptavit, qui promiſſæ redemptionis non prorſus ignari erant: & Euangelium cum Legis & Prophetarum doctrina conjunxit, ſicuti ex eo fonte manat. Quum autem
Verr. 4. Σωτὴρ plus Græcis exprimat, teſte Cicerone, quam
109. Latinis Servator, nec extet tamen Latinum quod
illi reſpondeat, ſatius mihi viſum eſt barbare loqui, quam ex Chriſti virtute aliquid diminuere. Nec dubito quin idem vulgato interpreti & vetuſtis Eccleſiæ doctoribus fuerit conſilium. Salvator ergo dicitur Chriſtus, qui plenam ſalutem confert. Jam & pronomen Vobis magnam habet emphaſin: quia non magnopere juvaret audire natum eſſe ſalutis auctorem, niſi quiſque ſibi natum eſſe conſtituat. In hunc modum Jeſaias cap. 9. verſ. 6. Puer natus eſt
Zach. 9. nobis, filius datus eſt nobis. Item Zacharias, Ecce
verſ. 9. Rex tuus venit tibi, pauper &c.

12. *Et hoc vobis ſignum.*] Obviat Angelus ſcandalo, quo fidem paſtorum impediri facile erat. quale enim ludibrium eſt, videri in præſepi jacentem qui à Deo Rex miſſus ſit, & unicus Salvator? Ergo ne tam vilis & abjecta Chriſti conditio paſtores à Chriſti fide abſterreat, prædicit illis Angelus quid viſuri ſint. Atque hunc ordinem, qui abſurdus & prope ridiculus videri poſſet humano judicio, quotidie Dominus erga nos tenet. Nam voce Euangelii è cælo demiſſa Chriſtum crucifixum nos amplecti jubet: & ſigna proponit in terrenis ac caducis elementis, quæ nos in gloriam beatæ immortalitatis extollant. Ita ſpiritualem juſtitiam nobis pollicitus, pauxillum aquæ nobis ante oculos ponit; æternam animæ vitam exiguo panis & vini guſtu obſignat. Quod ſi paſtores minime offendit ſtabulum, quominus & ſalutem petant à Chriſto, & ejus adhuc infantis imperio ſe ſubmittant: nullum quantumvis contemptibile ſignum obſcurare apud nos ejus gloriam debet, quin ſaltem, ex quo ipſe in cælum aſcendit, & ſedet ad Patris dexteram, humiliter eum adoremus.

13. *Subito affuit multitudo.*] Tametſi in Angelo uno exhibitum fuerat ſpecimen divini fulgoris; voluit tamen Deus filium ſuum ſplendidius ornare: neque id in noſtram minus quam in paſtorum confirmationem. Apud homines duorum vel trium teſtium fides ad tollendam dubitationem ſufficit: atqui cæleſtis exercitus uno conſenſu & una voce teſtimonium reddit Filio Dei. quantæ igitur pervicaciæ foret, communi Angelorum elogio, quo celebratur noſtra in Chriſto ſalus, non ſuccinere? Unde colligimus quam deteſtabilis Deo ſit incredulitas, quæ ſuavem hanc cæli & terræ harmoniam turbat. Rurſum, pluſquam belluini ſtuporis convincimur, niſi & fidem & ſtudium laudandi Dei in nobis accendit canticum, quod uno concentu modulati ſunt Angeli, ut verba nobis præirent. Adde quod hoc cæleſtis melodiæ exemplo fidei unitatem commendare nobis voluit Dominus, & ad laudes ſuas conſenſu uno in terra canendas hortari.

14. *Gloria in altiſſimis.*] Incipiunt Angeli à gratiarum actione vel à Dei laudibus: quia & Scriptura paſſim in hunc finem nos à morte redemptos fuiſſe admonet, ut tam lingua quam operibus noſtram erga Deum gratitudinem teſtemur. Meminerimus ergo finalem hanc fuiſſe cauſam cur Deus nos ſibi reconciliaret per Filium unigenitum, ut patefactis gratiæ ſuæ & immenſæ miſericordiæ divitiis illuſtraret nomen ſuum. Et hodie quantum quiſque noſtrum animatur ex gratiæ notitia ad celebrandam Dei gloriam, tantum in fide Chriſti profecit. Imo quoties fit mentio ſalutis noſtræ, ſciendum eſt nos quaſi dato ſigno ad gratiarum actionem & Dei laudes incitari. *In terra pax.*] Hæc magis recepta lectio eſt, ut deinde ſequatur tertium membrum, In hominibus bona voluntas. Quanquam autem ad ſummam rei non multum intereſt utrumvis legas: videtur tamen diverſus contextus melius congruere, quia minime dubium eſt quin duo hæc membra inter ſe reſpondeant, Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax. Atqui niſi homines Deo opponas, non conſtabit plena antitheſis. Forte interpretes fefellit præpoſitio ἐν, quia obſcurus erat verborum ſenſus, dicere in hominibus eſſe pacem. Sed quum multis Scripturæ locis ſupervacua ſit, non eſt cur id nos impediat. Siquis tamen in poſtremum membrum rejicere malit, idem manebit ſenſus, ſicuti mox dicam. Nunc videndum eſt quid Pacis nomine intelligant Angeli. certe non loquuntur de externa pace quam inter ſe colunt homines: ſed terram dicunt pacatam eſſe, ubi homines Deo reconciliati, intus tranquilli ſunt in animis ſuis. Scimus nos iræ filios naſci, & natura eſſe Deo inimicos. interea nos horribili inquietudine vexari neceſſe eſt quamdiu ſentimus Deum nobis infenſum. Ideo brevis & clara pacis definitio ex contrariis petenda eſt: nempe ex ira Dei & mortis terrore. Atque ita duplex eſt relatio. altera ſcilicet ad Deum, altera ad homines: quia tunc nobis conſtat pax cum Deo, quum ipſe abolito reatu & peccata nobis non imputando propitius eſſe incipit, & nos in paterna ejus benevolentia acquieſcentes, certa fiducia illum invocamus, & intrepide gloriamur de ſalute nobis promiſſa. Quamvis autem alibi vita hominis ſuper terram vocetur continua militia, & res ipſa declarat nihil eſſe magis turbulentum ſtatu noſtro quamdiu in mundo agimus: diſerte tamen Angeli pacem in terra locant, ut ſciamus nullas turbas nobis obſtare quin freti Chriſti gratia, ſedatis & tranquillis ſimus mentibus. Meminerimus ergo, inter medias tentationum procellas, inter varia diſcrimina, inter violentos motus, inter pugnas & timores conſtitui ſedem pacis, ne fides noſtra ullis machinis impulſa vacillet aut labaſcat. *Beneplacitum*] Unde factum ſit ut obreperet genitivus caſus, neſcio. Certe lectio vulgata, quæ habet, Hominibus bonæ voluntatis, non modo tanquam adulterina repudiari debet, ſed quia totum ſenſum corrumpit. Errant tamen etiam nonnulli qui in nominativo caſu legentes, Bona voluntas, ad homines referunt, quaſi exhortatio eſſet ad amplexandam Dei gratiam. Fateor quidem non aliter ratam eſſe quam Dominus pacem nobis offert, niſi eam recipimus: ſed quum εὐδοκία paſſim ſumatur in Scripturis pro eo quod Hebræi רצון dicunt, vetus interpres *beneplacitum* reddidit. Perperam hic locus de gratiæ acceptatione exponitur. quin potius fontem pacis de quo loquuti ſunt Angeli demonſtrat, ut ſciamus gratuitam eſſe & fluere ex mera Dei miſericordia. Si

legere placeat, Bona voluntas in hominibus: non male conveniet quo ad ſenſum. nam & hoc modo notabitur pacis cauſa: quod ſcilicet Deus gratuito ſuo favore homines dignatus ſit, cum quibus hoſtile prius diſſidium habebat. Si legas, Pacem bonæ voluntatis, pro voluntaria: ne huic quidem expoſitioni reclamo. Illa tamen ſimplicior eſt, appoſitive ſubjici εἰρήνη, ut ſciamus unde pax nobis proveniat.

Matth. | Marc. | Luc. II.

15. Et factum eſt poſtquam diſceſſerunt ab eis Angeli in cælum, ut tunc paſtores loquerentur inter ſeſe, Tranſeamus Bethlehem uſque, & videamus quod factum eſt, quod Dominus patefecit nobis.

16. Et venerunt feſtinantes, & invenerunt Mariam & Joſeph, & infantem poſitum in præſepi.

17. Quum autem vidiſſent, divulgaverunt de verbo quod dictum illis fuerat de puerulo hoc.

18. Et omnes qui audierunt mirati ſunt de iis quæ dicta erant à paſtoribus ad ipſos.

19. Porro Maria conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.

20. Et reverſi ſunt paſtores glorificantes ac laudantes Deum ſuper omnibus quæ audierant ac viderant, ita ut dictum fuerat ipſis.

21. Et poſtquam conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum eſt nomen ejus JESUS: quod vocatum erat ab Angelo priusquam in utero conciperetur.

15. *Poſtquam diſceſſerunt Angeli.*] Hic nobis deſcribitur obedientia paſtorum. nam quum eos Dominus toti mundo deſtinaſſet Filii ſui teſtes, efficaciter illis loquutus eſt per Angelos, ne efflueret quod illis dictum fuerat. Non fuerat quidem illis clare & nominatim præceptum ut venirent Bethlehem: ſed quia ſatis intelligunt tale eſſe Dei conſilium, ad videndum Chriſtum feſtinant. Sicuti hodie quum ſciamus in hunc finem nobis Chriſtum indicari ut ad eum fide accedant corda noſtra, nihil excuſationis habet noſtra ceſſatio. Nec fruſtra exprimit Lucas, paſtores cepiſſe profectionis conſilium ex quo diſceſſerant Angeli: ne patiamur, ut multi ſolent, verbum Dei nobis cum ſonitu evaneſcere, ſed ut vivas in nobis radices agat, quo vim ſuam proferat ubi auribus noſtris inſonare deſierit. Notandum præterea eſt, quod ſeſe mutuo hortantur paſtores. neque enim ſufficit ſingulos ſibi inſtare, niſi etiam mutuæ cohortationes accedant. Obedientiæ laudem amplificat Lucas quum dicit eos properaſſe, ut à nobis etiam exigitur fidei promptitudo. *Quod Dominus patefecit nobis.* Scienter & recte adſcribunt Deo quod nonniſi ab Angelo audierant. nam quem agnoſcunt Dei miniſtrum, auctoritate quoque dignantur acſi Domini perſona indutus eſſet. Hac de cauſa ſubinde nos ad ſe Dominus revocat, ne hominum intuitu vileſcat verbi ſui majeſtas. Rurſum hic videmus ut ſibi nefas eſſe ducant oſtenſum à Domino theſaurum negligere. Nam ex notitia ſibi tradita arguunt in Bethlehem pergendum eſſe, ut videant. Sic & quemque noſtrum pro fidei & intelligentiæ ſuæ menſura ad ſequendum quo Deus vocat accinctum eſſe par eſt.

16. *Invenerunt Mariam.*] Erat illud quidem deforme ſpectaculum, & quo ſolo poterant à Chriſto alienari. Quid enim magis inſipidum, quam totius populi Regem credere qui ne infimo quidem vulgi loco dignus cenſetur? regni inſtaurationem & ſalutem ab eo ſperare, qui pro ſua egeſtate & inopia in ſtabulum rejicitur? Scribit tamen Lucas, nihil horum paſtoribus obſtitiſſe quin Deum cum admiratione laudarent: nempe quia Dei claritas penitus defixa erat in eorum oculis, & verbi reverentia eorum animis infixa, quicquid in Chriſto inglorium & contemptibile occurrit, fidei ſuæ altitudine facile tranſſcendunt. Nec alia ſane cauſa eſt cur fidem noſtram minima quæque ſcandala vel remorentur, vel à recto curſu avertant: niſi quia in Deum minus intenti, facile huc & illuc agitemur. Nam una hæc cogitatio ſi ſenſus omnes noſtros occuparet, habere nos certum ac fidele è cælo teſtimonium, ſatis firma nobis & ſtabilis fultura eſſet contra omne tentationum genus, & ſatis probe nos contra quævis offendicula muniret.

17. *Divulgaverunt de verbo.*] Fidem paſtorum commendat Lucas, eo quod ſincere per manus tradiderint aliis quod à Domino acceperant: idque teſtatum eſſe noſtra omnium cauſa utile erat, ut in fide noſtra confirmanda quaſi ſecundarii ſint Angeli. Rurſus docet Lucas, non ſine profectu eos vulgaſſe quod audierant. Nec vero dubium eſt quin efficaciam Dominus eorum ſermoni dederit, ne ludibrio eſſet vel ſperneretur. nam & hominum conditio fidem elevabat, & res ipſa videri poterat fabuloſa. Verum Dominus quas illis injunxit partes irritas eſſe non patitur. Quamvis autem humano ingenio minus arrideat hæc agendi ratio, quod Dominus per homines infirmos verbum ſuum vult audiri: quia tamen tum ad humiliandam carnis ſuperbiam, tum ad probandum fidei obſequium appoſita eſt, Deo ipſi probatur. Quod autem mirantur omnes, nemo autem pedem movet ut ad Chriſtum accedat: hinc colligere licet, audita Dei virtute, fuiſſe perculſos abſque ſerio cordis affectu. Quare non tam in eorum ſalutem vulgatus fuit hic ſermo, quam ut totius populi inexcuſabilis eſſet ignorantia.

19. *Maria ſervabat.*] Mariæ ſedulitas in conſiderandis Dei operibus duas ob cauſas nobis proponitur: primum ut ſciamus depoſitam fuiſſe in ejus corde hujus theſauri cuſtodiam, ut quod ipſa apud ſe repoſitum habebat aliis ſuo tempore publicaret: deinde ut habeant omnes pii quod imitentur exemplum. Nam ſi ſapimus, hæc præcipua vitæ noſtræ occupatio eſſe debet, ſummomque ſtudium, ut ad reputanda Dei opera, quæ fidem noſtram ædificant, ſimus attenti. Porro Conſervandi verbum ad memoriam refertur. συμβάλλειν autem vel Conferre, ſignificat, ſingula colligendo quæ inter ſe ad probandam Chriſti gloriam congruebant, unum veluti corpus efficere. Neque enim prudenter expendere potuit Maria quid omnia ſimul valerent, niſi alia aliis conferendo.

20. *Glorificantes ac laudantes Deum.*] Pertinet hoc quoque ad communem fidei noſtræ uſum, quod paſtores divinum opus certo agnoverint. Ardor autem glorificandi Dei, qui in illis laudatur, tacita quædam eſt pigritiæ noſtræ vel potius ingratitudinis exprobratio. Nam ſi tantum apud eos valuerunt

Chriſti

Chriſti incunabula, ut ex ſtabulo & præſepi in cælum uſque conſcenderent: quanto efficacior apud nos eſſe debet mors & reſurrectio Chriſti, ut ad Deum evehamur? Neque enim tantum ſublatus eſt Chriſtus à terra ut omnia traheret poſt ſeipſum: ſed ad dexteram Patris ſedet, ut in mundo peregrinantes cæleſtem vitam toto corde meditemur. Cæterum veram pietatis naturam deſignat Lucas, quum dicit Angeli teſtimonium paſtoribus inſtar regulæ fuiſſe, ad quam omnia exigerent. Tunc enim rite adjuvatur fides Dei operibus, ſi omnia in ſcopum illum dirigit, ut Dei veritas, quæ in verbo pateſacta eſt, clarius illuceat.

21. *Ut circumcideretur puer.*] Quod de circumciſione in genere tenendum eſt petant lectores ex Geneſeos capite decimo ſeptimo, verſ. 10. Nunc quæ Chriſti perſonæ conveniunt, breviter attingere ſufficiet. Voluit Deus Filium ſuum circumcidi, ut Legi ſubjiceret. nam circumciſio ſolenne ſymbolum erat quo in Legis obſervationem initiabantur Judæi. Finem declarat Paulus ad Galatas capite quarto, verſ. 4. quum dicit factum eſſe ſub Lege, ut eos qui ſub Lege erant redimeret. Chriſtus ergo ſuſcepta circumciſione, ſervum Legis ſe profeſſus eſt ut nobis libertatem acquireret. Atque hoc modo non tantum Legis ſervitus abolita ab ipſo fuit, ſed ad ſolidum ſuum corpus applicita fuit umbra ceremoniæ, ut mox fioem acciperet. Etſi enim ejus abrogatio ex morte Chriſti & reſurrectione pendet, fuit tamen quoddam ejus præludium, quod paſſus eſt circumcidi Filius Dei. *Nomen ejus Jeſus.*] Teſtatur etiam hic locus receptum fuiſſe apud Judæos morem, ut die circumciſionis nomina liberis ſuis inderent, ſicut hodie in Baptiſmo ſolemus. Duo autem notat Euangeliſta. Non temere, neque hominum arbitrio nomen Jeſu fuiſſe Filio Dei impoſitum, ſed quod Angelus è cælo attulerat. Deinde Joſeph & Mariam paruiſſe Dei imperio. Atque hic eſt fidei noſtræ cum Dei verbo conſenſus, ut eo præeunte loquamur ipſi, & ejus promiſſionibus fides noſtra reſpondeat. Præſertim ordinem verbi prædicandi commendat nobis Lucas, quum dicit voce hominum teſtatam fuiſſe ſalutem ex Chriſti gratia quæ divinitus per Angelum promiſſa fuerat.

Marc.	Luc.	Matth. II.
		1. Quum autem natus eſſet Jeſus in Bethlehem Judææ temporibus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam, 2. Dicentes, Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum? vidimus enim illius ſtellam in Oriente, & venimus ut adoremus eum. 3. Auditis autem his Herodes Rex turbatus eſt, & tota Hieroſolyma cum eo. 4. Et convocatis omnibus Pontificibus & Scribis populi, percontatus eſt eos ubi Chriſtus naſceretur. 5. At illi dixerunt ei, In Bethlehem Judææ: ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam: 6. Et tu Bethlehem terra Juda nequaquam minima es inter principes Juda. Ex te enim prodibit Dux qui paſcet populum meum Iſraëlem.

1. *Quum natus eſſet Jeſus.*] Qua occaſione natus fuerat Chriſtus in Bethlehem, tacet Matthæus. Videtur autem Spiritus Dei, qui Euangeliſtas ſibi in ſcribas deſtinaverat, conſulto eorum ſtylum ita eſſe moderatus, ut unam & eandem hiſtoriam optimo conſenſu, diverſis tamen modis, omnes ſcriberent, quo certior & illuſtrior eſſet Dei veritas, quum palam conſtaret, ejus teſtes non ex compoſito loquutos eſſe, ſed quemque ſeorſum, non habito alterius reſpectu, ſimpliciter ac libere ſcripſiſſe quod Spiritus dictabat. Porro memorabilis hic narratur hiſtoria, quod Magos ex Chaldæa aſciverit, qui adorandi Chriſti cauſa in Judæam venirent, ubi inglorius & contemptus in ſtabulo jacebat. Mirabile ſane Dei conſilium, quod Filium ſuum Deus ſub obſcura humilitate in mundum prodire voluit: & tamen eum tam encomiis quam aliis inſignibus ſplendide ornavit, ne quid ad divinam ejus majeſtatem probandam fidei noſtræ deeſſet. Concinna tamen in hac ſpecie repugnantiæ harmonia notanda eſt. Stella è cælo Regem eſſe prædicat cujus ſolium eſt pecorum præſepe: quia locus illi etiam inter plebeios homines negatur. In Oriente refulget ejus majeſtas, quæ in Judæa non modo nulla apparet, ſed multis etiam probris fœdata eſt. Quorſum id? nempe voluit cæleſtis Pater & ſtellam & Magos conſtituere nobis duces, qui recta nos ad Filium ſuum deducerent. Sed interim eum nudavit omni terreno ſplendore, ut ſciremus ſpirituale eſſe ejus regnum. Quare non ideo tantum utilis eſt hæc hiſtoria, quod Magos Deus, tanquam Gentium primitias, Filio ſuo adduxit: ſed etiam quia Filii ſui regnum tam illorum quam ſtellæ elogio celebrari voluit in fidei noſtræ profectum, ne eum nobis contemptibilem pravus ac malignus gentis ſuæ deſpectus redderet. Magos Perſis ac Chaldæis vocari Aſtrologos & Philoſophos ſatis notum eſt. unde facilis conjectura eſt ex Perſide iſtos veniſſe. Porro quot fuerint numero, quia non exprimit Euangeliſta, neſcire præſtat quam temere pro certo aſſerere quod dubium eſt. Papiſtas ut tres fingerent puerilis error induxit, quia dicit Matthæus eos obtuliſſe aurum, thus, & myrrham. Quaſi vero diſtincte ſiogulis proprium munus aſſignet, ac non potius exprimat hæc tria communiter ab illis fuiſſe oblata. Quiſquis ille fuit vetus ſcriptor, cujus commentarius imperfectus in Matthæum nomen Chryſoſtomi inſcriptum habet, ac ioter opera Chryſoſtomi habetur, dicit quatuordecim fuiſſe. Quod nihilo plus habet coloris: niſi forte ex Patrum traditione floxerit. quod tamen ipſum quoque nihil firmi habet. Cæterum plusquam ridiculi ſunt Papiſtæ, quod Reges ſibi fabricarunt, quia alibi prædictum legebant, venturos Re- *Pſal. 72.*
ges Tharſis & Inſularum, & Saba, qui munera Do- *verſ. 10.*
mino offerrent. Ingenioſi artifices ſcilicet, qui ut novam hominibus formam darent, à mundi converſione cœperunt: nam ex Meridie & Occidente fecerunt Orientem. Nec vero dubium eſt quin juſta Dei vindicta ſic obſtupefacti fuerint ut omnium ludibrio pateret craſſa eorum inſcitia, quibus Dei veritatem adulterare & in mendacium vertere nulla religio fuit. Sed hic quæritur primum, an ſtella hæc una fuerit ex earum numero quas Dominus in cæli ornatum initio creavit: deinde, an huc Aſtrologiæ ratio Magos perduxerit, ut inde Chriſti geneſim mente conciperent. Etſi autem his de rebus non eſt contentioſe rixandum: tamen ex Matthæi verbis colligitur, non fuiſſe naturalem, ſed extraordinariam. neque enim ex ordioe naturæ fuit quod diſparuit certis temporibus, & poſtea repente illuxit: deiode, quod recto curſu progreſſa Bethlehem verſus, tandemque ſupra domum, in qua Chriſtus erat, fixa ſteterit. quorum nihil convenit naturalibus ſtellis. Magis

pro-

probabile eſt ſimilem fuiſſe cometæ, in aëre potius quam in cælo conſpectam. Nihil autem abſurdi eſt quod Matthæus, populariter loquens, ſtellam improprie vocat. Hinc fere elicitur ſolutio ſecundæ quæſtionis. nam quum certum ſit Aſtrologiam naturæ finibus contineri, non poterant ſolo ejus ductu Magi ad Chriſtum uſque pervenire. Arcana igitur Spiritus revelatione juvari oportuit. Neque tamen nego quin aliquod ex arte principium vel ſemen habuerint: ſed juvari neceſſe fuiſſe dico nova & extraordinaria revelatione, ne evanidum foret.

2. *Ubi eſt qui natus eſt Rex*] Quod quidam interpretes Regem natum tacite opponi putant facto vel creato, mihi videtur nimis argutum. Simplicius itaque accipio, quod nuper Regem hunc natum eſſe & adhuc infantulum ſignificent Magi, ut à Rege adulto & populi gubernacula tenente eum diſtinguant. nam mox ſubjiciunt, non rerum ejus geſtarum fama, vel præſenti & palam nota ejus magnitudine ſe fuiſſe excitos, ſed cæleſti futuri regni præſagio. Quum autem tam efficax fuerit apud Magos ſtellæ conſpectus, væ torpori noſtro, qui Chriſtum Regem nobis patefactum tam frigide quærimus. *Venimus ut adoremus.*] In hunc finem oſtenſa fuerat ſtella ut Magos eliceret in Judæam, ut teſtes eſſent ac præcones novi Regis. Quantum vero ad ipſos ſpectat, non venerant ad exhibendum Chriſto pietatis cultum qualis debetur Filio Dei: ſed Perſico more volebant ſalutare quaſi præſtantiſſimum Regem. Neque enim de eo plus tenuiſſe probabile eſt, quam ſingulari potentia & dignitate fore præditum, ut populos omnes merito in ſui admirationem & reverentiam converteret. Fieri etiam poteſt ut captare voluerint ejus gratiam ante tempus, quo ſibi propitium ac faventem haberent ſi forte contingeret Orientali imperio eum potiri.

3. *Herodes Rex turbatus eſt.*] Non ignota erant Herodi vaticinia quibus Rex promiſſus erat Judæis, qui res eorum afflictas & everſas in beatum ſtatum reſtitueret. Vixerat enim à puero in gente illa, & familiariter res eorum didicerat. Adde quod paſſim vulgatus erat rumor ille, ut vicinos populos minime lateret. Turbatur tamen quaſi re nova & prius inaudita: nempe quia fidem abrogans Deo ejuſque promiſſis, Redemptorem fruſtra ſperari putabat: præſertim quum regnum ſibi ac ſuis ſtabile ſtulta confidentia, ut ſolent ſuperbi homines, finxiſſet. Sed quum prius ſua felicitate ebrius ſecure contemneret prophetias, nunc repente terretur earum memoria. Neque enim tantopere commotus eſſet ſimplici Magorum ſermone, niſi in mentem veniſſent oracula quæ prius luſoria nulliuſque momenti eſſe videbantur. Ita Dominus, poſtquam incredulos dormire paſſus eſt, repente illis quietem excutit. Quod dicit Matthæus, Hieroſolymam quoque turbatam fuiſſe, duobus modis exponi poteſt: vel quod tumultuoſe concitati fuerint cives ſubita rei novitate, etiamſi lætum nuncium de Rege ſibi nato cupide exciperent: vel quod malis aſſueti, & propter diuturnam patientiam obducto callo, mutationem timuerint, ne qua inde naſceretur major clades. Sic enim continuis bellis attriti fuerant & prope conſumpti, ut illis miſera & crudelis ſervitus cum pace conjuncta, non tolerabilis modo, ſed optabilis quoque foret. Unde perſpicitur quam male profeciſſent ſub Dei flagellis. obtorpuerant enim ſtupore, ut jam illis promiſſa redemptio & ſalus quodammodo fœteret. Neque enim dubito quin Matthæus eorum ingratitudinem notare voluerit: eo quod malorum tædio fracti, ſpem ac deſiderium gratiæ ſibi promiſſæ abjecerant.

4. *Convocatis Sacerdotibus*] Tametſi de Chriſto altum ſilentium erat in aula Herodis, ſimul tamen ac Regis mentio injecta fuit à Magis, veniunt in mentem prophetiæ quæ in oblivione prius jacebant. Proinde ſtatim conjicit Herodes, Regem illum de quo quærunt Magi, Meſſiam eſſe olim divinitus promiſſum. Atque hinc rurſus apparet ſerio timuiſſe Herodem, dum ita anxie inquirit. nec mirum Quum enim meticuloſi ſint omnes tyranni, & plus illis terroris infligat ſua ipſorum ſævitia, quam aliis incutiat: Herodem præ aliis pavidum eſſe oportuit, ut qui ſe adverſo Deo regnare ſentiret. Porro nova hæc inquiſitio oſtendit quam craſſus ante Magorum adventum Chriſti contemptus fuiſſet. Quod ſincere ex Scriptura reſpondent Scribæ & Pontifices (qui tamen poſtea furioſe corrumpere totam Scripturam conati ſunt, ne Chriſto nomen darent) ideo factum eſt, quia nondum moleſtus erat illis Chriſtus cum ſuo Euangelio. Sic omnes impii in generalibus principiis Deo facile ſubſcribunt: ſed ubi propius eos urgere incipit Dei veritas, contumaciæ ſuæ virus evomunt. Cujus rei hodie illuſtre cernimus exemplum in Papiſtis. Chriſtum enim ſine controverſia fatentur unigenitum Dei Filium, carne noſtra indutum: & in duabus naturis unam Dei & hominis perſonam agnoſcunt. ſed ubi ventum eſt ad Chriſti virtutem & officium, mox ardet conflictus: quia in ordinem ſe cogi non ſuſtinent, ac multo minus in nihilum redigi. In ſumma, quatenus nihil ſibi decedere putabunt impii, Deo & Scripturæ aliquid reverentiæ concedent. ſed ubi conſertis manibus cum ambitione, avaritia, faſtu, perverſa fiducia, hypocriſi & fraudibus confligit Chriſtus, tunc omnis modeſtiæ obliti in rabiem feruntur. Sciamus ergo hoſtibus veritatis præcipuam excæcationis cauſam eſſe pravos affectus qui lucem in tenebras convertunt.

6. *Et tu Bethlehem.*] Non dubium eſt quin Scribæ fideliter ſua lingua verborum contextum citaverint, qualis extat apud Prophetam. Sed Matthæus ſatis habuit locum notare. Et quia Græce ſcribebat, receptam lectionem ſequutus eſt. Nam ex hoc loco & ſimilibus colligere promptum eſt, lingua Hebraica non fuiſſe compoſitum ab eo Euangelium. Porro hoc ſemper obſervandum eſt, quoties aliquod Scripturæ teſtimonium citant Apoſtoli, quamvis non reddant verbum ex verbo, imo interdum longe diſcedant: congruenter tamen & appoſite ab illis ad cauſam accommodari. Quare ſemper attendant lectores quorſum adducant Euangeliſtæ Scripturæ locos, ne ſcrupuloſe in ſingulis verbis inſiſtant: ſed contenti ſint hoc uno, quod Scriptura nunquam ab illis torquetur in alienum ſenſum, ſed proprie in genuinum uſum aptatur. Porro quum illis propoſitum fuerit infantes & in fide novitios lactis potu alere, qui ſolidum cibum nondum capere poterant: nulla religio impedit quo minus diligenter & exacte inquirant filii Dei quid contineat Scriptura, atque ita guſtus quem præbent Apoſtoli, eos ad fontem deducat. Nunc redeamus ad vaticinium Michææ. ſic ad verbum legitur apud Prophetam, Et tu Bethlehem Ephrata, parvula ut ſis in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui ſit dominator in Iſrael. Pro Ephrata Matthæus Juda poſuit: ſed eodem ſenſu. Michæas enim Bethlehem, de qua loquitur, tantum hac nota diſcernere voluit ab altera, quæ erat in tribu Zabulon. In reliquo contextu plus eſt difficultatis. dicit enim Propheta exiguam eſſe Bethlehem quæ cenſeatur inter præfecturas Juda: Matthæus contra dignitatem ejus extollit, ut una ſit ex præcipuis. Hæc ratio movit quoſdam interpretes ut interrogative legerent Prophetæ locum. Rectius tamen alii qui Matthæum exiſtimant Dei gratiam voluiſſe in hac mutatione celebrare, quod tenue & obſcurum oppidulum factum fuerat natalis locus ſummi Regis. Cæterum etſi hoc honore excelluit Bethlehem, adeo tamen nihil profuit ejus incolis, ut ceſſerit potius in gravius exitium, quod illic plusquam indigne exceptus fuit Redemptor. Pro Do-

minatore etiam Paſtorem Matthæus reddidit. Quanquam utrumque expreſſit: nempe Cbriſtum eſſe populi ducem, & illi commiſſum eſſe paſcendi munus.

MARC.	LUC.	MATTH. II.

7. Tum Herodes, clam accerſitis Magis, exacte perquiſivit ab illis
quo tempore apparuiſſet ſtella.
8. Et juſſis ire in Bethlehem, dixit, Profecti inquirite de puerulo:
ubi autem inveneritis, renunciate mihi, ut & ego veniam & adorem
eum.
9. At illi audito Rege profecti ſunt: & ecce, ſtella quam viderant
in Oriente præcedebat illos, donec progreſſa ſtaret ſupra locum in quo
erat puer.
10. Quum autem vidiſſent ſtellam, gaviſi ſunt gaudio magno valde.
11. Et ingreſſi domum, invenerunt puerulum cum Maria matre ejus;
& proſtrati adoraverunt illum: & apertis theſauris ſuis obtulerunt illi
munera, aurum, thus, & myrrham.
12. Et oraculo admoniti per ſomnium ne reverterentur ad Herodem, per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam.

7. *Herodes clam acceſſitis.*] Metum & ſollicitudinem profiteri auſus non fuit tyrannus, ne populum armaret audacia: cui ſe inviſum eſſe noverat. Palam ergo diſſimulat hoc ad ſe pertinere, ſed clanculum inquirit, ut occurrat inſtanti periculo. Cæterum quamvis eum mala conſcientia timidum redderet: non dubium tamen eſt quin Deus mentem ejus perculerit iouſitato metu, ut conſilio deſtitutus, menteque alienatus, ad tempus torperet. Nihil enim facilius erat quam officii prætextu unum ex aulicis comitem ſubornare, qui tota re inſpecta mox rediret. Pollebat certe non vulgari aſtutia Herodes: erat in eo rara animi magnitudo. quo magis mirum eſt nunc in extremo diſcrimine, quum tamen in manu ſit remedium, jacere attonitum & fere exanimem. Quare ſciamus non niſi miraculo elapſum tunc fuiſſe Filium Dei ex faucibus leonis. Nec minus hodie dementat hoſtes ſuos Dominus, ne mille nocendi artes excogitent ad perdendam Eccleſiam: imo ne ſæpe occaſiones quæ in promptu ſunt arripiant. Aſtutiam vero qua Magos deceperat, ſe quoque venturum ſimulans adorandi cauſa, Dominus alio modo, ut videbimus, eluſit. Cæterum ut Herodes ſibi à populi tumultu metuens mente privatur: ita rurſum tantus eum furor agitat, nt Deum in ſe concitare non dubitet neque horreat. Sciebat enim, ſiquis Rex natus foret, divinitus eſſe ordinatum ut collapſum Davidis ſolium erigeret. Non ergo homines aggreditur, ſed rabioſe cum Deo bellare audet. Utrumque igitur notandum eſt, ſpiritu vertiginis correptum fuiſſe ut Deum impeteret: pueriliter tamen egiſſe, quia diſſipatum erat ejus conſilium, ut inſtar cæci in tenebris palparet.

9. *Audito Rege profecti ſunt.*] Turpis ſane Judæorum ignavia, quod nemo ſe alienigenis comitem adjungit, ut promiſſum genti ſuæ Regem inſpiciat. Præmonſtrant illis Scribæ viam, & locum deſignant ubi natus eſt: ſinunt tamen ſolos abire, nemo pedem movet. Timebant forte Herodis ſævitiam: ſed hæc qnoque fuit ſceleſta ingratitudo, ſalutis ſibi oblatæ cauſa nolle quicquam diſcriminis ſubire, & Dei gratiam poſtponere tyranni offenſioni. Totum vero populum paulo ante oſtendi nimis fuiſſe degenerem, qui jugo tyrannidis premi maluerit, quam ex mutatione aliquid ſentire incommodi. Ac niſi Magorum animos Spiritu ſuo Deus coofirmaſſet, poterant ad ſcandalum iſtud concidere: non tamen imminuitur ſtudii ardor, ſed abſque comite proficiſcuntur. Nec vero illis deeſt confirmandæ fidei materia, dum audiunt pridem divinis oraculis celebratum eſſe Regem qui illis per ſtellam oſtenſus fuerat. Quod viam iogreſſos ſtella uſque in locum dirigit, facile colligere licet non alia de cauſa prius evanuiſſe, niſi ut Hieroſolymæ de novo Rege ſciſcitarentur: idque ad tollendam excuſationem Judæis, qui poſtquam edocti fuerunt de Redemptore ſibi miſſo, eum tamen ſcientes ac volentes contemnunt.

11. *Invenerunt puerulum.*] Novum ſcandalum objicere potuit Magis tam deforme ſpectaculum, quum adeo nibil regium extaret in Chriſto, ut quovis plebeio infante vilior eſſet ac contemptior. Sed quia perſuaſi ſunt, divinitus conſtitutum eſſe Regem, hæc ſola conceptio eorum animis infixa, Chriſto apud eos reverentiam conciliat: dignitatem enim ejus adhuc occultam conſiderant in Dei conſilio. Et quia certo ſtatuunt alium fore quam nunc appareat, regium honorem deferre minime eos pudet. Porro doois ſuis teſtantur unde ſint oriundi. neque enim dubium eſt quin hæc attulerint tanquam patriæ ſuæ inſignia. Intellige autem non à ſingulis oblatum fuiſſe proprium muous, ſed ab omnibus promiſcue tria quæ referuntur. Quod omnes fere interpretes de regno, ſacerdotio & ſepultura Chriſti philoſophantur, & aurum faciunt Regni ſymbolum, thus Sacerdotii, myrrham Sepulturæ: nihil, meo judicio, ſolidi habet. Scimus Perſis ſolenne fuiſſe, donum aliquod habere in manu quoties Reges ſuos ſalutabant. Eligunt autem Magi tria iſta, quorum proventus Orientem nobilitat. Sicuti Jacob in Ægyptum mittebat pretioſos & ſelectos terræ fructus. Cæterum quum ipſi more Perſico Regem adorantes quem terrenum eſſe adhuc putabant, terræ fructus obtulerint: noſtrum eſt ſpiritualiter eum venerari. Nam hic legitimns eſt ac rationalis cultus quem exigit, ut nos illi primum, deinde & noſtra omnia conſecremus.

Geneſ. 43. verſ. 12.

MATTH.	MARC.	LUC. II.

22. Et poſtquam completi ſunt dies purgationis eorum ſecundum
Legem Moſis, adduxerunt eum Hieroſolymam, ut ſiſterent Domino:
23. Sicut ſcriptum eſt in Lege Domini, Omne maſculinum adaperiens vulvam ſanctum Domino vocabitur:
24. Et ut darent hoſtiam, ſecundum quod dictum eſt in Lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.
25. Et ecce, homo erat Hieroſolymis cui nomen Simeon, & homo
iſte

iſte juſtus ac pius, expectans conſolationem Iſraël, & Spiritus ſanctus erat ſuper eum.

26. Et reſponſum acceperat à Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem niſi prius videret Chriſtum Domini.

27. Et venit per Spiritum in templum. Et quum inducerent puerulum Jeſum parentes, ut facerent ſecundum conſuetudinem Legis pro eo:

28. Ipſe quoque accepit eum in ulnas ſuas: & benedixit Deum, ac dixit,

29. Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum, in pace:

30. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum,

31. Quod paraſti ante faciem omnium populorum:

32. Lumen ad revelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël.

22. *Et poſtquam completi.*] Die à partu quadrageſimo purgationis ritum peragi oportuit. Veniunt tamen Hieroſolymam Maria & Joſeph alterius rei etiam cauſa, ut Chriſtum, quia primogenitus erat, Domino ſiſtant. Nunc priore loco de purgatione dicendum eſt. eam Lucas Mariæ & Chriſto facit communem: nam pronomen *eorum*, ad Joſeph nullo modo referri poteſt. Nihil autem abſurdi, quod Chriſtus, qui pro nobis execratio futurus erat in cruce, immunditiem noſtram, quamvis à culpa & vitio immunis eſſet quoad reatum, ſuſceperit noſtra cauſa: hoc eſt, ſi fons puritatis, ut ſordes noſtras ablueret, cenſeri voluerit immundus. Falluntur qui putant legem hanc nonniſi politicam fuiſſe: acſi mulier coram marito ſuo, non coram Deo, immunda foret. Quin potius tam naturæ ſuæ corruptio Judæis ante oculos poſita fuit, quam divinæ gratiæ remedium. Atque una iſta lex ad probandum originale peccatum abunde ſufficit, ut inſigne teſtimonium continet gratiæ Dei. neque enim clarius oſtendi potuit humani generis maledictio, quam quum teſtatus eſt Dominus, infantem ex matre prodire impurum & pollutum, atque adeo matrem ipſam partu inquinari. Certe, niſi homo naſceretur peccator, & natura eſſet filius iræ, atque in eo reſideret aliqua peccati labes, purgatione non egeret. Quare ſequitur omnes in Adam fuiſſe corruptos, quando pollutionis damnantur ore Domini. Nec obſtat quod
Rom. 11. alibi vocantur Judæi rami ſancti ex radice ſancta:
verſ. 16. quia hoc bonum illis quaſi adventitium erat. Etſi enim adoptionis privilegio ſegregati erant in populum electum: prior tamen ordine erat hæreditaria ex Adam corruptio. Diſtinguere ergo convenit inter primam naturam, & peculiare fœderis beneficium quo Deus ſuos à communi maledictione liberat. Atque huc ſpectabat Legalis purgatio, ut ſcirent Judæi abſtergi Dei gratia quas ſecum in mundum ſordes naſcendo attulerant. Hinc etiam diſcendum eſt quam horribilis ſit peccati contagio, quæ legitimum naturæ ordinem aliqua ex parte inquinat. Fateor quidem neque puerperium immundum eſſe, imo fateor libidinis vitium conjugii ſanctitate tegi: ſed interim tam profunda ac fœcunda eſt peccati ſcaturigo, ut inde ſemper ebulliant aliqua vitia, quæ maculis aſpergunt quicquid alioqui purum erat.

23. *Sicut ſcriptum eſt in Lege.*] Hoc alterum pietatis officium fuit, quo defuncti ſunt Joſeph & Ma-
Num. 3. ria. Jubebat Dominus omnes maſculos ſibi dicari in
verſ. 13. redemptionis memoriam: quia quum Angelus omnia primogenita Ægypti interficeret, primogenitis Iſraël pepercerat. Poſtea cuique licebat primogenitum ſuum certo pretio redimere. illa fuit vetus cæremonia. Nunc quum Dominus communis omnium ſit redemptor, jure nos ſibi à minimo uſque ad maximum vendicat. Porro non fruſtra ſæpius repetit Lucas, Joſeph & Mariam feciſſe quod præſcriptum erat in Lege Domini. Docemur enim his verbis, nihil proprio arbitrio tentandum eſſe in cultu Dei, ſed obedienter ſequendum eſſe quod verbo ſuo præcipit.

24. *Et ut darent hoſtiam.*] Sacrificium hoc ad ritum purgationis ſpectabat, ne quis putet oblatum eſſe redimendi primogeniti cauſa. Quum par turturum vel duas columbas nominat Euangeliſta, pro confeſſo ſumit tantam fuiſſe inopiam Joſeph & Mariæ, ut ad offerendum agnum non ſufficeret facultas. Nam hæc exceptio diſerte ponitur Levit. cap. 12. verſ. 6. Siquis objiciat, aurum paulo ante à Magis fuiſſe oblatum unde emerent: reſpondeo, non eſſe fingendam nobis auri copiam quæ repente pauperes ditaverit. Non enim legimus onuſtos fuiſſe auro camelos: ſed potius credibile eſt fuiſſe exiguum aliquod libamen quod tantum honoris cauſa attulerant. Nec vero Lex præciſe mandabat ut in ſacrificium conſumerent tenues ſuam ſubſtantiam: ſed à divitibus in ſacrificiis eos diſcernens, ſumptu eos levabat. Quare nihil erit incommodi, ſi dicamus Joſeph & Mariam dediſſe quantum ferebat ipſorum conditio: etiamſi quid pecuniæ ad tolerandos itineris & vitæ ſumptus repoſitum haberent.

25. *Ecce, homo erat Hieroſolymis.*] Hiſtoria hæc refertur, ut ſciamus, quum ſe totus fere populus impio Dei contemptu profanaſſet, paucos tamen ſuperfuiſſe Dei cultores, & Chriſtum ab illis fuiſſe cognitum à prima uſque infantia. Iſtæ erant reliquiæ, quas Paulus ſecundum gratuitam Dei electionem ſervatas fuiſſe docet. Atque in hac exigua manu incluſa erat Eccleſia Dei: quamvis Sacerdotes & Scribæ Eccleſiæ titulum non minus ſuperbe quam falſo jactarent. Duos tantum commemorat Euangeliſta qui Hieroſolymæ Chriſtum agnoverint quum in templum adductus eſt, Simeonem & Annam. Ac de Simeone prius dicendum eſt. Qualis fuerit ejus conditio, non legimus: & fieri poteſt ut fuerit plebeius quiſpiam homo, & obſcuræ famæ. Cæterum à pietate & juſtitia eum commendat Lucas, quibus addit Prophetiæ donum. Pietas & juſtitia referuntur ad duas Legis tabulas. itaque duabus his partibus conſtat integritas vitæ. Pietatis teſtimonium fuit quod expectaret conſolationem Iſrael. neque enim ſine fiducia ſalutis rite colitur Deus: quæ tum ex fide promiſſionum ejus pendet, tum maxime ex inſtauratione per Chriſtum promiſſa. Jam vero quum talis expectatio in Simeone laudetur quaſi rara virtus, hinc collige paucos tunc fuiſſe qui ſpem redemptionis vere in cordibus ſuis foverent. Omnibus quidem in ore erat Meſſias, & beatus ſtatus ſub regno Davidis: ſed nemo fere interim patienter ferebat præſentes miſerias, hac conſolatione fretus quod inſtaret Eccleſiæ redemptio. Sicuti autem in hoc enituit Simeonis pietas quod animum ſuum ſuſtinuit in expectatione promiſſæ ſalutis: ita & hodie quicunque probare ſe volunt Dei filios, ſuſpirent continuis votis ad promiſſam redemptionem. Nam tolerantia opus eſt uſque ad ultimum Chriſti adventum. *Spiritus ſanctus erat ſuper eum.* Non loquitur

de

de Spiritu adoptionis, qui omnibus Dei filiis communis eſt, licet non æquali modo: ſed de peculiari dono Prophetiæ. quod clarius patet ex proximo verſu & ſequenti, ubi dicitur, Reſponſum accepiſſe à Spiritu ſancto, & eodem Spiritu duce veniſſe in templum. Quamvis ergo nullo publico honore excelleret Simeon, egregiis tamen dotibus ornatus fuit, pietate, vitæ innocentia, fide & prophetia. Nec dubium eſt quin oraculum iſtud unus privatim acceperit ut communis inde ad pios omnes confirmatio manaret. Vocatur Jeſus, Chriſtus Dei: quia à Patre unctus eſt, & una cum Spiritu, Regni & Sacerdotii honorem accepit. Veniſſe Simeon in templum dicitur in Spiritu: hoc eſt, arcano inſtinctu & certa revelatione, ut Chriſto occurreret.

29. *Nunc dimittis.*] Ex hoc cantico ſatis conſtat Simeonem aliis quam carnis oculis intuitum eſſe Filium Dei: exterior enim Chriſti conſpectus nihil poterat quam contemptum inducere: ſaltem nunquam ita ſatisfeciſſet animo ſancti viri, ut lætus & ſummæ votorum ſuorum compos ad mortem properaret. Ergo Spiritus Dei fide illuminavit ejus oculos, ut gloriam Filii Dei in ſordido contemptoque habitu cerneret. Quum dicit, Se in pace dimitti, intelligit tranquillo ſe animo, ut qui expletus ſit ac potitus ſuis deſideriis, moriturum. Sed quæritur, ſi prius migrandum fuiſſet è vita, an cum perturbatione & tumultu, ut ſolent inviti, tractus fuiſſet Simeon? Reſpondeo, notandam eſſe circumſtantiam quæ additur, *Secundum verbum tuum.* Nam quum Deus Filii ſui conſpectum pollicitus eſſet, merito ſuſpenſus hærebat: imo anxie illum vivere oportuit, donec compos factus eſſet ſpei ſuæ. Hoc ideo tenendum eſt, quia multi falſo & perperam Simeonis exemplum obtendunt, libenter ſe morituros jactantes ſi hac vel illa re ante frui daretur: quum tamen temere pro ſua libidine ſibi vota concipere permittant, vel ſpes vanas fabricare abſque Dei verbo. Si præciſe dixiſſet Simeon, Nunc ſedato animo & quieto moriar, quia vidi Filium Dei: hac voce fidei ſuæ debilitatem proderet: ſed quia verbum habebat, ſecundum fidei regulam illi mortem fugere licuit uſque ad Chriſti adventum.

30. *Quia viderunt oculi mei.*] Quanquam hic loquendi modus frequenter occurrit in Scripturis, videtur tamen diſerte his verbis exprimi corporalis aſpectus Chriſti: acſi diceret Simeon, ſe jam habere Filium Dei carne præſentem, in quem mentis oculos prius intentos habuerat. *Salutare* accipio pro ſalutis materia: quia in Chriſto reconditæ ſunt omnes ſalutis & beatæ vitæ partes. Jam ſi tantum apud Simeonem valuit Chriſti adhuc infantis conſpectus ut mortem hilaris atque tranquillus adiret: quanto uberior nobis hodie tranquillæ pacis materia ſuppetit, quibus contigit omnes ſalutis noſtræ numeros in Chriſto completos videre? Non verſatur quidem in terris Chriſtus, nec eum geſtamus inter ulnas; ſed in Euangelio divina ejus majeſtas clare & palam refulget, & ſe illic nobis quaſi facie ad faciem, ut inquit Paulus, conſpicuum exhibet: neque amplius in carnis infirmitate, ſed in magnifica virtute Spiritus, quam in miraculis, in ſacrificio mortis ſuæ, in reſurrectione exeruit. In ſumma, ſic corpore à nobis abeſt ut ipſum tamen intueri conveniat ſedentem ad Patris dexteram. Niſi talis conſpectus pacem nobis conciliat, ut alacres ad mortem pergamus, pluſquam ingrati ſumus Deo, & maligne reputamus quanto nos honore dignatus ſit.

2 Cor. 3. verſ. 18.

31. *Quod paraſti.*] Significat his verbis Simeon, Chriſtum divinitus ordinatum eſſe ut ejus gratia fruantur omnes populi: & paulo poſt in ſublimi locandum, ut in ſe convertat omnium oculos. Atque hoc verbo complectitur quæcunque extant vaticinia de propagando regno Chriſti. Quod ſi tenerum infantem ulnis ſuis complectens Simeon, mentem ſuam extendere potuit ad extremos uſque mundi fines, ut præſentem ejus potentiam ubique agnoſceret: quanto hodie ſplendidius nos de ipſo ſentire convenit ex quo erectus eſt in vexillum Gentibus, ſeque patefecit toti mundo?

32. *Lumen ad revelationem.*] Nunc oſtendit Simeon in quem finem producendus ſit à Patre Chriſtus coram omnibus populis: nempe ut Gentes illuminet, quæ prius fuerant in tenebris: & gloria ſit populi Iſraël. Nam inter hunc & illas non ſine cauſa diſtinguit: quia jure adoptionis, propinqui Deo erant Abrahæ filii: Gentes autem quibuſcum nullum erat Dei fœdus, ab Eccleſia extraneæ. Qua ratione Iſraël alicubi non tantum filius Dei, ſed etiam primogenitus vocatur. Et Paulus docet Chriſtum veniſſe ut miniſter eſſet Circumciſionis ſecundum promiſſiones Patribus datas. Cæterum ita præfertur Iſraël Gentibus, ut communiter omnes ſalutem in Chriſto obtineant. Lumen ad revelationem, tantundem valet acſi dictum eſſet, Illuſtrandis Gentibus. Unde colligimus homines naturaliter luce privatos eſſe donec illis affulgeat Sol juſtitiæ Chriſtus. Quantum ad Iſraëlem ſpectat, quamvis ſummo honore à Deo affectus eſſet, Simeon tamen admonet totam ejus gloriam ab uno capite pendere, quod illi promiſſus eſſet Redemptor.

Jer. 31. verſ. 9.
Rom. 15. verſ. 8.

Matth.	Marc.	Luc. II.

33. Et erant pater ejus & mater mirantes ſuper iis quæ dicebantur de illo.

34. Et benedixit illis Simeon: & dixit ad Mariam matrem ejus, Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſraël, & in ſignum cui contradicitur.

35. Quin & tuam ipſius animam penetrabit gladius, ut retegantur ex multis cordibus cogitationes.

36. Et erat Anna Propheteſſa, filia Phanuel, è tribu Aſer: hæc proceſſerat in multam ætatem, & vixerat cum viro annos ſeptem à virginitate ſua.

37. Et hæc vidua annorum fere octoginta quatuor, quæ non diſcedebat è templo, jejuniis & precationibus *Deum* colens die & nocte.

38. Et hæc eadem hora ſuperveniens, viciſſim confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem in Jeruſalem.

39. Et ut perfecerunt omnia ſecundum Legem Domini, reverſi ſunt in Galilæam, in civitatem ſuam Nazareth.

33. *Pater ejus & mater mirantes.*] Non ſignificat Lucas obſtupuiſſe quaſi ad rem novam, ſed reverenter conſideraſſe, & qua decebat admiratione ampleaos eſſe hoc Spiritus vaticinium ex ore Simeonis, ut magis ac magis in Chriſti cognitione proficereot. Atque hoc exemplo docemur, poſtquam ſemel imbuti fuimus recta fide, colligenda eſſe quæcunque in ejus confirmationem valere poſſunt adminicula. Ille eoim demum rite profecit in Dei verbo, qui non deſinit mirari quicquid quotidie ex lectione vel auditu ad continuos fidei progreſſus accedit.

34. *Benedixit illis Simeon.*] Si ad Joſeph & Mariam reſtingas, nihil erit difficultatis: ſed quia videtur Lucas Chriſtum ſimul complecti, quæri poſſet quo jure benedicendi ejus munus ſibi uſurpaverit Simeon. benedicitur enim minor à majore, ut docet Apoſtolus. Deinde abſurdum videtur ut preces quiſpiam mortalis bomo coocipiat pro Filio Dei. Reſpondeo, Apoſtolum non de qualibet, ſed tantum de Sacerdotali benedictione loqui. nam homines ſibi alias mutuo bene precantur. Magis autem probabile eſt Simconem ut hominem privatum & uoum quemlibet è populo, illis benedixiſſe, quam in publica perſona. nam, ut prius dictum eſt, ouſquam Sacerdos fuiſſe dicitur. Cæterum nihil abſurdi eſt ſi pro felici regni Chriſti ſucceſſu oraſſe dicamus, quia banc εὐλογίαν piis omoibus in Pſalmo Spiritus dictat. *Ecce poſitus eſt hic.* Proprie quidem ad Mariam ſermonem hunc direxit Simeon: communiter tamen ad pios omnes ſpectat. Hac admonitione opus habuit ſancta Virgo, oe lætis initiis (ut ſolet plerumque fieri) exultans, ad ſuſtinendos triſtes eventus minus compoſita eſſet. Deinde, ne ſperaret commuoi rotius populi applauſu recipiendum eſſe Chriſtum: ſed potius ut iovicto animi robore adverſus contrarios omnes inſultus munita eſſet. Interim vero communem piis omnibus doctrinam tradere voluit Dei Spiritus, ut muodum impia contumacia Chriſto reſiſtentem cernentes, cum tali nihilominus duritie confligant, neque frangantur. Scimus quam grave & arduum nobis obſtaculum ſit mundi iaeredulitas. atqui ſuperari à nobis convenit, ſi in Chriſtum credere volumus: neque enim unquam ita bene compoſitæ fuerunt res humanæ ut major pars Chriſtum ſequeretur. Quare his rudimentis imbui neceſſe eſt quicunque nomen Chtiſto daturi ſunt, & his armis inſtrui ut in ejus fide perſiſtant. Hæc autem longe graviſſima tentatio fuit, quod à ſuis agnitus non fuit Chriſtus, imo contumelioſe rejectus ab eo populo qui ſe Dei Eccleſiam eſſe gloriabatur: præſertim vero quod Sacerdotes & Scribæ, penes quos Eccleſiæ regimen erat, illi infeſtiſſimi fuerunt hoſtes. quis enim putaſſet eorum eſſe Regem à quibus tam indigne probroſeque rejici videret? Ergo non abs re prædicit Simcon, Chriſtum poſitum eſſe multis in ruinam, & quidem in populo Iſraël. Senſus autem eſt, Divinitus eſſe ordinatum ut multos dejiciat ac præcipitet. Sed notandum eſt, ruinam inde procedere quod increduli io eum impingunt. quod paulo poſt exprimitut, ubi Simeon vocat Signum contradictorium. Ergo quia rebelles ſunt Chriſto increduli, ad eum ſe allidunt: unde ſequitur eorum ruina. Eſt autem deducta metaphora à ſcopo in quem collimant jaculatores: acſi dixiſſet Simeon, Hinc perſpicitur hominum malitia, imo totius humani ingenii pravitas, quod omnes Dei Filio quaſi facta conſpiratione obſtrepuot ac reclamant. neque enim talis eſſet mundi conſenſus ad contradicendum Euangelio, niſi quoddam eſſet velut naturale diſſidium inter Filium Dei & homines ipſos. Etſi autem inter ſeipſos diſſident Euangelii hoſtes (ut eos in diverſas partes rapit ſua ambitio vel furor, ut factioſi ſcinduntur in diverſa ſtudia, ut ſuperſtitionum multiplex eſt varietas quæ idololatras disjungit) in hoc tamen conſentiunt omnes ut Filio Dei reclameot. Quamobrem vere dictum eſt, nimis luculeotum eſſe ſpecimen humanæ pravitatis, quod paſſim Chriſto contradicitur. Etſi autem immane portentum eſt quod mundus in ſuum opificem ita inſurgit: quia tamen id futurum prædixit Scriptura, & ratio palam apparet, quod ſcilicet bomioes ſemel alienati à Deo per peccatum, ſemper illum fugiunt: non eſt quod nos perturbent ejuſmodi exempla, ſed potius iis armis inſtructa fides noſtra ſe ad pugnandum accingat cum mundi contradictione. Porro quia nunc Iſraëlem Deus ſibi collegit ex roto mundo, & nullum eſt amplius diſcrimen Judæi & Græci, idem nunc accidere oportet quod tunc factum eſſe legimus. Dixerat jam ſuo ſeculo Eſaias, Ecce Dominus erit duabus familiis Iſraël *Jeſ. 8.*
io ſcandalum & ruinam. Ab eo tempore nunquam *verſ. 14.*
fere ceſſarunt Judæi adverſus Deum impingere: ſed maxime violentus fuit conflictus adverſus Chriſtum. Nunc eundem furorem imitantur qui ſe Chriſtianos vocant: imo qui ſuperbe ſibi arrogant Eccleſiæ primatum, ſæpe quicquid babent potentiæ ad opprimendum Chriſtum conferunt. ſed meminerimus nibil eos aliud proficere niſi ut tandem frangantur ac conterantur. Nam ſub voce Ruinæ ita pœnam Spiritus iocredulis denunciat: ut diſcamus quam longiſſime ab ipſis recedere, ne ſocietas eodem nos exitio involvat. Nec vero minus propterea amandus eſt Chriſtus quod eo ſurgente multi corruunt: quia Deo gratus & ſuavis non deſinit eſſe Euangelii odor, quamvis exitialis ſit impio mundo. Siquis roget quomodo ruinæ ſit occaſio Chriſtus incredulis qui jam extra ipſum perditi ſunt: facilis reſponſio eſt, bis perire qui oblata ſibi divinitus ſalute ultro ſe privant. Ergo ruina duplicem pœnam ſignificat, quæ omnes incredulos manet poſtquam ſcieotes & volentes cum Filio Dei conflixerint. *In reſurrectionem.* Priori membro opponitur hæc conſolatio, quæ rem ſenſui noſtro odioſam mitiget. hoc enim triſte eſt auditu, ſi nibil aliud addatur, Chriſtum eſſe lapidem ſcandali, qui ſua duritie magnam hominum partem franget ac conteret. Ergo ad diverſum ejus officium nos revocat Scriptura, quod fundata in eo
bominum ſalus conſiſtat: ſicut Jeſaias etiam loqui- *Jeſ. 8.*
tur, Dominum exercituum ſanctificate, ſit ipſe ti- *verſ. 13.*
mor veſter; & erit vobis in ſanctuarium, vel arcem
munitam. Clarius vero Petrus, Ad quem acceden- *1 Pet. 2.*
tes, lapidem vivum, ab hominibus quidem reproba- *verſ. 4.*
tum, à Deo autem electum & honorifice evectum: ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini. Nam ſic continet Scriptura, Ecce pono in Sioo lapidem angularem, probatum, electum, pretioſum: qui crediderit in eo, non pudefiet. Vobis ergo credentibus pretioſus eſt: non credentibus autem, lapis quem reprobaverunt ædificantes, &c. Ergo ne Chriſtum nobis formidabilem reddat elogium illud, quo vocatur Chriſtus lapis ſcandali, ſtatim è regione occurrat, ipſum quoque vocari lapidem angularem, quo ſuſtinetur piorum omnium ſalus. Imo ſuccurrat, illud eſſe accidentale: boc vero genuinum & proprium. Notatu præterea dignum eſt quod oon vocatur Chriſtus piorum fultura, ſed reſurrectio. neque enim is eſt hominum ſtatus in quo illis manere expediat. Ante ergo reſurgere à morte oportet, quam vivere incipiant.

35. *Tuam ipſius animam.*] Hæc admonitio ad confirmandum ſanctæ Virginis animum valere debuit, ne mœrori ſuccumberet ubi ventum eſſet ad tam acres pugnas quæ illi fuerunt ſubeundæ. Cæterum etſi variis teotationibus agitata fuit & vexata ejus fides, acerrimum tamen illi cum cruce certamen fuit, Chriſtus ea tinctus videri poterat. Etſi autem mœrore nunquam abſorpta fuit, non tamen ſaneum fuit ejus pectus quin graviter ſauciaretur, ſicuti conſtantia ſanctorum à ſtupore multum differt. *Ut retegantur ex multis cordibus.* Quidam boc membrum connectunt cum illa ſententia magis remota, Quod Chri-

ſtus

ſtus poſitus ſit in ruinam, &c. parentheſi includunt quod proxime expoſuimus de gladio. ſed meo judicio ſatius eſt ad totum complexum referre. Particula vero *ut*, non hic eſt proprie cauſalis, ſed tantum conſequentiam notat. Nam quum exoritur lux Euangelii, & deinde ſurgunt perſequutiones, ſimul emerguot cordium affectus antea occulti: nam tales ſunt humanæ ſimulationis latebræ, ut facile extra Chriſtum lateant. Sed Chriſtus luce ſua fucos omnes abſtergit, & hypocriſin denudat. Ideo jure illi tribuitur officium hoc, quod in apertum proferat arcana cordis. Sed ubi ad doctrinam crux accedit, corda magis ad vivum examinat. Nam qui externa profeſſione Chriſtum amplexi erant, abhorrent à ferenda cruce: & quia Eccleſiam vident ſubjectam variis ærumnis, ſtationem ſuam facile deſerunt.

36. *Erat Anna Prophetiſſa.*] Duos tantum recenſet Lucas à quibus exceptus fuerit Chriſtus: idque eo conſilio ut diſcamus toti mundo præferre quod Dei eſt, quantumvis ſit exiguum. Erat tunc quidem in Scribis & Sacerdotibus magnus ſplendor: ſed quum in Simeone & Anna reſideret Dei Spiritus, quo prorſus vacui erant Principes, plus duo iſti ſoli merentur reverentiæ, quam ingens eorum turba qui tantum inanibus larvis ſuperbiunt. Hac ratione exprimitur Annæ ætas, & Prophetiſſæ titulo ornatur: tertio inſigne illi pietatis, ſanctæ & caſtæ vitæ teſtimonium redditur. hæc enim ſunt quæ hominibus auctoritatem & pretium jure conciliant. Et certe non alios decipit larvarum ſplendor vel inanis pompa, quam qui pro ingenii ſui vanitate fallaciis addicti ſunt. Dicitur vixiſſe annis ſeptem cum viro à virginitate ſua, ut ſciamus fuiſſe viduam in ipſo ætatis flore: virgo enim oupſerat, & paulo poſt marito privata. quod autem abſtinuit à ſecundis nuptiis quum adhuc vegeto eſſet corpore, hac circumſtantia augetur pudicitiæ laus. Quod tamen ſequitur, bifariam exponi poteſt, viduam fuiſſe annorum ferme octoginta quatuor: nempe quod ab ejus cœlibatu elapſum fuerit illud tempus, vel quod tamdiu vixiſſet. Si annos octoginta quatuor à viduitate numeres, ſequetur majorem fuiſſe centenaria. ſed hoc in medio relinquo. Quod autem in paucis quibuſdam adhuc lucebat Spiritus prophetiæ, iis quaſi teſſeris comprobata fuit Legis doctrina & Judaica religio, donec veniret Chriſtus. ſiquidem in tam vaſta diſſipatione talibus adminiculis retineri neceſſe fuit Dei electos, ne diffluerent.

37. *Non diſcedebat è templo.*] Hyperbolica eſt loquutio, cujus tamen clarus eſt ſenſus: Annam prope aſſiduam in templo fuiſſe. Addit Lucas ipſam jejuniis ac deprecationibus continuis coluiſſe Deum. Unde colligimus non frequentaſſe templum quaſi hoc nudo officio defungi vellet, ſed ſimul junxiſſe alia pietatis exercitia. Cæterum notare operæpretium eſt, non eandem hic omnibus regulam præſcribi: neque etiam promiſcue trahi debere in exemplum quæ hic in vidua muliere laudantur officia. prudenter enim diſcernere oportet quid cujuſque vocationi conveniat. Stulta enim æmulatio ſimiis mundum replevit, dum cupide magis quam ſcienter arripiunt ſuperſtitioſi quicquid in ſanctis laudari audiunt: quaſi vero, ut diſtincti ſunt ordinum gradus, ita non etiam habendus ſit delectus operum, ut ſinguli vocationi ſuæ reſpondeant. Quod hic refertur de Anna, Paulus ad viduas ſpecialiter reſtringit. Præpoſtere ergo faciunt conjuges ſi ad exemplum diſſimile vitam ſuam forment. Supereſt tamen adhuc ſcrupulus, quod videtur Lucas partem divini cultus in jejuniis ſtatuere. ſed notandum eſt, ex operibus quæ ad cultum ſpectant, alia ſimpliciter requiri, atque (ut loquuntur) per ſe eſſe neceſſaria: alia vero quæ accedunt, referri in hunc finem ut prioribus illis obſerviant. Precationes ad Dei cultum proprie faciunt: jejuoium vero, inferius ſubſidium eſt. quod non aliter Deo probatur niſi quatenus precandi ſtudium & ardorem adjuvat. Tenenda enim regula eſt, Æſtimari bominum officia à recto & legitimo fine. Tenenda etiam diſtioctio, quod directe precibus colatur Deus: jejuniis vero nonniſi propter conſequeotiam. Neque vero dubium eſt quin jejunia ſua retulerit ſancta mulier ad lugendam quæ tunc erat Eccleſiæ calamitatem.

38. *Viciſſim confitebatur.*] Sanctam melodiam, quæ reſonabat in linguis Simeonis & Annæ, commendat Lucas, ut ſe mutuo hortentur fideles ad canendas uno ore Dei laudes, & alii aliis viciſſim reſpondeant. Quum dicit loquutam fuiſſe Annam omnibus qui expectabant redemptionem, piorum paucitatem iterum deſignat. caput enim fidei ſitum erat in bac expectatione. Paucos autem fuiſſe apparet qui eam vere in animis ſuis foverent.

39. *Reverſi ſunt in Galilaam.*] Facile quidem admitto, profectionem Ægyptiacam intermediam fuiſſe: & quod dicit Lucas, eos habitaſſe in urbe ſua Nazareth, ordine eſſe poſterius fuga in Ægyptum, quam Matthæus refert. Porro ſi abſurdum non eſt ab nno Euangeliſta omitti quod ab altero narratur, nihil etiam obſtat quin Lucam, reſecto tempore cujus nullam facere mentionem inſtituerat, tranſitum ſibi feciſſe dicamus ad hiſtoriam ſequentem. Sed interim eorum commento minime aſſentior, qui Joſeph & Mariam, peracto purgationis ſacrificio, fingunt reverſos fuiſſe in Bethlehem ut illic degerent. Stulte enim imaginantur fuiſſe illic domicilium Joſeph, ubi adeo ignotus erat ut hoſpitium nullum invenire potuerit. Nec temere Lucas tam ejus quam Mariæ urbem vocat Nazareth. Unde colligimus nunquam ipſum habitaſſe in Bethlehem, licet inde oriundus eſſet. De ſerie vero temporum mox plenius diſſeram.

MARC.	LUC.	MATTH. II.

13. Digreſſis autem illis, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens, Surge & aſſume puerulum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & eſto illic donec dixero tibi: futurum eſt enim ut Herodes quærat puerulum ad perdendum eum.

14. Ille vero excitatus aſſumpſit puerulum & matrem ejus noctu, & ſeceſſit in Ægyptum.

15. Et fuit illic uſque ad obitum Herodis: ut perficeretur quod dictum fuerat à Domino per Prophetam, dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum.

16. Tunc Herodes ubi vidit ſibi illuſum fuiſſe à Magis, indignatus eſt vehementer, & mittens interfecit omnes pueros qui erant in Bethlehem & omnibus ejus finibus, à bimatu, & infra: ſecundum tempus quod exquiſierat à Magis.

17. Tunc perfectum eſt quod dictum fuerat ab Jeremia Propheta, quum ait,

18. Vox in Rhama audita eſt, lamentatio, ploratus, & fletus multus: Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolationem admittere, propterea quod non ſint.

13. *Digreſſi autem.*] Quot dies interceſſerint à diſceſſu Magorum uſquedum Joſeph in Ægyptum fugere juſſus eſt, neſcitur, neque etiam magnopere pertinet: niſi quod probabile eſt, Dominum Mariæ pepercisse donec ex puerperio convaluit, ut iter facere poſſet. Hoc vero admirabile fuit Dei conſilium, quod Filium ſuum fuga ſervare voluit. Nec vero dubium eſt quin perículoſis tentationibus agitata fuerit mens Joſeph, quum nihil ſpei niſi in fuga oſtenderetur. nulla enim in fuga erat divini præſidii ſpecies. Deinde minime conſentaneum erat non poſſe niſi hominis mortalis opera ſervari qui futurus erat omnium Servator. Verum hanc moderationem tenuit Deus in Filio ſuo ſervando, ut cæleſtis ſuæ potentiæ ſigna aliqua daret: nec tamen ipſam ita redderet conſpicuam, quin lateret ſub ſpecie infirmitatis. nondum enim Chriſti palam glorificandi maturum erat tempus. Quod Angelus rem occultam & humanitus ignotam prædicit, clarum eſt divinitatis ſpecimen: quod fuga & exilio tegere jubet vitam pueri, pertinet ad carnis infirmitatem cui ſubjectus erat Chriſtus. Cæterum hinc docemur, Deum non uno ſemper modo ſervare ſuos: ſed nunc magnifice exerere virtutem ſuam, nunc vero ex obſcuris integumentis vel umbris tenues ejus ſcintillas proferre. Jam iſta mirabilis ratio ſervaodi ſub cruce Filii Dei, nos docet perperam facere qui certam Deo viam præſcribunt. Sinamus ergo diſparibus modis ſalutem noſtram ab eo promoveri, nec recuſemus humiliari, quo melius ipſe gloriam ſuam illuſtret. Præſertim vero minime fugienda nobis eſt crux, qua Filium ſuum à prima uſque iofantia exercuit. Porro fuga hæc pars eſt ſtultitiæ crucis: ſed quæ excellit ſupra omnem mundi ſapientiam. Ut ſuo tempore prodeat Judææ ſervator, ex ea fugere cogitur: & eum alit Ægyptus, ex qua nihil prius niſi Eccleſiæ Dei lethale prodierat. Quis non ad opus Dei tam inopinatum ſtupeat? Quod Joſeph confeſtim obtemperat mandato Angeli, hinc rurſus ſomnii certitudinem collige. talis enim obſequii alacritas clare oſtendit, minime eum dubitaſſe quin Deum haberet fugæ capeſſendæ auctorem. Videtur tamen hoc poſſe diffidentiæ tribui quod tam cito properat. neque enim trepidatione caruit nocturna fuga. Sed facilis eſt excuſatio. videbat ſalutis modum ſibi divinitus ordinari humilem & abjectum: fas ergo ſibi eſſe colligit, trepide (ut in ultimis periculis fieri ſolet) fugam arripere. Ita ſemper ad Dei prædictiones metum noſtrum attemperare convenit. quibus ſi conſentiat, non repugnabit fidei. *Eſto illic donec dixero.* His verbis ſignificat Angelus vitam pueri etiam in poſterum fore curæ Deo. & hac confirmatione opus habuit Joſeph, ut certo ſtatueret Deum non modo ſibi eſſe ducem itineris, ſed in exilio quoque perpetuum fore cuſtodem. Atque hoc modo ſedare voluit Dominus multas curas, quibus æſtuare cor ſancti viri poterat, ut quietus maneret in Ægypto. Nullum enim alioqui momentum ſine variis torminibus præteriſſet: quum ſe non modo hæreditate à Deo ſanctis omnibus promiſſa, ſed templo, ſacrificiis, publica fidei profeſſione privatum cernens, inter peſſimos Dei hoſtes, & profundo ſuperſtitionum gurgite ageret. Geſtabat quidem ſecum in perſona infantis quicquid unquam bonorum ſperaverant Patres, vel illis pollicitus erat Dominus: ſed quia nondum tantos in fide & Chriſti notitia fecerat progreſſus, contineri hoc mandato neceſſe habuit, Eſto illic donec tibi dixero: ne moleſtum illi eſſet, patria extorrem inter Ægyptios languere.

15. *Ex Ægypto vocavi.*] Quia Matthæus completum dicit vaticinium, putarunt multi non aliud Prophetam voluiſſe quam quod exprimitur: atque hunc ſibi finxerunt ſenſum, ſtulte facere Judæos dum Filium Dei oppugnant & opprimere conantur, quia Pater eum ex Ægypto vocaverit. Atqui in hunc modum perperam torquentur Prophetæ verba, cujus conſilium eſt ingratitudinis reos facere Judæos, qui à prima ſua infantia & origine Deum experti pluſquam benignum & beneficum patrem, novis tamen peccatis ſubinde provocent. Proinde ſit hoc nobis extra cootroverſiam, locum non debere ad Chriſtum reſtringi. Neque tamen à Matthæo torquetur, ſed ſcite aptatur ad præſentem cauſam. Sic intelligi debent verba Prophetæ, Quum puer adhuc eſſet Iſraël, eduxi eum è miſera illa ſervitute in qua demerſus erat. Prius ſimilis fuerat mortuo, & Ægyptus illi erat inſtar ſepulchri: ego autem inde, quaſi ex utero, eductum, in lucem vitæ protuli. Merito autem ſic loquitur Dominus: quia liberatio illa, quædam fuit populi nativitas. tunc enim palam factæ ſunt adoptionis tabulæ, quum Lege promulgata receptus eſt in peculium Dei, regnum ſacerdotale, & gentem ſanctam: quum ab omnibus populis fuit ſegregatus: quum denique ut in medio ejus habitaret, Dominus ſibi tabernaculum erexit. Perinde igitur valent Prophetæ verba acſi dixiſſet, populum ex Ægypto non ſecus ac profundo mortis gurgite, ereptum eſſe. Jam redemptio per Chriſtum allata, quid aliud quam reſurrectio à morte, & novæ vitæ ioitium fuit? Prope enim lux ſalutis tunc extincta erat, quum Deus in Chriſti perſona Eccleſiam ſibi denuo genuit: tunc ex Ægypto prodiit Eccleſia in ſuo capite, ſicuti totum inde corpus ante eductum fuerat. Facit autem hæc analogia, ne videri debeat abſurdum quod partem aliquam pueritiæ ſuæ Chriſtus in Ægypto tranſegit. quin potius eo illuſtrior fuit Dei gratia & virtus, & admirabile conſilium magis enituit, quod lux è tenebris, & ex inferis vita emerſit. Poſſet enim alioqui hic obſtrepere carnis ſenſus, Scilicet ex Ægypto venturus eſt Redemptor? Matthæus ergo non eſſe novum vel inſolens admonet, quod Deus Filium inde ſibi vocet: ac potius hoc ad fidei noſtræ confirmationem valere, quod ſicuti olim, ita nunc de integro naſcatur ex Ægypto Dei Eccleſia. Hoc modo eſt diverſum, quod olim totus populus Ægypti ergaſtulo incluſus fuerit; in ſecunda autem redemptione ſolum Eccleſiæ caput Chriſtus illic latuerit. ſed qui omnium ſalutem & vitam in ſe incluſam geſtabat.

16. *Tunc Herodes ubi vidit.*] Loquitur Matthæus ex ſenſu & opinione Herodis, qui deceptum ſe à Magis putabat, quia miniſtri eſſe noluiſſent impiæ crudelitatis. Potius ipſe captus fuit in ſua aſtutia, qui perfide ſimulaverat ſibi quoque eſſe in animo Regem novum colere. Porro hujus hiſtoriæ nulla fit mentio apud Joſephum: ſolus Macrobius lib. Saturnaliorum 2. jocos & dicteria Auguſti referens, dicit, Quum audiſſet juſſu Herodis, pueros in Syria infra bimatum occiſos, & in turba ſimul occiſum fuiſſe ejus filium: Mallem, inquit, Herodis porcus eſſe quam filius. Atqui nobis abunde ſufficit unius Matthæi auctoritas. non debuit quidem facinus tam memorabile omitti à Joſepho: mirum tamen non eſt de infantibus ipſum tacere, qui leviter tantum & obſcure attingit non minus deteſtabile ſævitiæ exemplum, quod eodem fere tempore ſuſtulerit omnes Judices, quos Sanhedrim vocabant, ne quid prorſus reſiduum maneret ex ſtirpe Davidis. Ego vero non

dubito

Digitized by Google

dubito quin eodem metu impulſus fuerit ad utrumque cædis genus. De tempore tamen ambigitur. Nam quum dicat Matthæus occiſos fuiſſe bimulos & minores, ſecundum tempus quod exquiſierat à Magis: colligere iode licet, Chriſtum eam ætatem tunc attigiſſe, vel ſaltem non procul abfuiſſe à bimatu. Hoc quidam longius deinde trahunt, quo tempore venerunt Magi, ejus fere ætatis fuiſſe Chriſtum. Ego vero alterum ex altero nego confici. Quanto pavore tunc correptus fuerit Herodes, quum rumor in vulgus ſparſus eſſet de novo Rege nato, paulo ante vidimus. quum tunc impedierit metus ne proditorem quempiam clanculum ſubmittere auderet explorandi cauſa, non eſt quod mitemur à tam odioſa & atroci cæde aliquandiu fuiſſe cohibitum: præſertim quum recens adhuc fama de Magorum adventu vigeret. Certe probabilis conjectura eſt, facinus quod agitabat in animo, diſtuliſſe in ſuam occaſionem. & fieri poteſt ut prius interempti ab eo fuerint Judices, quo populum ſuis ducibus orbatum impune quidvis perferre cogeret. Unde colligere promptum eſt, frivolo argumento eos niti, bimulum fuiſſe Chriſtum quum adoratus fuit à Magis, quia ſecundum tempus quo apparuerat ſtella, Herodes pueros occiderit bimulis paulo minores. Stulte autem pro coofeſſo ſumunt, ſtellam non apparuiſſe niſi poſt partum Virginis. Longe veriſimilius eſt mature fuiſſe admonitos, & ſub ipſam nativitatem Chriſti iter ingreſſos eſſe, ut infantem recens natum in cunis vel matris gremio conſpicerent. In primis vero puerile eſt illud commentum, veniſſe ex ignota aliqua regione & quaſi ex alio orbe, ut prope bienoium in itinere conſumpſeriot. Denique magis ridicula ſunt quæ affert Oſiander, quam ut refutatiooe egeant. Cæterum in hoc contextu hiſtoriæ quem propooo, nihil eſt incommodi: quod nondum elapſo puerperii tempore venerint Magi, & Regem quæſierint qui natus erat, oon qui jam eſſet bimulus: quod Joſeph, illis in pattiam reverſis, noctu fugerit; ſed tamen in tranſitu defunctus ſit Hieroſolymæ pietatis officio quod Lege Domini præſcriptum erat: (potuit autem in tam populoſa urbe, in quam ex omnibus locis aſſiduus erat coofluxus, ſecurus eſſe à periculo) quod illo in Ægyptum profecto Herodes anxie de periculo ſuo cogitaverit: tandem eruperit ſævitiæ ulcus quod ultra ſeſquiannum intus aluerat. nam adverbium *tunc*, noo deſignat ſemper in Scriptura continuum tempus: ſed plerumque occurrit ubi longa eſt rerum diſtantia.

18. *Vox in Rhama.*] Certum eſt à Propheta deſcribi cladem Tribus Benjamin quæ accidit ejus tempore. Exciſionem enim Tribus Juda prædixit, cujus acceſſio erat dimidia Tribus Benjamin. Quod Racheli mortuæ luctum ttibuit, proſopopœia eſt quæ plurimum valet ad moveodos affectus. Nec vero Jeremias Rhetoricos colores inducit ornandæ ſolum orationis cauſa: ſed quia aliter corrigi non poterat durities & ſtupot vivorum, quam ſi mortui è ſepulchris quodammodo evocarentur ad lugendas Dei vindictas quæ ſolebant ut plurimum ludibrio haberi. Quum tunc completum fuerit Prophetæ vaticinium, ooo intelligit Matthæus illic prædictum fuiſſe quid facturus eſſet Herodes, ſed Chriſti adventu renovatum fuiſſe luctum illum quem multis ante ſeculis pertulerant Benjamitæ: atque ita ſcandalo occurrere voluit quod turbare poterat & concutere pias mentes, nempe nihil ab eo ſalutis eſſe ſperandum cujus cauſa ſimulac natus eſſet, trucidarentur infantes: imo hoc ſiniſtrum eſſe & infelix præſagium, quod majorem ſævitiæ flammam accenderat Chriſti nativitas quam ardere ſoleat in bellis maxime hoſtilibus. Atqui ſicut à Propheta inſtauratio promittitur ubi gens ab ipſis uſque infantibus exciſa fuerit, ita admonet Matthæus, nihil obſtare ſtragem illam quin Chriſtus paulo poſt mtius gentis redemptor appareat: ſcimus enim totum illud caput ſuaviſſimis cooſolationibus refertum eſſe. Et poſt funebrem illam querimoniam continuo ſequitur, Quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis: quia merces eſt labori tuo, & ſpes noviſſimis tuis, &c. Hæc igitur ſimilitudo eſt prioris cladis in tribu Benjamin acceptæ cum hac ſecunda, quod utraque teſtituendæ mox ſalutis præludium fuit.

MARC. | LUC. | MATTH. II.

19. Cæterum defuncto Herode, ecce Angelus Domini per ſomnium apparet Joſeph in Ægypto,

20. Dicens, Surge, & aſſume puerum & matrem ejus, & vade in terram Iſraël: defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri.

21. At ille ſurgens aſſumpſit puerum & matrem illius, & venit in terram Iſraël.

22. Verum quum audiſſet Archelaum regnare in Judæa loco Herodis patris ſui, timuit illuc abire: ſed oraculo admonitus per ſomnium, ſeceſſit in partes Galilææ.

23. Quo profectus, habitavit in urbe quæ vocatur Nazareth, ut impleretur quod dictum fuerat per Prophetas, Nazaræus vocabitur.

19. *Defuncto Herode.*] Oſtenditur his verbis perſeverantia fidei Joſeph, quod pedem in Ægypto fixum habuit donec rurſus Dei mandato revocaretur in patriam. Interea videmus, Dominum ſuos nunquam fruſtrari quin opportune illis ſuccurrat. Cæterum probabile eſt ſtatim poſt Herodis mortem Joſeph ex Ægypto rediuſſe, priuſquam Auguſtus Cæſar Archelaum ſuo decreto conſtituiſſet Judææ Ethnarcham. quia enim patris teſtamento ſcriptus erat regni ſucceſſor, tametſi abſtinuit à nomine Regio, præfatus hoc à nutu & arbitrio Cæſaris pendere, omnia tamen pro imperio geſſit. Deinde Romam profectus obtinuit confirmationem. tantum illi nomen Regis negatum fuit donec factis promeritus eſſet. Galilææ vero præerat Philippus, vir maoſueti ingenii, & fere privato ſimilis. Ergo in ejus ditionem Joſeph Angeli monitu conceſſit: quia ſub Principe minime ſanguinario & ſuos clementer fovente, minus erat periculi. Porro ſemper memoria tenendum eſt Dei conſilium, quod Filium ſuum ab initio ſub crucis rudimentis continuerit: quia hæc illi redimendæ Eccleſiæ futura erat ratio. Nam & ideo infirmitates noſtras ſubiit, periculis ſubjectus fuit, & timoribus obnoxius, ut Eccleſiam ab illis divina ſua virtute liberatam æterna pace donaret. Quare ejus periculum, noſtra fuit ſecuritas: metus ejus, noſtra fiducia. non quod jam tunc ſibi per ætatem metueret: ſed quia pro timore Joſeph & Mariæ huc illuc circumferebatur, merito dici poteſt ſuſceptos ab eo noſtros timores, ut tranquillam fiduciam nobis acquireret.

23. *Nazaræus vocabitur.*] Non deducit Matthæus Nazaræum à Nazareth, quaſi ſit hæc propria & certa etymologia: ſed tantum eſt alluſio. Cæterum

rum נזיר ſanctum & Deo conſecratum ſignificat, à נזר *nazar*, quod eſt ſeparare. Hebræi quidem נזר *nezer* florem appellant: ſed minime dubium eſt quin ſenſum illum priorem ſpectaverit Matthæus. nuſquam enim legimus Nazaræos vocari floridos, ſed qui Domino conſecrati erant ſecundum Legis præſcriptum, quod Numer. cap. 6. verſ. 4. habetur. Senſus ergo eſt, Tametſi metu compulſus fuerit Joſeph in angulum Galilææ, altius tamen fuiſſe Dei conſilium, & urbem Nazareth Chriſto fuiſſe ordinatam in qua habitaret, ut merito ferre poſſet nomen Nazaræi. Verum quæritur à quibus Prophetis nomen hoc impoſitum fuerit Chriſto, quum nuſquam extet tale teſtimonium. Quibuſdam ſufficere videtur, quod Scriptura frequenter Sanctum vocet: ſed hæc nimis frigida eſt ſolutio. Matthæus enim (ut videmus) inſiſtit in voce ipſa, & ad veteres Nazaræos reſpicit, quorum peculiaris erat ſanctitas: acſi diceret oportuiſſe compleri in Chriſti perſona quod tunc fuit adumbratum in Nazaræis, qui erant velut ſelectæ Deo primitiæ. Videndum tamen reſtat ubinam tradiderint Prophetæ hoc fore Chriſto nomen. Chryſoſtomus quia nodum ſolvere non poteſt, abſcindit, multos Prophetarum libros intercidiſſe. Sed reſponſio illa nihil habet coloris: quia etſi Dominus, ut veteris populi ignaviam puniret, eum aliqua Scripturæ parte orbavit, vel reſecuit quæ minus neceſſaria erant, à Chriſti tamen adventu nihil periit. Et inſcite in eam rem adducitur Joſephi locus, ubi dicit duos libros ab Ezechiele relictos eſſe. Nam quod vaticinatur Ezechiel de novo templo & regno, à prioribus vaticiniis aperte diſtinctum eſt, & efficit quaſi novum corpus. Quod ſi hodie ſuperſtites ac ſalvos habemus omnes Scripturæ libros qui Matthæi tempore extabant, neceſſe eſt alicubi invenire quod citat Prophetarum teſtimonium. Rectiſſime autem omnium Bucerus ſenſiſſe mihi videtur, qui locum ex Judicum cap. 13. verſ. 5. notari exiſtimat. Illic quidem ſermo habetur de Samſone: ſed quia redemptor populi non vocatur Samſon, niſi quatenus figura Chriſti fuit; & ſalus ejus manu & miniſterio allata, umbratile quoddam præludium fuit plenæ ſalutis, quæ tandem exhibita fuit mundo per Filium Dei: quicquid de Samſone in bonam partem prædicat Scriptura, jure ad Chriſtum transfertur. Siquis clarius malit, Chriſtus primarium eſt exemplar: Samſon autem inferior fuit antitypus. Ergo quum indutus fuit redemptoris perſona, ſciendum eſt, nullum ex elogiis quibus præclarum & vere divinum illud munus ornatum fuit, in ipſum tam proprie quam in Chriſtum competere. Libabant enim Patres redemptionis gratiam, quam nobis in Chriſto ad plenum percipere datum eſt. Quod autem Prophetas plurali numero poſuit Matthæus, facilis eſt excuſatio: quia liber ille Judicum à pluribus Prophetis compoſitus fuit. ego tamen quod hic habetur de Prophetis, latius patere arbitror. Joſeph enim (qui temporalis fuit ſervator Eccleſiæ, & multis modis figuram Chriſti geſtavit, vel potius viva fuit ejus imago) vocatur Nazaræus fratrum ſuorum, Gen. 49. v. 26. & Deut. 33. v. 16. Deus ergo eximiam dignitatem, cujus ſpecimen præbuerat in Joſeph, in Samſone relucere voluit: & indidit illi nomen Nazaræi, ut iſtis tirociniis imbuti fideles, magis intenti eſſent in futurum Redemptorem, qui ſegregandus erat ab omnibus, ut primogenitus eſſet inter multos fratres.

MATTH.	MARC.	LUC. II.
		40. Puerulus autem creſcebat & roborabatur Spiritu, & plenus erat ſapientia, & gratia Dei erat ſuper illum.
		41. Et ibant parentes ejus quotannis Hieroſolymam in die feſto Paſchæ.
		42. Et quum factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis Hieroſolymam ſecundum conſuetudinem diei feſti:
		43. Conſummatiſque diebus quum redirent illi, remanſit Jeſus puer Hieroſolymæ, & non cognoverunt parentes ejus.
		44. Rati autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & inter notos.
		45. Et quum non inveniſſent eum, reverſi ſunt Hieroſolymam quærentes eum.
		46. Et accidit, poſt triduum invenerunt illum in templo ſedentem in medio doctorum, audientem illos & interrogantem.
		47. Stupebant autem omnes qui eum audiebant, ſuper intelligentia & reſponſis ejus.

40. *Puerulus autem creſcebat.*] Matthæus ab infantia Chriſti continuo ad manifeſtationem tranſit. Lucas hic unam duntaxat memoratu dignam refert. quod ſcilicet Chriſtus in media pueritia ſpecimen dederit futuræ ſuæ functionis, vel ſaltem tirocinio uno oſtenderit qualis futurus eſſet. Primum autem creviſſe dicit, & roboratum Spiritu. quibus verbis ſignificat una cum ætate creviſſe etiam animi dotes. Unde colligimus profectus iſtos vel incrementa ad humanam ejus naturam referri. Nam divinitati nihil accedere potuit. Quæritur tamen annon ſtatim ex quo conceptus fuit in utero matris, excelluerit omni donorum ſpiritualium plenitudine. videtur enim abſurdum ut quicquam ad perfectionem defuerit Filio Dei. Reſponſio tamen facilis eſt: ſi nihil derogat ejus gloriæ quod prorſus exinanitus fuit; neque hoc ab eo eſſe alienum, quod ſicut adoleſcere corpore, ita & ſecundum animam noſtra cauſa pro-
Hebr. 4. verſ. 15. ficere voluerit. Et certe quum docet Apoſtolus per omnia fuiſſe nobis ſimilem excepto peccato, procul-dubio hoc quoque comprehendit, quod ejus anima ſubjecta fuerit ignorantiæ. Hoc ſolum diſcrimen eſt inter nos & illum, quod infirmitates quæ nos neceſſitate conſtringunt, ſponte & propria voluntate ſuſcepit. Ergo pro ætatis ratione & modo Chriſtus ſecundum humanam naturam gratuitis Spiritus donis auctus eſt, ut ex ſua plenitudine ad nos transfunderet: quia gratiam ex ejus gratia haurimus. Quidam nimis meticuloſi quod hic dicitur reſtringunt ad externam ſpeciem: ac exponunt, Chriſtum viſum eſſe proficere, etiamſi reipſa nihil illi novæ intelligentiæ accederet. Sed aliter ſonant verba: & clarius adhuc refellitur hic error, quum paulo poſt addit Lucas, *Puer ætate & ſapientia proficiebat apud Deum & homines.* Neque enim imaginari fas eſt, latuiſſe intelligentiam in Chriſto quæ apud eum apparuit temporis ſucceſſu. Nec vero dubium eſt quin Dei conſilium fuerit diſerte exprimere, quam vere & ſolide Chriſtus, quum induit carnem noſtram, omnes fraternæ cum hominibus conjunctionis partes ſit amplexus.

Ne-

Digitized by Google

Neque hoc modo duplicem ipſum fingimus. nam etſi una fuit Dei & hominis perſona, non ſequitur tamen humanæ naturæ fuiſſe datum quicquid proprium divinitatis erat: ſed quatenus ſalutis noſtræ interfuit, divinam ſuam potentiam quaſi occultam tenuit Dei Filius. Et quod dicit Irenæus, quieſcente divinitate paſſum fuiſſe, non modo de corporali morte interpretor, ſed de illo incredibili animæ dolore & cruciatu, qui hanc illi querimoniam expreſſit, Deus meus, ut quid me dereliquiſti? In ſumma, niſi negare libeat Chriſtum verum hominem eſſe factum, non pudeat etiam fateri ultro ſuſcepiſſe quæ ab humana natura ſeparari nequeunt. Stulte autem objicitur, ignorantiam, quum pœna ſit peccati, Chriſto non quadrare. Idem enim de morte quoque dicendum foret. Quin potius Mediatoris officio defunctum eſſe tradit Scriptura, quia quicquid pœnarum eramus promeriti, in ſeipſum à nobis tranſtulit. Adde quod nimis craſſe & inſcite ignorantiam faciunt pœnam peccati. Neque enim putandum eſt, Adam, quum adhuc eſſet integer, omnia ſciviſſe: neque Angeli, dum aliquid ignorant, ſuſtinent peccati pœnam. Subtilius colligunt quidam, nihil hæſiſſe ignorantiæ in Chriſto, quia ignorantia vitium ſit. Sed iſti quoque falſum & inane principium perperam ſumunt: alioquin pares eſſe Deo Angelos neceſſe erit, ut vitioſi non ſint. vitioſa quidem eſt cæcitas humanæ mentis, & merito pars originalis peccati cenſetur: ſed hic non alia Chriſto ignorantia tribuitur, quam quæ in hominem omni peccati macula purum cadere poteſt. Cæterum quum dicit Lucas, Roboratum fuiſſe Spiritu, & impletum ſapientia; ſignificat, quicquid eſt ſapientiæ in hominibus, & quotidie illis accreſcit, fluere ex unico iſto fonte, nempe ex Dei Spiritu. Generalior eſt quæ ſequitur loquutio, Gratiam Domini fuiſſe ſuper eum: comprehendit enim quicquid in ipſo excellentiæ reſplenduit.

41. *Ibant parentes ejus quotannis.*] Laudatur hic Mariæ & Joſeph pietas, quod ſtudioſe in externo Dei cultu ſe exercuerint. Neque enim temere ab ipſis ſuſcepta fuit annua hæc peregrinatio, ſed ex mandato Dei. Nam quod Lex maſculis tantum præcipit ut ſe ſiſtant in Dei conſpectum, non excludit in totum fœminas, ſed illis parcit ſecundum indulgentiam. Atque hac nota diſcernitur pura religio à vanis & pravis ſuperſtitionibus, quod illa ſe continet ſub Dei obſequio & præſcripto Legis ejus, hæ autem pro cujuſque arbitrio extra Dei verbum ſine certa regula vagantur. Quamvis autem multis corruptelis infectus eſſet cultus templi, venale eſſet Sacerdotium, & doctrina multis erroribus implicita foret: quia tamen adhuc vigebant legales ceremoniæ, & externum ſacrificandi ritum, qualis in Lege traditur, ſervabant, oportuit fideles talibus exercitiis fidem ſuam teſtari. Cæterum nomen patris ad Joſeph improprie transfertur ex vulgari hominum ſenſu.

44. *Illum eſſe in comitatu.*] Ex pluribus ſacræ Scripturæ locis conſtat turmatim iter facere ſolitos qui diebus feſtis veniebant in templum adorandi cauſa. Quare non mirum eſt ſi primo die Joſeph & Maria de puero minus ſolliciti fuerint: poſtea vero ſe non pigritia vel neglectu ſecuros fuiſſe oſtendunt.

46. *Sedentem in medio doctorum.*] Radios divini fulgoris palam in puero ènituiſſe oportet, ut ſeſſum admiſſus fuerit à ſuperbis hominibus. quanquam autem probabile eſt, in ſubſellio potius quam doctorum gradu ſediſſe: nunquam tamen faſtidioſi homines audientiam illi in publico cœtu facere dignati eſſent, niſi vis aliqua divina ipſos coëgiſſet. Fuit ergo hoc quaſi præludium vocationis, cujus nondum maturum tempus advenerat. Atque ideo tamen tantum guſtum dare voluit, qui ſtatim elapſus eſt ex hominum memoria: niſi quod Maria in corde ſuo reconditum nobis ſervavit, ut deinde cum aliis theſauris proferret in communem piorum uſum. Et notanda ſunt hæc duo: miratos fuiſſe omnes, quia prodigii loco habebant puerum tam apte & concinne texere ſuas interrogationes: rurſum, audiendo, Chriſtum ipſum potius diſcipuli partes egiſſe, quam magiſtri. quia enim nondum huc vocatus fuerat à Patre, ut ſe publicum Eccleſiæ doctorem profiteretur, modeſte tantum interrogavit doctores. Quanquam minime dubium eſt quin hoc tirocinio taxare jam aggreſſus ſit perverſum eorùm docendi morem: nam quod poſtea de reſponſis ſubjicit Lucas, more Hebraico poſitum eſſe interpretor pro quovis ſermone.

Matth.	Marc.	Luc. II.
		48. Et viſo eo admirati ſunt: & dixit mater ejus ad illum, Fili, cur feciſti nobis ſic? ecce, pater tuus & ego dolentes quærebamus te. 49. Et ait ad illos, Quid eſt quod quærebatis me? an neſciebatis quod in iis quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe? 50. Et illi non intellexerunt ſermonem quem loquutus eſt ipſis. 51. Et deſcendit cum eis, venitque Nazareth. & erat ſubditus illis. Mater autem ejus conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo. 52. Et Jeſus proficiebat ſapientia & ætate, & gratia apud Deum & homines.

48. *Dixit mater ejus.*] Falluntur, meo judicio, qui ſanctam Virginem ſic loquutam eſſe putant oſtendandi imperii cauſa. imo fieri poteſt ut ſeorſum & remotis teſtibus tandem cœperit expoſtulare cum filio, poſtquam à conventu diſceſſit. Utcunque res habeat, nulla eam impulit ambitio: ſed tridui mœrore expreſſa ei fuit hæc querimonia. Interea quod expoſtulat acſi injuſte læſa fuerit, hinc apparet quam propenſi natura ſimus ad jus noſtrum tuendum, poſthabito etiam Dei reſpectu. Mori quidem centies maluiſſet ſancta Virgo, quam ex certo animi propoſito ſe Deo præferre: ſed dum materno dolori indulget, per incogitantiam eo delabitur. Et ſane hoc exemplo monemur quam ſuſpecti nobis eſſe debeant omnes carnis affectus; & quantopere cavendum ſit, ne juris noſtri tenaces ultra quam par eſt, & nobis addicti, Deum honore ſuo fraudemus.

49. *An neſciebatis.*] Merito matrem reprehendit Chriſtus: quanquam id parce & oblique facit. Summa eſt, officium quod Deo Patri ſuo debet, omnibus humanis obſequiis longe præferendum eſſe. Perperam igitur facere terrenos parentes, quibus dolet ſe neglectos fuiſſe præ Deo. Atque hinc colligenda eſt generalis doctrina: quicquid hominibus debetur, priori Legis tabulæ ſubeſſe, ut Deo ſua poteſtas intacta maneat. Sic Regibus & parentibus & dominis obediendum eſt, ſed nonniſi ſub Dei imperio: hoc eſt, ne quid Deo pereat vel decedat in hominum gratiam. Nec vero tunc violatur humana pietas quum potior habetur Dei ratio. *In iis quæ Patris mei ſunt.*] Hoc verbo ſignificat ſe aliquid habere homine majus. Præcipuum quoque finem deſignat cur in mundum miſſus fuerit, nempe ut munus impleat ſibi à Patre cæleſti injunctum. Sed mirum eſt quod Joſeph & Maria non intellexerint hoc reſponſum, qui multis teſtimoniis edocti fuerant Jeſum eſſe Filium

 Dei.

Dei. Reſpondeo, quamvis illis non ignota prorſus foret cæleſtis Chriſti origo, oon tamen aſſequutos fuiſſe omni ex parte, illum iotentum fuiſſe exequendis Patris mandatis: quia nondum illis diſtinctè patefacta erat ejus vocatio. Quod autem Maria in corde ſuo ſervat, quæ mentis intelligentia nondum capit: hinc diſcamus reverenter ſuſcipere, & (quemadmodum ſemen terra conceptum fovetur) reconditum in animis oostris ſervare quæ mentis noſtræ captum ſuperant Dei myſteria.

51. *Erat ſubditus illis.*] Hæc in ſalutem noſtram ſuſcepta fuit à Chriſto bumilitas, quod Dominus Angelorum & caput ſe mortalibus creaturis ultro ſubjecit. Sic enim ferebat Dei conſilium, ut ad tempus, tanquam ſub umbra, lateret ſub nomine Joſeph. Etſi autem nulla Chriſtum neceſſitas ad hanc ſubjectionem cogebat, quin ſe poſſet eximere: quia tamen hac lege ſuſceperat hominis naturam ut ſubjectus eſſet parentibus, & ſimul hominis ac ſervi perſonam induerat: quo ad officium Redemptoris hæc legitima fuit ejus conditio. Quo libentius ſubire nos decet quod unicuique jugum fuerit à Domino impoſitum.

MATTH. III.

1. In diebus autem illis adeſt Joannes Baptiſta, prædicans in deſerto Judææ,

2. Ae dicens, Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum.

3. Nam hic eſt ille de quo dictum eſt ab Jeſaia Propheta, qui ait, Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus.

4. Ipſe vero Joannes habebat indumentum ſuum ex pilis camelorum, & zonam pelliceam circum lumbos ſuos: cibus autem erat locuſtæ & mel ſylveſtre.

5. Tunc egreſſa eſt ad eum Hieroſolyma & tota Judæa, totaque regio circumjacens Jordani:

6. Et baptizabantur in Jordane ab illo, confitentes peccata ſua.

MARC. I.

1. Initium Euangelii Jeſu Chriſti Filii Dei.

2. Sicut ſcriptum eſt in Prophetis, Ecce ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

3. Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus.

4. Baptizabat Joannes in deſerto prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.

5. Et egrediebantur ad eum tota Judææ regio, & Hieroſolymitæ: & baptizabantur omnes ab illo in Jordane flumine, confitentes peccata ſua.

6. Erat autem Joannes veſtitus pilis cameli, & zona pellicea circum lumbos ſuos: veſcebaturque locuſtis & melle ſylveſtri.

LUC. III.

1. Anno autem decimo quinto imperii Tiberii Cæſaris, Pontio Pilato Præſide Judææ, Tetrarcha vero Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus Tetrarcha Ituræ & Trachonitidis regionis, & Lyſania Abilenes Tetrarcha,

2. Sub Pontificibus Anna & Caiapha factum eſt verbum Domini ſuper Joannem Zachariæ filium in deſerto.

3. Et venit in totam regionem circumjacentem Jordani, prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.

4. Sicut ſcriptum eſt in libro ſermonum Jeſaiæ Prophetæ, dicentis, Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus.

5. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & fient quæ obliqua ſunt recta, & aſpera in vias planas.

6. Et videbit omnis caro Salutare Dei.

Tametſi pars Euangelii eſt quod hactenus ex Matthæo & Luca retulimus: oon tameo abs re eſt quod Euangelii exordium Marcus in prædicatione Joannis Baptiſtæ conſtituit. Nam ſicuti habetur Joannis primo, tuoc demum impoſitus eſt finis Legi
Luc. 16. verſ. 16. & Prophetis: Lex & Prophetæ uſque ad Joannem, ex eo regnum Dei &c. Atque huc aptiſſime quadrat quod adducit Malachiæ teſtimonium. Quo magis accenderet Dominus animos ad deſiderium promiſſæ ſalutis, populum ad tempus novis vaticiniis privare inſtituerat. & ſcimus Malachiam ultimum ex legitimis ac certis Prophetis fuiſſe. Porro ne Judæi famelici interea deficiant, eos hortatur ut ſe contineant ſub Leg. Moſis, donec appareat promiſſa redemptio. Solius autem Legis meminit, quia oihil ab ea ſeparatum habebat Prophetarum doctrina, ſed tantum appendix erat & plenior expoſitio, ut tota gubernandæ Eccleſiæ ratio à Lege penderet. Nec vero novum eſt aut infrequens in Scriptura, comprehendi ſub Legis nomine prophetias, quia ad eam omnes, tanquam ad ſuum fontem & ſcopum, referebantur. Euangelium vero non tanquam inferior Legis acceſſio fuit: ſed nova docendi forma, quæ priorem illam abrogaret. Porro Malachias duplicem Eccleſiæ ſtatum diſcernens, priorem conſtituit ſub Lege, alterum à prædicatione Joannis inchoat. Neque enim dubium eſt quin Joannem Baptiſtam deſignet, quum dicit, Ecce ego mitto legatum meum: quia (ut jam dictum eſt) expreſſa hic ponitur diſtinctio inter Legem & novum Eccleſiæ ordinem ac ſtatum qui ſubrogandus erat. In eundem ſenſum paulo ante dixerat (quod citatut à Marco: ſunt enim loci prorſus ſimiles) Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus. Item, Ecce mitto nuocium meum qui purgabit viam coram me: tunc veniet ad templum ſuum Dominator quem quæritis. Quia utroque loco melior Eccleſiæ cooditio promittitur, quam ſub Lege fuerat, proculdubio exortus Euangelii notatur. Atqui antequam prodeat Dominus ad reſtituendam Eccleſiam, venturus dicitur apparitor vel præco, qui eum adeſſe pronunciet. Unde colligimus, abrogationem Legis & ioitium Euangelii proprie ſtatui in Joannis prædicatione. Cæterum quum Joannes Chriſtum carne indutum commendet, & nativitas ejus & tota exhibitionis biſtoria ſub Euangelio continetur. Sed hic tractat Marcus quando cœperit promulgari Euangelium. Quare non temere à Joanne orditur, qui primus fuit ejus miniſter. Atque hoc conſilio voluit cæleſtis Pater Filii ſui vitam ſilentio quaſi ſepultam eſſe, donec advenit plenæ revelationis tempus. Neque eoim ſine certa Dei providentia factum eſt ut prætereant Euangeliſtæ totum illud tempus quod Chriſtus domi privatus tranſegit, & à prima ejus infantia mox ad annum triceſimum tranſeant, quo publica perſona indutus Redemptor palam

Digitized by Google

lam exhibitus eſt mundo: niſi quod Lucas ſpecimen unum futuræ ejus vocationis circa annum duodecimum breviter attingit. Hoc quidem ad rem maxime pertinebat, ſcire Chriſtum primo eſſe verum hominem, deinde Abrahæ & Davidis Filium: id Dominus teſtatum nobis eſſe voluit. Reliqua quæ de paſtoribus, Magis & Simeone habuimus, ad probandam ejus divinitatem ſpectabant. Quod vero de Joanne & ejus patre Zacharia narravit Lucas, quoddam Euangelii præludium fuit. In verbis Malachiæ nihil habet abſurdi perſonæ mutatio. ſic apud Prophetam Deus loquitur, Mitto Angelum meum qui viam parabit coram me. A Marco autem Pater Filium compellans inducitur. Sed videmus Marco nihil aliud fuiſſe propoſitum quam ut Prophetæ mentem clarius exprimeret. Nomine Filii Dei Chriſtum inſignit Marcus, quem alii Euangeliſtæ teſtati ſunt ex ſemine Abrahæ & Davidis eſſe natum, ut filius quoque hominis eſſet. Sed ſignificat Marcus redemptionem non niſi à Filio Dei fuiſſe ſperandam.

1. Matth. *In diebus illis.* 1. Luc. *Anno decimoquinto.*] Ex Matthæo & Marco non poterat colligi quoto ætatis ſuæ anno cœpiſſet Joannes in publicum prodire: Lucas vero ſatis oſtendit triginta annorum vel circiter tunc fuiſſe. Quindecim annis ante mortem Auguſti natum fuiſſe, uno fere conſenſu vetuſti Eccleſiæ ſcriptores tradunt. Succeſſor Tiberius jam annis quindecim Imperii Romani potitus erat quum idem Joannes prædicare cœpit. Conficitur ergo illud quod dixi triginta annorum tempus. Unde etiam ſequitur non diu functum eſſe doctoris officio, ſed brevi Chriſto ceſſiſſe: quia paulo poſt videbimus Chriſtum etiam anno ætatis ſuæ triceſimo fuiſſe baptizatum. Atqui tunc ad munus ſuum peragendum initiatus fuit. Quum autem Chriſtus Sol juſtitiæ Joannem ſuum luciferum vel auroram mox ſubſequutus ſit, non mirum eſt Joannem evanuiſſe quo magis conſpicuus eſſet unius Chriſti fulgor. Luc. *Pontio Pilato.* Probabile eſt hunc ſecundum annum fuiſſe Pilati. ex quo enim Tiberius imperium arripuerat, narrat Joſephus lib. 18. Antiquitatum, ab eo creatum eſſe Judææ Præſidem Valerium Gratum, & ſuffectum Annio Ruſo. Potuit autem hæc ſubrogatio incidere in annum ejus ſecundum. Valerium Judææ præfuiſſe per annos undecim, tradit idem Joſephus. Provinciam ergo biennio Pilatus tenuerat, quum Euangelium prædicare cœpit Joannes. Herodes hic quem Judææ Tetrarcham facit Lucas, ſecundus fuit, Herodis Magni hæres, qui patri ex teſtamento ſucceſſit. Archelao enim Ethnarchia Judææ data erat. ſed quum Viennam relegatus eſſet ab Auguſto, pars illa in prædam Romanis ceſſerat. Quare duos Herodis filios hic recenſet Lucas, Herodem ſcilicet Antipam, qui Tetrarcha Galilææ factus, Samariam & Peræam poſſidebat; & Philippum, qui Trachonitidis & Iturææ Tetrarcha, à mari Tiberiadis vel Geneſara ad radicem Libani, unde oritur Jordanis fluvius, regnabat. Lyſaniam falſo putarunt Ptolemæi Mennæi, qui Rex Chalcidis fuit, eſſe filium, qui pridem à Cleopatra occiſus fuerat, triginta ſcilicet annis ante natum Chriſtum, quemadmodum tradit Joſephus lib. Antiquitatum 15. Vix etiam potuit eſſe ejus nepos, quem belli Parthici facem fuiſſe idem Joſephus commemorat, lib. belli Judaici primo. fuiſſet enim tunc ſexagenario major. Deinde quum ſub Antigono Parthos ad bellum concitaverit, neceſſe erat jam tunc in virum adoleviſſe. Ptolemæus autem Mennæus non longe poſt Cæſaris Julii cædem inito inter Lepidum, Antonium & Octavium triumviratu, mortuus eſt: ut teſtatur Joſephus lib. 14. cap. 23. Sed quum hic Ptolemæi nepos commune habuerit Lyſaniæ nomen cum patre, filium etiam ſibi cognominem relinquere potuit. Interea ſine controverſia repudiandus eſt eorum error, qui Lyſaniam à Cleopatra occiſum ſexageſimo poſt mortem anno vixiſſe fingunt. Nomen Tetrarchæ hic improprie ſumitur: quaſi tota regio in partes quatuor diviſa foret. Sed quum initio quadruplex fuiſſet regionum partitio, deinde aliæ ſequutæ eſſent mutationes: honoris cauſa longius tractum eſt nomen. Quo ſenſu Plinius ſeptendecim unius regionis Tetrarchias numerat.

2. Luc. *Sub Pontificibus.*] Certum eſt duos nunquam Pontifices eodem ſimul tempore Sacerdotium occupaſſe. Joſephus teſtis eſt Caiapham à Valerio Grato conſtitutum fuiſſe Pontificem paulo ante quam provincia decederet. Quo tempore Judææ præfuit Pilatus, nihil ab eo mutatum fuiſſe apud Joſephum legimus. Imo quum abdicatus eſſet à poteſtate & Romam abire juſſus ad cauſam dicendam, tunc demum Vitellius Syriæ præfectus, Caiapha in ordinem coacto, Sacerdotium ad Jonathan Anani filium tranſtulit. lib. Antiquitat. 18. Quod autem Lucas duos Pontifices nominat, non ita accipere convenit quaſi idem ambobus titulus eſſet: ſed quia Sacerdotii honor dimidia ex parte apud Annam Pontificis ſocerum reſidebat. Quare Lucas res adeo turbatas fuiſſe & confuſas ſignificat, ut nemo tunc unus eſſet verus Pontifex, ſed ambitione & tyrannica potentia laceratum fuiſſe ſacrum munus. Luc. *Factum eſt verbum Domini.* Priuſquam referat Lucas ut alii, Joannem aggreſſum eſſe docendi munus, divinitus ad id vocatum fuiſſe aſſerit: ut certa ejus miniſterio auctoritas conſtet. Cur interpretes transferre maluerint Super Joannem, potius quam Ad Joannem, non video: quia tamen ſenſus minime ambiguus eſt, nempe quod depoſita fuerit apud ipſum hæc legatio, & illi datum fuerit prædicandi mandatum, verſionem receptam ſequutus ſum. Hinc collige, nullos eſſe veros doctores, niſi quibus injunctum eſt à Deo munus: neque ſufficit verbum Dei habere, niſi accedat etiam ſpecialis vocatio. Quod à Matthæo & Marco non niſi deſerti ſit mentio, ſic cum verbis Lucæ concilia: Joannem inter vicinos, quibuſcum habitabat, obiiſſe docendi officium: mox latius Euangelium ſuum ſparſiſſe, ut pluribus locis innoteſceret. unde factum eſt ut Hieroſolymam uſque manaret brevi ejus fama. Quanquam ille Jordanis tractus deſertum potuit vocari. Non enim ſolitudinem ſignificat, ſed aſperam & montoſam regionem quæ minore frequentia hominum colitur.

2. Matth. *Pœnitentiam.*] In hoc differt à duobus reliquis Matthæus, quod in Joannis perſona ſummam doctrinæ ejus refert, illi autem ſuis verbis. Quanquam Marcus plus uno verbo habet quam Lucas. dicit enim, Venit baptizans & prædicans baptiſmum pœnitentiæ. Cæterum in re ipſa optimus eſt conſenſus: quia pœnitentiam omnes cum remiſſione peccatorum conjungunt. Regnum enim Dei inter homines nihil aliud eſt quam reſtitutio ad beatam vitam: adeoque vera & æterna felicitas. Ergo quum dicit Joannes regnum Dei appropinquaſſe, ſignificat, homines qui alienati à juſtitia Dei exulabant à regno cælorum, rurſus ad Deum colligendos, ut ſub ejus manu vivant. Hoc autem facit gratuita adoptio & peccatorum venia, qua ſibi indignos reconciliat. In ſumma, Regnum cælorum nihil aliud eſt quam vitæ novitas, qua Deus nos inſtaurat in ſpem beatæ immortalitatis. Nam ereptos ex ſervitute peccati & mortis ſibi nos vendicat: ut in terra peregrinantes, cæleſtem vitam fide jam poſſideamus, ad Epheſios primo, verſ. 4. Quamvis enim ſimiles mortuis ſimus, vitam tamen noſtram ſcimus in tuto eſſe, dum eſt in Chriſto abſcondita, Coloſ. tertio, verſ. 3. Hinc tanquam ex fonte exhortatio ad pœnitentiam deducitur. Neque enim dicit Joannes, Pœnitentiam agite, & hoc modo deinde appropinquabit regnum cælorum: ſed priore loco, Dei gratiam proponit, & inde hortatur homines ut reſipiſcant.

piſcant. Unde conſtat pœnitentiæ fundamentum eſſe Dei miſericordiam, qua perditos reſtituit. Nec alio ſenſu tradunt Marcus & Lucas prædicaſſe pœnitentiam in remiſſionem peccatorum. Non enim (ut quidam imperite fingunt) prior locatur pœnitentia, quaſi cauſa ſit remiſſionis peccatorum, vel Deum præveniat ut incipiat nobis eſſe propitius: ſed reſipiſcere jubentur homines, ut percipiant oblatam ſibi reconciliationem. Cæterum ut ordine præcedit gratuitus Dei amor, quo miſeros homines amplectitur peccata non imputando: ſic notandum eſt, veniam nobis peccatorum in Chriſto fieri, non ut ea Deus indulgentia ſua foveat, ſed potius ut nos ab illis ſanet. Nec vero ſine peccati odio & vitiorum diſplicentia quiſpiam Dei gratiam guſtabit. Sed plenius ex definitione pœnitentiæ & fidei agnoſci poterit quam individua ſit utriuſque conjunctio: ideo in hac doctrina tractanda ſum parcior. Quantum ad præſentis loci ſenſum pertinet, obſervare convenit, totum Euangelium duabus partibus conſtare, Remiſſione peccatorum, & Pœnitentia. Quum vero Matthæus prius membrum deſignet per Regnum cælorum, hinc colligere licet, hoſtile hominibus eſſe cum Deo diſſidium, & prorſus abdicatos eſſe à regno cæleſti, donec eos in gratiam Deus recipiat. Quanquam autem Joannes Dei gratiam proponens ad pœnitentiam hortetur homioes, tenendum tamen eſt, hanc quoque non minus eſſe Dei donum quam hæreditatem regni cæleſtis. Sicut enim peccata nobis gratis ignoſcit, & ab æternæ mortis reatu ſua miſericordia nos liberat; ſic etiam reformat in imaginem ſuam, ut juſtitiæ vivamus: ſicuti nos gratis adoptat in filios, ita Spiritu ſuo regenerat, ut vita noſtra teſtetur non falſo ipſum invocari à nobis Patrem. Nec minus Chriſtus, veteri noſtro homine crucifixo, & extinctis carnis noſtræ vitiis, nos vivificat in juſtitiam, quam peccata noſtra ſanguine ſuo abluit, & ſacrificio mortis ſuæ Patrem cæleſtem nobis placat. Hæc tamen Euangelii ſumma eſt, Deum in Filio ſuo abolitis peccatis nos amplecti, ut abnegantes nos & propriam naturam, pie & ſancte vivamus: adeoque cæleſtem vitam meditemur in terra.

3. Luc. *Prædicans baptiſmum pœnitentiæ.*] Hæc loquendi forma primum in genere oſtendit quiſnam ſit rectus Sacramentorum uſus: deinde quorſum inſtitutus ſit Baptiſmus, & quid contineat. Sacramentum igitur non muta eſt ceremonia, quæ pompam neſcio quam ſine doctrina oſteotet: ſed habet verbum Dei annexum, quod externam ipſam ceremoniam vivificat. Verbum intelligo non quod magicis ſuſurris Exorciſta quiſpiam demurmuret, ſed quod clara & diſerta voce pronunciatum, ad fidem ædificandam valeat. Non enim ſimpliciter Joannes baptizaſſe dicitur in pœnitentiam, acſi gratia Dei in ſigno viſibili incluſa eſſet: ſed prædicaſſe qualis eſſet Baptiſmi utilitas, ut ex verbo prædicato efficax eſſet ſignum. Hoc autem peculiare eſt Baptiſmo, quod ſymbolum pœnitentiæ dicitur in peccatorum remiſſionem. Jam quum eadem baptiſmi illius ſignificatio, vis & ratio fuerit, quæ noſtri, ſi figura à ſua veritate æſtimatur, falſum eſt diverſos eſſe Joannis & Chriſti baptiſmos.

3. Matth. *Vox clamantis in deſerto*, &c.] Quanquam non debet ad ſolum Joannem reſtringi locus ille Jeſaiæ, unus tamen eſt ex illorum numero de quibus illic ſermo habetur. Poſtquam enim de excidio urbis, & extrema populi clade loquutus eſt Propheta, novam inſtaurationem promittit. Verba ſunt,
Jeſa. 40. verſ. 1. Dominus iterum dicet, Conſolamini, conſolamini populum meum. Poſtquam enim everſo templo, & abolitis ſacrificiis, in captivitatem populus abductus fuit, res erant quaſi deſperatæ. Et quia ſurdæ fuerant aures ad continuam vocem Prophetarum, Dominus ad tempus quaſi obmutuit. In illo triſti ſilentio ne conciderent piæ mentes, denunciat Propheta exorituros rurſus novos gratiæ præcones, qui populum in ſpem ſalutis erigant. Tales fuerunt Zacharias, Aggæus, & Malachias, Eſdras, & ſimiles. Sed quia perpetua illic reſtitutio, non unius momenti promittitur, imo maxime reſpicit Jeſaias ad redemptionem quæ Chriſti adventu ſperanda erat: præcipuus inter conſolationis miniſtros jure cenſetur Joannes. Sequitur deinde in textu Prophetæ, Vox clamantis. Opponitur autem vox illa temporali ſilentio, cujus nuper memini. nam ad aliquod tempus doctrina, quam impie contempſerant, privandi erant Judæi. Deſerti nomen metaphorice poſitum eſt pro vaſtitate, vel deformi populi ruina, qualis exilii tempore fuit. Erat etiam tam horrenda diſſipatio, ut deſertu conferri poſſet. Ita amplificat Propheta Dei gratiam: acſi diceret, Quamvis procul à patria ejectus fueris populus, imo ablegatus extra hominum conſortium, tamen reſonabit vox Dei etiam in deſerto, quæ exanimes læta conſolatione reficiat. Quo tempore cœpit concionari Joannes, Hieroſolyma hoc ſenſu deſertum erat: quia ubique omnia in vaſtam & horrendam confuſionem redacta erant. Sed oportuit craſſos homines & ſtupidos aſpectu ipſo deſerti viſibilis magis affici, quo avidius oblatam ſibi in morte ſalutis promiſſionem exciperent. Nunc videmus quam vere in Joannem competat hoc vaticinium, & quam proprie illi aptetur. *Parate viam Domini.* Non dubium eſt quin Cyrum & Perſas alloquatur Propheta quorum opera uſus eſt Deus. Hac ſenſus eſt, Dominum mirifica virtute facturum ut via populo ſuo per invios ſaltus, per abſciſſas rupes, & per aridam ſolitudinem pateat: quia ad manum habebit gratiæ ſuæ miniſtros, qui obſtacula omoia è medio tollant. Sed illud umbratile fuit redemptionis præludium. Ubi autem in lucem prodit ſpiritualis veritas, mittitur Joannes qui ejus impedimenta ſubmoveat. Et quotidie auribus noſtris eadem vox inſonat, ut Domino paremus viam: hoc eſt, ſublatis vitiis quæ regno Chriſti viam præcludunt, acceſſum demus ejus gratiæ. Eodem pertinet quod ſequitur apud Prophetam, Erunt prava in directa. ſignificat enim tantum ſalebras & tortuoſos anfractus eſſe in mundo: ſed per tam arduas difficultates Dominum ſibi viam facere, ut ad peragendam ſalutem noſtram incredibili modo penetret.

6. Luc. *Videbit omnis caro.*] Senſus eſt, Salutem iſtam minime obſcuram fore, vel guſtandam à paucis tantum hominibus, ſed illuſtrem & omnibus communem. Unde ſequitur vaticinium hoc minime in populi reditu fuiſſe completum. Nam etſi tunc memorabile gratiæ ſuæ documentum præbuit Deus: non tamen toti mundo patefecit ſalutem ſuam. Imo Prophetæ conſilium fuit, raram ſalutis quæ manifeſtanda erat præſtantiam prioribus Dei beneficiis opponere; ut ſcirent fideles nunquam tam præclare actum fuiſſe cum Eccleſia, nec tam magnifice illuxiſſe Dei potentiam in liberandis ſuis. Caro hoc loco homines ſine vitii connotatione ſignificat.

4. Matth. *Joannes habebat veſtimentum.*] Hoc Euangeliſta non numerat inter præcipuas virtutes, quod rudi & auſteriori vivendi formæ addictus, etiam mediocrem uſitatamque munditiem fugerit. ſed quia prius dixerat, mootanum fuiſſe hominem, nunc ſubjicit, victum & veſtitum habitationi conſentaneum fuiſſe. Atque hoc recitat, non tantum ut ſciamus, ruſticano victu & veſtitu contentum, nullas delicias captaſſe: ſed in ſordido & contemptibili habitu fuiſſe magni pretii etiam inter homines lautos & ſplendidos. Porro ut ſuperſtitio perfectam fere juſtitiam in externis larvis conſtituit: vulgo putarunt, cumulum ſanctitatis fuiſſe talem continentiam. Huic errori affine fuit alterum vitium, quod finxerunt hominem in vita ſolitaria abhorruiſſe à communi vivendi more: quemadmodum

Ere-

Eremitæ & Monachi hoc uno excellunt, ſi differant à reliquis. Tandem acceſſit nimis craſſa inſcitia, quod ex pilis fecerunt integram pellem. Atqui non dubium eſt quin hic montanum hominem deſcribat Euangeliſta, ab omni urbano nitore & lautitiis remotum: nec modo victu parabili contentum, ſed veſcentem ſolum nativis cibis: ut melle agreſti, cujus illic ſuppetit ſatis bona copia: & locuſtis, quarum etiam fertilis erat regio: vel quia utile fuit hominem contemptibilem & nullo nitore gratioſum, prodire in theatrum, ut ſola in eo fulgeret Dei majeſtas, quæ tamen in ſui admirationem omnes raperet. Notandum enim eſt quod additur, Magnum undique populi concurſum eſſe factum. unde colligimus quanta fuerit famæ ejus celebritas: vel quia Dei conſilium fuit, rarum in eo frugalitatis exemplar proponere, ut hoc modo Judæos alliceret ad doctrinæ ejus reverentiam: vel ſaltem ingratitudinis convinceret, ſecundum illud Chriſti dictum,
Luc. 7. Venit Joannes non
verſ. 33. edens neque bibens, &c.

6. Matth. 5. Marc. *Baptizabantur confitentes peccata.*] Teſtimonium pœnitentiæ fuit hæc confeſſio. nam ſicuti Dominus in Sacramentis ſe quaſi dato chirographo nobis obligat, ita nos quoque viciſſim illi reſpondere par eſt. In Baptiſmo teſtatur remitti nobis peccata, noſque ad pœnitentiam invitat. Ergo ut ſe rite ad Baptiſmum offerant homines, peccatorum confeſſio ab illis requiritur: alioqui nihil quam inane eſſet ludicrum tota actio. Porro notandum eſt de adultis hic verba fieri: quos ſcimus non promiſcue in Eccleſiam eſſe admittendos, nec Baptiſmo initiandos eſſe in Chriſti corpus, niſi examine prius habito. Unde palam fit quam ridiculi ſint Papiſtæ dum ad confeſſionem auricularem hoc detorquent. neque enim aderant Sacrifici, in quorum aures clanculum ſinguli inſuſurrant ſua peccata: nec de omnibus peccatis fit mentio: nec dicitur Joannes ordinarium confitendi ritum ſuis diſcipulis mandaſſe. Imo ut Papiſtis demus quod poſtulant, ſolis Catechumenis propria erit confeſſio: poſt Baptiſmum vero locum non habebit. Certe contra Joannis exemplum confitendi legem à Baptiſmo præſcribunt.

MATTH. III.

7. Quum autem vidiſſet multos ex Phariſæis & Sadducæis venientes ad baptiſmum ſuum, dixit illis, Progenies viperarum, quis vobis ſubmonſtravit ut fugeretis à ventura ira?

8. Facite igitur fructus dignos pœnitentia.

9. Et ne cogitetis dicere in vobis, Patrem habemus Abraham. dico enim vobis, quod poſſit Deus ſuſcitare ex lapidibus his filios Abrahamo.

10. Jam vero & ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. omnis igitur arbor quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem mittitur.

MARC.

LUC. III.

7. Dicebat ergo ad turbas quæ exibant ut baptizarentur ab ipſo, Progenies viperarum, quis ſubmonſtravit vobis ut fugeretis à ventura ira?

8. Facite ergo fructus dignos pœnitentia. & ne cœperitis dicere in vobis, Patrem habemus Abraham: dico enim vobis, poteſt Deus ex lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahamo.

9. Jam vero & ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem conjicitur.

10. Et interrogabant eum turbæ, dicentes, Quid ergo faciemus?

11. Reſpondens autem dicit illis, Qui habet duas tunicas, impertiat non habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat.

12. Venerunt autem & publicani ut baptizarentur, & dixerunt ad illum, Magiſter, quid faciemus?

13. At ille dixit ad eos, Nequid amplius quam quod vobis conſtitutum eſt exigatis.

14. Interrogabant autem eum & milites, dicentes, Et nos quid faciemus? Ait illis, Ne quem concutiatis: ne quem calumniemini: & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.

7. Matth. *Quum vidiſſet ex Phariſæis.*] Hic narrat Matthæus & Lucas Joannem non in genere modo prædicaſſe pœnitentiam, ſed perſonis quoque ſermonem ſuum accommodaſſe. Et ſane frigida erit docendi ratio niſi prudenter expendant doctores quid exigat tempus, & quid perſonis conveniat. nec quicquam in hac parte magis inæquale eſt, quam perpetua æqualitas. Hac de cauſa ſeverius tractaſſe dicitur Joannes Phariſæos & Sadducæos, quia propter hypocriſin & faſtum quo turgebant, acrius eſſe puniendos videbat quam hominum vulgus. Cæterum, quo probe teneamus ejus conſilium, ſciendum eſt nihil eſſe magis ſtupidum hypocritis, qui externa ſanctimoniæ larva ſe & alios decipiunt. Nam ut paſſim fulminet Deus contra totum mundum, ſibi aſylum falſa imaginatione fabricant: quia perſuaſi ſunt nihil ſibi eſſe cum Dei judicio. Si quis putet præpoſtere feciſſe Joannem quod prima ſalutatione tam duriter eos exceperit: reſpondeo non fuiſſe illi incognitos, & quam habuit notitiam non ex conſuetudine vel experientia fuiſſe, ſed potius ex arcana revelatione Spiritus. Quare illis nequaquam parcendum fuit, ne magis inflati domum redirent. Siquis rurſum objiciat, tam dura objurgatione non fuiſſe terrendos qui per Baptiſmum ſe alios poſthac fore profitebantur: ſolutio etiam in promptu eſt, Aſperius ad veram pœnitentiam urgendos eſſe, qui Deo mentiri & ſibi delicias facere aſſueti, fucum & ſimulationem pro re obtendunt. Mira eſt enim, ut dixi, in hypocritis pervicacia: ideo donec vi excorientur, mordicus retinent pellem ſuam. Jam quod palam eos Joannes coram omnibus arguit & objurgat, ad exemplum pertinet. quo ſenſu memorat Lucas hoc ad turbas dictum eſſe. Etſi enim paucos homines ſtringebat Joannes, omnium tamen habebat reſpe-
ctum, ut illis metum incuteret. quemadmodum Pau- 1 Tim. 5.
lus hinc in publicis objurgationibus fructum ſpectari verſ. 20.
jubet. Ergo Phariſæos & Sadducæos peculiariter compellans in eorum perſona omnes ſimul admonet ne fictam reſipiſcentiæ ſpeciem pro vero affectu obtendant. Adhæc magnopere totius populi intererat, ſcire quales eſſent Sadducæi & Phariſæi, à quibus miſere

miſere corruptus fuerat Dei cultus, perdita Eccleſia, & everſa tota religio: qui denique ſuis corruptelis extinxerant Dei lucem, & ſuis vitiis omnia infecerant. Probabile ergo eſt Joannem publice aggreſſum fuiſſe Phariſæos, ut toti Dei Eccleſiæ conſuleret: ne amplius inani ſplendore ſimplicium oculos perſtringerent, nec impia tyrannide oppreſſam tenerent plebem. In eo vero præclara ejus conſtantia enituit, quod quum excellerent inter alios, non tamen pepercit eorum dignitati: ſed graviter, ut digni erant, coegit in ordinem. Sic animoſos eſſe decet omnes pios doctores, ne quam hominum potentiam formident, ſed intrepide dejicere contendant omnem altitudinem quæ ſe extollit adverſus Chriſtum. Quod ſi tam rigide ſalutati ſunt à Spiritus ſancti organo, qui ad baptiſmum ultro acceſſerant ut Euangelio nnmen darent: quomodo hodie nnbis agendum eſt cum profeſſis Chriſti hoſtibus qui non modo contumaciter reſpuunt omnem ſanæ doctrinæ guſtum, ſed ferro & igni ad delendum Chriſti nomen pluſquam violentet graſſantur? Certe ſi Papam & fœtidum ejus clerum cum Sadducæis & Phariſæis compares, ut cum illis mitiſſime agatur, conjiciendi ſimul erunt in unum faſciculum. Quare non nobiscum, ſed cum Spiritu Dei expoſtulent, quibus tam delicatæ ſunt aures ut nihil in Papam acerbe dici ſuſtineant. Interea ſibi caveant pii doctores, dum ſancto zelo feruntur contra Eccleſiæ tyrannos, ne carnis affectus permiſceant. Et quia non poteſt vehementia Deo probari, niſi quam moderatur prudentia Spiritus; non modo cohibeant illi affectus ſuos, ſed Spiritui ſancto ſe regendos tradant ac commendent, ne quid inconſiderate excidat. Progeniem viperarum nominat potius quam viperas, ut toti ordini exprobret virulentam malitiam. neque enim paucos tantum illos qui aderant, ſed totum corpus damnare voluit: acſi diceret utramque factionem non niſi ſerpentes gignere. Certabant quidem inter ſe gravibus diſſidiis, ſed communis erat omnibus contemptus Dei, impia dominandi libido, ſanæ doctrinæ odium, & multorum ſcelerum colluvies. *Quis vobis ſubmonſtravit.* Quia ſuſpectam habebat enrum pœnitentiam, dubitans cum admiratione inquirit ſitne poſſibile ut ex animo reſipiſcant. hoc modo eos ad interius conſcientiæ examen citat, ut ſe penitus excutiant, & procul remotis blanditiis ſeveram in habenda malorum ſuorum quæſtione exerceant cenſuram. Ira hic pro Dei judicio, ut pluribus aliis locis,
Rom. 4. verſ. 15. & 12. verſ. 19.
capitur: quemadmndum quum dicit Paulus, Lex iram operatur: &, Date locum iræ. Futuram autem vocat quæ ipſorum capitibus impendet, ne ſecure ſibi pro more indulgeant. Nam ut ira Dei exundet & totam terram feriant ejus flagella: ſemper tamen hypocritæ ſe immunes fore confidunt. Iram Dei fugere, in bonam partem hic ponitur, pro eo quod eſt rationem quærere placandi Dei, ut nobis iraſci deſinat: nam bona pars hominum ut effugiat iram Dei, ſeſe ab ejus manu & judicio ſubducit. atqui adeo nihil proficit peccator fugiendo Deum, ut magis iram ejus in ſe provocet.

8. Matth. Luc. *Facite ergo fructus.*] Confirmat quod prius dixi, nihili eſſe quam verbis teſtantur pœnitentiam, niſi eam re ipſa comprobent. Eſt enim res magis pretioſa quam de qua leve & futile judicium fieri deceat. Ideo ſufficere negat Joannes ſolenne illud quod reddebant teſtimonium: ſed temporis ſucceſſu palam tandem futurum dicit ex ipſis operibus an ſerio reſipuerint. Notaodum eſt quod bona opera fructus vocantur pœnitentiæ. eſt enim pœnitentia res interior quæ ſedem in corde & anima habet, ſed fructus deinde ſuos profert in vitæ mutatione. Quia autem in Papatu tota hæc pars doctrinæ fœde corrupta fuit, tenendum eſt hoc diſcrimen, quod pœnitentia, interior ſit hominis renovatio, quæ in externam vitam emergit, ſicut ex ſe fructus producit arbor.

9. Matth. *Ne cogitetis dicere.* 8. Luc. *Ne cœperitis dicere.*] Quum certum ſit eundem eſſe utriuſque loquutionis ſenſum, facile colligimus quid voluerit Joannes. Donec premantur hypocritæ, vel ſuis vitiis indormiunt, vel licenter exultant. Dum vero citantur ad Dei tribunal, anxie quæritant ſubterfugia & latebras, aut velum aliquod obtendunt. Sic ergo Joannes Phariſæos & Sadducæos alloquitur, Nunc, durius à me increpiti, nolite facere quod veſtri ſimiles ſolent, ut ſcilicet remedium ex vano fallacique prætextu captetis. Pravam vero fiduciam, qua faſcinati erant, illis extorquet: fœdus quod Deus cum Abraham pepigerat, illis erat inſtar clypei ad tegendam malam conſcientiam: non quod in unius hominis perſona ſalutem ſuam locarent, ſed quia totum genus Abrahæ Deus adoptaverat. interea non reputabant, nullos cenſeri in ſemine Abrahæ niſi qui ſequuntur ejus fidem; & Dei fœdus non niſi fide ratum eſſe, ut proſit in ſalutem. Nec ſupervacua eſt particula In vobis: quamvis enim lingua non jactarent ſe filios Abrahæ, hoc tamen titulo intus ſibi placebant: ut hypocritas nihil pudet craſſius Deo quam hominibus illudere. *Poteſt Deus.*] Eodem fere prætextu ſibi blandiebantur Judæi, quo hodie ſe Papiſtæ inſolenter venditant: Neceſſe eſt Eccleſiam aliquam eſſe in mundo: quia Deus in mundo vult agnoſci, nomenque ſuum invocari. Atqui alibi non poteſt eſſe quam apud nos Eccleſia, apud quos Dominus fœdus ſuum depoſuit. Præcipue hac arrogantia turgebant Pontifices, & alii penes quos regimen erat ac poteſtas. Vulgus enim illis profanum, ac maledictum erat, ut legimus Joannis 7. verſ. 49. ſe autem putabant ſacras eſſe primitias: ſicut hodie cornuti Epiſcopi, Abbates, Canonici, Monachi, Sorboniſtæ, & ſacrifici quilibet ſuperbo cleri titulo elati, laicos præ ſe deſpiciunt. Errorem iſtum coarguit ac refellit Joannes, quod Dei promiſſionem nimis reſtringant, demonſtrans quamvis illis careat Deus, Eccleſiam tamen illi non defuturam. ſenſus ergo verborum eſt, Pepigit Deus æternum fœdus cum Abraham & ejus ſemine. Una res vos fallit, quod, quum ſitis pluſquam degeneres, putatis vos ſolos eſſe Abrahæ filios: atqui alicunde ſuſcitabit Dominus novum Abrahæ ſemen quod nunc non apparet. Dicit autem in dativo caſu, Abrahamo filios: ut ſciant non irritam fore Dei promiſſionem: neque Abraham, qui illi innixus eſt, eſſe deceptum, quamvis ſemen in illis deficiat. Ita ab initio mundi verax fuit Dominus ſervis ſuis, nec fidem illis de propaganda in filios gratia datam præſtare unquam deſtitit, quamvis hypocritas abjiceret. Quod putant nonnulli, Joannem de Gentium vocatione loquutum eſſe, mihi firmum non videtur: ſed quia incredibile erat ſuperbis hominibus, alio poſſe transferri Eccleſiam, admonet Domino eſſe in manu rationes ſervandæ Eccleſiæ quas illi non putabant, acſi ex lapidibus filios ſibi crearet.

10. Matth. 9. Luc. *Jam vero & ſecuris.*] Poſtquam vanæ fiduciæ integumentum hypocritis detraxit Joannes, propinquum Dei judicium denunciat. Prius dixerat, illis abdicatis non defore Deo populum. nunc addit, in eo eſſe nunc ipſum Deum, ut indignos exterminet ab Eccleſia: ſicuti ſteriles arbores excidi ſolent. Summa eſt, Dei manum purgandæ Eccleſiæ jam eſſe intentam. Nunquam enim ſe exerit Dei gratia in ſalutem piorum quin ſimul judicinm ejus in mundi interitum prodeat. idque duplici de cauſa: quia tunc ſuos Dominus à reprobis ſegregat, & novam iram provocat mundi ingratitudo. Quare non mirum eſt ſi Euangelii prædicatio & Chriſti adventus ſecurim admoverint reſecandis vitioſis arboribus, & quotidie Dei vindictam contra impios accelerent.

10. Luc. *Interrogabant eum turbæ.*] Hanc ſollicitudinem gignit verus reſipiſcendi affectus, ut cupide

inqui-

inquirat peccatòr quidnam velit Deus ac præcipiat. Reſponſio autem Joannis breviter definit fructus pœnitentia dignos. ſemper enim mundus ceremoniis erga Deum cupit defungi, nec quidquam proclivius eſt quam fictitios cultus nbjectare Deo, quoties ad pœnitentiam invitat. Quos autem fructus commeodat hoc loco Baptiſta? Officia charitatis & ſecundæ tabulæ. non quod Deus externam pietatis & cultus ſui prnfeſſionem negligat: ſed quia bæc nota diſcriminis certior eſt, ac minus ſæpe fallit. Larorioſe enim ſatagunt hypocritæ ut ſe Dei cultores ceremoniis probent, omiſſa interim veræ juſtitiæ cura: quando vel inhumani ſunt erga proximos, vel fraudibus & rapinis addicti. Quare neceſſario revocandi ſunt ad craſſius examen, An probitatem colant inter bomines, an ſubveniant pauperibus, an parcant miſeris, an benigne communicent quæ Dominus illis contulit. *Mat. 23. verſ. 23.* Hac ratione Chriſtus præcipua Legis capita oominat juſtitiam, miſericordiam & veritatem. & Scriptura paſſim commendat juſtitiam & judicium. Hoc primo babendum eſt, nominari charitatis officia: non quod excellant ſupra cultum Dei, ſed quatenus teſtantur de hominum pietate, ut eorum detegatur ſimulatin qui ore jactant quod procul abeſt à corde. Sed quæritur an præciſe legem banc omnibus impoſuerit Joannes quos parabat Chriſto diſcipulos, ne duas tunicas haberent. Primo notandum eſt, ſynecdochicam eſſe loquutionem, quia ſub una ſpecie comprebenditur generalis doctrina. Hinc ſequitur eliciendum eſſe ſenſum, qui charitatis regulæ, qualis à Deo præſcribitur, reſpondeat: nempe ut quiſque ex ſua abundantia ſubveniat pauperum inopiæ. Non enim extorquet Deus vectigal, quod triſtes & inviti conſerant, qui oeceſſitate facere cogantur quod nollent: ſed hilares datores ac voluntarios amat, ut dicit Paulus 2 Cor. 9. verſ. 7. Hoc ideo dico, quia magni intereſt ut perſuaſi ſint bomioes gratum ac boni odoris ſacrificium eſſe Deo quod nfferunt ex ſuis facultatibus. Atqui non trepidationem modn injiciunt cooſcientiis, ſed eas deſperatione obruunt quicunque legem imponunt ne quiſquam proprium aliquid poſſideat. Nec vero contra ejuſmodi fanaticos homines, qui mordicus literam arripiunt, longa refutatione opus eſt. Si fas non eſt duas habere tunicas, idem de patinis, ſalinis, induſiis, totaque ſupellectile erit dicendum. Atqui ex contextu clarè patet, nihil minus fuiſſe propoſitum Joanni quam politicum ordinem evertere. Unde colligimus, nihil eum plus mandaſſe, quam ut divites pro ſuis facultatibus erogarent pauperibus quod eorum neceſſitas poſtulabat: acſi dixiſſet, Videte quibus vitæ ſubſidiis indigeant proximi veſtri, quæ vobis affluunt: ut veſtra copia eorum egeſtati ſuccurrat. Porro quo magis indulget nobis Deus, eo magis cavendum ne ſibi quiſquam noſtrum indulgeat. Urgeat nos potius fratrum neceſſitas, & quotquot Dei beneficia nobis ſunt ad manum, ad beoeficentiam nos invitent.

12. *Venerunt & Publicani.*] Publicanos tantum in genere hortatur ut reſipiſcant, ſed exigit quæ vocationis proptia ſunt. ſcimus enim, præter generalem Legis regulam, ſingulis ſpectandum eſſe quid poſtulet vitæ ad quam vocati ſunt ratio. Chriſtianis omnibus communiter præcipitur dilectio: ſed deinde ſequuntur particularia nfficia, quibus doctot erga Eccleſiam, magiſtratus vel princeps erga populum, & viciſſim populus erga magiſtratum: maritus erga uxnrem, & viciſſim erga illum uxor: filii denique & parentes inter ſe obſtricti ſunt. Porro quia publicani (ut eſt genus hominum avarum, rapax, & crudele) ſæpe iniquis exactionibus plebem vexabant: vitia quibus ut plurimum laborabat ordo ille, taxat Baptiſta: prohibens ne in exigendis tributis modum excedant. Hinc tamen colligimus, Chriſtiano homini non minus fas eſſe exigere tributa, quam Magiſtratui imponere conceditur. Idem & de militia ſeotiendum. non jubet Joannes arma abjicere milites, & ſacramento ſuo tenunciare: ſed vetat militiæ prætextu expilare miſeram plebem, calumniis premere innoxios, graſſari prædonum more, ut plurimi ſolebant. quare in bis verbis ſubeſt non obſcura politiæ approbatio. Frivolum cavillum eſt, hic rudibus tantum elementa tradi, quæ longe infra Chriſtianam perfectionem ſubſidant. Joannis munus fuit plebem Domino perfectam aptare: nec dubium eſt quin fideliter in hoc totus incubuerit. Et certe Euangelium ſacrilega calumnia infamant qui ipſum faciunt contrarium bumanis imperiis: acſi deſtrueret Chriſtus quod cæleſtis Pater ſancivit. Atqui mortuæ ſunt leges, & judiciis nulla vis nec auctoritas ineſt ſine gladio. Nec tantum carnifice opus babet magiſtratus, ſed aliis quoque miniſtris: quorum ex numero ſunt milites, ùbi non aliter pacem tueri poteſt quam illnrum præſidio & manu. Tantum conſiderandus eſt finis, ne Principes ſanguine humano ludere ſibi permittant: ne milites ſuas operas ad mactandum locantes, lucri cupidine ad ſævitiam provoleot: ſed neceſſitate & publicæ utilitatis reſpectu utrique trahantur.

MATTH. III.

11. Ego quidem baptizo vos aqua ad pœnitentiam: at qui poſt me venit, fortior me eſt, cujus non ſum idoneus ut calceamenta portem: ipſe vos baptizabit Spiritu ſancto & igni.

12. Cujus ventilabrum in manu ipſius, & permundabit aream ſuam: & congregabit triticum in horreum ſuum: paleas autem comburet igni inextinguibili.

MARC. I.

7. Et prædicabat dicens, Venit poſt me quidam fortior me, cujus non ſum idoneus ut procumbens ſolvam corrigiam calceamentorum.

8. Ego quidem baptizavi vos aqua: ille vero baptizabit vos Spiritu ſancto.

LUC. III.

15. Expectante autem populo, & eogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Joanne num ipſe eſſet Chriſtus:

16. Reſpondit Joannes cunctis, dicens, Ego quidem aqua baptizo vos, ſed venit fortior me, cujus non ſum dignus ſolvere eorrigiam calceamentorum: ipſe vos baptizabit Spiritu ſancto & igni.

17. Cujus ventilabrum in manu ipſius, & purgabit aream ſuam: & eongregabit triticum in horreum ſuum: paleas autem comburet igni inextinguibili.

18. Multa quidem & alia exhortans euangelizabat populo.

Eadem Baptiſtæ verba referunt Euangeliſtæ. Hoc uno Lucas uberior eſt, quod prius admonet qua occaſione habita fuerit hæc concio: nempe quia periculum erat ne Chriſti honorem falſa opinione ad eum plebs transferret. Ergo ut anſam erroris mature præcidat, diſerte teſtatur ſe non eſſe Chriſtum: atque ita ſe ab illo diſcernit ut jus illi ſuum aſſerat. Et hoc quidem ſponte facturus erat, ut diſcipulos Chriſto de manu (quod aiunt) in manum traderet. ſed maturius anticipat, ne diutius tacendo, errorem plebis confirmet. Quum dicit fortiorem venire, ſignificat longe alia potentia & dignitate præditum, cujus reſpectu ipſe in ordinem cogendus ſit. Formulis autem vulgaribus utitur, quibus adeo extollit Chriſti gloriam, ut præ illo ſe nihil eſſe exprimat. Hoc tamen præcipuum eſt, quod Chriſtum facit Baptiſmi ſpiritualis auctorem: ſe vero externi duntaxat miniſtrum. Videtur autem eſſe occupatio, ſiquis forte objiceret quorſum ſpectaret baptiſmus quem ſibi ſumpſerat. neque enim res levis momenti erat, quicquam in Eccleſia Dei novare: præſertim vero novum profiteri initiationis genus, quod perfectius eſſet Lege Dei: ideo reſpondet ſe quidem nihil temere aggreſſum: quod tamen externi ſymboli miniſter eſt, id de Chriſti virtute & gloria nihil minuere. Unde colligimus, ejus conſilium minime fuiſſe, baptiſmum ſuum diſtinguere ab eo quem Chriſtus diſcipulis mandavit, & cujus perpetuum uſum voluit in Eccleſia vigere. neque enim ſignum viſibile alteri ſigno opponit: ſed Domini & ſervi perſonas inter ſe conferens, docet quid proprium Domino, & quid ſervo tribuendum. Neque nos impediat quod pridem opinio illa & paſſim invaluit Joannis baptiſmum à noſtro differre: ſed ex re ipſa potius quam ex errore hominum judicium facere diſcamus. Et ſane pluſquam abſurda eſſet comparatio quam fingunt: nam inde ſequeretur, Spiritum ſanctum hodie à miniſtris dari. Rurſum ſequeretur, baptiſmum Joannis, mortuum ſignum & omni efficacia vacuum fuiſſe. Tertio, ſequeretur non eſſe nobis communem cum Chriſto Baptiſmum: quum ſatis conſter hac teſſera ſancitam fuiſſe ſocietatem quam habere nobiſcum dignatur, dum in corpore ſuo Baptiſmum conſecravit. Tenendum ergo eſt quod prius dixi, Joannem hic ſimpliciter à ſe & reliquis omnibus miniſtris Baptiſmi, diſcernere Chriſti perſonam, ut Dominus ſupra ſervos emineat. Atque hinc elicitur generalis doctrina, Quænam ſint in Baptiſmo hominum partes, & quid proprium habeat Filius Dei. nam hominibus ſola externi & viſibilis ſigni adminiſtratio commiſſa eſt: veritas autem ipſa penes Chriſtum unum reſidet. Scriptura quidem interdum hominibus improprie aſſignat quod hic uni Chriſto vendicat Joannes, & negat in homines competere: ſed tunc non expendit quid per ſe & ſeorſum habeat homo, ſed ſimpliciter docet quæ ſit vis & utilitas ſignorum, & quomodo Deus Spiritu ſuo per illa operetur. Hic vero traditur diſtinctio inter Chriſtum & miniſtros, ne quod illi uni merito debetur, perperam ad hos mundus transferat: quemadmodum nihil magis proclive eſt quam Dei ſpoliis ornare creaturas. Atque hæc eadem obſervatio ex multis difficultatibus nos expediet. Scimus quantæ rixæ noſtro ſeculo extiterint, de uſu & efficacia ſignorum. quas omnes dirimere hoc uno verbo licet, quod tota Domini inſtitutio auctorem ipſum & virtutem Spiritus una cum figura & miniſtro complectitur: ubi autem cum Domino confertur miniſter, ut ille omnia habeat, hunc in nihilum eſſe redigendum.

11. *Spiritu ſancto & igni.*] Quæritur cur non etiam dixerit Joannes Chriſtum ſolum eſſe qui animas ſanguine ſuo abluit. Nempe quia ipſa quoque ablutio, Spiritus virtute perficitur, ſatis habuit ſolo nomine Spiritus totum Baptiſmi effectum exprimere. Senſus quidem clarus eſt ſolum Chriſtum conferre quicquid gratiæ externus baptiſmus figurat: quia ipſe conſcientias ſanguine ſuo aſpergit. ipſe idem veterem hominem mortificat, & Spiritum regenerationis confert. Subjicitur nomen ignis, vice epitheti: transfertur autem ad Spiritum, quia ſordes noſtras non aliter purgat quam aurum igni excoquitur: ſicut alibi metaphorice vocatur aqua.

12. Matth. *Cujus ventilabrum.*] Proxima ſententia concionatus eſt Joannes de gratia Chriſti, ut ſe illi renovandos Judæi traderent: nunc etiam de judicio diſſerit, ut metum contemptoribus injiciat. nam quia multi ſemper hypocritæ oblatam ſibi Chriſti gratiam ſuperbe repudiant, ſimul vindictam quæ ipſos manet, illis denunciari neceſſe eſt. Hac de cauſa Joannes Chriſtum hic deſcribit ſeverum judicem adverſus incredulos. Atque hic docendi ordo nobis quoque tenendus eſt: ut ſciant hypocritæ non impune ſibi ceſſurum quod Chriſtum rejiciunt, & à ſuo torpore expergefacti, ultorem metuere incipiant quem ſalutis auctorem aſpernati ſunt. Porro mihi non dubium eſt quin docere voluerit Joannes quid efficiat Chriſtus per ſuum Euangelium. Eſt igitur Euangelii prædicatio ventilabrum aut vannus: quia antequam Dominus nos excutiat, totus mundus confuſione implicitus eſt, ſibi quiſque privatim delicias facit, & boni malis permixti ſunt, denique paleis turgere ſufficit. Ubi autem in medium prodit Chriſtus cum ſuo Euangelio, dum conſcientias coarguit, & citat ad Dei tribunal, ventilantur paleæ quæ prius magnam areæ partem occupabant. Quanquam autem ſingulos homines repurgat à paleis Euangelium: Joannes tamen hic paleis reprobos comparat, fideles autem tritico. Proinde area non pro mundo accipitur (ut quibuſdam placet) ſed pro Eccleſia: notandum enim ad quos verba faciat Joannes. Quum ſolo titulo inflati eſſent Judæi, Joannes admonet ſtulte eos ſuperbire quod locum ad tempus occupent in Eccleſia Dei, unde mox ejiciendi ſunt, non ſecus atque paleæ ex area. Hoc modo corruptum qui tunc erat Eccleſiæ ſtatum perſtringit: quia glumis, quiſquiliis & aliis ſordibus referta eſſet: ſed vivo Euangelii flatu mox purgandam eſſe. Sed quomodo paleam à tritico ſegregare dicitur Chriſtus, qui nihil in hominibus reperire poteſt niſi meram paleam? Reſponſio facilis eſt, Electos formari in triticum, ut à palea exempti, in horreum colligantur. Cæterum hanc purgationem inchoavit Chriſtus, & quotidie peragit: effectus tamen non ante ultimum diem plane conſtabit. ideo Joannes illuc nos revocat. Sed meminerimus, fideles hodie jam per ſpem in horreum Dei ingredi, ut æternam illic tandem reipſa ſedem habeant: reprobos vero jam in reatu ardorem illius ignis concipere cujus ſolidam uſtionem extremo die ſentient. De igne æterno quo torquendi ſunt poſt judicium impii, ſcio argute à multis fuiſſe diſputatum: atqui ex pluribus Scripturæ locis colligere licet metaphoricam eſſe loquutionem. nam ſi ignem realem vel materialem, ut vocant, ſtatuere libet, ſimul addendum erit ſulphur & flabellum: quia utriuſque fit mentio apud Jeſaiam, cap. 30. verſ. 33. Nec certe alia eſt ignis quam vermis ratio. quod ſi in vermis nomine metaphora omnium conſenſu recipitur, idem & de igne ſentiendum. Quare omiſſis ſpeculationibus, quibus ſe vani homines nullo profectu fatigant, tenere ſufficiat, his loquendi formis, pro ruditatis noſtræ captu, horribile tormentum notari, quod nec ſenſu hominum hodie capi, nec verbis exprimi poteſt.

MATTH. III.

13. Tunc accedit Jeſus à Galilæa ad Jordanem, ad Joannem ut baptizaretur ab eo.

14. Joannes vero prohibebat illum, dicens, Mihi opus eſt abs te baptizari, & tu venis ad me?

15. Reſpondens autem Jeſus dixit ad eum, Omitte nunc, ſic enim decet nos complere omnem juſtitiam. Tunc omittit illum.

16. Et baptizatus Jeſus aſcendit protinus ab aqua: & ecce aperti ſunt illi cæli, & vidit Spiritum Dei deſcendentem tanquam columbam, & venientem ſuper ipſum.

17. Et ecce vox de cælis, dicens, Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacitum eſt.

MARC. I.

9. Et factum eſt in diebus illis, venit Jeſus à Nazareth Galilææ, & baptizatus eſt à Joanne in Jordane.

10. Et ſtatim quum aſcenderet ex aqua, vidit diffindi cælos, & Spiritum quaſi columbam deſcendentem ſuper illum.

11. Et vox facta eſt è cælis, Tu es filius meus dilectus in quo mihi bene complacitum eſt.

LUC. III.

21. Factum eſt autem quum baptizaretur omnis populus, ut & Jeſu baptizato, & orante, apertum ſit cælum.

22. Ac ut deſcenderet Spiritus ſanctus corporali ſpecie quaſi columba ſuper ipſum, & vox è cælo fieret, dicens, Tu es filius meus dilectus, in te mihi complacitum eſt.

23. Et ipſe Jeſus incipiebat eſſe annorum ferme triginta.

13. *Ut baptizaretur ab eo.*] In quem finem baptizari voluerit Dei Filius, aliqua ex parte colligimus ex ejus reſponſo. Prius quidem ſpecialis ratio adducta fuit, quod communem nobiſcum Baptiſmum ſuſceperit, ut certius ſibi perſuadeant fideles in ejus corpus ſeſe inſeri, & conſepeliri cum eo Baptiſmo, ut in vitæ novitatem reſurgant. Finis vero quem hic proponit, latius patet, Quia ſic decuerit implere omnem juſtitiam. Nomen Juſtitiæ tantundem ſæpe valet in Scriptura ac Legis obſervatio: & ita hunc locum exponere licet, Oportuiſſe Chriſtum, ex quo ſponte Legi ſe ſubjecerat, omni ex parte eam ſervare. Ego tamen ſimplicius accipere malo in hunc modum, acſi dixiſſet Chriſtus, de mea dignitate nunc omitte loqui. neque enim id agitur uter noſtrum altero ſit præſtantior: ſed potius ſpectandum eſt quid vocatio noſtra poſtulet, & quid nobis à Deo Patre injunctum ſit. Iſta enim generalis ſuſcipiendi Baptiſmi ratio fuit Chriſto, ut plenam obedientiam præſtaret Patri: ſpecialis autem, ut Baptiſmum conſecraret io ſuo ipſius corpore, ut nobis communis cum eo eſſet.

14. *Mihi opus eſt abs te baptizari.*] Certum eſt, Chriſtum non modo inſignem Prophetam à Joanne fuiſſe agnitum, ut multi inepte ſomniant: ſed Filium Dei, ut erat. alioquin injurius fuiſſet Deo, ſanctam ejus vocationem homini mortali ſubmittens. Unde autem innotuerit, diſcant lectores ex Joannis cap. 1. verſ. 15. Erat quidem hæc probabilis recuſandi cauſa, quod Baptiſmo nihil opus habet Chriſtus: ſed in eo hallucinatus eſt Joannes, quod non expendit aliorum cauſa Baptiſmum ab eo peti. Ideo Chriſtus conſiderare eum jubet quid ſuſceptæ ſervi perſonæ conveniat, quia voluntaria ſubjectio nihil derogat ejus gloriæ. Etſi autem tantum virum pars aliqua muneris ſui ad tempus latuit: non tamen obſtitit particularis error quin rite & legitime Baptiſtæ officio functus ſit. Quo exemplo docemur non temere facere qui injunctam à Domino provinciam obeunt pro revelationis modo, quamvis non ſtatim aſſequantur quicquid vocationi annexum eſt, vel ab ea dependet. Notanda etiam ejus modeſtia, quod ſententia ſua cedens, Chriſto ſtatim obtemperat.

16. *Ecce aperti ſunt illi cæli.*] Apertio cælorum pro manifeſtatione gloriæ cæleſtis interdum accipitur: hic vero etiam ſignificat viſibilis cæli ſciſſuram, ita ut perſpicere potuit Joannes aliquid planetis & aſtris ſuperius. neque enim alius poteſt eſſe ſenſus verborum Marci, qui dicit eum vidiſſe diffindi cælos. Subtilius autem inquirere qualis fuerit ſciſſura, neque ad rem multum pertinet, neque etiam expedit: quia ſatis eſt tenere, hoc fuiſſe præſentiæ Dei ſymbolum. Porro quum dicant Euangeliſtæ Spiritum ſanctum à Joanne viſum, ejus etiam cauſa præcipue cælos fuiſſe apertos probabile eſt. Quanquam non repugno quin Chriſtus etiam, quatenus homo erat, redditus ſit ſuæ vocationis certior. Atque huc tendere videntur Lucæ verba, quum dicit orante Chriſto apertos fuiſſe cælos. Etſi enim ſuas preces ſemper in aliorum uſum deſtinavit: opus tamen habuit ſecundum hominem, quum tam arduum militiæ genus aggreſſus eſt, ſingulari Spiritus virtute armari. Sed hic oriuntur duæ quæſtiones. prior eſt, cur tunc deſcenderit in Chriſtum Spiritus, qui jam prius in eo reſidebat. Hanc quæſtionem ſolvit locus Jeſaiæ 61. verſ. 1. qui alibi tractabitur: Spiritus Domini ſuper me, ideo unxit me, ad euangelizandum pauperibus miſit me. Quamvis ſingulari Spiritus gratia uſque ad miraculum Chriſtus excelleret, domi tamen ſe quaſi privatus homo continuit uſque dum producendus eſſet à Patre. Ergo nunc, dum adeſt maturum tempus quo ſe ad præſtandum Redemptoris munus accingat, nova Spiritus virtute induitur: idque non tam ſua quam aliorum cauſa. Conſulto enim hoc factum eſt, ut divinam ejus virtutem ſuſpicere & reverenter amplecti diſcerent fideles: nec contemptibilis in eo eſſet carnis infirmitas. Eadem etiam cauſa fuit cur Baptiſmum uſque ad triceſimum ætatis annum differret. Baptiſmus acceſſio fuit Euangelii: atque ideo una cum Euangelii promulgatione cœpit. Chriſtus vero ad prædicandum Euangelium ſe accingens, tam Baptiſmo initiatus eſt in munus ſuum, quam Spiritu ſancto inſtructus. Apparet ergo Spiritus ſanctus Joanni ſuper Chriſtum deſcendens, qui admoneat nihil in ipſo Chriſto carnale vel terrenum eſſe quærendum: ſed quaſi divinum hominem è cælo prodire, in quo regnat virtus Spiritus ſancti. Scimus quidem ipſum eſſe Deum manifeſtatum in carne: ſed in perſona quoque miniſtri & humana ejus natura cæleſtis virtus conſideranda eſt. Secunda quæſtio eſt, cur in ſpecie columbæ potius quam ignis Spiritus apparuerit. cujus ſolutio ex analogia vel ſimilitudine rei ſignatæ cum figura pendet. Scimus quid Chriſto tribuat Jeſaias Propheta, cap. 42: 3. Calamum, inquit, quaſſatum non confringet, linum fumigans non extinguet: non clamabit, nec vox ejus audietur. Propter hanc Chriſti manſuetudinem, qua blande & comiter peccatores in ſpem ſalutis vocavit, & quotidie invitat, Spiritus ſanctus ſuper eum deſcendit in ſpecie columbæ. Atque in hoc ſymbolo illuſtre ſuaviſſimæ conſolationis pignus nobis exhibitum eſt, ne metuamus ad Chriſtum acce-

dere, qui non formidabili Spiritus poteotia, ſed amabili & placida gratia indutus nobis occurrit. *Vidit Spiritum ſanctum.* Nempe Joanoes: quia mox ſequitur quod Spiritus ſuper Chriſtum deſcenderit. Jam hic tertia oritur quæſtio, quomodo videre potuerit Joannes Spiritum. Reſpondeo, quum ubique diffuſus ſit Spiritus Dei, cælumque & terram impleat, deſcenſum improprie illi tribui. Idem ſentiendum eſt de aſpectu. quanquam enim per ſe inviſibilis eſt, dicitur tamen conſpici ubi aliquod præſentiæ ſuæ ſignum demonſtrat. Non vidit Spiritus eſſentiam Joannes, quæ ſub ſenſum oculorum non cadit: noo vidit ipſam quoque virtutem, quæ non humano ſenſu, ſed fidei tautum intelligentia comprehenditur: ſed vidit ſpeciem columbæ, ſub qua Deus Spiritus ſui præſentiam monſtravit. Ergo metonymica eſt loquutio, qua rei ſpiritualis oomen ad ſignum viſibile transfertur. Quemadmodum autem ſtulte & præpoſtere literam urgent quidam, ut rem io ſigno includant: ita notandum eſt his loquendi formis notari conjunctionem rei cum ſigno. Secundum hunc ſenſum vocatut panis ſacræ Cœnæ Chriſti corpus: non quia ſit, ſed quia teſtetur nobis vere dari in cibum. Interim ſimul tenendum memoria eſt quod nuper attigi: non eſſe fingendum rei ſignatæ deſcenſum, ut in ſigno quæratur quaſi localiter illic incluſa: ſed debere hoc unum ſatis ſuperque nobis ſufficere, quod Dominus arcana ſua virtute præſtet quicquid nobis per figuras promittit. Quærunt etiam nonnulli curioſe magis quam utiliter, ſolidumne corpus fuerit, an ſpectrum hæc columba. Quanquam autem videntur innuere verba Lucæ non ſubſtantiam corporis ſuiſſe, ſed tantum ſpeciem: ego tamen, ne quis inde tiaandi anſam captet, in medio relinquo.

17. *Vox de cælis.*] Vox ex illa cælorum ſciſſura perſonuit, cujus ſacta prius fuit mentio: quo certior illi conſtaret majeſtas. Porro cum hoc præcooio nobis oblatus fuit à Patre Chriſtus, quum palam ad obeundum munus Mediatoris prodiit, ut hoc adoptionis noſtræ pignore freti, intrepide vocemus Deum ipſum Patrem noſtrum. Filii titulus vere & naturaliter in Chriſtum unum competit: ſed tamen in carne noſtra declaratus eſt Filius Dei, ut quem unus jure ſuo Patrem habet, nobis etiam conciliet. Quare Deus Chriſtum nobis Mediatorem cum Filii elogio producens, ſe nobis omoibus Patrem eſſe declarat. Eodem pertioet epitheton Dilecti. quia enim in nobis exoſi ſumus Deo, paternum ejus amorem à Chriſto in nos defluere neceſſe eſt. Atque hujus loci optimus eſt interpres Paulus ad Epheſ. 1. verſ. 6. quum dicit nos in Filio dilecto gratiam adeptos eſſe, ut à Deo amemur. Quod plenius etiam exprimitur iſta particula, In quo mihi complacitum eſt. innuit enim ſic in Chriſto acquieſcere Dei amorem, ut ſeſe ab eo ad nos omnes diffundat: oeque ad nos ſolum, ſed etiam ad Angelos ipſos, non quod reconciliatione opus habeant, quibus nihil uoquam fuit diſſidii cum Deo; ſed quia ne ipſi quidem perfecte niſi capitis beneficio, Deo adhærent. Qua ratione etiam dicitur primogenitus omnis creaturæ. Et Paulus *Col. 1: 13.* alibi rurſum veniſſe docet ut colligeret quæcunque *Col. 1: 20.* io cælo ſunt & in terra.

MATTH. IV.	MARC. I.	LUC. IV.
1. Tunc Jeſus ſubductus fuit in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo. 2. Et quum jejunaſſet dies quadraginta & noctes quadraginta, tandem eſuriit. 3. Et quum aceeſſiſſet ad eum ille qui tentat, dixit, Si Filius es Dei, jube ut lapides hi panes fiant. 4. At ille reſpondens dixit, Scriptum eſt, Non ſolo pane victurus eſt homo, ſed omni verbo quod egreditur per os Dei.	12. Et ſtatim Spiritus expulit illum in deſertum. 13. Et erat in deſerto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentabatur à Satana: eratque cum beſtiis.	1. Jeſus autem plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt à Jordane, & actus eſt per Spiritum in deſertum. 2. Diebus quadraginta tentabatur à diabolo: & nihil comedit in diebus illis, deinde eſuriit. 3. Dixit autem illi diabolus, Si Filius es Dei, dic lapidi huic ut panis fiat. 4. Et reſpondit ad illum Jeſus dicens, Scriptum eſt, Non ſolo pane victurus eſt homo, ſed omni verbo Dei.

1. *Tunc Jeſus ſubductus eſt*, &c.] Duabus de cauſis in deſertum ſeceſſit Chriſtus: prior, ut poſt jejuniuni quadraginta dierum, tanquam novus homo, imo cæleſtis, prodiret ad exequendum ſuum munus. deinde ut nonniſi tentationibus probatus poſito tirocinio, ad tam arduum munus & præclarum ſe accingeret. Sciamus ergo Chriſtum duce Spiritu abductum fuiſſe ab hominum frequentia, ut prodiret ſummus Eccleſiæ doctor & Dei legatus, tanquam magis è cælo miſſus quam aſſumptus ex oppido aliquo & communi hominum grege. Sic *Exod. 34. verſ. 12.* Moſen quum Deus per ejus manum promulgare Legem ſuam vellet, in montem Sinai rapuit, & ſubductum à populi conſpectu quaſi in cæleſte ſacrarium recepit. Chriſtum ſaltem non minus inſignibus divinæ gratiæ & virtutis notis fulgere oportuit quam Moſen: ne minor eſſet Euangelii quam Legis majeſtas. Si enim raro honore dignatus eſt Dominus doctrinam mortis miniſtram, quanto plus honoris meretur vitæ doctrina? Et ſi tantum lucis habuit umbratilis Dei figura, quam pleno fulgore ejus faciem quæ in Euangelio apparet, illuſtrem eſſe convenit? Hic idem fuit jejunii finis. neque enim à cibo & potu abſtinuit Chriſtus, ut temperantiæ documentum ederet: ſed quo plus auctoritatis haberet, dum à communi homioum ſorte exemptus, quaſi è cælo Angelus & non homo è terra, emergit. Qualis enim, obſecro, illa abſtinentiæ virtus fuiſſet cibum non guſtare, ad quem appetendum nullam eum tuliſſe inediam quam ſi carne non fuiſſet indutus? Quare mera ſtultitia fuit jejunium quadrageſimæ, ut vocant, ad Chriſti imitationem inſtituere. neque enim major hodie ratio eſt cur hoc Chriſti exemplum ſequamur, quam fuit olim ſanctis Prophetis & aliis Patribus ſub Lege imitari Moſis jejunium. Atqui ſcimus nemini hoc in mentem veniſſe. Eliam ſolum Deus, quia inſtaurandæ Legis miniſter erat, ſimili fere de cauſa jejunum in monte continuit. Imitatores ſe eſſe Chriſti fingunt qui per quadrageſimam quotidie jejunent: nempe ſic farciunt ventrem in prandio, ut cœnæ tempus facile abſque cibo tranſigant. Quid ſimile habent cum Filio Dei? Major erat veterum frugalitas: ſed illi quoque jejunio Chriſti nihil affine habebant, non magis ſcilicet quam hominum abſtinentia ad Angelorum inediam accedit. Adde quod nec Chriſtus nec Moſes quotannis ſolenni jejunio defuncti ſunt, ſed uterque ſemel tantum tota vita. Atque utinam ineptiis tantum luſiſſent ut ſimiæ: ſed impium & deteſtabile Chriſti ludibrium fuit, quod ſe ad ejus regulam fictitio ſuo jejunio formare tentarunt. Quod opus meritorium & partem eſſe pietatis & divini cultus ſibi perſuadent,

Digitized by Google

dent, peſſima eſt ſuperſtitio. Sed hæc in Deum contumelia eſt minime tolerabilis, quod ſingulare ejus miraculum obſcurant. deinde in Chriſtum: quia ſuum illi inſigne detrahentes, ejus ſpoliis ſe veſtiunt. tertium in Euangelium, cui non vulgaris detrahitur auctoritas, niſi hoc Chriſti jejunium, ejus ſigillum eſſe cognoſcitur. Singulare miraculum Deus edidit quum Filium ſuum exemit à neceſſitate edendi: annon inſana audacia æmulantur Deum qui idem ſua virtute affectant? Divina gloria inſignitus fuit Chriſtus per jejunium: annon ſua gloria fraudatus in ordinem cogitur, quum ſe illi ſocios cuncti mortales permiſcent? Hunc jejunio Chriſti finem ſtatuit Deus ut Euangelium obſignaret. qui in alium uſum transferunt, annon tantundem imminuunt ex Euangelii dignitate? Faceſſat igitur iſta κακοζηλία, quæ & conſilium Dei & totum ejus operum ordinem pervertit. Cæterum de jejuniis in genere non loquor, quorum utinam frequentior inter nos uſus (modo idem purus) foret. ſed oſtendere oportuit quorſum tenderet Chriſti jejunium. Porro tentandi Chriſti materiam arripuit Satan ex ejus eſurie: quemadmodum paulo poſt fuſius dicetur. Nunc in genere videndum eſt cur eum tentari voluerit Deus. certo enim Dei conſilio in hoc certamen productum eſſe ſonant Matthæi & Marci verba, qui dicunt ob hanc cauſam deductum fuiſſe à Spiritu in deſertum. Mihi non dubium eſt quin Deus in Filii ſui perſona tanquam in clariſſimo ſpeculo, oſtenderit quam infeſtus & importunus humanæ ſalutis adverſarius ſit Satan. Unde enim fit ut acrius Chriſtum impetat, totaſque ſuas vires & impetus effundat contra ipſum hoc temporis momento quod Euangeliſtæ notant, niſi quia Patris mandato ad redemptionem hominum accingi videt? Ergo tunc noſtram ſalutem oppugnavit in Chriſti perſona, ſicuti quotidie ejuſdem redemptionis miniſtros cujus auctor fuit Chriſtus, hoſtiliter perſequitur. Cæterum ſimul notandum eſt Filium Dei ſubiiſſe ultro tentationes de quibus nunc agitur; & cum diabolo quaſi conſerta manu eſſe luctatum, ut ſua victoria nobis triumphum acquireret. Itaque quoties nos aggreditur Satan, meminerimus non alio modo ſuſtineri poſſe ejus impulſus ac repelli, quam oppoſito hoc clypeo. ſicuti ſane ideo tentari paſſus eſt Dei Filius, ut medius occurrat quoties aliquod tentationum certamen nobis movet Satan. Ideo quum privatam domi vitam ageret, non legimus fuiſſe tentatum: ſed quum munus Redemptoris ſubeundum foret, tunc in arenam communi Eccleſiæ ſuæ nomine deſcendit. Quod ſi tanquam in publica omnium fidelium perſona tentatus fuit Chriſtus, ſciamus tentationes quæ nobis contingunt non eſſe fortuitas, vel Satanæ libidine moveri abſque Dei permiſſu: ſed Spiritum Dei præeſſe noſtris certaminibus, quo fides noſtra exerceatur. Unde certa ſpes colligenda eſt, Deum, qui ſummus eſt agonotheta, non fore noſtri immemorem quin difficultatibus noſtris ſuccurrat quibus nos impares eſſe videt. Paulo aliter ſonant verba Lucæ, quod Jeſus plenus Spiritu ſancto regreſſus ſit à Jordane. quibus ſignificat, tunc uberiore Spiritus gratia & virtute fuiſſe inſtructum, ut fortior ad pugnas obeundas foret. neque enim fruſtra viſibili ſpecie deſcenderat ſuper eum Spiritus. Et prius dictum fuit, magis in eo reſplenduiſſe Dei gratiam prout ſalutis noſtræ ratio exigebat. Sed abſurdum prima ſpecie videtur, Chriſtum diaboli tentationibus fuiſſe obnoxium: quia ut in homines cadat tentatio, vitium & infirmitatem ſubeſſe oportet. Reſpondeo, primum ſuſceptas à Chriſto fuiſſe noſtras infirmitates, ſed abſque vitio: deinde nihilo plus decedere ex ejus gloria, quod tentationibus expoſitus fuit, quam quod carnem noſtram induit. Hac enim lege factus eſt homo ut affectus noſtros una cum carne ſuſciperet. Sed tota difficultas in priore membro conſiſtit: quomodo infirmitate noſtra circumdatus fuerit Chriſtus ut Satanæ tentandus pateret, purus tamen & immunis fuerit ab omni vitio. Atqui ſolutio difficilis non erit, ſi in mentem veniat, integram Adæ naturam, quum adhuc pura illic fulgeret Dei imago, ſubjectam tamen fuiſſe tentationibus. Quotquot in homine ſunt corporales affectus, totidem illius tentandi occaſiones arripit Satan. Atque hæc merito cenſetur naturæ humanæ infirmitas, ſeorſus moveri rebus objectis: ſed quæ per ſe vitioſa non eſſet, niſi accederet corruptio, qua fit ut nunquam adoriatur nos Satan quin vulnus aliquod infligat, vel ſaltem aliqua punctione nos lædat. Chriſtum hac in parte naturæ integritas à nobis ſeparavit: quanquam non media quædam in eo conditio imaginanda eſt qualis fuit in Adam, cui tantum datum fuerat, poſſe non peccare. Atqui ſcimus ea Spiritus virtute munitum fuiſſe Chriſtum ut Satanæ telis penetrabilis non eſſet. *Accedens tentator.* Hoc nomen Satanæ, Spiritus conſulto tribuit, quo ſibi attentius ab eo caveant fideles. Unde etiam colligimus, tentationes quæ nos ad malum ſollicitant, nonniſi ab eo provenire. Nam quod alicubi dicitur tentare Deus, *Geneſ. 22.*
id in alium finem ſpectat: nempe ut fidem ſuorum *verſ. 1.*
exploret, aut pœnam ſumat de incredulis, aut palam *Deut. 13.*
faciat eorum hypocriſin qui veritati non obediunt *verſ. 3.*
ex animo.

3 Matth. *Ut lapides hi.*) Hic etiam parum firmis argutiis luſerunt veteres: primam enim tentationem dixerunt eſſe gulæ, alteram ambitionis, tertiam avaritiæ. ſed ridiculum eſt ad gulæ intemperiem referre ſiquis famelicus cibum appetit quo naturæ ſatisfaciat. Porro quas in pane lautitias fingent, ut nimis delicatus cenſeri debeat qui ſicco pane, ut ajunt, contentus eſt? Sed ne plus verborum fruſtra perdamus, unica Chriſti reſponſio ſatis declarat aliud fuiſſe Satanæ conſilium. Non erat certe rudis & imperitus athleta Filius Dei, ut neſciret adverſarii ictus declinare, ut ad dexteram partem impetitus, clypeum ad ſiniſtram temere opponeret. Ergo ſi conatus fuiſſet Satan eum ad gulæ delicias pellicere, habebat in promptu Scripturæ teſtimonia quibus eum repelleret. Atqui nullum tale proponit: ſed hanc ſententiam ſumit, vivere homines non pane, ſed arcana Dei benedictione. Unde colligimus Satanam recta aggreſſum fuiſſe Chriſti fidem, ut ea extincta Chriſtum ad illicitos & perverſos victus quærendi modos impelleret. Et certe tunc jugulum petit, dum hoc efficere tentat, ut nos Deo diffiſi, aliter quam per ejus verbum licet, nobis conſulamus. Senſus ergo verborum eſt, Quando vides te à Deo deſtitui, neceſſitas cogit ut tibi proſpicias. Ergo victum tibi confice quem Deus tibi non ſuppeditat. Etſi autem divinam Chriſti potentiam obtendit qua lapides vertantur in panes: hoc tamen unum venatur, ut Chriſtus à Dei verbo diſcedens, quicquid dictabit infidelitas, ſequatur. Appoſite ergo reſpondet Chriſtus, Non ſolo pane vivere hominem. acſi diceret, Tu me aliquid remedii excogitare jubes, quo mihi aliter quam permittit Deus, ſuccurram. Atqui hoc diffidentiæ eſſet, cujus nulla eſt ratio quamdiu promittit Deus ſe mihi nutritium fore. Tu Satan ejus gratiam pani alligas: ipſe vero contra teſtatur, ut deſint omnes cibi, ſolam ſuam benedictionem ad nos alendos ſufficere. Jam tenemus quale hoc fuerit tentationis genus, nempe quo nos quotidie oppugnat Satan. non enim aliquod inuſitatum certamen ſubire voluit Dei Filius, ſed communes habere nobiſcum pugnas: ut iiſdem armis muniti, non dubitemus palmam in manu nobis eſſe.

4 *Scriptum eſt, Non ſolo pane.*] Hoc primum notatu dignum eſt, quod Scripturam Chriſtus pro clypeo opponit. nam hæc vera eſt dimicandi ratio, ſi certa victoria potiri cupimus. Nec enim fruſtra Paulus verbum Dei gladium ſpiritualem nominat, & fidei ſcuto nos inſtruit, Eph. capite ſexto, v. 16, 17. Unde etiam colligimus, Papiſtas, quaſi facta cum Satana pactione, animas crudeliter exponere ejus libidini

ad interitum, quum Scripturam maligne ſupprimentes, Dei populum ſpoliant ſuis armis quibus ſolis ſalurem ſuam tueri poterant. qui vero armaturam iſtam ſponte abjiciunr, nec ſe in Dei ſchola aſſidue exercent, digni ſunt qui ſingulis momentis à Satana jugulentur, cui ſe inermes produnt. Nec ſane alia ratio eſt cur tam impotenter graſſetur Satan, & paſſim tam multos abripiat, niſi quia eorum ignaviam & verbi ſui contemptum Deus ulciſcitur. Nunc ex-
Deut. 8. vers. 3. cutiendum nobis eſt Moſis teſtimonium quod Chriſtus citat. Falſo quidam ad ſpiritualem vitam detorquent, acſi dictum eſſer, animas non ali viſibili pane, ſed Dei verbo. Eſt id quidem in ſe verum: ſed alio reſpexit Moſes. nam quum nullus ad manum eſſet panis, commemorat Man fuiſſe extraordinarium alimentum populo: ut hoc documento teſtatum in omne tempus fieret, hominum vitam non eſſe incluſam in pane, ſed peudere à nutu & beneplacito Dei. Itaque Verbum non pro doctrina capitur, ſed pro decreto quod Deus publicavit, quoad tuendum naturæ ordinem, & fovendas creaturas. neque enim conditos à ſe homines abjicit, ſed ea lege vitam illis infundit, ut ſemel datam aſſidue ſuſtineat. Sic dicit Apoſtolus, omnia ſuſtineri potenti ejus verbo: hoc eſt, Hebr. 1. vers. 3.
vegetari totum mundum, & ſingulas ejus partes in ſuo manere ſtatu, nutu ejus ac decreto cujus potentia ſurſum & deorſum ubique diffunditur. Qanquam ergo pane veſcimur, non tamen panis virtuti acceptam ferre vitam decet, ſed arcanæ gratiæ quam pani Deus ad nos paſcendos inſpirat. Unde etiam alterum ſequitur, Deum, qui nunc pane utitur in noſtrum alimenrum, aliter, quoties viſum fuerit, daturum ut vivamus. Item hac Moſis ſententia damnarur eorum ſtupor quibus ſaturitas & abundantia pro vita eſt. Deinde corrigitur diffidentia & prava ſollicitudo quæ nos ad quærenda illicita media impellit. Atque huc proprie dirigitur Chriſti reſponſum, Sic de victu & reliquis præſenris vitæ ſubſidiis fidendum eſſe Deo, ne quiſquam noſtrum præſcriptas ab eo metas trauſiliat. Quod ſi panem ex lapidibus præter Dei mandatum, conficere Chriſtus nefas eſſe duxit: multo minus ex fraudibus, rapinis, violentia, cædibus victum parare licet.

MATTH. IV.

5. Tunc aſſumit eum diabolus in ſanctam civitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi:

6. Dicitque illi, Si Filius es Dei, præcipita te deorſum: ſcriptum eſt enim, Angelis ſuis mandabit de te, & manibus tollent te, ne quando impingas ad lapidem pedem tuum.

7. Dixit illi Jeſus, Rurſum ſcriptum eſt, Non tentabis Dominum Deum tuum.

8. Rurſum aſſumit eum diabolus in montem excelſum valde, & commonſtrat ei omnia regna mundi, & gloriam illorum:

9. Et dicit illi, Hæc omnia tibi dabo ſi proſtratus adoraveris me.

10. Tunc dicit illi Jeſus, Abi Satana: ſcriptum eſt enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illum ſolum coles.

11. Tunc omittit illum diabolus, & ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.

MARC. I.

13. Et Angeli miniſtrabant ei.

LUC. IV.

5. Et ſubduxit illum diabolus in montem excelſum, & oſtendit illi omnia regna orbis terræ in puncto temporis.

6. Et ait illi diabolus, Tibi dabo poteſtatem hanc univerſam & gloriam illorum: quia mihi tradita ſunt: & cuicunque volo, do illam.

7. Tu ergo ſi adoraveris provolutus coram me, erunt tua omnia.

8. Et reſpondens Jeſus dixit illi, Abi poſt me Satana: ſcriptum eſt enim, Adorabis Dominum Deum tuum, & illum ſolum coles.

9. Et duxit illum Hieroſolymam, ſtatuitque eum ſuper pinnam templi: & dixit illi, Si Filius Dei es, mitte teipſum hinc deorſum:

10. Scriptum eſt enim quod Angelis ſuis mandabit de te, ut ſervent te:

11. Et quod in manibus tollent te, ne offendas ad lapidem pedem tuum.

12. Et reſpondens dixit illi, Dictum eſt, Non tentabis Dominum Deum tuum.

13. Et conſummata omni tentatione diabolus receſſit ab eo uſque ad tempus.

5. *Tunc aſſumit eum diabolus.*] Non magni intereſt quod Lucas ſecundo loco tentationem recitat quæ in poſtremum locum à Matthæo rejicitur. neque enim propoſitum Euangeliſtis fuit hiſtoriæ filum ſic contexere ut temporis rationem ſemper exacte ſervarent: ſed rerum ſummas colligere, ut in ſpeculo vel tabula proponerent quæ de Chriſto maxime utilia ſunt cognitu. Tenere ergo ſufficiat, Chriſtum tribus modis fuiſſe tentatum. Quod autem vel ſecundum vel tertium fuerit certamen, non eſt cur anxie laboremus. In expoſitione ſequar Matthæi contextum. Dicitur Chriſtus locatus ſuper pinnam templi. Quæritur autem an reipſa evectus fuerit in ſublime, an vero per viſionem id factum ſit. plerique pertinaciter afferunt, verum & realem (ut loquuntur) fuiſſe corporis raptum: quia indignum putant, Chriſtum Satanæ præſtigiis reddere obnoxium. Atqui facile diluitur iſta objectio, nihil eſſe abſurdi in Dei permiſſu & voluntaria ſubjectione Chriſti, modo ne intus, hoc eſt, in mente & anima quicquam putemus paſſum fuiſſe. Et quod poſtea ſubjicitur, in conſpectu poſita Chriſto fuiſſe omnia regna mundi: item quod ſcribit Lucas, temporis momento procul fuiſſe traductum: viſioni magis convenit. In re tamen dubia, & quam abſque periculo neſcire licet, malo judicium ſuſpendere, quam contentioſis præbere litigandi anſam. Fieri etiam poteſt ut ſecunda tentatio non ſit continuo temporis ſucceſſu primam ſequuta, nec ſecundam tertia, ſed aliquid fuerit diſtantiæ: idque magis probabile eſt. quanquam ex verbis Lucæ elicitur non interfuiſſe longum ſpatium: quia dicit datam ad tempus quietem fuiſſe Chriſto. Hoc vero ſcire ad rem maxime pertinet, quid captaverit Satan in hac tentationis ſpecie: quod ex Chriſti reſponſo diſcendum eſt, ſicuti paulo ante admonui. Chriſtus, ut hoſtis aſtutiæ occurrat, & propulſet ejus impetum, pro clypeo opponit, non tentandum eſſe Deum. Unde apparet huc ſpectaſſe hoſtis inſidias, ut ſe præter juſtum modum efferens, contra Deum temere inſurgeret. Prius Chriſtum conatus fuerat Satan in deſperationem trahere, quia victu & ordinariis mediis deſtituebatur: nunc ad inanem & ventoſam

toſam confidentiam eum ſollicitat, ut neglectis mediis quæ ad manum ſunt, ſeipſum projiciat ſine neceſſitate in maoifeſtum diſcrimen, & quaſi extra metas exultet. Atqui ut frangi nos minime coovenit ubi rerum omnium inopia premimur, quio peodeamus à Dei fiducia: ſic criſtas erigere non licet, ut altius quam Deus permittit nos efferamus. Tenemus nuoc quale fuerit Satanæ conſilium: nempe ut Chriſtus experimentum capturus ſuæ divinitatis, ſtulta & impia temeritate in Deum inſurgeret.

6. *Angelis ſuis mandabit de te, & manibus*, &c.] Notanda eſt hæc Satanæ malitia, quod Scripturæ teſtimonio abutitur ut vitam Chriſto mortiferam reddat, 'paoemque convertat in venenum. nam eodem quotidie artificio uti non deſinit: & voluit boc certamen ſubire in ſua perſona Filius Dei qui commune eſt piorum omnium exemplar, ut ſibi omoes ſedulo cavere diſcant ne fallaci Scripturæ prætextu incidant in Satanæ laqueos. Nec duhium eſt quin Dominus tantum concedat hoſti noſtro licentiæ, ne ſecuri torpeamus, ſed magis intenti ſimus ad agendas excubias. Cæterum ne præpoſteris hominibus ſimiles ſimus, qui Scripturam quaſi flexiloquam abjiciunt, propterea quod eam adulterat diabolus. nempe eadem cauſa à cibis abſtinendum eſſet, ne veneficiis eſſet locus. Profanat verbum Dei Satao, & in exitium noſtrum torquere oititur. atqui quum divinitus ordinatum ſit nobis in ſalutem, an irritum erit Dei conſilium, niſi noſtra ignavia ſalutaris ejus uſus nobis pereat? Nec vero longa diſputatione hæc res indiget: taotum ſpectemus quid præſcribat nobis Chriſtus ſuo exemplo, quod inſtar regulæ nobis ſequendum eſt. An Satanæ cedit Scripturam ſcelerate torqueoti? an Scripturam qua ſe prius armavit, excuti ſibi vel eripi patitur? Imo impiam Satanæ calumniam objecta viciſſim Scriptura fortiter refellit. Proinde quoties Scripturam ſuis fallaciis nbtendet Satan, & hoc eodem prætextu nos adorientur impii homines ut fidem noſtram circumveniant, non aliunde quam ex Scriptura tutaodæ fidei noſtræ arma mutuemur. Cæterum etſi promiſſio iſta, Aogelis ſuis mandabit de re, &c. ad omnes fideles pertinet, ſpecialiter tamen competit in Chriſtum, qui ut eſt totius Eccleſiæ caput, ita jure ſuo præeſt Angelis, illiſque noſtri curam delegat. Quare in eo nondum fallit Satao, quod boc teſtimonio probat Angelos Chriſto datos eſſe miniſtros, qui eum cuſtodiant, & manibus ſuis portent: ſed in eo eſt fallacia, quod Angelorum cuſtodiam ad vagum & temerarium curſum trahit, quæ tunc demum filiis Dei promittitur dum ſe continent iotra ſuos fines, & in viis ſuis ambulant. Siquam emphaſin habet bæc particula, In omnibus viis tuis, ſenteotiam Prophetæ Satan maligne corrumpit & mutilat, promiſcue & confuſe eam detorquens ad vagos & erroneos curſus. Jubet nos Deus ambulare in viis noſtris, & tunc Angelos pronunciat fore nobis cuſtodes: Satan Aogelorum cuſtodiam obtendens, Chriſtum hortatur ut ſibi temere periculum accerſat. acſi diceret, Si te projicias in mortem invito Deo, Aogeli vitam tuam defendent.

7. *Scriptum eſt, Non tentabis Dominum.*] Aptiſſime reſpondet Chriſtus, noo aliter ſperandum eſſe quod illic Deus auxilium promittit, quam ſi modeſte illi ſe regendos fideles committant. neque eoim Dei promiſſionibus aliter poſſumus inniti, quam ſi ejus mandatis obſequimur. Porro quum tentetur Deus pluribus modis, hoc loco tentari dicitur quum media negligimus quæ nobis ad manum porrigit. Perinde enim faciunt qui præteritis mediis quæ Deus commendat, potentiam ejus & robur volunt experiri: acſi quis homini abſcinderet brachia & manus, & poſtea juberet eum operari. In ſumma, quiſquis experimentum divinæ potentiæ capere appetit ubi neceſſe onn eſt, ille Deum tentat, ejus promiſſiones ſubjiciens injuſto examini.

8. *Aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum.*] Memoria tenendum eſt quod prius dixi, non imbecillitate naturæ Chriſti eſſe factum ut Satan illi oculos ſtringeret, ſed voluntaria diſpenſatione & permiſſu. Deinde ſic tactos & illectos fuiſſe ejus ſenſus, objecta regnorum gloria, ut oulla intus cupiditas animum ejus pupugerit: quum carnis libidines, taoquam feræ indomitæ, ad objecta quæ nobis placent ferantur & nos rapiant. nam Chriſtus communem habuit nobiſcum ſenſum, non autem appetitus incompoſitos. Cæterum ſpecies tentationis fuit, ut hæreditatem quam Deus filiis ſuis promiſit, aliunde Chriſtus quam à Deo ipſo peteret. Atque hic ſacrilega diaboli audacia ſe prodit, quod terræ imperium Deo ereptum ſibi uſurpat. Hæc, inquit, omnia mea ſunt, nec aliter quam meo beoeficio obtioeotur. Et nobis quotidie cum eadem impoſtura luctandum eſt. quod & ſinguli fideles in ſe ſentiunt, & in tota impiorum vita clarius perſpicitur. Nam etſi omnia ooſtra præſidia, opes, commoda in Dei benedictione conſtituimus: titillant tamen nos ſubiode & pelliciunt ſenſus noſtri ad quærenda Satanæ ſubſidia, acſi unus Deus non ſufficeret. Bona autem mundi pars Deo jus & imperium terræ abdicans, Satanam ſibi fingit bonorum omnium datorem. Unde enim fit ut malis artibus, & rapinis, & fraudibus fere omnes ſe addicant, oiſi quod io Satanam tranſcribunt quod Dei proprium erat, ſua benedictione ditare quos viſum eſt? Ore quidem panem quotidianum dari ſibi à Deo poſtulant, ſed ore tenus: quia Satanam præficiunt diſtribuendis totius mundi divitiis.

10. *Abi Satana.*] Pro eo Lucas habet, *Abi poſt me Satana.* Quare fruſtra in adverbio quidam philoſophantur, quum Petro dictum eſt, Vade retro: *Mat. 16. verſ. 23.*
quaſi non idem audierit ipſe Satan. ſimpliciter enim jubet Chriſtus eum faceſſere. Jam vero in eodem defenſionis geoere pergit, Scripturam non quaſi junceum clypeum, ſed vere æneum opponens: ac teſtimonium citat ex Lege, quod unus Deus adorandus ſit & colendus. Porro ex applicatione & præſentis loci circumſtantiis, quorſum ſpectet Dei adoratio, & quid valeat, facile colligitur. Papiſtæ quum ſolum Deum adorandum oegant, ſophiſtico commento hunc locum eludunt & ſimiles. Latriæ quidem adorationem concedunt relinqui debere uni Deo: duliam vero ad mortuos & eorum oſſa ac ſtatuas transferunt. Atqui frivola illa verborum diſtinctione rejecta, Chriſtus προσκύνησιν etiam uni Deo vendicat. quo commonemur, rei potius quam vocis rationem eſſe habendam quoties agitur de cultu Dei. Scriptura Deum unum colere jubet. ſpectandum in quem finem. ſi quicquam ex ejus gloria delibat homo quod creaturis adſcribat, ſacrilega eſt divini cultus violatio. Id autem fieri pluſquam perſpicuum eſt quum bona creaturis accepta ferimus, quorum Deus uoicum ſe auctorem volebat agnoſci. Jam vero ſicuti religio proprie ſpiritualis eſt, externa autem ejus confeſſio pertinet ad corpus: ita non interior modo cultus debetur ſoli Deo, ſed externum quoque ejus teſtimonium.

11. *Tunc omittit illum diabolus: & ecce*, &c.] Plus exprimit Lucas: nempe *Completa omni tentatione:* acſi diceret, non prius Chriſto datam quietem vel inducias, quam exacte omni certamioum genere probatus foret. Subjicit etiam relictum fuiſſe Chriſtum ad tempus duntaxat, ut ſciamus reliquam ejus vitam non prorſus à tentatiooibus fuiſſe immunem: ſed vim Satanæ divinitus fuiſſe cohibitam ne importune moleſtus eſſet Chriſto: ſicuti ſolet Deus cum omnibus ſuis agere. Nam ſiquando acrius vexari eos permittit, poſtea ex immodica contentione aliquid relaxat, ut pauliſper reſpirent ac colligant animos. minime tamen illis parcit ut ignaviæ indulgeant, ſed tantum ut ſe comparent ad novas pugnas. Quod poſtea ſequitur, Angelos illi miniſtraſſe: ad ſolatium

refero, ut ſentiret Chriſtus ſe Deo Patri curæ eſſe, validoque ejus præſidio munitum contra Satanam. nam ipſa ſolitudo mœrorem augere poterat, quum omnibus hominum officiis privatus, inter feras degeret. quod etiam diſerte notavit Marcus. Nec tamen putandum eſt, Chriſtum unquam deſertum fuiſſe ab Angelis: ſed ut daretur tentationi locus, interdum Dei gratia, quamvis præſens eſſet, eum ſecundum carnis ſenſum latuit.

MATTH. IV.

12. Quum audiſſet autem Jeſus quod Joannes traditus eſſet, ſeceſſit in Galilæam.

17. Ex eo tempore cœpit Jeſus prædicare, & dicere, Reſipiſcite: appropinquavit enim regnum cælorum.

MARC. I.

14. Poſtquam autem comprehenſus eſſet Joannes, venit Jeſus in Galilæam, prædicans Euangelium regni Dei:

15. Et dicens, Impletum eſt tempus, & appropinquavit regnum Dei: reſipiſcite, & credite Euangelio.

LUC. III.

19. Herodes autem Tetrarcha quum corriperetur ab illo de Herodiade uxore fratris ſui, deque omnibus malis quæ faciebat Herodes,

20. Adjecit hoc quoque ſuper omnia, & incluſit Joannem in carcerem.

LUC. IV.

14. Et reverſus eſt Jeſus virtute Spiritus in Galilæam: & fama exiit per univerſam regionem de illo.

15. Et ipſe docebat in ſynagogis eorum, & glorificabatur ab omnibus.

19. Luc. *Herodes autem Tetrarcha*, &c.] Solus Lucas hoc loco cauſam exponit cur ab Herode conjectus fuerit Joannes in carcerem. Alibi tamen apud Matthæum & Marcum fiet mentio. Joſephus libro antiquit. 18. dicit, quia ſibi metueret Herodes à tumultu populari & rebus novis, Joannem ab eo incluſum fuiſſe in arce Macherontis: quia ſuſpecta erat viri auctoritas. Herodiadem vero non Philippo (quem Salomes maritum facit) ſed alteri Herodi tradit fuiſſe nuptam. Cæterum quia hac in parte memoria lapſus deprehenditur, & Philippi quoque mortem non ſuo loco refert, certior hiſtoriæ veritas ex Euangeliſtis petenda eſt, ſtandumque eorum teſtimonio. Hoc quidem ſatis conſtat, quum filiam Aretæ Regis Arabum haberet in matrimonio Herodes, forma Herodiadis neptis illectum, eam fraude rapuiſſe. Potuit autem impune hanc injuriam inferre fratri Philippo, quem manſueti & placidi fuiſſe ingenii hominem teſtatur idem Joſephus. Porro in hac hiſtoria clare cernimus quale fidos & cordatos veritatis miniſtros præmium in mundo maneat, præſertim ubi vitia coarguunt: vix enim centeſimus quiſque correctionem admittit: ergo ſi urgentur ſeverius, in furorem ebulliunt. Hæc ſuperbia ſi in quibuslibet plebeiis cernitur, nihil mirum ſi tyranni longe atrocius in ſuos reprehenſores ſæviunt, quibus nihil eſt acerbius quam in ordinem cogi. Rurſus in Joanne inſigne refulget conſtantiæ exemplum: qua præditos eſſe convenit omnes pios doctores, ne magnos & potentes, quoties ita neceſſitas tulerit, provocare in ſe dubitent. neque enim ſincere Deo ſervit apud quem valet acceptio perſonæ. Porro quum dicit Lucas malum hoc reliquis omnibus fuiſſe ſuperadditum, ſignificat tunc deſperatam eſſe malitiam, & ad ſummum cumulum veniſſe quum remediis iraſcitur peccator; nec tantum correctionem repudiat, ſed de monitore quoque ſuo hoſtilem vindictam ſumit.

12. Matth. *Quum audiſſet Jeſus.*] Cum his non videtur congruere Joannis narratio, qui teſtatur eodem ſimul tempore Joannem & Chriſtum obiiſſe docendi munus. Sed notandum eſt, tres noſtros Euangeliſtas breve illud temporis ſpatium ideo ſilentio tranſigere, quia nondum finitus erat Joannis curſus, hoc eſt, ad recipiendum Chriſti Euangelium præparatio. Et certe quamvis intra illud tempus doctoris officio Chriſtus functus ſit, non tamen proprie exorſus eſt Euangelii prædicationem, donec Joanni ſucceſſit. Quare non abſurde tres Euangeliſtæ Joannis miniſterio tempus illud concedunt & aſſignant quo diſcipulos Chriſto paravit: acſi dicerent, cedente aurora ſolem eſſe exortum. Notanda eſt autem loquutio quæ habetur apud Lucam, Jeſum in virtute, aut per virtutem Spiritus in Galilæam veniſſe. magni enim intereſt ne quid terreſtre vel humanum in Chriſto imaginemur, ſed cæleſtis in eo & divina virtus ſemper nobis occurrat, ſenſuſque noſtros occupet.

14. Marc. *Prædicans Euangelium regni Dei.*] Videtur nonnihil habere Matthæus diverſum à reliquis duobus. poſtquam enim Chriſtum relicta patria Nazareth in Capernaum migraſſe dixit, tunc demum attexit exordium prædicationis ejus: Lucas autem & Marcus eum in patria publice docuiſſe referunt. Verum facilis eſt ſolutio. nam adverbium temporis apud Matthæum non modo ad proximum membrum, ſed ad totum orationis complexum referri debet. Sun igitur in Galilæam adventu ſtadium ſuum Chriſtus ingreſſus eſt. Porro ſumma doctrinæ, qualis traditur à Matthæo, nihil ab ea differt, qua paulo ante legimus uſum fuiſſe Joannem: duabus enim partibus conſtat, pœnitentia, & gratiæ ſalutiſque præconio. Hortatur Judæos ad converſionem, quia regnum Dei appropinquaverit: hoc eſt, quia populum ſuum Deus regendum ſuſcipiat. quæ plena eſt ac ſolida felicitas. Marcus paulo aliter, *Appropinquavit regnum Dei: reſipiſcite, & credite Euangelio*: eodem tamen ſenſu. nam de reſtituendo apud Judæos regno Dei præfatus, hortatur ad pœnitentiam & fidem. Quæri tamen poteſt, quum ex Euangelio pendeat pœnitentia, cur eam Marcus ab Euangelii doctrina ſeparet. Duplex ſolutio eſt. nam Deus interdum ſic nos ad reſipiſcendum invitat, ut tantum dicat mutandam eſſe in melius vitam: poſtea converſionem & vitæ novitatem, Spiritus ſui donum eſſe oſtendit, ut ſciamus non tantum nobis præcipi quod officii noſtri eſt, ſed obſequendi gratiam & virtutem ſimul offerri. Si hoc modo accipimus quod Joannes concionatus eſt de pœnitentia, ſenſus erit, Dominus vos ad ſe converti jubet. quia vero id non poteſtis propria induſtria, Spiritum regenerationis promittit: quare hanc gratiam fide amplecti vos oportet. quanquam fides quam haberi Euangelio poſtulat, minime ad donum renovationis reſtringi debet: ſed præcipue ad peccatorum remiſſionem ſpectat. conjungit enim Joannes pœnitentiam cum fide: quia ſe ideo nobis Deus reconciliat, ut tanquam pater à nobis ſanctitate & juſtitia colatur. Deinde nihil abſurdi eſt, ſi credere Euangelio, tantundem valere dicamus atque gratuitam juſtitiam amplecti. ſæpe enim in Scriptura ſpecialis iſta inter fidem & remiſſionem peccatorum relatio occurrit: ſicuti quum docet Fide nos juſtificari. Utrovis modo exponere hunc locum libeat, principium tamen illud manet fixum, offerri nobis gratuitam ſalutem à Deo, ut ad ipſum converſi, juſtitiæ vivamus. Ergo miſericordiam nobis promittens, ad

carnis

carnis abnegationem vocat. Notandum eſt epitheton quo Euangelium ornatur à Marco : nam hinc diſcimus ejus prædicatione regnum Dei erigi in terra & conſtitui, nec alio modo Deum regnare ioter homines. Unde etiam apparet quam miſera ſit abſque Euangelio hominum conditio.

15. Luc. *Glorificabatur ab omnibus.*] Hoc oominatim poſitum eſt à Luca, ut ſciamus ſtatim ab initio refulſiſſe in Chriſto divinam virtutem, quæ hominoes nondum maligno contradicendi ſtudio infeſtos, in ejus admirationem cogeret.

MATTH.	MARC.

LUC. IV.

16. Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, & intravit ſecundum con-
ſuetudinem ſuam die Sabbathorum in Synagogam : & ſurrexit ut lege-
ret.
17. Et traditus eſt illi liber Jeſaiæ Prophetæ : & explicato libro in-
venit locum ubi ſcriptum erat,
18. Spiritus Domini ſuper me, propterea unxit me : ad euangeli-
zandum pauperibus miſit me, ut ſanem contritos corde, ut prædicem
captivis remiſſionem, & cæcis viſum : ut emittam confractos per remiſ-
ſionem,
19. Ut prædicem annum Domini acceptum.
20. Deinde complicatum librum reddidit miniſtro, & ſedit : &
omnium in Synagoga oculi erant intenti in eum.
21. Cœpit autem dicere ad illos, Hodie impleta eſt hæc Scriptura in
auribus veſtris.
22. Et omnes teſtimonium illi dabant, & mirabantur ſuper ſermoni-
bus gratiæ qui procedebant ex ore ipſius, ac dicebant, Nonne hic eſt
filius Joſeph?

16 *Venit Nazareth.*] In hoc uno inſiſtunt Euangeliſtæ ut oſtendant quibus documentis innotuerit Chriſtus. cujus rei memorabile ſpecimen hic refert Lucas : oempe quod locum Jeſaiæ exponens, & accommodans ad præſentem uſum, oculos omnium in ſe converterit. Quum dicit ex more veniſſe in Synagogam, hinc colligimus, non tantum in compitis vel triviis ipſum ad plebem verba feciſſe, ſed quantum licebat, ſervaſſe uſitatum Eccleſiæ ordinem. Simul etiam videmus, quamvis degeneraſſent Judæi, in rebus tamen confuſis & miſere corrupto Eccleſiæ ſtatu, hoc fuiſſe boni reſiduum, quod Scripturam legebant coram populo, ut inde ſumerent docendi & exhortandi materiam. Unde etiam apparet quæ fuerit genuina & legitima colendi Sabbathi ratio. neque enim ideo populum ſuum ferias agere juſſit Deus, quaſi ſimpliciter ejus otio delectaretur : ſed potius ut in operum ſuorum meditatione illum exerceret. Porro quoniam in conſiderandis Dei operibus cæcutiunt hominum mentes, Scripturæ regula dirigi neceſſe eſt. Quanquam autem ioter Legis umbras Sabbathum numerat Paulus : hac tamen in parte communis nobis eſt feriandi ratio cum Judæis, ut populus ad audiendum verbum, ad publicas preces & reliqua pietatis exercitia conveniat. In quem uſum Judaico ſabbatho ſucceſſit dies Dominicus. Jam ſi temporum fiat comparatio, facile vel ex præſenti loco conſtabit, fœdiores hodie & magis deformes eſſe Papalis hierarchiæ corruptelas quam apud Judæos ſub Anoa & Caiapha fuerint. Nam Scripturæ lectio, quæ tunc vigebat, non modo ſub Papa obſolevit, ſed ferro & igni à templis arcetur : oiſi quod lingua incognita quod viſum eſt, in ludibrium cantillant. Surrexit Chriſtus ad legendum, non ſolum ut vox ejus melius exaudiretur, ſed in ſignum reverentiæ. Nam hoc meretur Scripturæ majeſtas, ut profiteaotur ejus interpretes ſe modeſte & reverenter ad eam tractandam accedere.

17. *Invenit locum.*] Non dubium eſt quin conſulto locum hunc Chriſtus delegerit. Putant quidam divinitus illi fuiſſe oblatum : ſed quum libera illi daretur electio, malo ad ejus judicium referre quod hunc locum præ aliis invenit. Porro illic promittit Jeſaias, poſt exilium Babylonicum futuros adhuc aliquos gratiæ Dei teſtes qui populum ab interitu & mortis tenebris colligant, & Eccleſiam tot cladibus afflictam ſpirituali virtute inſtaurent. Sed quia uoius Chriſti nomine & auſpiciis promulganda erat illa redemptio, in ſingulari numero loquitur, & quodammodo induit Chriſti perſonam, quo efficacius piorum animos in bonam fiduciam erigat. Certum quidem eſt, quæ hic habentur non niſi in ſolum Chriſtum ob duas cauſas proprie competere : primum quia Spiritus plenitudine ſolus donatus eſt, ut teſtis ac legatus eſſet noſtræ cum Deo reconciliaiionis (qua ratione Paulus quod Euangelii miniſtris commune eſt, pe- *Ephes. 2.*
culiariter illi aſſignat : nempe quod veniens annun- *verſ. 7.*
ciavit pacem his qui prope erant & qui procul) deinde quia ſolus, Spiritus ſui virtute, quicquid bonorum hic promittitur, efficit & præſtat.

18. *Spiritus Domini ſuper me.*] Hoc ideo dictum eſt ut ſciamus, Chriſtum tam in ſe quam in ſuis miniſtris oon humanum nec privatum negotium agere, ſed ad reſtituendam Eccleſiæ ſalutem divinitus eſſo miſſum : teſtatur enim nihil ſe humano inſtioctu vel conſilio, ſed gubernatore Dei Spiritu omnia agere, ut piorum fides in Dei auctoritate & potentia fundata ſit. Quod proxime ſequitur membrum, *Ideo unxit me*, exegetice additum eſt. multi enim falſo Dei Spiritum ſe habere jactant, quum ſint ejus donis vacui. Chriſtus autem ab unctione, tanquam ab effectu, probat ſe Dei Spiritu eſſe præditum. Subjicit deinde in quem finem gratiis Spiritus ornatus fuerit : nempe ut pauperibus euangelizet. Unde colligimus, quicunque ad prædicandum Euangelium à Deo mittuntur, neceſſariis dotibus prius inſtrui, ut tanto muneri ſufficiant. Quare plane ridiculi ſuot qui divinæ vocationis prætextu, paſtorum locum uſurpant, quum ad munus exequendum pluſquam ſint inepti : ſicuti in Papatu cornuti Epiſcopi quum rudiores ſint quibuslibet aſinis, ſe tamen Chriſti vicarios & ſolos Eccleſiæ legitimos præſules ſuperciliosſe eſſe clamitant. Nominatim quoque dicitur ungere Dominus ſervos ſuos : quia vera & efficax Euangelii prædicatio non in venuſta eloquentia, ſed cæleſti Spiritus virtute ſita eſt, quemadmodum dicit
Paulus. *Pauperibus.* Significat Propheta qualis ſit *1 Cor. 2.*
futurus Eccleſiæ ſtatus ante Euangelii exortum, & *verſ. 1, 2.*
qualis ſit extra Chriſtum noſtra omnium conditio. Pauperes ergo, & contritos, & captivos, & cæcos, & confractos vocat, quibus Deus inſtaurationem promittit. Etſi autem tot miſeriis oppreſſum erat populi cor-

Digitized by Google

corpus ut ſingulis membris hi tituli congruerent: quia tamen multi ſibi in ſua inopia, cæcitate, ſervitute, morte denique blandiebantur vel ſtupidi erant, ideo pauci ad hanc gratiam recipiendam idonei fuerunt. Ac primum quidem hinc docemur quorſum ſpectet Euangelii prædicatio, & quid nobis afferat: nempe quod quum omni malorum genere penitus obruti ſumus, illic Deus vivifica ſua luce nobis affulget, ut eductos ex profunda mortis abyſſo, in plenam felicitatem reſtituat. Non vulgaris certe hæc eſt Euangelii commendatio, quod tam incomparabilem inde fructum colligimus. Secundo, videmus quoſnam ad ſe Chriſtus invitet, ac commiſſæ ſibi gratiæ participes faciat: nempe qui modis omnibus miſeri ſunt, & omni ſpe ſalutis deſtituti. Sed vitiſſim monemur non aliter iſtis Chriſti beneficiis poſſe nos frui, niſi humiliati ſerio malorum noſtrorum ſenſu, illum liberatorem tanquam famelici appetamus. oam quicunque ſuperbia turgent, nec ſub captivitate ſua gemunt, nec ſibi in ſua cæcitate diſplicent, ſurdis auribus contemnuot hoc vaticinium.

19. *Vt prædicem annum Domini.*] Multis videtur eſſe alluſio ad Jubileum: quorum ſententiam non repudio. Notare tamen operæpretium eſt, Prophetam data opera occurrere dubitationi quæ infirmos animos turbare & concutere poterat, quum tamdiu Dominus promiſſam ſalutem differens, ipſos teneret ſuſpenſos. Ergo redemptionis tempus io Dei conſilio vel beneplacito conſtituit: ſicuti cap. 49. v. 8. Tempore beneplaciti exaudivi te, in die ſalutis auxiliatus ſum tibi. Paulus ad Galat. 4. v. 4. vocat temporis plenitudinem: ut diſcant fideles non curioſe inquirere ultra quam expedit, ſed Dei placito acquieſcere. atque hoc unum illis ſufficiat, exbibitam fuiſſe in Chriſto ſalutem quando ita DEO viſum eſt.

20. *Omnium in Synagoga oculi.*] Noo dubito quin Deus illorum corda tetigerit, ut admiratio magis attentos redderet, atque ita audientiam Chriſto loquenti facerent. neceſſe enim fuit eos retineri ne ſtatim obſtreperent, vel ſaltem abrumperent medium ſermonis curſum: quum alioqui magis eſſent propenſi ad Chriſti contemptum, ut videbimus.

21. *Hodie impleta eſt.*] Non uſus eſt tantum bis tribus verbis Chriſtus, ſed re ipſa probavit jam adeſſe tempus quo vellet Deus perditam Eccleſiam reſtituere: ut auditoribus luculenta Prophetiæ expoſitio conſtaret. quemadmodum rite & ordine Scripturam tractant interpretes, dum eam ad præſentem uſum accommodant. Dicit autem impletam in auribus potius, quam in oculis: quia nudus conſpectus parum valebat, niſi doctrioa primatum tenuiſſet.

22. *Teſtimonium illi dabant.*] Hic priore loco vere divinam gratiam quæ ſpirabat in ore Chriſti, nobis commendat Lucas: deinde homioum ingratitudinem ad vivum depingit. Sermones gratiæ vocat phraſi Hebraica, in quibus conſpicua eſſet vis & gratia Spiritus ſancti. Ergo Deum in Chriſto loquentem cum admiratione cognoſcere coguntur Nazaræi: interea tamen ſeipſos ultro impediunt ne cæleſti Chriſti doctrinæ ſuum ac debitum tribuant honorem. Nam quum objiciunt eſſe filium Joſeph, non amplificant ut decebat, hac circumſtantia Dei gloriam, ſed ſcandalum ſibi maligne accerſunt, ut poſſint ſpecioſo colore reſpuere quicquid à filio Joſeph dicitur. Ita hodie videmus pleroſque, quantumvis convicti ſint verbum eſſe Dei quod audiunt, frivolas tamen excuſationes captare, quibus ſe ab obſequendi neceſſitate eximant. Et ſane quod non perinde afficimur Euangelii virtute ut par eſſet, non aliunde contingit niſi quod nobisipſis ſumus obſtaculo, & lucem, cujus objectu etiam inviti movemur, ſuffocamus ooſtra malitia.

MATTH.	MARC.	LUC. IV.
		23. Et ait illis, Omnino dicetis mihi hanc ſimilitudinem, Medice, cura teipſum: quæcunque audivimus facta in Capernaum, fac & hic in patria tua.
		24. Ait autem, Amen, dico vobis, Nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua.
		25. Sed in veritate dico vobis, Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Iſraël, quando clauſum eſt cælum annis tribus & menſibus ſex, ut fieret fames magna per totam terram:
		26. Et ad nullam illarum miſſus eſt Elias niſi in Sarepta Sidonis ad mulierem viduam.
		27. Et multi leproſi erant in Iſraël ſub Eliſæo Propheta, & nemo eorum mundatus eſt niſi Naaman Syrus.
		28. Et omnes ira repleti ſunt in Synagoga hæc audientes.
		29. Et inſurrexerunt, ejeceruntque eum extra urbem, & duxerunt eum uſque ad ſupercilium montis ſuper quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum.
		30. Ipſe autem tranſiens per medium eorum ibat.

23. *Medice, cura teipſum.*] Ex Chriſti verbis facile colligitur contemptim fuiſſe exceptum à Nazaræis. profert enim in medium quæ ſciebat illos agitare in animis ſuis. Deinde culpam io eos transfert cur ab edendis apud eos miraculis abſtineat: & eorum malitiam coarguit, quod Dei Prophetam nullo honore dignetur. Objectio quam anticipat talis eſt, non eſſe mirum, ſi eum nullo in pretio habeant conterranei, quum patriam ſuam, ut aliena loca, miraculis non nobilitet. Itaque juſtam eſſe hanc ultionem ſi à ſuis rejicitur, quos reliquis omnibus poſtponit. Huc pertinet vulgare proverbium, quod medicus à ſe & ſuis prius incipere debeat, quam peritiam curandi in aliis oſtentet. Summa objectionis eſt, præpoſtere facere Chriſtum, qui alias Galilææ urbes miraculis illuſtrans, nullum habeat patriæ ſuæ reſpectum. Atque hæc Nazaræis honeſta videbatur excuſatio cur eum viciſſim reſpuerent.

24. *Amen, dico vobis.*] Eorum culpa fieri exprobrat, ne apud eos, ſicut alibi, exerat ſuam virtutem in miraculis. hominum enim incredulitas aditum obſtruit Deo ne operetur ſicuti optandum eſſet in eorum ſalutem. Matth. 13. verſ. 58. & Marc. 6. verſ. 5. Propterea ooo poterat Jeſus ſignum ullum apud eos edere, quia in eum non credebant. Non quod in hominum arbitrio ſit ligare Dei manus: ſed quod operum ſuorum fructu privat qui per infidelitatem ſe indignos reddunt. Perinde igitur valet reſponſio acſi dixiſſet Chriſtus, Si miraculorum vultis eſſe particpes, cur Deo non datis locum? imo cur

mini-

miniſtrum potentiæ ejus ſuperbe rejicitis? Habetis ergo juſtam contemptus veſtri mercedem, quod vobis præteritis, alibi potius miraculis oſtendo me eſſe Meſſiam Dei, cui mandata eſt Eccleſiæ reſtitutio. Et certe illa ingratitudo erat minime ferenda, quod quum Deus Filium ſuum educari voluiſſet in eorum urbe, talem alumnum ſpernebant. Quare manum ſuam jure inde retraxit, ne ludibrio eſſet tam impiis contemptoribus. Cæterum hinc diſcimus quanti faciat Dominus verbum ſuum: quia ut de ejus contemptu pœnam ſumat, gratias, quæ præſentiæ ejus teſtimonia ſunt, è medio tollit. Quantum ad ſententiam iſtam, Quod Propheta honorem non habeat apud ſuos, videant lectores quæ diximus quarto Joannis capite circa finem.

25. *Multæ viduæ erant.*] Poſtquam in eos culpam rejecit Chriſtus, quod deſtituerentur miraculis, jam duobus exemplis probat non debere videri abſurdum ſi Deus alienos domeſticis præferat: & ſibi vitio verti non debere ſi Dei vocationi obtemperet, quemadmodum olim Elias & Eliſæus. Oblique autem vanam eorum confidentiam perſtringit, quod ipſum habere ſibi obnoxium vellent quia fuerat apud eos educatus. Quo tempore, inquit, graſſata eſt fames per duos annos & ſeſqui, multæ in terra Iſraël viduæ erant, quarum inediæ ſubvenire non
1 Reg. 17. juſſus eſt Propheta Elias, ſed miſſus ad mulierem
verſ. 9. alienigenam ditionis Sidoniæ. Similiter Eliſæus nullos ex ſuis popularibus leproſos curavit, ſed Naa-
2 Reg. 5. man hominem Syrum. Quanquam autem peculia-
verſ. 14. riter Nazaræos vulnerat, ſimul tamen totius gentis ingratitudinem carpit, quod jam pridem ſoliti ſint fere omnes eo indignius Dominum contemnere quo propius ad eos acceſſerat. Nam qui factum eſt ut mulierem extraneam Deus prætulerit omnibus Iſraëlitis, niſi quod ab his rejectus Propheta hoſpitium in terra profana quærere coactus eſt? Et quorſum Naaman Syrum voluit Deus ab Eliſæo ſanari, niſi in dedecus populi Iſrael? Senſus ergo eſt, idem accidere quod olim, ut Deus procul virtutem ſuam ad alienos transmittat, quia à domeſticis repellitur. Interea ſignificat Chriſtus nihil ex ſua gloria diminui quod à conterraneis vilipenditur: quia Deus non ſine eorum ignominia & pudore alibi Filium ſuum ornare & extollere poterit, ſicuti olim Prophetis ſuis honorem dedit in mediis Gentibus. Hoc modo retunditur ſtulta carnis gloriatio, quum videmus Dominum pluere non modo ubi & quando viſum eſt, ſed in angulis remotis, poſthabita terra quam ſibi in domicilium elegerat. Porro hinc colligenda eſt generalis doctrina, noſtrum non eſſe Deo in beneficiis ſuis diſpenſandis præſcribere aliquam legem, quin ſuo arbitrio infimos & contemptiſſimos honore dignetur, primis rejectis: nec obſtrepere fas eſſe, ſi ordinem qui arridet noſtro judicio, ut plurimum pervertat. Tenenda quidem eſt antitheſis inter Iſraëlem & profanas gentes: ſed rurſus ſtatuere oportet, nullos propria dignitate præ aliis eligi; ſed id magis provenire ex admirabili Dei conſilio, cujus, tametſi ratio nobis eſt abſcondita, altitudinem ſuſpicere & adorare neceſſe eſt.

28. *Repleti ſunt ira.*] Senſerunt quorſum tenderent illa duo exempla quæ protulerat Chriſtus: nempe Dei gratiam alio transferendam eſſe. itaque in ſuam contumeliam acceperunt. Sed quum ad vivum pungi deberent eorum conſcientiæ, ut correctis ſuis vitiis remedium quærerent, tantum aguntur in furorem. Sic impii non ſolum contumaciter reſiſtunt Dei judiciis, ſed atrociter in ejus ſervos inſurgunt. Hinc apparet quantam vim habeant objurgationes quæ proficiſcuntur à Dei Spiritu. nam rabie inflammant eorum animos qui libenter eas eluderent. Porro quum videmus tam virulentas eſſe hominum mentes, ut inſaniant contra Deum ſimulac aſperius tractantur: petendus nobis eſt Spiritus manſuetudinis, ne in hoc exitiale bellum idem furor nos abripiat. Quum dicit Lucas Jeſum per mediam turbam tranſiſſe, & ita elapſum eſſe eorum manibus: ſignificat divinitus nec ſine ingenti miraculo ereptum eſſe ex præſenti morte. Quo exemplo docemur, quantumvis prævaleant adverſarii, ut vita noſtra eorum libidini ſubjecta videatur, victricem tamen ſemper fore Dei potentiam ad nos ſervandos quamdiu nos in mundo retinere volet, ſive conſtringat illorum manus, ſive oculos cæcitate percutiat, ſive obſtupefaciat eorum mentes & corda.

MATTH. IV.	MARC.	LUC.
13. Et relicta Nazareth profectus habitavit in Capernaum, quæ eſt urbs maritima in finibus Zabulon & Nephthalim, 14. Ut impleretur quod dictum fuerat per Jeſaiam Prophetam, dicentem, 15. Terra Zabulon & terra Nephthalim juxta viam maris, ultra Jordanem, Galilæa Gentium: 16. Populus qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & qui ſedebant in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis.		

13. *Et relicta Nazareth.*] Hunc Matthæi locum narrationi Lucæ ideo ſubjicere viſum eſt, quia ex contextu licet colligere, quum Chriſtus hactenus ſolitus eſſet frequentare urbem Nazareth, ut periculo cederet, illa prorſus valere juſſa, in Capernaum & vicinas urbes migraſſe. Hæc hiſtoria nihil habet difficultatis, niſi quod Matthæus Prophetæ teſtimonio abuſus videtur in alium ſenſum. Verum ſi teneamus genuinum Prophetæ ſenſum, apta & facilis erit accommodatio ad præſentem cauſam. Jeſaias enim, poſtquam de graviſſima populi clade verba fecit, ut mœrori ſolatium adhibeat, promittit, ubi ad extrema redactus fuerit populus, ſtatim ſequuturam liberationem, quæ diſcuſſa caligine lucem vitæ reſti-
Jeſ. 9: 1. tuat. verba ſunt, Non obſcurabitur cui continget hæc anguſtia juxta tempus primum, quo leviter percuſſa fuit terra Zabulon & Nephthali: nec juxta tempus ſecundum, quum gravius afflicti ſunt juxta viam maris ultra Jordanem in Galilæa Gentium. Populus enim ambulans in tenebris, videbit lucem magnam. Duplici calamitate jam oppreſſi fuerant Iſraë-
litæ: primum quum à Theglath Peleſer abductæ 2 Reg. 15.
eſſent in exilium quatuor Tribus, vel circiter: deinde verſ. 16.
quum Salmanaſar totum regnum Iſraëlis excidit. & 18.
Reſtabat tertia clades, quam Propheta omnium atro- verſ. 9.
ciſſimam fore dixerat circa finem octavi capitis. Nunc autem in verbis quæ retulimus, ſequitur mitigatio: quia Deus populo ſuo manum porriget, mortem fore magis tolerabilem quam prius fuerint morbi. Tametſi, inquit, totus populus delebitur, lux tamen gratiæ affulgens efficiet ut minus ſit caliginis in hoc poſtremo interitu, quam fuerit in duplici ruina decem tribuum. Porro mihi dubium non eſt quin promiſſio ad totum populi corpus, quod peræque in ſpeciem videri poterat perditum & deploratum, extendi debeat. Præpoſtere enim Judæi ad liberationem urbis Hieroſolymæ reſtringunt, quaſi lux vitalis reddita fuerit dum fugato Rege Sennacherib

cherib ſoluta fuit obſidio. Certe ex contextu plane liquet longius reſpicere Prophetam. Quum igitur communem totius Eccleſiæ inſtaurationem promittat, ſequitur terram Zabulon & terram Nephthalim, & Galilæam Gentium comprehendi in eorum numero quibus tenebræ mortis in vitæ lucem mutandæ erant. Hujus lucis initium & quaſi aurora fuit populi reditus ex Babylone. tandem pleno ſplendore emerſit ſol juſtitiæ Chriſtus, qui mortis tenebras penitus ſuo adventu abolevit. Ideo Paulus ad Epheſ. 5. verſ. 14. in eo impletum fuiſſe admonet quod paſſim occurrit apud Prophetas, Surge qui dormis, & exſurge à mortuis. Jam quum ſciamus ſpirituale eſſe Chriſti regnum, neceſſe eſt ut ejus naturæ, lux ſalutis quam affert, & quicquid auxilii ab eo percipimus, reſpondeat. Unde ſequitur, animas noſtras in mortis æternæ tenebris demerſas eſſe, donec eas ſua gratia illuminet. De gentis quidem excidio ſermo habetur apud Prophetam: ſed quaſi in ſpeculo deſcribitur conditio humani generis, donec Chriſti gratia liberetur. Quod lucem magnam dicuntur vidiſſe qui in tenebris jacebant: tam ſubita & illuſtris mutatio, divinæ ſalutis magnitudinem amplificat. Galilæa inferior vocata fuit Gentium Galilæa, non modo propter viciniam Tyri & Sidonis, ſed quia permixtæ illic erant Judæis Gentes: præſertim ex quo David aliquot urbes Regi Hiram conceſſerat.

MATTH. IV.

18. Ambulans autem Jeſus juxta mare Galilææ vidit duos fratres, Simonem cognomine Petrum, & Andream fratrem ejus, jacientes rete in mare: nam erant piſcatores.

19. Et dicit illis, Sequamini me, & faciam vos piſcatores hominum.

20. At illi relictis illic retibus ſequuti ſunt eum.

21 Et progreſſus illinc, vidit alios duos fratres, Jacobum filium Zebedæi, & Joannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre ſuo ſarcientes retia ſua: & vocavit eos.

22. Illi autem protinus relicta navi & patre ſuo, ſequuti ſunt eum.

23. Et circumibat totam Galilæam Jeſus, docens in Synagogis illorum, ac prædicans Euangelium regni, & ſanans omnem morbum, & omnem languorem in populo.

24. Et manavit fama illius in totam Syriam: & adducebant ad illum omnes male habentes, variis morbis ac torminibus conſtrictos, & dæmoniacos, & lunaticos, & paralyticos, ſanabatque illos.

25. Et ſequutæ ſunt eum turbæ multæ à Galilæa, & Decapoli, & Hieroſolymis, & Judæa, & regione trans Jordanem.

MARC. I.

16. Quum autem ambularet juxta mare Galilææ, videt Simonem & Andream fratrem ejus, jacientes rete in mare: erant enim piſcatores.

17. Et dixit illis Jeſus, Sequamini me, & faciam ut fiatis piſcatores hominum.

18. Ac protinus relictis retibus ſuis ſequuti ſunt eum.

19. Et progreſſus illinc puſillum, vidit Jacobum filium Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, qui & ipſi in navi reconcinnabant retia:

20. Statimque vocavit illos. & illi relicto patre ſuo Zebedæo in navi cum mercenariis, ſequuti ſunt eum.

LUC. V.

1. Factum eſt autem, quum turba inſtaret ei ut audiret verbum Dei, & ipſe ſtabat juxta ſtagnum Geneſareth.

2. Et vidit duas naves ſtantes ad ſtagnum: piſcatores autem deſcenderant ex illis, & abluebant retia.

3. Ingreſſus autem in unam navium quæ erat Simonis, rogavit eum ut à terra abduceret puſillum: & ſedens docebat è navi turbas.

4. Ut autem ceſſavit loqui, dixit ad Simonem, Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam.

5. Et reſpondens Simon dixit illi, Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus. tamen ad verbum tuum laxabo rete.

6. Et quum hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam: rumpebatur autem rete eorum.

7. Et annuerunt ſociis qui erant in altera navi, ut venirent & adjuvarent ipſos. Et venerunt, atque impleverunt ambas naves, ita ut mergerentur.

8. Quod quum vidiſſet Simon Petrus, accidit ad genua Jeſu, dicens, Diſcede à me, Domine, quia homo peccator ſum:

9. Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant, ſuper captu piſcium quem ceperant.

10. Similiter autem Jacobum & Joannem filios Zebedæi, qui erant ſocii Simoni. Et ait ad Simonem Jeſus, Ne metuas: poſthac enim homines capies.

11. Et ſubductis in terram navibus, relictis omnibus ſequuti ſunt eum.

18. Matth. *Ambulans autem Jeſus.*] Quia hæc hiſtoria duobus, quæ poſtea videbimus, miraculis poſterior habetur apud Lucam, vulgo invaluit opinio, quod ab ipſo narratur miraculum, aliquanto poſt tempore quam à Chriſto vocati eſſent, fuiſſe editum. Sed parum momenti habet ratio quam ſequuntur: neque enim certa diſtinctaque temporum ſerie annales componere propoſitum fuit Euangeliſtis. Unde fit ut neglecto dierum ordine, ex rebus geſtis Chriſti præcipuas quaſque ſummatim colligere ſatis habeant. Annorum quidem habita fuit ab illis ratio, ut conſpicuum eſſet lectoribus quomodo defunctus ſit Chriſtus triennii curſu, ab initio prædicationis, uſque ad mortem. Sed quæ in idem fere tempus inciderunt miracula, libere permiſcent. quod pluribus deinde exemplis certius patebit. Nunc vero eandem à tribus hiſtoriam narrari, pluribus argumentis conſtat. ex quibus tamen unum hoc non contentioſo lectori ſufficiet, quod tres ipſi uno conſenſu tandem docent, Petrum & Andream, Jacobum & Joannem creatos fuiſſe Apoſtolos. Si prius vocati fuiſſent, ſequeretur fuiſſe apoſtatas, qui deſerto magiſtro & ſpreta vocatione reverſi eſſent ad priſtinum vitæ genus. Hoc tantum eſt diſcriminis inter Lucam & duos reliquos, quod miraculum ab his omiſſum ſolus recitat. Sed hoc quoque Euange-

liſtis

liſtis non eſt inſolens, partem unam rei geſtæ, multis circumſtantiis omiſſis, attingere. Quare nihil abſurdi eſt ſi dicamus prætetitum fuiſſe à duobus miraculum quod ab uno refertur. Et memoria tenendum eſt quod dicit Joannes, ex innumeris Chriſti miraculis delectam fuiſſe aliquam partem, quæ ad probandam ejus divinam potentiam, & fidem in eo noſtram confirmandam ſufficeret. Nihil igitur mirum ſi vocationem quatuor Apoſtolorum parcius delibant Matthæus & Marcus, cujus occaſionem Lucas fuſius exequitur.

1. Luc. *Stabat juxta ſtagnum.*] Matthæus & Marcus mare Galilææ nominant trito linguæ ſuæ more. Lacus ille proprie Hebræis olim dictus fuit כנרית. Deinde lingua corrupta vox deflexa fuit in Genezareth. Profani ſcriptores Geneſarem vocant. qua parte in Galilæam vergebat, mare Galilææ dixerunt. Ripa vicina Tiberiadi, cognomen ex urbe accepit. De ejus amplitudine & ſitu alibi opportunior erit dicendi locus. nunc veniamus ad rem ipſam. Dicit Lucas Chriſtum, conſcenſa navi Petri, receſſiſſe modico ſpatio à terra, ut commodius inde turbas doceret, quæ deſiderio ejus audiendi, ex variis locis confluxerant; docendi autem munere perfunctum, ſpecimen exhibuiſſe divinæ ſuæ virtutis in miraculo. Quamvis enim uſitatum ſit piſcaturibus multos facere jactus ſteriles, uno deinde proſpero jactu penſare quicquid laboris fruſtra ſumpſerant: miraculum tamen ex hac circumſtantia enituit, quod quum tota nocte nihil cepiſſent (quæ tamen ad capturam aptior eſt) ſubito in eorum retia ingens copia piſcium, quæ naves impleat, coacervatur. Facile igitur agnoſcunt Petrus & ejus ſocii, talem prædam quæ modum excedebat, non obtigiſſe ſibi ſortuito, ſed divinitus oblatam eſſe.

5. Luc. *Præceptor, per totam noctem laborantes.*] Non dubium eſt quin Petrus doctoris officio Chriſtum fungi ſolitum ſciens, ac ejus reverentia tactus, ſic nominet. Nondum tamen ita profecit ut mereatur inter ejus diſcipulos cenſeri. neque enim ſatis eſt honorifice de Chriſto ſentire, niſi ejus doctrinam fidei obedientia amplexi, teneamus quid à nobis velit. Etſi autem vel nullum vel tenuem Euangelii guſtum habeat, quantum tamen Chriſto deferat oſtendit, quum inani labore fatigatus, quod fruſtra tentaverat, de integro aggreditur. Quin igitur apud eum magni fuerit Chriſtus, & plurimum valuerit ipſius auctoritas, negari non poteſt. Sed particularis fides uni tantum Chriſti mandato habita, & quidem in privato terreſtrique negotio, Chriſtianum minime feciſſet Petrum, vel locum illi dediſſet inter filios Dei, niſi ab hoc obſequii initio tandem ad plenam obedientiam deductus foret. Cæterum, quum tam promptus fuerit ad parendum Chriſti mandato Petrus, quem nondum vel Prophetam eſſe, vel Dei filium ſciebat: nulla noſtræ ignominiæ excuſatio, quod Dominum & Regem & Judicem noſtrum prædicantes, officium noſtrum facere decies ab ipſo juſſi, ne digitum quidem movemus.

6. Luc. *Concluſerunt piſcium multitudinem.*] Finis quidem miraculi fuit, ut cognita Chriſti divinitate, ſe illi Petrus & alii diſcipulos addicerent. Generaliter tamen hoc exemplo docemur, minime timendum eſſe ne reſpondeat labori noſtro benedictio Dei & optabilis ſucceſſus, quoties juſſu & auſpiciis Chriſti manus operi admovebimus. Cæterum talis fuit copia piſcium quæ naves mergendo, animos ſpectantium in admirationem attolleret. Oportuit enim divinam Chriſti gloriam miraculo hoc patefieri, ut ſolida illi auctoritas conſtaret.

8. Luc. *Diſcede à me Domine.*] Quamvis Dei præſentiam aſſiduis votis expetant homines: neceſſe tamen eſt, ſimulatque apparet Deus, formidine percelli, imo exanimari metu & pavore, donec ſolatium adhibeat. Quod Deum tam cupide advocant optima eſt ratio, quia ſe miſeros eſſe eo abſente ſentire coguntur: præſentia autem illius ideo formidabilis eſt, quia tunc ſentire incipiunt quam nihil ſint, imo quanta malorum congerie ſint referti. Secundum hanc rationem Petrus ſic reveretur Chriſtum in miraculo, ut majeſtate ejus exterritus, quantum in ſe eſt ſugiat. Neque hoc ſoli Petro accidit, quemadmodum ex contextu colligimus: ſed timor omnes circumdedit. Quare videmus ſenſum hunc ingenitum eſſe omnibus, ut ad Dei præſentiam expaveſcant. Atque id nobis utile eſt, ut quicquid in nobis eſt ſtultæ confidentiæ vel faſtus humilietur: modo ſtatim accedat conſolatio quæ nos ſublevet. Ideo Chriſtus ſuavi & amica reſponſione, Petri animum recreat, metuere ipſum vetans. Ita Dominus in ſepulchrum demergit ſuos, ut deinde vivificet.

10. Lucas. *Poſthac enim homines capies.*] Pro quo Matthæus, *Faciam vos piſcatores hominum*: Marcus vero, *Faciam ut ſitis piſcatores.* Quibus verbis docemur, Petrum & alios tres non modo collectos fuiſſe diſcipulos à Chriſto, ſed creatos Apoſtolos, vel ſaltem electos in ſpem Apoſtolatus. Non ergo hic generalis ſolum deſcribitur vocatio ad fidem, ſed ſpecialis ad certum munus. Fateor quidem nondum illis injungi docendi partes: ſed tamen Chriſtus eos in ſuum contubernium aſciſcit & cooptat, ut ad docendum formet. Atque hoc prudenter conſiderandum: quia non omnibus præcipitur, ut parentibus relictis & priſtino vivendi genere, Chriſtum ſequantur pedibus: ſed alios contentus eſt Dominus habere in grege ſuo & Eccleſia, aliis propriam ſtationem attribuit. quibus igitur impoſita eſt publica perſona, ſciant à ſe plus aliquid requiri quam à quibuslibet privatis. Ita Chriſtus in communi aliorum vita nihil mutans, quatuor iſtos diſcipulos ab opificio, unde vixerant hactenus, abducit, ut eorum opera ad præſtantiorem functionem utatur. Porro craſſos idiotas, nec minus rudes ingenio quam doctrinæ expertes, ſibi Chriſtus delegit quos expoliret: imo quos Spiritus ſui gratia renovaret, ut cunctis mundi ſapientibus præcellerent. Ita ſcilicet voluit humiliare ſuperbiam carnis, & inſigne ſpiritualis gratiæ ſpecimen dare in eorum perſona, ut diſcamus fidei lumen petere è cælo: ſcientes propria induſtria non poſſe acquiri. Porro quia non elegit indoctos & rudes ut ſemper tales relinqueret, in exemplum minime trahere convenit quod ab eo factum eſt: quaſi hodie quoque ordinandi ſint Paſtores qui poſtea formandi ſint ad exequendum munus ſuum. Scimus enim quam regulam nobis per os Pauli præſcribat, ne qui *1 Tim. 3. verſ. 2.* ſcilicet vocentur niſi ad docendum idonei. Nec vero tales ideo elegit quaſi inſcitiam eruditioni præferret: quemadmodum phrenetici quidam ſibi in ſua ignorantia applaudunt, ſeque Apoſtolis putant eo propiores, quo magis à literis abhorrent. Voluit initio quidem contemptibiles eligere, ut eorum ſupercilium dejiceret qui cælum indoctis patere non putant: ſed deinde piſcatoribus adjunxit Paulum collegam, qui à pueritia ſedulo inſtitutus fuerat. Tametſi autem de ratione metaphoræ ſubtilius diſputare nihil attinet, quia ex re præſenti ſumpta fuit: apte tamen alluſit Chriſtus ad piſcationem quum de Euangelii prædicatione ageret: quia homines vagi & palantes in mundo, tanquam in vaſto & confuſo mari, per Euangelium colliguntur. Cæterum hiſtoria quæ primo Johannis capite refertur, ab hac diverſa eſt. nam quum Andreas unus fuiſſet ex diſcipulis Johannis, ab illo Chriſto traditus, fratrem deinde ſecum adduxit: ac tunc quidem amplexi ſunt ut magiſtrum: ſed deinde in altiorem gradum recepti ſunt.

22. Matth. *Illi autem protinus*] Primum hic apparet energia vocis Chriſti: non quod ſola vox tam efficaciter penetret in hominum corda; ſed quia Dominus quos ad ſe trahere vult & rapere, Spiritu

intus

intus compellat ut voci ſuæ obediant. Secundo laudatur docilitas & obſequii promptitudo in diſcipulis, qui vocationem Chriſti omnibus mundi negotiis præferunt. Præſertim verbi miniſtros ad hoc exemplum attendere decet, ut poſthabitis omnibus aliis curis, ſe totos Eccleſiæ, cui deſtinati ſunt, addicant ac devoveant.

23. Matth. *Circuibat totam Galilæam.*] Eadem rurſus alibi à Matthæo referuntur: ſed minime abſurdum eſt, quum innumera prope miracula aſſidue edere Chriſtus aliquanto tempore non ceſſarit, bis aut ter rurſum eorum fieri mentionem in genere. Jam in verbis Matthæi primo notandum eſt, Chriſtum nuſquam quieviſſe, ut Euangelii ſemen ubique ſpargeret. Porro Euangelium regni vocat Matthæus, quo conſtituitur regnum Dei inter homines, in ipſorum ſalutem. Solidam ergo & æternam beatitudinem, à proſperis ac lætis præſentis vitæ rebus diſcernit. Quod dicit Matthæus Chriſtum ſanaſſe omnes morbos, intellige cujuſcunque eſſent generis. Certum eſt enim non omnes fuiſſe liberatos à ſuis morbis: ſed nullum fuit morborum genus quod ſibi oblatum non ſanaret. Enumerat autem præcipuas morborum ſpecies, in quibus ſuam potentiam exeruit Chriſtus. Dæmoniacos Scriptura vocat non omnes promiſcue qui à diabolo vexantur, ſed qui arcana Dei vindicta Satanæ mancipati ſunt, ut eorum mentes & ſenſus poſſideat. Lunatici vocantur in quibus augeſcit vis morbi vel decreſcit pro lunæ inclinatione: quales ſunt qui comitiali morbo laborant, & ſimiles. Quum ſciamus ejuſmodi morbos naturalibus remediis non eſſe curabiles, ſequitur teſtatum fuiſſe divinitatem Chriſti quum eos mirabiliter ſanavit.

Matth.	Marc. I.	Luc. IV.
	21. Et ingrediuntur Capernaum, & ſtatim Sabbathis ingreſſus in Synagogam, docebat.	31. Et deſcendit Capernaum civitatem Galilææ, ibique docebat eos Sabbathis:
	22. Et ſtupebant ſuper doctrina ejus: erat enim docens eos tanquam auctoritate præditus, & non tanquam Scribæ.	32. Et ſtupebant ſuper doctrina ejus, quia cum poteſtate conjunctus erat ſermo ipſius.
	23. Et erat in Synagoga eorum homo obnoxius ſpiritui immundo, qui exclamavit,	33. Et in Synagoga erat homo habens ſpiritum dæmonis immundi: & exclamavit voce magna,
	24. Dicens, Ah quid tei nobis tecum eſt Jeſu Nazarene? veniſti ad perdendum nos? novi te quis ſis, Sanctus ſcilicet Dei.	34. Dicens, Ah quid tibi nobiſcum eſt Jeſu Nazarene? veniſti ad perdendum nos? novi te quis ſis, Sanctus ſcilicet Dei.
	25. Et increpavit illum Jeſus, dicens, Obmuteſce, & exi ab homine.	35. Et increpavit illum Jeſus, dicens, Obmuteſce, & exi ab eo. Et
	26. Et quum diſcerpſiſſet eum ſpiritus immundus, exclamaſſetque voce magna, exiit ab eo.	quum projeciſſet eum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illi nocuit.
	27. Et obſtupuerunt omnes, ita ut conquirerent inter ſe, dicentes, Quid eſt hoc? quæ doctrina nova hæc? quia cum auctoritate etiam ſpiritibus immundis imperat, & obediunt ei?	36. Et factus eſt pavor ſuper omnes, ac colloquebantur inter ſeſe, dicentes, quis ſermo hic eſt? quia cum auctoritate & poteſtate imperat ſpiritibus immundis, & exeunt?

Probabile eſt hunc dæmoniacum fuiſſe unum ex turba illa cujus meminit paulo ante Matthæus. Sed non ſupervacua eſt Marci & Lucæ narratio: quia circumſtantias quaſdam referunt, quæ non ſolum miraculum magis illuſtrant, ſed continent etiam utilem doctrinam. Aſtute enim fatetur dæmon Chriſtum eſſe Sanctum Dei, ut obrepat hominibus ſuſpicio aliquid eum habere cum Chriſto neceſſitudinis. Qua etiam vafritie Euangelium ſubinde conatus eſt ſuſpectum reddere, & hodie idem rentate non deſiſtit. Hæc ratio eſt cur eum Chriſtus compeſcat. Fieri quidem poteſt ut hæc illi confeſſio violenter expreſſa fuerit. ſed hæc duo inter ſe non pugnant, quod Chriſti potentiæ cedere coactus, illum exclamet eſſe Sanctum Dei: & tamen aſtute Chriſti gloriam ſuis tenebris involvere conetur. Nntandum eſt etiam, ſic eum Chriſto blandiri, ut ſe oblique ab ejus manu ſubducat: atque hoc modo ſecum ipſe pugnat. Quorſum enim ſanctificatus eſt à Patre Chriſtus, niſi ut homines à diaboli tyrannide liberans, ejus regnum evertat? Sed quia Satan virtutem quam ſibi exitialem eſſe ſentit, ferre nnn poteſt, Chriſtum inani titulo contentum quieſcere & jacere cuperet.

22. Marc. *Stupebant ſuper doctrina ejus.*] Significant Euangeliſtæ refulſiſſe in ſermone Chriſti Spiritus virtutem, quæ auditores etiam profanos aut frigidos in admirationem cogeret. Lucas dicit ſermonem ejus fuiſſe in poteſtate, hoc eſt, dignitate plenum. Plenius Marcus, qui antitheſin addit, diſſimilem fuiſſe ſermoni Scribarum. nam quum adulterini eſſent Scripturæ interpretes, literalis & mortua erat eorum doctrina, quæ nullam Spiritus efficaciam ſpiraret, & in qua nulla ſubeſſet majeſtas. Quale hodie frigus in ſpeculativa Papatus theologia conſpicere licet. Satis quidem imperioſe detonant illi magiſtri quicquid viſum eſt: ſed quum profano more garriant de rebus divinis, ut nulla in eorum diſputationibus appareat religio, putidum eſt ac nugatorium quicquid afferunt. neque enim fruſtra dictum eſt à Paulo, Regnum Dei non in ſermone, 1 Cor. 4.
ſed in virtute eſſe poſitum. In ſumma, ſignificant vers. 20.
Euangeliſtæ, quum tunc degener & valde corruptus eſſet docendi modus, qui nulla Dei reverentia tangeret hominum animos, in ſermone Chriſti conſpicuam fuiſſe divinam vim Spiritus quæ fidem illi acquireret. Hæc eſt potentia, vel dignitas potius ac auctoritas ad quam populus obſtupeſcebat.

33. Luc. *Homo habens ſpiritum dæmonis.*] Hæc loquutio tantundem valet acſi dixiſſet Lucas, afflatu diaboli fuiſſe concitatum. Dei enim permiſſu animæ potentias occupaverat Satan, ut ſuo arbitrio tam ad loquendum quam ad alios motus impelleret. Itaque quum loquuntur dæmoniaci, in ipſis & per ipſos loquuntur dæmones, quibus permiſſa eſt dominandi licentia. Elogium Sancti Dei, probabile eſt ex communi

muni

muni & tuoc recepto loquendi uſu ſumptum eſſe. Ideo autem ſic Meſſiam vocabant, quod ab omnium aliorum numero ſegregandus eſſet, ut ſingulari gratia præditus, & totius Eccleſiæ caput.

26. Marc. *Quum diſcerpſiſſet eum.*] Mitiore verbo uſus eſt Lucas: io ſenſu tamen optime conveniunt: quia uterque docere voluit violentum fuiſſe dæmonis exitum. Sic ergo miſerum bominem proſtravit, quaſi diſcerpere vellet. irritum tamen fuiſſe conatum dicit Lucas: non quod impetus ille prorſus abſque læſione fuerit, vel ſaltem abſque ullo doloris ſenſu; ſed quia integer poſtea fuit bomo à diabolo liberatus.

36. Luc. *Factus eſt pavor.*] Fructus miraculi, quod aliquid pluſquam humanum in Chriſto ſuſpicere coguntur. Ac prudenter miraculi gloriam ac virtutem ad doctrinam referunt. Quis ſermo hic, inquiunt, cui parere coguntur etiam ipſi dæmones? Novam doctrinam appellant, non exprobrandi cauſa, ſed quia aliquid in ea inſolitum & extraordinarium agnoſcunt. Non ergo inſimulant eam oovitatis ut fidem derogent: ſed potius iſta eſt pars admirationis, quod vulgarem aut humanam eſſe negant. In eo tantum peccant, quod ſubſiſtunt in ſua hæſitatione, quum ad ulteriorem profectum Dei filios progredi deceat.

MATTH. VIII.

14. Et quum veniſſet Jeſus in domum Petri, vidit ſocrum illius in lecto decumbentem, & febri laborantem.

15. Tetigitque manum ejus, & reliquit eam febris: & ſurrexit, ac miniſtrabat illis.

16. Quum autem appetiſſet veſpera, adduxerunt illi dæmoniacos multos: & ejecit ſpiritus verbo, omneſque male habentes ſanavit:

17. Ut impleretur quod dictum eſt per Jeſaiam Prophetam, quum ait, Hic infirmitates noſtras ſuſcepit, & morbos portavit.

18. Quum vidiſſet autem Jeſus circum multas turbas, juſſit ut abirent in ulteriorem ripam.

MARC. I.

29. Et protinus è Synagoga egreſſi, venerunt in domum Simonis & Andreæ cum Jacobo & Joanne.

30. Socrus autem Simonis decumbebat febri laborans: & continuo dicunt ei de illa.

31. Et accedens erexit eam apprehenſa manu ejus, & reliquit eam febris illico, ac miniſtrabat eis.

32. Veſperi vero quum ſol occidiſſet, attulerunt ad eum omnes male habentes, & qui à dæmoniis agitabantur.

33. Et civitas tota congregata erat ad oſtium.

34. Et ſanavit multos qui male affecti erant variis morbis, & dæmonia multa ejecit: & non ſinebat loqui dæmonia quod ipſum noviſſent.

35. Et mane, multa adhuc nocte quum ſurrexiſſet, & egreſſus eſt, & abiit Jeſus in deſertum locum, ibique orabat.

36. Et proſequutus eſt illum Simon & qui cum eo erant.

37. Et quum inveniſſent eum, dicunt ei, Omnes te quærunt.

38. Et ait illis, Eamus in proximos vicos, ut & ibi prædicem. in hoc enim egreſſus ſum.

39. Et prædicabat in Synagogis eorum in tota Galilæa, & dæmonia ejiciebat.

LUC. IV.

38. Quum autem ſurrexiſſet Jeſus è Synagoga, introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur febri magna, & rogaverunt pro illa.

39. Et aſtans ſupra illam, increpavit febrim, & febris dimiſit illam: ſtatimque ſurgens miniſtrabat illis.

40. Quum autem ſol occideret, omues qui habebant infirmos variis morbis, illos ducebant ad eum: at ipſe ſingulis manus imponens ſanabat eos.

41. Exibant autem dæmonia à multis, clamantia ac dicentia, Tu es Chriſtus Filius Dei. Et increpans non ſinebat ea loqui quod noviſſent ipſum eſſe Chriſtum.

42. Facto autem die, egreſſus ivit in deſertum locum, & turbæ quærebant eum: & venerunt uſque ad ipſum, & detinebant illum ne diſcederet ab eis.

43. Quibus ille ait, Etiam aliis civitatibus oportet me euangelizare regnum Dei: nam in hoc miſſus ſum. Et prædicabat in Synagogis Galilææ.

29. *Venerunt in domum.*] Quod hanc hiſtoriam Matthæus ſuo ordine non recenſeat, conjicere inde licet, quod Marcus nominatim quatuor tantum diſcipulos Chriſto fuiſſe comites tradit. Deinde quum è Synagoga egreſſus, recta ſe contulerit in domum Petri, tempus exacte à Matthæo non fuiſſe obſervatum facile patet. Porro videntur Euaogeliſtæ miraculum hoc peculiariter narraſſe, non quod per ſe aliis eſſet nobilius, vel memoratu magis dignum: ſed quia in eo Chriſtus domeſticum & interius gratiæ ſuæ ſpecimen exbibuit diſcipulis: deinde quod unius mulieris ſanatio pluribus miraculis dedit occaſionem, ut undique ad eum confluereot opis petendæ cauſa. Lucas tamen virtutem quam hic Chriſtus patefecit, uno verbo amplificat, magna febri detentam fuiſſe dicens Petri ſocrum. Certius enim ac inſigoius documentum fuit divinæ potentiæ, temporis momento, & ſolo tactu, vebementem ac gravem morbum tollere. Quanquam autem ſolo nutu id poterat, manum tamen ejus tetigit, vel exprimendi affectus cauſa, vel quia ſymbolum boc tunc utile eſſe noverat. Scimus enim pro temporis ratiooe externis ſymbolis libere fuiſſe uſum.

39. Luc. *Increpavit febrim.*] Quanquam loquotio hæc lectori oon ſatis in Scriptura exercitato dura videri poſſit, ratione tamen non caret: febris enim & alii morbi, fames, peſtilentia, & omne geous ærumoæ, Dei ſunt apparitores per quos judicia ſua exequitur. Ergo ſicuti mandato nutuque ſuo tales nuncios emittere dicitur: ſic etiam coërcet ac revocat ſimulac viſum eſt. Quomodo alios ſanaverit, tacent Matthæus & Marcus: Lucas dicit, Manuum impoſitione. Fuit autem reconciliationis ſignum ſub Lege. Quare merito, nec intempeſtive Chriſtus, quos à Dei maledictiooe abſolvit, illis etiam impoſuit manus. Solennis etiam fuit conſecrationis ritus, quemadmodum alibi fuſius dicetur. Sed ego Chriſtum ſimpliciter interpretor manus impoſuiſſe ægrotis, ut eos Patri commendans, gratiam & liberationem à morbis impetraret.

17. Matth. *Quod dictum eſt per Jeſaiam.*] Videtur parum appoſite citari, imo in alienum ſenſum torqueri hoc vaticinium. nam illic Jeſaias non de miraculis, ſed de Chriſti morte diſſerit: nec de temporalibus beneficiis, ſed de ſpirituali æternaque gratia. Quod autem de animæ vitiis dici certum eſt, Matthæus ad corporales morbos transfert. ſolutio non difficilis eſt, modo expendant lectores, non tantum exponi quid Chriſtus ægrotis illis contulerit: ſed in quem finem ſanaverit eorum morbos. Senſerunt illi Chriſti gratiam in ſuis corporibus: ſed nobis finis ſpectandus eſt: quia præpoſterum eſſet in caduco beneficio hærere, quaſi corporum medicus eſſet Filius Dei. Quid ergo? nempe cæcos illuminavit ut ſe mundi lucem eſſe oſtenderet: reſtituit vitam mortuis, ut ſe probaret vitam ac reſurrectionem eſſe. idem de claudis & paralyticis ſentiendum. Quare analogiam hanc ſequamur, ut quæcunque hominibus præſtitit Chriſtus beneficia in carne, referamus ad ſcopum quem nobis Matthæus proponit: miſſum ſcilicet fuiſſe à Patre ut nos à malis & miſeriis omnibus levaret.

34. Marc. *Non ſinebat loqui dæmonia.*] Duplex potuit eſſe ratio cur non ſineret: una generalis, quod nondum maturum plenæ revelationis tempus advenerat: altera ſpecialis, quam nuper attigimus, quod illos repudiabat præcones ac teſtes ſuæ divinitatis, qui laude ſua nihil aliud quam maculam & ſiniſtram opinionem aſpergere illi poterant. Atque hæc poſterior indubia eſt: quia teſtatum oportuit eſſe hoſtile diſſidium quod habebat æternæ ſalutis & vitæ auctor cum mortis principe ejuſque miniſtris.

18. Matth. *Quum vidiſſet autem Jeſus turbas, &c.*] Non dubito quin breviter attingat Matthæus quod alii plenius & uberius exponunt. Quod tacetur à Matthæo, reliqui duo exprimunt, quærendi ſeceſſus cauſa Chriſtum clam abiiſſe in deſertum locum antequam illuceſceret. Dicit poſtea Marcus admonitum fuiſſe à Petro quod eum omnes quærerent. Lucas autem dicit turbas illuc uſque veniſſe. Jam quod dicit Matthæus tranſiiſſe in ulteriorem ripam, pro eo dicunt ambo illi peragraſſe totam Galilæam, ut omnibus in locis prædicaret. Ulterior autem ripa, meo judicio, vocatur non ex oppoſito directe reſpondens, ſed reſpectu ſinus qui erat infra Capernaum. Sic ergo partem lacus trajecit ut Galilæam non relinqueret. Notandum eſt quod dicit, ſe in hunc finem egreſſum, vel miſſum: quia his verbis teſtatur quam intentus ad explendum munus ſuum fuerit. Cæterum ſiquis roget ſatiusne ſit huc & illuc curſitare Euangelii miniſtros, ut Dei doctrinam tantum in ſingulis locis parce & tenuiter delibent: an vero auditoribus, quos ſemel nacti fuerint, ſolide docendis inſiſtere: reſpondeo, conſilium Chriſti, cujus hic fit mentio, quia Patris mandato & vocationi conſentaneum erat, fuiſſe in optima ratione fundatum. Brevi enim tempore peragranda fuit Chriſto Judæa, ut hominum mentes quaſi tubæ clangore paſſim ad audiendum Euangelium expergefaceret. qua de re fuſius alibi tractandum erit.

MATTH.	MARC. III.	LUC. VI.
	13. Et aſcendit in montem, ac vocavit ad ſe quos voluit ipſe: & venerunt ad eum. 14. Et fecit ut duodecim eſſent ſecum, & ut emitteret eos ad prædicandum: 15. Utque haberent poteſtatem ſanandi morbos, & ejiciendi dæmonia. 16. Et impoſuit Simoni nomen Petrus. 17. Et Jacobum filium Zebedæi, & Joannem fratrem Jacobi: & impoſuit eis nomina Boanerges, quod eſt, filii tonitrui. 18. Et Andream, & Philippum, & Bartholomæum, & Matthæum, & Thomam, & Jacobum Alphæi, & Thaddæum, & Simonem Cananæum. 19. Et Judam Iſcariotem, qui & prodidit illum.	12. Factum eſt autem in illis diebus, exiit in montem ad orandum, eratque pernoctans in deprecatione Dei. 13. Et quum dies factus eſſet, vocavit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominavit: 14. Simonem, quem & nominavit Petrum, & Andream fratrem ejus, Jacobum & Joannem, Philippum & Bartholomæum. 15. Matthæum & Thomam, Jacobum Alphæi, & Simonem qui vocatur Zelotes. 16. Et Judam Jacobi, & Judam Iſcariotem, qui idem fuit proditor. 17. Et deſcendens cum illis, ſtetit in loco campeſtri, turbaque diſcipulorum ejus, & multitudo copioſa plebis ex omni Judæa & Jeruſalem, & à maritima Tyro & Sidone. 18. Qui venerant ut audirent eum, & ſanarentur à morbis ſuis: & qui vexabantur à ſpiritibus immundis, ſanabantur. 19. Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus ab illo exibat, & ſanabat omnes.

13. Marc. *Aſcendit in montem.*] Hac electione nondum Apoſtolos ordinat, ut protinus munere ſuo fungantur: ſed tantum in ſpem Apoſtolatus eos ſibi contubernales diſcipulos adoptat. Qua in re hallucinati ſunt interpretes qui locos iſtos perperam confundunt cum Matth. 10. cap. Atqui verba clare ſonant, tantum eos deſtinari ad futuram legationem quæ apud Matthæum illis injungitur. Et Marcus & Lucas deinde ſuo loco miſſionem referent quam illic Matthæus commemorat. Nec mirum eſt ſi paulatim eos ad tam arduam provinciam formare & aſſuefacere voluit cæleſtis magiſter, quorum ruditas ne longo quidem diſciplinæ uſu corrigi potuit. Ambo Euangeliſtæ dicunt Chriſtum aſcendiſſe in montem. Lucas exprimit cauſam, ut liberius in ſeceſſu oraret: quod ſæpius facere ſolitum, ex aliis locis notum eſt. Hoc autem exemplum nobis perpetuæ regulæ inſtar eſſe debet, ut à precatione ordiamur quoties eligendi ſunt Eccleſiis paſtores: alioqui inauſpicatum erit quicquid tentabimus. Nec ſane Dominus tam ſua cauſa precatus eſt, quam ut nobis legem præſcriberet. Prudentia enim deſtituimur & conſilio: atque, ut maxime ſimus perſpicaces, nihil tamen facilius quam hac in parte decipi. Jam ut ſimus extra errandi periculum, niſi Dominus affectus noſtros moderetur, quanta ad nos abripiendos vel favoris &

gra-

gratiæ, vel odii, vel ambitionis vis eſt, aut potius violentia? Ad hæc, ut ſumma in electione viguerit dexteritas, infeliciter tamen cedent omnia niſi Dominus regendos ſuſcipiat qui fuerint electi, ac dotibus neceſſariis inſtruat. Quid ergo? dicet quiſpiam: annon ſerio poſtulavit à Patre Chriſtus ut electioni ſuæ præeſſet? Hoc quidem fateor, & ſimul addo, hoc teſtimonio declaraſſe quam eſſet de Eccleſia ſua ſollicitus. Itaque non quotidiano more rogavit Patrem, ſed totam noctem in precibus conſumpſit. Verum ſi ipſe Spiritu ſancto plenus tam ardenter & anxie Patrem electionis ſuæ præſidem invocavit: quanto major eſt noſtra neceſſitas? *Vocavit ad ſe quos voluit.*] Non dubito quin hoc verbo ſignificet Marcus, mera Chriſti gratia, non pro ſua dignitate, ad tam honorificum munus fuiſſe aſſumptos. Nam ſi intelligas delectos fuiſſe qui aliis præſtantiores erant, non quadrabit hoc in Judam. ſenſus ergo eſt, non fuiſſe delatum hominum meritis Apoſtolatum; ſed gratuita Dei miſericordia, qui minime digni erant in illum gradum evectos: atque ita impletum eſſe quod alibi pronunciat Chriſtus, Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. Joan. cap. 15.
Ephes. 3. verſ. 16. Eodem quoque ſenſu Paulus Dei propoſi-
verſ. 7. tum in ſuo Apoſtolatu ſæpius commendat. Sed hic
Col. 1: 25. emergunt plures quæſtiones. Primo, cur deſtinato propoſito Judam elegerit, quem & honore indignum ſciebat, & fore proditorem. Deinde, cur Deus à Filio tam ardenter rogatus, in primarium Eccleſiæ ſuæ ordinem obrepere paſſus fuerit hominem perfidum & ſceleſtum, acſi Chriſtum repudiaſſet. Tertio, cur voluerit primitias Eccleſiæ ſuæ tam fœdo dedecore pollui. Quarto, qui factum ſit ut probis ac fidelibus miniſtris Judam Chriſtus ſciens ac volens præferret. Prima objectio hac reſponſione ſolvitur, voluiſſe conſulto Dominum occurrere futuris ſcandalis, ne turbemur ſupra modum quoties locum in Eccleſia occupant perfidi doctores, vel ex profeſſoribus Euangelii fiunt apoſtatæ: & ſimul exemplum horrendæ defectionis ſtatuiſſe in unius hominis perſona, ne ſibi nimium placeant qui in altiore dignitatis gradu locati ſunt. Interea non dicemus repulſam paſſum fuiſſe Chriſtum: quum Pater admirabili conſilio diabolum unum Angelis undecim adjungens, ſic tamen moderatus eſt rei eventum, ut illius defectio fidem Eccleſiæ ſuæ confirmaret potius quam concuteret. Hæc eadem ſolutio tertiæ quæſtioni aptanda eſt. In ipſis primordiis mature oſtenſa eſt futura Eccleſiæ conditio, ne ad ullius reprobi caſum labaſcerent infirmi: quia indignum eſt ut ab hominibus pendeat Euangelii ſtabilitas. Quod ad ultimum objectum ſpectat, Judam non prætulit Chriſtus piis ſanctiſque diſcipulis: ſed eum in ſublime tollens, unde ruiturus erat, omnibus ſpectaculo eſſe voluit, adeoque omnibus ſeculis documentum ne quis honore divinitus ſibi collato abutatur: deinde ut columnis etiam cadentibus ſtabiles maneant qui videntur eſſe ex vulgo fidelium.

13. Luc. *Quos & Apoſtolos nominavit.*] Poteſt hoc bifariam exponi: vel quod poſtea inaugurans in ſuum munus, illis nomen impoſuerit: vel quod in ſpem futuræ dignitatis jam eos ornaverit iſto elogio, ut ſcirent quorſum è vulgari numero ſepoſiti, & in quem uſum deſtinati forent. Quod poſterius Marci verbis reſpondet. dicit enim Chriſtum feciſſe ut eſſent ſecum, atque ut eos dimitteret ad prædicandum. Sibi igitur contubernales eſſe voluit quibus deinde majorem provinciam injungeret. neque enim quum dicit, ut eſſent ſecum, & ut eos ad prædicandum emitteret, idem temporis momentum in utroque membro deſignat, ſicuti prius attigi.

16. Marc. *Impoſuit Simoni nomen.*] Quanquam omnes Chriſtianos, vivos ſpiritualis templi lapides eſſe oportet, Chriſtus tamen pro menſura gratiæ qua Simonem inſtruere volebat, peculiare illi nomen impoſuit. Nec obſtat quod in Domino negando pudenda fuit ejus infirmitas: quia hoc elogio invicta illius virtus & conſtantia, quæ ad mortem uſque viguit, ornata eſt. Ridiculi tamen ſunt Papiſtæ, qui inde colligunt fundatam in eo eſſe Eccleſiam: ut fuſius explicabitur cap. 16. Matth. Filios Zebedæi vocavit Chriſtus tonitrui filios: quibus daturus erat ſonoram vocem qua tonarent in toto orbe. Et tonitru quidem hodie adhuc auditur ex ore Joannis: ab ejus fratre, quoad vixit, concuſſam fuiſſe terram minime dubium eſt. Cæterum dictio corrupta eſt, cujus integra pronunciatio eſſet, BENÆ REGES vel RAGASI ſed obſcurum non eſt quam ſit flexibilis verborum mutatio, ubi in alienam linguam transferuntur.

MATTH. V.	MARC.	LUC. VI.
1. Quum vidiſſet autem Jeſus turbas, aſcendit in montem: & quum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus. 2. Et aperiens os ſuum, docebat eos, dicens: 3. Beati pauperes ſpiritu: quoniam illorum eſt regnum cælorum. 4. Beati qui lugent: quoniam ipſi conſolationem accipient. 5. Beati mites: quoniam ipſi hæreditate accipient terram. 6. Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur. 7. Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. 8. Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt. 9. Beati pacifici: quoniam ipſi filii Dei vocabuntur. 10. Beati qui perſequutionem patiuntur propter juſtitiam: quoniam illorum eſt regnum cælorum. 11. Beati eſtis quum probra jecerint in vos & inſectati fuerint, & dixerint omne malum		20. Et ipſe attollens oculos ſuos in diſcipulos, dicebat: Beati pauperes: quia veſtrum eſt regnum Dei. Beati qui eſuritis nunc: quia ſaturabimini. 21. Beati qui fletis nunc: quia ridebitis. 22. Beati eritis quum vos oderint homines, & ſeparaverint vos, & probris affecerint, & ejecerint nomen veſtrum tanquam malum, propter Filium hominis. 23. Gaudete in illo die, & exultate: ecce enim merces veſtra multa eſt in cælis. nam ſecundum hæc faciebant Prophetis patres eorum. 24. Veruntamen væ vobis divitibus: quia habetis conſolationem veſtram. 25. Væ vobis qui ſaturati eſtis: quia eſurietis. Væ vobis

verbum adverſum vos mentientes, propter me.

12. Gaudete & exultate: quoniam merces veſtra multa eſt in cælis. ſic enim perſequuti fuerunt Prophetas qui fuerunt ante vos.

bis qui ridetis nunc: quia lugebitis & flebitis.

26. Væ vobis quum laudaverint vos omnes homines. nam ſecundum hæc faciebant pſeudoprophetis patres eorum.

1. Matth. *Aſcendit in montem.*] Qui aliam hic Chriſti concionem referri volunt quam quæ habetur ſexto capite Lucæ, nimis levi ac frivolo argumento moventur, quia Matthæus narrat Chriſtum in monte loquutum eſſe diſcipulis, Lucas autem notare videtur habitum in planitie fuiſſe ſermonem. Præpoſtere enim Lucæ verba uno contextu legunt, quod deſcenderit Chriſtus in locum campeſtrem, & quod oculos attollens in diſcipulos, ſic loquutus fuerit. Utrique enim Euangeliſtæ propoſitum fuit ſemel unum in locum præcipua quæque capita doctrinæ Chriſti colligere, quæ ad pie ſancteque vivendi regulam ſpectabant. Quanquam ergo Lucas prius loci campeſtris meminerat, non proſequitur eandem hiſtoriam continua ſerie: ſed à miraculis tranſit ad doctrinam, neque tempus neque locum deſignans: ſicuti apud Matthæum nulla eſt temporis, ſed tantum ſolius loci notatio. Ac veriſimile eſt non niſi poſt electos duodecim Chriſtum ita fuiſſe concionatum. Sed in tenendo ordine temporis, quem videbam à Spiritu Dei neglectum, nolui eſſe nimium curioſus. Sufficere enim piis & modeſtis lectoribus debet, quod hic ante oculos poſitam habeant brevem ſummam doctrinæ Chriſti, collectam ex pluribus & diverſis ejus concionibus, quarum hæc prima fuit, ubi de vera beatitudine diſſeruit apud diſcipulos.

2. *Aperiens os ſuum.*] Hic [illegible] Hebraicam phraſim reſipit. nam quod in aliis linguis vitioſum foret, Hebræis tritum eſt, ut dicant, Ille os aperuit, pro, Exorſus eſt loqui. Quanquam autem multi emphaticam loquutionem eſſe putant, quum aliquid grave & notabile in medium profertur, ſive in bonam, ſive in malam partem: quia tamen reclamant quidam Scripturæ loci, mihi prior illa expoſitio magis arridet. Valeat etiam arguta eorum ſpeculatio qui allegorice Chriſtum diſcipulos ſuos in montem duxiſſe docent, ut longe eorum mentes à curis & ſtudiis terrenis ſurſum eveheret. potius enim ſeceſſum conſcenſo monte quæſivit, ut procul à turba, pauliſper ſecum diſcipulis à laſſitudine reficeret. Primo autem loco videndum eſt, quorſum de vera beatitudine Chriſtus verba fecerit apud diſcipulos. Scimus, non vulgus hominum modo, ſed ipſos quoque ſapientes occupari hoc errore, Felicem eſſe qui omni moleſtia exemptus, ac votorum ſuorum compos, lætam & quietam vitam agit. Certe omnium fere judicio à præſenti ſtatu æſtimatur felicitas. Chriſtus ergo, ut ſuos ad crucis tolerantiam aſſuefaciat, pravam hanc opinionem corrigit quod felices ſint quibus nunc bene ac proſpere eſt ſecundum carnem. Neque enim fieri poteſt ut ferendis ærumnis & injuriis collum placide ſubmittant qui ſtatuunt adverſam eſſe beatæ vitæ patientiam. Unum igitur ſolatium eſt quo mitigatur adeoque dulceſcit crucis & malorum omnium acerbitas, dum perſuaſi ſumus nos in mediis miſeriis beatos eſſe: quia patientia noſtra à Domino benedicitur, & brevi ſequetur lætior exitus. Fateor quidem doctrinam hanc procul remotam eſſe à communi ſenſu: ſed ita Chriſti diſcipulos philoſophari convenit, ut ſuam felicitatem extra mundum & ſupra carnis affectum conſtituant. Etſi autem nunquam admittet carnalis ratio quod hic prædicat Chriſtus, nihil tamen imaginarium proponit, quemadmodum olim ſuis paradoxis ludebant Stoici: ſed ex re ipſa demonſtrat cur vere ſint felices quorum miſera cenſetur conditio. Meminerimus ergo hoc eſſe ſermonis caput, Quod miſeros eſſe Chriſtus negat qui & improborum injuriis premuntur, & variis ærumnis ſunt ſubjecti. Nec tantum contendit Chriſtus, perverſe eos facere qui hominis felicitatem metiuntur præſenti ſtatu, quia brevi mutandæ ſint in melius piorum miſeriæ: ſed etiam propoſita ſpe mercedis ſuos ad patientiam hortatur.

3. *Beati pauperes ſpiritu: quon.* &c.] Apud Lucam nuda eſt metaphora: ſed quia maledicta & infelix eſt multorum paupertas, Matthæus Chriſti mentem clarius expreſſit. Quum ergo plerique malis premantur, qui tamen faſtu & ferocia intus turgere non deſinunt, beatos pronunciat Chriſtus qui malis domiti & ſubacti, ſeſe totos ſubjiciunt Deo, & intus humiliati, in ejus præſidium ſe conferunt. Alii Pauperes ſpiritu interpretantur, qui nihil ſibi arrogant: imo exinanita omni carnis fiducia ſuam inopiam agnoſcunt. Sed quia neceſſe eſt eundem Lucæ & Matthæi verbis ſenſum conſtare, minime dubium eſt Pauperes vocari qui rebus adverſis premuntur & afflicti ſunt. Hoc tantum intereſt, quod Matthæus addito epitheto beatitudinem ad eos ſolos reſtringit qui ſub crucis diſciplina humiles eſſe didicerint. *Quoniam illorum eſt.* Videmus ut non inflet Chriſtus ſuorum animos ventoſa aliqua perſuaſione, vel ferrea contumacia obduret, ut Stoici: ſed ad ſpem æternæ vitæ ipſos revocans, ad patientiam animet; quia hoc modo in cæleſte Dei regnum tranſituri ſint. Notare vero operæpretium eſt, neminem ſpiritu eſſe pauperem niſi qui in nihilum apud ſe redactus, in Dei miſericordiam recumbit. Nam qui deſperatione fracti ſunt vel obruti, quum adverſus Deum fremant, elato ſuperboque ſpiritu eſſe oportet.

4. *Beati qui lugent.*] Hæc ſententia non modo proximæ eſt affinis, ſed eſt ejus quaſi appendix vel confirmatio. Nam quod ærumnæ miſerum reddant hominem, inde judicium fieri ſolet, quod luctum & mœrorem perpetuo ſecum trahant. felicitati autem nihil magis repugnat quam luctus. Chriſtus autem lugentes non modo miſeros eſſe negat, ſed ipſo luctu adjuvari docet beatam vitam, quod hoc modo formentur ad percipiendum æternum gaudium, & quaſi ſtimulis excitentur, ne alibi quam in Deo ſolidam conſolationem quærant. Sic Paulus Rom. 5. verſ. 3. Gloriamur in tribulationibus, quia operantur patientiam, patientia probationem, probatio ſpem: ſpes vero non confundit.

5. *Beati mites.*] Manſuetos & placidos intelligit qui non facile provocantur injuriis, qui ad quaſvis offenſiones minime ſunt moroſi, ſed parati ſunt quidvis potius ferre quam ut paria faciant cum improbis. Talibus hæreditatem terræ quod promittit Chriſtus, videtur eſſe valde abſurdum. terræ enim dominium potius ſibi uſurpant qui animoſe quaſvis injurias repellunt, &, ſiquando læſi ſint, manu etiam prompti ſunt ad ulciſcendum. Et certe experientia docet, eo audacius & petulantius graſſari improbos, quo mitius feruntur. Atque hinc natum eſt diabolicum proverbium, Cum lupis ululandum eſſe, quia mox à lupis devorandus ſit quiſquis ſe ovem facit. Sed Chriſtus ſuum & Patris præſidium malorum furori & violentiæ opponens, non fruſtra manſuetos affirmat terræ dominos fore & hæredes. Non aliter ſe tutos fore confidunt filii hujus ſeculi, quam ſi acriter quicquid illatum fuerit mali vindicent, atque ita manu & armis vitam ſuam tueantur. At vero quum ſtatuendum ſit Chriſtum unicum eſſe vitæ noſtræ cuſtodem, nihil aliud reſtat niſi ut lateamus ſub umbra alarum ejus. Porro oves eſſe nos opor-

oportet ſi cupimus cenſeri in ejus grege. Si quis objiciat, cum experientia pugnare quod hic dicitur: primum velim expendat quam inquieti ſint feroces ut à ſeipſis turbentur. Certe in vita adeo tumultuoſa quamvis centies terræ ſint Domini, omnia poſſidendo nihil poſſident. Pro Dei autem filiis reſpondeo, etiamſi nuſquam pedem in ſuo figere queant, terræ domicilio quiete frui. neque imaginaria eſt hæc poſſeſſio: quia terram inhabitant quam ſibi divinitus conceſſam eſſe norunt. Deinde adverſus malorum intemperiem & furias oppoſita Dei manu teguntur: & expoſiti omnibus fortunæ telis, malorum improbitati obnoxii, periculis omnibus circumdati, ſecure tamen agunt ſub Dei tutela, ut ſaltem hanc Dei gratiam jam deguſtent. atque hoc illis ſatis eſt, donec mundi hæreditatem ultimo die adeant.

6. *Beati qui eſuriunt.*] Eſurire & ſitire per ſynecdochen accipio pro laborare inopia, deſtitui rebus neceſſariis, jure etiam ſuo fraudari. Quod Matthæus ponit Eſurire juſtitiam, ſpecies eſt pro genere. Indignitatem tamen amplificat, quum dicit anxie gemendo nihil eos appetere niſi quod juſtum eſt: acſi dixiſſet, Beati ſunt qui licet ſuis votis moderentur, ut tantum ſibi præſtari quod æquum eſt cupiant, tanquam famelici nihilominus langueor. Quamvis enim ludibrio ſit eorum anxietas qua torquentur, eſt tamen illis certa præparatio ad beatitudinem, quia tandem ſaturabuntur. Deus enim tandem eorum gemitus exaudiet, & ſatisfaciet juſtis deſideriis, cujus officium eſt famelicos bonis implere, ut habetur in Cantico Virginis.

7. *Beati miſericordes.*] Hoc etiam paradoxon cum humano judicio pugnat. Mundus reputat beatos qui malorum alienorum ſecuri, quieti ſuæ conſulunt: Chriſtus autem hic beatos dicit qui non modo ferendis propriis malis parati ſunt, ſed aliena etiam in ſe ſuſcipiunt ut miſeris ſuccurrant, ſponte laborantibus ſe conjungunt, & quaſi eoſdem induunt affectus, quo ſe libentius ad illos juvandos impendant. Addit, *Quia miſericordiam conſequentur*: non modo apud Deum ſcilicet, ſed inter ipſos quoque homines, quorum ad humanitatem Deus flectet animos. Quamvis autem interdum totus mundus ingratus ſit, & peſſimam bene merentibus mercedem rependat, ſufficere debet quod apud Deum repoſita ſit miſericordibus & humanis gratia, ut illum viciſſim ſibi propitium & miſericordem habeant.

8. *Beati mundo corde.*] Videtur hic nihil afferre Chriſtus quod non ſit omnium judicio conſentaneum. Munditiem cordis fatentur omnes matrem eſſe omnium virtutum, ſed interea vix centeſimus quiſque eſt qui non vafritiem loco maximæ virtutis habeat. Hinc fit ut beati vulgo putentur qui dextre nectendis dolis ingenioſi ſunt, qui obliquis artibus aſtute circumveniunt quibuſcum habent negotium. Carnis ergo rationi minime ſubſcribit Chriſtus dum beatos vocat qui non delectantur aſtutia, ſed ſincere verſantur inter homines, nec aliud verbis aut vultu præ ſe ferunt quam agitent in corde. Quia autem ſimplices tanquam minus cauti ridentur, & quia non ſatis acute ſibi proſpiciunt, Chriſtus altius eos revocat: quod ſi perſpicaces non ſunt ad fallendum in terra, Dei conſpectu in cælis fruentur.

9. *Beati pacifici.*] Eos intelligit qui non modo paci ſtudent, & abhorrent à rixis quantum in ſe eſt, ſed etiam ſedulo diſſenſiones inter alios motas componunt, omnibus ſunt pacis auctores, odiis & ſimultatibus anſam præcidunt. Neque hoc temere dictum eſt: nam quum laborioſa res ſit & moleſta, pacificare eos qui inter ſe diſſentiunt, hanc indignitatem coguntur ferre moderati homines qui paci fovendæ ſtudent, quod utrimque probra, querimonias & expoſtulationes audiunt. quod inde naſcitur, quod nemo non cuperet omnes habere patronos qui à parte dimicent. Ergo, ne pendeamus ab hominum favore, jubet nos Chriſtus reſpicere judicium Patris ſui, qui quum Deus ſit pacis, nos in filiis ſuis cenſet dum pacem fovemus, etiamſi noſtrum ſtudium hominibus non placeat: Vocari enim, idem valet atque cenſeri.

10. *Beati qui perſequutionem.*] Hac doctrina maxime opus habent Chriſti diſcipuli: & quo difficilius & magis ægre eam admittit caro, eo attentius meditanda eſt. neque enim alia lege Chriſto militare poſſumus, quam ut major pars mundi infeſta in nos conſurgat, ac perſequatur uſque ad mortem. Sic res habet, Satan princeps mundi nunquam deſinet ſuos rabie armare, ut Chriſti membris inſultent. Eſt quidem hoc monſtro ſimile, & præter naturam, ut præter meritum hoſtiliter vexentur qui juſtitiam colunt. ideo dicit Petrus, Si cavetis à maleficiis, 1 Pet. 3. quis eſt qui vobis noceat? Sed in tam effreni mundi verſ. 13. pravitate nimis ſæpe contingit ut boni juſtitiæ zelo malorum odia contra ſe inflamment. Præſertim vero Chriſtianis hoc quaſi fatale eſt, majori hominum numero eſſe exoſos. caro enim Euangelii doctrinam ferre nequit: nulli ſua vitia coargui ſuſtinent. Propter juſtitiam pati dicit qui inde malorum odia ſibi conflant & furorem provocant, quod recti & æqui ſtudio, malis cauſis ſe opponunt, & bonas quoad licet tuentur. In hac vero parte merito Dei veritas primatum tenet. Quare hac nota Chriſtus martyres ſuos à ſceleratis & maleficis diſcernit. Redeo jam ad illud quod nuper dixi: quum omnes qui pie volunt vivere in Chriſto, perſequutioni obnoxii ſint, Paulo teſte; 2 Tim. 3. communiter ad pios omnes ſpectat hæc admonitio. verſ. 12. Quod ſi quando noſtræ infirmitati indulgeat Dominus, neque impiis permittat pro libidine nos vexare, in umbra tamen & otio meditari hanc doctrinam par eſt, ut parati ſimus quoties opus fuerit in arenam prodire, nec certamen obeamus niſi probe inſtructi. Cæterum quum toto hujus vitæ curſu miſerrima ſit conditio piorum, merito in ſpem cæleſtis vitæ nos Chriſtus erigit. Atque in hoc plurimum differt paradoxum Chriſti à Stoicorum commentis, qui ſua quemque opinione contentum eſſe jubebant, ut ſibi eſſet felicitatis arbiter: Chriſtus autem non à vana imaginatione felicitatem ſuſpendit, ſed eam in ſpe futuræ mercedis fundat.

11. *Quum probra jecerint.*] Pro eo Lucas habet, Quum vos oderint, & ſeparaverint vos, & probris affecerint, ac nomen veſtrum ejecerint tanquam malum. Quibus verbis ſolari voluit Chriſtus ſuos fideles, ne animis concidant, etiamſi ſe viderint coram mundo deteſtabiles. Erat enim hæc non levis tentatio, tanquam impios & profanos extra Eccleſiam ejici. Quum enim nihil hypocritis magis virulentum eſſe ſciret, deinde prævideret quam rabioſo impetu exarſuri eſſent Euangelii hoſtes contra parvulum & contemptum gregem ſuum, ſolide eos munire voluit, ne ſuccumberent, quamvis immenſa probrorum congeries ad eos obruendos immineret. Atque hinc apparet quam nihil metuenda ſit Papalis excommunicatio, dum nos tyranni illi à ſynagogis ſuis ſeparant quia divortium à Chriſto facere nolumus.

12. *Gaudete & exultate, quoniam.*] Significat in promptu eſſe remedium, ne injuſtis opprobriis frangamur: quia ſimulac attollimus in cælum mentes, illic ſeſe offert ingens gaudii materia quæ triſtitiam abſorbeat. Quod Papiſtæ in nomine Mercedis ludunt, nullo negotio hic fucus diluitur. neque enim (ut ſomniant ipſi) mutua eſt relatio inter mercedem & meritum: ſed gratuita eſt promiſſio mercedis. Deinde ſi reputamus quam mutilum ſit ac vitioſum quicquid bonorum operum etiam ab optimis prodit, nullum unquam opus inveniet Deus mercede dignum. Notandæ ſunt iterum particulæ iſtæ, Propter me, vel propter Filium hominis: item, Probris vos affecerint mentientes: ne ſe protinus Chriſti martyrem eſſe jactet qui ſua culpa ſuſtinet perſequutionem:

quem-

quemadmodum olim Donatiſtæ hoc ſolo titulo ſibi placebant, quod magiſtratus haberent ſibi adverſos. Et hodie Anabaptiſtæ quum perturbant ſuis deliriis Eccleſiam, Euangelium infamant, gloriantur tamen ſe ferre Chriſti inſignia, ubi juſte damnantur. Atqui beatos non pronunciat Chriſtus niſi quibus conſtat juſta cauſæ ſuæ defenſio. *Sic enim perſequuti ſunt.* Conſulto hoc fuit additum: ne triumphos ſine ſudore & pugna ſperantes Apoſtoli, in perſequutionibus deficerent. Nam quia rerum omnium inſtauratio ſub Chriſti regno paſſim in Scriptura promittitur, periculum erat ne ſe inani fiducia jactarent, de militia non cogitantes. Et ex aliis locis apparet Chriſti regnum opibus & deliciis refertum ſtulte imaginatos fuiſſe. Quare non ſine cauſa admonet Chriſtus eadem illis parata eſſe certamina quæ quondam experti ſunt Prophetæ, quandoquidem in eorum locum ſuccedunt. Neque enim ſolo temporis reſpectu Prophetas dicit fuiſſe illis priores: ſed quia ejuſdem ſint ordinis, ideoque ſe ad illorum exemplum formare debeant. Quod vulgo novem beatitudines finxerunt, magis frivolum eſt quam ut longa refutatione indigeat.

24. Luc. *Væ vobis divitibus.*] Sicuti quatuor tantum benedictionum capita recenſuit Lucas, ita nunc quatuor maledictiones opponit, ut membra inter ſe reſpondeant. Cæterum antitheſis iſta non modo ad incutiendum impiis terrorem ſpectat, ſed ad fideles excitandos, ne vanis & captioſis mundi illecebris indormiant. Scimus enim quam proclive ſit rebus proſperis inebriari, vel irretiri hominum blanditiis. unde etiam fit ut ſæpe invideant reprobis filii Dei, quibus omnia proſpera & ſecunda fluere vident. Porro divitibus maledicit, non quibuslibet, ſed qui conſolationem ſuam in mundo accipiunt, hoc eſt, acquieſcunt in ſua fortuna, ut futuræ vitæ obliviſcantur. Significat ergo, tantum abeſſe ut beatum hominem divitiæ faciant, ut ſæpe in occaſionem exitii vertantur. Alioqui divites à regno ſuo minime arcet Deus: modo ne ſibi laqueos complicent, vel ſpem ſuam figentes in terra, januam cælorum ſibi præcludant. Eleganter Auguſtinus, qui ut divitias filiis Dei per ſe non eſſe impedimento oſtendat, Lazarum pauperem in ſinum divitis Abrahæ receptum fuiſſe admonet. Eodem ſenſu ſaturis maledicit ac plenis: quia inflati præſentium bonorum fiducia, quicquid eſt cæleſtium bonorum reſpuunt. Idem & de riſu ſentiendum. nunc enim ridere intelligit qui Epicureæ lætitiæ dediti, & in carnis voluptatibus demerſi, quicquid moleſtiæ pro tuenda Dei gloria ſubeundum foret refugiunt. Poſtremum Væ ad corrigendam ambitionem pertinet. quia enim nihil magis commune eſt quam captare hominum plauſus, vel ſaltem illis ineſcari: ut inde abſterreat Chriſtus ſuos diſcipulos, oſtendit exitialem fore hominum gratiam. Hæc autem admonitio peculiariter ad doctores ſpectat, quibus nulla peſtis magis metuenda eſt quam ambitio: quia fieri non poteſt quin puram Dei doctrinam adulterent ubi hominum favorem aucupantur. Quod dicit Chriſtus, Omnes homines, referri debet ad filios ſeculi, qui non niſi impoſtoribus & pſeudoprophetis applaudunt. nam fideles & probi ſanæ doctrinæ miniſtri ſuam apud bonos laudem & gratiam habent. Tantum ergo pravus carnis favor hic damnatur: quia nemo Chriſti ſervus eſſe poterit qui ſtudebit hominibus placere, quemadmodum Paulus docet. Galat. 1. verſ. 10.

MATTH. V.

13. Vos eſtis ſal terræ. quod ſi ſal infatuatus fuerit, quo ſalietur? ad nihil valet ultra, niſi ut projiciatur foras & conculcetur ab hominibus.

14. Vos eſtis lux mundi. non poteſt oppidum abſcondi ſupra montem ſitum.

15. Neque accendunt lucernam, & ponunt illam ſubter modium, ſed ſuper candelabrum, & lucet omnibus qui ſunt in domo.

16. Sic luceat lux veſtra coram hominibus: ut videant veſtra bona opera, & glorificent Patrem veſtrum qui eſt in cælis.

MARC. IX.

49. Nam omnis *homo* igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur.

50. Bona res eſt ſal. cæterum ſi ſal inſulſus fuerit, in quo ipſum condietur? Habete in vobiſipſis ſalem, & pacem invicem colite.

MARC. IV.

21. Et dicebat illis, Num lucerna incenditur ut ſubter modium ponatur, aut ſubter lectum? nonne ut ſuper candelabrum ponatur?

LUC. XIV.

34. Bonus eſt ſal. ſi vero ſal infatuatus fuerit, quo condietur?

35. Neque in terram, neque in ſterquilinium utilis eſt: foras projiciunt ipſum. Qui habet aures ad audiendum, audiat.

LUC. VIII.

16. Nemo vero, quum lucernam accenderit, operit eam vaſe, aut ſubter lectum ponit: ſed ſuper candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen.

LUC. XI.

33. Nemo lucernam accendit & in abſcondito ponit, neque ſubter modium, ſed ſuper candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant.

13. Matth. *Vos eſtis ſal terræ.*] Quod proprium eſt doctrinæ, ad perſonas transfertur, quibus commiſſa eſt ejus adminiſtratio. Chriſtus enim, Apoſtolos vocando Salem terræ, intelligit eorum eſſe munus ſalire terram: quia ſcilicet nihil niſi inſipidum habeant homines, donec ſale doctrinæ cæleſtis conditi fuerint. Poſtquam autem illos admonuit ad quid vocati ſint, grave illis & horribile judicium denunciat, niſi officio reſpondeant. Ac doctrinam quæ apud illos depoſita eſt, ſic bonæ conſcientiæ & piæ rectæque vitæ annexam eſſe oſtendit, ut quæ in aliis tolerabilis foret corruptio, in ipſis deteſtabilis ſit, ac portenti loco habenda. acſi diceret, Si coram Deo inſulſi ſunt reliqui homines, vobis dabitur ſal qui ſaporem illis conciliet: ſi autem infatuati ſitis, unde vobis petendum erit remedium quod aliis conferre vos decet? Metaphoram vero ſuam ſcite proſequitur Dominus, quum dicit, alias res quæ à natura ſua degenerant, eſſe tamen aliquo modo poſt corruptionem utiles: ſal vero etiam eſſe noxium, ut ſterquiliniis quoque ſterilitatem inducat. Summa eſt igitur, incurabilem eſſe morbum quum verbi miniſtri & doctores ſeipſos adulterant ac inſipidos reddunt: quia reliquum mundum ſale ſuo condire debeant. Porro non miniſtris ſolum utilis eſt hæc admonitio, ſed cuncto gregi Chriſti. nam quum velit Deus verbo ſuo terram ſaliri, ſequitur inſulſum coram ipſo eſſe quicquid eo ſale caret, quantumvis hominibus ſapiat. Quare nihil melius eſt quam condimentum admittere, quo ſolo noſtra inſulſitas corrigitur. ſed interim viderint ſalitores ne mundum in fatuitate ſua foveant: multo etiam magis, ne pravo eum & vitioſo ſapore inficiant. Itaque Papiſtarum improbitas minime eſt ferenda. Quaſi vero Chriſti conſilium

fuerit

fuerit effrenem ſuis Apoſtolis licentiam permittere, & eos conſtituere animarum tyrannos: ac non potius officii ſui monere, ne à recta linea deflecterent. Pronunciat Chriſtus quales eſſe velit Eccleſiæ ſuæ doctores. Qui ſe pro Apoſtolis nullo jure venditant, hoc operculo tegunt quicquid abominationum ingerere libuit, quia Petrum & ſimiles Chriſtus vocavit ſalem terræ: nec interea expendunt quam gravis & ſevera addita ſit comminatio, omnium eſſe deterrimos ſi inſipidi reddaotur. Hæc ſententia quaſi ex abrupto ponitur apud Lucam: ſed in eundem finem quo hic legitur, ut propria expoſitione opus noo habeat.

49. Marc. *Omnis homo igne ſalietur.*] Ego hæc Marci verba proximis Matthæi conjunxi: non quod ſenſu omnino conveniant, vel quod ejuſdem ſint loci ac temporis, ſed potius ut diverſum ejuſdem ſententiæ uſum melius ex comparatione perſpicerent lectores. Quum de igne æterno loquutus eſſet Chriſtus apud Marcum, hortatur ſuos ex oppoſito, ut ſe potius Deo nunc offerant igne & ſale condiendos, ut fiant ſacræ victimæ, ne ſibi peccatis ſuis ignem illum accerſant qui nunquam extinguitur. Igne ſaliri impropria eſt loquutio: ſed quia ſalis & ignis eadem eſt purgandi & excoquendi natura, idem verbum utrique aptavit Chriſtus. Nunc tenemus quænam fuerit hujus ſenteotiæ occaſio: ne ſcilicet recuſent fideles igne & ſale macerati, quandoquidem ſine hoc condimento ſancti Deo eſſe nequeunt. Alludit au-
Levit. 2. verſ. 13. tem ad præceptum Legis, ubi diſerte vetat Deus ne qua ſine ſale fiat oblatio. Nunc autem Euangelii verbo ſaliri docet fideles ut ſanctificentur. Quum deinde ſubjicit, Bonus eſt ſal: generaliter ad omnes extendit quos ſemel Deus condire verbo ſuo dignatus eſt: ac hortatur ut ſaporem ſuum ſemper retineant. Paulo quidem durior eſt metaphora, dum ſalem nominat quicquid ſalſum eſt: ſenſus tamen inde ambiguus non redditur, nempe ubi ſaporem quo imbuti fuerunt per Dei gratiam, ſua ignavia perdiderint, nihil amplius eſſe remedii: atque ita deploratos eſſe qui fidem ſuam qua conſecrati erant, ſeque ipſos infatuant; quando non alio condimento bonus ſapor acquiri poteſt. deinde incredulis eſſe pejores qui exinanita Dei gratia corrupti ſunt, ſicuti ſal terram & ſterquilinium vitiat.

50. Marc. *Habete in vobiſipſis ſalem*] Poteſt hic varia eſſe acceptio hujus vocis: ut ſignificet boni odoris coodituram quæ fide acquiritur, vel Spiritus
Coloſſ. 4. verſ. 6. prudentiam: ſicuti quum Paulus jubet ſale conditum eſſe ſermonem noſtrum, ſignificat profanis omnibus ineptiis & corruptelis purum ac purgatum eſſe debere, & ſpirituali gratia refertum, quæ ædificet ſuoque odore perfundat omnes qui audiunt. Si placet hæc expoſitio, poſterius membrum de mutua pace intelligere conveniet, quæ ſale illo fovetur: quia tamen magis probabile eſt pendere hanc poſtremam ſeotcotiam ex priori ſermone, videtur mihi hortari Chriſtus ſuos ad ſervandum fidei vigorem, qui etiam alios abſtergat. acſi diceret, Danda eſt vobis opera non tantum ut ſalſi intus ſitis, ſed etiam ut ſaliatis alios. Quia tamen ſal acrimonia ſua mordet, ideo ſtatim admonet ſic temperandam eſſe condituram, ut pax interim ſalva maneat.

14. Matth. *Vos eſtis lux mundi*] Quanquam omnes ſumus filii lucis poſtquam fide illuminati ſumus, & jubemur lucernas ardentes manibus geſtare, ne erremus in tenebris, imo etiam aliis viam vitæ monſtrare: quia tamen præ aliis mandata fuit Apoſtolis Euangelii prædicatio, & Eccleſiæ paſtoribus hodie mandatur, peculiariter hoc illis elogium tribuit Chriſtus: acſi diceret, hac lege eos collocari in tali gradu, ut reliquis omnibus quaſi è ſublimi luceant. Poſtea addit duas ſimilitudines; Neque oppidum in monte ſitum latere poſſe, Nec lucernam, quum accenſa eſt, ſolere occultari. quibus verbis ſignificat ſic illis vivendum eſſe, acſi omnium oculis eſſent expoſiti. Et certe quo magis quiſque eminet, eo gravius nocet malo exemplo ſi ſe perverſe gerit. Vult ergo Chriſtus Apoſtolos eo majore ſtudio intentos eſſe ad pie ſancteque viveodum, quam quoslibet è vulgo obſcuros homines, quia omnium oculi in eos quaſi in lucernas conjecti ſint: nec ullo modo ferendos eſſe, niſi pietas & vitæ integritas, doctrinæ, cujus ſunt miniſtri, reſpondeat. Apud Marcum & Lucam diſſimilis eſſe videtur hujus ſimilitudinis accommodatio. nam illic generaliter admonet Chriſtus ſedulo cavendum eſſe oe ſibi peccandi licentiam quiſquam tenebris fretus indulgeat: quia quod ad tempus occultum eſt, taodem patefiet. Niſi forte abruptos ſermones uterque ſine contextu recitat.

16. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus.*] Poſtquam Apoſtolos in eo gradu poſitos eſſe docuit Chriſtus, ut tam vitia eorum quam virtutes procul appareant in bonum vel malum exemplum: nunc jubet vitam ita componere, ut omnes ad Deum glorificandum excitent. Videant, inquit, homines bona veſtra opera: quia teſte Paulo, non *2 Cor. 8. verſ. 12.*
tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus fideles bona procurant. Nam quod paulo poſt latebras & ſeceſſum quærere jubebit in bonis operibus, id tantum corrigendæ ambitioni dictum eſt. Nunc vero longe alium finem commendat, unius ſcilicet Dei gloriam. Porro ſi bonorum operum gloria rite tribui Deo nequit quin illi ferantur accepta, & cenſeatur unicus eorum auctor: hinc apparet non ſine aperta craſſaque Dei contumelia liberum arbitrium extolli, quaſi ex ejus virtute bona opera vel in totum vel ex parte emergant. Rurſus notandum eſt quam benigne nobiſcum agat Deus qui noſtra vocat bona opera, quorum ſolidam laudem jure ſibi aſcriberet.

MATTH. V.	MARC.	LUC. XVI.
17. Ne exiſtimetis quod venerim ad deſtruendam Legem aut Prophetas. non veni ut deſtruam, ſed ut impleam. 18. Amen quippe dico vobis, donec prætereat cælum & terra, jota unum aut unus apex non præterierit ex Lege, quod omnia fiant. 19. Quiſquis igitur ſolverit unum ex mandatis hiſce minimis, & ſic docuerit homines, minimus vocabitur in regno cælorum: quiſquis autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.		17. Facilius eſt autem cælum & terram præterire, quam Legis apicem unum cadere.

17. *Ne exiſtimetis* &c.] Etſi Chriſtus, qua fuit vitæ perfectione, jactare merito poterat ſe veniſſe ad implendam Legem: hic tamen de doctrina agitur, non de vita. Quia ſubinde clamabat veniſſe regnum Dei, & hominum animos inſolita ſpe erigebat, diſcipulos etiam initiabat Baptiſmo: probabile eſt ſuſpeoſos ac dubios fuiſſe multorum animos, anxieque quæſiſſe quorſum ſpectaret ea novitas. jam teſtatur Chriſtus adeo oullum eſſe doctrinæ ſuæ cum Lege diſſidium, ut optime conſentiat cum lege & Pro-

Prophetis: neque id modo, ſed ut ſolidum complementum afferat. Duabus autem maxime cauſis adductus fuiſſe videtur ad reſtandum hunc Legis & Euangelii conſenſum. Simulac emergit nova aliqua docendi ratio, id perinde vulgus arripit acſi rerum omnium converſio fieret. talis autem erat Euangelii prædicatio (ſicuti nuper attigi) ut ſpem faceret alitet conſtituendæ Eccleſiæ quam prius fuerat. Putabant igitur vetus & uſitatum regimen aboleri. quæ opinio multis modis valde noxia erat: pii enim Dei cultores nunquam Euangelium amplexi eſſent ſi fuiſſet à Lege defectio: leves autem & turbulenti ſpiritus anſa arrepta totum religionis ſtatum convellere cupide aggreſſi eſſent. ſcimus enim quam proterve in rebus novis exultet temeritas. Adhæc Christus pleroſque ex Judæis, tametſi profitebantur ſe Legi credere, videbat tamen profanos eſſe ac degeneres. ſic enim res collapſæ erant in populo illo, tantis corruptelis referta erant omnia, adeo puram doctrinæ lucem ſua ſocordia vel malitia extinxerant Sacerdotes, ut non magna amplius Legis reverentia vigeret. Quod ſi allatum fuiſſet novæ doctrinæ genus, quod Legi & Prophetis fidem abrogaret, miſere concuſſa fuiſſet religio. Hæc prior videtur fuiſſe ratio cur negaret Chriſtus ſe veniſſe ad ſolvendam Legem. quod licet ex contextu etiam colligere: nam confirmationis vice mox ſubjicit, fieri non poſſe ut vel unus apex ex Lege excidat: & eos doctores maledicit qui non fideliter laborant in ejus auctoritate aſſerenda. Secunda autem ratio fuit, ut pravam calumniam dilueret qua ſe apud rudiores & ignaros gravati ſentiebat. hanc enim notam ejus doctrinæ inuſtam à Scribis inde apparet, quod ſtatim in ipſos invehitur. Hoc Chriſti conſilium nobis tenendum eſt, quod Judæos ita invitat & hortatur ad ſuſcipiendum Euangelium ut tamen retineat in Legis obedientia: deinde quod indigna probra & calumnias fortiter refellit, quibus conati erant hoſtes infamem vel ſuſpectam ejus prædicationem reddere. nam ſi res diſſipatas in melius reſtituere animus eſt, ſemper adhibenda eſt hæc prudentia & moderatio, ut agnoſcat populus non convelli propterea æternum Dei verbum, nec ingeri novitatem quæ Scripturæ deroget, ne qua repugnantiæ ſuſpicio piorum fidem labefactet, ac ne inſoleſcant temerarii homines novitatis prætextu: denique ut profano verbi Dei contemptui obviam eatur, neque apud indoctos vileſcat religio. Defenſio autem Chriſti qua doctrinam ſuam purgat, animare nos debet, ſi hodie his patemus calumniis.
Actor. 21. Objectum etiam Paulo fuit iſtud crimen, quod apo-
verſ. 21. ſtata eſſet à Lege Dei: quare nihil mirum ſi ex eodem figmento invidiam nobis conflare ſtudent Papiſtæ. Exemplo autem Chriſti falſa crimina diluere convenit: interim tamen libere profitenda eſt veritas, quamvis obtrectationibus injuſtis obnoxia. *Non veni ut deſtruam.*] Pollicitus quidem fuerat Deus novum fœdus Chriſti adventu, ſed ſimul oſtenderat minime diverſum fore à primo: quin potius hunc eſſe finem, ut fœdus quod ab initio pepigerat cum ſuis,
Jer. 31. in perpetuum ſanciret. Inſcribam, inquit, leges
verſ. 33. meas in corda ipſorum, & peccata oblivilcar. His verbis adeo non diſcedit à priori fœdere, ut potius denunciet ſtabile demum illud ac ratum fore ubi novum ſucceſſerit. Atque hoc idem ſibi volunt verba Chriſti, quum dicit ſe ad implendam Legem veniſſe. vere enim implevit, mortuam literam Spiritu ſuo vivificans: deinde reipſa exhibens quod ſub figuris duntaxat oſtenſum fuerat. Ergo quod ad doctrinam, nulla nobis in Chriſti adventu fingenda eſt Legis abrogatio. nam quum æterna ſit pie ſancteque vivendi regula, immutabilem eſſe oportet, ſicut una eſt ac conſtans Dei juſtitia quam illic complexus eſt. Quantum ad ceremonias ſpectat, licet quiddam adventitium cenſeri poſſint, ſolo tamen uſu fuerunt abrogatæ: ſignificatio vero magis comprobata fuit. quare ne ceremoniis quidem adventus Chriſti quicquam detraxit: quin potius exhibita ombrarum veritas firmitatem illis conciliat, dum ſolidum effectum cernentes, agnoſcimus non vanas neque inutiles fuiſſe. Ideo diſcamus ſacrum hunc Legis & Euangelii nexum inviolabilem ſervare, quem multi perperam diſſolvunt. neque enim hoc ad ſtabiliendam Euangelii fidem parum valet, dum audimus nihil aliud eſſe quam Legis complementum, ut mutua concordia Deum communem auctorem referant.

18. *Donec prætereat.*] Lucas paulo aliter, ſed eodem ſenſu, *Facilius eſt cælum & terram præterire, quam cadere unum Legis apicem.* docere enim utroque loco Chriſtus voluit, in tota mundi machina nihil eſſe tam ſtabile quam firma eſt Legis veritas, & quidem omni ex parte. Argutius ludunt quidam in voce Donec: quaſi cæli & terræ tranſitus, qui futurus eſt extremo judicii die, finem allaturus ſit Legi & Prophetis. Et certe quemadmodum tunc linguæ ceſſabunt & prophetiæ abolebuntur, ita ſcriptam Legem cum expoſitione deſituram arbitror. Sed quia ſimplicius loquutum eſſe Chriſtum exiſtimo, talibus illecebris paſcere nolo lectorum aures. Ergo hoc tenere ſufficiat, ruiturum potius eſſe cælum totamque mundi machinam miſcendam eſſe, quam vacillet Legis ſtabilitas. Sed quid eſt, omnia Legis fieri uſque ad minimum apicem? videmus enim quantum à perfecta Legis obſervatione diſtent homines, etiam qui Spiritu Dei ſunt regeniti. Reſpondeo, iſtud Fieri, non referri ad hominum vitam, ſed ad ſolidam doctrinæ veritatem. acſi diceret, nihil eſſe fluxum in Lege, nihil temere poſitum: ideo fieri non poſſe ut inde una litera evaneſcat.

19. *Quiſquis igitur ſolverit.*] Hic nominatim loquitur Chriſtus de præceptis vitæ vel decem verbis, ad quorum præſcriptum omnes Dei filios vitam ſuam formare decet. Itaq; falſos & perverſos eſſe doctores pronunciat qui diſcipulos non continent ſub Legis obſequio, ac indignos eſſe qui locum in Eccleſia obtineant quicunque minima in parte Legis auctoritatem enervant: probos autem & genuinos eſſe Dei miniſtros qui Legis obſervantiam cum vitæ exemplo tum verbis commendant. Porro minima Legis mandata vocat ex ſenſu hominum: nam etſi non idem omnibus ineſt pondus, ſed dum inter ſe conferuntur, alia aliis minora ſunt: nihil tamen minutum cenſere fas eſt de quo præcipere dignatus eſt cæleſtis Legislator. quantum enim ſacrilegium eſt quicquam contemptim accipere quod ex ſacro ejus ore prodierit? nam hoc modo in ordinem cogitur ejus majeſtas. quare ubi minuta præcepta vocat Chriſtus, ſpecies eſt conceſſionis. Quum dicit, Minimus vocabitur, alluſio eſt ad id quod paulo ante dictum erat de præceptis: ſenſus tamen clarus eſt, rejectum iri, tanquam poſtremos hominum, qui Legis doctrinam vel in una ſyllaba contemptibilem reddiderint. Regnum cælorum pro Eccleſiæ renovatione accipitur, vel ſecundo Eccleſiæ ſtatu, qualis jam tunc ſurgebat ab Euangelii prædicatione. Ita Lucæ 7. verſ. 28. majorem Joanne facit Chriſtus qui minimus eſt in regno Dei. ratio loquutionis eſt, quia Deus mundum Filii ſui manu inſtaurans, regnum ſuum ſolide conſtituit. Ergo Chriſtus in Eccleſiam ſuam, ubi renovata fuerit, admittendos negat doctores, niſi qui fidi erunt Legis interpretes, & integram ejus doctrinam aſſerere ſtudebunt. Sed quæritur annon ceremoniæ inter præcepta Dei forent, quarum tamen minime exigenda eſt nunc obſervatio. Reſpondeo, ſpectandum eſſe legislatoris conſilium & finem. nam quia ceremonias præcepit Deus, ut temporalis eſſet externus earum uſus, ſignificatio autem æterna: non ſolvit ceremonias qui earum effectum retinens, quod umbratile eſt omittit. Jam quum à regno ſuo exterminet Chriſtus qui ad Legis contemptum aſſuefaciunt homines, prodigioſus eſt eorum ſtupor

quos

quos non pudet ſacrilega indulgentia remittere quod Deus ſevere exigit: & venialis delicti prætextu, Legis juſtitiam peſſundare. Rurſus notandum eſt quod probis ac ſanctis doctoribus tribuit elogium: nempe quod ad ſervandam Legem non verbis tantum hortentur homines, ſed in primis vitæ exemplo.

Matth. V.	Marc.	Luc.
20. Dico enim vobis, quia niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.		
21. Audiſtis quoniam dictum eſt antiquis, Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio.		
22. Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo reus erit judicio: qui autem dixerit fratri ſuo Racha, reus erit concilio: qui autem dixerit Fatue, reus erit gehennæ ignis.		

20. *Niſi abundaverit.*] Perſtringit Scribas, qui maculam Euangelii doctrinæ aſpergere moliebantur quaſi eſſet Legis diſſipatio. Hac de re quidem non diſputat, ſed tantum breviter oſtendit nihil minus in eorum animis regnare quam Legis zelum. acſi dixiſſet, mihi ſe infeſtos eſſe ſimulant quia nolint violari Legem: atqui ex eorum vita apparet quam frigide Legem colant: imo quam ſecure illudant Deo, dum ſe larvata ac fictitia juſtitia apud homines venditant. ſic plerique interpretes. Sed vide annon vitioſum docendi genus magis inſimulet, quo populum imbuerant Phariſæi & Scribæ. Nam quum Legem Dei reſtringerent tantum ad externa officia, diſcipulos ſuos, quaſi ſimias, ad hypocriſim formabant. Non inficior quidem æque perperam, imo deterius vixiſſe quam docebant. ideo libenter fucoſam falſæ juſtitiæ oſtentationem cum perverſa doctrina complector. Quod tamen præcipue in hanc invehatur Chriſtus, ex ſequentibus facile patet, ubi Legem repurgans à pravis eorum commentis, ſuæ puritati reſtituit. In ſumma, quod illi à Scribis inique objectum fuiſſe diximus, in ipſos valide retorquet. Videte, inquit, quam dextri ſint ac idonei Legis interpretes: juſtitiam enim fabricant quæ januam cælorum præcludat ſuis cultoribus. Tenendum eſt memoria quod alibi diximus, Phariſæos adjungi Scribis ad amplificationem: quia ſecta illa ſanctimoniæ famam præ aliis ſibi acquiſierat. Quanquam falluntur qui à diviſione putant ſic fuiſſe dictos, quaſi à vulgari ordine ſegregati, proprium ſibi gradum vendicarent. vocati enim ſunt Pheruſſim, hoc eſt, interpretes: quia non contenti ſimplici litera, clavem ſe habere profitebantur ad eliciendos arcanos ſenſus. unde nata eſt immenſa eorum farrago, quum ad ſe magiſterium trahentes, impia libidine parique ſupercilio figmenta ſua in Scripturæ locum obtrudere auſi fuerint.

21. *Audiſtis quod dictum ſit.*] Cohæret hæc ſententia & aliæ ſequentes cum proximo dicto: fuſius enim per ſpecies exponit Chriſtus quam tortuoſe Legem depravent Phariſæi, ut eorum juſtitia nihil aliud quam ſcoria ſit. Decepti autem fuerunt, qui putarunt hanc eſſe Legis ἀναπλήρωσιν, ac Chriſtum ſuos diſcipulos in altiorem perfectionis gradum extollere, quam potuerit Moſes craſſum carnalemque populum, qui vix diſcendis elementis idoneus erat. Ita invaluit opinio, juſtitiæ initium traditum olim fuiſſe in Lege, perfectionem vero in Euangelio doceri. atqui nihil minus propoſitum Chriſtus habuit quam aliquid mutare vel novare in Legis præceptis: illic enim Deus ſemel fixit vivendi normam, cujus nunquam eum pœnitebit. Sed quum Lex adulterinis commentis corrupta foret, ac in profanum ſenſum detorta, Chriſtus à talibus eam corruptelis vendicat, ac oſtendit genuinum ejus ſenſum à quo deſciverant Judæi. Quod autem Legis doctrina non inchoët modo, ſed abſolvat rectam vitam, vel ex uno hoc capite colligitur, quod requirit perfectum Dei ac proximi amorem. Porro qui tali amore præditus eſt, nihil illi deeſt ad ſummam perfectionem. Ergo Lex quoad bene vivendi præcepta, ad metam juſtitiæ homines adducit. Ideo Paulus non in ſeipſa infirmam, ſed in carne noſtra facit. Quod ſi tirocinium duntaxat traderet veræ juſtitiæ, frivola eſſet illa Moſis conteſta- *Deut.* 30.
tio, Cælum & terram teſtor, quod tibi oſtenderim ho- *verſ.* 19.
die viam vitæ & mortis. Item, Et nunc Iſrael, quid *Deut.* 10.
abs te poſtulat Deus tuus niſi ut ſibi penitus adhæreas? *verſ.* 12.
Inanis etiam iſta eſſet promiſſio & fruſtratoria, Qui *Levit.* 18.
fecerit hæc, vivet in ipſis. Quod autem nihil in ejus *verſ.* 5.
præceptis corrigere voluerit Chriſtus, ex aliis locis aperte liquet. nam qui volunt ad vitam ingredi per bona opera, eos nihil aliud quam Legis mandata ſervare jubet. Nec aliunde tam ipſe quam Apoſtoli pie ſancteque vivendi præcepta deducunt. & ſane atrocem Deo Legis auctori faciunt injuriam qui tantum oculos, manus & pedes illi componi fingunt ad fucoſam bonorum operum ſpeciem: in ſolo autem Euangelio doceri amandum ex corde eſſe Deum. Faceſſat igitur error ille, Legis defectus hic à Chriſto corrigi. neque enim fingendus eſt Chriſtus novus legiſlator, qui ad æternam Patris ſui juſtitiam aliquid addat: ſed tanquam fidus interpres audiendus eſt, ut ſciamus qualis ſit Lex, quorſum tendat & quouſque pateat. Nunc videndum reſtat quid damnet Chriſtus in Phariſæis, & quid ab eorum commentis illius interpretatio differat. Summa eſt, quod Legis doctrinam ad politicum ordinem tranſtulerant, ut ſufficeret externis officiis defungi. ita fiebat ut ſe ab homicidio abſolveret quiſquis hominem manu non occiderat: ſe purum & caſtum putaret coram Deo, quiſquis adulterio corpus non polluerat. Hæc vero erat minime ferenda Legis profanatio, quum certum ſit ſpiritualem Dei cultum ubique à Moſe requiri: & Deus qui eam tulit per manum Moſis, pro ſua natura cordibus non minus quam manibus & oculis loquutus ſit. Adducit quidem Chriſtus Legis verba, ſed ſe ad communem vulgi captum accommodat: acſi diceret, Hactenus literalis inter vos Legis expoſitio per Scribas vulgata eſt, ſatis eſſe ſiquis manus ab homicidio & vi abſtineat: ego autem moneo, longe altius nitendum eſſe. & quia charitas, Legis eſt perfectio, violari proximum dico quoties aliquid adverſus eum minus amice committitur. Poſterius membrum quod recitat, Reum fore judicio qui hominem occiderit: confirmat quod nuper dixi, vitium illud reprehendi à Chriſto, quod Lex Dei quæ regendis animis tradita fuit, in politiam converſa erat.

22. *Ego autem dico vobis.*] Reſponſum ſuum non præcepto Moſis opponit, ſed vulgari Scribarum figmento. Porro quia vetuſtatem jactabant Phariſæi (ut fere ſolet longi temporis præſcriptio obtendi ad tuendos errores) Chriſtus ad ſuam auctoritatem, cui merito cedere debet omnis vetuſtas, populum revocat. unde colligimus quanto præponderet veritas tam conſuetudini quam annorum numero. *Dixerit fratri ſuo.* Tres gradus condemnationis ponit Chriſtus extra manuum violentiam: quo ſignificat præceptum illud Legis non manus tantum cohibere, ſed affectus omnes charitati fraternæ contrarios. acſi diceret, Qui tantum fratribus irati fuerint, vel ſuperbe inſultaverint, vel læſerint aliquo convitio, homi-

homicidas eſſe. Jam quum certum ſit vocem Racha medio loco ſtatui inter iracundiam & manifeſtum probrum, non dubito quin ſpernentis vel adverſantis fuerit interjectio. Tametſi autem gehennæ ignis eos ſolos adjudicat Chriſtus qui uſque in apertum convitium proſiliunt, non tamen iracundiam eximit ab hac pœna, ſed ad terrena judicia alludens teſtatur Deum occultæ etiam iræ futurum judicem, ut eam puniat. Quia autem ultra progreditur qui indignationem amarulento ſermone prodit, eum fore reum dicit coram toto cœleſti conſeſſu, ut graviorem pœnam ſuſtineat. Qui vero uſque ad convitia eruperint, eos addicit gehennæ ignis: ſignificans odium & quicquid charitati adverſum eſt, ad mortis æternæ reatum ſufficere, quamvis nulla vis interceſſerit. Quin gehennæ nomen translatitium ſit minime dubium eſt. גיא Hebræis vallem ſignificat. Porro vallis Hennon locus erat nefanda ſuperſtitione infamis, quod illic infantes ſuos idolis mactarent. Hinc factum eſt ut ſancti viri, quo illa ſcelerata impietas majore in odio eſſet, pro inferno acciperent, ut ipſum quoque nomen tanquam ominoſum ac deteſtabile populus horreret. Tempore Chriſti apparet receptum fuiſſe loquendi morem, nec fere aliter tunc vocatum fuiſſe infernum quam gehennam, voce à nativo ſono paululum deflexa.

MATTH. V.	MARC.	LUC. XII.
23. Itaque ſi obtuleris munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adverſum te, 24. Relinque illic munus tuum coram altari, & abi, prius reconcilieris fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum. 25. Habeto benevolentiam cum adverſario tuo cito, dum es in via cum illo: nequando te tradat adverſarius Judici, & Judex te tradat miniſtro, & in carcerem conjiciaris. 26. Amen dico tibi, non exibis illinc donec ſolveris ultimum quadrantem.		58. Quum enim vadis cum adverſario tuo ad magiſtratum, in via da operam ut libereris ab illo: ne forte pertrahat te ad Judicem, & Judex tradat te exactori, & exactor conjiciat te in carcerem. 59. Dico tibi, non exibis inde donec ultimum etiam minutum reddas.

23. *Si obtuleris munus.*] Hac clauſula confirmat & ſimul explicat ſuperiorem doctrinam. Summa enim eſt, tunc demum ſatisfieri Legis præcepto quo vetamur occidere, ſi conſenſum & fraternam benevolentiam cum proximis noſtris fovemus. Atque, ut nos magis afficiat Chriſtus, ipſa quoque pietatis officia pronunciat ingrata eſſe Deo & ab ipſo repudiari, ſi inter nos diſſidemus. Nam quum jubet eos qui unum aliquem ex fratribus læſerunt, redire prius cum illo in gratiam quam munus ſuum offerant: ſignificat, quantiſper alieni ſumus noſtra culpa à proximis, acceſſum nobis ad Deum non patere. Quod ſi odiis ſuis totum quem Deo impendunt cultum polluunt homines & corrumpunt, hinc colligimus quanti æſtimet mutuam inter nos concordiam. Poteſt tamen hic objici quæſtio, annon abſurdum ſit charitatis officia pluris fieri quam Dei cultum. nam aut præpoſterum Legis ordinem dicamus eſſe oportet: aut prior tabula ſecundæ præferri debet. Solutio facilis eſt. neque enim alio ſpectant Chriſti verba, quam falſo & inaniter profiteri ſe Dei cultores, qui fratres ſuos injuſte læſos ſuperbe etiam contemnunt. Nam ſub una ſpecie per ſynecdochen externa divini cultus exercitia deſignat, quibus ſæpe homines pietatem magis ſimulant quam vere teſtentur. Et notandum eſt, Chriſtum pro illius ſeculi ratione de ſacrificiis loqui. Hodie diſſimilis eſt noſtra conditio: doctrina tamen eadem manet, vitioſum ſcilicet eſſe quicquid Deo offerimus, niſi cum fratribus noſtris ſumus concordes, ſaltem quoad in nobis eſt. Eleemoſynas Scriptura vocat Sacrificia boni odoris: audimus tamen ex ore Pauli eum nihil eſſe qui totam ſuam ſubſtantiam conſumit in pauperes, niſi charitatem habeat. Denique pro filiis non ſuſcipit neque agnoſcit Deus, niſi qui ſe hominibus viciſſim exhibent fratres. Tametſi autem Chriſtus tantum eos qui injuria affecerunt fratres, jubet ipſis placandis operam dare: ſub una tamen ſpecie oſtendit quam pretioſa ſit Deo fraterna concordia. Longe etiam plus exprimit, quum jubet munus relinqui ante altare, quam ſi dixiſſet fruſtra in templum venire homines, aut ſacrificia vovere Deo, quamdiu diſſidium habent cum proximis.

Phil. 4. verſ. 18.
1 Cor. 13. verſ. 2.

25. *Habeto benevolentiam.*] Tametſi videtur Chriſtus ultra progredi, nec tantum hortari ad reconciliationem qui fratribus injuriam fecerunt, ſed etiam qui injuſte laceſſuntur: ego tamen in alium finem ſpectaſſe interpretor, nempe ut anſam præcideret odiis & diſcordiis, modumque fovendæ benevolentiæ oſtenderet. unde enim omnes injuriæ, niſi quod ſinguli nimium tenaces ſunt ſui juris, hoc eſt, ſuis commodis cum aliorum damno nimis ſunt addicti? Omnes enim fere excæcat perverſus ſui amor, ut ſibi in peſſimis cauſis blandiantur. Chriſtus itaque, ut odiis, ſimultatibus, pugnis, & omnibus injuriis occurrat, pertinaciam illam, horum malorum fontem, corrigit, ac jubet ſuos ad moderationem & æquitatem propenſos eſſe, ut ſummo jure cedentes, pacem & amicitiam tali æquitate redimant. Optandum quidem foret ne qua lis unquam inter nos vel controverſia incideret: & certe nunquam in contentionem vel certamen prorumperent homines ſi vigeret inter eos ea quæ debet manſuetudo. ſed quia fieri vix poteſt quin ſuboriantur aliquæ lites, remedium oſtendit Chriſtus quo ſtatim componi queant: nempe ſi frenum cupiditatibus noſtris injicimus, & potius cum damno noſtro tranſigere parati ſumus, quam ut inflexibili rigore jus noſtrum perſequamur. Chriſtum tamen hac exhortatione ſæpius uſum conſtat ex Lucæ cap. 12. ubi non refertur ſermo habitus in monte, ſed epitome ex variis Chriſti ſententiis colligitur. Inde etiam apparet quid ſit in via tranſigere: nempe, priuſquam ad Judicem perventum fuerit. *Tradat te adverſarius Judici.*] Partem hanc metaphorice quidam exponunt, cœleſtem Judicem nobiſcum ſummo jure acturum, ut nihil prorſus remittat, niſi pacificare ſtudemus quas habemus cum proximis noſtris lites. Ego tamen ſimplicius accipio, quod admoneat Chriſtus hoc humanitus etiam nobis eſſe utile, ut mature tranſigamus cum adverſariis: quia rixoſis ſæpe damnoſa eſt ſua cupiditas. Interea non nego quin ſimilitudo apte ad Deum transferatur, quod ſcilicet judicium abſque miſericordia ſentiet qui implacabilis fratribus, vel ad extremum contentioſus fuerit. Cæterum pluſquam ridiculi ſunt Papiſtæ, qui in perpetua loci hujus allegoria Purgatorium ſuum fabricant. nihil apertius eſt quam Chriſtum de benevolentia inter homines colenda diſſerere. Illis nulla religio eſt ſine pudore verba ejus pervertere, & in ſenſum prorſus extra-

neum

neum torquete, modo indoctis fucum faciant. Sed quoniam longa refutatione indigni ſunt, unn tantum verbo oſtendam quam pudenda ſit eorum inſcitia. Adverſarium fingunt eſſe diabolum. Atqui fideles ſuos ei benevolos eſſe Chriſtus jubet. Ergo ut Purgatorium ſuum inveniant Papiſtæ, diabolos amicos & fratres eſſe prius oportet. Quadrantem eſſe quartam partem aſſis, notum eſt. hic autem pro teruncio vel minuta alia pecunia capitur, quemadmodum etiam ex Luca patet. Jam ſi cavillis agere libeat, hinc quoque refellitur inſulſitas Papiſtarum. nam ſi Purgatorium ſemel ingreſſus, nunquam inde exibit donec ſolverit ultimum quadrantem: ſequitur irrita eſſe quæ vocant pro mortuis vivorum ſuffragia. Neque enim alios admittit Chriſtus qui ſatisfactione ſua debitorem abſolvant, ſed diſerte ab unoquoque ſolutinnem ejus quod debet, exigit. Quod ſi inutiles ſunt Miſſæ & reliqua piacula, quantumvis ferveat ignis Purgatorius, frigebunt tamen Sacerdotum & Monachorum culinæ, quarum in gratiam tantn ſtudii ardore pro illo pugnant.

MATTH. V.	MARC.	LUC.
27. Audiſtis quod dictum fuerit antiquis, Non committes adulterium.		
28. At ego dico vobis quod quicunque aſpexerit mulierem ad concupiſcendum eam, jam adulterium commiſit cum ea in corde ſuo.		
29. Quod ſi oculus tuus dexter obſtaculo tibi fuerit, erue illum, & abjice abs te. expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, ac non totum corpus tuum conjiciatur in gehennam.		
30. Et ſi dextra tua manus obſtiterit tibi, amputa eam, & projice abs te. expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, ac non totum corpus tuum conjiciatur in gehennam.		

27. *Non committes adulterium.*] Pergit Chriſtus in ſua diſputatione, quod Lex Dei non ſit tantum politico modo vitæ magiſtra ad formandos externos mores: ſed puros quoque & integros cordis affectus requirat. Tenendum vero memoria eſt quod prius mnnui, quamvis referat Cbriſtus Legis verba, craſſum tamen & adulterinum ſenſum quem ſiniſtri interpretes induxerant, ab eo reprehendi. Jam enim ipſe præfatus eſt, ſe non veniſſe novum legislatorem, ſed fidum interpretem Legis ſemel datæ. Quia autem objici poterat longo uſu inveteraſſe illud commentum, nominatim id fatetur Chriſtus. Sed hoc modn anticipat, præjudicium ex erroris vetuſtate non debere fieri.

28. *Qui aſpexerit mulierem.*] Cnnſilium Cbriſti eſt generalitet carnis libidinem damnare. Dicit igitur adulteros eſſe coram Deo non tantum qui alienas uxores corruperint, ſed qui oculos polluerint impudico aſpectu. Eſt autem ſynecdochica loquutio, quia bomines adulterii reos faciunt non tantum oculi, ſed cæcæ etiam cordis uſtiones. Ideo Paulus caſtitatem in corpore & ſpiritu conſtituit. Cæterum ſatis habuit Chriſtus craſſum commentum quod nbtinuerat, refellere: quia putabant nonniſi ab externo adulterio caveodum. Quia tamen ut plurimum oculi animos ſuis lenociniis ſollicitant, & libido quaſi per iſtas fores penetrat, hac loquendi forma uſus eſt Chriſtus quum vellet concupiſcentiam damnare: idque ex verbo Cnncupiſcendi facile elicitur. Quo etiam docemur, adulteros cenſeri coram Deo non tantum qui fixo conſenſu ſcortationem in animis concipiunt, ſed qui admittunt quaſvis punctinnes. Quare nimis craſſa eſt & ſupina Papiſtarum hypocriſis, qui concupiſcentiam negant peccatum eſſe, donec totum cor aſſentiatur. Sed nihil mirum eſt ita extenuari ab illis peccatum, quando ſocordes & prorſus ſtupidos in vitiis ſuis reputandis eſſe oportet qui juſtitiam operum meritis adſcribunt.

1 Cor. 7. verſ. 34.

29. *Si oculus tuus.*] Quia in hac carnis & naturæ imbecillitate videri poterat Chriſtus nimis ſevere urgere homines, occupat omnes illas querimonias. In ſumma, ſignificat, quantumvis difficile, arduum, moleſtum, vel aſperum ſit quod præcipit Deus, nibil tamen excuſationis inde captandum eſſe: quia pluris nobis eſſe debeat juſtitia Dei quam alia omnia quæ chara in primis & pretinſa ſunt. acſi dixiſſet, Non eſt quod mihi objicias, te vix poſſe oculum buc illuc vertere quin ex improviſn illecebræ aliquæ obrepant: oculis enim tuis potius renunciandum eſt quam ut diſcedas à mandatis Dei. Neque tamen intelligit Chriſtus mutilandum eſſe corpus ut pareamus Deo. ſed quia libenter optarent omnes non ita frenari ſenſus ſuos quin liberum haberent eorum uſum, Cbtiſtus byperbolice docet reſecandum eſſe quicquid nns impedit ne obſequium Deo præſtemus quale flagitat in Lege ſua. Atque id conſulto facit: quia nimis licenter ſibi bomines hac in parte indulgent. Si purus eſſet animus, oculos quoque & manus haberet ſibi obſequentes: quibus certum eſt nullum ineſſe proprium motum. In eo autem graviter peccamus, quod adeo nnn ſumus ſolliciti, ut decebat, in cavendis illecebris, ut potius ad malum ultro provocemus ſenſus noſtros effreni licentia.

MATTH. V.	MARC.	LUC. XVI.
31. Dictum eſt autem, Quicunque repudiaverit uxorem ſuam, det illi libellum divortii.		18. Quiſquis dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, adulterium committit: & quiſquis dimiſſam à marito ducit, adulterium committit.
32. At ego dico vobis, Quiſquis repudiaverit uxorem ſuam niſi cauſa ſtupri, facit eam mœchari: & quicunque repudiatam duxerit, mœchatur.		

31. *Quicunque repudiaverit.*] Quia opportunior erit tractandæ fuſius & explicandæ doctrinæ locus capite 19. Matthæi, nunc breviter percurram quod hic Cbriſtus dicit. Sicuti falſn defunctns ſe erga Deum putabant Judæi ſi Legem politico mnte ſervarent: ita rurſus quicquid lex politica non prohibebat, ſtulte imaginabantur ſibi eſſe licitum. Divortia quæ fieri ſolebant cum uxoribus, Moſes quoad externum ordinem non vetuerat; ſed tantum cohibendæ libidinis cauſa juſſerat dari repudiatis uxoribus libellum divortii. Erat autem quoddam manumiſſionis teſtimonium, ut libera eſſet in poſterum mulier à mariti jugo & poteſtate. ſimul vir confitebatur ſe non dimittere uxnrem nb crimen aliquod,

ſed

ſed quia non placeret. Hinc error invaluerat, nullam in tali repudio culpam eſſe, modo legi ſatisfieret. Sed perperam ſumebanr pie ſanctęque vivendi regulam ex jure civili. Nam leges politicæ interdum ad hominum mores flectuntur: Deus vero Legem ſpiritualem ferendo non reſpexit quid poſſint homines, ſed quid debeant. Ideo illic perfecta integraque juſtitia continetur, quantumvis ejus præſtandæ facultas nos deficiat. Itaque admonet Chriſtus, non protinus licere coram Deo ſi quid Lex politica Moſis rolerat. Prætextu Legis, inquit, ſe abſolvit qui uxorem dimittens, dar illi repudii libellum. at ſanctius eſt coojugii vinculum, quam ut hominum arbirrio vel potius libidine ſolvatur. Tametſi eoim mutuo conſenſu ſeſe conjungunr vir & uxor: Deus tamen nodo indiſſolubili eos aſtringir, ne poſtea liberum ſit diſcedere. Additur tamen exceptio, Niſi ob fornicationem. Merito enim abjicitur mulier quæ perfide conjugium violavir: quia ejus culpa abrupto vinculo libertas viro parta eſt.

32. *Facit eam mœchari.*] Quia ferebat libellus repudii, ut mulier à priore marito ſoluta, tranſiret ad novus nuptias, merito damnatur quaſi productor qui uxorem ſibi divinitus adjunctam alus præter jus & fas proſtituit.

MATTH. V. | MARC. | LUC.

33. Rurſum audiſtis quod dictum fuerit antiquis, Non pejerabis: ſed perſolves Domino quæ juraveris.

34. At ego denuncio vobis ne juretis omnino: neque per cælum, quia thronus eſt Dei:

35. Neque per terram, quia ſubſellium eſt pedum illius: neque per Hierosolymam, quia civitas eſt magni Regis.

36. Neque per caput tuum jurabis: quia non potes unum pilum album vel nigrum facere.

37. Sed erit ſermo veſter, Eſt, eſt: Non, non. porro quod eſt extra hæc, ex malo eſt.

33. *Non pejerabis.*] Hic quoque non Legis correctio eſt, ſed potius germana interpretatio. Deus enim oon modo perjuria in Lege damnavit, ſed jurandi levitatem, quæ nominis ejus reverentiæ derogar. neque enim is ſolus accipir nomen Dei fruſtra qui pejerar, ſed qui in rebus frivolis, vel in communi ſermone temere & contemptim nomen Dei arripit. Porro quum Lex quamliber nominis Dei profanationem damner, Judæi in ſolis perjuriis culpam eſſe fingebanr. Craſſum hunc errorem Chriſtus reprehendir, quod ſibi fas eſſe putent Dei nomine impune aburi, modo jurando non fallant. Sancte quidem præcipitur ut ſolvamus Deo juramenta. nam qui poſt nomen Dei interpoſitum proximos fraudat & decipit, non hominibus tantum, ſed Deo facit injuriam. Sed vitioſum eſt ad unam partem reſtringere quod latius patet. Aliqui iſtud Perſolvere ad vota referunt, quum Deo aliquid religionis cauſa promiſſum eſt. Sed loquutio hæc pactis omnibus & promiſſis optime quadrat quæ adhibito Dei nomine ſancita ſunt: nam Deus tunc medius inter duas partes ſponſor ſtatuitur, cui fidem ſuam obliganr.

34. *Ne juretis omnino.*] Multos decepit particula Omnino: ut putarenr generaliter quodvis jusjurandum à Chriſto damnari. Atque ad hunc immodicum rigorem quoſdam non malos homines impulit olim effrenis jurandi licentia, quam videbanr in mundo paſſim graſſari. Et Anabaptiſtæ hoc prætextu valde tumultuati ſunt, quaſi nullam ob cauſam jurare permittar Chriſtus dum omnino jurarc vetat. Atqui non aliunde petenda eſt expoſitio quam ex verborum contextu. Continuo poſt ſequitur, Neque per cælum, neque per terram. Quis non videt ſpecies iſtas exegetice additas fuiſſe, quæ prius membrum diſtincta enumeratione clarius exprimerent? Habebant Judæi obliquas vel indirectas, ut loquuntur, jurandi formas: & quum jurarenr per cælum, terram, vel altare, hoc fere pro nihilo ducebant. &, quemadmodum vitium aliud ex alio naſcitur, hoc colore fucabant minus apertam nominis Dei profanationem. Huic vitio ur occurrar Chriſtus, pronunciat omnino non eſſe jurandum vel hoc vel illo modo, neque per cælum, neque per terram, &c. Undo colligimus, particulam Omnino non ad ſubſtantiam, ſed ad formam referri: acſi dixiſſer, Neque directe, neque indirecte. alioqui ſupervacuum erat ſpecies iſtas recenſere. Quare una cum rixandi libidine craſſam inſcitiam Anabaptiſtæ produnt, dum vocem unam moroſe urgendo, totum ſermonis tenorem clauſis oculis prætereunt. Siquis objiciat, nullum jusjurandum à Chriſto permitti: reſpondeo, ex Legis intentione debere intelligi quod dicit ejus interpres. Summa ergo huc redit, aliis modis fruſtra accipi Dei nomen quam pejerando. Ideo ab omni ſuperflua jurandi licentia abſtinendum eſſe. nam ubi juſta ratio cogir, Lex non modo permittit jurare, ſed diſerte etiam jubet. Itaque nihil ſibi aliud voluir Chriſtus, quam illicita eſſe juramenta omnia quæ ſacrum Dei nomen abuſu aliquo profanant, cujus reverentiæ ſervire debueranr. *Neque per cælum.* Falluntur qui exponunt bas jurandi formas à Chriſto corrigi quaſi vitioſas, eo quod per ſolum Deum jurandum ſit. rationes enim quas adducit, magis in contrariam partem inclinanr, quod ſcilicet tunc quoque juretur per nomen Dei quum cælum & terra nominantur: quia nulla eſt pars mundi cui Deus non inſculpſerit gloriæ ſuæ notam. Videtur tamen bæc ſententia non congruere cum Legis præcepto, ubi Deus per nomen ſuum jurare diſerte juber: item cum tot Scripturæ locis, ubi conqueritur injuriam ſibi fieri quoties juratur per creaturas. Reſpondeo corruptelam eſſe idololatriæ affinem, quum vel judicii poteſtas, vel teſtimonii probandi auctoritas illis defertur. ſpectandus eſt enim ipſe jurandi finis, quod ſcilicet homines appellant Deum perfidiæ ulrorem & veritatis præſidem. Hic honor alio transferri nequir quin violetur ejus majeſtas. Hac ratione dicir Apoſtolus non rite jurari niſi per majorem: & hoc ſoli Deo eſſe proprium ut per ſeipſum juret. Ita quiſquis olim per Moloch vel per aliud idolum jurabat, tantundem minuebat ex jure Dei, quod alium ejus loco ſubſtitueret cordium cognitorem & judicem in animas. Et hodie qui per Angelos vel ſanctos mortuos jurant, ſpoliato Deo, inane illis numen affingunt. Diverſa autem ratio eſt quum per cælum & terram juratur ipſius opificis intuitu. Neque enim in creaturis ſubſiſtir jurisjurandi religio: ſed Deus ipſe ſolus advocatur io teſtem, productis in medium gloriæ ejus ſymbolis. Porro cælum Scriptura Dei ſolium vocar, non quod illic ſir incluſus, ſed ut diſcant homines ſurſum mentes attollere quoties de ipſo cogitanr, nec quicquam rerrenum vel humile de ipſo imaginentur. Imo terra ſcabellum pedum ejus ideo vocatur ut ſciamus ipſum ubique diffuſum nullis locorum ſpa-

tiis

tiis capi. Hieroſolymæ ſanctitas ex promiſſione pendebat. Sancta ergo fuit, quod eam Dominus in ſedem ac domicilium elegerat ſui imperii. Quum jurant homines per caput ſuum, vitam ſuam, quæ ſingulare eſt Dei donum, tanquam bonæ fidei pignus in medium adducunt.

37. *Sed erit ſermo veſter.*] Jam Chriſtus ſecundo loco remedium præſcribit: oempe ut ſincere & bona fide inter ſe contrahant homines: quia tunc non minoris erit ſermonis ſimplicitas quam ſit jusjurandum ioter eos qui ſinceritatem non colunt. Et certe bæc optima eſt corrigendis vitiis ratio, notare fontes ex quibus manant. Unde tanta jurandi proclivitas, niſi quod in tanta vanitate, in tot fallaciis, inconſtantia, futilitate nihil fere creditur? Candorem igitur in verbis noſtris & conſtantiam requirit Chriſtus, ne jurare amplius neceſſe ſit. Repetitio enim tam affirmationis quam negationis buc ſpectat, dictis noſtris ſtandum eſſe, ut inde appareat ingenoitas. Quia autem hæc vera eſt & legitima contraheodi ratio, ubi noo aliud in liogua habent homines quam in corde, pronunciat Chriſtus ex malo eſſe quicquid ultra eſt. neque enim mibi probatur quorundam expoſitio, jusjurandum ejus culpæ debere tribui qui fidem loquenti non habet. Sed Chriſtus, meo judicio, ex hominum vitiis manare docet quod jurare coguntur: quia ſi ioter eos vigeret bona fides, ſi varis non eſſent nec flexiloqui, colerent eam ſimplicitatem quam dictat natura. Neque tamen ſequitur quin licitum ſit jurare quoties id neceſſitas poſtulat: quia purus eſt multarum rerum uſus quarum vitioſa eſt origo.

MATTH. V.	MARC.	LUC. VI.
38. Audiſtis quod dictum fuerit, Oculum pro oculo, & dentem pro dente.		29. Percutienti te in maxillam præbe & alteram: & ab eo qui aufert tibi pallium etiam tunicam noli prohibere.
39. At ego dico vobis, Ne reſiſtatis malo: ſed quiſquis impegerit alapam in dexteram tuam maxillam, obverte illi & alteram:		30. Omni autem exigenti abs te, tribue: & ab eo qui aufert quæ tua ſunt, ne repoſcas.
40. Et ei qui tecum velit judicio contendere, ac tunicam tuam tollere, permitte illi & pallium:		
41. Et qui te adegerit ad milliarium unum, abito cum illo duo.		

38. Matth. *Oculum pro oculo.*] Hic alius error corrigitur, quod quum Deus Judices & Magiſtratus ſua Lege juſſiſſet injurias pari pœna ulciſci, quiſque eo prætextu ſibi ultionem ſumebat. Ergo ſe peccare non putabaot, modo ne quem priores laceſſerent, ſed læſi par pari rependerent. Chriſtus autem cootra admonet, quamvis Judicibus maodata ſit commuois defenſio, & ordinati ſiot vindices ad cohibendos improbos, ac vim eorum reprimendam: debere tamen unumquemque patienter ferre illatas ſibi injurias.

39. *Ne reſiſtatis malo.*] Duplex eſt reſiſteodi modus: alter quo innoxie arcemus injurias; alter quo retaliamus. Quanquam autem Chriſtus ſuis non permittit ut vim vi repellant, non tamen prubibet quin deflectant ab injuſta violentia. Atque bujus loci Paulus nobis optimus eſſe poteſt interpres, dum jubet potius vincere malum bonn quam ut maleficiis certemus, ad Romanos cap. 12. verſ. 17. Notanda eſt eoim antitheſis inter vitium & correctionem. Hic de talione agitur. ejus liceotiam ut Chriſtus ſuis diſcipulis præcidat, malum prn malo vetat tependere: deinde longius extendit patieotiæ legem, ut non tantum feramus taciti acceptas injurias, ſed potius novis tolerandis nos paremus. Huc in ſumma ſpectat tota admonitio, ut obliviſci diſcant fideles quicquid malorum ipſis illatum fuerit, ne læſi in odium vel malevolentiam prorumpant, aut viciſſim nocere cupiant: ſed compoſiti ſint ad majorem tolerantiam, ſi creſcat ac magis irritetur malorum improbitas & libido. *Quiſquis impegerit alapam.* Inſulſe Julianus & ſimiles calumniati ſunt doctrinam Chriſti, quaſi leges & judicia funditus everteret. nam ſicuti Auguſtinus ſcite & prudenter epiſtola 5. diſſerit, non aliud fuit Chriſti conſilium quam fidelium animos ad moderationem & æquitatem formare, ne ſemel aut bis offenſi deficiant vel fatigentur. Et verum eſt quod dicit Auguſtinus, Non poni legem operibus externis, ſi modo dextre intelligas. Coërcet, fateor, Chriſtus manus noſtras à vindicta non minus quam animos: ſed ubi ſine vindicta poteſt quiſpiam ſe & ſua protegere ab injuriis, non impediunt verba Chriſti quin placide & ſine noxa irruentem vim declinet. Certe noluit Chriſtus hortari ſuos ad eorum acuendam malitiam qui jam nocendi libidine plus ſatis ardent. porrigere vero alteram maxillam, quid aliud foret quam tale irritamentum? non eſt igitur æqui ſanique interpretis ſyllabas aucupari: ſed attendere ad ejus qui loquitur coofilium. Et Chriſti diſcipulos nihil minus decet quam ludere verborum cavillis, ubi apparet quid velit magiſter. Atqui mioime obſcurum eſt quo tendas Chriſtus, nempe finem unius certaminis fore alterius initium: & ita toto vitæ curſu per continuos gradus ſubeundas eſſe fidelibus multas injurias. Ergo ubi ſemel læſi fuerint, boc ipſo documento formari vult ad tolerantiam, ut patiendo patientes eſſe diſcant.

40. *Et qui tecum velit.*] Alteram noxæ ſpeciem attingit Chriſtus, quum ſcilicet improbi nos litibus vexant. Jubet autem oos hac etiam in parte ſic eſſe animis ad patientiam compoſitos, ut ablata tunica parati ſimus pallium cedere. Ineptus erit quiſquis verbis inſiſtet, Prius adverſariis dandum eſſe quod poſtulant quam in jus ventum fuerit. talis enim facilitas inſtar flabelli improborum animos ad furta & rapinas accenderet: à quo ſcimus procul abfuiſſe Chriſti mentem. Quid eſt igitur pallium dare tunicam ſub juris prætextu eripere conanti? Nempe ſi quis iniqno judicio oppreſſus perdat qund ſuum eſt, ac interim paratus eſt reliquum (ſi opus fuerit) abjicère, non minorem patientiæ laudem meretur quam qui bis ſe ſpoliari patitur antequam ad tribunal ventum fuerit. Summa eſt igitur, Chriſtianos, ubi quis bonorum parte illos exuere teotat, debere paratos eſſe ad integrum ſpoliationem. Hinc colligimus non arceri prorſus à judiciis ſiquando juſtæ defenſioni locus datur. Nam etſi fortunas ſuas prædæ non exponunt, non tamen diſceduot ab bac Chriſti doctrina quæ ad ferendam patienter nuditatem nos bortatur. Rarum quidem exemplum eſt ut quis ad litigandum ſedato integroque affectu ad forum accedat: ſed quia fieri poteſt ut quis publici boni ſtudin rectam cauſam defendat, rem ipſam ſimpliciter damnare fas non eſt donec conſtet de vitioſo affectu. Diverſæ loquutiones apud Matthæum & Lucam ſenſum non mutant. Pallium majoris pretii eſſe ſolet quam tunica. quum ergo dicit Matthæus dandum eſſe pallium tunicam auferenti, ſignificat accepta minori jactura debere nos ad ferendum gravius damnum eſſe voluntarios. Dictum vero Lucæ cum veteri proverbio convenit, Tunica pallio propior.

30. Luc. *Omni autem exigenti abs te.*] Eadem verba apud Matthæum habentur, ut paulo poſt videbimus. nam ex contextu promptum eſt colligere, Lucam non de precibus hic loqui quibus flagitatur auxilium, ſed de litibus quas improbi ad rapienda aliorum bona intentant. Ne repoſcas, inquit, ab eo qui aufert quæ tua ſunt. Quanquam ſiquis malit hæc duo membra ſeorſum legere, non repugno: ita exhortatio erit ad largiendi facilitatem. Quod ad ſecundum membrum ſpectat ubi Chriſtus repoſcere vetat quæ injuſte ablata ſunt, prioris doctrinæ indubie expoſitio eſt, non ægre ſcilicet bonorum jacturam ferendam eſſe. Sed tenendum eſt quod nuper admonui, non ſophiſtice urgenda eſſe verba, quaſi pio homini non liceat quod ſuum eſt recuperare ſi quando illi juſtum remedium divinitus oblatum fuerit: ſed tantum nobis præſcribi patientiæ legem, ne amiſſis fortunis torqueamur, ſed quieti expectemus dum rationem à prædonibus Dominus ipſe exigat.

MATTH. V.	MARC.	LUC. VI.
42. Petenti abs te dato: & cupientem mutuum abs te accipere ne averſeris.		34. Si mutuum dederitis à quibus ſperatis vos recepturos, quæ gratia erit vobis? nam & peccatores peccatoribus dant mutuum ut recipiant paria. 35. Mutuum date, nihil inde ſperantes: & erit merces veſtra multa.

42. Matth. *Petenti abs te.*] Tametſi ita ſonant Chriſti verba quæ referuntur à Matthæo, acſi juberet ſine delectu quibuſvis dare, alium tamen ſenſum ex Luca elicimus, qui plenius rem totam explicat. Primo certum eſt, Chriſto fuiſſe propoſitum liberales potius quam prodigos facere ſuos diſcipulos. Atqui ſtulta erit prodigalitas, temere effundere quæ dedit Dominus. deinde videmus quam alibi beneficentiæ regulam tradat Spiritus. Hoc ergo teneamus, primum hic diſcipulos ſuos Chriſtum hortari ut largi ſint ac benefici. Porro hunc eſſe modum, ut minime ſe defunctos putent paucis quibuſdam adjutis: ſed omnes ſua beneficentia proſequi ſtudeant, neque unquam fatigentur uſque dum ſuppetet facultas. Deinde ne quis cavillum texat ex verbis Matthæi, conferamus quæ habentur apud Lucam. Negat Chriſtus quicquam officii nos Deo præſtare, dum in mutuo dando vel aliis officiis ſpectamus mercedem mutuam: ita charitatem à carnali amicitia diſtinguit. amant enim profani homines inter ſe, non gratis, ſed mercenario affectu: ita fit ut in ſeipſum quiſque amorem quo alios proſequitur, reflectat: quemadmodum etiam prudenter expendit Plato. Chriſtus vero à ſuis gratuitam beneficentiam exigit, ut juvare ſtudeant inopes, à quibus nihil viciſſim ſperari poteſt. Nunc videmus quid ſit apertam habere manum petentibus: nempe liberaliter expoſitum eſſe erga omnes qui ope noſtra indigent, & qui beneficium penſare nequeunt.

35. *Mutuum date.*] Hæc ſententia perperam reſtricta fuit ad uſuras: acſi tantum vetaret Chriſtus ſuos fœnerari. Atqui latius patere, ex ſuperiori ſermone liquet. poſtquam enim expoſuit Chriſtus quid impii facere ſoleant: nempe quod diligunt ſuos amicos, & eos juvant à quibus ſperant aliquid compenſationis: & mutuum dant ſimilibus ſui, ut paria deinde ab illis recipiant: ſubjicit quanto plus à ſuis requirat, nempe ut diligant inimicos, gratis benefaciant, gratis dent mutuo. Nunc videmus particulam. *nihil* perperam de fœnore exponi quod ad ſortem accedit: quum tantum hortetur Chriſtus ad gratuita officia, & mercenaria nihil gratiæ coram Deo habere dicat. non quod ſimpliciter damnet quæcunque ſpe compenſationis præſtantur beneficia: ſed docet nihil ad teſtandam charitatem facere, quia ille demum erga proximos beneficus eſt, qui nullo commodi ſui reſpectu ad eos juvandos ducitur, ſed tantum cujuſque inopiam ſpectat. Cæterum an Chriſtianis liceat aliquid interdum ex mutuo lucri accipere, non diſputabo fuſius hoc loco, ne quæſtionem ex falſo ſenſu (quem jam refutavi) intempeſtive accerſam. Jam enim expoſui, nihil aliud velle Chriſtum quam fideles mutuando debere ulterius progredi quam homines profanos: nempe ut meram liberalitatem colant.

MATTH. V.	MARC.	LUC. VI.
43. Audiſtis quod dictum ſit, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. 44. Ego autem dico vobis, Diligite inimicos veſtros, bene precamini devoventibus vos, benefacite iis qui oderunt vos, & orate pro iis qui lædunt & inſectantur vos: 45. Ut ſitis filii Patris veſtri qui eſt in cælis: quia ſolem ſuum oriri facit ſuper malos & bonos, & pluviam mittit ſuper juſtos & injuſtos. 46. Nam ſi dilexeritis eos qui diligunt vos, quod præmium habebitis? nonne & publicani idem faciunt? 47. Et ſi complexi fueritis fratres veſtros tantum, quid eximium facitis? nonne & publicani ſic faciunt? 48. Eritis igitur vos perfecti, quemadmodum Pater veſter qui eſt in cælis, perfectus eſt.		27. Sed vobis dico qui auditis, Diligite inimicos veſtros, benefacite iis qui vos oderunt. 28. Bene precamini devoventibus vos, & orate pro iis qui vos lædunt. *Et paulo poſt.* 32. Et ſi diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis eſt gratia? nam & peccatores, eos à quibus diliguntur diligunt. 33. Et ſi benefeceritis iis qui vobis benefaciunt, quæ vobis erit gratia? ſiquidem & peccatores hoc faciunt. *Item paulo poſt.* 35. Veruntamen diligite inimicos veſtros. Item, Et eritis filii Altiſſimi: quia ipſe benignus eſt erga ingratos & malos. 36. Eſtote ergo miſericordes ſicut & Pater veſter miſericors eſt.

43. *Dili-*

43. *Diliges proximum tuum.*] Mirum eſt eo abſurditatis delapſos fuiſſe Scribas, ut proximi nomen reſtringerent ad benevolos: quum nihil clarius ſit nec certius quam Deum complecti totum humanum genus, quum de proximis noſtris loquitur. Nam quia ſibi quiſque addictus eſt: quoties alios ab aliis ſeparant privata ſua commoda, deſeritur mutua communicatio quam natura ipſa dictat. Deus ergo ut nos in fraterno amoris complexu retineat, propinquos eſſe teſtatur quicunque ſunt homines: quia eos nobis conciliat communis natura. quoties enim hominem aſpicio, quia os meum & caro mea eſt, meipſum quaſi in ſpeculo intuear neceſſe eſt. Quamvis autem major pars ut plurimum à ſancta ſocietate diſſiliat, non violatur tamen eorum pravitate naturæ ordo: quia ſpectandus eſt Deus conjunctionis auctor. Unde colligimus generale eſſe præceptum Legis, quo jubemur proximum diligere. Scribæ vero quum propinquitatem ex cujuſque animo æſtimarent, negarunt proximi loco habendum niſi qui ob ſua merita amore dignus eſſet: vel ſaltem qui viciſſim reſponderet in officio amici. Hoc quidem præcipit communis ſenſus: ideoque filios ſeculi nunquam puduit ſua odia profiteri quorum aliquam rationem jactare poterant. Charitas autem quam Lege ſua Deus commendat, non reſpicit quid quiſque meritus ſit, ſed ſe ad indignos, perverſos & ingratos diffundit. Verum hunc & genuinum ſenſum reſtituit Chriſtus, & à calumnia vindicat: unde etiam apparet quod prius dixi, Chriſtum non ferre novas leges, ſed corrigere prava Scribarum commenta quibus vitiata Legis divinæ puritas fuerat.

44. *Diligite inimicos.*] Hoc unum caput in ſe continet totam ſuperiorem doctrinam: nam quiſquis oſores ſuos amare in animum induxerit, facile ſibi temperabit ab omni vindicta, malorum patiens erit, ad miſeros vero juvandos multo magis propenſus. Porro Chriſtus in ſumma rationem & modum oſtendit hujus præcepti implendi, Dilige proximum tuum ſicut teipſum. Neque enim huic præcepto unquam ſatisfaciet niſi qui abdicato ſui amore, vel potius ſe abnegato, tanti faciet homines ſibi divinitus conjunctos, ut eos quoque amare pergat à quibus odio habetur. Diſcimus autem ex his verbis quam alienos eſſe deceat fideles ab omni vindicta, quam non modo prohibentur à Deo petere, ſed ita remittere & in totum delere ex animis, ut hoſtibus ſuis bene precentur. Interea non deſinunt ſuam cauſam Deo committere, donec ultionem ſumat de reprobis. cupiunt enim, quoad in ſe eſt, malos redire ad ſanam mentem, ne pereant: atque ita conſulunt eorum ſaluti. Hoc tamen ſolatio ſuas omnes moleſtias leniunt, quod non dubitant Deum obſtinatæ malitiæ fore ultorem, ut ſibi innoxios curæ fuiſſe declaret. Eſt quidem hoc perquam arduum, & carnis ingenio prorſus adverſum, bonum malo rependere. ſed minime quærenda eſt ex vitiis noſtris & infirmitate excuſatio: quin potius ſimpliciter quærendum eſt quid exigat lex charitatis, ut cæleſti Spiritus virtute freti, luctando ſuperemus quicquid affectuum in nobis contrarium eſt. Hæc quidem Monachis & ſimilibus rabulis cauſa fuit ut fingerent hæc fuiſſe Chriſti conſilia, non præcepta: quod hominum viribus metiebantur quid Deo & Legi ipſius debeant. Interim vero non puduit Monachos perfectionem ſibi arrogare, quod ſervandis conſiliis ultro ſe obſtringerent. quam fideliter præſtent quod titulo tenus uſurpant, nunc dicere omitto. Quam vero de conſiliis præpoſterum ſit inſulſumque commentum, primo inde patet, quia non ſine Chriſti injuria dicitur ſuaſiſſe ipſum diſcipulis, non pro imperio mandaſſe quod rectum erat. Deinde plusquam inſulſum eſt libera facere charitatis officia quæ ex Lege pendent. Tertio, Dicendi verbum quod denunciare vel præcipere hoc loco ſignificat, perperam pro conſulere exponitur. Poſtremo diſerte ſanciri quod neceſſario præſtandum eſt, nullo negotio ex Chriſti verbis probatur, dum addit continuo poſt,

45. *Ut ſitis filii Patris veſtri.*] Quum diſerte pronunciet, non aliter quenquam fore Dei filium niſi qui oſores ſuos diliget, quis jam dicere audeat nulla hujus doctrinæ ſervandæ neceſſitate nos obſtringi? Perinde enim eſt acſi dixiſſet, Quiſquis cenſeri volet Chriſtianus, inimicos diligat. Horribile ſane portentum, quod mundus tam denſis tenebris per tria vel quatuor ſecula obrutus fuerit, ut non videret diſerte juberi quod quiſquis negligit, ex numero filiorum Dei expungitur. Porro notandum eſt, non proponi ad imitationem Dei exemplum, quaſi nos deceat quicquid ille facit. plectit enim ille ingratos, & ſceleratos è mundo ſæpe exterminat: qua in parte non proponit ſe nobis imitandum, quia in nos judicium mundi non competit quod ejus proprium eſt: ſed nos paternæ ſuæ bonitatis & beneficentiæ imitatores eſſe vult. Idque viderunt non modo profani philoſophi, ſed quidam nequiſſimi pietatis contemptores, quibus expreſſa fuit hæc confeſſio, Nulla re *Plinius.*
magis nos eſſe Deo ſimiles quam benefaciendo. In ſumma, hanc noſtræ adoptionis notam fore Chriſtus teſtatur, ſi malis etiam & indignis ſumus benefici. Neque tamen intelligas fieri nos beneficentia noſtra Dei filios: ſed quia idem Spiritus, qui gratuitæ noſtræ adoptionis teſtis eſt, arrha & ſigillum, pravos carnis affectus, qui charitati repugnant, corrigit; ab effectu probat Chriſtus non alios eſſe Dei filios niſi qui ipſum manſuetudine & clementia referunt. Pro eo Lucas habet, *Eritis filii Altiſſimi.* Non quod hunc honorem ſibi quiſquam acquirat, vel quod incipiat eſſe Dei filius ex quo inimicos dilexerit: ſed quia uſitata eſt Scripturæ loquendi ratio, gratuita Dei beneficia mercedis loco proponere, dum nos animare vult ad recte agendum. Hæc autem ratio eſt, quia reſpicit in quem finem vocati ſimus: nempe ut reparata in nobis Dei imagine, pie ſancteque vivamus. *Solem ſuum oriri facit.* Duo commemorat teſtimonia divinæ in nos beneficentiæ, quæ non tantum maxime nobis nota ſunt, ſed omnibus communia, quum magis ipſa ſocietas ad idem ultro citroque inter nos præſtandum invitet. quanquam per ſynecdochen innumera quoque alia complectitur.

46. *Nonne & publicani*] Eodem ſenſu Lucas peccatores, hoc eſt, nequam & ſceleratos homines, ponit: non quod munus ipſum per ſe damnetur (erant enim Publicani vectigalium redemptores. vectigalia autem ſicuti Principes jure indicunt, ita exigere à populo licet) ſed quia hoc genus hominum avarum eſſe ſolet ac rapax, imo perfidum & crudele: deinde quoniam apud Judæos habebantur injuſtæ tyrannidis miniſtri. Ergo ſiquis publicanos ex Chriſti verbis colligat omnium hominum eſſe deterrimos, male argumentabitur: quia loquitur pro recepto vulgi more. acſi diceret, qui fere humanitatis ſunt expertes, aliquam tamen habere mutui juris ſpeciem dum ſuam utilitatem captant.

48. *Eritis igitur vos perfecti.*] Perfectio hæc non æqualitatem ſonat, ſed tantum ad ſimilitudinem refertur. Quantumvis ergo diſtemus à Deo, dicimur perfecti eſſe ſicut ipſe eſt, dum ad eundem ſcopum tendimus quem in ſe nobis proponit. Siquis aliter malit, non fit hic inter Deum & nos comparatio: ſed perfectio Dei vocatur, primum gratuita meraque liberalitas quæ ſpe lucri non ducitur: deinde ſingularis bonitas quæ cum hominum malitia & ingratitudine certat. Quod melius liquet ex verbis Lucæ, *Eſtote miſericordes ſicut Pater veſter cæleſtis.* Miſericordia enim mercenario opponitur, qui privato commodo alligatus eſt.

MATTH. VI. — MARC. — LUC.

1. Attendite ne eleemoſynam veſtram præſtetis coram hominibus quo ſpectemini ab illis: alioqui mercedem non habetis apud Patrem veſtrum qui in cælis eſt.

2. Itaque quum præſtas eleemoſynam, ne tubis canatur ante te, quemadmodum hypocritæ faciunt in ſynagogis & in vicis, ut glorificentur ab hominibus. amen dico vobis, habent mercedem ſuam.

3. Cæterum tu quum præſtabis eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quod facit dextera tua,

4. Ut ſit eleemoſyna tua in occulto: & Pater tuus qui videt in occulto, reddet tibi in propatulo.

1. *Attendite.*] Hoc loco ſuos hortatur Chriſtus ad ſincerum bonorum operum ſtudium, hoc eſt, ut ſimpliciter recte facere ſtudeant coram Deo, oon autem ſe hominibus oſtentent. Admonitio in primis neceſſaria: quia ambitio ſemper in virtutibus timenda eſt, nec ullum eſt opus tam laudabile quod non inde ſæpe vitiari & pollui contingat. Cæterum per ſynecdochen ſub una ſpecie traditur generalis doctrina: de eleemoſynis enim tantum loquitur, ſicuti paulo poſt de precibus. Quaoquam in nonnullis exemplaribus, pro Eleemoſynis ponitur nomen Juſtitiæ: quemadmodum etiam reddidit vetus interpres. Sed in eo nihil eſt momenti, quia utroque modo ſatis conſtat corrigi ambitionis morbum, dum recte agendo gloria ab hominibus captatur.

2. *Quum præſtas eleemoſynam.*] Taxat hic nominatim vitium uſu & conſuetudine receptum, in quo non tantum palam cerni, ſed manibus fere palpari inanis gloriæ cupiditas potuit. In compitis enim & publicis locis, ubi haberi ſolebant publici coovemtus, erogabant pauperibus ſportulas. in eo manifeſta erat oſtentatio, quod locorum celebritatem quærebant, ut multos haberent teſtes: nec eo contenti, addebant etiam tubarum clangorem. Fingebaot quidem ſe pauperes accerſere (ut nunquam deſunt prætextus) nihil tamen clarius erat quam ipſos venari plauſus & laudem. Porro ubi ſervimus hominum oculis, jam Deum non conſtituimus vitæ noſtræ arbitrum & approbatorem. Itaque merito dicit Chriſtus mercedem ſuam oune habere qui ſe hoc modo oſtentant: quia Deum reſpicere nequeunt quorum oculos talis vanitas occupat. Eadem ratione hypocritæ vocantur omnes inanis gloriæ cupidi. Nam quum hypocritæ profanis ſcriptoribus dicti fuerint hiſtriones qui in ſcena & ludis fictas perſooas agebant, Scriptura hoc nomen ad homines duplices corde & ſimulatos tranſtulit. Quanquam variæ ſuot hypocritarum ſpecies: quidam enim quamvis peſſime ſibi conſcii ſint, tamen impudenter pro bonis viris coram mundo ſe venditaot, & vitia ſua quorum intus ſunt convicti, tegere conantur. Alii ſibi tam ſecure indulgent, ut etiam perfectam juſtitiam ſibi arrogare audeant coram Deo. Alii non recti ſtudio, nec gloriæ Dei cauſa, ſed tantum ut famam ſibi & opinionem ſanctitatis acquirant, beoefaciunt. Hanc poſtremam ſpeciem Chriſtus nunc deſignat: & jure vocat hypocritas, qui dum rectum finem non habent ſibi propoſitum in bonis operibus, alienam perſonam induunt, ut ſaocti probique Dei cultores appareant.

3. *Neſciat ſiniſtra tua.*] Hac loquutione intelligit debere nos uoico Deo teſte contentos eſſe, atque ita intentos in ejus obſequium, ut nulla vanitate circumferamur. Sæpe enim fit ut non tam Deo ſacrificeot homines quam ſibiipſis. Non vult ergo Chriſtus obliquis cogitationibus nos diſtrahi: ſed recta in hunc ſcopum tendere, ut Deum pura conſcientia colamus.

4. *Eleemoſyna in occulto.*] Videtur hæc ſententia cum multis Scripturæ locis pugnare, ubi jubemur fratres ædificare bonis exemplis. Sed ſi tenemus Chriſti conſilium, verba longius trahere nos oportet. Jubet ſuos diſcipulos pure & procul omni ambitione bonis operibus dare operam. ut hoc fiat, oculos ab hominum intuitu vult eſſe averſos: quo ſatis habeant ſua officia uoi Deo probare. Hæc vero ſimplicitas minime impedit ædificandi curam ac ſtudium. Et certe paulo ante non præciſe vetuit benefacere coram hominibus, ſed oſtentationem damnavit. *Pater tuus qui videt in occulto.* Tacite perſtringit ſtultitiam quæ paſſim inter homines regnat, quod ſibi videntur operam luſiſſe niſi ſpectata fuerit à multis teſtibus eorum virtus. Deum ergo oon magna luce indigere dicit ut agnoſcat benefacta: quia illi conſpicua ſunt quæ tenebris ſepulta videntur. Non eſt igitur cur putemus eſſe perdita quæ conſpectum hominum fugiunt, & teſtimonio carent: quia Deus theatrum ſuum habet in latebris. & aptiſſimum remedium affert curando ambitionis morbo, dum nos ad Dei intuitum revocat, qui vanas omnes glorias evaneſcere facit ex animis ooſtris, & prorſus delet. Secundo membro, quod proxime ſequitur, admonet Chriſtus in quærenda bonorum operum mercede patienter expectandum eſſe ultimum reſurrectionis diem. Pater tuus, inquit, reddet tibi palam. Quando? nempe quum exorta ultimæ diei aurora, quæ nunc abſcoodita ſunt in tenebris, patefient.

MATTH. VI. — MARC. — LUC.

5. Et quum oraveris, non eris quemadmodum hypocritæ: nam illi ſolent in conciliabulis & in angulis platearum ſtantes orare, quo conſpicui ſint hominibus. amen dico vobis quod habent mercedem ſuam.

6. Tu vero quum oras, introito in conclave tuum, & occluſo oſtio tuo ora Patrem tuum qui eſt in occulto: & Pater tuus qui videt in occulto, perſolvet tibi in propatulo.

7. Verum orantes ne ſitis multiloqui, ſicut Ethnici: putant enim fore ut ob multiloquium ſuum exaudiantur.

8. Ne igitur efficiamini ſimiles iſtorum. novit enim Pater veſter quibus rebus opus ſit vobis, priuſquam petatis ab illo.

5. *Quum oraveris.*) Idem nunc de precibus docet quod prius de eleemoſynis. Eſt autem bæc nimis craſſa & pudenda nominis Dei profanatio, quod hypocritæ, ut gloriam ab hominibus referant, in publico precantur, vel potius ſimulant ſe precari. Sed quum ſemper ambitioſa ſit hypocriſis, noo mitum eſt ita cæcam eſſe: jubet ergo diſcipulos ſuos, ſi rite orare velint, conclave intrare. Etſi autem, quia hoc in ſpeciem videtur abſurdum, allegorice quidam exponunt interiorem cordis receſſum: hac tamen argutia nihil eſt opus. Jubemur pluribus locis, in celebri cœtu & bominum frequentia, ac coram toto populo Deum precari vel laudare, idque teſtandæ noſtræ fidei vel gratitudinis cauſa, ſimul ut alios noſtro exemplo incitemus ad idem agendum. neque ab eo ſtudio oos Chriſtus abducit; ſed tantum admonet, Deum præ oculis habeodum eſſe quoties ad precationem accingimur. Ideo noo ſunt urgenda hæc verba, Intra in conclave tuum: quaſi jubeat fugere homines, ac oos recte orare neget niſi teſtibus remotis. comparative enim loquitur, ſignificans potius quærendum eſſe ſeceſſum quam appetendam hominum frequentiam quæ nos orantes videat. Utile quidem eſt fidelibus, quo liberius vota ſua & gemitus coram Deo effundant, ſubducere ſe ab hominum conſpectu. Prodeſt etiam ſeceſſus alia de cauſa, quo magis ab omnibus avocamentis liberæ fiot ac ſolutæ mentes: ideo & Chriſtus ipſe orandi cauſa ſæpius in ſecretum aliquem locum ſe abdidit. Sed hoc in præſentia non agitur: tantum enim corrigitur inanis gloriæ cupiditas. Summa autem eſt, Sive quis ſolus, ſive coram aliis precetur, hunc tamen affectum ioduendum eſſe, quaſi abditus in cooclave, ſolum Deum haberet teſtem. Quum dicit Chriſtus mercedem rependi precibus noſtris, ſatis declarat quicquid mercedis paſſim nobis Scriptura promittit, non tanquam debitum ſolvi, ſed gratuitum eſſe.

7. *Ne ſitis multiloqui.*] Aliud vitium reprebendit in oratione, nempe multiloquium. Utitur autem duobus verbis, ſed eodem ſenſu. nam βαττολογία ſupervacua eſt & putida repetitio: πολυλογία autem inanis garrulitas. Porro eorum ſtultitiam reprebendit Chriſtus, qui ut Deum perſuadeant & exoreot, multum verborum profunduot. Neque buic doctrinæ contrarium eſt quod precandi aſſiduitas paſſim laudatur in Scriptura. Nam ubi ſerio affectu concipitur precatio, lingua non anteit pectus. deinde non captatur Dei gratia inani verborum fluxu: ſed potius ſuos affectus, non ſecus ac ſagittas, pium cor emittit, qui in cælum penetrent. Ioterim damnatur eorum ſuperſtitio, qui longis ſuſurris Deum ſe promereri confidunt. quo errore ſic imbutum videmus eſſe Papatum, ut præcipua orationis virtus illic credatur eſſe loquacitas; nam quo quiſque plus verborum demurmurat, eo magis cenſetur exacte precatus eſſe. Longi etiam prolixique cantus, quaſi Dei aures demulceant, aſſidue reſonant in eorum templis.

8. *Novit enim Pater veſter.*] Hoc unum remedium purgandæ ac tollendæ quæ hic damnatur ſuperſtitioni ſufficit. unde enim hæc ſtultitia, ut multum proficere putent homines ubi ſuo multiloquio Deum fatigant, niſi quia ſimilem imaginantur homini mortali, qui doceri & mooeri opus habeat? Quiſquis autem perſuaſus eſt Deum oon modo curam noſtri babere, ſed etiam noſtras neceſſitates babere cognitas, & vota noſtra curaſque antevertere priuſquam admonitus fuerit; ille omiſſo multiloquio, ſatis habebit preces ſuas extendere quatenus ad fidem exercendam expediet: Deum vero rhetorice aggredi, ut verborum copia flectatur, abſurdum eſſe agnoſcet ac ridiculum. Verum ſi Deus, antequam petamus, quid oobis opus ſit novit, videtur nulla eſſe precandi utilitas. Nam ſi ſponte ad nos juvandos propenſus eſt, quorſum attinet preces ooſtras interponere, quæ ſpontaneum providentiæ ejus curſum abrumpant? Solutio facilis eſt in ipſo precandi fine: neque eoim orant fideles ut Deum admoneant de rebus incognitis, eum ad officium bortentur, vel ceſſantem ſollicitent: ſed potius ut ſeipſos expergefaciant ad ipſum quærendum, meditandis ejus promiſſionibus fidem ſuam exerceant, curas ſuas exonerando in ejus ſinum ſe ſublevent: deoique ut teſteotur tam ſibi quam aliis ab eo uno ſperare & expetere quicquid eſt bonorum. Et ipſe quod gratuito & nondum rogatus nobis largiri decrevit, votis tamen noſtris promittit ſe daturum. Quare utrumque tenendum eſt, vota noſtra ab eo ſponte præveniri, & tamen nos precibus impetrare quod petimus. Cur autem interdum in longum tempus nos differat, ioterdum etiam votis noſtris non indulgeat, alibi erit dicendi locus.

MATTH. VI.

9. Vos ergo ſic orate, Pater noſter qui es in cælis, Sanctificetur nomen tuum.

10. Veniat regnum tuum: Fiat voluntas tua, ut in cælo, ſic etiam in terra.

11. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

12. Et remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris.

13. Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Quia tuum eſt regnum, & potentia, & gloria in ſecula, Amen.

MARC.

LUC. XI.

1. Factum eſt quum oraret quodam in loco, ut ceſſavit, dicit quidam ex diſcipulis ejus ad eum, Domine, doce nos orare, ſicut & Joannes docuit diſcipulos ſuos.

2. Et ait illis, Quum oratis dicite, Pater noſter qui es in cælis, Sanctificetur nomen tuum: Adveniat regnum tuum: Fiat voluntas tua, quemadmodum in cælo, ſic etiam in terra.

3. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

4. Et remitte nobis peccata noſtra, ſiquidem & ipſi remittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo.

Incertum eſt ſemelne an bis banc orandi formam Cbriſtus diſcipulis tradiderit. Quibuſdam hoc ſecundum videtur magis probabile: quia Lucas rogatum fuiſſe dicit, Matthæus vero inducit ultro docentem. Quia tamen diximus Mattbæum præcipua quæque doctrinæ capita colligere, ut melius ex continua ſerie totam ſummam perſpiciant lectores: fieri poteſt ut Matthæus occaſionem quam refert Lucas, omiſerit. quanquam bac de re cum oemine pugnare velim.

1. Luc. *Sicut & Joannes docuit diſcipulos.*] Quod Joanoes privatam oraodi formam tradidit ſuis diſcipulis, id feciſſe exiſtimo prout temporis ratio ferebat. Res tunc valde apud Judæos corruptas fuiſſe notum eſt. tota certe religio ſic collapſa erat ut mirum oon ſit precandi morem à paucis rite cultum fuiſſe. Rurſus quum inſtaret promiſſa redemptio, fidelium mentes precando ad ejus ſpem & deſiderium excitari oportuit. Joannes ergo ex variis Scripturæ locis certam aliquam precationem conficere potuit, quæ tempori congrueret, ac propius accederet

ret ad ſpirituale Chriſti regnum quod jam patefieri cœperat.

9. Matth. *Vos ergo ſic orate.*] Pro quo Lucas, *Quum oratis, dicite.* quanquam non jubet Chriſtus ſuos conceptis verbis orare, ſed tantum oſtendit quorſum vota omnia preceſque referri deceat. Sex ergo petitionibus complectitur quicquid à Deo optare fas eſt. Atque hac doctrina nihil nobis eſt utilius. nam quum hoc præcipuum ſit pietatis exercitium, in formandis tamen precibus aut votis concipiendis ſenſus omnes noſtri deficiunt. Ita nemo rite orabit niſi cujus os & cor moderabitur cæleſtis Magiſter. In hunc finem tradita eſt hæc regula, ad quam preces noſtras exigere neceſſe eſt, ſi legitimas cenſeri Deoque probari cupimus. Noluit quidem (ut nuper dictum eſt) præſcribere Filius Dei quibus verbis utendum ſit, ut ab ea quam dictavit formula deflectere non liceat: ſed tamen vota noſtra ſic dirigere frenareque voluit, ne extra metas iſtas oberrent. unde colligimus, non in verbis, ſed in rebus ipſis datam ab eo fuiſſe rite precandi legem. Porro quod dixi, ſex petitionibus conſtare baoc precandi formam: ſciendum eſt tres priores, poſthabita noſtri ratione, reſpicere in Dei gloriam: tres autem reliquas ad ea quæ in ſalutem noſtram utilia ſunt, eſſe compoſitas. Nam ut Lex Dei duabus tabulis diſtinguitur, quarum prior pietatis officia continet, altera autem charitatis: ſic orando Chriſtus partim Dei gloriam ſpectare & quærere jubet, partim nobis conſulere permittit. Sciamus ergo tunc nos demum ad rite precandum fore comparatos, ſi non tantum de nobis & propria utilitate erimus ſolliciti, ſed priorem locum Dei gloriæ dabimus. eſt enim nimis præpoſterum, curare tantum quæ noſtra ſunt: regnum autem Dei, quod longe præferendum eſt, negligere. *Pater noſter qui es in cælis.* Duo maxime nobis conſideranda ſunt quoties ad precandum accingimur, tum ut nobis acceſſus ad Deum pateat, tum ut plena ſolidaque fiducia in eum recumbamus: nempe paternus ejus erga nos amor, & immenſa potentia. Quare ne dubitemus quin benigne amplecti nos Deus velit, quin paratus ſit ad vota noſtra exaudienda, quin denique ſponte propenſus ſit ad nos juvandos, Patris nomen illi tribuitur. ergo in hoc epitheto jam ſatis uberem fiduciæ materiam Chriſtus nobis ſuppeditat: ſed quoniam dimidia tantum ex parte in Dei bonitate acquieſcimus, proximo membro commendat ejus potentiam. Nam quum Scriptura Deum in cælo eſſe dicit: omnia ſubeſſe ejus imperio, mundum & quicquid in eo eſt, manu ejus contineri, virtutem ejus ubique diffuſam, providentia ejus cuncta ordinari ſignificat. Pſalm. 2. verſ. 4. dicit David, Habitator cælorum irridebit eos. Item Pſalmo 115. verſ. 3. Deus noſter in cælo, quæcunque voluit fecit. Cæterum non ita locatur in cælo Deus quaſi illic ſit incluſus: potius enim tenendum

2 Par. 2. verſ. 6.

eſt quod alibi dicitur, Cælos cælorum cum non capere. ſed hæc loquutio ab ordine creaturarum eum eximens, nihil humile vel terrenum, ubi de ipſo agitur, venire in mentem debere admonet: quia excelſior ſit toto mundo. Nunc tenemus Chriſti conſilium, nempe quod in ipſo precandi exordio, ſuorum fiduciam in Dei bonitate & potentia ſtabilire voluerit: quia niſi in fide fundatæ ſunt preces, profectu carebunt. Jam quum ſtultæ, imo inſanæ arrogantiæ ſit Deum invocare Patrem niſi quatenus in Chriſti corpore inſiti, pro filiis agnoſcimur: hinc colligimus non alium eſſe precandi modum quam ubi Mediatore freti ad Deum accedimus. *Sanctificetur nomen tuum.* Hic clarius apparet quod dixi, in tribus primis petitionibus, poſthabito noſtri reſpectu, quærendam eſſe Dei gloriam: non quod ſeparata ſit à ſalute noſtra, ſed quod meretur Dei majeſtas omnibus aliis curis longe præferri. Salutare eſt nobis Deum regnare ſuumque illi tribui honorem: ſed nemo ſatis magno divinæ gloriæ deſiderio flagrat niſi qui ſui quodammodo oblitus, ad quærendam illius altitudinem ſeſe attollit. Porro inter iſtas tres petitiones magna eſt affinitas & ſimilitudo. ſanctificatio enim nominis Dei cum ejus regno ſemper conjuncta eſt, & præcipua ejuſdem regni pars in hoc ſita eſt ut fiat ejus voluntas. Verum quiſquis expendet quantum ſit noſtrum frigus, quantaque ignavia in optandis rebus omnium maximis quarum hic vota oobis dictantur, nihil hic ſupervacuum eſſe fatebitur: ſed tria quæ petuntur, utile fuiſſe, ſic diſtingui. Sanctificari Dei oomen nihil aliud eſt quam ſuum Deo haberi honorem quo dignus eſt, ut nunquam de ipſo loquaotur vel cogitent homioes ſine ſumma veneratione. Huic opponitur ejuſdem nominis profanatio: quum ſcilicet vel minuitur ejus majeſtas, vel minus reverenter & honorifice quam meretur, eam homines ſuſpiciunt. Porro gloria qua ſanctificatur, inde manat & pendet, quum agnoſcitur inter homines ejus ſapientia, bonitas, juſtitia, potentia, & quicquid in eo eſt virtutum. ſua enim Deo ſanctitas ſemper iotus conſtat: ſed eam partim ſua malitia & pravitate homines obſcuraot, partim ſacrilego contemptu violant & polluunt. Ergo ſumma hujus petitionis eſt, ut Dei gloria in mundo reluceat, & qualis eſt celebretur inter homines. Tunc autem optime viget pura religio, quum homines quicquid à Deo profectum eſt, rectum & laudabile, juſtitiæ & ſapientiæ plenum eſſe ſtatuunt. Nam hinc fit ut & verbum ejus pro fidei obſequio amplectantur, & omnibus placitis & operibus acquieſcant. fides enim quam Dei verbo deferimus (ut dicit Joannes) quaſi ſub- *Joan. 5. verſ. 33.*
ſcriptio eſt qua teſtamur Deum eſſe veracem: ſicuti incredulitas & contemptus verbi ejus graviſſima eum contumelia afficit. Jam videmus quam maligni ſint plerique operum Dei æſtimatores, & quantam obtrectandi licentiam ſibi permittant. ſiquos noſtrum caſtigat, obſtrepunt, queruntur, obmurmurant: alii etiam in apertas uſque blaſphemias proſiliuot: niſi obtemperet votis noſtris, non putamus ſatis eſſe erga nos liberalem. Multi de ineffabili ejus providentia arcaniſque judiciis vel jocoſe garriunt. ſæpe etiam ſacroſanctum ejus nomen ad craſſa ludibria abripitur: denique pars mundi, ejus ſanctitatem quantum in ſe eſt profanat. Quare non mirum eſt ſi primo loco petere jubemur ut reverentiam qualem meretur, in mundo obtineat. Cæterum hæc non vulgaris dignatio eſt, quod Deus gloriæ ſuæ ſtudium nobis commendat.

10. *Veniat regnum tuum.*] Quanquam verbum Græcum ſimplex eſt, ſenſus tamen manebit integer ſi legamus Adveniat, quemadmodum vetus interpres reddidit. Primo autem tenenda eſt definitio regni Dei regnare enim dicitur inter homines quum caroe ſua ſub jugum redacta, & ſuis cupiditatibus valere juſſis, illi ſe regendos ultro addicunt & tradunt. Nam in hac naturæ corruptione omnes noſtri affectus totidem ſunt Satanæ milites, qui juſtitiæ reſiſtunt, & ita regnum ejus impediunt vel turbant. Quare hac precatione optamus ut ſublatis omnibus impedimentis, ſub imperium ſuum redigat cunctos mortales, eoſque ad meditationem vitæ cæleſtis adducat. Hoc autem fit partim verbi prædicatione, partim arcana virtute Spiritus. Verbo ſuo gubernare vult homines: ſed quia nuda vox, niſi accedat interior vis Spiritus, uſque in corda non penetrat, conjungi utrumque ſimul oportet, ut ſtabiliatur Dei regnum. Precamur ergo ut ſuam Deus poteſtatem exerat tam verbo quam Spiritu, ut ſe illi ultro totus mundus ſubjiciat. Regno Dei opponitur omnis *ἀταξία* & confuſio: neque enim quicquam ordinatum eſt in mundo niſi quum moderatur ipſe manu ſua conſilia & affectus. Hinc colligimus initium regni Dei in nobis eſſe veteris hominis interitum & noſtri abnegationem, ut renovemur in aliam vitam.

Ve-

Verum alio etiam modo regnat Deus, dum hoſtes ſuos proſternit, & cum Satana ipſorum capite invitos redigit ſub poteſtatem ſuam, donec fiant omnes ſcabellum pedum ejus. Quare ſumma hujus precationis eſt, ut Deus verbi ſui luce mundum irradiet, Spiritus ſui afflatu corda formet in obſequium juſtitiæ ſuæ: quicquid eſt diſſipatum in terra, ſuis auſpiciis in ordinem reſtituat. exordium vero regnandi facit à ſubigendis carnis noſtræ cupiditatibus. Jam vero, quia regnum Dei per continuos progreſſus augetur uſque ad mundi finem, neceſſe eſt quotidie optare ejus adventum. Quantum enim iniquitatis graſſatur in mundo, tantundem abeſt regnum Dei, quod ſecum affert plenam rectitudinem. *Fiat voluntas tua.* Tametſi una eſt ac ſimplex Dei voluntas, quod ad ipſum ſpectat: bifariam tamen nobis in Scripturis proponitur. Dicitur enim fieri quod Deo placuit quum arcana providentiæ ſuæ decreta exequitur: licet contumaciter in adverſam partem nitantur homines. Sed hic jubemur alio modo precari ut fiat ejus voluntas: nempe ut placide & abſque repugnantia illi obtemperent omnes creaturæ. Quod ex comparatione melius liquet: nam ſicuti Angelos præſto habet ad omnia mandata (unde & miniſtri vocantur in ejus obſequium ſemper parati) ita cupimus omnes hominum voluntates formari in eum juſtitiæ Dei conſenſum ut ſponte flectantur quocunque ille annuerit. Eſt quidem hoc pium votum, ubi nos ſubmittimus Dei arbitrio, ejuſque placitis ſubſcribimus: ſed hæc precatio aliquid amplius continet, nempe ut Deus abolita omni hominum contumacia, quæ adverſus ipſum tumultuari non deſinit, dociles ſibi ac manſuetos reddat, ne quid velint aut appetant niſi quod ei placet ac probatur. Poſſet tamen objici quæſtio, an petendum à Deo ſit quod nunquam fore pronunciat uſque ad finem mundi. Reſpondeo, nihil opus eſſe, dum terram obedienter componi optamus ad Dei nutum, excutere ſingulos homines. Sufficit enim hoc voto teſtari nobis odio ac triſtitiæ eſſe quicquid Dei voluntati adverſum cernimus, extinctumque cupere, non modo ut omnium noſtrorum affectuum ſit moderatrix, ſed ut nos totos qua decet promptitudine ad eam implendam offeramus.

11. *Panem noſtrum quotidianum.*] Hæc eſt, ut dixi, quaſi ſecunda tabula formæ precandi quam nobis Chriſtus dictavit: ſic enim docendi cauſa prius diſtinxi. Ut ex duabus Legis tabulis prior de recto Dei cultu præcipit, altera vero de officiis charitatis: ita in hac precatione prius nos inſtruit ad quærendam Dei gloriam, deinde altera parte oſtendit quid pro nobis petere conveniat. Quanquam ſimul notandum eſt, quæ in ſalutem noſtram vel utilitatem concipimus vota, in ultimum illum finem debere referri. non enim propriæ utilitatis ſtudio ſic nos occupari fas eſt, quin primatum ſemper teneat Dei gloria. Quoties ergo oramus, nunquam ab eo ſcopo oculos deflectere licet. Hoc tamen inter duas precationum ſpecies quas poſuimus intereſt, quod dum agitur de regno Dei & ſanctificatione nominis ipſius, ſenſus noſtros ſurſum extolli oportet, ut omiſſo noſtri reſpectu ad ſolum Deum attendant: deinde ad noſipſos deſcendimus, & ſalutis noſtræ curam conjungimus cum illis prioribus votis quæ Deum ſolum reſpiciunt. Etſi autem victui præferenda eſt peccatorum remiſſio, quatenus ſcilicet anima corpori præcellit: initium tamen Chriſtus fecit à pane & terrenæ vitæ ſubſidiis, ut à tali rudimento altius eveheret. Non ergo panem quotidianum prius nobis dari petimus quam Deo reconciliari, quaſi nobis pluris eſſe debeat caducus ventris cibus, quam æterna ſalus animæ: ſed mentes noſtræ quaſi per ſcalas à terra in cælum conſcendant. Nam quum ſe Deus ad alenda corpora demittat, minime dubium eſt quin de ſpirituali vita noſtra longe ſit magis ſollicitus. Ergo tam benigna ejus indulgentia fiduciam noſtram altius erigit. Quod nonnulli panem ἐπιούσιον pro ſuperſubſtantiali accipiunt, prorſus abſurdum eſt. Ratio vero quam adducit Eraſmus, non modo frivola eſt, ſed pietati repugnat. non videtur illi probabile, quod dum prodimus in Dei conſpectum, Chriſtus nos de alimentis verba facere jubeat. Quaſi vero non paſſim hæc docendi ratio in Scripturis occurrat, ut ſcilicet præſentium bonorum guſtu in ſpem cæleſtium ducamur. imo vero hæc juſta demum fidei noſtræ probatio eſt, quum nihil aliunde expetimus, quam à Deo: nec modo eum agnoſcimus unicum bonorum omnium fontem, ſed paternam ejus bonitatem etiam ad minima quæque diffundi ſentimus, ut ne carnis quidem noſtræ curam ſuſcipere recuſet. Quod autem de corporali victu hic loquatur Chriſtus, primo inde colligere promptum eſt, quod alioqui mutila eſſet, non plena oratio. jubemur enim multis locis curas omnes noſtras in Dei ſinum conjicere: & ipſe liberaliter promittit nulla in re ſe nobis defuturum. Ergo in exacta rite orandi regula neceſſe eſt de innumeris præſentis vitæ neceſſitatibus aliquid præcipi. Deinde particula *hodie* ſignificat hic à Deo peti quod non niſi in diem curandum ſit. Neque enim dubium eſt quin terreni victus cupiditatem, ad quam immodice ferimur omnes, reſtringere ac moderari voluerit. Porro ſatis trita eſt ſynecdoche in nomine Panis. nam ſub eo Hebræi comprehendunt omne genus alimenti. Hic vero latius etiam extenditur. neque enim tantum eſcam nobis porrigi Dei manu, ſed quicquid ad tranſigendam vitam neceſſarium eſt, nobis ab eo dari cupimus. Nunc ſenſus clarus eſt: primum jubemur orare ut Deus quam nobis in hoc mundo vitam dedit, tueatur ac foveat: & quia indiget multis ſubſidiis, ut ipſe nobis ſubminiſtret quicquid neceſſarium eſſe novit. Jam quia Dei benignitas continuo tenore ad nos paſcendos fluit, panis quem miniſtrat vocatur ἐπιούσιος, hoc eſt, ſuperveniens. ſic enim interpretari licet. Tantundem ergo valet hoc nomen acſi dictum eſſet, Domine, quum quotidie novis alimentis opus habeat vita noſtra, ne aſſidue ea largiendo unquam fatigeris. Adverbium Hodie, ut paulo ante dixi, frenandæ nimiæ aviditati additum eſt, ut diſcamus ſingulis momentis à Dei beneficentia pendere, & eo demenſo contenti eſſe quod de die in diem (ut loquuntur) nobis ſuppeditat. Objicitur tamen quæſtio, Quum certum ſit Chriſtum regulam orandi piis omnibus communem dediſſe: ex eorum autem numero aliqui ſint divites qui repoſitam annonam habent, quomodo petere eos jubeat quod domi ſuæ habent, & petere in diem quod abunde illis in annum uſque ſuppetit. Solutio facilis eſt: monemur enim his verbis, niſi quotidie nos paſcat Deus, nihil fore quamlibet annonæ congeriem. affluant licet triticum, vinum, & reliqua omnia, niſi arcana Dei benedictione irrigentur, derepente evaneſcent, vel auferetur eorum uſus, vel excidet quæ illis ingenita eſt vis ad nos alendos, ut famelici in noſtra copia ſimus. Quare non mirum eſt ſi Chriſtus divites & inopes promiſcue ad cæleſtem nutricium invitet. Cæterum nemo ita ex animo precabitur niſi qui didicerit, Pauli exemplo, eſurire & abundare, ut ſuam inopiam vel tenuitatem æquo animo toleret, nec ſe fallaci abundantiæ ſuæ fiducia inebriet. Si quærat quiſpiam, quomodo panem, quem jam vocamus noſtrum, petamus nobis dari: reſpondeo, vocari non quod jure debeatur, ſed quia paterna Dei benevolentia in uſum noſtrum deſtinatus eſt. Itaque eo ipſo noſter efficitur, quod eum cæleſtis Pater, ne deſit noſtræ neceſſitati, gratuito nobis donat. Colendi quidem ſunt agri, ſudandum in colligendis terræ fructibus, ſubeundus eſt cuique & ferendus vocationis ſuæ labor, ut ſibi victum quærat: ſed hoc non obſtat quin gratuita Dei benefi-

ſicentia paſcamur, ſine qua fruſtra ſe homines laboribus conficerent. Itaque illi acceptum ferre docemur quicquid videtur induſtria oostra eſſe quæſitum. Simul tamen ex hoc verbo colligere licet, ſi divinitus paſci cupimus, alieno eſſe abſtinendum. ſe enim nihil niſi quod ſuum vocare poſſiot, appetere teſtantur omnes Dei alumni quoties hac precandi forma utuotur.

12. *Remitte nobis debita.*] Hic memoria repetere convenit quod nuper dixi, Chriſtum in digerendis ſuorum votis non ſpectaſſe quid prius aut poſterius *Eſa. 59. verſ. 2. & 44. verſ. 22. Thren. 3. verſ. 44.* ordine eſſet. Nam quum ſcriptum ſit peccata noſtra inſtar maceriæ eſſe, quæ nos à Dei acceſſu prohibeat: & inſtar nubis, qua impediuntur ejus oculi ne nos reſpiciant: preces noſtras ſemper à peccatorum remiſſione ordiri neceſſe eſt: quia hinc prima ſpes exorandi Dei affulget dum nobis propitius eſt, qui non aliter nobis placatur quam peccata gratis ignoſcendo. Cæterum duabus petitionibus complexus eſt Chriſtus quæ ad æternam ſalutem animæ & ſpiritualem vitam ſpectabant: ſicuti hæc duo ſunt præcipua capita divini fœderis, quibus tota ſalus oostra conſtat: quod oobis gratuitam reconciliationem offert, peccata non imputando; & Spiritum promittit, qui juſtitiam Legis cordibus noſtris inſculpat. Utrumque ergo petere jubemur. & priore loco ponitur votum pro obtinenda peccatorum remiſſione. Peccata apud Matthæum vocantur debita, quoniam reatu nos obſtringunt ad Dei tribunal, & debitores conſtituunt: imo à Deo prorſus alienant, ut nulla ſpes ſit obtinendæ pacis & gratiæ niſi per veniam. Ita *Rom. 3. verſ. 25.* impletur quod docet Paulus, Reos eſſe omnes, & deſtitui Dei gloria, ut omne os obſtruatur, & obnoxius fiat omois mundus Deo. Nam etſi in ſanctis ex parte affulget Dei juſtitia, quamdiu tamen carne circumdati ſunt, peccatis onerati jacent. Ita nemo reperietur uſque adeo purus qui non indigeat miſericordia Dei: cujus ſi participes eſſe cupimus, miſeriam noſtram ſentire neceſſe eſt. qui vero tantam ſibi perfectionem in hoc mundo ſomniant ut ab omni vitio & culpa ſint immuoes, non tam peccatis valedicunt, quam ipſi Chriſto, à cujus Eccleſia ſeſe abdicant. Nam quum diſcipulos omoes ſuos ad peccatorum remiſſionem jubeat quotidie confugere, ab eorum numero ſe expungit quiſquis ſupervacuum hoc remedium eſſe putat. Jam remiſſio, quam hic nobis fieri optamus, ſatisfactionibus repugnat quibus ſe mundus redimere conatur. Neque enim remittere dicitur creditor qui accepta ſolutione nihil amplius exigit: ſed qui ultro & liberaliter jure ſuo cedens, abſolvit debitorem. Neque hic locum habet vulgaris illa culpæ & pœnæ diſtinctio. nec enim dubium eſt quin debita, pœnæ reatum ſignificent. Hic ſi nobis gratis remittitur, compenſationes omnes evaneſcere oportet. Nec alius eſt ſenſus Lucæ, quamvis peccata nominet: quia eorum veniam non aliter indulget Deus, quam reatum tollendo. *Sicut & nos remittimus.*] Hæc conditio ideo appoſita eſt ne quis ad Deum petendæ veniæ cauſa accedere audeat niſi omni odio purus ac vacuus. Neque tamen venia quam nobis dari petimus, ab ea quam præſtamus aliis dependet: ſed hoc modo ad remittendas omoes offenſas hortari nos Chriſtus voluit, & ſimul abſolutionis noſtræ fiduciam quaſi impreſſo ſigillo melius ratam facere. Nec obſtat quod apud Lucam habetur particula *καὶ γὰρ*, quæ tantundem valet ac Siquidem vel Etenim: quia Chriſti conſilium non fuit cauſam notare: ſed tantum monere qualem erga fratres animum afferre oporteat dum cupimus Deo reconciliari. Et certe ſi in cordibus noſtris regnat Dei Spiritus, ceſſare oportet omoem malevolentiam & vindictæ affectum. Quum autem Spiritus nobis ſit adoptionis noſtræ teſtis, videmus ſimpliciter hic appoſitam eſſe notam quæ Dei filios ab extraneis diſcernat. Debitores hic vocantur noo pecuniæ, vel officii alicujus: ſed qui ob illatas injurias nobis ſunt obnoxii.

13. *Et ne nos inducas in tent.*] Hæc petitio perperam in duas à quibuſdam ſecta fuit, quum ex re ipſa conſtet uoam & eandem eſſe, & verborum connexio idem demonſtret: adverſativa enim particula quæ media ponitur, duo membra inter ſe ſimul colligat. quod etiam prudenter expendit Auguſtious. Sic igitur reſolvi debet oratio, Ne io tentationem feramur, nos à malo redime. Summa autem eſt, quod propriæ iofirmitatis nobis conſcii, Dei præſidio defendi nos cupimus, ut inexpugnabiles ſtemus adverſus quaslibet Satanæ machinas. Jam ſicut ex proximo voto oſtendimus, neminem cenſeri Chriſtianum poſſe niſi qui ſe peccatis obſtrictum agnoſcit: ita ex hoc colligimus, ad bene viveodum vires nobis minime ſufficere oiſi quatenus eas Deus ſuppeditat. quiſquis enim ad vincendas tentationes, Dei auxilium implorat, ſe ita ipſo liberatore fatetur habere opus oe ſubinde labatur. Cæterum nomeo Tentatioois ſæpe generaliter ſumitur pro quacunque probatione: quo ſenſu dicitur tentatus à Deo fuiſſe Abraham quum explorata fuit ejus fides. ſic tam adverſis rebus quam proſperis tentamur, quia hac occaſione in lucem emergunt affectus qui prius latebant. Sed hic notatur ioterior tentatio quæ diaboli flagellum apte vocari poteſt, ad incitandam noſtram concupiſcentiam. abſurdum enim eſſet à Deo petere ut nos ab omnibus fidei documentis immunes reddat. Ergo pravi omnes motus qui oos ad peccandum ſollicitaot, ſub Tentationis nomine comprehenduntur. Quanquam autem fieri oon poteſt quin tales io animis punctiones ſeotiamus, quia toto vitæ curſu contioua eſt nobis cum carne militia: petimus tamen à Domioo ne tentationibus oos ſubjiciat, vel obrui patiatur. Ac quo melius exprimeret Chriſtus nos ad aſſiduos caſus & ruinas proclives pendere niſi nos Deus manu ſua ſuſtioeat: hac loquendi forma uſus eſt, Ne nos ioducas in tentationem, vel ut alii vertunt, Ne oos inferas. Certum quidem eſt unumquemque tentari à propria coocupiſcentia, quemadmodum docet Jacobus: ſed quia Deus noo modo Satanæ libidini nos *Jacob. 1. verſ. 14.* permittit ut ignem concupiſcentiæ accendat, ſed eo utitur iræ ſuæ mioiſtro, quoties vult homines in exitium præcipites agere, ipſe quoque ſuo modo io tentationem ioducit. Quo ſenſu dicitur ſpiritus Dei malus arripuiſſe Saulem: & eodem tendunt complures Scripturæ loci. neque tamen propterea Deum vocabimus malorum auctorem: quoniam homines mittendo in ſeoſum reprobum, non confuſam tyrannidem exercet, ſed juſta ſua judicia, licet arcana, exequitur. *Libera nos à malo.*] Malum hic tam io neutro quam maſculino genere poteſt accipi. Chryſoſtomus ad diabolum refert, qui omnium eſt architectus: atque, ut infeſtus eſt ſalutis noſtræ hoſtis, aſſidue nos oppugnat. oon minus tamen commode exponi poterit de peccato. Nec de ea re movendum eſt certamen: quia idem fere manet ſenſus, nos ſcilicet diabolo & peccato eſſe expoſitos oiſi nos tueatur Dominus & eripiat. *Quia tuum eſt regnum.*] Mirum eſt hanc precationis clauſulam, quæ tam apte quadrat, à Latinis fuiſſe omiſſam. neque enim ideo ſolum addita eſt ut corda noſtra ad expetendam Dei gloriam accendat, & admoneat quiſnam eſſe debeat votorum ooſtrorum ſcopus: ſed etiam ut doceat, preces noſtras quæ hic nobis dictatæ ſunt, non alibi quam in Deo ſolo fundatas eſſe, ne propriis meritis nitamur.

Matth. VI.

14. Si enim remiſeritis hominibus peccata ſua, remittet etiam vobis Pater cæleſtis.

15. Quod ſi non remiſeritis hominibus peccata ſua, neque Pater veſter remittet peccata veſtra.

Marc. XI.

25. Et quum ſteteritis orantes, remittite ſi quid habetis adverſus aliquem, ut & Pater veſter qui in cælis eſt, remittat vobis delicta veſtra.

26. Quod ſi vos non remiſeritis, nec Pater veſter qui in cælis eſt, remittet vobis peccata veſtra.

Luc.

Hic tantum exponit Chriſtus quorſum appoſita fuerit illa conditio, Remitte nobis ſicut nos remittimus: nempe Deum non aliter fore nobis exorabilem niſi nos etiam præbeamus faciles ad dandam veniam, ſiqui nos læſerint. Et certe niſi pluſquam ferrei ſumus, mollire nos debet hæc exhortatio, ut placabiles ſimus ad remittendas offenſas. Niſi quotidie varia peccata condonet Deus, ſcimus nos innumeris modis periiſſe. atqui non alia lege ad veniam nos admittit, niſi fratribus ignoſcimus quicquid in nos peccarint. Se igitur ultro quaſi devotis animis exitio addicunt, & data opera Deum ſibi reddunt implacabilem, qui illatas ſibi injurias obliviſci nolunt.

Matth. VI. | **Marc.** | **Luc.**

16. Porro quum jejunaveritis, ne ſitis veluti hypocritæ tetrici. deformant enim facies ſuas, quo perſpicuum ſit hominibus ipſos jejunare. Amen dico vobis, habent mercedem ſuam.

17. Tu vero quum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava:

18. Ne conſpicuum ſit hominibus te jejunare, ſed Patri tuo qui eſt in occulto: & Pater tuus qui videt in abdito, reddet tibi in propatulo.

Iterum redit ad ſuperiorem doctrinam. quum enim vanam oſtentationem in eleemoſynis & precibus reprehendere cœpiſſet, legitimam orandi regulam interpoſuit. Nunc de jejunio idem ſuis præcipit quod prius de precibus & eleemoſynis: ne ſcilicet tantopere ſervire theatro ſtudeant, quam Deum habere operum ſuorum teſtem. Porro quod caput ungere & faciem lavare jubet, hyperbolicum eſt. neque enim Chriſtus ab una ſpecie hypocriſeos ita nos retrahit, ut in alteram inducat. Non ergo ſimulare lautitias jubet: neque ita nos hortatur ad victus temperantiam, ut delicias in unguentis & veſtitu indulgeat: ſed ſimpliciter nos hortatur ad tenendam moderationem, in qua nihil ſit vel novum vel affectatum. acſi diceret, ita jejuniis vacandum eſſe, ut in conſueta vitæ ratione nihil mutemus. Quod jejuniis mercedem à Deo promittit, impropria eſt loquutio, ſicuti paulo ante de precibus dictum eſt. quanquam inter preces & jejunia magnum eſt diſcrimen. Illæ enim inter pietatis officia primatum tenent: jejunium vero per ſe opus medium eſt, oon autem ex eorum genere quæ Deus requirit & probat, ut ſunt eleemoſynæ. Placet autem duntaxat, quatenus refertur in alium finem: nempe ut nos ad abſtinentiam exerceat, ut ſubigat carnis laſciviam, ut ad ſtudium orandi nos inflammet, ut teſtimonium ſit pœnitentiæ noſtræ, quoties Dei judicio urgemur. Senſus ergo verborum Chriſti eſt, Deus aliquando patefaciet ſibi placuiſſe quæ videbantur periiſſe bona opera, quod hominum oculos fugerant.

Matth. VI.

19. Ne reponatis vobis theſauros in terra, ubi ærugo & tinea delet, ubi fures perfodiunt ac furantur.

20. Sed recondite vobis theſauros in cælo, ubi neque ærugo neque tinea delet, & ubi fures non perfodiunt, neque furantur.

21. Nam ubi fuerit theſaurus veſter, illic erit & cor veſtrum.

Marc.

Luc. XII.

33. Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. Parate vobis ſacculos qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cælis, quo fur non accedit, neque tinea corrumpit.

34. Ubi enim fuerit theſaurus veſter, ibi & cor veſtrum erit.

19. *Ne reponatis.*] Peſtis hæc capitalis paſſim regnat in mundo, ut homines inexplebili habendi cupiditate inſaniant. Eos vero ſtultitiæ coarguit Chriſtus, quod opibus magna cura congeſtis ſuam felicitatem vermibus & ærugini proſtituunt, furibuſque exponunt in prædam. Quid autem rationi minus conſeotaneum eſt quam bona ſua locare ubi vel ſponte pereant, vel rapiantur ab hominibus? Hoc quidem non cogitant avari: opes enim ſuas includunt arcis bene obſeratis: effugere tamen nequeunt quin furibus vel tineis obnoxiæ ſint ſuæ divitiæ. Cæci igitur & recto ſenſu privati ſunt qui tanto labore tantaque moleſtia inhiant congerendis opibus, quæ vel putredini, vel rapinis, vel aliis mille fortuitis caſibus ſubjectæ ſint: præſertim quum Deus locum theſauri in cælo reponendi nobis commodet, & ad divitias quæ nuoquam pereunt poſſidendas benigne invitet. Theſaurum autem ſuum in cælo reponere dicuntur qui expediti hujus mundi laqueis, curas ſuas & ſtudia ad cæleſtis vitæ meditationem conferunt. Apud Lucam non exprimitur antitheſis, & diverſa occaſio notatur quare jubeat Chriſtus parari ſacculos qui non veteraſcunt: dixerat enim, Vendite quæ poſſidetis, ut detis eleemoſynam. Jam quia durum eſt atque acerbum hominibus ſe propriis facultatibus nudare, levandæ hujus moleſtiæ cauſa amplam & magnificam ſpem compenſationis proponit: quod ſcilicet theſauros ſibi in cælo reponant qui in terra ſubveniunt fratrum egeſtati, juxta illud Solomonis, Qui erogat pauperi, fœneratur Domino. Cæterum quod de poſſeſſionibus vendendis præcipit, non ita præciſe urgendum eſt quaſi fas non ſit Chriſtiano homini quicquam ſibi reliquum facere. tantum docere voluit, non eatenus modo largiendum eſſe pauperibus, ut quod nobis ſuperfluum eſt, ad eos redundet: ſed ne fundis quidem parcendum eſſe ſi pauperum neceſſitati non ſufficiat reditus qui ad manum eſt. acſi dixiſſet, Liberalitas veſtra etiam uſque ad patrimonii diminutionem & agrorum alienationem ſe extendat.

21. *Ubi fuerit theſaurus veſter.*] Hac ſententia eonvincit Chriſtus miſeros eſſe homines, qui theſauros ſuos in terra repoſitos habent: quia ſcilicet caduca ſit & evanida eorum felicitas. negant enim ſe impediri avari quominus corde in cælum aſpirent: ſed Chriſtus axioma opponit, quod ubicunque ſummum bonum homines eſſe fingunt, illie ſint impliciti & affixi. Hine ſequitur, cælo renunciare qui in mundo felices eſſe appetunt. Scimus quam accurate diſputarint Philoſophi de ſummo bono. imo boc illis præcipuum ſuii caput in qun ſudarunt: neque immeritn: quandoquidem tota inde vitæ formandæ ratio dependet, atque bue referuntur nmnes ſenſus. Si cenſetur honos ſummum bonum, neceſſe eſt ut mentes bumanas penitus occupet ambitin; ſi pecuniæ, avaritia protinus regnum invadet: ſi voluptas, fieri nnn poterit quin hnmines ad brutam indulgentiam degenerent. naturaliter enim omnes ad expetendum booum ferimur. ita fit ut nos falſæ imaginationes buc illuc abripiant. Quod ſi nobis probe & ſerio perſuaſum eſſet, felicitatem noſtram in cælo eſſe: facile eſſet, calcato mundo, deſpectiſque terrenis bonis (qunrum fallaces illecebræ majorem hominum partem faſcinant) in cælum conſcendere. Hac ratinne Paulus, dum in ſublime attollere vult fideles, & bortari ad cæleſtis vitæ ſtudium, illis Chriſtum proponit: in quo ſolo quærenda eſt ſolida felicitas. acſi diceret, abſurdum eſſe & indignum ut in terra ſubſidant eorum animæ quorum in cælo eſſet theſaurus.

MATTH. VI.

22. Lucerna corporis eſt oculus. ſi igitur oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.

23. Quod ſi oculus tuus malus fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit. Ergo ſi lumen quod eſt in te, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ?

24. Nemo poteſt duobus dominis ſervire: aut enim hunc habebit odio, & alterum diliget; aut huic adhærebit, & alterum negliget. non poteſtis Deo ſervire & mammonæ.

MARC.

LUC. XI.

34. Lucerna corporis eſt oculus. quum igitur oculus tuus fuerit ſimplex, totum quoque corpus tuum lucidum erit: quod ſi malus fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit.

35. Vide ergo ne lumen quod in te eſt, tenebræ ſint.

36. Si ergo corpus tuum totum fuerit lucidum, non habens aliquam partem tenebroſam, erit lucidum totum, ut quum lucerna fulgore illuminat te.

LUC. XVI.

13. Nemo ſervus poteſt duobus dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget; aut uni adhærebit, & alterum contemnet. non poteſtis Deo ſervire & mammonæ.

22. *Lucerna corporis eſt oculus.*] Tenendum memoria eſt quod prius monui, conciſas bic referri ſententias, non autem perpetuam eſſe concionem. Summa porro hujus ſententiæ eſt, Socordia errare homines, quia intenti non ſunt, ut decebat, in rectum ſcopum. unde enim fit ut turpiter vagentur, vel impingant, vel labantur, niſi quia corrupto judicio, dum ſuis libidinibus quam Dei juſtitiæ obſequi malunt, non modn ſuffocant rationis lucem quæ eorum vitam regere debuerat, ſed prorſus in tenebras convertunt? Similitudine autem utitur Chriſtus, oculum tntius corporis lucernam vocans. acſi diceret, Quum homines ambulant, neque manus, neque pedes, neque ventrem regendæ viæ præeſſe, ſed unum oculum ſufficere ducem reliquis membris. Ergo ſi temere ferantur manus & pedes quo minime convenit, erroris culpa oculis erit imputanda, qui officium non faciunt. Nunc ad animam transferenda eſt ſimilitudo. ſinguli affectus quædam ſunt veluti ejus membra: ſed quia per ſe cæci ſunt, directione opus habent. Jam Deus rationem indidit quæ eos in ordinem cogat, & lucernæ polleat officio ad viam monſtrandam. Quid autem plerumque fieri ſolet? Nempe homines quicquid ſanæ mentis datum erat ſponte corrumpunt ac pervertunt, ut ne ſcintilla quidem una lucis reſidua maneat. Oculum ſimplicem vocat qoi nec lema aliqua obtectus, nec lippitudine infectus eſt, nec alio vitio laborat: πονηρὸν accipit pro vitioſo. Corpus lucidum, quod illuminatur ut actiones ſuas babeat rite compoſitas: Tenebroſum vero, quod confuſo mntu in varios errores fertur. Videmus ergo (quemadmodum jam dixi) his verbis coargui hominum ignaviam, qui mentis oculos aperire negliguot ad gubernandos ſuos affectus. Quod autem hinc colligunt Papiſtæ, pollere ratione & prudentia homines, ut libera ſit illis boni & mali electio: frivolum eſt. neque enim Chriſtus, qua facultate præditi ſimus, boc loco diſſerit: ſed quomodo nos ambulare deceat, ut ſcilicet in certum aliquem ſcopum ſimus intenti. Ac ſimul docet, totum humanæ vitæ curſum ideo tenebroſum eſſe quia nemo rectum finem ſibi proponat, ſed omnes ſibi ad malum cupide ſectandum indulgeant. Fateor quidem natura ingenitam eſſe hominibus rationem qua diſcernant inter vitia & virtutes: ſed ita peccato vitiatam eſſe dico, ut ad ſiogulos paſſus deficiat. Interea non ſequitur quin tenebras ſibi ſponte accerſant homines, acſi clauſis oculis oblatum lumen fugerent: quia ſcientes & volentes poſt ſuas concupiſcentias feruntur.

23. *Si lumen quod in te eſt.*] Lumen vocat rationem, quantulacunque in hominibus reliqua manet poſt lapſum Adæ: Tenebras autem, craſſos affectus & belluinos. Senſus eſt igitur, mirum non eſſe ſi tam fœde pecudum more in vitiorum luto ſeſe bomines volutent: quandoquidem nulla eſt ratio quæ cæcas & tenebroſas carnis libidines regat. Lumen vero dicit in tenebras converti, non modo quum mentis ſuæ judicium obrui ſinunt homines pravis carnis libidinibus, ſed ingenium ſuum perverſis cogitationibus dedentes, quaſi in belluas degenerant. Videmus enim ut maligne ad aſtutiam deflectant bomines quicquid datum erat prudentiæ, ut ſibi fodiant profundas cogitationes, quemadmodum dicit Propheta, *Jeſa. 29.*
ut ſubterfugiis ſuis freti, proterve Deo inſultent: *verſ. 5.*
denique innumeris modis ad ſe perdendos ingenioſi eſſe appetant. Quare non abs re pronunciat Chriſtus, fieri non poſſe quin borribiles & pluſquam denſæ tenebræ regnent in vita, ubi bomines data opera cæcutiunt. Idem eſt ſenſus verborum quæ habentur apud Lucam: niſi quod ſententiam hanc connectit illie Chriſtus cum ea quæ prius expoſita fuit Matthæi quinto capite, Nemo lucernam accendit, & ponit eam in abſcondito, &c. Deinde hujus clauſulæ loco, Si lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt, &c. exbortationem ponit, Vide ne lumen quod in te eſt, tenebræ ſint. acſi diceret, Vide ne mens tua, quæ inſtar lucernæ fulgere debuerat ad moderandas tuas actio-

actiones, totam vitam tuam obtenebret ac pervertat. Poſtea ſubjicit, quum illuminatur corpus ab oculo, in ſingulis membris extare optimam moderationem: ſicuti lumen accenſum diffunditur & penetrat in omnes cubiculi partes.

24. *Nemo poteſt.*] Redit Chriſtus ad ſuperiorem doctrinam, nempe ut ſuos diſcipulos ab avaritia retrahat. Prius dixerat, cor hominis theſauro ejus devinctum eſſe & conſtrictum; nunc admonet alienari à Domino eorum corda qui ſe divitiis addicunt. Delicias enim fallaci prætextu major pars ſibi facere ſolet, dum inter Deum & ſuas cupiditates partiri ſe poſſe fingit. Chriſtus autem fieri poſſe negat ut quiſquam Deo ſimul & carni ſuæ obtemperet. Non dubium eſt quin proverbium tunc vulgo uſitatum fuerit, Neminem poſſe duobus dominis ſimul ſervire. Quod igitur omnium opinione receptum erat, pro confeſſo ſumit, atque ita ad præſentem cauſam accommodat, ubi regnum occupent divitiæ, abdicari Deo ſuum imperium. Non eſt quidem impoſſibile Deo ſervire qui divites ſunt: ſed quiſquis divitiis ſe in ſervitutem tradit, à Deo ſe emancipet eſt neceſſe; quandoquidem diaboli mancipia nos avaritia ſemper reddit. quod alibi refertur à Luca, in hunc contextum inſerui: quia quum ſparſim, ut fert occaſio, Euangeliſtæ ex Chriſti doctrina ſententias in alienos locos transferant, nobis nulla eſſe debet religio eos inter ſe aptare. Cæterum quod ſpecialiter de divitiis hic dicitur, ad alia omne genus vitia rite extendi poteſt: Quum Deus tantopere ſinceritatem ubique commendet, duplex autem cor abominetur, eos omnes falli qui ipſum dimidia cordis ſui parte contentum fore putant. Fatentur quidem omnes ore, non vere coli Deum niſi integro affectu: ſed reipſa negant, dum conciliare ſtudent res inter ſe contrarias. Non deſinam, inquit ambitioſus, Deo ſervire, quamvis ad venandos honores bonam ingenii mei partem applicem. Idem avari, voluptuoſi, crapulæ dediti, libidinoſi, crudeles, pro ſe quiſque jactant. quaſi vero poſſibile ſit Deo ex parte ſervire quos ex profeſſo contra eum bellare patet. Verum quidem eſt, fideles ipſos nunquam ita in ſolidum addictos eſſe Dei obſequio quin retrahantur ſubinde vitioſis carnis cupiditatibus. Sed quia gemunt ſub hac miſera ſervitute, ſibique diſplicent, nec aliter carni ſerviunt quam inviti & reluctantes: non dicuntur duobus dominis ſervire: quia perinde probantur eorum ſtudia & conatus Domino, acſi integram illi obedientiam præſtarent. Hic autem refellitur eorum hypocriſis qui ſibi in vitiis blandiuntur, acſi lucem tenebris poſſent conjungere.

MATTH. VI.

25. Propterea dico vobis ne ſitis ſolliciti animæ veſtræ quid eſuri ſitis atque bibituri, neque corpori veſtro quibus indumentis uſuri: nonne anima pluris eſt quam cibus, & corpus pluris quam indumentum?

26. Reſpicite ad volatilia cæli, quia non ſerunt neque metunt, neque colligunt in horrea, & Pater veſter cæleſtis alit illa: nonne vos longe præcellitis illis?

27. Quis autem veſtrum anxie curando poteſt addere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?

28. Ac de indumento quid ſolliciti eſtis? cognoſcite lilia agri quomodo creſcunt: non laborant neque nent.

29. Dico autem vobis ne Solomonem quidem in univerſa ſua gloria ſic amictum fuiſſe ut unum ex his.

30. Quod ſi gramen agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, annon multo magis vos, ô exiguæ fidei?

MARC.

LUC. XII.

22. Dixitque ad diſcipulos ſuos, Ideo dico vobis, ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid edatis, neque corpori quid induamini.

23. Anima pluris eſt quam eſca, & corpus pluris quam indumentum.

24. Conſiderate corvos quia non ſeminant neque metunt, quibus non eſt penuarium neque horreum, & Deus paſcit illos: quanto magis vos præſtatis volucribus?

25. Quis autem veſtrum ſollicite curando poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?

26. Si ergo ne id quidem quod minimum eſt poteſtis, quid de cæteris ſolliciti eſtis?

27. Conſiderate lilia, quomodo creſcunt: non laborant neque nent. dico autem vobis, nec Solomon in univerſa gloria ſua veſtiebatur ſicut unum ex iſtis.

28. Si autem gramen quod hodie eſt in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, quanto magis vos, ô exiguæ fidei?

Hoc toto ſermone Chriſtus nimis anxiam victus & veſtitus curam qua ſe homines excruciant, reprehendit, ac ſimul curando huic morbo remedium adhibet. Quod ſollicitos eſſe vetat, non ita præciſe ſumi debet acſi omnem ſuis curam eximeret. ſcimus enim ea lege natos eſſe homines ut aliquid curæ ſuſtineant: imo hæc non ultima eſt pars miſeriarum quas Dominus nobis in pœnam injunxit ut nos humiliaret. Sed immodicam curam damnat ob duas cauſas: quia ſcilicet ea ſe fruſtra macerant homines & torquent, ſatageodo plus quam liceat vel ferat eorum vocatio: deinde quod ſibi plus ſumunt quam oportet, ac propria induſtria freti, Deum invocare negligunt. Tenenda eſt illa promiſſio, Quum increduli ſero cubitum ibunt, mane ſurgent, & comedent panem doloris, fideles quiete & ſomno per Dei gratiam potituros. Ergo filii Dei quamvis à labore & cura immunes non ſint, proprie tamen non dicuntur eſſe ſolliciti de vita, quoniam in Dei providentiam recumbendo, tranquille quieſcunt. Hinc colligere promptum eſt quatenus habenda ſit victus cura, nempe ut laboret quiſque noſtrum quantum fert ſua vocatio, & Dominus præcipit: deinde ut ſua quemque neceſſitas ad Deum invocandum ſollicitet. Talis cura inter ſupinam ſecuritatem & ſupervacuos cruciatus quibus ſe conficiunt increduli, media eſt. Quod ſi probe expendimus Chriſti verba, non quamlibet curam nobis interdicit, ſed quæ ex diffidentia naſcitur. Nolite, inquit, ſolliciti eſſe quid edatis aut bibatis. id vero proprium eſt eorum qui inopiæ & defectus metu trepidant, acſi illis in ſingula momenta defuturus eſſet cibus.

Pſal. 127. verſ. 2.

25. *Nonne anima.*] Ratiocinatur à majori ad minus. Vetuerat nimium curare quomodo tolerari

poſſit

poſſit vita: nunc rationem ſubjicit, Domioum qui vitam ipſam donavit, mioime paſſurum ut quæ ad eam ſuſtinendam pertinent ſubſidia nobis deſint. Et certe non levem facimus Deo injuriam quoties diffidimus ne victus aut veſtitus nobis ſuppetat, quaſi nos fortuito in terram projiceret. Quiſquis enim certo perſuaſus eſt eum minime latere qualis ſit conditio vitæ noſtræ, cujus ipſe eſt auctor, non dubitabir quin ejus neceſſiatibus optime conſulat. Ergo quoties de victu metus aliquis vel ſollicitudo obrepit, meminerimus Deo curæ vitam noſtram fore quam nobis donavit.

26. *Reſpicite ad volatilia.*] Hoc eſt quod dixi remedium, ut ſcilicet in Dei providentiam recumbere diſcamus: omnium enim curarum quæ modum excedunt, mater eſt infidelitas. Ideo unica corrigendæ avaritiæ ratio eſt, ſi Dei promiſſiones amplectimur quihus ſe teſtatur habiturum curam noſtri. In hunc modum Apoſtolus retrahere fideles ab avaritia vo-
Hebr. 13. *verſ.* 5. lens, eam doctrinam coofirmat, quia ſcriptum ſit, Non te deſeram, neque deſtituam. Summa ergo eſt, quod nos ad fidendum Deo hortatur, qui nullos ex ſuis, quamlibet contemptibiles, negligit. Diligenter notandum eſt quod Patrem cœleſtem dicit volatilia alere. Etſi enim non ſine miraculo vitam ſuſtentant, quotuſquiſque tamen noſtrum reputat inde pendere eorum vitam quod Deus ſuam providentiam ad ipſa uſque extendere dignatur? Quod ſi penitus animis noſtris infixum ſit ſubminiſtrari Dei manu alimenta volucribus, facile erit de nobis ſperare qui ad ejus imaginem ſumus conditi, & qui inter ejus filios cenſemur. Quum dicit volatilia non ſerere neque metere, his verbis nos ad otium & pigritiam minime invitat: ſed tantum intelligit, etiamſi ceſſent omnia ſubſidia, nobis unam Dei providentiam ſufficere, quæ abunde animalibus ſuppeditat quicquid opus eſt. Lucas pro Volucribus, Corvos ponit: alludens
Pſa. 147. *verſ.* 9. forte ad locum illum Pſalmi, Qui dat eſcam pullis corvorum invocantibus eum. Davidem vero quidam exiſtimant nominatim ideo loquutum eſſe de corvis, quod quum eos ſtatim deſerant patres & matres, neceſſe eſt divinitus alimenta illis offerri. Hinc patet non aliud voluiſſe Chriſtum quam ut ſuos doceret curas ſuas in Deum rejicere.

27. *Quis autem veſtrum anxie curando.*] Hic aliud vitium damnat Chriſtus quod fere ſemper implicitum eſt cum immodica victus cura: nempe quod ſibi ſupra quam licet uſurpans mortalis homo, ſacrilega temeritate fines ſuos tranſilire non dubitat. Scio (inquit Jeremias) quod non eſt hominis via ejus, nec *Jer.* 10. *verſ.* 23.
viri ut dirigat greſſus ſuos. Atqui vix centeſimus quiſque reperitur qui non quidvis ſibi de propria induſtria aut virtute promittere audeat. hinc fit ut poſthabito Deo, quidvis etiam machinari non dubitent qui ſibi arrogant proſperos rerum eventus. Hanc inſanam audaciam ut cohibeat Chriſtus, quicquid ad vitæ noſtræ ſuſtentationem pertinet, à ſola Dei benedictione pendere dicit: perinde enim eſt acſi diceret, ſtulte ſe fatigare homines, quando ſupervacui ſint omnes labores & irriti, profectu careant omnes curæ, niſi quatenus illis Deus benedicit. quod clarius exprimitur apud Lucam, quum addit Chriſtus, Si ne id quidem quod minimum eſt poteſtis, quid de cæteris eſtis ſolliciti? Nam ex illis verbis ſatis conſtat non ſolam diffidentiam argui, ſed ſuperbiam, quod homines ſuæ ſolertiæ multo plus quam par ſit arrogent.

29. *Ne Solomonem quidem in tota gloria.*] Senſus eſt, quæ in herbis & floribus relucet Dei benignitas, ſuperare quicquid ſuis opibus, potentia, vel alio quovis modo homines poſſunt: ut ſtatuant fideles nihil ſibi ad perfectam copiam defore, quamvis deſint omnia adminicula, modo una vigeat Dei benedictio.

30. *O exiguæ fides.*] Noo ab re hac in parte defectum vel imbecillitatem fidei Chriſtus accuſat: quo enim magis præſentis vitæ cura pro ingenii noſtri craſſitie afficimur, eo ſe magis prodit noſtra infidelitas, niſi omnia ex voto ſuppetant. Itaque permulti qui in rebus maximis tolerabili ſaltem fide præditi videntur, ad inopiæ periculum expaveſcunt.

MATTH. VI.	MARC.	LUC. XII.
31. Ne ſitis igitur ſolliciti, dicentes, Quid edemus, aut quid bibemus, aut quibus operiemur? 32. Nam omnia iſta Gentes exquirunt. novit enim Pater veſter cæleſtis quod opus habeatis his omnibus. 33. Quin potius quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. 34. Ne ſitis igitur ſolliciti in craſtinum: nam craſtinus dies curam habebit ſuiipſius. ſufficit ſua diei afflictio.		29. Et vos nolite quærere quid eſuri ſitis, aut quid bibituri, & nolite in ſublime tolli. 30. Hæc enim omnia Gentes mundi quærunt. Pater autem veſter novit quod iſtis opus habeatis. 31. Quin potius quærite regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis. 32. Noli timere puſille grex, quia complacitum eſt Patri veſtro dare vobis regnum.

Idem qui ſuperioris doctinæ ſcopus eſt: ut fideles paterna Dei cura confiſi, & quæcunque ſibi neceſſaria eſſe ſentiunt ab eo ſperantes, ſupervacua aoxietate ſe non excrucient. Sollicitos eſſe vetat, vel quærere, ſicuti habet Lucas: nempe eorum more qui huc & illuc circumſpiciunt, omiſſo Dei reſpectu in quem unum intentos eſſe decebat, neque unquam quieſcunt niſi ubi ſub oculis apparet annonæ copia: imo qui Deo non tribuentes tuendi mundi officium, aſſidua inquietudine æſtuant ac vexantur. Quum dicit Gentes omnia iſta quærere, exprobrat nimis craſſam inſcitiam, unde manant tales omnes curæ. unde enim fit ut nunquam tranquillo in ſtatu reſideant increduli, niſi quod Deum fingunt otioſum in cælo dormire, vel ſaltem non proſpicere rebus humanis, ut quos in fidem ſuam ſuſcepit, inſtar familiæ ſuæ paſcat? Ita hac comparatione ſignificat male profeciſſe, nec adhuc prima tenere pietatis rudimenta quicunque occulta bonorum omnium copia refertam Dei manum fidei oculis non aſpiciunt, ut placide ac ſedatis animis victum inde expecteot. Pater, inquit, cæleſtis novit vos iſtis indigere. quaſi diceret eos omnes qui tantopere de victu ſunt anxii, paternæ Dei bonitati & arcanæ providentiæ nihilo plus deferre bonoris quam incredulos.

29. Luc. *Et nolite in ſublime tolli.*] Hæc particula, ultimæ ſententiæ quæ apud Matthæum habetur, reſpondet, Ne ſitis ſolliciti in craſtinum. aliud enim vitium taxat Chriſtus, quod homines libeoter quinque ſecula amplecterenrur, dum ſibi conſulere volunt. Verbum μετεωρίζεσθαι, quo utitur Lucas, proprie ſignificat ex alto ſpeculari: quod vulgo dicimus Facere longos diſcurſus. nullum enim ſatagendi modum ſibi facit carnis noſtræ intemperies, quin cælum & terram centies revolvat. Hinc fit ut nullum relinquat Dei providentiæ locum. Hoc igitur

nomine

nomine reprehenditur nimia curioſitas, quod per eam nobis inutiles moleſtias accerſimus, atque ita ſponte efficimur ante tempus miſeri. Quod dicit Matthæus, Sufficere diei ſuam afflictionem, huc ſpectat ut ſuas curas temperent fideles, ne providi eſſe ultra vocationis ſuæ modum appetant. non enim, ut dictum eſt, quælibet damnatur ſedulitas, ſed quæ per obliquos & immenſos circuitus extra metas vagatur.

33. Matth. *Quærite primum regnum Dei.*] Alio argumento coërcet nimiam victus curam. nam ea craſſum & ſocordem animæ cæleſtiſque vitæ neglectum arguit. Hoc ergo præpoſterum eſſe admonet Chriſtus, quod ſe homines, ad meliorem vitam nati, prorſus in rebus terrenis occupant. Quiſquis autem primum gradum tribuet regno Dei, non niſi moderate in victu curando ſe exercebit. neque enim quicquam aptius eſt ad frenandam carnis laſciviam, ne in vitæ præſentis curſu exultet, quam cæleſtis vitæ meditatio. Juſtitiæ nomen tam ad Deum quam ad regnum ejus referri poteſt. Scimus enim regnum Dei juſtitia, hoc eſt, ſpirituali vitæ novitate, conſtare. Quum pronunciat reliqua adjectum iri, ſignificat, quæ præſentem vitam ſpectant, eſſe quaſi ſecundas acceſſiones, atque ita debere infra Dei regnum ſubſidere.

32. Luc. *Noli timere puſille grex.*] Hæc ſententia fiduciam ad quam ſuos hortatus erat Chriſtus, confirmat. Quomodo enim vilem & caducum cibum negaret Deus ſuis, quos adoptavit in regni ſui hæredes? Ac diſerte puſilli gregis nomine compellat ſuos, ne ideo ſe minoris apud Deum fieri putent quod coram mundo ob ſuam paucitatem nihili æſtimantur. Verbo εὐδοκεῖν ſignificat ex gratuitæ miſericordiæ fonte nobis fluere vitam æternam. Huc quoque accedit Donandi verbum. Quum vero palam teſtetur Chriſtus, Deum nobis regnum dediſſe, neque alia de cauſa niſi quoniam ita illi placuit: hinc pluſquam manifeſtum eſt, nullis operum meritis acquiri. Proinde quoties in ſpem æternæ vitæ nos Dominus erigit, meminerimus non eſſe de quotidiano victu timendum.

MATTH. VII.	MARC. IV.	LUC. VI.
1. Nolite judicare, ne judicemini. 2. Quo enim judicio judicatis, eo judicabitur de vobis: & qua menſura metimini, ea remetietur vobis. 3. Cur autem vides feſtucam quæ eſt in oculo fratris tui, trabem vero quæ eſt in oculo tuo non animadvertis? 4. Aut quomodo dices fratri tuo, Sine eximam feſtucam ex oculo tuo, & ecce trabes in oculo tuo? 5. Hypocrita, ejice prius trabem ex oculo tuo, & tunc perſpicies ut eximas feſtucam ex oculo fratris tui.	24. Qua menſura metiemini, eadem remetietur vobis.	37. Nolite judicare, & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini: remittite, & remittetur vobis. 38. Date, & dabitur vobis. Menſuram bonam & confertam & concuſſam atque exundantem dabunt in ſinum veſtrum: eadem quippe menſura qua metimini, remetietur vobis. 41. Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo proprio eſt non animadvertis? 42. Aut quomodo dicere potes fratri tuo, Frater, ſine ejiciam feſtucam quæ in oculo tuo eſt, ipſe in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, ejice primum trabem ex oculo tuo, & tunc perſpicies ut ejicias feſtucam quæ eſt in oculo fratris tui.

1. *Nolite judicare.*] His verbis præciſe non prohibuit Chriſtus à judicando: ſed morbum qui omnibus fere ingenitus eſt, ſanare voluit. Videmus enim ut omnes ſibi indulgeant: quiſque autem in alios ſeverus ſit cenſor. Et quædam eſt hujus vitii dulcedo, ut neminem fere non titillet cupiditas in aliena vitia inquirendi. Fatentur quidem omnes malum eſſe intolerabile, quod tam maligni ſint erga fratres qui ſibi in propriis vitiis ignoſcunt. Atque id etiam multis proverbiis damnarunt olim profani homines: omnibus tamen ſeculis obtinuit, & hodie quoque obtinet: imo accedit altera peſtis deterior, quod bona pars alios damnando, peccandi licentiam vult acquirere. Hanc pravam mordendi, carpendi, obtrectandi libidinem cohibet Chriſtus, quum dicit, Nolite judicare. Neque enim cæcutire debent fideles ut nihil diſcernant: ſed tantum ſeipſos frenare, ne cupidius judicent quam par eſt. fieri enim aliter non poteſt quin modum rigoris excedat quiſquis judicium ſibi de fratribus appetit. Talis eſt loquutio apud Jacobum, Nolite plures eſſe magiſtri. Neque enim fideles abſterret vel retrahit, ne docendi partibus fungantur: ſed ambitioſe appetere honorem vetat. Judicare ergo hoc loco tantundem valet ac curioſe inquirere in aliena facta. Hic autem morbus primum iniquitatem ſecum perpetuo trahit, ut leve aliquod delictum non ſecus atque graviſſimum crimen damnemus: deinde erumpit in perverſam audaciam, ut ſuperciliose de re qualibet ſiniſtrum feramus judicium, etiamſi in bonam partem accipi poterat. Videmus nunc quorſum tendat conſilium Chriſti: ne ſcilicet nimium cupidi, vel moroſi, vel maligni ſimus, vel etiam curioſi in judicandis proximis. Qui autem judicat ex verbo & Lege Domini, & judicium ſuum ad charitatis regulam exigit, ſemper à ſeipſo initium cenſuræ faciens, ille rectum judicandi modum & ordinem ſervat. Unde apparet quam perperam hoc teſtimonio abutantur qui ejus moderationis, quam Chriſtus commendat, prætextu omne boni & mali diſcrimen è medio tollere cuperent. Atqui peccata omnia damnare non modo nobis licet, ſed etiam neceſſe eſt: niſi velimus Deo ipſi obſtrepere, imo ejus leges abrogare, reſcindere judicia, & evertere ejus tribunal. Vult enim ejus, quam de hominum factis pronunciat, ſententiæ nos eſſe præcones: tantum ea modeſtia inter nos colenda eſt ut ipſe unicus maneat Legislator & Judex. *Ne judicemini.* Pœnam denunciat rigidis iſtis cenſoribus qui tantopere aliorum vitia excutere affectant: futurum ſcilicet ut nihilo humanius ab aliis tractentur, ſed viciſſim eundem in ſe rigorem ſentiant quam exercuerint contra alios. Ut nihil nobis fama noſtra charius eſt vel pretioſius, ita pluſquam acerbum eſt damnari ac ſubjici hominum probris & infamiæ. Atqui noſtra culpa nobis accerſimus hoc ipſum à quo tantopere natura noſtra abhorret. quotus enim quiſque eſt qui non acutius diſquirat in aliorum facta quam par ſit? qui non durius ſuccenſeat levibus delictis? qui non moroſius improbet quod per ſe medium erat? Hoc autem quid aliud eſt quam Deum quaſi

data opera provocare in nos ultorem, ut paria rependat? Tametſi autem hoc ſit juſta Dei vindicta, ut viciſſim plectantur qui alios judicarunt: hanc tamen pœnam Dominus per homines exequitur. Nam quod Chryſoſtomus & alii quidam ad futuram vitam reſtringunt, coactum eſt. Quemadmodum enim
Jeſa. 33. verſ. 1. minatur Jeſaias prædæ futuros qui alios prædati fuerint: ita intelligit Chriſtus non defore vindices qui homines iniquos & maledicos ſimili virulentia vel rigore puniant. Quod ſi ceſſabunt homines, ut pœnam effugiant in mundo qui damnandis fratribus nimis cupide intenti fuerunt, non tamen effugient judicium Dei. Apud Lucam apponitur etiam promiſſio, Remittite, & remittetur vobis; date, & dabitur vobis. cujus ſenſus eſt, facturum eſſe Dominum ut qui ſe facilem, humanum & æquum præbuerit fratribus, eandem ſentiat erga ſe clementiam aliorum, ut benigne & amice ab ipſis tractetur. Quod autem ſæpe contingit filiis Dei peſſimam rependi mercedem, ut multis injuſtis calumniis premantur, quum tamen nullius famam læſerint, imo pepercerint fratrum vitiis, cum hac Chriſti ſententia non pugnat. nam quæ ad præſentem vitam ſpectant promiſſiones, eas ſcimus non eſſe perpetuas, nec exceptione carere. Deinde quamvis Dominus ad tempus innocentiam ſuorum indigne premi & propemodum obrui ſinat: ſimul tamen implet quod alibi dicit, ut refulgeat eorum integritas inſtar auroræ. Jeſa. 58. ita ſemper eminet ejus benedictio ſupra injuſtas calumnias: ſic enim fideles ſubjicit indignis probris, quo eos humiliet, ut tandem bonam eorum cauſam aſſerat. Adde quod ipſi quoque fideles, utcunque ſtudeant fratribus ſuis æquitatem præſtare: quia tamen immodico rigore interdum feruntur contra fratres vel innoxios vel non adeo culpabiles, ſua culpa in ſe provocant ſimile judicium. Certe quod menſuram confertam & exundantem non recipiunt, quanquam mundi ingratitudini imputandum eſt, ſibi tamen ex parte acceptum ferre debent: quia nemo eſt qui tam liberaliter ut decebat fratres ſuos foveat.

3. *Cur autem vides feſtucam.*] Nominatim vitium perſtringit quo communiter laborant hypocritæ. Nam quum plus ſatis oculati ſint in cernendis aliorum vitiis, & ea non ſevere modo, ſed fere tragice amplificent, ſua ipſorum peccata rejiciunt poſt tergum: vel ita ingenioſi ſunt in illis extenuandis, ut videri cupiant etiam in craſſiſſimo quoque ſcelere excuſabiles. Ergo utrumque malum reprehendit Chriſtus: nimiam perſpicaciam quæ ex defectu charitatis naſcitur, dum nimis ſcrupuloſe excutimus fratrum vitia; & indulgentiam qua peccata noſtra tegimus & fovemus.

MATTH. VII.	MARC.	LUC.
6. Ne detis quod ſanctum eſt canibus, nec projiciatis margaritas veſtras ante porcos: ne quando hi conculcent eas pedibus ſuis, & illi verſi lacerent vos.		

6. *Ne detis quod ſanctum eſt.*] Non eſt quod ſæpius iterem conciſas referri ſententias à Matthæo, & quæ uno contextu minime legendæ ſunt. Neque enim cohæret hæc doctrina cum proximo ſermone, ſed prorſus ſeparata eſt. Admonet enim Chriſtus Apoſtolos, & ſub eorum perſona omnes Euangelii doctores, ut cæleſtis ſapientiæ theſaurum ſolis filiis Dei conſervent, non autem proſtituant indignis & profanis Dei contemptoribus. Sed hic oritur quæſtio. nam poſtea juſſit prædicare Euangelium omni crea-
2 Cor. 2. verſ. 16. turæ, & Paulus dicit ejus prædicationem reprobis mortiferum odorem eſſe: nec quicquam certius eſt quam Dei mandato quotidie proponi incredulis in teſtimonium quo magis reddantur inexcuſabiles. Reſpondeo, Quia non poſſunt Euangelii miniſtri, & quicunque ad docendi munus vocati ſunt, inter filios Dei & porcos diſcernere, eorum eſſe partes omnibus promiſcue offerre ſalutis doctrinam. Nam quamvis initio multos videant præfractos & indociles: non tamen patitur charitas eos ſtatim haberi pro
Canes & porci qui. deploratis. nam hoc tenendum eſt, vocari à Chriſto canes & porcos, non quoslibet impuros homines, vel Dei metu vacuos, & veræ pietatis expertes: ſed qui certis documentis pervicacem oſtenderint Dei contemptum, ut morbus incurabilis appareat. Alibi canes opponit Chriſtus electo Dei populo & domeſticis fidei, quum dicit, Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & dare canibus. Hic autem canes & porcos intelligit, qui impio Dei contemptu delibuti, medicinam nullam admittunt. Hinc apparet quam perperam torqueant Chriſti verba qui ab eo reſtringi putant Euangelii doctrinam ad ſolos dociles & bene præparatos. Quid enim fiet ſi neminem invitent pii doctores, niſi qui jam ſua obedientia Dei gratiam prævenerit? quin potius natura cum impuri ſumus omnes, tum ad contumaciam propenſi. Quare nullis negandum eſt ſalutis remedium niſi qui ſibi oblatum ita fœde reſpuerint, ut conſtet reprobos & à ſeipſis damnatos eſſe, quemadmodum [illegible] Tit. 3. 11. de hæreticis loquitur Paulus. Duplex autem ratio fuit cur vetaret Chriſtus Euangelium perditis contemptoribus proponi: eſt enim aperta myſteriorum Dei profanatio, ſi ea ſubjicimus impiorum ludibriis. Deinde conſolari ſuos diſcipulos voluit Chriſtus, ne deſinerent operam ſuam locare electis Dei in Euangelio docendo, quamvis proterve illud repudiari viderent ab impiis & profanis hominibus. acſi dixiſſet, ne vileſcat incomparabilis hic theſaurus, arcendos ab eo eſſe porcos & canes. Cæterum notanda ſunt elogia quibus ſalutis doctrinam ornavit Chriſtus, rem ſanctam nominans, & margaritis comparans. Nam hinc colligimus quanto nobis in pretio habenda ſit. *Ne quando hi conculcent.* Videtur Chriſtus inter porcos & canes diſtinguere: porcis brutum ſtuporem, canibus vero rabiem tribuens. Et certe experientia docet duas tales eſſe contemptorum Dei ſpecies. Exempli gratia, Quicquid de corrupta hominis natura, de gratuita juſtificatione, de æterna electione traditur in Scripturis, multi vel ad ignaviam vel ad carnis laſciviam convertunt. tales apte & merito cenſentur porci. Alii vero puram doctrinam ejuſque miniſtros ſacrilegis convitiis lacerant: quaſi bene agendi ſtudium, Dei timorem & omnem ſalutis curam labefactet. Etſi igitur utroque nomine deſignet Chriſtus inſanabiles verbi Dei adverſarios, duplici tamen ſimilitudine quid alii ab aliis differant breviter admonet.

MATTH. VII.	MARC.	LUC. XI.
7. Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulſate, & aperietur vobis.		5. Et ait illis, Quis veſtrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi, Amice, da mihi mutuo tres panes:

6. Quo-

8. Quiſquis enim petit accipit; & quicunque quærit invenit, & pulſanti aperietur.

9. An quiſquam eſt veſtrum homo, qui, ſi filius ejus petierit panem, lapidem ſit daturus illi?

10. Aut ſi piſcem petierit, num ſerpentem porriget illi?

11. Si vos igitur, quum ſitis mali, noſtis bona dona dare filiis veſtris, quanto magis Pater veſter qui eſt in cælis, dabit bona ſi poſtuletis ab ipſo?

6. Quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod apponam illi.

7. Et ille intus reſpondens dicat, Noli mihi moleſtus eſſe. jam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili: non poſſum ſurgere & dare tibi.

8. Dico vobis: etiamſi non daturus ſit illi ſurgens, eo quod amicus ejus ſit: propter improbitatem tamen ejus ſurget, ac dabit illi quibuſcunque habet opus.

9. Et ego dico vobis, Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulſate, & aperietur vobis.

10. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulſanti aperietur.

11. Quis autem ex vobis pater, à quo ſi filius petierit panem, lapidem dabit illi? aut ſi piſcem, num pro piſce ſerpentem dabit illi?

12. Aut ſi petierit ovum, num porriget illi ſcorpium?

13. Si ergo vos quum ſitis mali, noſtis bona dona dare filiis veſtris, quanto magis Pater veſter cæleſtis dabit Spiritum ſanctum poſcentibus ſe?

7. Mat. *Petite*, &c.] Exbortatio eſt ad precandum: & quia in hoc pietatis exercirio, quod nobis primæ curæ eſſe debebat, tam lenti ſumus ac pigri, tribus loquendi formis eandem rem urget Chriſtus. Neque enim ſupervacua eſt loquutio, quum dicit, Petite, quærite, pulſare: ſed ne frigeat ſimplex doctrina, inſiſtit in torpore noſtro excitando. Eodem ſpectant additæ promiſſiones, Invenietis, dabitur vobis, & aperietur. nihil eſt enim quod nos melius ad orandum animet quam certa impetrandi fiducia. neceſſe enim eſt defunctorie tantum orare qui dubitant: imo inanis eſt ac luſoria ceremonia, precatio ſine fide. Ideo Chriſtus, ur nos efficaciter ad banc officii partem exſtimuler, non tantum præcipit quid facere nos oporteat: ſed promittit non irritas fore noſtras preces. Atque boc diligenter notandum eſt: primum ut ſciamus hanc orandi legem nobis ſtatui ac præſcribi, ut certo perſuaſi ſimus nobis propitium eſſe Deum ut vota noſtra exaudiat. Deinde quoties ad orandum accingimur, vel quoties ſentimus non ſatis vigere in nobis precandi ardorem, ut nobis in menrem veniat tam benigna invitatio, in qua nobis CHRISTUS de paterno Dei affectu teſtatur. Ita fiet ut quiſque noſtrum fretus Cbriſti gratia fiduciam orandi concipiat, & libere audeat invocare Deum, ſicuti docet Paulus ad Epbeſ. cap. 3. verſ. 12. Quia autem plus juſto ad diffidenriam propenſi ſumus, boc quoque vitium ut corrigat Cbriſtus, promiſſionem diverſis verbis iterar. Cæterum Quærendi metaphora ideo uſus eſt, quod procul à nobis abeſſe putamus quæ uſus & neceſſitas noſtra poſtulat: Pulſandi vero, quod ſenſus carnis imaginantur clauſa eſſe quæ ad manum non ſuppetunt.

8. *Quiſquis enim petit, accipit.*] Quidam proverbialem ſententiam eſſe putant ex communis vitæ uſu ſumptam. ego tamen lubentius in diverſam partem inclino, quod Chriſtus Patris gratiam precantibus offert: acſi diceret, Deum ultro ad nos exaudiendos paratum eſſe, modo precemur: expoſitas nobis eſſe ejus divirias, modo petamus. Quibus verbis ſignificat eos ignaviæ ſuæ juſtas dare pœnas, qui neceſſariis rebus deſtituti, boc inopiæ ſuæ remedium non quærunt. Certum quidem eſt ſæpe quum dormiunt fideles, excubias Deum agere pro eorum ſalute, ut ipſorum vota præveniat. Nihil enim nobis miſerius, ſi in tanto, non dico torpore, ſed ſtupore, preces noſtras expectet, ſi in tanta noſtra incogitantia diſſimulet. Imo non aliunde quam à ſeipſo provocatur, ut nobis fidem donet, quæ preces omnes ordine & tempore præcedit. Sed quia hic diſcipulos Chriſtus alloquitur, ſimpliciter admonet quomodo velit nos Pater cæleſtis donorum ſuorum facere compotes. Ergo tamerſi graruito nobis omnia largirur: quo tamen fidem noſtram exerceat, precari nos jubet, ut petentibus concedat quæ nobis ex mera ejus bonitate fluunt.

9. *An quiſquam veſtrum eſt bomo.*] Comparatio eſt à minori ad majus. Primo Chriſtus malitiam hominum immenſæ Dei bonitati opponit. malignos autem nos reddir φιλαυτία: quia dum ſibi quiſque plus ſatis addictus eſt, alios prærerit ac negligit. atqui boc vitium ſuperat paternus amor, ut homines ſui obliti ſe in filios pluſquam liberaliter effundant. Unde autem id niſi quia Deus, à quo deſcendit omnis parernitas, particulam ſuæ bonitatis eorum cordibus inſtillat? Quod ſi tantum ad beneficentiam valent guttulæ, quid ab ipſo mari inexhauſto ſperandum eſt? An reſtrictus eſſet Deus qui bominum corda ſic aperir? Interea tenendum eſt illud Jeſaiæ, Etiamſi mater filios obliviſcatur, Dominum tamen fore ſui ſimilem, ut ſe Patrem ſemper exhibeat.

Epheſ. 3. verſ. 15.

Eſa 49. verſ. 15.

11. *Bona dona.*] Hoc conſulto expreſſit Chriſtus, ne ſtultis praviſque deſideriis precando habenas nimium laxent fideles. Scimus quanta ſit in hac parre carnis noſtræ tam intemperies quam audacia. nihil enim nobis non permittimus à Deo petere. quod niſi morem ſtultitiæ noſtræ gerat, adverſus eum fremimus. Cbriſtus ergo vota noſtra ſubjicir Dei arbitrio, ne plus nobis largiatur quam utile eſſe noverit. Quare ne puremus nullam illi eſſe noſtri curam quoties noſtris deſideriis non reſpondet: quia penes ipſum eſt diſcernere quid nobis expediat. Jam vero quia cæci ſunt omnes noſtri affectus, regula orandi ex verbo Dei petenda eſt. neque enim ad rem tantam æſtimandam idonei ſumus. Ergo quiſquis cum exorandi fiducia accedere ad Deum cupit, frenare cor ſuum diſcat, ne quid petat niſi ex illius voluntate: ſicuti admonet Jacobus Epiſtolæ ſuæ cap. 4. verſ. 3. Lucas pro Bonis in exrremo membro ponit Spiritum ſanctum, non excludens alia beneficia, ſed quid præcipue petendum ſit oſtendens: ſemper enim illud in memoriam ſubire debet, Quærite primum regnum Dei, & alia ſubinde accedent. Quare filios Dei, ut ſe ad rite precandum comparent, tarreſtres affectus exuere, & ad ſpiritualis viræ meditationem conſcendere oporrer. Sic fiet ut victum ac veſtitum poſthabeanr adoptionis ſuæ arrhæ ac pignori: Deus autem ubi tam pretioſum theſaurum dederit, minime negabir alia minora.

5. Luc. *Quis veſtrum babebit amicum.*] Apud Lucam additur bæc ſimilitudo, cujus non meminit Matthæus. Summa autem eſt, non eſſe cur animis

 fat-

fatiſcant fideles ſi non ſtatim potiantur ſuis votis, vel ſi impetratu videatur eſſe difficile quod poſtulant: nam ſi inter homines rogandi importunitas extorquet quod ſponte non eſſet quis facturus, non eſt quod dubitemus exorabilem nobis fore Deum, ſi coostanter orando perſtemus, nec animi noſtri vel mora vel difficultate flacceſcaot.

MATTH. VII. | MARC. | LUC. VI.

12. Omnia igitur quæcunque volueritis ut faciant vobis homines, ſic & vos facite illis. hæc enim eſt Lex & Prophetæ.

13. Introite per arctam portam: quoniam lata eſt porta, & ſpatioſa via quæ abducit in exitium, multique ſunt qui ingrediuntur per illam.

14. Quoniam anguſta eſt porta, & ſtricta via quæ abducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt illam.

(Luc. VI.) 31. Et prout vultis ut faciant vobis homines, vos quoque facire illis ſimiliter.

12. Matth. *Omnia igitur.*] Supervacua eſt illatio, quemadmodum ſæpe in conciſis ſententiis particulæ iſtæ abundant. Dixi autem ſupra, non unam Chriſti concionem referri à Matthæo: ſed ex variis ſermonibus ſummam doctrioæ ejus contexi. Seorſum ergo legenda eſt hæc ſententia qua diſcipulos Chriſtus ad æquitatem inſtituit, brevemque & facilem ejus definitionem ponit: ut ſciamus non alia de cauſa tot inimicitias regnare in mundo, ac tot modis homines invicem ſibi eſſe noxios, niſi quia ſcientes & volentes æquitatem pedibus calcant: quam tamen quiſque erga ſe ſervari rigide poſtulat. ubi propria utilitas agitur, oemo noſtrum eſt qui non articulate & ſubtiliter differat quid rectum ſit. Ergo ſinguli in ſuum commodum acutos ſe oſtendunt æquitatis magiſtros. qui fit ut non eadem in promptu occurrat cognitio ubi aliena vel utilitas vel jactura in quæſtionem venit, niſi quia nobis tantum ſapere volumus, nemo autem proximis ſuis conſulit? Neque id modo, ſed maligne dataque opera connivemus ad æquitatis regulam quæ in cordibus noſtris lucet. Docet ergo Chriſtus poſſe unumquemque ſibi recte & juſte cum proximis vivendi eſſe regulam, ſi viciſſim aliis præſtet quod ſibi fieri exigit. ita vanos omnes prætextus refellit, quos ſibi excogitaot homines ad tegendam vel fucandam ſuam injuſtitiam. Regnaret enim proculdubio inter nos perfecta æquitas, ſi activæ, ut ita loquar, charitatis tam fideles eſſemus diſcipuli, quam acuti ſumus paſſivæ doctores. *Hæc enim eſt Lex & Prophetæ.* Non intelligit Chriſtus unum hoc doctrinæ caput tradi in Lege & Prophetis: ſed quicquid de charitate illic præcipitur, quæcunque extant leges & exhortationes de colenda juſtitia, ad hunc ſcopum referri. Itaque ſenſus eſt, ſatisfieri ſecundæ tabulæ, ſi modo quales in ſe quiſque alios eſſe cupit, talem ſe illis viciſſim præbeat. acſi diceret, non longis ac perplexis diſputationibus opus eſſe, ſi hæc ſimplicitas colatur, nec præpoſtero ſui amore deleant homines rectitudinem cordibus ſuis inſculptam.

13. *Introite per arctam portam.*] Quia nihil carni magis adverſum eſt doctrina Chriſti, nemo unquam in ea rite proficiet qui ooo didicerit ſenſus ſuos & affectus omnes quaſi in arctum cogere, ut ſe inter illas aoguſtias contineant quibus laſciviam noſtram cohibet cæleſtis Magiſter. Quoniam ergo libenter ſibi indulgent homines, exultaot ac diffluunt, Chriſtus hic diſcipulos ſuos admonet, ut ſe comparent velut ad reſtrictum & ſpinoſum iter. Quoniam autem moleſtum eſt cupiditates noſtras à libera vagaque protervia reductas comprimere: hanc acerbitatem læta compenſatione mitigat, quum dicit anguſta porta & via intrari in vitam. Rurſus ne licentioſæ ac diſſolutæ vitæ illecebris capti, prout nos trahit carnis libido, vagemur, in mortem ruere pronunciat qui per ſpatioſam viam & latam portam ingredi malunt, quam anguſtias ſubire, quæ ducunt ad vitam. Nominatim vero dicit, *multos* per ſpatioſam viam currere: quia ſe homines perverſis exemplis mutuo perſundant. Unde enim fit ut ſinguli ſe ſcientes ac volentes ſecure præcipitent, niſi quia perire ſe noo cogitant dum pereunt io magna turba? Contra autem fidelium paucitas multos reddit ignavos: ægre enim adducimus, ut mundo reounciantes, nos ac vitam noſtram ad paucorum mores formemus: abſurdum enim putamus avelli oos à multitudine, acſi non eſſemus pars generis humani. Quaovis autem doctrina Chriſti nos quaſi vinctos coaſtringat, vitam ooſtram redigat in iter anguſtum, à turba ſegregatos, paucis comitibus adjungat, noo tamen debet hæc nobis aſperitas obſtare quominus ad vitam enitamur. Cæterum ex Luca ſatis apparet, hoc alio tempore dictum fuiſſe à Chriſto, quam quo de beata vita quæ prius vidimus paradoxa protulit, & illis tradidit oraodi regulam. Atque id eſt quod jam aliquoties attigi, quæ ſparſim ab aliis Euangeliſtis ſecundum hiſtoriæ ordinem narrantur, in unam ſummam ſic collecta eſſe à Matthæo, quo melius ſub oculis poneret qualiter ſuos diſcipulos inſtituerit Chriſtus. Itaque ſubjicere libuit totum Lucæ locum, qui huic ſententiæ reſpondet. Nam ubi ſedulo à me admooiti fuerint lectores de temporis ſerie quam Lucas obſervavit, veniam mihi, ut ſpero, dabunt, ſi in aggerenda doctrina ooo magis curioſus fuerim quam Matthæus.

Multi.

MATTH. | MARC. | LUC. XIII.

23. Ait autem illi quidam, Domine, an pauci ſunt qui ſalutem conſequuntur? Ipſe autem dixit ad illos,

24. Contendite intrare per anguſtam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.

23. *Ait autem* &c.] Tametſi Matthæus hoc Chriſti reſponſum inter alias concionales ſententias recitat uno contextu, occaſionem tamen ſic loquendi datam ei fuiſſe ſuſpicor ex præſenti interrogatione. Porro hujus quæſtionis movendæ videtur fuiſſe ratio, quod Chriſtus, qui ſe vitæ auctorem profitebatur, vix paucos diſcipulos colligere poterat. Videri autem poterat, exigua hominum manu ſervata, totam Eccleſiam peſſum ire. Totum enim populum illum apod quem non magnopere vigebat Chriſti doctrina, imo à quo paſſim reſpuebatur, Deus quaſi vitæ hæredem adoptaverat. Eadem & nobis, quoties perverſum muodi ſtatum cernimus, obrepit dubitatio: quid hoc ſibi velit quod major pars alienam & diſſentaneam ab Euangelio viam ſequitur. Ideo Chriſtus ſermonem ad omnes convertens, hortatus eſt ut contenderent intrare per anguſtam portam. Quibus verbis ſuos à ſtulta curioſitate abducere voluit,

luit, quæ pleroſque moratur & implicat, qui circumſpiciunt an ſe alii comites adjungant: quaſi ſalutem conſequi nolint niſi in turba. Dum certare vel eniti jubet, non ſine magnis & arduis difficultatibus ad vitam æternam perveniri poſſe intelligit. Ergo huc potius ſuum ſtudium conferant fideles quam ut præter modum curioſi ſint de errantium multitudine.

24. *Quia multi quærent intrare.*] Hoc ideo additum eſt ne ſpes inanis nos fruſtretur, acſi nos juvaret comitum multitudo. nam, ut ſibi libenter blanditur caro, multi facilem aditum ad vitam ſibi promittunt, qui ſibi interea quidvis indulgent. Ita alii alios mutuo decipiunt; ut indormiant pravæ ſecuritati. Tales delicias ut ſuis excutiat Chriſtus, excluſum iri pronunciat qui jam ſibi addicunt certam vitæ poſſeſſionem.

Matth.	Marc.	Luc. XIII.

25. Quum autem ſurrexerit paterfamilias, & clauſerit oſtium, & cœperitis foris ſtare & pulſare oſtium, dicentes, Domine, Domine, aperi nobis: & reſpondens dicet vobis, Neſcio vos unde ſitis.

26. Tunc incipietis dicere, Edimus coram te & bibimus, & in plateis noſtris docuiſti.

27. Et dicet, Dico vobis, neſcio unde vos ſitis: diſcedite à me omnes qui patratis iniquitatem.

28. Ibi erit fletus & ſtridor dentium, quum videritis Abraham, & Iſaac, & Jacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.

29. Et venient ab Oriente & Occidente, & Aquilone & Auſtro, & accumbent in regno Dei.

30. Et ecce ſunt poſtremi qui erunt primi, & ſunt primi qui erunt poſtremi.

25. *Quum autem ſurrexerit* &c.] Tametſi hæc alio poſt tempore dicta ſunt, ut nuper admonui, doctrinæ tamen rationem habere malui quam temporis: quia hoc non parvum ad intelligentiam adjumentum eſt, ſi uno contextu legantur quæ ſenſu inter ſe cohærent. Quia negaverat Chriſtus apertam multis januam fore qui in cælum intrare cupient, nunc dicit nihil profficere, quamvis locum in Eccleſia occupent: quia tandem exurget in judicium Deus ut à regno ſuo excludat qui nunc ſibi locum inter ejus domeſticos vendicant. Similitudine autem patrisfamilias utitur, qui ſi intelligat aliquot ex ſuis nequam & laſcivos homines furtim ſub noctem elabi, & domum furibus exponere: ſurgit ipſe & januam obſerat: nec vagos illos & noctuabundos homines admittit, qui intempeſtive per vias publicas errarunt. Porro his verbis admonet, occaſione, dum offertur, eſſe utendum. nam quamdiu nos ad ſe Dominus invitat, licet quaſi aperta janua ingredi in regnum cælorum: ſed major pars pedem movere non dignatur. Fore ergo denunciat Chriſtus, ut tandem claudatur janua: itaque periculum eſſe ne prohibeantur aditu qui comites expectant.

26. *In plateis noſtris docuiſti.*] Nominatim excipit Chriſtus nihil Judæis profuturum, quod propius ad eos acceſſerit, ſeque familiariter obtulerit illis fruendum, niſi vocati ad diem reſponderint. Cæterum non proſequitur ſuam ſimilitudinem. nam de patrefamilias loquutus ſeipſum nunc judicem abſque figura exprimit. nec vero hoc in aliam quam ipſius perſonam quadrat, Docuiſti in plateis noſtris. Tenemus nunc ejus conſilium, ne ſcilicet Judæi ſua negligentia quam poſſunt ſalutem conſequi, ſibi intercidere ſinant.

28. *Quum videritis Abraham.*] Quum Judæi nihil ſanctis Patribus ſimile habentes, eorum tamen origine fruſtra ſuperbirent, nec quicquam magis illis tritum foret quam Eccleſiæ titulo abuti: Chriſtus hic turbam degenerem, quæ à Patrum fide & pietate diſceſſit, à regno Dei extraneam eſſe teſtatur. Ac ſubeſt tacita objurgatio, quod non potius, qui quærendæ ſalutis ſocios habere cupiunt, Abrahæ, Prophetis & ſanctis Patribus ſe aggregare ſtudeant, quam circumſpiciant ad ſuos æquales, qui ab eorum exemplo procul delapſi fuerant ad innumeras corruptelas, acſi diceret, Si nunc per anguſtam portam intrare negligitis quia vos errantium multitudo retardat, annon videtis à fidelium ordine vos ſeparari, dum eſtis impliciti incredulis? Quod ſi nunc vobis oculos perſtringit mundi aſpectus, dies ultimus hanc ſocordiam ſero vobis eximet. tunc enim ſcietis vos cum ſimilibus veſtri alienos eſſe à Dei regno, nec quicquam vobis commune eſſe cum Abraham.

29. *Venient ab Oriente.*] Amplificatio eſt ex eo ſumpta quod Judæis abdicatis qui ſe putabant ſolos legitimos eſſe Dei hæredes, in eorum locum Gentes ſint ſubrogandæ, ut vitam Abrahæ & generi ejus promiſſam obtineant. Gentes autem illis opponit, ut ſancta zelotypia ipſos ad fidem exſtimulet: quemadmodum Paulus hoc miniſterii ſui decus fore ſcribit, ſiquos ex gente ſua & ſanguine ad talem æmulationem provocet. Atque ita Judæos pungi neceſſe erat, quum ſibi plus nimio placentes, Deum cum ſuis donis ſuperbe contemnerent. Sed quoniam hæc ſententia paulo poſt iterum occurret apud Matthæum, nunc eam parcius attingo. *Rom. 11. verſ. 14.*

30. *Ecce ſunt poſtremi.*] Iiſdem verbis ſæpius uſum fuiſſe Chriſtum alibi videbimus, diverſo tamen ſenſu. Hoc loco nihil aliud voluit quam inanem in Judæis confidentiam dejicere, qui quum poſthabito reliquo mundo divinitus electi eſſent, hac dignitate freti, Deum ſibi quaſi obſtrictum fingebant. Hac ratione denunciat illis Chriſtus brevi mutandam eſſe ſortem, ut Gentes quæ tunc rejectitiæ erant, priorem obtineant gradum: Judæi autem honore ſuo abdicati, ne poſtremum quidem angulum teneant in Eccleſia.

Matth. VII.	Marc.	Luc. VI.
15. Cavete vero vobis à pſeudoprophetis qui veniunt ad vos in veſtitu ovium, ſed intrinſecus ſunt lupi rapaces. 16. A fructibus eorum cognoſcetis eos.		43. Non eſt enim arbor bona quæ facit fructum putrem: neque arbor putris faciens fructum bonum.

numquid colligunt de ſpinis uvam, aut de tri-
bulis ficus?
17. Sic omnis arbor bona fructus bonos fa-
cit: putris autem arbor fructus malos facit.
18. Non poteſt arbor bona fructus malos
facere: neque arbor putris fructus bonos fa-
cere.
19. Omnis arbor quæ non facit fructum
bonum, exciditur, & in ignem conjicitur.
20. Igitur ex fructibus ipſorum cognoſce-
tis eos.

44. Unaquæque enim arbor
ex fructu ſuo cognoſcitur. neque
enim è ſpinis colligunt ficus: ne-
que è rubo vindemiant uvam.
45. Bonus homo ex bono the-
ſauro cordis ſui profert bonum:
& malus homo ex malo theſauro
cordis ſui profert malum. Nam
ex abundantia cordis loquitur os
ejus.

15. Matth. *Cavete vobis.*] His verbis docuit Chriſtus, obnoxiam fore variis imposturis ſuam Eccleſiam: ideoque periculum eſſe ne multi à fide excidant, niſi intenti ſint ad cavendum. Scimus quanta ſit hominum ad vanitatem propenſio. itaque non modo naturaliter falli appetunt, ſed ſinguli ad ſeipſos fallendos ingenioſi videntur eſſe. jam vero Satan mirus fallaciarum artifex non deſinit laqueos tendere quibus ſimplices ac incautos irretiat. Vulgo autem Judæi ſperabant lætum ſibi ſub Chriſti regno fore ſtatum, omnique certamine & moleſtia exemptum. Admonet ergo diſcipulos ſuos, ſi perſtare cupiant, ut ſe comparent ad vitandas Satanæ inſidias. Dominus enim (ut dictum eſt) continua militia ſuam Eccleſiam vult exerceri in hoc mundo. Quare ut nos illi diſcipulos præſtemus uſque in finem, non ſufficit ſola docilitas, ut ſinamus nos regi ipſius verbo: ſed fidem noſtram, quia ſubinde à Satana impetitur, armatam ad reſiſtendum eſſe oportet. Eſt quidem hoc maximum ſi nos à probis & fidelibus Chriſti miniſtris regi patimur: ſed quia ex oppoſito emergunt falſi doctores, niſi ſedulo vigilemus & muniti ſimus conſtantia, facile erit nos à grege abduci. Quo
Joan. 10. verſ. 3. etiam pertinet illud Chriſti dictum, Oves audire paſtoris vocem: alienum vero non audire, ſed fugere ab eo. Unde etiam colligimus non eſſe cur animis deficiant fideles, vel turbentur, dum obrepunt lupi in Chriſti ovile, dum falſis doctrinis conantur pſeudoprophetæ labefactare puram fidem: quin potius expergefieri debent ad excubias agendas. neque enim fruſtra cavere jubet Chriſtus. Quare ſi modo nos propria ſocordia non circumveniat, quasvis decipulas effugere licebit: & certe ſine hac fiducia nobis non eſſet ſatis animi ad cavendum. Nunc quum ſciamus Dominum nolle nos fruſtrari, per quoſvis Satanæ incurſus intrepide pergamus, Spiritum diſcretionis ab eo petentes: per quem ut cordibus noſtris fidem ſuæ veritatis obſignat, ita Satanæ fallacias & impoſturas deteget ne ludamur. Quum dicit Chriſtus venire in veſtitu ovium qui intrinſecus ſunt lupi rapaces: ſignificat bene colorato prætextu non carere, niſi ad eos penitus excutiendos adhibeatur prudentia.

16. *A fructibus eorum.*] Niſi hæc appoſita fuiſſet diſcriminis nota, poterat ſine exceptione in diſcrimen venire tota quorumlibet doctorum auctoritas. Nam ſi exitiale periculum in doctoribus timetur, nec vitandi ratio conſtat, omnes eſſe ſuſpectos neceſſe erit: nec melius reſtabit compendium quam aures habere omnibus clauſas. Et videmus profanos homines, ut impune rejiciant quodvis doctrinæ genus, periculum hoc obtendere, infirmos etiam ac rudes hærere perplexos. Chriſtus ergo ne quid reverentiæ detrahat ſuo Euangelio ſincerisque ejus miniſtris & doctoribus, judicium de pſeudoprophetis à fructibus facere jubet. Quare nimis putidi ſunt Papiſtæ qui conflandæ nobis invidiæ cauſa illam Chriſti vocem præciſe jactant, à pſeudoprophetis cavendum eſſe: ac ſuis clamoribus efficiunt ut imperiti, cauſa incognita, temere à nobis abhorreant. At vero quiſquis Chriſti conſilio parere cupit, neceſſe eſt ut prudenter & interpoſito delectu judicet. nos vero non tantum libenter fatemur cavendos eſſe pſeudoprophetas: ſed etiam ſedulo & acriter hortamur ſimplices, ut eos caveant. Tantum monemus, ſecundum præſcriptam à Chriſto regulam, ut juſta cognitio præcedat: ne ſimplices, purum Dei verbum reſpuendo, temeritatis ſuæ pœnas luant. Nam inter maturam cautionem & præpoſterum faſtidium longe intereſt. Nimis autem improbe Chriſti mandatum abrogant Papiſtæ, qui injecto falſo metu miſeras animas ab inquiſitione deterrent. Sit igitur hoc primum, eos qui trepidando incognitam doctrinam reſpuunt vel fugiunt, perperam hoc & minime ex Chriſti mandato facere. Nunc videndum reſtat quoſnam fructus Chriſtus deſignet. falluntur autem, meo judicio, qui ad vitam reſtringunt: nam quum ſæpe fucoſa ſanctimonia, ac neſcio quibus etiam auſterioris vitæ larvis ſe venditent peſſimi quique impoſtores, valde incertum eſſet hoc examen. Fateor quidem hypocriſin tandem patefieri: quia nihil difficilius eſt quam virtutis ſimulatio. Verum Chriſtus tam iniquo & ſimul obſcuro judicio doctrinam ſuam ſubjicere noluit, ut æſtimetur ex hominum vita. Ergo ſub fructibus ipſa docendi ratio comprehenditur, imo præcipuum locum tenet. nam & inde Chriſtus ſe à Deo miſſum *Joan. 7. verſ. 18.*
probat: quia non glorificet ſeipſum, ſed Patrem à quo miſſus eſt. Si quis objiciat, paucis datum eſſe tantum acumen, ut bonos fructus à malis diſcernant: reſpondeo, ſicuti jam dixi, nunquam diſcretionis Spiritu, ubi opus eſt, deſtitui fideles, qui modo ſibi diffiſi & proprio ſenſu valere juſſo, totos ſe illi regendos tradunt. Interea meminerimus, ad verbum Dei exigendas eſſe omnes doctrinas: & ideo in judicandis pſeudoprophetis fidei analogiam dominari. Deinde ſpectandum eſſe quid Deus Prophetis ſuis verbique miniſtris injungat: quia inde fidelitas facile dignoſci poterit. Quemadmodum exempli gratia, ſi nobis proponimus quæ Paulus in Epiſcopis requirit, ſola illa deſcriptio ad damnandam totam Papatus colluviem ſufficiet: quia videntur data opera Papales ſacrifici contrariam ideam velle exprimere. Quare nihil mirum ſi judicium de pſeudoprophetis fieri vetant. Cæterum clare oſtendit hic locus, pro nihilo ducendos eſſe titulos: imo nec ipſam vocationem multum habere momenti, niſi qui paſtores vocantur, & ad docendi munus vocati ſunt, fideliter officio ſuo reſpondeant. *Numquid colligunt.* His proverbiis, quæ tunc vulgo trita erant, & omnium conſenſu recepta, confirmat Chriſtus, neminem à pſeudoprophetis poſſe decipi niſi qui ſponte cæcutiet: quia fructus palam faciant probos Dei ſervos, & fallaces operarios, non ſecus ac fructus arborem oſtendunt. Apud Lucam videtur generalis eſſe ſententia qua doceat Chriſtus de unoquoque homine ex fructibus judicium debere fieri, ſicuti arbor à fructu dignoſcitur. Poſtquam enim objurgationem poſuit adverſus hypocritas qui feſtucam perſpiciunt in alterius oculo, trabem in ſuo non videntes, continuo poſt ſubjicit, *Non enim poteſt arbor mala* &c. & cauſalis particula γὰρ videtur duas

illas

illas ſententias connectere. Sed quia certum eſt Lucam ſexto illo capite recitare diverſos Chriſti ſermones, fieri etiam poteſt ut brevius attigerit quod plenius exponitur à Matthæo. Nec adverbium cauſale moror, quod ſæpe alibi ſupervacuum eſt. quod etiam ex clauſula apparet: ſic enim concludit Lucas hunc ſermnnem, *Bonus homo ex bono theſauro cordis ſui* &c. Neque enim dubito quin abſque figura exprimat quale ſit iſtud judicium quod Chriſtus ex fructibus fieri jubet: nempe ut ſeduln examinent fideles quidnam afferant in medium qui ſe Dei ſervos profitentur. acſi diceret, parum valere titulos donec re ipſa prnbet qui loquitur, divinitus ſe eſſe miſſum. Quanquam minime repugno quin accommodari poßit hic locus ad generalem doctrinam. Et certe poſtrema clauſula, nempe quod *ex abundantia cordis os loquitur*, latius quam ad pſeudoprophetas patet, quum vulgare ſit proverbium. Si quis objiciat, linguas hominum ſæpe mentiri, ut optime loquantur qui peßime affecti ſunt: reſpondeo, Chriſtum hic ſimpliciter docere quod ut plurimum uſu venit. Nam etſi aliud verbis præ ſe ferunt hypocritæ quam habeant in cordis receſſu, id tamen non obſtat quominus apte & ſcite lingua vocetur character mentis.

MATTH. VII.	MARC.	LUC. VI.
21. Non quiſquis dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: ſed quiſquis fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt.		46. Quid autem vocatis me, Domine, Domine, & non facitis quæ dico?
22. Multi dicent mihi in illo die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo multas virtutes edidimus?		
23. Ac tum confitebor illis, Nunquam novi vos: diſcedite à me qui operamini iniquitatem.		

21. Matth. *Non quiſquis dicit.*] Latins extendit ſermonem ſuum Chriſtus. neque enim tantum de pſeudoprophetis agit, qui rapiendi & vorandi cauſa in gregem inſiliunt; ſed de mercenariis, qui ſub paſtorum ſpecie fallaciter ſe inſinuant, quum tamen nullo præditi ſint affectu pietatis. Etſi autem hypocritas omnes complectitur hæc doctrina, quocunque ſint gradu vel loco: proprie tamen fictitios doctores nunc perſtringit, qui præ aliis excellere videntur. Neque ſermonem tantum ad eos dirigit, ut ſecuritatem, in qua velut ebrii jacent, expergefaciat: ſed fideles etiam admonet ne talibus larvis plus quam oportet tribuant. In ſumma, prædicit, ſimulac proferre fructum cœperit Euangelii doctrina, ut complures habeat diſcipulos: non tantum ex vulgo permultos fore qui falſo & per ſimulationem dent nomen, ſed in ipſo quoque ordine paſtorum eandem fore perfidiam, ut factis vitaque abnegent quod ore profitentur. Itaque quiſquis inter diſcipulos cenſeri cupit, dandam illi eſſe operam ut ſincere & ex animo ad meditandam vitæ novitatem ſe addicat. Apud Lucam generalis eſt objurgatio, *Quid autem vocatis me, Domine, Domine*, &c. Sed quia ut plurimum hæc corruptela à fictis doctoribus emergit, & facilius ab illis in totum corpus penetrat: ideo nominatim apod Matthæum in eos Chriſtus invehitur. Facere voluntatem Patris, non tantum ſignificat philnſophice vitam & mores ſuos ad virtutum regulam formare, ſed etiam credere in Chriſtum, ſicuti habetur Joan. 6. verſ. 40. Non ergo his verbis excluditur fides, ſed quaſi principium ſtatuitur unde reliqua fluunt.

22. *Multi dicent mihi.*] Iterum citat Chriſtus hypocritas ad ſuum tribunal, quemadmodum nuper ex Luca retulimus. Quamdiu enim locum occupant in Eccleſia, tum ſibi ipſi blandiuntur, tum alios quoque decipiunt. Diem ergo venturum pronunciat qnn purgetur area, quiſquiliæ ac paleæ à puro tritico ſeparentur. Prophetare in Chriſti nomine, eſt ejus auctnritate & tanquam ipſo duce fungi docendi officio. Prophetia enim, meo judicio, large hic ſumitur, ſicuti 14. cap. prioris ad Cnrinthios. Poterat quidem ſimpliciter uti Prædicandi verbo: ſed conſulto quod magis honorificum erat poſuit, quo melius exprimeret nihil eſſe externam profeſſionem, quocunque ſit ſplendore apud homines. Ita in nomine Chriſti edere virtutes nihil aliud eſt quam ejus virtute, auſpiciis, imperio ac ductu miracula facere: quanquam enim Virtutum nomen interdum ad ſpeciem unam miraculorum reſtringitur, hoc tamen loco & pluribus aliis miracula quævis deſignat.

23. *Confitebor illis.*] Hac voce alludere videtur Chriſtus ad fallacem jactantiam qua ſe nunc oſtentant hypocritæ. acſi dixiſſet, Ipſi quidem dum me lingua confeßi ſunt, videntur ſibi rite defuncti: & nunc ſonora auditur in eorum lingua nominis mei confeſſio: ſed ego viciſſim ex adverſo confitebor vanum ac mendax eſſe quicquid profitentur. Quid autem continet Chriſti confeſſio? quod eos nunquam in ſuis reputaverit, etiam quo tempore gloriabantur ſe eſſe Eccleſiæ columnas. Ideo faceſſere à ſe jubet qui fallaci titulo injuſtam poſſeſſionem domi ſuæ ad tempus furati ſunt. Videtur Paulus ex hoc Chriſti ſermnne ſumpſiſſe quod dicit Tim. 2. cap. 2. verſ. 19. Novit Dominus qui ſui ſint: diſcedat ab iniquitate quiſquis invocat nomen Domini. Prius enim membrum huc ſpectat, ne infirmi quorundam defectione turbentur vel labaſcant quibus magnum & celebre fuerit nomen: negat enim fuiſſe à Domino agnitos, licet inani ſplendore hominum oculos tenerent. Deinde hortatur eos omnes qui in Chriſti diſcipulis cenſeri vnlunt, ut ſe mature ab iniquitate ſubducant, ne ipſos Chriſtus à ſuo conſpectu abigat quum ſegregabit agnos ab hœdis.

MATTH. VII.	MARC.	LUC. VI.
24. Omnis igitur qui audit ex me ſermones hos, & facit eos, aſſimilabo eum viro prudenti qui ædificavit domum ſuam ſuper petram:		47. Quiſquis venit ad me, & audit ſermones meos, & facit eos, oſtendam vobis cui ſimilis ſit.
25. Et deſcendit imber, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. fundata enim fuerat ſuper petram.		48. Similis eſt homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & poſuit fundamentum ſuper petram: inundatione autem facta, illiſum eſt flumen domui illi, & non potuit eam movere.
26. Et omnis qui audit ex me hos ſermones, & non facit eos, aſſimilabitur viro fatuo qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam.		

27. Et deſcendir imber, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & impegerunr in domum illam: & cecidit, & fuit ruina ejus magna.

28. Et factum eſt quum finiſſet Jeſus hos ſermones, ur obſtupeſcerent turbæ ſuper doctrina ejus.

29. Docebat enim eos velut auctoritatem habens, & non ſicuti Scribæ.

vere. fundata enim erat ſuper petram.

49. Qui autem audivit, & non fecit, ſimilis eſt homini qui ædificavit domum ſuam ſuper terram abſque fundamento, in quam illiſus eſt fluvius, & continuo cecidit, & facta eſt ruina domus illius magna.

24. *Omnis igitur.*] Quia plerumque difficile eſt veros Euangelii profeſſores à fictis diſcernere, pulchra ſimilitudine oſtendit Chriſtus in quo maxime differant: duas enim proponit domos, quarum altera ſine fundamento extructa ſit, altera autem bene fundata. Nam quum eadem in utraque appareat ſuperficies, prior vento ac procellis impulſa, vel fluctibus illiſa, protinus concidet: poſterior autem firmitate ſua contra vim omnem ſubſiſtet. Chriſtus ergo inanem & ventoſam profeſſionem Euangelii ſpecioſo quidem ſed non ſolido ædificio comparat, quod quamvis emineat, ruinæ tamen expoſitum eſt in ſingula momenta, quia fundamento caret. Ideo Paulus jubet nos bene & penitus fundatos eſſe in Chriſto, & altas habere radices, ne ad quemlibet impulſum labamur. Porro ſumma huc redit, veram pietatem ab ejus ſimulatione non bene diſtingui donec ad examen ventum eſt. Tentationes enim quibus probamur, fluctibus & procellis ſimiles ſunt: quæ facile peſſundant inſtabiles animos, quorum levitas tranquillo tempore non perſpicitur. *Audit ſermones hos.* Relativum *hos* non ſpeciem unam ſermonum, ſed totam doctrinæ ſummam notat. Euangelium enim, niſi penitus in animos infixum ſit, ſimile eſſe maceriæ ſignificat, quæ in altum erigitur nullo fundamento ſuffulta. Periode eſt igitur acſi dixiſſet, veram demum eſſe fidem quæ profundas habet radices in corde, & ſerio conſtantique affectu quaſi fundamento nititur, ut tentationibus non cedat. Nam, quæ vanitas eſt humani ingenii, ſuper arenam ædificant quicunque intus non fodiunt uſque ad ſui abnegationem.

28. *Quum finiſſet Jeſus hos ſermones.*] Tam concionem intelligo habitam ubi è monte deſcendit, quam reliquam doctrinam quæ jam populo innotuerat. Senſus igitur eſt, Quum paſſim doctrinæ ſuæ guſtum dediſſet populo, ſtuporem omnibus injectum, quod nova quædam majeſtas & inſueta hominum mentes ad ſe raperet. Quid ſit Docere cum poteſtate, & aliter quam Scribæ ſoleant, ſupra expoſui.

MATTH. VIII.

1. Quum autem deſcendiſſet è monte, ſequutæ ſunt eum turbæ multæ.

2. Et ecce leproſus accedens adoravit eum, dicens, Domine, ſi velis, potes me mundare.

3. Protenſaque manu tetigit illum Jeſus, dicens, Volo, mundus eſto. ac protinus mundata fuit illius lepra.

4. Et dicit illi Jeſus, Vide necui dixeris: ſed abi, oſtende teipſum Sacerdoti, & offer munus quod juſſit Moſes, in teſtimonium illis.

MARC. I.

40. Et venit ad eum leproſus, deprecans eum, eique ad genua accidens, ac dicens illi, Si vis, potes me mundare.

41. Jeſus autem miſertus, protenſa manu tetigit illum, & dixit ei, Volo, mundus eſto.

42. Et quum dixiſſet, ſtatim diſceſſit ab eo lepra, & mundatus eſt.

43. Et comminatus ei, ſtatim emiſit illum.

44. Dixitque ei, Vide nemini quicquam dicas: ſed abi, teipſum oſtende Sacerdoti, & offer pro emundatione tui quæ præcepit Moſes, in teſtimonium illis.

45. At ille egreſſus cœpit prædicare multa, & divulgare ſermonem, ita ur jam non poſſet Jeſus manifeſte introire in civitates: ſed foris in deſertis locis erat, & veniebant ad eum undique.

LUC. V.

12. Et accidit, quum eſſet in quadam civitate, ecce vir plenus lepra: quumque vidiſſet Jeſum, proſtratus in faciem ſuam rogavit Jeſum, dicens, Domine, ſi vis, potes me mundare.

13. Er protenſa manu tetigit eum, dicens, Volo, mundus eſto. & confeſtim lepra diſceſſit ab illo.

14. Et ipſe præcepit illi ne cuiquam diceret: ſed, Vade, inquit, oſtende teipſum Sacerdoti, & offer pro emundatione tui quemadmodum præcepit Moſes, in teſtimonium illis.

15. Pervagabatur autem magis rumor de illo, & conveniebant turbæ multæ ur eum audirent, & ſanarentur per illum ab infirmitatibus ſuis.

16. Ipſe autem ſeceſſum colebat in deſertis, & orabat.

1. *Quum autem deſcendiſſet de monte.*] Redit nunc Matthæus ad hiſtoriæ contextum. Prius dixerat Chriſtum aſcendiſſe in montem: deinde conjecit velut in unum acervum multa doctrinæ Chriſti capita: nunc autem ſubjicit, eo tempore quo in monte concionatus eſt, ſanaſſe leproſum quendam. quod idem referunt Marcus & Lucas, licet tempus non deſignent. Porro in eo enituit divina Chriſti virtus, quod ſolo verbo & tactu manus, lepram ab homine
Lepra. repente abſterſit. Cæterum quamvis lepra aliud eſſet morbi genus quam ſit elephantiaſis, fuiſſe tamen curatu difficilem ſatis conſtat. Quod ſi diuturnitate invaluerat, rarum exemplum fuit quenquam liberari. certe ut demus medicos potuiſſe artis ſuæ ſcientia aliquid auxilii præſtare, in hoc miraculo nihil fuiſſe humanum palam eſt.

2. *Accedens adoravit.*] Quid ſignificet verbum *προσκυνεῖν*, quod adorare vertunt, colligere prom- προσκυνεῖν.
ptum eſt ex hoc loco: nam alii duo Euangeliſtæ nobis idonei ſunt interpretes, ex quibus Marcus dicit accidiſſe in genua, Lucas autem proſtratum fuiſſe in faciem. Geſtu ergo, hoc eſt, genuflexione, ſignum reverentiæ exhibuit leproſus. Scimus autem adorationem in communi uſu fuiſſe Judæis: ut ſunt populi Orientales magis ad tales ceremonias propenſi. Quare multi exiſtimant leproſum in animo non habuiſſe Chriſtum divino cultu proſequi, ſed honorifice ſalutaſſe tanquam eximium Dei Prophetam.

Ego

Ego vero quo affectu Chriſtum adoraverit oon diſputo: quid autem illi detulerit video, nempe quod eum poſſet mundare ſi vellet. quibus verbis teſtatus eſt divinam in Chriſto virtutem ſe agnoſcere. Et Chriſtus quum reſpondet ſe velle, plus ſibi tributum ab eo eſſe oſtendit quam in bominem competat. Summo enim imperio pollere neceſſe eſt qui nutu ſolo hominibus ſanitatem reſtituit. Sive autem Chriſtum Dei Filium eſſe crediderit leproſus, ſive hac virtute fuiſſe donatum, ut Moſes & alii Prophetæ: non tamen dubitat in illius manu & poteſtate eſſe ſanitatis donum. Quod autem ſub conditione loquitur, Si velis potes, non pugnat cum ea fidei certitudine quam Deus in precibus noſtris exigit: neque enim plus ſperare debent homines quam Deus promittat. Leproſus autem nullo Dei oraculo vel promiſſione certior factus erat quidnam facturus eſſet Chriſtus. Temere ergo ultra has metas progreſſus foret. nam quod interdum legimus quoſdam ſimpliciter precatos eſſe, teoendum eſt ſingulares fuiſſe motus, è quibus peteoda non eſt regula. Quanquam neſcio an proprie loquendo dicere liceat precationem fuiſſe conceptam à leproſo. Tantum enim affirmat ſe ita perſuaſum eſſe de virtute Chriſti, ut non dubitet in ejus arbitrio eſſe curare lepram. Deinde ſe illi ſanandum offert, incertos tamen de eventu: quia voluntas Chriſti nondum illi cognita erat.

3. *Protenſa manu tetigit.*] In Lege contagioſus erat leproſi tactus. at vero quoniam ea eſt in Chriſto puritas quæ omnes ſordes & inquinamenta abſorbeat, neque ſe contaminat leproſum tangendo, neque Legem transgreditur. Carnem enim noſtram ſuſcipiens, non modo oos dignatus eſt manus ſuæ contactu, ſed in unum idemque corpus nobiſcum coaluit ut eſſemus caro de carne ejus: nec modo brachium ſuum ad nos extendit, ſed è cælo deſcendit uſque ad ipſos inferos: nec tamen quicquam inde maculæ contraxit, ſed integer manens ſordes omnes noſtras exhauſit, & nos perfudit ſua ſanctitate. Cæterum quum ſolo verbo leproſum ſanare poſſet, ad teſtandum miſericordiæ affectum manus tactum ſimul adbibuit; nec mirum, quum induete voluerit carnem noſtram, ut nos à peccatis omnibus purgaret. Quare manus extenſio, immenſæ gratiæ & bonitatis ſignum & teſſera fuit. Et certe quod ſegniter legendo frigide præterimus, ſine magno ſtupore rite expendi non poteſt, Filium Dei adeo noo abhorruiſſe à leproſi colloquio, ut manum quoque ad tangendam illam immunditiem porrigeret.

4. *Dicit illi Jeſus.*] Quidam, ut leproſum excuſent, non putant ſerio prohibitum fuiſſe à Chriſto ne miraculum vulgaret, ſed illi potius additum fuiſſe ſtimulum. Rectius tamen alii, qui vetandi cauſam fuiſſe ſentiunt quia maturum tempus nondum advenerat. Fateor quidem non oportuiſſe ſupprimi hoc miraculum: ſed certa ratio fuit cur Dominus vel ſtatim noluerit ſpargi illius famam, vel ſaltem per leproſum. Sic igitur ſtatuo, leproſum præpoſtero ſuo favore adeo nihil laudis fuiſſe meritum, ut jure damnandus ſit quod non paruit Chriſti mandato. Si gratiam referre ſanitatis ſuæ auctori volebat, non aliter
1 Sam. 15. vers. 22. melius potuit quam obedientia, quæ omnibus ſacrificiis apud Deum præfertur, & legitimi cultus principium & caput eſt. Ita boc exemplo docemur, perverſe facere quicunque inconſiderato zelo indulgent: quia quo magis ſatagunt in promerendo Deo, hoc tantum proficiunt ut ejus mandato ſint rebelles.

Oſtende teipſum Sacerdoti. Quia oondum abrogatæ erant ceremoniæ Legis, eas contemni vel prætermitti noloit Chriſtus. Jam Deus in Lege præceperat (quemadmodum habetur Levit. 14. verſ. 2.) ut ſiquis mundatus eſſet à lepra, Sacerdoti ſe offerret ona cum ſacrificio gratiarum actionis. Porro finis erat, ut Dei beneficium approbaret Sacerdos ſuo judicio: deinde qui ſanatus erat, gratitudiois ſuæ teſtimonium redderet. Ergo Chriſtus leproſum ad Sacerdotem ablegans, ſibi non aliud propoſitum fuiſſe teſtatur niſi ut Dei gloriam illuſtraret. Oſtenſio enim ad examen refertur: munus, gratiarum actionis ſymbolum erat. Judicium itaque vult fieri à Sacerdotibus, quo perſpicua ſit & indubia Dei gratia: leproſum vero ſuam ſanationem acceptam referre Deo. Interim (ut nuper attigi) ritus in Lege præſcriptos uſque ad tempus abrogationis ſervare jubet. Quod bioc confeſſionis ſuæ legem eliciunt Papiſtæ, in eo ſunt inſulſi. Lepram allegorice volunt eſſe peccatum: Sacrificos autem quos Papa inaugurat, ſpiritualis lepræ eſſe cognitores. Ut demus in Lege Sacerdotibus hanc poteſtatem ideo datam eſſe ut ſciret populus totam ſuam munditiem ejuſque judicium pendere à Sacerdotio: impie tamen hoc ad ſe rapiunt ſacrifici Papales. Quicquid enim bonoris datum erat antiquis Sacerdotibus, nunc unus Chriſtus ſibi vendicat. Ille ergo & ſpiritualis lepræ cognitor eſt ſolus, & dignus cui purgationis ſuæ munus offerant qui mundati ſunt. Nam & ideo ſub Lege ſacrificio interpoſito ſignata fuit mundities: quia non aliter quam expiatione ſanguinis purgantur homines. Jus ergo quod Filio ſuo Deus aſſeruit, alio transferre, nefandum ſacrilegium eſt. Quod autem ex Chriſti mandato ſuam peccatoribus munditiem pronunciant Euangelii miniſtri, id ad fictitiam juriſdictionem quam imaginantur Papiſtæ, minime torquendum eſt ut inter lepram diſcernant.

44. Marc. *In teſtimonium illis.*] Teſtimonium quidam pro lege vel ſtatuto accipiunt: quemadmodum in Pſalmo dicitur, Poſuit hoc Deus in temoſtinium Iſraël. Mihi tamen hoc videtur eſſe frigidum. Pſal. 122. verſ. 4.
neque enim dubito quin pronomen Illis, ad Sacerdotes ſpectet. Itaque ad præſentis rei circumſtantiam, meo judicio, Chriſtus reſpexit: quia ad convincendam eorum ingratitudinem in hoc miraculo ſatis luculenta probatio futura erat. Nec obſtat quod leproſum tacere Chriſtus juſſit: quia noluit perpetuo ſepultam ſui miraculi memoriam. Quum ergo juſſu Chriſti in Sacerdotis conſpectum venit leproſus, boc illis in teſtimonium fuit, quod inexcuſabiles redderet, ſi Chriſtum pro Dei miniſtro amplecti nollent: & ſimul ablata illis erat obtrectandi occaſio, quum nullum Legis apicem Chriſtus omitteret. In ſumma, ſi fuiſſent ſanabiles, adduci ad Chriſtum poterant: incredulis vero damnandis ſatis efficax erat tam ſolennis Dei conteſtatio.

45. *Ut jam non poſſet Jeſus.*] Hinc colligimus cur tam cito miraculum celebrari noluerit Chriſtus: quo ſcilicet liberior foret docendi facultas. non quod inſurrexerint hoſtes qui illi os obſtruere conati ſint: ſed quia tanta erat vulgi importunitas in flagitandis miraculis, ut noo reſtaret doctrinæ locus. volebat autem omnes habere ad verbum magis quam ad ſigna intentos. Ideo dicit Lucas eum habitaſſe in deſertis. frequentiam eoim bominum fugiebat: quia ſe videbat populi votis non ſatisfacturum quin ſuam doctrinam ſignorum copia obrueret.

MATTH. VIII.	MARC.	LUC. VII.
5. Porro quum ingreſſus fuiſſet Jeſus Capernaum, adiit eum Centurio, obſecrans eum,		**1. Quum autem conſummaſſet omnia verba ſua audiente populo, intravit Capernaum.**
6. Et dicens, Domine, famulus		**2. Centurionis autem cujuſdam ſervus**

Digitized by Google

meus decumbit domi paralyticus, ac graviter diſcruciatur.

7. Et dicit illi Jeſus, Ego quum venero medebor illi.

8. Et reſpondens Centurio dixit, Domine, non ſum idoneus ut tectum meum ſubeas: imo tantum dic verbum, & ſanabitur famulus meus.

9. Etenim ego ſum homo alterius poteſtati ſubditus; & habeo ſub me milites: & dico huic, Vade, & vadit: & alteri, Veni, & venit: & ſervo meo, Fac hoc, & facit.

10. Hæc autem quum audiſſet Jeſus, admiratus eſt, & ait iis qui ſequebantur, Amen dico vobis ne in Iſraël quidem tantam fidem reperi.

11. Dico autem vobis quod multi ab Oriente & Occidente venient, & accumbent cum Abraham, Iſaac & Jacob in regno cælorum:

12. Filii vero regni ejicientur in tenebras externas. illic erit fletus & ſtridor dentium.

13. Et dixit Jeſus Centurioni, Abi, & quemadmodum credis, ita fiat tibi. & ſanatus eſt famulus ejus in hora illa.

vus male habens, propinquus erat morti, qui illi erat in pretio.

3. Quum audiſſet autem de Jeſu, miſit ad eum ſeniores Judæorum, rogans eum ut veniret & ſervaret ſervum ſuum.

4. At illi quum veniſſent ad eum, rogabant eum ſtudioſe, dicentes, Dignus eſt ut hoc illi præſtes.

5. Diligit enim gentem noſtram, & Synagogam ipſe ædificavit nobis.

6. Jeſus autem profectus eſt cum illis. Et quum jam non longe abeſſet à domo, miſit ad eum Centurio amicos, dicens ei, Domine, noli vexari: non enim ſum idoneus ut ſub tectum meum intres.

7. Quapropter nec meipſum arbitratus ſum dignum qui venirem ad te? ſed dic verbo, & ſanabitur puer meus.

8. Etenim ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites: & dico huic, Vade, & vadit: & alteri, Veni, & venit: & ſervo meo, Fac hoc, & facit.

9. Auditis autem his Jeſus miratus eſt eum: & converſus, ſequenti ſe turbæ dixit, Dico vobis, ne in Iſraël quidem tantam fidem inveni.

10. Et reverſi qui miſſi fuerant in domum, repererunt ſervum qui ægrotaverat, ſanum.

5. Matth. *Porro quum ingreſſus fuiſſet.*] Qui putant diverſas hiſtorias à Matthæo & Luca referri, in re nihil hallucinantur. In verbis hoc ſolum eſt diverſum, quod apud Matthæum Centurio dicitur ad Chriſtum veniſſe: apud Lucam vero dicitur miſiſſe ex Judæis quoſdam qui ſuo nomine verba facerent. Sed Matthæus non inepte illi tribuit quod ejus rogatu & nomine geſtum eſt. Cæterum in omnibus circumſtantiis ita conveniunt duo Euangeliſtæ ut ridiculum ſit duo miracula pro uno fingere. Porro non dubito quin militum turba, cui Centurio præerat, ſtationem habuerit in urbe Capernaum, ut ſolebant legiones in præſidia urbium diſtribui. Illic quum mores populi admodum pravos & vitioſos cerneret (quemadmodum ſcimus Capernaum urbem maritimam pluribus corruptelis quam alias refertam fuiſſe) id tamen non obſtitit quominus patriis ſuperſtitionibus damnatis, veræ & ſinceræ pietatis guſtum caperet. neque enim Synagogam extruxerat Judæis niſi cum aliqua invidia & periculo: nec gentem illam amabat niſi quia amplexus erat unius Dei cultum. Itaque prius quam ſervum ejus Chriſtus ſanaret, ipſe à Domino ſanatus fuerat. Neque id ſine miraculo: quod ſcilicet homo militaris qui armata manu mare trajecerat ut Judæos aſſuefaceret ad ferendum tyrannidis Romanæ jugum, Deo Iſraël ſe ultro ſubmittit & addicit in obſequium. Quod dicit Lucas, ſervum hunc fuiſſe illi pretioſum: hoc modo dubitationem prævenit quæ ſubire poterat lectorum animos. ſcimus enim non habitos fuiſſe ſervos eo in pretio ut de ipſorum vita tam anxii eſſent domini, niſi qui ſingulari induſtria, vel fide, vel alia virtute ſibi gratiam acquiſierant. Significat ergo Lucas non vulgare fuiſſe ſordidumque mancipium: ſed fidelem & raris dotibus ornatum ſervum qui eximia gratia apud dominum polleret. hinc tanta illius vitæ cura, & tam ſtudioſa commendatio. Subitam vero fuiſſe paralyſin quæ primo acceſſu deſperationem vitæ attulit, ex utroque Euangeliſta conſtat. lentæ enim paralyſes tormento carent. Dicit autem Matthæus graviter diſcruciatum fuiſſe puerum: Lucas autem morti vicinum. Ita utrumque ad illuſtrandam miraculi gloriam valet, dolor vel cruciatus, & ultimum diſcrimen: quominus de ſpecie morbi quicquam certi aſſerere audeo.

Ad locum Tiberiadis ſitam.

5. Luc. *Diligit enim gentem noſtram.*] Non dubium eſt quin pietatis nomine ipſum commendent Judæi. neque enim aliunde manabat amor gentis paſſim exoſæ, quam ex Legis ſtudio & Dei cultu. Synagogam vero extruens, clare teſtatus fuerat ſe favere Legis doctrinæ. Quare non immerito dignum pronunciant, cui ſe tanquam pio Dei cultori beneficum exhibeat Chriſtus. Mirus interea ſtupor, quod Dei gratiam, quam ipſi contemptim reſpuunt, ſuo ſuffragio transferunt ad hominem gentilem. Si enim donorum Dei miniſter eſt illis ac diſpenſator Chriſtus, cur non ipſi oblata gratia prius fruuntur quam extraneos adducant? Sed talis ſemper in hypocritis ſecuritas regnat, ut Deum ſibi quodammodo obnoxium reddere non dubitent: & ejus gratiam, quaſi ſui juris eſſet, ſuo arbitrio ſubjiciant: denique ejus ſaturi, imo quia guſtare non dignantur, quaſi ſupervacuam aliis reſignent.

8. Matth. *Non ſum idoneus ut tectum meum ſubeas.*] Quia brevior eſt Matthæus, hominem ipſum ita loquentem inducit: Lucas autem plenius exprimit hoc amicis mandaſſe. ſed idem amborum eſt ſenſus. Duo autem ſunt hujus ſermonis capita: Centurio, Chriſto parcens, honoris cauſa petit ne ſe Chriſtus fatiget: quia ſe indignum reputat ejus adventu. Deinde tantum illi potentiæ defert ut credat ſolo ejus nutu ac verbo reſtitui in vitam poſſe ſervum ſuum. Mira humilitas, quod hominem ex gente devicta & ſerva tantopere præ ſe extollit. Fieri autem poteſt ut aſſuetus ſupercilio Judæorum, pro ſua modeſtia non indigne tulerit ſe haberi hominem profanum, atque ita veritus fuerit injuriam facere Dei Prophetæ, ſi ad hominem gentilem & impurum ingredi coëgiſſet. Quicquid ſit, certum eſt ex animo ipſum loqui, ac de Chriſto tam reverenter ſentire, ut ad ſe vocare non audeat: imo ſicuti in contextu ſequitur apud Lucam, ſeipſum reputavit ejus colloquio

quio indignum. Quæri tamen poteſt qua ratione inductus, Chriſtum tam magnifice extulerit: difficultatem etiam auget quod continuo poſt ſequitur, Tantum dic verbum, & ſanabitur puer: vel, Dic verbo, ſicuti habet Lucas. niſi enim Chriſtum agnoviſſet Dei filium, ſuperſtitio fuiſſet Dei gloriam ad hominem transferre. Atqui vix credibile eſt, de Chriſti divinitate, quæ adhuc fere omnibus ignota erat, rite fuiſſe edoctum. Porro Chriſtus non errori imputat ejus verba, ſed ex fide profecta eſſe teſtatur. atque hæc ratio multos interpretes compulit ut Chriſtum putarent Centurionis elogio celebrari tanquam verum & unicum Deum. Mihi autem videtur vir pius quum de raris & plane divinis Chriſti operibus certior factus eſſet, ſimpliciter Dei potentiam in ipſo apprehendiſſe. Aliquid etiam haud dubie de promiſſo Redemptore audierat. Licet ergo nondum diſtincte intelligat Chriſtum eſſe Deum manifeſtatum in carne: ſic tamen perſuaſus eſt, in eo manifeſtari Dei virtutem, illique impoſitum fuiſſe munus ut Dei præſentiam miraculis demonſtret. Ita quod Dei proprium eſt non transſcribit ſuperſtitioſe in hominem: ſed quid divinitus ſit mandatum Chriſto reputans, ſolo verbo ſanare ſervum ſuum poſſe credit. Siquis excipiat, nihil eſſe magis Deo proprium quam verbo perficere quod illi viſum eſt, nec poſſe ſummum iſtud imperium ſine ſacrilegio mortali homini concedi: facilis iterum eſt reſponſio. Quamvis Centurio non diſtingueret tam ſubtiliter, non tamen hanc potentiam, hominis mortalis ſed Dei verbo tribuiſſe, cujus miniſtrum eſſe Chriſtum certo perſuaſus erat. hoc illi minime dubium erat. Ergo quum apud Chriſtum depoſita eſſet ſanationis gratia, hanc cæleſtem virtutem eſſe agnoſcens, non alligat corporis præſentiæ, ſed verbo contentus eſt ex quo talem vim prodire credit. Similitudo quam adducit Centurio, quum dicit ſe hominem eſſe &c. non eſt ex pari ſumpta, ut loquuntur: ſed comparat minus cum majori. Divinam enim virtutem quæ ſe in Chriſto profert, pluris æſtimat quam imperium quod ipſe habebat in ſervos & milites.

10. *Jeſus admiratus eſt*] Tametſi in Deum non competit admiratio, quia ex rebus novis vel inopinatis oritur: in Chriſtum tamen quatenus una cum carne noſtra humanos affectus induerat, cadere potuit. Jam quod pronunciat Chriſtus, *ne in Iſraele quidem tantam ſe fidem inveniſſe*, dictum eſt ſecundum quid, non ſimpliciter. nam ſi colligimus omnes fidei partes, ſaltem in eo præcelluit Mariæ fides quod ſe ex Spiritu ſancto fore gravidam credidit, ut Filium Dei unigenitum pareret. Deinde quod filium ex ſe natum amplexa eſt tanquam factorem ſuum, mundique totius opificem & unicum Redemptorem. Sed duas maxime ob cauſas Chriſtus fidem hominis Gentilis prætulit omnium Judæorum fidei: nempe quod ex modico & tenui doctrinæ guſtu, tantus ac tam repente fructus ſe proferret. neque enim hoc vulgare fuit, Dei virtutem, quæ tantum ſcintillas quaſdam jacere in Chriſto cœperat, tam magnifice prædicare. Deinde quum Judæi plus æquo externis ſignis intenti forent: hic homo Gentilis nullum requirit viſibile ſymbolum, ſed nudum verbum ſibi ſufficere teſtatur. Venturus ad eum erat Chriſtus, non quod opus eſſet, ſed ut hanc ejus fidem probaret. Quare hoc præſertim nomine ipſam commendat, quod acquieſcat in nudo verbo. Quid feciſſet vel unus ex Apoſtolis? Veni Domine, vide & tange. Hic neque adventum corporalem, neque tactum deſiderat: ſed tantum efficaciæ incluſum credit in verbo, ut inde certam famuli ſalutem expectet. hoc autem honoris non hominis ſed Dei verbo aſſerit qui Chriſtum ſtatuit non privatum eſſe hominem, ſed Prophetam divinitus miſſum. Atque hinc colligi poteſt generalis regula, Quamvis ſalutem noſtram Deus in carne Chriſti perfici voluerit, & Sacramentis quotidie obſignet: ejus tamen certitudinem ex verbo petendam eſſe. Niſi enim hæc verbo defertur auctoritas, ut ſtatuamus ſimulac loquutus eſt Deus per miniſtros, remiſſa nobis eſſe peccata, noſque reſtitutos eſſe in vitam, tota ſalutis fiducia concidit.

11. *Multi ab Oriente.*] Sicuti in perſona famuli Chriſtus gratiæ ſuæ libamen & quaſi primitias Gentibus propoſuit: ſic illius dominium ſpecimen eſſe docet futuræ Gentium vocationis, ſpargendæque per totum mundum fidei. neque enim tantum ex vicinis regionibus venturos eſſe docet, ſed ab ultimis orbis terrarum finibus. Hoc vero licet multis Prophetarum vaticiniis teſtatum foret: initio tamen abſurdum & incredibile Judæis viſum eſt, qui Deum generi Abrahæ obſtrictum eſſe fingebant. Quare non ſine admiratione hoc auditum fuit, domeſticos regni Dei & hæredes fore qui tunc extranei erant. Neque id ſolum, ſed fœdus ſalutis mox publicandum eſſe, ut totus orbis in unum Eccleſiæ corpus coaleſceret, dum Gentiles, qui ad fidem accedent, ejuſdem cum Abraham, Iſaac, & Jacob ſalutis participes fore dicit. Hinc certo colligimus eandem quæ nobis exhibita eſt in Chriſto, olim Patribus quoque fuiſſe promiſſam. neque enim communis foret hæreditas niſi una eſſet fides, quæ eſt ejus obtinendæ ratio. In verbo Accumbendi alluſio eſt ad menſas. quia tamen ſcimus cæleſtem vitam non indigere cibo & potu, perinde valet loquutio acſi dictum foret, Eadem fruentur vita.

12. *Filii vero regni.*] Quomodo filios regni appellat, qui nihil minus erant quam Abrahæ filii? nam certe qui à fide alieni ſunt, in Dei grege cenſeri minime æquum eſt. Reſpondeo, Quamvis ex Dei Eccleſia vere non eſſent, quia tamen locum in Eccleſia occupabant, hunc ipſis titulum concedit. Deinde notandum eſt, tanti fuiſſe Dei fœdus quamdiu ſtetit in genere Abrahæ, ut ad ipſos proprie ſpectaret regni cæleſtis hæreditas. ſaltem ipſius Dei reſpectu tunc adhuc rami ſancti erant ex ſancta radice. Et ſane quæ poſtea ſequuta eſt abdicatio, ſatis oſtendit, tunc in Dei familia fuiſſe retentos. Secundo notandum eſt, Chriſtum non de ſingulis habere ſermonem, ſed de tota gente. Hoc vero longe durius erat quam Gentium vocatio. nam Gentes inſeri gratuita adoptione in idem corpus cum Abrahæ poſteris, tolerabile utcunque fuiſſet: ſed Judæos ipſos expelli ut in locum vacuum ſuccederent Gentes, id vero portento ſimile habitum fuit. Utrumque tamen fore Chriſtus pronunciat, ut admittat Deus extraneos in ſinum Abrahæ: filios autem abdicet. In Tenebris externis tacita antitheſis ſubeſt: ſignificat enim Deus extra regnum ſuum quod eſt regnum Lucis, nonniſi tenebras regnare. metaphorice autem per Tenebras Scriptura horrendum mœrorem deſignat, qui nec verbis exprimi, nec ſenſu comprehendi poteſt in hac vita.

13. *Abi, & quemadmodum credis.*] Hinc apparet quam benigne gratiam ſuam effundat Chriſtus, ubi vas fidei apertum nactus eſt. Etſi enim his verbis Centurionem alloquitur, non dubium tamen eſt quin ſub ejus perſona nos omnes ad bene ſperandum invitet. Cæterum hinc quoque docemur cur Deus plerumque ſit erga nos reſtrictior: quia ſcilicet incredulitas noſtra liberalem eſſe non patitur. Ergo ſi fide patefacimus illi aditum, vota noſtra preceſque exaudiet.

Digitized by Google

MATTH. | MARC. | LUC. VII.

11. Accidit autem quum egreſſus eſt ut proficiſceretur in urbem quæ vocabatur Nain: & ſimul cum eo profecti ſunt multi ejus diſcipuli, & turba multa.

12. Quum vero appropinquaret ad portam urbis, efferebatur mortuus, unigenitus matris ſuæ: & hæc vidua erat, & turba civitatis multa cum ea.

13. Porro quum vidiſſet eam Dominus, miſericordia motus eſt ſuper ipſam, & dixit illi, Ne plores.

14. Et accedens tetigit loculum (porro qui portabant, ſubſtiterunt) & ait, Adoleſcens, tibi dico, ſurge.

15. Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui: & dedit illum matri ſuæ.

16. Cepit autem omnes timor: & glorificabant Deum, dicentes, Propheta magnus ſurrexit inter nos, & viſitavit Deus populum ſuum.

17. Et manavit hic ſermo per totam Judæam de ipſo, & omnem finitimam regionem.

11. *Accidit autem.*] Quum in omnibus Chriſti miraculis tenenda ſit analogia quam docet Matthæus, ſciamus juvenem huoc quem Chriſtus à morte ſuſcitavit, ſpeciem eſſe ſpiritualis vitæ quam nobis reſtituit. Nomen urbis ad certitudinem hiſtoriæ facit. Eodem etiam pertinet quod dicit Lucas turbam magnam utrimque ſequutam eſſe. nam & Chriſtus multos ſecum habebat comites, & multi, officii cauſa, in ducendo funere mulieri aderant. Tot igitur teſtium oculis ſpectata fuit adoleſceotis reſurrectio, ut minime dubia fuerit ejus fides. Huc quoque acceſſit loci celebritas: ſcimus enim habitos fuiſſe in portis conventus. Quod autem extra urbem efferebatur mortuus, id ex vetuſto gentium omnium more fiebat. Porro urbem Nain Hieronymus ſua ætate adhuc ſuperſtitem fuiſſe tradit, duobus millibus infra montem Thabor, Meridiem verſus.

12. *Unigenitus matris ſuæ.*] Hæc ad puerum ſuſcitandum ratio Chriſtum induxit, quod viduam unico filio orbatam videns, ejus miſertus eſt. neque enim gratiam ſuam continuit, donec quiſpiam rogaret, quemadmodum alias: ſed omnium preces antevertit, matrique nihil tale expectanti reddit filium. In quo illuſtre habemus ſpeculum gratuitæ ejus miſericordiæ, dum nos à morte vivificat. Loculum tangendo forte oſtendere voluit ſibi minime horrori fore mortem & ſepulchrum quo nobis vitam acquireret. Et certe non tantum nos manu tangere dignatur, ut mortuos vivificet: ſed ut in cælum nos efferret, in ſepulchrum ipſe deſcendit.

14. *Adoleſcens, tibi dico.*] Hac voce teſtatus eſt
Rom. 4. vers. 17. Chriſtus quam vere doceat Paulus Deum vocare ea quæ non ſuot tanquam ſint. Mortuum compellat & ſibi audientiam facit, ut mors ipſa repente in vitam mutetur. Atque in eo primum futuræ reſurrectionis illuſtre habemus ſpecimen, quemadmodum jubetur Ezechiel mandare aridis oſſibus ut Dei verbum Ezech. 37. vers. 4.
ſuſcipiant. deinde etiam docemur quomodo nos ſpiritualiter Chriſtus fide vivificet: nempe dum arcanam verbo ſuo virtutem inſtillat, ut uſque ad mortuas animas penetret, quemadmodum pronunciat ipſe Joannis 5. verſ. 25. Venit hora quando mortui audieot vocem Filii Dei: & qui audierint, vivent.

16. *Cepit autem omnes timor.*] Timorem ſecum afferat divinæ præſentiæ ſenſus neceſſe eſt: ſed hoc intereſt inter ſpecies timoris, quod increduli vel ad ſtuporem uſque expaveſcunt, vel terrore perculſi fremunt contra Deum: pii autem & religioſi, reverentia tacti, ſponte ſe humiliant. Timor ergo hic in bonam partem accipitur: quia perſpectæ Dei virtuti tribuentes ſuum honorem, noo modo reveriti ſunt Deum, ſed gratias illi egerunt. Quod Deum dicunt viſitaſſe plebem ſuam, non de qualibet viſitatione accipio, ſed quæ ipſos in integrum reſtitueret. Non modo collapſæ res erant in Judæa, ſed miſera deformiſque incubuerat ſervitus: quaſi Deus eos non reſpiceret. Una ſpes reſtabat, quod Deus ſe Redemptorem fore promiſerat poſtquam extremis miſeriis afflicti eſſent. Mihi ergo non dubium eſt quio miraculo admoniti, propinquam ſtatus ſui inſtaurationem ſperarint: tantum in modo viſitationis errant. nam etſi inſolitam Dei gratiam in eo agnoſcunt & commendant, quod Propheta magnus ſurrexerit: hoc tamen elogium looge inferius eſt dignitate & gloria promiſſi Meſſiæ. Unde apparet fidem in populo illo tunc fuiſſe valde confuſam, multiſque commentis implicitam.

MATTH. VIII.

19. Et accedens unus Scriba dixit ei, Præceptor, ſequar te quocunque abieris.

20. Et dicit illi Jeſus, Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: at Filius hominis non habet ubi caput reclinet.

21. Alius autem ex diſcipulis dixit ei, Domine, permitte mihi prius ut abeam & ſepeliam patrem meum.

22. At Jeſus dixit illi, Sequere me, & ſine ut mortui ſepeliant mortuos ſuos.

MARC.

LUC. IX.

57. Factum eſt autem, ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum, Sequar te quocunque ieris.

58. Dixit illi Jeſus, Vulpes cavernas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.

59. Ait autem ad alterum, Sequere me. Ille autem dixit, Domine, permitte mihi ut prius abeam ac ſepeliam patrem meum.

60. Dixit autem ei Jeſus, Sine ut mortui ſepeliant mortuos ſuos: tu vero vade, & annuncia regnum Dei.

61. Et ait alius, Sequar te Domine, ſed permitte mihi prius ut vale dicam his qui ſunt domi meæ.

62. Ait ad illum Jeſus, Nemo qui manu ſua ad aratrum admota reſpexerit à tergo, aptus eſt regno Dei.

19. Matth. *Et accedens unus.*] Duos hic homines Matthæus, tres autem Lucas nobis proponit: qui quum omnes parati eſſent Chriſto nomen dare, prout diverſis vitiis impediebantur à recto curſu, varia reſponſa accipiunt. Poſſet tamen abſordum primo aſpectu videri, quod Chriſtus eum qui ſtatim & ſine mora ad ſequendum ſe offert, amandat, nec in contubernium ſuum recipit: alterum vero qui miſſionem ad tempus petendo tardior eſt ac minus promptus, ſecum retinet. Atqui utriuſque optima eſt ratio. unde tanta Scribæ promptitudo ut ſe protinus ad Chriſtum comitandum accingeret, niſi quia minime reputabat quam dura & miſera eſſet comitum ejus conditio? Tenendum eſt fuiſſe Scribam qui vitæ quietæ & commodæ aſſuetus, verſatuſque in honore, probrorum, inopiæ, perſequutionum & crucis impatiens fuiſſet. Vult quidem hic Chriſtum ſequi: ſed mollem & amœnam viam, & hoſpitia bonis omnibus referta ſomniat: quum per ſpinas ambulandum ſit Chriſti diſcipulis, & per continuas ærumnas ad crucem pergendum. Ergo quo magis feſtinat, eo minus paratus eſt. Periode enim facit acſi in umbra & deliciis, ſine ſudore & pulvere, extra telorum jactum militare vellet. Tales à Chriſto repudiari mirum non eſt: quia ſicuti temere irrumpunt, ita prima quaque moleſtia fracti, primo quoque certamine exanimati referunt pedem, & locum turpiter deſerunt. Adde quod locum Scriba iſte apud Chriſtum quærere potuit, ut ex ejus menſa gratis & laute in otio paſceretur. Quare ſciamus in ejus perſona nos moneri omnes ne temere & ſecure jactemus nos fore Chriſti diſcipulos, de cruce & ærumnis nihil cogitantes: quin potius ante tempus meditemur qualis nos maneat conditio. hoc enim tirocinio nos initiat in ſcholam ſuam, ut nos abnegantes, crucem noſtram tollamus.

20. *Vulpes foveas.*] Declarat quidem Filius Dei qualis fuerit vitæ ſuæ conditio dum in terris verſatus eſt: ſed diſcipulis ſuis omnibus præſcribit ad quam ſe vitæ rationem formare debeant. Mirum tamen eſt Chriſtum negare ſibi eſſe terræ pedem ubi caput reclinet: quum multos haberet pios homines & humanos qui libenter eum hoſpitio exciperent. Sed notandum eſt, monendi cauſa hoc eſſe dictum, ne tanquam à locuplete domino mercedem amplam & opimam expectet Scriba, quum Dominus ipſe precario degat in alienis domibus.

21. *Et ſepeliam patrem meum.*] Diximus Scribam repudiari à Chriſto comitem, quia ſibi commodum vitæ genus fingendo, temere ſe ingerebat. Hic vero quem retinet Chriſtus, laborabat contrario vitio: nam quominus extemplo pareret Chriſto vocanti, obſtabat illa infirmitas, quod patrem deſerere durum eſſet. ac credibile eſt fuiſſe confectum ſenio, quum dicat, Permitte ut ſepeliam: nam hæc loquutio ſubindicat, non multum temporis illi fuiſſe reſiduum. Lucas exprimit juſſum fuiſſe à Chriſto ut ſequeretur. Pro eo dicit Matthæus unum fuiſſe ex diſcipulis. Porro vocationem non recuſat, ſed commeatum ſibi ad tempus dari petit, dum pietatis officio fungatur erga patrem. Perinde enim valet ejus excuſatio, acſi liberum ſe negaret donec mortuus eſſet pater. Cæterum ex Chriſti reſponſo intelligimus ſic colendam eſſe filiis pietatem erga parentes, ut ea poſthabita, quoties alio Deus vocat, primum ejus mandato gradum tribuant: ceſſare, inquam, oportet quæcunque debentur hominibus officia, ubi ſibi operam impendi jubet Deus. Nunc ſingulis videndum eſt quidnam ab illis requirat Deus, & quid vocatio cui ſunt addicti poſtulet: ne ipſos terreni parentes impediant quominus ſummo & unico omnium Patri ſuum jus integrum maneat.

22. *Mortui ſepeliant mortuos.*] His verbis non damnat Chriſtus ſepulturæ officium. eſſet enim fœdum & immane abjicere inſepulta mortuorum cadavera: & ſcimus ritum ſepeliendi divinitus fuiſſe traditum hominibus, & apud ſanctos uſu receptum, ad ſpem ultimæ reſurrectionis confirmandam. Tantum docere voluit, quicquid nos à recto curſu revocat vel moratur, nihil niſi mortem ſapere. acſi diceret, Eos demum ſolos vivere qui ſua ſtudia & omnes vitæ partes ad Dei obſequium applicant: eos vero qui in mundo ſubſidunt, atque ut ſe præbeant hominibus morigeros, Deum prætereunt, ſimiles eſſe mortuis, qui ſe in babenda mortuorum cura fruſtra & inutiliter occupant.

60. Luc. *Vade & annuncia.*] Matthæus tantum habet, Sequere me: Lucas vero clarius exprimit quorſum fuerit vocatus: nempe ut Euangelii miniſter eſſet ac præco. Nam ſi privatæ vitæ relictus foret, nulla neceſſitas cogebat patri deeſſe: modo ne in patris gratiam ab Euangelio deficeret. ſed quia Euangelii prædicatio eum domi ſedere non patitur, à patre ipſum Chriſtus merito avellit. Cæterum ut mira in eo apparet Chriſti bonitas, qui hominem adhuc infirmum tam honorifico munere dignatur: ita notare operæpretium eſt, corrigi vitium quod adhuc in eo hærebat, non indulgentia foveri.

61. *Et ait alius.*] Hujus tertii non meminit Matthæus. apparet autem mundo fuiſſe magis affixum quam ut ad ſequendum Chriſtum ſolutus & expeditus foret. Se quidem Chriſto contubernalem offert, ſed addita exceptione, quum valedixerit domeſticis ſuis: hoc eſt, quum negotia domi compoſuerit: ſicuti ſolent qui diſceſſum parant. Hæc cauſa eſt cur tam duriter illum caſtiget Chriſtus. verbo enim profeſſus ſe fore Chriſti comitem, tergum illi vertebat donec ſatisfeciſſet terrenis negotiis. Jam quum neget Chriſtus aptos eſſe regno Dei qui poſt tergum reſpiciunt, attente quærendum eſt quid hoc ſibi velit. dicuntur autem A tergo reſpicere qui mundi curis impliciti, ſe à recta via abduci ſinunt: præſertim vero qui ſe demergunt in eas quæ eos reddant inutiles ad ſequendum Chriſtum.

MATTH. IX.

1. Et ingreſſus navem, trajecit, ac venit in ſuam civitatem.

2. Et ecce adduxerunt illi paralyticum in lecto decumbentem. Quumque vidiſſet Jeſus fidem illorum, dixit paralytico, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

MARC. II.

1. Et iterum intravit Capernaum poſt dies aliquot: & auditum eſt quod in domo eſſet.

2. Et protinus congregati ſunt multi, adeo ut jam non caperent eos quæ circa januam erant loca: & loquebatur eis ſermonem.

3. Et veniunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur.

4. Et quum non poſſent appropinquare illi præ turba, nu-

LUC. V.

17. Et factum eſt quodam die, & ipſe docebat: erantque Phariſæi ſedentes, ac Legis doctores, qui venerant ex omni caſtello Galilææ, & Judææ, & Jeruſalem: & virtus Domini aderat ad ſanandum eos.

18. Et ecce viri portantes in lecto hominem qui erat paralyticus, & quærebant eum inferre & ponere ante eum.

19. Et non invenientes qua parte illum inferrent præ turba, aſcen-

3. Et ecce quidam è Scribis dicebant intra ſe, Hic blaſphemat.

4. Et quum vidiſſet Jeſus cogitationes illorum, dixit, Quare vos cogitatis mala in cordibus veſtris?

5. Utrum enim eſt facilius, dicere, Remittuntur tibi peccata tua: an dicere, Surge & ambula?

6. Ut autem ſciatis quod poteſtatem habeat Filius hominis in terra remittendi peccata (tunc dicit paralytico) Surge, tolle lectum tuum, & abi domum tuam.

7. Et ille ſurrexit, abiitque domum ſuam.

8. Turbæ vero quæ viderant, admiratæ ſunt, & glorificaverunt Deum qui dediſſet poteſtatem talem hominibus.

daverunt tectum ædium in quibus erat: perfoſſoque tecto demittunt grabbatum in quo paralyticus jacebat.

5. Quum autem vidiſſet Jeſus fidem illorum, ait paralytico, Fili, remittuntur tibi peccata tua.

6. Erant autem illic quidam è Scribis ſedentes, & cogitantes in cordibus ſuis,

7. Quid hic ſic loquitur blaſphemias? quis poteſt remittere peccata niſi ſolus Deus?

8. Et protinus, quum cognoviſſet Jeſus Spiritu ſuo quod ſic cogitarent intra ſe, dixit illis, Quid iſta cogitatis in cordibus veſtris?

9. Utrum eſt facilius, dicere paralytico, Remittuntur tibi peccata: an dicere, Surge, & tolle grabbatum tuum, & ambula?

10. Ut autem ſciatis quod Filius hominis habet poteſtatem in terra remittendi peccata (ait paralytico)

11. Tibi dico, ſurge, tolle grabbatum tuum, & abi in domum tuam.

12. Et ſtatim ſurrexit, ſublatoque grabbato egreſſus eſt in conſpectu omnium, adeo ut ſtupeſcerent omnes, & glorificarent Deum, dicentes, Nunquam ſic vidimus.

derunt ſupra tectum, ac per tegulas demiſerunt eum cum lectulo in medium ante Jeſum.

20. Quorum fidem ut vidit, dixit illi, Homo, remittuntur tibi peccata tua.

21. Et cœperunt cogitare Scribæ & Phariſæi, dicentes, Quis eſt hic qui loquitur blaſphemias? quis poteſt remittere peccata niſi ſolus Deus?

22. Ut autem cognovit Jeſus cogitationes ipſorum, reſpondens dixit ad eos, Quid cogitatis in cordibus veſtris?

23. Utrum eſt facilius, dicere, Remittuntur tibi peccata: an dicere, Surge & ambula?

24. Ut autem ſciatis quod Filius hominis habet poteſtatem in terra (ait paralytico) Tibi dico, ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.

25. Iſque confeſtim ſurgens coram illis, ſuſtulit lectum in quo jacuerat, abiitque in domum ſuam, glorificans Deum.

26. Et ſtupor corripuit omnes, & glorificabant Deum, & repleti ſunt timore, dicentes, Vidimus incredibilia hodie.

1. Matth. *In civitatem ſuam.*] Docet hic locus urbem Capernaum vulgo creditam fuiſſe natalem locum Chriſti, quod eam maxime frequentaret. minime enim dubium eſt eandem à tribus hiſtoriam referri, quamvis circumſtantias alius alio ſubtilius enumeret. Dicit Lucas veniſſe ex variis partibus Judææ Scribas, quibus ſpectantibus paralyticum Chriſtus ſanavit. ſubindicat tamen aliis quoque redditam eſſe ſanitatem Chriſti gratia. Nam priuſquam ad paralyticum deſcendat, in plurali numero loquens dicit, patefactam illic fuiſſe Dei virtutem ad ſanandos eorum morbos. Fuit autem non vulgaris hujus miraculi gloria, quod homo quem membris omnibus captum per funes in lecto jacentem demiſerant, repente vegetus agiliſque conſurgit. Alia tamen peculiaris ratio eſt cur in hoc miraculo magis quam in aliis inſiſtant Euangeliſtæ, quod ſcilicet indigne tulerint Scribæ Chriſtum ſibi jus & poteſtatem ſumere remittendi peccata: Chriſtus vero eam viſibili ſigno ſancitam eſſe & obſignatam voluit.

2. *Quumque vidiſſet fidem illorum.*] Fidei quidem ſolus eſt Deus cognitor: ſed fidei ſpecimen edebant in illo tam laborioſo conatu: quia nunquam tantum ſubiſſent moleſtiæ, nec cum tantis obſtaculis luctati eſſent, niſi animos feciſſet certa ſucceſſus fiducia. ita fidei eorum in eo fructus apparuit, quod præcluſo undique aditu fatigati non fuerunt. Nam quod quidam exiſtimant Chriſtum divinitus conſcium fuiſſe ipſorum fidei, quæ occulta intus latebat, mihi coactum videtur. Jam quia illorum fidei conceſſit Chriſtus quod paralytico daturus erat beneficium: ideo quæri hoc loco ſolet quatenus hominibus proſit aliena fides. Ac primo quidem certum eſt profuiſſe Abrahæ fidem poſteris, dum gratuitum ſalutis fœdus ſibi & ſemini ſuo oblatum amplexus eſt. Idem & de ſingulis fidelibus ſentire convenit, quod Dei gratiam fide ſua ad liberos & nepotes propagant, etiam antequam naſcuntur. Atque id in pueris infantibus locum habet, qui nondum per ætatem fidei ſunt capaces. Adultos vero, quos propria deficit fides (ſive extranei ſint, ſive ſanguine conjuncti) quoad æternam animæ ſalutem aliena fides nonniſi mediate juvat. Nam quia profectu non carent preces quibus à Deo petimus ut incredulos ad pœnitentiam convertat, hinc patet fidem illis noſtram prodeſſe, euſque tamen ut ad ſalutem non perveniant donec illis impetrata fuerit ejuſdem fidei ſocietas: ubi autem mutuus eſt fidei conſenſus, viciſſim ab aliis juvari aliorum ſalutem pluſquam notum eſt. hoc quoque controverſia caret, terrenis beneficiis in favorem piorum ſæpe donari incredulos. Quod ad præſentem locum ſpectat, tametſi aliorum fide motus fuiſſe dicitur Chriſtus, conſequi tamen paralyticus remiſſionem peccatorum non potuit niſi propriam ipſe haberet fidem. indignis ſæpe Chriſtus corporis ſanitatem reſtituit: ſicuti Deus quotidie ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos: at non alio modo reconciliat ſe nobis quam per fidem. Quare ſynecdoche eſt in voce Illorum, quia non ita reſpexit Chriſtus eos qui paralyticum ferebant, quin ejus quoque fidem intuitus fuerit. *Remittuntur tibi peccata.* Videtur hic Chriſtus paralytico aliud quam quæſierat promittere. ſed quum ſanitatem corporis dare velit, exordium facit à cauſa morbi tollenda, & ſimul paralyticum admonet unde illi acciderit morbus, & quomodo vota ſua diſponere debeat. Nam quia vulgo non reputant homines flagella eſſe Dei quas ſuſtinent ærumnas, tantum levamen aliquod in carne optant,

de

de peccatis ſuis interes ſunt ſecuri, perinde acſi ægrotus morbum negligens, præſenti tantum dolori remedium péteret. Atqui unica à malis omnibus liberatio eſt, Deum babere propitium. Contingit quidem interdum ut impii ex malis ſuis emergant, Deo nihilominus adbuc illis infeſto: ſed dum ſe putant defunctos, mox vel eadem recurrunt, vel plura & graviora irruunt, quæ teſtentur nullum fore modum nec finem donec placata fuerit ira Dei, quemadmodum ipſe teſtatur per Prophetam, Si leonem evaſeris, occurret tibi urſus: ſi domi te incluſeris, inſilier ſcorpio. Itaque hæc loquendi ratio frequens & trita eſt Scripturis, veniam à peccatis promittere, ubi pœnarum mitigatio quæritur. Hunc quoque ordinem tenere in precibus convenit, ut afflictionum ſenſu de peccatis noſtris admoniti, de impetranda venia primum ſimus ſolliciti, ut Deus nobis reconciliatus, à puniendo manum retrahat.

Amos 5. verſ. 19.

3. *Et ecce, quidam è Scribis.*] Chriſtum accuſant blaſpbemiæ & ſacrilegii, quia quod proprium eſt Dei, ſibi uſurpet. addunt enim alii duo, Quis poteſt remittere peccata niſi ſolus Deus? Porro minime dubium eſt quin eos ad ſiniſtrum hoc judicium obtrectandi libido impulerit. Siquid reprebenſione dignum putant, cur non inquirunt? deinde quum ambigua ſit loquutio, nec aliud protulerit Chriſtus quam quod ſolent Prophetæ, dum gratiæ Dei ſunt teſtes, cur in deterius rapiunt quod æquius interpretari licebat? Malevolentia igitur & livore prius infectos fuiſſe conſtat, qui tam cupide anſam Chriſti damnandi arripiunt. Porro taciti cogitant in cordibus ſuis ut abſentem apud ſui ſimiles traducant. Vere iſtud quidem, penes Deum unum jus & poteſtatem eſſe remittendi peccata: ſed male ſubſumunt, in Chriſtum id non competere, quum Deus ſit in carne manifeſtatus. Sciſcitari eos decebat quo jure tantum ſibi auctoritatis Cbriſtus ſumeret: nunc ſine ulla inquiſitione ipſum aliquem ex grege hominum eſſe ſingentes, temere ad eum damnandum proſiliunt.

4. *Quum vidiſſet Jeſus.*] Jam in hoc divinitatis ſuæ ſpecimen edit, quod occultos eorum ſenſus in medium profert. nemo novit enim quid ſit in homine niſi ſpiritus ejus. Ideo Marcus addit ipſum Spiritu ſuo noviſſe. acſi diceret, Non potuiſſe bumanitus perſpici quod in cordibus latebat: ſed Cbriſtum divino ſuo Spiritu illuc uſque penetraſſe. Mala autem eos cogitare dicit, non quod illis doleret transferri ad bominem mortalem quod Deus uni ſibi vindicat: ſed quia Deum palam ſe offerentem ſuperbe & maligne reſpuerent.

1 Cor. 2. verſ. 11.

5. *Utrum eſt facilius.*] Senſus eſt, Quum nibilo facilius ſit verbo corpus emortuum vegetare quam remittere peccata, mirum videri non debere quod peccata remittat, ubi alterum illud præſtiterit. Videtur tamen parum ſolide ratiocinari Cbriſtus, quia quanto præſtantior eſt anima corpore, tanto præcellit corporis ſanitatem peccatorum remiſſio. Sed in promptu eſt ſolutio, quod Chriſtus ſermonem ad eorum captum accommodat, qui ut erant animales, externis ſignis magis movebantur quam tota ſpirituali Chriſti virtute, quæ ad æternam ſalutem valebat. Sic Joannis 5. verſ. 28. efficaciam Euangelii ad homines vivificandos inde probat, quod ultimo die mortuos voce ſua excitabit è ſepulchris. Hoc igitur ad eos refellendos ſatis validum fuit argumentum, quibus nibil pluris erat quam miraculum viſibile, ut negare non poſſent jure peccata remiſiſſe paralytico, dum robur illi vigoremque reſtituit: quia ex hoc effectu apparuit peccatorum remiſſio.

6. *Poteſtatem babeas in terra.*] Hæc poteſtas longe alia eſt quam quæ Apoſtolis mandata fuit, & qua bodie funguntur Eccleſiæ paſtores: non enim tam remittunt ipſi quam remiſſa teſtantur, dum injunctam ſibi legationem promulgant. His autem verbis Chriſtus non ſe miniſtrum & teſtem ſolum hujus gratiæ, ſed etiam auctorem pronunciat. Sed quorſum pertinet reſtrictio *in terra?* quid enim juvabit nos hic veniam adeptos eſſe niſi id in cælo ratum ſit? Nempe dicere voluit Cbriſtus, ne procul quærenda ſit peccatorum remiſſio, in ſua perſona quaſi ad manus eſſe hominibus exhibitam. nam (quæ noſtra eſt ad diffidentiam propenſio) nunquam ſtatuere audemus Deum erga nos eſſe miſericordem niſi prope accedens ſe nobis familiariter explicet. Jam quia hac de cauſa deſcendit Cbriſtus in terram ut præſentem Dei gratiam hominibus offerret, dicitur coram peccata remittere: quia in eo & per eum patefacta fuit Dei voluntas quæ ſecundum carnis ſenſum prius erat ſupra nubes abſcondita.

8. *Turbæ vero quæ viderant.*] Pro admiratione, cujus meminit Lucas, reliqui duo ecſtaſin vel ſtuporem ponunt. Lucas etiam timorem adjungit. omnium tamen conſilium eſt docere, non ſimpliciter modo agnitam fuiſſe Dei virtutem, ſed admiratione perculſos fuiſſe omnes, ut Deo gloriam dare cogerentur. Timor autem qui admirationem ſequutus eſt, ad hoc valuit, ne Cbriſto obſtreperent, ſed reverenter ſe illi ſubmitterent, tanquam Dei Prophetæ. Matthæus diſerte exprimit glorificaſſe Deum, qui dederat talem poteſtatem bominibus. in quo videntur nonnihil ballucinati: nam etſi hominem oculis aſpiciunt, debebant aliquid bomine altius in eo mente percipere. Recte hoc quidem, quod in commune bumani generis bonum, hominis naturam tanto honore in Cbriſto affectam eſſe prædicant: ſed quia nondum capiunt Deum in carne manifeſtatum, aliquo errore implicita eſt eorum confeſſio. In ſumma, verum erat Deum dediſſe talem poteſtatem hominibus: ſed iſti dandi modum & rationem nondum tenebant, quibus ignota erat Dei majeſtas cum carne conjuncta.

MATTH. IX.	MARC. II.	LUC. V.
9. Et præteriens Jeſus illinc, vidit hominem ſedentem ad telonium, Matthæum nomine, & dicit ei, Sequere me. Atque is ſurgens ſequutus eſt ipſum. 10. Et factum eſt ut ipſe accumberet in illius ædibus: & ecce, multi publicani & peccatores qui venerant, ſimul accubuerunt cum Jeſu & diſcipulis ejus. 11. Et videntes Phariſæi dixerunt diſcipulis ejus,	13. Et egreſſus eſt rurſus ad mare, omniſque turba veniebat ad eum, ac docebat eos. 14. Et quum præteriret Jeſus, vidit Levi Alphæi filium ſedentem ad telonium, & ait illi, Sequere me: iſque ſurgens ſequutus eſt eum. 15. Et factum eſt quum accumberet in domo illius, multi etiam publicani & peccatores ſimul diſcubuerunt cum Jeſu & diſcipulis ejus. erant enim multi qui ſequuti fuerant eum.	27. Et poſt hæc exiit, ac vidit publicanum, nomine Levi, ſedentem ad telonium, & ait illi, Sequere me. 28. Atque is relictis omnibus ſequutus eſt eum. 29. Et fecit illi convivium magnum Levi in domo ſua: & erat turba multa publicanorum & aliorum qui cum illis accumbebant.

Cur cum publicanis & peccatoribus veſcitur præceptor veſter?

12. At Jeſus quum audiſſet, dixit illis, Non opus habent qui validi ſunt medico, ſed qui male habent.

13. Quin potius ite, & diſcite quid ſit, Miſericordiam volo, & non ſacrificium. non enim veni ad vocandum juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.

16. Et Scribæ ac Phariſæi quum vidiſſent eum capientem cibum cum publicanis & peccatoribus, dicebant diſcipulis ejus, Quid eſt quod cum publicanis & peccatoribus edit ac bibit?.

17. Hoc audito Jeſus ait illis, Non opus habent qui validi ſunt medico, ſed qui male habent. Non veni ad vocandum juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.

30. Et murmurabant Scribæ & Phariſæi adverſus diſcipulos ejus, dicentes, Quare cum publicanis & peccatoribus editis ac bibitis?

31. Et reſpondens Jeſus dixit ad illos, Non egent qui ſani ſunt medico, ſed qui male habent.

32. Non veni ad vocandum juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.

9. *Sedentem ad telonium.*] Quod Matthæus à telonio (qui locus rapinis & injuſtis exactionibus deditus eſſe ſolet, tunc vero maxime infamis erat) non modo in contubernium Chriſti recipitur, ſed etiam ad munus Apoſtolicum vocatur, in eo habemus illuſtre gratiæ Dei exemplar. voluit ſcilicet Chriſtus non ſolum idiotas & craſſos homines in illum ordinem eligere ut ſapientiam mundi dejiceret: ſed hunc quoque publicanum, qui vitæ genus minus probatum & variis corruptelis implicitum ſequutus erat; ut ſpecimen eſſet gratuitæ ſuæ bonitatis, doceretque in ejus perſona, noſtram omnium vocationem non ea juſtitiæ propriæ meritis, ſed ex mera ſua liberalitate pendere. Ergo Matthæus exhibitæ in Chriſto gratiæ non modo teſtis & præco, ſed etiam teſtimonium & typus fuit. Jam in eo gratitudinem ſuam demonſtrat, quod eum mandare perpetuæ memoriæ non pudet qualis fuerit & unde aſſumptus, quo magis in ſua perſona illuſtret Chriſti
1 Tim. 1. verſ. 15. gratiam. Eodem modo Paulus: Fidelis (inquit) ſermo, quod Chriſtus Jeſus venit ad peccatores ſervandos, quorum primus ego ſum. Quod Marcus & Lucas eum Levi nominant, apparet iſtud fuiſſe gentile nomen: ſed quia publicanus erat, hanc fuiſſe cauſam ut peregrinum nomen ſibi accerſeret. *Sequere me.* Non dubium eſt quin pluribus verbis expreſſerit Chriſtus quorſum & qua lege eum vocaret: idque certius colligitur ex Luca, qui eum omnibus relictis ſurrexiſſe dicit ſequendi Chriſti cauſa. Nam omnia relinquere, niſi domeſtico Chriſti diſcipulo, & in ſpem Apoſtolatus vocato, neceſſe non erat. Porro in tam prompto obſequendi ſtudio divinam vocis Chriſti efficaciam perſpicimus: non quod omnes peræque, quorum auribus inſonat, intus afficiat in cordibus: ſed in hoc homine voluit Chriſtus ſingulare ſpecimen edere, ut ſciremus non humanitus fuiſſe vocatum.

29. Luc. *Et fecit illi convivium.*] Videtur ab eo diſcrepare quod refert Lucas, relicta fuiſſe ab eo omnia. ſed facilis ſolutio eſt, poſthabitis omnibus impedimentis Matthæum ſe totum Chriſto dediſſe, ſic tamen ut res ſuas domeſticas non abjiceret. Paulus dum militum exemplo, verbi miniſtros hortatur ut liberi & ſoluti omnibus impedimentis operam
2 Tim. 2. verſ. 4. ſuam Eccleſiæ impendant, dicit, Nemo qui militat, implicat ſe vitæ negotiis ut imperatori placeat. non intelligit certe quicunque dant nomina ad militiam profitendam, divortium facere cum uxoribus, liberos abdicare, domibus ſuis in totum renunciare: ſed ad tempus abſtinere à domibus ſuis, & curis omnibus renunciare, ut ſe militiæ prorſus addicant. ſic & Matthæum nihil retinuit quominus ſequeretur quo Chriſtus vocabat: & tamen quatenus illi permiſit vocationis ſuæ ratio, libere & domo ſua & facultatibus uſus eſt. Telonio quidem valedicere oportuit, quia illic occupatus, Chriſti comes non fuiſſet. Convivium magnum non tam ad diſcumbentium turbam quam ad ciborum copiam & ſplendorem refertur. nam Chriſtum ſcimus non ea fuiſſe auſteritate quin paſſus ſit interdum ſe à divitibus lautius accipi: ſic tamen ut luxuries abeſſet. Interea non dubium eſt, quin, ut ipſe ſingulare erat temperantiæ exemplum, ita ſuos hoſpites ad frugalem & mediocrem victum hortatus ſit. lautitias quidem profuſas & diſſolutas nunquam tuliſſet. Quod dicit Matthæus veniſſe peccatores, hoc eſt, homines flagitioſæ vitæ, vel infamia notatos: hinc factum eſt quod publicani, quum & ipſi vulgo exoſi & probroſi forent, non abhorrebant à talium conſuetudine. nam ſicuti modica correctio pudore humiliat eos qui peccarunt: ita nimia ſeveritas quoſdam ad deſperationem cogit, ut omni pudore excuſſo ad turpitudinem ſe projiciant. Tributum aut vectigal exigere, nullum erat ſcelus: ſed quum ſe rejici viderent publicani quaſi profanos & deteſtabiles, ſolatium petebant ex eorum conſuetudine qui ſiniſtra fama laborantes, ob commune dedecus eos non ſpernebant. Interea ſe miſcebant adulteris, ebrioſis & ſimilibus, quorum ſcelera improbaſſent, & quibus fuiſſent diſſimiles niſi publico odio & repulſa huc neceſſitatis fuiſſent adacti.

Tributum exigere.

11. Matth. *Cur cum publicanis.*] Chriſti diſcipulos adoriuntur Scribæ: atque ut ad defectionem ſollicitent, exprobrant quod prima ſpecie turpe ac pudendum erat. Quorſum enim illis proprium magiſter niſi ut ſe à vulgo ad ſanctiorem vitam agendam ſubducerent? Atqui eos ab honeſto & tolerabili vitæ ſtatu ad profanam licentiam traduxit, ut ſeſe cum impuris convivis inquinent. Poterat rudes adhuc & flexibiles diſcipulos iſta exprobratio pungere ut magiſtrum defererent. Recte autem illi quod non ſatis muniti adverſus talem calumniam, querimoniam ſuam ad magiſtrum deferunt. nam Chriſtus ſe opponens, eos in poſterum confirmat.

12. *Non opus habent.*] Apparet ex Chriſti reſponſo dupliciter peccaſſe Scribas: quod nec reputarent officium Chriſti; & ſuis vitiis parcendo, alios omnes ſuperbe deſpicerent. Quod ideo notandum eſt, quod pluſquam vulgaris ſemper fuit hic morbus. nam hypocritæ, ut ſaturi ſunt & ebrii ventoſa ſuæ juſtitiæ fiducia, ad quid miſſus fuerit Chriſtus in terram non reputant: in quanto malorum labyrintho demerſum ſit humanum genus, quam horribilis Dei ira & maledictio cunctis incumbat, quam confuſa vitiorum mole premantur non agnoſcunt. ita fit ut ſtupidi ad hominum miſerias de remedio non cogitent. Jam vero ſibi placentes, in ordinem cogi non ſuſtinent, ac indignum putant ſe peccatoribus aggregari. Hunc ſecundum errorem perſtringit Chriſtus, ubi reſpondet ſanos non opus habere medico. eſt enim ironica conceſſio, in qua ideo offendi eos docet peccatorum intuitu quia juſtitiam ſibi arrogant. Quia ſani eſtis, inquit, vobis deſpicabiles ſunt ægroti ut eorum vos pigeat, ac conſpectus ipſe moleſtus ſit. atqui medicum longe aliter affici oportet. Poſtea oſtendit obeundas ſibi eſſe medici partes: quoniam vocandis peccatoribus miſſus fuerit à Patre. Etſi autem Chriſtus ab objurgatione incepit:

tamen

tamen ſi proficere cupimus in ejus doctrina, quod ſecundo loco poſuit in primis tenendum eſt, ipſum ſcilicet veniſſe ut mortuos vivificet, ut juſtificet reos ac damnatos, ut pollutos & ſordibus infectos abluat, ut perditos eruat ab inferis, ut ſua gloria veſtiat qui fœditate operti erant: ut eos qui corrupti erant vitiorum fœtore, ad beatam immortalitatem renovet. Si hoc ejus eſſe officium expendimus, atque hunc adventus finem: ſi nobis in mentem venit hac de cauſa induiſſe carnem noſtram, ſanguinem ſuum fudiſſe, mortis ſacrificio eſſe defunctum, uſque ad inferos deſcendiſſe: nunquam abſurdum videbitur quod poſtremos hominum & ſcelerum colluvie opertos in ſalutem colligat. Tibi indignus Chriſti gratia videtur quem abominaris: cur ergo piaculum factus eſt Chriſtus ipſe & maledictio niſi ut maledictis peccatoribus manum porrigeret? Jam ſi nobis obrepit faſtidium quod tam Baptiſmus quam ſacra Cœna ſordidis hominibus nos conjungit, ut videatur eorum ſocietas aliqua nos macula aſpergere, deſcendere ſtatim in noſipſos oportet, & propria mala ſine blanditiis excutere. efficiet hoc examen ut libenter ſinamus eodem nos fonte cum impuriſſimis lavari: ut non repudiemus quam communiter impiis omnibus juſtitiam, quam mortuis vitam & perditis ſalutem offert.

13. *Ite, & diſcite.*] Ablegat eos & faceſſere jubet: quia indociles eſſe videbat & præfractos. Vel certe innuit, certamen illis eſſe cum Deo & Propheta, qui ſuperbia crudeles indigne ferant juvari miſeros, ægrotis afferri medicinam. Teſtimonium hoc ex Oſea 6. v. 6. ſumptum eſt, ubi Propheta de vindicta Dei concionatus adverſus Judæos, ne exciperent, ſe defungi externo Dei cultu, quemadmodum ſolebant ſuas ceremonias ſecure jactare: negat Deum ſacrificia morari, ubi & animi pietate vacui ſunt, & mores alieni ab integritate & juſtitia. Quod vero Deus ſacrificia ſe nolle pronunciat, ex ſecundo membro patet comparative dici, ſcientiam Dei holocauſtis potiorem eſſe. quibus verbis non præciſe holocauſta repudiat, ſed pietati & fidei poſtponit. Sic tamen habendum eſt, fidem & ſpiritualem cultum per ſe Deo placere, charitatem & humanitatis officia erga proximos per ſe requiri: Sacrificia non-niſi acceſſoria eſſe (ut loquuntur) quæ nullo pretio vel loco ſunt ubi ſolida veritas non ſubeſt. Qua de re fuſius tractavi decimo ad Hebræos capite. In voce *miſericordiæ*, ſynecdoche notanda eſt. nam ſub una parte complectitur Propheta quicquid humanitatis fratribus debemus.

Ubi ergo opus operatum?

Non enim veni.] Quanquam refellendæ Scribarum ſuperbiæ & hypocriſi hoc dictum eſt: continet tamen in genere valde utilem doctrinam. monemur enim non aliter nobis prodeſſe Chriſti gratiam quam dum peccatorum noſtrorum nobis conſcii, & ſub eorum onere gementes, humiliter ad eum accedimus. Rurſus in certam fiduciam eriguntur infirmæ conſcientiæ: quia timendum non eſt ne rejiciat Chriſtus peccatores, quibus vocandis è cœleſti ſua gloria deſcendit. Sed tenenda eſt ſimul illa particula, Ad pœnitentiam: ut ſciamus veniam nobis fieri, non quæ peccata foveat, ſed quæ ad pie ſancteque vivendi ſtudium nos revocet. Hac enim lege nos reconciliat Patri ut redempti ejus ſanguine, offeramus nos veras hoſtias, quemadmodum dicit Paulus, In hoc apparuit miſericordia Dei & humanitas ut abnegatis terrenis deſideriis, juſte ſancteque ambulemus &c. *Tit. 2: 12.*

Matth. IX.

14. Tunc adeunt eum diſcipuli Joannis, dicentes, Quam ob cauſam nos & Phariſæi jejunamus plerumque, diſcipuli vero tui non jejunant?

15. Et dixit illis Jeſus, Num poſſunt filii ſponſi lugere quamdiu cum illis eſt ſponſus? Venient autem dies quum tolletur ab eis ſponſus, & tunc jejunabunt.

16. Nullus autem immittit aſſumentum panni rudis in veſtem veterem: aufert enim ſupplementum illius à veſtimento, & pejor ruptura fit.

17. Neque mittunt vinum novum in utres veteres: alioqui rumpuntur utres, & vinum effunditur, & utres pereunt: ſed mittunt vinum novum in utres novos, & utraque ſimul ſervantur.

Marc. II.

18. Et diſcipuli Joannis ac Phariſæorum jejunabant, veniuntque, & dicunt illi, Quare diſcipuli Joannis & Phariſæorum jejunant, tui autem diſcipuli non jejunant?

19. Et ait illis Jeſus, Num poſſunt filii nuptialis thalami in quo cum illis eſt ſponſus, jejunare? quamdiu ſecum habent ſponſum, non poſſunt jejunare.

20. Venient autem dies quum auferetur ab eis ſponſus, & tunc jejunabunt in illis diebus.

21. Et nemo aſſumentum panni rudis aſſuit veſtimento veteri: alioqui aufert ſupplementum ejus novum à veteri, & pejor fit ſciſſura.

22. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres: alioqui rumpit muſtum utres, & vinum effunditur, & utres pereunt: ſed vinum novum in utres novos mittendum.

Luc. V.

33. At illi dixerunt ad eum, Quare diſcipuli Joannis jejunant frequenter, & obſecrationes faciunt, ſimiliter & Phariſæorum: tui vero edunt & bibunt?

34. Quibus ipſe ait, Num poteſtis facere ut filii thalami, dum eſt cum illis ſponſus, jejunent?

35. Venient autem dies, & quum ablatus fuerit ab illis ſponſus, tunc jejunabunt in diebus illis.

36. Dicebat autem & ſimilitudinem ad eos, Nemo immiſſuram veſtimenti novi mittit in veſtimentum vetus: alioqui & novum rumpit, & veteri non convenit immiſſura ex novo.

37. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres: alioqui rumpet vinum novum utres, & ipſum effundetur, & utres peribunt.

38. Sed novum vinum in utres novos mittendum eſt, & utraque conſervantur.

39. Et nemo qui biberit vetus, ſtatim vult novum: dicit enim, Vetus melius eſt.

14 *Tunc adeunt.*] Lucas Phariſæos inducit loquentes: Marcus videtur utroſque conjungere. Nec certe dubium eſt quin hoc artificio maligne conati ſint Phariſæi in partes ſuas attrahere Joannis diſcipulos, & in certamen committere cum Chriſti diſcipulis. Similitudo in precibus & jejuniis plauſibilis erat ſocietatis illecebra: diverſa autem Chriſti ratio moroſis & ſibi nimium addictis hominibus diſſidii & ſimul-

ſimultatis occaſio erat. Hoc exemplo monemur prudenter cavendum eſſe ne levi aliquo prætextu diſcordias inter nos ſeraot improbi & aſtuti homines. Mitus profecto ſtruendis talibus inſidiis artifex eſt Satan nos: vero de nihilo turbari facile eſt. præſertim vero cavendum eſt ne ob ritus externos ſcindatur fidei conſenſus, & rumpatur charitatis vinculum. Hoc morbo laborant fere omnes, ut ceremoniis &
Col. 2: 8. elementis mundi (ſicut Paulus vocat) plus æquo tri-
Gal. 4: 9. buant. itaque prima rudimenta ſummæ perfectioni ut plurimum præferre non dubitant. Accedit deinde aliud malum ex moroſitate & faſtu, quod ſinguli totum mundum libenter ad ſuum exemplum adigerent. Si quid nobis adlubeſcit, protinus cupimus in legem tranſire ut alii noſtro arbitrio vivant. Quum his Satanæ laqueis captos fuiſſe Joannis diſcipulos legimus, primum diſcamus ſanctitatem non locare in rebus externis & mediis: & ſimul frenum moderationis & æquitatis nobis injicere, ne alios noſtro arbitrio adſtringere expetamus, ſed ſua quibuſque maneat libertas. De jejunio & precibus ſic habendum eſt, Joannem certa pædagogia ſuos diſcipulos exercuiſſe: atque in bunc finem ſtatos habuiſſe jejuniis dies, præſcriptam orandi formam & conſtitutas horas. ideo preces iſtas inter externos ritus numero. Nam etſi Dei invocatio in ſpirituali cultu primatum tenet: illa tamen ratio ad hominum ruditatem compoſita merito inter ceremonias ac res medias refertur, quarum obſervatio nimis ſevere urgenda non eſt. Jam cur auſterior fuerit Joannis diſciplina quam Chriſti, alibi diximus, & iterum dicendi locus opportunior erit.

15. *Non poſſunt filii ſponſi.*] A temporis circumſtaotia diſcipulos excuſat Chriſtus, quod eos adhuc hilariter tractare Deus velit acſi nuptiis intereſſent. ſe enim ſponſo comparat qui ſua præſentia amicos exhilaret. Chryſoſtomus haoc ſimilitudinem ſumptam putat ex Joannis Baptiſtæ teſtimonio, Qui habet ſponſam ſponſus eſt. quod ego quidem non improbo, ſed non ſatis firmum eſſe arbitror. Hoc nobis ſufficiat, quod ſe parcere & indulgere ſuis diſcipulis affirmat Chriſtus quamdiu cum illis verſatur. Nequis autem exigui temporis commoditatem illis invideat, paulo poſt durius & aſperius tractandos eſſe admonet. Inde autem pendet excuſatio, quod jejunium & preces triſtibus & adverſis rebus conveniunt: preces dico extraordinarias, quarum hic ſit mentio. Voluit ſcilicet Chriſtus paulatim aſſuefacere eos ad majorem tolerantiam, nec multum illis oneris imponere, donec plus roboris acquirerent. Hinc colligenda eſt duplex doctrina, ſiquando fratrum noſtrorum infirmitatem ſublevat Dominus, & benigne illos fovet, dum nos horridius tractat, non eſſe obſtrependum. Deinde ſiquando nobis detur à triſtitia & moleſtiis relaxatio, cavendum eſſe ne deliciis diffluamus: quin potius meminerimus non ſemper fore nuptias. Filii ſponſi, ſive thalami nuptialis, Hebraica phraſi pro convivis nuptialibus.

16. *Nullus autem immittit aſſumentum.*] Duobus ſimilibus proximam ſententiam confirmat, quorum unum à veſtibus, alterum à vaſis vinariis ſumptum eſt. Qui veſtes detritas, & caducas utres, Phariſæis; muſtum & pannum novum doctrinæ Euangelii conferri putant, nihil habent coloris. Apta autem & concinna eſt ſimilitudo ad rem præſentem, ſi hoc de infirmis ac teneris Chriſti diſcipulis, & diſciplina magis rigida quam ut pares eſſent ad ferendum, exponimus. Nec refert quod novitiis tironibus vetuſtas non quadrat: neque enim vetuſtis utribus & veſtibus laceris Chriſtus ideo comparat diſcipulos quod longo uſu attriti forent: ſed quia debiles erant, minuſque robuſti. Summa eſt, non omnes promiſcue adigendos eſſe ad eandem vivendi formam: quia diſpar ſit conditio, neque omnia omnibus conveniant: præſertim infirmis parcendum eſſe, ne rumpantur violentia, vel oneris gravitate frangantur. porro ex more regionis loquitur Chriſtus, dum utres pro cadis vel amphoris nominat.

39. Luc. *Nemo qui biberit vetus.*] Hoc à ſolo Luca poſitum eſt, ac cum ſuperioribus haud dubie cohæret. Tametſi autem varie ab interpretibus torquetur: ego ſimpliciter ita accipio, moneri Phariſæos ne receptæ conſuetudini plus quam par eſt tribuant. Unde enim fit ut vinum ſaporem non mutans, non peræque omnium palatis arrideat, niſi quia uſus & conſuetudo guſtum format? Hinc ſequitur, quam tenet Chriſtus rationem erga diſcipulos, non minoris æſtimandam eſſe quod minus habeat pompæ & ſplendoris: ſicuti vinum vetus, licet muſteo fervore non ita deſpumet, non minus tamen ſuave eſt, nec minus alendo corpori congruit.

MATTH. IX.	MARC. V.	LUC. VIII.
18. Hæc quum illis loqueretur, ecce primas quidam venit & adoravit eum, dicens, Filia mea modo defuncta eſt: ſed veni & impone manum tuam ſuper illam, & vivet. 19. Ac ſurgens Jeſus ſequutus eſt eum, ac diſcipuli illius. 20. Et ecce, mulier quæ profluvio ſanguinis laboraverat duodecim annos, accedens à tergo, tetigit ſimbriam veſtimenti illius.	22. Et ecce, venit quidam principum Synagogæ, nomine Jairus: & quum vidiſſet eum, procidit ad pedes ejus. 23. Et deprecabatur eum multum, dicens, Filiola mea in extremis eſt, oro ut venias & imponas manus ut ſalva ſit, & vivet. 24. Et abiit cum illo: & ſequebatur eum turba multa, & comprimebant eum. 25. Et mulier quædam quæ fuerat obnoxia profluvio ſanguinis annos duodecim, 26. Fueratque multa perpeſſa à compluribus medicis, & inſumpſerat omnia ſua, neque quicquam profecerat, ſed magis in deterius venerat, 27. Quum audiſſet de Jeſu, venit in turba à tergo, & tetigit ejus veſtimentum. 28. Dicebat enim, Si vel veſtimentum ejus tetigero, ſalva ero.	40. Factum eſt autem, quum rediret Jeſus, excepit illum turba: nam omnes expectabant eum. 41. Et ecce, venit vir cui nomen Jairus, & ipſe princeps Synagogæ erat, & procidit ad pedes Jeſu, rogans eum ut intraret in domum ſuam: 42. Quoniam unica filia erat ei annorum duodecim, & hæc moriebatur. Verum inter eundum turbæ coarctabant eum. 43. Et mulier quæ erat obnoxia profluvio ſanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos impenderat omnem ſubſtantiam, nec ab ullo potuerat curari, 44. Acceſſit retro, & tetigit ſimbriam veſtimenti ejus, & confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis ejus.

45. Et

21. Dicebat enim intra ſe, Si tantum tetigero veſtimentum illius, ero ſalva.

22. At Jeſus converſus, ut vidit illam, dixit, Confide filia, fides tua ſalvam te fecit. Et ſalva facta fuit mulier à tempore illo.

29. Et confeſtim ſiccatus eſt fons ſanguinis ejus, & ſenſit corpore quod ſanata eſſet à flagello.

30. Et ſtatim Jeſus in ſemetipſo cognoſcens virtutem ex ſe produiſſe, converſus in turba, aiebat, Quis tetigit veſtimenta mea?

31. Et dicebant ei diſcipuli ipſius, Vides turbam undique prementem te, & dicis, Quis me tetigit?

32. Et circumſpiciebat, ut videret eam quæ hoc fecerat.

33. Mulier vero timens & tremens, ſciens quod factum eſſet in ſe, venit & procidit coram eo, dixitque ei omnem veritatem.

34. Ille autem dixit ei, Filia, fides tua te ſervavit: vade in pace, & eſto ſana à flagello tuo.

45. Et ait Jeſus, Quis eſt qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus & qui cum illo erant, Præceptor, turbæ te conſtringunt & affictant, & dicis, Quis me tetigit?

46. Et dixit Jeſus, Tetigit me aliquis: nam ego novi virtutem à me manaſſe.

47. Videns autem mulier quod non latuiſſet, tremens venit ac procidit ante pedes ejus, & ob quam cauſam tetigiſſet eum, indicavit ei coram toto populo, & quemadmodum confeſtim ſanata eſſet.

48. At ille dixit ei, Confide filia, fides tua te ſervavit: vade in pace.

18. *Hæc quum illis loq*] Qui aliam à Marco & Luca, quam à Matthæo hiſtoriam referri finguot, clarius refutantur ab ipſo contextu quam ut res longa diſputatione egeat. Tres uno ore rogatum à principe Synagogæ Chriſtum dicunt, ut domum veniret ſanaodæ filiæ caoſa. Hoc modo eſt diverſum, quod nomeo Jairi à Matthæo ſuppreſſum, apud Marcum & Lucam exprimitur: & ille patrem ſic loquentem inducit, Filia mea defuncta eſt: reliqui duo tunc fuiſſe in extremis dicunt: mortem vero in itinere fuiſſe nunciatam, dum Chriſtum adduceret. Sed in eo nihil abſurdi, quod Matthæus compendio ſtudens, ſemel perſtringit quæ alii diſtincte ſuis locis digerunt. Cæterum quum reliqua omnia tam apte cohæreant, quum tot in unum congruant circumſtaotiæ, ut tres digiti videantur ſimul directi eſſe ad rem unam monſtrandam, nulla ratio patitur narrationem hanc ad diverſa tempora trahere. Narrant uno ore Euangeliſtæ, quum Chriſtus à principe Synagogæ rogatus, in domum ejus veniret, in itinere mulierem occulto veſtis illius tactu ſanatam fuiſſe à fluxu ſanguinis; poſtea Chriſtum in domum principis veniſſe, puellam mortuam ſuſcitaſſe. Certe longo verborum circuitu opus eſſe non puto, ut probemus idem à tribus referri. Veniamus nunc ad ſingula. *Ecce primas quidam.*] Quanquam ex aliis duobus liquet non euſque progreſſam fuiſſe illius fiduciam, ut vitam filiæ reſtitui poſſe ſperaret: non dubium tamen eſt, quin à Chriſto objurgatus, majorem ſpem quam domo attulerat, conceperit. Sed Matthæus (ut dictum eſt) compendio ſtudens, in ipſo exordio ponit quod temporis ſucceſſu factum eſt. Sic tamen hiſtoria texenda eſt, Quod primo Jairus petierit ſanari filiam ſuam à morbo: deinde à morte in vitam reſtitui, poſtquam ſcilicet illi animum Chriſtus addidit. Adoratio, pro genuflexione capitur, ſicuti ex Marci & Lucæ verbis colligimus. neque enim divinum Chriſto honorem exhibuit Jairus, ſed coluit ut Dei Prophetam. Genuflexio autem quam volgaris fuerit apud Orientales, ſatis notum eſt. *Veni & impone manum.* Hic inſigne habemus divinæ erga nos indulgentiæ ſpeculum: ſi principem Synagogæ cum Centurione homine gentili conferas, plenum in hoc fulgorem, in illo vix exiguam fidei guttam fuiſſe dicas. Chriſto virtutem non tribuit niſi adhibito tactu: accepto mortis nuncio, perinde trepidat acſi nihil amplius eſſet remedii. Videmus ergo debilem ac prope jejunam fuiſſe ejus fidem. Quod ejus precibus morem gerit Chriſtus eumque ad bene ſperandum animat, documento eſt fidem ejus, quantulacunque erat, non fuiſſe prorſus rejectam. Ergo licet nondum plena fide, ut optandum foret, ſimus inſtructi, non eſt tamen cur nos debilitas noſtra ab invocando arceat vel impediat.

Adoratio pro genuflexione.

20. *Mulier quæ profluvio.*] Nominatim exprimunt Euangeliſtæ duraſſe fluxum ſanguinis per cootinuos duodecim annos: nec mulierem in quærendis remediis pigram fuiſſe, utpote quæ totam ſubſtantiam in medicos conſumpſerat: quo magis refulgeat miraculi gloria. Nam morbum incurabilem non fuiſſe humanitus ſublatum, idque tam repente & ſolo tactu veſtis, clare apparet. Cæterum quod mulier cogitat, ſi modo tetigerit Chriſti veſtem, ſe protinus fore ſanam: ſingularis quidam fuit Spiritus ſancti impulſus, neque ad communem regulam trahi debet. Scimus quam proterve ludat ſuperſtitio in ſtulta & incooſiderata ſanctorum æmulatione. atqui ſimiæ ſunt, non imitatores, qui ſingulare aliquod exemplum abſque Dei mandato, & proprio magis ſenſu, quam Spiritus directione uſurpant. Fieri etiam poteſt ut mulieris fidei aliquid vitii & erroris fuerit admiſtum, quod Chriſtus per indulgentiam tolerat & ignoſcit. Certe quod poſtea ſibi male conſcia formidat & tremit, talis dubitatio, quum ſit fidei contraria, excuſatione caret. Cur non recta ad Chriſtum potius acceſſit? Si reverentia obſtabat, unde tamen opem ſperavit niſi ex ejus miſericordia? Qui fit ergo ut offenſam metuat, ſi perſuaſa erat de favore? Fidem ejus præclaro elogio Chriſtus dignatur: nempe id eſt quod nuper attigi, Deum benigne & clementer cum ſuis agere, ut mutilam & imbecillam ipſorum fidem nihilominus gratam habeat, vitia & defectus quibus implicita eſt non imputans. Fide igitur duce ad Chriſtum acceſſit mulier. Quod autem in veſte hæſit potius quam ut ſe illi ſanandam precibus offerret, forte zelo inconſiderato paululum à via deflexit: præſertim quum paulo poſt oſtendat dubitanter & perplexo animo id tentaſſe. Jam vero ut demus hoc illi à Spiritu fuiſſe dictatum, manet tamen fixa regula, fidem noſtram privatis exemplis huc & illuc circumagi non debere: quia Dei verbo penitus affixam eſſe oportet, juxta illud Pauli, Fides ex auditu, auditus per verbum Dei. *Rom. 10. verſ. 17.* Hæc perquam utilis admonitio eſt, ne quævis temere ſuſcepta opinio, fidei titulum apud nos obtineat. *Quis eſt qui me tetigit?* Clarius exprimit Marcus, Chriſtum circumſpexiſſe ut ſciret quænam eſſet illa. Hoc vero abſurdum videtur, quod gratiam ſuam effuderit Chriſtus neſciens cui benefaceret. Non minus eſt difficultatis ubi dicit paulo poſt quod virtutem ſenſerit à ſe egreſſam. quaſi vero deflueret, niſi pro modo gratuitæ donationis, quando & quibus viſum eſt eam diſtribuere. Certe minime du-

bium eſt quin ſciens ac volens mulierem ſanaverit, imo dubium non eſt quin ſuo eam Spiritu ad ſe traxerit ut ſanitatem referret: ſed eam requirit ut ſponte in medium prodeat. Si teſtis miraculi ſui fuiſſet Chriſtus, forte non fuiſſet ejus verbis creditum: nunc vero quum mulier metu perculſa, quod ſibi accidit narrat, plus ponderis habet ejus confeſſio.

22. Matth. *Confide filia.*] Fidei imbecillitas hoc verbo arguitur. niſi enim vitioſa eſſet trepidatio, non eam corrigeret Chriſtus hortando ut animum colligat. Simul tamen laudat ejus fidem: unde conficitur quod prius dixi, Quum Chriſtum Spiritus ductu & ſincero pietatis ſtudio quæreret, vacillaſſe tamen, ut confirmanda fuerit. ita videmus fidem, ut Deo placeat, opus habere venia, & ſimul novis adminiculis erigi, ut plus roboris acquirat. Jam anagogia à ſanitate corporis ad animæ ſalutem ducenda eſt. quemadmodum enim fidei tribuit Chriſtus quod ſoluta eſt mulier à morbo, ita certum eſt fide nos conſequi remiſſionem peccatorum, quæ nos Deo reconciliat. Quum jubet ire in pace, & ſanam eſſe à flagello ſuo, hinc colligimus tunc vere ratum fuiſſe quod obtinuerat beneficium, ubi ex ore Chriſti audivit quod jam experimento compertum habebat. neque enim vere aliter aut tranquilla conſcientia fruimur Dei beneficiis, quam dum ea in promiſſionum theſauro recondita poſſidemus.

MATTH. IX.	MARC. V.	LUC. VIII.
23. Et quum veniſſet Jeſus in ædes primatis, vidiſſetque tibicines & turbam tumultuantem:	35. Adhuc eo loquente veniunt à principe Synagogæ, dicentes, Filia tua mortua eſt, quid ultra vexas magiſtrum? 36. Jeſus autem protinus audito ſermone qui dicebatur, ait principi Synagogæ, Ne metuas, tantummodo crede. 37. Et non permiſit quenquam ſe ſequi, præter Petrum & Jacobum & Joannem fratrem Jacobi. 38. Et venit in domum principis Synagogæ, viditque tumultum, ac flentes & ejulantes multum.	49. Adhuc eo loquente venit quidam à domo principis Synagogæ, dicens ei, Mortua eſt filia tua, ne vexes magiſtrum. 50. Jeſus autem hoc audito, reſpondit principi, dicens, Ne timeas, tantum crede, & ſalva erit. 51. Et quum veniſſet in domum, non permiſit intrare quenquam niſi Petrum, & Jacobum, & Joannem, & patrem ac matrem puellæ.
24. Dicit illis, Secedite: non enim mortua eſt adoleſcentula, ſed dormit. & deridebant illum.	39. Et ingreſſus, ait illis, Quid tumultuamini & ploratis? puella non eſt mortua, ſed dormit. 40. Et irridebant eum: ipſe vero ejectis omnibus, aſſumit patrem & matrem puellæ, & eos qui cum ipſo erant, & ingreditur ubi puella erat jacens.	52. Flebant autem omnes, & plangebant illam. At ille dicit, Ne flete: non eſt mortua, ſed dormit. 53. Et deridebant eum, ſcientes quod mortua eſſet.
25. Quum autem ejecta eſſet turba, ingreſſus tenuit manum illius, & ſurrexit puella. 26. Et manavit hic rumor in totam terram illam.	41. Et apprehenſa manu puellæ, ait illi, Talitha cumi: quod eſt (ſiquis interpretetur) Puella (tibi dico) ſurge. 42. Et confeſtim ſurrexit puella, & ambulabat: erat enim annorum duodecim. & obſtupuerunt ſtupore magno. 43. Et præcepit illis vehementer ne quiſquam id ſciret, juſſitque dari illi quod ederet.	54. Ipſe autem ejectis foras omnibus, & apprehenſa manu ejus clamavit, dicens, Puella ſurge. 55. Et reverſus eſt ſpiritus ejus, & ſurrexit continuo: ac juſſit illi dari quod ederet. 56. Et ſtupuerunt parentes ejus: at ille præcepit eis ne cui dicerent quod factum erat.

36. Marc. *Ne metuas, tantummodo crede.*] Deſperationem attulerat nuncius mortis, quod non aliud petierat à Chriſto, niſi ut ægrotæ ſuccurreret. Vetat igitur Chriſtus metu ac diffidentia præcludere aditum gratiæ, cui mors obſtaculo futura non eſt. Hac enim voce, Tantum crede, ſignificat non defore ſibi virtutem, modo eum Jairus admittat: & ſimul hortatur, ut ſecure animum ſuum dilatet: quia timendum non ſit ne fides ejus latius pateat quam immenſa Dei virtus. Et ſane ita res habet in nobis omnibus: multo enim liberalius ageret Deus nobiſcum, niſi tam reſtricti eſſemus: ſed impediunt noſtræ anguſtiæ, ne uberius in nos ſua dona effundat. In ſumma, docemur hoc loco non poſſe nos modum credendo excedere: quia nunquam centeſimam divinæ bonitatis partem fides noſtra, quantumvis ampla, capiet.

37. *Non permiſit quenquam.*] Vel quia indigni erant quos teſtes adhiberet miraculo, eos acceſſu prohibuit; vel quia nolebat, turba circumſtrepente, obrui miraculum. ſatius enim fuit puellam, cujus cadaver conſpectum fuerat, repente vivam & vigoris plenam ante hominum oculos prodire. Tres ſolum ex diſcipulis admiſſos dicunt Marcus & Lucas: ambo addunt parentes. Marcus autem ſolus eos qui comites fuerant Jairo quum venit ad rogandum Chriſtum. Matthæus, qui brevior eſt, hanc circumſtantiam omittit.

25. Luc. *Flebant autem omnes.*] Luctum commemorant Euangeliſtæ, quo certior conſtet fides reſurrectioni. Diſerte etiam ponit Matthæus adfuiſſe tibicines: quod fieri non ſolebat, niſi morte com- *Tibicines.*
perta, quum ſcilicet exequias jam pararent. Cantabat mœſtis tibia funeribus, inquit ille. Etſi autem in animo habebant hoc genere honoris proſequi ſuos mortuos, & quaſi eorum ſepulturam ornare: videmus tamen ut mundus ſemper non ad fovenda modo, ſed incitanda quoque ſua vitia propenſus ſit. Decebat modis omnibus incumbere ad ſedandum luctum. quaſi vero non ſatis peccarent tumultuoſo dolore, novis ſtimulis eum ambitioſe provocant. Gentiles etiam putarunt hoc eſſe ſolatium placandis manibus: unde colligimus quot tunc corruptelis referta fuerit Judæa.

39. Marc. *Sed dormit.*] Dormire paſſim accipitur in Scriptura pro mori: nec dubium eſt quin hac ſimilitudine à temporali quiete ſumpta notetur futura reſurrectio. Hic vero inter ſomnum & mortem peculiariter diſcernit Chriſtus, ut ſpem vitæ faciat: acſi diceret, Mox expergefactam videbitis quam putatis mortuam. Deriſum vero fuiſſe à ſtupidis & craſſis hominibus mirum non eſt, qui toti in profano luctu occupabantur, nec ejus conſilium tenebant. Et tamen hoc quoque ad miraculi commendationem valuit, quod de morte nihil dubitationis apud eos reſtabat.

Somnus & mors.

41. *Apprehenſa manu ejus clamavit.*] Tametſi naturaliter clamor hic ad excitandos mortuæ ſenſus nihil proderat, vim tamen ſuæ vocis magnifice oſtendere voluit Chriſtus, quo magis homines aſſuefaceret ad doctrinam ſuam audiendam. Inde igitur apparet quam efficax ſit vox Chriſti, quæ ad mortuos uſque penetrat, ut ſit in ipſa morte vivifica. Ideo dicit Lucas reverſum eſſe ejus ſpiritum: acſi diceret, Chriſti imperio accitum, ſtatim præſto fuiſſe.

43. *Et præcepit illis.*] Tametſi non omnes promiſcue ad reſurrectionis ſpectaculum Chriſtus admiſit, non poterat tamen diu latere miraculum. Nec vero conſentaneum fuiſſet ſupprimere Dei virtutem, qua præparandus ad vitam erat totus mundus. Cur ergo ſilentium imperat parentibus puellæ? Forte non tam rem ipſam quam modum taceri voluit, & quidem tantum ad tempus. Videmus enim ut aliis quoque locis quæſita fuerit ab illo opportunitas. Qui putant vetitos eſſe loqui quo magis acueretur eorum ſtudium, coacti ad hanc ſolutionem confugiunt. Fateor quidem non fuiſſe editum à Chriſto miraculum quin vellet celebrari, ſed forte magis idoneo tempore, vel dimiſſa turba, ubi nulla erat mediocritas vel moderatio. Spatium ergo dare voluit quo quieti & compoſiti Dei opus expenderent.

MATTH. IX.	MARC.	LUC.
27. Et quum diſcederet illinc Jeſus, ſequuti ſunt eum duo cæci, clamantes & dicentes, Miſerere noſtri, Fili David. 28. Porro quum veniſſet in ædes, adierunt illum cæci: & dicit illis Jeſus, Creditis me hoc poſſe facere? dicunt illi, Etiam, Domine. 29. Tunc tetigit oculos illorum, dicens, Juxta fidem veſtram fiat vobis. 30. Et aperti ſunt illorum oculi: & interminatus eſt illis Jeſus, dicens, Videte ne quis ſciat. 31. At illi quum abiiſſent, divulgarunt famam illius in tota terra illa. 32. Illis autem egredientibus, ecce adduxerunt illi hominem mutum dæmoniacum. 33. Et ejecto dæmonio loquutus eſt mutus: & admiratæ ſunt turbæ, dicentes, Nunquam apparuit ſic in Iſraël. 34. At Phariſæi dicebant, In principe dæmoniorum ejicit dæmonia.		

27. *Et quum diſcederet.*] De iſtis duobus miraculis alii Euangeliſtæ ſilent: quia ſicut alibi diximus, & Joannes clare affirmat, propoſitum illis non fuit ſingula Chriſti geſta recenſere: ſed collecta tantum ſumma probare ipſum eſſe Meſſiam. Porro Matthæus refert duobus cæcis redditum eſſe viſum: ſed non tam cito quam ſæpe alias Chriſtus miſeris opem ferre ſolitus erat. Nam in itinere clamantibus non reſpondet, ſed quaſi diſſimulans, in hoſpitium uſque patitur ipſos ſequi. Ibi demum eos interrogat de ſua potentia quid credant. Re igitur & verbis examinare voluit eorum fidem. ſuſpenſos enim tenens, imo præteriens quaſi non exaudiat, patientiæ ipſorum experimentum capit, & qualem in ipſorum animis radicem egerit fides. Poſtea, quum ſciſcitatur an credant, idem illud examen proſequitur. Sed quæri poteſt an de potentia Dei & Chriſti perſuaſum eſſe ſufficiat ut quiſpiam ſit fidelis. Hoc enim ſonant verba, Creditis me poſſe facere? Atqui ex aliis Scripturæ locis patet, notitiam potentiæ fore inanem vel frigidam, niſi de voluntate certi ſimus. Chriſtus tamen eorum reſponſo contentus, ipſorum fidem quaſi numeris omnibus abſolutam, laudat. Reſpondeo, quum prius Davidis filium confeſſi ſint, de gratia aliquid apprehendiſſe. nam hoc titulo redemptorem gentis ſuæ, bonorumque omnium auctorem ornabant. Ipſe ergo de ſua potentia quærens, altius percontatur an ſerio credant. Fides ergo Dei miſericordiam & paternum amorem cum potentia, Chriſti etiam propitiam voluntatem cum virtute complectitur. Sed quia Dei potentiæ & Chriſti virtuti minus quam decebat vulgo tribuunt homines, non abs re hæc quæſtio cæcis proponitur, an credant Chriſtum poſſe quod ore profeſſi ſunt. Quanquam ſimpliciter ſcire voluit Chriſtus an ſibi ex animo deferrent Meſſiæ honorem. Et hac de cauſa laudatur eorum fides, quod in illa humili contemptaque ſpecie Filium Davidis apprehendebant.

29. *Juxta fidem veſtram.*] Tametſi ſingulare hic beneficium duobus cæcis præſtitum narratur, tamen ex præſenti Chriſti dicto generalem elicere doctrinam convenit, nos (modo ex fide precemur) nunquam in votis noſtris repulſam paſſuros. Quod ſi duo illi exigua, necdum penitus formata fide impetrarunt quod volebant, multo plus hodie valebit eorum fides qui Spiritu adoptionis præditi, & freti Mediatoris ſacrificio, ad Deum accedent.

30. *Interminatus eſt.*] Vel alios habere voluit teſtes miraculi, vel in aliud tempus differre ejus famam. Quod igitur mox ubique promulgant, reprehenſione dignum eſt. nam quod aliqui fingunt prohibuiſſe Chriſtum ut calcar adderet, alio loco refutavimus. Fuit certe aliqua vetandi ratio quæ nobis eſt incognita: iſti autem inconſiderato zelo ante tempus ſparſerunt.

32. *Adduxerunt hominem mutum.*] Probabile eſt, natura hunc mutum non fuiſſe; ſed quum diabolo traditus eſſet, loquendi uſu fuiſſe privatum. neque enim omnes muti, dæmoniaci. Sic igitur inflicta erat poena ut manifeſtis ſignis conſtaret à maligno ſpiritu captam teneri ejus linguam. Quod autem eo ſanato exclamant turbæ, Nunquam ſic factum eſſe in Iſraël; hyperbolicum videtur: majoribus enim miraculis gloriam ſuam Deus olim patefecerat in populo illo. Sed forte ad finem miraculi attendunt, ut tunc omnium animi in ſpem adventus Meſſiæ erecti erant. Certe præſentem Dei gratiam ita efferre volebant ut prioribus nihil detraherent. Et notandum eſt non fuiſſe meditatam vocem, ſed quæ ex admiratione ſubito erupit.

34. *Phariſæi dicebant.*] Hinc apparet quanto furore perciti fuerint qui tam præclarum Dei opus impio convitio proſcindere uon ſunt veriti. Notanda enim eſt antitheſis inter laudem populi & horum blaſphemiam: quod eoim dicit populus, Nunquam ſic factum eſſe in Iſraël, confeſſio eſt divinæ gloriæ ſenſu expreſſa. quo melius apparet prorſus rabioſos fuiſſe iſtos qui Deo velut io faciem maledicere audent. Simul tamen docemur, ubi ad extremum cæcitatis venit impietas, nullum eſſe tam manifeſtum Dei opus quod non pervertat. Eſt quidem hoc incredibile portentum, homines mortales in ſuum opificem inſurgere: ſed eo magis timenda eſt illa quam dixi excæcatio, qua Dominus impios poſt longam tolerantiam ulciſcitur.

MATTH. IX.	MARC.	LUC.
35. Et circumibat Jeſus civitates omnes ac vicos, docens in Synagogis illorum, & prædicans Euangelium regni, & ſanans omnem morbum & omnem languorem in populo. 36. Quum vidiſſet autem turbas, affectu miſericordiæ tactus eſt erga illos, quod eſſent deſtituti ac diſperſi, velut oves non habentes paſtorem. 37. Tunc dicit diſcipulis ſuis, Ipſa quidem meſſis copioſa, ſed operarii pauci. Rogate igitur dominum meſſis ut operarios extrudat in meſſem ſuam.		

35. *Et circumibat.*] Hoc per occupationem dictum eſt, ut ſciamus totum Chriſti miniſterium ſigillatim non deſcribi: quandoquidem in ſua functione aſſiduus fuerit, nempe ut ſalutis doctrinam publicaret, deinde eam ſanciret additis miraculis. Euaogelium regni ab effectu vocari, jam alibi diximus: quia hac ratione diſſipatum miſere populum Deus ad ſe collegit ut in medio ejus regnaret: & quidem tribunal ſuum ideo erexit ut plena felicitate ſuos omnes donaret. Meminerimus tamen ſubjici nos Deo oportere ut io cæleſtem gloriam ab ipſo evehamur.

36. *Affectu miſericordiæ tactus.*] Hinc primum colligimus qualis fuerit Sacerdotum ignavia, qui quum diſtributi eſſent per totam terram ut cæleſtis doctrinæ face prælucerent, otioſi ſunt ventres. Superbe quidem ſe populi antiſtites jactabaot: nec parva erat eorum multitudo qui hoc titulo gloriabantur: Chriſtus tamen nullum ex illis paſtorem agnoſcit. Eadem hodie in Papatu cernitur vaſtitas, qui tamen refertus eſt titulariis Paſtoribus. immenſa enim eſt eorum colluvies qui ſub nomioe Clericatus plebem deglutiunt. Porro quum muti ſint canes, non tamen eos pudet ſuam hierarchiam ferociter ſonare. Sed audienda vox Chriſti quæ pronunciat nullos eſſe paſtores ubi non ſuot operarii: vagas ac diſperſas eſſe oves quæ Euangelii doctrina in Dei ovile non congregantur. Quod autem miſericordia tangitur, fidelem ſe Patris miniſtrum probat in curanda populi ſalute, cujus cauſa carnem induerat. Etſi antem nunc in cælum receptus, non eoſdem retinet affectus quibus obnoxius eſſe voluit in hac mortali vita, curam tamen Eccleſiæ ſuæ noo abjecit quin reſpiciat palantes ſuas oves, imo gregem ſuum crudeliter à lupis fugatum & diſcerptum.

37. *Meſſis copioſa.*] Hac metaphora ſignificat multos ex plebe recipiendo Euangelio eſſe maturos. etſi enim major numerus indigne poſtea fœdaque ingratitudine oblatam ſalutem reſpuit: mediocrem tamen electorum numerum qui incredulis permiſtus erat, ideo comparat meſſi copioſæ, quia Deus exiguam ſuorum manum pluris quam reliquum mundum æſtimat. Quanquam autem ſe tunc multi ingerebant: quia tamen pauci fideliter ſe gerebaot, inter operarios non reputat. Nam hoc nomen in bonam partem accipit. Paulus quum de malis operariis conqueritur, reſpicit ad eorum jactantiam. Nec enim hoc titulo dignatus eſſet qui perdendo tantum & vaſtando operam dabant, niſi quia ſe venditabant falſo prætextu. *Rogate dominum meſſis.*] Quia nemo unquam à ſeipſo prodibit ſincerus & idoneus Euangelii miniſter: nec alii rite fuoguntur docendi munere niſi quos Dominus excitat, & Spiritus ſui donis inſtruit: quoties inopiam bonorum paſtorum cernimus, ad eum oculos attollere oeceſſe eſt, ut remedium afferat. Hujus vero precationis nunquam major fuit uſus quam io horribili quæ ouoc ubique apparet Eccleſiæ vaſtitate.

MATTH. VIII.	MARC. IV.	LUC. VIII.
23. Et quum eſſet ingreſſus navim, ſequuti ſunt eum diſcipuli ſui. 24. Et ecce, motus magnus factus eſt in mari: adeo ut navis operiretur à fluctibus. ipſe vero dormiebat. 25. Et accedentes diſcipuli excitaverunt illum, dicentes, Domine ſerva nos, perimus. 26. Et dicit illis, Quid timidi eſtis exiguæ fidei homines? Tunc excitatus increpavit ventos & mare: & facta eſt tranquillitas magna.	35. Et ait illis in die illo quum facta eſſet veſpera, Tranſeamus in ulteriorem ripam. 36. Et dimiſſa turba aſſumunt eum ita ut erat in navi. Sed & aliæ naviculæ erant cum illo. 37. Tunc oritur procella venti magna: & fluctus irruebant in navim ut illa jam impleretur. 38. Ipſe autem erat in puppi ſuper cervical dormiens: & excitant eum, dicuntque illi, Præceptor, non eſt tibi curæ quod perimus? 39. Et excitatus increpavit ventum, dixitque mari, Tace, obmuteſce. Et conquievit ventus, factaque eſt tranquillitas magna. 40. Et ait illis, Quid ſic timidi	22. Factum eſt autem quadam die ut ipſe aſcenderet in navim ac diſcipuli ejus. Et dicit ad illos, Trajiciamus in ulteriorem ripam ſtagni. Tunc ſolverunt. 23. Navigantibus autem illis obdormivit. & ingruit procella venti in ſtagnum: & complebantut ac periclitabantur. 24. Accedentes autem ſuſcitaverunt eum, dicentes, Præceptor, præceptor, perimus. At ille experrectus increpavit ventum & tempeſtatem aquæ: & ceſſaverunt, factaque eſt tranquillitas. 25. Dixit autem illis, Ubi

27. Homines vero admirabantur, dicentes, Qualis eſt hic, quia venti quoque & mare obediunt ei?

| eſtis? quomodo non habetis fiduciam?

41. Et timuerunt timore magno, dicebantque inter ſe, Quiſnam hic eſt, quia & ventus & mare obediunt ei?

| eſt fides veſtra? Timentes autem mirati ſunt, dicentes inter ſe, Quiſnam hic eſt, quia ventis quoque & aquæ imperat, & obediunt ei?

Quia paulo poſt rurſus fiet lacus mentio, quum dicetur, impetu abreptos illuc fuiſſe porcos: an unus
Geneſara. & idem ſit lacus, non inter omnes convenit. Geneſaræ aquas fuiſſe guſtu ſuaves, & ſalubres uſu, omnes
Gadarena. fatentur: lacum vero Gadarenum Strabo tam noxium & peſtilentem fuiſſe dicit, ut potu ungues & pilos pecudes amitterent. Duos ergo diverſos fuiſſe lacus, & quidem ſatis longa diſtantia locorum ſeparatos, dubium non eſt. Hunc porro lacum de Geneſara intelligi debere, extra controverſiam eſt: quo trajecto profectus eſt Chriſtus ad Gadarenos qui Ger-
Gergeſeni. geſeni à Matthæo vocantur. Qui autem ex nominis diverſitate diverſas hiſtorias narrari colligunt, dum arguti videri appetunt, nimis craſſa inſcitia labuntur. regio enim Gergeſenorum, Gadarena quoque vocata fuit, à Gadaris urbe celebri. Hieronymi ætate mutatum erat nomen. itaque Geraſenos ex more tunc recepto appellat. Quum tamen porci in lacum Gadarenum præcipites acti ſint à diabolis, non repugno. Sed quum dicit Chriſtus, Tranſeamus in ulteriorem ripam, id non poſſum niſi de Geneſara exponere. Nunc de tempore reſtat videndum, quod neque ex Matthæo, neque ex Luca poteſt colligi. ſolus Marcus veſperam notat ejus diei quo diſſeruit Chriſtus de Euangelii prædicatione ſub parabola ſeminis. Unde apparet non ſervatum fuiſſe ab illis temporis ordinem. quod etiam clare exprimit Lucas, quum dicit factum eſſe quadam die: quibus verbis oſtendit ſe anxie non laborare quid prius vel poſterius fuerit.

23. *Quum ingreſſus eſſet navim.*] Marcus dicit alias quoque naviculas trajeciſſe: Chriſtum vero propriam navem conſcendiſſe cum ſuis diſcipulis. Lucas etiam recitat ejus verba: Matthæus brevior eſt. In ſumma tamen conſentiunt: nempe quod ſe Chriſtus ad quietem compoſuerit, ac eo dormiente repente exorta fuerit tempeſtas. Primo certum eſt non fuiſſe fortuitam procellam quæ lacum turbavit. quomodo enim Filium ſuum cæco ventorum impetu jactari paſſus fuiſſet Deus? Sed hac occaſione patefacere Apoſtolis voluit quam exigua & debilis adhuc eſſet eorum fides. Quamvis etiam naturalis fuerit Chriſti ſomnus, valuit tamen ad eundem uſum, ut ſuam infirmitatem melius agnoſcerent diſcipuli. non dicam quod multi, Chriſtum finxiſſe ſomnum ut illos probaret: potius dormiſſe exiſtimo ut ferebat humanæ ejus naturæ conditio & neceſſitas. interim tamen vigilabat ejus divinitas ut ſibi metuere Apoſtoli non deberent; quin ſtatim ſubiret conſolatio, paratum è cælo fore auxilium. Sciamus ergo, arcana Dei providentia hoc totum fuiſſe gubernatum, ut dormiret Chriſtus, violenta tempeſtas ſurgeret, fluctus navem operirent, parumque abeſſet navis à naufragio. atque hinc diſcamus, quoties aliquid adverſi exoritur, tentari à Domino fidem noſtram: ſi autem mala ingraveſcunt, ut propemodum nos obruant, eodem Dei conſilio hoc fieri, ut patientiam noſtram exerceat: vel ut hoc modo occulta noſtra infirmitas in lucem emergat. ſicuti videmus, quum fluctus operirent Apoſtolos, retectam fuiſſe eorum infirmitatem quæ prius latebat.

25. *Domine, ſerva nos.*] Pia, ut quidem videtur, precatio. quid enim potius illis agendum fuit, quam ut perditi ſalutem nihilominus à Chriſto peterent? Sed quum eos infidelitatis damnet Chriſtus, videndum eſt qua in parte peccaverint. Equidem non dubito in carnali magiſtri præſentia fuiſſe nimis defixos. nam apud Marcum non precantur ſimpliciter, ſed cum eo expoſtulant, Magiſter, non eſt tibi curæ quod perimus? A Luca etiam notatur confuſa trepidatio, Præceptor, præceptor, perimus. Debuerant ſtatuere Chriſti Deitatem non eſſe oppreſſam carnis ſomno, & ad eam confugere. quieſcunt autem donec extremum diſcrimen urget: tunc eos conſternat immodicus timor, ut non putent ſe fore ſalvos, niſi expergefiat Chriſtus. Hæc cauſa eſt cur eos infidelitatis accuſet. nam quod rogabant ut opem ferret, fidei potius teſtimonium erat, ſi fiducia divinæ ejus potentiæ freti, placide & ſine tanta formidine ſperaſſent quod petebant auxilium. Atque hinc ſolvitur quæſtio quæ ex ejus reprehenſione moveri poſſet, Numquid vitioſus ſit omnis timor, & cum fide pugnet. Primo non ſimpliciter eos reprehendit quod timeant, ſed quod timidi ſint. Apud Marcum additur οὕτω, qua particula notat eos extra modum expaveſcere. Deinde fidem opponens eorum timori, ſe de immodica perturbatione loqui oſtendit, quæ non tam exerceat ipſorum fidem quam eorum animis excutiat. Quemlibet vero timorem non eſſe fidei contrarium inde patet, quod, ſi nihil metuimus, obrepit ſupina carnis ſecuritas: ita langueſcit fides, torpet precandi affectus, tandem extinguitur Dei memoria. Adhæc qui malorum ſenſu non tanguntur ut metuant, ſtupidi magis ſunt quam conſtantes. Ita videmus, timorem, qui fidem ſollicitat, per ſe vitioſum non eſſe donec excedat modum: in eo autem eſt exceſſus, ſi turbatur vel labaſcit fidei tranquillitas quæ acquieſcere debet in verbo Dei. ſed quia nunquam contingit ut ſibi ita moderentur fideles, ne fides eorum laboret, fere ſemper timendo peccant. Verum ſtatuere oportet, fidei defectum non quolibet timore coargui, ſed ea formidine quæ conſcientiæ pacem turbat ut non recumbat in Dei promiſſione.

26. *Increpavit ventos.*] Recitat etiam Marcus verba Chriſti, quibus mare compellans, ſilentium, hoc eſt, quietem, imperat: non quod ſenſus aliquis ſubeſſet in lacu, ſed ut virtutem ſuæ vocis oſtenderet in muta elementa penetrare. Nec ſolum mare & venti ſine ſenſu, Dei imperio obediunt, ſed ipſi quoque impii cum ſua contumacia: quum enim ſedare vult Deus bellicos tumultus, non ſemper feroces hominum animos mollit & format in ſuum obſequium, ſed facit ut furentibus arma tamen è manibus effluant. atque ita impletur illud Pſalmi quadrageſimi ſexti, verſ. 10. Componit bella uſque ad extremum terræ, confringit arcum, detruncat haſtam, currus igne comburit.

27. *Homines vero admirabantur.*] Hoc Apoſtolis tribuere videntur Marcus & Lucas. Poſtquam enim dixerunt à Chriſto reprehenſos, ſubjiciunt cum timore exclamaſſe, Quiſnam eſt hic? Hoc tamen in alios magis competit quibus nondum innotuerat Chriſtus. Utrumvis tamen ſequamur, hic jam miraculi fructus emergit quum celebratur Chriſti gloria. Si quis Apoſtolos loqui putet, ſenſus verborum erit, Divinam ejus potentiam eo ſatis probari quod illi obediant ventus & mare. Quia tamen alios ſic loquutos eſſe magis probabile eſt, his verbis docent Euangeliſtæ, miraculo perculſos fuiſſe eorum animos, ut reverentia Chriſti quædam eſſet ad fidem præparatio.

MATTH. VIII

28. Et quum veniſſet ad ulteriorem ripam in regionem Gergeſenorum, occurrerunt ei duo dæmoniaci è monumentis egreſſi. erant autem ſævi ſupra modum, adeo ut nemo poſſet tranſire per viam illam.

29. Et ecce vociferabantur, dicentes, Quid nobis tecum eſt Jeſu Fili Dei? veniſti huc ante tempus ad torquendum nos?

30. Erat autem procul ab illis grex porcorum multorum paſcens.

31. Dæmones vero rogabant eum, dicentes, Si ejicis nos, permitte nobis ut demigremus in gregem porcorum.

32. Et ait illis, Abite. Illi vero egreſſi abierunt in gregem porcorum. Et ecce, ferebatur totus grex porcorum per præceps in mare, & perierunt in aquis.

33. Porro qui paſcebant, aufugerunt: & abeuntes in civitatem, renunciaverunt omnia, & quid accidiſſet dæmoniacis.

34. Et ecce, tota civitas exivit in occurſum Jeſu: & quum vidiſſent illum, rogarunt ut decederet è finibus eorum.

MARC. V.

1. Et venerunt trajecto mari in regionem Gadarenorum.

2. Et illi è navi regreſſo ſtatim occurrit è monumentis homo detentus à ſpiritu immundo,

3. Qui domicilium habebat in monumentis, & neque catenis poterat quiſquam eum ligare:

4. Propterea quod quum ſæpe compedibus & catenis vinctus fuiſſet, diſcerptæ fuerant ab eo catenæ, & compedes fuerant comminutæ, ut nemo poſſet eum domare.

5. Et ſempet die ac nocte in montibus & monumentis erat, clamans, & concidens ſeipſum lapidibus.

6. Quum vidiſſet autem Jeſum eminus, cucurrit & adoravit eum:

7. Et clamans voce magna, dixit, Quid tibi mecum Jeſu Fili Dei altiſſimi? adjuro te per Deum ne me torqueas.

8. Dicebat enim illi, Exi ſpiritus immunde ab homine.

9. Et interrogabat eum, Quod tibi nomen? Et reſpondit, dicens ei, Legio mihi nomen eſt: quia multi ſumus.

10. Et deprecabatur eum multum ne ſe emitteret extra regionem.

11. Erat autem ibi juxta montes grex porcorum magnus paſcens.

12. Et deprecabantur eum omnes dæmones, dicentes, Mitte nos in porcos, ut in eos introeamus.

13. Et permiſit eis ſtatim Jeſus. Et egreſſi ſpiritus immundi, ingreſſi ſunt in porcos: & ferebatur grex per præceps in mare. erant autem fere bis mille, & ſuffocati ſunt in mari.

14. Porro qui paſcebant porcos, fugerunt, & renunciaverunt in civitatem & in agros. Et ingreſſi ſunt ad videndum quid eſſet quod acciderat.

15. Et veniunt ad Jeſum, & vident dæmoniacum ſedentem ac veſtitum, & ſanæ mentis, qui habuerat Legionem: & timuerunt.

16. Et narraverunt illis qui viderant qualiter accidiſſet dæmoniaco, & de porcis.

17. Et rogare cœperunt eum ut diſcederet de finibus ipſorum.

18. Et quum ingreſſus eſſet navim, rogabat illum qui fuerat à dæmonio correptus ut eſſet cum illo.

19. Jeſus autem non admiſit eum: ſed ait illi, Abi domum tuam ad tuos, & annuncia illis quanta tibi Dominus fecerit, & miſertus ſit tui.

20. Et abiit, & cœpit prædicare in Decapoli quanta ſibi feciſſet Jeſus: & omnes mirabantur.

LUC. VIII.

26. Et navigaverunt ad regionem Gadarenorum quæ eſt contra Galilæam.

27. Et quum de navi egreſſus eſſet ad terram, occurrit illi vir quidam è civitate qui habebat dæmonia jam multis temporibus, & veſtimento non induebatur, neque in domo manebat, ſed in monumentis.

28. Is viſo Jeſu exclamavit, ac procidit ante illum, & voce magna dixit, Quid tibi mecum Jeſu Fili Dei altiſſimi? obſecro te ne me torqueas.

29. Præcipiebat enim ſpiritui immundo ut exiret ab homine: quia multis temporibus corripuerat illum, & vinciebatur catenis, & compedibus cuſtodiebatur: & ruptis vinculis agebatur à dæmone in deſerta.

30. Interrogavit autem illum Jeſus, dicens, Quod tibi nomen? Ille vero dixit, Legio: quia intraverant multa dæmonia in eum.

31. Et rogaverunt illum ne imperaret ipſis ut in abyſſum irent.

32. Erat autem ibi grex porcorum multorum, paſcentium in monte.

37. Et rogaverunt illum omnis multitudo regionis Gadarenorum ut diſcederet ab ipſis: quia magno timore tenebantur. ipſe autem conſcenſa navi reverſus eſt.

38. Rogavit autem vir à quo dæmonia exierant, ut cum eo eſſet. Sed dimiſit eum Jeſus, dicens,

39. Redi domum tuam, & narra quæcunque tibi fecit Deus. Et abiit per totam civitatem, prædicans quæcunque ſibi feciſſet Jeſus.

Jam

Jam prius eorum errorem refutavi qui Marcum & Lucam aliud miraculum referre volunt. Nam quum eadem à tribus Euangeliſtis notetur regio Galilææ oppoſita, ſicuti etiam Lucas exprimit, & conveniant omnes circumſtantiæ: cui perſuadebitur eadem hæc omnia diverſis temporibus accidiſſe?

28. *Occurrerunt ei duo dæmoniaci.*] Hoc unum diſcrimen cauſam erroris præbuit interpretibus, ut Matthæum ab aliis disjungerent: quia hic duos nominat, alii duntaxat unum. Sed probabilis eſt Auguſtini conjectura, qui duos fuiſſe ſentiens, de uno tantum hic verba fieri excuſat, quod magis famoſus eſſet: atque ita propter mali atrocitatem magis illuſtre fuerit in eo miraculum. Et certe videmus Lucam & Marcum in ſævitia diaboli amplificanda multis verbis inſiſtere, ut conſtet miſerum illum hominem, de quo loquuntur, pluſquam impotenter fuiſſe vexatum. Quod ergo unum inſigne exemplum divinæ Chriſti potentiæ celebrant, à Matthæi narratione non diſſidet, quæ alterum hominem, licet minus cognitum, adjungit. Quod Lucas dicit occurriſſe hominem è civitate, incertum eſt civemne Gadarenum fuiſſe intelligat, an illinc profectum Chriſto fuiſſe obviam. Nam quum juſſus eſſet domum abire, & inter ſuos prædicare Dei gratiam, Marcus dicit eum in Decapoli hoc feciſſe, quæ vicina erat regio in Galilæam vergens. unde conjicitur Gadaris non fuiſſe natum. Porro non egreſſum fuiſſe ex urbe Matthæus & Marcus diſerte teſtantur, ſed ex monumentis: & Lucas ipſe toto contextu ſignificat in ſolitudine vixiſſe. Hæc igitur verba, Occurrit vir quidam è civitate, ſic interpretor, quod priuſquam accederet Chriſtus ad urbem, ab ea parte ſe medium obtulerit dæmoniacus. Cæterum qui putant in ſepulchris habitaſſe hominem, quia vel odore cadaverum delectantur, vel oblationum nidore mulcentur dæmones, vel quia animas captent quæ ſuis corporibus propinquæ eſſe appetunt: frivola eſt, imo ſtulta eorum divinatio. Potius miſerum hunc hominem in ſepulchris detinuit immundus ſpiritus, ut continuo eum terrore ob triſtem mortis conſpectum lancinaret; acſi exemptus è numero hominum jam inter mortuos ageret. Adde quod hinc diſcimus diabolum non cruciare in præſenti tantum vita homines, ſed ad mortem uſque perſequi, adeoque regnum ejus in morte vigere.

3. Marc. *Neque catenis quiſquam.*] Naturaliter catenas abrumpere non potuit. unde colligimus extraordinarios interdum motus Satanæ permitti, quorum vis ſenſum noſtrum & uſitatam rationem ſuperet. In phreneticis quidem plus multo roboris ſæpe cernitur quam ſi integris viribus pollerent: nec vero negandum eſt diabolum illic quoque agere ſuas partes, quoties à Deo permittitur: ſed impetus quem deſcribunt Euangeliſtæ, fuit longe major. Triſte ſane & horrendum ſpectaculum: ſed quo monemur quam miſerum & formidabile ſit Satanæ tyrannidi ſubeſſe: nec minus timendam eſſe animæ vexationem quam corporis cruciatus quantumvis diros atque atroces.

6. *Adoravit eum.*] Talis fuit hiſtoriæ ſeries, Quum obviam prodiiſſent dæmoniaci, juſſit Chriſtus ſpiritus immundos ab illis egredi, tunc ſupplices deprecati ſunt ne ante tempus ipſos torqueret. Ergo adoratio non præceſſit Chriſti verba: nec prius conqueſti ſunt moleſtum ſibi eſſe Chriſtum, quam dum eos exire cogeret. Sciendum vero eſt, non tam ſponte in Chriſti conſpectum veniſſe quam arcano Chriſti imperio tractos. Quemadmodum enim prius furioſo impetu abripere homines in ſepulchra ſoliti fuerant: ita nunc ſuperior poteſtas ad ſui judicis tribunal invitos cogit. Unde colligimus totum Satanæ regnum Chriſti imperio ſubeſſe. neque enim tunc magis compotes ſui ſunt dæmones, dum ad ſe eos citat Chriſtus quam nuper miſeri homines, quos ſua tyrannide huc illuc raptabant. Denique arcana Chriſti potentia in medium ſiſtuntur, ut illis ejectis hominum ſe liberatorem demonſtret. Coacti etiam eum adorant, & contumaces eorum querimoniæ teſtes ſunt quam non voluntaria fuerit eorum confeſſio, ſed vi extorta. *Quid tibi nobiſcum?* aiunt. Libenter hac voce procul eum fugarent: ſed quia ſe conſtrictos teneri vident, ut fruſtra ejus imperium fugiant, queruntur ſe ante tempus torqueri, & deprecationem ſimul admiſcent. Ita videmus diabolos nihil quam ferociam adverſus Deum ſpirare, & tamen cum ſua ſuperbia qua turgent, quaſi fractos concidere, & quidem eodem momento: quia eorum malitia & perverſitas, quæ nunquam domatur, luctari adverſus Dei imperium non deſinit: & tamen interea coacta cedit. Quod autem diaboli confeſſionem aperte non repudiet Chriſtus, ſicut alibi, hæc videtur eſſe ratio, quod diſſidium minime obſcurum erat, ut nulla ſiniſtra obtrectatio haberet locum. Adde quod hominum ratio à Chriſto habita fuit. hinc factum eſt, quum malevoli & maligni adeſſent teſtes, ut magis intentus eſſet ad refellendas calumnias: ideoque acrius dæmones compeſceret. Quantum ad præſentem locum ſpectat, ſatis ſuperque eſſe debuit quod dæmones, ſuppliciter orando, tumultuoſe contra eum fremebant.

29. Matth. *Veniſti huc ante tempus.*] Genus tormenti quidam exponunt quod hominem quem occupabant, cogantur liberum & ſolutum dimittere. Alii referunt ad diem extremum judicii. Ego vero intelligo, judicis ſui præſentia expavefactos de pœna ſua cogitaſſe; mala enim conſcientia quid meriti eſſent, ipſis, tacente Chriſto, dictabat. Quemadmodum enim ſcelerati, ubi ad tribunal ventum eſt, ſupplicium ſuum concipiunt; ita neceſſe eſt diabolos & impios omnes ad Dei conſpectum contremiſcere, non ſecus acſi jam inferos, ignem inextinguibilem, & futuros cruciatus ſentirent. Quum vero ſcirent diaboli Chriſtum eſſe mundi judicem, non mirum eſt ſi ejus intuitus tormenti præſentis metum illis incutit. Quod quidam quærunt, an illis cognitus fuerit ultimi judicii dies: ſupervacuum eſt. Quid ergo ſibi vult particula, Ante tempus? nempe quia reprobis pœnæ luendæ tempus nunquam maturum eſt. libenter enim diem ex die traherent. Nam ut moram deputant in lucro quantiſper eos ſuſtinet Dominus: ita tergiverſando judicium ejus fugitant, licet ſine profectu.

9. Marc. *Legio mihi nomen.*] Hanc vocem diabolo Chriſtus expreſſit, ut melius gratiæ ſuæ magnitudinem commendaret. Non abs re homini inflicta fuerat tam gravis ultio, ut in eo habitaret quidam veluti exercitus dæmonum. Cujus ergo miſericordiæ fuit hominem plus millies perditum à totidem exitiis eripere? Magnifice etiam in eo refulſit Chriſti virtus, quod voce ſua non unum dæmonem, ſed multam turbam repente profligavit. Legio autem *Legio.* non pro finito hominum numero, ſed tantum pro magna turba accipitur. Hinc apparet quam miſerum animal ſit homo ubi Dei tutela deſtituitur: nempe unuſquiſque non tantum ſingulis diabolis patet, ſed ingentis turbæ eſt receptaculum. Simul refellitur vulgaris ille error quem Judæi & Chriſtiani à profanis hominibus mutuati ſunt: quod ſcilicet ſingulis hominibus infeſti ſint ſinguli dæmones. Atqui Scriptura palam affirmat, prout Domino viſum eſt, nunc diabolum unum mitti qui totam aliquam gentem affligat, nunc pluribus tradi unum hominem puniendum: ſicut viciſſim unus interdum Angelus toti populo præſidet, & ſingulis hominibus multi dantur ſalutis cuſtodes. Quo magis ſollicite excubare nos decet ne tanta hoſtium turba nos circumveniat.

10. *Deprecabantur eum.*] Lucas dicit rogaſſe ne in abyſſum mitterentur, quod ita à quibuſdam exponitur quaſi ſolitudinem fugerint. Ego vero ad

nocendi libidinem refero: quia hoc unum diabolis ſtudium eſt, oberrare inter homines leonum inſtar ad venandam prædam. Dolet illis in abyſſum demergi, in qua ablata ſit lædendi & perdendi facultas. Atque hunc genuinum eſſe ſenſum, ex Marci verbis colligere licet. dicit enim precatos eſſe ne extra regionem abire cogerentur. In ſumma, hoc ſe ingenio eſſe produnt, ut nihil magis appetant quam humani generis exitium.

31. Matth. *Ut demigremus in gregem porcorum.*] Divinant quidam optaſſe irruere in porcos quia infeſti ſint omnibus Dei creaturis. Hoc quidem verum eſſe fateor, totos in eo eſſe ut totum naturæ ordinem divinitus conſtitutum diſſipent ac pervertant: longius tamen reſpexiſſe certum eſt, ut ſcilicet regionis incolas porcorum jactura ad maledicendum Deo impellerent. Nam quod diabolus fulminat in domum Job, non facit hoc lignorum vel lapidum odio: ſed ut ſanctus vir, impatienter damnum ferendo, adverſus Deum fremat. Chriſtus vero annuens, non eorum vota exaudit, ſed hac occaſione probare volt quales ſint Gadareni. Fortaſſe etiam ut eorum ſcelera caſtiget, tantum licentiæ permittit diabolis in eorum porcos. Cæterum ut nulla nobis conſtet certa ratio, occultum tamen Dei judicium reverenter ſuſpicere, & pia humilitate adorare convenit. Docet autem hic locus quam inſulſe nugentur profani quidam homines, qui diabolos non eſſentiales ſpiritus, ſed tantum pravos hominum affectus eſſe fingunt. Quomodo enim avaritia, ambitio, crudelitas, perfidia, in porcos demigraſſent? Sciamus ergo immundos ſpiritus (ut ſunt devoti exitio) generis humani hoſtes eſſe: ut quoſcunque poſſunt in eundem ſecum interitum præcipitent.

15. Marc. *Veniunt ad Jeſum.*] Hic inſigne habemus documentum, non omnes qui Dei manum agnoſcunt, proficere ut decebat, quo ſe vera pietate illi ſubjiciant. Perſpecto miraculo timuerunt Gadareni: nempe quia in Chriſto refulgebat Dei majeſtas. Recte hactenus: ſed quod illum à finibus ſuis ablegant, quid eo deterius fieri potuit? Erant ipſi quoque diſſipati: adeſt paſtor qui colligit: imo Deus per Filium ſuum brachia porrigit, ut ſuo complexu in cælum evehat qui mortis tenebris obruti erant. Oblata ſalute malunt privari quam diutius ferre Chriſti præſentiam. Videntur quidem jactura porcorum offenſi: ſed Lucas altiorem cauſam notat, quod magno timore correpti forent. & certe accepto damno exaſperati non rogaſſent, ſed expuliſſent eum duritis. Cæterum quum reverentur ut Dei miniſtrum, formidine tamen perculſi cupiunt procul abeſſe, videmus eos nullo gratiæ divinæ ſenſu fuiſſe tactos. Et certe quamvis omnes impii Deum adorent, & in eo placando multum conſumant laboris: ſi tamen daretur optio, quam longiſſime ſe ab eo ſubducerent: quia terribilis ejus facies quamdiu judicem potius quam patrem illum cogitant. Hinc fit ut Euangelii doctrina, qua nihil ſuavius fingi poteſt, paſſim triſtis & acerba ſit, ut bona pars mundi ſepultam eſſe optet. Interea tamen verum eſt partem timoris ex diſpendio accidiſſe. Ita hodie dum publice & privatim reputant homines Chriſti regnum ſuis commodis adverſum eſſe, pravo carnis metu occupati, gratiam ejus non guſtant. Itaque ejus adventu Deum magis iratum quam propitium eſſe putantes, quantum in ſe eſt alio ipſum amandant. Hoc autem fœdi ſtuporis ſignum eſt, quod eos magis terret porcorum jactura, quam animæ ſalus exhilaret.

38. Luc. *Rogaverat autem vir.*] Gadareni Chriſtum apud ſe ferre nequeunt: qui autem à dæmonio liberatus eſt, relicta patria eum cupit ſequi. Hinc apparet quantum inter divinæ bonitatis & potentiæ notitiam interſit: quia potentia formidinem incutiens, à Dei aſpectu homines fugat, longeque diſpellit: bonitas autem ſuaviter allicit, ut ſibi nihil optabilius eſſe ſtatuant quam Deo eſſe unitos. Cur autem Chriſtus hunc recuſet habere comitem, incertum eſt, niſi quod uberiorem fructum inde venturum ſperabat ſi apud gentiles ſuos tam præclari ac ſingularis beneficii teſtis eſſet: quod etiam Marcus & Lucas teſtantur factum eſſe. Quod jubet Chriſtus narrare opus Dei, non ſuum: hoc conſilio facit ut pro vero Dei miniſtro & Propheta habitus, docendi auctoritatem obtineat. Sic enim paulatim erudiri oportuit rudem populum, cui nondum cognita erat ejus divinitas. Quanquam autem Chriſtus ſcala eſt per quam ad Deum Patrem conſcenditur: quia tamen nondum patefactus erat, initium à Patre fecit, donec maturior eſſet opportunitas. Nunc addenda eſt anagoge. Chriſtus enim in unius hominis perſona, ejus gratiæ ſpecimen edidit quæ ad totum genus humanum extenditur. Etſi enim non torquemur à diabolo, nos tamen ſibi mancipatos habet donec ab ejus tyrannide nos vindicet Filius Dei. Nudi, laceri & deformes aberramus, donec ſanæ & compoſitæ menti nos reſtituat. Supereſt ut ejus gratiam celebrando, gratitudinem noſtram teſtemur.

MATTH. X.	MARC. VI	LUC. IX.
1. Et accerſitis duodecim diſcipulis, dedit illis poteſtatem adverſus ſpiritus immundos, ut ejicerent eos, & ſanarent quemvis morbum & quemvis languorem. 2. Porro duodecim Apoſtolorum nomina ſunt hæc: primus Simon, qui vocatur Petrus, & Andreas frater ejus: Jacobus filius Zebedæi, & Joannes frater ejus: 3. Philippus ac Bartholomæus: Thomas, & Matthæus qui fuerat publicanus: Jacobus filius Alphæi, & Lebbæus cognomento Thaddæus: 4. Simon Cananæus, & Judas Iſcariotes, qui & prodidit illum. 5. Hos numero duodecim emiſit Jeſus, quibus præceperat dicens, In viam Gentium ne abieritis, & in civitatem Samaritanorum ne ingrediamini: 6. Sed ite potius ad oves perditas domus Iſraël. 7. Profecti autem prædicate, dicentes, Appropinquavit regnum cælorum. 8. Infirmos ſanate, leproſos mundate, mortuos ſuſcitate, dæmonia ejicite: gratuito accepiſtis, gratuito date.	7. Et accerſit duodecim, cœpitque eos emittere binos, ac dabat illis poteſtatem adverſus ſpiritus immundos.	1. Convocatis autem Jeſus duodecim, dedit illis poteſtatem & auctoritatem ſuper omnia dæmonia, & ut morbos ſanarent. 2. Et miſit illos ut prædicarent regnum Dei, & ſanarent infirmos.

Apoſtolorum vocatio. Hic Apoſtolorum vocatio nobis deſcribitur, non qualis antea quum eos Dominus ad munus ſuum præparare volens, in ſuum contubernium elegit. Nunc enim vocantur ad præſentem functionem: jubentur ſe ad opus accingere: dantur illis mandata: & ne deſit auctoritas, Spiritus potentia ornantur. Prius ergo deſtinabantur in ſpem futuri laboris: nunc boram veniſſe Chriſtus denunciat qua manus operi admoveant. Notandum tamen eſt, de perpetuo Apoſtolatu nondum haberi ſermonem, ſed tantum de præconio temporali, quo erigi & expergefieri oportuit hominum mentes ut ad Cbriſtum audiendum magis attenti forent. Nunc ergo mittuntur ut in Judæa tempus adeſſe promiſſæ inſtaurationis & ſalutis nuncient: poſtea ordinabit eos Chriſtus ut Euangelium ſpargant per totum orbem. Hic tantum adjutores ſibi eos aſſumit qui audientiam illi comparent quo vox ejus pervenire non poterat: poſtea docendi partes quas obierat, illis reſignabit. Atque hoc notare operæpretium eſt, ne putemus ſtabilem fixamque legem omnibus verbi miniſtris præſcribi, dum præconibus ſuæ doctrinæ mandat Dominus quid eos ad breve tempus facere velit. Quæ inſcitia multos ſefellit, ut ſine diſcrimine ad hanc normam omnes verbi miniſtros exigerent.

1. *Accerſitis duodecim.*] Numerus duodenarius futuram Eccleſiæ inſtaurationem notabat. Sicut enim populus ex duodecim Patriarchis ortus erat, ita nunc reliquias diſſipatas ad originis ſuæ memoriam revocat Chriſtus, ut de ſua reſtitutione certam ſpem concipiant. Etſi autem in Judæa non ita floruit regnum Dei ut integer fuerit populi ſtatus: quin potius gens illa, quæ jam miſere collapſa erat, oblatam gratiam ſpernendo, ſua ingratitudine bis perire meruit: hoc tamen non obſtitit quin iterum naſceretur novus populus. Poſtea factum è Sioo ſceptrum virtutis Filii ſui longius emitteret, ut manarent ex fonte illo fluvii qui large irrigarent quatuor mundi plagas. Tunc undique Deus Iſraëlem ſuum collegit, ut coaleſcerent in unum corpus non tantum diſperſa & lacera membra, ſed bomines qui ante prorſus alieni fuerant à populo Dei. Non ergo fruſtra Dominus duodecim veluti Patriarchas conſtituens, Eccleſiæ renovationem teſtatus eſt. Adde quod boc numero admonuit Judæos in quem finem veniſſet. Quia vero Dei gratiæ locum non dederunt, novum ſibi Iſraëlem genuit. Si primordia ſpectes, videri poſſet hoc ridiculum, quod obſcuris & nullius pretii hominibus tam bonorificas perſonas Chriſtus impoſuit: ſucceſſus tamen incredibilis, & tam fœcunda Eccleſiæ propagatio oſtendit, Apoſtolos honoris gradu & fœcunditate ſobolis non modo Patriarchis non cedere, ſed etiam longe præcellere.

Dedit eis poteſtatem.] Quia inter homines nullo fere loco erant Apoſtoli, legatio autem quam illis injungit Chriſtus, divina erat: deinde neque ingenio, neque facuodia pollebant, rei antem excellentia & novitas requirebant pluſquam bumanas dotes: neceſſe fuit aliunde illis auctoritatem accedere. Chriſtus ergo edeodis miraculis eos præficiens, cæleſtis potentiæ inſignibus inſtruit, quæ fidem ac reverentiam concilient apud populum. Atque hinc legitimus miraculorum nſus colligitur. nam quum Euangelii præcones & ſignorum miniſtros Chriſtus ſimul & conjunctim inſtituat, ut miracula nihil aliud ſint quam doctrinæ ſuæ ſigilla, individuum hunc nexum abrumpere fas non eſt. Quare falſarii ſunt Papiſtæ, & opera Dei ſcelerate depravant, verbum à miraculis ſeparando.

2. *Primus Simon.*] Inſulſe Romanenſes primatum ſuum hinc eliciunt. primum inter Apoſtolos fuiſſe Simonem Petrum libenter fatemur: ſed quod inter paucos homines valuit, ad totum orbem extendere nulla ratio patitur. Adde quod qui primus oumeratur, non ideo protinus inter ſuos collegas dominium habet. Jam ut omnia illis quæ poſtulant de Petro demus, donec impios & ſacrilegos apoſtatas Petri ſucceſſores eſſe probent, ejus dignitas nihil ad Romanam ſedem.

5. *In viam Gentium.*] Hinc clarius apparet quod nuper attigi, non alio ſpectaſſe munus quod tunc impoſitum fuit Apoſtolis, niſi ut Judæos in ſpem propinquæ ſaluus excitando, attentos ad Cbriſtum audiendum redderent. ideo nunc eorum vocem Judææ finibus includit, quam poſtea ubique ad ultimos orbis fines perſonare jubet. Ratio eſt, Quia miſſus à Patre erat Circumciſionis miniſter, ad implendas promiſſiones quæ olim Patribus datæ fuerant, Rom. 15: 8. Atqui ſpeciale foedus pepigerat Deus cum genere Abrahæ. Non abs re ergo Chriſtus initio Dei gratiam in populo electo continuit, donec maturum adeſſet ejus publicandæ tempus. A reſurrectione vero benedictionem ſecundo loco promiſſam in omnes gentes effudit: quia & tunc velum templi ſciſſum erat, & diſſidii maceria diruta. Ergo ſi cui videtur parum humana hæc prohibitio, dum Cbriſtus Gentes Euangelii participatione non dignatur, is cum Deo litiget, qui reliquum mundum excludens, cum ſolo Abrahæ ſemine foedus ſuum ſancivit, unde hoc Cbriſti mandatum dependet.

6. *Potius ad oves perditas.*] Priorem, ut dixi, locum aſſignat Judæis, quia primogeniti erant: imo quia tunc ipſos ſolos Deus in ſua familia cenſebat, quum alii eſſent extranei. Et nominat oves perditas, tum ut miſericordia tacti, alacrius & ardentiore ſtudio illis ſuccurrant Apoſtoli: ut ſciant in præſentia uberem laborandi materiam ſibi ſuppetere. & tamen ſub illius gentis figura docuit Chriſtus qualis ſit totius bumani generis conditio. Judæi, qui Deo propinqui & fœderati erant, adeoque legitimi vitæ æternæ hæredes, perditi tamen dicuntur, donec ſalutem in Chriſto recuperent. Quid igitur nobis ſit reſidnum, qui longe inferiores honore ſumus? Cæterum ovium nomen reprobis quoque tribuit, qui proprie ex grege Dei non erant, quia ad
totum populum patebat adoptio: ſicuti alibi filios *Matth. 8.*
regni vocat qui tandem perfidiæ ſuæ culpa abdican- *verſ. 12.*
di erant. In ſumma, ovium nomine Judæos Apoſtolis commendat Chriſtus, ut illis ſuam operam addicant: quia non poterant in grege Dei agnoſcere niſi qui in ovile aggregati erant.

7. *Prædicate, dicentes.*] Hoc eſt quod dixi præconium quo erigi populi animos voluit Cbriſtus io ſpem propinquæ redemptionis. Pro *regnum cælorum*, Lucas ponit *regnum Dei*, eodem ſenſu: nempe
ut ſcirent Judæi, primnm ſe divinitus reſtitui, non 1.
hominum beneficio: deinde felicem ſub Deo Rege 2.
eorum fore ſtatum: tertio, non terrenam ac cadu- 3.
cam felicitatem illis promitti, ſed cæleſtem & nunquam finiendam.

8. *Infirmos ſanate.*] Sicuti poteſtate eos inſtruxit, ſic jubet fideles & liberales eſſe ejus miniſtros, eamque ſupprimere vetat quæ in commune omnium boonm apud ipſos erat depoſita. Cæterum miraculis iſtis deſignat quorſum à Patre miſſus fuerit, & quiſnam ſit Euangelii ſui finis. Neque enim temere mortuos excitare & ægrotos ſanare potius jubet quam morbis ſanos affligere, aut mortem infligere viventibus. Analogiam ergo & ſimilitudinem habent miracula cum officio Chriſti, ut ſciamus veniſſe oobis bonorum omnium auctorem, qui nos à Satanæ mortiſque tyrannide liberet, qui ſanet morbos noſtros & vitia, & miſeriis omnibus opem ferat.

Gratuito accepiſtis.] Quo libentius communicent quæ in illos contulerat dona, ſignificat non in privatam ſuam gloriam fuiſſe illis credita, ſed ut gratuitæ Dei beneficentiæ quidam ſint veluti canales. acſi diceret, Cogitate unde vobis provenerit hæc poteſtas: ſicuti nullo veſtro merito, ex mera Dei gratia fluxit, nunc veſtro miniſterio gratis ad alios manare

 decet.

decet. Scimus quam ægre impertiat qoiſque aliis quod ſibi peculiare eſſe putat: deinde ubi eminet unus quiſpiam præ aliis fratribus, quam proclive ſit eos omnes deſpicere. Non potuit ergo melius commendari benigna ſpiritualium donorum communicatio, quam dum admonet Chriſtus neminem ſua induſtria excellere, ſed liberalitate Dei gratuita. Jam vero in ſuis miniſtris exhibuit Chriſtus ejus
Jeſa. 55. verſ. 1. gratiæ ſpecimen quæ ab Jeſaia prædicta erat, Omnes ſitientes venite ad aquas: bibite, & ſumite abſque pretio vinum & lac. Simul tamen oſtendit neminem ſincerum fore verbi ſui miniſtrum & gratiæ diſpenſatorem niſi qui operam ſuam gratis impendere paratus ſit: omnes autem mercenarios indigne corrumpere & profanare ſacrum docendi munus. Cæterum gratuitæ diſpenſationi non repugnat quod Eccleſiæ doctores publicis ſtipendiis aluntur, modo ultro & liberaliter Chriſto & Eccleſiæ ſerviant: victus autem ſit quaſi laboris acceſſio.

MATTH. X.	MARC. VI.	LUC. IX.
9. Ne comparetis aurum, neque argentum, neque æs in crumenis veſtris.	8. Et præcepit illis ne quid tollerent in viam niſi virgam tantum: non peram, non panem, non æs in zona:	3. Et ait ad illos, Ne quid tuleritis in viam, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam: neque binas tunicas habeatis.
10. Neque peram ad iter, neque binas tunicas, neque calceamenta, neque virgam. nam dignus eſt operarius cibo ſuo.	9. Sed calcearentur ſandaliis: & ne induerentur binis tunicis.	
11. Sed in quamcunque civitatem aut vicum fueritis ingreſſi, exquirite quis in ea ſit dignus: atque illic manete donec exeatis.	10. Et dicebat eis, Ubicunque introieritis in domum, ibi manete donec exeatis illinc.	4. Et in quamcunque domum intraveritis, illic manete, atque illinc exeatis.
12. Quum autem intrabitis domum, ſalutate illam.		
13. Et ſi quidem fuerit domus digna, veniat pax veſtra ſuper illam: ſin minus fuerit digna, pax veſtra ad vos revertatur.		
14. Et quicunque non exceperit vos, neque audierit ſermones veſtros, excuntes ex ædibus aut civitate illa, excutite pulverem pedum veſtrorum.	11. Et quicunque non receperint vos, neque audierint vos, excuntes illinc excutite pulverem qui eſt ſub pedibus veſtris, in teſtimonium illis.	5. Et quicunque non receperint vos, excuntes de civitate illa, etiam pulverem è pedibus veſtris excutite in teſtimonium adverſus illos.
15. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicii quam civitati illi.	Amen dico vobis, tolerabilius erit Sodomæ aut Gomorrhæ in die judicii quam civitati illi.	

9. *Ne comparetis.*] Quia tale erat legationis genus ut diſcipulos vellet Chriſtus intra paucos dies totam Judæam luſtrare, & ſtatim ad ſe reverti, ſarcinas ſecum geſtare vetat quæ celeritatem hanc morentur. Inſcite vero quidam putarunt, verbi Miniſtris vel Apoſtolis perpetuam hic legem præſcribi. Nonnullæ ſententiæ paulo poſt ſequentur quæ longius ſpectabunt: ſed hæc mandata de non tollendis impedimentis, ad temporale illud quod diximus præconium reſtringi certum eſt. Porro uno contextu legenda eſt tota prohibitio de auro, argento, pera & binis tunicis, quæ apud Matthæum habetur, ſicut ex aliis duobus patet. ideo vertere malui, Ne comparetis: quia ſimpliciter vetare Dominus voluit nequid in viaticum ſumerent. Poterant domi habere peras, & calceamenta, & alias tunicas: ſed quo magis ſint ad iter expediti, omnia onera relinquere jubet. Quo ſpectat
Baculi geſtatio. etiam illud Marci, ut calceentur ſandaliis. In virga aut baculo diſcrepare videntur: nam apud Marcum baculus permittitur: apud Matthæum & Lucam negatur. Sed quum ambigua ſit apud Hebræos ſignificatio vocis שבט, Euangeliſtæ, licet Græce ſcriberent, ῥάβδον varie acceperunt. Ergo Matthæus & Lucas baculos intelligunt qui oneri ſunt ferentibus: Marcus vero ſcipionem qui viatores ſuſtinet ac levat. Ad iter vero faciendum geſtandi baculi morem fuiſſe
Geneſ. 32. verſ. 10. conſtat. unde etiam illud, Cum baculo meo tranſivi Jordanem iſtum. Quibus verbis fatetur Jacob ſe vacuum & nullis divitiis onuſtum in Syriam veniſſe.

10. *Quia dignus eſt operarius.*] Occurrit Chriſtus dubitationi: dura enim videri poterat conditio, nullo viatico inſtructos totam Judæam circumire. Ideo Chriſtus non eſſe timendum dicit ne inedia laborent: quia, quocunque venerint, digni ſaltem erunt alimentis. Operarios vocat non quod ſimiles eſſent ordinariis miniſtris qui vineam Domini excolunt, & qui plantando & rigando in eandem culturam incumbunt: ſed tantum quia uberioris & plenæ doctrinæ erant præcones. neque enim aliud tunc injunctum fuit docendi munus quam ut attentos redderent Judæos ad Euangelii prædicationem. Porro ne objicerent, ſe victu debito fraudatum iri, quia nemo illos pro operariis agnoſceret: hanc quoque difficultatem prævenit Chriſtus, exquirere jubens quiſnam in quaque civitate dignus ſit ſalutis nuncio. Quibus verbis ſciſcitari eos jubet, ſiqui ſint pii homines ac integri, in quibus vigeat aliquis Dei timor & religio, & de quorum docilitate bene ſperari queat, ut illis præcipue ſuam operam offerant. Nam quia non licebat in ſingulis locis diutius hærere, initium inde facere decebat ubi eſſet melior aliqua præparatio.

11. *Illic manete donec.*] Hoc quoque ad feſtinationem ſpectat: nam ſi longiorem alicubi moram traxiſſent, mutandum fuiſſet hoſpitium, ne unum quempiam nimis gravarent. Quum ergo manere eos jubet Chriſtus apud primum hoſpitem donec in aliam urbem migrent, ſignificat properandum eſſe, ut vulgato in una urbe Euangelii nuncio mox alio curſitent.

12. *Salutate illam.*] Quia probos Dei cultores diſcernere non poterant à contemptoribus, præcipit

pit ut obviis quibuſque familiis ſe amice inſinuent. Salutatio enim quidam eſt ad colloquium ingreſſus. Jam quidem admoniti fuerant ut ad eos concederent hoſpites in quibus notum ac celebre eſſet pietatis ſtudium: ſed quia interdum contingit ut qui præclaris famæ elogiis ornantur, ubi ad ſeria experimenta ventum eſt, impietatem ſuam prodant, hoc præceptum diſerte ſubjici oportuit. ſenſus eſt igitur, Tentate primo ingreſſu numquid libenter vos audire ſuſtineant hoſpites: quicunque veſtram doctrinam libenter amplexi fuerint, apud eos manete, ut rata ſit veſtra ſalutatio: ſiqui reſpuerint, ſtatim ab illis diſcedite, & quantum in vobis erit ſalutationem veſtram retrahite. Perinde enim valet loquutio acſi dixiſſet, Quia indigni ſunt propter ſuam ingratitudinem qui Dei benedictione fruantur quam illis fueritis precati, abrumpite omne communicationis vinculum. Nomen Pacis ad ſalutandi formulam refertur, quam in communi uſu habebant Judei. nam quum pax illis proſperum ſtatum ſignificet; quibus bene & feliciter eſſe cupiunt, & quorum res optant eſſe ſalvas, bis pacem precantur. Fateor quidem Apoſtolos aliam attuliſſe hominibus pacem: ſed nimis arguta eſt eorum ſpeculatio qui locum hunc ad gratuitam Dei cum hominibus reconciliationem trahunt.

Pacis nomen.

14. *Quicunque non receperit vos.*] Severa vindictæ denunciatio contra Euangelii contemptores, qua diſcipulos ſuos animare voluit Chriſtus ne illis remoram afferret mundi ingratitudo. Mandat quidem Apoſtolis quid agere ipſos velit ſi in contemptores inciderint: hoc tamen præcipue conſilium habuit, ſicubi reſpueretur eorum doctrina, juſto ipſorum dolori & tædio ſolatium adhibere, ne in medio curſu fatiſcerent. Et videmus ut Paulus hac conſolatione fretus animoſe deſpiciat omnem hominum contumaciam, conſtanter pergat per media obſtacula, & glorietur ſe bonum eſſe odorem Deo, quamvis lethalis ſit pereuntibus. Cæterum docet hic locus quanti Dominus Euangelium ſuum æſtimet: & certe quum incomparabilis ſit theſaurus, nimis turpiter ingrati ſunt qui ſibi oblatum repudiant. Deinde quum ſceptrum ſit regni ipſius, non poteſt ſine manifeſta in eum contumelia rejici. *Excutite pulverem.* Sicuti Euangelii doctrinam hic commendat Dominus ut eam reverenter omnes excipiant, & gravi pœnæ ſanctione rebellibus metum incutit: ita Apoſtolos jubet ejus quam denunciat ultionis præcones eſſe, quod fieri non poteſt quin acerrimo doctrinæ quam prædicant aſſerendæ zelo flagrent. Tenendum igitur eſt, nullum eſſe idoneum cæleſtis doctrinæ magiſtrum niſi qui ſic affectus erit ut ejus contemptu crucietur atque uratur. Excuſſionem pulveris jam tunc in uſu fuiſſe Judæis probabile eſt, quaſi anathematis ſymbolum; acſi teſtatum feciſſent tam pollutos eſſe loci incolas ut contagione ſua terram inficerent. Uſitatum fuiſſe morem ideo conjicio, quod Chriſtus tanquam de re nota loquitur. Magis autem confirmat hæc execrationis forma quod nuper dixi, nullo crimine magis offendi Deum quam verbi ſui contemptu: neque enim tam ſolenni ritu vel adulteros, vel homicidas, vel quoſvis ſceleratos deteſtari nos jubet.

2 Cor. 2. verſ. 15.

15. *Amen dico vobis.*] Ne videatur inane eſſe terriculamentum, pronunciat Chriſtus graviores daturos pœnas qui Euangelium reſpuerint quam Sodomitas. Quod Judicium quidam hic accipiunt pro Jeroſolymæ excidio, alienum eſt à Chriſti mente. communis enim judicii diem intelligere oportet, in quo utrique rationem reddent, ut fiat pœnarum comparatio. Sodomam Chriſtus præ aliis urbibus nominavit, non tantum quia extremis flagitiis omnes ſuperavit, ſed quia ſingulari exitii genere divinitus conſumpta fuit ut ſeculis omnibus eſſet in exemplum, & nomen ipſum abominationi eſſet. Nec tamen mirum quod mitius cum illis actum iri Chriſtus pronunciat quam cum incredulis qui Euangelium audire abnuerint. Nam quum auctoritatem fictori ſuo & opifici negant homines, nec ejus vocem audientia dignantur, imo benigne vocantem repellunt, & omnia liberaliter pollicenti fidem derogant: hæc impietas quaſi ſupremus omnium ſcelerum cumulus eſt. Quod ſi obſcuri illius præconii repulſam ſequuta eſt tam dira ultio, quam terribilis nunc eos pœna manet qui Chriſtum pleno ore loquentem rejiciunt? Deinde ſi tam ſevere animadvertit Deus in contemptores, quid furioſis hoſtibus fiet qui vel blaſphemiis & virulenta lingua oppugnant Euangelium, vel crudeliter ignibus & gladiis perſequuntur?

MATTH. X.

16. Ecce ego emitto vos velut oves in medio luporum: eſtote igitur prudentes veluti ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.

17. Cavete autem ab hominibus: tradent enim vos in concilia, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos.

18. Etiam ad Principes & Reges ducemini propter me, in teſtimonium ipſis & Gentibus.

19. Quum autem tradiderint vos, ne ſitis ſolliciti quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.

20. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.

MARC.

LUC. XII.

11. Quum autem adduxerint vos in Synagogas & ad Magiſtratus ac Poteſtates, nolite ſolliciti eſſe qualiter aut quid reſpondeatis, aut quid dicatis.

12. Spiritus enim ſanctus docebit vos in eadem hora quid oporteat vos dicere.

Mandata quæ hactenus retulit Matthæus, tantum ad priorem illam expeditionem ſpectabant, quæ intra paucos dies finienda erat: nunc longius progreditur Chriſtus, & eos in futurum tempus præmunit, ut ſciant non ad breve tantum illud præconium vulgandum ſe electos eſſe, ſed provinciam ſibi reſtare magis arduam longeque majoris negotii. Tametſi enim non ſtatim protracti ſunt in has pugnas de quibus loquitur Chriſtus, utile tamen fuit eos ante tempus moneri, ut ſiquas moleſtias tunc ſubirent, durioris militiæ ad quam deſtinati erant, ſcirent quædam eſſe præludia. Hoc quidem etiam in prima miſſione verum fuit, Apoſtolos ſimiles eſſe ovibus in medio luporum: ſed quia Dominus eorum infirmitati parcens, ſævitiam luporum continuit ne quid nocerent, proprie ad futurum tempus refertur quo Dominus eos aſperius tractavit. Nam ante reſurrectionem, præſente ſponſo, quaſi nuptialiter habiti fuerunt: poſtquam autem ab illis diſceſſit ſponſus, ceſſavit illa indulgentia & mollities, ac tam auſtera fuit eorum conditio, ut tunc ſentirent non fruſtra ſe his armis mature fuiſſe inſtructos. Fieri etiam potuit ut ſermones diverſis temporibus habitos in unum locum Matthæus contulerit. Nam

Lucas

Lucas (ut poſtea videbimus) eadem ſeptuaginta diſcipulis, qui Apoſtolis ſubrogati ſunt, dicta fuiſſe refert. Hoc quidem extra controverſiam eſt, his verbis non fuiſſe prædictum ſucceſſum itineris quod jam ingrediebantur, ſed de toto Apoſtolatus ſui curſu fuiſſe præmonitos.

Recte à Chryſoſt. expenditur magna vis pronominis Ego.

16. *Ecce ego emitto.*] Quorſum hæc tendat admonitio, quæ mox ſequitur exhortatio clare oſtendit. Itaque ſic reſolvi debet contextus, Prudentia & ſimplicitate vobis opus eſt: quia eritis velut oves inter lupos. Ratio autem à neceſſitate ſumpta eſt: quia niſi prudenter ſibi caverent, mox poſſent à lupis devorari: ſi autem expaveſcerent ad luporum rabiem, vel minus cauti eſſent, ſubinde titubarent, tandemque deficerent à ſuo officio. Priore loco tractemus quid ſibi hoc velit, quod mittantur quaſi oves inter lupos. Quantumvis crudeles ac ſanguinarii ſint homines, poſſet Dominus eorum ferociam mitigare, qui truculentas beſtias, quoties ita viſum eſt, cicurat ac manſuetas reddit. Quod ergo bonam hominum partem non domat in Euangelii ſui obſequium, ſed eos relinquit in feritate ſui ingenii, conſulto hoc facit ut ſuos miniſtros exerceat. Quanquam autem lupi ſunt omnes natura quoſcunque Deus Spiritu manſuetudinis non regenerat, maxime tamen furioſos Euangelii hoſtes Chriſtus deſignat, qui audita paſtoris voce adeo non manſueſcunt, ut in majorem ſævitiam exardeant. Hac ergo lege verbi ſui miniſtros Dominus mittit, ut verſentur in medio luporum: hoc eſt, ut multos habeant ſibi infeſtos hoſtes, & multis undique periculis obſeſſi, inter obſtacula difficulter munere ſuo fungantur. Et quo acrior ſit probatio, non arma ſuppeditat quibus ſe violenter defendant, ſed inermes ac nudos luporum dentibus exponit. Nam quod ovibus eos comparat, non refertur ad mores placidos ac mites, vel ad animi lenitatem: ſed tantum ſignificat nihilo robuſtiores fore, vel magis pares ad vim hoſtium repellendam, quam ſint oves contra luporum rabiem. Requirit quidem etiam oviles animos à ſuis diſcipulis Chriſtus ut tolerantia certent contra improborum malitiam, & injurias placide excipiant: verum hujus loci ſimplex eſt ſenſus, quod Apoſtolis parati ſint multi hoſtes potentes ac ſævi, quum tamen ipſi nullo præſidio muniti ſint. Siquis excipiat, hoc modo non conſtare antitheſin inter oves & lupos: in promptu eſt reſponſio. Etſi enim Dominus Euangelii hoſtes vocando lupos, nocendi potentiam magis quam libidinem expreſſit: quia tamen nemo lupus agnoſcitur niſi contra Euangelium inſaniat; ideo hæc duo ſimul conjunxit, quod ad ſanguinem hauriendum crudeli impetu ferantur, & ſimul quod viribus præditi ſint. *Eſtote igitur prudentes.* Summa eſt, prudentiam in cavendo ſic temperandam eſſe ne timidi pluſquam oportet reddantur, ac ſint ad officium tardiores. Videmus enim eos qui circumſpecti & providi haberi volunt, ut plurimum meticuloſos ac ſegnes eſſe. Diſcipulos quidem Chriſti, quum undique immineant pericula, intentos ad cavendum eſſe convenit: ſed quia maximum periculum eſt ne ignavia tardentur, ſincere pergere jubet quocunque feret vocatio. Atque hoc duplici ſimilitudine exprimit. Serpentes quum ſe exoſos ſentiant, ſollicite declinant ac refugiunt quicquid ſibi adverſum eſt: ita fidelibus mandatur vitæ ſuæ cura, ne temere in diſcrimen proſiliant, ſeque exponant ad quaslibet noxas. Contra vero columbæ, quamvis ſint pavidæ natura, innumeris læſionibus obnoxiæ, ſimpliciter tamen volitant, quaſi ſecuræ expectant dum feriantur: plerumque etiam captantium inſidiis ſe objiciunt. Ad hanc ſimplicitatem hortatur ſuos Chriſtus, ne trepidatio nimia eos in peragendo curſu ſuo impediat. Sunt qui acutius hic philoſophantur de natura ſerpentis & columbæ: ſed non ultra progreditur ſimilitudo. Videmus ergo damnari à Chriſto carnalem prudentiam, vel potius vafritiem, in quo ſibi plus æquo bona pars hominum indulget, dum circumſpiciunt huc & illuc quatenus tutum erit prodire. Ita dum periclitari nolunt, Chriſto vocanti renunciant.

17. *Cavete autem ab hominibus.*] Eraſmus addidit Illis: quia putavit articulo vim demonſtrativi pronominis ſubeſſe. Atqui, meo judicio, indefinite accipere ſatius eſt: acſi dixiſſet Chriſtus, inter homines, ubi omnia plena ſunt inſidiis & noxis, prudenter verſandum eſſe. Pugnare tamen ſecum videtur: nam hæc optima eſſet cavendi ratio, domi res ſuas agere, nec ſe committere in publicum. Reſpondeo, aliud hic notari cautionis genus, non ut metu perculſi ab officio ſuperſedeant, ſed ne ſubitis malis ultra modum turbentur. ſcimus enim, qui præter ſpem circumventi ſunt, exanimes concidere. Eminus ergo proſpicere ſuos Chriſtus voluit quid futurum eſſet, ut ad ſubeundos conflictus mature animos componerent. Denique claſſicum illis canit, ut ſe alacrius ad prælium accingant. nam ſicuti immodica providentia, & pluſquam par eſt anxia, multos debilitat: ita multos inebriat ſupina ſecuritas, ut inconſulte ruentes, in ipſo articulo deficiant. *Tradent enim vos in concilia.* Colligere promptum eſt ex his verbis quæ nunc certamina denunciat Apoſtolis Chriſtus, ad primam expeditionem, in qua nihil tale experti ſunt, reſtringi non debere. Hic autem eſt prædictionis ſcopus, ne unquam frangantur: quia raræ virtutis erat pauperculos homines, quum in conſpectum Principum veniſſent, præſenti ſtare animo, nec ullo mundi fulgore turbari. Admonet etiam, non in Judæa ſolum, ſed in locis remotioribus pugnandum illis fore, non tantum ut longa meditatione ſe compararent ad illam militiam, ſed ut magiſtri profeſſi ac confirmati, cæleſtibus auſpiciis ſe regi non dubitarent. Quod addit, *In teſtimonium illis & Gentibus*, hunc habet ſenſum, Exteris etiam Principibus & longinquis nationibus teſtandam eſſe Dei voluntatem ut ſint inexcuſabiles. unde ſequitur non irritam fore Apoſtolorum operam quæ Dei judicium illuſtrabit ubi ſuæ pervicaciæ convicti fuerint homines.

19. *Ne ſitis ſolliciti.*] Additur conſolatio. fruſtra enim centies hortatus eſſet Chriſtus diſcipulos, niſi illis ſimul promitteret Deum adfuturum, ac ejus virtute certo eos fore victores. Hinc colligimus, minime Chriſti conſilium fuiſſe, denunciandis periculis minuere ſtudii ardorem, quo diſcipulos flagrare neceſſe erat ſi munus ſuum rite exequi vellent. Magnum quidem eſt ſuſtinere Principum conſpectum: neque enim tantum formido, ſed ipſa quoque verecundia interdum bonas mentes conſternat. quid ergo ſi infeſta iracundia Principes irrumpant, & propemodum fulminent? Chriſtus tamen ſuos eſſe ſollicitos vetat: quia Spiritus verba illis dictabit. Nam quo quiſque magis imbecillitatis ſuæ conſcius ſibi diffidit, eo magis trepidat, niſi aliunde expectet auxilium. Et videmus pleroſque ideo deficere quia viribus ſuis, quæ perquam exiguæ ſunt, aut prorſus nullæ, eorum quæ agenda ſuſcipiunt, ſucceſſum metiuntur. Ideo Chriſtus reſpicere diſcipulos vetat quid valeant, & ab una cæleſtis gratiæ fiducia pendere jubet. Non de facultate, inquit, veſtra hic agitur, ſed de Spiritus ſancti virtute, qui fidelium linguas ad puram fidei confeſſionem format ac dirigit. Ac ne præſenti ſuo defectu terreantur, auxilium in ipſo momento ſuperventurum denunciat. Sæpe enim Dominus facundiæ dono fideles deſtituit quamdiu teſtimonium ab ipſis non poſtulat: ubi autem ad ipſam neceſſitatem ventum eſt, pluſquam facundos reddit qui prius elingues viſi fuerant. Sic noſtro tempore quoſdam martyres vidimus, qui quum fere bruti fuiſſent, poſtquam vocati ſunt ad edendam fidei confeſſionem, apte & ſcite loquendi dono uſque ad miraculum excelluerunt. Porro non omni cura vacare Apoſtolos Chriſtus voluit: quia utile erat ipſos eſſe ſolli-

ſollicitos, ut Spiritum illum ſibi dari precibus flagitarent: ſed anxiam meditationem, qua ſe ut plurimum homines impediunt, voluit eximere. Nam dum ſecum quærunt quid futurum ſit ſi hoc vel illud contingat, nec recumbunt in Dei providentiam, miſera inquietudine turbantur. Et certe digni ſunt ejuſmodi tormento quicunque hunc honorem non tribuunt Dei providentiæ, ut eorum defectui opportune ſuccurrat.

MATTH. X.

21. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & inſurgent filii adverſus parentes, & morte afficient eos:

22. Et eritis exoſi omnibus propter nomen meum: verum qui ſuſtinuerit uſque in finem, hic ſalvus fiet.

23. Quum autem perſequuti vos fuerint in urbe hac, fugite in aliam. Amen enim dico vobis, non perambulaveritis omnes civitates Iſraëlis, quin jam Filius hominis venerit.

24. Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum, neque ſervus ſupra dominum ſuum.

25. Sufficit diſcipulo ut ſit ſicut magiſter ipſius, & ut ſervus ſit ſicut dominus ipſius. ſi ipſum patremfamilias vocaverunt Beelzebub, quanto magis domeſticos illius?

MARC.

LUC. VI.

40. Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum ſuum: conformis autem erit omnis magiſtro ſuo.

21. *Tradet autem frater.*] Primum admonet quam graves ærumnæ eos maneant: deinde addita inſigni conſolatione totam acerbitatem mitigat. Primum denunciat, quæ aliis ſolent eſſe præſidio, vel aliquid levationis afferre, diſcipulis ceſſura in majoris miſeriæ acceſſionem: nempe fratres qui juvare oppreſſos, calamitoſis manum porrigere, & eorum ſalutem tueri debebant, infenſos illis fore hoſtes. Falluntur tamen qui hoc ſolis fidelibus contingere putant ut à fratribus ſuis in mortem tradantur. Fieri enim poteſt ut ſancto zelo pater filium perſequatur, ſi apoſtatam à ſincero Dei cultu eſſe videat: imo Dominus in hac parte jubet nos ſanguinis & carnis oblitos ad vindicandam nominis ſui gloriam omne ſtudium conferre. Nec vero ubicunque viget Dei timor & religio, ſuis quiſque conſanguineis parcet: quin perire malit omnes, ſi ita neceſſe eſt, quam diſſipari Chriſti regnum, extingui ſalutis doctrinam, cultum Dei aboleri. quod ſi recte compoſiti eſſent affectus, hæc una juſti odii cauſa eſſet. At vero quum Chriſtus non modo inſtauret Dei regnum, & pietatem in ſuum integrum vigorem reſtituat, ſed etiam homines ab interitu revocet in ſalutem: nihil magis indignum quam ejus cauſa odio haberi tam amabilis doctrinæ miniſtros. Hoc, ut eſt prodigium naturæ adverſum, vehementer turbare ſimplicium animos poterat: prædicit tamen Chriſtus ita futurum.

22. *Qui ſuſtinuerit.*] Hæc una promiſſio ad fulciendos piorum animos merito ſufficere debet, quamvis totus mundus contra inſurgat, dum illis felix & ſalutaris exitus promittitur. Nam ſi propoſiti conſtantia eos qui ſub terrenis ducibus incerto Martis eventu pugnant uſque ad mortem rapit, an ſe ad extremum Chriſto impendere dubitabunt qui certi ſunt de victoria?

23. *Quum autem perſequuti vos fuerint.*] Præ venit quod excipere poterant, Si totius mundi ſubeunda eſſent odia, quis tandem finis? Quamvis ergo nuſquam tuto ſubſiſtere liceat, non tamen deſperandum eſſe admonet Chriſtus: ſed ubi ejecti fuerint uno loco, tentandum potius eſſe num alibi ſua opera proficere quicquam poſſint. Falluntur autem interpretes, dum putant nudam eſſe permiſſionem: quum potius Apoſtolis Chriſtus præcipiat quidnam facere ipſos velit. Nam qui perſequutionem unam ſuſtinuit, libenter ceſſaret quaſi miles emeritus. Atqui talem vocationem Chriſtus ſuis non concedit, ſed vult indefeſſo ſtudio totum curſum conficere. In ſumma, jubentur Apoſtoli novis ſubinde certaminibus ſe offerre: ne uno aut altero defuncti, ſe abſolutos putent. nec illis permittitur in latebras fugere, ubi otioſi jaceant: ſed quamvis infeliciter ſucceſſerit uno in loco labor, Dominus ad pergendum hortatur. Cæterum ſub mandato continetur etiam permiſſio. Ac de fugienda quidem perſequutione ſic habendum eſt, Neque omnes qui fugiunt, promiſcue damnandos eſſe; neque tamen quamlibet fugam eſſe licitam. Veterum quorundam nimius fuit hac in re fervor, qui fugam non ſecus damnarunt ac ſpeciem abnegationis. Nam ſi hoc verum eſſet, pars aliqua ignominiæ in Chriſtum & Apoſtolos redundaret. Rurſum ſi fugere promiſcue liceat, nullum in perſequutione diſcrimen erit boni paſtoris & mercenarii. Tenenda igitur moderatio quam Auguſtinus ad Honoratum præſcribit, ne quis timide ſtationem ſuam deſerens, vel gregem perfide prodat, vel exemplum præbeat ignaviæ: & tamen nemo ſe inconſiderate præcipitet. Si vel tota Eccleſia impetitur, vel ad mortem pars quæritur, præpoſtere ſe ſubducet paſtor cujus partes erant vitam ſuam pro ſingulis opponere: ſed fieri interdum poterit ut ſua abſentia furorem hoſtium ſedando, Eccleſiæ melius conſulat. Hic ergo vigeat columbina illa ſimplicitas, ne prætextum ſuæ timiditati delicati homines captent, ut ſemper ad fugiendas moleſtias nimis ingenioſa eſt caro. *Amen enim dico vobis.* Quod de prima miſſione quidam accipiunt, non convenit. quia potius complectitur totum Apoſtolatum: ſed in eo conſiſtit difficultas, quid ſignificet Adventus Filii hominis. Quidam exponunt talem Evangelii progreſſum ut agnoſcant omnes Chriſtum vere regnare, & ab eo ſperandam eſſe regni Davidis inſtaurationem. Alii ad excidium Hieroſolymæ referunt, in quo Chriſtus vindex ingratitudinis apparuit. Prior expoſitio tolerabilis eſt, poſterior magis coacta. Mihi tamen videtur eſſe conſolatio peculiariter Apoſtolis data. Venire dicitur Chriſtus quum affert rebus deſperatis remedium. Immenſa prope futura erat legatio, ut Euangelii doctrinam ſpargerent per totum mundum. Se ergo venturum Chriſtus promittit priuſquam totam Judæam peragraverint: nempe quia per Spiritus ſui potentiam regnum ſuum illuſtrabit, ut vere Apoſtolis affulgeat gloria illa & majeſtas quæ adhuc eos latebat.

24. *Non eſt diſcipulus.*] Nunc ſuo exemplo eos ad tolerantiam hortatur: & certe ejuſmodi eſt hæc conſolatio quæ omnem mœrorem abſorbeat, dum reputamus communem nobis ſortem eſſe cum Filio Dei. Quo tamen nobis plus inurat pudoris, duplicem ſimilitudinem mutuatur ab hominum conſuetudine. Diſcipulus honorificum ſibi ducit magiſtro æquari; plus quidem honoris appetere non audet.

deinde quæ patienter à dominis fertur conditio, eam ſubire ſervi non recuſant. Quum utroque jure ſuper nos emineat Filius Dei, cui ſummum imperium traditum eſt à Patre, & magiſtri partes injunctæ ſunt: pudeat nos refugere quod ipſe noſtra cauſa ſuſcipere gravatus non eſt. Sed hæc meditatione potius quam explicatione indigent, quia ſatis per ſe clara ſunt. Lucas 6. cap. ſententiam hanc, quaſi inter alios ſermones ex abrupto prolatam, abſque contextu refert: quia autem optime hoc loco Matthæus exprimit quorſum pertineat, non alibi melius locari poſſe duxi. Cæterum in verſione neque Eraſmum, neque veterem interpretem ſequi libuit, hac de cauſa. Participium κατηρτισμένος tam perfectum quam aptum & concinnum ſignificat. Porro quum de ſimilitudine, non de perfectione hic diſſerat Chriſtus, acſi diceret nihil eſſe magis conſentaneum quam ut ſe diſcipulus ad magiſtri exemplum formet: poſterior ſenſus melius congruere viſus eſt.

25. *Si ipſum patremfamilias.*] Perinde eſt acſi
Hebr. 3. verſ. 1. dominum Eccleſiæ ſe vocaret: ſicuti Apoſtolus eum Moſi & Prophetis comparans, hos dicit famulos fuiſſe, illum vero filium & hæredem. Etſi enim fratrum honore nos dignatur, primogenitus tamen eſt ac totius corporis caput: denique penes eum ſumma eſt gubernatio & poteſtas. Quare nihil magis abſurdum eſt quam velle in ordine fidelium cenſeri, & interim Deo obſtrepere quum nos ad imaginem Filii ſui conformat, quem toti familiæ ſuæ præfecit: quales enim ſunt iſtæ deliciæ ſi locum volumus occupare in domo ejus, & ſupra Dominum ipſum excellere? Summa autem eſt, nos eſſe nimis molles & lautos ſi nobis durum eſt contumelias perferre quibus ſe ultro ſubjecit Princeps noſter. Vox Beelzebub corrupta eſt: proprie dicendum eſſet Baalzebub. Sic primarium ex fictitiis diis Philiſtinorum vocarunt, quem colebat civitas Accaron. Baalim autem dicti ſunt dii minores qui hodie Patroni dicuntur in Papatu. Quum autem Baalzebub tantundem valeat ac patronum muſcæ vel muſcarum, quidam nomen hinc putant deductum, quod propter victimarum copiam, muſcarum examine templum ſcateret. ego autem potius conjicio, opem adverſus muſcas quæ loco infeſtæ eſſent, petitam fuiſſe ab idolo. Nam quum Ochozias ſuperſtitioſe reſponſum de ſua ſanitate ab eo quæreret, ſic vocabat: unde apparet non fuiſſe probroſum nomen. Porro ſicuti gehennæ nomen ſancti homines ad inferos tranſtulerunt, ut infamia notarent locum illum: ſic in odium & deteſtationem idoli, Baalzebub vocarunt diabolum. Unde colligimus, reprobos, ut deteſtabilem vulgo Chriſtum redderent, eum quo poterant maximo probro notaſſe, quaſi diabolum, qui maximus foret religionis hoſtis. Quare ſi nobis contingat eandem ignominiam inuri, videri novum non debet, quod in capite cœpit, impleri in membris.

MATTH. X.

26. Ne igitur metuatis eos: nihil eſt enim tectum quod non ſit retegendum, & nihil occultum quin futurum ſit ut ſciatur.

27. Quod dico vobis in tenebris, dicite in luce: & quod in aurem auditis, prædicate in tectis.

28. Et ne metuatis ab his qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed metuite magis illum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehenna.

29. Nonne duo paſſerculi minuto aſſe veneunt, & unus ex illis non cadet in terram ſine Patre veſtro?

30. Veſtri vero etiam pili capitis omnes numerati ſunt.

31. Nolite ergo timere: vos multis paſſerculis pluris eſtis.

MARC. IV.

22. Non eſt enim quicquam occultum quod non manifeſtetur: neque fuit ſecretum, ſed ut in propatulum veniat.

23. Siquis habet aures ad audiendum, audiat.

LUC. VIII.

17. Non eſt enim occultum quod non manifeſtum ſit futurum: nec abſconditum quod non ſit cognoſcendum, & in lucem venturum.

LUC. XII.

2. Nihil enim opertum eſt quod non reveletur, neque abſconditum quod non ſciatur.

3. Quoniam quæ in tenebris dixiſtis, in lumine audientur: & quod in aurem loquuti eſtis in conclavibus, prædicabitur in tectis.

4. Dico autem vobis amicis meis, Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent quod amplius faciant.

5. Oſtendam autem vobis quem timeatis: timete eum qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem conjiciendi in gehennam. certe dico vobis, hunc timete.

6. Nonne quinque paſſerculi veneunt duobus minutis aſſibus, & unus ex illis non eſt in oblivione coram Deo?

7. Quin & pili capitis veſtri omnes numerati ſunt. nolite ergo timere: multis paſſeribus pluris eſtis.

27. *Ne igitur metuatis.*] Quum tam contemptibile Euangelium eſſe viderent Apoſtoli, & credentium paucitas illis in mentem veniret, in futurum quoque tempus ſpem abjicere poterant. Huic dubitationi nunc Chriſtus occurrit, Euangelium latius ſpargendum eſſe pronuncians, & quibuslibet hominum obſtaculis ſuperius fore ut tandem palam emergat. Tametſi enim proverbiale fuiſſe videtur hoc dictum, *Nihil occultum eſt quod non patefiat:* hic tamen ad ſalutis doctrinam ſpecialiter reſtringi debet, quam Chriſtus victricem fore promittit quicquid ad eam opprimendam machinentur homines. Quamvis Concil.
palam interdum concionaretur in templo: quia ta- cum loco
men reſpuebatur ejus doctrina, adhuc quaſi in ob- Joan.
ſcuris angulis latebat: ſed venturum ejus promul- cap. 18.
gandæ tempus aſſerit. quod ſcimus paulo poſt factum verſ. 20.
eſſe: nullum enim unquam magis ſonorum tonitru in aliqua terræ plaga auditum eſt, quam vox Euangelii in toto mundo perſonuit. Quia autem promiſſio hæc animos illis facere debeat, hortatur eos

Chri-

Chriſtus ut audacter & ſtrenue in hoc ipſum incumbant, neque terreantur, quamvis adhuc ignobile cernant Euangelium, quin ſint clamoſi ejus præcones. Quod ex Marco retuli, alio forſan tempore & ſenſu dictum eſt: quia tamen illic conciſæ ſententiæ leguntur, ſequutus ſum quod mihi magis erat probabile. Poſtquam enim illic Apoſtolis præcepit Chriſtus ut conſpicuam lucem, quaſi ardentes lucernæ, procul emittant, continuo poſt ſubjicit, Nihil eſt occultum quod non manifeſtetur. Euangelii autem lucerna quaſi in tenebris accenſa fuit Apoſtolis, ut per totum orbem eorum miniſterio in ſublime evecta fulgeret. Idem eſt prorſus contextus apud Lucam, cap. 8. Quantum ad locum duodecimi capitis ſpectat, minime dubium eſt, quin huic reſpondeat, in verbis tamen eſt aliquid diverſum: quia jubet illic Chriſtus, quæ in tenebris dixerunt Apoſtoli, in lucem proferre: quo ſignificat eos nonniſi ſuſurraſſe hactenus de Euangelio, ſed uſque adeo nobile fore præconium quod perferent ut ſe diffundat uſque ad extremas orbis partes.

28. *Ne timeatis ab his.*] Optima ratione diſcipulos ſuos animat Chriſtus ad mortis contemptum, quod hanc fluxam & caducam vitam floccipendere debeant homines ad cæleſtem immortalitatem creati. Huc enim redit ſumma, ſi expendant fideles quorſum nati ſint, & quæ ſit ſua conditio, non eſſe cur terrenam vitam adeo anxie appetant. Quanquam plenior eſt ac uberior verborum ſenſus. docet enim Chriſtus, apud eos emortuum eſſe Dei timorem qui tyrannorum metu à fidei confeſſione excidunt: ac brutum ſtuporem regnare in eorum cordibus qui mortis terrore eandem fidei confeſſionem abjicere non dubitant. Notanda enim eſt antitheſis inter duos contrarios timores. Si hominum metu ſuffocatur Dei timor, annon apparet plus illis nos deferre quam ipſi Deo? jam hinc ſequitur, abjecta cæleſti & æterna vita, hoc nobis duntaxat nos facere reſiduum ut ſimus pecudibus ſimiles. Penes Deum unum poteſtas eſt æternæ vitæ & mortis: eum negligimus, quia nos abripit hominum timor. annon clare patet pluris eſſe nobis umbratilem corporis vitam quam æternum animæ ſtatum; imo cæleſte Dei regnum nihilo nobis eſſe præ fugaci & evanida præſentis vitæ umbra? Sic ergo reſolvi debent verba Chriſti, Agnoſcite vobis datas eſſe immortales animas quæ unius Dei arbitrio ſubjectæ, in hominum poteſtatem non veniunt. Atque ita nullis terroribus vel minis hominum fides veſtra ſuccumbet. Qui fit enim ut in conflictu prævaleat hominum timor, niſi quod animæ præfertur corpus, & immortalitas caducæ vitæ poſthabetur? Ideo emphatica eſt repetitio apud Lucam, *Certe dico vobis, hunc timete:* acſi dixiſſet Chtiſtus, nullum nobis eſſe Dei reſpectum quoties ſuccumbimus hominum timori: contra ſi Deum reveremur, facilem nobis in manu eſſe victoriam, ne ulla vis hominum ab officio nos abducat. Porro temporum omnium experientia docet quam neceſſaria ſit Chriſti miniſtris & in genere piis quoque omnibus hæc exhortatio. nullum enim fuit tempus quo non ſe violenter extulerint homines adverſus Deum, & Euangelium obruere conati ſint. Non omnes quidem ad incutiendum mortis terrorem pari armati ſunt potentia; ſed in majori numero regnat Cyclopica iſta feritas quæ data occaſione exultat. ſæpe etiam gigantes Satan ſubornat, ad quorum conſpectum exanimes caderent ſervi Chtiſti, niſi ad infractam conſtantiam hac doctrina inſtructi eſſent. Cæterum quum uno nexu cohæreant duo membra, perperam imperiti quidam ſeorſum hanc partem accipiunt, non eſſe timendos homines. Chriſtus enim (ut jam dictum eſt) perverſo hominum timori, qui nos à recta via abducit, remedii loco pium ſanctumque Dei timorem opponit. ſecus non valeret conſequentia; Si Deum metuimus, qui corporis & animæ dominus eſt, non eſſe timendos homines, quorum poteſtas corpus non tranſcendit. Quod autem hominibus tribuit Chriſtus occidendi poteſtatem, id per ſpeciem conceſſionis dictum eſt. Sic impiis frena laxat Deus ut potentiæ ſuæ fiducia inflati quidvis audeant, & percellant etiam infirmos animos, acſi quidvis poſſent. Quanquam ergo fruſtra inſoleſcunt impii, acſi eorum libidini obnoxia eſſet piorum vita; & Deus ipſos tenet conſtrictos ut eorum ſævitiam & violentos impetus, quoties ita viſum eſt, coërceat: dicuntur tamen poſſe occidere ejus permiſſu: quia ſæpe eorum furorem impotenter graſſati finit. Deinde bimembris eſt Chriſti concio: primum enim ut corporalis vitæ jacturam æquo animo ferre diſcamus, ad æternæ vitæ & mortis intuitum nos revocat: deinde gradatim huc quoque deſcendit, vitæ noſtræ cuſtodiam eſſe in Dei manu.

29. *Nonne duo paſſeres.*] Ultra progreditur Chriſtus, ut jam admonui, Tyrannos, quantumvis inſaniant, ne in corpus quidem habere quicquam poteſtatis: perperam igitur facere eos qui metuunt hominum ſævitiam, acſi non eſſent in tutela Dei. Itaque in periculis hæc nobis occurrat ſecunda conſolatio: quum Deus cuſtos ſit vitæ noſtræ, tuto poſſe nos recumbere in ejus providentia: imo fieri illi injuriam niſi vitam noſtram illi permittimus, cujus curam habere dignatur. Verum Dei providentiam generaliter extendit ad omnes creaturas, ut à majori ad minus demonſtret peculiari ejus præſidio nos ſervari. Paſſerculis nihil fere vilius eſt (duo enim aſſe tunc venibant: vel, ut Lucas dicit, quinque duobus aſſibus) & tamen ad ipſos quoque tuendos intentus eſt Dei oculus ut nihil fortuito illis accidat: An hominum vitam negligeret qui de paſſerculis eſt ſollicitus? Cæterum duo hic notanda ſunt: nam primo longe aliter Dei providentiam Chriſtus definit quam multi philoſophis non abſimiles: qui licet mundum divinitus gubernari tradant, confuſam tamen providentiam imaginantur, acſi Deus ſingulas creaturas non reſpiceret. Chriſtus autem pronunciat diſtincte ſingulas creaturas ſub Dei manu & cuſtodia eſſe, ut nihil ſit fortunæ expoſitum. Nam certe Dei voluntas contingentiæ opponitur. neque tamen hoc modo ſtatuitur fatum Stoicorum: quia aliud eſt neceſſitatem multiplici cauſarum nexu implicitam fingere, aliud ſubjicere Dei arbitrio totum mundum & ſingulas ejus partes. *Contingentia. Fatum Stoicorum.* In ipſa quidem rerum natura fateor eſſe contingentiam: ſed nihil cæco fortunæ rotatu accidere dico ubi moderatur Dei voluntas. Secundo notandum eſt, conſiderandam eſſe Dei providentiam, non ut curioſi & vani homines ſolent, ſed ut nobis materia ſit fiduciæ, noſque ad Deum invocandum ſollicitet. Neque enim ideo docet pilos omnes capitis noſtri eſſe numeratos ut frivolas ſpeculationes alat, ſed ut pendere diſcamus à paterna Dei cura quam pro caduca hac carne gerit.

31. *Vos pluris eſtis.*] Hoc in genere verum eſt de cunctis hominibus, quorum gratia conditi ſunt paſſerculi: proprie tamen de filiis Dei habetur ſermo, qui alio quam creationis jure excellunt. Cæterum dignitas non aliter in homines competit quam gratuita Dei æſtimatione.

MATTH. X.

32. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & illum coram Patre meo qui in cælis eſt:

33. Quiſquis autem negaverit me coram hominibus, negabo eum & ego coram Patre meo qui eſt in cælis.

34. Ne arbitremini quod venerim ad mittendum pacem in terram. non veni ut mitterem pacem, ſed gladium.

35. Nam veni ut diſcedere faciam hominem adverſus patrem ſuum, & filiam adverſus matrem ſuam, & ſponſam adverſus ſocrum ſuam.

36. Et inimici hominis *erunt* domeſtici ejus.

MARC. VIII.

38. Quemcunque enim puduerit mei ac meorum ſermonum in generatione hac adultera & peccatrice, pudebit illius & Filium hominis, ubi venerit in gloria Patris ſui cum Angelis ſanctis.

LUC. IX.

26. Nam quem mei meorumque ſermonum puduerit, hujus & Filium hominis pudebit, quum venerit in gloria ſua & Patris & ſanctorum Angelorum.

LUC. XII.

8. Dico autem vobis, Omnis qui me confeſſus fuerit coram hominibus, Filius etiam hominis confitebitur illum coram Angelis Dei:

9. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei.

Et eodem capite.

51. Putatis quod pacem venerim miſſurus in terram? Non, dico vobis: imo ſeparationem.

52. Erunt enim ex hoc quinque in domo una diviſi, tres adverſus duos, & duo contra tres.

53. Dividetur pater adverſus filium, & filius adverſus patrem: mater adverſus filiam, & filia adverſus matrem: ſocrus adverſus nurum ſuam, & nurus adverſus ſocrum ſuam.

32. *Omnis ergo.*] Accommodat nunc ad præſentem uſum quod de mortis contemptu prius diſſeruit: quia luctandum ſit contra mortis horrorem, ne ab ingenua fidei confeſſione nos revocet quam Deus ſevere exigit, muodus autem ferre non poteſt. Ergo in hunc finem Chriſti diſcipulos fortes & magnanimos eſſe convenit nt ſemper accincti ſint ad martyrium. Porro Chriſti confeſſio, etſi à majori hominum parte, quaſi res levis negligitur; hic tamen in præcipun Dei cultu & ſingulari pietatis exercitio cenſetur: & merito. Nam ſi terreni Reges pro gloriæ ſuæ amplitudine tuenda augendiſque opibus ſubditos ſuos ad arma vocant, cur non lingua ſaltem aſſerent fideles cæleſtis Regis ſui gloriam? Quare certum eſt eos fidem (quantum in ſe eſt) extinguere qui intus eam ſupprimunt, quaſi ſupervacua eſſet externa ejus profeſſio. Neque enim fruſtra Chriſtus hic nos vocat ſuos reſtes, quorum ore nomen ſuum in mundo celebretur. vult, inquam, Chriſtus nominis ſui profeſſionem falſis religionibus opponi. Quia res odioſa eſt, nobis teſtimonium denunciat ne ſuffocata lateat in corde cujuſque fides, ſed palam ſe proferat coram hominibus. Quiſquis refugit ac ſilet, annon Filium Dei fruſtrando, ſeipſum ex Dei familia abdicat? Reqniritur quidem illuſtrior fidei confeſſio à doctoribus quam ab hominibus privatis: deinde quia non omnes æquali fidei menſura præditi ſunt, quo quiſq; magis exuperat Spiritus donis, præire ſuo exemplo debet. Nemo tamen eſt fidelium quem non habere teſtem velit Filius Dei. Cæterum, ubi, quando, quoties, quomodn & quatenus profitenda ſit fides noſtru, certam legem præfigere difficile eſt: ſed ſpectanda eſt occaſio, ne quiſquam noſtrum officio ſuo in tempore deſit. Petendus etiam à Domino eſt prudentiæ & fortitudinis Spiritus, quo directore ſciamus quid expediat, & fortiter exequamor quod certum erit nobis mandari. *Confitebor & illum.* Additur promiſſio quæ zelum noſtrum hac in parte accendat. Notandæ autem ſunt antitheſes: nam ſi nos conferimus cum Filio Dei, quam turpe eſt noſtrum illi teſtimonium negare, quum nobis ille ſuum viciſſim, quaſi compenſationis loco, offerat? Si mortales & nihili homines cum Deo & Angelis totaque cæleſti gloria conferimus, quanto excellentius eſt quod promittit Chriſtus quam qood requirit? Nam quamvis increduli ſint homines ac perverſi, perinde tamen quod illi reddimus teſtimonium æſtimat Chriſtus acſi eſſet Dei & Angelorum conſeſſus. Ideo apud Marcum & Lucam amplificandi cauſa dicitur, *in hac gente adultera:* ne ſcilicet putemus nos operam perdere quia minus idnnei ſunt auditores. Porro ſiquem non ſatis afficiat promiſſin, horribilis comminatio ſequitur, Chriſtum, ubi ad judicium mundi apparuerit, abnegaturum eſſe omnes qui eum perfide apud homines negaverint. Eant nunc, & ſibi in ſua diſſimulatinne placeant inimici crucis, qunm è libro vitæ Chriſtus ipſos deleat. Quos enim Deus ultimo die inter filios agnoſcet, niſi qui à Chriſto illi offerentur? Atqui ſe contrarium illis fore teſtem pronunciat, ne ſe falſo inſinuent. Quod *venturus* eſſe dicitur Chriſtus *in gloria Patris & Angelorum*, ſenſus eſt, Divinam ejus gloriam tunc clare manifeſtandam eſſe: & Angelos, ut nune ſolium Dei cingunt, præſto illi futuros ad ornandam ejus majeſtatem. Locus ex Lucæ cap. 21. Matthæi contextui reſpondet. Quod autem ex 9. cap. & Marco retulimus, videtur alio tempore eſſe dictum: ſed qnia ſimilis prorſus erat doctrina, conjungere placuit.

51. Luc. *Putatis quod venerim.*] Quod nuper à diſcipulis ſuis Chriſtus poſtulavit, nullo negotio pro ſe quiſque noſtrum præſtaret ſi totus mundus uno conſenſu ſubſcriberet in Euangelii doctrinam. Sed quia bona pars non modo adverſa eſt, ſed acriter etiam repugnat, non poſſumus ſine certamine ac multorum odio Chriſtum confiteri. Admonet igitur ſuos Chriſtus ut ſe ad prælium comparent, quia pro teſtimonio veritatis neceſſario bellandum ſit. Atque ita duplici offendiculo occurrit, quod alioqui non parum turbaſſet infirmas mentes. Quum Prophetæ ubique pacem tranquillumque ſtatum ſub Chriſti regno promittant, quid aliud ſperaſſent diſcipuli quam pacata ſtatim fore omnia, quocunque venirent? Jam quum Chriſtus dicatur pax noſtra, & Euangelium nos Deo reconciliet: conſequitur fraternam ſimul concordiam inter nos conſtitui. Ergo pugnas & contentiones in mundo accendi ubi Euan-

gelium

gellum prædicatur, non videtur congruere cum Prophetarum vaticiniis, ac multo minus cum officio Chriſti, ac Euangelii natura. Sed pax illa quam celebrant Prophetæ, quia cum fide conjuncta eſt, nonniſi inter puros Dei cultores & in piis conſcientiis viget: uſque ad incredulos vero non pervenit, quamvis illis offeratur; nihilo etiam magis cum Deo in gratiam redire ſuſtinent: quo fit ut pacis legatio majorem in illis tumultum excitet. Quia enim Satan qui regnum occupat in reprobis, inſanit ad nomen Chriſti; ſimulac rofertur Euangelii doctrina, illorum impietas quæ prius ſopita jacebat, acuitur. Sic Chriſtus, qui proprie pacis eſt auctor, propter hominum malitiam turbarum eſt occaſio. Hinc diſcamus quanta ſit corruptæ naturæ pravitas, quæ tam incomparabile donum non modo contaminat, ſed in peſſimam noxam convertit. Interea ſi exoriente Chriſti regno ſurgunt tumultus, ne turbemur quaſi re nova aut inſolita: quando ipſe Euangelium ſuum gladio comparat, & διαμερισμὸν eſſe dicit. Quidam hic deſcribi pœnam putant quæ Euangelii contemptoribus inflicta eſt, ut alii in alios hoſtiliter inſurgerent: ſed contextus demonſtrat Chriſtum hic hortari diſcipulos ad conſtantiam, ſi bona pars mundi ab ipſis diſſideat, ac ſua voce, quaſi tuba militari, innumeros hoſtes ad arma concitent.

91.

35. Matth. *Diſſidere faciam.*] Hinc clarius perſpitur quod paulo ante diximus, præter Euangelii naturam impiorum culpa hoc accidere, ut pugnæ & tumultus ſurgant. Nam quod de Joanne Baptiſta docet Malachias, omnibus Chriſti miniſtris convenit, in hunc ſcilicet finem mitti ut corda patrum convertant ad filios, & corda filiorum ad patres. *Mal. 4:6.* Atqui impiorum malitia facit ut qui prius conjuncti erant, audita Chriſti voce ſeparentur in contrarias partes, imo ut omnia neceſſitudinis vincula abrumpant. Denique eo confuſionis venturum eſſe mundum prædicit Chriſtus, ut omnia naturæ jura pro nihilo ducantur, nullaque amplius colatur humanitas. Nam quum Michæas conqueritur hoſtes cuique eſſe domeſticos, extremam & perditam corruptionem deplorat. *Mich. 7. verſ. 6.* Idem futurum affirmat Chriſtus ubi in medium prodierit ſua doctrina: quod alias credibile non erat. Neque tamen hoc eſſe perpetuum intelligit: ſicuti moroſi quidam homines non aliter ſe probos ejus diſcipulos fore ſomniant niſi à parentibus, liberis & uxoribus alienentur. quin potius omnis legitima conjunctio in fidei unitate ſancitur. Tantum admonet Chriſtus, quoties id accidet, non oportere ſuos turbari.

MATTH. X.

37. Qui amaverit patrem aut matrem ſupra me, non eſt me dignus: & qui amaverit filium aut filiam ſupra me, non eſt me dignus.

38. Et qui non accipit crucem ſuam, ac ſequitur me, non eſt me dignus.

39. Qui invenerit animam ſuam, perdet eam: qui perdiderit animam ſuam mea cauſa, inveniet eam.

40. Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me miſit.

41. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet.

42. Et quicunque ad bibendum dederit uni ex puſillis his poculum aquæ frigidæ tantum, nomine diſcipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.

MARC. IX.

41. Quiſquis enim ad bibendum dederit vobis calicem aquæ nomine meo, quod ſitis Chriſti: amen dico vobis, nequaquam perdet mercedem ſuam.

LUC. XIV.

25. Ibant autem turbæ multæ cum eo: & converſus dixit ad illos,

26. Si quis venit ad me, nec odit patrem ſuum ac matrem, & uxorem & filios, & fratres & ſorores, præterea autem & animam ſuam, non poteſt meus diſcipulus.

27. Et quiſquis non bajulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus.

28. Quis enim eſt ex vobis qui velit turrim ædificare, quin prius ſedens computet ſumptus, an habeat quibus opus eſt ad perficiendum?

29. Ne poſtquam poſuerit fundamentum, nec potuerit perficere, omnes qui viderint incipiant illudere ei,

30. Dicentes, Hic homo cœpit ædificare, nec potuit conſummare.

31. Aut quis Rex proficiſcens ut committat prælium adverſus alterum Regem, nonne ſedens prius cogitat an poſſit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit contra ſe?

32. Alioqui adhuc illo procul agente, legatione miſſa petit ea quæ ſunt pacis.

33. Sic ergo omnis ex vobis qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.

37. *Qui amaverit.*] Quia hoc valde aſperum eſt hoſtes ſibi facere qui conjunctiſſimi eſſe debuerant, & cum ſenſu naturæ pugnat: ideo nunc dicit Chriſtus non poſſe nos alia lege ſuos eſſe diſcipulos. Non jubet quidem exuere humanos affectus, non vetat quin debitam quiſque benevolentiam ſuis præſtet: ſed tantum in ordinem cogi vult quicquid eſt mutuæ dilectionis inter homines ut ſuperemineat pietas. Diligat ergo maritus uxorem, pater filium, & viciſſim patrem filius, modo ne obſervantiam quæ Chriſto debetur, humanus amor obruat. Nam ſi inter homines ipſos (ut arctiore vinculo cuique ſumus devincti) alii alios ſuperant, indignum eſt non omnibus unum Chriſtum præferri. Et certe non ſatis grato animo reputamus quid ſit eſſe Chriſti diſcipulum niſi hujus dignitatis pretium ad ſubigendos omnes carnis affectus valeat. Durior eſt loquutio apud Lucam, *Quiſquis non oderit patrem ſuum:* idem tamen ſenſus, Si nos à Chriſto ſequendo impediat noſtrorum amor, fortiter reſiſtendum eſſe: quemadmodum

Phil. 3: 8. dum Paulus dicit, Damnoſa ſe duxiſſe propter Chriſtum quæ prius in lucris ponebat, omniumque jacturam libenter feciſſe.

38. *Qui non accipit crucem.*] A ſpecie ad genus progreditur, ut ſciamus non aliter nos poſſe in ejus diſcipulis cenſeri niſi ad multas ærumnas ferendas compoſiti ſimus. Si nos torquet ac excruciat quod Evangelii cauſa nobis eſt cum patre, vel uxore, vel liberis diſſidium, veniat nobis in mentem iſta conditio, Chriſtum omnes ſuos diſcipulos cruci addicere. Interea ſubeat etiam mentem hæc conſolatio, nos in ferenda cruce, Chriſti eſſe ſocios. ita fiet ut facile miteſcat omnis acerbitas. Cruci ſuæ non minus affixi ſunt reprobi, nec eam quantumvis luctentur, excutere queunt: ſed quia extra Chriſtum crux maledicta eſt, manet eos infelix exitus. Quare hæc duo ſimul connectere diſcamus: fidelibus tollendam eſſe crucem ut ſequantur Magiſtrum: hoc eſt, ſe ad ejus exemplum conforment, & tanquam fidi comites adhæreant ejus veſtigiis.

39. *Qui invenerit.*] Ne ſuperior doctrina (ut admodum difficilis & carni moleſta eſt) parum ſit per ſe efficax, duobus modis eam confirmat Chriſtus in hac ſententia: pronunciat enim, nimis cautos & providos, ubi ſibi viſi fuerint vitam ſuam optime ſervaſſe, fruſtratum iri, ac eam perdituros: rurſus, qui vitam neglexerint, nihil jacturæ facturos, quia eam recuperabunt. Scimus vitæ cauſa omnia fieri & omitti: tantus nobis ingenitus eſt ejus amor. Quare neceſſe fuit Chriſto, ut ſuos animaret ad mortis contemptum, ita promittere & minari. Invenire vitam hoc loco ſignificat eam poſſidere quaſi ſub tuta cuſtodia. Nam qui terrenæ vitæ nimis cupidi ſunt, dum ſibi cavent ab omnibus periculis, inani fiducia ſibi placent, quaſi bene ſibi proſpexerint: atqui anima illorum tam firmis præſidiis munita effluet, quia tandem moriendum erit: mors autem illis erit exitio. Contra ubi ſe fideles ad mortem offerunt, eorum anima quæ videtur ad momentum evaneſcere, in meliorem vitam reſtituitur. Porro quia reperiuntur interdum qui temere vel ambitionis cauſa vel furoris vitam ſuam profundant, diſerte cauſam exprimit Chriſtus cur mors nobis oppetenda ſit. Dubium eſt an alio tempore habita fuerit concio quam narrat Lucas: illic quoque Dominus hortatur ſuos ad crucis tolerantiam, ſed non tam prolixo ſermone. Deinde hujus ſententiæ confirmandæ cauſa duas ſimilitudines mox ſubjicit, quarum apud Matthæum nulla fit mentio. ſed propter conſenſum in rei ſumma, mihi nulla religio fuit quæ apud Lucam habentur huc transferre.

28. Luc. *Quis enim eſt ex vobis.*] Ne cui moleſtum ſit hac lege Chriſtum ſequi ut deſideriis ſuis omnibus renunciet, proponitur utilis admonitio, meditandum eſſe ante tempus quid requirat Evangelii profeſſio. Nam inde fit ut multi leviſſimis quibuſque tentationibus ſuccumbant, quod meras ſibi delicias finxerunt, quaſi in umbra ſemper & otio futuri. Nunquam ergo idoneus erit Chriſti ſervus niſi qui longo prius tempore ad militiam ſe paraverit. Jam huc optime conveniunt ſimilitudines. Res plena eſt moleſtiæ ac tædii, ædificare, atque etiam ob ſumptus parum grata: bellum etiam (quia tot ſecum trahit incommoda, imo fere humano generi ruinam minatur) nemo niſi invitus ſuſcipit: & tamen ipſa habitandi utilitas homines allicit ut ſuam ſubſtantiam profundere non dubitent: cogit etiam neceſſitas ut nullas in bellis gerendis expenſas refugiant. Atqui templi Dei architectos, & Chriſti militiæ nomen dantes longe excellentius manet præmium. neque enim vel pro caduco ædificio laborant Chriſtiani, vel pro evanido triumpho pugnant. Cæterum quod dicit Chriſtus, Siquis Rex impar ſit ad ſuſtinendam belli molem, ne cum ignominia vincatur, pacem cum hoſte quærere: ad præſentem cauſam aptari non debet, quaſi ulla nobis ſit reconciliatio cum hoſte ſpirituali, ſi nos opes ac nervi deficiant. nam ineptum foret ſingulas particulas in parabolis exigere ad rem de qua agitur. Verum ſimpliciter intelligit Dominus, debere nos ita eſſe inſtructos, ne deprehenſi abſque juſto præſidio, terga turpiter vertamus. nam neque unuſquiſque noſtrum Rex eſt qui ſuis auſpiciis bellum gerat. Sicuti autem hac doctrina coarguitur eorum temeritas qui ſtolide ultra menſuram ſuam proſiliunt, vel ſibi delicias faciunt, de cruce ferenda non cogitantes: ita cavendum eſt ne hæc meditatio ad quam nos hortatur Chriſtus, nos deterreat, vel alacritatem noſtram retardet. Multi, quia non ſtatim ab ipſis carceribus patientiæ legem ſibi indixerant, propter mollitiem retrocedunt à ſtudii curſu: non enim alio pacto ſuſtinent eſſe Chriſtiani quam ſi à cruce immunes ſint. Alii, dum illis proponitur aſpera & carni inſuavis conditio, ad Chriſtum accedere non audent. Atqui non eſt cur nobis animos minuat inopiæ noſtræ cognitio, cui Dominus tempeſtive ſuccurrit. Fateor certe, ſi ſumptus expendimus, ita nos omnes deſtitui ut ne lapidem quidem unum ponere, vel hoſti gladium opponere liceat. Sed quum materiam, ſumptus, arma & vires ſuppeditet Dominus è cælo: nullum ex difficultate prætextum habebit ignavia noſtra vel tarditas. Conſilium ergo Chriſti eſt, de ferenda cruce ſuos monere, ut ſe fortitudine accingant.

33. *Sic ergo omnis ex vobis qui non renunciat.*] Oſtendit hæc clauſula quid ſibi velit ſumptuum ſupputatio, à qua ſuos ordiri jubet Chriſtus: nempe ut hæc illis meditata ſit ratio, omnibus renunciandum eſſe. Fruſtra enim ſe ingerunt ad Chriſtianiſmum profitendum quos ſuavis, otioſa & crucis expers conditio delectat. Porro omnibus renunciare intellige quicunque ita Chriſtum præferunt tam propriæ vitæ quam omnibus carnis votis, ut nihil à recto curſu eos impediat. Præpoſtere enim faciet ſiquis literam præciſe urgeat: quaſi nemo ſit Chriſti diſcipulus niſi qui in mare projecerit quicquid poſſidet, adeoque divortium fecerit cum uxore, & liberis valedixerit. Talibus figmentis ad Monachatum inducti ſunt ſtulti homines, ut ad Chriſtum accedere volentes, ab humanitate deficerent. Atqui nemo verius renunciat omnibus quæ poſſidet, quam qui omnia ſingulis momentis relinquere paratus, totum ſe quaſi liber & ſolutus Domino impendit, & omnibus obſtaculis ſuperior, vocationem ſuam proſequitur. Ita vera abnegatio quam à ſuis requirit Dominus, non tam in actu, ut loquuntur, quam in affectione ſita eſt, ut quiſque in diem vivens, non retineat corde quod manu gubernat.

40. Matth. *Qui recipit vos.*] Altera conſolatio, quod tametſi bona pars mundi infenſa ſit Chriſti diſcipulis, adeoque fidei ſuæ confeſſione omnium in ſe odia provocent: Dominus tamen, ut quam plurimos ad benevolentiam illis præſtandam invitet, in ſuas tabulas acceptum ferre non gravatur quicquid illis datum fuerit. Nam inde apparet quam charos habeat dum ſibi imputari patitur quæcunque illis præſtita fuerint officia. Porro non tam de receptione doctrinæ quam hominum loquitur. Fateor quidem hoc poſterius ab illa pendere: ſed conſilium Chriſti ſpectandum eſt. nam quod ſublevandæ eorum infirmitati maxime aptum eſſe videbat, teſtari voluit, ſiquis eos humaniter acciperet ac benigne juvaret, perinde ſibi gratum fore officium acſi liberaliter tractatus eſſet in eorum perſona: neque id modo, ſed Deo quoque Patri boni odoris offerri ſacrificium.

41. *Qui recipit Prophetam.*] Incipit quidem à Prophetis, ſed tandem ad infimum gradum deſcendens, ſuos omnes diſcipulos complectitur. Ergo ſine exceptione veros Dei cultores & Evangelii ſtudioſos commendat. Recipere autem in nomine Pro-

phetæ

phetæ & juſti, tantundem valet atque illis benefacere in doctrinæ honorem & pietatis reſpectu. Tametſi enim totum genus humanum charitatis officiis proſequi nos Deus jubet: merito tamen ſuos in ſuperiorem gradum attollit, ut peculiaris habeatur eorum cura & ratio. *Mercedem Prophetæ.* Hanc particulam varie exponunt interpretes. Quibuſdam videtur notari mutua compenſatio, quod ſcilicet pro terrenis bonis ſpiritualia referant Dei Prophetæ: verum ſi hæc expoſitio recipitur, quænam erit merces juſti? Alii ejuſdem mercedis quæ Prophetis & juſtis repoſita eſt, conſortes fore intelligunt, qui erga illos benefici fuerint. Nonnulli ad ſanctorum communicationem referunt, quod ſicuti beneficentia noſtra teſtamur nos unum eſſe cum Chriſti ſervis corpus, ita hoc modo efficimur omnium bonorum participes quæ Chriſtus inter membra corporis ſui communicat. Ego ſimplicius, mercedem quæ dignitati perſonæ reſpondeat cui impenſum erit officium: ſignificat enim Chriſtus hoc inſigne fore documentum quanti Prophetas ſuos & deinde quoslibet diſcipulos æſtimet: quia ampla mercede conſtabit nullum excidiſſe officium quod illis præſtitum fuerit. Ad amplificationem valet quod viliſſimis etiam officiis, quale eſt poculum aquæ frigidæ dare, mercedem promittit. Puſillos vocat non tantum qui poſtremi ſunt in Eccleſia & contemptiſſimi, ſed ſuos omnes diſcipulos qui mundi faſtu calcantur.

Matth.	Marc. VI	Luc. IX
	12. Et egreſſi prædicabant ut reſipiſcerent. 13. Et dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægrotos, & ſanabant.	6. Egreſſi autem circumibant per caſtella, euangelizantes & curantes ubique.

12. *Et egreſſi prædicabant.*] Matthæus ſilentio tranſit quid egerint Apoſtoli: Marcus & Lucas referunt injunctam ſibi provinciam obiiſſe: ex quorum verbis clarius patet quod dixi, temporale hoc & quidem paucorum dierum fuiſſe munus quod tunc illis Chriſtus injunxit. dicunt enim profectos eſſe per urbes & caſtella: nec dubium eſt quin paulo poſt reverſi ſint ad Magiſtrum, ut alibi dicetur. Hoc ſolum expoſitione indiget quod Marcus recitat, Unxiſſe oleo multos infirmos. Quæritur enim quum ſanandi facultas illis data eſſet à Chriſto, quorſum oleum adhibuerint. Docti quidam homines medicamenti ſpeciem fuiſſe putant: & fateor in illis regionibus frequentem olei fuiſſe uſum. ſed nihil minus conſentaneum eſt quam Apoſtolos ordinariis & naturalibus remediis uſos eſſe, quæ Chriſti miraculis nebulas offunderent. neque enim arte & peritia medendi inſtructi fuerunt à Domino, ſed potius juſſi ſunt miracula edere quæ totam Judæam excitarent. Conſtituo igitur fuiſſe hoc viſibile ſymbolum ſpiritualis gratiæ, quo teſtati ſunt provenire ex arcana Dei virtute ſanitatem, cujus miniſtri erant. nam oleo Spiritus gratiam figurari, ſub Lege uſitatum fuit. Quam vero præpoſtere Apoſtolos imitati ſint qui perpetuum ritum ungendi ægrotos in Eccleſia ſtatuerunt, inde patet, quod ſanationis donum Chriſtus Apoſtolis contulit, non ut hæreditario illud ad poſteros tranſmitterent, ſed ut ad tempus ſigillum eſſet Euangelii doctrinæ. Et hodie nimis ridicula eſt Papiſtarum inſcitia, qui putidam unctionem, qua ſemimortuos ad ſepulchrum deducunt, pro ſacramento venditant.

Matth. XI	Marc.	Luc. VII
1. Et factum eſt, quum finem feciſſet Jeſus præcipiendi duodecim diſcipulis ſuis, progreſſus eſt illinc ut doceret & prædicaret in civitatibus illorum. 2. Joannes autem quum audiſſet in carcere facta Chriſti, miſſis duobus diſcipulis ſuis, 3. Dixit illi, Tu es ille venturus, an alium expectamus? 4. Et reſpondens Jeſus dixit illis, Euntes renunciate Joanni quæ auditis & videtis: 5. Cæci viſum recipiunt, & claudi ambulant, leproſi mundantur, & ſurdi audiunt, mortui excitantur, & pauperes accipiunt Euangelii nuncium. 6. Et beatus eſt qui non fuerit offenſus in me.		18. Et nunciaverunt Joanni diſcipuli ipſius de iis omnibus. Et convocavit duos de diſcipulis ſuis Joannes, 19. Miſitque ad Jeſum, dicens, Tu es ille venturus, an alium expectamus? *Paulo poſt.* 21. In eadem autem hora multos ſanavit à morbis & plagis, & ſpiritibus malis: & cæcis multis donavit viſum. 22. Et reſpondens dixit illis, Euntes renunciate Joanni quæ audiſtis & vidiſtis: quod cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperibus annunciatur Euangelium. 23. Et beatus eſt quicunque non fuerit offenſus in me.

1. *Et factum eſt.*] Hoc loco nihil aliud ſignificat Matthæus quam Chriſtum minime deſtitiſſe ab officii ſui curſu dum alibi Apoſtoli laborabant. Simul ergo atque illos dimiſit cum mandatis ad luſtrandam Judæam, ipſe in Galilæa functus eſt docendi partibus. *Præcipiendi verbum.* Subeſt autem pondus in verbo Præcipiendi: quia Matthæus ſignificat non fuiſſe liberam illis legationem permiſſam, ſed præſcriptum & dictatum quid in medium proferre & qualiter ſe gerere deberent.

2. *Joannes autem quum audiſſet in carcere.*] Non intelligunt Euangeliſtæ Joannem commotum fuiſſe miraculis, ut tunc demum Mediatorem agnoſceret: ſed quia videbat Chriſtum inclaruiſſe, opportunum & maturum veniſſe tempus ſtatuens quo ſuum de illo teſtimonium comprobaretur, diſcipulos ſuos ad eum miſit. Quod putant quidam ſua etiam cauſa miſiſſe, valde abſurdum eſt: quaſi non ſolide perſuaſus eſſet & clare didiciſſet ipſum eſſe Chriſtum. Frivola eſt etiam eorum ſpeculatio qui fingunt Baptiſtam, quum propinquus eſſet morti, ſciſcitatum eſſe à Chriſto quod tanquam ex ore ejus perferret ad Patres mortuos. Atqui palam eſt, ſanctum Chriſti præconem, quia videbat ſe non procul à ſtadii ſui meta diſtare, diſcipulos autem ſuos, licet multum laboris in illis docendis ſumpſiſſet, adhuc tamen manere

ſuſpenſos, hoc extremum remedium quæſiſſe ſanandæ eorum infirmitati. Fideliter (ut dixi) in hoc incubuerat ut diſcipuli Chriſtum ſine mora amplecterentur. Quum aſſidue inſtando tam parum profecerit, non abs re timet ne poſt mortem ſuam penitus diffluant: voluit ergo eorum tarditatem ſerio expergefacere ubi ad Chriſtum dimiſit. Iterum hoc loco officii ſui monentur Eccleſiæ paſtores, ne diſcipulos ſibi addictos & quaſi devinctos tenere ſtudeant, ſed ad Chriſtum dirigere, qui unicus eſt Magiſter. Initio profeſſus erat Joannes ſe non eſſe ſponſum. Ergo, quod fidelis paranymphi eſt, caſtam & integram ſponſam offert ipſi Chriſto, qui unicus eſt Eccleſiæ ſponſus. Idem ſibi fuiſſe ſtudium Paulus affirmat: & utriuſque exemplum ad imitationem proponitur omnibus Euangelii miniſtris.

2 Cor. 11. verſ. 2.

3. *Tu es ille venturus.*] Pro confeſſo ſumit Joannes quod à pueris tenebant diſcipuli. Commune enim erat Judæis omnibus rudimentum pietatis, eſſe venturum Chriſtum ſalutis & perfectæ beatitudinis auctorem. Quare de hoc capite quæſtionem non movet: ſed tantum quærit an Jeſus ſit Redemptor ille promiſſus. Oportuit enim, poſtquam perſuaſi erant de redemptione in Lege & Prophetis promiſſa, illam in Chriſti perſona exhibitam amplecti. Quum addit, *an alium expectamus?* hac particula oblique perſtringit eorum ſocordiam qui pridem certo edocti, tamdiu ambiguis animis fluctuarent. Simul etiam oſtendit quæ ſit natura & vis fidei, nempe ut fundata in Dei veritate, non circumſpiciat huc vel illuc, nec variet: ut ſolo Chriſto contenta, non alio flectatur. *Ite, renunciate.* Sicuti Joannes alienam in ſe perſonam tranſtulerat: ſic ei renunciari jubet Chriſtus quod magis obſervandum erat ejus diſcipulis. Quod ſimpliciter non reſpondet, primum eo conſilio facit quia ſatius erat rem ipſam loqui: deinde ut præconi ſuo liberius docendi argumentum tradat. Neque tamen illi tantum ſuppeditat nudam & rudem materiam miraculis, ſed miracula aptat in ſuum finem ex Prophetarum oraculis. Præſertim vero locum unum ex 35. capite Jeſaiæ, & alterum ex 61. notat: ut agnoſcant diſcipuli Joannis, quod Propheta de regno Chriſti teſtatus eſt, completum eſſe & præſtitum. Priore loco continetur deſcriptio regni Chriſti, ſub quo Deus ita ſe liberalem & beneficum fore promittit, ut opem remediumque morbis omnibus offerat. Nec dubium eſt quin de ſpirituali à malis omnibus & miſeriis liberatione agat. Verum Chriſtus externis ſymbolis (ſicuti prius dictum eſt) ſe ad ſanandas animas ſpiritualem veniſſe medicum oſtendit. Ita factum eſt ut diſcipuli minime perplexi diſcederent, qui clarum & nullis ambagibus implicitum habebant reſponſum. Poſterior locus in hoc priori ſimilis, quod in Chriſto theſauros gratiæ Dei mundo expoſitos fore docens, peculiariter exprimit Chriſtum deſtinari pauperibus & afflictis. Et conſulto vaticinium hoc adducit Chriſtus: partim ut ſuos omnes humilitatis tirocinio imbuat: partim ut offenſionem tollat quam poſſet concipere carnis ſenſus ex contemptibili ejus grege. Nam ut ſuperbi natura ſumus, nihil fere nobis in pretio eſt niſi multo ſplendore ornatum ſit. Atqui Eccleſia Chriſti quum ex pauperculis hominibus collecta ſit, nihil eſt à ſplendido & magnifico decore magis remotum. Hinc multis obrepit Euangelii contemptus, quia à ſummis quibuſque & magna dignitate præditis non recipitur. Porro quam perverſa ſit & iniqua hæc æſtimatio, ex ipſius Euangelii natura Chriſtus admonet, quando non niſi pauperibus & abjectis deſtinatum eſt. Unde ſequitur, nihil novum accidere, vel quod nos turbare debeat, ſi à magnis omnibus ſpernitur, qui ſuis divitiis inflati, nullum Dei gratiæ locum vacuum relinquunt: imo ſi reſpuitur à majori hominum parte, non eſt quod miremur, quando vix centeſimus quiſque eſt qui non prava confidentia turgeat. Sicuti autem Chriſtus hic Euangelium ſuum vindicat à contemptu; ita rurſus admonet quinam ſint idonei ad percipiendam, quæ illic offertur, ſalutis gratiam: atque hoc modo miſeros peccatores blande ad ſpem ſalutis invitans, in certam fiduciam erigit. Pauperes enim vocari certum eſt quorum miſera eſt viliſque conditio, & qui pro nihilo ducuntur. Ergo ut quiſque abjectiſſimus erit, tantum abeſt quin deſperationis cauſa ſit ſua paupertas, ut inde potius debeat animum colligere ad Chriſtum quærendum. Sed meminerimus non alios cenſeri pauperes niſi qui ſibi ipſi tales ſunt: hoc eſt, qui ſuæ inopiæ ſenſu oppreſſi jacent.

6. *Et beatus.*] Hac clauſula monere voluit Chriſtus, ut quis in Euangelii fide conſtans & firmus maneat, ſcandalis reſiſtendum eſſe quæ ad impediendum fidei curſum occurrent. Eſt autem occupatio, qua nos adverſus ſcandala præmunit; quia nunquam occaſiones nobis deſunt ejus repudiandi, donec animos noſtros ſupra omnia offendicula extulerimus. Hoc igitur primo tenendum eſt, militandum nobis eſſe cum ſcandalis ut perſtemus in fide Chriſti. Neque enim falſo vocatur Chriſtus ipſe Petra ſcandali, & Lapis offenſionis ad quem multi impingunt. Id quidem vitio noſtro fieri certum eſt: ſed huic etiam vitio medetur quum beatos pronunciat qui in ſe non fuerint offenſi. unde etiam colligimus nullam eſſe incredulis excuſationem, quamvis innumera ſcandala obtendant. Quid enim illis obſtat quominus accedant ad Chriſtum? vel quid eos impellit ut à Chriſto deficiant? nempe quia contemptus, & deformis, probriſque mundi expoſitus cum ſua cruce apparet: quia nos in ſuarum afflictionum ſocietatem vocat: quia deinde gloria ejus & majeſtas, ut ſpiritualis eſt, à mundo negligitur: deinde quia ejus doctrina prorſus à ſenſu noſtro abhorret: adhæc quia artificio Satanæ multæ turbæ oriuntur, quæ & Chriſti nomen & Euangelium infament, exoſumque reddant: poſtremo quia ſibi quiſque, velut data opera, ſcandalorum congeriem fabricat, quoniam maligne non minus quam cupide à Chriſto ſe omnes ſubducunt.

MATTH. XI.

7. Euntibus autem illis, cœpit Jeſus turbis dicere de Joanne, Quid viſuri exiſtis in deſertum? num arundinem quæ agitatur à vento?

8. Age, quid viſuri exiſtis? num hominem mollibus veſtibus amictum? ecce, qui mollia geſtant, in domibus Regum ſunt.

9. Atqui quid exiſtis videre? num Prophetam? certe, dico vobis, etiam excellentiorem Propheta.

10. Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt, Ecce

MARC.

LUC. VII.

24. Et quum diſceſſiſſent nuncii Joannis, cœpit dicere ad turbas de Joanne, Quid viſuri exiſtis in deſertum? arundinem quæ vento agitatur?

25. Sed quid exiſtis viſuri? hominem mollibus veſtimentis indutum? ecce, qui in veſtitu ſplendido & deliciis agunt, in aulis Regum ſunt.

26. Sed quid viſuri exiſtis? Prophetam?

ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

11. Amen dico vobis, non exortus fuit inter natos ex mulieribus major Joanne Baptiſta. attamen qui minor eſt in regno cælorum, major eſt illo.

12. Porro à diebus Joannis Baptiſtæ, uſque ad hunc diem, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

13. Nam omnes Prophetæ & ipſa Lex uſque ad Joannem prophetaverunt.

14. Et ſi vultis recipere, ipſe eſt Elias qui venturus erat.

15. Qui habet aures ad audiendum, audiat.

phetam? utique dico vobis & pluſquam Prophetam.

27. Hic eſt de quo ſcriptum eſt, Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

28. Dico enim vobis, major inter natos ex mulieribus Propheta Joanne Baptiſta nullus eſt: attamen qui minimus eſt in regno Dei, major eſt illo.

Luc. XVI.

16. Lex & Prophetæ uſque ad Joannem: ab eo tempore regnum Dei annunciatur, & omnes in illud vim faciunt.

7. *Euntibus autem illis.*] Commendat Chriſtus Joannem populo, ut memoria repetant quod audierant ex ipſo, ejuſque teſtimonio habeant fidem. celebre enim erat vulgo ejus nomen, & honorifice de eo loquebantur; doctrina autem minore in pretio erat, imo pauci erant qui attenderent ad ejus miniſterium. Admonet autem Chriſtus eos operam luſiſſe qui ejus videndi cauſa in deſertum profecti erant, niſi reverenter mentes & ſtudia ſua applicent ad ejus doctrinam. Itaque ſenſus verborum eſt, Vos exiſtis in deſertum. Stulta omnino & ridicula fuiſſet levitas niſi certum finem haberet veſtra profectio. Atqui neque mundi pompam, neque aliquid ludicrum quæſiſtis, ſed vobis propoſitum fuit audire vocem Dei ex ore Prophetæ. Nunc ergo ut fructum referatis conſilii veſtri, memoriæ veſtræ infixum maneat quod loquutus eſt ille.

8. *Qui mollia geſtant.*] Falluntur qui putant hoc Chriſti dicto aulicas lautitias damnari: alii ſunt loci complures ubi luxuria in veſtitu, & immodicus nitor reprehenditur. Sed hujus loci ſenſus eſt ſimplicior, nihil fuiſſe tale in deſerto quod populum undique alliceret. illic enim inculta omnia & ſqualida fuiſſe quæ nihil quam tædium afferrent: elegantem cultum qui oculos delectet, potius in Regum aulis ſpectari.

11. *Amen dico vobis.*] His verbis non modo ſancitur Joannis auctoritas, ſed ſupra veteres prophetias evehitur ejus doctrina, ut populus ad rectum miniſterii ejus ſcopum collimet. nam quia non reputabant quorſum eſſet miſſus, hinc factum eſt ut nihil fere proficerent ex ejus ſermone. Ideo Chriſtus ſupra ordinem Prophetarum ipſum extollit & locat, ut peculiare aliquod & excellentius illi datum fuiſſe mandatum diſcant. Quod autem ipſe alibi negat ſe

Conciliat.

eſſe Prophetam, contrarium non eſt huic Chriſti elogio. Propheta quidem non fuit aliorum more, quos & Legis interpretes, & ſuæ voluntatis internuncios olim Deus Eccleſiæ ſuæ præfecerat: excellentior tamen erat Prophetis, quod non eminus & obſcure ſub umbris, ut illi, ſed prope & palam adeſſe jam redemptionis tempus nunciabat. quo etiam pertinet vaticinium Malachiæ quod mox ſubjicitur: nempe in eo excellere Joannem, quod præco ſit & apparitor Chriſti. Etſi enim de ejus regno loquuti erant Prophetæ veteres, non tamen inſtar Joannis poſiti erant coram ejus facie ut præſentem oſtenderent. Reliqua petant lectores ex 1. Lucæ cap. *Non exortus fuit.* Ultra progreditur Dominus, tanto excellentiores fore Euangelii miniſtros, quanto ſuperior fuerat Joannes Prophetis. Nimis inſcite hallucinati ſunt quibus viſus eſt Chriſtus ſeipſum conferre cum Joanne. neque enim hic agitur de perſonæ dignitate, ſed officii præſtantia laudatur: quod clarius ex verbis Lucæ patet, ubi habetur, *Nullus ſurrexit Propheta major.* Nam magnitudo ad docendi munus diſerte refertur. In ſumma tam præclaro elogio ornatur Joannes ut attentius obſervent Judæi quam attulerat legationem. Deinde illi præferuntur qui paulo poſt ſequuturi erant doctores, ut Euangelii majeſtas ſupra Legem & illud medium præconium emineat. Sicuti autem præparare Judæos voluit Chriſtus ad recipiendum Euangelium, ita hodie ea pergefieri nos decet ut Chriſtum è ſublimi cæleſtis ſuæ gloriæ ſolio nobis loquentem reverenter audiamus: ne contemptum noſtrum ulciſcatur horrendo illo anathemate quod incredulis denunciat per Malachiam eodem loco. Regnum cælorum & Dei, pro novo Eccleſiæ ſtatu capitur, ut aliis ſuperioribus locis: quod Chriſti adventu promiſſa eſſet rerum omnium inſtauratio. Ubi reddidi Minimum, Græce legitur Minor in comparativo gradu: ſed ſenſus hoc modo eſt dilucidior, dum conſtat omnes Euangelii miniſtros comprehendi. Porro quod plerique exiguo fidei modulo donati, longe infra Joannem ſubſidunt, hoc nihil obſtat quin excelſior ſit eorum prædicatio quatenus Chriſtum proponit, æterna expiatione per unicum ſacrificium peracta, mortis victorem & vitæ dominum, ſublatoque velo diſcipulos in cæleſte ſanctuarium attollit.

Regnum cælorum.

12. *A diebus Joannis.*] Non dubito quin Chriſtus Euangelii majeſtatem ex eo commendet quod ferventi multorum ſtudio expetebatur. nam ſicuti Joannem Deus excitaverat qui præco eſſet regni Filii ſui, ita efficaciam Spiritus indiderat ejus doctrinæ, ut in hominum corda penetraret, accenderetque ardorem illum. Apparet igitur à Deo profectam eſſe, quæ inſolito more tam ſubito emergit & ingentes motus concitat. Sed in ſecundo membro reſtrictio additur, *Quod violenti illud rapiant.* Nam quia major pars nihilo plus movebatur quam ſi nulla unquam vox de Chriſto emiſſa eſſet à Prophetis, vel nunquam prodiiſſet ejus teſtis Joannes: violentiam illam de qua loquutus fuerat, nonniſi in certo hominum genere extare Chriſtus admonet. Senſus eſt igitur, Fit jam magnus hominum concurſus, acſi violenter homines irruerent ad occupandum Dei regnum. nam erecti unius hominis voce turmatim confluunt: nec ſolum cupide, ſed rapido impetu excipiunt oblatam gratiam. Quanquam autem permulti torpent, nec magis tanguntur quam ſi Joannes fabulam ageret in deſerto nihil ad eos ſpectantem: multi tamen violento fervore accurrunt. Ad hunc vero ſcopum tendit Chriſti ſententia, Inexcuſabiles eſſe qui manifeſtam Dei virtutem, quæ tam in doctore quam in auditoribus refulget, contemptim, velut clauſis oculis prætereunt. Interea diſcimus ex his verbis quænam ſit vera fidei natura & ratio: nempe ut homines non frigide & defunctorie loquenti Deo annuant, ſed ardenti affectu ad ipſum aſpirent, & quaſi impetuoſo conatu perrumpant.

16. Luc. *Lex & Prophetæ.*] Quia Dominus in

ſtudio populi præludium extare dixerat eorum quæ Prophetæ de futura Eccleſiæ renovatione prædixerant, jam Joannis miniſterium cum Lege & Prophetis comparat: acſi diceret, mirum non eſſe ſi Deus nunc tam potenter operetur in hominum animis: quia non procul ut antea, ſub obſcuris umbris ſe inſinuet, ſed palam & cominus ad ſtatuendum regnum ſuum adſit. Hinc ſequitur, minus excuſationis habere qui Joannis doctrinam contumaciter reſpuunt, quam Legis & Prophetarum contemptores. In Prophetandi verbo ſubeſt emphaſis, quod Lex & Prophetæ non ſiſterent Deum ante oculos, ſed tanquam abſentem figuris adumbrarent. Nunc videmus quorſum tendat comparatio: nempe minime æquum eſſe ut nunc frigeant homines ex quo ſe illis præſentem Deus exhibuit, qui veterem populum vaticiniis ſuſpenſum tenebat. Quod autem Chriſtus Joannem nunc annumerat Euangelii miniſtris, quem prius medium inter illos & Prophetas locavit, in eo nihil eſt abſurdi: quia ejus prædicatio, licet pars Euangelii fuerit, tamen nonniſi quoddam fuit ejus rudimentum.

Prophetandi verbum.

14. Matth. *Et ſi vultis recipere.*] Jam certius exponit quomodo euangelizare Joannes cœperit regnum Dei: quia ſcilicet ſit ille Elias qui mittendus erat ante faciem Dei. Vult igitur Chriſtus illuſtrem illum & terribilem Dei adventum qui à Malachia celebratus eſt, nunc agnoſci à Judæis, quando Elias qui illic promiſſus eſt, quaſi apparitoris officio fungatur. Porro hac exceptione, *Si vultis recipere*, eorum duritiem perſtringit, quod maligne cæcutirent in luce conſpicua. Sed an Elias eſſe deſinet ſi receptus non fuerit? Non intelligit Chriſtus ab eorum ſuffragiis pendere Joannis munus: ſed poſtquam teſtatus eſt eſſe Eliam, ſocordiæ & ingratitudinis ipſos coarguit, niſi auctoritatem quam meretur obtineat.

15. *Qui habet aures.*] Scimus Chriſtum hanc ſententiam interponere ſolitum quoties de re ſeria tractat, & quæ non vulgarem attentionem meretur. Simul tamen admonet, myſteria de quibus diſſerit, ideo non ab omnibus capi, quod multi ex auditoribus ſurdi ſint, vel ſaltem obſtructas habeant aures. Jam vero quia non ſolum ſua quemque incredulitas impedit, ſed alii alios mutuo retardant: Chriſtus hic electos Dei hortatur, quibus perforatæ ſunt aures, ut attenti ſint ad conſiderandum hoc ſingulare Dei arcanum, nec obſurdeſcant cum incredulis.

MATTH. XI.

16. Sed cui aſſimilabo generationem hanc? Similis eſt pueris qui ſedent in foro, & acclamant ſodalibus ſuis,

17. Ac dicunt, Tibia cecinimus vobis, & non ſaltaſtis: lugubria cecinimus vobis, & non planxiſtis.

18. Venit enim Joannes nec edens nec bibens, & aiunt, Dæmonium habet.

19. Venit Filius hominis edens ac bibens, & dicunt, Ecce hominem comedonem & vini potorem, publicanis amicum ac peccatoribus. & juſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis.

MARC.

LUC. VII.

29. Et omnis populus audiens, & publicani juſtificaverunt Deum, baptizati baptiſmo Joannis.

30. Phariſæi autem & Legisperiti conſilium Dei ſpreverunt in ſeipſis, non baptizati ab eo.

31. Ait autem Dominus, Cui ergo aſſimilabo homines generationis hujus? & cui ſimiles ſunt?

32. Similes ſunt pueris ſedentibus in foro, & acclamantibus inter ſe, ac dicentibus, Tibia cecinimus vobis, & non ſaltaſtis: lugubria cecinimus vobis, & non ploraſtis.

33. Venit enim Joannes Baptiſta neque edens panem, neque bibens vinum, & dicitis, Dæmonium habet.

34. Venit Filius hominis edens ac bibens, & dicitis, Ecce homo edax, & vini potor, publicanis amicus & peccatoribus.

35. Et juſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis omnibus.

29. Luc. *Omnis populus audiens.*] Hæc pars omiſſa eſt à Matthæo, quæ tamen non parum lucis affert contextui: nam hinc Chriſto data eſt expoſtulandi occaſio, quum Scribas tam obſtinatos cerneret in Dei contemptu. Summa autem hujus loci eſt, vulgus hominum & publicanos dediſſe gloriam Deo: Scribas vero qui ſcientiæ fiducia ſibi placebant, quicquid à Chriſto dictum fuerat pro nihilo duxiſſe. Hoc quidem primo aſpectu Euangelii gloriam valde obſcurat, imo deformat, quod diſcipulos Chriſtus non niſi ex fæce populi & quiſquiliis ſibi colligere potuit: qui autem vel ſanctitate vel doctrina præſtabant, ipſum repudiarunt. Sed Dominus hoc initio ſpecimen edere voluit, ne vel illius ætatis homines, vel etiam poſteri Euangelium æſtimarent ab humana probatione: propenſi enim ad hoc vitium natura ſumus fere omnes. Atqui nihil magis præpoſterum eſt quam Dei veritatem ſubjici hominum judicio, quorum totum acumen & perſpicacia nihil quam mera eſt vanitas. Ergo, ut dicit Paulus, partem ſecundum mundum infirmam & ſtultam elegit Deus, ut quicquid forte & ſapiens videtur, à ſua altitudine dejiceret. Noſtrum vero eſt hanc Dei ſtultitiam, ut idem Paulus docet, cuncto humanæ ſapientiæ ſplendori præferre. *Juſtificaverunt Deum.* Notatu digna loquutio, quod Deo juſtitiam tribuere dicuntur qui Filium ejus honorifice amplexi, doctrinæ per hunc allatæ ſubſcribunt. Unde non mirum eſt ſi fidem ubique ſingularibus encomiis extollit Spiritus ſanctus: palmam illi defert in Dei cultu, ac gratiſſimum obſequium eſſe prædicat. Quod enim ſanctius officium excogitari poteſt quam Deo ſuam juſtitiam aſſerere? quanquam Juſtificandi verbum generaliter ad totam Dei laudem extenditur: acſi dictum foret, probatum fuiſſe Deum, ſuaque gloria ornatum à populo, qui in doctrina ab illo profecta acquievit. Sicuti autem fides Deum juſtificat, ita rurſum fieri nequit quin blaſphema ſit in eum incredulitas, & contumelioſe illum ſua laude ſpoliet. Cæterum eadem loquutio docet hoc modo vere demum ſubigi homines ad credendum, ubi carnis ſenſu faceſſere juſſo, ſtatuunt nihil niſi rectum ac purum ab ipſo prodire, nec ejus verbo vel operibus obſtrepere ſibi permittunt. *Baptizati.* Intelligit Lucas fructum baptiſmi quem acceperant, tunc extitiſſe: quia fuerit illis ad recipiendam Chriſti doctrinam nulla præparatio. hoc jam pietatis ſignum fuerat quod ſe baptizandos obtulerant. Nunc Dominus humile illud tirocinium ad altiores progreſſus deducit: ſicuti Scribæ Joannis baptiſmum ſpernendo, ſibi fidei januam ſua ſuperbia præcluſerant. Ergo ſi cupimus ad ſolidam perfectionem conſcendere, primo cavendum

1 Cor. 1. verſ. 27.

1 Cor. 8. verſ. 28.

vendum

vendum eſt ne vel mioimas Dei invitationes ſpernamus, ſed bumiliter parati ſimus incipere à minutis elemeotis. Secundo danda eſt opera ut fides oostra, ſi infirmum exordium babuerit, magis ac magis gradatim proficiat.

30. *Conſilium Dei ſpreverunt in ſeipſis.*] Conſilium Dei honoris cauſa impio Scribarum faſtui oppooitur. nam in Conſilii nomine ſubeſt dignitas quæ doctrinam Dei ab hominum contemptu vindicat. Cæterum ad verbum dicit Lucas, *ſpreviſſe in ſeipſos.* Nec vero quem alii ſenſum magis probant rejicio, quod io ſuum ipſorum exitium rebelles fuerint. ſed quia ſimplex eſt narratio Lucæ, & præpoſitio εἰς pro ἐν ſubinde capitur, reddere malui, In ſeipſis: acſi diceret, Quamvis palam & diſerte noo reclamarent, ut tamen occulto faſtu intus turgebant, apud ſeipſos ſpreviſſe.

31. *Cui ergo aſſimilabo.*] Non comprehendit omnes ætatis ſuæ homines: ſed de Scribis eorumque aſſeclis proprie loquitur. Exprobrat autem illis quod quum variis modis Dominus tentaverit eos ad ſe allicere, inflexibili contumacia ejus gratiam repulerint. Verum ſimilitudine utitur, quam ex vulgari puerorum ludicro ſumptam eſſe credibile eſt: neque enim vero abſimilis eſt iſta conjectura, quod pueri alteroos choros agentes ita cecinerint. Et quidem exiſtimo Chriſtum data opera, ut Scribarum ſupercilium dejiceret, à pueris mutuo ſumpſiſſe objurgationis materiam, ſignificans quantumvis emineant, ad eos tamen damnandos carmen quod in foro cantillant ludibundi pueri, ſufficere.

33. *Venit enim Joannes.*] Hic quum vita auſtera eſſet, tonaret pœnitentiam & ſeveras reprehenſiones, quaſi lugubrem cantum cecinit. Dominus autem ipſe oon ſecus ac læto & hilari cantu blandius eos ad Patrem illicere ſtuduit. Quod neutro modo quicquam profectum eſt, quid cauſæ fuit præter ferream ipſorum pervicaciam? Cæterum docet hic locus cur tantum externæ vitæ diſcrimeo fuerit inter Chriſtum & Baptiſtam, qui tamen idem agebant: oempe hac varietate voluit Domious, quaſi diverſas perſonas indueret, incredulos magis convincere, quod ſeſe ipſe inflectens & transformans ad eorum mores, non tamen eos flexerit. Quod ſi illius ſeculi bomioibus adimitur omnis excuſatio, qui duplicem Dei invitationem præfracta malitia repulerunt: nos quoque in eorum perſona rei peragimur, quando nullum meludiæ genus vel triſtis ac ſeveri carminis Deus omittit quo nos ad ſe trahat, nos vero ſaxei jacemus. Dæmoniacum Joanoem vocabant, ſicuti vulgo maleſanæ mentis homines, vel cerebro minus bene compoſiti, phantaſtici vocaotur.

34. *Venit Filius hominis.*] Edere & bibere hoc loco tantundem valet atque promiſcuo more vivere: ſicuti Joannem Chriſtus dicit non ediſſe nec bibiſſe, quia peculiaris illi erat victus ratio, ut qui etiam à cibis vulgaribus abſtineret: quod clarius exprimitur his Lucæ verbis, *Non edens panem, neque bibens vinum.* Hunc locum obſervent qui ſummam perfectionis ſtatuunt in externa vitæ auſteritate, & Angelicam vitam definiunt ſi quis ſit abſtemius, vel ſe inedia maceret. Nam ſecundum hanc regulam præſtantior eſſet Joannes Filio Dei: atqui potius illud tenendum eſt, corporalem exercitationem modice 1 Tim. 4.
prodeſſe, pietatem vero ad omnia utilem. Neque verſ. 8.
tamen hoc prætextu frenum laxandum eſt carni, ut ſibi in deliciis & mollitie indulgeat: tantum cavenda eſt ſuperſtitio ne ſtulti homines perfectionem in rudibus elementis putantes ſitam eſſe, ſpiritualem Dei cultum negligant. Adde quod Chriſtus ita ſe accommodavit ad communis vitæ uſum, ut vere divinam temperantiam coleret, nec aliorum luxuriam aleret vel ſua diſſimulatione vel exemplo.

35. *Et juſtificata eſt.*] Varie exponitur hic locus ab interpretibus. Quidam dicunt abſolutam fuiſſe à Judæis ſapientiam quod ſibi male conſcii, ac propriæ incredulitatis judices, agnoſcere cogerentur ſanctam piamque doctrinam eſſe quam abjecerant. Ita *filios ſapientiæ* accipiunt pro Judæis qui ſe hoc titulo venditabant. Alii putant ironice fuiſſe dictum, Scilicet ſapientiam Dei, cujus vos jactatis eſſe filios, hoc modo approbatis? Quia autem Græca præpoſitio ἀπὸ ad perſonam agentem proprie non refertur; ſunt qui ita exponant, Sapientia à filiis ſuis abſoluta eſt, ut jam illis non ſit ullo jure obſtricta: quemadmodum ſi hæreditas alio transferatur. ſicuti Paulus Rom. 6:7.
juſtificatum à peccato Chriſtum eſſe dicit quia nihil in eum juris amplius habet peccati maledictio. Quidam durius & majore licentia, Sapientiam à ſuis filiis alienam eſſe factam. Atqui ut hoc ſignificet Græca præpoſitio, mihi alius ſenſus videtur eſſe aptior, Sapientiam, quantumvis impie illi detrahant proprii filii, nihil tamen de ſua dignitate ac excellentia perdere, ſed manere integram. Judæi, ac præcipue Scribæ, pro ſapientiæ Dei alumnis ſe venditabant: interim quum matrem pedibus calcarent, non modo blandiebantur ſibi in tanto ſacrilegio, ſed Chriſtum volebant ſuo judicio cadere: contra excipit Chriſtus, Quamvis malos & degeneres filios habeat ſapientia, ſalvam tamen manere: nec quicquam illius juri derogari eorum malitia qui ſcelerate & maligne obtrectant. Nondum tamen ſenſum protuli qui (meo judicio) optime convenit & genuinus eſt. Primum ſubeſt tacita antitheſis in verbis Chriſti inter genuinos filios & nothos, qui inanem titulum ſioe re obtendunt: acſi diceret Cbriſtus, Pergant in ſua contumacia qui ſe ferociter ſapientiæ filios eſſe gloriantur: ea nihilominus laudem ſuam & auctoritatem apud germanos filios tenebit. Ideo apud Lucam additur univerſalis nota, *à filiis ſuis omnibus:* quo ſignificat, nemini obſtaculo fore Scribarum repugnantiam quin electi Dei omnes in Euangelii fide permaneant. Quod ad Græcam vocem ſpectat, dubium non eſt quin ἀπὸ interdum idem valeat atque ὑπὸ ut omittam alia exempla, quum dicit Chriſtus apud Lucam cap. 17: 25. Oportet Filium hominis multa pati, καὶ ἀποδοκιμασθῆναι ἀπὸ τῆς γενεᾶς ταύτης, nullus oegabit quin eadem ſit loquendi forma in oppoſito membro. Deinde Chryſoſtomus cui Græca lingua nativa erat, perinde hoc tranſit acſi nihil eſſet controverſiæ. Præterquam autem quod melius quadrat hæc ſententia, ſuperiori etiam membro reſpondet, ubi dictum fuit juſtificatum à plebe fuiſſe Deum. Ergo quamlibet multi apoſtatæ à Dei Eccleſia deſciſcant, ſemper tamen apud omnes electos, qui vere ſunt ex grege, incolumis perſiſtet Euangelii fides.

Matth.	Marc.	Luc. X.
		1. Poſt hæc autem deſignavit Dominus & alios ſeptuaginta, miſitque illos binos ante faciem ſuam in omnem civitatem & locum quo erat ipſe venturus.
		2. Dicebat ergo illis, Meſſis quidem multa, ſed operarii pauci: rogate ergo dominum meſſis ut extrudat operarios in meſſem ſuam.
		3. Ite, ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos.
		4. Nolite portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta: & neminem per viam ſalutaveritis.

5. In quamcunque domum intraveritis, primum dicite, Pax huic domui.

6. Et ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper eum pax veſtra: ſin minus, ad vos revertetur.

7. In eadem autem domo manete edentes & bibentes quæ ab illis dabuntur: dignus enim eſt operarius mercede ſua. nolite tranſire de domo in domum.

8. Et in quamcunque civitatem intraveritis, & ſuſceperint vos, edite quæ apponuntur vobis:

9. Et ſanate infirmos qui in illa ſunt, & dicite illis, Appropinquavit in vos regnum Dei.

10. In quamcunque autem civitatem intraveritis, & non ſuſceperint vos, exeuntes in plateas ejus dicite,

11. Etiam pulverem qui adhæſit nobis de civitate veſtra, extergimus in vos: tamen hoc ſcitote quod appropinquavit in vos regnum Dei.

12. Dico vobis quod Sodomis in die illo remiſſius erit quam civitati illi.

1. *Poſt hæc autem.*] Apoſtolos prius ad Chriſtum reverſos eſſe quam ii ſeptuaginta in eorum locum ſubrogarentur, ex multis circumſtantiis colligere licet. Miſſi ergo ſunt duodecim qui in ſpem propinquæ ſalutis Judæos erigerent: poſt illorum reditum quum majori attentione opus foret, ſubmiſſi ſunt plures velut ſecundarii præcones, qui paſſim de Chriſti adventu famam in ſingulis locis ſpargerent. Cæterum nulla illis proprie commiſſa fuit legatio, ſed tantum Chriſtus apparitores præmiſit qui populi animos pararent ad excipiendam ejus doctrinam. In numero ſeptuaginta videtur eum ordinem ſequutus eſſe cui jam olim aſſueverat populus. Tenendum eſt memoria quod de Apoſtolis duodecim diximus, quot florente populi ſtatu fuerant Tribus, totidem delectos fuiſſe Apoſtolos quaſi Patriarchas, qui membra laceri corporis in unum colligerent, ut inde prodiret integra Eccleſiæ reſtitutio. Non abſimilis in ſeptua-
Exod. 8. ginta ratio fuit. ſcimus Moſen quum oneri non ſuf-
verſ. 22. ficeret, ſeptuaginta ſibi aſciviſſe Judices qui popu-
& 24: 1. lum una cum ipſo regerent. Jam vero Judæi à Babylonico exilio reverſi, ſynedrion habuerunt, quod corrupte *Sanedrin* vocarunt, ex ſeptuaginta duobus Judicibus. Ut autem fieri ſolet in talibus numeris, quum de ſynedrio ſermo erat, tantum dicebant ſeptuaginta Judices: ac eos ex poſteris Davidis fuiſſe electos teſtis eſt Philo, ut poteſtas aliqua maneret in regia ſtirpe. Quare poſt varias clades, hæc ultima cataſtrophe excidii fuit, quum Herodes abolito illo conſeſſu, populum legitima gubernatione privavit. Porro quia reditus è Babylone præludium veræ & ſolidæ redemptionis fuerat, videtur nunc ſeptuaginta adventus ſui præcones eligere Dominus, ut inſtaurationem collapſi ſtatus promittat: quia tamen revocandus erat populus ad unicum caput, non conſtituit Judices cum poteſtate, ſed tantum præire jubet, ut ipſe ſolus emineat. Quod binos miſit, in eo videtur infirmitatis eorum habita fuiſſe ratio. timendum erat ne ſinguli minus haberent cordis quam neceſſe foret ad munus ſuum ſtrenue exequendum: ergo ut alii alios mutuo animent, bini mittuntur.

2. *Meſſis quidem multa.*] Hanc ſententiam expoſui nono Matthæi capite: iterum tamen hic inſeri oportuit, quoniam alia occaſione refertur. Nam quo melius diſcipulos ſuos exſtimulet Chriſtus, ut operi gnaviter incumbant, pronunciat multam eſſe meſſem: unde ſequitur ipſorum laborem non fore irritum, ſed uberem profectus materiam in qua ſe exerceant reperturos. Poſtea de periculis, certaminibus ac moleſtiis eos admonet, & jubet accinctos ire ut celeriter totam Judæam percurrant: denique eadem mandata repetit quæ dederat Apoſtolis. Ideo lectores multis verbis hic onerare ſupervacuum foret, quum illinc petere liceat plenam omnium expoſitionem, niſi quod breviter monendi ſunt quid ſibi velit iſta loquutio, *Neminem in via ſalutaveritis.* Eſt autem ſummæ feſtinationis indicium, ubi ſiquis in itinere occurrat, ultra pergimus, nec eum alloquimur qui vel tantillum morari nos poſſet. Sic 2 Reg. 4. verſ. 29. Eliſæus dum puerum ſuum ad Sunamitidem mittebat, vetuit ne quem obvium ſalutaret. Non vult ergo Chriſtus tam inhumanos eſſe diſcipulos ut ſalutare non dignentur qui illis occurrent: ſed ita properare jubet ut omnia obſtacula prætereant. Hoc quoque proprium habet Lucas, Ut edant ac bibant diſcipuli quæ oblata fuerint. Quibus verbis non tantum jubet Chriſtus contentos eſſe ſuos vulgari & tenui menſa, ſed illis permittit ut de alieno veſcantur. Imo hic ſimplex ac genuinus ſenſus eſt, Liberum vobis ſit alieno ſumptu vivere quamdiu in hac peregrinatione eritis: æquum enim eſt ut vobis cibum miniſtrent in quorum gratiam laboratis. Quidam putant eximi ſcrupulum ne ab aliquo cibi genere abhorreant diſcipuli: ſed nihil tale voluit Chriſtus, ac ne hoc quidem ejus conſilium fuit de frugalitate præcipere: ſed tantum illis concedere mercedis loco, ut ab hoſpitibus alerentur in ſua legatione.

MATTH. XI.	MARC.	LUC. X.
20. Tunc cœpit exprobare civitatibus in quibus editæ fuerant plurimæ virtutes ipſius, quod ſcelerum eas non pœnituiſſet.		13. Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro & Sidone editæ fuiſſent virtutes quæ editæ ſunt in vobis, olim in ſacco & cinere ſedentes, egiſſent pœnitentiam.
21. Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethſaida: quoniam ſi in urbe Tyri & Sidonis factæ fuiſſent virtutes quæ factæ ſunt in vobis, olim in ſacco & cinere ſcelerum ſuorum pœnitentiam egiſſent.		14. Veruntamen Tyro & Sidoni remiſſius erit in judicio quam vobis.
22. Attamen dico vobis, Tyro & Sidoni tolerabilius erit in die judicii quam vobis.		15. Et tu Capernaum quæ uſque
23. Et tu Capernaum, quæ es uſque ad cælum		

exaltata, uſque ad inferos detraheris: quoniam ſi in Sodomis editæ fuiſſent virtutes quæ editæ ſunt in te, manſiſſent uſque in hodiernum diem.

24. Veruntamen dico vobis quod terræ Sodomorum tolerabilius erit in die judicii quàm tibi.

uſque in cælum exaltata es, uſque in infernum detraheris.

16. Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me.

20. *Tunc cœpit exprobrare.*] Lucas exprimit quo tempore & qua de cauſa ſic invectus fuerit Chriſtus in iſtas urbes: nempe quum diſcipulos in varias Judææ partes ablegaret, ut in tranſcurſu nunciarent adeſſe regnum Dei, eorum ingratitudinem reputans apud quos diu ſine fructu Prophetæ munus exercuerat, & multas ediderat virtutes, in has voces prorupit: acſi dixiſſet, jam veniſſe tempus quo ſe ad alias urbes conferret, poſtquam expertus fuerat indociles ac deploratæ malitiæ illius ripæ incolas, ubi Euangelium prædicare & miracula edere exorſus fuerat. Sed de doctrina tacens, exprobrat quod miraculis inducti non fuerint ad pœnitentiam agendam: nam certum eſt in hunc finem documenta ſuæ virtutis Dominum proſerre ut ad ſe homines invitet. atqui quum natura averſi ſint ab eo omnes, initium à pœnitentia fieri neceſſe eſt. Chorazin & Bethſaida urbes eſſe ad ripam lacus Genezareth ſitas, notum eſt.

21. *Si in urbe Tyri & Sidonis.*] Quoniam Tyri & Sidonis illic propter viciniam infamis erat impietas, ſuperbia, luxuries, & alia vitia, data opera hanc comparationem adducit Chriſtus, quo ſuos Judæos magis pungat. horum enim nemo erat qui non haberet Tyrios & Sidonios pro nefandis Dei contemptoribus. Ergo maledictionem ſuam non parum amplificat Chriſtus quum dicit plus ſperandum fuiſſe correctionis ex illis locis in quibus nulla erat religio, quam appareat in ipſa Judæa. Cæterum ne quis ſpinoſas de arcanis Dei judiciis quæſtiones moveat, tenendum eſt ad communem humanæ mentis captum accommodari hunc Domini ſermonem. Comparans cives Bethſaida & eorum vicinos cum Tyriis & Sidoniis, non diſputat qoid præviderit Deus futurum de iis vel illis, ſed quid facturi fuerint alteri quatenus ex re ipſa percipi poterat. nam quod tam corrupti erant illarum urbium mores, ac tam effrenis diſſolutio, ignorantiæ imputari poterat: quod nulla illic vox Dei audiebatur, nec miracula fiebant quibus admoniti reſipiſcerent: in urbibus autem Galilææ quas Chriſtus objurgat, pluſquam ferrea fuerat contumacia in ſpernendis miraculis, quorum ingentem copiam viderant ſine ullo profectu. In ſumma, non alio tendunt verba Chriſti quam malitia & inſanabili Dei contemptu Tyrum & Sidonem ſuperari à Chorazin & Bethſaida. & tamen non eſt cur litigemus cum Deo, quod poſthabitis aliis de quibus melior ſpes fuiſſet, virtutem ſuam erga peſſimos quoſque & prorſus deploratos exerat. Quoſcunque miſericordia ſua non dignatur, juſte exitio deſtinat. Jam ſi quibuſdam verbum ſuum ſubducens, eos perire ſinit: alios vero ut magis inexcuſabiles reddat, hoc vel illo modo ſollicitat & hortatur ad pœnitentiam: quis eum propterea iniquitatis inſimulet? Ergo infirmitatis noſtræ conſcii, diſcamus altitudinem iſtam reverenter ſuſpicere. Minime enim ferenda eſt eorum ſuperba moroſitas, qui Deo juſtitiæ laudem tribuere non ſuſtinent, niſi quoad eorum ſenſus pertingit: myſteria vero quæ adorare par fuiſſet, quia non aperta conſtat eorum ratio, faſtidioſe reſpuunt.

Tyrii & Sidonii.

Factæ fuiſſent virtutes.] Diximus his verbis nos doceri de recto miraculorum uſu, quanquam ſub illis comprehenditur doctrina: neque enim Chriſtus ſpectandam proponens Patris virtutem, interea obmutuit: imo Euangelio annexa fuerunt miracula ut ad os Chriſti attenderent. *In ſacco & cinere.* Pœnitentia hic ab externis ſignis deſcribitur, quorum tunc ſolemnis erat uſus in Eccleſia Dei: non quod in hanc partem inſiſtat Chriſtus, ſed quia ſe ad vulgi captum inflectit. Scimus non exigi pœnitentiam à fidelibus tantum ad paucos dies, ſed ut ſe in ea meditanda aſſidue uſque ad mortem exerceant. Atqui neceſſe non eſt quotidie ſacco veſtiri & aſpergi cinere: ergo non ſemper locum habet exterior iſta pœnitentiæ profeſſio, ſed quum ex gravi aliqua defectione ad Deum ſe homines convertunt. Et certe ſaccus & cinis ſigna ſunt reatus, ad deprecandam iram judicis. ideo ad initium converſionis proprie ſpectant. Jam vero quum hac ceremonia teſtentur homines diſplicentiam & mœrorem, neceſſe eſt peccati odium, timorem Dei & carnis mortificationem præcedere: juxta illud Joëlis, Scindite corda veſtra, & non veſtimenta. Videmus nunc cur ſaccum & cinerem pœnitentiæ conjungat Chriſtus ubi Tyri & Sidonis ſit mentio, quorum incolis Euangelium prædicari non poterat quin anteactam eorum vitam damnaret, nihil reſiduum faciens niſi ut ſuppliciter petendæ veniæ cauſa, ad triſtem reorum habitum confugerent. Eodem referri debet *ſedendi* verbum quod ponitur apud Lucam: ſignificat enim proſtratos humi jacere, quod miſeris ad luctum ſuum reſtandum convenit, ſicuti ex compluribus Prophetarum locis patet.

Joël. 2. verſ. 13.

Sedere.

23. *Et tu Capernaum.*] Nominatim compellat urbem Capernaum, in qua ſic fuerat aſſiduus ut inde oriundum putarent. hæc vero incomparabilis erat dignitas, quod Filius Dei regnum ſuum auſpicaturus & ſacerdotium, ſibi eam palatii & ſanctuarii loco delegerat. Atqui perinde in ſuis ſordibus demerſa erat acſi nulla unquam illuc ſtillaſſet gratiæ divinæ gutta: ideo pronunciat Chriſtus eo magis horrendam illi pœnam inſtare quo majoribus Dei beneficiis ornata erat. Hic locus diligenter notandus eſt, profanationem donorum Dei, quia ſacrilegio implicita eſt, nunquam impune ceſſuram: ideo quo quiſque magis excelluerit, atrocius eſſe puniendum ſi dotes ſibi divinitus collatas indigne polluerit: ac præſertim horribilem vindictam nobis inſtare, ſi ornati ſpiritualibus Chriſti donis, ludibrio habemus ipſum cum ſuo Euangelio. *Si in Sodomis.* Supra admonuimus Chriſtum humano more loqui, non autem ex cælesti adyto proferre quid præviderit futurum ſi Sodomitis Prophetam aliquem miſiſſet. Quod ſi hæc ſolutio contentioſis non ſufficit, anſam tamen hoc unum illis præcidit, quamvis ad ſervandos Sodomitas remedium eſſet in manu Dei, juſtum tamen fuiſſe ultorem in illis perdendis.

16. Luc. *Qui vos audit.*] Falluntur qui hoc loco idem repeti putant quod decimo capite Matthæi habuimus, *Qui vos recipit, me recipit*: nam illic de perſonis Chriſtus agebat, nunc autem de doctrina. illa receptio ad officia charitatis ſpectabat, nunc vero commendat fidem quæ Deum in verbo ſuo recipit. Summa eſt, fidei obedientia pietatem hominum probari: qui vero Euangelium reſpuunt, quantumvis ſe primos Dei cultores fore jactent, prodere tamen impium ejus contemptum. Porro tenendum eſt Chriſti conſilium: quia enim bona pars mundi præpoſtere Euangelium æſtimat ex hominum dignitate, & ideo vilipendit quod per humiles & contemptæ ſortis homines adfertur, huic tam perverſo judicio Chriſtus occurrit. Deinde quoniam in omnibus fere reſidet ea ſuperbia, ut non libenter ſe ſub-

ſubmittant ſuis æqualibus, vel quos etiam præ ſe deſpiciunt: Deus autem Eccleſiam ſuam regere ſtatuit hominum miniſterio, & quidem ſæpe ex infima vulgi fæce deligit verbi miniſtros: neceſſe fuit Euangelii majeſtatem aſſerere, ne ab bumano ore profecta vileſceret. Eſt igitur inſignis externi miniſterii commendatio, dum pronunciat Chriſtus quicquid hominum prædicationi, modo fidelis ſit, honoris & reverentiæ defertur, Deum ſibi impeoſum agnoſcere. Hujus porro elogii duplex eſt utilitas. nihil enim eſt quod nos ad amplexaodam Euangelii doctrinam melius animare debeat quam dum audimus præſtantiſſimum hunc eſſe cultum Dei, & optimi odoris ſacrificium, audire ipſum ore bominum loquentem, & nos ejus verbo non ſecus ſubjicere quod per homines adfertur, quam ſi deſcenderet ipſe de cælo, vel per Angelos conſilium ſuum patefaceret. Deinde ſtabilita fiducia eximitur nobis dubitatio, dum audimus nihilo deterius eſſe ſalutis noſtræ teſtimonium quod onbis reddunt homines à Deo miſſi, quam ſi vox ejus è cælo ſonaret. Contra, ut nos ab Euangelii contemptu deterreat, ſeveram denuociationem addit, non in homines, ſed in ſeipſum & Deum Patrem eſſe contumelioſos qui miniſtros quamvis eontemptibiles audire gravantur. Sicuti autem hic magnifice extollitur Paſtorum dignitas qui ſincere & fideliter muous ſuum exercent: ita ridiculus eſt Papa cum ſuis, dum hoc prætextu tyrannidem ſuam fucat. Cerium enim eſt non ita loqui Chriſtum ut jus ſibi à Patre datum hominibus reſignet, ſed tnotum ut à contemptu vindicet ſuom Euangelium. unde ſequitur non in perſonas hominum transferre ſibi debitum honorem, ſed tantum contendere ne à verbo ſuo ſeparetur. Ergo ſi recipi velit Papa, doctrinam adferat in qua agnoſci queat Chriſti miniſter: quamdiu vero eſſe ſimilis ſui perget, hoc eſt, capitalis Chriſti hoſtis, & nihil habens Apoſtolis affine, alienis ſe plumis veſtire deſinat.

Externum miniſterium.

MATTH.	MARC.	LUC. X.
		17. Reverſi autem ſunt ſeptuaginta cum gaudio, dicentes, Domine, etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo.
		18. Ait autem illis, Videbam Satanam ſicut fulgur de cælo cadentem.
		19. Ecce do vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.
		20. Veruntamen in hoc nolite gaudere quod ſpiritus vobis ſubjiciuntur: ſed gaudete quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.

17. *Reverſi autem ſunt.*] Apparet non plenam nec ſolidam Cbriſti verbis habuiſſe fidem ſeptuaginta diſcipulos, quando reverſi quaſi re nova & inopinata exultant, quod Chriſti virtute ejeceriot dæmonia. Atqui hæc illis data fuerat poteſtas, & ſimul mandatum. Ego vero non dubito, quum diſcederent, perſuaſos fuiſſe nihil ſibi fuiſſe fruſtra à Magiſtro dictum: poſtea tamen, quum rei magnitudo eorum npininnem excederet, tali ſpectaculo fuiſſe perculſos. Atque hoc accidere plerumque ſolet, ut fideles guſtum aliquem duntaxat divinæ virtutis concipiant ex verbo: deinde experientia in admiratiooem ipſos rapiat. Quale autem fuerit ipſorum gaudium, ex Chriſti reſpooſo clarius patebit.

18. *Videbam Satanam.*] Ab uoa ſpecie ad totum geous eos Chriſtus deducit: nempe quod Euangelium ſuum juſſerit promulgari hoc fine ut regnum Satanæ everteret. Quum ergo viſibile illud documeotum quod experti erant, ſimpliciter arripereot diſcipuli, admonet Chriſtus vim & efficaciam doctrioæ ipſorum lnngius patere, ut eoncidat Satanæ tyrannis quam in totum genus humanum exercet. Nunc tenemus ſenſum verborum, Quum Euangelium ſuum prædicari juſſit Chriſtus, minime rem tentaſſe ambigui eventus, ſed futuram Satanæ ruinam vidiſſe. Jam quum falli nequeat Filius Dei, & hæc ejus præſcientia ad continuum Euangelii curſum ſpectet: dubitandum non eſt, quoties excitat fidos doctores, quin idem ipſe felicem daturus ſit ſucceſſum eorum labori. Unde colligimus, non aliter nos eripi à Satanæ ſervitute, quam per Euangelium: deinde eos rite demum proficere in Euangelio, in quibus concidit Satanæ poteſtas, ut peccato extincto, Dei juſtitiæ vivere incipiant. Notanda etiam ſimilitudo qua utitur, Satanam ad Euangelii tonitru inſtar fulguris cadere. ita enim exprimitur divina & incredibilis doctrinæ virtus, quæ tam repente violento impetu mundi principem tantis copiis inſtructum dejicit. Exprimitur etiam quam miſera ſit hominum cooditio, quorum capitibus inſultat Satan, qui in aëre dominatur, & mundum pedibus ſuis ſubjectum tenet donec adſit Cbriſtus liberator.

Euangelii vis.

19. *Ecce, do vobis.*] Hoc per conceſſionem dicitur. Non negat Chriſtus quin præclarum ſit donum illud in quo gloriantur: ſed altius quiddam præcipue ſpectandum admonet, ne ſubſiſtant in externis miraculis. Itaque eorum gaudium ſicuti non erat conceptum de nihilo, non omni ex parte damnat, ſed vitioſum eſſe oſtendit: quia ſibi gratia temporali immodice placentes, non tollebant ſurſum animos. Atque boc morbo laboraot etiam pii fere omnes. tametſi enim Dei bonitatem expendunt cum gratiarum actione, non tameo quaotum decebat Dei beneficiis quaſi ſcalis juvantur, ut in cælum aſſurgant: ideo neceſſe habent à Domino erigi tanquam porrecta manu, ne ſubſidant io terra, ſed ad cæleſtem novitatem aſpirent. Noxas omnes vocat hoſtis virtutem, quod diabolus quicquid nobis adverſum eſt, in nos vibret: non quod ejus arbitrio ſubjaceant quæ valent ad lædeodos bomines, ſed quia armatus Dei maledictione, omnia ejus flagella in noſtrum exitium vertere conatur, & arripit tanquam tela quibus nos vulneret.

20. *Nomina veſtra ſcripta ſunt.*] Quum propoſitum ſit Chriſto ſuos ab evaoido gaudio retrahere ut in vita æterna glorientur, ad ejus originem & fontem ipſos deducit: nempe quod divinitus electi ſint & adoptati in filios. Præcipere quidem poterat ut gauderent ſe regenitos eſſe Dei Spiritu, ut novæ eſſent creaturæ in Chriſto, ſe in ſpem ſalutis illuminatos eſſe, & ſibi datam ejus arrham: ſed principium uode hæc omnia bona fluxerant, notare voluit gratuitam Dei electionem, ne quid ſibi aſcriberent. Materiam quidem laudaodi Dei nobis ſuppeditant quæ in oobis ſentimus ejus beneficia: ſed æterna electio, quæ extra oos eſt, clarius demonſtrat io mera Dei bonitate fundatam eſſe ſalutem noſtram. Porro metapborice dixit, Scripta eſſe ſuorum nomina in cælo, pro eo quod eſt, Cenſeri coram Deo filios & hæredes, acſi in catalogo deſcripti eſſent.

MATTH. XI.

25. In illo tempore reſpondens Jeſus, dixit, Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quod abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.

26. Certe Pater, ſic fuit beneplacitum coram te.

27. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo: & nemo novit Filium niſi Pater, neque Patrem niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.

28. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego refocillabo vos.

29. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me quod mitis ſim & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.

30. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.

MARC.

LUC. X.

21. In eadem hora exultavit ſpiritu Jeſus, ac dixit, Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quod abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. ſane Pater, quoniam ſic complacitum eſt coram te.

22. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo: & nemo ſcit quis ſit Filius niſi Pater, & quis ſit Pater niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.

25. *Reſpondens Jeſus.*] Quanquam Reſpondendi verbum Hebræis familiare eſt etiam ubi ſit initium ſermonis, ego tamen huic loco emphaſim ſubeſſe arbitror, quod ſcilicet Chriſtus ex re præſenti occaſionem ita loquendi ſumpſerit: idque melius coofirmant Lucæ verba, quod Chriſtus in illa hora exultaverit ſpiritu. unde porro illa exultatio niſi quod Eccleſiam ex puſillis contemptiſque hominibus collectam, noo mious charam & pretioſam habet quam ſi tota mundi nobilitas ac dignitas in ea fulgeret? Ac plus vehementiæ habet oratio quæ ad Patrem dirigitur, quam ſi cum diſcipulis loquutus foret. Quanquam certum eſt illorum quoque reſpectu & cauſa gratias egiſſe Patri, nequos offenderet humilis & ignobilis Eccleſiæ forma. Semper enim ſplendorem quærimus: & nihil videtur minus conſentaneum quam cæleſte regnum Filii Dei, cujus gloria tam magnifice à Prophetis celebratur, ex vulgi fæce & quiſquiliis conſtare. Et ſane hoc admirabile Dei conſilium eſt, quod quum totum orbem habeat io manu, peculiarem ſibi populum ex contemptibili vulgo deligere malit quam ex primoribus, qui ſua excellentia Chriſti nomen melius ornarent. Sed hic à ſuperbo & nimis alto ſenſu retrahit diſcipulos ſuos Chriſtus, oe vilem & obſcurum Eccleſiæ ſtatum deſpicere audeant in quo ſibi ipſe placet ac gratulatur. Cæterum ut fortius curioſitatem, quæ ſubiode obrepit humanis mentibus, compeſcat, ſeipſum attollit ſupra mundum, & arcana Dei judicia ſuſpicit, ut in eorum admirationem ſecum alios ſimul trahat. Et certe quamvis hæc Dei ordinatio à ſenſu noſtro diſſideat, nimis tamen furioſa eſt arrogantiæ noſtræ cæcitas, quum eam reverenter adoret Chriſtus caput noſtrum, ſi nos obſtrepimus. Sed jam verba expendere convenit. *Confiteor tibi Pater.* His verbis ſe io illo Patris decreto acquieſcere teſtatur, quod ab humano ſenſu tantopere diſcrepat. ſubeſt enim tacita antitheſis inter hanc laudem quam Patri adſcribit, & malignas obtrectationes, vel protervos etiam mundi latratus. Nunc videndum qua in re glorificet Patrem, quod ſcil. totius orbis Dominus, parvulos & idiotas ſapientibus prætulerit, nam ad circumſtantiam argumenti non parum habet ponderis quod Patrem vocat cæli & terræ Domioum: quia hoc modo declarat non aliunde quam ex Dei arbitrio pendere diſcrimen, quod ſapientes cæcutiunt, rudes & indocti capiunt Euangelii myſteria. Multi ſunt alii ſimiles loci, ubi oſtendit Dominus gratis à ſe electos quicunque ad ſalutem perveniunt, quum mundi ſit opifex ac creator, & ſuæ ſint omnes gentes. Quare duplex eſt vis hujus particulæ: quod non omnes parent Euangelio, non fieri Dei impotentia, cui promptum eſt omoes creaturas imperio ſuo ſubjicere. Secundo, quod alii accedunt ad fidem, alii ſtupidi & obſtinati maneot, id fieri gratuita ejus electione: quia alios trahens aliis præteritis, ſolus inter homines diſcernit, quorum natura æqualis eſt conditio. Quod tamen parvulos eligit potius quam ſapientes, io eo gloriæ ſuæ rationem habet. Nam, ut nimis cupide ſeſe effert caro, ſi præirent acuti & docti homines, ſtatim regnaret illa perſuaſio, fidem dexteritate hominum vel induſtria vel doctrina acquiri. Quare noo aliter conſpicua, ut meretur, Dei miſericordia eſſe poteſt quam tali habito delectu, unde pateat nihil eſſe quicquid ex ſe afferunt homines. Ideo jure dejicitur humana ſapieotia, ne divinæ gratiæ laudem obſcuret. Quæritur tamen quos ſapientes & quos parvulos vocet Chriſtus. experientia eoim palam docet, nec omnes idiotas & rudes illuminari ad fidem, nec omnes prudentes vel literatos relinqui in ſua cæcitate. Ideo prudentes & ſapientes definiunt qui diabolico faſtu inflati, Chriſtum è ſublimi loquentem audire non ſuſtinent. Atqui non hoc quidem perpetuum eſſe, reprobari à Deo qui ſibi placent pluſquam oportet, docemur Pauli exemplo, cujus ferociam Chriſtus domuit. Quod ſi ad rude vulgus deſcendimus, ſicut virulenta apparet majoris partis malitia, ſic promiſcue videmus cum proceribus & magnis ſuo exitio relinqui. Fateor quidem incredulos omnes perverſa ſui fiducia turgere, ſive ſapientia, ſive probitatis fama, ſive honores, ſive divitiæ illis animos faciant: ego tameo Chriſtum hic ſimpliciter & ſine vitii notatione omnes comprehendere arbitror qui ingenio & doctrina polleot: ſicuti rurſum virtutis loco non ponit, aliquem parvulum eſſe. Nam etſi humilium magiſter eſt Chriſtus, hocque primum eſt fidei rudimentum, Ne quis ſibi ſapiat: non tamen hic de voluntaria parvitate agitur: ſed Chriſtus gratiam Patris hac ratione amplificat, quod uſque ad infimas ſordes deſcendere non gravetur, ut ex ſtercore pauperes erigat. Sed hic emergit quæſtio, Quum prudentia, Dei ſit donum, qui conveniat eam nobis eſſe obſtaculo ne cernamus Dei lucem quæ in Euangelio affulget. Tenendum quidem eſt memória quod jam dixi, vitiari ab incredulis quicquid illis datum eſt prudentiæ: ac ideo præclara ingenia ſæpe impediri, quod ſe ad docilitatem ſubmittere oequeunt. Sed quantum ad præſentem locum ſpectat, reſpondeo, Quamvis prudentibus nihil obſit ſua perſpicacia, poſſe tamen Euangelii luce privari. Nam quum eadem vel par ſit omoium conditio, cur non ſuo arbitrio aſſumet Deus hos vel illos? Cur autem ſapientes ac magnos poſthabeat, primæ ad Corinth. primo cap. verſ. 27. docet Paulus: quod ſcilicet infirma & ſtulta mundi elegerit Deus ut gloriam carnis confunderet. Cæterum inde etiam colligimus, non eſſe generalem Chriſti ſermonem, ubi dicit, A ſapientibus abſcondi Euangelii myſteria. Nam ſi ex quinque ſapientibus quatuor Euangelium reſpuunt, unus amplectitur, ex totidem

dem idiotis duo vel tres fiunt Chriſti diſcipuli, impletur hæc ſententia: quod etiam confirmat ille Pauli locus quem nuper citavi: quia non omnes ſapientes & nobiles & potentes exterminat à regno Dei, ſed tantum admonet non multos eſſe. Jam ſoluta eſt quæſtio, quod hic non damnetur prudentia, quatenus Dei donum eſt, ſed tantum pronunciet Chriſtus ad fidem obtinendam nullius eſſe momenti. ſicuti rurſus inſcitiam non commendat quaſi homines conciliet Deo: ſed ejus miſericordiæ obſtare negat quominus rudes & craſſos homines cælesti ſapientia illuſtret. Nunc dicendum reſtat quid ſit Revelare & Abſcondere. De externa prædicatione Chriſtum non loqui, inde certo colligitur, quod promiſcue ſe omnibus doctorem obtulit, & idem dedit Apoſtolis ſuis mandatum. Quare ſenſus eſt, neminem proprio acumine, ſed arcana tantum Spiritus illuminatione fidem conſequi.

Prædicatio externa. Interna.

26. *Certe Pater.*] Hæc clauſula anſam præcidit inquirendæ laſciviæ quæ ſubinde nos titillat. Nihil enim difficilius à nobis Deus extorquet, quam ut ejus voluntas nobis ſit pro ſumma ratione & juſtitia. Sæpe inculcat, ſua judicia profundam eſſe abyſſum: nos tamen in illam altitudinem præcipiti impetu irrumpimus: & ſiquid non arridet, fremimus contra ipſum vel obmurmuramus: multi etiam in apertas blaſphemias proſiliunt. Atqui Dominus hanc nobis regulam præſcribit, ut quod placuit Deo, rectum eſſe ſtatuamus. Hoc demum eſt ſobrie ſapere, unum Dei beneplacitum pro mille rationibus amplecti. Poterat certe Chriſtus diſcriminis cauſas, ſi quæ eſſent, in medium proferre: ſed Dei beneplacito contentus, non ultra veſtigat cur parvulos ad ſalutem potius quam alios vocet, regnumque ſuum conſtituat ex obſcuro grege. Unde apparet in Chriſtum furere, qui dum audiunt Dei arbitrio gratis eligi alios, & alios reprobari, tumultuantur: quia illis moleſtum eſt Deo cedere.

27. *Omnia mihi tradita.*] Male hanc ſententiam cum proxima contexunt interpretes, qui tantum huc ſpectare putant ut majori fiducia diſcipulos confirmet Chriſtus ad prædicandum Evangelium. Ego vero alia de cauſa & in alium finem Chriſtum ita loquutum exiſtimo. Sicuti enim prius aſſeruit Eccleſiam ex arcano gratuitæ electionis Dei fonte prodire: ita nunc quomodo ad homines perveniat ſalutis gratia, oſtendit. Multi enim quum audiunt non alios vitæ æternæ hæredes eſſe niſi quos ante mundum conditum elegit Deus, anxie inquirunt unde certi eſſe poſſint de arcano Dei conſilio. Ita ſe in labyrinthum projiciunt, cujus nullum reperiunt exitum. Chriſtus autem recta ad ſe venire jubet ut inde petatur ſalutis certitudo. Senſus eſt igitur, patefactam nobis in ipſo Chriſto vitam eſſe, ideoque neminem fore ejus participem niſi qui per januam fidei ingreditur. Videmus nunc ut fidem conjungat cum æterna Dei prædeſtinatione, quas ſtulti homines perverſe velut contrarias inter ſe committunt. Etſi enim ſalus noſtra apud Deum ſemper abſcondita fuit: Chriſtus tamen canalis eſt per quem ad nos defluit, & fide à nobis recipitur, ut in cordibus noſtris firma & rata ſit. Quare à Chriſto deflectere fas non eſt, niſi ſalutem nobis expoſitam repudiare libeat. *Nemo novit Filium.* Hoc ideo dicit ne ſua majeſtas perperam æſtimetur ex hominum judicio. Senſus ergo eſt, ut ſciamus qualis ſit Chriſtus, ſtandum eſſe teſtimonio Patris, qui ſolus vere nobis & probe indicare poteſt quid in ipſum contulerit. Et certe eum fingendo qualem mens noſtra ſuo modulo concipit, magna virtutis ſuæ parte ſpoliamus: ideo non rite niſi ex Patris voce cognoſcitur. Quanquam ſola vox non ſufficeret abſque Spiritus directione: altior enim & magis recondita eſt Chriſti virtus, quam ut ad eam penetrent homines donec à Patre illuminati fuerint. Ideo intellige Patrem non ſibi cognoſcere, ſed nobis, ut eum nobis revelet. Videtur tamen non plena eſſe oratio, quia duo membra inter ſe non reſpondent. De Filio dicitur, quod nemo præter ipſum cognoſcat Patrem & cui voluerit revelare: de Patre hoc ſolum, quod Filium ſolus cognoſcat: revelationis nulla fit mentio. Reſpondeo ſupervacuum fuiſſe repeti quod jam dixerat. quid enim continet ſuperior gratiarum actio, niſi quod Pater Filium patefecit quibus viſum eſt? Quod ergo nunc ſubjicitur ab ipſo ſolo Filium cognoſci, velut cauſæ redditio eſt: poterat enim hæc cogitatio ſubire, Quid opus eſſet Filium à Patre manifeſtari, qui palam ſe viſendum exhibuerat? Nunc tenemus qua occaſione dictum ſit, Filium à ſolo Patre cognoſci. Supereſt nunc poſterius membrum, Quod nullus Patrem cognoſcat niſi Filius. Porro hæc cognitio diverſa eſt à priore: neque enim Patrem cognoſcere Filius dicitur quia Spiritu ſuo eum manifeſtet; ſed quia quatenus viva eſt ejus imago, eum quodammodo exhibet viſibilem in ſua perſona. Interim Spiritum non excludo, ſed revelationem de qua nunc agitur, refero ad notitiæ modum: ac ita optime cohæret ſermonis contextus. confirmat enim Chriſtus quod prius dixit, Omnia ſibi tradita eſſe à Patre: ut ſciamus in ipſo habitare Deitatis plenitudinem. Huc ſumma redit, Patris donum eſſe quod cognoſcitur Filius, quia Spiritu ſuo nobis mentis oculos aperit, quibus cernamus Chriſti gloriam, quæ alioqui nobis eſſet abſcondita: Patrem vero, qui lucem habitat inacceſſam, & in ſe incomprehenſibilis eſt, à Filio nobis manifeſtari, qui viva eſt ejus imago: ut alibi fruſtra quæratur.

28. *Venite ad me omnes.*] Jam benigne ad ſe invitat quos ſibi idoneos fore diſcipulos agnoſcit. Quamvis enim omnibus Patrem manifeſtare paratus ſit, bona tamen pars accedere ideo negligit quia neceſſitatis ſuæ ſenſu non tangitur. Chriſtum non curant hypocritæ: quia ebrii propria juſtitia, gratiam ejus non eſuriunt nec ſitiunt. Qui mundo ſunt addicti, cæleſtem vitam pro nihilo ducunt. Fruſtra ergo utroſque illos ad ſe Chriſtus vocaret: ideo ſe ad miſeros & afflictos convertit. Porro *laborantes* vocat qui ſub onere gemunt: nec generaliter quoslibet intelligit triſtitia & ærumnis oppreſſos, ſed qui peccatis ſuis confuſi, & iræ Dei metu perculſi, tanto oneri ſuccumbunt. Variis quidem modis electos ſuos humiliat Deus: ſed quia plerique miſeriis gravati nihilominus contumaces & indomiti manent, laborantes & oneratos intelligit Chriſtus qui mortis æternæ reatu conſcientias afflictas habent, & ita ſuis malis intus urgentur ut deficiant: nam hic defectus nos ad recipiendam ejus gratiam idoneos reddit. Perinde vero eſt acſi dixiſſet, ideo ſuam gratiam à majori parte contemni quia pauci inopiam ſuam ſentiant: interea non eſſe cur illorum ſuperbia vel ſtupor afflictas animas retardet quæ ad remedium ſuſpirant. Quare ſinamus valere eos omnes qui Satanæ præſtigiis faſcinati, vel ſibi perſuadent juſtitiam ſe habere extra Chriſtum, vel ſe in hoc mundo beatos imaginantur. Nos ad Chriſtum appetendum mala noſtra impellant. Et quia non alios Chriſtus admittit in fruitionem quietis ſuæ niſi qui ſub onere fatiſcunt, diſcamus nullum eſſe magis peſtiferum venenum quam ſocordiam illam quam in nobis generat vel terrenæ felicitatis, vel juſtitiæ & virtutis falſa & fallax opinio: ideo ſe quiſque noſtrum aſſidue expergefaciat, ac primo in excutiendis mundi deliciis ſedulus ſit: deinde omni perverſa fiducia ſe evacuet. Cæterum quamvis hæc ad recipiendam Chriſti gratiam præparatio prorſus exanimat homines, notandum tamen eſt Spiritus ſancti donum eſſe, quia initium pœnitentiæ eſt, ad quam nullus proprio Marte aſpirat. Nec ſane voluit Chriſtus quid ex ſe poſſit homo docere, ſed tantum qualiter affectos eſſe oporteat qui ad ipſum veniunt. Qui onus & laborem reſtringunt ad Legales ceremonias, nimis extenuant

Chriſti

Chriſti ſententiam. Fateor quidem intolerabile fuiſſe onus Legis, & quod animas obrueret: atqui memoria tenendum eſt quod dixi, Chriſtum omnibus afflictis manum porrigere, ut diſcrimen ſtatuat inter diſcipulos & Euangelii contemptores. Notanda autem eſt generalis particula: ideo enim ſine exceptione complexus eſt Chriſtus quicunque laborant & onerati ſunt, nequis prava dubitatione viam ſibi præcludat. Et tamen omnes illi numero pauci ſunt: quia ex innumera pereuntium turba pauci ſe perire ſentiunt. Refocillatio quam promittit, in gratuita peccatorum remiſſione ſita eſt, quæ ſola nos tranquillat.

29. *Tollite jugum meum.*] Quia multos videmus abuti Chriſti gratia dum illam ad carnis indulgentiam convertunt: ideo Chriſtus poſtquam conſcientiis miſere laborantibus lætam quietem promiſit, ſimul admonet hac lege ſe eſſe liberatorem ut jugum ſuum ſuſcipiant: acſi diceret, Se non ideo abſolvere à peccatis, ut qui Deum propitium habent, inde licentiam arripiant peccandi: ſed ut ejus gratia erecti, ſimul jugum ſuſcipiant, ac liberi ſecundum Spiritum conſtringant carnis ſuæ laſciviam. Atque hinc colligitur illius quietis definitio de qua loquutus erat: nempe quod Chriſti diſcipulos minime eximat à militia crucis, ut ſuaviter delicientur, ſed exerceat ſub diſciplinæ onere, & ſub jugo contineat. *Diſcite à me.* Falluntur, meo judicio, qui putant Chriſtum de ſua manſuetudine hic teſtari, ne diſcipuli (ut ſolet acceſſus potentum eſſe formidabilis) propter divinam ejus gloriam ab ipſo refugiant. Potius enim quia propter carnis contumaciam jugum ejus tanquam aſperum & difficile refugimus, nos ad imitationem ſui format. Paulo poſt dicit jugum ſuum eſſe ſuave: ſed unde fiet ut libenter & placide collum quiſque ſubmittat, niſi ubi manſuetudinem indutus, Chriſto conformis erit? Hunc porro verborum eſſe ſenſum conſtat: quia Chriſtus diſcipulos hortatus ad jugum ſuum ferendum, ne eos terreat difficultas, continuo poſt addit, *Diſcite à me*: ſignificans non fore moleſtum nobis illud jugum ubi ſuo exemplo ad manſuetudinem & humilitatem aſſuefacti erimus. Eodem etiam pertinet quod addit, *Invenietis requiem.* Quamdiu enim recalcitrat caro, tumultuamur: & qui jugum Chriſti recuſantes aliter Deum placare conantur, fruſtra ſe fatigant & macerant. Qualiter videmus Papiſtas miſere ſeipſos excruciare, & diram tyrannidem ſub qua torquentur, tacitos ferre, ne ſubeant Chriſti jugum.

MATTH. XII.

1. In illo tempore ibat Jeſus Sabbathis per ſegetes: diſcipuli vero illius eſuriebant, & cœperunt vellere ſpicas, & comedere.

2. At Phariſæi quum vidiſſent, dixerunt illi, Ecce diſcipuli tui faciunt quod non licet facere in Sabbatho.

3. Ille vero dixit eis, Non legiſtis quid fecerit David quum eſuriret ipſe & qui cum illo erant?

4. Quomodo ingreſſus ſit in domum Dei, & panes propoſitionis ederit, quos ipſi non licebat edere, nec iis qui cum eo erant, niſi Sacerdotibus ſolis?

5. Aut non legiſtis in Lege quod Sabbathis Sacerdotes in templo Sabbathum profanant, & crimine vacant?

6. Dico autem vobis quod templo major eſt in hoc loco.

7. Quod ſi ſciretis quid ſit, Miſericordiam volo, & non ſacrificium: nequaquam condemnaſſetis innocentes.

8. Nam dominus eſt & Sabbathi Filius hominis.

MARC. II.

23. Et accidit ut tranſiret Sabbathis per ſegetes, & cœperunt diſcipuli ejus inter viam vellere ſpicas.

24. Et Phariſæi dicebant ei, Ecce cur faciunt Sabbathis quod non licet?

25. Et ipſe ait illis, Nunquam legiſtis quid fecerit David, quum opus haberet, & eſuriret ipſe, & qui cum eo erant?

26. Quomodo ingreſſus ſit in domum Dei ſub Abiathar principe Sacerdotum, & panes propoſitionis comederit, quos non licet edere niſi Sacerdotibus, & dederit etiam iis qui ſecum erant?

27. Et dicebat illis, Sabbathum propter hominem factum eſt, non homo propter Sabbathum.

28. Itaque dominus eſt Filius hominis etiam Sabbathi.

LUC. VI.

1. Accidit autem ut in Sabbatho ſecundo-primo tranſiret per ſata: ac vellebant diſcipuli ejus ſpicas, edebantque confricantes manibus.

2. Quidam autem Phariſæorum dicebant illis, Quid facitis quod non licet facere Sabbathis?

3. Et reſpondens Jeſus ad eos dicit, Ne hoc quidem legiſtis quod fecit David, quum eſuriſſet ipſe & qui cum eo erant?

4. Quomodo intravit in domum Dei, & panes propoſitionis ſumpſit, editque, ac dedit etiam iis qui ſecum erant, quos non licet edere niſi tantum Sacerdotibus.

5. Et dixit illis, Dominus eſt Filius hominis etiam Sabbathi.

1. *Ibat Jeſus Sabbathis.*] In hac hiſtoria Euangeliſtis propoſitum fuit oſtendere, partim quam malignum fuerit ingenium Phariſæis: partim quam ſuperſtitioſe rebus externis & minutis addicti fuerint, ut totam in illis ſanctitatem prorſus locarent. Diſcipulos enim Chriſti accuſant quod urgente inedia in itinere Sabbatho vellant ſpicas: quaſi ita Sabbathum violarent. Sancta quidem res erat Sabbathi obſervatio, ſed non qualem illi fingebant, ut vix digitum, niſi trepida conſcientia, movere liceret. Hypocriſis ergo tam ſcrupuloſos in rebus leviculis ipſos reddidit: quum ſibi in craſſis ſuperſtitionibus parcerent. ſicuti alibi Chriſtus exprobrat quod mentham & anethum decimant, contemnant vero quæ præcipua ſunt Legis. Atque hic hypocritis perpetuus mos eſt ut licentiam captantes in rebus maximis, ſedulo ceremoniis intenti ſint. Hinc etiam fit ut rigidius externos ritus ſervari flagitent, qui erga Deum carnali tantum cultu defungi volunt. Sed malevolentia potius & livor quam ſuperſtitio eos impulit ad hanc reprehenſionem: quia in alios non adeo moroſi fuiſſent. Utile autem nobis eſt tenere qualiter affecti fuerint, ne quem perturbet quod ipſos Legis doctores Chriſtus tam infenſos ſibi habuit.

1. Luc. *Sabbatho ſecundo-primo.*] Minime dubium eſt quin hoc Sabbathum pertinuerit ad unum aliquem ex diebus feſtis quos ſemel quotannis celebrari Lex jubebat: ideo putarunt quidam continuas fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe bidui ferias: ſed quia poſt Babylonicum exilium ſic Judæi dies feſtos diſtribuerant ut ſemper unus eſſet dies intermedius, inde refutatur illa opinio. Probabilius loquuntur qui dicunt ultimum fuiſſe ſolennitatis diem qui æque celebris erat ac primus. Quanquam mihi magis arridet eorum ſententia qui ſecundam anni feſtivitatem intelligunt: & nomen optime congruit, Sabbathum vocari ſecundoprimum, quod ex præcipuis illis & anniverſariis ordine temporis ſecundum erat. Primum vero erat Paſcha, ideo probabile eſt tunc fuiſſe primitias.

24. Marc. *Cur faciunt Sabbathis.*] Non reprehendunt Phariſæi diſcipulos Chriſti quod ex alieno agro vellant ſpicas, ſed quod Sabbathum violent. Quaſi vero in hunc finem ordinatum fuerit ut pereant famelici homines potius quam inediam ſuam ſublevent. Atqui hæc tantum fuit Sabbathi ratio, ut populus ſe Deo ſanctificans, ad verum ſpiritualem cultum ſe exerceret: deinde ut ſolutus ab omnibus terrenis negotiis, ſacros conventus liberius ageret. Quare legitima obſervatio ad ſcopum illum referri debebat: quia ex mente Legiſlatoris petenda eſt interpretatio Legis. Sed hinc apparet quam maligna ſit & implacabilis ſuperſtitio: præſertim vero quam faſtuoſe & crudeliter inſultent hypocritæ ubi ambitio & perſonæ odium concurrunt. non enim ſola fictæ ſanctimoniæ affectatio, quemadmodum dixi, Phariſæos tam auſteros & rigidos fecit: ſed quum ex profeſſo cuperent omnia Chriſti dicta & facta arrodere, fieri non potuit quin traherent in malam partem in quibus nihil erat vitii, quemadmodum ſiniſtri interpretes ſolent. Quod Matthæus & Marcus objectum fuiſſe crimen Domino referunt, Lucas autem diſcipulis, in eo nihil eſt diſſidii. probabile enim eſt ita vexatos fuiſſe diſcipulos, ut accuſatio in magiſtrum ipſum ſtringeretur. Fieri etiam potuit ut à diſcipulis initio facto, tandem ad Chriſtum diſceptatio pervenerit: & Phariſæi malitia ſua perciti, culpam illi imputaverint quod diſcipulos ſuos tacitus ſinebat Sabbathum transgredi.

3. Matth. *Non legiſtis quid fecerit David.*] Quinque argumentis refutatur à Chriſto eorum calumnia.
1 Sam 21. verſ. 6. Primo ſuos diſcipulos exemplo Davidis excuſat. David enim Saulis iracundiam fugiens quum viaticum peteret à Sacerdote Achimelech, nec ſuppeteret vulgaris cibus, obtinuit ut ſacri panes ſibi darentur. Si neceſſitas Davidem abſolvit, eadem ratio in aliis valeat oportet. Unde ſequitur non violari ceremonias Legis, modo ne pietas lædatur. Sumit autem Chriſtus pro confeſſo culpa vacaſſe Davidem: quia laudatur Sacerdos Spiritus ſancti elogio qui ſacros panes ſumere illi permiſit. Quum dicit, non licuiſſe niſi
Exod. 29. verſ. 33. Sacerdotibus ſolis edere panes illos; intelligamus jure communi: nam ſiquid præter fas tentaſſet David, fruſtra ejus exemplum prætexeret Chriſtus: ſed quod vetitum erat in certum finem, neceſſitas licitum fecit.

5. *Sabbathis Sacerdotes.*] Secundum argumentum quo probat Chriſtus Sabbathi violationem, de qua conqueſti erant Phariſæi, carere omni culpa: quia Sabbathis licet immolare victimas, circumcidere infantes, & alia peragere quæcunque ad Dei cultum ſpectant. Unde ſequitur, pietatis officia inter ſe minime pugnare. Quod ſi templum manuarios labores in ſacrificiis & toto externo cultu ſanctificat, præſtantior eſt veri & ſpiritualis templi ſanctitas, ut ſuos cultores omni vitio purget dum officiis pietatis incumbunt. Porro in hanc operam intenti erant diſcipuli ut animas per Evangelium conſecratas offerrent Deo. Hoc argumentum ſolus Matthæus attingit. Jam quod dicit Sabbathum profanari à Sacerdotibus, impropria eſt loquutio, in qua ſe Chriſtus auditoribus accommodat. non enim quum Lex homines à ſuis operibus abſtinere jubet, ſacris operari vetat: ſed quod rudibus in ſpeciem videri poſſet, Chriſtus verum eſſe concedit, ſatis habens quod labores templi Deum non offendant.

7. *Quod ſi ſciretis.*] Hoc quoque tertium argumentum ſolus Matthæus commemorat: perſtringit autem Chriſtus Phariſæos, quia non reputent quorſum mandatæ ſint, & in quem finem ſpectent ceremoniæ. Et quidem fuit hoc omnibus fere ſeculis commune vitium. ideo Propheta Oſeas ætatis ſuæ Oſe 6.
homines objurgat, quod ceremoniis addicti, chari- verſ. 6.
tatis officia pro nihilo ducant. Atqui Deus reclamat, ſe pluris facere miſericordiam quam ſacrificia: ſub voce Miſericordiæ, charitatis officia per ſynecdochen deſignans, ſicuti externum Legis cultum ſub Sacrificiis complectitur. Eandem ſententiam Chriſtus ad ſuum tempus accommodat, & Phariſæos accuſat quod perperam in alienum ſenſum Legem Dei torqueant, quod ſecunda tabula poſthabita toti ceremoniis affixi ſint. Quæritur tamen cur ſe Deus ſacrificia morari neget, quorum obſervationem ſevere in Lege mandabat. Solutio in promptu eſt, ritus externos per ſe nihil habere momenti, neque etiam exigi à Deo: ſed quatenus in ſuum finem diriguntur. Deinde non ſimpliciter illos repudiat Deus, ſed charitatis operibus comparans, minori in pretio quam hæc apud ſe haberi docet. Nec obſtat quod in perfectione juſtitiæ ſummum gradum obtinet Dei cultus: deinde ſecundo loco accedunt quæ præſtantur hominibus officia. Etſi enim pietas merito charitate pretioſior cenſetur, quanto ſcilicet ſupra homines Deus excellit: quia tamen fideles mutuam inter ſe juſtitiam colendo, ſe Deum colere ſerio teſtantur; non ſine cauſa hypocritas illuc revocat Deus, qui pietatem ſimulant externis ſignis, eamque operoſe in ſolo carnali cultu hærentes, pervertunt. Porro ex Prophetæ teſtimonio Chriſtus inſontes eſſe ſuos diſcipulos merito colligit: quia Deus Legalibus rudimentis populum ſuum exercens, minime volebat fame necare miſeros homines.

8. *Nam dominus eſt.*] Quidam ſententiam hanc cum ſuperiore illa contexunt, quod adeſſet major templo: ego tamen diverſas eſſe arbitror. prius enim Chriſtus ad templum alludens, Legis transgreſſionem eſſe negabat quicquid cum ſua ſanctitate conjunctum foret. Hic autem poteſtatem ſibi datam eſſe dicit ut à neceſſitate colendi Sabbathi ſuos liberet: Filius, inquit, hominis pro ſuo imperio Sabbathum ſicut alias ceremonias Legales moderari poteſt. Et certe extra Chriſtum miſera eſt Legis ſervitus, à qua ſolus ipſe abſolvit quos donat libero adoptionis Spiritu.

27. Marc. *Sabbathum propter hominem.*] Quintum hoc argumentum à ſolo Marco refertur. Summa autem eſt, perperam facere qui Sabbathum in hominis exitium convertunt quod ejus cauſa Deus inſtituit. Videbant Phariſæi in ſancto opere occupatos Chriſti diſcipulos, videbant itineris labore confectos, ſimul inedia premi: interim ſuccenſent quod famelici paucis tritici granis ſuſtentent deſeſſum corpus. Annon hoc modo inſcite pervertitur Dei conſilium, ſi cum hominum noxa exigitur Sabbathi obſervantia quam prodeſſe voluit? Cæterum falluntur, meo judicio, qui Sabbathum hic penitus abrogatum eſſe putant: quum ſimpliciter doceat Chriſtus quiſnam ſit rectus illius uſus. Nam etſi paulo ante aſſeruit Sabbathi ſe quoque eſſe dominum: nondum tamen advenerat maturum abrogationis tempus, quia velum templi nondum ſciſſum erat.

MATTH. XII.

9. Ac progreſſus illinc, venit in Synagogam illorum.

10. Et ecce, homo erat manum habens aridam: & interrogabant illum, dicentes, Licetne Sabbathis curare? ut accuſarent eum.

11. At ille dixit eis, Quis erit ex vobis homo qui habebit ovem unam, & ſi ea inciderit Sabbatho in foveam, nonne apprehendet eam, & eriget?

12. Quanto autem præſtantior eſt homo ove? Licet igitur Sabbathis benefacere.

13. Tunc dicit homini, Extende manum tuam. Is vero extendit: ac reſtituta eſt ſanitati ſicut altera.

MARC. III.

1. Et introivit iterum in Synagogam; & ibi erat homo areſactam habens manum.

2. Et obſervabant eum an Sabbathis ſanaturus eſſet illum, ut accuſarent eum.

3. Et ait homini habenti manum areſactam, Surge in medium.

4. Et dicit illis, Utrum licet Sabbathis benefacere an malefacere? animam ſervare an occidere? at illi tacebant.

5. Et quum circumſpexiſſet illos cum iracundia, condoleſcens ſuper cæcitate cordis illorum, dicit homini, Extende manum tuam. Et extendit: & reſtituta eſt ſanitati manus ejus ut altera.

LUC. VI.

6. Factum eſt autem & in alio Sabbatho ut intraret in Synagogam, ac doceret: & erat ibi homo cujus manus dextera erat arida.

7. Obſervabant autem eum Scribæ ac Phariſæi an in Sabbatho ſanaturus eſſet, ut invenirent unde accuſarent eum.

8. Ipſe vero ſciebat cogitationes eorum: & ait homini qui habebat manum aridam, Surge, & ſta in medio. Ille vero ſurgens, ſtetit.

9. Ait igitur ad illos Jeſus, Interrogabo vos, Utrum licet Sabbathis benefacere an malefacere, animam ſervare an perdere?

10. Et circumſpectis omnibus illis, dixit homini, Extende manum tuam. Ille autem fecit: & reſtituta eſt manus ejus ſana ſicut altera.

9. *Ac progreſſus illinc.*] Idem eſt hujus hiſtoriæ ſcopus qui proximæ: nempe Scribas malitioſe in hoc fuiſſe intentos ut in calumniam raperent quicquid fiebat à Chriſto; ideoque non eſſe mirum ſi implacabiles ejus hoſtes fuerint, quorum animi ſic pravitate infecti erant. Interea videmus hoc hypocritis ſolenne eſſe, umbratilem tantum Legis juſtitiam ſectari: &, quemadmodum vulgo loquuntur, magis inſiſtere in forma quam in ſubſtantia. Primum ergo hinc diſcamus, puras mentes & omni maligno affectu vacuas afferre, ubi ferendum eſt de re aliqua judicium. Nam ſi odium, vel faſtus, vel tale aliquid in nobis dominetur, non hominibus tantum erimus injurii, ſed cum Dei ipſius contumelia lucem vertemus in tenebras. Nemo à malitia integer negaſſet divinum eſſe opus quod damnare iſti boni doctores non dubitant. unde tantus furor, niſi quod omnes eorum ſenſus occupat impium Chriſti odium, ut in pleno Solis fulgore cæcutiant? Monemur etiam ne ceremoniis tribuendo pluſquam par eſt, quæ longe pluris ſunt coram Deo, &
Mat. 23. quæ præcipua Legis Chriſtus alibi vocat, effluere
verſ. 23. ſinamus. Nam quæ noſtra eſt ad externos ritus propenſio, nunquam hac in parte tenebimus modum niſi ſubinde in memoriam recurrat, quicquid de cultu Dei præcipitur, primo ſpirituale eſſe, deinde ad regulam quæ hic à Chriſto præſcribitur, debere exigi.

10. *Interrogabant illum, dicentes.*] Marcus & Lucas tantum dicunt obſervaſſe quid facturus eſſet Dominus: Matthæus clarius exprimit, verbis quoque fuiſſe laceſſitum. Probabile autem eſt ſanatos ante Sabbathis fuiſſe alios quoſpiam. Hinc igitur occaſione ſumpta interrogant, ſibine licere putet quod egerat, denuo repetere. Atqui expendere ipſos decebat, divinum an humanum opus eſſet, ſolo tactu aut verbo vegetare manum aridam. Deus enim Sabbathum inſtituens, legem ſibi non impoſuit, vel aliqua ſervitute ſe obſtrinxit quin Sabbathis, prout viſum eſt, ſicut aliis diebus operetur. Nimiæ igitur amentiæ fuit, quæſtionem hanc movendo, cogere in ordinem Deum ipſum, & liberum ejus operibus curſum præcidere.

11. *Quis erit ex vobis homo qui.*] Iterum oſtendit Chriſtus quænam ſit vera Sabbathi obſervatio: ac ſimul eos calumniæ arguit, quod in ſe uno carpant uſitatum inter omnes morem. Nam ſi cujusvis cecidiſſet in foveam, nemo inde extrahi prohibebat: quanto autem homo pluris eſt pecude, tanto magis eum juvare licet. Conſtat igitur, ſiquis fratrum neceſſitati ſuccurreret, præceptam à Domino quietem minime violaſſe. Hæc ſimilitudo apud Marcum & Lucam non habetur: tantum dicunt ſciſcitatum eſſe Chriſtum, liceatne benefacere Sabbathis an malefacere. Nam qui vitam hominis perdit, maleficii reus eſt: ab homicida autem parum differt qui laboranti opem ferre non curat. Perſtringit ergo eos Chriſtus quod prætextu ſanctæ quietis, ad male agendum cogere vellent: quia non tantum delinquit, ſicut dictum eſt, qui aliquid contra Legem deſignat, ſed etiam qui officium ſuum negligit. Hinc etiam perſpicimus non iiſdem ſemper rationibus uſum eſſe Chriſtum, ut calumniam hanc depelleret: quia hic de ſua divinitate non diſputat, quemadmodum apud Joannem. nec vero operæpretium fuit, quum hæc una defenſio abunde Phariſæos refelleret, nihil ſcilicet minus eſſe conſentaneum quam Sabbathi transgreſſorem cenſeri qui Deum imitaretur.

8. Luc. *Ipſe vero ſciebat.*] Si verum dicit Matthæus, palam ſermone ſuo prodiderant quid haberent in animo. Non ergo tacitæ eorum cogitationi, ſed apertis verbis reſpondit Chriſtus. Sed utrumque ſtare poteſt, quod palam loquuti ſint, & de ſecreto eorum affectu judicaverit Chriſtus: neque enim profitebantur quid captarent, ſicut & Matthæus ipſe exprimit, captioſam fuiſſe illorum interrogationem: ideo nihil aliud intelligit Lucas quam notas Chriſto inſidias fuiſſe, licet verbis aliud obtenderent. Marcus addit Chriſtum intuitum eſſe eos cum iracundia: merito enim tam impiæ contumaciæ iraſci debuit. Atque ut ſciamus juſtam & ſanctam iram fuiſſe, inde ortam eſſe dicit quod ſuper cæcitate cordis eorum condoleſceret. Primum ergo triſtis eſt Chriſtus quod homines in Lege Dei exercitati tam craſſe cæcutiant. Sed quia eos excæcabat malitia, ſimul cum dolore iracundiam concipit. Hæc vera eſt zeli moderatio, quum de hominum impio-

rum exitio ſumus anxii, & contra impietatem excandeſcimus. Quemadmodum autem hic locus teſtatur Chriſtum ab humanis paſſionibus non fuiſſe immunem: ita hinc colligimus, paſſiones ipſas per ſe non eſſe vitioſas, modo abſit intemperies. Nos quia propter corruptam naturam modum non tenemus, nunquam ſine peccato iraſcimur, etiam juſtas ob cauſas: Chriſti alia fuit ratio, in quo non ſolum viguit naturæ integritas, ſed abſolutum juſtitiæ exemplar extitit. Petendus ergo nobis eſt è cælo Dei Spiritus qui exceſſus noſtros corrigat.

MATTH. XII.

14. Porro Phariſæi egreſſi ceperunt conſilium adverſus eum quomodo ipſum perderent.

15. At Jeſus hoc cognito, ſeceſſit illinc: ſequutæque ſunt eum turbæ multæ, & ſanavit eos omnes.

16. Et interminatus eſt illis ne ſe facerent manifeſtum.

17. Ut compleretur quod dictum erat per Eſaiam Prophetam, qui ait,

18. Ecce ſervus meus quem elegi, dilectus meus, in quo ſibi bene complacuit anima mea: ponam Spiritum meum ſuper illum, & judicium Gentibus annunciabit.

19. Non contendet, neque clamabit, neque audiet quiſquam in plateis vocem ejus.

20. Arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet: donec ejiciat ad victoriam judicium.

21. Et in nomine illius Gentes ſperabunt.

MARC. III.

6. Egreſſi vero Phariſæi, ſtatim una cum Herodianis conſilium inibant adverſus eum, ut illum perderent.

7. Jeſus autem cum diſcipulis ſuis ſeceſſit ad mare: & ingens multitudo à Galilæa ſequuta eſt eum, & ab Judæa,

8. Et ab Hieroſolymis, & ab Idumæa, & trans Jordanem, & qui circa Tyrum habitabant ac Sidonem, *hominum* multitudo magna: qui quum audiſſent quæ faciebat, venerunt ad eum.

9. Et juſſit diſcipulis ſuis ut navicula ſibi deſerviret propter turbam, ne ipſum premerent.

10. Multos enim ſanaverat: ita ut irruerent in eum, quo illum tangerent, quotquot affligebantur.

11. Et ſpiritus immundi quum illum vidiſſent, procidebant ei, & clamabant, dicentes, Tu es Filius Dei.

12. Et vehementer interminabatur eis ne ſe manifeſtum facerent.

LUC. VI.

11. Ipſi autem repleti ſunt amentia, & colloquebantur inter ſe quidnam facerent Jeſu.

14. *Porro Phariſæi.*] En quam pertinax furor reprobos ad reſiſtendum Deo impellat. Nam convicti, ſuam virulentiam magis ac magis profundunt. Hoc certe deteſtabile monſtrum eſt, quod primarii Legis doctores, qui gubernacula Eccleſiæ tenebant, latronum inſtar per cædes graſſantur. Sed ita accidere neceſſe eſt quoties huc prorupit hominum malitia, ut extinctum cupiant quicquid adverſum eſt eorum libidini, quamvis ex Deo ſit. Quod fuga elabitur Chriſtus, timori imputandum non eſt. Neque enim animoſior factus eſt temporis ſucceſſu: ſed eadem Spiritus fortitudine dum fugit, præditus erat, qua ſe poſtea ultro ad mortem obtulit. Atque hæc pars exinanitionis ejus fuit, quam ad Phil. cap. 2: 7. laudat Paulus, quod quum miraculo in promptu haberet vitam ſuam tueri, fugiendo infirmitatem noſtram ſubire maluit. Porro non alia de cauſa mori diſtulit, quam quia nondum opportunum tempus, & à Patre decretum venerat. Interea perſpicuum eſt cæleſti potius virtute ſervatum fuiſſe quam fuga: neque enim hoſtibus difficile erat in eum receſſum, quo ſe contulit, penetrare: nec ſe in tenebras abdidit magnum comitatum ſecum trahens, & miraculis nobilitans locum iſtum; ſed tantum ab eorum conſpectu ſe ſubduxit ne rabiem acueret. Marcus addit conſilium eos captaſſe cum Herodianis, quos tamen peſſime oderant. Nam quum videri vellent publicæ libertatis cuſtodes ac vindices, neceſſe erat ut capitale diſſidium ex profeſſo cum Tyranni miniſtris exercerent: prævalet tamen furioſum Chriſti odium ut non modo cum alienis conſpirent, ſed familiariter ſe inſinuent in eorum gratiam à quorum congreſſu alias abhorrent. Nam quum impietas huc illuc homines raptando, in diverſas partes agat, uno tamen conſenſu eos in certamen cum Deo committit. Ita nullæ inimicitiæ obſtant quominus manum porrigant alii aliis ad oppugnandam Dei veritatem.

16. *Et interminatus eſt.*] Aliud quiddam magis ſpeciale ponit Marcus, quod ſpiritus immundos compeſcuerit qui clamabant ipſum eſſe Filium Dei. Cauſam vero alibi oſtendimus cur ejuſmodi teſtes non admiſerit. Neque tamen dubium eſt quin divinitus extorta fuerit diabolis hæc confeſſio. ſed poſtquam oſtendit Chriſtus imperio ſuo eſſe ſubjectos, merito ſimul à teſtimonio depulit. Sed latius patet quod dicit Matthæus: nempe quod Chriſtus ſignorum, quæ edebat, famam ſpargi vetuerit: non quod eam penitus ſupprimi vellet, quemadmodum alibi admonuimus; ſed ut acta radice, maturum deinde & uberem fructum proferret. Scimus enim Chriſtum non luſiſſe in miraculis, ſed hunc habuiſſe propoſitum finem ut ſe Dei Filium probaret, ac datum mundo Redemptorem. Sed paulatim in lucem prodiit, ac per certos gradus: nec aliter patefactus eſt qualis erat, quam ferebat ordinatum à Patre tempus. Notare tamen operæpretium eſt, dum maxime conantur impii Dei gloriam obruere, adeo non conſequi quod ſperant, ut Deus retrorſum potius agat perverſa eorum ſtudia. Quia enim loci celebritate ceſſerit Chriſtus, in ipſis tamen latebris non deſinit fulgere ejus gloria, imo in juſtum ſuum ſplendorem magnifice erumpit.

17. *Ut impleretur quod dictum eſt.*] Non intelligit Matthæus in eo prorſus completum fuiſſe vaticinium, quod Chriſtus rumores de ſua virtute cum magno ſtrepitu vulgari prohibuit: ſed hac quoque in parte editum fuiſſe ejus manſuetudinis ſpecimen, quæ apud Jeſaiam in perſona Meſſiæ depingitur. Virtutes illæ quas inter paucos editas magnifice jactari noluit Chriſtus, cælum & terram concutere poterant. Ergo non vulgari documento oſtendit quam procul abeſſet ab oſtentatione & pompa mundi. Utile tamen eſt propius excutere Matthæi conſilium: hac enim circumſtantia monſtrare voluit, non ideo minoris æſtimandam eſſe divinitatis Chriſti gloriam quod ſub infirmitatis ſpecie apparuit.

ruit. Et certe in eundem ſcopum direxit Spiritus ſanctus oculos Prophetæ. Nam ut caro ſemper externum ſplendorem appetit, ne illum in Meſſia quærerent fideles, teſtatus eſt Spiritus Dei, prorſus diſſimilem fore terrenis Regibus, qui ut ſibi admirationem concilient, quocunque veniunt, magnos concitant clamores, urbes & oppida tumultu implent. Nunc perſpicimus quam apte Matthæus ad præſentem cauſam accommodet Prophetæ vaticinium. nam quia Deus Filio ſuo humilem abjectamque perſonam impoſuit, ne quid ſcandali rudes concipiant ex contemptibili & obſcura ejus forma, tam Propheta quam Matthæus occurrunt, ac pronunciant, non temere, ſed cæleſti decreto ita fieri ut talis prodeat. Unde ſequitur, perperam facere eos omnes qui Chriſtum aſpernantur quia carnis votis non reſpondet externa ejus conditio. Neque enim nobis Chriſtum imaginari fas eſt qui ingenio noſtro reſpondeat: ſed ſimpliciter neceſſe eſt eum amplecti qualis offertur à Patre. Itaque ſalute indignus eſt cui vileſcet Chriſti humilitas, quam ſibi placere Deus teſtatur. Nunc deſcendo ad verba Prophetæ.

Eſa. 42. verſ. 1. 18. *Ecce ſervus meus.*] Quo nos ad arbitrium ſuum aſtringat Deus, quaſi digito oſtendit quem miſſurus eſt. atque huc pertinet demonſtrationis nota *ecce*. Similis etiam ratio ſubeſt in epithetis quæ ſequuntur, quod ſervum ſuum nominat, & electum in quo acquieſcit ejus animus. unde enim fit ut Chriſtum homines ſuo ſenſu metiri audeant, niſi quia non expendunt redemptionem ſuam à mera Dei gratia pendere? Hæc vero nimis improba eſt licentia, quum nobis incomparabilem theſaurum offerat Deus, pretium illi ſtatuere pro carnis noſtræ faſtidio. Et per excellentiam vocatur ſervus: non tanquam unus quilibet ex vulgo, ſed cui Deus redimendæ Eccleſiæ partes & munus injunxit. Quia vero nemo ſibi uſurpat honorem, ſed qui vocatus eſt, merito in ordine cenſetur: pronunciat Deus ſuo decreto electum eſſe qui talis prodit. unde ſequitur, fas non eſſe hominibus ipſum reſpuere: quia in Deum contumelioſi & ſacrilegi eſſent. Et certe nimis abſurdum eſt ut noſtra libidine vel ſuperbia irrita fiat quæ ſancta & inviolabilis eſſe debet Dei vocatio. Longius tamen patet quod addit Deus apud Prophetam, Beneplacitum animæ ſuæ reſidere in Chriſto. nam etſi cujuſque noſtrum vocatio à gratuito Dei favore, tanquam unico fonte, manat: hoc tamen ſingulare eſt in Chriſto quod in ejus perſona totam Eccleſiam amore ſuo complectitur Deus Pater. Nam quum natura inimici Dei ſimus omnes, nunquam ad nos perveniet ejus amor niſi à capite primum incipiat: ſicut alibi viſum eſt, ac iterum videbitur cap. 17. *Judicium Gentibus annunc.* Officium Chriſti breviter deſignat Propheta quum fore prædicit ut judicium Gentibus proferat. Judicii autem nomine comprehendunt Judæi ſtatum rite & ordine compoſitum, ubi viget æquitas & rectitudo. Perinde eſt igitur acſi dixiſſet Propheta, venturum etiam qui collapſam juſtitiam reſtituat: & quidem non unius tantum populi ſit moderator, ſed Gentes etiam adducat ſub Dei imperium, inter quas prius regnabat vaſta diſſipatio. Atque hoc ſignificat verbum Educere, quo utitur Propheta: quia officium Chriſti fuit regnum Dei quod tunc incluſum erat in angulo

Pſal. 110. verſ. 2. Judææ, propagare in totum orbem. ſicut alibi dicitur, Sceptrum virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. Simul etiam proferendi judicii modus exprimitur, quod Deus Spiritum ſuum ponet in Chriſto. Verum quidem eſt, nihil unquam fuiſſe rectitudinis in mundo, quod non profectum ſit à Dei Spiritu, & cæleſti ejus virtute conſtiterit: quemadmodum etiam nemo ex Regibus legitimum ordinem vel erigere vel tueri poteſt, niſi quatenus eodem Spiritu inſtructus erit. Sed Chriſtus in proferendo judicio longe alios omnes excellit: quia Spiritum accepit à Patre, quem in ſuos omnes effundat. non enim voce tantum vel ſcripto dictat quid rectum ſit, ſed Spiritus ſui gratia intus format corda hominum ad ſervandam juſtitiæ regulam.

19. *Non contendet.*] Summa eſt, ut nuper attigi, non fore tumultuoſum Chriſti adventum, quia Regio apparatu ſplendoreque carebit. mox tamen ſubjicitur, id in hominum ſalutem fore: ut amabilis ſit iſta manſuetudo quæ paſſim in mundo ſpernitur. Et certe mira eſt hominum ſtultitia quod minus honorifice de Chriſto ſentiant quia ſe ad eorum modulum placide ultroque demittit. Appareat Chriſtus in ſua gloria, quid futurum putamus niſi ut nos totos abſorbeat? Quænam igitur iſta pravitas eſt, minus libenter eum excipere qui in gratiam noſtram ex altitudine ſua deſcendit? Ergo ut Chriſti comitas reverentiam illi apud fideles conciliet, quam utilis, imo neceſſaria ſit, admonet Jeſaias. Sibi quiſque noſtrum fragilitatis ſuæ conſcius eſt: hinc reputare convenit quanropere omnibus expediat indulgenter à Chriſto foveri. Non loquor de incredulis qui omni Spiritus gratia prorſus adhuc vacui ſunt: ſed qui jam vocati ſunt à Domino, donec plenius in illis lumen accendat, & ſolidum robur ſuppeditet. Annon omnes ſemifractæ arundini & ellychnio fumiganti ſimiles ſunt? Quod ergo ita ſe Chriſtus noſtræ infirmitati attemperat, immenſam ejus bonitatem exoſculari diſcamus. Interea tamen nemo ſibi in vitiis blandiatur, ſed pro ſe quiſque in melius proficere ſtudeat, ne jactemur tota vita, vel ad quamlibet auram nutemus arundinum inſtar: ſed adoleſcamus in viros perfectos, ut firmi ſtemus contra varios Satanæ inſultus: ne exiguis tantum ſcintillis & obſcura fuligine implicitis fides noſtra micet, ſed lucidos radios emittat. Jam vero Chriſti exemplo omnibus ejus miniſtris præſcribitur qualiter ſe gerere debeant. Sed quia hujus loci prætextu, falſo & inſulſe quidam prætendunt, promiſcue cum omnibus tenendam eſſe manſuetudinem: notandum eſt diſcrimen quod diſerte ſtatuit Propheta inter infirmos & improbos. Nam qui plus ſatis robuſti ſunt, eorum duritiem malleo violenter contundi par eſt: qui vel tenebras ubique obducere conantur, vel faces ſunt ad excitanda incendia, eorum fuliginem diſcuti, & ardorem extingui neceſſe eſt. Ergo ſicuti danda eſt opera fidelibus verbi miniſtris ut infirmis parcendo, gratiam Dei (quæ adhuc in illis exigua eſt) foveant atque augeant: ita prudenter cavendum ne obſtinatæ eorum malitiæ indulgeant qui nihil habent affine cum fuſco ellychnio vel arundine quaſſata.

20. *Donec ejiciat judicium.*] Paulo aliter habent verba Prophetæ, quod ſcilicet judicium in veritate proferet vel educet. Loquutio tamen qua uſus eſt Matthæus, valde emphatica eſt: ut ſciamus non ſine magno certamine & conatu conſtitui in mundo juſtitiam. Nam diabolus quaſcunque poteſt difficultates ingerit, ut illa nonniſi luctando erumpat: idque confirmat nomen victoriæ, quæ nonniſi pugnando acquiritur. Pro eo quod mox ſequitur, habet Propheta, Legem ejus inſulæ expectabunt. Quanquam autem Matthæus verba mutaverit, in ſenſu tamen convenit, Chriſti gratiam Gentibus communem fore.

MATTH. XII.	MARC. III.	LUC. XI.
22. Tunc adductus eſt ad eum qui dæmonio agitabatur cæcus & mutus: & ſanavit illum, ita	20. Et veniunt in domum, & convenit iterum turba, ſic ut non liceret illis vel panem edere.	14. Et erat ejiciens dæmonium, & illud erat mutum. Quum-

que

ut cæcus ac mutus loqueretur & cerneret.

23. Et obſtupuerunt omnes turbæ, dicebanrque, Num hic eſt filius David?

24. At Phariſæi quum audiſſent, dicebant, Hic non ejicit dæmonia niſi per Beelzebub principem dæmoniorum.

21. Et quum audiſſent qui ad illum attinebant, exierunt utmanus injicerent in eum: dicebant enim, In furorem verſus eſt.

22. Et Scribæ qui ab Hieroſolymis deſcenderant, dicebant, Beelzebub habet, & per principem dæmoniorum ejicit dæmonia.

que ejeciſſet dæmonium, loquutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ.

15. Quidam autem ex eis dixerunt, Per Beelzebub principem dæmoniorum ejicit dæmonia.

Non dubium eſt quin Marcus ſpatium aliquod temporis ſatis longum comprebendat, quum à miraculis deſcendit ad impiam conſpirationem quam inter ſe fecerunt Chriſti cognati, ut eum quaſi furioſum vincirent. Apud Matthæum & Lucam expreſſa tantum unius miraculi fit mentio, quod maledicendi occaſionem Phariſæis præbuit. Quia vero in hoc poſtremo membro tres ſimul conveniunt, quod à Marco refertur huc inſerere viſum eſt. Mirum vero quod in Cbriſti cognatis tanta fuerit pravitas, qui ad promovendum Dei regnum primi adjutores eſſe debuerant. Quum vident aliquod jam nomen illi eſſe partum, titillat eos ambitio ut Hieroſolymæ celebrari cupiant. hortantur enim ut illuc aſcendat, quo ſe melius oſtentet. Nunc quia vident partim exoſum eſſe primoribus, partim multis calumniis obnoxium, contemni etiam à magna parte: nequid damni, vel invidiæ, vel dedecoris redundet ad commune genus, injicere illi manum cogitant, & domi conſtringere tanquam hominem mente alienatum, atque ita fuiſſe perſuaſos, ex verbis Evangeliſtæ liquet. Unde primum diſcimus quanta ſit humani ingenii cæcitas, quod tam perverſe judicat de manifeſta Dei gloria. Certe virtus Spiritus ſancti magnifice refulgebat in omnibus Chriſti dictis ac factis. quod ſi aliis fuiſſet obſcura, conſanguineos propter familiarem notitiam quomodo latere poterat? Sed quoniam agendi ratio quam Cbriſtus tenet, mundo non arridet, adeoque favorem illi non conciliat ut potius exponat multorum odiis, eſtaticum eſſe fingunt. Diſcamus ſecundo loco, fidei lucem non ex carne & ſanguine eſſe, ſed ex cæleſti gratia, nequis in alio quam Spiritus generatione glorietur: quem-
2 Cor. 5. admodum Paulus admonet, Siquis in Chriſto cen-
verſ. 17. ſeri vult, ſit nova creatura.

22. *Tunc adductus eſt.*] Lucas dæmonium à quo poſſidebatur bomo, ab effectu mutum nominat: Matthæus tamen dicit duplicem plagam fuiſſe homini inflictam. Certum quidem eſt multos naturalibus vitiis cæcos eſſe & mutos: ſed hunc oculis captum fuiſſe apparet, & ſermonis uſu privatum, quamvis in nervis opticis, vel in linguæ ſymmetria nullus eſſet defectus. Porro non mirum eſt tantum licentiæ ad vitiandos corporis ſenſus Satanæ permitti, quum omnes animæ facultates juſto Dei permiſſu corrumpat vel pervertat.

23. *Et obſtupuerunt omnes turbæ.*] Hinc colligimus perſpicuam fuiſſe Dei virtutem, quæ in admirationem ſui turbam ab omni maligno affectu puram & integram rapuit. unde enim factum eſt ut admirati ſint omnes, niſi quia res ita cogebat? Et certe nemo eſt noſtrum qui non in hac hiſtoria, tanquam in ſpeculo, inſolitam Dei potentiam cernat. unde conficitur diabolico veneno infectas fuiſſe Scribarum mentes, qui tam præclarum Dei opus calumniari veriti non ſunt. Cæterum notandus eſt miraculi fructus, quod admiratione tacti qui viderant, ſecum inquirunt numquid Jeſus ſit Chriſtus. Nam agnita Dei virtute, quaſi manu ducuntur ad fidem: non quod repente profecerint quantum oportebat: (dubitanter enim loquuntur) ſed hic tamen non exiguus eſt profectus, dum ſeſe expergefaciunt ad conſiderandam attentius Chriſti gloriam. Quibuſdam videtur eſſe plena affirmatio: ſed verba nihil tale ſonant, & res ipſa oſtendit re inopinata perculſos non perfecte judicaſſe, ſed tantum illis veniſſe in mentem, fieri poſſe ut ille eſſet Cbriſtus.

24. *At Phariſæi dicebant.*] Quia in re tam aperta & convicta tergiverſari nequeunt Scribæ, maligne tamen arrodunt quod divinitus à Chriſto factum erat: nec modo laudem miraculi obſcurant, ſed in probrum trahere conantur, quaſi magico exorciſmo editum fuerit: & ejus operis quod homini tribui non poterat, diabolum fingunt eſſe auctorem. De voce Beelzebub dictum eſt cap. 10. De principatu inter diabolos cap. 9. attigimus. neque enim ex vulgi errore aut ſuperſtitione natum eſt quod Scribæ unum inter ſpiritus malignos principem ſtatuunt, ſed ex recepta inter pios ſententia: ut reprobis ſuum ſit caput, quemadmodum caput Eccleſiæ eſt Chriſtus.

MATTH. XII.

25. Jeſus autem quum ſciret cogitationes illorum, dixit illis, Omne regnum diviſum adverſus ſeſe, deſolabitur: & omnis civitas aut domus diviſa adverſus ſeſe, non ſtabit.

26. Et ſi Satanas Satanam ejicit, adverſus ſeipſum diviſus eſt: quomodo igitur ſtabit regnum illius?

27. Et ſi ego præſidio Beelzebub ejicio dæmonia, filii veſtri cujus præſidio ejiciunt? propterea ipſi judicabunr de vobis.

28. Quod ſi Spiritu Dei ejicio dæmonia, ergo pervenit ad vos regnum Dei.

MARC. III.

23. Et ad ſe vocatis eis, in parabolis dicebat; Quomodo poteſt Satanas Satanam ejicere?

24. Et ſi regnum adverſus ſe diviſum fuerit, non poteſt ſtare regnum illud.

25. Et ſi domus contra ſeipſam diviſa fuerit, non poteſt ſtare domus illa.

26. Et ſi Satanas inſurrexit contra ſeipſum ac diviſus eſt, non poteſt ſtare, ſed finem habet.

27. Non poteſt quiſquam vaſa fortis, ingreſſus domum illius, diripere,

LUC. XI.

17. Ipſe autem quum ſciret cogitationes illorum, dixit eis, Omne regnum adverſus ſe diviſum deſolatur, & domus ſuper domum cadit.

18. Quod ſi Satanas quoque adverſus ſeipſum diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum ejus? quia dicitis per Beelzebub me ejicere dæmonia.

19. Quod ſi ego per Beelzebub ejicio dæmonia, filii veſtri per quem ejiciunr? ideo ipſi judices veſtri erunt.

20. Porro

29. Alioqui quomodo poteſt aliquis intrare domum potentis, & vaſa illius diripere, niſi prius vinxerit potentem, & tunc domum illius diripiet?

30. Qui non eſt mecum, adverſum me eſt: non congregat & qui mecum, ſpargit.

31. Propterea dico vobis, Omne peccatum & convitium remittetur hominibus: at convitium in Spiritum non remittetur hominibus.

32. Et quicunque dixerit verbum adverſus Filium hominis, remittetur illi: qui autem dixerit adverſus Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque in præſenti ſeculo, neque in futuro.

niſi prius fortem alligaverit, & tunc domum ejus diripiet.

28. Amen dico vobis, Omnia remittentur filiis hominum peccata & blaſphemiæ quibuſcunque blaſphemaverint.

29. At qui convitium dixerit in Spiritum ſanctum, non habet remiſſionem in æternum, ſed obnoxius eſt æterno judicio.

30. Dicebant enim, Spiritum immundum habet.

20. Porro ſi digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit ad vos regnum Dei.

21. Quum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt quæ poſſidet:

22. Ubi vero fortior eo ſuperveniens vicerit eum, univerſa ejus arma aufert, in quibus confidebat, & ſpolia ejus diſtribuit.

23. Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit.

Luc. XII.

10. Et quiſquis loquitur dictum in Filium hominis, remittetur ei: qui vero in Spiritum ſanctum blaſphemaverit, non remittetur ei.

25. *Jeſus autem quum ſciret cogitationes.*] Quanquam ſatis ſciebat Chriſtus, & ſæpe expertus fuerat, Scribas pro ſua malevolentia, quicquid ageret, in ſiniſtram partem rapere ſolitos: non tamen dubito quin Matthæus & Lucas ſignificent Chriſtum fuiſſe cordium cognitorem. ac probabile quidem eſt, obloquutos palam fuiſſe Chriſto ut ad eum pervenerint calumniæ: ſed divino ſuo Spiritu cognovit Chriſtus quo animo detraherent. Sæpe enim accidit ut præpoſtere judicent homines, qui tamen data opera non impugnant quod rectum eſt, ſed per inſcitiam labuntur: vel occultum & reconditum virus non fovent, ſed temeritate feruntur præcipites. Senſus ergo eſt, ideo vehementius invectum eſſe Chriſtum contra eos, quia conceptæ intus malitiæ teſtis ac judex erat. *Omne regnum.* Calumniam ſibi objectam primum refutat ptoverbiali ſententia: videtur tamen parum ſolida eſſe refutatio. Scimus enim quibus interdum præſtigiis illudat Satan, ſpeciem diſſidii oſtentans, ut ſuperſtitionibus illaqueet hominum mentes. Ita exorciſmi in Papatu nihil aliud ſunt quam umbratiles & fictitii Satanæ contra ſeipſum conflictus. Verum nulla in Chriſtum cecidit talis ſuſpicio: quia ſic dæmones ejecit ex hominibus ut ſanos & integros Deo reſtitueret. Quoties ſecum diabolus colludit, ſe ita vinci ſimulat ut ipſe idem nihilominus triumphet: atqui Chriſtus aperto Marte diabolum aggreſſus eſt ut illum prorſus dejiceret, nec quicquam ei faceret reſiduum. Non proſtravit eum una in parte ut in altera magis ſtabiliret: verum undique omnes ejus machinas diruit. Apte ergo ratiocinatur Chriſtus, ſibi nihil eſſe cum eo commune: quia hoc unum propoſitum habet ille aſtutiæ pater ut regnum ſuum conſervet. Siquis objiciat, diabolos ſæpe vertigine & cæca amentia raptari ut ſeipſos conficiant: in promptu eſt reſponſio, non aliud ſonare verba Chriſti quam abſurdum eſſe quod jactabant Scribæ, diabolum ſponte evertere quam habebat in homines poteſtatem, qui modis omnibus eos ſibi mancipare ſtudet. Deinde memoria tenendum eſt, vulgo receptis proverbiis ita uſum eſſe Chriſtum, ut tantum eſſent probabiles conjecturæ, non autem ſolide probarent. Adde quod de re nota & ſatis teſtata loquens, ſecurius hoſtium conſcientiam compellat. Neminem latebat Satanam à Chriſto ſua poſſeſſione depelli: nec quicquam manifeſtius erat quam in hunc finem tendere omnia ejus miracula. unde facile erat ſtatuere ejus virtutem, quæ adeo Satanæ contraria erat, divinam eſſe.

27. *Filii veſtri per quem ejiciunt?*] Iniqui & maligni judicii eos inſimulat quod de eadem re non ſimiliter pronunciarent, ſed prout affecti erant erga perſonas. Hæc autem inæqualitas oſtendit quod æquum & tectum eſt non valere, ſed cæcum amorem vel odium dominari: imo hoc & pravæ φιλαυτίας & invidiæ ſignum erat, in Chriſto damnare quod in ſuis laudi ducebant. Filios eorum quidam accipiunt pro filiis totius gentis. & quidam Apoſtolos ſic vocari putant, quia pro filiis agnoſcerentur, quum Chriſtum haberent extranei hominis loco. Alii ad veteres Prophetas referunt. Ego vero non dobito quin Exorciſtas notet, quorum tunc vulgaris erat uſus apud Judæos, ſicuti patet ex decimo nono Actorum capite, v. 17. Nam veriſimile eſt nihilo humanius ſenſiſſe ipſos de Chriſti diſcipulis, quam de Magiſtro. Et coactum eſt ad mortuos trahere, quum verba clare ſonent ejuſdem temporis comparationem. Noo habebant quidem Judæi Exorciſtas ex Legis præſcripto: verum ſtimus Deum, ut in fœderis ſui fide puroque cultu illos retineret, ſuam inter eos præſentiam variis miraculis ſubinde teſtatum eſſe. Ita fieri potuit ut invocato Dei nomine dæmones fugarenr. Populus vero talem Dei virtutem expertus, ordinarium ſibi munus temere inſtituit. Poſtea etiam Papiſtæ, ne ſua conditio inferior eſſet, illos æmulati ſunt in creandis Exorciſtis: atque hoc modo ſimiarum ſimiæ fuerunt. Porro nihil opus fuit exorciſmos illos Chriſti elogio probari ut iſtorum malitiam perſtringeret qui ſacros haberi volebant, & Dei nomine inſignes: Chriſtum interea fingebant Beelzebub mioiſtrum. Nam objectio eſt ad perſonam (ut loquuntur) directa. Quod continuo poſt ſequitur, filios ipſorum fore judices: improprie dictum eſt, hoc ſenſu, Non longe petenda eſt veſtra condemnatio: ad Beelzebub transfertis quæ à me eduntur miracula: eadem in filiis veſtris laudatis. Domi igitut habetis quod ad vos damnandos ſufficiat. Quod ſi quis malit ſecus accipere, nempe exprobrari Dei gratiam quæ ſe interdum per Exorciſtas proferebat, non valde tepugno. Quamvis enim degeneres eſſent, noluit tamen Dominus ſua virtute eos penitus deſtitui: ut in genere Sacerdotium & Templi cultum aliquo teſtimonio ornaret. Nam ad rem magnopere pertinuit, à Gentium ſuperſtitionibus claris notis diſcerni. Prior tamen ſenſus mihi genuinus videtur.

28. *Quod ſi Spiritu Dei.*] Lucas metaphorice Digitum ponit pro Spiritu: nam quia per Spiritum ſuum operatur Deus, virtutemqoe ſuam exerit, apte illi tribuitur Digiti nomen. Atqoe hæc loquutio trita fuit ioter Judæos: ſicuti Moſes Pharaonis ma- *Exod* 8.
gos dixiſſe refert, Hic eſt digitus Dei. Cæterum *verſ.* 19.

Chriſtus ex ſuperioribus colligit, Deo ingratos eſſe Scribas qui illum apud ſe regnare nolunt. Hactenus enim diluit futilem eorum calumniam: nunc quaſi convictis denunciat ne impie ſe opponant Dei regno. Nec vero ſe intra unum miraculum continet: ſed ejus occaſione de adventus ſui cauſa diſſerit, ſignificans non unum peculiare factum illis conſiderandum eſſe, ſed aliquid longe præſtantius, quod ſcilicet Deus patefacto Meſſia ſuo collapſam eorum ſalutem erigere, ac regnum ſuum inter eos reſtituere vellet. Ergo videmus de eorum ingratitudine Chriſtum conqueri: quia furioſe incomparabilem Dei gratiam è medio ſui rejiciant. Nam emphaſis eſt in verbo Pervenit, quod ſcilicet ultro illis appareat Deus redemptor: illi vero quantum in ſe eſt, procul amoveant, præſentique & in ſalutem eorum parato non ſuſtineant locum dare.

29. *Quomodo poteſt aliquis intrare.*] Tametſi verbis paululum differunt Euangeliſtæ, tamen de rei ſumma inter eos optime convenit. proſequitur enim Chriſtus quod nuper attigerat de regno Dei: ac neceſſarium eſſe admonet Satanam violenter expelli, quo Deus regnum ſuum obtineat inter homines. Quare hæc ſententia nihil aliud eſt quam proximæ confirmatio. Verum ut certius teneamus Chriſti mentem, memoria repetere convenit analogiam illam quam ſupra Matthæus ſtatuit inter viſibiles & ſpirituales Chriſti gratias. Quicquid ergo corporibus præſtitit Chriſtus, ad animas referri voluit. ita quum à tyrannide diaboli liberavit corporales hominum ſenſus, ſe miſſum eſſe à Patre vindicem teſtatus eſt qui ſpiritualem ejus in animas tyrannidem aboleret. Nunc redeo ad ejus verba. Negat forti & valido tyranno abrogari poſſe imperium, donec ſuis armis ſpoliatus fuerit: quia niſi alia vis ſuperior oppoſita fuerit, nunquam ſponte ceſſurus eſt. Quorſum hoc dicitur? Primo ſcimus diabolum paſſim vocari mundi principem. Tyrannis vero quam occupat, validis undique præſidiis munita eſt. Innumeri enim ſunt laquei ad illaqueandos homines: imo jam ſibi mancipatos compedibus variis ita conſtringet, ut ſervitutem cui addicti ſunt, potius foveant quam ad libertatem ullo modo adſpirent. Innumeræ deinde ſunt noxarum ſpecies quibus miſere oppreſſos ſub pedibus tenet. Denique nihil obſtat quominus ſine controverſia in mundo tyrannice dominetur. non quod Opifice ipſo invito quicquam poſſit: ſed quia poſteros ſuos omnes Adam, ubi ſe alienavit à Dei imperio, ſub hanc alienam dominationem redegit. Cæterum quamvis præter naturam regnet diabolus, juſtaque Dei vindicta propter peccatum ejus tyrannidi ſubjecti ſint homines, tranquilla tamen eſt illi regni poſſeſſio, ut impune nobis inſultet donec fortior inſurrexerit. Porro fortior hic in terra non reperitur, quando nulla hominibus ad ſe juvandos ſuppetit facultas. ideo promiſſus fuit è cælo redemptor. Jam hunc redemptionis modum Chriſtus neceſſarium eſſe oſtendit, ut diabolo manu armata extorqueat quod nunquam niſi coactus dimittet. Quibus verbis ſignificat, fruſtra homines liberationem ſperare donec violento conflictu ſubactus fuerit Satan. Quanquam autem Scribarum inſcitiam ex profeſſo arguit, quod principia regni Dei non tenerent: hæc tamen objurgatio fere in omnes competit, quando eadem fere ſtultitia laborant. Nemo eſt qui non verbis jactet ſe cupere regnum Dei: interea Chriſtum fortiter, ſicut opus eſt, præliari non patimur, ut nos è manu tyranni noſtri eripiat. perinde acſi quis ægrotus medici opem imploret, ab omnibus autem remediis abhorreat. Nunc tenemus quo conſilio parabolam hanc adduxerit Chriſtus: nempe ut Scribas oſtendat regno Dei adverſos eſſe, cujus primordiis maligne obſtabant. Diſcamus tamen, quia obnoxii ſumus omnes Satanæ, Deum non aliter ſuum in nobis regnum auſpicari, quam dum forti & victrice Chriſti manu ab infauſta illa triſtique ſervitute nos liberat.

30. *Qui non eſt mecum.*] Bifariam exponitur hic locus. quidam ita contexunt ut ſit argumentum à repugnantibus: acſi dixiſſet Chriſtus, Non poſſum niſi everſo diabolo regnare: quia in hoc intenti ſunt omnes ejus conatus ut diſpergat quicquid colligo. Et certe plus ſatis videmus quam ſtrenue hoſtis ille in diſſipationem regni Chriſti incumbat. Ego tamen eorum ſententiæ potius ſubſcribo qui Scribas duplices regni Dei adverſarios vocari exponunt, quia data opera impediunt ejus progreſſus. Senſus ergo eſt, Veſtrum erat mihi adeſſe, manumque porrigere in erigendo Dei regno. Nam quiſquis non adjuvat, quodammodo ſeſe opponit: vel ſaltem dignus eſt qui cenſeatur inter hoſtes. Quid vos igitur, quos rabioſa intemperies ad manifeſtum certamen impellit? Porro ex ſuperioribus ſatis liquet quam vere nunc dicat Chriſtus, quicunque ſecum non colligunt, diſpergere: quando ea eſt naturæ noſtræ ad malum propenſio, ut locus non ſit Dei juſtitiæ niſi apud eos qui ſe ad illam ſerio applicant. Longius etiam patet hæc doctrina, Indignos eſſe qui in Chriſti grege reputentur qui ſua illi ſtudia non impendunt: quia fit eorum ignavia ut diffluat & peſſum eat regnum Dei, cui promovendo vocati ſumus omnes.

31. *Propterea dico vobis.*] Illatio hæc non ad proximum membrum reſtringi debet, ſed pendet ex toto contextu. Poſtquam enim docuit Chriſtus, Scribas non poſſe improbare quod dæmones ejiceret quin regnum Dei oppugnent, tandem concludit non leve nec tolerabile eſſe delictum, ſed nefandum crimen, quod ſcientes & volentes Spiritum Dei contumelia afficiant. Præfati enim ſumus, Chriſtum non ex ſimplicibus eorum verbis, ſed impia & ſceleſta cogitatione ſententiam hanc protuliſſe. *Omne peccatum & blaſphemia.* Quia blaſphemiam adverſus Spiritum peccatis omnibus graviorem eſſe Dominus pronunciat, operæpretium eſt inquirere quid hoc verbo ſignificet. Qui impœnitentiam eſſe definiunt, nullo negotio refelli poſſunt: fruſtra enim & inepte negaret Chriſtus in hoc ſeculo remitti. deinde nomen blaſphemiæ ad quævis peccata promiſcue extendi nequit. Sed ex comparatione quam Chriſtus adducit, facile nobis conſtabit definitio. Cur atrocius peccare dicitur qui in Spiritum blaſphemat quam qui in Chriſtum? an quia præcellit Spiritus majeſtas, ut gravius vindicetur? Certe alia eſt ratio: nam quum in Chriſto reluceat plenitudo divinitatis, quiſquis in eum contumelioſus eſt, totam Dei gloriam, quantum in ſe eſt, evertit atque abolet. Jam quomodo à ſuo Spiritu diſtrahetur Chriſtus, ut qui illum probro afficiunt, hunc relinquant illæſum & intactum? Hinc jam colligere incipimus, non quia ſuperior Chriſto ſit Spiritus, blaſphemiam in eum ſuperare alia peccata: ſed quia patefacta Dei virtute quicunque recalcitrant, excuſabiles non ſunt ignorantiæ prætextu. Adhæc notandum eſt, quod de blaſphemia hic dicitur, non referri ad Spiritus eſſentiam ſimpliciter, ſed ad gratiam qua donati ſumus. nam qui Spiritus luce privati ſunt, quantumvis detrahant de Spiritus gloria, rei tamen hujus criminis non agentur. Nunc tenemus probro afficere Spiritum Dei qui deſtinata malitia ejus gratiam & virtutem oppugnant: neque id modo, ſed tale ſacrilegium non committi niſi dum habitantem in nobis Spiritum, ſcientes extinguere conamur. Atque hæc ratio eſt cur Spiritus probro affici potius dicatur quam vel Filius vel Pater ipſe: quia videlicet Dei gratiæ & virtuti detrahendo, Spiritum recta impetimus, à quo prodeunt & in quo nobis apparent. Maledicet quiſpiam incredulus Deo? nempe acſi in parietem cæcus impingeret. In Spiritum vero non maledicit, niſi qui ab eo illuminatus impiæ rebellionis

Blaſphemia nomen.

In Spiritum ſanctum.

Digitized by Google

nis ſibi conſcius eſt. neque enim ſuperflua eſt iſta diſtinctio, quod aliis omnibus blaſphemiis venia dabitur, præterquam huic uni quæ adverſus Spiritum effertur. Siquis in Deum ſimpliciter blaſphemaverit, illi non negatur ſpes veniæ: contumelioſis in Spiritum Deus nunquam propitius fore dicitur. cur hoc, niſi quia hi demum in Spiritum blaſphemi ſunt qui contra proprium animi ſui ſenſum ejus donis & virtuti obtrectant? Eodem quoque ſpectat ratio quæ apud Marcum habetur, Phariſæis ita duriter minatum eſſe Chriſtum quia dixerant ſpiritu immundo præditum eſſe: quia hoc modo lucem in tenebras conſulto & maligne vertebant. Hoc vero eſt Gigantum more, ut loquuntur, bellum Deo inferre.
Quæſtio. Hic tamen naſcitur quæſtio, An eouſque amentiæ proſiliant homines, ut contra Deum ruere, ſcientes & volentes non dubitent: hoc enim videtur eſſe incredibile portentum. Reſpondeo, audaciam hanc prodire quidem ex phrenetica cæcitate, in qua tamen malitia & virulentus furor exuperat. Nec vero abs
1 Tim. 1. verſ. 13. re eſt quod Paulus dicit, quum blaſphemus eſſet, veniam ſe fuiſſe conſequutum, quia ignorans in ſua incredulitate id fecerat; ſuum enim peccatum hac voce à voluntaria contumacia diſcernit. Simul autem hoc loco refellitur eorum error qui voluntarium quodvis peccatum, & quod repugnante conſcientia committitur, irremiſſibile eſſe fingunt. Atqui Paulus diſerte peccatum illud ad priorem Legis tabulam reſtringit: nec minus clare Dominus ſpeciem unam deſignat blaſphemiæ nomine, & ſimul oſtendit directe pugnare cum Dei gloria. Ex his autem omnibus colligere jam licet, in Spiritum ſanctum peccare & blaſphemos eſſe qui Dei virtutes ſibi per Spiritum patefactas, in quibus celebrari ejus gloriam decebat, in ejus dedecus malitioſe convertunt, & cum Satana duce ſuo profeſſi ſunt gloriæ Dei hoſtes. Quare mirum non eſt ſi tali ſacrilegio ſpem veniæ præcidat Chriſtus: deploratos enim eſſe oportet qui unicam ſalutis medicinam in lethale venenum convertunt. Durius hoc quibuſdam videtur, ideoque ad puerile cavillum confugiunt, Irremiſſibile vocari, quoniam ejus venia rara ſit & ad impetrandum difficilis. Atqui expreſſius loquutus eſt Chriſtus quam ut adeo futiliter eludi queant ejus verba. Nimis etiam ſtulte ratiocinantur, crudelem fore Deum ſi peccatum nunquam remittat, cujus atrocitas omnes in ſtuporem rapere debet: nec ſatis reputant quam immane ſit ſcelus, non modo ſacrum Dei nomen data opera profanare, ſed in faciem ejus conſpuere, dum palam relucet. Ejuſdem inſcitiæ eſt quod excipiunt, abſurdum fore ſi ne pœnitentia quidem veniam impetret. Certum enim eſt reprobationis ſignum in Spiritum blaſphemia. Unde ſequitur, quicunque in eam prolapſi fuerint, in reprobum ſenſum datos eſſe. Sicut enim fieri poſſe negamus ut qui vere Spiritu regenitus eſt, ſe in tam horrendum ſcelus præcipitet: ſic rurſus tenendum eſt, qui exciderint, nunquam reſurgere. imo Deum hac quoque in parte gratiæ ſuæ contemptum ulciſci, quod reproborum corda obdurat ut ad reſipiſcentiam nunquam aſpirent.

32. *Neque in præſenti.*] Quid hæc verba ſibi velint, Marcus breviter exprimit, æterno judicio obnoxios fore dicens qui adverſus Spiritum loquuti fuerint. Quotidie remiſſionem peccatorum à Deo petimus, & ipſe nos ſibi reconciliat: tandem in morte abolitis peccatis omnibus, ſe nobis propitium declarat. hujus miſericordiæ fructus ſe extremo die proferet. Senſus ergo eſt, minime ſperandum eſſe ut veniam impetrent in hac vita, vel in extremo judicio abſolvantur quicunque in Spiritum blaſphemaverint. Quod inde colligunt Papiſtæ remitti poſt mortem hominibus peccata: nullo negotio eorum calumnia refutatur. Primum inſulſi ſunt, verbum Futuri ſeculi ad medium * tempus torquendo, quum extremum diem notari cuivis pateat: ſed improbitas etiam deprehenditur, quia cum ipſorum doctrina pugnat quod obtendunt cavillum. Nota eſt eorum diſtinctio, Gratis remitti peccata quoad culpam, ſed pœnam ac ſatisfactionem exigi. Jam fatentur nullam eſſe ſpem ſalutis niſi ante mortem remiſſa fuerit culpa. Mortuis ergo nulla remiſſio ſupereſt niſi pœnæ. Atqui negare non audebunt ſermonem de culpa hic haberi. Eant nunc & ex frigida iſta materia ignem ſuum Purgatorium accendant, ſi poteſt ex glacie flamma excitari.

** Id eſt, quod intercedit inter mortem & judicium extremum.*

Matth. XII. | Marc. | Luc.

33. Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: aut facite arborem vitioſam, & fructum ejus vitioſum: nam è fructu arbor cognoſcitur.

34. Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui quum ſitis mali? ſiquidem ex abundantia cordis os loquitur.

35. Bonus homo è bono theſauro cordis expromit bona: & malus homo ex malo theſauro depromit mala.

36. Sed dico vobis quod de quocunque verbo otioſo quod loquuti fuerint homines, rationem reddituri ſunt in die judicii.

37. Nam ex dictis tuis juſtificaberis, & ex dictis tuis condemnaberis.

33. *Aut facite arborem.*] Abſurdum videri poſſet quod optio datur hominibus ut boni ſint vel mali: ſed ſi reputemus quale hominum genus Chriſtus compellet, facilis erit ſolutio. Scimus qualis de Phariſæis opinio fuerit: ficta enim ipſorum ſanctimonia adeo perſtrictæ erant vulgi mentes, ut nemo de eorum vitiis judicium facere auderet. Larvam hanc detrahere volens Chriſtus, jubet vel bonos eſſe vel malos: acſi diceret, nihil à probitate magis alienum eſſe quam fucum, ac fruſtra ſe juſtitiæ titulo venditare qui ſinceri & integri non ſunt. Nihil ergo ponit in eorum arbitrio, neque frenum illis laxat: ſed tantum admonet, nihil proficere ſua inani larva quamdiu ita duplices erunt: quia homines vel bonos vel malos eſſe neceſſe eſt. Quod dicit, *facite arborem*, inſcite ex eo quidam colligunt, in manu cujuſque eſſe, ſibi vitam formare & mores. Impropria enim eſt loqutio, qua Scribarum hypocriſin quaſi fumum diſcutit Chriſtus, eos ad ſolidam puramque rectitudinem revocans. Modum poſtea & rationem exprimit qua ſe bonas arbores vel malas oſtendant: nempe ſi proferant bonos fructus vel malos. Jam in ſenſu nihil eſt ambiguum. Vita Scribarum craſſis flagitiis apud homines infamis non erat: interea ſuperbiæ, ambitionis & invidiæ virus ſuis calumniis prodebant: ſed quia hoc poſterius rudes latebat, malum inteſtinum ex latebris Chriſtus in lucem educit. Siquis objiciat, in hac naturæ noſtræ corruptela fieri non poſſe ut quiſquam integer penitus, & purus ab omni vitio reperiatur: in promptu eſt reſponſio, non requiri à Chriſto exactam perfectionem cui nihil deſit, ſed duntaxat ſimplicem ac minime ſimulatum affectum,

à quo procul aberant Phariſæi quos alloquitur. Nam ut Scriptura malos & ſceleratos nominat qui Satanæ prorſus dediti ſunt: ita ſinceros Dei cultores, quamvis infirmitate carnis ſuæ & multis vitiis circumdati ſub onere gemant, bonos tamen vocat. atque hoc gratuita Dei indulgentia fit ut tam honorifico titulo dignetur qui ad bonitatem aſpirant.

34. *Progenies viperarum.*] Similitudinem arboris & fructus hoc loco tantum ad ſermonem Chriſtus accommodat: quoniam hinc detegi poterat interior & clandeſtina Scribarum malitia. atque hæc ratio eſt cur tantum in hac una peccati ſpecie inſiſtat. Quia ergo falſis obtrectationibus prodiderant quod in reliqua eorum vita non ita perſpicuum erat, ſevere in eos Chriſtus invehitur. Non mirum eſt, inquit, ſi mala verba evomitis, quandoquidem cor veſtrum malitia refertum eſt. Nec vero mitius cum illis agi potuit, necui videatur immodica eſſe objurgatio. Merentur quidem alia peccata duras reprehenſiones: ſed ubi flexiloqui homines quod rectum eſt depravant, vel colorem inducunt rebus vitioſis, digna eſt hæc pravitas in quam Deus longe vehementius quam in alia peccata fulminet. Conſilium autem Σοφιστική. Chriſti fuit, ut res nata ferebat, impiam ſophiſticem damnare quæ lucem in tenebras convertit. Docet ergo hic locus quam pretioſa ſit Domino veritas, cujus tam rigidus eſt aſſertor & vindex. Atque utinam diligentius hoc expenderent, quibus ad tuendas quaſvis cauſas ingenium nimis eſt verſatile, & qui fucandis impoſturis linguam habent venalem. Præſertim vero in eos excandeſcit Chriſtus quos vel ambitio, vel livor, vel obliqua alia cupiditas ad maledicendum impellit, etiam ubi nihil eſt quod eorum conſcientia improbet. Contra Phariſæos etiam more ſuo aſperior fuit Chriſtus, quos ita faſcinaverat fallax juſtitiæ perſuaſio ut mediocris admonitio parum prodeſſet. Et certe niſi acriter ſtimolentur hypocritæ, quicquid dicitur, faſtuoſe deſpiciunt. *Quomodo poteſtis bona loqui.* Jam alibi attigimus, proverbiales ſententias non exigi debere ad perpetuam normam: quia tantum docent quid accidere ut plurimum ſoleat. fiet quidem interdum ut qui crudelis eſt, mellitis blanditiis ſimplices decipiat: ut aſtutus circumveniat ſimplicitatis prætextu: qui peſſime cogitat, quaſi Angelicam puritatem lingua ſpiret: communis tamen uſus verum eſſe probat quod hic dicit Chriſtus, *ex abundantia cordis os loqui.* ſicuti etiam veteri proverbio lingua vocata eſt character mentis. Et certe quamvis abſconditos & flexuoſos receſſus habeat cor hominis, & miris artibus quiſque vitia diſſimulet: Dominus tamen à ſingulis extorquet aliquam confeſſionem, ut ingenium ſuum & inteſtinos affectus lingua prodant. Deinde notandum eſt in quem finem uſurpet Chriſtus iſtas parabolas: exprobrat enim Phariſæis Chriſtus quod conceptam intus malitiam verbis declarent. Adde quod juratos hoſtes eſſe cognoſcens, ſumpta occaſione ab una calumnia totam eorum vitam traducit, & fidem illis apud populum abrogat, quorum auctoritas nimis habebat ponderis ad fallendum & nocendum. Cæterum quanquam non ſemper ex intimo corde manant boni ſermones, ſed in ſummis (ut aiunt) labris naſcuntur: eſt tamen hoc perpetuo verum, malos ſermones mali cordis teſtes eſſe.

36. *De quocunque verbo.*] Argumentum eſt à minori ad majus. nam ſi inanis ſermo inutilis ad calculum vocandus eſt, quomodo manifeſtis blaſphemiis parceret Deus, & ſacrilegæ eorum petulantiæ qui adverſus gloriam ejus latrant? Sermo otioſus pro inutili accipitur, qui nihil ædificationis vel fructus affert. Multis hoc videtur nimis rigidum: verum ſi reputamus ad quem uſum formatæ ſint nobis linguæ, merito reos fieri fatebimur qui eas temere frivolis nugis addicunt, adeoque proſtituunt. Nec vero leve delictum eſt, tempore, quod ſollicite redimere nos Paulus jubet, ad res frivolas abuti. Quum vero nemo Col. 4: 5. tam parcus ſit loquendo, tamque prudenter ſibi temperet, quin ſubinde in aliquos ſermones otioſos diffluat, certa quidem nos omnes manet deſperatio ſi ſummo jure nobiſcum ageret Dominus. Sed quia in hoc fundata eſt ſalutis noſtræ fiducia quod Deus in judicium non intrabit nobiſcum, & peccata quæ innumeras mortes merentur, gratuita oblivione ſepeliet: non dubitemus quin totius vitæ noſtræ reatum abolens, culpam vaniloquentiæ ſimul ignoſcat. Nam Scriptura de judicio Dei loquens, peccatorum remiſſionem minime evertit. Interea nemo ſibi indulgeat, ſed anxie unuſquiſque ſtudeat linguam ſuam frenare. Primum ut de ſacris Dei myſteriis nonniſi reverenter & ſobrie loquamur: deinde ut abſtineamus à ſcurrili loquacitate vaniſque facetiis, multoque magis ab hoſtili maledicentia: denique opera danda eſt ut ſermo noſter ſale ſit conditus. Col. 4: 6.

37. *Ex dictis tuis juſtificaberis.*] Proverbium vulgare aptavit ad præſentem cauſam. neque enim dubito quin dictum hoc in ore populi celebre eſſet, Sua quemque confeſſione vel damnari vel abſolvi. Chriſtus vero ad ſenſum paulo diverſum inflectit, quod ſermo perverſus, ut index eſt latentis malitiæ, ad damnandum hominem ſufficiat. Quod autem Papiſtæ ad enervandam fidei juſtitiam hoc torquent, puerile eſt. Juſtificatur homo ex ſuis dictis, non quod ſermo, juſtitiæ ſit cauſa, quemadmodum Dei gratiam, ut nos pro juſtis reputet, fide conſequimur: ſed quia purus ſermo nos abſolvit, ne deprehendamur in lingua noſtra improbi. Annon inſulſe ex eo infertur, mereri homines coram Deo juſtitiæ guttam? Quin potius doctrinæ noſtræ ſuffragatur hic locus. nam etſi de cauſa juſtitiæ noſtræ non diſſerit Chriſtus, antitheſis tamen inter duo verba, quid verbum Juſtificare ſignificet, oſtendit. Papiſtis abſurdum eſt quod dicimus hominem fide juſtificari, quia juſtum reipſa fieri & eſſe exponunt: nos autem juſtum cenſeri & coram Dei judicio abſolvi intelligimus, quemadmodum ex compluribus Scripturæ teſtimoniis liquet. Annon idem confirmat Chriſtus, quum juſtificare & condemnare inter ſe opponit?

MATTH. XII.

43. Quum autem immundus ſpiritus exierit ab homine, perambulat per loca arida, quærens requiem: & non invenit.

44. Tunc dicit, Revertar in domum meam unde exivi: & veniens reperit *eam* vacantem & ſcopis purgatam atque ornatam.

45. Tunc abit, & adjungit ſibi ſeptem alios ſpiritus deteriores ſe, & ingreſſus inhabitat illic: & fiunt poſtrema hominis illius pejora primis. ſic erit & generationi huic perverſæ.

MARC.

LUC. XI.

24. Quum immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem: & non inveniens, dicit, Revertar in domum meam unde exivi.

25. Et quum venerit, reperit eam ſcopis mundatam atque ornatam.

26. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus deteriores ſe, & ingreſſi inhabitant illic: & fiunt poſtrema hominis illius pejora primis.

43. *Quum*

43. *Quum autem immundus ſpiritus.*] Scribis & ſimilibus hypocritis, qui ſpreta Dei gratia, cum diabolo conſpirant, pœnam denunciat quam meretur ipſorum ingratitudo. Quo tamen latius pateat doctrinæ utilitas, generaliter admonet quale ſibi judicium accerſant qui oblatam gratiam ſpernendo, januam diabolo rurſus aperiunt. Sed quia ſingulis fere particulis magnum ineſt pondus, quædam ordine notanda ſunt priuſquam ſummam parabolæ tractemus. Quum de exitu diaboli loquitur Chriſtus, vim & effectum gratiæ Dei commendat quoties ad nos accedit: præſertim vero quum Deus nobis appropinquat in Filii ſui perſona, finis eſt ut nos à diaboli tyrannide ereptos ad ſe recipiat: idque palam teſtatus fuerat Chriſtus recenti miraculo. Quum ergo proprium ejus officium ſit malos ſpiritus fugare, ne amplius in hominibus regnent: merito dicitur exire diabolus ab hominibus quibus ſe Chriſtus redemptorem offert. Tametſi autem non omnibus efficax eſt Chriſti præſentia, quia increduli ipſam ſibi irritam reddunt: notare tamen voluit quorſum nos ipſe viſitet, quid per ſe valeat ſuus adventus, quid denique mali ſpiritus ſentiant. nunquam enim operatur in hominibus quin diaboli in certamen tracti, ejus virtute ſuccumbant. Tenendum ergo eſt, diabolum à nobis ejici quoties nobis affulget CHRISTUS, ſuamque erga nos gratiam aliquo documento exerit. Interea nobis deſcribitur miſera totius humani generis conditio: ſequitur enim diabolum in hominibus domicilium habere, quia inde expellitur à Filio Dei. Atqui non de uno aut altero ſermo habetur, ſed de tota progenie Adæ. Hæc igitur naturæ noſtræ gloria eſt, quod ſuam in nobis ſedem habet diabolus, ut tam in corpore quam in anima habitet. Quo etiam illuſtrius eſt miſericordiæ Dei ſpecimen dum nos ex fœtidis diaboli ſtabulis templa ſibi facit, & ad Spiritus ſui habitationem conſecrat. Tertio depingitur nobis Satanæ ingenium, quod ſcilicet nunquam ceſſet à noxis, ſed aſſidue ſatagat, ſeque huc & illuc verſet: denique ſuos omnes intendat conatus ad machinandum nobis exitium: præſertim vero ubi devictus eſt à Chriſto & profligatus, magis acuatur ejus rabies ac nocendi libido. Nam priuſquam nos virtutis ſuæ participes faciat Chriſtus, quaſi per luſum & jocum in nobis regnat hoſtis ille. Pulſus autem dolorem ex amiſſa præda concipit, novaſque vires colligit, & excitat omnes ſuos ſenſus ut nos de integro oppugnet. Ideo metaphorice dicitur Ambulare per loca arida, quia triſte illi exilium eſt, & ſqualido deſerto ſimile extra homines habitatio. Eodem etiam ſenſu dicitur Quærere requiem quamdiu extra homines habitat, quia tunc ſibi diſplicet ac torquetur: nec deſinit hoc vel illud moliri donec recuperet quod amiſit. Quare diſcamus ſimulac nos Chriſtus vocat, vehementius & acrius certamen paratum nobis eſſe. Quanquam enim omnibus exitium intentat, & ad omnes ſine exceptione pertinet quod dicit Petrus, inſtar rugientis leonis circuire, & quærere quem devoret: aperte tamen his Chriſti verbis monemur, majore odio contra eos ardere qui ex ejus laqueis erepti ſunt, magiſque hoſtili impetu ferri. Cæterum terrorem incutere nobis minime debet hæc admonitio, ſed nos expergefacere, ut intenti ſimus agendis excubiis, & ſpiritualibus armis induti fortes ad reſiſtendum ſimus.

44. *Reperit eam vacantem.*] Eos proculdubio deſignat Chriſtus qui vacui Dei Spiritu, ad recipiendum diabolum parati ſunt. nam fideles in quibus ſolide habitat Spiritus Dei, undique muniti ſunt, ne qua rima Satanæ pateat. Quod domum purgatam vocat & ornatam, ſimilitudo ab hominibus ſumpta eſt quos munditiës & nitor in hoſpitiis delectat. nam Satanæ ſola deformitas pulchra eſt, & ei nihil bene olet præter fœtorem & ſordes. Senſus autem eſt, nunquam locum in nobis magis commodum Satanæ eſſe quam dum Chriſto valere juſſo, illum hoſpitem admittimus. Summæ ergo ejus deliciæ ſunt inanitas illa quæ divinæ gratiæ neglectum ſequitur.

45. *Adjungit ſibi ſeptem alios.*] Septenarius numerus hic indefinite, ut ſæpe alibi, capitur. Porro his verbis docet Chriſtus, ſi à ſua gratia excidimus, bis Satanæ fieri obnoxios, ut majore in nos licentia, quam prius, graſſetur: & hanc juſtam eſſe ignaviæ noſtræ pœnam. Quare ne diabolum uno prælio victum putemus ubi ſemel à nobis exierit: imo meminerimus, quum illi vetus in nobis fuerit hoſpitium ex quo nati ſumus, omnes aditus illi notos & compertos eſſe quibus ad nos penetrare queat: ſi recta ingreſſus non patebit, aſtutiam illi non deeſſe, ut per cuniculos vel obliquas rimas clanculum obrepat. Danda igitur opera eſt ut regnum in nobis occupans Chriſtus, hoſti ſuo aditus omnes præcludat. Quantumvis enim violenti ſint & infeſti Satanæ conatus, non eſt quod Dei filios debilitent, quos invicta Spiritus ſancti virtus in tuto ſervat. Et ſcimus hanc pœnam ſolis gratiæ Dei contemptoribus denunciari, qui ſuffocata fidei luce, ſuppreſſoque pietatis ſtudio, profaneſcunt.

MATTH. XII.

46. Quum autem adhuc loqueretur turbis, ecce mater & fratres ejus ſtabant foris, quærentes ei loqui.

47. Dixit autem illi quidam, Ecce mater tua & fratres tui foris ſtant, quærentes tibi loqui.

48. At ille reſpondens, dixit ei qui ſibi renunciaverat, Quæ eſt mater mea, aut qui ſunt fratres mei?

49. Et protenſa manu ſua in diſcipulos ſuos, dixit, Ecce mater mea & fratres mei.

50. Quiſquis enim fecerit voluntatem Patris mei qui eſt in cælis, ipſe frater meus & ſoror & mater eſt.

MARC. III.

31. Et veniunt mater ejus & fratres, & foris ſtantes miſerunt ad eum qui evocarent eum.

32. Et ſedebat turba circa eum, dicuntque ei, Ecce mater tua & fratres tui foris, te quærunt.

33. Et reſpondit eis, dicens, Quæ eſt mater mea & fratres mei?

34. Et quum circumſpexiſſet in circuitu circum ſe diſcipulos ſedentes, ait, Ecce mater mea & fratres mei.

35. Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus & ſoror mea & mater eſt.

LUC. XI.

27. Factum eſt autem quum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi, Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti.

28. At ille dixit, Quin imo beati qui audiunt ſermonem Dei, & cuſtodiunt illum.

LUC. VIII.

19. Venerunt autem ad illum mater & fratres ejus, & non poterant adire eum præ turba.

20. Et nunciatum eſt, illi ac dictum, Mater tua & fratres tui ſtant foris, volentes te videre.

21. Qui reſpondens dixit ad eos, Mater mea & fratres mei hi ſunt qui ſermonem Dei audiunt, & faciunt illum.

27. Luc. *Beatus venter.*] Hoc elogio extollere voluit mulier Chriſti excellentiam: non enim Mariam reſpexit quam forte nunquam viderat, ſed hoc non parum amplificat Chriſti gloriam, quod uterum in quo geſtatus eſt, nobilitet ac beatum reddat. Nec vero abſurde, ſed ex Scripturæ more celebratur hæc Dei benedictio: ſcimus enim ſobolem, præſertim eximiis virtutibus ornatam, tanquam Dei ſingulare donum aliis omnibus præferri. Neque etiam negari poteſt quin Deus Mariam Filio ſuo matrem eligeos ac deſtioaos, ſummo eam bonore dignatus ſit. Chriſti tameo reſponſum adeo voci mulierculæ non ſubſcribit, ut potius contineat obliquam reprebeoſionem. Imo, inquit, beati qui audiunt verhum Dei. Videmus ut fere pro nihilo ducat Chriſtus quod uoum extulerat mulier. Et certe quod præcipuum Mariæ putabat eſſe decus, aliis gratiis longe ioferius erat: majoris enim præſtantiæ fuit, regenitam eſſe Cbriſti Spiritu, quam Chriſti carnem utero ſuo concipere: Cbtiſtum habere ſpiritualiter in ſe viventem, quam eum uberibus lactare. Denique ſumma ſanctæ Virginis & felicitas & gloria in eo ſita fuit, membrum Filii ſui eſſe, ut eam cæleſtis Pater inter novas creaturas cenſeret. Ego tamen alia de cauſa & alio fioe correctam fuiſſe puto mulieris vocem: quod ſcilicet perperam ſoleant homines Dei dona negligere, quæ attoniti mirantur & plenis buccis prædicant. Nam hæc mulier in Chriſti laude omiſerat quod vere eſt caput, ſalutem in ipſo omnibus propoſitam: frigebat ergo encomium illud in quo nulla fiebat gratiæ ejus ac virtutis meotio, quæ ſe ad omnes diffundit. Quare merito Chriſtus aliam ſibi laudem vendicat, ne ſola mater beata reputetur, & quidem carnis reſpectu: ſed ut nobis omnibus ſolidam & æternam beatitudinem conſerat. Rite ergo tunc demum æſtimatur Chriſti dignitas, dum expendimus quorſum nobis datus ſit à Patre, & quæ nobis attulit beneficia percipimus, ut ſiamus in ipſo felices qui ſumus in nobis miſeri. ſed cur de ſe tacens, tantum verbi Dei meminit? nempe hoc modo theſauros omnes ſuos nobis aperit: quia ſine verbo neque illi quicquam nobiſcum, nec viciſſim nobis cum illo. Quum ergo ſe nobis per verhum communicet, recte & proprie ad hoc audiendum & ſervandum nos vocat, ut fide ipſe noſter fiat. Nunc videmus quid differat Chriſti reſponſum ah elogio mulieris: quam enim beatitudinis gratiam illa domi incluſerat, liberaliter omniƀus offert. deinde non vulgari modo ſe æſtimandum eſſe docet: quia omoes cæleſtis vitæ, beatitudinis & gloriæ theſauros in ſe reconditos habeat, quos verbo diſpenſat, ut eorum fiant participes qui fide verhum amplexi fuerint. Clavis enim regni cælorum eſt gratuita Dei adoptio quam nos ex verbo concipimus. Et tenenda eſt iſta copula, qood primo audire, deinde & ſervare oporteat. nam quia fides eſt ex auditu, hinc etiam ſumendum eſt exordium ſpiritualis vitæ. Cæterum quia ſimplex auditus veluti evanida eſt ſpeculi inſpectio, quemadmodum Jacobus docet: ſimul additur verbi cuſtodia, quæ perinde valet atque efficax receptio, ubi vivas in cordibus radices agit ut fructum ſuum proferat. Ita nihil conſequitur fluxus ille auditor cujus aures tanrum verberat exterior doctrina. Quicunque vero arcana inſpiratione ſe contentos eſſe jactant, & boc prætextu negligunt externam prædicationem, à cæleſti vita arcentur. Ergo quæ Filius Dei conjunxit, ne ſacrilega temeritate homines ſeparent. Mirus vero Papatus ſtupor quod in Mariæ honorem cantillant hæc verba, quibus tam diſerte refellitur eorum ſuperſtitio: io agendis vero gratiis mulierculæ vocem decerpunt omiſſa correctione. Verum ita modis omnibus obſtupefieri decuit qoi pro ſua libidine ſacrum Dei verbum data opera profanant.

Jacob. 1. verſ. 23.

19. Luc. *Venerunt autem ad illum.*] Inter Lucam & reliquos duos Euangeliſtas videtur nonnihil eſſe diſcrepantiæ: nam hi in hiſtoriæ ſuæ contextu, matrem & cognatos Chriſti superveniſſe dicunt quum de ſpiritu immundo diſſereret: ille autem ad diverſum tempus refert, ac ſolum commemorat mulieris exclamationem quam ouper expoſuimus. Verum quia ſcitur Euangeliſtas non admodum in ſerie temporum fuiſſe curioſos, neque etiam in ſingulis quibuſque factis vel dictis perſequendis: non ita difficilis ſolurio eſt. Lucas enim quo temporis articulo veoerit Chriſti mater, non exprimit: ſed quod alii doo narrant ante ſationis parabolam, ille ſubjicit. Quod autem mulierculam ex turba clamaſſe dicit, aliquid buic narrationi affine habet: fieri eoim poteſt ut ioconſiderato fervore in ſupremum gradum extulerit quod putabat nimis à Chriſto dejici. In hoc quidem omnes conſeotiunt, Chriſto in media populi turba ſermonem habeote, veniſſe fratres ejus & matrem: proculdubio vel quia de ipſo erant ſolliciti, vel etiam diſcendi ſtudio. neque enim fruſtra ad eum accedere conantur: nec probabile eſt qui ſanctam matrem comitati ſunt, fuiſſe incredulos. Quod Ambroſius & Chryſoſtomus Mariam ambitionis inſimulant, nihil habet coloris. quid enim hac divinatione opus eſt, quum ubique ſumma ejus pietas & modeſtia Spiritus teſtimonio commendetur? Forte impulit eos carnalis affectus vehementia ut plus juſto ſatagerent: boc non nego: ſed pio ſtudio non dubito fuiſſe adductos ut ei ſe adjungerent. Quod Matthæus refert ab uno quodam allatum fuiſſe nuncium de illorum adventu, Marcus autem & Lucas pluribus ſermonem tribuuot, io eo nihil eſt abſurdi. Verum (ut fieri ſolet) mandatum quod de ipſo evocando dabat mater, à pluribus ſubinde exceptum fuit, donec tandem perlatum eſt.

48. Matth. *Quæ eſt mater mea.*] Non dubium eſt quin his verhis carpatur Mariæ importunitas: & certe præpoſtere curſum doctrinæ ejus abrumpere tentabat. Sed interea carois & ſanguinis propioquitatem extenuans, doctrioam valde utilem profert, dum ſuos omnes diſcipulos, ac fideles, in eundem honoris gradum recipit acſi inter conſanguineos primi eſſent: imo eos in mattis & fratrum locum ſubſtituit. Pendet autem hæc ſeotentia ex Chriſti officio. ſignificat enim non paucis quibuſdam ſe datum eſſe, ſed piis omnibus qui in unum cum ipſo corpus fide coaluerint: deinde nullum eſſe ſanctius cognarionis vinculum quam ſpirituale: quia ſecundum carnem ceoſeri non debeat, ſed ex Spiritus ſui virtute quo donatus eſt à Patre ad reoovandos homines, ut qui natura impurum & maledictum erant Abrahæ ſemen, gratia ſancti & cæleſtes Dei filii eſſe incipiant. Ideo Paulus Chriſtum vera cognoſci negat ſecuodum carnem: quia potius conſideranda ſit illa mundi reparatio quæ longe ſupra humanam virtutem eminet, dum nos Spiritu ſuo ad imaginem Dei reformat. Quare ſumma huc tendit, ut Chriſtum diſcamus fidei oculis inſpicere: deinde ſciamus ut quiſque Spiritu regenitus totum ſe Deo in veram juſtitiam addicit, ita Chriſto maxime conjunctum eſſe, adeoque unum cum ipſo effici. Porro eos intelligit facere Patris voluotatem, non qui exacte totam Legis juſtitiam implent (nam ita in neminem competeret fraternum nomeo quo hic ſuos diſcipulos inſignit) ſed fidem præcipue commendat, quæ ſanctæ obedientiæ fons eſt & origo: ſimulque defectus & carnis vitia tegit, ne imputentur. Nota eſt enim Chriſti ſententia, Hæc eſt voluntas Patris mei, ut quiſquis videt Filium, & credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam, Joannis 6. verſ. 40. Tametſi autem hic nullum ſanguinis reſpectum habere videtur Cbriſtus, ſcimus tamen reipſa ſancte coluiſſe humanum ordinem, & legitimi erga parentes officiis defunctum eſſe: verum præ ſpirituali cognatione, nullius vel exigui momenti carnalem eſſe admonet.

2 Cor. 5. verſ. 16.

Va-

Valeat igitur apud nos hæc comparatio, ut naturæ quidem juſta ſolvamus, ſed carni & ſanguini non ſimus nimium affixi. Cæterum quando Euangelii ſui diſcipulos incomparabili honore dignatur Chriſtus ut eos pro fratribus habeat: deteſtanda eſt noſtra ingratitudo, niſi poſthabitis omnibus carnis votis, omnes noſtros conatus huc intendimus.

MATTH. XII.

38. Tunc interrogaverunt eum quidam è Scribis ac Phariſæis, dicentes, Præceptor, volumus ex te ſignum videre.

39. At ille reſpondens, dixit illis, Generatio prava & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur illi niſi ſignum Jonæ Prophetæ.

40. Quemadmodum enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus ac tribus noctibus: ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.

41. Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione hac, & condemnabunt eam: quod ipſi reſipuerint ad prædicationem Jonæ: & ecce pluſquam Jonas eſt hoc loco.

42. Regina Auſtri ſurget in judicio cum generatione hac, & condemnabit eam: quod venerit à finibus terræ ad audiendam ſapientiam Solomonis: & ecce pluſquam Solomon eſt in hoc loco.

MARC.

LUC. XI.

16. Et alii tentantes, ſignum de cælo quærebant ab eo.

Paulo poſt.

29. Turbis autem condenſantibus ſe, cœpit dicere, Natio hæc mala eſt, ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei niſi ſignum Jonæ Prophetæ.

30. Nam ſicut fuit Jonas ſignum Ninivitis: ita erit & Filius hominis nationi huic.

31. Regina Auſtri ſurget in judicio cum viris nationis hujus, & condemnabit illos: quia venit à finibus terræ ut audiret ſapientiam Solomonis: & ecce pluſquam Solomon in hoc loco.

32. Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum natione hac, & condemnabunt eam: quia ad pœnitentiam adducti ſunt prædicatione Jonæ: & ecce pluſquam Jonas in hoc loco.

38. *Quidam è Scribis.*] Simile quiddam iterum refert Matthæus capite 16. & Marcus capite 8. Unde apparet Chriſtum ſæpius hac de re fuiſſe interpellatum: ut nullum finem habuit eorum improbitas qui ſemel ſtatuerant veritati reſiſtere. Certum eſt
Signum petere. autem, ſignum eos petere ut ſpecioſum prætextum habeat eorum incredulitas, quod ſcilicet Chriſti vocatio legitime non ſit obſignata. neque enim ea eſt docilitas ut tribus vel quatuor miraculis ceſſuri ſint, nedum ut unum ſufficiat. ſed quemadmodum nuper attigi, hoc colore excuſant ſe fidem Euangelio non habere quia nullum ejus ſigillum è cælo Chriſtus oſtendat. Miracula jam ſatis multa & clara ediderat ante ipſorum oculos: verum quaſi non valeant ad doctrinæ confirmationem, aliquod è cælo prodire volunt in quo viſibilis quodammodo appareat Deus. Magiſtrum quidem ſalutant ex more, quia tunc ita vocabant omnes Scribas & Legis interpretes: ſed Prophetam Dei non agnoſcunt donec teſtimonium è cælo producat. Senſus ergo eſt, Quando te profiteris doctorem ac magiſtrum, ſi nos habere vis diſcipulos, fac ut è cælo teſtetur Deus ſe tui magiſterii auctorem eſſe, ac miraculo vocationem confirmet.

39. *Generatio prava.*] Non tantum ætatis illius malitiam accuſat, ſed Judæos nominat gentem perverſam, vel certe Scribas & eorum ſimiles: ſignificans velut hæreditarium illis eſſe pervicaciæ morbum. Nam γενεά interdum pro ſeculo uno, interdum pro gente vel natione accipitur. Adulteros vero dixit pro adulterinis vel ſpuriis, quod à ſanctis Patribus degeneres eſſent: ſicuti ætatis ſuæ incredulis exprobrant Prophetæ, non eſſe ex Abraham progenitos, ſed profanum ſemen Chanaan. Nunc quæritur an ideo Chriſtus tam duriter eos appellet quia ſibi dari ſignum optaverint. nam alibi Deus oſtendit non
Jud. 6. tantopere hoc ſibi diſplicere. Signum petit Gedeon:
verſ. 17. non iraſcitur Deus, ſed ejus voto annuit: & quanquam importune pergit, ejus tamen infirmitati Deus
Jeſ. 38. indulget. Ezechiæ non poſcenti, ultro ſignum of-
verſ. 22. fertur. ſevere autem reprehenditur Achas quia
Jeſ. 7:11. ſignum petere, ut juſſus fuerat à Propheta, recuſet. Ergo non ſimpliciter Scribas objurgat Chriſtus quod ſignum poſtulent: ſed quod Deo ingrati, tot ejus virtutibus maligne ſpretis, ſubterfugium captent ne obediant ejus verbo. Cujus enim, non dico ſocordiæ, ſed malitiæ erat ad tot ſigna claudere oculos? Fruſtra igitur moleſti erant: neque alio tendebat conſilium niſi ut impune Chriſtum rejicerent. idem vitium in poſteris damnat Paulus, quum dicit *1 Cor. 1.*
Judæos ſigna quærere. *Signum non dabitur ei.* Variis *verſ. 22.*
quidem miraculis poſtea fuerunt convicti: nec deſtitit Chriſtus virtutem ſuam apud eos exerere, quo inexcuſabiles redderet. Sed tantum intelligit ſignum unum illis inſtar omnium fore: quia indigni ſint quorum impiæ cupiditati obtemperet. Contenti ſint, inquit, hoc ſigno, quod ſicuti Jonas ex profundo mari emerſus Ninivitis prædicavit, ita ipſi vocem redivivi Prophetæ audient. Scio à pleriſque argutius exponi hunc locum: ſed quum inter Chriſtum & Jonam non conveniat in ſingulis partibus ſimilitudo, videndum eſt quatenus ſe Chriſtus Jonæ comparet. Ego autem omiſſis aliorum ſpeculationibus, hoc unum quod jam attigi, notari puto, Prophetam illis futurum poſtquam à morte ſurrexerit: acſi dixiſſet, Vos Dei Filium, qui è cælo ad vos deſcendit, contemnitis: reſtat ergo ut morte defunctus è ſepulchro ſurgam, & redivivus vobis loquar, ſicut Jonas ex profundo mari Niniven venit. Sic ergo pravis eorum poſtulatis anſam præcidit Dominus, ut ſe illis à reſurrectione Prophetam fore denunciet, quando indutus carne mortali non recipitur. Apud Lucam dicit ſe illis fore ſignum ſicuti Jonas Ninivitis fuerat. Improprie autem ſumitur nomen ſigni, non quod aliquid portendat, ſed quod remotum eſt à conſueto naturæ ordine: ſicuti prodigioſa fuit Jonæ miſſio, quum ex ventre piſcis quaſi è ſepulchro eductus eſt qui Ninivitas ad pœnitentiam vocaret. In tribus noctibus ſynecdochica eſt loquutio, ut ſatis notum eſt. Nam quia nox eſt diei appendix, vel duabus partibus conſtat dies, luce & tenebris: diem unum ab illis Chriſtus deſignat, & integrum diem ponit pro dimidio.

41. *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio.*] Quoniam de Ninivitis factus erat ſermo, Chriſtus occaſione ſumpta, illis longe deteriores eſſe oſtendit Scribas

& alios

& alios à quibus ſua doctrina reſpuitur. Profani, inquit, bomines qui verbum nunquam de vero Deo audierant, ad vocem novi & iocogniti boſpitis reſipuerunt: hæc regio quæ cæleſtis doctrinæ ſacrarium eſt, Filium Dei & promiſſum Redemptorem non audit. hæc eoim antitbeſis in comparatione ſubeſt. Scitur qui fuerint Ninivitæ, Prophetis ſcilicet minime aſſueti, ac veræ doctrinæ expertes. Jonas apud eos nullo titulo ſplendebat, ſed bomo extraneus poterat explodi. Judæi verbo Domini ſedem apud ſe ac domicilium eſſe jactabant: ſi puris oculis intuiti Cbriſtum eſſent, non modo miſſum è cælo doctorem debebant agnoſcere, ſed Meſſiam & ſalutis auctorem ſibi promiſſum. Cæterum ſi perdita illius populi impietas inde convicta fuit quod Chriſtum in terra loquentem contempſerit: omnium temporum incredulos ſuperamus oiſi Filius Dei nunc in cælo ſedens, ſacra ſua & cæleſti voce in obſequium ſuum nos cogat. Porro an vere & perfecte ad Deum Ninivitæ fuerint converſi, tractare ſuperſedeo, quia ſufficit Jonæ doctrina fuiſſe commotos ut animum ad pœnitentiam adjicerent.

42. *Regina Auſtri.*] Quoniam Æthiopia Judææ reſpectu ad Meridiem vergit, Joſepho & reliquis facile aſſentior qui hanc fuiſſe Æthiopiæ Reginam docent. Quod autem Regina Saba in ſacris hiſtoriis dicitur, non debet intelligi Sabæa regio quæ magis Orientalis erat, ſed urbs in Meroë inſula Nili ſita, quæ caput regni erat. Hic etiam antitheta expendere convenit. Mulier quæ in ſcbola Dei minime educata fuerat, ex longinqua regione diſcendi ſtudio ad Solomonem venit Regem terrenum: Judæi Legis divinæ alumni, ſummum ſuum & unicum doctorem Prophetarumque omnium principem repudiant. Porro Judicandi verbum non tam ad perſonas bic refertur quam ad ipſius rei exemplum.

MATTH. XIII.

1. In die vero illo egreſſus Jeſus è domo, ſedit juxta mare.

2. Et congregatæ ſunt ad illum turbæ multæ, adeo ut ipſe navim ingreſſus ſederet: & univerſa turba in litore ſtabat.

3. Ac dicebat illis multa per ſimilitudines, dicens, Ecce exiit qui ſeminabat ad ſeminandum.

4. Et quum ſeminaret, alia quidem ceciderunt juxta viam, & venerunt volucres ac devoraverunt ea.

5. Alia vero ceciderunt in loca ſaxoſa, ubi non habebant multum terræ: & protinus exorta ſunt, propterea quod non haberent profunditatem terræ.

6. Quum autem exortus eſſet Sol, exuſta ſunt: & quia non habebant radicem, exaruerunt.

7. Alia rurſus ceciderunt in ſpinas: & ſurrexerunt ſpinæ, & ſuffocaverunt ea.

8. Alia vero ceciderunt in terram bonam, & dederunt fructum: aliud quidem centuplum, aliud vero ſexagecuplum, aliud vero trigecuplum.

9. Qui habet aures ad audiendum, audiat.

10. Et adeuntes diſcipuli dixerunt illi, Quare per parabolas loqueris illis?

11. At ille reſpondens dixit eis, Vobis datum eſt noſſe myſteria regni cælorum: illis autem non eſt datum.

12. Quiſquis enim habet, dabitur ei, & abundantior reddetur: quiſquis autem non habet, etiam id quod habet tolletur ab eo.

13. Propterea per parabolas loquor illis: quia videntes non vident, & audientes non audiunt nec intelligunt.

MARC. IV.

1. Et iterum cœpit docere juxta mare: & congregata eſt ad eum turba multa, ita ut navim ingreſſus ſederet in mari: & tota turba juxta mare in terra erat.

2. Et docebat eos per parabolas multa, & dicebat illis in doctrina ſua,

3. Audite, ecce exivit ſeminator ad ſeminandum.

4. Et accidit inter ſeminandum, aliud quidem cecidit ſecus viam, veneruntque volucres cæli, & comederunt illud.

5. Aliud vero cecidit ſuper petroſa, ubi non habuit terram multam: & ſtatim exortum eſt, quod non haberet altirudinem terræ.

6. Sole autem exorto æſtu affectum eſt: & quia non habebat radicem, exaruit.

7. Et aliud cecidit in ſpinas: & creverunt ſpinæ, ac ſuffocaverunt illud, & fructum non dedit.

8. Et aliud cecidit in terram bonam, & dedit fructum emergentem atque creſcentem: & attulit unum triginta, & unum ſexaginta, & unum centum.

9. Ac dicebat illis, Qui habet aures ad audiendum, audiat.

10. Quum autem cœpiſſet eſſe ſolus, interrogaverunt eum qui circum illum erant cum duodecim, de parabola.

11. Et dicebat eis, Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei: illis autem qui

LUC. VIII.

1. Et factum eſt deinceps, & ipſe iter faciebat per ſingulas civitates & caſtella, prædicans & Euangelizans regnum Dei, & duodecim cum illo:

2. Simulque mulieres aliquæ quæ ſanatæ erant à ſpiritibus malis & infirmitatibus: Maria quæ vocatur Magdalene, de qua ſeptem dæmonia exierant,

3. Et Joanna uxor Chuzæ procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.

4. Quum autem turba plurima conveniret, & è ſingulis civitatibus properarent ad eum, dixit per ſimilitudinem,

5. Exiit qui ſementem faciebat ad ſeminandum ſemen ſuum: & inter ſeminandum aliud cecidit circa viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud.

6. Et aliud cecidit ſuper petram, & enarum exaruit, quia non habebat humorem.

7. Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul enatæ ſpinæ ſuffocaverunt illud.

8. Et aliud cecidit in terram bonam, & enatum fecit fructum centuplum. Hæc dicens, clamabat, Qui habet aures ad audiendum, audiat.

9. Interrogabant autem eum diſcipuli ſui, dicentes, quæ eſſet hæc parabola.

10. At ille dixit, Vobis datum eſt noſſe myſteria

regni

14. Et completur in illis prophetia Eſaiæ, quæ dicit, Auribus audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non cernetis.

15. Incraſſatum eſt enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt, nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & ſanem illos.

16. Veſtri vero beati ſunt oculi, quia vident: & aures veſtræ, quia audiunt.

17. Amen dico vobis quod multi Prophetæ & juſti deſideraverunt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt.

foris ſunt, per parabolas omnia fiunt.

12. Ut videntes videant, & non cernant: & audientes audiant, & non intelligant: nequando convertantur, & remittantur eis peccata.

Paulo poſt.

24. Et dicebat illis, Videte quid audiatis: qua menſura metimini, eadem fiet vobis admenſio, & adjicietur vobis qui auditis.

25. Qui enim habet, dabitur illi: & qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo.

regni Dei: cæteris autem per parabolas, ut videntes non videant, & audientes non intelligant.

Paulo poſt.

18. Videte ergo quomodò audiatis. Quiſquis enim habet, dabitur illi: & quicunque non habet, etiam quod putat ſe habere auferetur ab illo.

LUC. X.

23. Et converſus ad diſcipulos ſeorſum, dixit, Beati oculi qui vident quæ vos videtis.

24. Dico enim vobis quod multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt.

Quæ huc inſerui ex Luca, forte ad aliud tempus pertinent: ſed quæ uno contextu poſuit, nulla ratio cogere viſa eſt cur disjungerem. Primo dicit duodecim Apoſtolos regnum Dei cum Chriſto prædicaſſe: unde colligimus, quamvis ordinarium docendi munus nondum illis injunctum foret, fuiſſe tamen aſſiduos præcones qui Magiſtro ſuo audientiam facerent. ita quamvis inferior eſſet ipſorum ratio, dicuntur tamen Chriſto fuiſſe adjutores. Deinde adjicit, Chriſtum in ſuo comitatu mulieres quaſdam habuiſſe quæ ſanatæ fuerant à ſpiritibus malis vel infirmitatibus: qualis fuit Maria Magdalene, quæ à ſeptem dæmoniis vexata fuerat. Videri quidem poſſet parum honorabile fuiſſe hoc contubernium. quid enim minus decuit Filium Dei quam mulieres ſecum trahere probro notatas? Sed hinc melius perſpicimus, vitia quibus onerati fuimus ante fidem, adeo non obſtare Chriſti gloriæ, ut eam magis amplificent. Et certe non dicitur reperiſſe Eccleſiam ſine ruga & macula quam eligeret, ſed ſanguine ſuo mundaſſe ut puram & formoſam habeat. Quare miſera & pudenda mulierum iſtarum conditio, poſtquam ab ea liberatæ ſunt, in magnam Chriſti gloriam ceſſit, ut virtutis gratiæque ſuæ inſignia oſtenderet. Simul etiam earum gratitudo laudatur à Luca, quod ſuum Liberatorem, contempta mundi ignominia, ſequutæ ſunt. Non dubium eſt quin digito paſſim monſtratæ fuerint, ac Chriſti præſentia inſtar theatri fuerit ad eas ſpectandas: ſed pudorem ſuum palam extare non recuſant, ne ſuppreſſa Chriſti gratia lateat. quin potius ut illuſtre ſit ejus ſpectaculum, libenter humiliari ſuſtinent. Porro in Maria ſingulare fuit immenſæ Chriſti bonitatis miraculum, quod fœminam à ſeptem dæmoniis poſſeſſam, & quaſi viliſſimum Satanæ mancipium, non tantum diſcipulæ honore, ſed contubernio quoque ſuo dignatus eſt. Cognomen Magdalenes addit Lucas, ut hanc à ſorore Marthæ aliiſque Mariis diſcerneret, quarum alibi fit mentio.

3. *Joanna uxor Chuzæ.*] Neſcitur an idem de iis mulieribus intelligi voluerit Lucas quod de Maria. Mihi probabile videtur, primam in ordine locatam eſſe in qua inſigni potentia operatus erat Chriſtus: uxorem vero Cuzæ & Suſannam honeſtas & integræ famæ matronas ſubjungi, quia tantum à vulgaribus morbis ſanatæ forent. Quum autem divites fuerint ac ſplendidæ matronæ, eo plus meretur laudis pium earum ſtudium, dum Chriſto ſumptum ex ſuis facultatibus ſuppeditant. neque hoc officio contentæ, poſthabitis domeſticis negotiis, ipſum cum invidia multiſque incommodis per diverſa incertaque hoſpitia ſequi malunt quam delicata quiete in propriis ædibus frui. Et fieri poteſt ut Chuza Herodis procurator, domino ſuo nimium ſimilis, conſilio uxoris valde fuerit contrarius: ſed pia mulier obſtaculum hoc zeli ſui fervore & conſtantia ſuperavit.

2. Matth. *Congregatæ ſunt ad eum.*] Non fruſtra de ingenti turbæ concurſu præfantur Euangeliſtæ, cujus conſpectu impulſus eſt Chriſtus ad doctrinam ſemini comparandam. Ex variis locis convenerat illa multitudo: ſuſpenſi ſtabant omnes: ſimilis omnibus audiendi aviditas, ſed non idem proficiendi affectus. hæc fuit occaſio parabolæ, ut ſciretur non ubique fructuoſum eſſe doctrinæ ſemen dum longe lateque ſpargitur: quia non ſemper feracem & bene cultam terram inveniat. Chriſtus ergo ſe illic velut agricolam adeſſe profeſſus eſt, qui ad ſeminandum prodiret: ſed multos ex auditoribus ſimiles eſſe incultæ & aridæ terræ, alios ſpinoſæ, ut labor & ſemen ipſum pereat. Cæterum de ſenſu parabolæ longius tractare ſuperſedeo, donec ad explicationem ventum fuerit quam paulo poſt Dominus ipſe adferet: hujus tantum in præſentia monendi ſunt lectores, ſi inutili terræ & ſterili comparantur qui ex locis remotis quaſi famelici ad Chriſtum accurrerant, non mirum eſſe ſi hodie in multis Euangelium non fructificat, quorum alii pigri ſunt & lenti, alii oſcitanter audiunt, alii etiam vix trahuntur ut audiant.

9. *Qui habet aures.*] Partim his verbis ſignificat Chriſtus, non omnes vera intelligentia præditos eſſe ut aſſequantur quod dixit: partim vero ſuos diſcipulos excitat ut attentius expendant doctrinam non cuivis obviam nec facilem. Certe inter auditores ita diſcernit, ut alios faciat auritos, alios vero ſurdos.
Nunc ſi quæritur unde illis prioribus ſint aures, alibi *Pſal. 40.*
Scriptura teſtatur non ſua quemque induſtria aptare *verſ. 7.*
ſibi & formare, ſed à Domino perforari.

10. *Adeuntes diſcipuli, dixerunt.*] Ex verbis Matthæi apparet diſcipulos non modo ſui reſpectum habuiſſe, ſed optaſſe pariter aliis conſultum. Quum parabolam non perciperent, ſciebant populo non minus eſſe obſcuram: queruntur ergo Chriſtum verba feciſſe ex quibus nulla utilitas ad auditores veniret. Porro quamvis ſimilitudines plerumque rem de qua agitur, illuſtrent: quæ tamen perpetuam metaphoram continent, ænigmaticæ ſunt. Chriſtus ergo ſimilitudinem hanc proponens, ſub allegoria involvere voluit quod ſine figura clarius & plenius dicere poterat. Nunc vero ubi addita eſt expoſitio, plus & energiæ & efficaciæ habet figuratus ſermo quam ſimplex: hoc eſt, non ſolum efficacior eſt ad moven-

movendos animos, ſed magis eſt perſpicuus. tanti intereſt quomodo quidque dicatur.

11. *Vobis datum eſt noſſe myſteria.*] Ex hoc Chriſti reſponſo colligimus in diverſos fines à Deo proponi hominibus ſalutis doctrinam. nam teſtatur Chriſtus ſe ideo data opera obſcurius loquutum eſſe, ut multis ænigmaticus eſſet ſermn, ac ſolum aures confuſo & ambiguo ſonitu feriret. Siquis contra
Jeſ. 45. objiciat illud Jeſaiæ, Non in abſcondito loquutus
verſ. 19. ſum, nec in angulo tenebroſo: non fruſtra dixi ſemini Jacob, Quærite me. Item Legis eloquia quæ
Pſal. 119. celebrat David, lucernam eſſe pedibus, & ſapien-
& 19. tiam dare parvulis: ſolutio in promptu eſt, verbum Dei ſua natura lucidum ſemper eſſe, ſed ejus lucem hominum tenebris ſuffocari. Etſi enim Lex quaſi velo quodam obducta fuit, in ea nihilominus manifeſta fuit Dei veritas, niſi multorum cæci fuiſſent
2 Cor. 4. oculi. De Euangelio vere teſtatur Paulus non eſſe
verſ. 4. velatum niſi reprobis & exitio devotis, quorum mentes excæcavit Satan. Deinde ſciendum eſt vim illuminandi cujus meminit David, & familiarem docendi modum quem prædicat Jeſaias, proprie ad electum populum referri. Hoc tamen ſemper fixum manet, non eſſe obſcurum Dei verbum, niſi quatenus ipſum mundus ſua cæcitate obtenebrat: interim nihilominus myſteria ſua Dominus continet, ut minime ad reprobos perveniat eorum ſenſus. Ac duobus quidem modis privat eos doctrinæ ſuæ luce. nam interdum ſub ænigmatibus proponit quod clarius dici poſſet: interdum ſine ambagibus & figuris mentem ſuam palam explicans, hebetat illorum ſenſus, & ſtupore percutit, ut in plena luce cæcutiant. Huc
Jeſ. 28. ſpectant illæ horribiles minæ apud Jeſaiam, ubi de-
verſ. 11. nunciat ſe barbarum fore populo qui peregrina &
Jeſ. 29. incognita lingua loquetur: viſiones Propheticas do-
verſ. 11. ctis fore librum clauſum & obſignatum, in quo legere nequeant: ubi autem apertus fuerit liber, omnes fore idiotas qui attoniti hærebunt neſcientes legere. Jam quum ſuam doctrinam conſulto ita diſpenſaverit Chriſtus ut paucis tantum prodeſſet, ſolide eorum animis infixa: alios vero ſuſpenſos teneret ac perplexos: ſequitur non unum in finem divinitus hominibus proferri ſalutis doctrinam: ſed admirabili conſilio ſic temperari, ut non minus odor ſit mortis in mortem reprobis, quam electis odor vivificus. Nequis autem obſtrepere audea,t occurrit Paulus his verbis, qualiſcuoque ſit Euangelii effectus, ſemper tamen ejus odorem, licet mortiferum, ſuaviter ſpirare coram Deo. Verum ut nobis conſtet præſentis loci ſenſus, Chriſti conſilium, qua de cauſa hoc & quorſum dixerit, propius excutere oportet. Primo hucindubie ſpectat comparatio, ut gratiam diſcipulis factam Chriſtus amplificet: quia peculiariter illis, quod non omnibus promiſcue, datum erat. Siquis roget, unde hoc dignitatis privilegium Apoſtolis: certe non reperietur in ipſis cauſa: & Chriſtus datum illis eſſe pronuncians, meritum omne excludit. Certos quidem & ſelectos eſſe homines Chriſtus pronunciat, quos peculiariter Deus hoc honore dignatur ut ſua illis arcana patefaciat, reliquos autem hac gratia privari. Hujus diſcriminis non alia reperietur cauſa, niſi quod ad ſe vocat Deus quos gratuito elegit.

12. *Quiſquis enim habet.*] Proſequitur Chriſtus quod nuper dixi. diſcipulos enim ſuos admonet quam liberaliter agat cum ipſis Deus, ut ejus gratiam tanto pluris faciant, ſeque agnoſcant majore ejus beneficio obſtrictos. Hæc eadem verba alibi repetet: diverſo tamen ſenſu. illic enim de legitimo donorum uſu habebitur ſermo: nunc autem ſimpliciter docet, ideo plus dari Apoſtolis quam vulgo hominum, quia cæleſtis Pater ſuam erga illos beneficentiam velit uſque ad cumulum complere. Nam quia opera ma-
Pſal 138. nuum ſuarum non deſerit, ſicuti dicitur in Pſalmo:
verſ. 8. quos ſemel formare cœpit, magis ac magis aſſidue exornat, donec eos tandem expoliat in ſummam perfectionem. Hinc tam multiplices gratiæ ab ipſo ſubinde ad nos fluunt, hinc tam læti progreſſus: quia ſcilicet Deum ſuæ liberationis intuitus ad continuum largitatis curſum incitat. Et ſicut inexhauſtæ ſunt ejus divitiæ, ita in filiis ſuis locupletandis nunquam fatigatur. Quoties ergo altius nos provehit, meminerimus quicquid nobis quotidie beneficiorum accedit, ex fonte illo manare, quod inchoatum ſalutis noſtræ opus abſolvere velit. contra autem pronunciat Chriſtus, reprobos ſemper in deterius ruere, donec prorſus exinaniti, in ſua inopia tabeſcant. Dura quidem in ſpeciem eſt iſta loquutio, auferri impiis quod non habent: ſed Lucas duritiem mitigat, & ambiguitatem tollit verbis paululum mutatis, auferri dicens quæ videntur habere. Et certe plerumque accidit ut præclaris dotibus excellant etiam reprobi, & in ſpeciem filiis Dei ſint ſimiles: atqui nihil eſt in ipſis ſolidum, quia animus pietate vacuus eſt, ſed tantum inanis apparet ſplendor. Quare merito eos habere negat Matthæus quod nihili reputatur coram Deo, & intus eſt evanidum. Lucas autem apte dona quibus præditi erant, ab ipſis vitiari ſignificat, ut tantum ſplendeant in oculis hominum, cæterum nihil habeant præter pompam & vanam oſtentationem. Hinc etiam diſcamus tota vita ad profectum aſpirare, quandoquidem hac lege guſtum cæleſtis ſuæ doctrinæ nobis præbet Deus, ut ea quotidie abundantius paſcamur, donec ad plenam ſaturitatem ventum fuerit. Apud Marcum hæc ſententia paulo confuſius legitur: Attendite, inquit Dominus, quid vobis dicatur. Deinde ſi rite proficiant, ſpem illis facit uberioris gratiæ: Vobis, inquit, adjicietur qui auditis. Tandem ſequitur clauſula quæ cum Matthæi verbis convenit: ſed inſeritur media ſententia, quam ſupra capite Matthæi ſeptimo expoſui: quia veriſimile non eſt ſuo ordine hic fuiſſe locatam. Neque enim (ſicuti alibi dictum eſt) in texendis Chriſti concionibus curioſi fuerunt Euangeliſtæ, ſed ſæpe varia ejus dicta congerunt. Lucas vero aliis Chriſti ſermonibus ſparſim habitis eandem ſententiam permiſcet: ac ſimul diverſum finem notat cur ita loquutus ſit Chriſtus: nempe ut attenti ad ſuam doctrinam forent ne temere efflueret vitæ ſemen, quod animis penitus receptum radices agere debet. acſi diceret, Cavete ne vobis tollatur quod datum fuerit, ſi profectu careat.

13. *Propterea per parabolas.*] Obſcure ſe turbæ loqui dicit, quia veræ lucis particeps non eſt. neque tamen quum pronunciat cæcis obtendi velum ut in ſuis tenebris maneant, hujus rei culpam illis adſcribit: ſed gratiam Apoſtolis factam inde magis commendat, quod non omnibus peræque ſit communis. Cauſam ergo non aſſignat extra arcanum Dei conſilium, cujus tametſi nobis abſcondita eſt ratio, illi tamen conſtat: ut mox plenius videbimus. Quamvis autem parabolæ alium uſum habeant quam ut ænigmatice contineant quæ dilucide non vult Deus patefieri: diximus tamen ſic propoſitam fuiſſe à Chriſto parabolam de qua nunc agitur, ut propter allegoriæ contextum fuerit quaſi dubium ænigma.

14. *Completur in illis prophetia.*] Confirmat Eſaiæ vaticinio minime novum eſſe ſi multi nihil ex verbo Dei proficiunt, quod olim veteri populo in majorem excæcationem deſtinatum fuit. Cæterum locus hic Prophetæ varie citatur in Novo Teſtamento. Paulus enim Actorum 28. verſ. 26. Judæis obſtinatam ſuam malitiam exprobrans, eos ideo excæcari dicit Euangelii luce, quia adverſus Deum amarulenti ſint ac rebelles. Ita propinquam cauſam deſignat, quæ patebat in ipſis hominibus. Undecimo autem ad Romanos cap. v. 7 diſcrimen ex altiore & magis recondito fonte deducit. Reliquias enim ſecundum gratiam electionis ſervatas eſſe docet, reliquos vero excæcatos: ſicut dictum eſt per

Jeſaiam,

Jeſaiam, &c. Notanda illic eſt antitheſis. nam ſi ſola Dei electio, & quidem gratuita reſiduum aliquem populum ſervat: ſequitur, occulto Dei judicio, quamvis juſto, alios omnes perire. Qui ſunt enim cæteri quos Paulus electis reliquiis opponit, niſi quos Deus peculiari ſalute dignatus non eſt? Similis etiam eſt ratio apud Joannem capite 12. verſ. 38. multos enim incredulos fuiſſe dicit, quia nemo credit niſi cui Deus brachium ſuum revelat. Et continuo poſt ſubjicit, illos non potuiſſe credere, [*Jeſ. 6. verſ. 9.*] quia rurſus ſcriptum ſit, Excæca cor populi hujus. Eodem ſpectat Chriſtus quum ad occultum Dei conſilium refert quod non omnibus promiſcue patefacta ſit Euangelii veritas, ſed procul ſub ænigmatibus propoſita, ut nihil quam craſſiores tenebras offunderet populi mentibus. Semper quidem (fateor) quoſcunque Deus excæcat, hac pœna reperientur digni: ſed quia non ſemper propinqua cauſa in hominum perſonis apparet, fixum maneat hoc principium, Divinitus illuminari in ſalutem, idque ſingulari dono, quos Deus gratis elegit: omnes autem reprobos luce vitæ privari, ſive illis Deus verbum ſuum ſubducat, ſive obſtructos teneat ipſorum oculos ac aures, ne audiant & videant. Nunc tenemus quomodo Prophetæ vaticinium Chriſtus ad præſentem cauſam accommodet. *Auribus audietis*. Non recitantur Prophetæ verba, nec vero operæpretium fuit: quia Chriſto ſatis erat oſtendere neque novum neque inſolitum eſſe exemplum ſi multi ad verbum Dei obſtupeſcerent. Prophetæ dictum fuit, Vade, excæca mentes, & corda obdura: hoc tribuit Matthæus auditoribus, ut cæcitatis ſuæ & duritiei culpam ſuſtineant. neque enim alterum ab altero disjungi poteſt: quia quotquot in ſenſum reprobum conjecti ſunt, ſponte & intrinſeca malitia ſe excæcant & obdurant. Nec fieri aliter poteſt ubicunque non regnat Dei Spiritus, quo ſoli electi reguntur. Quare teneatur iſta connexio, alienos eſſe à ſana mente quoſcunque Deus Spiritu adoptionis non illuminat: ideoque verbo Dei magis excæcari, & tamen in illis reſidere culpam, quia ſpontanea eſt excæcatio. Cæterum hinc verbi miniſtris petenda eſt conſolatio, ſi eorum labori ſæpe ex voto non reſpondeat ſucceſſus: multis adeo non prodeſt eorum doctrina, ut deteriores fiant. Nempe illis accidit quod expertus eſt Propheta, ſupra quem non excellunt. Optandum quidem eſſet ut omnes adducerent in Dei obſequium, & huc incumbere atque eniti ipſos decet: interea ne mirentur quod olim Deus judicium exercuit per miniſterium Prophetæ, hodie quoque impleri. Quanquam ſedulo cavendum eſt ne ignavia noſtra pereat Euangelii fructus.

12. Marc. *Ut videntes non videant.*] Hic breviter notare ſufficiat quod alibi fuſius expoſitum eſt, doctrinam non eſſe proprie neque per ſe, nec ſua natura cauſam cæcitatis, ſed per accidens. Sicuti enim, quum ad Solem prodeunt luſcioſi, magis eorum oculi hebetantur; atque id vitium Soli minime imputatur, ſed eorum oculis: ita quod reprobos Dei verbum excæcat & obdurat, quia fit eorum pravitate, ipſis proprium & genuinum, verbo autem accidentale eſt. *Nequando convertantur*. Hæc particula oſtendit quorſum proſit videre & intelligere: ut ſcilicet homines ad Deum converſi, cum ipſo redeant in gratiam, eoque propitio bene & feliciter habeant. Ergo in hunc finem proprie verbum ſuum Dominus vult prædicari, ut mentes & corda hominum innovans, eos ſibi reconciliet. De reprobis vero contra hic pronunciat Jeſaias, ne miſericordiam obtineant, manere in ipſis lapideam duritiem; verboque adimi ſuum effectum erga eos, ne ad pœnitentiam corda emolliat. Sanationis voce Matthæus, ſicuti Propheta, liberationem à malis omnibus complectitur: populum enim manu Dei afflictum metaphorice homini ægroto comparant. Ideo ſanitatem conferri dicunt quum Dominus pœnas relaxat. Sed quia ſanitas iſta à peccatorum remiſſione pendet, apte Marcus & ſcite cauſam & fontem deſignat. Unde enim pœnarum mitigatio, niſi quia Dominus nobis placatus, ſua benedictione nos proſequitur? Etſi autem interdum reatu noſtro abolito, nos tamen punire non deſinit, vel ut magis humiliemur, vel ut ſimus in poſterum cautiores: quia tamen favoris ſui ſigna oſtendens, nos vivificat & inſtaurat, deinde ut plurimum ceſſant pœnæ cum culpa: merito ſanatio cum venia conjungitur. Cæterum ex eo minime colligi debet, pœnitentiam eſſe veniæ cauſam, quaſi Deus converſos in gratiam recipiat quia hoc promeriti ſint: (nam & ipſa converſio ſignum eſt gratuiti Dei favoris) ſed tantum ordo & conſequentia notatur: quia Deus peccata non remittit niſi in quibus homines ſibi diſplicent.

16. Matth. *Veſtri vero beati oculi.*] Videtur Lucas hoc dictum in aliud tempus rejicere. Facilis tamen ſolutio eſt: quod illic plures ſententias non diſtincta temporum ſerie congerit. Sequemur ergo Matthæi contextum, qui clarius exprimit unde occaſionem ſumpſerit ita loquendi. Nam ſicuti prius de ſingulari gratia ſibi collata, inde admoniti fuerant quod Dominus eos à vulgo exemptos ad myſteria regni ſui familiariter admittebat: nunc eadem gratia alia comparatione extollitur, quod ſcilicet veteribus Prophetis ſanctiſque Regibus præcellant. hoc autem multo ſplendidius eſt quam incredulæ turbæ præferri. Porro non quemlibet auditum, nec ſimplicem carnis aſpectum Chriſtus intelligit: ſed beatos eorum oculos pronunciat quia gloriam cernant dignam unigenito Dei Filio, ut eum Redemptorem agnoſcant: quia ipſis affulgeat viva Dei imago, in qua ſalutem ſolidamque beatitudinem percipiant: deinde quia in ipſis complcatur quod dictum fuerat per Prophetas, ut plene & perfecte à Deo edocti, non diſcant quiſque à proximo ſuo. Ita diluitur objectio quæ ex altera Chriſti ſententia adferri poſſet, ubi Beatos dicit qui non viderunt & crediderunt. [*Joan. 20. verſ. 19.*] diverſa enim illic notatur videndi ratio, qualem ſcilicet Thomas pro ſua craſſitie appetebat. Aſpectus autem de quo nunc loquitur Chriſtus, ætatum omnium fidelibus cum Apoſtolis communis eſt. Nos enim Chriſtum non videntes videmus, & non audientes audimus: quia in Euangelio facie ad faciem, ut dicit Paulus, [*2 Cor. 3. verſ. 18.*] nobis apparet, ut in imaginem ejus transformemur: & ſemel in ipſo exhibita ſapientiæ, juſtitiæ, & vitæ perfectio illic aſſidue refulget.

24. Luc. *Et Reges voluerunt.*] Merito potior Eccleſiæ præſentis conditio eſſe dicitur, quam ſanctorum Patrum qui ſub Lege vixerunt: quibus nonniſi ſub umbris & involucris oſtenſum fuit quod nunc in lucida Chriſti facie palam apparet. Sciſſo enim templi velo in cœleſte Sanctuarium fide ingredimur, & familiaris patet ad Deum acceſſus. Nam etſi Patres ſorte ſua contenti beatam in animis ſuis pacem fovebant, hoc tamen non obſtitit quominus votis ſuis longius ferrentur. Sic Abraham vidit quidem eminus diem Chriſti, & gaviſus eſt: [*Joan. 8. verſ. 56.*] propiore tamen aſpectu potiri optavit, nec compos factus eſt voti ſui. Nam ex omnium ſenſu loquutus eſt Simeon, quum diceret, Nunc in pace dimittis ſervum tuum. [*Luc. 2:29.*] Nec vero fieri aliter potuit, quum ſub onere maledictionis quo oppreſſum eſt genus humanum, promiſſæ liberationis deſiderio toti arderent. Sciamus ergo quaſi famelicos ad Chriſtum ſuſpiraſſe, & tamen tranquillam fuiſſe eorum fidem ut Deo non obſtreperent, ſed patienter animos ſuos ſuſpenderent uſque ad maturum revelationis tempus.

MATTH. XIII.

18. Vos igitur audite parabolam ſeminantis.

19. Quum quivis audit ſermonem regni, & non intelligit, venit ille malus, & rapit id quod ſeminatum eſt in corde illius: hic eſt qui juxta viam ſeminatus fuit.

20. At qui in petricoſa ſemen jactum exceperat, hic eſt qui verbum audit, ac protinus cum gaudio excipit illud.

21. Verum non habet radicem in ſemetipſo, ſed temporarius eſt: porro quum inciderit afflictio aut perſequutio propter ſermonem, continuo offenditur.

22. Qui autem in ſpinas ſemen exceperat, hic eſt qui verbum audit: & cura ſeculi hujus deceptioque divitiarum ſuffocat ſermonem, & infrugifer redditur.

23. Cæterum qui in terram bonam excepit ſemen, hic eſt qui ſermonem audit & intelligit, qui denique fructum etiam reddit ac facit: alius quidem centuplum, alius vero ſexagecuplum, alius vero trigecuplum.

MARC. IV.

13. Et ait illis, Neſcitis parabolam hanc? & quomodo omnes parabolas cognoſcetis?

14. Seminator, eſt qui ſermonem ſeminat.

15. Alii autem ſunt qui juxta viam *ſemen excipiunt*, ubi ſeminatur ſermo: & quum audierint, confeſtim venit Satanas, & aufert ſermonem qui ſeminatus eſt in cordibus eorum.

16. Et alii ſunt ſimiliter qui in petroſa ſemen excipiunt: qui quum audierint ſermonem, ſtatim cum gaudio accipiunt illum.

17. Et non habent radicem in ſe, ſed temporarii ſunt: deinde coorta afflictione aut perſequutione propter ſermonem, mox offenduntur.

18. Et alii ſunt qui in ſpinas ſemen excipiunt. hi ſunt qui ſermonem audiunt:

19. Et ſollicitudines ſeculi hujus, ac deceptio divitiarum, rerumque aliarum cupiditates introëuntes ſuffocant ſermonem, ac redditur infructifer.

20. Alii ſunt qui in terram bonam ſemen exceperunt, qui audiunt ſermonem, & ſuſcipiunt, & fructificant, alius ad triginta, alius ad ſexaginta, alius ad centum.

LUC. VIII.

11. Eſt autem hæc parabola: Semen, eſt ſermo Dei.

12. Qui autem juxta viam, ii ſunt qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit ſermonem de corde eorum, ne credentes ſerventur.

13. Nam qui ſuper petram, ii ſunt qui quum audierint, ſuſcipiunt cum gaudio ſermonem: hi tamen radices non habent, qui ad tempus credunt, & tempore tentationis recedunt.

14. Quod autem in ſpinas cecidit, ii ſunt qui audierunt: & euntes, à ſollicitudinibus & divitiis & voluptatibus vitæ ſuffocantur, nec fructum reddunt.

15. Quod autem in terram bonam, ii ſunt qui corde bono & benigno, audientes ſermonem, retinent, & fructum afferunt in patientia.

Apud Matthæum & Lucam ſimpliciter & ſine objurgatione parabolam diſcipulis exponit Chriſtus: apud Marcum vero eorum tarditatem oblique perſtringit, quia aliis non præcurrant qui futuri erant omnium doctores. Summa autem eſt, doctrinam Euangelii, quum inſtar ſeminis ſparſa eſt, non ubique eſſe fructiferam: quia non ſemper in terram fœcundam & bene cultam incidit. Enumerat autem quatuor auditorum ſpecies, quorum primi ſemen non concipiunt: ſecundi concipere quidem videntur, ſed ita ut vivas radices non agat: in tertiis ſuffocatur ſeges: ita ſupereſt quarta pars quæ fructum reddit. Non quod ex quatuor auditoribus unus tantum, vel decem ex quadraginta, doctrinam amplexi fructificent: (certum enim numerum Chriſtus præfigere hic noluit: nec eos, de quibus loquitur, in partes æquales diſtribuere: ut non ſemper idem, ſed nunc uberior, nunc magis exiguus eſt proventus fidei ubi verbum ſeminatur) ſed tantum admonuit, in multis perire vitæ ſemen ob diverſa vitia, quibus vel ſtatim corrumpitur, vel areſcit, vel paulatim degenerat. Cæterum quo melius proſit nobis admonitio, tenendum eſt, nullam de contemptoribus mentionem fieri qui palam Dei verbum repellunt: ſed eos tantum notari in quibus aliqua videtur eſſe docilitas. Quod ſi eorum major pars evaneſcit, quid reliquo mundo fiet à quo palam repellitur ſalutis doctrina? Nunc ad ſingulas ſpecies deſcendo.

Auditorum quatuor genera.

19. *Audit ſermonem regni, & non intelligit.*] Primo loco ſteriles & incultos commemorat, qui ſemen intus non concipiunt: quia nulla eſt in eorum cordibus præparatio. tales duræ & ſiccæ terræ comparat quali eſt in via publica, quæ calcata, inſtar pavimenti dureſcit. Hujus generis utinam non liceret tam multos hodie cernere, qui ubi ſe ad audiendum obtulerint, ſtant tamen attoniti, nec ullum guſtum capiunt: denique parum differunt à truncis vel lapidibus. quare non mirum eſt eſſe prorſus evanidos. Quod verbum Chriſtus dicit in eorum cordibus ſeminari, licet impropria ſit loquutio, ratione tamen non caret: quia hominum vitio & pravitate non eripitur verbo ſua natura quin ſeminis vim retineat. idque diligenter notandum eſt, ne quid putemus Dei gratiis decedere, quamvis ad nos uſque earum effectus non perveniat. Dei enim reſpectu ſeminatur in cordibus verbum: ſed non omnium corda illud inſitum cum manſuetudine recipiunt, quemadmodum Jacobus 1. verſ. 21. hortatur. Eſt ergo ſemper Euangelium potentia fructuoſum ſemen, ſed non actu. Apud Lucam additur, diabolum tollere de corde eorum ſemen, ne credentes ſerventur. Unde colligimus, hunc ſalutis noſtræ hoſtem, ut ſationis tempore ſolent famelicæ aves, ſimulac prodit in medium doctrina, inſtare, & irrumpere ad eam rapiendam priuſquam humore concepto germinet. Non vulgaris etiam fidei laus eſt dum vocatur ſalutis noſtræ cauſa.

20. *Qui in petricoſa.*] Hic ordo à ſuperiore differt: quia temporalis fides quaſi ſeminis conceptio, fructum aliquem initio promittit: ſed non ita bene & penitus ſubacta ſunt corda ut ad continuum alimentum eorum mollities ſufficiat. Hujus etiam generis nimis multos hodie videmus, qui Euangelium cupide amplexi, paulo poſt deficiunt: quia non ſubeſt vivus affectus qui ipſos ad conſtantiam confirmet. Quare ſe quiſque penitus examinet, ne ala-

cratas,

critas, quæ multum fulgorem emittit, brevi evaneſcat quaſi ſtuppea flamma, ut loquuntur. Niſi enim totum cor ſolide penetret verbum, profundaſque radices habeat, fidei non ſuppetet continuus humor ad perſeverantiam. Laudabilis quidem eſt iſta promptitudo, verbum Dei, ſimulac prolatum eſt, ſine mora cum gaudio excipere: ſciamus tamen nihil actum eſſe donec ſolidum robur collegerit fides, ne in prima herba areſcat. Exempli cauſa: dicit Chriſtus, qui tales ſunt, crucis ſcandalo turbari. Et ſane, ut æſtu Solis probatur terræ ſterilitas: ita perſequutio & crux, eorum vanitatem detegit, qui leviter tincti neſcio quo deſiderio, non probe ſerio pietatis affectu imbuti ſunt. Tales apud Matthæum & Marcum vocantur temporarii, non tantum quia ad tempus profeſſi ſe Chriſti diſcipulos, poſtea in tentatione deſciſcunt: ſed quia ſibi quoque videntur veram habere fidem. ideo apud Lucam dicit Chriſtus eos ad tempus credere: quia fidei ſimilis eſt honor ille quem Euangelio deferunt. Interea tamen ſciendum eſt, non vere eſſe incorruptibili ſemine regenitos, quod
1 Pet. 1. verſ. 4. nunquam marceſcit, quemadmodum Petrus docet. Nam illud Jeſaiæ, capite 40. verſ. 8. Sermo Dei manet in æternum, cordibus fidelium impleri dicit, quibus ſemel infixa Dei veritas nunquam effluit, ſed uſque ad finem viget. Credunt tamen quodammodo quibus amabile eſt Dei verbum & apud quos reverentiam aliquam obtinet: quia certe ab incredulis diſtant, qui fidem abrogant loquenti Deo, vel ejus verbum reſpuunt. Tantum ſciamus, nullos eſſe veræ fidei participes niſi qui adoptionis Spiritu obſignati, Deum ex animo Patrem invocant. Porro ut nunquam extinguitur Spiritus ille: ita & fidem quam ſemel inſculpſit piorum cordibus, evaneſcere & perire impoſſibile eſt.

22. *Qui in ſpinas.*] In tertia claſſe recenſet eos qui ad fovendam intus ſementem idonei fierent niſi aliunde eam corrumpi ac degenerem reddi ſinerent. Spinis autem comparat Chriſtus voluptates ſeculi, vel malas cupiditates, & avaritiam, & alias carnis ſollicitudines. Quanquam Matthæus curas ſeculi duntaxat cum avaritia ponit, ſed eodem ſenſu: quia ſub hac voce, voluptatum illecebras (quarum Lucas meminit) & omne cupiditatis genus complectitur. Quia ſicut lætam alioqui ſegetem, dum in culmos aſſurgit, ſuffocant ſpinæ, & alia noxæ impedimenta: ſic in hominum cordibus prævalent vitioſi carnis affectus, & fide ſuperiores ſunt, ut vim cæleſtis doctrinæ quæ nondum matura eſt, obruant. Etſi autem malæ cupiditates, antequam verbum Domini in herbam emergat, cor hominis occupant: non tamen inter prima initia videntur dominari, ſed paulatim ſuperveniunt poſtquam exorta eſt ſeges, & ubi fructum promittit. Danda igitur ſingulis opera eſt, ut ſpinas è cordibus ſuis evellant, niſi verbum Dei ſuffocari velint: quando nemo eſt qui non ingenti ſpinarum copia & quaſi denſa ſylva refertus ſit. Et certe videmus quam pauci ad maturitatem perveniant: quia vix decimus quiſque non dico ad exſtirpandas, ſed ne ad reſecandas quidem ſpinas intentus eſt. Atqui ipſa multiplex copia quæ torporem excutere debebat, pleriſque fatiſcendi cauſa eſt. Impoſturam divitiarum Chriſtus pro avaritia poſuit. Sed conſulto divitias vocavit fallaces vel deceptrices, quo magis ab earum laqueis ſibi cavere diſcant homines. Cæterum quot ſunt carnis noſtræ affectus, quorum innumera eſt copia & varietas, meminerimus totidem eſſe noxas ad corrumpendum vitæ ſemen.

23. *Qui in terram bonam.*] Eos tantum bonæ & fructuoſæ terræ Chriſtus comparat in quibus non ſolum radices agit verbum Domini, & quidem altas ac ſolidas, ſed obſtacula quoque omnia ſuperat, ne fructum ejus prævertant. Siquis objiciat, neminem poſſe reperiri à ſpinis vacuum & purum: facilis eſt ſolutio, Chriſtum hic non diſſerere de fidei perfectione, ſed tantum oſtendere in quibus verbum fructificet. Quanquam ergo mediocris erit profectus, quiſquis tamen non degenerat à ſincero Dei cultu, bona terra & fertilis cenſetur. Spinis quidem evellendis incumbere nos decet; ſed quia nunquam vel aſſiduo labore conſequemur quin reſiduum ſemper aliquid maneat, ſaltem quiſque noſtrum eas mortificare ſtudeat, ne verbi fructum impediant. Confirmat hanc ſententiam quod proxime ſequitur, ubi docet Chriſtus, non æquali omnes menſura fructum ferre. Etſi enim centupli reſpectu tenuis eſt ejus terræ fertilitas quæ trigecuplum proventum reddit, videmus tamen ut terras omnes ſimul conjungat Chriſtus quæ agricolæ laborem ac ſpem non prorſus fruſtrantur. Atque hinc docemur, minime ſpernendos eſſe qui minus excellunt, quando ipſe Paterfamilias, licet unumquemque pro abundantiæ ſuæ gradu aliis præferat, communi tamen bonitatis elogio inferiores quoque dignatur. Cæterum tres iſtos gradus inſulſe Hieronymus ad virgines, viduas, & conjuges detorquet. quaſi vero proventus quem exigit à nobis Dominus, ad ſolum cælibatum pertineat: ac non ſæpe uberior ſit in proferendo omni virtutum fructu conjugum pietas. Hoc quoque obiter ſciendum eſt, Chriſtum non hyperbolice loqui de fructu centuplo, ut tunc fuit quarundam regionum fœcunditas: ſicut ex hiſtoricis pleriſque & quidem oculatis teſtibus conſtat.

MATTH. XIII.	MARC.	LUC.
24. Aliam parabolam propoſuit eis, dicens, Aſſimilatum eſt regnum cælorum homini ſeminanti bonum ſemen in agro ſuo.		
25. Sed dormientibus hominibus, venit illius inimicus, & ſeminavit zizania inter triticum: abiitque.		
26. Quum autem germinaſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania.		
27. Accedentes autem ſervi patriſfamilias, dixerunt illi, Domine, nonne bonum ſemen ſeminaveras in agro tuo? unde igitur habet zizania?		
28. Ille vero dixit illis, Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt illi, Vis igitur abeamus, & colligamus ea?		
29. At ille dixit, Non: ne dum colligitis zizania, eradicetis ſimul cum illis & triticum.		
30. Sinite pariter creſcere utraque uſque ad meſſem: & in tempore meſſis dicam meſſoribus, Colligite primum zizania, & colligate ea in faſciculos ad comburendum ea: triticum vero congregate in horreum meum.		

Paulo poſt.

36. Tunc dimiſſis turbis, venit in domum Jeſus: & acceſſerunt ad illum diſcipuli ejus, dicentes, Explica nobis parabolam zizaniorum agri.

37. At ille reſpondens, dixit illis, Qui ſeminat bonum ſemen, eſt Filius hominis:

38. Ager autem, eſt mundus. Porro bonum ſemen, ii ſunt filii regni: zizania vero ſunt filii illius mali.

39. Inimicus autem qui ſeminat ea, eſt diabolus. Meſſis vero, conſummatio ſeculi eſt: meſſores autem, Angeli ſunt.

40. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur: ſic erit in conſummatione ſeculi hujus.

41. Mittet Filius hominis Angelos ſuos, & colligent è regno illius omnia offendicula, & eos qui patrant iniquitatem:

42. Ac mittent illos in caminum ignis. ibi erit ploratus, ſtridorque dentium.

43. Tunc juſti fulgebunt ut Sol in regno Patris ſui. Qui habet aures ad audiendum, audiat.

Ut nobis conſtet uſus parabolæ, tenere operæpretium eſt quorſum tendat Chriſtus. Putant quidam, ne ſibi promiſcuum vulgus placeret externa Euangelii profeſſione, eum dixiſſe, in agro ſuo ſæpe vitioſum ſemen bono permiatum eſſe, ſed venturum diem quo lolium à tritico ſeparetur. Itaque hanc parabolam cum proxima conjungunt, acſi eadem eſſet utriuſque ratio. Mihi tamen ſecus videtur. nam ſeparationis ideo meminit, ne tædio fatiſcant piorum animi, dum confuſam bonorum ſimul cum malis miaturam cernunt. Etſi enim ſanguine ſuo Eccleſiam mundavit Chriſtus, ut ſit abſque ruga & macula: adhuc tamen multis vitiis laborare patitur. Nec de reſiduis infirmitatibus carnis loquor, quibus obnoxii ſunt ſinguli fideles poſtquam regeniti ſunt Dei Spiritu: verum ſimulac exiguum gregem ſibi collegit Chriſtus, multi hypocritæ ſe inſinuant, obrepunt perverſi homines, multi etiam improbi ſe ingerunt: ita fit ut multis ſordibus inquinetur ſacer ille cœtus quem ſibi Chriſtus ſegregaverat. Hoc porro multis valde eſſe abſurdum videtur, in Eccleſiæ ſinu foveri vel impios homines, vel profanos, vel ſceleratos. Adde quod plerique zeli prætextu, plus æquo moroſi, niſi omnia ad eorum votum compoſita ſint, quia nuſquam apparet abſoluta puritas, tumultuoſe ab Eccleſia diſcedunt, vel importuno rigore eam evertunt ac perdunt. Quare hic, meo judicio, ſimplex eſt parabolæ ſcopus, Quamdiu in hoc mundo peregrinatur Eccleſia, bonis & ſinceris in ea permixtos fore malos & hypocritas, ut ſe patientia arment filii Dei, & inter offendicula quibus turbari poſſent, retineant infractam fidei conſtantiam. Eſt autem aptiſſima comparatio, quum Dominus Eccleſiam vocat agrum ſuum, quia ejus ſemen ſunt fideles. Quanquam autem Chriſtus poſtea ſubjicit, mundum eſſe agrum, dubium tamen non eſt quin proprie hoc nomen ad Eccleſiam aptare voluerit de qua exorſus fuerat ſermonem. Sed quoniam paſſim aratrum ſuum ducturus erat per omnes mundi plagas, ut ſibi agros excoleret in toto mundo, ac ſpargeret vitæ ſemen, per ſynecdochen ad mundum tranſtulit quod parti tantum magis quadrabat. Nunc videndum eſt quid per triticum intelligat, & quid per zizania. Non poteſt hoc de doctrina exponi, quaſi dixiſſet, ubi ſeminatur Euangelium, ſtatim corrumpi & adulterari pravis figmentis: nunquam enim vetuiſſet Chriſtus, in tali corruptela purganda ſtrenue ſatagere. Neque enim ut in hominum moribus, quæ corrigi nequeunt vitia, tolerari oportet: ita liceret impios errores ferre qui fidei puritatem inficiunt. Deinde nominatim Chriſtus filios maligni zizania eſſe dicens, dubitationem tollit. Rurſus tamen notandum eſt, non poſſe hoc etiam ſimpliciter de hominum perſonis intelligi, quaſi Deus creatione bonos homines ſeminaret, diabolus vero malos. Quod ideo admoneo, quia hoc loco abuſi ſunt Manichæi, ut colorem inducerent ſuo figmento de duobus principiis. Atqui ſcimus quicquid vitii eſt tam in diabolo quam in hominibus, non aliud eſſe quam integræ naturæ corruptelam. Sicuti ergo Deus electos ſuos qui originali peccato infecti ſunt, non creatione bonum ſemen facit, ſed eos Spiritus ſui gratia regenerans: ita diabolus non creat malos homines, ſed à Deo creatos depravat, & in agrum Domini inſerit ad vitiandum purum ſemen.

37. *Qui ſeminat bonum ſemen.*] Prius regnum cælorum dixerat ſimile eſſe homini ſeminanti, ſed improprie. Senſus tamen clarus eſt, idem contingere prædicato Euangelio atque in ſatione agrorum ſolet, ut lolium tritico ſuccreſcat. niſi quod ſpeciale quiddam exprimit, dicens, inimici fraude aſpergi agrum lolio: ut ſciamus non fortuito neque naturaliter hoc fieri quod multi improbi ſe fidelibus permiſcent quaſi eadem ſint ſeges, ſed hujus mali culpam diabolo imputare diſcamus, non ut ejus damnatio homines abſolvat à reatu, ſed primum, nequid maculæ aſpergatur Deo propter vitium hoc adventitium: deinde ne miremur, ſubinde pullulare zizania in agro Domini, quum ſemper ad nocendum vigilet Satan. Porro quod Chriſtus non verbi miniſtros ſeminare dicit, ſed ſe unum: ratione non caret. quamvis enim ad ejus perſonam hoc reſtringi minime conveniat, quia tamen noſtra opera ſic utitur, & ad culturam agri ſui tanquam inſtrumenta nos adhibet, ut per nos ſolus & in nobis agat, merito ſibi vendicat quod ejus miniſtris quodammodo commune eſt. Meminerimus ergo non ſolum Chriſti mandato prædicari Euangelium, ſed ejus auſpiciis & ductu: ut ſimus tanquam ejus manus, ipſe autem unicus operis auctor.

39. *Meſſis vero, conſummatio ſeculi.*] Eſt quidem hæc valde moleſta conditio, quod reprobis oneratur Eccleſia uſque ad finem mundi: hoc tamen tempus nobis ad patientiam ideo Chriſtus præſcribit, ne vana ſpe nos lactemus. Graviter quidem Paſtores incumbere decet ad purgandam Eccleſiam: & hac in parte ab omnibus piis adjuvandi ſunt quatenus fert cujuſque vocatio. Verum ubi omnes in commune mutuas operas contulerint, non tamen eouſque proficient ut penitus ab omni ſorde purgent Eccleſiam. Teneamus ergo, nihil minus fuiſſe Chriſto propoſitum quam indulgentia ſordes alere: tantum fideles ſuos hortari voluit ne animis deficiant quia malos ſecum ferre coguntur: deinde etiam eorum zelum fre-

nare

nare & moderari, qui fas eſſe non putant ſocietatem niſi cum puris Angelis colere. Perperam igitur hoc teſtimonio Anabaptiſtæ & ſimiles abuſi ſunt, ut gladii uſum arcerent ab Eccleſia. Atqui facilis eſt refutatio: nam quum excommunicationem ipſi admittant, quæ malos & reprobos ſaltem ad tempus eradicat, cur non in ſceleratos, quoties res ita poſtulat, gladium exerent pii Magiſtratus? Excipiunt, locum dari pœnitentiæ, ubi capitalis pœna non eſt. quaſi vero latro in cruce remedium ſalutis non invenerit. Cæterum hæc ſolutio ſufficiat, Chriſtum hic neque de Paſtorum, neque de Magiſtratuum officio diſſerere: ſed offendiculum tollere quo turbantur infirmi, dum Eccleſiam vident non modo ex electis, ſed ex impura fæce collectam eſſe. *Meſſores, Angeli ſunt.* Nomen hoc accommodari debet ad cauſam
Joan. 4. præſentem. Meſſores alibi dicuntur Apoſtoli, Pro-
verſ. 38. phetarum reſpectu, quia in eorum laborem ingreſſi
ſunt. Et omnibus verbi miniſtris injungitur man-
Joan. 15. datum, ut fructum Domino afferant, qui ſemper
verſ. 16. maneat. Quo etiam pertinet illud, ſegetem jam al-
Joan. 4. beſcere, & appetere meſſores. Item, meſſem eſſe
verſ. 35. multam, operarios vero paucos. Sed hic diverſa eſt
Matth. 9. ratio comparationis: quia in agro Domini plantati
verſ. 37. eſſe dicuntur qui locum in Eccleſia occupant. Nec
Matth. 3. obſtat quod alibi dicitur Chriſtus, ſimulac cum
verſ. 12. Euangelio ſuo prodit, ventilabrum habere in manu quo aream ſuam purget. Nam illic deſcribitur ejus purgationis initium, quam hoc loco fieri negat ante extremum diem: quia tunc demum ſuis omnibus numeris conſtabit. Cæterum quanquam tunc extremam manum purgandæ Eccleſiæ apponet per Angelos, idem tamen nunc facere incipit per pios doctores. Porro Angelis has partes tribuit, quia non adſtabunt ad ejus tribunal otioſi, ſed præſto ſe offerent ad exequenda ejus mandata. Ergo qui ad exſtirpandum quicquid diſplicet præpoſtere feſtinant, antevertunt quantum in ſe eſt Chriſti judicium, & ereptum Angelis officium temere ſibi uſurpant.

41. *Colligent è regno ejus.*] Quod ſequitur de omnibus qui iniquitati dediti ſunt, exegeticum eſt. neque enim aliquid diverſum notatur: ſed perinde eſt acſi dixiſſet, tunc maturum fore & opportunum tempus quo reſtituantur omnia in legitimum ordinem, atque ita tollantur impii qui nunc ſunt offendicula. Sic autem vocantur, quia non ſibi tantum male vivunt, ſed labefactant multorum fidem; alios morantur in recto curſu, quoſdam prorſus avertunt, alios præcipitant. Hinc ſumenda eſt utilis admonitio, ne tot offendiculis circumdati, ſegnes ac ſecuri pergamus, ſed acriter intenti ſimus ad cavendum. Simul etiam corrigitur eorum mollities qui tam delicati ſunt ut ad minima quæque offendicula curſum reflectant. Difficile quidem eſt, fateor, non ſubinde impingere, interdum etiam cadere innumeris ſcandalis ſe ingerentibus: ſed firmandi ſunt animi fiducia, quia minime dubium eſt quin Filius Dei, qui ſuos per media ſcandala incedere jubet, ſuperandis omnibus vires daturus ſit. Horribile etiam judicium hypocritis & reprobis quibuslibet denunciat qui nunc primarii Eccleſiæ cives videntur, ne inani ſuæ jactantiæ indormiant. Quod ad caminum ignis ſpectat, metaphorica eſt loquutio. Nam ſicuti gloriæ infinitas quæ repoſita eſt filiis Dei, ſenſus omnes noſtros longe altius exuperat quam ut poſſit ullis verbis exprimi: ita ſupplicium quod reprobos manet, quia incomprehenſibile eſt, pro modulo captus noſtri adumbratur. Cujus rei inſcitia fecit ut Sophiſtæ fruſtra, nihili diſputationibus ſe torquerent, ſicut alibi attigimus. Scio quoſdam ſubtilius minutas quaſque particulas perſequi: ſed quia timendum eſt ne argutiæ minus ſolidæ nos ad ineptias deducant, parcius philoſophari malo, ſimplici & genuino ſenſu contentus. Quibus tantopere arridet curioſitas, ſi rogentur quomodo Chriſto ſopito & neſciente, diabolus zizania bono ſemini inſpergat, quid reſpondeant non habebunt: ego tamen ita ſobrius eſſe ſtudui, ut nihil cognitu dignum & utile omitterem.

43. *Tunc juſti fulgebunt.*] Inſignis conſolatio, quod filii Dei qui nunc vel ſqualore obſiti jacent, vel latent nullo in pretio, vel etiam probris cooperti ſunt, tunc quaſi ſereno cælo, & diſcuſſis omnibus nebulis, vere, & ad liquidum ſemel conſpicui fulgebunt. Et adverbium temporis emphaticum eſt: tacitam enim continet antitheſin præſentis ſtatus & ultimæ inſtaurationis, cujus ſpe fideles ſuos Chriſtus ſuſtentat. Senſus ergo eſt, Quamvis nunc emineant in Eccleſia multi improbi, felicem tamen illum diem certo nobis ſperandum eſſe, quo ſuos in ſublime attollat Filius Dei, & omnem fuliginem abſtergat qua nunc eorum fulgor obruitur. Verum quidem eſt, nullis promitti futuram gloriam niſi in quibus jam eluceat imago Dei, & qui in eam per continuos gloriæ gradus transformantur. ſed quia nunc abſcondita eſt piorum vita, & ſalus eorum, quia in ſpe conſiſtit, inviſibilis eſt: merito Chriſtus, ut promiſſa ſibi gloria potiantur fideles, in cælum eos revocat. Nec dubium eſt quin ad locum Danielis reſpexerit, quo magis ad vivum afficeret auditores: acſi dixiſſet, Prophetam, ubi de futuro ſplendore concionatur, ſimul notare temporalem caliginem: ideoque, ut locus detur vaticinio, patienter ferendam eſſe mixturam quæ electos Dei reprobis ad tempus involvit. Gloriam hanc Solis luci comparans, æqualitatem minime ſtatuit. Sicut enim varie nunc dona ſua inter fideles diſtribuit Chriſtus, ſic ea quoque ultimo die coronabit. Sed tenendum eſt memoria quod dixi, tantum inſtaurationem quæ in ultimum Chriſti adventum differtur, cum nubilo mundi ſtatu conferri. Regnum Patris, quaſi piorum hæreditas, terræ opponitur, ut ſe in hac peregrinari meminerint, atque ita in cælum aſpirent. Etſi enim alibi Regnum Dei eſſe in nobis dicitur, non conſtabit nobis ejus fruitio donec ſit Deus omnia in omnibus.

MATTH. XIII.	MARC. IV.	LUC. XIII.
31. Aliam parabolam propoſuit eis, dicens, Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis, quod acceptum homo ſeminavit in agro ſuo.	26. Et dicebat, Sic eſt regnum Dei quemadmodum ſi homo jaciat ſemen in terram,	18. Dicebat ergo, Cui ſimile eſt regnum Dei? & cui aſſimilabo illud?
32. Quod minimum quidem eſt omnium ſeminum: ubi vero excreverit, maximum eſt inter olera, & fit arbor, ita ut veniant volucres cæli, & nidulentur in ramis ejus.	27. Ac dormiat, & exurgat nocte & die, ſegeſque germinet, ac ſurgat in altum, dum neſcit ille. 28. Ultro enim terra fructificat, primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica. 29. Quum autem productus fuerit fructus, ſtatim mittit falcem, quoniam adeſt meſſis.	19. Simile eſt grano ſinapis, quod acceptum homo jecit in hortum ſuum: & crevit, & evaſit in arborem magnam, & volucres cæli nidulatæ ſunt in ramis ejus.

Digitized by Google

33. Aliam parabolam dixit illis, Simile eſt regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in tribus ſatis farinæ, donec fermentaretur totum.

34. Hæc omnia loquutus eſt Jeſus in parabolis ad turbas, & ſine parabola nihil loquutus eſt illis:

35. Ut compleretur quod dictum fuerat per Prophetam, qui ait, Aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita à conſtitutione mundi.

30. Et dicebat, Cui aſſimilabimus regnum Dei? aut qua collatione conferemus illud?

31. Sicut granum ſinapis, quod quum ſeminatum fuerit in terra, minus eſt omnibus ſeminibus quæ ſunt in terra:

32. Et quum ſeminatum fuerit, exſurgit, & fit majus omnibus oleribus, & facit ramos magnos, ita ut poſſint ſub umbra ejus aves cæli nidificare.

33. Et talibus multis parabolis loquebatur iis ſermonem, prout poterant audire:

34. Sine parabola vero non loquebatur eis. ſeorſim autem diſcipulis exponebat omnia.

20. Et iterum dixit, Cui aſſimilabo regnum Dei?

21. Simile eſt fermento, quod acceptum mulier abſcondit in tribus farinæ ſatis, donec fermentaretur totum.

22. Et ibat per civitates & caſtella, docens, & iter faciens Jeroſolymam.

His parabolis diſcipulos ſuos animat Chriſtus, ne humilibus Euangelii exordiis offenſi, reſiliant. Videmus quam ſuperbe Euangelium deſpiciant, imo ſubſannent profani homines, quia per obſcuros & ignobiles miniſtros affertur, quia non ſtatim excipitur totius mundi applauſu, ſed paucos habet diſcipulos, & quidem ut plurimum nullius pretii homunciones ex vulgo. Ita fit ut deſperent infirmi de ſucceſſu quem ex principiis æſtimant. Atqui Dominus conſulto regnum ſuum à tenuibus & contemptis principiis auſpicatur, ut inſperati progreſſus, ejus potentiam melius illuſtrent. Regnum ergo Dei grano ſinapis confertur, quod minimum inter ſemina, creſcit tamen in tantam altitudinem ut fiat arbuſtum in quo nidulentur aves. Confertur & fermento, quod tametſi exiguum eſt, vim tamen ſuam ſic diffundit, ut magna farinæ copia inde aceſcat. Diſcamus ergo; ſi contemptibilis eſt oculis carnis regni Chriſti ſpecies, ad immenſam & inæſtimabilem Dei potentiam mentes noſtras attollere: quæ ſicuti ex nihilo ſemel creavit omnia, ſic quotidie ea quæ non ſunt, ſupra humani ſenſus modum excitat: ſuperbis ſinamus ſuos caninos riſus, donec ex inopinato eos Dominus obſtupefaciat. Interim ne deſpondeamus animos, ſed fide ſurgamus contra mundi faſtum donec incredibile virtutis ſuæ documentum proferat Dominus de quo hic concionatur. Fermenti nomen aliquando male ſonat: ſicuti quum admonet Chriſtus cavendum eſſe à Scribarum fermento: item quum docet
1 Cor. 5. vers. 6. Paulus exiguo fermento totam maſſam corrumpi. Sed hic ſimpliciter tenenda eſt appellatio ad præſentem cauſam. De regno Dei & cælorum alibi dictum eſt.

26. Marc. *Sic eſt regnum Dei.*] Quanquam eodem tendit hæc ſimilitudo quo duæ priores, videtur tamen Chriſtus data opera ſermonem ad verbi miniſtros dirigere, ne frigidius muneri ſuo incumbant quia non ſtatim laboris fructus apparet. Ergo illis agricolas ad imitandum proponit, qui ſub ſpe metendi, ſemen in terram projiciunt, neque anxia inquietudine torquentur, ſed eunt cubitum, & ſurgunt: hoc eſt, pro more intenti ſunt quotidiano labori, & ſe nocturna quiete reficiunt, donec tandem ſuo tempore matureſcat ſeges. Ergo quamvis verbi ſemen ad tempus ſuffocatum lateat, jubet tamen Chriſtus bono animo eſſe pios doctores, ne diffidentia illis alacritatem minuat.

34. Matth. *Hæc omnia loquutus eſt.*] Quanquam diſerte exprimit Marcus loquutum eſſe Chriſtum prout audire poterant: mihi tamen probabile videtur, non tam docendi conſilio contionis parabolis uſum fuiſſe, quam ut attentos redderet auditores in aliud tempus magis idoneum. Cur enim ſeorſum diſcipulis illas familiariter expoſuit? An quod ipſo vulgo rudiores forent? Imo vero quia animi ſui ſenſum apud eos familiariter deponere voluit, alios autem relinquere ſuſpenſos, donec maturior opportunitas veniret. Hæc enim quædam ſolum fuerunt Euangelii præludia, cujus plenior claritas & promulgatio in ſuum tempus differebatur. Facile autem diluitur repugnantiæ ſpecies inter hoc Matthæi dictum & vaticinium Jeſaiæ quod paulo ante adductum fuit. Quamvis enim doctrinæ lucem ſubduxerit reprobis, hoc tamen non obſtat quin ſe accommodaverit ad eorum captum, ut ipſos redderet inexcuſabiles. Genus ergo docendi ſequutus eſt aptum & congruum auditoribus, quos ſciebat nondum ſatis eſſe ad diſcendum paratos.

35. *Ut compleretur.*] Non intelligit Matthæus Pſalmum quem citat, peculiare eſſe de Chriſto vaticinium: ſed quemadmodum enituit Spiritus majeſtas in ſermone Prophetæ, eodem modo vim ejus in ſermone Chriſti fuiſſe expreſſam. Propheta illic de fœdere Dei quo ſemen Abrahæ adoptavit, aſſiduis erga populum illum beneficiis, totaque Eccleſiæ gubernatione verba facturus, magnifice præfatur, Aperiam in parabolis os meum: hoc eſt, non tractabo leves nugas, ſed de rebus maxime ſeriis graviter diſſeram. Idem per ænigmata quoque ſignificat: Pſal. 68. verſ. 2.
eſt enim repetitio ſatis trita in Pſalmis. nam משלים vocant Hebræi comparationes: deinde nomen hoc transferunt ad graves ſententias, quia ſimilitudines plerumque ſplendorem & ornatum orationi conciliant. חידות nunc ænigmata, nunc apophthegmata nominant. Etſi autem videtur Matthæus ad vocem parabolæ alludere, non tamen dubium eſt quin ſentiat Chriſtum figurate loquutum eſſe, ut ipſa dictionis forma vulgari ſermone ſplendidior, aliquid dignitatis & ponderis afferret. Certe impletum dicit quod habetur in Pſalmo: quia allegoriis & figuris admonuit de arcanis Dei myſteriis ſe tractare, ne vileſceret doctrina. Porro hinc colligimus, nihil eſſe abſurdi quod in diverſos fines obſcurius loquutus ſit ad plebem. Quamvis enim reprobos celare vellet quod dicebat, dedit tamen operam ut verbis ſuis cæleſte aliquid ac divinum ſubeſſe, etiam attoniti ſentirent.

22. Luc. *Iter faciens Hieroſolymam.*] Incertum eſt loquaturne Lucas de una tantum profectione, an intelligat, quum ambularet Chriſtus per Judæam, & ſingulas partes docendo luſtraret, diebus feſtis Hieroſolymam aſcendere ſolitum. Certe priore membro notare videtur qualis perpetua Chriſto fuerit vivendi ratio ex quo injunctum ſibi à Patre munus obire cœpit. Quare, ut poſterius membrum cohæreat, ſenſus erit, quoties inſtabant dies feſti, ipſum cum aliis ſacros conventus celebraſſe.

MATTH. XIII. | MARC. | LUC.

44. Rurſum ſimile eſt regnum cælorum theſauro abſconſo in agro, quem repertum homo abſcondit, & præ gaudio quod habet ſuper eo, abit, & quæcunque habet vendit, ac mercatur agrum illum.

45. Rurſum ſimile eſt regnum cælorum homini negotiatori quærenti pulchras margaritas:

46. Qui inventa una pretioſa, abiens vendidit omnia quæ poſſidebat, & mercatus eſt illam.

47. Rurſum ſimile eſt regnum cælorum verriculo jacto in mare, & ex omni genere congreganti.

48. Quod quum impletum eſſet, ſubduxerunt in litus: & ſedentes collegerunt bonos in vaſa, malos vero foras jecerunt.

49. Sic futurum eſt in conſummatione ſeculi: venient Angeli, & ſegregabunt malos de medio juſtorum.

50. Et mittent eos in caminum ignis. illic erit ploratus, & ſtridor dentium.

51. Dicit illis Jeſus, Intellexiſtis hæc omnia? Dicunt illi, Etiam Domine.

52. At ille dixit eis, Propterea omnis Scriba doctus ad regnum cælorum ſimilis eſt patrifamilias, qui depromit è theſauro ſuo nova & vetera.

In hunc finem tendunt priores duæ ſimilitudines ut diſcant fideles regnum cælorum toti mundo præferre, atque ideo renunciare & ſibi & omnibus carnis deſideriis, ne quid eos impediat quominus tanto bono potiantur. Porro hæc admonitio valde nobis neceſſaria eſt, quia & mundi illecebræ ſic nos faſcinant ut vita æterna nobis evaneſcat: & quia carnales ſumus, ſpirituales Dei gratiæ ſuum pretium minime apud nos obtinent. Merito itaque Chriſtus vitæ æternæ excellentiam euſque extollit, ut moleſtum eſſe nobis non debeat, ejus cauſa quicquid pretioſum alioqui ducimus, relinquere. Primo regnum cælorum ſimile eſſe dicit theſauro abſcondito. Nam ut plurimum magni facimus quæ apparent: atque ideo vileſcit nobis nova & ſpiritualis vita quæ in Euangelio proponitur, quia ſub ſpe incluſa latet. Ergo aptiſſima eſt theſauri comparatio, cujus pretio nihil decedit, quamvis ſub terra defoſſus & obrutus hominum oculos fugiat. Quibus verbis docemur non æſtimandas eſſe ſpiritualis Dei gratiæ divitias ex carnis noſtræ intuitu, vel externo ſuo ſplendore: ſed quemadmodum theſaurus licet occultus ſit, ſpecioſis tamen opibus præfertur. Idem exprimit altera ſimilitudo. Margarita una, quamvis exigua ſit, tanti æſtimatur ut peritus negotiator agros & ædes ad eam redimendam vendere non dubitet. Ergo quamvis cæleſtis vitæ excellentiam non apprehendat carnis ſenſus, non tamen eam ſatis pro dignitate expendimus niſi parati ſimus, quæ oculis noſtris refulgent, abnegare in illius gratiam. Nunc tenemus ſummam utriuſque parabolæ, nempe eos demum ad percipiendam Euangelii gratiam eſſe idoneos qui poſthabitis omnibus aliis deſideriis, ad eam potiendam ſua ſtudia & ſe totos addicunt. Notandum autem eſt quod non ab omnibus tanti fieri theſaurum abſconditum vel margaritam docet Chriſtus ut libenter vendant ſua omnia: ſed theſauro ſtatui pretium, poſteaquam inventus eſt ac cognitus: & peritum negotiatorem tale de margarita judicium facere. Nam his verbis notatur fidei cognitio: acſi dixiſſet Chriſtus, vulgo regnum cæleſte pro nihilo fere haberi, quia inſipidi ſunt homines, nec ſatis perſpiciuot quam incomparabilem theſaurum in Euangelio Dominus offerat. Quæritur tamen an renunciare bonis omnibus aliis neceſſe ſit, ut vita æterna fruamur. Reſpondeo breviter, hunc ſimplicem eſſe verborum ſenſum, non haberi Euangelio juſtum honorem niſi apud nos omnibus mundi opibus, deliciis, honoribus & commodis præcellat: & quidem euſque ut ſpiritualibus bonis quæ nobis promittit, contenti, quæcunque nos inde retrahunt negligamus. nam omnibus impedimentis ſolutos eſſe oportet qui in cælum aſpirant. Ergo nonniſi ad eorum abnegationem quæ pietati adverſa ſunt, Chriſtus fideles ſuos hortatur: interim temporalibus Dei beneficiis ſic uti & frui concedit quaſi non utantur.

46. *Et mercatus eſt illam.*] Mercandi verbo non ſignificat Chriſtus ullam compenſationem afferri ab hominibus qua cæleſtem vitam ſibi comparent: ſcimus enim qua lege Dominus fideles ſuos apud Je- *Iſ. 55:1.*
ſaiam invitet, Venite & emite abſque argento, &c. Sed quamvis gratuitum ſit donum Dei vita cæleſtis, & quicquid ad eam pertinet: dicimur tamen redimere quum volentes privamus nos carnis deſideriis, ne quid ab ea obtinenda nos impediat: quemadmodum dicit Paulus ſibi omnia eſſe inſtar jacturæ & *Phil. 3:8.*
ſtercoris ut Chriſtum lucrifaceret.

47. *Simile eſt verriculo.*] Nihil hic novum docet Chriſtus, ſed alia ſimilitudine confirmat quod prius habuimus, Eccleſiam Dei quamdiu in terra verſatur, permixtam eſſe bonis & malis: nunquam vero ſordibus & inquinamentis puram eſſe. Finis tamen hujus parabolæ forte diverſus eſt: nempe ut Chriſtus non ſolum medeatur ſcandalo quod pleroſque infirmos turbat, quia non reperitut in mundo quæ optanda foret putitas: ſed etiam ut in timore & modeſtia contineat ſuos diſcipulos, ne inani fidei titulo vel nuda profeſſione ſibi placeant. Ego quidem utrumque libenter amplector, quod Chriſtus patienter ferendam uſque in mundi finem eſſe doceat mixturam ex bonis & malis: quia non ante conſtabit vera & ſolida Eccleſiæ reſtitutio. deinde quod admoneat non ſufficere, imo non magni eſſe momenti, nos in ovile eſſe aggregatos, niſi genuinæ ſimus ac delectæ oves: quo ſpectat illa Pauli ſenten- *2 Tim. 2.*
tia, Novit Dominus qui ſui ſint. Ergo ab iniquitate *verſ. 19.*
diſcedat quiſquis invocat nomen Domini. Porro Euangelii prædicationem ſcite comparat verriculo ſub aquis demerſo, ut ſciamus præſentem Eccleſiæ ſtatum confuſum eſſe. Quanquam enim Deus noſter, ut eſt Deus ordinis, & non diſſipationis, diſciplinam nobis commendat: hypocritis tamen locum ad tempus concedit inter fideles donec ultimo die regnum ſuum perfecte componat. Ergo quoad in nobis eſt, ſtudeamus vitia corrigere, vigeat in ſordibus purgandis ſeveritas: non tamen ante ab omnibus rugis & maculis immunis erit Eccleſia, quam Chriſtus ſegregaverit agnos ab hœdis.

51. *Intel-*

51. *Intellexiſtis hæc omnia.*] Tenendum memoria eſt quod prius vidimus, parabolas omnes diſcipulis privatim fuiſſe expoſitas. Nuoc vero Dominus, poſtquam illos tam familiariter ac benigne inſtituit, ſimul admonet ſe oon tantum operæ poſuiſſe io illis docendis ut ſibi taotum ſapiant, ſed ut impertiant aliis quod apud ipſos depoſitum eſt. Atque hoc modo ad diſcendi ſtudium eos magis acuit ac ſollicitat. Doctores ergo ſimiles patribusfamilias eſſe dicit qui non de ſuo tantum victu ſolliciti ſunt, ſed repoſitam habent aononam in aliorum alimenta. deiude non in diem ſecure vivunt, ſed longe io futurum tempus provident. Senſus autem eſt, Eccleſiæ doctores longa meditatione debere eſſe inſtructos, ut Eccleſiæ multiplicem ex Dei verbo doctrinam, ſicuti uſus feret, quaſi ex promptuario miniſtrent. Quod multi ex veteribus per oova & vetera, Legem & Euangelium intelligunt, mihi videtur coactum eſſe. Ego igitur ſimplicius accipio pro varia & multiplici diſpenſatione, quam ad cujuſque captum prudenter apteque accommodant.

MATTH.	MARC.	LUC. VII.

36. Rogabat autem illum quidam ex Phariſæis ut caperet cibum cum ipſo: & ingreſſus domum Phariſæi, accubuit.

37. Et ecce mulier in civitate quæ erat peccatrix, ut cognovit quod accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti:

38. Stanſque ad pedes ejus à tergo, flens lachrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui extergebat, & deoſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.

39. Videns autem Phariſæus qui vocaverat eum, ait intra ſe, dicens, Hic ſi eſſet Propheta, ſciret utique quæ & qualis eſt mulier quæ tangit ipſum, quod peccatrix ſit.

40. Et reſpondens Jeſus, dixit ad illum, Simon, habeo quiddam quod tibi dicam. At ille ait, Magiſter, dic.

41. Duo debitores erant cuidam creditori: unus debebat denarios quingentos, & alter quinquaginta.

42. Quum autem illi non eſſent ſolvendo, condonavit utriſque. Horum igitur dic uter eum amplius diliget?

43. Reſpondens Simon, dixit, Exiſtimo quod is cui plus condonavit. At ille dixit ei, Recte judicaſti.

44. Et converſus ad mulierem, dixit Simoni, Vides hanc mulierem? intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti: hæc autem lachrymis rigavit pedes meos, & capillis capitis ſui exterſit.

45. Oſculum mihi non dediſti: hæc autem ex quo intravit, non ceſſavit deoſculari pedes meos.

46. Oleo caput meum non unxiſti: hæc autem unguento unxit pedes meos.

47. Propter quod dico tibi, remittuntur peccata ejns multa, quoniam dilexit multum. cui autem minus remittitur, minus diligit.

48. Dixit autem ad illam, Remittuntur tibi peccata.

49. Et cœperunt qui ſimul accumbebant, dicere intra ſe, Quis eſt hic qui etiam peccata remittit?

50. Dixit autem ad mulierem, Fides tua ſalvam te fecit: vade in pace.

36. *Rogabat autem illum.*] Hæc hiſtoria docet quam moroſi ſiot, & concipiendis, imo captandis offenſionibus addicti quicunque Chriſti officium non noveruot. Invitat Chriſtum Phariſæus: unde colligimus neque ex infeſtis ac violentis doctrinæ ejus hoſtibus, neque ex ſuperbis contemptoribus unum fuiſſe. ſed quamvis manſuetus eſſet, ſtatim offenditur ubi mulierem, quæ ejus opioione arceoda erat à congreſſu & colloquio, benigne admitti à Chriſto videt: ideoque Prophetam eſſe negat, quia Mediatorem non agnoſcit, cujus proprium ſit munus miſeros peccatores in gratiam cum Deo reducere. Hoc quidem jam aliquid erat, Chriſtum dignari Prophetæ honore: verum ſimul inquirere oportuit quorſum miſſus eſſet, quid afferret, quid denique injunctum illi eſſet à Patre. quia reconciliationis gratiam, quod præcipue io Chriſto tenendum eſt, neglexit, non putavit eſſe Prophetam. Et certe niſi Chriſti gratia hæc mulier abolitis peccatis novam juſtitiam adepta eſſet, rejici oportuit. In eo tantum errat Simon, quia non reputans veniſſe Chriſtum ad ſervandum quod perierat, temere conjicit dignos ab indignis ipſum non diſceroere. Porro ne tale nobis faſtidium obrepat, ſciamus primo Chriſtum miſeris ac perditis hominibus datum eſſe liberatorem, qui à morte eos in vitam reſtituat. Deinde ſe quiſque examinet ac ſuam vitam: ita fiet ut non miremur alios nobiſcum recipi, qoia nemo ſe aliis præferre audebit. ſola enim hypocriſis inflat ſecuros homines, ut alios omnes deſpiciant.

37. *Mulier in civitate.*] Sic ad verbum habetur ut tranſtuli: Eraſmo placuit tempus verbi pluſquam præteritum, ne quis putaret eam tunc adhuc fuiſſe peccatricem. Sed à genuino ſenſu diſceſſit. Voluit enim notare Lucas qualis eſſet mulieris conditio, & quid de ea omnes ſentirent. Tametſi enim ſubita ejus converſio coram Deo aliam reddiderat quam prius fuiſſet, nondum tamen apud homines extinctum erat ſuperioris vitæ dedecus. Erat ergo communi judicio peccatrix, hoc eſt, ſceleratæ & probroſæ vitæ. Unde perperam infert Simon, ſpiritu diſcretionis deſtitui Chriſtum quem latet infamia vulgo nota.

40. *Reſpondens Jeſus.*] Hoc reſponſo demonſtrat Chriſtus quantopere erraverit Simon. tacitam enim & occultam ejus cogitationem in medium proferens, aliquid Prophetis excellentius ſe habere probat. Neque enim ejus verbis reſpondet, ſed quod

ille

ille intus ſuppreſſum tenebat refellit. Neque id tantum Simonis cauſa, ſed ut inde omnes diſcamus non eſſe timendum nequem ex peccatoribus rejiciat, qui non minus liberaliter velut protenſis brachiis omnes paratus eſt recipere quam blaode & amice eos invitat.

41. *Duo debitores.*] Summa hujus parabolæ eſt errare Simonem in muliere damnanda, quam cæleſtis Judex abſolvit. Probat autem juſtam eſſe, non quia ſatisfecerit Deo, ſed quod remiſſa ſint illi peccata: nam alioqui non quadraret ſimilitudo, ubi diſerte exprimit Chriſtus remiſſa gratis fuiſſe debitoribus nomina qui ſolvendo non erant. Itaque mirum eſt pleroſque interpretes tam craſſe hallucinatos eſſe, quaſi hæc mulier veniam lachrymis, unctione, & oſculis pedum promerita ſit. Nam argumentum quo utitur Chriſtus, non à cauſa, ſed ab effectu ſumptum eſt: quia & prius ordine eſt beneficium accipere, quam habere gratiam: & cauſa mutui amoris hic notatur gratuita remiſſio. in ſumma, Chriſtus mulierem hanc Deo reconciliatam eſſe, à fructibus, vel poſterioribus effectis arguit.

44. *Converſus ad mulierem.*] Videtur Dominus Simonem ita cum muliere conferre, ut illum levibus tantum delictis obſtrictum faciat. Sed modus eſt conceſſionis: acſi dixiſſet, Finge, Simon, levem fuiſſe tuum reatum à quo te Deus abſolvit: hanc vero multis & graviſſimis criminibus fuiſſe obnoxiam: vides tamen ut veniam ſibi datam eſſe nunc reipſa reſtatum faciat. Quid enim ſibi volunt tam profuſæ lachrymæ, quid aſſidua pedum oſcula, quid pretioſa unctio, niſi quod fatetur ſe ingenti damnationis mole fuiſſe oppreſſam? Et nunc eo ardentius amplectitur Dei miſericordiam, quo majorem ejus neceſſitatem ſibi eſſe agnoſcit. Ergo ex verbis Chriſti colligi non poteſt, exiguæne ſummæ debitor fuerit Simon, & an à reatu ſolutus fuerit. Magis credibile eſt, ut cæcus erat hypocrita, fuiſſe tunc adhuc in vitiorum ſuorum ſordibus demerſum. Sed Chriſtus in hoc uno inſiſtit, quantumvis ſcelerata fuerit mulier, manifeſta juſtitiæ ejus ſigna eſſe, quod ad teſtandam ſuam gratitudinem nullum officii genus omittit, & quibuſcunque poteſt modis teſtatur quantopere Deo debeat. Interea admonet Chriſtus Simonem, non eſſe cur ſibi blandiatur, quaſi ab omni culpa immunis foret: nam ipſum quoque miſericordia opus habere. quod ſi ne ipſe quidem Deo placet abſque venia, debere ea pœnitentiæ & gratitudinis ſignis reputare quicquid peccaverat hæc mulier, illi eſſe donatum. Notanda ſunt antitheta in quibus Simoni mulier præfertur: nempe quod hæc lachrymis ſuis rigavit Chriſti pedes, & capillis abſterſit, quum ille ne vulgarem quidem aquam dari juſſiſſet: quod hæc non deſierit oſculari pedes, quum ille ne hoſpitali quidem oſculo dignatus eſſet Chriſtum excipere: quod pretioſum unguentum illa effuderit in pedes, hic autem ne oleo quidem caput unxerit. Porro hæc ratio fuit cur Dominus qui ſingulare parſimoniæ ac vitæ frugi exemplar fuit, paſſus ſit unguenti ſumptum fieri, quia hoc modo reſtata eſt miſera peccatrix ſe illi omnia debere. nam delicias minime expetivit, nec odore illectus eſt, nec ſplendidum cultum probavit, ſed unicum ardorem ſpectavit teſtandæ pœnitentiæ, qui etiam nobis in exemplum proponitur à Luca: nam lachrymæ, ejus triſtitiæ quæ pœnitentiæ initium eſt, fuerunt teſtes. Quod ſe à tergo advolvit Chriſti pedibus, illicque proſtrata jacuit: in eo apparuit pudor ejus & humilitas. Unguento præ ſe tulit, ſe & ſua omnia offerre Chriſto in ſacrificium. Horum omnium ad nos pertinet imitatio: ſed effuſio unguenti ſingularis actio fuit, ex qua perperam ſtatuetur regula.

47. *Remittuntur peccata ejus.*] Quidam verbum hortativi modi eſſe putantes, hunc eliciunt ſeoſum, Quum hæc mulier inſignibus officiis Chriſti amore totam ſe fervere oſtendat, minime æquum eſſe ut in illam aſperior ſit & durior Eccleſia; ſed clementer potius tractandam eſſe, quamlibet graviter peccaverit. Sed quum Attico more ἀφέωνται poſitum ſit pro ἀφεῖνται, valeat illa ſubtilior expoſitio quam contextus repudiat. Nam paulo poſt Chriſtus idem repetit mulierem alloquens, ubi non quadraret hortandi modus. Et huic ſententiæ ſubjicitur oppoſitum membrum, Minus ei remitti qui minus diligit. Quanquam præſentis temporis verbum debet in præteritum reſolvi. quia enim tam ſollicite omnibus pietatis officiis defungi ſtudebat, hinc Chriſtus infert, quamlibet multis peccatis cooperta fuerit, uberiorem fuiſſe Dei miſericordiam quam ut peccatrix amplius habenda ſit. Cæterum hic dilectio non dicitur eſſe veniæ cauſa, ſed poſterius ſignum, ut prius admonui. hoc enim verba ſonant, Qui cernunt tam effuſum pietatis ſtudium in muliere, perverſos eſſe judices, niſi inde æſtiment propitium illi jam fuiſſe Deum: ut ordine præcedat gratuita peccatorum remiſſio. Neque enim diſputat Chriſtus, quo ſibi pretio Dei gratiam acquirant homines, ſed Deum miſeræ huic peccatrici jam ignoviſſe arguit, ne mortalis homo in eam ſit implacabilis.

48. *Remittuntur tibi peccata.*] Quæri poteſt quorſum veniam quam adepta erat, & cujus reddita erat certior, nunc demum illi promittat Chriſtus. Quidam excipiunt, non tam ipſius quam aliorum cauſa prolatam fuiſſe hanc ſententiam. Ego vero non dubito quin ejus ratio maxime habita fuerit: atque id ex ſequentibus clarius patet. Nec mirum eſt Chriſti voce de integro abſolvi, quæ jam ipſius gratiam guſtaverat: imo quæ perſuaſa erat unicum ſibi eſſe ſalutis aſylum. Sic quotidie præire fiduciam neceſſe eſt, quum à Domino petimus ut peccata nobis remittat. neque tamen fruſtra precationem hanc velut ſupervacuam fundimus, ſed ut magis ac magis cordibus noſtris miſericordiam ſuam obſignet cæleſtis Judex, atque hoc modo nos tranquillet. Quanquam ergo conceptam hujus gratiæ quam obtinuit, fiduciam attulerat hæc mulier, non tamen ſupervacua fuit hæc promiſſio quæ ad fidei confirmationem plurimum valuit.

49. *Cœperunt qui accumbebant.*] Hinc rurſus perſpicimus, ex ignorantia officii Chriſti homines nova ſibi offendicula ſubinde gignere. Hæc autem mali radix eſt, quod nemo ſuas miſerias excutit, quæ proculdubio ſingulos accenderent ad quærendum remedium. Hypocritæ vero qui ſuis vitiis indormiunt, non mirum eſt ſi obmurmurent quaſi ad rem novam & inſolitam, ubi Chriſtus peccata remittit.

50. *Fides tua.*] Ut ſuſurros illos compeſcat Chriſtus, & mulierem ſimul confirmet, fidem ejus laudat: acſi diceret, Utcunque obſtrepant iſti, tu in ea fide conſtanter acquieſce quæ tibi certam ſalutem attulit. Interea ſibi vindicat Chriſtus jus à Patre datum: nam quia penes ipſum eſt ſanandi poteſtas, rite in eum dirigitur fides. Atque id ſignificat non temere, vel errore inductam fuiſſe mulierem ut ad ſe veniret, ſed duce Spiritu rectam fidei viam tenuiſſe. Unde ſequitur, non poſſe nos in alium credere quam Filium Dei, quin ipſum ſtatuamus vitæ & mortis arbitrum. Si enim rite in Chriſtum creditur, quia remittendis peccatis eum præfecit cæleſtis Pater: ſimulatque alio transfertur fides, hunc ei ſuum honorem eripi neceſſe eſt. Hoc etiam dicto refellitur eorum error qui putant charitate redimi peccata: longe enim aliam modum hic Chriſtus definit, dum ſcilicet fide amplectimur oblatam miſericordiam. In ultima clauſula, fidei notatur incomparabilis ille fructus quem toties Scriptura commendat, quod ſcilicet conſcientiis pacem afferat ac gaudium, ne inquietudine & tumultu huc illuc jactentur.

MATTH.

Digitized by Google

MATTH. | MARC. | LUC. X.

38. Factum eſt autem dum irent, ut ipſe intraret in quoddam caſtellum: mulier vero quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam.

39. Et huic erat ſoror nomine Maria, quæ etiam aſſidens ad pedes Jeſu, audiebat ſermonem ejus.

40. Martha autem diſtrahebatur circa multum miniſterium: quæ ſtetit, & ait, Domine, non eſt tibi curæ quod ſoror mea reliquit me ut ſola miniſtrem? dic igitur ei ut me adjuvet.

41. Et reſpondens dixit illi Jeſus, Martha, Martha, ſollicita es, & tumultuaris circa multa.

42. Atqui unum eſt neceſſarium. Maria bonam partem delegit, quæ non auferetur ab ea.

38. *Ut intraret in quoddam caſtellum.*] Hæc hiſtoria docet, Chriſtum, quocunque acceſſit, oon ſibi privatim fuiſſe deditum, nec ſua commoda vel lautitias captaſſe: ſed hoc unum illi fuiſſe ſtudium ut aliis prodeſſet, utque munus perageret ſibi à Patre injunctum. Narrat enim Lucas, quum hoſpitaliter exceptus eſſet à Martha, ſimulac domum ingreſſus eſt, docendo & hortando operam dediſſe. Cæterum quia turpiter hic locus ad laudem vitæ (ut vocant) contemplativæ detortus eſt, cliciendus nobis eſt genuinus ſenſus, unde pateat nihil minus Chriſto fuiſſe propoſitum, quam diſcipulos ſuos otio & frigidis ſpeculationibus addicere. Vetus quidem error eſt, Angelicam vitam agere qui procul negotiis, toti in contemplatiooem incumbunt. Ac videntur Sorbonici, quod hac de re nugantur, ea Ariſtotele hauſiſſe, qui ſummum bonum & ultimum vitæ humanæ finem in contemplatione locat: quæ ſecundum eum, virtutis fruitio eſt. Quum vero ambitio quoſdam impuliſſet ut ſe à communi vitæ uſu ſubducerent, vel moroſi homines in ſolitudinem & otium ſe dediſſent: ſequuta eſt etiam hæc ſuperbia, ut ſe Angelis ſimiles eſſe fingerent nihil agendo. Deſpecta enim ab illis fuit activa vita, non ſecus acſi nos è cælo retraheret. Atqui ſcimus hunc in fioem conditos eſſe homines, ut ſe laboribus exerceant: nec ulla ſacrificia magis placere Deo, quam dum in ſuam quiſqoe vocationem intentus, utiliter in commune bonum vivere ſtudet. Quam vero inſcite Chriſti verbis abuſi ſint ad probandum ſuum commentum, facile ex ſimplici ſenſu patebit. Mariam Lucas dicit ſtetiſſe ad pedes Jeſu: an ſignificat tota vita nihil aliud egiſſe? Quin potius ita Dominus jubet tempora diſtribui, ut qui proficere in Chriſti ſchola ſtudet, non aſſiduus ſit & ignavus auditor, ſed ut quod didicit, in uſum proferat. tempus enim audiendi & tempus agendi. Stulte ergo Monachi locum hunc arripiunt, quaſi Chriſtus vitam ſpeculativam cum activa comparet: quum ſimpliciter oſtendat quorſum & quomodo velit recipi Chtiſtus. *Quomodo recipiendus Chriſtus.* Etſi enim laude digna fuit Marthæ hoſpitalitas, ſicuti laudatur: in ea tamen Chriſtus duo vitia notat. Prius eſt, quod ſatagendo modum excederet Martha. malebat enim Chriſtus frugaliter & modico ſumptu tractari, quam ſanctam matronam ſuſcipere tnotum laboris. Secundum vitium erat, quod Martha ſeipſam diſtrahens, & ſuperfluis laboribus ſe occupans, inutilem ſibi reddebat Chriſti adventum. Exceſſum enim notat Lucas dum multi miniſterii meminit, quando Chriſtus modico contentus erat. Perinde enim hoc fuit acſi quis Prophetam honorifice recipiens, eum audire non curet, ſed potius magno & ſuperfluo apparatu ſepeliat omnem doctrinam. Atqui legitima Prophetarum receptio eſt, dum utilitas, quam per eos deſtinat nobis Deus ac offert, percipitur. Videmus nunc ut laudabile Marthæ officium nævis tamen ſuis non caruit. Acceſſit hoc quoque mali, quod Martha ſibi in turbulentis operis placens, pium diſcendi ſtudium in ſorore contempſit. Quo exemplo monemur, in recte agendo ſemper cavendum eſſe ne alii aliis ſe præferant.

42. *Unum eſt neceſſarium.*] Quidam nimis frigide exponunt, ſufficere unum ferculi genus. Alii ſubtiliter, ſed extra rem, de monade diſputant. Sed alio ſpectavit Chriſtus: nempe quicquid agendum ſuſcipiant fideles, & quocunque ſe applicent, unum tamen ſcopum eſſe ad quem referri omnia conveniat. Summa igitur eſt, vagari nos per inanes circuitus, niſi omnes noſtras actiones dirigimus in certum finem. Ideo vitioſa erat hoſpitalitas Marthæ, quia poſthabito præcipuo capite, tota ad ſatagendum rapiebatur. Nec vero intelligit Chriſtus, excepto hoc uno, nihili eſſe alia omnia; ſed ordinem prudenter tenendum, ne acceſſorium, ot vocant, prævaleat. *Maria bonam partem.* Nulla eſt hic comparatio, quemadmodum ſtulti & abſurdi interpretes ſomniant: ſed tantum pronunciat Chriſtus, Mariam in ſancto & utili ſtudio occupari, unde abſtrahi non debeat. acſi dixiſſet, Jure ſororem tuam reprehenderes, ſi otio indulgens, vel inanibus curis implicita, vel aliud officio ſuo minus conſentaneum appetens, totum onus curandæ rei domeſticæ in te rejiceret. Nunc vero quum recte & utiliter ſe ad audiendum contulerit, iniquum eſt inde abduci: neque enim talis ſemper datur opportunitas. Quanquam alii poſterius membrum ſecus accipiunt, quaſi ideo Chriſtus bonam partem electam à Maria eſſe dicat, quod nunquam intercidat fructus doctrinæ cæleſtis. Ego, quanquam ſententiam hanc non rejicio, ſequutus tamen ſum quod aptius ad Chriſti mentem putavi.

MATTH. | MARC. | LUC. XII.

13. Ait autem ei quidam de turba, Magiſter, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem.

14. At ille dixit ei, Homo, quis me conſtituit judicem aut diviſorem ſuper vos?

15. Dixitque ad illos, Videte, & cavete ab avaritia: quia non in abundantia cujuſquam vita ejus eſt ex iis quæ poſſidet.

16. Dixit autem ſimilitudinem ad illos, dicens, Hominis cujuſdam divitis ager uberem proventum attulit.

17. Et cogitabat intra ſe, dicens, Quid faciam? quia non habeo quo congregem fructus meos.

18. Et dixit, Hoc faciam: deſtruam horrea mea, & majora extruam,
& illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi, & bona mea.
19. Et dicam animæ meæ, Anima, habes multa bona repoſita in
annos multos: requieſce, comede, bibe, gaude.
20. Dixit autem illi Deus, Stulte, hac nocte animam tuam repetent
abs te: quæ vero paraſti, cui cedent?
21. Sic qui recondit ſibi, nec eſt erga Deum dives.

13. *Dic fratri ut dividat.*] Rogatus Dominus ut arbitrium ſuſcipiat familiæ erciſcundæ, hoc facere renuit. Quum hoc ad fovendam fraternam concordiam faceret, Chriſti autem officium ſit non tantum reconciliare homines Deo, ſed ad mutuum conſenſum adducere: quæritur quid cauſæ obſtiterit quominus litem inter duos fratres dirimeret. Duas autem præcipue fuiſſe cauſas apparet cur ab officio arbitri abſtinuerit. Primum cavere voluit, quum ſibi Judæi terrenum fingerent Meſſiæ regnum, ne quo exemplo errorem illum aleret. Quod ſi illum vidiſſent hæreditates partiri, mox ſparſus fuiſſet ejus facti rumor. Ita à multis ſperata fuiſſet carnalis redemptio cui nimis cupide inhiabant: improbi jactaſſent eum res novas moliri, ſtatumque Romani Imperii convellere. Quare nihil melius fuit quam hoc dari reſponſum, ex quo intelligerent omnes ſpirituale eſſe Chriſti regnum. Diſcamus ergo & nos ſobrie nobis temperare, nec quicquam aggredi quod in ſiniſtram partem trahi queat. Deinde voluit etiam Dominus inter politica hujus mundi imperia & Eccleſiæ ſuæ regimen diſcernere: erat enim creatus à Patre doctor, qui verbi gladio ſecaret cogitationes & affectus, & penetraret in animas hominum: magiſtratus vero non erat, qui hæreditates divideret. Ita damnatur Papæ & ſuorum latrocinium, qui quum Eccleſiæ ſe eſſe Paſtores obtendant, invadere tamen auſi ſunt terrenam ac profanam juriſdictionem quæ ab eorum officio diſſidet. Erit enim aliquid per ſe licitum quod non tamen quibuslibet conveniet. Acceſſit etiam, meo judicio, tertia particularis ratio, quia ſcilicet videbat Chriſtus hunc hominem relicta doctrina, domeſticis ſuis commodis proſpicere. Atque hic morbus nimium vulgaris eſt, ut multi Euangelium profeſſi, ejus prætextu abuti non dubitent ad augendam rem domeſticam, & Chriſti auctoritatem ſuis lucris prætexere. Hoc conjicere promptum eſt ex circumſtantia exhortationis: niſi enim homo ille Euangelii titulo abuſus eſſet ad ſuum quæſtum, non fuiſſet data Chriſto occaſio damnandæ avaritiæ. Contextus ergo ſatis oſtendit, fictitium hunc fuiſſe diſcipulum, cujus animus in agris vel loculis demerſus erat. Porro nimis inſulſe Anabaptiſtæ ex hoc reſponſo inferunt non licere homini Chriſtiano hæreditates partiri, ſe interponere forenſibus negotiis, vel aliquod obire civile munus. Neque enim Chriſtus à re ipſa arguit, ſed à ſua vocatione. quia enim ordinatus à Patre erat in alium finem, ſe judicem eſſe negat, quia non habeat tale mandatum. Hæc igitur vigeat inter nos regula, ut ſe quiſque intra vocationis divinæ metas contineat.

Prætextus Euangelii.

15. *Videte, & cavete.*] Primum ab avaritia ſuos revocat Chriſtus: deinde ut mentes penitus ab hoc morbo purget, vitam noſtram negat in abundantia conſiſtere. Quibus verbis notatur fons & interior origo unde ſcaturit inſana habendi cupiditas. Quia enim vulgo ita judicant, felicem eſſe cujuſque vitam prout quiſque plurimum poſſidet, ac divitias imaginantur beatæ vitæ eſſe cauſam: hinc illa cupiditatum intemperies, quæ inſtar ardentis fornacis emittit ſuum fervorem, neque tamen intus calere deſinit. Quod ſi perſuaſi eſſemus divitias & quamlibet bonorum copiam adminicula eſſe præſentis vitæ quæ Dominus ſua manu nobis ſuppeditat, & quorum uſum benedicit, hæc una cogitatio facile pravas omnes cupiditates ſedaret: idque fideles ſua experientia compertum habent. unde enim fit ut compoſitis votis pendeant à ſolo Deo, niſi quod vitam ſuam non alligant neque ſubjiciunt abundantiæ, ſed recumbunt in Dei providentiam, qui & ſolus nos ſuſtinet ſua virtute, & ſuppeditat quantum expedit?

16. *Dixit autem ſimilitudinem.*] Hæc ſimilitudo quaſi in ſpeculo vivam nobis effigiem proponit illius ſententiæ, quod homines ſua abundantia non vivunt. Nam quum momento vita tollatur etiam ditiſſimis quibuſque, quid juvat cumulaſſe magnas opes? Fatentur hoc omnes verum eſſe, ut nihil niſi tritum ac vulgare dicat Chriſtus, & quod perſonat in omnium linguis: interim quotuſquiſque animum ſuum adjicit? annon potius ita vitam omnes inſtituunt, & conſilia rationeſque ſuas ita miſcent, ut longiſſime à Deo recedant, in præſenti rerum copia vitam ſuam locantes? Ergo neceſſe habent omnes ſeipſos expergefacere, ne ſe divitiis beatos fingentes, avaritiæ laqueis ſe implicent. Porro in hac parabola nobis oſtenditur fluxa hujus vitæ brevitas. Deinde quam nihil proficiant divitiæ ad vitam prorogandam. Addendum eſt tertium, quod non exprimitur, ſed ex prioribus facile colligi poteſt, optimum hoc eſſe remedium fidelibus ut panem quotidianum à Domino petentes, in ſola ejus providentia quieſcant, ſive divites ſint, ſive egeni.

17. *Quid faciam?*] Ideo perplexi ſunt in ſuis conſiliis impii, quia legitimum rerum uſum non noverunt: deinde quia perverſa fiducia ebrii, ſeipſos obliviſcuntur. Sic dives iſte ſpem vitæ ſuæ ad ingentem proventum extendens, mortis memoriam procul excutit. Et tamen huic ſuperbiæ annexa eſt diffidentia: quia ſaturos iſtos nihilominus exagitat inexplebilis cupiditas, ſicuti dives iſte horrea ſua amplificat, quaſi venter ejus prioribus horreis refertus, non habeat quantum ſatis eſt. Neque tamen præciſe hoc damnat Chriſtus, quod officium ſeduli patrisfamilias in reponendo proventu faciat, ſed quia velut profundus gurges famelica ſua cupiditate abſorbeat ac devoret multa horrea: unde ſequitur, non tenere verum copioſi proventus uſum. Jam quum ſe ad edendum & bibendum hortatur, non amplius meminit ſe eſſe hominem, ſed abundantia ſua fretus ſuperbit. Atque hujus inſolentiæ luculenta quotidie exempla cernimus in profanis hominibus, qui ſuarum opum congeriem non ſecus atque ænea propugnacula morti opponunt. Quum dicit, Ede anima mea, & lætare: in hac loquutione Hebraica ſubeſt emphaſis: ſic enim ſeipſum compellat, ut tamen ſignificet abunde ſuppetere quod animi deſiderium omneſque ſenſus expleat.

20. *Stulte, animam tuam.*] Alluſio eſt in animæ nomine. Prius animam ſuam alloquebatur dives tanquam affectuum omnium ſedem: nunc autem de vita ipſa aut vitali ſpiritu agitur. Verbum Repetent, quanquam pluralis eſt numeri, quia tamen indefinitum eſt, nihil aliud ſignificat quam alieni juris eſſe quam dives in manu ſua vitam eſſe ducebat. quod ideo admoneo, quia de Angelis quidam abs re philoſophantur. Simplex autem Chriſti conſilium fuit, docere ſingulis momentis vitam hominibus eripi, quam opum ſuarum præſidio probe munitam putant. Atque in hoc ſtultitiæ coarguitur dives iſte, quod vitam ſuam aliunde pendere non agnoſceret.

Repetere.

21. *Sic qui recondit ſibi.*] Quum hic antitheſin eſſe conſtet, alterius membri expoſitio ex altero petenda.

tenda. Definiamus ergo qoid hoc ſibi velit, Divitem eſſe io Deo, vel erga Deum, vel Dei reſpectu. Qui mediocriter exercitati ſunt in Scriptura, ſciunt particulam εἰς non raro accipi pro ἐν. Cæterum utrovis modo ſumatut, non multum intereſt: quia huc redit ſumma, divites eſſe ſecundum Deum qui rebus terrenis non coofiſi, ab unica illius providentia dependent. Nec refert, abundentne an eſuriant: modo uttique panem quotidianum ſincere petant à Domino. Nam ejus oppoſitum, Recondere ſibi, tantuodem valet ac poſthabita Dei benedictione anxie coacervare multam copiam, ut fiducia in horreis incluſa ſit. Hinc finem parabolæ colligere promptum eſt, irrita ſore eorum conſilia, & ridiculos conatus, qui opum ſuarum abundantia innixi, in Deum ſolum non recubuerint, nec contenti fuerint ſua menſura, parati ad utramque fortunam, ac tandem ſuæ vaoitatis pœnam daturos. *Recondere.*

MATTH. | MARC. | LUC. XIII.

1. Aderant autem quidam eodem tempore, nunciantes illi de Galilæis, quorum ſanguinem Pilatus miſcuerat cum ſacrificiis eorum.

2. Et reſpondens Jeſus, dixit illis, Putatis quod hi Galilæi præ cunctis Galilæis peccatores fuerint quia talia paſſi ſunt?

3. Non, dico vobis: imo niſi reſipueritis, omnes ſimiliter peribitis.

4. Aut illi decem & octo ſupra quos cecidit turris in Siloah, & occidit eos, putatis quod debitores fuerint ultra cunctos homines habitantes Hieroſolymis?

5. Non, dico vobis: imo niſi reſipueritis, omnes ſimiliter peribitis.

6. Dicebat & hanc ſimilitudinem, Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua: & venit quærens fructum in illa, & non invenit.

7. Dixit autem ad cultorem vineæ, Ecce anni tres ſunt ex quo venio quærens fructum in ficu hac, & non invenio. ſuccide illam: ad quid vel terram occupat?

8. At ille reſpondens, dixit illi, Domine, ſine illam & hoc anno, donec fodero circum eam, & injecero ſtercus.

9. Et ſi quidem fecerit fructum: ſin minus, in poſterum ſuccides eam.

2. *Putatis quod.*] Hic locus vel hac de cauſa apprime utilis eſt, quod hic morbus nobis fere ingenitus eſt, ut in alios nimis rigidi ac ſeveri judices, nobis blandiamut in malis noſtris. Ita fit ut non ſolum acrius quam par eſt exagitemus fratrum peccata, verum ſimulac contigit eis aliquid adverſi, quaſi ſceleratos & reprobos damoemus. Interim quiſquis non urgetur manu Dei, ſecure peccatis ſuis indormit acſi Deum baberet faveotem ac propitium. in quo duplex eſt culpa: nam quoties aliquem Deus ſub oculis noſtris caſtigat, de judiciis ſuis nos admonet, ut ſeipſos examinare diſcant ſinguli, & quid promeriti ſint expendere. Quod autem nobis ad tempus parcit, bac benignitate & clementia nos ad pœnitentiam invitat: tantum abeſt ut nobis occaſio eſſe debeat torporis. Ergo ut pravum illud judicium in quo miſeris & calamitoſis ſolemus eſſe inimici, corrigat Chriſtus, & ſimul quas quiſque ſibi facit delicias excutiat, primo docet non omnium eſſe peſſimos qui præ aliis duriter tractantur: quia Deus judicia ſua quo viſum eſt ordine & modo ſic exercet, ut alii ſtatim rapiantur ad pœnam, alii in otio & deliciis diu quieſcant. Deinde pronunciat, quotquot in mundo accidunt calamitates, totidem eſſe iræ Dei teſtimonia. unde colligimus quale exitium nos maneat niſi antevertamus. Porro inde exhortationis nata eſt occaſio, quod retulerunt quidam Pilatum ſanguinem humanum cum ſacrificiis miſcuiſſe, ut ſcil. tali flagitio ſacrificia in deteſtationem venirent. Quia autem veriſimile eſt probrum hoc Samaritanis illatum eſſe qui à puro Legis cultu deſciverant, facile ac promptum Judæis fuit Samaritanos damoando, ſibiipſis plaudere: ſed Dominus alio eos convertit. Nam quia illis exoſa & infamis erat totius gentis impietas, quærit an putent miſeros illos qui occiſi fuerant à Pilato, fuiſſe aliis pejores: acſi dixiſſet, Minime certe vos latet terram illam impiis refertam eſſe, & multos qui eadem pœna digni fuiſſent, adhuc manere ſuperſtites. Cæcus ergo ac pravus arbiter eſt qui hominum peccata æſtimat ex pœnis præſentibus. Neque enim ut quiſque deterior eſt, ita primus ad pœnam trahitur: ſed quum paucos ex multis puniendos Deus eligit, in eorum perſona reliquis denunciat ſe fore ultorem, ut omnes terreantur. Poſtquam autem de Samaritanis loquutus eſt, propius ad Judæos ipſos accedit. Nam quum illis diebus octodecim homines turris ruina Hieroſolymæ oppreſſi eſſent, negat eos fuiſſe ſceleſtiſſimos, ſed in eorum clade omnibus propoſitam fuiſſe materiam terroris: quia ſi in illis judicii ſui ſpecimen edidit Deus, nihilo alii magis, licet ad tempus tolerentur, ejus manum effugient. Non prohibet quidem Chriſtus quin attenti ſint fideles ad conſideranda Dei judicia: ſed hunc ordinem tenendum præſcribit, ut à ſuis peccatis incipiant. Nam hinc ſequetur optimus profectus, ut præveniant flagella Dei voluntaria
pœnitentia. Quo etiam tendit illa Pauli admonitio, *Ephes. 5.*
Ne quis vos fallat inanibus verbis: nam propter hæc *verſ. 6.*
venit ira Dei adverſus rebelles.

6. *Dicebat & hanc ſimilitudinem.*] Summa huc redit, multos ad tempus tolerari qui digni eſſent excidio: nihil tamen ex mora lucrifacere, ſi io contumacia ſua pergant. Nam hinc prava adulatio, qua ſe indurant hypocritæ, & obſtinatiores redduntur, quia mala ſua niſi coacti non reputant: ideoque quantiſper connivet Deus, ſuaſque caſtigationes ſuſpendit, ſibi cum illo bene coovenire fingunt. Ita ſecurius ſibi indulgent, quaſi pactum baheant cum
morte & ſepulchro, ut dicit Jeſaias. Ideo tam vehe- *Jeſ. 28.*
mentet in ipſos Paulus invehitur ad Romanos cap. 2. *verſ. 15.*
verſ 5. quia iram Dei ſibi accumulaot uſque ad diem extremum. Scimus autem arbores interdum ſervari, non quod utiles ſemper dominis fuerint ac fructuoſæ, ſed quia ſedulus & induſtrius agricola nihil non experitur ac tentat, priuſquam agrum aut vineam nudare velit. Hinc autem docemur, quum Dominus non ſtatim improbos ulciſcitur, ſed eorum pœnas differt, optimam illi ſuæ tolerantiæ rationem conſtare. Quo compeſcitur humana temeritas: ne quis ſummo omnium Judici obſtrepere audeat, ſi

non

non ſemper æquabili modo judicia ſua exequitur. Cæterum hic comparatio fit ioter dominum & villicum, non quia Dei miniſtri illum clementia & manſuetudioe ſuperent, ſed quia Dominus non tantum peccatoribus vitam prorogar, ſed eos quoque variis modis excolit, ut meliorem fructum eliciat.

MATTH.	MARC.	LUC. XIII.
		10. Docebat autem in una Synagogarum Sabbathis.
		11. Et ecce mulier quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis octodecim; eratque contracta, nec omnino poterat erigere caput.
		12. Quam quum videret Jeſus, vocavit eam ad ſe: & ait illi, Mulier, liberata es ab infirmitate tua.
		13. Et impoſuit illi manus: & confeſtim erecta eſt, & glorificabat Deum.
		14. Reſpondens autem princeps Synagogæ, indignans quod Sabbatho ſanaſſet Jeſus, dicebat turbæ, Sex dies ſunt in quibus oportet operari; in his ergo venite & ſanemini, & non in die Sabbathi.
		15. Reſpondens autem ad illum Dominus, dixit, Hypocrita, unuſquiſque veſtrum Sabbatho nonne ſolvit bovem ſuum aut aſinam à præſepi, & ducit aquatum?
		16. Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Satanas ecce octodecim annis, non oportuit ſolvi à vinculo iſto die Sabbathi?
		17. Et quum hæc diceret, erubeſcebant omnes adverſarii ejus: & omnis populus gaudebat ſuper omnibus magnificis quæ fiebant ab ipſo.

Huc unn contextu referre ſtatui quæ ſparſim leguntur apud ſolum Lucam ſine expreſſa temporis mentione, ſicuti hac in parte Euangeliſtas parum fuiſſe curioſos alibi diximus. Poſtea ad communem harmoniam opportunior erit reditus. Hic refertur miraculum io muliere ſanata, & offenſio maligne concepta à Judæis, quod Sabbatho eam Dominus ſanaſſet. Dicit Lucas mulierem detentam ſpiritu infirmitatis, ut ex nervorum contractione incurvum eſſet corpus. Quia ſpeciem morbi aliter non deſignat, veriſimile eſt non vulgarem fuiſſe, vel cujus ratio medicis conſtaret: ideo vocat infirmitatis ſpiritum. ſcimus enim diaboli opera ut plurimum inſolitis malis, & non naturalibus affligi homines. Quo clarius enituit divina Chriſti virtus, quæ de Satana triumphum egit: non quod Satan pro ſuo arbitrio dominetur in homines, ſed quatenus nocendi facultas illi divinitus conceditur. Cæterum quemadmodum Dominus, quum unicus ſit bonorum omnium auctor, tamen in beneficiis ſingularibus, & minus uſitatis gloriam ſuam præcipue illuſtrat: ſic viciſſim vim & tyrannidem Satanæ in extraordinariis flagellis maxime vult agnoſci, quamvis ejus manu utatur etiam ad leves ferulas quibus quotidie nos caſtigat.

12. *Mulier liberata es ab inf.*] Io hoc miraculo, ſicuti in aliis, tam potentiæ ſuæ ſpecimen, quam gratiæ exhibuit Chriſtus. ſe enim ideo veniſſe teſtatus eſt ut miſeris ſuccurrat. Poteſtas exprimitur in his verbis, Mulier, liberata es. nam pro imperio liberationem in mano ſua eſſe pronunciat. Addit tamen externum ſymbolum, de cujus uſu alibi tractavimus. Quod Deum glorificat populus, huc pertinet ut ſciamus conſpicuum fuiſſe cæleſte beneficium. Non fuit igitur obſcurum aliquod opus de qun poſſet in utramque partem diſputari, ſed quod amplam ac certam laudandi Dei materiam daret. Unde cognoſcitur pravitas magiſtri Syoagogæ.

14. *Sex dies ſunt.*] Non audet hic cenſor Chriſtum palam reprehendere, ſed moroſitatis ſuæ virus alin coovertit, Chriſtum in vulgi perſona oblique damnans. Mira autem malitiæ vecordia fuit. ſex dies labori deſtinatos eſſe admonet: ſed quam perperam & ſtulte illud operari definit, quod non niſi ſex diebus permittitur? Cur non etiam ab ingreſſu Synagogæ eos arcet, ne Sabbathum violent? Cur ceſſare non jubet ab omnibus pietatis exercitiis? Quod ſi à ſuis tantum operibus prohibentur homines *Sabbathi* die Sabbathi, quam indignum eſt tunc alligari Dei *obſervatio.* gratiam? Venire jubet aliis diebus ad petendam ſanitatem: quaſi Sabbatho ſopita jaceat Dei virtus, ac noo eam potius illo die maxime exerat io ſalutem populi ſui. Quorſum enim ſacri conventus, niſi ut Dei opem & auxilium implorent fideles? Perinde ergo loquitur impius iſte hypocrita acſi legitima Sabbathi obſervatio curſum abrumperet Dei beneficiis, homines excluderet ab ejus invocatione, & gratiæ ſenſu privaret.

15. *Unuſquiſque veſtrum.*] Quum malitiam adeo craſſam pluribus argumentis refellere promptum eſſet, hoc uno contentus fuit Chriſtus, Si jumentis humanitatem Sabbatho præſtare liceat, præpoſterum in eo cultum fingi, oe filii Dei juventur. Cæterum duplex in verbis Chriſti eſt comparatio, jumenti cum filia Abrahæ: & capiſtri quo ligatur aſinus vel bos ad præſepe ſuum, cum Satanæ vinculis, quibus homines in exitium conſtrictos tenet. Vos, inquit, tam ſcrupuloſi Sabbathi cultores audetis boves & aſinos ſolvere ut aquatum ducantur, mihi cur noo licebit tantuodem officii præſtare electo Dei populo, præſertim ubi major urget neceſſitas, qoum ſcilicet liberandus eſt quiſpiam à Satanæ laqueis? Quanquam autem pudore obmutuit impius reprehenſor, videmus tamen nullum à Chriſto editum fuiſſe tam præclarum opus quod oon raperent ad calumniam improbi. Nec mirum ſi omni ſtudio & conatu huc incubuit Satan, ut Chriſti gloriam perverteret, qui non ceſſat nebulas ſuas aſſidue ſpargere, quibus ſancta fidelium opera obſcuret. Notandum quod Abra- *Abrahæ* hæ filia à Chriſto vocatur, cujus corpus per annos *filia.* octodecim Satanæ mancipatum fuerat: oec tantum reſpectu generis, quemadmodum Judæi omnes promiſcue ſuperbiebant hoc titulo, ſed quia ex veris & genuinis Eccleſiæ membris erat. Ubi etiam perſpicimus quod docet Paulus, quoſdam Satanæ tradi in *1 Cor. 5. verſ. 5.* carnis interitum, ut ſpiritus in die Domini ſalvus fiat. Et temporis ſpatium admonet, quamvis miſeriis noſtris non ſtatim medeatur Dominus, non tamen eſſe deſperandum.

MATTH. | MARC. | LUC. XIII.

31. Eodem die acceſſerunt quidam Phariſæorum, dicentes illi, Exi, & vade hine: quia Herodes vult te occidere.

32. Et ait illis, Ite, dicite vulpi illi, Ecce ejicio dæmonia, & ſanitates perficio hodie & cras, & tertia die conſumor.

33. Veruntamen oportet me hodie & cras & perendie ambulare: quia accidere non ſolet ut Propheta alibi pereat quam Hieroſolymis.

Hoc etiam quo tempore acciderit, certo conjici vix poteſt, niſi quod tunc verſatum fuiſſe Chriſtum in Galilæa certum eſt: ſicuti toto vocationis ſuæ curſu, illic plus moræ quam alibi traxit. Hortantur enim qui volunt videri amici, ut ſi velit ſalvus eſſe, extra Herodis ditionem concedat. Jam, qualiter affecti fuerint qui hoc dabant conſilium, neſcitur: niſi quod in hanc conjecturam magis inclino, quia majorem populi partem illic videbant Chriſto deditam, ut paſſim recepta eſſet Euangelii doctrina, tentaſſe alio ipſum expellere. Notandum quinam ſint iſti monitores. dicit Lucas fuiſſe quoſdam ex Phariſæis. atqui ſcimus ſectam illam non adeo fuiſſe Chriſto propitiam, ut probabile ſit de ejus vita fuiſſe ſollicitos. Quid ergo? nempe conſilium erat injecta formidine, in aliquas latebras eum abigere: quia fore ſperabant ut brevi concideret ejus auctoritas, imo evaneſceret tota doctrina. Sed interim conſiderandus nobis eſt primus hujus conſilii magiſter atque artifex Satan: quia ſicuti Filium Dei terrendo, Euangelii curſum tunc abrumpere conatus eſt; ita ſubinde novos terrores comminiſcitur ac fabricat, quibus exanimet Chriſti miniſtros, ac curſum reflectere cogat.

Herodes Antipas. 32. *Dicite vulpi illi, Ecce ejicio dæmonia.*] Certum eſt de Herode Antipa haberi ſermonem. Quanquam autem ille vulpinis erat moribus, ac ingenio non minus ſervili quam verſuto, non arbitror totius vitæ aſtutiam generaliter perſtringi ſub Vulpis nomine: ſed clandeſtinas ejus inſidias, quibus Euangelii doctrinam ſubruere moliebatur, quum aperto Marte congredi non auderet. Significat enim Chriſtus, quantumvis callidus ſit, nihil tamen profecturum ſuis artibus. Ego, inquit, quaſcunque fraudes machinetur ille, hodie & cras defungar munere mihi divinitus injuncto: ubi ad finem ſtadii ventum fuerit, tunc in ſacrificium offerar. Ut tamen diſtinctius nobis verborum ſenſus conſtet, priore membro fatetur Chriſtus, tertio poſt die, hoc eſt, exiguo tempore ſibi eſſe moriendum: atque hoc modo oſtendit nullo mortis metu ſe poſſe ab officio revocari, ad quam deſtinato animi propoſito intrepidus contendit. Deinde ſubjicit inane eſſe terriculamentum quod à falſis & fucoſis monitoribus objicitur: quia non alibi quam Hieroſolymæ mortis periculum impendeat. Hoc autem ſecundo membro acriter pungit Phariſæos, Voſne ut ab Herode mihi caveam monetis, quos video meos fore carnifices? Quanquam longius procedit exprobratio: non enim ſibi tantum dicit paratum eſſe Hieroſolymæ interitum, ſed pridem illam fuiſſe quaſi latronum cavernam, ubi jugulati ſint fere omnes Prophetæ. Verum quidem eſt, multos alibi fuiſſe occiſos, ac præſertim quo tempore crudelis illa furia Jezabel in eos ſæviit: ſed quia nuſquam alibi omni tempore hoſtilius vexati fuerant Prophetæ, merito Chriſtus hoc probrum impiis urbis ſanctæ civibus inurit. Prophetas autem contigit ut plurimum illic occidi: quia quum inde prodiret tota impietas qua referta erat Judæa, illa etiam campus fuit in quo Deus exercuit ſuos Prophetas. Scimus enim quo magis affulget lux doctrinæ quæ propius impios urgeat, ad majorem ipſos inſaniam impelli. Hoc tamen horrendi exempli eſt, quod locus qui in ſacrarium divini cultus, & in Legis cæleſtiſque ſapientiæ domicilium electus erat, non una vel altera cæde, ſed ordinaria ſtrage Prophetarum pollutus fuerit. Certe, hinc apparet quam contumax ſit mundi ingratitudo ad repellendam ſanam doctrinam. Quanquam exclamatio quæ continuo poſt apud Lucam ſequitur, videtur ſic contexi quaſi Chriſtus ſumpta occaſione tunc contra Jeroſolymam invectus ſit: ego tamen magis arbitror, quia Lucas dixerat Jeroſolymam pridem ſanguine Prophetico imbutam eſſe, imo continua multarum ætatum ſerie crudelem & ſacrilegam carnificinam exercuiſſe mactandis Prophetis, ſtatim ſuo more inſerere ſententiam quæ cum ſermone illo congruebat. Supra enim aliquoties vidimus, minime illi eſſe infrequens, dicta Chriſti variis temporibus prolata ſimul colligere.

MATTH. | MARC. | LUC. XI.

37. Et quum loqueretur, rogavit illum quidam Phariſæus ut pranderet apud ſe: Jeſus autem ingreſſus accubuit.

38. Phariſæus autem quum vidiſſet, admiratus eſt quod non prius laviſſet ante prandium.

39. Et ait Dominus ad illum, Nunc vos Phariſæi exteriora poculi catinique mundatis: & quod intus eſt veſtri, plenum eſt rapina & malitia.

40. Stulti, nonne qui fecit quod foris eſt, etiam id quod intus eſt fecit?

41. Cæterum ex eo quod adeſt, date eleemoſynam: & ecce omnia munda ſunt vobis.

Externi ritus. Convenit aliquatenus, non tamen in totum, hæc narratio cum ea doctrina quam Matth. 15. cap. habuimus: externos ſcilicet ritus humanitus inventos, quibus ſervandis plus ſatis anxie intenti erant Judæi, data opera neglectos fuiſſe à Chriſto, ut ſuperſtitionem populi ac præſertim Scribarum corrigeret. Deus certas quaſdam ablutiones in Lege ſua præceperat, quibus ſuos ad veram puritatem meditandam utiliter exerceret. Judæi hac mediocritate non contenti, multas alias lotiones addiderant, præſertim ne quis cibum caperet niſi luſtrali aqua perfuſus: ſicuti Marcus 7. capite fuſius narrat, & patet ex 2. cap. Joannis. Porro ad hoc vitium prava fiducia acceſſerat, quia de ſpirituali Dei cultu non admodum ſolliciti, belle ſe perfunctos putabant, modo figura in Dei locum ſuccederet. Chriſtus quum offendiculo fore non ignoret hujus ceremoniæ contemptum, eam tamen omittit, ut oſtendat Deum minime externam munditiem carnis morari, ſed ſpiritualem cordis juſtitiam requirere.

39. *Nunc*

39. *Nunc vos Phariſæi.*] Non reprehendit hoc loco Chriſtus Phariſæos ſicuti apud Matthæum & Marcum, quod præpoſtere humanis commentis Deum colant, ac propter ſuas traditiones violent Legem Dei: ſed craſſam hypocriſin tantum attingit, quod puritatem nonniſi in hominum oculis appetant, quaſi illis cum Deo nihil eſſet negotii. Hæc autem reprehenſio in omnes hypocritas competit, etiam qui in ceremoniis divinitus mandatis juſtitiam ſtatuunt. Ideoque plus complectitur Chriſtus, quam ſi diceret hominum mandatis fruſtra Deum coli: quia generaliter errorem illum damnat quod ceremoniis colatur Deus, non autem ſpiritualiter fide & puro cordis affectu. Quanquam autem ſemper hac de re magnum certamen habuerint Prophetæ cum Judæis: ut tamen ad hypocriſin propenſa ſunt hominum ingenia, prævaluerat ſuperba illa obſtinatio, placere Deo externos cultus etiam fide vacuos. Præſertim vero Chriſti ætate uſque adeo obſtupuerant, ut religio tantum in meris nugis ſita eſſet. Ergo in Phariſæos invehitur, qui ſedulo occupantur in poculis lavandis: fœdiſſimas autem ſordes rapinæ & malitiæ intus in corde fovent. Eorum vero ſtultitiam hac ratione coarguit, quod Deus qui interiorem hominis animam non minus quam corpus creavit, ſola externa ſpecie placari nequeat. Nam hoc maxime fallit homines, quod vel non reputant ſibi cum Deo agendum eſſe: vel pro ſenſus ſui vanitate illum transformant, acſi ab homine mortali nihil differret.

Ceremoniæ.

41. *Caterum ex eo quod adeſt.*] Chriſtus more ſuo Phariſæos à ceremoniis ad charitatem revocat, pronuncians non aqua, ſed beneficentia mundari tum homines tum cibos. Quibus tamen verbis neque extenuat Dei gratiam, nec Legales ritus quaſi vanos & inutiles rejicit: quia ſtylum in eos dirigit qui nudis ſignis Deo ſecure illudunt. perinde acſi dixiſſet, Solus eſt legitimus uſus qui cibos ſanctificat. Atqui rite juſteque cibis utuntur qui ex ſua abundantia pauperum inopiæ ſubveniunt. Ergo præſtaret eleemoſynam dare ex ea copia quæ ſuppetit, quam ſcrupuloſe manus & calices lavando, pauperes negligere. Quod inde inferunt Papiſtæ eleemoſynas eſſe ſatisfactiones quibus mundamur à peccatis, ſtultius eſt quam ut longa refutatione opus habeat. Neque enim hic diſſerit Chriſtus quo pretio nos peccatorum remiſſionem acquirere oporteat: ſed eos pure veſci pane ſuo qui partem erogant pauperibus. Ego enim τὰ ἐνόντα pro copia præſenti accipio: non autem ſicuti vetus interpres & Eraſmus transferunt, Quod ſupereſt. Objurgationes quæ continuo poſt ſequuntur, in alium locum rejicere ſatius eſt. neque enim Chriſtum uno contextu in menſa ſic invectum fuiſſe interpretor contra Scribas & Phariſæos: ſed Lucam quod alio tempore dictum fuerat, hic retuliſſe. quemadmodum ſæpius jam oſtendimus, Euangeliſtis curæ non fuiſſe temporis ordinem.

Eleemoſyna.

MATTH. | MARC. | LUC. XIV.

1. Et accidit ut introiret in domum cujuſdam principis Phariſæo-
rum Sabbatho, ad capiendum cibum: & ipſi obſervabant eum.
2. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.
3. Et reſpondens Jeſus, dixit ad Legiſperitos & Phariſæos, dicens,
Numquid licet Sabbatho ſanare?
4. At illi tacuerunt: ipſe vero apprehendens ſanavit ipſum, ac
dimiſit.
5. Et reſpondens ad illos dixit, Cujus veſtrum aſinus aut bos in
puteum cadet, & non continuo extrahet illum die Sabbathi?
6. Et non poterant ad hæc reſpondere illi.

Hæc hiſtoria nihil aliud continet quam miraculum à Chriſto editum, quo ſuperſtitioſum Sabbathi cultum corrigeret. neque enim (ut quidam putant) Sabbathum ſimpliciter abrogare voluit: ſed tantum oſtendere, neque Dei opera, neque officia charitatis violare ſacram quietem quæ in Lege mandatur. Porro, an ipſis auctoribus conſulto illuc deductus fuerit hydropicus, incertum eſt. Certe neque fortuito occurrere potuit ad menſam, nec prorumpere in privatam domum niſi permiſſu domini ac voluntate. Quare veriſimile eſt tentandi Chriſti cauſa inſidioſe illic fuiſſe locatum. quod tamen non minus ſtulte quam improbe ab illis factum eſt: quia jam ante experti fuerant quid Chriſtus facere ſoleret quoties oblata erat ſimilis occaſio.

Sabbathi obſervatio.

3. *Numquid licet Sabbatho ſanare?*] Huc tendit quæſtio, an hominis ſanatio inter opera quæ Sabbathum violant, cenſeri debeat. Si dixiſſent Sabbathi obſervationem hoc modo violari, in promptu erat exceptio, eſſe divinum opus. Atqui non aliud continet lex Sabbathi, niſi ut homines à ſuis operibus quieſcant. Quod autem eos Chriſtus prius interrogat, id facit antevertendæ offenſionis cauſa. Per eum igitur non ſtetit quominus eos placaret, niſi obſtinata malitia fuiſſent imbuti. Non quod ſemper hac lege ſe obſtrinxerit: (nam ſæpe poſthabito ſcandalo peregit quod ſibi à Patre mandatum erat) ſed hoc exemplo docere voluit ſe non temere Sabbathis edere miracula, quia rationem facti ſui paratus eſſet reddere. Ipſi autem ſilentio ſuo demonſtrant ſe anſam reprehenſionis magis captare, quam Legis ſtudio moveri. Ideo ſuſque deque habet Chriſtus quid de facto ſuo judicent, quia patet eos ſponte ſibi acceſſere ſcandalum.

5. *Cujus veſtrum aſinus.*] Quanquam indigni erant quorum offenſæ mederi Chriſtus ſtuderet, oſtendit tamen nihil à ſe contra Sabbathi obſervationem fuiſſe commiſſum. Quanquam id facit non tam docendi conſilio, quam ut ſe ab eorum calumniis vindicet: ſciebat enim virulento odio magis eſſe excæcatos quam ut ſe rationi dociles præberent: ſed voluit de eorum malitia triumphum agere dum pudore obmuteſcere coëgit. Nam ſi brutis animalibus auxilium licet ferre die Sabbathi, homini ad imaginem Dei formato non tantundem præſtari officii, nimis indignum eſt.

MATTH. | MARC. | LUC. XIV.

7. Dicebat autem ad invitatos parabolam, intendens quomodo pri-
mos accubitus eligerent, dicens ad illos,
8. Quum invitatus fueris ab aliquo ad nuptias, ne accumbas in
primo accubitu: ne forte honoratior te ſit invitatus ab illo:
9. Et veniens is qui te & illum vocavit, dicat tibi, Da huic locum: &
tunc incipias cum rubore extremum locum tenere.

10. Quin potius quum vocatus fueris, vade, accumbe in noviſſimo loco: ut quum venerit qui te invitavit, dicat tibi, Amice, aſcende ſuperius. tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus.

11. Quia omnis qui ſe extollit, dejicietur: & qui ſe dejicit, extolletur.

12. Dicebat autem etiam ei à quo fuerat invitatus, Quum facis prandium aut cœnam, ne voces amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos tuos, neque vicinos divites: nequando ipſi quoque viciſſim te invitent, ac rependatur tibi beneficium.

13. Imo quum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos.

14. Et beatus eris, quia non poſſunt rependere tibi: rependetur enim tibi in reſurrectione juſtorum.

7. *Dicebat ad invitatos.*] Scimus quantopere in Phariſæis & Scribis omnibus regnaverit ambitio. Quum autem omnibus ſuperbe dominari cuperent, mutuo etiam inter ipſos erat de primatu concertatio. Hoc enim habent homines inanis gloriæ cupidi, ut ſinguli ultro citroque ſibi invideant dum quiſque ad ſe trahere appetit quod ſibi alii deberi putant. Ita Phariſæi & Scribæ, quum omnes pariter apud populum ſe venditarent ſacri ordinis titulo, nunc inter ſe contendunt de honoris gradu, quia quiſque primum locum ſibi arrogat. Hanc eorum ambitionem apta ſimilitudine Chriſtus falſe deridet. nam ſi quis in aliena menſa primum locum occupet, deinde cogatur potiori cedere, non ſine pudore & ignominia à domino convivii io alium locum relegabitur. Atqui idem contingere omnibus neceſſe eſt qui ſe faſtuoſe ingerunt ut ſupra alios emineant, quia Deus ipſos probroſe dejiciet. Notandum enim eſt, Chriſtum de externa & civili modeſtia hic non concionari: nam eos qui ſuperbiſſimi ſunt, ſæpe videmus in hac parte excellere, ac civiliter, ut loquuntur, præ ſe ferre magnam modeſtiam. Verum ſimilitudine ab hominibus ſumpta, quales intus eſſe nos coram Deo oporteat, docere vult: acſi diceret, Si conviva, quia ſtulte primum ſibi locum uſurpaverat, rejici contingat in poſtremum, pudore confuſus cuperet eo nunquam aſcendiſſe: ergo ne idem vobis uſu veniat apud Deum ut veſtram arrogantiam extrema ignominia notet, ſponte ſitis humiles ac modeſti.

11. *Qui ſe extollit.*] Hæc clauſula demonſtrat de ambitione loquutum eſſe Chriſtum: neque enim pronunciat quid in communi hominum vita ſoleat fieri, ſed Deum hic nobis ſtatuit judicem qui ſuperbis reſiſtat, eorumque ſupercilium humiliet, humilibus vero det gratiam. Plena eſt hujuſmodi teſtimoniis Scriptura, Deum eſſe eorum omnium hoſtem qui ſe efferre appetunt, ſicuti bellum cum eo ſuſcipere neceſſe eſt quicunque aliquid ſibi arrogant. Nam hæc eſt ſuperbia, Dei donis perinde gloriari acſi qua nobis ſubeſſet dignitas quæ nos proprio merito extolleret: ſicuti rurſum humilitas, non fucata ſolum dejectio cenſeri debet, ſed vera exinanitio, quum ſcilicet infirmitatis noſtræ probe nobis conſcii, nihil ſublime ſpiramus, ſcientes nos ſola Dei gratia excellere.

12. *Quum facis prandium.*] Qui putant hic ſimpliciter damnari convivia quæ inter ſe viciſſim agitant cognati & familiares, partem humanitatis tollunt ex hominibus. Hoc enim magis barbarum eſſet quam auſterum, cognatos à menſa hoſpitali excludere, & tantum extraneis dare locum. Nec ſane hoc Chriſti conſilium fuit, ab omni comitate nos arcere, ſed tantum oſtendere, officiis in mundo uſitatis minime probari charitatem. Nam ſicuti divitibus, à quibus paria ſperamus, aliquid ſpe mercedis impendere, non liberalitas eſt, ſed fœnerandi artificium: ita in rationem coram Deo non veniunt mercenaria officia, nec charitati aſcribi merentur. Si cognatos vel amicos divites cœna excipio, humanitas eſt per ſe non damnanda, ſed quæ ad probandam charitatem minime ſufficiet: nam ſæpe videmus eos qui ſibi prorſus addicti ſunt, in amicis laute tractandis eſſe ſumptuoſos. Quid igitur? nempe ita menſam divitibus inſtruere poteris ut interea pauperes non negligas: ita licebit epulari cum amicis & cognatis ut alienos non rejicias, ſi & illi inopes erunt, & tibi ad levandam eorum indigentiam facultas ſuppetet. Summa eſt, qui cognatis & amicis benefaciunt, erga pauperes autem reſtricti ſunt, nulla laude eſſe dignos: quia charitatem non exercent, ſed lucro ſuo tantum vel ambitioni conſulunt. Nominatim vero Chriſtus hoſpitem ſuum compellat, quem videbat ſplendori & lautitiis nimis ſtudere, & ita captare à divitibus laudem & gratiam, ut pauperes non admodum curaret. Quare ſub unius hominis perſona hæc objurgatio in eos omnes ſtringitur qui ambitioſe ſua profundunt ut ſeſe oſtentent, vel mutuam compenſationem venantur: interea pauperibus nihil reſiduum faciunt, acſi perdere timerent quicquid gratis erogant. Ideo Chriſtus beatos eſſe affirmat qui nulla ſpe terrenæ mercedis ſunt liberales: eos enim conſtat in Deum reſpicere. Quibus vero ſua utilitas ante oculos verſatur, vel quos aura popularis impellit, non eſt quod mercedem à Deo expectent.

Convivia inter familiares.

MATTH. XXII.

1. Et reſpondens Jeſus, iterum dixit eis per parabolas, & ait,

2. Simile factum eſt regnum cælorum homini Regi qui fecit nuptias filio ſuo.

3. Et emiſit ſervos ſuos ut vocarent invitatos ad nuptias: & noluerunt venire.

4. Rurſus emiſit alios ſervos, dicens, Dicite invitatis, Ecce prandium meum paravi, tauri mei & altilia mactata ſunt, & omnia parata: venite ad nuptias.

5. Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam ſuam, alius vero ad negotiationem ſuam.

MARC.

LUC. XIV.

15. Hæc quum audiſſet quidam de ſimul diſcumbentibus, dixit illi, Beatus qui comedit panem in regno Dei.

16. At ipſe dixit ei, Homo quidam apparaverat cœnam magnam, & vocavit multos.

17. Miſitque ſervum ſuum hora cœnæ, ut diceret invitatis, Venite, quia jam parata ſunt omnia.

18. Et cœperunt ſimul omnes excuſare. Primus dixit ei, Villam emi, & neceſſe eſt mihi exire, &

videre

6. Reliqui vero tenuerunt ſervos ejus, & contumeliis affecerunt, & occiderunt.

7. Rex autem quum audiſſet, iratus eſt: & miſſis exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos, & civitatem illorum ſuccendit.

8. Tunc ait ſervis ſuis, Nuptiæ quidem paratæ ſunt, ſed qui invitati erant non fuerunt digni.

9. Ite ergo ad exitus viarum, & quoſcunque inveneritis, vocate ad nuptias.

10. Et egreſſi ſervi ejus in vias, congregaverunt omnes quotquot invenerunt, malos pariter ac bonos: & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentibus.

11. Ingreſſus autem Rex ut videret diſcumbentes, ubi vidit illic hominem non veſtitum veſte nuptiali,

12. Ait illi, Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? At ille obmutuit.

13. Tunc dixit Rex miniſtris, Ligatis pedibus & manibus ejus, tollite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & ſtridor dentium.

14. Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi.

videre illam: rogo te, habe me excuſatum.

19. Et alter dixit, Juga boum emi quinque, & eo ad probandum illa: rogo te, habe me excuſatum.

20. Et alius dixit, Uxorem duxi, & ideo non poſſum venire.

21. Et reverſus ſervus renunciavit hæc domino ſuo. Tunc iratus paterfamilias, dixit ſervo ſuo, Exi cito in plateas & vicos urbis, & pauperes ac debiles, claudoſque & cæcos huc introduc.

22. Et ait ſervus, Domine, factum eſt ut imperaſti, & adhuc locus eſt.

23. Et ait dominus ſervo, Exi in vias & ſepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea.

24. Dico enim vobis, quod nemo virorum illorum qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.

1. *Et reſpondens Jeſus.*] Tametſi Matthæus hanc parabolam recitat inter alios ſermones à Chriſto ſub ultimum Paſcha habitos: quia tamen nullum deſignat tempus, Lucas autem diſerte affirmat, quum diſcumberet in menſa Phariſæi, ſic loquutum eſſe, hunc potius ordinem ſequi viſum eſt. Porro quia Matthæi conſilium erat, oſtendere quibus de cauſis in extremam rabiem accenſi eſſent Scribæ, inter odioſos ejus ſermones hunc quoque tempeſtive poſuit, & in contextum inſeruit, neglecto temporis ordine. Notanda eſt autem Lucæ narratio, quod quum unus ex convivis dixiſſet, beatos eſſe qui panem comedunt in regno Dei, Chriſtus inde Judæis exprobrandæ ingratitudinis occaſionem ſumpſerit. Quanquam autem vix credibile eſt, Phariſæi hoſpitem & amicum ſerio pietatis affectu erupiſſe in hanc vocem, mihi tamen non videtur eſſe ſubſannatio: ſed ut homines mediocri fide tincti, nec palam impii, ſecure inter pocula de vita æterna garrire ſolent, exiſtimo ab hoc homine injectum fuiſſe ſermonem de futura beatitudine, ut viciſſim aliquid à Chriſto eliceret. Et verba ejus indicant nihil niſi craſſum ac
Panem edere. terreſtre ſpiraſſe: neque enim metaphorice Panem edere dixit pro Frui æterna gloria: ſed videtur ſomniaſſe neſcio quem ſtatum felici rerum omnium opulentia refertum. Senſus tamen eſt, beatos fore qui pane Dei veſcentur poſtquam filios ſuos in regnum ſuum collegerit.

2. *Simile factum eſt regnum cælorum.*] Quemadmodum Spartanus ille olim dixit, Athenienſes ſcire quæ recta eſſent, ſed nolle facere: ita hic Judæis Chriſtus exprobrat præclaras quidem ipſos de regno Dei voces edere; ſed dum eos ad ſe benigne & humaniter Deus invitat, contemptim ſe reſpuere ejus gratiam. Neque enim dubium eſt quin Judæos nominatim perſtringat, ut melius patebit paulo poſt. Cæterum hoc à Luca differt Matthæus quod multas circumſtantias exprimit, quum ille ſummatim & in genere tantum rem proponat. Sic Matthæus à Rege nuptias filii celebratas fuiſſe dicit: apud Lucam ſimpliciter fit convivii mentio. Ille plures ſervos commemorat: hic non nominat niſi unum. Ille plures miſſiones notat: hic tantum unam. Ille quoſdam ex ſervis dicit male mulctatos fuiſſe vel occiſos: hic tantum de contemptu loquitur. Poſtremo ille habet, ejectum fuiſſe qui ſine veſte nuptiali ingreſſus fuerat convivium: cujus apud Lucam nulla fit mentio. Sed alibi quoque obſervavimus ſimile diſcrimen, quum ſcilicet in eadem re docenda Matthæus uberior eſſet ac magis fuſus. In ſumma quidem optime conveniunt, quod quum Deus Judæos peculiari honore dignatus fuerit, quaſi menſam hoſpitalem illis inſtruens, illi oblatum ſibi honorem contempſerint. Quod nuptias filii Regii huc *Nuptiæ*
referunt multi interpretes quia Chriſtus finis eſt Le- *filii Regii.*
gis, neque alio ſpectavit Deus in ſuo fœdere quam ut eum populo ſuo præficeret, ſacroque ſpiritualis conjugii vinculo Eccleſiam ei conjungeret, libenter amplector. Quod autem dicit emiſſos eſſe ſervos qui invitatos vocarent, his verbis duplicem gratiam Dei notare voluit: nempe quod Judæos prætulerit aliis gentibus: deinde per Prophetas ſuam illis adoptionem patefecerit. Alludit enim ad uſitatum hominum morem, qui nuptias facturi, eorum catalogum conſcribunt quos habere volunt convivas: deinde per ſervos ſuos invitant. ita Deus Judæos, quaſi familiares eſſent amici, præ aliis elegit: deinde per Prophetas vocavit, ut promiſſæ redemptionis participes eſſent. quod erat in nuptiis epulari. Quanquam autem qui primi vocati fuerunt, non vixerunt uſque ad Chriſti adventum: ſcimus tamen communem omnibus ſalutem fuiſſe propoſitam. qua eos privavit ſua ingratitudo & malitia: nam ab initio, Dei invitationem populus ille impie contempſit.

4. *Rurſus emiſit alios.*] Perinde loquitur acſi iidem fuiſſent homines, quia unum fuit populi corpus. Senſus autem eſt, Quum appropinquaret felix & lætus redemptionis dies, admonitos fuiſſe ut opportune adeſſent: nam tempus longe ante condictum illis fuerat. Nunc vero dicit Chriſtus, in ipſo articulo novis nunciis eos urgeri ut venire feſtinent. nam prima invitatio cujus meminit, ſuperiores omnes prophetias complectitur uſque ad Evangelii promulgationem. Quanquam autem jam olim ſævitum fuerat in Prophetas, quia tamen tempore crevit furor, qui tandem in Chriſtum & Apoſtolos toto impetu effuſus eſt, veterem populum contemptus & ſuperbiæ tantum accuſat. Ultimos autem ſer-

vos qui ſub horam cœnæ miſſi fuerant, contumeliis affectos, vel occiſos fuiſſe dicit. ita ad extremum ſcelerum prorupit ille populus, quum ad ſuperbam gratiæ rejectionem acceſſit veſana crudelitas. Neque tamen in omnes pariter crimen hoc confert: quia etiam in ultima vocatione, quæ per Euangelium facta eſt, partim à ſecuris contemptoribus deriſa fuit Dei gratia, partim furioſe repulſa ab hypocritis. Atque ita fieri ſolet ut magis ebulliant impii contra Deum, quo magis ad ſalutem eos ſollicitat. Nunc tractanda eſt pars doctrinæ quæ Matthæo & Lucæ communis eſt: nempe quod alius profectus eſt in villam ſuam, alius ad negotiationem: vel, ſicut habetur apud Lucam, alius excuſavit ſe uxorem duxiſſe, alius villam emiſſe, alius quinque paria boum. His verbis ſignificat Chriſtus, ita mundo & rebus terrenis deditos fuiſſe Judæos ut nemini vacaret ad Deum accedere: ſicuti dum nos mundi curæ tenent implicitos, totidem ſunt avocamenta quibus à regno Dei abſtrahimur. Turpe quidem ac pudendum eſt, quod homines ad cæleſtem vitam creati, belluino ſtupore toti ad res caducas feruntur: ſed hic morbus paſſim graſſatur. ita vix centeſimus quiſque regnum Dei caducis divitiis vel aliis commodis præfert. Quanquam autem non eodem omnes laborant morbo, quiſque tamen ſua cupiditate in diverſum rapitur: ita fit ut omnes huc vel illuc diffluant. Notandum præterea eſt, ab hominibus profanis honeſtos repudiandæ gratiæ Dei prætextus obtendi, quaſi excuſabilis eſſet eorum ſocordia dum intenti præſentis vitæ negotiis, cæleſtem hæreditatem parvipendunt. Atqui videmus ut tales delicias Chriſtus nobis excutiat, ne quis ſe quicquam proficere exiſtimet dum ſe terrenis impedimentis teneri cauſantur: imo duplicatur hominum culpa, dum ſe rebus alioqui licitis impediunt, quibus adjuvari potius decebat. Quorſum enim præſentis vitæ commoditates nobis Deus concedit niſi ut ad ſe nos alliciat? atqui tantum abeſt ut quiſque, prout juvatur Dei beneficiis, in cælum aſpiret, ut & ſacræ nuptiæ, & agri, & reliquæ opes totidem laquei ſint qui ſingulos terræ affixos conſtringunt.

7. *Rex autem quum audiſſet.*] Hanc pœnam ſolus Matthæus commemorat, quia apud Lucam de illata ſervis injuria nullus habetur ſermo. Hoc uterque dicit, excluſos privatoſque fuiſſe honore convivii qui ad tempus condictum non venerunt. Hæc vero doctrina nobis etiam communis eſt: nam impios omnes qui violenter contra Euangelii miniſtros inſurgunt, idem manet exitium quod prædicit Chriſtus Judæis. Quos autem ſic occupant terrenæ curæ, ut Dei invitationem pro nihilo ducant, hi omnes famelici tandem inopia miſere tabeſcent. Itaque quoties nos vocat, accincti & alacres ſimus ad ſequendum.

9. *Ite ergo ad exitus viarum.*] Poſtquam indignos Dei gratia eſſe oſtendit qui ſibi oblatam faſtidioſe reſpuunt, nunc dicit in eorum locum alios ſubſtitui, & quidem maxime obſcuros vulgo & contemptibiles. Atque hic Gentium vocatio deſcribitur quæ ad zelotypiam Judæos ſtimulet: ſicuti habetur in can-
Deut. 32. tico Moſis, Provocarunt me in iis qui non erant dii:
verſ. 21. & ego viciſſim eos provocabo in eo qui non eſt populus, in gente ſtulta irritabo eos. Quia priore loco electi erant, perinde acſi illis Deus carere non poſſet, ejus gratiam ſibi fingebant eſſe addictam. Quam ſuperbe vero alios omnes deſpexerint, notum eſt. Ergo per conceſſionem Gentiles mendicis, cæcis & claudis comparat. Vocari autem ex triviis & plateis dicit tanquam extraneos & ignotos: interim tamen in locum ab amicis & familiaribus neglectum ſubrogandos eſſe affirmat. Ita quod obſcurius de creanda nova Eccleſia prædictum fuerat à Prophetis, clare exprimit. Et certe probrum hoc divinæ vindictæ cumulus fuit, quod Deus illis reſectis, in radicem oleæ inſeruit ſylveſtres ſurculos, & illis abdicatis pollutas
& ſordidas Gentes in domum ſuam recepit. Quod ſi *Rom.* 11.
tunc non pepercit naturalibus ramis, eadem nobis *verſ.* 21.
hodie impendet ultio, niſi vocanti reſpondeamus. Nec vero peribit cœna quæ nobis parata erat, ſed alios ſibi convivas Deus accerſet.

23. Luc. *Compelle intrare.*] Tantundem hoc valet acſi juberet paterfamilias quaſi convitiis impellere mendicos, & nullos omittere ex ultima fæce. quibus verbis ſignificat Chriſtus, Deum potius corraſurum omnes mundi quiſquilias, quam ut ingratos ad menſam ſuam in poſterum admittat. Alludere tamen videtur ad Euangelicæ invitationis modum: quia non ſimpliciter proponitur nobis Dei gratia, ſed ad doctrinam ſimul accedunt exhortationum ſtimuli. in quo perſpicitur mira Dei bonitas, qui ubi ultro ad ſe vocatos torpere nos videt, pigritiam noſtram importune ſollicitat: nec tantum exhortationibus nos pungit, ſed etiam minis compellit ad ſe accedere. Interea non improbo quod Auguſtinus hoc teſtimonio ſæpius contra Donatiſtas uſus eſt, ut probaret piorum Principum edictis ad veri Dei cultum & fidei unitatem licite cogi præfractos & rebelles: quia etſi voluntaria eſt fides, videmus tamen iis mediis utiliter domari eorum pervicaciam qui non niſi coacti parent.

11. Matth. *Ingreſſus autem Rex ut videret.*] Hic jam non exprobrat Chriſtus Judæis quod impie contempſerint Dei gratiam & vocationem: ſed eos qui ſubrogandi erant in illorum locum mature præmonet ne ſuis ſordibus ſacras nuptias inquinent, ubi Deus menſæ ſuæ participatione eos dignatus fuerit. Ergo hactenus docuit, Judæos ſpeciali honoris privilegio ob impium ſuum faſtidium privandos eſſe: ac ex profanis & rejectitiis Gentibus vocandos qui in eorum locum ſuccederent. Nunc vero denunciat, ex hoc quoque numero exterminandos eſſe qui Eccleſiam contumelia affecerint. nam quia promiſcue per Euangelium omnes Deus vocat, multi impuri & fœtidi homines perrumpunt, qui tametſi ad tempus locum occupant inter alios, tandem ubi ſuos convivas perluſtrat Deus, foras ejecti rapiuntur ad pœnam. Summa eſt, non omnes qui ſemel Eccleſiam ingreſſi fuerint, vitæ æternæ fore participes, ſed qui ornatum cæleſti palatio dignum geſtare comperti fuerint. Porro de veſte nuptiali fruſtra certatur, ſitne fides, an ſancta ac pia vita: quia neque fides à bonis operibus ſeparari poteſt, & bona opera non niſi ex fide procedunt. Chriſtus autem hoc tantum voluit, hac lege nos à Domino vocari, ut Spiritu renovemur in ejus imaginem: ideoque ut perpetuo domi ejus maneamus, veterem hominem cum ſuis inquinamentis exuendum eſſe, ac meditandam novam vitam, ut veſtitus tam honorificæ vocationi reſpondeat. Sed quæritur qui conveniat mendicum atroci pœna mulctari quia nuptialem veſtem non attulerit: quaſi vero novum ſit, miſeros, qui victum in compitis quæritant, laceros ac deformes conſpici. Reſpondeo, hic non tractari unde veſtis petenda ſit: nam Dominus quoſcunque invitat ſimul etiam veſtit: ac in omnibus nobis impletur quod dicit Ezechiel 16. verſ. 7. quum nihil Deus inveniat in nobis præter miſeram nuditatem & fœtidas ſordes, ornare nos ſplendido veſtitu. ſcimus etiam non aliter reformari nos in imaginem Dei niſi dum Chriſtum induimus. Non ergo pronunciat Chriſtus, ejectum iri miſeros homines qui pretioſam veſtem ex arca ſua depromptam non attulerint: ſed qui reperti fuerint in ſuis ſordibus, ubi Deus ad examen de convivis ſuis habendum adveniet. Concluſio vero finem parabolæ oſtendit, paucos eſſe electos, licet multi vocati ſint. Unde colligimus non eſſe ſubtiliter excutiendas ſingulas particulas. neque enim Chriſtus nuper denunciavit majorem partem ejectum iri, ſed unius tantum meminit: hic vero audimus paucos ex

magno numero retentum iri. Et certe quum hodie plures Euangelii voce in Eccleſiam congregentur quam olim per Legem, exigua portio vitæ novitate fidem ſuam approbat. Quare ne placeamus nobis inani fidei titulo, ſed quiſque ſerio ſeipſum examinet, ut in ultimo delectu cenſeri poſſit inter legiti- *2 Tim. 2. verſ. 19.* mos convivas. Nam ut Paulus admonet, non unius generis vaſa ſunt in domo Domini: ideo diſcedat ab iniquitate quiſquis invocat nomen Domini. Hic de æterna Dei electione altius non diſputo: quia non alio ſpectant verba Chriſti, quam externam fidei profeſſionem minime ſufficere ut pro ſuis Deus agnoſcat quicunque videntur nomen vocationi ejus dediſſe.

MATTH.	MARC.	LUC. XVI.

1. Dicebat autem & ad diſcipulos ſuos, Homo quidam erat dives,
qui habebat diſpenſatorem: & hic delatus eſt apud illum quod diſſiparet bona ipſius.
2. Et vocavit eum, dixitque ei, Quid hoc audio de te? redde rationem diſpenſationis tuæ: non enim poteris poſthac eſſe œconomus.
3. Ait autem diſpenſator intra ſe, Quid faciam, quia dominus meus aufert à me diſpenſationem? fodere non valeo, mendicare erubeſco.
4. Scio quid faciam: ut quum amotus fuero à diſpenſatione, recipiant me in domos ſuas.
5. Convocatis itaque ſingulis debitoribus domini ſui, dixit primo, Quantum debes domino meo?
6. At ille dixit, Centum batos olei. Dixitque illi, Accipe cautionem tuam, & ſede cito, & ſcribe quinquaginta.
7. Deinde alteri dixit, Tu vero quantum debes? Qui ait, Centum coros tritici. Ait illi, Accipe cautionem tuam, & ſcribe octoginta.
8. Et laudavit dominus diſpenſatorem iniquum, quod prudenter feciſſet: quia filii hujus ſeculi prudentiores ſunt filiis lucis in natione ſua.
9. Et ego vobis dico, Facite vobis amicos ex mammona injuſto: ut quum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.
10. Qui fidelis eſt in minimo, & in multo fidelis eſt: & qui in minimo iniquus eſt, is & in multo iniquus eſt.
11. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuiſtis, quod verum eſt quis credet vobis?
12. Et ſi in alieno fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt quis dabit vobis?

Paulo poſt.

14. Audiebant autem hæc omnia & Phariſæi, qui erant avari: & deridebant illum.
15. Et ait illis, Vos eſtis qui juſtificatis voſipſos coram hominibus: Deus autem novit corda veſtra: quia quod hominibus excelſum eſt, abominatio eſt coram Deo.

Summa hujus parabolæ eſt, humaniter & benigne cum proximis noſtris eſſe agendum: ut quum ad Dei tribunal ventum fuerit, liberalitatis noſtræ fructus ad nos redeat. Quanquam autem dura & longe petita videtur ſimilitudo, clauſula tamen oſtendit non aliud fuiſſe Chriſti conſilium. Et hinc perſpicimus, inepte eos philoſophari qui in parabolis ſingulas partes ſcrupuloſe excutiunt. Neque enim hic fraudes, rapinas, prodigam diſſipationem, & alia malæ diſpenſationis peccata largitionibus redimere Chriſtus jubet: ſed quum bonorum omnium quæ nobis confert, diſpenſationi nos præficiat Deus, hic nobis ratio præſcribitur quæ olim quum ad reddendam rationem ventum fuerit, à ſummo rigore nos ſublevet. Nam qui fingunt eleemoſynas ad luxuriæ ac diſſolutæ vitæ compenſationem valere, non ſatis expendunt, hoc primo nobis injungi ut ſobrie & temperanter vivamus: deinde ut ex puro fonte rivi ad nos defluant. Certum quidem eſt neminem eſſe tam frugi, qui non interdum depoſita apud ſe bona dilapidet: ideoque vel eos qui ſummam parſimoniam colunt, non prorſus à mala diſpenſatione eſſe immunes. adde quod multiplices ſunt donorum Dei abuſus, ut culpam alii alio modo contrahant: non nego etiam quin prout nobis vitioſæ diſpenſationis ſumus conſcii, hoc nos ad officia charitatis magis ſtimulari deceat. Sed alius finis nobis propoſitus eſſe debet, quam ut ſoluto redemptionis pretio effugiamus Dei judicium: nempe ut liberalitas bene ſancteque locata, ſuperfluas impenſas frenet tantundem ac corrigat: deinde ut noſtra erga fratres humanitas, Dei miſericordiam in nos provocet. Quare hic minime effugium oſtendit Dominus ſuis diſcipulis quo ſe à reatu liberent dum ab illis rationem exiget cæleſtis judex: ſed mature cavendum eſſe admonet ne crudelitatis ſuæ pœnam luant, ſi deprehenſi fuerint, Dei bona ingurgitando, nullam beneficentiæ operam dediſſe. Tenendum enim ſemper illud eſt, Qua quiſque *Matth. 7. verſ. 2.* menſura aliis menſus fuerit, ei repenſum iri.

8. *Laudavit dominus.*] Hic etiam cernere promptum eſt, ſiquis in ſingulis particulis inſiſtat, ſtulte facturum. Nam quum ex alieno largiri, res minime ſit laude digna, quis æquo animo feret ab improbo nebulone ſibi eripi quod pro ſua libidine condonet? Hoc certe nimis craſſi ſtuporis foret, ubi ſubſtantiæ ſuæ partem quiſpiam direptam viderit, quod reſiduum eſt, ſibi furto ablatum, aliiſque donatum probare. Sed hoc tantum voluit Chriſtus quod ſubjicit continuo poſt, homines profanos & mundo addictos in curandis vitæ caducæ rationibus magis eſſe induſtrios & ſolertes quam filii Dei de cæleſti æternaque vita ſolliciti ſint, vel ad ejus ſtudium & meditationem intenti. Hac enim comparatione ignaviam noſtram pluſquam ſocordem nobis exprobrat, quod

ſaltem

ſaltem æque nobis proſpicimus in futurum ac profani bomines ſibi in hoc mundo conſulunt. Quam enim turpe eſt filios lucis, quibus Deus Spiritu verboque ſuo affulget, torpere, ac negligere ſpem æternæ beatitudinis ſibi oblatam, quum tam cupide mundani homines ad ſua commoda ferantur, tamque providi ſint atque acuti? Hinc colligimus, non conferri Spiritus & carnis prudentiam (quod non ſine ipſius Dei contumelia fieret) ſed tantum expergefieri fideles ut attentius conſiderent quæ ſunt futuræ vitæ: neque oculos ad Euangelii lucem claudant, quum videant cæcos io tenebris eſſe magis perſpicaces. Et quidem eos affici magis decet quum videant filios ſeculi pro fluxa vita, & quæ momento præterit, in longum tempus proſpicere.

9. *Facite vobis amicos.*] Sicuti antebac noo juſſit Chriſtus ſacrificia Deo offerre ex rapinis: ita nunc non intelligit vel deprecatores quærendos eſſe, vel patronos, qui ſuo præſidio nos tegant ac defendant: ſed benigne erogando, favorem apud Deum acquiri docet qui ſe miſericordibus & humanis viciſſim miſericordem fore promiſit. Stulte vero & abſurde quis mortuorum precibus vel ſuffragiis juvari nos hinc colligat. nam hoc modo periret quicquid indignis impenditur. Atqui non obſtat hominum pravitas quin Dominus in tabulas ſuas expenſum referat quicquid in pauperes contulimus. Reſpicit ergo Dominus non ad perſonas, ſed ad opus ipſum, ut beneficeotia noſtra, etiamſi in homines ingratos inciderit, nobis coram Deo reſpondeat. Sed ita videtur ionuere vitam æternam meritis noſtris rependi. Reſpondeo, ſatis clare ex contextu patere, bumano more eum loqui: nempe quemadmodum is qui gratia pollet ac opibus, ſi amicos ſibi conciliet in ſua proſpera fortuna, perculſus adverſo caſu habet à quibus ſuſtentetur: ita oostram bumanitatem nobis opportuni refugii inſtar fore, quia Dominus quicquid liberaliter in proximos quiſque contulerit, non ſecus ac ſibi præſtitum agnoſcit. *Quum defeceritis.* Hoc verbo denotat mortis tempus, ac breve diſpenſationis noſtræ tempus fore admonet, ne tenaciores nos reddat longioris vitæ fiducia. Unde enim fit ut major pars indormiat ſuis divitiis: multi quod habent, profuſis ſumptibus diſſipent: alii ſupprimendo, ſe & alios maligne fraudent: niſi quia falſa diuturnæ vitæ imaginatione decepti, ſecure ſibi indulgent? Quod Mammona iniquitatis vocat, ſuſpectas nobis divitias reddere vult: quia ut plurimum dominos ſuos iniquitate involvunt. Etſi enim per ſe non malæ ſunt, quia tamen raro acquiruntur ſine fraude, aut violentia, aut aliis artibus illicitis, raro etiam ſine ſuperbia, vel luxu, vel alio pravo affectu poſſidentur: merito ſuſpectas nobis Chriſtus
Mat. 13. reddit. quemadmodum & alibi vocavit ſpinas. Vi-
verſ. 22. detur tamen ſubaudienda eſſe antitheſis, acſi dixiſſet divitias quæ alioqui propter vitioſum abuſum poſſeſſores ſuos coinquinant, ac fere ſunt peccandi illecebræ, vertendas eſſe in contrarium finem, ut gratiam nobis concilient. Tenendum præterea memoria eſt quod prius dixi, Deum ex præda injuſte parta ſacrificium non quærere acſi ſocius eſſet furum: ideoque potius moneri fideles ut ſe ab iniquitate puros conſervent.

10. *Qui fidelis eſt in minimo.*] Proverbiales ſunt ſententiæ a commuoi uſu & experientia ſumptæ, ideoque ſufficit ut plurimum eſſe veras. Continget quidem interdum ut fraudator, neglecto parvo lucro, in re magna ſuam nequitiam prodat: imo multi in rebus mioutis, ſimplicitatis fuco ampliſſimum
Livius. quæſtum venantur: quemadmodum dicit ille, Fraus in parvis ſibi fidem præſtruit, ut quum operæpretium fuerit, magna mercede fallat. neque tamen falſa eſt Chriſti ſententia: quia in proverbiis, ut dixi, ſequimur quod eſt vulgo uſitatum. Hortatur ergo ſuos diſcipulos Chriſtus ut fideliter agentes in rebus parvis, ſe ad fidem in maximis rebus colendam aſſuefaciant. Deinde hanc doctrinam ad ſpirituales gratias rite diſpenſandas accommodat, quas tametſi non ſuo pretio æſtimat mundus, certum tamen eſt longe ſupra caducas muodi opes excellere. Indignos autem eſſe docet quibus incomparabilem Euangelii & ſimilium donorum theſaurum Deus committat qui male & infideliter agunt in rebus minus pretioſis, ut ſunt fluidæ mundi opes. Itaque his verbis incluſa eſt tacita comminatio, timendum eſſe ne propter terrenæ diſpenſationis abuſum cæleſtibus donis privemur. Quo ſenſu divitiis opponitur verum, tanquam ſolidum & perpetuum umbratili & caduco.

12. *Si in alieno fidelis.*] Alienum vocat quod eſt extra hominem: neque enim hac lege divitias nobis largitur Deus ut ſimus illis affixi: ſed ita oos conſtituit earum diſpenſatores ne ſuis vinculis nos conſtringant. Nec vero fieri poteſt ut mentes ſolutæ & liberæ in cælo habitent, niſi alienum ducant quicquid in mundo eſt. Spirituales autem divitias quæ ad futuram vitam ſpectant, nobis proprias facit, quia æterna eſt earum fruitio. Jam vero alia ſimilitudine utitur, ſperandum oon eſſe ut bonis noſtris recte & moderate utamur ſi perperam vel mala fide io alienis verſati fuerimus. ſolent enim homines ſecurius ſuis rebus abuti, pluſque ſibi lioeotiæ in illis perdendis concedunt; quia oon verentur ne quis exprobret. In depoſito autem, vel commodato, vel mutuo, de quibus mox reddenda erit ratio, cautiores ſunt ac magis timidi. Tenemus ergo Chriſti mentem, malos ſpiritualium donorum fore cuſtodes qui terrena bona male adminiſtrant. Poſtea inſeritur ſententia, quod nemo poſſit Deo ſervire & mammonæ: quam Matthæi capite 6. expoſui. inde etiam petant lectores quid ſignificet vox Mammonæ.

14. *Audiebant autem hæc.*] Qui putant deriſum fuiſſe Chriſtum à Phariſæis quia plebeio rudique ſermone contentus, verborum ampullas non jactaret, non ſatis expendunt Lucæ verba. Fateor quidem ſuperbis hominibus & faſtidioſis contemptibilem videri Euangelii doctrinam: ſed Lucas diſerte exprimit, Chriſtum iden illis deriſui fuiſſe quia avari erant. Quia igitur illis perſuaſum & penitus infixum erat, beatos eſſe divites, ideoque nihil melius eſſe quam rem ſuam augere quovis modo, & tenaciter incubare partis opibus: quæcunque in diverſam partem à Chriſto erant dicta, tanquam abſurda paradoxa rejiciunt. Et certe quiſquis de ſpernendis divitiis, vel in pauperes erogandis diſſerit, avaris deſipere videtur. Notum eſt illud Horatii, Populus me ſibilat, at mihi plaudo. Quod ſi omnium judicio damnati, ſibi tamen placent, quanto magis inſtar fabulæ ridebunt iſtam philoſophiam Chriſti quæ remota eſt à vulgi ſenſu? Neque tamen dubito quin alium colorem prætexuerint Phariſæi, ut adverſam ſuo vitio doctrinam jocoſe eluderent. tenendum tamen eſt quid eos impulerit: nam & hic morbus ſemper fere in mundo graſſatur, ut major pars hominum ſe aſpernari fingat quod pravis eorum moribus non convenit. Hinc tot probris, ſcommatibus & ſubſannationibus obnoxium eſt verbum Dei: quia pro vitiorum ſuorum defenſione quiſque litigat, putantque facetis ſuis dictis velut objecta nebula tectum eſſe ſuum flagitium.

15. *Vos eſtis.*] Videmus Chriſtum illorum faſtidio minime cedere, ſed conſtanter aſſerere doctrinæ ſuæ auctoritatem contra ludibria: quod etiam omnibus Euangelii miniſtris agendum eſt, ut impiis contemptoribus terribile Dei judicium opponant. Fucum ergo quo decipiunt hominum oculos, in Dei judicio quicquam illis profuturum negat. nolebant videri in ſuis ludibriis avaritiæ ſuæ patrocinium ſuſcipere: Chriſtus autem venenum hoc ab occulto ulcere erumpere docet: quemadmodum ſi quis hodie

cor-

cornutis Epiſcopis dicat, ideo tam infeſtos eſſe Euangelio quia inteſtina eorum mala nimis aeriter punguntur. Dicit autem, ſatis illis eſſe ſi probi appareant hominibus, ac fucoſa ſanctimonia ſe venditent: ſed Deum, qui cordium cognitor eſt, non latere quæ coram mundo abſcondunt vitia. Ubi etiam notandum eſt ioter Dei & bomioum judicia diſcrimeo: quia quum externis larvis plaudant homines, apud Dei tribunal nihil præter ſincerum cor probatur. Additur inſignis ſententia, Quicquid excelſum homines ducunt, abominationem eſſe Deo: non quod virtutes repudiet Deus quarum laudem humanis cordibus impreſſit: ſed quia abominatur Deus quicquid proprio ſenſu homines extollunt. Unde apparet quo loco habendi ſint fictitii omnes cultus, quos *Fictitii cultus.* ſuo arbitrio mundus ſibi fabricat. Quantumvis enim ſuis inventoribus placeant, Chriſtus non modo vanos coram Deo, & nihili eſſe pronunciat, ſed etiam fœtidos.

MATTH.	MARC.	LUC. XVI.

19. Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendide.

20. Erat autem quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus ulceroſus,

21. Et cupiens ſaturari de micis quæ cadebant de menſa divitis: ſed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus.

22. Accidit autem ut moreretur mendicus, & deportaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ: mortuus eſt autem & dives, ac ſepultus eſt.

23. Atque apud inferos ſublatis oculis ſuis, quum eſſet in tormentis, videt Abraham eminus, & Lazarum in ſinu ejus.

24. Et ipſe clamans, dixit, Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ac refrigeret linguam meam: quia crucior in flamma hac.

25. Dixit autem Abraham, Fili, recordare quod receperis bona tua in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic ſolatio fruitur, tu vero cruciaris.

26. Et ſuper hæc omnia, inter nos & vos hiatus ingens firmatus eſt: ut qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint: neque iſtinc huc tranſmeare.

27. Ait autem, Rogo ergo te Pater, ut mittas eum in domum patris mei:

28. Habeo enim quinque fratres, ut teſtificetur illis, ne & ipſi veniant in locum hunc cruciatus.

29. Ait illi Abraham, Habent Moſen & Prophetas, audiant illos.

30. At ille dixit, Non, pater Abraham: ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, reſipiſcent.

31. Ait autem illi, Si Moſen & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit credent.

Tametſi alia quædam inſerit Lucas, non tamen dubium eſt quin boc exemplo proximum ſermonem coofirmet Chriſtus. Oſtendit enim qualis eos conditio maneat qui poſtbabita pauperum cura, ſe totos io delicias ingurgitant; qui crapulis & voluptatibus dediti, proximos miſere eſurire ſinunt, imo crudeliter inedia conficiunt, quibus opem ferre debuerant quum ſuppeteret illis facultas. Quanquam autem quibuſdam ſimplex videtur eſſe parabola: *Lazarus.* quia tameo Lazari oomen exprimitur, potius rem geſtam narrari arbitror. Cæterum in ea re parum eſt momeoti, modo ſummam doctrinæ teneant lectores. Primo dives inducitur purpura & byſſo veſtitus, & ſpleodidis lautitiis quotidie indulgens. quibus verbis notatur delicatior vita, luxuque & pompis referta. oon quod Deo omnis veſtium elegantia & ornatus per ſe diſpliceat, vel omnis victus mundities ſit damoabilis: ſed quia raro cootingit in his rebus ſervati temperantiam. nam qui ſpleodorem appetit in veſtibus, novis ſubinde additamentis luxum aogebit: ac fieri vix poteſt quio ſe ad intemperiem projiciat qui opiparis & bene refertis menſis gaudet. Præcipue tamen damnatur in eo crudelitas, quod Lazarum pauperem & ulceroſum ſinebat jacere foris ad januam ſuam. Nam hæc oppoſita membra Chriſtus inter ſe contexit: quod dives crapulæ pompiſque deditus, taoquam inexplebilis gurges, iogentes copias intus voraret: Lazari autem inopia & miſeriis non tangeretur, ſed fame, frigore & ulcerum fœtore tabeſcere, ſciens ac volens ſineret. In hunc modum & Ezecbiel Sodomam accuſat quod in ſaturitate *Eze. 16. verſ. 49.* panis & vini manum inopi non porrigeret. Byſſo, quæ tela eſt ſubtilior, Orientales ad nitorem & pompam uti ſolitos fuiſſe notum eſt: quem morem ſacrifici Papales io ſuis, quæ vocant, ſuperliciis, æmulati ſunt.

21. *Sed & canes.*] Jam inde ſatis convicta erat ferrea divitis immanitas, quod tam miſerabile ſpectaculum ad ſympathiam eum non flectebat. nam ſiqua humanitatis gutta in eo fuiſſet, ſaltem mandare debebat ut aliquid ex culinæ ſuæ reliquiis miſero homini daretur. Sed bic impiæ & pluſquam belluinæ truculentiæ cumulus fuit, ſaltem à canibus non diſcere miſericordiam. Nec dubium eſt quio arcano Dei conſilio directi fuerint canes iſti qui eum ſuo exemplo damnarent. Chriſtus certe eos bic quaſi in teſtimonium producit, qui execrandam hominis duritiem coarguant. quid eoim magis portentoſum, quam bominem à canibus curari qui à proximo ſuo negligitur? imo oe micas quidem panis dari famelico, cui medendi gratia linguas ſuas canes accommodant? Quoties ergo vel alieoi, vel ipſa bruta animalia in vices noſtras ſubeunt, ut officio fungantur quod potius à nobis præſtandum erat, ſciamus totidem divinitus teſtes ac judices nobis ſtatui qui crimen noſtrum magis detegant.

22. *Accidit autem ut mor.*] Hic oſtendit Chriſtus quantum in morte mutata fuerit utriuſque conditio.

ditio. Mors quidem ambobus communis: ſed mortuum ab Angelis deferri in ſinum Abrahæ, felicitas eſt regnis omnibus optabilior. Addici vero ad æternos cruciatus, borribile eſt, & centum vitis, ſi fieri poſſet, redimendum. Ac nobis quidem in Lazari perſona illuſtre documentum proponitur, ne coram Deo maledictos putemus qui per continuos languores vitam ærumnis refertam ægre trabunt. nam in eo ſic abſcondita fuit Dei gratia, & crucis deformitate probriſque oppreſſa, ut carnis ſenſus nibil præter maledictionem apprehendat: atqui videmus quam pretioſa anima in fœdo & putrido corpore latuerit, quæ ab Angelis in beatam vitam defertur. Quare nihil illi nocuit, deſertum ac contemptum omni humano ſolatio deſtitui, cui ex carnis ergaſtulo migranti præſto ad obſequium adeſſe dignantur ſpiritus cæleſtes. Rurſum in divite tanquam in illuſtri ſpeculo, cernitur quam non expetenda ſit temporalis felicitas quæ æterno exitio conſtat. Notandum tamen eſt, quod divitis ſepulturam nominatim prædicans Cbriſtus, quid factum fuerit Lazaro tacet. *non quod ejus cadaver feris objectum ſub dio jacuerit, ſed quia contemptim ac ſine honore projectum fuerit in foveam (boc enim ex oppoſito membro colligere promptum eſt, nibdo plus officii mortuo quam vivo impenſum fuiſſe) dives contra ſumptuoſe pro ſuis opibus ſepultus, aliquid adhuc ex priſtina ſuperbia reſiduum habet. Nam hac in parte quodammodo naturæ reluctari videmus profanos homines quod funeris ſplendore & exequiis ſuperſtites fortunæ ſuæ eſſe appetunt. cæterum quam ſtulta ſit & ridicula hæc ambitio, teſtes ſunt apud inferos eorum animæ. Quod Lazarum delatum eſſe dicit, ſynecdocbica eſt loquutio: nam quia præſtantior eſt bominis pars anima, nomen totius ſibi merito vendicat. Angelis autem boc munus non fruſtra aſſignat Cbriſtus, quos ſcimus datos fuiſſe fidelibus miniſtros ut eorum ſaluti ſua ſtudia operaſque impendant.

Sinus Abrahæ. *In ſinum Abrahæ.*] De ſinu Abrahæ quam varie philoſophati ſint multi Scripturæ interpretes, referre nihil opus eſt, ac ne meo quidem judicio expedit. ſufficiat tenere quod lectores probe in Scriptura exercitati genuinum eſſe agnoſcent. Nam ſicut Abraham ideo Pater fidelium dictus eſt quia penes ipſum depoſitum fuit æternæ vitæ fœdus, quod fideli cuſtodia ſervatum filiis ſuis primum, deinde cunctis gentibus per manus traderet; & filii ejus vocantur quicunque ejuſdem promiſſionis ſunt hæredes: ita poſt mortem dicuntur in ejus ſinum colligi qui ejuſdem cum eo fidei fructum percipiunt. Metaphora à patre ſumpta, in cujus veluti ſinum filii conveniunt dum veſpere ab operis diurnis domi congregantur. Quum ergo filii Dei in hoc mundo diſperſi peregrinentur, ſicuti in præſenti curriculo fidem ſequuntur Patris ſui Abrabæ, ita defuncti in beatam quietem in qua eos expectat, ſeſe recipiunt. Nec vero certum locum imaginari neceſſe eſt: ſed tantum collectio illa quam dixi, notatur, ut ſcilicet reipſa agnoſcant fideles ſe non fruſtra ſub fide Abrabæ auſpiciis militaſſe, quia eodem in cælis domicilio

Quæſtio. fruuntur. Si quæratur, an eadem bodie piis conditio repoſita ſit poſt mortem, an vero Cbriſtus reſurgendo ſinum ſuum aperuerit, in quo tam Abraham ipſe, quam pii omnes quieſcant: breviter reſpondeo, Sicuti luculentior Dei gratia per Euangelium nobis affulſit, & Chriſtus ipſe Sol juſtitiæ ſuo adventu ſalutem nobis attulit quam eminus ſub obſcuris umbris Patribus intueri olim datum eſt: ita minime dubium eſſe quin mortui propius ad cæleſtis vitæ

** Plenam.* fruitionem acceſſerint. Interea tenendum eſt, *immortalitatis gloriam uſque ad diem ultimum redemptionis differri. Quod ad nomen ſpectat, tam ſinus Abrahæ quam Chriſti vocari poteſt tranquillus ille portus qui à præſentis vitæ navigatione fideles excipit. Cæterum quia altius progreſſi ſumus quam Patres ſub Lege, aptius notabitur hæc diſtinctio, ſi dicamus Chriſti membra ad caput ſuum aggregari: atque ita ceſſabit metaphora de ſinu Abrahæ, ſicuti Solis fulgor exortu ſuo ſtellas omnes obſcurat. Ex hac tamen loquendi forma qua uſus eſt Chriſtus, colligere interim licet, Patres ſub Lege cæleſtis vitæ hæreditatem, in quam mortui recepti ſunt, fide amplexos eſſe dum viverent.

23. *Apud inferos ſublatis oculis.*] Etſi Chriſtus hiſtoriam narrat, res tamen ſpirituales deſcribit ſub figuris quas ſciebat accommodas eſſe ad ſenſum noſtrum. Neque enim animæ digitis & oculis præditæ ſunt, neque ſiti laborant: neque mutua habent inter ſe colloquia, quale hic inter Abraham & epulonem deſcribitur: ſed Dominus hic tabulam depinxit quæ ſtatum futuræ vitæ pro ſenſus noſtri modulo repræſentet. Summa autem eſt, fideles animas, ubi à corporibus migrarunt, lætam & beatam vitam extra mundum agere: reprobis vero paratos eſſe horribiles cruciatus, qui mentibus noſtris non magis concipi poſſunt, quam immenſa cælorum gloria. Quemadmodum enim exigua tantum parte, quatenus ſcilicet illuminati ſumus Dei Spiritu, per ſpem guſtamus promiſſam nobis gloriam quæ ſenſus omnes longe exuperat: ita ſufficiat incomprehenſibidem Dei vindictam quæ impios manet, obſcure cognoſcere quatenus ad incutiendum nobis terrorem expedit. Ita barum rerum tenuem notitiam, & quæ frenandæ curioſitati conveniat, delibant Chriſti verba: quod ſcilicet impii miſeriæ ſuæ ſenſu dire torqueantur: ſolatium aliquod cupiant, præciſa tamen ſpe duplex ſentiant tormentum: quod etiam magis crucientur dum reminiſci coguntur ſua ſcelera, & præſentem fidelium beatitudinem cum miſero ſuo & perdito ſtatu conferre. Huc pertinet colloquii deſcriptio, quaſi inter eos habitum foret quibus nihil eſt inter ſe commercii. Quum etiam Patrem vocat Abraham dives, aliud ejus tormentum exprimitur, quod ſero è numero filiorum Abrabæ ſe abdicatum eſſe ſentit. *Status futuræ vitæ.*

25. *Fili, recordare.*] Nomen *filii* videtur ironice poſitum, ut ſit acris exprobratio ad pungendum divitem, qui falſo gloriatus eſt in vita ſe unum eſſe ex filiis Abrahæ. Nam quaſi inflicto cauterio vulneratur ejus animus, dum ſua bypocriſis mendaxque fiducia illi objicitur ante oculos. Quod autem dicitur cruciari apud inferos, quia bona ſua in mundo receperit, non ita accipere oportet quaſi omnes æternus maneat interitus qui bene & proſpere in mundo habuerint: imo ut prudenter Auguſtinus notavit, ideo pauper Lazarus in ſinum divitis Abrahæ delatus eſt, ut ſciamus divitias nemini præcludere januam regni cælorum, ſed communiter omnibus patere qui vel ſobrie divitiis uſi fuerint, vel patienter caruerint. Tantum ſenſus eſt, Quia præſentis vitæ illecebris ſe totum demerſit in terrenas delicias, Deumque & ejus regnum contempſit, nunc ſocordiæ ſuæ pœnas dare. Ideo pronomen *tua*, emphaticum eſt: acſi dixiſſet Abraham, Quum ad immortalem vitam creatus fores, & Lex Dei ſurſum te ad meditandam cæleſtem vitam attolleret, tu ſortis tam præclaræ oblitus, porco vel cani ſimilis eſſe maluiſti. mercedem ergo brutis voluptatibus dignam recipis. Rurſus quum de Lazaro dicitur, ſolatio eum frui, quia multas ærumnas in mundo pertulerit, hoc ad omnes miſeros inepte quis traheret, quibus adeo nibil proderunt afflictiones, ut magis in extremam pœnam ceſſuræ ſint: ſed crucis tolerantia in Lazaro laudatur, quæ ſemper naſcitur ex fide ſinceroque timore Dei. Neque enim qui contumaciter malis reſiſtit, & indomitus in ſua ferocia perſtat, ullam tolerantiæ laudem meretur ut ſolatium illi Deus pro cruce rependat. Summa ergo huc redit, qui patienter tulerint onus crucis ſibi impoſitum, nec adverſus Dei jugum & ferulas præfracti fuerint, ſed per continuas ærumnas aſpiraverint ad ſpem melioris

vitæ,

vitæ, illis poſt emeritum militiæ tempus repoſitam eſſe in cælo quietem: contra vero profanis Dei contemptoribus, qui ſe in carnis voluptates ingurgitant, & quadam mentis crapula ſuffocant omne pietatis ſtudium, ſtatim à morte parata fore tormenta quæ vanas delicias excutiant. Porro memoria tenendum eſt, conſolationem hanc qua fruuntur filii Dei, in eo ſitam eſſe quod coronam gloriæ ſibi paratam eſſe cernentes, in læta ejus expectatione acquieſcant. Sicuti rurſum impios torquet futuri judicii ſenſus quod ſibi inſtare vident.

26. *Super hæc omnia.*] His verbis notatur perpetuitas in futuræ vitæ ſtatu: acſi dictum eſſet, fines qui reprobos ab electis diſcernunt, nunquam poſſe perfringi. Atque ita monemur, dum tempus eſt matute in viam redeundum eſſe, ne præcipites ruamus in illam abyſſum unde ſurgere non liceat. Cæterum improprie hoc dicitur, clauſum eſſe tranſitum ſiquis è cælo ad inferos deſcendere velit: quia certum eſt nulli piorum tale deſiderium obrepere.

27. *Rogo te Pater.*] Quo melius hiſtoriam uſui noſtro accommodet, divitis votum proponit ut fratres quos habet ſuperſtites, à Lazaro moneantur. Hic inepte arguti ſunt Papiſtæ, dum probare volunt mortuos curam agere vivorum. quo cavillo nihil eſt putidius: nam eodem colore eliciam fideles animas ſorte ſua non contentas, niſi firmus hiatus ab inferis eas arceat, illuc migrandi deſiderio teneri. Hanc inſaniam ſi nemo recipit, non eſt quod in altero commento Papiſtæ ſibi multum placeant. Neque tamen contentioſe in hanc vel illam partem diſputare mihi propoſitum eſt: ſed obiter notare volui, quam futilibus argumentis inducti, mortuos pro nobis apud Deum deprecatores fingant. Redeo nunc ad ſimplicem germanumque hujus loci ſenſum. Chriſtus ſub divitis & Abrahæ perſona nos admonet, minime eſſe expectandum, ubi certa vivendi regula nobis tradita eſt, dum mortui reſurgant ad nos docendos & hortandos. Nam Moſes & Prophetæ, quum adhuc viverent, ita præfecti fuerunt doctores ætatis ſuæ hominibus, ut ex eorum ſcriptis ad poſteros idem fructus perveniret. Quum hoc modo inſtitui nos velit Deus ad recte vivendum, non eſt cur mortui de præmiis vel pœnis futuræ vitæ teſtes mittantur. nec excuſabilis erit eorum ſocordia, qui ſibi hoc prætextu indulgent quia neſciunt quid extra mundum agatur. Scimus autem apud profanos homines volitare impiam hanc vocem, vel potius grunnitum porcorum, ſtultos eſſe qui dubio metu ſe excruciant, quia nullus unquam ab inferis nuncius reverſus eſt. Talibus Satanæ faſcinis mederi volens Chriſtus, ad Legem & Prophetas nos revocat: ſecundum illud Moſis teſtimonium, Ne poſthac dixeris, Quis aſcendet in cælum? vel, Quis deſcendet in abyſſum? vel, Quis mare trajiciet? Prope eſt verbum in ore tuo & in corde. Ergo qui pro fabulis derident quæ de futuro judicio teſtatur Scriptura, olim ſentient quam

Deut. 30. verſ. 12.

non tolerabilis ſit iſta impietas, fidem abrogare ſanctis Dei oraculis. Cæterum ab hoc veterno ſuos expergefacit Chriſtus, ne ſpe impunitatis decepti, pœnitentiæ tempus prætereant. Atque huc tendit reſponſum Abrahæ: quia Deus per Moſen & Prophetas ſatis ſuperque populo ſuo tradiderat ſalutis doctrinam, nihil aliud reſtare niſi ut in ea omnes acquieſcant. Sic (ut pravo curioſitatis morbo penitus infectum eſt hominis ingenium) major pars ſemper ad novas revelationes inhiat. Jam quia Deo nihil magis diſplicet quam homines ita cupide extra metas vagari: à magis & ariolis verum ſciſcitari, & Gentium more fictitia oracula appetere vetans, ſimul ad ſedandum illum pruritum, Prophetas ſe daturum promittit, ex quibus populus diſcat quicquid utile erit in ſalutem, Deut. 18. verſ. 10. Quod ſi in hunc finem miſſi ſunt Prophetæ, ut populum contineret Deus ſub verbi ſui freno: cui non ſufficit hæc doctrinæ ratio, non tenetur ſtudio diſcendi, ſed eum impia laſcivia titillat. ideoque ſibi injuriam fieri Deus conqueritur, quum ipſe ſolus non auditur à vivis uſque ad mortuos, Jeſaiæ 8. verſ. 19. Quod Dei verbum Abraham in Legem & Prophetas diſtribuit, ad tempus Veteris Teſtamenti refertur. Nunc quum acceſſerit plenior Euangelii interpretatio, minus ferenda eſt noſtra impietas, ſi doctrinæ illius faſtidio huc vel illuc rapimur: ac breviter, ſi non patimur à verbo Dei regi. Hinc etiam colligitur quam firma ſit de Purgatorio & talibus nugis Papiſtarum fides quæ nonniſi ſpectris innititur.

30. ***Non, pater Abraham.***] Proſopopœia eſt, ut diximus, in qua magis vivorum ſenſus exprimitur quam mortuorum cura. Friget enim Legis doctrina in mundo, jacent Prophetiæ, ac Deum ſuo modo loquentem audire nemo ſuſtinet. Alii Angelos è cælis deſcendere cuperent: alii mortuos è ſepulchris prodire: alii novis ſubinde miraculis ſanciri quicquid audiunt: alii voces ex aëre tonare. Cæterum ſi præpoſteris omnium votis Deum obſequi contingeret, nullo id fieret profectu: nam & Deus verbo ſuo complexus eſt quicquid nobis utile erat cognitu, & hujus verbi auctoritas legitimis ſigillis teſtata & comprobata fuit. Deinde fides à miraculis non pendet, vel quibuslibet portentis, ſed peculiare donum eſt Spiritus, & naſcitur ex verbo. Denique proprium Dei munus eſt nos ad ſe trahere, qui vult efficaciter per verbum ſuum operari. Quare minime ſperandum eſt ut nobis proſint media quæ nos à verbi obedientia abſtrahunt. Fateor quidem nihil eſſe proclivius quam ut vanis revelationibus auſcultet caro: & videmus quam ardenter ſeſe projiciant in laqueos Satanæ qui totam Scripturam faſtidiunt. Hinc fluxit Necromantia, & ſimiles præſtigiæ, quas mundus non tantum avide ſuſcipit, ſed inſano quoque impetu arripit. Sed hic tantum negat Chriſtus, qui ad Legis doctrinam ſurdi ſunt ac præfracti, poſſe corrigi à mortuis, vel reduci ad ſanam mentem.

Matth	Marc.	Luc. XVII.
		7. Quis autem veſtrum habens ſervum arantem aut paſcentem, qui regreſſo ab agro dicat ſtatim, Tranſi, & accumbe:
		8. Ac non potius dicit illi, Para quod cœnem, & præcinge te, ac miniſtra mihi donec edero & bibero: & poſt hæc edito & bibito tu?
		9. Num gratiam habet ſervo illi quia fecit quæ ei imperata fuerant? Non puto.
		10. Sic & vos quum feceritis quæ præcepta ſunt vobis, dicite, Servi inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus.

Finis hujus parabolæ eſt, quum Deus jure ſuo noſtra omnia ſibi vendicet, nexuque & mancipio nos poſſideat, quicquid impendere ſtudeamus officii, non tamen obſtringi nobis ullo merito: quia quum ejus ſimus, ipſe viciſſim nihil nobis debere poteſt. Similitudinem ergo ſervi proponit, qui poſtquam ſtrenue laborando tranſegit totum diem, domum veſpere reverſus, operas ſuas continuat donec ad arbitrium heri ſui perfunctus ſit officio. Loquitur autem Chriſtus non de mercenariis qui hodie nobis mi-

niſtrant, ſed de veteribus mancipiis, quibus ea erat vivendi conditio ut ſibi nihil acquirerent, ſed cum toto ſuo labore, ſtudio, induſtria ad ſanguinem uſque heris eſſent addicti. Hic docet Chriſtus non minus arcto ſervitutis vinculo nos eſſe Deo obſtrictos ac devinctos: unde colligit nullam ejus obligandi rationem nobis eſſe. Eſt autem argumentum à minori ad majus. nam ſi tanta homini mortali conceditur in hominem poteſtas, ut eum ad continua obſequia nocte dieque adigat, & tamen nullam mutuæ compenſationis rationem contrahat, quaſi ſit illi debitor: quanto magis licebit Deo quouſque ſe facultas noſtra extendet, omnia vitæ noſtræ officia exigere, ut tamen nihil prorſus nobis debeat? Pravæ igitur arrogantiæ videmus damnari eos omnes qui ſe apud Deum quicquam mereri fingunt, ut cum ſibi obnoxium habeant. & tamen nullum vitium tali arrogantia magis eſt vulgare: nemo enim eſt qui non libenter Deum ad calculum vocaret. unde & meritorum imaginatio ſeculis fere omnibus invaluit. Sed tenenda eſt Chriſti ſententia, nos Deo nihil gratuitum præſtare: ſed hac lege ſubeſſe ejus imperio, ut ei debeatur quicquid in nobis ſitum eſt. Ac duo quidem ſunt membra, vitam noſtram ad finem uſque ſui curriculi penitus addictam eſſe Deo: ut ſiquis partem ejus impenderit in Dei ipſius obſequium, de quiete in reliquum tempus paciſci non liceat: ſicuti bona pars, peracta decem annorum militia, libenter miſſionem peteret. Deinde ſequitur illud alterum quod jam attigimus, Deum nullis officiis ad ſolvendam nobis mercedem obſtringi. Meminerit ergo unuſquiſque ſe ideo creatum eſſe ut laboret, ac ſtrenue ſe in miniſterio ſuo exerceat: neque id ad finitum modo tempus, ſed uſque ad mortem ipſam: imo ut non minus moriatur Deo quam vivat. Verum quod ad meritum ſpectat, ſolvendus eſt nodus qui pleroſque impedit. nam Scriptura toties operibus mercedem promittens, videtur meritum aliquod illis tribuere. Solutio facilis eſt, mercedem indebitam non aliunde quam ex mero Dei beneplacito promitti. Longe enim falluntur qui mutua relatione mercedem cum merito copulant: quia Deus non operum dignitate ad reddendum illis præmium, ſed gratuita indulgentia movetur. Fateor quidem, ex pacto Legis Deum hominibus eſſe obſtrictum ſi in ſolidum præſtarent quicquid ab ipſis requiritur: ſed quia voluntaria eſt hæc obligatio, manet hoc fixum, hominem nihil poſſe à Deo flagitare acſi quicquam eſſet promeritus. Sic ergo concidit carnis arrogantia: quia ut quis Legem impleverit, nihil tamen expenſum Deo ferre poteſt, quia tantum reddidit quod debebat. Atque hoc ſenſu pronunciat nos eſſe ſervos inutiles: quia ſcilicet nihil adventitium Deus à nobis recipit, ſed tantum colligit legitimos dominii ſui fructus. Hæc igitur duo tenenda ſunt: Deum naturaliter nihil nobis debere, nec quæcunque illi præſtamus obſequia, unius pili meritoria eſſe: deinde ex Legis pacto mercedem operibus ſtatui, non pro dignitate, ſed ut Deus ſit gratuitus debitor. Hæc autem minime tolerabilis ingratitudo eſt, ſi quis ſe hoc prætextu faſtuoſe efferat. nam quo liberalius nobis Deus indulget, eo nos magis reddit ſibi obnoxios: tantum abeſt ut fas nobis ſit vana confidentia inſurgere. Quoties ergo occurrit mercedis nomen, vel in memoriam nobis venit, ſciamus hunc divinæ erga nos bonitatis eſſe cumulum, quod quum nos in ære ſuo totos habeat, nobiſcum tamen in pactum deſcendit. Quo magis deteſtabile eſt Sophiſtarum commentum, qui meritum de condigno fabricare auſi ſunt. Jam per ſe meriti nomen profanum & à pietatis regula alienum erat: ſed hoc longe deterius, diabolico faſtu inebriare homines quaſi mereri poſſint de condigno.

10. *Quod debuimus facere.*] Hoc eſt, nihil attulimus de noſtro, ſed tantum perfuncti ſumus legitimis operis. Loquitur autem hic Chriſtus de integra Legis obſervatione, quæ nuſquam reperitur: nam qui omnium eſt perfectiſſimus, à juſtitia quam Lex requirit, longiſſime adhuc diſtat. Non ergo hic tractatur quæſtio, juſtificemurne operibus: ſed an Legis obſervatio ullius præmii apud Deum meritoria ſit. Hoc poſterius negatur: quia Deus nos ſibi mancipatos habet ut ſuum jure cenſeat quicquid à nobis proficiſci poteſt. Cæterum etiamſi verum illud eſſet, Legis obſervationi deberi mercedem meriti reſpectu, non tamen propterea ſequetur juſtificari quenquam operum meritis: quia deficimus omnes, nec ſolum manca eſt noſtra obedientia, ſed nulla ejus pars exacte Dei judicio reſpondet.

MATTH.	MARC.	LUC. XVIII.

1. Dicebat autem & parabolam ad illos, quod oporteat ſemper orare, nec defatigari:

2. Dicens, Judex quidam erat in quadam urbe qui Deum non timebat, nec hominem reverebatur.

3. Vidua autem quædam erat in urbe illa, quæ venit ad eum, dicens, Vindica me ab adverſario meo.

4. Et nolebat aliquandiu. Poſt hæc autem dixit intra ſe, Quanquam Deum non timeo, nec hominem revereor:

5. Quia tamen moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne tandem veniens ſugillet me.

6. Ait autem Dominus, Audite quid judex iniquus dicat:

7. Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum, clamantium ad ſe nocte & die, etiam quum patiens fuerit ſuper illis?

8. Dico vobis quod vindictam illorum faciet cito. veruntamen Filius hominis quum venerit, an repertùrus eſt fidem in terra?

Scimus quam rara ſit ac difficilis virtus, precandi aſſiduitas: atque in hoc ſe prodit noſtra infidelitas, quod niſi primis votis ſuccedat, protinus una cum ſpe ſtudium quoque abjicimus. Atqui hæc demum legitima eſt fiduciæ probatio, ſi quis deſiderio ſuo fruſtratus, non tamen animum deſpondeat. Quare non abs re Chriſtus orandi perſeverantiam nunc commendat ſuis diſcipulis. Porro ſimilitudine utitur, licet dura in ſpeciem, tamen inprimis appoſita, dum importune ſuos apud Deum Patrem inſtare docet, donec tandem extorqueant quod alioqui videtur non libenter dare. non quod Deus precibus noſtris victus, ad miſericordiam ægre & ſero flectatur: ſed quia non ſtatim reipſa teſtatur ſe votis noſtris fuiſſe propitium. Quod autem Chriſtus in parabola viduam nobis proponit quæ à judice iniquo & crudeli impetravit quod volebat, quia aſſidue flagitare non deſtitit: ſumma eſt, Deum non ſtatim ſuis opem

ferre,

ferre ; quia precibus quodammodo vult fatigari. Cæterum quantumvis miſeri ſint ac deſpecti qui ipſum orant, modo tamen non deficiant à continuo orandi tenore, reſpici tandem ab ipſo ut eorum neceſſitatibus ſuccurrat. Quanquam non eſt æqualium comparatio : longa enim diſtantia eſt inter hominem impium & ſævum, & Deum qui ad clementiam propendet : ſed docere voluit Chriſtus, minime timendum eſſe ne fideles aſſidue orando Patrem miſericordiæ exorent, quum homines ſævitiæ deditos ſua importunitate cogant. Judex ſceleratus & ferreus viduæ flagitationes ferre non potuit quin demum vel invitus annueret : quomodo igitur fructu carerent fidelium preces, modo ſint aſſiduæ ? Ergo ſi nos tædium debilitet, ſi leviter defuncti evaneſcimus, vel quia videntur ſurdæ eſſe Dei aures, langueſcit precandi ardor : ſtatuamus tamen certum fore profectum, licet nondum appareat. Atque hac perſuaſione cum impatientia noſtra ſic luctemur, ut longior mora, orandi curſum non abrumpat.

7. *Deus autem non faciet.*] Judex ille quem nobis prorſus deploratum Chriſtus depinxit, utpote qui non tantum obduruiſſet in Dei conſpectu, ſed excuſſo etiam pudore nullam famæ curam haberet, aperuit tandem oculos ad viduæ miſerias : minime dubitandum eſt quin eundem ſaltem profectum ſenſuri ſint fideles, modo ne apud Deum inſtare deſinant. Notandum vero eſt, dum ſimilitudinem accommodat Chriſtus ad ſuum propoſitum, non facere Deum ſimilem pravo & humano judici : ſed cauſam longe diverſam notare cur fideles ſuos differat in longum tempus, nec ſtatim reipſa manum ipſis porrigat : nempe quia patiens eſt. Quare ſiquando diutius quam vellemus ad noſtras injurias Deus connivеat, ſciamus paterno ejus conſilio id fieri, ut nos ad tolerantiam exerceat : temporalis quidem diſſimulatio minime æterna eſt ſcelerum impunitas. Quod autem promittit Deum cito vindictam facturum, ad ejus providentiam referri debet : quia ut ſumus præcipites, non ſatis tempeſtive pro carnis noſtræ ſenſu ad ferendas ſuppetias accurrit. Verum ſi liceret in ejus conſilium penetrare, ſciremus prout expedit, promptum & maturum ſemper ejus eſſe auxilium, ac ne uno quidem momento tardare quin ſingulis articulis præſto ſit. Quæritur tamen quomodo hic Chriſtus ad petendam vindictam diſcipulos inſtituat, qui alibi ſuis perſequutoribus bene precari jubet. Reſpondeo, Chriſtum de vindicta hic diſſerere, ut nihil doctrinæ ſuæ deroget. Deus ſe fidelium ultorem fore affirmat, non ut habenas laxet carnis affectibus, ſed ut perſuadeat charam eſſe & pretioſam eorum ſalutem : hoc quoque modo ad præſidii ſui fiduciam eos invitet. Si odio exuti & pravo ultionis ardore puri & vacui, recto & compoſito Spiritus motu Dei auxilium implorant, licitum & ſanctum erit eorum votum, & à Deo ipſo exaudietur. Verum quia nihil difficilius eſt quam exuere vitioſos affectus, ut puras & liquidas preces quis concipiat, petendum eſt à Domino ut corda noſtra Spiritu ſuo dirigat & moderetur : ita fiet ut juſte invocemus Deum ultorem, ipſeque rogatus nobis reſpondeat.

8. *Filius hominis quum venerit.*] Hac ſententia docet Chriſtus non fore mirum ſi poſthac in ſuis malis tabeſcant homines, quia ſcilicet verum remedium negligent. Voluit autem occurrere ſcandalo quod ex indigna rerum omnium confuſione quotidie concipimus. Graſſantur paſſim perfidia, crudelitas, inſidiæ, fraudes, violentia : nulla æquitatis ratio, nullus pudor, pauperes oppreſſi gemunt, vexantur ſuperbe & contumelioſe innoxii : Deus interim videtur in cælo dormire : hinc fit ut cæcum fortunæ imperium imaginetur caro. Chriſtus autem hic admonet juſte homines deſtitui cælesti auxilio, in cujus fiduciam recumbere nec ſciunt nec volunt. Neque enim æquum eſt à Domino juvari qui intus tantum frementes, nullum ejus providentiæ locum aſſignant. Diſerte vero Chriſtus à ſuo in cælum aſcenſu uſque ad reditum homines paſſim incredulos fore prædicit : his verbis ſignificans, ſi non tam mature appareat Redemptor, tarditatis culpam penes homines fore, quia nemo fere ad ipſum reſpiciet. Atque utinam non tam clare nobis conſtaret hujus vaticinii effectus : ſed experientia docet, licet ingenti malorum congerie obruatur & prematur mundus, vix in paucis exiguam fidei ſcintillam poſſe exprimi. Alii fidei nomen pro integritate accipiunt : ſed prior ſenſus melius quadrat contextui.

MATTH.	MARC.	LUC. XVIII.
		9. Dixit autem & ad quoſdam qui in ſe confidebant quod eſſent juſti, & aſpernabantur cæteros, parabolam iſtam :
		10. Duo homines aſcendebant in templum ut precarentur : unus Phariſæus & alter Publicanus.
		11. Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat, Deus, gratias ago tibi quod non ſim ſicut cæteri homines, raptores, injuſti, adulteri : velut etiam hic Publicanus.
		12. Jejuno bis in Sabbatho, decimas do omnium quæ poſſideo.
		13. Et Publicanus procul ſtans, nec oculos volebat ad cælum attollere, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens, Domine, propitius eſto mihi peccatori.
		14. Dico vobis, deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam magis quam ille : quia omnis qui ſe extollit, humiliabitur : & qui ſe humiliat, extolletur.

Nunc de alia virtute præcipit Chriſtus quæ ad rite precandum neceſſaria eſt : ut fideles in Dei conſpectum nonniſi ſimplices ac dejecti veniant. Nullus magis exitialis morbus eſt quam arrogantia : qui tamen omnium medullis ita penitus infixus eſt ut vix ullis remediis abigi & exſtirpari queat. Mirum quidem eſt ita deſipere homines ut adverſus Deum criſtas erigere audeant, ſuaque apud ipſum merita jactare. Nam ut inter homines ambitio nos faſcinet, ubi tamen in Dei conſpectum venitur, omnis confidentiæ oblivíſci nos decebat. interim ſatis humiliatum ſe quiſque putat ſi tantum per ſimulationem veniæ deprecatione utatur. Hinc colligimus quam non ſupervacua ſit hæc Domini admonitio. Porro duo vitia perſtringit Chriſtus, quæ damnare ipſi Chriſto propoſitum fuit, pravam noſtri fiduciam, & ſuperbiam in ſpernendis fratribus. quorum alterum ex altero naſcitur : nam quiſquis ſe inani fiducia decipit, fieri non poteſt quin ſupra fratres ſe efferat. nec mirum : quomodo enim non æquales ſuos deſpiceret qui contra Deum ipſum ſuperbit ? Sui autem fiducia quiſquis inflatur, bellum cum Deo ex profeſſo gerit, quem nobis ſola noſtri abnegatio conciliat, dum ſcilicet exinaniti omni propriæ virtutis &

juſtitiæ fiducia, in unam ejus miſericordiam recumbimus.

10. *Duo homines.*] Duos homines inter ſe confert Chriſtus, qui quum ambo pietatis ſtudium orando præ ſe ferant, videntur tamen ambo longe diſpares. nam Phariſæus externa ſanctimonia præditus ad Deum accedens, vitæ commendationem affert, jureque ſuo accedit ut ſacrificium laudis offerat. Publicanus autem quaſi rejectitius quiſpiam, quia ſe acceſſu indignum cognoſcit, trepide ſe ſupplici confeſſione inſinuat: Chriſtus autem rejecto Phariſæo, gratas Publicani preces Deo fuiſſe aſſerit. Porro iterum notantur duæ illæ cauſæ quia repulſam paſſus ſit Phariſæus, quod ſcilicet propria juſtitia confiſus, ſe cum aliorum contumelia magnificaret. Neque tamen reprehenditur quod ſe venditet liberi arbitrii viribus, ſed quod operum meritis Deum ſibi placatum eſſe confidat. nam iſta gratiarum actio quæ refertur in unius perſona, minime gloriantis eſt de propria virtute, quaſi adeptus ſit à ſeipſo juſtitiam, vel ſua induſtria quicquam ſit promeritus: quin potius Dei gratiæ adſcribit quod juſtus eſt. Quanquam autem Deo gratias agens, fatetur quicquid bonorum operum habet, merum eſſe ejus beneficium: quia tamen operum fiduciæ innititur, ſeque aliis præfert, cum ſua precatione rejicitur. unde colligimus non rite neque in ſolidum humiliari homines (quamvis ſe nihil poſſe reputent) niſi operum meritis ſimul diffiſi, ſalutem ſuam in gratuita Dei bonitate locare diſcant, ut illic fundata ſit tota eorum fiducia. Inſignis locus: nam quibuſdam ſufficere videtur ſi homini detrahant bonorum operum gloriam, quia dona ſunt Spiritus ſancti: atque ita gratis juſtificari nos intelligunt, quia nihil juſtitiæ in nobis reperit Deus niſi quod contulit. Atqui longius progreditur Chriſtus, non ſolum recte agendi virtutem Spiritus gratiæ aſſignans, ſed nos exinaniens omni operum fiducia. non enim reprehenditur in ea parte Phariſæus quia ſibi arroget quod Dei proprium eſt: ſed quia meritis ſuis innititur, ut Deum propitium habeat quatenus dignus eſt. Sciamus ergo quamvis bonorum operum laudem Deo quis adſcribat, ſi tamen eorum juſtitiam imaginatur ſalutis ſuæ cauſam eſſe, vel in eam recumbit, perverſæ arrogantiæ damnari. Ac nota hic ventoſam ambitionem non taxari, dum apud homines gloriantur qui ſibi alias male conſcii ſunt, ſed occultam hypocriſin: neque enim dicitur præco fuiſſe ſuarum laudum, ſed tacite apud ſe precatus. Cæterum quamvis ſuæ juſtitiæ famam non ſpargeret alta voce, interior ſuperbia Deo abominabilis fuit. Duplex autem gloriatio ejus fuit: nam primum ſe à communi hominum reatu abſolvit: deinde ſuas virtutes profert. Negat ſe eſſe tanquam unum è reliquis, quia à ſcelerum culpa ſit immunis quæ paſſim regnant in mundo. Quod autem jactat ſe bis jejunare ſingulis Sabbathis, & decimas bonorum ſuorum dare, perinde eſt acſi diceret plus ſe præſtare quam Lex requirat. Sicuti Monachi in Papatu opera ſupererogationis prædicant: acſi parum illis eſſet Legem Dei implere. Quanquam autem quiſque pro menſura virtutum quam Deus in ipſum contulit, ad gratias auctori agendas magis obſtrictus eſt: & pia eſt hæc meditatio, reputare quantum quiſque receperit, ne Dei beneficentiam ingratitudine obruat: duo tamen obſervanda ſunt, ne qua fiducia nos inflet, acſi ſatisfactum eſſet Deo, deinde ne inſoleſcamus cum fratrum contemptu. In utroque deliquit Phariſæus: quia juſtitiam ſibi falſo vendicans, Dei miſericordiæ nihil fecit reſiduum: deinde præ ſe alios omnes contempſit. Nec vero iſta gratiarum actio, niſi fuiſſet duobus his vitiis infecta, à Chriſto improbaretur: ſed quia ad ſua peccata connivens ſuperbus hypocrita, integræ perfectæque juſtitiæ figmentum Dei judicio oppoſuit, neceſſe fuit cum impia & ſacrilega audacia concidere. Unica enim ſpes piorum eſt, quamdiu ſub carnis infirmitate laborant, ubi ſua bona agnoverint, ad unicam Dei miſericordiam confugere, & in veniæ deprecatione locare ſuam ſalutem. Sed quæritur quomodo tanta ſanctimonia præditus fuerit qui impio faſtu excæcatus erat: neque enim aliunde manat tanta integritas niſi à Dei Spiritu, quem certum eſt minime in hypocritis regnare. Reſpondeo, externa tantum larva fuiſſe confiſum, acſi occulta & interior cordis immundities in rationem non veniret. Quare licet pravis concupiſcentiis intus ſcateret: quia tamen nonniſi ex ſpecie judicat, ſecure innocentiam obtendit. Dominus quidem ipſum vanitatis non coarguit, quod ſibi falſo tribuat quod non habet: tenendum tamen eſt, neminem à rapina, injuſtitia, libidine & aliis vitiis purum eſſe niſi Spiritu Dei regitur. Sabbathum hoc loco, ut ſæpe alibi, pro hebdomade accipitur: Deus autem nunquam in Lege præcepit ut ſingulis ſeptimanis ſervi ſui jejunent. quare hoc jejunium & decimæ, voluntaria exercitia fuerunt præter Legis præſcriptum.

13. *Publicanus procul ſtans.*] Hic generalem regulam Chriſtus tradere noluit, quaſi neceſſe ſit oculos in terram dejicere quoties deprecamur: ſed tantum ſigna humilitatis poſuit, quam ſolam ſuis diſcipulis commendat. Porro in eo ſita eſt humilitas, ſi peccatis ſuis non ignoſcant, ſed ſeipſos damnando, præveniant Dei judicium: atque ut Deo reconcilientur, ſimplicem reatus confeſſionem afferant. Atque huc ſpectat pudor qui ſemper pœnitentiæ comes eſt nam certe in hoc præcipue inſiſtit Dominus, quod Publicanus ſe miſerum & perditum ſerio agnoſcens, ad Dei miſericordiam ſe contulit: nam quamvis ſit peccator, gratuita venia fretus, Deum ſibi propitium fore ſperat. In ſumma, ut favorem impetret, eo ſe indignum fatetur. Et certe quum ſola peccatorum remiſſio nobis Deum conciliet, hinc exordium facere neceſſe eſt, ſi preces noſtras illi gratas eſſe cupimus. Porro qui ſe reum & convictum praſatus, abſolvi tamen petit, operum ſe fiducia abdicat: idque voluit Chriſtus, Deum non aliis fore exorabilem, niſi qui trepide ad ſolam ejus miſericordiam confugient.

14. *Deſcendit hic juſtificatus.*] Impropria eſt comparatio: neque enim quaſi communis ambobus ſit juſtitia, Publicanum Chriſtus tantum gradu aliquo præfert, ſed intelligit eum fuiſſe gratum Deo, quum Phariſæus in totum rejectus fuerit. Atque hic locus perſpicue docet quid proprie ſit juſtificari: nempe ſtare coram Deo acſi juſti eſſemus. neque enim Publicanus ideo juſtificatus dicitur, quod novam qualitatem repente ſibi acquiſierit, ſed quia inducto reatu & abolitis peccatis, gratiam adeptus eſt. unde ſequitur juſtitiam in peccatorum remiſſione eſſe poſitam. Ergo ſicuti Phariſæi virtutes fœdavit ac polluit prava confidentia, ut nullius apud Deum pretii fuerit laudabilis ejus coram mundo integritas: ita Publicanus nullis adjutus operum meritis juſtitiam obtinuit ſola veniæ deprecatione: quia ſcilicet non alibi quam in mera Dei clementia ſperavit. Sed videtur eſſe abſurdum omnes in eundem cogi ordinem, quum longe alia ſit ſanctorum puritas quam fuerit Publicani. Reſpondeo, quantumvis in Dei cultu & vera ſanctimonia quiſpiam profecerit, ſi tamen reputet quantum adhuc ſibi deſit, non poſſe alia forma rite precari quam ſi à reatus confeſſione incipiat. nam quamvis alii plus, alii minus, omnes tamen communiter obnoxii ſunt. Quare non dubium eſt quin legem hic Chriſtus omnibus præſcribat: acſi diceret, tunc demum nobis Deum placari quum operibus diffiſi, gratis reconciliari petimus. Et hoc quidem aliqua ex parte fateri coguntur Papiſtæ: ſed mox pravo commento hanc doctrinam adulterant. Concedunt omnes opus habere veniæ remedio,

quia

quia nemo perfectus eſt: ſed primum miſeros homines inebriant partialis (quam vocant) juſtitiæ fiducia: deinde ſatisfactiones attexunt quibus reatum ſuum deleant. Atqui hæc una fidei noſtræ fultura eſſe debet, Deo nos eſſe acceptos, non quod ira ſimus promeriti, ſed quia peccata non imputat.

MATTH. MARC. LUC. XVII.

11. Et factum eſt dum iret Hieroſolymam, & ipſe tranſibat per me-
diam Samariam & Galilæam.
12. Et quum ingrederetur quendam vicum, occurrerunt ei decem
viri leproſi, qui ſteterunt procul:
13. Et elara voce, dixerunt, Jeſu præceptor miſerere noſtri.
14. Quos ut vidit, dixit, Ite, oſtendite vos Sacerdotibus. Et factum
eſt ut inter eundum mundati ſint.
15. Unus autem ex illis, ut vidit quod mundatus eſſet, regreſſus eſt,
cum voce magna glorificans Deum.
16. Et procidit in faciem ad pedes ejus, gratias agens ei. & hic erat
Samaritanus.
17. Reſpondens autem Jeſus, dixit, Nonne decem mundati ſunt?
novem autem ubi?
18. Non ſunt reperti qui redierint ut darent gloriam Deo, niſi hic
alienigena.
19. Et ait illi, Surge, vade: fides tua te ſervavit.
20. Interrogatus autem à Phariſæis quando venturum eſſet regnum
Dei, reſpondit eis, & dixit, Non veniet regnum Dei cum obſervatione.
21. Neque enim dicent, Ecce hic, aut ecce illic: ecce enim regnum
Dei intra vos eſt.

Quemadmodum ſupra octavo capite Matthæus & duo reliqui Euangeliſtæ leproſum uoum à Chriſto mundatum fuiſſe narrarunt, ſic Lucas idem miraculum ſanatioois in decem leproſis editum fuiſſe refert. Quanquam alius eſt hujus hiſtoriæ ſcopus: deſcribitur enim fœda & incredibilis Judaicæ gentis ingratitudo. ne cui mirum ſit tot illic ſuppreſſa fuiſſe Chriſti beneficia, totque virtutes ſepultas. Additur etiam circumſtaotia quæ eorum flagitium magis infamet: nam quum novem Judæos ſanaſſet Dominus, ne unus quidem gratiam retulit; ſed ut morbi memoriam extinguerent, furtim elapſi ſunt. unus duntaxat Samaritanus quid Chriſto deberet profeſſus eſt. Ergo ab una parte hic refulget divina Chriſti potentia: rurſum Judæis exprobratur ſua impietas, qua factum eſt ut tam præclaro miraculo nullus fere habitus fuerit honor.

13. *Jeſu præceptor.*] Apparet omnes fide quadam fuiſſe imbutos, non ſolum quia Chriſti opem implorant, ſed Magiſtri titulo inſigniunt. Porro ex animo, non ficte ſic loquutos eſſe, ex prompta eorum obedientia colligitur. quamvis enim fœtidam adhuc ſcabiem in carne ſua conſpiciant, ſimul tamen ac juſſi ſunt ſe oſtendere Sacerdotibus, parere non detrectant. Adde quod nunquam niſi fidei impulſu profecti eſſent ad Sacerdotes: ridiculum enim fuiſſet ad teſtandam ſuam munditiem, lepræ judicibus ſe offerre, niſi pluris illis fuiſſet Chriſti promiſſio quam præſens morbi ſui intuitus. Viſibilem in carne ſua lepram geſtant: unico tamen Chriſti verbo confiſi, mundos ſe profiteri non dubitant. negari igitur non poteſt eorum cordibus inſitum fuiſſe aliquod fidei ſemen. Quanquam autem certum eſt Spiritu adoptionis non fuiſſe regenitos, nihil tamen eſt abſurdi quædam pietatis principia tenuiſſe. Quo magis timendum eſt ne & nobis contingat ſcintillas fidei in nobis micantes extinguere. etſi enim viva fides nunquam emoritur, quæ in Spiritu regenerationis fixas habet radices: alibi tameo vidimus, temporalem fidem à multis concipi quæ ſtatim evaneſcit. Hic præſertim morbus nimium communis eſt, quum neceſſitas nos urget, ut ad Deum quærendum ferantur mentes noſtræ: atque huc etiam Dominus ipſe arcano Spiritus inſtinctu nos ſollicitat: ſed poſtquam votis potiti ſumus, ut illum pietatis ſenſum abſorbeat ingrata oblivio. Sic inopia & eſuries fidem gignit, quam occidit ſaturitas.

14. *Oſtendite vos Sacerdotibus.*] Periode valuit hoc reſponſum, acſi dixiſſet mundatos eſſe: ſcimus enim lepræ judicium Sacerdotibus mandatum fuiſſe in Lege, ut diſcernerent mundos ab immundis: ita Chriſtus & illis ſalvum jus ſuum relinquit, & teſtes facit ſui miraculi atque approbatores. Ideo diximus pie & reverenter iſtos de Chriſto ſenſiſſe, qui adhuc morbidi ex nuda ejus voce ſpem ſanitatis protinus conceperint. Ioſulſe vero Papiſtæ confeſſionem ſuam auricularem hinc aſtruunt. Miſſi ſunt, fateor, à Chriſto leproſi ad Sacerdotes, ſed non ut ſua peccata in illorum aures evomerent: quin potius miſſi ſuot ut ex Legis præſcripto ſacrificium offerrent. Neque miſſi ſunt ad ſe purgandos, ſicuti Papiſtis confeſſio munditiem affert: ſed ut Sacerdotibus oſtenderent ſe jam ante fuiſſe mundos. Bis autem ſtulti ſunt, non teputantes quam turpem infamiæ maculam ſuæ confeſſioni aſpergant. beoe ſcilicet agetur ſi ex tota eorum caterva qui ad Sacerdotes profecti fuerint, tantum decima pars ad Chriſtum redeat, reliqui vero omnes impie alienentur. Neque enim obtendere poterunt confeſſionis ſuæ titulum, quin profectum hunc viciſſim regerere liceat, nullos à Sacerdotibus reverti gloriam Deo daturos. Cæterum nugis valere juſſis, tenemus quorſum de Sacerdotibus facta fuerit mentio. *Factum eſt ut inter eundum.* Hic divina Chriſti & verborum ejus virtus enituit: editum etiam fuit documentum quantopere Deo placeat fidei obedientia. nam inde tam ſubita ſanitas, quod bonæ ſpei innixi, iter, Chriſti mandato, arripere non dubitarunt. Quod ſi evanida illa fides, quæ viva radice carens, berbam tantum protulit, mirabili tamen effectu divinitus fuit ornata: quanto excellentius præmium fidem noſtram manet, ſi in Deo ſincere & ſolide ſit defixa? Quanquam enim novem leproſis nihil in ſalutem profuit carnis ſanitas, ſed taotum pro fluxa & caduca fide temporale donum adepti ſunt: ſub hoc tamen typo nobis oſteoſum fuit quam efficax futura ſit vera fides.

15. *Unus autem.*] Incertum eſt an reverſus ſit ex medio itinere: idque videntur innuere Lucæ verba. mihi tamen magis probabile eſt, nonniſi audito Sacerdotis judicio ad gratias agendas veniſſe: nam & com-

communem illi convictum à Sacerdotibus reſtitui oportuit: nec licuit præterito Chriſti juſſu, templum Dei ſacrificio fraudare. Niſi forte magis placet diverſa conjectura, ſimulac mundatum ſe vidit, antequam teſtimonium experteret à Sacerdotibus, ad ipſum auctorem pio & ſancto ardore correptum veniſſe, ut ſacrificium ſuum à gratiarum actione inciperet. Cæterum in Chriſti verbis expoſtulatio ſubeſt cum tota gente. odioſe enim alienigenam unum pluribus Judæis comparat: quia ipſis tritum erat Dei beneficia abſque ullo pietatis ſenſu vorare. Atque hinc factum eſt ut tot ac tam inſignibus miraculis nullum fere nomen apud eos Chriſtus obtinuerit. Sciamus tamen, in genere hac querimonia nos omnes damnari niſi Dei beneficiis ſaltem gratitudinis officium rependimus.

19. *Fides tua te ſervavit.*] Servandi verbum quidam interpretes ad carnis munditiem reſtringunt. verum ſi ita eſt, quum vivam in hoc Samaritano fidem commendet Chriſtus, quæri poteſt quomodo ſervati fuerint alii novem: nam eadem promiſcue omnibus ſanitas obtigit. Sic ergo habendum eſt, Chriſtum hic aliter æſtimaſſe donum Dei quam ſoleant profani homines, nempe tanquam ſalutare paterni amoris ſymbolum vel pignus. Sanati fuerunt novem leproſi: ſed quia Dei gratiam impie obliterant, ipſam ſanitatem inficit & contaminat eorum ingratitudo, ut quam decebat utilitatem ex ea non percipiant. Sola igitur fides dona Dei nobis ſanctificat ut pura ſint, & cum legitimo uſu conjuncta in ſalutem nobis cedant. Denique hac voce teſtatus eſt Chriſtus quomodo rite Dei beneficiis fruamur. Unde colligimus, æternam animæ ſalutem una cum temporali dono complexum eſſe. Servatus eſt ſua fide Samaritanus. Quomodo? Certe non ideo tantum quod à lepra curatus ſit (nam hoc & reliquis commune erat) ſed quia in numerum filiorum Dei acceptus eſt, ut paterni amoris teſſeram ex ejus manu acciperet.

20. *Interrogatus autem à Phariſæis.*] Quæſtio hæc haud dubie per ludibrium agitata fuit: nam quum aſſidue de propinquo Dei regno Chriſtus diſſereret, nulla autem fieret ſtatus externi mutatio inter Judæos, putarunt improbi & maligni homines plauſibilem ejus vexandi colorem hunc eſſe. Ergo perinde acſi de regno Dei fruſtra garriat & nugetur, mordaciter interrogant quando tandem venturum ſit illud regnum. Siquis tamen pro craſſa ſua opinione hoc magis quæſiſſe exiſtimet quam ſubſannandi cauſa, non contendo. *Non veniet regnum Dei.* Reſponſum hoc, meo judicio, neglectis illis canibus, Chriſtus ad diſcipulos accommodat: ſicuti ſæpe ab improbis laceſſitus, docendi occaſionem inde arripuit. atque ita divinitus eluditur eorum malitia, dum veritas ab eorum cavillis aſſerta magis elucet. Porro Obſervationem hic poſuit Chriſtus pro notabili ſplendore: acſi negaret regnum Dei eminus tanquam in pompa fore conſpicuum. Significat enim vehementer eos falli qui regnum Dei carnis oculis quærunt, quod minime carnale eſt vel terrenum: quando nihil aliud eſt niſi interior & ſpiritualis animæ renovatio. nam à natura ipſius regni perverſe eos facere docet, qui circumſpiciunt huc vel illuc, ut viſibiles notas obſervent. acſi dixiſſet, Intus quærenda eſt quam Deus promiſit, Eccleſiæ inſtauratio: quia electos ſuos in cæleſtem novitatem vivificans, ſuum in ipſis regnum erigit. Atque ita oblique perſtringit Phariſæorum ſocordiam, quod nihil niſi terreſtre & caducum ſpirarent. Notandum tamen eſt, Chriſtum de primordiis tantum regni Dei loqui: quia nunc Spiritu reformari incipimus ad imaginem Dei, ut ſuo deinde tempore integra ſequatur & noſtri & totius mundi renovatio.

MATTH. XIII.	MARC. VI.	LUC.
53. Et factum eſt, quum finiſſet Jeſus hos ſermones, ut egrederetur illinc.	1. Et egreſſus eſt illinc, venitque in patriam ſuam: & ſequuti ſunt eum diſcipuli ſui.	
54. Et quum veniſſet in patriam ſuam, docuit eos in Synagoga illorum: ita ut ſtuperent, ac dicerent, Unde huic ſapientia hæc & virtutes?	2. Et quum eſſet Sabbathum, cœpit in Synagoga docere: multique audientes obſtupuerunt, dicentes, Unde huic hæc? & quæ eſt ſapientia quæ data eſt illi, & virtutes tales per manus ejus fiunt?	
55. Nonne hic eſt ille fabri filius? nonne mater ejus vocatur Maria, & fratres ejus Jacobus, & Joſes, & Simon, & Judas?	3. Nonne hic eſt faber ille, filius Mariæ, frater Jacobi, & Joſe, & Judæ, & Simonis? nonne & ſorores ejus hic nobiſcum ſunt? Et offendebantur in eo.	
56. Et ſorores illius nonne omnes apud nos ſunt? unde igitur huic hæc omnia?	4. Dicebat autem illis Jeſus, Non eſt Propheta expers honoris niſi in patria ſua, & inter cognatos ſuos, & in familia ſua.	
57. Et offendebantur ſuper eo. Jeſus autem dixit illis, Non eſt Propheta expers honoris niſi in patria ſua & domo ſua.	5. Et non poterat ibi virtutem ullam edere, niſi quod paucos infirmos, impoſitis manibus, ſanavit.	
58. Et non edidit illic virtutes multas, propter incredulitatem illorum.	6. Et mirabatur propter incredulitatem illorum: & obambulabat per vicos undique circumjacentes, docens.	

53. *Quum finiſſet Jeſus.*] Non intelligit Matthæus Chriſtum illis ſermonibus habitis continuo poſt in patriam ſuam veniſſe: nam ex Marco apparet aliquam fuiſſe temporis diſtantiam. verum ſenſus eſt, quum aliquandiu in Judæa docuiſſet, rurſus ad Galilæos reverſum, à quibus tamen parum humaniter acceptus fuerat. Lucas fere ſimilem hiſtoriam retulit cap. 4. non tamen eandem. Nec vero mirum eſt jam circa initia offenſos fuiſſe conterraneos Chriſti, domum ejus ignobilem, & obſcurum ac vile educationis genus reputantes, ut ipſius doctrinæ obſtreperent: & poſtea in eadem malitia perſtitiſſe, ut obtrectare non deſinerent quoties apud eos munus Prophetæ obire voluit. Docet igitur ſecunda hæc Chriſti rejectio, cives Nazareth interpoſito temporis ſpatio non fuiſſe correctos, ſed ſemper idem contemptus obſtaculum ſibi feciſſe ne Chriſtum audirent.

54. *Ita ut ſtuperent.*] Stupent rei novitate perculſi, quod Chriſtus, qui literas non didicerat, ſed à pueritia uſque ad virilem ætatem verſatus erat in mechanio opificio, tantus ſit doctor, ac divinam ſapientiam ſpiret. in hoc miraculo quum Dei manum ſuſpicere deberent, eorum ingratitudo fecit ut ſibi tenebras obducerent. Mirari, velint nolint, coguntur: interea ſpernunt. Quid hoc aliud eſt quam Prophetam divinitus edoctum abjicere quia ex hominum ſchola non prodeat? Et ſe propria confeſſione jugulant, quum tam inſigne teſtimonium reddunt Chriſti doctrinæ, quæ tamen locum apud eos non invenit quia uſitatam non habet originem è terra. Cur non potius oculos in cælum attollunt, ut diſcant à Deo profectum eſſe quod humanam rationem ſuperat? Adde quod virtutes doctrinæ annexæ vehementius eos tangere debebant, vel ſaltem expergefacere nimia ſocordia torpentes, ut gloriam Deo tribuerent. nam certe dum inſolitis modis agit Deus, eo clarius manus ſuæ potentiam exerit. Atqui hæc ipſa occaſio eſt Nazarenis, ut maligne velum oculis ſuis obducant. Videmus ergo non ſimplicem ignorantiam obeſſe hominibus, ſed ſponte ſibi acerſere ſcandala, ne ſequantur quo Deus vocat. Nos potius in contrariam partem ratiocinari convenit, ubi deficiunt humana media, Dei virtutem nobis clare patefieri, ut ſolidam laudem obtineat.

55. *Nonne hic eſt fabri filius?*] Scimus admirabili Dei conſilio factum eſſe ut Chriſtus ad annum triceſimum in vita privata ſe continuerit. Hinc ergo perperam & injuſte à Nazarenis concepta fuit offenſio, quum potius amplecti eum reverenter debuerint, quaſi repente è cælo delapſum. Deum in Chriſto operantem cernunt: illinc data opera oculos ſuos convertunt ad Joſeph, & Mariam, & omnes cognatos, quorum obſcura erat conditio, ut velum manifeſtæ luci opponant. Fratres more Hebraico vocari conſanguineos quoslibet, jam alibi diximus. Quare nimis inſcite Helvidius plures fuiſſe Mariæ filios finxit, quia de Chriſti fratribus aliquoties fiat mentio.

57. *Non eſt Propheta.*] Sententiam hanc fuſius expoſui 4. cap. in Joannem. Poteſt quidem generale eſſe proverbium, quod nuſquam minore in pretio ſint qui præclaris donis excellunt, quam in patria ſua: in quo ſe prodit hominum ingratitudo qui Deum in Spiritus ſui donis eo audacius reſpuunt quo familiarius ſeſe offert. ego tamen Chryſoſtomo libenter ſubſcribo qui peculiariter Judæos hoc dicto fuiſſe perſtrictos putat. Sed Chriſtus quod ſolebat in totam gentem dici, proprie accommodat ad ſuos Galilæos: nuſquam enim minus honoris habuit quam in ſolo ſuo natali. Quare merito illis exprobrat quod quum primi debuerint oblatam ſibi gratiam amplecti, procul à ſe rejiciant. eſt enim valde abſurdum, ſperni in eo loco Dei Prophetam ubi natus eſt, cui alii cupide velut adventitio occurrunt.

58. *Non edidit illic virtutes.*] Magis emphatice Marcus loquitur, quod non potuerit ullam virtutem edere. In ſumma tamen rei optime conſentiunt, Chriſto civium ſuorum impietate præcluſam fuiſſe viam ne plures apud eos virtutes ederet. Guſtum aliquem jam illis præbuerat: ultro ſeipſos obſtupefaciunt ne quid percipiant. Ideo apte Auguſtinus fidem aperto vaſis ori comparat: infidelitatem vero dicit operculo ſimilem eſſe quo vas obſtruitur, ne infuſum divinitus liquorem admittat. Et ſane ita res habet. nam Dominus ubi virtutem ſuam videt à nobis non recipi, tandem eam ſubducit: & tamen interea conquerimur ejus opem nobis deeſſe quam noſtra incredulitas procul arcet ac repellit. Marcus negans Chriſtum potuiſſe, eorum culpam amplificat à quibus impedita fuit ejus bonitas. nam certe increduli, quantum in ſe eſt, Dei manus ſua contumacia conſtringunt: non quod Deus quaſi inferior vincatur, ſed quia illi non permittunt virtutem ſuam exequi. Notandum tamen eſt quod addit Marcus, ſanatos nihilominus fuiſſe quoſdam infirmos. nam hinc colligimus Chriſti bonitatem certaſſe cum eorum malitia, ut ſupra obſtacula emergeret. Idem in Deo quotidie experimur: etſi enim potentiam ſuam, quia illi aditus ad nos non patet, juſte neceſſario reſtringit, videmus tamen ut viam per invia ſibi faciens, nobis benefacere non deſinat. Mirabilis lucta, quod quum modis omnibus opprimere conemur Dei gratiam ne ad nos uſque perveniat, illa tamen victrix perrumpit, & quaſi nobis invitis efficaciam ſuam obtinet.

MATTH. XIV.	MARC. VI.	LUC. IX.
1. In illo tempore audivit Herodes tetrarcha famam Jeſu.	14. Et audivit rex Herodes (innotuerat enim nomen ejus) dixitque, Joannes qui baptizabat, reſurrexit à mortuis: & propterea virtutes agunt in illo.	7. Audivit autem Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo, & hæſitabat, eo quod diceretur à quibuſdam quod Joannes ſurrexiſſet à mortuis.
2. Et dixit famulis ſuis, Hic eſt Joannes Baptiſta: ipſe ſurrexit à mortuis, & ideo virtutes agunt in illo.	15. Alii dicebant, Elias eſt. Alii vero dicebant, Propheta eſt, vel tanquam unus ex Prophetis. 16. Quum audiſſet autem Herodes ait, Cui ego præcidi caput Joannes iſte eſt, is ſurrexit à mortuis.	8. A quibuſdam vero quod Elias apparuiſſet: ab aliis autem, quod Propheta quiſpiam ex antiquis ſurrexiſſet. 9. Et ait Herodes, Joannem ego decollavi: quis eſt autem iſte de quo talia audio? Et quærebat videre eum.

Hoc iden referunt Euangeliſtæ, ut ſciamus celebre paſſim fuiſſe Chriſti nomen: ut Judæos ignorantia minime excuſet. poſſet enim alioquin multorum mentibus obrepere hæc dubitatio, qui factum ſit ut Chriſto in terris agente, Judæa ſecure quieverit, acſi in angulum aliquem retruſus, divinam ſuam virtutem nullis patefeciſſet. Nunc ergo teſtantur Euangeliſtæ ubique ſparſam fuiſſe de illo famam, ut in aulam uſque Herodis penetraverit.

2. *Dixit famulis ſuis.*] Ex Lucæ verbis colligitur, non veniſſe hoc ultro in mentem Herodi, ſed injectam illi ſuſpicionem ex communi populi rumore. Nec vero mihi dubium eſt quin odium Tyranni & nefandæ cædis deteſtatio, ſermonum materiam dederint, ut fieri ſolet. Hærebat paſſim in hominum mentibus hæc ſuperſtitio, redire mortuos in vitam ſub alia perſona: quemadmodum alibi dictum eſt. Nunc arripiunt quod proximum eſt, Herodem crudeliter necando ſanctum virum, minime adeptum eſſe quod ſperabat: quia repente mirifica Dei virtute à morte reſurrexerit, acrior ſcelerum ejus hoſtis futurus ac vindex. Docent tamen Marcus & Lucas varie loquutos fuiſſe homines: nempe quod alii putabant Eliam eſſe, alii unum quempiam ex Prophetis, vel qui Prophetas Spiritus excellentia æquaret. Cur de Elia potius quam de alio quovis ſuſpicati

ſint, alibi diximus. Quia per Malachiam promiſerat Deus, venturum Eliam qui diſſipatam Eccleſiam colligeret, vaticinium perperam traxerant ad hominis perſonam: quum ſimplex comparatio eſſet, in hunc ſenſum, Ne obſcurus ſit Meſſiæ adventus, & ne populum fugiat redemptionis gratia, præcedet Elias quidem, qualis ille fuit olim qui res collapſas & everſum Dei cultum reſtituit. Præcedet igitur ſingulari Spiritus virtute, ut magnum illum diem illuſtret. Judæi, ut craſſi erant interpretes, hoc ad illum Eliam Thesbitem traxerant, quaſi functurus officio Prophetæ denuo foret. Divinant tamen alii, vel unum aliquem reſurrexiſſe ea veteribus Prophetis, vel magnum eſſe aliquem virum qui ad illorum præſtantiam accederet. Porro mirum eſt, quum in diverſas ſententias ferantur, nulli tamen quod verum erat in mentem venire: præſertim quum ipſa temporis ratio eos ad Chriſtum dirigeret. Redemptorem illis promiſerat Deus, qui miſeris ac perditis opem ferret. Extrema neceſſitas in quam conjecti erant, tunc maxime flagitabat Dei auxilium. Adeſt Redemptor, tum celebratus Joannis præconio, tum ipſe de officio ſuo teſtificans: coguntur divinum aliquid in ipſo agnoſcere: ad ſua tamen figmenta delapſi, in alienas perſonas eum tranſmutant. Ita ſcilicet mundus prava ingratitudine oblatas ſibi Dei gratias extinguere ſolet. Quod ad Herodem ipſum pertinet, ſicuti paulo ante attigi, ipſe opinionem de Joanne ſuſcitato non ultro concepit: ſed quemadmodum trepide vacillant malæ conſcientiæ, & ad quamlibet auram flectuntur, quod metuebat, facile concipit. Et Deus cæcis iſtis terroribus ſæpe impios exagitat. ita quantumvis data opera ſe obdurent, nec aliunde vexentur, quietem non impetrant ab inteſtino carnifice quin duriter eos flagellet. *Ideo virtutes agunt in illo.* Mirum eſt qua ratione ducti hoc intulerint. Joannes toto prædicationis ſuæ curſu nullum ſignum ediderat. Colore ergo carere videtur quod hominem miraculis inſignem videntes, Joannem eſſe divinant. ſed miracula nunc primum edi putant quibus probetur ejus reſurrectio, & quæ teſtantur fuiſſe ſanctum Dei Prophetam impie occiſum ab Herode: & nunc prodire quaſi ſacroſanctum, ne quis amplius violare eum audeat. Virtutes ergo in eo agere, hoc eſt, efficaces eſſe putarunt, ut major illi inde auctoritas accederet, palamque fieret Dominum illi adeſſe.

MATTH. XIV.

3. Nam Herodes ceperat Joannem, & vinxerat, & poſuerat in carcere propter Herodiadem uxorem Philippi fratris ſui.

4. Dicebat enim illi Joannes, Non licet tibi habere eam.

5. Et quum vellet eum occidere, metuebat multitudinem, propterea quod illum ceu Prophetam habebant.

6. Quum autem celebraretur natalis Herodis, ſaltavit filia Herodiadis in medio: & placuit Herodi.

7. Unde cum jurejurando pollicitus eſt ſe daturum illi quicquid peteret.

8. At illa prius inſtructa à matre ſua, Da mihi, inquit, hic in patina caput Joannis Baptiſtæ.

9. Et indoluit Rex: tamen propter jusjurandum, & eos qui ſimul accumbebant, juſſit dari.

10. Miſitque & decollavit Joannem in carcere.

11. Et allatum eſt caput ejus in patina, datumque puellæ: & illa obtulit matri ſuæ.

12. Et acceſſerunt diſcipuli ejus, & ſuſtulerunt corpus, ac ſepelierunt illud, abierunt que, & renunciaverunt Jeſu.

MARC. VI.

17. Nam ipſe Herodes miſerat, & ceperat Joannem, vinxeratque eum in carcere propter Herodiadem uxorem Philippi fratris ſui: quia duxerat eam uxorem.

18. Dicebat enim Joannes Herodi, Non licet tibi habere uxorem fratris tui.

19. Herodias autem inſidiabatur illi, volebatque eum occidere: nec poterat.

20. Herodes enim metuebat Joannem, ſciens eum virum juſtum ac ſanctum, & obſervabat eum, auditoque eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.

21. Et quum dies opportunus accidiſſet, quum Herodes in natalitiis ſuis cœnam faceret Primatibus ac Tribunis, & Primoribus Galilææ:

22. Quumque introiiſſet filia ipſius Herodiadis, ac ſaltaſſet, placuiſſetque Herodi, ac ſimul accumbentibus, Rex ait puellæ, Pete à me quidvis, & dabo tibi.

23. Et juravit illi, Quicquid à me petieris, dabo tibi, uſque ad dimidium regni mei.

24. At illa egreſſa dixit matri ſuæ, Quid petam? Illa vero dixit, Caput Joannis Baptiſtæ.

25. Et ingreſſa ſtatim cum feſtinatione ad Regem, petivit dicens, Volo ut protinus des mihi in lance caput Joannis Baptiſtæ.

26. Et dolore affectus Rex, propter jusjurandum eoſque qui ſimul accumbebant, noluit eam rejicere.

27. Miſſoque confeſtim ſpiculatore, juſſit inferri caput ejus. Ille vero abiit, & decollavit eum in carcere:

28. Et attulit caput ejus in lance, deditque illud puellæ, & puella dedit matri ſuæ.

29. Quo audito diſcipuli ejus venerunt, & ſuſtulerunt cadaver ejus, poſueruntque illud in monumento.

LUC.

Hujus hiſtoriæ recitatio nunc omittitur à Luca, quoniam alibi eam expoſuerat. Ego quoque ne bis idem ſcribendo, moleſtus ſim lectoribus, ero in hoc loco brevior. Euangeliſtæ captum fuiſſe Joannem referunt, quia Herodiadis raptum & inceſtum cum ea conjugium palam damnaverat. Quod Joſephus aliam cauſam aſſignat, quod ſcilicet Herodes ſibi à rebus novis timens, ſuſpectum Joannem habuerit, fieri poteſt ut ſcelus ſuum hoc prætextu excuſaverit Tyrannus, vel ſparſus fuerit rumor ille: ut injuſta

vio-

violentia & crudelitas variis criminationibus obnoxia eſt. Rem vero ipſam Euangeliſtæ exprimunt, ſancto viro infenſum fuiſſe Herodem quod ab eo reprehenſus foret. Fallitur porro Joſephus, qui putat non Philippo fratri, ſed Herodi regi Chalcidis patruo abreptam Herodiadem fuiſſe. Nam quo tempore Euangeliſtæ ſcripſerunt, non modo recens erat ſceleris hujus memoria, ſed ante omnium oculos verſabatur. Quod autem alibi tradit Joſephus, manſueto ingenio fuiſſe Philippum, non dubito quin hac ſpe audacior redditus fuerit Herodes, quod in hominem placidum, imbellem & modeſtum impune contumelioſus foret. Accedit altera probabilis conjectura, quod Herodias patruo Philippo in matrimonium potius data fuiſſe videtur, quam patruo magno avi ſui fratri, ſeni jam decrepito. Cæterum Herodes Antipas, cujus hic ſit mentio, & Philippus, non uterini fratres erant: ſed prior ex Marchaca, tertia Herodis magni conjuge, alter vero ex Cleopatra natus erat. Nunc ut ad Euangeliſtas revertar, conjectum in vincula Joannem fuiſſe tradunt quia Herodis ſcelus liberius reprehendiſſet quam ferret Tyranni ferocia. Jam ſatis per ſe odioſa & infamis erat facti atrocitas, quod non modo alienam uxorem à legitimo thoro abductam domi ſuæ aleret, ſed quod hanc injuriam germano fratri intulerat. Quum accedit libera Joannis objurgatio, non fruſtra timet Herodes ne qua repente ſeditio oriatur. Peccatum corrigere non ſinebat libido: vincto autem Dei Propheta ſibi tranquillam licentiam promittit. Hiſtoriæ inſcitia factum eſt ut multi ſupervacuam diſputationem ingeſſerint, liceatne mihi ducere uxorem quæ prius fratri meo nupta fuit. Quanquam enim à tali conjugio abhorreat naturæ pudor, raptum tamen magis damnat Joannes, quam inceſtum: quia Herodes per vim vel fraude fratrem ſuum legitima uxore ſpoliaverat. Et alioqui minus ei licebat neptem ſuam, quam fratris mortui uxorem ex viduitate ſumere. Ac minime quidem dubium eſt quin flagitium tam immane paſſim traductum fuerit. ſed alii ſuis maledictis abſentem Herodem vexabant: ſolus Joannes in ejus conſpectum prodit, & libere coram objurgat, ſi quo forte modo ad poenitentiam poſſit adduci. Unde diſcimus quam inflexibili fortitudine instructos eſſe oporteat Dei ſervos ubi cum Principibus negotium eſt. nam in omnibus fere aulis regnat hypocriſis & ſervilis adulatio: ita Principum aures deliciis aſſuetæ, vocem nullam, qua aſperius vitia ſua taxentur, admittunt. Sed quia ſcelus adeo turpe, Dei Prophetæ minime diſſimulandum erat, procedit in medium Joannes, licet moleſtus & ingratus monitor: ac ne officio ſuo deſit, in offenſam Tyranni incurrere non dubitat: præſertim quum ſciret meretricis illecebris captum vix poſſe à propoſito moveri.

5. *Quum vellet eum occidere.*] Videtur in Matthæi & Marci verbis nonnulla eſſe diſcrepantia: quod prior Herodem nefandæ cædis cupidum fuiſſe dicit, ſed metu populi fuiſſe retentum: alter vero tantum Herodiadem hujus crudelitatis inſimulat. Sed facilis ſolutio eſt. initio quod Herodes niſi qua major neceſſitas invitum ita facere cogeret, ſanctum virum occidere noluerit: quia illum reverebatur, & quidem obſtabat religio ne tam atrociter in Dei Prophetam ſæviret: Herodias autem aſſidue eum ſtimulando, Dei timorem ei excuſſerit. Sed quum efferatus ab illa furia, extinctum cuperet ſanctum virum, retentus fuerit novo obſtaculo, quia ſibi timebat à populari motu. Atque hic notanda ſunt Marci verba: Herodias, inquit, inſidiabatur illi. nempe quia ſponte ad cædem propenſus non erat Herodes, vel obliquis artibus eum circumvenire tentabat, vel clandeſtinum ſancto viro exitium moliebatur. Mihi prior ſententia magis placet, quod per inſidias, mariti animum captaverit: ſed fruſtra, quamdiu ſcilicet obſtitit conſcientia Herodi, ne ſancto viro ultimam vim afferret. Deinde ſucceſſit alius metus, ne quis ex mortis ejus indignitate tumultus emergeret. Sed Marcus tantum attingit quid Herodem impedierit quominus ſtatim morem geſſerit ſcorti precibus. optaſſet enim Herodias, ſimulac in carcerem tractus fuerat Joannes, de eo ſumi occultum ſupplicium. Atqui Herodes colebat ſanctum virum, ut etiam ejus conſiliis libenter pareret. Porro timor cujus hic ſit mentio, non erat formido ex aliena opinione concepta, ſicuti metuimus quibus parta eſt aliqua auctoritas, tametſi honore indignos cenſemus: ſed hic timor voluntaria erat obſervantia, quia Herodes, quem ſanctum virum & fidelem Dei miniſtrum eſſe perſuaſus erat, hac de cauſa non audebat contemnere. Atque hoc notatu dignum eſt: quamvis enim expertus eſſet Joannes utile eſſe multis modis ſe pollere aliqua gratia apud Tetrarcham, non tamen ejus animum alienare veritus eſt, quum aliter non poſſet favorem illum tueri, quam perfide ad notum & infame ſcelus connivendo. Teſtari quidem poterat ſe privatis commodis minima conſulere, nec alium quam publicæ utilitatis habere reſpectum. Certum enim eſt nihil ambitioſe rogaſſe, ſed morigerum illi fuiſſe Herodem in ſanctis conſiliis quæ ad legitimam regni adminiſtrationem ſpectabant. Verum quia hoc compenſationis genus ſibi licitum eſſe non videt, ut veritatem prodendo, quædam officia eliciat: hoſtem ex amico ſibi facere mavult, quam adulatione vel ſilentio fovere malum quod ſevere reprehendere cogitur. Præſcripſit ergo Joannes ſuo exemplo piis doctoribus certam regulam, ne diſſimulent Principum vitia, ut hac mercede favorem eorum quantumvis in commune utilem, redimant. In Herode vero quaſi in ſpeculo, nobis oſtendit Spiritus Dei, ſæpe contingere ut qui Deum ſincere non colunt, parati ſint tamen aliqua ex parte obſequi ejus mandatis, modo eis per indulgentiam aliquid relaxet. Sed ubi rigidius urgentur, excuſſo jugo, non modo in contumaciam, ſed in rabiem proſiliunt. Non eſt igitur cur ſibi placeant qui multis ſanis conſiliis obtemperant, donec ſe in ſolidum Deo addicere & ſubjicere didicerint.

6. *Quum autem celebraretur.*] Nunc incipiunt narrare Euangeliſtæ qua fraude Herodias Joanni exitium, quod diu machinata fuerat, tandem attulerit: occaſio autem illi data eſt ex ſolenni epulo, quum Herodes diem ſuum natalem celebraret. Vix enim fieri poteſt quin illi magnifici apparatus præter luxuriam, faſtum, effrenem lætitiam & alias nequitias, plura quoque alia mala ſecum trahant. non quod liberalius convivium inſtruere, per ſe malum ſit: ſed ea eſt humani ingenii ad laſciviam propenſio, ut laxatis habenis facile diffluant. Mos ille vetuſtus per ſe improbari non poteſt, quotannis diem natalem ſolenni gaudio proſequi: admonet enim dies ille, quoties recurrit, unumquemque noſtrum ut Domino gratias agat, à quo in hanc vitam productus, complures jam annos ejuſdem beneficio tranſegit: deinde ut in memoriam revocet quam male & inutiliter tempus divinitus conceſſum paſſus fuerit perire: tandem ut ſe in reliquum vitæ tempus ejuſdem Dei præſidio commendet. Sed nihil eſt tam purum quod non vitiis ſuis corrumpat mundus: nam diem natalem qui ſacer eſſe debuerat, major pars profanat fœdis corruptelis: & nullum fere ſumptuoſius convivium à diſſoluta protervia purum eſt. primum largius bibitur: deinde janua patet impuris vel minus verecundis ſermonibus: nulla denique ſervatur temperies. Hæc ratio fuit ſancto Job cur filiis ſuis mutua convivia agitantibus, poſt vices peractas ſacrificium offerret: quod ſcilicet reputabat nunquam ſibi homines ita probe temperare, ubi ſodales alii alios ad hilaritatem invitant, quin multis modis peccetur. Ita factum eſt ut Herodes convivas ſuos lautius tractare volens, paſſus fuerit uxo-

ris

ris ſuæ filiam ſaltare. Hinc quoque apparet qualis fuerit aulæ ejus diſciplina: nam etſi plerique ſaltandi licentiam tunc ſibi permitterent, meretriciæ tamen laſciviæ turpis nota fuit nubilis puellæ ſaltatin. Verum impura Herodias Solomen filiam, ue ſibi dedecori eſſet, ad mnres ſuos ita formaverat. Quid vero tandem ſequutum eſt? nempe impia ſancti Prophetæ cædes. Nam vini calor in Herode ita efferbuit, ut gravitatis & prudentiæ nblitus, ſaltatriculæ uſque ad dimidiam regni ſui partem daturum ſe promitteret. Pudendum ſane exemplum, quod Rex ebrius nnn modo ſpectaculum familiæ ſuæ probroſum æquis oculis aſpicere ſuſtinet, ſed tantam mercedem paciſcitnr. Quare diſcamus ſollicite obviam ire diabolo, ne talibus laqueis nos implicet.

24. Marc. *Egreſſa dixit matri ſuæ.*] Nihil mirum qund tanti fecerit Herodias Joannis mortem. Quod conjiciunt nonnulli, vindicta fuiſſe accenſam, ratione caret: potius enim eam urebat & cruciabat metus repudii: ſicuti plerumque, ubi faſtidium obrepſit ſcortatoribus, ſuæ libidinis eos pudet. Speravit autem hoc ſcelere ſibi magis devinctum fore Herodem, ſi fœdus adulterini conjugii ſanguine Prophetæ mactatum eſſet. Ergo ut ſecure in poſterum dominaretur, eum extingui voluit quem unnm ſibi adverſarium ſenſerat. Unde etiam docemur, quam miſera anxietas ſemper malam conſcientiam torqueat. Joannes in vinculis tenebatur. poterat imperioſa & crudelis mulier prohibere omnes ab ejus colloquio & aditu: minima tamen quieſcit, ſed cura metuque angitur, donec è medio ſublatus fuerit Propheta. Hoc quoque ad monſtrandam verbi Dei efficaciam valet, quod vox ſancti viri, licet carcere incluſa, inſtar graviſſimi tormenti regiæ uxnris animum lacerat.

26. *Dolore affectus Rex.*] Evanuerat quidem, ut diximus, religio ex ejus corde: ſed quia prævidet quam odioſum ſit futurum crimen, infamiam ſimul ac damnum metuit: hinc fit ut eum ſuæ levitatis pœniteat. Nec tamen audet ſaltatriculæ negare, ne inconſtantiæ ignominiam ſuſtineat. quaſi vero retractare turpius ſit quod temere ſtulteque promiſit, quam ſibi cnnſtare in ſcelere nefario. Verum quia pro ſolita Regum vanitate irritum fieri non vult quod ſemel protulit, Prophetam extemplo jubet occidi. Colligimus antem in arce Macherontis Herodem tunc cœnaſſe, ubi Joſephus tradit Joaonem fuiſſe detentum. Notare autem operæpretium eſt quod dicunt Euangeliſtæ, Propter jusjurandum & convivas qui aderant. unde colligimus, ſi centies nulln teſte juraſſet, promiſſo tamen minime ſtaturum fuiſſe. Non ergo interior religio conſtrinxit Herodem, ſed mera ambitin præcipitem adegit: quia ſibi minime honeſtum duceret, fidem datam non præſtare. Ita fit ut impii ſubinde in officin labantur: quia ad Deum minime reſpiciunt, ſed tantum ad hunc ſcopum intenti ſunt, oe hominnm prnbris ſubjaceant. Porro etiamſi jurisjurandi ſanctitas tantum, & non hominum verecundia verſata eſſet ante oculos Herodis, gravins tamen peccavit quod ſtulte promiſerat exequendo, quam ſi jusjurandum vinlaſſet. Primum hæc fuit præpoſtera jurandi celeritas, quod promiſſionem rei dubiæ confirmat: deinde nbi apparuit non poſſe abſnlvi à fide data quin ſe nefando ſcelere obſtringeret, non licuit ſacrum Dei nnmen tali flagitio involvere, quid enim magis alienum à Deo, quam ut impiæ neci præſideat? Si privata jactura agitur, pœnam ſuæ ſtultitiæ luat qui temere juravit. ſed interim cavendum eſt, ubi quis fruſtra ſumpſit nomen Dei, ne ejus prætextu abutens ad patrandum aliquod ſcelus, ſacrilegium duplicet. Hinc ſequitur, vota Monaſtica, quibus conjuncta eſt manifeſta impietas, nnn magis cnnſcientiam ligare, quam magicos exorciſmos: qnia Deus ſacrum ſuum nomen ad peccati confirmationem valere non vult. Docet tamen hic locus cavendum eſſe ne quid inconſiderate quiſquam promittat: deinde ne ad levitatem accedat contumacia.

28. *Dedisque illud puellæ.*] Hoc quoque ad ſceleris atrocitatem acceſſit, quod ſancti viri caput poſt mortem ludibrin habitum fuit. ſed Dominns ita ſuos interdum ſubjicit impiorum ſuperbiæ, donec tandem oſtendat pretioſum in ſuis oculis eſſe ipſorum ſanguinem. Exultat Herodias libidinis ſuæ compos facta, & crudelem triumphum de ſun cenſore agit: ſed poſtea exuta ſuis opibus, nec regni tantum honore, ſed natali ſoln, & omnibus ſubſidiis privata, quum inops miſeram vitam ægre in exlio traheret, ſuave Angelis & bonis omoibus ſpectaculum præbuit. Quod convivæ abominandæ pompæ iotuitu fœdare oculos coguntur, hinc diſcamus, qui regiis menſis aſſident, ſæpe multis ſceleribus implicari: nam ut nullum cruentum facinus menſam funeſtet, nmni tamen nequitiæ genere ſic referta ſuot omnia, ut ſaltem lenocinius addictos eſſe nporteat quicunque illuc accedunt.

29. *Diſcipuli ejus venerunt.*] Hoc ad mulieris ſævitiam reſtabat ut cadaver ſancti viri inſepultum jaceret: probabile enim eſt quum hoc officio functi ſint diſcipuli, projectum fuiſſe à Tyranni ſatellitibus. Etſi autem nihil mnrtuis confert hnnor ſepulturæ, vult tamen ceremoniam hanc Dominus à nobis coli, ut ſymbolum ſit ultimæ reſurrectionis. Quare Deo grata fuit hæc ſedulitas, quod diſcipuli Joannis venerunt ut corpus magiſtri ſepulcbro mandarent. Adde quod hoc ad teſtandam pietatem valuit: nam hoc modo profeſſi ſunt mortui hominis doctrinam ſuperſtitem in cordibus ſuis vigere. Laudabilis ergo fuit iſta confeſſio, præſertim quum à periculn non abeſſet: quia honore proſequi hominem à carnifice occiſum nnn poterant, quin Tyranni rabiem in ſe provocarent.

MATTH. XIV.	MARC. VI.	LUC. IX.
13. Id quum audiſſet Jeſus, ſeceſſit illinc in navi ad deſertum locum ſeorſum: & quum audiſſent turbæ, ſequutæ ſunt illum itinere pedeſtri ab urbibus. 14. Et egreſſus Jeſus, vidit multam turbam, & tactus eſt affectu miſericordiæ erga illos: ſanavitque ex illis qui male habebant. 15. Porro quum ap-	30. Et congregantur Apoſtoli ad Jeſum, & renunciaverunt ei omnia, & quæ egiſſent & quæ docuiſſent. 31. Et ait illis, Venite vos ſoli in deſertum locum, & requieſcite puſillum. Erant enim multi qui veniebant & abibant: ut ne cibum quidem capere vacaret. 32. Et abiit in deſertum locum navigio ſeorſum. 33. Et viderunt eos abeuntes turbæ, & agnoverunt eum multi: & itinere pedeſtri ex omnibus urbibus	10. Et reverſi Apoſtoli narraverunt illi quæcunque fecerant. Et aſſumptis illis ſeceſſit ſeorſum in locum deſertum civitatis quæ vocatur Bethſaida. 11. Quod quum agnoviſſent turbæ, ſequutæ ſunt illum: & excepit illos, & loquebatur illis de regno Dei, & eos qui curatione indigebant ſanabat. 12. Dies autem cœperat declinare: & accedentes duo-

petiſſet veſpera, adierunt eum diſcipuli ejus, dicentes, Deſertus eſt locus, & hora jam præteriit: dimitte turbas, ut abeant in vicos, & emant ſibi cibaria.

16. At Jeſus dixit illis, Non eſt illis neceſſe abire: date illis vos quod edant.

17. At illi dicunt ei, Non habemus hic niſi quinque panes & duos piſces.

18. Ille vero dixit, Afferte mihi illos huc.

19. Et juſſis turbis diſcumbere ſuper gramina, ſumptiſque quinque panibus, ac duobus piſcibus, ſublatis in cælum oculis benedixit. Et quum fregiſſet, dedit diſcipulis panes: diſcipuli vero turbis.

20. Et comederunt omnes, & ſaturati ſunt: & ſuſtulerunt quod ſuperfuerat è fragmentis duodecim cophinos plenos.

21. Porro qui comederant, fuerunt virorum fere quinque millia, præter mulieres ac pueros.

concurrerunt illuc, & prævenerunt eos, conveneruntque ad illum.

34. Et egreſſus vidit turbam multam Jeſus, & affectu miſericordiæ tactus eſt erga eos, qui erant velut oves non habentes paſtorem: & cœpit illos docere multa.

35. Et quum jam multum diei præteriiſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, dicentes, Deſertus eſt locus, & jam multum temporis effluxit.

36. Dimitte illos, ut abeant in circumjacentes villas ac vicos, emantque ſibi panes: nam quod edant non habent.

37. Ipſe vero reſpondens, dixit illis, Date illis vos quod edant. Et dixerunt ei, Euntes emamus ducentis denariis panes, & demus illis quod edant.

38. At ille dixit eis, Quot panes habetis? ite, & videte. Et quum cognoviſſent, dicunt, Quinque, & duos piſces.

39. Et præcepit illis ut accumbere facerent omnes, diſtributis convivis in viridi gramine.

40. Et diſcubuerunt diviſi in centenos & quinquagenos.

41. Et quum accepiſſet quinque panes & duos piſces, ſublatis in cælum oculis, benedixit ac fregit panes, deditque diſcipulis ut apponerent illis, & duos piſces diviſit omnibus.

42. Et comederunt omnes, & ſaturati ſunt.

43. Et ſuſtulerunt fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piſcibus.

44. Erant autem qui comederant, circiter quinque millia virorum.

duodecim, dixerunt illi, Dimitte turbas, ut euntes in caſtella villaſque vicinas divertant, & inveniant eſcas: quia hic in loco deſerto ſumus.

13. Ait autem ad illos, Vos date illis quod edant. At illi dixerunt, Non ſunt nobis plures quam quinque panes, & duo piſces: niſi nos eamus, & emamus in omnem hunc populum eſcas.

14. Erant autem fere viri quinquies mille. Ait autem ad diſcipulos ſuos, Facite illos diſcumbere in ſingulo quoque diſcubitu quinquagenos.

15. Atque ita fecerunt: & fecerunt omnes diſcumbere.

16. Acceptis autem quinque panibus, & duobus piſcibus, ſublatis in cælum oculis benedixit illis & fregit, diſtribuitque diſcipulis, ut apponerent turbæ.

17. Et comederunt omnes, & ſaturati ſunt: & ſublatum eſt quod ſuperfuit illis fragmentorum, cophini duodecim.

13. *Id quum audiſſet Jeſus.*] Joannes eandem hiſtoriam referens, quo conſilio tranſierit Jeſus in ripam ulteriorem non meminit. Marcus etiam & Lucas nonnihil à Matthæo differunt: cauſam enim itineris fuiſſe docent ut diſcipulis ſuis aliquid quietis daret, poſtquam ex ſua legatione reverſi fuerant. Sed in eo nihil eſt diſſidii: quia fieri poteſt ut Apoſtolos ſegregare voluerit in deſertum locum, quo liberius eos ad meiora formaret, ac ſub idem tempus acciderit ex morte Joannis nova occaſio. nam & debiles animos terrere potuit mors Joannis, quia triſtis ille ſummi Prophetæ eventus jam monebat qualis eos omnes maneret conditio. Certe quemadmodum prius narratum eſt, capto Joanne Chriſtum ex ditione Herodis migraſſe, ut à præſenti furore deflecteret: ita nunc colligere licet, Chriſtum ut pavidos adhuc diſcipulos ab incendio ſubduceret, in deſertum locum abiiſſe. Porro quantum temporis conſumpſerint Apoſtoli in prima ſua legatione, incertum eſt: nam temporum ſeries (ut alibi diximus) vel neglecta fuit ab Euangeliſtis, vel minus curioſe obſervata. quin potius mihi probabile eſt, non ſemel tantum fuiſſe dimiſſos ut præconium regni Chriſti vulgarent, ſed ut ferebat occaſio, vel illud iteraſſe in quibuſdam locis, vel poſt aliquantum temporis in diverſa loca profectos eſſe. Itaque nunc congregatos eſſe interpretor, ut aſſidui in poſterum illi comites eſſent: acſi dictum eſſet, non ita digreſſos eſſe à magiſtro ut ſinguli ordinarium docendi munus ſemper obirent; ſed temporali præconio defunctos, denuo ad ſcholam rediiſſe ut melius proficerent.

Sequutæ ſunt illum.] Tametſi Chriſtum, qui omnium præſcius erat, minime latuit quid futurum eſſet, voluit tamen diſcipulis ſecundum hominem proſpicere, ut reipſa teſtatum faceret ſe habere illorum curam. Ex tanto vero concurſu patet quam celebris ubique fuerit ejus fama, ut inexcuſabiles eſſent Judæi, quos ſua ſocordia oblato ſalutis beneficio privavit. Nam & ex hac magna turba, quæ ſubito impetu exarſit ad ſequendum Chriſtum, non niſi perquam exiguus numerus vere & conſtanter ejus doctrinæ ſe addixit, ſicuti ex Joanne patet.

14. *Tactus eſt affectu miſericordiæ.*] Clarius exprimunt reliqui duo, ac præſertim Marcus, unde Chriſto hæc συμπάθεια: quia ſcilicet famelicas animas videbat deſiderii ardore è ſuis ſedibus abreptas ferri in locum deſertum. Illa porro doctrinæ inopia miſeræ diſſipationis ſignum erat: ideo dicit Marcus miſertum eſſe Chriſtum, quia eſſent tanquam oves carentes paſtore. non quod ſecundum Deitatis Spiritum omnes pro ovibus agnoſceret: ſed quatenus homo erat, judicium fecit ex præſenti rei intuitu. Erat enim hoc non leve pietatis indicium, relinquere proprias domos, & turmatim ad Dei Prophetam confluere, quamvis data opera conſpectum eorum fugeret. Deinde notare convenit, Chriſtum ejus quam ſuſtinebat perſonæ memorem fuiſſe. injunctum illi erat doctoris officium: debuit ergo ed tem-

tempus cenſere ex grege Dei & Eccleſia Judæos omnes donec ſe ipſi alienarent. Cæterum hic miſericordiæ affectus in Chriſto prævaluit, ut feſſus cum diſcipulis ſuis, continuaque moleſtia fere oppreſſus, ſibi tamen non parceret. Aliquid relaxationis quæſierat, neque id tam ſibi quam diſcipulis: quia tamen eum officii neceſſitas ad novum laborem vocat, libenter poſthabito privato illo reſpectu, ſe impendit docendis turbis. Etſi autem nunc affectus illos exuit qui in hominem mortalem quadrabant, dubium tamen non eſt quin miſeras oves paſtore deſtitutas, modo quærant inopiæ ſuæ remedium, è cælo reſpiciat. Dicit Marcus ipſum docuiſſe multa, hoc eſt, diu concionatum eſſe, ut ſolidum aliquem profectum referrent. Lucas de regno Dei loquutum eſſe tradit, quod idem valet. Matthæus nonniſi de miraculis meminit: quia ſcilicet ad conciliandum Chriſto nomen plus illis ſuberat momenti. Sed facile colligitur, non omiſſam fuiſſe ab eo doctrinam, quæ principem locum tenebat.

15. *Quum appetiſſet veſpera.*] Jam ſpe ſua fruſtrati erant diſcipuli: nunc Chriſtum docendo intentum eſſe vident: turbas etiam præ diſcendi ſtudio de reditu non cogitare: Chriſtum ergo admonent ut corporibus curandis illas amandet in propinquos vicos. Conſulto autem miraculum quod edere habebat in animo, in illud uſque tempus diſtulerat: primum ut ad ejus conſiderationem diſcipuli paulatim erecti, melius inde proficerent: deinde ut ipſa temporis circumſtantia doceret, quamvis non prævenıat neceſſitates ſuorum, neque etiam illis ſtatim occurrat, nunquam tamen eorum curam abjicere, ſed opem ſemper habere in manu repoſitam quam exhibeat in ipſo articulo.

16. *Date vos illis quod edant.*] Quia plenior hujus miraculi expoſitio reperietur ſexto Joannis capite, ne moleſta ſit lectoribus repetitio, illinc peti malim: ne tamen vacuus ſit hic locus, ſummam breviter perſtringam. Hactenus Chriſtus operam ſuam ad paſcendas animas contulerat: nunc quoque ad corporum uſque curam paſtoris officium extendit. In quo etiam confirmat ſuum illud dictum, quod regnum Dei quærentibus, ejuſque juſtitiam, reliqua deinde accedent. Sperandum quidem non eſt ut ſemper hoc modo Chriſtus cibum jejunis & eſurientibus ſuppeditet: certum tamen eſt nunquam paſſurum ut ſuis deſint vitæ ſubſidia quin manum è cælo porrigat ubi ita utile eſſe viderit ad levandas eorum neceſſitates. Cæterum qui ſibi Chriſtum cupient nutricium eſſe, ſimul diſcant non appetere exquiſitas lautitias, ſed pane hordeaceo contenti eſſe. Quod per turmas juſſit Chriſtus populum diſcumbere, hoc primum conſilio fecit, ut ordinibus ſic diſpoſitis, magis conſpicuum eſſet miraculum: deinde ut commodius numerari poſſent homines, & quum alii alios reſpicerent, ſibi invicem teſtes forent cæleſtis hujus gratiæ: tertio quia ſollicitos eſſe videbat diſcipulos, eorum obedientiam probare voluit, quod in ſpeciem ridiculum erat illis præcipiens. mirum enim erat, nullis alimentis ſuppetentibus, quorſum ſpeciem convivii Chriſtus inſtrueret. Eodem ſpectant quæ ſequuntur, panes illis fuiſſe datos, ut inter eorum manus creſceret admirabilis illa copia, atque ita divinæ Chriſti virtutis miniſtri forent. Nam quaſi parum eſſet oculatos eſſe teſtes, voluit Chriſtus ſuam virtutem ab illis palpari. Ducenti denarii ex Budæi ſupputatione circiter triginta quatuor libras Francicas valent. Ita exiguum panem in ſingula capita teruncio Gallico æſtimant. Quum tanti vero panem taxaſſent qui tenuiter ad paſcendum populum ſufficeret, non parvam laudem meretur eorum obedientia, dum Chriſti mandato ſimpliciter parentes, eventum committunt ejus arbitrio.

19. *Benedixit.*] Benedictio hoc loco, ut alibi ſæpe, pro gratiarum actione capitur. Suo autem exemplo nos docuit Chriſtus, non aliter ſancte pureque cibis nos poſſe veſci quam ſi Deo, ex cujus manu nobis proveniunt, gratitudinem noſtram teſtamur. Ideo dicit Paulus, quæcunque Deus alimenta nobis 1 *Tim.* 4.
largitur, ſanctificari verbo & precatione. quo ſigni- *verſ.* 5.
ficat, brutos homines, qui nec fide reputant Dei benedictionem, nec eam gratiarum actione celebrant, inficere ac polluere infidelitatis ſuæ ſordibus quicquid natura purum erat: & viciſſim cibo quem ingurgitant, pollui ac corrumpi, quia infidelibus nihil eſt mundum. Suis ergo præſcripſit Chriſtus rite veſcendi formam, ne ſe & Dei beneficia impio ſacrilegio profanent. Sublati in cælum oculi, ſerium ac vehementem precandi affectum declarant. Non quod ſemper neceſſarius ſit hic geſtus quoties precamur: ſed quia ceremonias humanæ infirmitati utiles negligere Filius Dei noluit. adde etiam quod excitandæ tarditati noſtræ aptus ſtimulus eſt surſum tollere oculos, dum mentes nimis in terra ſubſidunt.

20. *Suſtulerunt quod ſuperfuerat.*] Quum reliquiæ, poſt tantam hominum turbam ſatiatam, plus duodecuplo quod initio propoſitum fuerat excederent, hoc non parvum miraculo ſplendorem attulit. ſic enim omnes intellexerunt, Chriſti virtute non modo creata ſibi de nihilo eſſe alimenta quæ ad præſentem uſum ſufficerent: verum, ſi opus eſſet, proviſum quoque eſſe futuræ neceſſitati. Denique edito miraculo, Chriſtus illuſtre ejus documentum rurſus extare voluit quod cibo refecti per otium ſpectarent. Cæterum tametſi neque panes quotidie multiplicat Chriſtus, nec ſine labore manuario vel agrorum cultura paſcit homines, hujus tamen hiſtoriæ fructus ad nos uſque pertingit. Nam quod non perſpicimus Dei benedictione augeri frumenti copiam unde nobis victus ſuppetat, tantum obſtat noſtra ſocordia & ingratitudo. Quod etiam ſumptis alimentis ex annuo proventu ſemen reſtat, non ſine cæleſti incremento fieri, quiſque noſtrum pro ſe ſentiret niſi eadem illa obſtaret pravitas quæ oculos tam mentis quam carnis excæcat ne manifeſtum Dei opus cernant. Porro Chriſtus teſtatum voluit, ſicuti omnia illi in manum à Patre data ſunt, ita cibos quibus veſcimur, nobis à ſua gratia profluere.

MATTH. XIV.

22. Et ſtatim compulit Jeſus diſcipulos ſuos ut conſcenderent navim, & præcederent ſe in ulteriorem ripam, donec dimiſiſſet turbas.

23. Ac dimiſſis turbis, aſcendit in montem ſolus ad orandum. quum autem adveniſſet veſpera, ſolus erat illic.

24. Cæterum navis jam in medio maris erat, & afflictabatur ab undis: nam ventus erat adverſus.

25. Quarta autem noctis vigilia abiit ad illos Jeſus, ambulans ſuper mare.

MARC. VI.

45. Et ſtatim coëgit diſcipulos ſuos conſcendere navim, ut præcederent transmiſſo lacu Bethſaidam, dum ipſe dimitteret turbam.

46. Et quum dimiſiſſet eos, abiit in montem ad orandum.

47. Et quum adveniſſet veſpera, erat navis in medio mari, & ipſe ſolus in terra.

48. Viditque eos laborantes in

LUC.

remi-

26. Et ubi viderunt eum diſcipuli ſuper mare ambulantem, turbati ſunt, dicentes, Spectrum eſt: ac præ metu exclamaverunt.

27. Sed ſtatim loquutus eſt illis Jeſus, dicens, Confidite, ego ſum, ne terreamini.

28. Reſpondens autem illi Petrus, dixit, Domine, ſi tu es, jubeto me ad te venire ſuper aquis.

29. At ille dixit, Veni. Et quum deſcendiſſet è navi Petrus, ambulabat ſuper aquas, ut iret ad Jeſum.

30. Cæterum quum videret ventum validum, territus eſt: & quum cœpiſſet demergi, clamavit, dicens, Domine, ſerva me.

31. Continuò autem Jeſus extenta manu apprehendit eum, & dixit ei, Exiguæ fidei homo, cur hæſitaſti?

32. Et quum eſſent ingreſſi navim, conquievit ventus.

33. Porro qui erant in navi acceſſerunt, & adoraverunt eum, dicentes, Vere Filius Dei es.

remigando: (erat enim ventus eis contrarius) & circa quartam vigiliam noctis venit ad eos, ambulans ſuper mare, & volebat præterire eos.

49. At illi ut viderunt eum ambulantem ſuper mare, putaverunt ſpectrum eſſe, & exclamaverunt.

50. Omnes enim videbant eum, & conturbati ſunt. Et ſtatim cum eis loquutus eſt, ac dixit eis, Confidite, ego ſum, ne terreamini.

51. Et aſcendit ad illos in navim, & quievit ventus: & vehementer ſupra modum intra ſe ſtupebant, & admirabantur.

52. Non enim intellexerant ſuper panibus: erat enim cor eorum obcæcatum.

22. *Et ſtatim compulit Jeſus diſcipulos ſuos.*] Compelli oportuit, quia nunquam eo relicto, niſi inviti, alio tranſiiſſent. Porro in eo teſtantur quantum illi deferant, dum præter animi ſui ſententiam ejus imperio cedunt ac obtemperant. Et quidem res in ſpeciem abſurda erat, ipſum in loco deſerto ſolum manere, quum nox appeteret. Eo igitur plus laudis meretur eorum docilitas, quibus pluris eſt auctoritas cæleſtis magiſtri, quam quod à parte contraria probabile videri poterat. Nec vero rite & in ſolidum Deo paremus, niſi ſimpliciter ſequendo quicquid jubet, quantumvis repugnet ſenſus noſter. Deo certe optima ſemper conſtat conſilii ſui ratio: ſed nos ſæpe ad tempus celat, ut diſcamus nobis non ſapere, ſed toti pendere ab ejus nutu. Hoc modo coëgit Chriſtus ſuos diſcipulos trajicere, ut eos ad illam, quam dixi, obſequii regulam formaret. Nec vero dubium eſt quin ſibi ad miraculum quod proxime ſequetur, viam ſternere voluerit.

23. *Aſcendit in montem ſolus.*] Veriſimile eſt Filium Dei, quem minime latebat futura tempeſtas, ſuorum ſalutem non neglexiſſe in precibus: mirum tamen eſt cur non potius occurrat periculo quam intentus ſit ad orandum. Verum ut Mediatoris partes impleret, vere ſe Deum & hominem eſſe oſtendit, ac utrioſque naturæ documenta præbuit quatenus res ferebat. Quum omnia haberet in ſuo arbitrio, hominem ſeſe orando exhibuit: nec vero id egit ſimulate, ſed ſincerum humani erga nos amoris affectum teſtatus eſt. In hac parte quodammodo quievit divina ejus majeſtas, quæ ſe tandem ordine ſuo exeruit. Cæterum in aſcenſu montis quæſita eſt commoditas, ut liberius procul omni ſtrepitu oraret. Scimus quam facile minimis quibuſque avocamentis concidat precandi ardor, vel remiſſus langueſcat. Tametſi autem hoc vitio non laboravit Chriſtus, exemplo tamen ſuo monere nos voluit, adminiculis omnibus quæ mentes noſtras expediant ab omnibus mundi laqueis, ſedulo utendum eſſe, ut ſoluti in cælum feramur. Ad hoc autem plurimum valet ſolitudo, ut qui ſe ad precandum comparant, Deum ſolum teſtem habentes magis evigilent, cor ſuum effundant in ejus ſinum, ſeipſos diligentius examinent: denique reputantes ſibi cum Deo eſſe negotium, ſupra ſeipſos aſſurgant. Notandum tamen eſt non fuiſſe legem ab eo præfixam, quaſi nuſquam niſi in ſeceſſu orare liceat: nam & Paulus ubique (1 Tim. 2. verſ. 8.) tollere nos jubet puras manus. Et Chriſtus ipſe interdum coram hominibus oravit: imo etiam inſtituit ſuos diſcipulos, ut ſimul congregati communes inter ſe preces concipiant. Sed illa precandi in omnibus locis libertas non obſtat quominus ſecretas etiam preces ſuo tempore admiſceant.

24. *Navis jam in medio mari.*] Hanc hiſtoriam ſexto Joannis capite à me expoſitam reperient lectores, ideoque hic ero brevior. Quod paſſus eſt Chriſtus diſcipulos ſuos adverſa tempeſtate cum periculo per tempus aliquod jactari, factum eſt ut allatam ſibi opem magis attentis animis exciperent. Nam contrarius ventus ſurrexit circiter mediam noctem, vel etiam paulo ante. Quarta autem demum vigilia apparet Chriſtus, hoc eſt, tribus ad ſummum horis ante lucis exortum. non magis ergo brachiis luctati ſunt remigando, quam eorum fides terroribus duriter concuſſa. Cæterum quum ipſa neceſſitas ad expetendam magiſtri præſentiam maxime eos urgeret, nimis craſſi fuit ſtuporis turbari ejus conſpectu, quaſi ſpectrum eſſet. Hac de cauſa dicit Marcus cor eorum fuiſſe obcæcatum, nec intellexiſſe ſuper panibus. nam illo miraculo ſatis ſuperque edocti fuerant, nec deeſſe Chriſto divinam virtutem ad ſuos juvandos: & ſollicite, ubi ita poſtulabat neceſſitas, proſpicere. Merito igitur nunc damnatur eorum ſocordia, quod non ſtatim illis in mentem venit cæleſtis illa virtus, cujus tam inſigne ſpecimen pridie exhibitum adhuc ante oculos verſari debebat. Verum quidem eſt tarditatis ſuæ culpa fuiſſe attonitos, quia non rite ut decebat, in prioribus aliis miraculis profecerant: ſed præcipue coarguitur eorum cæcitas, quod tam recentis ſpectaculi memoria illis effluxerat, vel potius quod non mentem ſuam applicuerant ad conſiderandam Chriſti Deitatem, cujus ſatis clarum ſpeculum erat panum multiplicatio. Duo tamen ſuis verbis exprimit Marcus: quod non recte expenderint Chriſti gloriam, quæ in panibus multiplicatis oſtenſa fuerat: deinde cauſam aſſignat, quod excæcatum eſſet cor eorum. Id vero non modo ad augendam culpæ gravitatem additum videtur, ſed etiam ut de mentis noſtræ vitio admoniti, novos oculos à Domino petamus. Fuit certe, ut nuper dixi, nimis bruta ignorantia quaſi palpabilem Dei virtutem non ſentire. quia tamen eodem morbo laborat totum humanum genus, data opera Marcus cæcitatis meminit, ut ſciamus non eſſe novum, ſi in manifeſtis Dei operibus cæcutiant homines donec ſuperne illuminati fuerint: quemadmodum etiam dicebat Moſes, Hactenus non dedit tibi Dominus cor ad intelligendum. (Deut. 29. verſ. 4.) Quanquam

autem cordis nomine ſæpius notatur voluntas vel affectuum ſedes, bic tamen, ſicut in illo Moſis loco quem citavi, pro mente accipitur.

27. *Statim loquutus eſt Jeſus.*] Quia non agnoſcitur Chriſtus liberator dum ſe reipſa offert, verbo ad ſuiipſius notitiam invitat diſcipulos. Porro fiduciam ad quam illos bortatur, in præſentia ſui locat: acſi diceret, poſtquam ipſum ſibi adeſſe ſentiunt, ſolidam bene ſperandi materiam ſuppetere. Sed quia jam terror eorum animos occupaverat, illum, ne impediat ac moretur ipſorum fiduciam, corrigit: non quod omni metu vacui meram lætitiam ſpirare potuerint, ſed quia neceſſe fuit metum qui prævaluerat, ſedari, ne fiduciam obrueret. Etſi autem reprobis mortifera eſt vox Filii Dei, & terribilis præſentia, longe diverſus earum erga fideles effectus hic nobis deſcribitur, nempe ut palmam in cordibus noſtris obtineat pax interior, & animoſa fiducia, ne carnis timoribus cedamus. Sed hinc cæci ac præcipites tumultus nos perturbant, quia ingrati & maligni non opponimus pro clypeis innumera Dei beneficia, quæ rite expeoſa, ad nos fulciendos ſufficerent. Etſi autem opportunum erat ferendi auxilii tempus quum apparuit Chriſtus, non tamen mox ceſſavit tempeſtas, donec melius expergefierent diſcipuli tum ad expetendam tum ad ſperandam ejus gratiam. Atque id notandum eſt, ut ſciamus non abſque cauſa Dominum plerumque differre quam in maou ſua habet ſalutem.

28. *Reſpondens Petrus.*] Conditio quam ponit, nondum maturam eſſe ejus fidem teſtatur: Si tu es, inquit, jube me venire. Atqui loquentem audierat Chriſtum: cur ergo dubius & perplexus, ſecum adbuc diſceptat? In fide vero tam exigua & debili erumpit parum conſiderati voti ardor: debuerat enim ſuo modulo ſe metiri, & potius à Chriſto petere fidei incrementum, ut ea duce & moderatrice, maria tandem & montes tranſcenderet: nunc vero ſine fidei alis temere volare cupit, & quum io ejus corde juſtam firmitatem non habeat vox Chriſti, aquas ſub pedibus ſuis ſolidas fieri cupit. Neque tamen dubium eſt quin ex bono principio natus fuerit hic affectus: ſed quia in vitioſum exceſſum degeoerat, bonitatis laudem amittit. Hioc fit etiam ut ſtatim temeritatis ſuæ pœnas dare incipiat Petrus. Quare fideles hoc exemplo edocti, à nimia feſtinatiooe caveant. Quocunque vocat Dominus, ſtrenue currendum eſt: ſed qui ultra progreditur, tandem infauſto eventu ſentiet quid ſit fines ſuos tranſilire. Quæri tamen poteſt cur Petri voto annuat Chriſtus: nam videtur boc modo probare. Sed in promptu eſt ſolutio, Deum plerumque nobis melius proſpicere negando quæ petimus: aliquando autem nobis eſſe facilem, ut ipſa experieotia, ſtultitiæ ooſtræ nos melius convincat. Sic quotidie fideles ſuos, dum plus illis concedit quam expediat, in futurum tempus inſtituit ad ſobrietatem & modeſtiam. adde quod Petro & reliquis boc profuit, bodieque nobis prodeſt. Luculentius reſplenduit virtus Chriſti in Petri perſona dum ſibi eum comitem adjungit, quam ſi ſolus ipſe ambulaſſet ſuper aquas: interea cognoſcit Petrus, & alii palam cernunt, quia ſolida fide non reſidet nec recumbit in verbo Domioi, arcanam Dei virtutem, quæ prius aquas ſolidabat, diffluere: cum eo tameo benigne egit Chriſtus, quod non paſſus eſt penitus ſubmergi. Horum utrumque oobis contingit. nam ſicuti Petrus ſimulac timore correptus eſt, ſubmergi cœpit: ſic fluxæ & evanidæ carois cogitationes ſubinde faciunt ut in medio negotiorum curſu mergamur. Interea Domious veniam dat noſtræ infirmitati, manumque porrigit ne aquæ nos in totum abſorbeant. Notandum etiam eſt quod Petrus male & infeliciter ſuam temeritatem ſibi ceſſiſſe videns, ad Chriſti miſericordiam ſe confert. Quare nos quoque licet merito plectamur, ad ipſum tamen confugere nos decet, ut ooſtri miſertus, opem qua indigni ſumus, afferat.

31. *Exiguæ fidei homo.*] Sic Petrum clementer ſervat Chriſtus, ut tamen ejus vitium indulgentia non foveat. Huc pertinet iſta caſtigatio qoa fidei ejus imbecillitas damnatur. Quæritur tamen an fidei defectum arguat quilibet timor: id enim videntur innuere Chriſti verba, dubitationi non eſſe locum ubi fides regnat. Reſpondeo, dubitationem bic à Chriſto reprehendi quæ directe fidei contraria erat. Fieri poterit ut dubitet quiſpiam ſine vitio, ubi ſcilicet nondum occurrit verbum Domini, quo certior reddatur. Sed alia fuit Petri ratio, qui inſtructus mandato Chriſti, & jam ejus virtutem expertus, ab illa duplici firmitate ad vanom perverſumque timorem delabitur.

33. *Qui erant in navi.*] Non tantum de diſcipulis hoc dictum eſſe arbitror, ſed de nautis, aliiſque vectotibus. Qui ergo nondum ſe illum habere pro magiſtro profeſſi erant, repente fatentur eſſe Dei Filium. qua voce honorem Meſſiæ illi tribuunt. Etſi coim vulgo tunc ſublime iſtud myſterium cogoitum non erat, quomodo maniſeſtaodus eſſet Deus in carne: quia tamen ex Prophetis didicerant eum qui futurus eſſet redemptor, vocandum eſſe Filium Dei; qui Chriſti gloriam celebrant hoc titulo, ſe Chriſtum credere eum declarant.

MATTH. XIV.	MARC. VI.	LUC.
34. Et quum trajeciſſent, venerunt in terram Geneſareth.	53. Et quum trajeciſſent, venerunt in terram Geneſareth, & applicuerunt in portum.	
35. Et quum agnoviſſent illum viri loci illius, emiſerunt nuncios in totam undique finitimam regionem illam, & obtulerunt illi omnes male habentes.	54. Quumque egreſſi eſſent de navi, continuo agnoverunt eum. 55. Ac percurrentes totam undique regionem illam, cœperunt in grabbatis eos qui male habebant circumferre, quum audiſſent eum illic eſſe.	
36. Et obſecrabant eum ut tantum tangerent fimbriam veſtimenti ipſius: & quotquot tetigerunt, ſalvi facti ſunt.	56. Et quocunque introiſſent in vicos, aut in civitates, aut in villas, ponebant in plateis infirmos, & deprecabantur eum ut vel fimbriam veſtimenti ejus tangerent: & quotquot tangebant eum, ſalvi fiebant.	

34. *Venerunt in terram Geneſareth.*] Tractum illum deſignant Euangeliſtæ qui à lacu nomen ſumpſerat. quanquam incertum eſt an ad lacum potius tranſlatum fuerit terræ nomen: ſed io eo parum eſt momenti. Huc præcipue attendere conveoit quo nos deducunt Euangeliſtæ, non uno vel altero miraculo teſtatam fuiſſe Chriſti gloriam, ſed refertam fuiſſe partem illam Judææ innumeris ejus teſtimoniis, quorum fama Hieroſolymam, & io alias urbes quaqua verſus, facile manare poſſet. Unde colligimus quam turpis & impia fuerit illius gentis ingratitudo, quæ ad præſentem gloriæ divinæ fulgorem maligne clauſit oculos: imo quantum in ſe fuit, illum extinguere conata eſt. Nunc vero noſtrum eſt

in

in hac tanta miraculorum congerie, agnoſcere quorſum venerit Chriſtus, nempe ut medicum ſanandis omnibus omnium morbis ſe præſtaret. Nam memoria repetere convenit quod prius ex Propheta Jeſaia adduxit Matthæus, ipſum ſanandis corporibus adumbraſſe aliquid majus, quod ſcil. animas noſtras ſanitati reſtituat, propriumque ejus munus ſit ſpirituales morbos tollere. Quanquam autem hodie in terris non verſatur, certum tamen eſt nunc in cælo pollere iiſdem gratiis præſtandis quarum tunc viſibile documentum exhibuit. Quia autem omni morborum genere laboramus omnes donec ipſe nos ſanet: non modo ſe quiſque noſtrum illi offerat, ſed etiam alios offerre ſtudeat qui ſimili remedio indigent.

Jeſa. 42. verſ. 1.

36. *Ut tangerent fimbriam.*] Credibile eſt ſuperſtitione aliqua fuiſſe implicitos quum ad tactum veſtis reſtringerent Chriſti gratiam: ſaltem illum fraudabant honoris ſui parte, quum nihil virtutis ſperarent ex ſimplici ejus verbo. Sed ne linum fumigans extinguat, ſeſe accommodat eorum ruditati: interea non eſt quod inde ſibi placeant qui gratiam Dei in ligno aut clavis aut veſtibus quærunt, quum diſerte pronunciet Scriptura, nefas eſſe quicquam nunc concipere de Chriſto, niſi ſpirituali cæleſtique ejus gloria dignum. Tolerata fuit ad tempus eorum infirmitas qui neſcientes Chriſtum eſſe Deum, propius ad eum accedere optarunt. Nunc quum odore gratiæ ſuæ cælum & terram impleat, fide, non manibus vel oculis apprehendere decet quam è cælis offert ſalutem.

MATTH. XV.

1. Tunc accedunt ad Jeſum qui ab Hieroſolymis venerant Scribæ & Phariſæi, dicentes,

2. Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem Seniorum? Non enim abluunt manus ſuas quum panem edunt.

3. At ille reſpondens, dixit eis, Quare & vos transgredimini præceptum Dei propter traditionem veſtram?

4. Nam Deus præcepit, dicens, Honora patrem & matrem: &, Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur.

5. Vos autem dicitis, Quicunque dixerit patri & matri, Quicquid doni à me eſt, tibi proderit: & non honorabit patrem ſuum vel matrem ſuam.

6. Itaque irritum feciſtis præceptum Dei propter traditionem veſtram.

7. Hypocritæ, recte de vobis prædixit Jeſaias, dicens,

8. Appropinquat mihi populus hic ore ſuo, & labiis me honorat: cor autem eorum procul abeſt à me.

9. Sed fruſtra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum.

MARC. VII.

1. Et conveniunt ad eum Phariſæi, & quidam de Scribis qui venerant Hieroſolymis.

2. Et quum vidiſſent quoſdam ex diſcipulis ejus communibus manibus (id eſt, illotis) edere panes, incuſabant.

3. Nam Phariſæi, & omnes Judæi, niſi crebro laverint manus, non capiunt cibum, tenentes inſtituta majorum.

4. Et à foro reverſi, niſi loti fuerint, non comedunt: & alia multa ſunt quæ ſuſceperunt ſervanda, nempe lotiones poculorum, & urceorum, & æramentorum, & lectorum.

5. Deinde interrogant eum Phariſæi & Scribæ, Quare diſcipuli tui non ambulant juxta Seniorum traditionem, ſed illotis manibus edunt panem?

6. At ille reſpondens, dixit eis, Bene vaticinatus eſt Jeſaias de vobis hypocritis: ſicut ſcriptum eſt, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me.

7. Fruſtra autem me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum.

8. Nam omiſſo præcepto Dei, tenetis conſtitutionem hominum, urceorum ablutiones & poculorum: aliaque his ſimilia facitis multa.

9. Et dicebat illis, Bene rejicitis præceptum Dei, ut conſtitutionem veſtram ſervetis.

10. Moſes enim dixit, Honora patrem tuum & matrem tuam: &, Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.

11. Vos autem dicitis, Si dixerit homo patri vel matri, Corban (quod eſt, donum) quodcunque ex me eſt, tibi proderit.

12. Et ultra non ſinitis eum quicquam facere patri ſuo vel matri ſuæ.

13. Irritum facientes verbum Dei per traditionem veſtram quam tradidiſtis: & ſimilia hujusmodi multa facitis.

LUC.

Protervia hominum in colendo Deo.

1. *Accedunt ad Jeſum.*] Quia hic vitium corrigitur non minus noxium quam vulgare, locus eſt obſervatu digniſſimus. Videmus quanta in ratione & modo colendi Dei ſit hominum protervia: novos enim cultus ſubinde confingunt, & quo quiſque videri vult ſapientior, ſuum acumen in hac parte oſtentat. Non de extraneis loquor, ſed de ipſis Eccleſiæ domeſticis, quos Deus peculiariter hoc honore dignatus eſt ut pietatis regulam ore ſuo dictatam habeant. Præſcripſit Deus qualiter à nobis coli velit, ac perfectam ſanctitatem Lege ſua complexus eſt. Bona pars, quaſi res levis ſit & frivola obſequi Deo ac ſervare quod præcipit, multa additamenta hinc inde ſibi accerſit. Qui auctoritate pollent, commenta ſua in hunc finem obtrudunt, quaſi aliquid habeant perfectius verbo Domini. Obrepit deinde tyrannis: quia ubi ſemel jubendi licentiam ſibi ſumpſerunt homines, rigide exigunt ſuarum legum obſervationem, nec ſuſtinent vel minimum apicem vel contemptu, vel etiam negligentia omitti. Porro mundus quum legitimi imperii ſit impatiens, maximeque ad jugum Domini ferendum contumax, la-

quoſtamen vanarum traditionum facile ac libenter induit: imo talem ſervitutem videntur multi appetere. Interea vitiatur cultus Dei, cujus principium ac caput eſt obedientia: ejus imperio præfertur hominum auctoritas. Moroſe adeoque tyrannice cogitur vulgus totum ſuum ſtudium ad nugas applicare. Docet autem hic locus, primum omnes fictitios cultus minime Deo placere: quia ſe unum audiri vult, ut nos ad veram pietatem ſuo arbitrio formet ac inſtituat: deinde operam ludere, qui unica Dei Lege non contenti, in ſervandis hominum traditionibus ſe fatigant: tertio injuriam Deo fieri, quum ita in ſublime efferuntur hominum commenta, ut Legis ejus majeſtas fere concidat, vel ſaltem frigeat ejus reverentia. *Ab Hieroſolymis Scribæ.* Quo conſilio venerint Scribæ iſti ad Jeſum, non exprimitur: mihi tamen probabile eſt, fama ejus commotos, veniſſe diſcendi ſtudio, ſi quidem viſus eſſet idoneus magiſter. quanquam fieri poteſt ut ad ſpeculandum miſſi ſint. Utcunque res habeat, quia ſuum ſupercilium attulerant, facile eos minima offenſio exaſperat ut Chriſtum mordeant vel arrodant. Unde videmus quam difficile ſit ad ſanam doctrinam flecti quos ambitio libidoque dominandi occupat: præſerim qui ceremoniis addicti ſunt, ubi diuturnus uſus acceſſit, nullam novitatem admittunt, ſed præfracte damnant quicquid eſt inſolitum. Denique hoc hominum genere nihil vel magis imperioſum, vel moroſius fingi poteſt. Ambo Euangeliſtæ Scribas ac Phariſæos fuiſſe commemorant: Matthæus tamen priore loco, Marcus autem ſecundo ponit. Porro idem ſenſus eſt, quia intelligunt veniſſe quidem Scribas ex aliis ſectis, ſed Phariſæos fuiſſe primores, ſicuti honore præſtabant, & tunc penes eos gubernatio erat. Eos autem legum neglectu, quarum ipſi erant auctores, citius fuiſſe offenſos mirum non eſt: nam, ut alibi diximus, quum ſe Legis interpretes eſſe jactarent, & inde nomen illis eſſet impoſitum, ſuis figmentis corruperant verbi Dei puritatem. itaque ab eorum officina, quicquid tunc traditionum erat apud Judæus, prodierat: unde factum eſt ut ſe magis animoſos & acerbos earum zelotas oſtenderent.

Principium cultus Dei obedientia.

Traditiones humanæ.

2. *Quare diſcipuli tui.*] Quum de humanis traditionibus agitur, ad leges politicas minime pertinet hæc quæſtio, quarum uſus & finis alio tendit quam ut præcipiant qualiter colendus ſit Deus: ſed quoniam inter ſe differunt humanæ traditiones, adhibenda eſt aliqua diſtinctio. Quarundam enim manifeſta eſt impietas, quia perverſos cultus, & ex diametro cum verbo Dei pugnantes inſtituunt. Aliæ quum profanis ineptiis involvant Dei cultum, vitiant ejus puritatem. Aliæ quæ plus habent coloris, nec vitio aliquo notabili infectæ ſunt, hoc tamen nomine damnantur, quod neceſſariæ eſſe finguntur ad Dei cultum: atque ita diſceditur à vera unius Dei obedientia, & conſcientiis injicitur laqueus. De hac postrema ſpecie hoc loco tractari certum eſt. nam manuum lotio quam urgebant Phariſæi, per ſe non poterat argui pravæ ſuperſtitionis: alias non paſſus fuiſſet Chriſtus hydrias in nuptiis ſtatui niſi libera fuiſſet ceremonia: ſed in hoc ſitum erat vitium, quod non putabant aliter Deum rite coli. Initio ritus lavandi non ſine ſpecioſo prætextu inductus erat. Scimus quam ſevere Lex Dei requirat externam munditiem: non quod in ea Dominus occupari vellet ſervos ſuos, ſed quo magis ſollicite ab omni ſpirituali inquinamento ſibi caverent. Cæterum in ablutionibus aliquem modum Lex tenebat. Supervenerant autem doctores qui ſe non putabant ſatis acutos habitum iri niſi aliquid verbo Dei aſſuerent: hinc fluxerunt lotiones quarum nulla fiebat in Lege mentio. Legiſlatores ipſi non jactabant ſe novum quicquam tradere, ſed tantum addere cavendi formulas, quæ media eſſent adminicula ad ſervandam Dei Legem. Mox vero ſequuta eſt corruptela; quum pars divini cultus cenſeri humanitus inductæ ceremoniæ cœperunt. Deinde quum in rebus liberis & voluntariis neceſſitas eſt impoſita. Deus enim (ut jam dictum eſt) ſemper ex verbi ſui præſcripto coli voluit: ideoque nulla tolerabilis eſt ad Legem ejus acceſſio. Jam ut ritus externos fidelibus ſibi habere permittit, in quibus ſe exerceant ad pietatem: ita non patitur cum verbo ſuo miſceri acſi in illis poſita eſſet religio. *Non abluunt manus ſuas.* Offendiculi cauſa copioſius exponitur apud Marcum: ſumma tamen huc redit, multa fuiſſe in uſu apud Scribas quæ ultro ſervanda ſuſceperant: illæ erant ſecundariæ leges à curioſis hominibus inventæ, quaſi ſimplex Dei mandatum non ſufficeret. Ablui jubebat Deus qui aliquid pollutionis contraxerant. hoc ad pocula & urceos, veſtem & reliquam ſuppellectilem patebat, nequid attingerent pollutum vel immundum. Sed novas ablutiones comminiſci, otioſæ vanitatis fuit. Non deerat quidem color, ut Paulus dicit hominum inventa ſpeciem habere ſapientiæ: verum ſi acquieviſſent in ſola Dei Lege, magis illi probata fuiſſet modeſtia, quam ſcrupuloſa anxietas. Cavere volebant nequis immundus per incogitantiam cibum ſumeret. atqui ſatis Domino fuerat purgare ſordes cognitas. Porro iſtæ cautiones nullum habebant finem vel modum: quia vix digitum movere poterant quin obreperet nova aliqua macula. ſed corruptela hæc longe deterior erat, quod injecta erat conſcientiis religio, ut pollutionis reus fieret qui ſubinde corpus aqua non abluebat. In plebeiis forte hominibus toleraſſent ceremoniæ hujus neglectum: ſed quia de Chriſto & ejus diſcipulis aliquid eximium conceperant ac non vulgare, indignum eſſe videtur quod ritus à majoribus traditos, quorum uſus inter Scribas ſanctus erat, non obſervent ejus magiſtri diſcipuli qui aliquid melius præſenti ſtatu profitebatur. Porro multum falluntur qui aſperſionem aquæ luſtralis, quæ *benedicta* vocatur apud Papiſtas, cum lotionibus Judaicis comparant. Unicum enim Baptiſmum toties iterando, quantum in ſe eſt obliterant Papiſtæ. Deinde ad exorciſmos confertur frivola illa aſperſio. Quod ſi per ſe licita, & talibus corruptelis vacua foret, ſemper tamen damnanda eſt illa quam urgent neceſſitas.

Ablutiones.

Coloſſ. 2. verſ. 23.

Aqua luſtralis.

3. *Quare & vos transgredimini.*] Duplex hic ponitur Chriſti reſponſio: prior eſt ad perſonam, ut loquuntur: altera rei & cauſæ definitionem continet. Inverſus eſt ordo apud Marcum, qui prius Chriſtum de re tota loquentem inducit: deinde ſubjicit objurgationem, qua invehitur contra hypocritas. nos filum Matthæi ſequemur. Quum viciſſim quærit Dominus à Scribis cur Dei Legem propter ſuas traditiones violent, nondum plane diſcipulos à crimine objecto liberat, ſed tantum admonet quam iniqua ſit & præpoſtera eorum moroſitas. Indigne ferunt, hominum præcepta non exacte ſervari: quanto indignius eſt, poſthabita Lege Dei, totum ſtudium ad illa ſervanda impendere? Apparet igitur ambitioſe magis quam recto zelo ipſos offendi, dum ita homines Deo præferunt. Porro quo ſenſu dicat eos transgredi Dei mandata, ex contextu facile colligitur. Non abolebant palam vel ex profeſſo Legem Dei, ut quod vetuerat, licitum eſſe fingerent: ſed obliqua erat transgreſſio, quum officia divinitus injuncta ſecure omitti patiebantur. Clarum & familiare exemplum eſt quod Chriſtus adducit: Præceptum Dei eſt ut liberi honorem habeant ſuis parentibus. Quia ſacræ oblationes in lucrum Sacerdotum cedebant, tam rigida erat earum exactio ut gravius peccare fingerent qui nihil ſponte offerret, quam qui parentem fraudaret debito jure. Denique quod ſecundum Legem Dei voluntarium erat, pluris erat Scribarum judicio, quam unum ex præcipuis Dei mandatis. Ergo quoties ita intenti ſumus ad ſervandas hominum leges, ut ad ipſam Dei Legem ſer-

vandam

vandam minus ſtudii curæque impendamus, cenſemur eam transgredi. Paulo poſt dicet irritum fieri Dei mandatum propter homioum traditiones: quia Scribæ ita ſuis placitis addictum tenebant populum ut intendere verbo Dei non vacaret. deinde quia ſeſe pulchre defunctos putabant qui ad uoguem illis erant obſequuti, binc ſurgebat peccandi licentia. Impune enim violari creditur Lex Dei quoties alibi quam in ejus obſervatione locatur ſanctitas. Nunc pro ſe quiſque expendat annon hodie magis hæc pravitas in Papatu graſſetur, quam olim apud Judæos. Non negat quidem Papa cum tota cleri ſui colluvie quin ſit obediendum Deo: ſed ubi ad rem ventum eſt, quia non ſecus ac capitale crimeo deteſtantur modicum carnis guſtum, quibus furtum vel ſcortatio veniale delictum eſt, propter ſuas traditiooes evertuot Legem Dei: quia nullo modo ferendum eſt ut hominum placita de obſervantia quæ Deo uoi debetur, quicquam minuant. Porro honor quem præſtare jubet Deus parentibus, ad omnia pietatis officia extenditur. Poſterius membrum quod adjongit Chriſtus, morte dignum eſſe qui maledixerit patri vel matri, buc ſpectat, ut ſciamus non vulgare eſſe aut levis momenti præceptum de honoraodis parentibus, cujus violatio tam ſevere punitur. Hoc vero Scribarum culpam non parum amplificat, quod tam ſevera denunciatio minime eos terret quo minus frenum laxent parentum contemptoribus.

5. *Vos autem dicitis.*] Defectiva eſt loquutio: quæ apud Marcum eſt plenior, ubi additur, *Non ſinitis eum ultra quicquam præſtare.* Senſus autem eſt, perperam à Scribis abſolvi qui parentibus ſubtrahunt ſua officia, modo hunc defectum ſuppleaot voluntario ſacrificio, quod ſine Dei offenſa omitti poterat. Nec enim Cbriſti verba ſic accipere convenit quaſi ab omni juſto obſequio homioes probibuerint Scribæ: ſed tanro fervore inſtabant ad prædam venandam, ut parenribus interea deeſſent filii.

Jeſ. 29. verſ. 13. 7. *Recte de vobis prædixit Jeſaias.*] Longius nunc progreditur Dominus. nam de ipſa cauſa proonunciat, quam in duo membra diſtribuit. Prius eſt, quod externis ſolum ritibus affixi, veram ſanctitatem, quæ ſincera cordis iotegritate conſtat, pro nihilo ducerent: alterum, quod perverſe Deum colerent ſuo arbitrio. Quanquam autem ubi larvatam fictamque ſanctimoniam exagitat, videtur adbuc perſonas ſtringere, doctrinæ tamen ſummam complectitur: cujus hæc plena fuit definitio, cultum Dei ſpiritualem eſſe, non in aſperſione aquæ, vel io alia ceremonia poſitum. Deiode oon alium eſſe rationalem Dei cultum, quam qui ad regulam verbi ejus formatus eſt. Quanquam autem Jeſaias non in futurum modo tempus vaticinatus eſt, ſed ætatis ſuæ homines reſpexit, Cbriſtus tamen in Phariſæos & Scribas competere dicit vaticinium: quia ſimiles ſuni veteribus illis hypocritis cum quibus certabat Propheta. Non refert Chriſtus ad verbum quod illic habetur: duo tamen hæc vitia Propheta diſerte commemorat quibus Dei vindictam in ſe provocaverant Judæi, quod labiis tantum & externa profeſſione pietatem ſimolarent: deinde quod deflecterent ad cultus fictitios. Primo igitur impia eſt bypocriſis, quum homines non niſi externa ſpecie Deum honorant: nam ore & labiis appropinquare Deo, per ſe malum non eſſet ſi modo cor præiret. Summa eſt igitur, quia ſpiritualis eſt cultus Dei, nec quicquam illi placet niſi adſit interior cordis ſinceritas, bypocritas eſſe qui ſanctitatem in externis pompis conſtituunt.

9. *Fruſtra me colunt.*] Ad verbum ſic loquitur Propheta, Fuit timor eorum ex præcepto hominum edoctus. Sed Cbriſtus fideliter & apte ſenſum reddidit, fruſtra Deum coli ubi pro doctrina ingeritur bominum voluntas. [Porro his verbis omnes ἐθελοθρησκείας, ut Paulus vocat, damnari minime obſcurum *Coloſ. 2.*
eſt. Nam, ut diximus, quia vult Deus ſuo unius ar- *verſ. 23.*
bitrio coli, oovos ſibi cultus fabricari minime ſuſtioet. Simul ergo atque vagari ſibi permittunt bomines extra Dei verbum, quo qoiſque io eo colendo magis ſtrenue & curioſe ſatagei, eo gravius ſibi acceſſet judicium: quia profanatur religio talibus figmentis. In bis verbis appoſitio eſt, Docentes doctrinas, præcepta hominum. Eos enim errare Cbriſtus pronunciat qui loco doctrinæ obtrudunt hominum mandata: vel qui inde regulam petunt colendi Dei. Fixum ergo illud maneat, quia Deo pluris eſt obe- *1Sam. 15.*
dientia quam victimæ, fictitios omnes cultus coram *verſ. 23.*
eo vanos eſſe: imo, teſte Propbeta, maledictos & deteſtabiles.

MATTH. XV.

10. Et advocatis ad ſe turbis, dixit eis, Audire & intelligite.

11. Non quod ingreditur in os, impurat hominem: ſed quod egreditur ex ore, hoc impurum reddit hominem.

12. Tunc accedentes diſcipuli ejus dixerunt illi, Noſti Phariſæos audito ſermone iſto offenſos fuiſſe?

13. At ille reſpondens, ait, Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cæleſtis, eradicabitur.

14. Omittite illos, duces ſunt cæci cæcorum. Porro ſi cæcus cæco dux fuerit, ambo in foveam cadent.

15. Reſpondens autem Petrus, dixit ei, Ediſſere nobis parabolam iſtam.

16. Jeſus autem dixit, Adhuc & vos intelligentia caretis?

17. Nondum intelligitis quod quicquid ingreditur in os, in alvum abit, & in ſeceſſum ejicitur?

18. At ea quæ proficiſcuntur ex ore, ex ipſo corde egrediuntur, & illa impurum reddunt hominem.

MARC. VII.

14. Et quum advocaſſet ad ſe totam turbam, dicebat illis, Audite me omnes, & intelligite.

15. Nihil eſt extra hominem, introiens in eum, quod poſſit eum inquinare: ſed quæ de homine procedunt, illa ſunt quæ inquinant hominem.

16. Si quis habet aures ad audiendum, audiat.

17. Et quum ingreſſus eſſet domum, ac ſemotus à turba, interrogarunt eum diſcipuli ejus de ſimilitudine.

18. Et ait illis, Adeo & vos intelligentia caretis? nondum intelligitis quod omne foris introiens in hominem, non poteſt eum inquinare?

19. Quia non intrat in cor ejus, ſed in ventrem: & in ſeceſſum exit, repurgans omnes eſcas.

20. Dicebat autem, Quod ab homine exit, illud inquinat hominem.

21. Ab interioribus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, ſtupra, homicidia,

LUC. VI.

39. Dicebat autem illis ſimilitudinem, Numquid poteſt cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadent?

22. Furta,

19. Nam ex corde exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, ſtupra, furta, falſa teſtimonia, convitia.

20. Hæc ſunt quæ impurum reddunt hominem. Cæterum illotis manibus capere cibum, non coinquinat hominem.

22. Furta, cupiditates, fraudes, dolus, laſcivia, malus oculus, convitia, ſuperbia, ſtultitia.

23. Omnia hæc mala ab internis procedunt, & inquinant hominem.

10. *Advocatis ad ſe turbis.*] Hic Chriſtus ad dociles ſe convertens, fuſius exponit quod prius attigerat, regnum Dei non eſſe poſitum in cibo & potu, ſicuti etiam Paulus docet. (Rom. 14. verſ. 17.) nam quum res externæ natura puræ ſint, liber quoque ac purus eſt earum uſus: nec vero ex bonis Dei creaturis contrahitur immundities. Generalis eſt igitur ſententia, ſordes non aliunde venire in hominem, ſed fontem in ipſo latere. Cæterum per ſynecdochen *Ex ore hominis* prodire dicit quæ ex ſe quiſque mala profert. Alludit enim ad præſentem cauſam: acſi diceret, nos non haurire ore immunditiem una cum cibo & potu: ſed ex nobis omne ſordium genus profluere.

12. *Noſti Phariſæos.*] Quia ſuperciliosi ac indociles erant Scribæ, non multum operæ impendit Chriſtus in illis placandis, ſed ſatis habuit eorum hypocriſin & faſtum repellere. Ita duplicata eſt offenſio quam prius conceperant, ubi vident non incuria, ſed quaſi ex profeſſo ſuas lotiones tanquam nugas à Chriſto ſperni. Jam quum malignos & virulentos animos Chriſtus acriter pungendo magis accendere non dubitaverit, diſcamus ejus exemplo non magnopere curandum eſſe ut omnibus placeant facta ac dicta noſtra. Diſcipuli tamen (ut rudibus & indoctis mos eſt) Chriſtum incommode & perperam reſpondiſſe, ex eventu minus ſecundo conjiciunt. Huc enim ſpectat eorum admonitio, ut Chriſtus aſperius dictum corrigendo, offenſos animos lenire ſtudeat. Hoc fere ſolenne eſt infirmis, ſiniſtre judicare de doctrina quam vident iniquis & adverſis auribus accipi. Et certe optandum eſſet eam placide & ſine offenſa probari omnium ſuffragiis: ſed quia multorum mentes excæcat Satan, & corda etiam in rabiem accendit, multas etiam animas bruto ſtupore obrutas tenet, fieri non poteſt ut omnibus ſapiat recta ſalutis doctrina: præſertim vero exaſperari mirum non eſt qui malitiæ & contumaciæ virus intus fovent. Danda quidem opera eſt, quoad licebit, ne qua ex noſtra docendi ratione offenſio naſcatur: ſed extremæ inſaniæ foret, velle nobis prudentius moderari quam edocti ſumus à cæleſti magiſtro. Videmus autem ut ex ejus ſermone ſumpta fuerit ab improbis & perverſis hominibus ſcandali occaſio: imo videmus ut illam ſcandali ſpeciem quæ maligne contracta erat, ſuſque deque habuerit.

13. *Omnis plantatio.*] Quia minus proſpero doctrinæ ſucceſſu vulnerati erant debiles animi, Chriſtus huic malo mederi voluit. Hoc autem remedium adhibet, non eſſe quod turbentur boni, vel minus honorifice de doctrina ſentiant, quamvis multis in mortem cedat. Inſcite hic locus exponitur à quibuſdam, quod omnia hominum figmenta, & quicquid ex ore Dei profectum non eſt, evelli ac perire oporteat: nam ad homines potius Chriſtus reſpexit; ac ſenſus eſt, mirum non eſſe ſi reprobis mortifera eſt ſalutis doctrina, quia ſemper in exitium, cui devoti ſunt, præcipites feruntur. Quare plantatos Dei manu intellige, qui gratuita ejus adoptione in arborem vitæ inſiti ſunt: ſicuti & Jeſaias renovatam Chriſti (Jeſ. 60. verſ. 21.) gratia Eccleſiam vocat germen à Domino plantatum. Porro quia ex ſola Dei electione eſt ſalus, reprobos perire neceſſe eſt quocunque id fiat modo: non quod Deus innoxios & omni culpa vacuos perdat; ſed quia ipſi propria malitia, quicquid oblatum eſt, quamlibet ſit ſalutare, in exitium ſuum convertunt. ita fit ut ſponte pereuntibus Euangelium odor (2 Cor. 2. verſ. 16.) ſit mortis in mortem, teſte Paulo. Etſi enim omnibus in ſalutem proponitur, hunc tamen fructum non profert niſi in electis. Fidi etiam & probi doctoris eſt ſic temperare quicquid adducit in medium, ut omnibus proſit: ſed quoties aliter ſuccedit, conſolemur nos Chriſti reſponſo. Pulchre autem exprimit ſimilitudo cauſam exitii non eſſe in doctrina, ſed reprobos qui nullam in Deo radicem habent, objecta ſibi doctrina, evomere occultum venenum ut ſibi mortem accelerent, cui jam erant addicti. Adde quod hypocritas qui videntur ad tempus inſtar bonarum arborum plantati, ſpecialiter Chriſtus deſignat. Epicurei enim qui craſſo & infami Dei contemptu ſunt notabiles, non dicentur proprie ſimiles (*Epicurei.*) eſſe arboribus, ſed in quibus aliqua inanis pietatis ſpecies emicat. Tales erant Scribæ, qui in Eccleſia Dei, non ſecus ac cedri in Libano eminebant: quo magis abſurda videri poterat eorum defectio. Porro quum dicere poſſet Chriſtus merito perire qui ſalutem indigne reſpuunt, altius conſcendit, ac quenquam perpetuo ſtaturum negat niſi cujus ſalus in Dei electione fixa eſt. Quibus verbis diſerte exprimit primam ſalutis noſtræ originem fluere ab illa gratia qua Deus nos ſibi antequam creati eſſemus, in filios elegit.

14. *Omittite ipſos.*] Indignos eſſe pronunciat quorum haberi debeat ratio: itaque non eſſe cur nos eorum offenſio nimis commoveat. Hinc ſumpta fuit trita illa de ſcandalis vitandis diſtinctio, quod cavendum ſit ne infirmis detur ſcandalum: ſiquis vero contumax & malignus ſcandalum accipiat, non eſſe curandum: Chriſtum enim qui petra eſt ſcandali, ſepeliri neceſſe foret, ſi vellemus omnium pervicaciæ ſatisfacere. Ergo inter infirmos qui ignorantia offenſi, mox reddunt ſe ſanabiles, & ſuperbos & moroſos qui ſcandala ſibi accerſunt, diſcernere operæpretium eſt: (*Scandala.*) ne quis infirmus noſtra culpa turbetur. Cæterum ubi mali contumaciter impingent, per medias offenſiones ſecure pergamus. nam qui infirmis fratribus non parcit, quaſi pedibus eos calcat, quibus jubemur manum porrigere. Alios vero curare minime conſentaneum eſſet quorum in ſcandala incidere neceſſe eſt ſi rectam viam tenere cupimus. Deinde ubi offendiculi prætextu eos à Chriſto alienari & deficere contigerit, ſinendi ſunt, ne ſecum nos abripiant. *Duces ſunt cæci cæcorum.* Significat (*Spontanea cæcitas.*) Chriſtus miſere perituros quicunque huc illuc ſe inflectent ad illorum arbitrium. nam quum in plana via impingant, hinc conſtat ſponte eos cæcutire. Nunc, quorſum ſe illis regendum quiſquam permitteret niſi ut in eandem cadat foveam? Chriſtus autem qui Sol juſtitiæ nobis illuxit, nec ſolum Euangelii ſui face nobis viam monſtrat, ſed eandem à nobis vult præferri, merito ab illa ſocordia diſcipulos revocat, ne in cæcorum gratiam quaſi in tenebris errent. Hinc etiam colligimus inexcuſabiles eſſe omnes qui ſimplicitatis aut modeſtiæ prætextu fallendos ſe, ac erroribus illaqueandos tradunt. Lucas in hac ſententia recitanda nullam circumſtantiam notat: ſed generaliter dicit, Chriſtum hac ſimilitudine uſum fuiſſe, ſicuti multos Chriſti ſermones commemorans, quorſum habiti fuerint ſubticet. Poteſt quidem fieri ut ſæpius idem hoc Chriſtus dixerit: ego tamen (quia locus alibi non erat aptior) huc inſerere non dubitavi quod tempore non expreſſo refert Lucas.

15. *Reſpondens Petrus.*] Quia diſcipuli nimiam ruditatem produnt, merito eos caſtigat Chriſtus, & exprobrat quod adhuc intelligentia careant: ne-

que

que tamen illis doctorem ſe præſtare deſinit. Quod nominatim Petro Matthæus tribuit, Marcus eodem ſenſu ab omnibus quæſitum fuiſſe refert: idque patet ex Chriſti reſponſo, ubi non ſola Petri ignorantia, ſed omnium pariter coarguitur. Summa autem eſt, cibis non pollui homines, ſed ſordes vitiorum intus habere incluſas quæ palam in opera emergunt. Si quis objiciat, intemperiem victus inquinamentum eſſe: facilis eſt ſolutio, Chriſtum non agere niſi de nativo & legitimo earum rerum uſu quas nobis Dominus ſubjecit. Edere & bibere, libera per ſe & media res eſt. ſiquid accedit corruptelæ, ab ipſo homine oritur: ideoque internum cenſeri, non extrinſecum debet.

19. *Ex corde exeunt.*] Hinc colligimus quod admonui, nomen Oris pro loci præſentis circumſtantia fuiſſe prius à Chriſto poſitum: nunc enim non fit oris mentio, ſed tantum ex corde hominis manare dicitur quicquid vitioſum eſt, & ſuis ſordibus inquinat. In hoc differt à Matthæo Marcus, quod plura vitia enumerat, ut ſunt libidines, vel cupiditates nimiæ: quas alii avaritias transferunt, ego generaliter accipere malui. Item dolus & intemperantia, & quæ deinde ſequuntur. Cæterum quamvis impropria ſit loquendi forma, ſufficit tenere mentem Chriſti, quod omnia vitia ex malis & corruptis cordis affectibus procedant. Improprie dicitur malus oculus ex corde procedere, in re tamen ipſa nihil eſt vel abſurdi vel ambigui, nempe quod impurum cor oculos contaminet, ut miniſtri ſint vel organa malarum cupiditatum. Neque tamen reſtringit Chriſtus quicquid mali eſt in homine ad manifeſta peccata, ſed ut clarius oſtendat cor hominis omnium malorum ſedem eſſe, teſtimonia & fructus in ipſis peccatis extare dicit. Pro verbo inquinandi Græce habetur Commune facere: ſicuti paulo ante Marcus communes dixit manus, pro impuris. Eſt autem Hebraica phraſis: nam quia hac lege Dominus Judæos ſegregaverat ut disjuncti eſſent ab omnibus Gentium inquinamentis, quicquid ab hac ſanctitate alienum erat, commune, quaſi profanum vocarunt.

Oris nomen. *Commune.*

Matth. XV.

21. Et egreſſus inde Jeſus, ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis.

22. Et ecce mulier Chananæa quæ à finibus illis venerat, clamavit, dicens, Miſerere mei Domine fili David: filia mea miſere à dæmonio vexatur.

23. Ille vero non reſpondit ei quicquam. Et accedentes diſcipuli ejus rogabant illum, dicentes, Amanda illam: nam clamat poſt nos.

24. At ille reſpondens, dixit, Non ſum miſſus niſi ad oves perditas domus Iſraël.

25. Illa autem venit, & adoravit eum, dicens, Domine ſuccurre mihi.

26. At ille reſpondens, dixit, Non eſt decorum ſumere panem filiorum, & projicere carellis.

27. At illa dixit, Certe Domine: etenim catelli edunt de micis quæ cadunt à menſa dominorum ſuorum.

28. Tunc reſpondens Jeſus, dixit illi, O mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis. Et ſanata fuit filia ejus ex eo tempore.

Marc. VII.

24. Et inde ſurgens, abiit in confinia Tyri ac Sidonis: & ingreſſus domum, neminem voluit ſcire. nec potuit latere:

25. Mulier enim ſtatim ut audivit de eo cujus filiola habebat ſpiritum immundum, venit, & accidit ad pedes ejus,

26. (Erat enim mulier Græca, Syrophœniſſa genere) & rogabat eum ut dæmonium ejiceret de filia ſua.

27. Jeſus autem dixit illi, Sine prius ſaturari filios: non eſt enim decorum ſumere panem filiorum, & projicere catellis.

28. At illa reſpondit, & dixit illi, Certe Domine: nam catelli quoque comedunt ſub menſa de micis filiorum.

29. Et ait illi, Propter iſtum ſermonem vade, exiit dæmonium à filia tua.

30. Et quum abiiſſet in domum ſuam, reperit dæmonium exiiſſe, & filiam jacentem ſuper lectum.

Luc.

In hoc miraculo docemur quomodo ad Gentes manare cœperit Chriſti gratia. etſi enim nondum advenerat maturum tempus quo ſe toti mundo Chriſtus publicaret, præludia tamen quædam dare voluit communis miſericordiæ, quæ tandem promiſcue Judæis & Gentibus fuit exhibita poſt ejus reſurrectionem. Inſignis etiam fidei imago depingitur in muliere Chananæa, ut comparatione facta ſciamus promiſſa redemptione merito privatos fuiſſe Judæos quorum tam ſtupida fuit impietas. Mulier quam Matthæus Chananæam vocat, à Marco dicitur fuiſſe Græca, & genere Syrophœniſſa: in quo nihil eſt diſſidii. ſcimus enim vulgo receptum fuiſſe Judæis loquendi morem, ut omnes exteras gentes, Græcas vocarint: ideoque illa antitheſis inter Græcos & Judæos frequenter occurrit apud Paulum. Porro quum ex partibus Tyri & Sidonis oriunda eſſet, non mirum eſt vocari Syrophœniſſam: quando & regio nomen habebat Syriæ, & pars Phœniciæ erat: omnes vero illius terræ incolas Judæi Chananæos odioſe vocabant. Et credibile eſt majori ex parte traxiſſe originem à populis Chanaan, qui patria expulſi, tanquam in vicinum exilium profugerant. In hoc ambo conſentiunt, mulierem ex profana gente natam, non educatam in Legis doctrina, ultro veniſſe ad Chriſtum ut ſuppliciter opem ab ipſo peteret. Notanda eſt etiam circumſtantia quæ à Marco exprimitur, Chriſtum illuc veniſſe non erecto vexillo, ſed ut inſtar privati hominis in illo angulo ad tempus lateret. Loquitur autem Marcus pro communi carnis ſenſu. etſi enim Spiritu ſuo divino præviderat Chriſtus quid futurum eſſet, quatenus tamen Patris miniſter erat ac legatus, ſeſe intra vocationis ſibi injunctæ fines humanitus continuit: ideo non potuiſſe dicitur quod ſecundum hominem volebat. Interim hæc circumſtantia, ut dixi, ad damnandos Judæos grave pondus habet, quod quum ipſis Chriſtus promiſſam redemptionem ſonora voce & miraculis additis in medium proferret, cæci & ſurdi fuerint, quum tamen jactarent ſe fœderis Domini eſſe hæredes, peculium ejus, regnumque Sacerdotale: mulier vero hæc, cui nihil commune erat cum filiis Abrahæ, & ad quam fœdus minime in ſpeciem pertinebat, nulla voce aut ſigno invitata, ultro accurrerit.

Chananæa. *Græci.*

22. *Miſerere mei Domine.*] Quanquam à grege Domini eatranea erat hæc mulier, guſtum tamen aliquem pietatis imbiberat: nam ſine aliqua promiſſionum notitia Chriſtum non vocaſſet filium Davidis. Tametſi enim à pura & integra Legis doctrina fere deſciverant Judæi, vel ſaltem procul deflexerant, celebris tamen vigebat promiſſæ redemptionis fama. Et quoniam Eccleſiæ reſtitutio à regno Davidis pendebat, quum de Meſſia erat ſermo, tritum apud eos erat nomen filii Davidis, & quidem in ore omnium volitabat hæc confeſſio. Sed quum apud ipſos obſoleviſſet vera fides, mira & incredibili Dei bonitate factum eſt ut promiſſionum odor ad vicinas Gentes pervenerit. Quanquam ergo mulier hæc à nullo magiſtro familiariter edocta erat, fidem tamen de Chriſto non temerè ſibi fabricavit, ſed concepit ea Lege & Prophetis. Quare non minus inſulſe quam impie canis ille Servetus, ut fidem promiſſionibus nudaret, abuſus eſt hoc exemplo. Secundum hunc ſenſum non nego quin poſſit interdum aliqua eſſe fides implicita, cui ſcilicet non conſtat diſerta diſtinctaque ſanæ doctrinæ cognitio: modo hoc teneamus, fidem ſemper ea Dei verbo naſci, & principium ſuum ex veris rudimentis habere, utque ſemper ad aliquam ſcientiæ lucem annexa ſit.

23. *Ille vero non reſpondit.*] Variis modis fidem hujus fœminæ Euangeliſtæ commendant, ſicuti nunc ab invicta conſtantia. nam quum ſilentium Chriſti quoddam eſſet repulſæ genus, hac tentatione dejectam non fuiſſe mirum eſt: aſſiduitas autem precandi, perſeverantiæ teſtis fuit. Videtur tamen hoc fidei & invocationis naturæ eſſe contrarium, qualiter eam Paulus deſcribit ad Rom. quod ſcilicet nemo rite precari queat niſi præeunte verbo Dei. Quis ergo mulierem hanc fide præditam eſſe dicet, quæ tacente Chriſto fiduciam ex ſenſu proprio ſpirat? Sed quum bifariam loquatur Chriſtus & taceat, notandum eſt, quamvis tunc ſupprimeret oris verba, intus tamen loquutum eſſe mulieris animo: itaque arcanum hunc inſtinctum externæ prædicationis vice fuiſſe. Adde quod quum ex auditu fidei nata eſſet ejus precatio, quamvis non ſtatim reſpondeat Chriſtus, ſemper tamen reſonat doctrina illa quam ſemel didicit, quod Chriſtus advenerit Redemptor. Ita ſæpe Dominus fideles ſuos alloquitur & ſimul tacet: nam Scripturæ teſtimoniis freti, ubi ipſum audiunt loquentem, ſibi non dubitant propitium fore: & tamen votis eorum & precibus non ſtatim reſpondet, quin potius ſe audire diſſimulat. Videmus ergo quodnam fuerit Chriſto conſilium tacendi, non ut fidem mulieris extingueret, ſed potius ut acueret ejus ſtudium, & accenderet fervorem. Quod ſi exiguum doctrinæ ſemen in Chananæa tam uberem fructum tulit, nihil minus decet quam nos deficere ſi quando nos ſuſpendit, nec ſtatim humano reſponſo dignatur. *Amanda eam.*] Nihil in ejus gratiam petunt diſcipuli: ſed quia illis moleſta eſt importunitas, dimitti quovis modo cupiunt. Cæterum puerile figmentum fuit, quod hoc prætextu conati ſunt Papiſtæ Sanctos, qui mortui ſunt, nobis inducere patronos. nam ut demus hanc fœminam petiiſſe à diſcipulis aliquid ſuffragationis vel gratiæ (quod tamen ex contextu elici non poteſt) alia tamen eſt mortuorum ratio quam vivorum. Adde quod faſtidioſe eam audiunt diſcipuli: atque ut animus illis fuerit patrocinio ſuo eam levare, nihil tamen impetrant.

Rom. 10. verſ. 14.

24. *Non ſum miſſus.*] Reddit cauſam Apoſtolis cur Chananæam non exaudiat, quia velit Judæis ſe totum impendere, quibus ſolis deſtinatus erat divinæ gratiæ miniſter. Ergo à vocatione & mandato Patris arguit nihil eſſe extraneis auxilii præſtandum: non quod perpetuo incluſa fuerit Chriſti virtus intra tam anguſtos fines, ſed quia ſic ferebat temporis ratio, ut initium faciens à Judæis, ſe tunc illis peculiariter addiceret. Nam ut dictum fuit cap. 10. non ante reſurrectionem diruta fuit maceria ut pacem annunciaret Chriſtus ipſe Gentibus à regno Dei alienis. Ideo tunc vetabat Apoſtolos alibi quam in Judæa primum doctrinæ ſemen ſpargere. Vere igitur ſe miſſum hoc loco negat niſi ad ſolos Judæos, donec ſuo tandem ordine Gentes quoque ſuccederent. Porro Oves domus Iſraël appellat non ſolos electos, ſed quicunque genus à ſanctis Patribus trahebant: quia omnes complexus fuerat Dominus in fœdere, & promiſcue omnibus Redemptor promiſſus erat, ſicuti etiam ſine exceptione omnibus ſe patefecit ac obtulit. Hoc quoque notatu dignum eſt, quod ſe datum eſſe pronunciat ovibus perditis: ſicut alibi ſe veniſſe teſtatur ad ſervandum quod perierat. Jam quum nobis hodie communis ſit ejus gratia cum Judæis, colligimus qualis ſit noſtra conditio, donec ipſe appareat nobis ſervator.

Oves domus Iſraël.

25. *Illa venit. & adoravit.*] Videtur mulier obſtinatione quadam luctari, ut ab invito aliquid extorqueat: ſed non dubium eſt quin concepta de Meſſiæ bonitate fides illam ſic animaverit. Quod autem Chriſto præciſe negante hoc eſſe ſui officii, eam non terruit repugnantia, neque deduxit à propoſito: hinc factum eſt quod penitus defixa in priore illo quem dixi fidei ſenſu, nihil ſpei ſuæ contrarium admiſit. Atque hæc vera eſt fidei probatio, quum generale ſalutis noſtræ principium, quod in verbo Dei fundatum eſt, nullo modo nobis excuti patimur.

26. *Non eſt decorum.*] Jam Chriſtus duriore quam prius reſponſo ſpem omnem præcidere videtur. non enim ſolum docet, quicquid accepit à Patre gratiæ Judæis deberi, & illis eſſe diſpenſandum, ne peculiari ſuo jure fraudentur: ſed non ſine contumelia comparat mulierem ipſam cani, ſignificans indignam eſſe quæ gratiæ ſuæ particeps fiat. Cæterum ut clare nobis pateat ſenſus, ſciendum eſt hic vocari panem filiorum non quælibet Dei dona, ſed tantum quæ diſtincte Abrahæ & ejus generi contulerat. Nam ab initio mundi ſic effuſa ubique fuit Dei bonitas, imo cælum & terram implevit, ut patrem ipſum ſenſerint omnes mortales. Sed quia filios Abrahæ majori honore dignatus fuerat quam reliquum humanum genus, panis filiorum dicitur quicquid proprie ad illam adoptionem ſpectat, qua ſoli Judæi electi erant in filios. Luce Solis, vitali ſpiritu, terræque alimentis communiter fruebantur cum Judæis Gentes: ſed benedictio quæ in Chriſto ſperanda erat, reſidebat in una domo Abrahæ. Quare ſine diſcrimine vulgo exponere quod Deus ſingulari privilegio penes gentem unam depoſuerat, nihil aliud erat quam abolere Dei fœdus. nam hoc modo Judæis, quos excellere decebat, pares fiebant Gentes. Ideo Chriſtus Projiciendi verbo utitur, ſignificans non bene locari quod Eccleſiæ Dei ablatum, profanis hominibus vulgatur. Hoc autem reſtringi debet ad tempus illud quo Deus invocabatur tantum in Judæa. Nam ex quo aſcitæ ſunt Gentes in conſortium ejuſdem ſalutis (quod factum eſt ubi per Euangelium Chriſtus ubique illuxit) ſublatum eſt diſcrimen, ut qui prius canes erant, nunc reputentur inter filios. Cæterum hic jaceat neceſſe eſt carnis ſuperbia, ubi audimus nos origine eſſe canes. Major quidem ab initio fuit humanæ naturæ præſtantia, in qua fulgebat Dei imago, quam ut tam probroſum nomen in Gentes omnes competeret, adeoque in ipſos Reges quos Deus ſuo titulo inſignit: ſed fecit Adæ perfidia & defectio, ut Dominus merito cum canibus in ſterquilinium projiciat, qui primi parentis culpa facti ſunt degeneres: præcipue ubi fit comparatio inter Judæos qui exempti ſunt à communi ſorte, & Gentiles qui exulant à regno Dei. Clarius exprimitur conſilium Chriſti apud Marcum, ubi habetur, *Sine prius ſaturari filios.* Nam Chananæam admonet præpoſtere

Projicere.

poſtere

poſtere facere, quæ velut in media cœna in menſam involat. Cæterum, quamvis præcipue reſpexerit ad ſumendum de fide mulieris examen, ſimul tamen docuit quam horrenda Judæos ultio maneret, qui bonum incomparabile ultro ſibi oblatum reſpuebant, quod aliis cupide ferventerque appetentibus negabat.

27. *Certe Domine.*] Reſponſio mulieris oſtendit non fuiſſe cæco vel obtuſo impetu abreptam ut directe impingeret in Chriſti ſermonem. oam quia Judæos aliis prætulit Deus, ipſa quoqoe adoptionis honorem illis relinquit, ſeque minime obſtare reſtatur quin Chriſtus ſecundum ordinem divinitus præſcriptum illos ſatiet: tantum petit ut micæ aliquæ, quaſi fortuito cadeotes, ad catulos uſque perveniant. Et certe ounquam ita Deus ſuam gratiam incluſit inter Judæos, quin Gentes exiguo ſaltem ejus guſtu aſpergeret. Itaque ad exprimendam quæ tunc vigebat gratiæ Dei diſpenſationem, nihil aptius vel magis ſcite dici potuit.

Fidei magnitudo. 28. *Magna eſt fides tua.*] Primo fidem mulieris laudat: deinde ſe illius precibus in fidei gratiam annuere teſtatur. Porro fidei magnitudo præcipue in eo ſe exeruit, quod modica tantum doctrinæ ſcintilla duce, non modo agnovit genuinum Chriſti officium, cæleſtemque ei potentiam tribuit, ſed conſtanter perrexit per tam ardua obſtacula, ſeſe exinaniri paſſa eſt, modo retineret quod ſibi perſuaſerat, oon defore ſibi Chriſti auxilium: denique fiduciam humilitate ſic condivit, ut neque ſibi temere quicquam arrogaret, neque tamen fontem gratiæ Chriſti ſibi præcluderet indignitatis propriæ ſenſu. Hoc autem profanæ mulieris elogio damnata eſt ejus populi iogratitudo, qui ſe Deo ſacrum eſſe jactabat. Cæterum quomodo rite credere dicatur mulier quæ non tantum deſtituitur Chriſti promiſſione, ſed adverſo ejus ſermone repellitur, ſupra admonui. quamvis enim duriter in ſpeciem recuſet ejus preces, de promiſſa tamen divinitus per Meſſiam ſalute perſuaſa, bene ſperare non deſinit: ideoque ſentit januam ſibi claudi, non ut penitus arceatur, ſed ut magis ſe in fidei conatu per rimulas penetret. Poſterius membrum utilem doctrinam continet, quod fides quidvis impetret à Domino, quia tanti eam æſtimat ut ſemper paratus ſit votis noſtris, quoad expedit, morem gerere.

MATTH. XV.

29. Et digreſſus illinc Jeſus, venit juxta mare Galilææ: & conſcenſo monte ſedebat illic.

30. Et acceſſerunt ad eum turbæ multæ, ducentes ſecum claudos, cæcos, mutos, mutilos, & alios multos. Et abjecerunt eos ad pedes Jeſu, & ſanavit eos:

31. Adeo ut turbæ miratæ ſint quum viderent mutos loqui, mutilos eſſe ſanos, claudos ambulare, cæcos videre: & glorificabant Deum Iſraël.

32. Jeſus autem vocatis ad ſe diſcipulis ſuis, dixit, Miſeret me turbæ, propterea quod jam triduum perſeverant apud me, & non habent quod edant: & dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via.

33. Dicunt ei diſcipuli ejus, Unde nobis in ſolitudine panes tam multi, ut ſaturemus turbam tantam?

34. Et dicit illis Jeſus, Quot panes habetis? At illi dicunt, Septem, & paucos piſciculos.

35. Et juſſit turbas diſcumbere in terra.

36. Et ſumpſit illos ſeptem panes, ac piſces: & poſtquam gratias egiſſet, fregit, deditq; diſcipulis ſuis: diſcipuli vero turbæ.

37. Comederuntque omnes, & ſaturati ſunt: & ſuſtulerunt quod ſupererat fragmentorum, ſeptem ſportulas plenas.

38. Qui vero comederant, erant quatuor millia virorum, præter mulieres & parvulos.

39. Et dimiſſis turbis conſcendit navim, venitque in fines Magdala.

MARC. VII.

31. Et rurſus egreſſus è finibus Tyri & Sidonis, venit ad mare Galilææ, per medios fines Decapolis.

32. Et adducunt ei ſurdum, linguæque impeditæ, ac deprecantur eum ut imponat illi manum.

33. Et quum apprehendiſſet illum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas ejus, & expuens tetigit linguam ejus.

34. Ac ſuſpiciens in cælum, ingemuit, & ait illi, Ephphata, quod eſt, aperire.

35. Et ſtatim apertæ ſunt ejus aures, & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus, ac loquebatur recte.

36. Tunc præcepit illis ne cui dicerent: ſed quo magis ille eis præceperat, tanto magis prædicabant:

37. Et ſupra modum ſtupebant, dicentes, Bene omnia fecit: & ſurdos facit audire, & mutos loqui.

MARC. VIII.

1. In diebus illis quum turba admodum multa eſſet, nec haberent quod manducarent, accerſitis ad ſe Jeſus diſcipulis ſuis, dixit illis,

2. Miſericordia tangor erga turbam, quia jam triduo manent apud me, nec habent quod edant.

3. Et ſi dimiſero eos jejunos in domum ſuam, deficient in via: quidam enim ex eis è longinquo venerunt.

4. Et reſponderunt ei diſcipuli ſui, Unde iſtos quis poterit hic ſatiare panibus in ſolitudine?

5. Et interrogavit eos, Quot panes habetis? Illi vero dixerunt, Septem.

6. Et præcepit turbæ diſcumbere ſuper terram: & acceptis ſeptem panibus, quum gratias egiſſet, fregit, deditque diſcipulis ſuis ut apponerent: & appoſuerunt turbæ.

7. Et habebant piſciculos paucos: & quum benedixiſſet, juſſit apponi & hos.

8. Comederunt autem, & ſaturati ſunt: ac ſuſtulerunt quæ ſuperfuerant fragmentorum ſeptem ſportas.

9. Erant autem qui comederant, circiter quatuor millia: & dimiſit illos.

10. Et mox ingreſſus navim cum diſcipulis ſuis, venit in partes Dalmanutha.

LUC.

29. *Digreſſus illinc.*] Quum idem haud dubie Chriſti reditus è partibus Sidonis narretur à Matthæo & Marco, in quibuſdam tamen nonnihil diſcrepant. Hoc leve eſt, quod alter in fines Magdala veniſſe ipſum dicit: alter vero in partes Dalmanutha: nam quum vicinæ eſſent urbes, ſupra lacum Geneſarem ſitæ verſus montem Thabor, non mirum eſt mediæ regioni attribui utrumque nomen. *Decapolis.* Decapolis vero, ſic vocata à decem urbibus, quia & Phœniciæ, & maritimæ Galilææ contigua erat, Chriſto tranſeunda fuit quum à Phœnicia in Galilæam Judææ rediret. In eo plus apparet diſſidii, quod Matthæus plures variis morbis affectos illum ſanaſſe narrat, Marcus vero unius tantum ſurdi meminit. Facilis tamen hujus quoque nodi ſolutio eſt: Marcus enim miraculum ſibi celebrandum delegit quod in itinere editum fuerat, & cujus fama diſperſa, terræ illius incolas paſſim excitavit ut plures Chriſto ſanandos offerrent. Scimus autem Euangeliſtas curioſe non referre quicquid geſtum eſt à Chriſto: in miraculis vero ſic eſſe parcos ut pauca duntaxat in exemplum attingant. Deinde, ſatis habuit Marcus ſpecimen unum proponere, in quo relucet Chriſti potentia, perinde ac reliquis ejuſdem generis quæ paulo poſt ſequuta ſunt.

32. Marc. *Adducunt ei ſurdum.*] Quorſum precati ſint ut manum imponeret, ex ſuperioribus locis colligitur. *Manuum impoſitio.* Nam manuum impoſitio, ſolenne erat conſecrationis ſymbolum, quo etiam conferebantur Spiritus ſancti dona. Nec dubium eſt quin ritum hunc frequenter uſurpaverit Chriſtus, ut nihil rogarint iſti homines niſi quod ſciebant ei hactenus in uſu fuiſſe. Cæterum Chriſtus alia ſymbola adhibet: nam muti linguam ſputo ſuo intingit, ac digitum mittit in aures. Satis quidem efficax fuiſſet unica manuum impoſitio: imo ut digitum non moveret, præſtare hoc ſolo nutu poterat: ſed conſtat libere uſum fuiſſe ſignis externis, ut ferebat hominum utilitas. ſicuti nunc linguæ ſputum aſpergens, notare voluit loquendi facultatem à ſe uno transfundi: digitum in auriculas mittens, docuit proprium eſſe ſuum munus ſurdas aures quaſi perforare. Nam ad allegorias confugere nihil opus eſt: & videmus qui ſubtilius hac in parte luſerunt, adeo nihil ſolidi afferre ut potius ludibrio Scripturam exponant. Sufficiet igitur hoc unum ſobriis lectoribus, nos à Chriſto loquelam & auditum precario habere, quatenus vim ſuam linguis noſtris inſpirat, & digitis penetrat in aures noſtras. Quod ſeorſum à turba ſurdum removet, partim eo conſilio facit ut rudibus & nondum ſatis idoneis teſtibus eminus ſpectandam præbeat Deitatis ſuæ gloriam: partim ut precandi ardorem liberius effundat. Nam quod ſuſpexit in cælum ac ingemuit, ſignum fuit vehementis affectus: unde perſpicitur quam ſingularis fuerit ejus amor erga homines, quorum miſeriis ita condoluit. Nec dubium eſt quin ſputum ex ore ſuo transfundens in os illius, & digitos auribus inſerens, eundem humanitatis affectum teſtari & exprimere voluerit. Interea ſibi ſummum imperium eſſe demonſtrat corrigendis omnibus vitiis, & reddendæ ſanitati, quum ſimpliciter jubet linguam & aures aperiri. neque enim temere *Ephphata.* Marcus Chaldaicam hanc vocem poſuit, ſed ut teſtis eſſet divinæ Chriſti potentiæ. Inter alias nugas quibus Baptiſmum inquinarunt ſtulti homines, hic quoque hiſtrionicus luſus agitur. Quo exemplo monemur, nullum eſſe licentiæ modum ubi homines in Dei myſteriis pro ſuo arbitrio laſciviunt.

36. *Præcepit illis ne cui dicerent.*] Quanquam multi ſunt interpretes qui præcepta hæc in diverſam partem torquent, acſi conſulto ſtimulaſſet illos Chriſtus ad celebrandam miraculi famam: mihi tamen ſimplicius videtur quod alibi attuli, tantum voluiſſe differri in aliud tempus magis opportunum & maturum. Quare non dubito quin illorum intempeſtivus fuerit zelus, dum ſilere juſſi, ad loquendum feſtinant. Mirum tamen non eſt, homines Chriſti doctrinæ non aſſuetos immodico ardore ferri quum non expedit. Vertit tamen in ſuam gloriam Chriſtus quod minus prudenter ab illis tentatum fuerat: quia & miraculum innotuit, & tota illa regio cæleſtium donorum auctorem ſpernens, reddita fuit inexcuſabilis.

37. *Bene omnia fecit.*] Matthæus poſtquam multa collegit miracula, ſubjicit tandem hanc clauſulam, miratas eſſe turbas & gloriam dediſſe Deo Iſrael: quia ſcilicet Deus inſolitis modis potentiam ſuam illuſtrans, fœderis ſui memoriam renovabat. In Marci autem verbis forte antitheſis ſubeſt: nam quia varius de Chriſto erat rumor, ſignificat turba, impios eſſe & malignos quicunque ejus factis obtrectant, quando ſummam potius laudem omnia merentur, quam calumniæ ſint obnoxia. Scimus autem dictante naturæ ſenſu, nihil eſſe magis iniquum, quam beneficia in crimen & invidiam trahi.

32. Matth. *Miſeret me turbæ.*] Hic refertur miraculum alteri non abſimile quod paulo ante expoſuimus: hoc tantum eſt diſcrimen, quod quum prius quinque panibus & duobus piſcibus ſaturaſſet Chriſtus quinque hominum millia, nunc quatuor millia ſeptem panibus & piſciculis aliquot paſcuntur. Deinde, quum tunc fragmentis impleti ſint duodecim cophini, nunc ex majore copia minores ſuperſunt reliquiæ. Hinc diſcamus non aſtringi Dei potentiam mediis vel adminiculis, nec referre coram ipſo ſine multum an parum: ſicut de mediocri ſuo exercitu, & ingenti hoſtium multitudine loquens dicebat Jonathan. Sicuti autem Dei benedictio non *1 Sam. 14. verſ. 6.* ſecus uno pane ac viginti contenta, ad magnam turbam aleodam exuperat: ita ſi deſit illa, decem hominibus paſcendis non ſufficient centum panes: nam ubi fractus fuerit baculus panis, etiamſi in pondere referatur è piſtrino farina, & ex furno panis, ventrem tamen vorando farcire nihil proderit. Triduanum jejunium de quo loquitur Chriſtus, intellige non quod tridui inediam pertulerint, ſed quia in locis deſertis non magna fuerit commoditas, ut neceſſe fuerit ordinario cibo carere. Adde quod in illis calidis regionibus minor eſt edacitas, quam ſub craſſo noſtro & frigido aëre. Quare nihil mirum eſt ſi diutius à cibo abſtinuerint.

33. *Unde nobis in ſolitudine.*] Nimis brutum produnt ſtuporem diſcipuli, quod tunc ſaltem non revocant in memoriam ſuperius illud documentum virtutis & gratiæ Chriſti, quod ad præſentem uſum aptare poterant: nunc quaſi nihil unquam tale vidiſſent, remedium ab eo petere obliviſcuntur. Quia autem ſimilis quotidie nobis obrepit torpor, eo magis cavendum eſt ne unquam diſtrahantur mentes noſtræ à reputandis Dei beneficiis, ut præteriti temporis experientia, in futurum idem nos ſperare doceat quod jam ſemel vel ſæpius largitus eſt Deus.

MATTH. XVI.	MARC. VIII.	LUC. XII.
1. Et egreſſi Phariſæi una cum Sadducæis, tentantes rogabant eum ut ſignum è cælo oſtenderet ſibi.	11. Et egreſſi ſunt Phariſæi, cœperuntque diſputare cum illo, quærentes ab eo ſignum è cælo, tentantes eum.	54. Dicebat autem & ad turbas, Quum videritis nubem orientem ab occaſu, ſtatim dicitis, Imber venit: & ita fit.
2. At ille reſpondens, dixit eis, Quum cœperit eſſe veſpera, di-	12. Et quum ingemuiſ-	55. Et quum Auſtrum flan-

citis, Serenitas: nam rubet cælum.
3. Et mane, Hodie tempeſtas: rubet enim cælum triſte. Hypocritæ, faciem cæli ſcitis dijudicare: ſigna vero temporum non poteſtis?
4. Natio prava & adultera ſignum requirit: & ſignum ei non dabitur, niſi ſignum Jonæ Prophetæ. Et relictis illis abiit.

ſet ſpiritu ſuo, dicit, Cur generatio hæc ſignum quærit? Amen dico vobis ſi dabitur generationi huic ſignum.
13. Et relictis illis ingreſſus rurſus navim, abiit trajecto lacu.

ſtantem, dicitis quod æſtus erit: & fit.
56. Hypocritæ, faciem cæli & terræ noſtis probare: hoc autem tempus qui fit ut non probetis?
57. Cur autem & ex vobisipſis non judicatis quod juſtum eſt?

1. *Et egreſſi Phariſæi.*] Marcus dicit initio diſputaſſe. unde conjicere licet, quum victi eſſent rationibus, extremum hoc illis fuiſſe ſuffugium: ut obſtinati homines quoties redacti ſunt ad extrema, ne tamen veritati ſubſcribere cogantur, aliquid extra cauſam ſolent obtendere. Quanquam autem non exprimitur ſpecies diſputationis, mihi tamen veriſimile eſt de Chriſti vocatione rixatos eſſe, cur aliquid novare auderet, cur ſe tam magnifice efferret, acſi ſuo adventu reddita eſſet ſua integritas regno Dei. Ubi nihil ſuppetit quod contra ejus doctrinam objiciant, ſignum poſtulant ſibi è cælo dari. Atqui certum eſt centum ſignis non magis fuiſſe ceſſuros, quam Scripturæ teſtimoniis. Adde quod multis jam miraculis ſub oculos poſita fuerat Chriſti virtus, & quaſi manibus palpabilis. Signa quibus ſe familiariter patefecit Chriſtus, negligunt: quanto itaque minus ex longinquo & obſcuro ſigno proficient? Sic hodie Papiſtæ quaſi nunquam ſancita eſſet Euangelii doctrina, novis miraculis probari ſibi poſtulant. Notandum autem eſt quod quum hoſtiliter contenderent Sadducæi cum Phariſæis, nec modo acre eſſet odium, ſed aſſidue arderent inter ipſos lites, nunc ſe tamen alii aliis contra Chriſtum mutuo adjungunt. ita quum diſſideant impii, nunquam tamen eos impediunt inteſtinæ diſcordiæ quin adverſus Deum conſpirent, & quaſi pactis induciis manum viciſſim porrigant ad opprimendam veritatem. *Tentare.* Tentandi verbo ſignificant Euangeliſtæ, non ſinceris animis, nec ſtudio diſcendi, ſed per fraudem captaſſe quod ſibi negatum iri putabant, vel ſaltem quod finxerant non eſſe in manu Chriſti. Quia enim nihil niſi humile & contemptibile ſibi de illo perſuaſerant, non aliud illis eſt propoſitum, quam ut deprehenſa ejus infirmitas quicquid hactenus acquiſierat laudis, apud populum abroget. Sic tentare Deum increduli dicuntur, quoties ſibi non eſſe datum obſtrepentes quicquid tulerit eorum libido, Deum infirmitatis inſimulant.

2. *Quum cœperit eſſe veſpera.*] His verbis admonet Chriſtus ſatis teſtatam eſſe ſuam virtutem, ut viſitationis ſuæ tempus agnoſcere deberent, niſi ſponte oculos claudendo, refugerent apertam lucem. Pulchra autem & valde appoſita ſimilitudine utitur: quamvis enim mutabilis ſit aëris ratio, ut nunc repente ſurgat tempeſtas, nunc ſerenitas præter ſpem affulgeat: natura tamen duce ex ſignis præſagiunt homines ſerenus an nubilus dies futurus ſit. *Similitudinis adaptatio.* Quærit igitur Chriſtus cur regnum Dei non minus evidentibus ſignis patefactum agnoſcant: nam hinc certe conſtabat eos terrenis commodis ac caducis nimium addictos, quicquid ad cæleſtem ſpiritualemque vitam ſpectaret, ſuſque deque habere: nec tam errore cæcutire quam ſpontanea malitia. Ideo etiam hypocritas vocat quia ſimulent ſe quærere quod ſibi oſtenſum cernere nolebant. Porro ad totum fere mundum pertinet eadem exprobratio: nam quia ad præſentem uſum acumen ſuum intendunt homines, & ſeorſus applicant, nemo fere eſt qui hac in parte non ſatis polleat ingenio, vel ſaltem aliquid tolerabilis notitiæ adeptus, ſequatur quod expedit. Unde ergo fit ut nobis inſipida ſint ſigna quibus nos ad ſe Deus invitat, niſi quia voluntariæ ſocordiæ ſe quiſque dedendo, lumen oblatum ſuffocat? Chriſti autem vocatio, & præſens exhibitio æternæ ſalutis, conſpicua Scribis erat tam ex Lege & Prophetis, quam ex ipſius doctrina, cui & miracula annexa erant. Tales ſunt hodie permulti, qui in rebus perplexis ſe merito ſuſpendere judicium cauſantur quia expectanda ſit certa definitio: imo prudentiæ hoc eſſe putant, omnem veri inquiſitionem data opera fugere. Quaſi vero turpis ignaviæ non ſit, quum tam ſedulo curent quæ carnis ſunt ac terræ, negligere æternam animarum ſalutem, & interim craſſæ ac ſupinæ ignorantiæ vanos ſibi accerſere prætextus. Nimis autem abſurde indocti quidam homines ex hoc loco eliciunt, non licere ex cæli intuitu facere vel de temperie, vel de procellis judicium. Potius enim à recto naturæ ordine arguit Chriſtus juſte ſua ingratitudine perire qui in rebus præſentis vitæ ſatis acuti, cæleſtem lucem ſcientes & volentes ſtupore ſuo obruunt. Apud Marcum additur, Chriſtum ingemuiſſe ſpiritu: quibus verbis ſignificat dolenter acerbeque tuliſſe quum videret ingratos iſtos homines præfracte Deo reſiſtere. Et certe omnes gloriæ Dei ſtudioſos, & quicunque hominum ſalutem curæ habent, ſic animatos eſſe decet ut nulla res graviori mœrore eos vulneret quam dum incredulos ſibi viam credendi data opera obſtruere vident, & eo conferre quicquid habent ingenii ut verbi & operum Dei fulgorem ſuis nebulis obſcurent. Vocem Spiritus emphatice poſitam eſſe arbitror, ut ſciamus gemitum hunc ex intimo cordis affectu manaſſe, ne quis Sophiſta diceret, Chriſtum geſtu præ ſe tuliſſe dolorem quem intus non ſentiret. Sanctam enim animam, quam ſpiritus zeli gubernabat, tam impia pervicacia penitus triſtari neceſſe fuit.

57. Luc. *Cur ex vobisipſis.*] Hic mali fontem aperit Chriſtus, & quaſi ſcalpello ulcus ipſum tangit: quod ſcilicet in ſuas conſcientias non deſcendant, neque illic coram Deo ſecum inquirant quid rectum ſit. Hinc enim tanta hypocritis ad cavillandum protervia, quod ſuas ampullas ſecure in aërem projiciunt: non colligunt autem ſuos ſenſus, nec ſeipſos ſiſtunt ad Dei tribunal, ut palmam obtineat quæ ſemel agnita fuerat veritas. Porro quod Lucas hoc turbis dictum eſſe tradit, à Matthæi & Marci narratione non diſſidet: quia probabile eſt Chriſtum in Scribarum aſſeclas ac diſcipulos, & alios Dei contemptores illis ſimiles, quos nimis multos eſſe cernebat, generaliter ſtylum ſtrinxiſſe: ſicuti in totam illam colluviem competebat hæc querimonia vel objurgatio.

4. Matth. *Natio prava.*] Hic locus expoſitus fuit capite 12. Summa autem eſt, Judæos nullis ſignis acquieſcere quin ſubinde eos titillet prava Dei tentandi cupiditas. Neque enim ſimpliciter eos vocat gentem adulteram, quia ſignum qualecunque poſtulent, quod interdum Dominus ſuis permiſit: ſed quia Deum ex profeſſo irritent, ideo ſe illis inſtar Jonæ redivivum Prophetam fore denunciat. Sic *Jonæ 2.*
quidem habet Matthæus: apud Marcum nulla fit Jonæ mentio, idem tamen eſt ſenſus: quia ne hoc quidem proprie illis ſigni vice fuit, Chriſtum à morte excitatum ſonoram Euangelii ſui vocem ubique emittere.

Digitized by Google

MATTH. XVI.

5. Et quum veniſſent diſcipuli ejus in ulteriorem ripam, per oblivionem non ſumpſerant panes.

6. Jeſus autem dixit illis, Videte, & cavete à fermento Phariſæorum & Sadducæorum.

7. At illi reputabant intra ſeſe, dicentes, Panes non ſumpſimus.

8. Quod ubi cognovit Jeſus, dixit illis, Quid cogitatis intra vosipſos ô parum fidentes, quod panes non ſumpſeritis?

9. Nondum intelligitis, neque memoria tenetis quinque illos panes, quum homines eſſent quinquies mille, & quot cophinos ſuſtuleritis?

10. Neque ſeptem illos panes, quum homines eſſent quater mille, & quot ſportas acceperitis?

11. Qui fit ut non intelligatis, me non de pane dixiſſe vobis illud, ut caveretis à fermento Phariſæorum & Sadducæorum?

12. Tunc intellexerunt quod non juſſiſſet cavere à fermento panis, ſed à doctrina Phariſæorum & Sadducæorum.

MARC. VIII.

14. Et obliti fuerant ſumere panes: nec præter unum panem habebant ſecum in navi.

15. Ac præcepit illis, dicens, Videte, cavete à fermento Phariſæorum, & à fermento Herodis.

16. Et diſputabant inter ſeſe, dicentes, Panes non habemus.

17. Et eo cognito Jeſus dicit illis, Quid diſputatis, quod panes non habetis: nondum animadvertitis, nec intelligitis? adhuc obcæcatum habetis cor veſtrum?

18. Oculos habentes non cernitis, & aures habentes non auditis, & non meminiſtis?

19. Quum quinque panes fregiſſem in hominum quinque millia, quot cophinos fragmentis plenos ſuſtuliſtis? Dicunt ei, Duodecim.

20. Quum autem ſeptem in quatuor millia, quot ſportas ex reliquiis fragmentorum tuliſtis? Illi vero dixerunt, Septem.

21. Et dixit illis, Qui fit ut non intelligatis?

LUC. XII.

1. Quum autem conveniſſet innumera turbæ multitudo, adeo ut ſe invicem conculcarent, cœpit dicere ad diſcipulos ſuos, Primum cavete vobisipſis à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis.

5. *Quum veniſſent diſcipuli.*] Hic Chriſtus ex re nata diſcipulos hortatur ut ſibi à corruptelis omnibus caveant, quæ ſinceram pietatem inficiunt. Venerant paulo ante Phariſæi qui ſpecimen dederant virulentæ pervicaciæ: Sadducæi illis fuerant comites: ab alia parte ſtabat Herodes, peſſimus & ipſe ſanæ doctrinæ adverſarius & corruptor. Inter hæc pericula neceſſario monendi fuerunt diſcipuli ut ſibi caverent: nam quum ad vanitatem & errores ſponte inclinet humanum ingenium, ubi nos circumſtant perverſa commenta, adulterinæ doctrinæ, & ſimiles aliæ peſtes, nihil proclivius eſt quam deficere à vera & nativa puritate verbi Dei. Si vero jam contigerit nos teneri implicitos, fieri nunquam poterit ut integrum regnum in nobis obtineat vera religio. Verum ut res ipſa clarius pateat, expendamus verba Chriſti.

6. *A fermento Phariſæorum.*] Matthæus Sadducæos Phariſæis adjungit: Marcus pro his ſecundis ſubſtituit Herodem: apud Lucam de ſolis Phariſæis fit mentio (quanquam incertum eſt an Lucas eundem recitet ſermonem Chriſti) & fermentum hypocriſin eſſe definit: denique breviter perſtringit hanc ſententiam acſi in verbis nihil fuiſſet ambiguum. Quanquam autem metaphora fermenti, quæ hic falſæ doctrinæ aptatur, alibi ad vitæ morumque hypocriſin transferri potuit, vel etiam idem bis dici: nihil tamen abſurdi erit ſi dicamus, quæ alii duo ſecundum hiſtoriæ ſeriem copioſius narrant, à Luca paulo aliter, nec ſuo loco, vel ordine attingi, ut tamen in re nulla diſcrepantia ſit. Si hanc conjecturam ſequi libeat, hypocriſis aliud notabit quam fucoſam ac fictam ſapientiæ ſpeciem, nempe fontem ipſum ac materiam inanis pompæ, quæ magnum aliquid coram hominibus oſtentans, nullo apud Deum in pre-
Jer. 5: 3. tio eſt. Nam ſicut oculi Domini, teſte Jeremia, veritatem reſpiciunt; ita verbo ſuo fideles ad ſolidam pietatem inſtituit, ut perfecto ac ſincero corde ju-
Deut. 10. verſ. 12. ſtitiæ adhæreant: juxta illud, Et nunc Iſraël quid abs te petit Dominus, niſi ut ſibi adhæreas toto corde & tota anima? Contra vero hominum traditiones poſthabito ſpirituali cultu, evanidos colores inducunt, quaſi Deus talibus illecebris capi poſſet. nam quantumvis emineant externæ ceremoniæ, coram Deo tamen pueriles nugæ ſunt niſi quatenus earum adminiculo exercemur ad veram pietatem. Nunc tenemus cur hypocriſin loco commentitiæ doctrinæ poſuerit Lucas, & hoc nomine complexus ſit hominum fermenta quæ tantum inflant, coram Deo autem nihil continent ſolidum: imo quæ mentes hominum à recto pietatis ſtudio ad inanes & nihili ritus traducunt. Cæterum quia clarior eſt Matthæi expoſitio, in ea inſiſtere præſtabit. Quum diſcipuli à Domino reprehenſi, tandem intellexerint ſibi præceptum eſſe ut caverent à doctrina, certum eſt hanc fuiſſe Chriſti mentem, ut contra præſentes corruptelas, quibus undique erant obſeſſi, eos muniret. ac ideo de Phariſæis & Sadducæis diſerte loquutus eſt: quia duæ illæ ſectæ tunc tyrannice regnabant in Eccleſia, & vitioſis ſuis dogmatibus oppreſſam tenebant Legis & Prophetarum doctrinam, ut nihil fere ſanum vel integrum maneret. Quæritur tamen quorſum Marcus Herodem annumeret falſis doctoribus, qui nihil tale profitebatur. Reſpondeo, quum ipſe ſemi-Judæus eſſet, degener ac perfidus, quibuſcunque potuit artibus conatum eſſe ut in ſuas partes abduceret populum. Hic enim omnibus Apoſtatis *Apoſtata.*
mos eſt, mixturam aliquam comminiſci ut ſurgat nova religio quæ priorem aboleat. Quoniam ergo principia veræ & antiquæ pietatis aſtute ſubvertere moliebatur, ut ea demum valeret religio quæ ad ejus tyrannidem maxime apta foret: imo quia novum quendam Judaiſmum inducere tentabat: non ſine cauſa Dominus ab ejus quoque fermento caveri jubet. nam ſicuti ex templo Dei ſpargebant errores ſuos Scribæ: ita Herodis aula ad fabricandos alios errores alia Satanæ officina erat. Sicut hodie in Papatu videmus non in templis modo, & Sophiſtarum ac Monachorum antris Antichriſtum ſuas fallacias vomere: ſed aulicæ etiam theologiæ ſubſidio fulcire regnum ſuum, ut ita nihil artificii omittat. Sicuti autem tunc præſentibus malis occurrit Chriſtus,

& ut

& ut quidque maxime ooxium erat, ſuorum mentes ad id cavendum excitavit: hoc exemplo moniti, prudenter hodie expendere diſcamus quænam corruptelæ nobis officere poſſint. Citius ignis aquæ miſcebitur quam ut Papæ figmenta cum Euangelio quis conciliet. Itaque quiſquis ſe Chriſto diſcipulum bona fide addicere cupit, puram ab illis fermentis animam ſuam ſervare ſtudeat. Quod ſi jam imbutus fuerit, euſque laboret in ſe purgando dum oihil fæcis aut ſordium amplius in ipſo hæreat. Jam vero quia ex alia parte homines turbuleoti ſanam doctrinam corrumpere varie aggreſſi ſunt, ad cavendas etiam tales fallacias ſedulo excubent fideles, ut in azymis veritatis perpetuum Paſcha celebrent. Quia vero paſſim jam graſſatur Lucianica impietas, nocentiſſimum fermentum, imo pluſquam lethale virus, ad hanc omnium maxime neceſſariam cautionem totos ſuos ſenſus conferant. *Lucianica impietas.*

8. *Quid cogitatis intra vos.*] Iterum oſtendunt diſcipuli quam male tum ex Magiſtri doctrina, tum ex mirificis ejus operibus profeceriot. Quod enim de fermento cavendo dixerat, ſic arripiunt, acſi tantum ab externo commercio abducere eos vellet Chriſtus. Nam quia uſu receptum erat inter Judæos ne victum haberent communem cum hominibus profanis, putant diſcipuli in eorum ordinem ac numerum redigi Phariſæos. Et hæc quidem inſcitia utcunque erat tolerabilis: ſed quia jam recentis beneficii obliti, non cogitant remedium in manu Chriſti eſſe, ne in cibo & potu ſe polluere cogantur; aſperius eos ut digoi ſunt, increpat. & certe nimis craſſa erat iogratitudo, quum nuper de oihilo vidiſſent creatum eſſe panem multis homioum millibus ſaturandis, idque bis eſſe factum: nunc de pane eſſe ſollicitos, acſi non eadem adhuc Magiſtro ſuppeteret virtus. Ex quibus verbis colligimus, infidelitatis convinci omnes qui Dei potentiam ſemel aut iterum experti, in futurum tempus diffidunt. Nam ut fides dooorum Dei memoriam fovet in cordibus noſtris, ita niſi ea ſopita, nunquam obrepet illorum oblivio.

11. *Intellexerunt quod de doctrina.*] Minime obſcurum eſt quin Fermenti nomen Chriſtus ſimplici puroque Dei verbo opponat. Nomen hoc ſupra in bonam partem accepit Chriſtus, quum diceret fermento ſimile eſſe Euangelium: ſed ut plurimum Scriptura hoc nomine quidvis adventitium deſignat quo nativa rei cujuſque puritas inficitur. In hoc autem loco hæc inter ſe duo antitheta haud dubie reſpondent, ſimplex Dei veritas, & figmenta quæ ex proprio ſenſu comminiſcuntur homines. Neque eſt quod elabi tentet quiſpiam Sophiſta, negans de qualibet doctrina hoc debere intelligi: quia ooo alia reperietur doctrioa quæ puræ & azymæ nomen ſuſtioeat quam quæ à Deo profecta eſt. Unde ſequitur fermentum vocari quicquid aliuode mixturæ proveoit: ſicuti etiam Paulus docet adulterari fidem ſimulatque à Chriſti ſimplicitate abducimur. Jam videndum eſt quorum doctrinam caveri velit Dominus. Tunc certe penes Scribas & Sacerdotes ordinaria erat Eccleſiæ poteſtas, in quibus primatum tenebant Phariſæi. Quum nominatim ab eorum doctrina prohibeat ſuos Chriſtus, ſequitur repudiandos eſſe omnes qui figmenta admiſcent verbo Dei, vel quicquam alienum ingeruot, quocuoque tandem polleant hooris gradu, vel titulo ſuperbiant. Quare maledicta & prævaricatrix eſt eorum ſubjectio qui ſe ultro Papæ commentis & legibus ſubjiciunt.

Fermenti nomen. *2 Cor. 11. verſ. 2.*

MATTH. | MARC. VIII. | LUC.

22. Et venit Bethſaidam, & adducunt illi cæcum, & obſecrant eum ut illum tangat.

23. Tunc apprehenſa manu cæci, eduxit illum extra vicum: & quum expuiſſet in oculos ejus, impoſuiſſetque illi manus, interrogavit eum ſi quid videret.

24. Et ille intuitus, ait, Video homines: quia cerno instar arborum ambulantes.

25. Deinde rurſum impoſuit manus ſuper oculos illius, & juſſit ut aſpiceret: & reſtitutus eſt ut lucide videret omnes.

26. Et dimiſit illum in domum ſuam, dicens, Neque in vicum ingrediaris, neque dixeris quicquam in vico.

Hoc miraculum, cujus omiſſa eſt ab aliis narratio, propter hanc maxime circumſtantiam videtur à Marco referri, quod Chriſtus non momento, ut ſæpe facere ſolitus eſt, ſed paulatim cæco viſum reſtituit: quod ideo factum eſſe probabile eſt, ut documentum in hoc homine ſtatueret liberæ ſuæ diſpenſationis, nec ſe aſtrictum eſſe ad certam normam, quin hoc vel illo modo virtutem ſuam proferret. Oculos ergo cæci non ſtatim ita illuminat ut officio ſuo fungantur, ſed obſcurum illis confuſumque intuitum inſtillat: deinde altera manuum impoſitione integram aciem illis reddit. ita gratia Chriſti, quæ in alios repente effuſa prius erat, quaſi guttatim defluxit in hunc hominem.

24. *Video homines.*] Interrogatus fuerat cæcus propter diſcipulos, ut ſcirent aliquid jam illi datum eſſe, ſed tamen tenue duntaxat factum ſanationis initium. Reſpondet igitur ſe homines videre, quia cernat quoſdam ambulantes qui recti ſuot inſtar arborum. Quibus verbis fatetur ſe nondum pollere tam dilucido viſu, ut homines ab arboribus diſcernat: ſe tamen jam aliqua videndi facultate præditum, quia ex motu homines eſſe conjicit, quos rectæ ſtaturæ eſſe videt: quo etiam ſenſu ſimiles eſſe dicit arboribus. Quare videmus ut taotum conjectura ſe homines videre dicat.

26. *Dimiſit illum in domum.*] Quod Chriſtus non patitur redire Bethſaidam ubi miraculum multos habuiſſet teſtes, quidam factum eſſe divinant quia Chriſtus gratiæ ſuæ fruitione ejus loci incolas privando, de illis pœnam ſumere voluerit. Quicquid fuerit cauſæ, certum eſt non fuiſſe ab eo editum miraculum ut perpetuo ſepeliretur; ſed latere cum multis aliis voluiſſe, donec expiatis morte ſua mundi peccatis gloriam Patris coo ſcenderet.

MATTH. XVI.	MARC. VIII.	LUC. IX.
13. Quum veniſſet autem Jeſus in partes Cæſareæ Philippi, interrogavit diſcipulos ſuos, dicens, Quem me dicunt homines eſſe filium hominis?	27. Et egreſſus eſt Jeſus & diſcipuli illius in vicos Cæſareæ, quæ cognomina-	18. Et factum eſt quum eſſet ſolus orans, erant cum illo & diſcipuli: interro-

14. Illi vero dicebant, Alii quidem Joannem Baptiſtam, alii vero Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis.

15. Dicit illis, At vos quem me dicitis eſſe?

16. Reſpondens autem Simon Petrus, dixit, Tu es Chriſtus, Filius Dei viventis.

17. Et reſpondens Jeſus, dixit illi, Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cælis.

18. At ego tibi dico quod tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferorum non prævalebunt adverſus eam.

19. Et dabo tibi claves regni cælorum. & quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in cælis: & quicquid ſolveris in terra, erit ſolutum in cælis.

tur Philippi: & in via interrogavit diſcipulos ſuos, dicens illis, Quem me dicunt homines eſſe?

28. Illi vero reſponderunt, Joannem Baptiſtam, & alii Eliam, alii rurſus unum de numero Prophetarum.

29. Et ipſe dicit illis, At vos quem me dicitis eſſe? Reſpondens autem Petrus, dicit illi, Tu es Chriſtus.

gavitque illos, dicens, Quem me dicunt eſſe turbæ?

19. At illi reſpondentes, dixerunt, Joannem Baptiſtam, alii autem Eliam, alii vero quod Propheta quiſpiam de antiquis ſurrexit.

20. Dixit autem illis, Vos autem quem me dicitis eſſe? Reſpondens Simon Petrus, dixit, Chriſtum Dei.

13. *In partes Cæſareæ Philippi.*] Marcus hunc ſermonem in itinere habitum eſſe tradit: Lucas vero, quum oraret, nulloſque ſecum haberet præter diſcipulos: Matthæus non ita curioſe tempus notat. certum tamen eſt eandem à tribus hiſtoriam referri: & fieri poteſt ut Chriſtus in illa peregrinatione, poſtquam in illa ſtatione aliqua precatus eſſet, interrogaverit diſcipulos. Porro quia duplex erat Cæſarea: *Stratonis turris.* vetus illa & nobilior, quæ prius turris Stratonis: & hæc ad radices Libani montis, non procul à Jordane ſita: epitheton diſtinctionis cauſa additur. Etſi enim quidam putant eodem in loco extructam eſſe ubi olim erat Dan oppidum: quia tamen nuper extructa fuerat à Philippo Tetrarcha, vocata fuit Philippi. *Quem me dicunt homines.* Poſſet videri ſenſus, quænam vulgo fama eſſet de Redemptore qui filius hominis factus erat. Alia tamen eſt quæſtio: nempe quidnam de Jeſu filio Mariæ ſentiant *Filius hominis.* homines. Suo autem more nomen Filii hominis aſſumit: acſi diceret, Nunc dum carne indutus in terris verſor tanquam unus ex hominum numero, quodnam de me eſt judicium? Conſilium autem Chriſti fuit, diſcipulos ſolide firmare in certa fide, ne inter varios rumores fluctuarentur, ut ſtatim videbimus.

14. *Alii Joannem.*] Hic neque de profeſſis Chriſti hoſtibus, neque de profanis contemptoribus, ſed de magis ſana & integra parte populi, & quaſi de ſelecto Eccleſiæ flore agitur. eos enim tantum commemorant diſcipuli qui honorifice de Chriſto loquebantur: & tamen quum illis propoſita ſit veritas, nemo ad eum ſcopum tendit, ſed omnes in ſuis deliriis evaneſcunt. Unde perſpicimus quanta ſit humani ingenii debilitas, quod non modo nihil recti aut veri à ſe concipere poteſt, ſed ex veris etiam principiis errores ſibi fabricat. Adde quod quum Chriſtus unicum ſit concordiæ & pacis ſignum, quo Deus totum mundum ad ſe colligit, hinc majoris diſſidii occaſionem major pars arripit. Certe inter Judæos non alibi quam in Chriſto conſtabat fidei unitas: & tamen qui aliquid prius conſenſus videbantur inter ſe habere, nunc in varias ſententias diſſiliunt. Videmus etiam ut error ſubinde errorem pariat. nam quia vulgi animis præſumpta inſederat opinio, in diverſa corpora animas migrare: hinc fit ut ad falſam hanc imaginationem magis ſint propenſi. Cæterum quamvis Chriſti adventu in hunc modum diviſi fuerint Judæi, piis tamen obſtaculo eſſe non debuit talis opinionum varietas, quin puram ejus cognitionem appeterent. Nam ſiquis eo prætextu ignaviæ ſe dedens, Chriſtum quærere neglexiſſet, nulla illi (vel nobis judicibus) eſſet excuſatio. Multo itaque minus Dei judicium effugiet, ſiquis propter ſectas à Chriſto abhorreat, vel ex falſis opinionibus arripiat faſtidii cauſam, ut ſe Chriſto applicare non dignetur.

15. *At vos quem me eſſe dicitis?*] Hic ſuos diſcipulos à reliqua turba diſcernit Chriſtus, quo melius pateat abſurdum eſſe, quantumvis diſſentiant alii, nos tamen diſtrahi à fidei unitate. Nam quicunque ſe Chriſto ſimpliciter addicent, nec quicquam è ſuo capite affingere tentabunt Euangelio, nunquam eos certa lux deficiet. Sed hic intenta vigilantia opus eſt, ut dum ad ſua figmenta totus mundus delabitur, Chriſtum conſtanter retineant. Quia Satan Judæis eximere non poterat quod de venturo Chriſto perſuaſum habebant ex Lege & Prophetis, ipſum varie transfigurans, quaſi in partes diſſecuit: deinde fictitios illis obtruſit complures Chriſtos, ut vetus Redemptor excideret. Hiſdem poſtea artificiis non deſtitit vel diſcerpere Chriſtum, vel aliena perſona induere. Quare inter confuſas & diſſonas mundi voces, ſemper tamen hæc vox Chriſti in auribus noſtris perſonet, quæ nos à vagis & erraticis hominibus ſeparat, ne ſimus ex multitudine, nec fides inter contrarios opinionum fluctus jactetur.

16. *Tu es Chriſtus.*] Brevis confeſſio, ſed quæ totam ſalutis noſtræ ſummam in ſe continet. nam ſub Chriſti elogio æternum & Regnum & Sacerdotium comprehenditur, ut Deum nobis reconciliet, ac expiatis ſuo ſacrificio peccatis perfectam juſtitiam acquirat: deinde ut nos in fidem præſidiumque ſuum receptos conſervet, ornetque ac locupletet omni benedictionum genere. Marcus tantum habet, *Tu es Chriſtus*: Lucas autem, *Chriſtum Dei.* ſed eodem ſenſu: nam & Chriſtos Dei olim Reges vocabant qui divinitus uncti eſſent. Et hac loquutione ſupra uſus eſt Lucas, ubi dicebat Simeoni datum eſſe reſponſum è cælo, quod moriturus non eſſet niſi viſo Chriſto Domini. nam divina plane erat redemptio quam per Filii ſui manum Deus exhibuit. Ideo qui futurus erat Redemptor, eum oportuit Dei unctione inſignem è cælo prodire. Apud Matthæum clarior eſt expreſſio, quod ſit *Filius Dei viventis.* Nam etſi forte nondum tam diſtincte Petrus tenebat quomodo ex Deo genitus eſſet Chriſtus: ſic tamen excellere eum credebat ut originem haberet à Deo, non ut reliqui homines, ſed ut in ejus carne habitaret viva veraque Deitas. Quum Deo tribuitur epitheton Viventis, diſcriminis nota eſt inter ipſum & mortua idola, quæ nihil ſunt.

17. *Beatus es Simon.*] Quum hæc ſit vita æterna, cognoſcere unum Deum, & quem miſit Jeſum Chriſtum: non abs re beatum Chriſtus pronunciat

qui

qui hoc ex animo confeſſus eſt. Cæterum non uni Petro hoc privatim dixit, ſed oſtendere voluit ubi ſita ſit unica totius mundi felicitas. Quo autem majore animo ſinguli ad eam aſpirent, primo tenendum eſt, miſeros omnes & maledictos eſſe natura donec remedium in Chriſto inveniant. Deinde addendum eſt, quiſquis Chriſtum adeptus eſt, ei nihil prorſus ad perfectam beatitudinem deeſſe: quando æterna Dei gloria nihil melius optare fas eſt, in cujus poſſeſſionem nos Chriſtus deducit. *Caro & ſanguis.* Sub unius hominis perſona omnes admonuit Chriſtus, fidem à Patre ſuo petendam eſſe, ejuſque laudem gratiæ ejus debere tribui: nam hic carni & ſanguini opponitur peculiaris Dei illuminatio. Unde colligimus, perſpicacia deſtitui humanas mentes, qua cæleſtis ſapientiæ myſteria in Chriſto abſcondita percipiant; imo omnes humanos ſenſus hac in parte deficere, donec oculos nobis aperiat Deus, qui ejus gloriam in Chriſto cernant. Nemo itaque ſuo acumine confiſus ſuperbe prorumpat, ſed humiliter doceri nos intus ſinamus à Patre luminum, ut ſolus ejus Spiritus tenebras noſtras illuſtret. Jam vero qui fide donati ſunt, propriæ cæcitatis conſcii, Deo acceptum referre diſcant quod ipſius eſt.

18. *At ego dico tibi.*] His verbis declarat Chriſtus quantopere ſibi placeat Petri confeſſio, quod tam amplo eam præmio dignatur. Etſi enim jam Simoni diſcipulo impoſuerat Petri nomen, & gratis Apoſtolum ſibi deſtinaverat: hæc tamen quæ gratuita erant dona, quaſi mercedis loco fidei adſcribit. quod Scripturæ non eſt inſolitum. Porro duplici honore ornatur Petrus. nam prior ſpecies ad privatam ejus ſalutem ſpectat: poſterior vero ad munus Apoſtolicum. Quum dicit, *Tu es Petrus*, confirmat non fruſtra ſe illi hoc antea nomen dediſſe: quia vivus in templo Dei lapis ſuam ſtabilitatem retineat. Quanquam hoc ad omnes fideles extenditur, quorum ſinguli ſunt Dei templa, & fide inter ſe compacti, unum templum ſimul efficiunt: eximia tamen Petri inter alios excellentia notatur, quemadmodum quiſque
Epheſ. 2. verſ. 21. ſuo ordine pro donationis Chriſti menſura, plus vel minus accipit. *Super hanc Petram.* Hinc patet quomodo Petri nomen tam in Simonis nomen, quam deinde in alios fideles competat: quia ſcilicet fundati ſuper Chriſti fidem, ſancto conſenſu in ſpirituale ædificium aptantur, ut Deus in medio ipſorum reſideat. Nam Chriſtus hoc commune fore totius Eccleſiæ fundamentum denuncians, quicquid piorum in mundo futurum erat Petro aggregare voluit: acſi dixiſſet, Vos quidem nunc puſillus eſtis hominum numerus, ideoque veſtra hæc confeſſio parum habet dignitatis in præſentia: ſed brevi adveniet tempus quo magnifice emerget, ac multo ſe latius proferet. Atque hoc animandis ad conſtantiam diſcipulis non parum valuit: quod quamvis obſcura ac ignobilis eſſet eorum fides, delecti tamen eſſent à Domino quaſi primitiæ, ut tandem ex illo contemptibili exordio ſorgeret nova Eccleſia, quæ victrix ſtaret contra omnes inferorum machinas. Tametſi enim vel ad fidem vel ad Eccleſiam pronomen *eam* referri poteſt, poſterior tamen ſenſus melius convenit, quod contra omnem Satanæ potentiam invicta ſtabit Eccleſiæ firmitas: nempe quia inconcuſſa perpetuo manebit Dei veritas, cui innititur ejus fides. Atque huic
1 Joan. 5. verſ. 4. ſententiæ reſpondet illa Joannis, Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides veſtra. In primis notatu digna promiſſio, quod quicunque in Chriſto uniti, Chriſtum & Mediatorem eum agnoſcent, in finem uſque ab omni noxa tuti manebunt. nam quod de corpore Eccleſiæ dicitur, ad ſingula ejus membra pertinet, quatenus unum ſunt in Chriſto. Hinc tamen monemur, quamdiu in terris peregrinabitur Eccleſia, minime quietam fore, ſed ad multos inſultus expoſitam. Nam ideo negatur ſuperior fore Satan, quia illi aſſidue infeſtus erit. Ergo ut hac Chriſti voce freti, ſecure gloriamur contra Satanam, & jam fide triumphamus de omnibus ejus copiis: ita rurſus ſciamus quaſi claſſicum nobis cani, ut ad bellandum ſemper inſtructi paratique ſimus. Portarum nomine quodvis potentiæ & munitionis genus notari, nihil dubium eſt.

19. *Et dabo tibi claves.*] Hic jam de publico munere, hoc eſt, de Apoſtolatu diſſerere Chriſtus incipit: cujus dignitas ornatur duplici encomio. dicit enim Chriſtus, Euangelii miniſtros regni cælorum eſſe quaſi janitores, quia claves ejus geſtent: ſecundo addit poteſtate ligandi & ſolvendi eſſe præditos quæ ſit in cælis efficax. Clavium ſimilitudo concinne ad docendi munus aptatur: ſicuti apud Lucam dicit *Luc. 11.*
Chriſtus, Scribas & Phariſæos, quia Legis erant interpretes, habere ſimiliter clavem regni cælorum. *verſ. 52.* ſcimus enim non aliter vitæ januam nobis aperiri quam Dei verbo. Unde ſequitur, ejus miniſtris clavem velut in manum tradi. Qui claves numero plurali ideo dictas putant, quod Apoſtolis non aperiendi modo, ſed etiam claudendi injunctum fuerit mandatum, non ſine probabili colore loquuntur: ſiquis tamen minus argute accipiat, fruatur ſuo ſenſu. Quæritur cur ſe Petro daturum Dominus promittat quod prius viſus erat dediſſe Apoſtolum creando. Verum hæc quæſtio decimo capite ſoluta fuit, ubi dixi duodecim illos initio nonniſi temporarios fuiſſe præcones: ita ad Chriſtum reverſi, vocationis ſuæ curſum confecerant. Poſtquam autem à mortuis reſurrexit Chriſtus, tunc cœperunt inſtitui ordinarii Eccleſiæ doctores: hoc reſpectu in futurum tempus confertur hic honor. *Quicquid ligaveris.* Secunda metaphora vel ſimilitudo proprie ad notandam peccatorum remiſſionem valet. Chriſtus enim ſuo Euangelio nos ab æternæ mortis reatu liberans, maledictionis laqueos, quibus tenemur conſtricti, ſolvit. Ergo Euangelii doctrinam ſolvendis noſtris vinculis deſtinatam eſſe teſtatur, ut voce ac teſtimonio hominum in terra ſoluti, reipſa etiam in cælo ſolvamur. Sed quia permulti non modo oblatam liberationem impie reſpuunt, ſed ſua contumacia gravius ſibi accerſunt judicium, ligandi etiam facultas ac mandatum Euangelii miniſtris datur. Quanquam notandum eſt, hoc Euangelio eſſe accidentale, & quaſi præter naturam: ſicuti & Paulus docet, quum *2 Cor. 10.*
de vindicta differens, quam ſe in promptu habere *verſ. 6.* dicit contra omnes incredulos & rebelles, continuo poſt adjungit, Ubi impleta fuerit obedientia veſtra. Niſi enim ſua culpa reprobi vitam in mortem converterent, Euangelium potentia Dei omnibus eſſet in ſalutem: quia tamen eo audito, multorum impietas palam erumpens, iram Dei magis provocat, talibus mortiferum eſſe ejus odorem neceſſe eſt. Summa hæc eſt, quod certiores reddere ſuos voluit Chriſtus de ſalute ſibi in Euangelio promiſſa, ut eam non minus ſecure expectent quam ſi ipſe teſtis è cælo deſcenderet: rurſus vero incutere terrorem contemptoribus, ne ſe impune verbi miniſtris illudere putent. quorum utrumque valde neceſſarium fuit. Nam quia in vaſis fictilibus nobis incompara- *2 Cor. 4.*
bilis vitæ theſaurus proponitur: niſi hoc modo ſan- *verſ. 7.* cita fuiſſet æternæ doctrinæ auctoritas, ſingulis fere momentis labaſceret ejus fides. rurſus tam audacter proterviunt impii, quia negotium ſibi cum hominibus eſſe putant. Pronunciat ergo Chriſtus, patefieri Euangelii præconio in terra quale futurum ſit cæleſte Dei judicium, nec aliunde petendam eſſe vitæ aut mortis certitudinem. Magnus hic honor, quod Dei interpretes ſumus ad teſtandam mundo ſuam ſalutem. Summa Euangelii majeſtas, quod mutuæ inter Deum & homines reconciliationis legatio eſſe dicitur. Mira denique piis animis conſolatio, quod ratum coram Deo eſſe ſciunt allatum ſibi ab homuncione mortali ſalutis nuncium. Interea ſubſannent impii, ut libuerit, quæ Dei mandato prædica-

tur doctrinam: ſentient tandem quam vere ac ſerio per os hominum minatus ſit illis Deus. Denique hac fiducia inſtructi pii doctores, ſibi & aliis intrepidi ſint ſponſores vivificæ Dei gratiæ, nec minus animoſe in præfractos doctrinæ ſuæ contemptores fulminent. Hactenus germanum verborum ſenſum dilucide expoſui, ut nihil deſiderari queat, niſi Romanus Antichriſtus tyrannidi ſuæ colorem inducere volens, non minus improbe quam perfida locum hunc totum pervertere auſus foret. Quanquam autem lux ipſa veræ interpretationis quam attuli, purgandis ejus tenebris ſufficere videtur, ne quid tamen moretur pios lectores, putidas ejus calumnias breviter diluam. Primo fingit Petrum vocari Eccleſiæ fundamentum. Quis autem non videt quod transfert ad hominis perſonam, de Petri fide in Chriſtum dictum eſſe? Idem, fateor, apud Græcos ſignificant Petrus & Petra, niſi quod prius nomen Atticum eſt, alterum vero communis linguæ. ſed hæc varietas non temere à Matthæo poſita eſt: quin potius conſulto mutatum eſt genus, ut diverſum aliquid exprimeret: nec dubito quin tale diſcrimen notaverit Chriſtus ſua lingua. Prudenter itaque Auguſtinus non Petram à Petro, ſed Petrum à Petra dici admonet: ſicut à Chriſto ſumus omnes Chriſtiani. Porro
1 Cor. 3. verſ. 11. ne longior ſim, quum illud Pauli inter nos pro certo & confeſſo habendum ſit, non alibi poſſe fundari Eccleſiam quam in Chriſto ſolo, non ſine ſacrilega blaſphemia aliud fundamentum Papa commentus eſt. Et certe quantopere vel uno hoc nomine tyrannidem Papatus deteſtari nos deceat, nullis verbis exprimi ſatis poteſt: quod in ejus gratiam ſublatum fuerit Eccleſiæ fundamentum ut apertus inferni gurges miſeras animas abſorbeat. Adde quod pars iſta (ſicuti prius attigi) nondum ad publicum Petri officium ſpectat, ſed tantum inter ſacros templi lapides unus ex præcipuis locis illi datur. Quæ ſequuntur encomia, ad munus Apoſtolicum ſpectant. Unde ſequitur, nihil Petro dici quod non conveniat reliquis etiam collegis: nam ſi communis eſt inter ipſos Apoſtolatus dignitas, commune etiam ſit oportet quicquid ei annexum eſt. At Chriſtus Petrum unum nominatim alloquitur: nempe ſicuti unus omnium nomine Chriſtum confeſſus fuerat Dei Filium, ita viciſſim ad unum dirigitur ſermo, qui tamen peræque ad alios pertinet. Nec vero ſpernenda eſt illa quæ à Cypriano & aliis adducitur ratio,
Cypriani dictum. Chriſtum in unius perſona loquutum eſſe omnibus, ut Eccleſiæ unitatem commendaret. Excipiunt, aliis omnibus præferri, cui hoc peculiariter datum eſt. Hoc vero perinde eſt acſi magis fuiſſe Apoſtolum contenderent quam ſuos collegas: neque enim à docendi munere & Apoſtolatu magis avelli poteſt ligandi & ſolvendi poteſtas, quam à ſole calor vel lumen. Cæterum ut demus Petro conceſſum plus aliquid fuiſſe quam reliquis, ut inter Apoſtolos excelleret: ſtulte tamen inferunt Papiſtæ, datum illi fuiſſe primatum, ut univerſale eſſet totius Eccleſiæ caput. Nam & aliud eſt dignitas quam imperium, & aliud inter paucos ſummo honoris gradu pollere quam ſub ulnas ſuas colligere totum orbem. Et ſane non plus illi oneris impoſuit Chriſtus, quam obire poſſet. Jubetur regni cælorum eſſe janitor, jubetur ligando & ſolvendo diſpenſare Dei gratiam, ejuſque judicium in terra exequi: nempe quatenus ſe extendit mortalis hominis facultas. Ergo quicquid ei datum eſt, ad menſuram gratiæ reſtringere convenit, qua donatus eſt in Eccleſiæ ædificationem. Ita concidit immenſum illud imperium quod illi arrogant Papiſtæ. Verum ut de Petro nihil ſit controverſiæ aut litis, nihil tamen inde Papæ tyrannidi accedit. Nam principium quod arripiunt Papiſtæ, nemo illis ſanus concedet, datum hic Petro fuiſſe quod velut jure hæreditario ad poſteros deinde transmitteret: neque enim quicquam ſucceſſoribus dare permittitur. quare Papiſtæ eum de alieno liberalem faciunt. Denique ut continua valere debeat ſucceſſio, nihil tamen inde extorquet Papa donec legitimus Petri ſucceſſor probatus fuerit. Unde autem probat? Quia Petrus Romæ mortuus eſt. Quaſi vero Roma, nefanda Apoſtoli cæde primatum ſibi acquiſierit. Sed obtendunt, illic quoque fuiſſe Epiſcopum. quam id frivolum ſit, abunde in mea Inſtitutione docui, unde integrum hujus argumenti tractationem peti malo, quam hic cum moleſtia & tædio lectorum retexere. Hæc tamen accedat brevis clauſula, Etiamſi jure Petri ſucceſſor fuiſſet Romanus Epiſcopus, quum tamen ſua perfidia tanto ſe honore abdicaverit, nihil ei prodeſſe quicquid Petri ſucceſſoribus Chriſtus contulit. Curiam Papæ Romæ eſſe plus ſatis notum eſt: ſed nullam illic Eccleſiæ notam oſtendent: Ab officio vero Paſtoris non ſecus abhorret, quam cupide pro ſua dominatione pugnat. Certe ut nihil omiſerit Chriſtus in extollendis hæredibus Petri, non tamen ita prodigus fuit ut ſuum honorem in apoſtatas transferret.

MATTH. XVI.

20. Tunc edixit diſcipulis ſuis necui dicerent quod ipſe eſſet Jeſus Chriſtus.

21. Ex eo tempore cœpit Jeſus indicare diſcipulis ſuis quod oporteret ipſum abire Hieroſolymam, ac multa pati à Senioribus, & principibus Sacerdotum & Scribis, & occidi, & tertio die reſuſcitari.

22. Et abducens eum Petrus, cœpit illum increpare, dicens, Propitius tibi ſis Domine: nequaquam erit tibi hoc.

23. At ille converſus, dixit Petro, Abi poſt me Satana, ſcandalum es mihi: quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed quæ ſunt hominum.

24. Tunc Jeſus dixit diſcipulis ſuis, Siquis vult poſt me ve-

MARC. VIII.

30. Et interminatus eſt eis necui dicerent de ſe.

31. Et cœpit docere eos quod oporteret Filium hominis multa pati, & reprobari à Senioribus, ſummiſque Sacerdotibus ac Scribis, & occidi, & poſt tres dies reſurgere.

32. Et aperte ſermonem loquebatur. Et apprehendit illum Petrus, cœpitque increpare eum.

33. At ille converſus, & intuitus diſcipulos ſuos, increpavit Petrum, dicens, Abi poſt me Satana: quia non ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ ſunt hominum.

34. Et quum ad ſe vocaſſet turbam una cum diſcipulis ſuis, dixit illis, Quicunque vult me ſequi, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.

LUC. IX.

21. At ille comminatus illis, præcepit necui dicerent hoc:

22. Dicens, Oportet Filium hominis multa pati, & reprobari à Senioribus, & principibus Sacerdotum & Scribis, & occidi, & tertia die reſurgere.

23. Dicebat autem ad omnes, Siquis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.

24. Qui enim voluerit animam ſuam ſervare, perdet illam: qui vero perdiderit animam

nire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, ac ſequatur me.

25. Qui enim voluerit animam ſuam ſervare, perdet eam: rurſus, qui perdiderit animam ſuam mea cauſa, inveniet eam.

26. Quid enim prodeſt homini, ſi totum mundum lucratus fuerit, animæ vero ſuæ jacturam fecerit? aut quid dabit homo cujus permutatione redimat animam ſuam?

27. Futurum eſt enim ut Filius hominis veniat in gloria Patris cum Angelis ſuis: & tunc reddet unicuique juxta facta ipſius.

28. Amen dico vobis, ſunt quidam hic ſtantes, qui non guſtabunt mortem donec viderint Filium hominis venientem in regno ſuo.

35. Nam quiſquis voluerit animam ſuam ſervare, perdet eam: quiſquis autem perdiderit animam ſuam mea & Euangelii cauſa, hic ſervabit eam.

36. Quid enim profuerit homini, ſi lucratus fuerit totum mundum, & animæ ſuæ jacturam fecerit?

37. Aut quid daturus eſt homo compenſationis pro anima ſua?

38. Quemcunque enim puduerit mei ac meorum ſermonum in generatione hac adultera & peccatrice, pudebit illius & Filium hominis ubi venerit in gloria Patris ſui cum Angelis ſanctis.

MARC. IX.

1. Et dicebat illis, Amen dico vobis, ſunt quidam inter eos qui hic ſtant, qui non guſtabunt mortem donec viderint regnum Dei veniſſe cum virtute.

mam ſuam propter me, hic ſervabit eam.

25. Quid enim proficit homo, ſi totum mundum lucratus, ſe autem perdito, jacturam ſuiipſius faciat?

26. Nam quem mei ac ſermonum meorum puduerit, hujus & Filium hominis pudebit quum venerit in majeſtate ſua & Patris ſanctorumque Angelorum.

27. Dico autem vobis vere, ſunt quidam hic ſtantes qui non guſtabunt mortem donec videant regnum Dei.

Edito futuræ ſuæ gloriæ ſpecimine admonet Chriſtus diſcipulos quid ſibi patiendum ſit, ut ipſi quoque ad ferendam crucem ſe comparent: inſtabat enim tempus certaminis, cui eos longe impares noverat, niſi nova fortitudine inſtructi eſſent. Hoc vero in primis agendum erat, ſuum Chriſto regnum non ſplendida pompa, non opibus magnificis, non læto mundi applauſu, ſed morte probroſa auſpicandum eſſe. Atqui nihil erat difficilius quam ſuperare tantum ſcandalum, præſertim ſi reputemus quid jam penitus de magiſtro perſuaſum haberent: ſibi enim imaginati fuerant eum terrenæ felicitatis auctorem. Vana igitur ſpe ſuſpenſi erant, temporis articulo cupide inhiantes quo repente Chriſtus regni ſui gloriam patefaceret. De crucis ignominia adeo nihil præſumpſerant animis, ut minime conſentaneum eſſe crederent quicquam illi non honorificum accidere. Gravis etiam erat hæc circumſtantia, reprobari à Senioribus & Scribis, penes quos erat Eccleſiæ primatus. unde colligere promptum eſt, quam neceſſaria fuerit hæc admonitio. Cæterum quia fieri non poterat quin ſola crucis mentio graviter turbaret infirmos animos, ſtatim vulneri medetur: dicit ſe tertio die reſurrecturum à morte. Et certe quum in ejus cruce tantum appareat carnis infirmitas, donec ad reſurrectionem ventum fuerit, in qua relucet virtus Spiritus, non reperiet fides noſtra quo ſe erigat vel ſuſtentet. Ideo hæc ratio prudenter tenenda eſt verbi miniſtris qui cum profectu docere cupiunt, ut ſemper reſurrectionis gloriam conjungant cum mortis ignominia. Sed mirum eſt cur nolit Chriſtus Apoſtolos ſibi eſſe teſtes, quibus jam munus hoc prius injunxerat. quorſum enim miſſi fuerant, niſi ut redemptionis eſſent præcones, quæ pendebat à Chriſti adventu? Solutio non difficilis eſt, ſi memoria tenemus quæ tunc expoſui: nempe minime creatos fuiſſe doctores qui certum & plenum Chriſto teſtimonium redderent, ſed tantum ut magiſtro pararent diſcipulos, hoc eſt, dociles & attentos redderent qui nimium ſopiti erant. deinde, fuiſſe temporale mandatum, cui finem attulit ipſius Chriſti prædicatio. Nunc quia inſtabat tempus mortis, ipſi vero nondum ad teſtandam fidem ſuam maturi erant, imo propter fidei debilitatem ludibrio fuiſſet eorum confeſſio: ſilere eos Dominus jubet donec ab aliis agnitus fuerit mortis victor, novaque conſtantia eos induerit.

22. *Petrus cœpit illum increpare.*] Immodici fervoris ſignum eſt, quod Petrus magiſtrum reprehendit: quanquam videtur reverentia quoque inductus eſſe ut eum abduceret ſeorſum, quia coram teſtibus non audebat reprehendere: magna tamen intemperies eſt, quod admonet quaſi non ſatis mentis compotem, ut ſibi parcat. Sed huc homines impellit adeoque præcipitat inconſideratus zelus, ut Deum ipſum ſuo arbitrio ſubjicere oon dubitent. Abſurdum eſſe judicat Petrus crucifigi Dei Filium à Senioribus, qui Redemptor populi futurus erat, & ad mortem adduci qui auctor erat vitæ. Chriſtum ergo retrahere conatur, ne ſe in mortem exponat. Specioſus color eſt: ſed plus deferre neceſſe eſt Chriſti ſententiæ quam Petri zelo, quocunque tandem prætextu ſit excuſabilis. Atque hic docemur quid valeant coram Deo quæ bonæ putantur iotentiones. Tanta quidem hominibus ingenita eſt ſuperbia, ut ſibi credant fieri injuriam ac querantur, niſi quod rectum eſſe ſtatuunt, Deo quoque arrideat. Itaque videmus quanta pertinacia ſuas devotiones venditent Papiſtæ. atqui dum ita audacter ſibi plaudunt, Deus non ſolum repudiat quod ſibi perſuadent ſumma laude eſſe dignum, ſed ſevere etiam damnat impiæ veſaniæ. Certe ſi ſenſus & judicium carnis valeant, pia fuit Petri intentio, vel ſaltem probabilis. Atqui non potuit durius nec magis contumelioſe eum rejicere Chriſtus. Quid obſecro ſibi vult tam aſpera reſponſio? qui tantam manſuetudinem ubique ſervavit ne calamum quaſſatum confringeret, quo- *Jeſ. 42.*
modo nunc in diſcipulum electum tam atrociter ful- *verſ. 3.*
minat? Manifeſta certe ratio eſt, quod in unius hominis perſona compeſcere omnes voluerit ne zelo ſuo indulgeant. Quanquam enim carnis libidines, ut ſimiles ſunt feris beſtiis, cobibere difficile eſt: nulla tamen magis furioſa bellua eſt quam carnis prudentia. Ergo tam acriter in eam invehitur Chriſtus, & quaſi ferreo malleo eam retundit, ut diſcamus tantum ex Dei verbo ſapere.

23. *Abi poſt me Satana.*] Inepte quidam philoſophantur in voce Retro, quaſi jubeatur Petrus ſequi, non præire. nam & Lucas ſupra cap. 4. diabolum biſdem verbis à Domino repulſum fuiſſe narravit. Et verbum ὕπαγε, faceſſere ſignificat: unde & Latinum Apage deductum eſt. Procul ergo rejicit Chriſtus diſcipulum, quia præpoſtero ſuo zelo Satanæ partes obiret; neque enim ſimpliciter adverſa-

rium vocat, ſed diaboli nomen ei imponit in ſigoum maximæ deteſtationis. Notanda eſt quæ mox additur ratio, *Tu ſcandalum mihi es, quia humanitus ſapis, & non ſecundum Deum.* Scandalum Chriſto fuit Petrus, dum ſe ejus vocationi oppoſuit. Unde etiam apparet quantopere in perverſo ſuo zelo inſaniant homines. nam dum Petrus curſum magiſtri abrumpere conatus eſt, per eum non ſtetit quin ſe & totum humanum genus æterna ſalute fraudaret. Uno igitur verbo docemur quantopere fugiendum ſit quicquid nos abducit à Dei obſequio. Primum vero totius mali fontem aperit Chriſtus, qoum dicit Petrum ſapere quæ ſunt hominum. Ergo ne cæleſtis judex nos & ſtudia noſtra ad diabolum ableget, diſcamus non proprio ſenſui eſſe addicti, ſed obedienter amplecti quod Dominus probat. Eant nunc Papiſtæ, & ſua placita in cælum extollant: ſentient tandem, ubi ad cæleſte tribunal ventum fuerit, quid valeat jactantia, quam Chriſtus Satanicam eſſe pronunciat. Nos vero, niſi ſponte velimus mortiferis obſtaculis viam ſalutis nobis præcludere, non aliter ſapere appetamus quam ex ore Dei.

24. *Tunc Jeſus dixit diſcipulis ſuis.*] Quia videbat Chriſtus Petrum crucem horrere, & eodem alios omnes ſenſu præditos eſſe noverat, generaliter de tolerantia crucis diſſerit: nec ſolos duodecim compellat, ſed eandem imponit legem piis omnibus.
Mat. 10. Similem fere ſententiam habuimus apud Mat-
verſ. 18. thæum. ſed illic tantum admoniti fuerunt Apoſtoli de perſequutione quæ ipſos manebat ſimulac exorſi eſſent officio ſuo defungi: hic vero communi tirocinio imbuit, & quaſi primis rudimentis initiat quicunque Euangelio nomen dare volunt. Nominatim vero dicit, *Siquis poſt me venturus eſt*, ut refellat Petri figmentum. nam ſe abnegationis ſui, & patientiæ exemplar cuique proponens, ſibi ferendum eſſe oſtendit quod ab ejus perſona alienum eſſe ducebat Petrus: deinde ad imitationem invitat ſingula corporis ſui membra. Sic autem reſolvi oportet verba, Siquis vult meus eſſe, abnegato ſeipſo, & cruce ſublata, me ſequatur, vel ad exemplum meum ſe conformet. Senſus autem eſt, non poſſe cenſeri Chriſti diſcipulos niſi qui veri ſunt ejus imitatores, ac in eodem currere ſtadio parati ſunt. Porro brevem imitationis regulam præſcribit, ut ſciamus qua præcipue in re velit ſibi nos eſſe ſimiles: ea vero duobus modis conſtat, abnegatione noſtri, & voluntaria crucis tolerantia. Abnegatio hæc late patet, ut ſcilicet renunciantes proprio ingenio, & omnibus carnis affectibus valere juſſis, parati ſimus in nihilum redigi, modo in nobis vivat ac regnet Deus. Scimus quam cæco amore ſui naturaliter impliciti ſint homines, quantum ſibi dediti ſint, quanti ſeipſos æſtiment. Atqui ſi ingredi cupimus in Chriſti ſcholam,
1 Cor. 3. ab ea ſtultitia incipere oportet ad quam nos Paulus
verſ. 18. hortatur: deinde ad omnes affectus domandos & ſubigendos progredi. De cruce tollenda ideo concionatur, quia etſi communibus miſeriis promiſcue ſubjecta eſt hominum vita, quia tamen peculiariter Deus ſuos exercet ut conformes reddat imagini Filii ſui, hanc illis legem proprie dici non mirum eſt. Deinde quanquam Deus cruce oneret tam malos quam bonos, non tamen dicontur crucem tollere niſi qui humeros libenter ſubjiciunt. quamvis enim ferox ac refractarius equus ſeſſorem ſuſtineat, non tamen eum ſuſcipit. Hæc igitur patientia eſt fidelium, crucem ſibi impoſitam animo ſubire. Apud Lucam additur particula *Quotidie*, cui ſubeſt magnum pondus: ſignificat enim Chriſtus nullum militiæ noſtræ fore finem donec è mundo exeamos. Sit igitur hæc aſſidua piorum meditatio, ubi pluribus ærumnis perfuncti fuerint, ad novas ferendas ſe parare.

25. *Qui enim voluerit animam ſervare.*] Aptiſſima conſolatio, quod ſibi vitam vere acquirant qui ſponte mortem pro Chriſto obeunt: nam Marcus diſerte hanc moriendi cauſam fidelibus præſcribit: ideo & in verbis Matthæi ſubaudienda eſt. Fit eoim ſæpe ut ambitio vel deſperatio ad vitæ contemptum profanos homines impellat, qui tamen ſine profectu aoimoſe ad mortem properant. Oppoſita etiam comminatio ad vellicandam carnis ignaviam plurimum valet, quum præſentis vitæ cupidos hoc tantum proficere admonet ut eam perdant. Eſt autem antitheſis inter temporalem & æternam vitam, ſicuti in decimum caput docuimus, unde reliqua petant lectores.

26. *Quid enim* &c. *animæ vero ſuæ.*] Nomen Animæ hic proprie accipitur: admonet enim Chriſtus non ideo creatam eſſe hominis animam ut mundo taotum ad paucos dies fruatur, ſed ut ſua demum illi conſtet in cælo immortalitas. acſi dixiſſet, Quanta hæc ſocordia eſt & quam brutus ſtupor, quod homines ita ſibi devinctos tenet mundus & occupat, ut non cogitent quorſum nati ſint, & ſibi datam eſſe immortalem animam, ut confecto terrenæ vitæ curriculo in cælis perpetuo vivant? Et quidem fatentur omnes pluris eſſe animam cunctis mundi opibus & deliciis: ſed interea eos excæcat carnis ſenſus, ut animas ſuas in exitium ſcientes ac volentes projiciant. Ergo ne ſuis illecebris nos mundus faſcinet, nobis veniat in mentem animæ noſtræ præſtantia: quæ ſi ſerio expenditur, facile vanas imaginationes terrenæ felicitatis diſcutit.

27. *Futurum eſt enim ut filius hominis.*] Quo melius in animos penetret ſuperior doctrina, futurum ante oculos judicium ponit Cbriſtus: nam ut vileſcat nobis caduca hæc vita, ſerio vitæ cæleſtis ſenſu tangi nos neceſſe eſt. Adjumento autem opus habet mentis noſtræ tarditas & ſegnities, ut in cælum reſpiciat. Ideo fideles ad tribunal ſuum citat Chriſtus, ut ſingulis momentis cogitent non alia de cauſa ſe vivere niſi ut adſpirent ad beatam illam redemptionem, quæ ſuo die patefiet. Huc aotem ſpectat admonitio, ut ſciamus non fruſtra eos certare quibus pretioſior eſt ſua vita confeſſio fidei: acſi dixiſſet Chriſtus, Deponite intrepide in manu & cuſtodia mea vitas veſtras: ego enim tandem vindex adero, qui vos in integrum reſtituam, quamvis viſi ſitis ad tempus perire. Gloriam Patris & Angelos commemorat, ne ex præſenti aſpectu æſtimarent diſcipuli ejus regnum. adhuc enim ignobilis & contemptus ſub ſervi habitu & ſpecie latebat. Longe ergo alium ſe fore promittit quum adveniet mundi Judex. Quæ præterea apud Marcum & Lucam habentur, lectores decimo capite Matthæi expoſita reperient: de operum quoque mercede alibi diſſerui quantum ſatis erat. Summa hæc eſt, Quoties bonis operibus promittitur merces, minime opponi eorum meritum gratuitæ fidei juſtitiæ: nec ſalutis cauſam oſtendi, ſed tantum animari fideles ad recte agendi ſtudium, dum certi ſunt ſe operam non ludere. Quare optime hæc duo conveniunt, gratis nos juſtificari, quia Deo præter meritum accepti ſumus: & tamen ipſum indebitam operibus noſtris mercedem pro ſuo beneplacito rependere.

28. *Amen dico vobis.*] Quia ſecum adhuc diſceptare poterant diſcipuli quando futurus eſſet ille dies, Dominus eos propiore fiducia erigit, quod ſcilicet futuræ ſuæ gloriæ ſpecimen brevi daturus ſit. Scimus quam vere dicatur vulgari proverbio, in deſiderio celeritatem quoque moram eſſe: ſed hoc præcipue nobis uſu venit dum ad Cbriſti adventum differtur ſalus noſtra. Ergo ut diſcipulos ſuos interim ſuſtentet Dominus, confirmationem temporis intermedii illis proponit: acſi dixiſſet, Si diem adventus mei expectare nimis longum videtur, ego mature præveniam: nam antequam vobis moriendum ſit, regnum illud Dei, à cujus ſpe vos pendere jubeo, conſpicuum erit oculis veſtris. Hic genuinos

eſt

eſt verborum ſenſus. nam quod de Joanne quidam fingunt, ridiculum eſt. Adventum vero regni Dei, intellige gloriæ cæleſtis manifeſtationem quam à reſurrectione auſpicatus eſt Chriſtus, & plenius deinde Spiritum ſanctum mitteodo, & mirificas edendo virtutes, exhibuit: nam in illis primitiis guſtandam ſuis præbuit cæleſtis vitæ novitatem, quum veris & certis experimentis ipſum ad Patris dextram ſedere agnoſcerent.

MATTH. XVII.

1. Et poſt dies ſex aſſumit Jeſus Petrum & Jacobum & Joannem fratrem ejus, & ſubducit illos in montem excelſum ſeorſum.

2. Ac transformatus eſt coram illis, & ſplenduit facies ejus ſicut Sol: veſtimenta autem illius facta ſunt candida ſicut lumen.

3. Et ecce, viſi ſunt illis Moſes & Elias cum illo colloquentes.

4. Reſpondens autem Petrus dixit Jeſu, Domine, bonum eſt nos hic eſſe: ſi vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, & Moſi unum, & Eliæ unum.

5. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit illos: & ecce vox è nube, quæ dicebat, Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi bene complacitum eſt, ipſum audite.

6. Et hoc audito diſcipuli prociderunt in faciem ſuam, ac territi ſunt vehementer.

7. Tunc accedens Jeſus tetigit illos, & dixit, Surgite, & ne timeatis.

8. Quum vero ſuſtuliſſent oculos ſuos, neminem viderunt niſi ſolum Jeſum.

MARC. IX.

2. Ac poſt dies ſex aſſumit Jeſus Petrum & Jacobum & Joannem, & ſubducit eos in montem excelſum ſeorſum ſolos: & transformatus fuit coram illis.

3. Et veſtimenta illius facta ſunt ſplendida, candida valde veluti nix, quam candida facere non poteſt fullo ſuper terram.

4. Et conſpectus eſt illis Elias cum Moſe, colloquebanturque cum Jeſu.

5. Et reſpondens Petrus dixit Jeſu, Rabbi, bonum eſt nos hic eſſe: & faciamus tria tabernacula, tibi unum, & Moſi unum, & Eliæ unum.

6. Non enim noverat quid loqueretur: erant enim expavefacti.

7. Et facta eſt nubes, quæ obumbravit illos: & venit vox è nube, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, ipſum audite.

8. Et repente quum circumſpexiſſent, non amplius viderunt quenquam, ſed Jeſum ſolum ſecum.

LUC. IX.

28. Factum eſt autem poſt hæc verba fere diebus octo, & aſſumpſit Petrum & Joannem & Jacobum, & aſcendit in montem ut oraret.

29. Et facta eſt, dum oraret, ſpecies vultus ejus alia, & veſtitus ejus candidus ac refulgens.

30. Et ecce, duo viri loquebantur cum illo, qui erant Moſes & Elias:

31. Qui viſi in majeſtate, dicebant exceſſum ejus quem completurus erat Hieroſolymis.

32. Petrus vero & qui cum illo erant, gravati erant ſomno: experrecti autem viderunt majeſtatem ejus, & duos viros qui ſtabant cum illo.

33. Et factum eſt quum diſcederent ab illo, ait Petrus ad Jeſum, Præceptor, bonum eſt nos hic eſſe: & faciamus tria tabernacula, unum tibi, & unum Moſi, & unum Eliæ, neſciens quid diceret.

34. Hæc autem illo loquente, facta eſt nubes, & obumbravit eos: timuerunt autem intrantibus illis in nubem.

35. Et vox facta eſt de nube, dicens, Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite.

36. Et dum fieret vox, inventus eſt Jeſus ſolus.

Primo videndom eſt quo conſilio Chriſtus cæleſtem gloriam ad breve tempus induerit, & tres ſolum ex ſuis diſcipulis teſtes adhibuerit ad hoc ſpectaculum. Quod ſentiunt quidam feciſſe in eum finem, ut contra tentationem, quæ inſtabat à morte ſua, eos muniret, mihi non eſt probabile. nam cur eodem remedio alios privaſſet, imo cur diſerte vetar ne ante reſurrectionem ſuam proferant quod viderunt, niſi quia viſionis fructus morte poſterior erat? Mihi ergo dubium non eſt quin teſtari voluerit Chriſtus ſe non invitum ad mortem trahi, ſed ultro accedere, ut obedientiæ ſacrificium Patri offerret. Non venit hæc cognitio diſcipulis iomentem donec reſurrexit Chriſtus: neque etiam in illo temporis articulo neceſſe fuit divinam Chriſti potentiam concipere, quam in cruce victricem agnoſcerent: ſed in aliud tempus tam ſibi quam nobis edocti ſunt, ne quem offenderet Chriſti infirmitas, quaſi neceſſitate & vi paſſus foret. Clarum enim eſt nihilo fuiſſe difficilius Chriſto corpus ſuum à morte eximere, quam ornare cæleſti gloria. Docemur itaque morti fuiſſe obnoxium quia voluit: crucifixum fuiſſe quia ſe obtulit: nam eadem illa caro quæ in cruce immolata, in ſepulchro jacuit, quum jam prius cæleſtis gloriæ particeps fuiſſet, immuois eſſe potuit à morte & ſepulchro. Quin etiam docemur, quamdiu accepta ſervi forma verſatus eſt in mundo Chriſtus, & ſub carnis infirmitate latuit ejus majeſtas, nihil ei fuiſſe detractum: quia ſponte ſe exinanivit. nunc autem reſurrectio velum illud ſuſtulit quo virtus ejus tecta ad tempus fuerat. Porro tres teſtes deligere ſatis habuit Dominus, quia hic numerus ad rem probandam à Lege præſcribitur. Diſcrepantia tempo- *Deut. 17. verſ. 6.*
ris nos offendere non debet. Sex dies integros numerant Matthæus & Marcus qui medii fluxerunt: Lucas autem factum eſſe dicens octo fere poſtea diebus, tam diem illum quo loquutus erat Chriſtus quam quo transformatus eſt comprehendit. Videmus ergo ut ſenſus idem in verbis diverſis optime conveniat.

2. *Transformatus eſt.*] Lucas hoc factum eſſe dicit quum oraret: ex circumſtantia autem loci & temporis colligere licet hoc precatum eſſe quod obtinuit, ut in ſplendore novæ formæ viſibile Deitatis ſuæ ſpeculum eſſet. oon quod vel precario aliunde petere opus eſſet quod non habebat, vel dubia eſſet Patris voluntas: ſed quia toto humilitatis ſuæ curſu, ſemper ad Patrem retulit quicquid divinitus agebat: & nos ſuo exemplo ad preces ſtimulare voluit. Transformatio autem hæc non prorſus exhibuit Chriſtum viſendum diſcipulis qualis nunc eſt in cælo, ſed guſtum immenſæ gloriæ præbuit qualem ipſi capere poteraot. Reſpleoduit tunc ejus facies

ſicut Sol: nunc vero Solis fulgorem longe ſuperat. Inſolitus in veſtitu candor enituit: nùnc eatra veſtitum divina in totn ejus corpore majeſtas refulget. Sic olim Deus ſanctis Patribus apparuit, non qualis in ſe erat, ſed quatenus immenſi ejus ſplendoris ra-
1 Joan 3. vers. 2. dios ferre poterant: nam fideles non ante ipſum ſicuti eſt viſuros Joannes pronunciar, quam facti ſint ei ſimiles. Jam non eſt quod ſubtiliter quiſquam diſputet de albedine veſtium, vel de facie ſplendida, quandn non fuit hæc ſolida eahibitin cæleſtis Chriſti gloriæ: ſed ſymbolis quæ carnis modulo congruerent, ex parte guſtandum præbuit quod in totum percipi nondum poterat.

3. *Viſi ſunt illis Moſes & Elias.*] Quæritur verene adfuerint Mnſes & Elias, an ſpectrum duntaxat oblatum fuerit diſcipulis, ſicuti ſæpe Propbetis objectæ ſunt rerum abſentium viſiones. Quanquam res eſt in utramque partem diſputabilis (ut loquuntur) mihi tamen magis probatur, ipſos vere in eum locum adductos eſſe: neque enim abſurdum eſt, quum Deus corpora & animas habeat in ſua manu, mortuos ad tempus in vitam ejus arbitrio reſtitui dum ita expedit. Tunc autem Moſes & Elias non ſibi reſurreaerunt, ſed ut præſto adeſſent Chriſto. Si quis rurſum quærat unde Apoſtolis nnticia Moſis & Eliæ, quos nunquam conſpeaerant: reſponſio facilis eſt, Quum eos in medium Deus produceret, ſigna etiam & notas dediſſe quibus ionoteſcerent apud eos. Extraordinario quidem revelationis modo hoc factum eſt, ut certo ſcirent eſſe Moſen & Eliam. Cur autem apparuerint hi duo potius, quam alii ea ſanctorum Patrum cbnro, ſufficere nobis debet illa ratio, ut conſtaret non alium Legi & Prophetis ſcopum eſſe quam Chriſtum. Nam fidei noſtræ magnopere interfuit, Chriſtum non prodire ſine teſtimonio, ſed jam olim à Deo commendatum. Neqne etiam diſplicet quæ afferri ſolet ratio, Eliam maaime aſſumptum eſſe qui Prophetas omnes referret: quia tametſi nihil reliquit ſcriptum, præcipuus tamen excelluit poſt Moſen: cultum Dei vitiatum reſtituit: imo incomparabilis fuit Legis & veræ pietatis tunc propemodum extinctæ vindex. Quod apparent cum Chriſto, & ſermonem communicaat, ſignum eſt conſenſus. Quale autem fuerit colloquium, ſnlus Lucas exprimit: nempe quod eaitum narrarunt qui Chriſtum manebat Hieroſolymis. Hoc pnrro ad privatas eorum perſonas reſtringi non debet, ſed potius ad legationem ipſis olim injunctam. Voluit enim Dominus, quanquam pridem mortui erant, ac confecerant vocationis ſuæ curriculum, voce tamen ſua iterum ſancire quod in vita ſua docuerant: ut ſciremus communem nobis ſalutem in Chriſti ſacrificio propoſitam eſſe cum ſanctis Patribus. Jam quum de Chriſti morte vaticinati ſunt Prophetæ veteres, ſedebat ipſe (qui æterna erat Dei ſapientia) in arcann gloriæ ſuæ ſolin. Unde ſequitur, ipſum carne indutum non fuiſſe obnoxium morti niſi quatenus ſe libere ſubmiſit.

4. *Domine, bonum eſt.*] Lucas ita loquutum eſſe Petrum refert, quum Moſes & Elias diſcederent. Unde colligimus veritum fuiſſe ne ipſorum diſceſſu intercideret ſuave illud & heatum ſpectaculum. Etſi autem mirum non eſt, Petrum ſic dulcedine illa captum fuiſſe, ut aliis omnibus ſpretis, ſola ejus fruitio illi ſufficeret, ſicut in Pſalmo dici-
Pſal. 16. vers. 12. tur Satietas lætitiæ eſſe in Dei vultu: præpoſterum tamen ejus votum fuit, quod finem viſionis non teneret. deinde ſtulte æquavit Dominn ſervos: tertin erravit quum bominibus in cæleſtem & Angelicam gloriam receptis caduca tabernacula extruere vellet. Dico finem viſionis fuiſſe illi incognitum. Nam quum ex ore Eliæ & Moſis audiret inſtare tempus mortis Chriſti, ſtupidus ſpeciem illam, quæ temporalis erat, æternam fore ſomniat. Quid quod hoc mndo regnum Chriſti viginti aut triginta pedum anguſtiis incluſum fuiſſet? ubi totius Eccleſiæ redemptio? ubi ſalutis æternæ ſocietas? Hoc quoque valde perverſum fuit, Eliam & Moſen collegas fingere Dei Filio, quaſi non omnes in ordinem cogi neceſſe ſit ut ſolus ipſe emineat. Jam ſi ſorte ſua contentus eſt Petrus, cur eos egere terrenis ſubſidiis putat quorum aſpectu felix ſibi videtur? Recte ergo Euangeliſtæ duo annotant, *Neſciſſe quid diceret.* Marcus cauſam addit, *Quod eſſent expavefacti.* neque enim ultra tunc Apoſtolos pnficere voluit Deus niſi ut Filii ſui Deitatem quaſi in vivo ſpeculo ad momentum cernerent. Poſtea ſucceſſu temporis fructum illis nſtendens, judicii defectum correait. Significat ergo Marcus Petrum quum in ecſtaſin raptus foret, inſtar bnminis attoniti loquutum eſſe.

5. *Ecce nubes lucida.*] Oppoſita fuit nubes eorum oculis, ut ſcirent nnndum ſe ad contemplandum cæleſtis gloriæ fulgorem idoneos eſſe. Nam quum Dominus ſigna dedit præſentiæ ſuæ, ſimul tegumenta quædam addidit quæ compeſcerent humani ingenii audaciam: ita nunc ut diſcipulos ad humilitatem erudiat, cæleſtis gloriæ intuitum ſubducit ab eorum oculis. Hæc quoque admonitio ad nos pertinet, ne appetamus erumpere in arcana quæ ſenſus noſtros ſuperant: ſed potius ut in fidei ſuæ menſura quiſque ſe ſobrie contineat. Denique nubes hæc freni loco nobis eſſe debet, ne curioſitas noſtra pluſquam par eſt laſciviat. Deinde admoniti fuerunt diſcipuli redeundum ſibi eſſe ad priſtinam militiam, ne triumphum ſibi promitterent ante tempus. *Vox facta eſt de nube.* Et hoc notatu dignum eſt, ſonare vocem Dei ex nube, corpus autem vel faciem non videri. Ergo nobis illa admonitio Moſis veniat in mentem, Deut. 4.
Deum viſibili figura non fuiſſe indutum, ne forte vers. 15.
decepti putemus illum homini ſimilem eſſe. Verum quidem eſt varias ſpecies olim ſanctis Patribus viſas eſſe, in quibus Deum agnoſcerent: ſemper tamen à ſymbolis abſtinuit quæ fabricandis idolis materiam præberent. Et ſane quum plus æquo ad craſſas phantaſias propenſæ ſint humanæ mentes, oleum camino addere nequaquam utile fuit. Hæc maxime illuſtris fuit Dei gloriæ manifeſtatin: quum interpoſita nube nos voce ſua ad ſe invitet, quam abſurdum eſt in trunco ligni vel lapide, ejus præſentiam velle ante oculos noſtros ſiſtere? Ergo diſcamus ſola fide, non autem carneis oculis penetrare ad illam lucem inacceſſam quam Deus inhabitat. Voa autem edita fuit è nube, ut à Deo profectam eſſe ſcientes diſcipuli, qua decebat reverentia eam exciperent. *Hic eſt Filius meus.* Libenter eorum ſubſcribo ſententiæ, qui tacitam ſubeſſe antitheſin putant Moſis & Eliæ cum Chriſto, acſi juberet Chriſtus ſuos diſcipulos unico Filio eſſe contentos. Emphaticum enim eſt Filii nomen, quo ſupra ſervos eatollitur. Porro dunbus elogiis bic ornatur Chriſtus non magis ſibi honorificis quam fidei nnſtræ utilibus: nempe Filii Pſal. 2.
dilecti, deinde Magiſtri. Quod Pater Dilectum vo- vers. 6.
cat in quo ſibi complacuit, Mediatorem eſſe teſtatur Jeſ. 42. Deut. 18.
in quo ſibi mundum reconciliat. Quum audiri jubet, vers. 18.
ſummum & unicum Eccleſiæ ſuæ doctorem præficit. Nam quum ejus conſilium fuerit, eum à reliquis omnibus diſcernere: ſicuti ex his verbis vere & proprie colligimus, natura unicum eſſe Filium; ſimiliter conficitur, ſolum à Patre diligi, & ſolum conſtitui doctorem, ut tota auctoritas penes ipſum reſideat. Siquis excipiat, annon Angelos & homines amet Deus: in promptu ſolutin eſt, Paternum Dei amorem, qui diffunditur ad Angelos & homines, ab illo fonte prodire. Neque enim iden diligitur à Patre Filius ut odin ſint aliæ creaturæ: ſed ut quod ſibi proprium eſt, cum illis communicet. Quanquam diverſa eſt noſtra & Angelorum ratio. nam hi à Deo nunquam alienati fuerunt, ut reconciliatore opus habeant: nos autem inimici propter peccatum, donec eum nobis Chriſtus propitiat. Ma-

net

et tamen illud fixum, Deum utriſque propitium eſſe, quatenus nos in Chriſto complectitur: quia ne Angelis quidem ſine capite firma eſſet cum Deo conjunctio. Jam quum hic loquatur Pater, & ſe alium à Filio deſignet: ſequitur perſonis diſtinctos eſſe, quando una eſt eſſentia & eadem majeſtas. *Ipſum audite.* Nuper admonui hac voce revocari Eccleſiam ad unicum doctorem Chriſtum, ut tantum ab ejus ore pendeat. Etſi enim venit Chriſtus ut Legi & Prophetis fidem aſſerat, ſic tamen occupat ſummum gradum ut fulgore ſui Euangelii abſorbeat ſcintillas illas quæ in Veteri Teſtamento micabant. Eſt enim Sol juſtitiæ, cujus adventu plenus illuxit dies. Atque hæc ratio eſt cur Apoſtolus dicat primo ad Hebræos capite, Deum qui olim multifariam multiſque modis loquutus erat per Prophetas, noviſſime loquutum eſſe in dilecto filio. Denique non minus hodie in Lege & Prophetis auditur Chriſtus quam in Euangelio ſuo, ut penes ipſum reſideat Magiſtri auctoritas: quemadmodum eam ſibi uni vendicat Matth. 23. verſ. 8. Porro jus ſuum ſalvum non obtinet quin ſileant omnes humanæ linguæ. Quare ut nos ſub ſua doctrina contineat, quicquid commenti ſunt homines, proſterni & concidere neceſſe eſt. Doctores quidem quotidie emittit: ſed qui pure & bona fide proferant quod ab eo didicerint, non qui ſuis additamentis Euangelium inficiant. In ſumma, nullus eſt fidelis Eccleſiæ doctor niſi qui & diſcipulus eſt Chriſti, & alios ei docendos offert.

6. *Et hoc audito.*] Terrore iſto percelli Deus voluit diſcipulos, ut melius viſionis memoriam imprimeret eorum cordibus. Interim videmus quanta ſit naturæ noſtræ infirmitas quæ audita Dei voce ſic expaveſcit. Nam quod impii vel ſubſannant eam, vel ſecure negligunt, ideo fit quia Deus efficaciter eos non compellat: ſed neceſſe eſt, ut Dei majeſtas ſimulac eum ſentimus, nos dejiciat. Cæterum Chriſtus proſtratos erigens, officium ſuum exequitur. nam ideo ad nos deſcendit ut eo duce in Dei conſpectum intrepide prodeant fideles, nec amplius terribilis ſit illis majeſtas quæ omnem carnem alioqui abſumeret. Adde quod non ſermone tantum eos ſolatur, ſed tactu etiam confirmat. Quod dicuntur tandem ſolum Chriſtum vidiſſe, huc pertinet, Legi & Prophetis temporalem fuiſſe gloriam, ut ſolus Chriſtus conſpicuus maneat. Nam ut rite Moſis opera utamur, in ipſo hærendum non eſt, ſed danda opera ut per ipſum manu ducamur ad Chriſtum cujus miniſter eſt una cum aliis omnibus. Accommodari etiam poteſt hic locus ad damnandas eorum ſuperſtitiones qui Chriſtum non Prophetis tantum & Apoſtolis, ſed gregariis ſanctulis ita permiſcent, ut ſit tanquam unus quilibet ex numero. Atqui longe alium in finem excellunt in ſanctis Dei gratiæ quam ut partem honoris Chriſto debiti ad ſe rapiant. Fons autem erroris in diſcipulis ipſis notari poteſt. quamdiu enim territi fuerunt Dei majeſtate, vagatæ ſunt in hominibus quærendis eorum mentes: ubi autem eos ſuaviter Chriſtus erexit, ſolus ab ipſis viſus eſt. nam ſi vigeat in nobis conſolatio qua Chriſtus terroribus noſtris medetur, evaneſcent ſtulti omnes affectus qui nos huc illuc diſtrahunt.

MATTH. XVII.

9. Et quum deſcenderent de monte, præcepit illis Jeſus, dicens, Ne cui dixeritis viſionem donec Filius hominis à mortuis reſurgat.

10. Et interrogaverunt eum diſcipuli ſui, dicentes, Cur igitur Scribæ dicunt quod Eliam oporteat venire prius?

11. Jeſus autem reſpondens, dixit illis, Elias quidem veniet prius, & reſtituet omnia.

12. Cæterum dico vobis, Eliam jam veniſſe: & non agnoverunt eum, ſed fecerunt in eo quæcunque voluerunt. ſic & Filius hominis paſſurus eſt ab illis.

13. Tunc intellexerunt diſcipuli quod de Joanne Baptiſta dixiſſet ipſis.

MARC. IX.

9. Porro quum deſcenderent de monte, præcepit illis ne cui dicerent ea quæ viderant, niſi quum Filius hominis à mortuis reſurrexiſſet.

10. Ac verbum hoc tenuerunt apud ſeſe, inter ſe diſputantes quid eſſet hoc quod dixerat, E mortuis reſurgere.

11. Et interrogabant illum, dicentes, Quid eſt, quod Scribæ dicunt Eliam oportere venire prius?

12. Ille vero reſpondens, dixit illis, Elias quidem ubi venerit, prius reſtituet omnia: & quemadmodum ſcriptum eſt de Filio hominis, ut multa patiatur & contemnatur.

13. Verum dico vobis Eliam veniſſe, & fecerunt illi quæcunque voluerunt, ſicut ſcriptum eſt de illo.

LUC. IX.

36. Et ipſi tacuerunt & nemini dixerunt in illis diebus quicquam ex illis quæ viderant.

9. *Et quum deſcenderent de monte.*] Diximus cur nondum tunc maturum eſſet tempus publicandæ viſionis. Et certe fides diſcipulis non fuiſſet habita niſi luculentius gloriæ ſuæ ſpecimen Chriſtus in reſurrectione dediſſet. Verum poſtquam ſe palam exeruit divina ejus virtus, locum etiam habere cœpit temporalis ille conſpectus ejus gloriæ, ut certo conſtaret, etiam quo tempore exinanitus fuit, Deitatem tamen ſuam illi integram ſtetiſſe, licet abſcondita eſſet carnis velo. Ergo non abs re ſilere jubet diſcipulos donec à morte reſurrexerit.

10. *Et interrogaverunt eum diſcipuli ſui, dicentes.*] Simulac facta fuit reſurrectionis mentio, auſpicia regni Chriſti concipiunt diſcipuli: ſic enim exponunt hoc nomen, quod ipſum mundus agniturus ſit Meſſiam. nam de reſurrectione aliud fuiſſe imaginatos quam volebat Chriſtus, patet ex Marco: *Diſputabant*, inquit, *inter ſe quidnam hoc eſſet, Reſurgere à mortuis.* Forte jam invaluerat delirium quod hodie pro certo oraculo habetur inter Rabbinos, duplicem fore adventum Meſſiæ, quia contemptibilis futurus ſit ab initio, ſed paulo poſt ſucceſſura ſit regia ejus dignitas. Et quidem aliquid coloris habet error iſte, quia ex vero principio fluxit. Duos Meſſiæ adventus commendat etiam Scriptura: quia redemptorem fore promittit, qui ſuo ſacrificio peccata mundi expiet. Atque huc ſpectant vaticinia,
Exulta filia Sion, ecce Rex tuus venit pauper, ſedens Zach. 9.
ſuper aſinam, &c. Item, Vidimus eum, & aſpectu verſ. 9.
carebat: deformis fuit, & ſimilis leproſo, ut non Eſa. 53.
reputaremus eum. Deinde mortis victorem propo- verſ. 4.
nit, qui ſibi ſubjiciat omnia. Sed videmus ut Rabbini ſinceram Scripturæ doctrinam ſuis figmentis depravent. Atque ut Chriſti ætate omnia valde corrupta erant, credibile eſt hoc quoque commento imbutum fuiſſe populum. In Eliæ perſona quam craſſe erraverint, bis aut ter oſtenſum fuit. Forſaſſis etiam maligne & aſtute Eliæ obtentu Chriſto dero-

Digitized by Google

derogare conati ſunt. nam quum promiſſus eſſet Elias tanquam apparitor Meſſiæ, qui viam illi pararet, hoc præjudicio Chriſtum gravare facile illis fuit, quod ſine Elia prodiret: ſicuti eodem fere aſtu Papiſtas diabolus hodie faſcinat, ne diem Judicii expectent donec apparuerint Elias & Henoch. Conjicere certe licet hoc data opera captatum fuiſſe à Scribis, ut Chriſto fidem detraherent, quaſi legitimo Meſſiæ inſigni careret.

11. *Elias quidem veniet.*] Diximus alibi unde natus fuerit error ille inter Judæos. Quia in collapſo Eccleſiæ ſtatu inſtaurando ſimilis Eliæ futurus erat Joannes Baptiſta, nomen quoque ad eum tranſtulerat Malachias: id temere arreptum fuerat à Scribis, quaſi idem ille Elias Theſbites rediturus iterum eſſet in mundum. Jam teſtatur Chriſtus nihil fruſtra prædictum à Malachia fuiſſe, ſed male alio detortum fuiſſe ejus vaticinium: acſi dixiſſet, Vera fuit promiſſio de venturo Elia, quæ etiam impleta fuit: ſed jam à Scribis repudiatus fuit Elias, cujus inane nomen falſo mihi opponunt. Reſtitutio autem Baptiſtæ tribuitur, non perfecta: ſed quia continua ſerie Chriſto de manu in manum abſolvendam tradidit quam exorſus erat. Quia autem Scribæ Joannem indigne rejecerant, admonet Chriſtus diſcipulos non eſſe cur ſe impediant eorum fallaciis: deinde, novum videri non debere ſi eadem libidine magiſtrum deinde, rejiciant qua prius miniſtrum. Ac ne quis rei novitate turbetur, utrumque Dominus Scripturis fuiſſe proditum commemorat, nempe quod repulſam paſſurus foret apud falſos & impios doctores tam mundi Redemptor, quam Elias ejus præco.

MATTH. XVII.

14. Et quum veniſſet ad turbam, acceſſit ad eum homo quidam, flectens genua illi:

15. Dicenſque, Domine, miſerere filii mei, quoniam lunaticus eſt, & miſere torquetur: nam ſæpe cadit in ignem, & ſæpe in aquam.

16. Et obtuli eum diſcipulis tuis, nec potuerunt eum ſanare.

17. Reſpondens autem Jeſus, dixit, O natio incredula & diſtorta, quouſque tandem ero vobiſcum? uſquequo patiar vos? adducite huc illum mihi.

18. Et increpavit illud Jeſus, & exivit ab eo dæmonium: & ſanatus eſt puer à tempore illo.

MARC. IX.

14. Et quum veniſſet ad diſcipulos, vidit turbam multam circum illos, & Scribas diſputantes cum eis.

15. Et protinus univerſa turba quum vidiſſet eum, obſtupuit, & accurrentes ſalutaverunt eum.

16. Et interrogavit Scribas, Quid diſputatis inter vos?

17. Et reſpondens unus è turba, dixit, Præceptor, adduxi filium meum ad te, habentem ſpiritum mutum.

18. Et quandocunque eum corripuerit, lacerat eum: & ille ſpumat, ſtridetque dentibus ſuis, & areſcit. & dixi diſcipulis tuis ut ejicerent, & non potuerunt.

19. At ille reſpondens ei, dicit, O natio incredula, quouſque apud vos ero? quouſque patiar vos? adducite illum ad me.

20. Et adduxerunt illum ad eum: & quum vidiſſet eum, ſtatim ſpiritus eum diſcerpſit, & prolapſus in terram, volvebatur ſpumans.

21. Et interrogavit patrem ejus, Quantum temporis eſt ex quo hoc accidit ei? Ille vero dixit, A puero.

22. Et frequenter illum in ignem abjecit, & in aquas, quo perderet eum: age ſi quid potes, ſubveni nobis, miſertus noſtri.

23. Jeſus autem dixit ei, Illud ſi potes credere, omnia poſſibilia credenti.

24. Et confeſtim exclamans pater pueri, cum lachrymis dixit, Credo Domine: ſuccurre incredulitati meæ.

25. Quum vidiſſet autem Jeſus quod turba concurreret, increpavit ſpiritum immundum, dicens illi, Spiritus mute & ſurde, ego tibi impero, exi ab eo: & ne poſt hac ingrediaris in illum.

26. Et quum clamaſſet ſpiritus, multumque diſcerpſiſſet eum, exivit: & factus eſt tanquam mortuus, adeo ut multi dicerent, Mortuus eſt.

27. At Jeſus correpta manu illius, erexit eum: & ille ſurrexit.

LUC. IX.

37. Factum eſt autem ſequenti die, deſcendentibus illis de monte, occurrit illi turba multa.

38. Et ecce vir de turba exclamavit, dicens, Magiſter, obſecro te, reſpice ad filium meum, quia unicus eſt mihi.

39. Et ecce ſpiritus apprehendit eum, & ſubito clamat, & diſcerpit eum cum ſpuma, & vix diſcedit ab eo dilanians eum.

40. Et rogavi diſcipulos tuos ut ejicerent illum, & non potuerunt.

41. Reſpondens autem Jeſus, dixit, O natio infidelis & diſtorta, uſquequo ero apud vos, & patiar vos? adduc filium tuum huc.

42. Quum autem adhuc accederet, laniavit illum dæmonium, & diſſipavit: increpavit autem Jeſus ſpiritum immundum, & ſanavit puerum, & reddidit eum patri ſuo.

43. Stupebant autem omnes ſuper magnificentia Dei.

Quia Marcus plenior eſt, & ſingulas partes diſerte explicat, ſequemur verborum ejus contextum. Ac principio clare demonſtrat unde inſolita hæc aſperitas Chriſto, quum Judæos ob diſtortam ſuam malitiam indignos eſſe exclamat qui diutius ferantur. Scimus quam comiter alios excipere ſolitus ſit, etiam ſiquid importunius peterent. Pater hic rogat pro unico filio: maxima urget neceſſitas: modeſte & ſuppliciter implorat Chriſti miſericordiam. cur ergo præter morem repente excandeſcit ut tolerabilem non eſſe pronunciet? Quia ex Matthæo & Luca non perſpicitur ratio tantæ ſeveritatis, quidam interpretes decepti fuerunt, quibus hæc objurgatio vel in diſcipulos, vel in patrem afflicti pueri competere viſa eſt. Atqui ſi probe expendimus totum hiſtoriæ complexum qualis apud Marcum habetur, judi-

judicium facere promptum erit, Chriſtum potius in Scribarum malitiam ſtomachari, quam adeo duriter vexare rudes & infirmos. Quum in medium abſente Chriſto productus eſſet puer lunaticus, plauſibilis inſectationis occaſio Scribis viſa eſt, ac cupide ab illis arrepta. inſtant ergo apud diſcipulos, ut ſi quid habent poteſtatis in ſanando puero, demonſtrent. Veriſimile eſt diſcipulos tentaſſe, & irritos fuiſſe conatus: ita Scribæ quaſi victores inſultant, nec modo ſubſannant diſcipulos, ſed proterviunt adverſus Chriſtum, quaſi in illorum perſona exinanita eſſet ejus virtus. Hæc vero pluſquam ſceleſta erat impietas cum pari ingratitudine conjuncta, tot miracula ex quibus didicerant quanta virtute polleret Chriſtus, malitioſe ſupprimere. Nam ex profeſſo ſtudebant lucem ante oculos poſitam extinguere. quare non abs re exclamat Chriſtus ſibi non eſſe diutius ferendos, gentemque incredulam & perverſam appellat: debuerant enim tot prioribus documentis ſaltem hucuſque proficere, ne obtrectandi anſam captarent.

14. Marc. *Vidit turbam multam.*] Non dubium eſt quin oſtentui habiti fuerint diſcipulis qualiter ſolent veritatis hoſtes ſuis jactantiis, etiam de nihilo, theatrum quærere. Suo igitur ſtrepitu fecerant Scribæ ut multorum ludibrio paterent diſcipuli. Et tamen apparet non male affectos fuiſſe quoſdam: quia ſimulac Jeſum conſpiciunt, eum ſalutant. imo ejus præſentia Scribarum inſolentiam compeſcit: quia rogati qua de re diſputent, obmuteſcunt.

17. *Præceptor, adduxi filium meum.*] Matthæus aliud morbi genus deſignat quam Marcus: nam hominem lunaticum fuiſſe dicit. Congruunt tamen inter ſe hæc duo, mutum fuiſſe, & certis temporibus in furias actum. Lunatici autem vocantur qui vel ſub lunæ defectum comitiali morbo laborant, vel torquentur vertigine. Nec recipio quod fingit Chryſoſtomus, nomen hoc Satanæ aſtu fuiſſe inventum, ut bonis creaturis infamiæ notam aſpergeret: docet enim certa experientia pro lunæ curſu augeri vel decreſcere morbos illos: neque tamen hoc obſtat quominus Satan naturalibus mediis ſuos impetus permiſcuerit. Ego itaque exiſtimo non fuiſſe naturaliter ſurdum ac mutum hunc hominem, ſed linguam ejus & aures à Satana fuiſſe poſſeſſas. Deinde quum cerebri & nervorum debilitas eum morbo comitiali obnoxium redderet, deterius malum fuiſſe additum ab eodem Satana. Hinc factum eſt ut ſibi perniciem undique accerſeret, deinde ut diſcerptus jaceret, ut concideret exanimis & ſimilis mortuo. Hinc vero diſcamus quam multiplices nocendi modos habeat Satan, niſi quatenus Dei manu arcetur. Quotquot ſunt carnis & animæ infirmitates, quas ſentimus eſſe innumeras, totidem ad nos lædendos tela ei ſuppetunt. Pluſquam ergo ſtupidi ſumus, niſi tam miſera noſtra conditio nos ad preces ſollicitet. In eo autem ſe profert incomparabilis Dei bonitas, quod quum tam variis noxis ſimus obnoxii, præſidio tamen ſuo nos tuetur: præſertim ſi reputamos quanta nos perdendi cupidine flagret hoſtis noſter. Sed hæc quoque conſolatio venire nobis debet in mentem, Chriſtum ad frenandam ejus rabiem veniſſe: ac ideo nos inter tot diſcrimina manere incolumes, quia malis noſtris ſuperior eſt cæleſtis medicina. Huc & temporis circumſtantia accedit: reſpondet pater, à pueritia filium ſuum tam miſere fuiſſe afflictum. ſi tantum licentiæ in teneram illam ætatulam Satanæ permiſſum fuit, quid nobis non timendum eſt qui vitiis noſtris ſubinde ad mortiferos ictus nos objicimus, qui ſuggerimus etiam hoſti noſtro tela, & in quos jure ſuo graſſari poſſet, niſi mirabili Dei bonitate cohibita jaceret ejus libido?

17. Matth. *O natio incredula.*] Quanquam videtur Chriſtus ſermonem dirigere in patrem lunatici, non dubium tamen eſt quin Scribas reſpiciat: ſicuti paulo ante docui. Nam certum eſt non objurgari rudes ac infirmos, ſed qui impliciti in ſua malitia contumaciter Deo reſiſtunt. ideo dignos eſſe negat Chriſtus quos amplius toleret, ſeque brevi divortium cum illis facturum minatur. Nihil autem poteſt accidere deterius quam ut nos deſerat. Non levis autem exprobratio eſt, quod viſitationis ſuæ gratiam tam ſuperbe reſpuerent. ubi etiam notandum eſt varie tractandos eſſe homines pro ſuo quemque ingenio: nam quum dociles ſumma humanitate alliciat, ſuſtineat infirmos, tardos etiam moderate excitet, flexuoſis iſtis ſerpentibus non parcit, quos videt nullis remediis ſanari poſſe.

20. Marc. *Quum vidiſſet illum.*] Quod atrocius ſolito in hominem ſævit diabolus ubi ad Chriſtum adducitur, mirum non eſt: nam quo propior affulget Chriſti gratia & efficacius agit, eo impotentius furit Satan. Chriſti igitur præſentia non ſecus ac clangore tubæ accenditur, & quoſcunque poteſt tumultus movet, confligit etiam quantum in ſe eſt. Hoc ante tempus, meditatum nos habere convenit, ne turbetur fides noſtra quoties ad exortum gratiæ Chriſti ſolito violentius inſurgit hic noſter hoſtis. imo aliud præterea tenendum eſt, verum noſtræ ſanationis initium eſſe, ita penitus affligi ut minimum à morte diſtemus. Adde quod ex furioſo Satanæ impetu Dominus ad illuſtrandam ſuam gratiam facem accendit: nam quum horribili illo ſpectaculo attoniti fuiſſent homines, inde melius perſpecta illis fuit quæ mox ſequuta eſt Chriſti virtus.

21. *A puero.*] Hinc colligimus, non fuiſſe peccatis hominis hanc pœnam inflictam, ſed arcanum fuiſſe Dei judicium. Certum quidem eſt, ne infantes quidem ſimulatque egreſſi ſunt ex utero, inſontes coram Deo & reatu ſolutos eſſe. ſed Dei flagella interdum occultas habent cauſas, idque ad probandam noſtram obedientiam: neque enim aliter juſtum deferimus honorem Deo quam ſi reverenter & modeſte adoramus ejus juſtitiam dum nobis eſt abſcondita. Siquis hac de re plura appetat, petere licebit ex nono capite Joannis, in locum illum, Neque peccavit hic, neque parentes ejus.

22. *Siquid potes, ſubveni.*] Videmus quam parum honoris tribuat Chriſto: Prophetam enim quempiam eſſe putans, cujus finita ſit facultas, dubius ad eum accedit. atqui primum fidei fundamentum eſt, immenſam Dei potentiam amplecti: primus etiam ad preces ingreſſus eſt, ſupra omnia obſtacula eandem attollere, ut certo perſuaſi ſimus non fruſtra nos precari. Quia autem nonniſi humanitus de Chriſto ſentiebat hic homo, falſa ejus opinio corrigitur: formari enim ejus fidem oportuit, ut optatæ gratiæ capax & compos fieret. Non expoſtulat aperte Chriſtus in ſuo reſponſo, ſed oblique in hominem retorquens quod perperam dixerat, culpæ eum coarguit, & de quærendo remedio admonet. perinde enim valet iſta exceptio, *Si potes credere*, acſi dixiſſet, Tu me rogas ut ſubveniam quoad potero: atqui inexhauſtum virtutis fontem in me reperies, ſi modo afferas ſatis amplam fidei menſuram. Hinc colligi poteſt utilis doctrina quæ communiter ad nos omnes patebit, non ſtare per Dominum quominus larga bonorum ubertas ab ipſo ad nos profluat: ſed fidei noſtræ anguſtiis eſſe imputandum quod guttatim tantum diſtillat: imo ſæpe ne guttam quidem nos ſentire, quia incredulitas cor noſtrum obſtruit. Fruſtra autem hic quidam arguti eſſe volunt, quaſi Chriſtus ſignificet poſſe hominem à ſeipſo credere: quando nihil aliud ei propoſitum fuit quam rejicere in homines inopiæ ſuæ culpam quoties Dei virtutem ſua incredulitate extenuant.

23. *Omnia poſſibilia credenti.*] Non dubium eſt quin Chriſtus ſibi à Patre bonorum omnium plenitudinem datam eſſe docuerit: nec ſecus ſperandum eſſe à ſe uno quodvis auxilii genus quam ex ipſa Dei

manu.

manu. acſi dixiſſet, Tantum confide, & impetrabis. Quomodo autem quidvis impetret fides, paulo poſt videbimus.

24. *Credo Domine.*] Teſtatur ſe credere, & tamen ſe fatetur incredulum. Quanquam videntur hæc duo pugnare, nemo tamen eſt qui non idem in ſe experiatur: nam quum nuſquam perfecta extet fides, ſequitur ex parte eſſe incredulos. ſic tamen pro ſua indulgentia nobis ignoſcit Deus ut ab exiguo fidei modulo nos fideles æſtimet. Noſtrum interea eſt ſedulo excutere infidelitatis reliquias quæ in nobis hærent, ut cum illis luctemur, ac petere à Domino ut eas corrigat: quoties etiam laboramus in hac pugna, ad eum confugere ut ſuccurrat. Si probe expendimus quid cuique datum ſit, facile patebit pauciſſimos eſſe qui excellenti fide polleant, paucis eſſe mediocrem, plurimos autem exigua menſura eſſe præditos.

MATTH. XVII.

19. Tunc accedentes diſcipuli ad Jeſum ſeorſum, dixerunt, Quare nos non potuimus ejicere illud?

20 Jeſus autem dixit illis, Propter incredulitatem veſtram. Amen quippe dico vobis, ſi habeatis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, Demigra hinc illuc, & migrabit: nec quicquam impoſſibile erit vobis.

21. Sed hoc genus non egreditur niſi per precationem & jéjunium.

MARC. IX.

28. Et quum eſſet ingreſſus domum, diſcipuli illius interrogabant eum ſeorſum, Cur nos non potuimus ejicere illum?

29. Et dixit illis, Hoc genus nulla re poteſt exire niſi per precationem & jejunium.

LUC. XVII.

5. Et dixerunt Apoſtoli Domino, Adauge nobis fidem.

6. Dixit autem Dominus, Si haberetis fidem ſicut granum ſinapis, diceretis huic arbori ſycamino, Eradicare, & transplantare in mare, & obediſſet vobis.

19. *Accedentes diſcipuli.*] Mirantur diſcipuli ablatam ſibi eſſe virtutem quà ſemel inſtructi fuerant, quum proprio vitio ea ſe privaverint. Chriſtus ergo defectum hunc eorum incredulitati aſſignat, & ſententiam illam quam prius attigerat, repetit, ac fuſius proſequitur, fidei nihil eſſe impoſſibile. Certum quidem eſt hyperbolicam eſſe loquendi formam, quum fide pronunciat transferri arbores & montes. Summa tamen huc redit, Deum nunquam nobis defore, modo januam aperiamus gratiæ ejus. Neque enim intelligit, quicquid temere in mentem vel in buccam venerit, Deum daturum: imo quum nihil fidei magis contrarium ſit ſtultis & incompoſitis carnis noſtræ votis, ſequitur ubi regnat fides, non promiſcue quidvis optari, ſed quod Dominus promittit. Hæc igitur ſobrietas tenenda eſt, ne plus appetamus quam quod nobis pollicitus eſt, atque ut preces noſtræ reſtrictæ ſint ad eam quam dictavit regulam. Siquis objiciat, neſciſſe diſcipulos an Domino placeret lunaticum ſanare: prompta reſponſio eſt, hæc accidiſſe ex eorum culpa. nam proprie de ſpeciali fide nunc agit Chriſtus, quæ prout res nata ferebat, arcanos habebat inſtinctus. Atque hæc fides eſt cujus Paulus meminit prioris ad Corinthios cap. 12. verſ. 2. Unde ergo factum eſt ut nudati fuerint Apoſtoli Spiritus virtute quam prius apprehenderant ad edenda miracula, niſi quod ſua ignavia eam ſuffocarunt? Sed quod de particulari fide pro circumſtantia loci diſſeruit Chriſtus, ad communem totius Eccleſiæ fidem extenditur.

21. *Hoc genus non egreditur.*] Hac voce Chriſtus nonnullorum ſegnitiem perſtrinxit, ut ſcirent non vulgari opus eſſe fide. nam alioqui excipere poterant ſe non prorſus fide eſſe vacuos. Senſus ergo eſt, non ſufficere quamlibet fidem ubi ſerio præliandum eſt cum Satana, ſed requiri ſtrenuos conatus. Languori autem fidei remedium præſcribit orationem, cui jejunium adjungit adminiculi vice. Vos, inquit, molles exorciſtæ quaſi ad umbratile & luſorium certamen deſcenditis: atqui cum valido antagoniſta vobis eſt negotium, qui niſi ſumma contentione minime vincetur. Ergo precibus excitanda erat fides: & quoniam ad precandum tardi eſtis & frigidi, accedere etiam debebat ſubſidium ex jejunio. Hinc clare apparet quam ridicule Papiſtæ antidotum in jejunio conſtituant fugandis diabolis, quum Dominus non alio referat quam ad acuendum precandi ardorem. Quum autem genus illud dæmonii aliter ejici poſſe negat quam precibus & jejunio, ſenſus eſt, ubi altas radices fixit Satan, & diuturna poſſeſſione invaluit, vel ubi effreni licentia graſſatur, difficilem eſſe & arduam victoriam, ideoque totis viribus pugnandum.

MATTH. XVII.

22. Quum autem verſarentur in Galilæa, dixit illis Jeſus, Futurum eſt ut Filius hominis tradatur in manus hominum.

23. Et occident eum, ac tertio die reſurget. Et mœrore affecti ſunt vehementer.

MATTH. XVIII.

1. In illo tempore acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum, dicentes, Quis maximus eſt in regno cælorum?

2. Et accerſitum ad ſe puellum Jeſus ſtatuit in medio illorum,

MARC. IX.

30. Et illinc egreſſi, iter fecerunt per Galilæam, nec volebat ut quiſquam ſciret.

31. Docebat enim diſcipulos ſuos, & dicebat illis, Filius hominis traditur in manus hominum, & occident eum: & occiſus, tertio die reſurget.

32. At illi ignorabant quod dixerat, & timebant eum interrogare.

33. Et venit Capernaum: & quum veniſſet in domum, interrogavit illos, Quid in itinere inter vos diſputabatis?

34. At illi ſiluerunt: nam inter ſe diſputaverant in via, quis eſſet major.

LUC. IX.

43. Sed omnibus mirantibus ſuper omnibus quæ fecerat, dixit ad diſcipulos ſuos,

44. Ponite vos in auribus veſtris ſermones iſtos: futurum eſt enim ut Filius hominis tradatur in manus hominum.

45. At illi ignorabant verbum iſtud, & erat abſconditum ab illis, ut non intelligerent illud: & timebant eum interrogare de hoc verbo.

46. Intravit autem diſputatio inter eos, Quis eorum major eſſet.

3. Et dixit, Amen dico vobis, niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut puelli, non ingrediemini in regnum cælorum.

4. Quiſquis igitur demiſerit ſemetipſum ſicut puellus iſte, hic eſt maximus in regno cælorum.

5. Et qui receperit unum puellum talem in nomine meo, me recipit.

35. Et poſtquam conſedit, accerſivit duodecim, & dicit eis, Siquis vult primus eſſe, is erit omnium poſtremus, & omnium miniſter.

36. Atque acceptum puerum ſtatuit in medio illorum: & quum cepiſſet illum in ulnas ſuas, dixit illis,

37. Quiſquis unum ex talibus pueris receperit nomine meo, me recipit: & quicunque me recipit, non me recipit, ſed eum qui miſit me.

47. At Jeſus videns cogitationem cordis illorum, apprehendit puellum, & ſtatuit eum juxta ſe:

48. Et ait illis, Quicunque receperit puerum hunc nomine meo, me recipit: & quicunque me receperit, recipit eum qui me miſit. nam qui minor eſt inter vos, hic erit magnus.

22. *Quum autem verſarentur in Galilæa.*] Quo propius inſtabat tempus mortis, eo ſæpius monuit Chriſtus diſcipulos, ne triſtis illa ſpecies labefactaret ipſorum fidem. Paulo poſt editum miraculum habitus hic ſermo fuit. dicit enim Marcus ab eo loco profectum eſſe in Galilæam, ut illic quietus tempus medium tranſigeret: ſtatuerat enim Hieroſolymam venire ad ſolennem ſacrificii diem, quia proximo Paſchate immolandus erat. Quanquam autem jam aliquoties hac de re fuerant admoniti, turbantur tamen non ſecus acſi nihil unquam audiſſent. Tantum valet præſumpta opinio, ut mentibus in luce clariſſima tenebras obducat. Finxerant ſibi Apoſtoli amœnum & jucundum regni Chriſti ſtatum: putabant, ſimulac innotuiſſet, ſummo plauſu ab omnibus exceptum iri: nihil minus erat credibile, quam Sacerdotes & Scribas, alioſque Eccleſiæ primores illi fore adverſos. Ergo errore occupati, quicquid in contrariam partem dicitur non admittunt: nam Marcus ignoraſſe dicit quid vellet Dominus. Unde autem ignorantia, ubi ſermo habetur tam apertus ac dilucidus, niſi quod vana illuſio velatas tenebat eorum mentes? Quod non auſi ſunt ulterius rogare, quanquam reverentiæ ex parte tribuendum eſt, non tamen dubito quin mœrore conſtricti, & abſurditate quam ſibi fingebant, perculſi, tacuerint. Quare non fuit in totum laudabilis hic pudor, qui & perplexam dubitationem & vitioſam triſtitiam aluit. Interea magis implicitum pietatis ſemen quam liquida veri cognitio ipſos tenuit Chriſto devinctos, ne ab ejus ſchola deficerent. Erat quidem inſitum fidei & rectæ intelligentiæ principium aliquod eorum cordibus, ut procul à fide implicita Papiſtarum diſtaret zelus iſte ſequendi Chriſti: ſed quia nondum uſque ad diſcendam regni Dei & promiſſæ in Chriſto renovationis naturam progreſſi erant, pietatis magis ſtudium in ipſis quam diſtinctam ſcientiam viguiſſe dico. Hinc colligimus quid vel laude vel reprehenſione dignum in ipſis fuerit. Cæterum quamvis excuſabilis non ſit eorum ſtupor: non eſt tamen quod miremur ænigma illis fuiſſe clarum & diſertum crucis & ignominiæ Magiſtri teſtimonium: non modo quia reſpui & damnari à Filii Dei gloria alienum erat; ſed quia nihil minus erat conſentaneum, quam gratiam peculiariter Judæis promiſſam, à gentis ducibus reprobari. Quia autem immodicus crucis horror quo repente correpti fuerunt, conſolationi ex ſpe reſurrectionis additæ januam præcluſit: diſcamus quoties mortis Chriſti fit mentio, totum ſimul triduum complecti, ut mors & ſepultura uſque ad felicem triumphum & novam vitam nos deducant.

1. *In illo tempore acceſſerunt.*] Ex aliis duobus patet non ſponte veniſſe diſcipulos ad Chriſtum: ſed quum in via clanculum diſputaſſent, è ſuis latebris in lucem fuiſſe tractos. In eo vero nihil eſt abſurdi, quod Matthæus ad Chriſti reſponſum feſtinans, non contexit totam hiſtoriæ ſeriem, ſed prætérito exordio, ſummatim refert cur in diſcipulis ſtultam primatus cupiditatem Chriſtus correxerit. Quum autem inquirit Chriſtus de furtivo colloquio, & diſcipulos fateri cogit quod ſuppreſſum eſſe optaſſent, docemur, ab omni quantumvis occulta æmulatione cavendum eſſe. Notanda porro eſt temporis circumſtantia: triſtes & perplexos reddiderat mortis prædictio: quaſi tamen meris deliciis imbuti ſint, ac Poëticum nectar illis ſit propinatum, de primatu ſtatim contendunt. Qui fieri poteſt ut momento evanuerit anxietas illa, niſi quod uſque adeo ambitioni dedita ſunt hominum ingenia, ut præſentis militiæ obliti, ad triumphos falſa imaginatione deluſi ſubinde proſiliant? Quod ſi tam cito Apoſtolis effluxit recentis ſermonis memoria: quid nobis accidet ſi crucis meditationi longum vale dicentes, torpori & ignaviæ vel otioſis ſpeculationibus nos dedamus? Sed quæritur quænam certaminis occaſio fuerit diſcipulis. Reſpondeo, ut libenter caro excutit omnem moleſtiam, omiſſa triſtitiæ materia, quod de reſurrectione dictum erat arripuiſſe: unde inter ſecuros orta eſt diſputatio. Et quia priorem doctrinæ partem, quæ inſuavis eſt carni, refugiunt, Deus in reſurrectione eos hallucinari patitur, ut ſomnient quod minime futurum erat, Chriſtum ſibi nuda prædicatione regnum acquirere, & quidem terrenum, ut mox ad beatam opulentiam emergeret. In hac vero quæſtione duplex fuit vitium: præpoſtere enim Apoſtoli, dum abjecta militiæ, ad quam vocati erant, cura, quaſi milites emeriti quietem & ſtipendia cum honorario ſibi ante tempus poſtulant. Perperam & hoc ſecundo, quod quum certatim uno conſenſu intenti eſſe debeant ad ſe mutuo juvandos, nec fratribus minus quam ſibi palmam appetere, maligna ambitione alii alios prævertere ſtudent. Quare ut probetur curſus noſter Domino, diſcamus patienter ferre impoſitum nobis crucis onus, donec maturum recipiendæ coronæ tempus adveniat: deinde, quemadmodum Paulus hortatur, alii alios viciſſim honore præventre. Rom. 12, verſ. 10. Priori vitio affinis hodie eſt vana eorum curioſitas qui relicto vocationis ſuæ legitimo curſu, ſupra cælos importune ſaltant. Dominus in Euangelio ad regnum ſuum nos invitans, viam qua illuc pervenitur oſtendit. Volatici homines, de fide, patientia, Dei invocatione & aliis exercitiis nihil cogitantes, quid in cælo geratur diſputant: hoc vero perinde eſt acſi quis iter facturus, de hoſpitii ſitu inquirens, pedem non promoveat. Nam quum Dominus in terra nos ambulare jubeat, quomodo ſedeant in cælis mortui quiſquis curioſe diſputat, ſe ab acceſſu cælorum moratur.

2. *Acceſſitum puellum.*] Summa eſt, Qui magnitudinem appetunt qua emineant ſupra fratres, adeo non fore ejus compotes, ut ne extremo quidem angulo hærere queant. A contrario autem ratiocinatur, quia ſola nos humilitas extollat. Quia vero magis afficiunt objectæ oculis ſpecies, typum humilitatis in puero infante proponit. Nam quod jubet ſuos effici puero ſimiles, non ad omnia promiſcue extenditur. Scimus in pueris multa eſſe vitioſa: quare & Paulus non ſenſu, ſed malitia pueros eſſe vult, 1 Cor. 14. verſ. 10.

Ephes. 4. vers. 13. vult, quos alibi ad ætatem virilem eniti jubet. Sed quia nondum tenent infantes quid ſit aliis præferri, ut de primatu certent: eorum exemplo Chriſtus deleri vult ex ſuorum animis quæ profani homines & filii ſeculi de honorum dulcedine perpetuo agitant, ne qua eos titillet ambitio. Siquis excipiat, infantibus quoque ab utero ingenitam eſſe ſuperbiam, ut primam ſui curam & rationem haberi velint: facilis reſponſio eſt, Similitudines non exacte nimis nec ſcrupuloſe debere excuti, ut in ſingulis partibus congruant. Quia ergo tanta adhuc in ætate infantulorum regnat ſimplicitas, ut honorum gradus & quævis ſuperbiæ fomenta ignorent: eos merito & apte Chriſtus in exemplum proponit. Atque huc ſpectat converſio cujus meminit, quod ſcilicet ad communes hominum mores jam nimis aſſueviſſent diſcipuli, ideoque ut ad ſcopum aſpirent, curſum illis retro flectendum eſſe. Quiſque primum locum vel ſecundum ſibi optabat: Chriſtus vero neminem vel infimo ſubſellio dignatur niſi qui eminentiæ oblitus ſe humiliat. Contra vero maximos fore pronunciat qui ſe demiſerint: ne quid ſcil. nobis decedere putemus ubi ultro cedimus omni magnitudine. Atque hinc colligi poteſt brevis humilitatis definitio: quod ſcilicet vere humilis ſit qui neque ſibi quicquam arrogat coram Deo, nec faſtuoſe deſpicit fratres, vel ſuperior videri affectat, ſed ſatis habet ſe unum cenſeri ex Chriſti membris, nihil aliud optans quam ut ſolum caput excellat.

5. *Et qui receperit.*] Jam metaphorice pueros appellat Chriſtus, qui depoſita altitudine, ſe ad modeſtiam & ſubjectiooem compoſuerint. idque conſolationis vice additum eſt, ne moleſta nobis ſit vel acerba ſubmiſſio, qua ſit ut non modo in ſuum patrocinium nos recipiat Chriſtus, ſed etiam hominibus commendet. Atque hoc modo fideles docentur, quomodo alii alios in pretio habere debeant dum ſe quiſque ſubjicit. Quomodo enim mutua inter ſeculi filios amicitia vulgo fovetur, niſi dum alterius cupiditati quiſque indulget? Itaque quiſquis gloriæ cupidior eſt, ſibi audacius imperium uſurpat, ut io ſublime tollatur, humiles vero ludibrio ſiot, vel contempti jaceant: Chriſtus autem quo ſe quiſque magis exinaniet, ita plus honoris illi haberi præcipit. Atque idem ſibi vult clauſula quæ apud Lucam additur. neque enim qui merito ſunt contemptibiles, ideo pluris fieri mandat: ſed qui omni ſuperbia vacui, in nihilum redigi, pro nihilo ducunt.

MATTH. XVIII.

6. Qui autem offenderit unum de puſillis iſtis qui in me credunt, expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria ad collum ejus, ac demergatur in profundum maris.

7. Væ mundo ab offendiculis. neceſſe eſt enim ut veniant offendicula: veruntamen væ homini per quem offendiculum venit.

8. Quod ſi manus tua vel pes tuus obſtaculo eſt tibi, abſcinde ea, & projice abs te. bonum eſt tibi ad vitam ingredi claudum aut mutilum, potius quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.

9. Et ſi oculus tuus offendit te, erue eum, & projice abs te. bonum eſt tibi ut luſcus intres in vitam, potius quam ut duos oculos habens, mittaris in gehennam ignis.

10. Videte ne contemnatis unum ex iſtis puſillis. dico enim vobis quod Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei qui in cælis eſt.

MARC. IX.

42. Et quiſquis offenderit unum ex puſillis qui confidunt in me, melius eſt ei ſi circumdetur ſaxum molare circum ejus collum, & abjiciatur in mare.

43. Et ſi offendiculo eſt tibi manus tua, amputa illam. bonum eſt tibi mutilum ad vitam ingredi, potius quam duas manus habentem abire in gehennam in ignem inextinguibilem:

44. Ubi vermis illorum non moritur, & ignis non extinguitur.

45. Et ſi pes tuus fuerit tibi obſtaculo, amputa eum. bonum eſt tibi ingredi in vitam claudum, potius quam duos pedes habentem mitti in gehennam, in ignem inextinguibilem:

46. Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

47. Et ſi oculus tuus obſtaculo tibi eſt, erue eum. bonum eſt tibi luſcum intrare in regnum Dei, potius quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis:

48. Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

LUC. XVII.

1. Ait autem ad diſcipulos, Fieri non poteſt quin veniant offendicula: væ tamen illi per quem veniunt.

2. Expedit illi ſi mola aſinaria ponatur circum ejus collum, & projectus fuerit in mare, potius quam ut offendat unum ex puſillis iſtis.

6. *Qui autem offenderit.*] Videtur hoc additum eſſe ad piorum conſolationem, ne illis moleſta ſit ſua conditio, ſi eos mundus deſpicit. Hoc eoim plurimum obſtat, ne ad voluntariam modeſtiam ſe ſubmittant, quia putant hoc modo ſe reddi contemptibiles. Durum tamen eſt à ſuperbis hominibus non tantum haberi faſtidio, ſed prope concalcari. Diſcipulos ergo Chriſtus hoc ſolatio animat, quod ſi eorum parvitati inſultat mundus, Deus tamen eos mioime negligit. Videtur tamen etiam alio ſpectaſſe: orta enim fuerat de honoris primatu contentio. unde facile colligi potuit, Apoſtolos prava eminendi poteſtate eſſe infectos. Porro fieri non poteſt quin ſit in fratres cootumelioſus quiſquis vel ſibi nimium placet, vel omnibus præferri appetit. Hunc morbum ut ſanet Chriſtus, horribilem pœnam denunciat, ſiquis ſuo faſtu pauperculos homines & jam ſponte ſubmiſſos dejiciat. Scandali autem nomine plus complexus eſt, quam ſi à contemptu prohibuiſſet: quanquam non aliunde contingit ut quis ſecure infirmos offendat, niſi quia non proſequitur eos quo decebat honore. Jam quum variæ ſint offenſionum ſpecies, genus tamen ipſum quale ſit, breviter tenendum eſt. Siquis noſtra culpa vel impingit vel abducitur à recto curſu, vel tardatur, eum dicimur offendere. Ergo quiſquis pœnam haoc quam ſevere Chriſtus denunciat, effugere cupit, parvulis qui coram mundo abjecti ſunt, manum porrigat, & comiter ad bene currendum adjuvet: quia eos nobis commendat Chriſtus, ut nobis voluntariæ humilitatis ſint materia. ſicuti hanc regulam Paulus Rom. 12.
præſcribit filiis Dei ut ſe humilibus accommodent. vers. 16.
Item, Ne ſibi quiſque placeat. Quia geous ſupplicii & 15.
Chriſtus expreſſit, quod tunc erat maxime formida- vers. 1.

hile,

bile, & quo atrociſſima ſcelera puniebaotur, binc colligimus quam charos ac pretioſos Deus habeat qui coram mundo ignobiles ſunt ac contempti.

7. *Væ mundo ab offendiculis.*] Bifariam exponi poteſt hic locus: active, ut ſcandalorum auctoribus Chriſtus maledicat: atque ita ſub mundi nomine iotelligendi erunt omnes increduli: vel paſſive, ut Chriſtus mala deploret quæ propter ſcandala mundo inſtare incumbereque cernit. acſi diceret, nullam fore magis noxiam peſtem, & quæ plures clades inferat, quam quod multos ſcandalis turbari vel deficere continget. Atque hic ſenſus melius quadrat: neque enim dubito quio Dominus de ſcandalis alia occaſione loquutus, ſermonem longius protraxerit, ut ſuos ad cavendum magis attentos, ſollicitoſque redderet. Ne igitur nos torpentes circumveniat Satan, exclamat Dominus non aliunde magis eſſe nobis metuendum, quam à ſcandalis: quia quum Satan inoumera habeat ad manum, non deſinit ad ſingulos fere paſſus oova ſubinde objicere: & nos, ut nimium ſumus teneri vel ignavi, facile ſuccumbimus. Ita fit ut pauci io Chriſti fide mediocres faciant progreſſus: ex paucis autem qui ſtadium ſalutis iogreſſi ſunt, vix decimus quiſque ad metam indefeſſus contendat. Nuoc quum hoc conſilio terrorem à ſcandalis incuſſerat Chriſtus, ut ſuos expergefaceret, væ noſtræ incuriæ, niſi ad ea ſuperanda ſtrenue quiſque ſe comparet. *Neceſſe eſt enim.* Quo magis ſuorum curam & ſollicitudioem acuat Dominus, admonet fieri aliter non poſſe quin pergendum ſit per varia ſcaodala: acſi dixiſſet inevitabile eſſe boc malum. Ita confirmatio eſt proximæ ſententiæ, quia inde docet Chriſtus quaota incommoda à ſcandalis impendeant, quum ab hoc malo ounquam immunis futura ſit Eccleſia, nec eſſe queat. Cæterum ne-
1 Cor. 11. verſ. 19.
ceſſitatis cauſam oon exprimit: ſicut Paulus de hæreſibus loquens, ideo dicit oriri, ut qui probi ſunt manifeſti fiant. Sed hoc tenendum eſt, Deum homines ſcandalis velle eſſe obnoxios, quo fidem ſuorum exerceat: hypocritas autem tanquam quiſquilias & paleam excutiar à puro tritico. Siquis autem obſtrepat, & queratur abſurdum eſſe laxari Satanæ frenum à Domino, ut miſeris hominibus exitium machinetur: noſtrum eſt reverenter ſentire de arcanis Dei conſiliis, ex quibus boc unum eſt, quod ſcandalis neceſſe eſt mundum turbari. *Veruntamen væ homini per quem offendiculum venit.* Poſtquam ad cavenda ſcandala ſuos hortatus eſt, rurſus io auctores invehitur: & quo plus vehementiæ habeat comminatio, addit, nec dextro oculo nec dextræ manui parcendum eſſe ſi nobis offendiculi cauſam præbeant. Nam boc amplificandi cauſa additum fuiſſe interpretor: acſi dixiſſet, Tam ſedulo & cooſtanter reſiſtendum eſt ſcandalis, ut oculos potius eruere & manus abſcindere conveoiat, quam ut ſcandala foveatis. Siquis eoim membrorum ſuorum jacturam facere dubitet, hac indulgentia ſe projicit in æternum interitum. Quam borribilis igitur ultio eos manet qui fratres offendiculis perdiderint? Quia autem duo iſti verſus ſupra capite 5. expoſiti fuerunt, ſatis fuit nunc attingere quorſum hoc loco eandem ſenteotiam repetat Chriſtus.

10. *Videte ne contemnatis unum ex iſtis.*] Quoniam ſuperbia mater eſt contumeliæ, & contemptus ſcandalizandi audaciam generat, merito Chriſtus, ut huic morbo ſanando opportunum remedium adhibeat, parvulos verat contemni. Et certe, quemadmodum nuper attigimus, quiſquis juſtam fratrum curam habebit, ouoquam facile ad offeodicula proſiliet. Eodem vero tendit hæc etiam ſermonis Chriſti clauſula quo initium, nempe ſubmiſſione & modeſtia certandum inter nos eſſe, quia parvulos Deus ſingulari amore complectitur. Atqui ab homine mortali deſpici vel pro nihilo duci quos Deus in tanto pretio habet, nimis abſurdum foret. Amorem porro iode probat, quod Angeli qui miniſtri ſunt ſalutis ipſorum, familiariter Dei conſpectu fruuntur. Quanquam non ſimpliciter, meo judicio, docere voluit quam honorifice tractet eos Deus, Angelos illis aſſignans cuſtodes, ſed etiam contemptoribus eorum minari: acſi dixiſſet, non impune contemni eos quorum Angeli propinqui ſunt ac familiares, ut vindictam exigant. Cavendum itaque ne vileſcat nobis eorum ſalus quorum procurandæ Angelis munus eſt iojunctum. Quod hunc locum ita quidam accipiunt quaſi Deus ſingulis fidelibus proprios Angelos attribuat, infirmum eſt. neque enim ſonant verba Chriſti Angelum uoum buic vel illi perpetuo addictum eſſe: idque cum tota Scripturæ doctrina pugnat, quæ teſtatur Angelos caſtra me- Pſal. 34.
tari io circuitu piorum, & non uni tantum Angelo, verſ. 8.
ſed pluribus mandatum eſſe ut quemque fidelium tueantur. Faceſſat ergo commentum illud de bono & malo genio, ac nobis tenere ſufficiat Angelis mandari totius Eccleſiæ curam, ut ſiogulis membris ſuccurrant prout feret neceſſitas & uſus. Siquis roget an inferior (quamvis natura ſupra nos excellant) ſit Angelorum cooditio quam noſtra, quia nobis ordinati ſunt miniſtri: reſpondeo, nihil obſtare quominus Deo obſequium ſuum præbeant in gratuito quo nos dignatur favore. ita fit ut noſtri vocentur, quia ſuam operam nobis impendunt.

MATTH. XVIII.

11. Venit enim Filius hominis ad ſervandum quod perierat.

12. Quid vobis videtur? Si fuerint alicui homini centum oves, & erraverit una ex iis, nonne relictis nonaginta novem in montibus vadit, & quærit eam quæ erraverat?

13. Et ſi contigerit ut inveniat eam, amen dico vobis, gaudet ſuper ea magis quam ſuper nonaginta novem quæ non erraverunt.

14. Sic non eſt volun-

MARC.

LUC. XV.

1. Accedebant autem ad eum omnes Publicani & peccatores, ut audirent eum.

2. Et murmurabant Phariſæi & Scribæ, dicentes, Hic peccatores recipit, & cibum capit cum illis.

3. Dicebat autem ad illos parabolam, dicens,

4. Quis ex vobis eſt homo qui habet centum oves, & ſi perdiderit unam ex illis, nonne relinquit nonaginta novem in deſerto, & vadit ad illam quæ perierat, donec invenerit eam?

5. Et quum invenerit eam, imponit eam in humeros ſuos, gaudens:

6. Venienſque domum, convocat amicos & vicinos, dicens illis, Gaudete mecum, quia inveni ovem meam quæ perierat.

7. Dico vobis quod ita gaudium erit in cælo ſuper uno peccatore reſipiſcente, magis quam ſuper nonaginta novem juſtis qui non indigent pœnitentia.

8. Aut mulier habens drachmas decem, ſi perdiderit

tas coram Patre veſtro qui in cælis eſt, ut pereat unus de puſillis iſtis.

drachmam unam, non accendit lucernam, & verrit domum, quæritque diligenter donec inveniat?

9. Et quum invenerit, convocat amicas ac vicinas, dicens, Gaudete mecum, quia inveni drachmam quam perdideram.

10. Ita, dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore reſipiſcente.

11. *Venit enim Filius hominis.*] Nunc ſuo quoque exemplo hortatur Chriſtus ad honorem infirmis quoque & abjectis fratribus habendum: quia non ipſis modo ſervandis, ſed etiam mortuis qui perierant, deſcenderit è cælo redemptor. Eſt autem nimis indignum, faſtidio noſtro reſpui quos tanti fecit Dei Filius. Nec vero ſi vitiis laborant infirmi quæ contemptum poſſint inducere, ideo excuſabilis eſt faſtus noſter: quia non ſuarum virtutum pretio æſtimandi ſunt, ſed Chriſti gratia: ad cujus exemplum qui ſe non conformat, nimis moroſus eſt ac ſuperbus.

12. *Quid vobis videtur?*] Lucas occaſionem hujus parabolæ altius repetit, quod ſcilicet obſtreperent Domino Scribæ & Phariſæi, quem videbant quotidie verſari cum peccatoribus. Voluit ergo oſtendere Chriſtus, bono doctori non minus eſſe laborandum ut quæ perdita ſunt recuperet, quam ut conſervet quæ ſunt ſub manu. Quanquam apud Matthæum ultra progreditur ſimilitudo, nempe non tantum amice fovendos eſſe Chriſti diſcipulos, ſed toleranda eorum vitia, ut ſtudeamus errantes in viam reducere. Etſi enim contingit interdum ipſos vagari, quia tamen oves ſunt quibus Deus paſtorem ſuum Filium præfecit, eas ex diſperſione colligere oportet: tantum abeſt ut eas inhumaniter fugare vel abigere liceat. Huc enim ſpectat oratio, cavendum eſſe ne perdamus quod Deus ſalvum eſſe vult. Paulo diverſum finem ſpectat quod refertur à Luca: quia totum humanum genus Dei eſt, colligendos eſſe qui alienati ſunt, ac perinde gaudendum eſſe dum perditi ad bonam frugem redeunt, acſi quis præter ſpem recuperet quod amiſſum eſſe doluit.

10. Luc. *Gaudium erit coram Angelis.*] Si Angeli ſibi invicem in cælo gratulantur, dum vident reſtitui in gregem ſuum quod diffluxerat: nos etiam, quibus communis & par eſt cauſa, ejuſdem gaudii ſocios eſſe decet. Sed quomodo unius impii hominis reſipiſcentia magis quam multorum juſtorum perſeverantia gaudere dicit Angelos, quos nihil magis delectat quam continuus & æquabilis juſtitiæ tenor? Reſpondeo, quamvis Angelorum votis magis congrueret (ut etiam magis optabile eſt) homines in pura integritate ſemper ſtare, quia tamen in peccatoris liberatione, qui jam exitio devotus erat, & quaſi putridum membrum à corpore exciderat, magis refulget Dei miſericordia: Angelis, humano more, ex inſperato bono majus gaudium attribuit. Porro nomen pœnitentiæ ſpecialiter ad eorum converſionem reſtringitur qui penitus à Deo averſi, quaſi à morte in vitam reſurgunt. Nam alioqui continua in totam vitam eſſe debet pœnitentiæ meditatio: nec quiſquam ab hac neceſſitate eximitur, quum ſingulos ſua vitia ad quotidianum profectum ſollicitent. Sed aliud eſt inter offendicula, vel lapſus, vel aberrationes, ad metam eniti, ubi jam rectum curſum ingreſſus ſis: aliud autem, ab errore prorſus devio ſe recipere, vel rectum curſum à carceribus inchoare. Tali pœnitentia non indigent qui jam cœperunt ad regulam divinæ Legis vitam ſuam formare, ut ſancte pieque vivere incipiant: quamvis ſub carnis ſuæ infirmitatibus gemere, & illis corrigendis operam dare neceſſe ſit.

Matth.	Marc.	Luc. XV.

11. Ait autem, Homo quidam habuit duos filios.

12. Et dixit adoleſcentior illorum patri, Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ quæ ad me redit. Et diviſit illis ſubſtantiam.

13. Ac poſt dies non multos, adoleſcentior filius quum omnia collegiſſet, peregre profectus eſt in regionem longinquam: & ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam, vivendo luxurioſe.

14. Poſtquàm vero omnia conſumpſerat, facta eſt fames valida in regione illa: & cœpit egere.

15. Et abiit, & adhæſit cuidam civium regionis illius: atque is miſit illum in villam ſuam ad porcos paſcendos.

16. Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis quibus porci veſcebantur, nec quiſquam illi dabat.

17. In ſe autem reverſus, dixit, Quam multi mercenarii patris mei abundant panibus, ego vero fame pereo.

18. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei, Pater, peccavi in cælum & coram te:

19. Jam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut unum de mercenariis tuis.

20. Et ſurgens, venit ad patrem ſuum. Quum autem adhuc longe abeſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt: & accurrens ruit in collum ejus, & oſculatus eſt eum.

21. Dixitque ei filius, Pater, peccavi in cælum & coram te: neque poſthac dignus ſum vocari filius tuus.

22. Dixit autem pater ad ſervos ſuos, Proferte ſtolam primam, & induite illum: & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes.

23. Et adducite vitulum ſaginatum, & mactate: & epulando lætemur.

24. Quia hic filius meus mortuus erat, & revixit: perierat, & inventus eſt. Et cœperunt lætari.

Hæc

Hæc parabola nihil aliud eſt quam proximæ doctrinæ confirmatio. Ac priore quidem membro, quam propenſus & facilis ſit Deus ad dandam peccatis noſtris veniam, oſtenditur: altero autem (quod poſtea ſuo loco tractabimus) quam maligne faciant ac perverſe qui ejus miſericordiæ obtrectant. Ac ſub perſona quidem adoleſcentis prodigi, qui luxu & ſumptibus diſſolutis ad extremam inopiam redactus, ſupplex ad patrem, cui injurius ac rebellis fuerat, revertitur, peccatores omnes deſcribit Chriſtus, qui ſuæ amentiæ pertæſi, ad Dei gratiam ſe referunt. Humano autem patri, qui non tantum filii delictis ignoſcit, ſed redeunti ultro occurrit, Deum comparat, cui non ſatis eſt veniam deprecantibus ignoſcere, niſi etiam paterna indulgentia eos præveniat. Nunc ſingula expendamus.

12. *Dixit adoleſcentior.*] Primo impiæ proterviæ ſignum deſcribitur in juvene, quod à patre diſcedere appetens, ſibi recte eſſe non putat niſi impune laſciviat abjecto patris imperio. Accedit etiam ingratitudo, quod ſenem deſerens, non modo juſtis officiis eum privat, ſed domeſticas ejus opes mutilat & diminuit. Sequitur tandem profuſa luxuries, & diſſoluta nequitia, qua omnia ſua dilapidat. Tot peccatis erat promeritus ut patrem implacabilem experiretur. Nec vero dubium eſt quin ſub hac imagine immenſa Dei bonitas & incomparabilis indulgentia nobis pingatur, ne ulla ſceletum atrocitas à ſpe impetrandæ veniæ nos deterreat. Non inepta erit anagoge, ſiquis ſtulto & protervo adoleſcenti ſimiles eſſe dicat, qui quum ſumma bonorum copia apud Deum affluant, cæca tamen & veſana cupiditate incitati cum eo partiri volunt, ut ſeorſum liberi ſint: quaſi non omnibus regnis optabilius ſit ſub paterna Dei cura & gubernatione degere. Sed quia vereor ne hæc alluſio nimis arguta ſit, contentus ero literali ſenſu: non quod mihi diſpliceat, ſub tali figura reprehendi eorum amentiam qui ſibi feliciter ceſſurum putant aliquid babere proprium, ut ſeorſum à Patre cæleſti ſint divites: ſed quia nunc intra metas interpretis me contineo. Cæterum hic refert Chriſtus quid juvenibus contingere ſoleat ubi proprio ingenio feruntur. nam quia & conſilii inopes & ferventes intemperie, ad ſe regendos minime ſunt idonei: ubi metus & pudor eos non cohibet, fieri non poteſt quin ſe projiciant quocunque tulerit libido, plenique dedecoris ad turpem egeſtatem feſtinent. Poſtea pœnam deſcribit quæ juſto Dei judicio ut plurimum prodigos decoctores manet: nempe ut male conſumptis opibus prolixe eſuriant: & quia optimi panis abundantia frugaliter uti neſcierunt, ad glandes & ſiliquas redigantur. denique ut porcorum ſodales facti, indignos ſe ſentiant humano victu. nam & bæc eſt porcina ingluvies, male diſperdere quod in vitæ ſubſidia datum erat. Quod ſubtiliter quidam exponunt, hanc juſtam eſſe impii faſtidii pœnam ut famelici ad ſiliquas confugiant qui lautum panem in familia cæleſtis Patris reſpuerint: vere quidem & utiliter dicitur, nec ulla religio probibet hac ſimilitudine uti: ſed memoria interim tenendum eſt quid allegoriæ à genuino ſenſu differant.

16. *Cupiebat implere.*] Significat, præ fame non amplius cogitaſſe veteres delicias, ſed avida voraſſe ſiliquas. neque enim quum porcis ipſe daret boc cibi genus, carere potuit. Celebre eſt illud Cyri dictum, qui quum in fuga longam inediam paſſus eſſet, cibario & atro pane paululum refectus, dixit ſe nunquam ſapidum panem guſtaſſe: ita juvenem cujus nunc fit mentio, neceſſitas coëgit appetitum ad ſiliquas adjicere. Additur ratio, Quia nemo illi dabat. nam copula in cauſalem particulam, meo judicio, reſolvi debet. Neque boc de ſiliquis dicitur, quæ illi erant ad manum: ſed intelligo neminem ejus inopiæ fuiſſe miſertum. Prodigis enim, qui ſine delectu ſua diſſipant, nemo ſe debere agnoſcit: imo quia omnia diſperdere ſoliti ſunt, nihil illis videtur erogandum.

17. *In ſe autem reverſus.*] Hic nobis deſcribitur ratio qua Deus bomines ad pœnitentiam invitat. Si ultro ſaperent, ſeque præberent dociles, blandius eos alliceret: verum, quia niſi ferulis domiti, ad obſequium non deſcendunt, durius eos caſtigat. Ergo juveni quem ſaturitas reddebat ferocem & immorigerum, optima fuit magiſtra fames. Hoc exemplo edocti, ne putemus Deum crudeliter nobiſcum agere ſiquando nos gravioribus ærumnis urget: quia hoc modo præfractos & lætitia ebrios ad obedientiam erudit. Denique quicquid miſeriarum patimur, utilis eſt ad pœnitentiam invitatio. Verum, ut tardi ſumus, vix unquam recipimus ſanam mentem niſi extremis malis coacti. nam donec undique nos premant anguſtiæ, & deſperatio conſtringat, ſemper exultat caro, vel ſaltem reſilit. Unde colligimus, non eſſe mirum ſi Dominus violenter ſæpe, & quidem repetitis ictibus, ad frangendam noſtram contumaciam incumbat, & duris nodis (ut eſt in proverbio) duros cuneos impingat. Notandum eſt etiam quod ſpes melioris fortunæ, ſi ad patrem rediret, animum reſipiſcendi juveni dedit. Nulla enim pœnarum gravitas pravitatem noſtram emolliet, vel efficiet ut nobis peccata diſpliceant, donec aliquis appareat profectus. Ergo quemadmodum hic juvenis paternæ clementiæ fiducia ad quærendam reconciliationem erigitur: ita nobis pœnitentiæ initium ſit oportet divinæ miſericordiæ agnitio, quæ nos ad bene ſperandum excitet.

20. *Quum adhuc longe abeſſet.*] Hoc eſt caput parabolæ, Si bomines qui & natura cupidi ſunt vindictæ, & juris ſui nimium tenaces, paternus tamen amor inflectit ut clementer filiis ignoſcant, & miſere perditos ultro requirant: Deum, cujus immenſa bonitas omnes patrum amores ſuperat, nihilo fore nobis duriorem. Et certe nihil hic de patre terreno refertur
quod Deus non de ſe promittat: Antequam clamave- Ieſa. 65.
rint, inquit, ego exaudiam. Notum eſt etiam illud verſ. 24.
Davidis, Dixi, Confitebor adverſum me injuſtitiam Pſal. 32.
meam Domino, & tu remiſiſti iniquitatem peccati verſ. 5.
mei. Ergo ſicuti pater hic non tantum exorabilis eſt filii precibus, ſed venienti occurrit, & nondum verbo uno audito, ſqualidum & deformem amplectitur: ita Deus longam deprecationem non expectat: verum ſimulac propoſuit peccator culpam fateri, voluntarius occurrit. Putidum vero eorum cavillum eſt qui hinc eliciunt, gratiam Dei non ante expoſitam eſſe peccatoribus quam ipſi ſua pœnitentia eam anteverterint. Hic nobis, inquiunt, pater ad ignoſcendum facilis proponitur, ſed ex quo filius ad eum redire inſtituit: ergo non alios reſpicit Deus, nee gratia ſua dignatur, niſi qui eam quærere incipiunt. Verum quidem eſt, ut veniam impetret peccator, requiri conſcientiæ dolorem quo ſibi diſpliceat: ſed perperam inde elicitur, pœnitentiam, quæ Dei donum eſt, ab hominibus ex proprio cordis ſui motu afferri. Atque in hac parte inſcite mortalis bomo Deo confertur. neque enim terreni patris eſt, arcano Spiritus inſtinctu perverſum cor filii renovare, ſicuti Deus ex cordibus lapideis carnea facit. Denique bic non agitur an bomo à ſeipſo converſus ad eum redeat: ſed tantum ſub hominis figura, paterna Dei indulgentia laudatur, & ad dandam veniam facilitas.

21. *Pater, peccavi in cælum.*] Hic pars altera pœnitentiæ notatur: nempe ſenſus peccati cum triſtitia & pudore conjunctus. nam cui non dolet peccaſſe, & ſua culpa ante oculos non verſatur, quidvis potius tentabit quam ut ad bonam frugem redire cogitet. Pœnitentiam ergo neceſſe eſt ut præcedat diſplicentia. Atque huic loquutioni magnum ſubeſt pondus, quod in ſe reverſus dicitur adoleſcens, utpote qui

vagis cupiditatum erroribus in oblivionem ſui abreptus erat. Et certe ita erratici ſunt carnis impetus, ut quiſquis ſe illis permittit, à ſeipſo egreſſus evaneſcat. Ideoque jubentur transgreſſores redire ad cor.
Jeſ. 46. verſ. 18. Sequitur etiam confeſſio, non qualem fabricavit Papa, ſed qua filius offenſum patrem ſibi placat. nam hæc humilitas redimendis offenſis omnino neceſſaria eſt. Forma hæc loquendi, Peccavi in cælum & coram te, tantundem valet acſi dictum eſſet, læſum fuiſſe Deum in perſona terreni patris. Et certe hoc natura dictat, quicunque contra patrem inſoleſcit, impie quoque adverſus Deum inſurgere, qui filios parentibus ſubjecit.

22. *Proferte ſtolam primam.*] Quanquam in parabolis (ut ſæpius dictum eſt) ſingulas minutias excutere ineptum foret: hic tamen non torquebitur litera ſi dicamus cæleſtem Patrem non modo ita ignoſcere peccatis noſtris ut eorum memoriam ſepeliat, ſed dona etiam reſtituere quibus eramus exuti: ſicuti viciſſim nos illis ſpolians, ingratitudinem noſtram caſtigat, ut nuditatis probro & dedecore ad pudorem nos cogat.

MATTH.	MARC.	LUC. XV.

25. Erat autem filius ejus ſenior in agro: & quum veniret, & appropinquaſſet domui, audivit concentum & choros.
26. Et vocavit unum è ſervis ſuis, & interrogavit quid eſſent illa.
27. Ipſe vero dixit ei, Frater tuus venit, & mactavit pater tuus vitulum ſaginatum, quod incolumem illum receperit.
28. Indignatus eſt autem, nec volebat introire. Pater ergo illius egreſſus, rogabat illum.
29. At ille reſpondens, dixit patri, Ecce, tot annis ſervio tibi, nec unquam præceptum tuum transgreſſus ſum, & mihi nunquam dediſti hœdum, ut cum amicis meis lætarer.
30. Sed poſtquam filius tuus hic, qui devoravit ſubſtantiam tuam cum meretricibus, venit, mactaſti illi vitulum ſaginatum.
31. At ille dixit ei, Fili, tu ſemper mecum es: & omnia mea, tua ſunt.
32. Lætari autem & gaudere oportebat: quia frater tuus hic, mortuus erat, & revixit: perierat, & inventus eſt.

Hoc poſterius membrum parabolæ, inhumanitatis eos accuſat qui Dei gratiam maligne reſtringere vellent quaſi miſeris peccatoribus invideant ſalutem. Scimus enim Scribarum faſtum hic perſtringi, qui ſibi debitam meritis ſuis mercedem non putabant rependi, ſi Publicanos & promiſcuum vulgus Chriſtus ad ſpem æternæ hæreditatis admitteret. Summa igitur eſt, ſi filii Dei cenſeri cupimus, fratrum vitiis, quæ ipſe paterne remittit, fraterne ignoſcendum eſſe. Qui putant ſub primogeniti filii typo Judaicum populum deſcribi, tametſi ratione non carent, mihi tamen videntur non ſatis ad totum contextum attendere. Nam ex Scribarum murmure natus ſermo fuit, quibus moleſta erat Chriſti humanitas erga miſeros & parum probatæ vitæ homines. Scribas ergo qui arrogantia turgebant, comparat frugi & modeſtis hominibus, qui ſemper honeſte parceque vivendo, rem domeſticam bene curaverint: imo filiis obſequentibus, qui tota vita patienter tulerint patris imperium. Quanquam autem prorſus indigni erant hac laude, Chriſtus tamen ex eorum ſenſu loquens, fictam ſanctimoniam illis pro virtute per conceſſionem imputat. acſi dixiſſet, Etiamſi vobis concedam quod falſo jactatis, vos Deo ſemper obedientes fuiſſe filios, non tamen ita ſuperbe & crudeliter abjiciendi erant fratres ubi à perdita vita reſipiſcunt.

28. *Pater illius egreſſus.*] His verbis ſuperbiam non ferendam hypocritis exprobrat, quod à patre rogandi ſint ne fratribus ſuis miſericordiam invideant. Porro licet non roget Deus, ſuo tamen exemplo ad toleranda fratrum vitia nos hortatur. Atque ut improbo rigori omnem excuſationem præcidat, non tantum hypocritas loquentes inducit, quorum refutari poſſit falſa jactantia, verum etiam ſiquis integerrime omnibus pietatis officiis erga patrem ſit defunctus, ei tamen juſtam querimoniæ eſſe cauſam negat quod fratri venia detur. Certum quidem eſt, ſinceros Dei cultores ab hoc maligno affectu puros ſemper & vacuos fore: ſed Chriſti conſilium eſt oſtendere iniquum eſſe qui fratri in gratiam recepto obtrectat, etiamſi ſanctitate Angelis non cedat.

31. *Fili, tu ſemper.*] Duo ſunt hujus reſponſionis capita: prius eſt, quod nulla eſt iraſcendi cauſa primogenito, dum abſque ſuo damno fratrem humaniter accipi videt: alterum vero, quod nulla fraternæ ſalutis habita ratione, ob hilaritatem ex ejus reditu conceptam triſtetur. Omnia, inquit, mea ſunt tua. Hoc eſt, etiamſi nihil hactenus è domo mea abſtuleris, nihil tibi deperiit: quia omnia tibi ſalva manent. Deinde quid te offendit noſtra lætitia, cujus tu ſocius eſſe debueras? nam æquum erat, fratri, quem perditum putavimus, nunc ſalvo & reduci gratulari. Duæ iſtæ rationes nobis notandæ ſunt: quia nec quicquam nobis decedit ſi benigne in gratiam recipit Deus qui peccatis ſuis ab eo alienati fuerant: & impia eſt durities, non lætari quum fratres à morte redivivos cernimus.

MATTH. XVIII.	MARC.	LUC. XVII.

15. Si vero peccaverit in te frater tuus, vade & argue eum inter te & ipſum ſolum: ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum.
16. Si vero te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos: ut in ore duorum aut trium teſtium conſiſtat omne verbum. quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ.
17. Quod ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.
18. Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.

(Luc. XVII.)
2. Cavete vobis.
3. Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum: & ſi pœnitentia tactus fuerit, remitte illi.

19. Rur-

19. Rurſum dico vobis, quod ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quam petierint, fiet illis à Patre mêo qui in cælis eſt.

20. Ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.

15. *Si vero peccaverit.*] Quia de ferendis fratrum infirmitatibus concionatus fuerat, nunc quomodo, & in quem finem, & quatenus ferendæ ſint, clarius oſtendit. Nam alioqui promptum fuiſſet objicere, non poſſe aliter caveri offenſiones quam ſi quiſque ad aliorum vitia conniveat, & ſic malum indulgentia foveatur. Mediam ergo rationem Chriſtus præſcribit, quæ nec infirmos nimis offendat, & tamen apta ſit ſanandis eorum morbis. Utilis enim & laude digna eſt ſeveritas ad medicinæ naturam compoſita. In ſumma, Chriſtus ſuos diſcipulos ita jubet alios aliis ignoſcere, ut tamen vitia corrigere ſtudeant. quod prudenter obſervare convenit: quia nihil difficilius eſt, quam hominibus parcendo, liberas tamen reprehenſiones non omittere. In alterutram fere partem omnes inclinant, ut mutuo ſe fallant mortiferis blanditiis, vel nimis acriter inſectentur quibus mederi decebat. Chriſtus autem mutuum amorem commendat ſuis diſcipulis, qui procul ſit ab adulatione. Tantum admonitiones moderatione condire jubet: ne ſi nimis rigidæ ſint ac duræ, infirmos exaniment. Tres autem fraternæ correctionis gradus diſtincte ponit: primus eſt, ut privatim moneatur qui peccavit: ſecundus autem, ſi aliquod ſignum contumaciæ dederit, ut rurſum admoneatur adhibitis teſtibus: tertius eſt, ſi nihil hac via profectum fuerit, ut tradatur publico Eccleſiæ judicio. Ille vero, quem dixi, ſcopus eſt, ne fervidi zeli prætextu violetur charitas. Porro quia majorem hominum partem impellit ambitio ut nimis cupide fratrum delicta in publicum traducat, tempeſtive occurrit Chriſtus huic vitio, præcipiens ut fratrum probra, quantum in nobis eſt, tegamus. quos enim fratrum dedecus & infamia oblectat, odio & malevolentia rapi certum eſt: quia ſi in illis vigeret charitas, fratrum pudori conſulerent. Quæritur tamen an promiſcue regula hæc ad quævis peccata extendi debeat. Sunt enim permulti qui nullas admittunt publicas cenſuras, donec privatim admonitus fuerit peccator. Atqui manifeſta eſt in Chriſti verbis reſtrictio. neque enim ſimpliciter & ſine exceptione moneri vel argui ſeorſum, & ſine teſte jubet, quicunque peccaverint: ſed hanc viam à nobis tentari vult, ubi privatim offenſi ſumus: non quidem in proprio negotio, ſed quia dolore nos vulnerari convenit quoties offenditur Deus. Nec vero Chriſtus hic de ferendis injuriis diſſerit: ſed in genere manſuetudinem ita inter nos colendam docet, ne aſperius tractando infirmos, perdamus qui ſervandi erant. Ergo particula *in te*, non illatam alicui injuriam deſignat, ſed inter occulta & manifeſta peccata diſtinguit. Nam ſiquis in totam Eccleſiam peccaverit, eum Paulus jubet publice argui, ut ne ipſis quidem ſenioribus parcatur. Nam de his nominatim

[1 Tim. 5. verſ. 20.] Timotheo mandat ut publice coram omnibus eos arguendo, commune aliis exemplum ſtatuat. Et certe ridiculum eſſet, qui peccavit cum publico offendiculo, ut vulgo notum ſit flagitium, à ſingulis moneri: quia ſi mille ſint conſcii, millies monendus erit. Quare diſtinctio quæ diſerte à Chriſto notatur, tenenda eſt, ne quis occulta peccata vulgando, fratrem temere & abſque neceſſitate infamet. *Si te audierit, lucratus es.* Ab utilitate & fructu Chriſtus ſuam doctrinam confirmat. Neque enim parva res eſt, animam Satanæ mancipatam Deo acquirere. Unde autem fit ut non ſæpe reſipiſcant qui lapſi ſunt, niſi quia odioſe & hoſtiliter vexati, obſtinationis callum ſibi obducunt? Ergo nihil manſuetudine aptius, quæ Deo reconciliat qui ab eo exciderant. Qui vero intemperanter ruit in ſtultum favorem, ſponte fraternæ ſalutis, quam in manu habebat, jacturam facit. Apud Lucam diſerte jubet Chriſtus nos privata objurgatione eſſe contentos, ſi ad pœnitentiam adductus ſit frater. Hinc etiam colligitur, quam neceſſaria ſit mutua inter fideles reprehenſionum libertas. Nam quum ſæpius quiſque noſtrum quotidie delinquat, pluſquam crudele eſt ſilentio noſtro ac diſſimulatione prodere eorum ſalutem, quos amica objurgatione ab interitu eripere liceret. Nam etſi non ſemper ſuccedit, gravi tamen reatu conſtringitur qui in curanda fratrum ſalute præſcriptum à Domino remedium neglexit. Notatu quoque dignum eſt, quod Dominus, ut magis ad officium ſtrenui ſimus, ſuum nobis honorem transſcribit. Neque enim hominem convertere in alium quam in eum ſolum competit: hoc tamen elogio, licet indebito, nos ornat, quod fratrem perditum lucrifacimus.

16. *Si te non audierit, adhibe tecum.*] Secundus gradus eſt, nempe ut teſtibus interpoſitis, rurſum moneatur qui ſe præfracte geſſit erga hominem unum, vel minus fuit docilis. Objiciunt hic quidam, fruſtra vocari teſtes ſi cum homine duro & rebelli negotium eſt: quia adeo non flectetur illorum conſpectu ad culpæ agnitionem, ut improbius neget. Sed facilis erit hujus nodi ſolutio, ſi inter negandi & tergiverſandi ſpecies diſtinguas. Qui præciſe factum inficiatur, ſeque falſo & calumnioſe gravari affirmat, omittendus eſt: quia fruſtra teſtibus vocatis urgebitur. Sed quia plerique quod perperam & inique ab ipſis factum, proterve eludunt, vel impudenter excuſant: donec major accedat auctoritas, utiliter erga eos obſervatur hæc ratio. Porro ſic debere intelligi Chriſti ſermonem, ex verbo Arguendi liquet. Arguere, eſt demonſtratione convincere. Quomodo autem arguerem qui acriter totam rem pernegat? nam qui nulla fronte admiſſum crimen negat, ſecundæ admonitioni viam præcludit. Nunc tenemus in quem uſum teſtes adhiberi Chriſtus velit, ut ſcilicet plus ponderis habeat, magiſque ſeria ſit admonitio. Cæterum quod Moſis verba paulo in alium ſenſum deflexit, in eo nihil eſt abſurdi. Vetat Moſes pronunciari de re incognita. Hunc vero legitimum probandi modum definit, ut duorum vel trium teſtimonio ſtetur. Chriſtus ad eam legem alludens, liquidam fore cauſam dicit, ubi duo vel tres teſtes ad damnandam hominis contumaciam ſurgent, ſaltem ut matura ſit Eccleſiæ cognitio. Neque enim erit cur ſe in lucem protractum queratur qui duos vel tres audire abnuit. *Dic Eccleſiæ.* Quæritur quid per nomen Eccleſiæ intelligat. Nam Paulus Corinthium ince- [1 Cor. 5.]
ſtum non ab aliquo delecto numero, ſed à toto pio- [verſ. 5,6.]
rum cœtu excommunicari jubet: ideoque probabile videri poſſet, judicium hic toti populo deferri. Sed quia tunc nulla adhuc Eccleſia erat quæ Chriſto nomen dediſſet, nec talis ratio conſtituta, ipſe autem Dominus tanquam de more uſitato receptoque loquitur: non dubium eſt quin ad veteris Eccleſiæ ordinem alludat, ſicuti & aliis locis ad conſuetudinem notam accommodat ſermonem. Quum jubet munus [Matth. 5.]
quod offerre volumus, relinqui ad altare donec of- [verſ. 23.]
fenſo fratri reconciliemur: non dubium eſt quin ex præſenti ac legali cultus Dei forma docere velit, non poſſe nos rite precari, nec quicquam offerre Deo quamdiu diſſidium eſt nobis cum fratribus. Sic igitur nunc receptam apud Judæos diſciplinæ formam intuitus eſt: quia abſurdum fuiſſet, Eccleſiæ quæ adhuc nulla erat, judicium proponere. Porro quum

apud Judæos penes Seniores eſſet excommunicationis poteſtas, qui totius Eccleſiæ perſonam gerebant, appoſite Chriſtus tunc demum publice ad Eccleſiam traduci dicit qui peccarunt, ſi privatas admonitiones vel ſuperbe contemnant, vel ſcurriliter eludant. Scimus ex quo reverſi fuerunt ab exilio Babylonico Judæi, delecto concilio quod vocabant Sanhedrin, Græce Synedrion, mandatam fuiſſe cenſuram morum & doctrinæ. Hoc legitimum fuit Deoque probatum regimen, & hoc frenum ad retinendos in officio protervos & indociles. Siquis excipiat, Chriſti ætate omnia fuiſſe corrupta & perverſa, ut nihil minus quam Eccleſiæ judicium cenſeri tyrannis illa debuerit: reſponſio facilis eſt, Quamvis tunc adulterata eſſet ac perverſa ratio, Chriſtum tamen merito ordinem laudare qualis olim à Patribus fuerat traditus. Ubi vero paulo poſt erea it Eccleſiam, ſublata corruptela purum excommunicandi uſum reſtituit. Dubium tamen non eſt quin ratio diſciplinæ quæ viguit ſub regno Chriſti, ſucceſſerit in locum illius veteris. Et certe quum umbratilem excommunicandi ritum tenuerint etiam profanæ gentes, hoc divinitus ab initio inditum fuiſſe hominum mentibus apparet, ſiqui impuri & polluti eſſent, à ſacris eſſe arcendos. Populo ergo Dei turpe ac pudendum fuiſſet, ejus diſciplinæ prorſus eſſe expertem, cujus aliquod inter Gentes extabat veſtigium. Quod autem ſub Lege ſervarum fuerat, Chriſtus ad nos tranſmiſit, quia nobis communis eſt ratio cum antiquis Patribus. Neque enim conſilium Chriſti fuit, ſuos diſcipulos ad Synagogam ablegare, quæ quum fœtidas ſordes libenter in ſinu foveret, veros & ſimplices Dei cultores excommunicabat. Sed admonuit in Eccleſia ſua tenendum eſſe ordinem qui pridem ſub Lege ſancte inſtitutus fuerat. Quod de Ethnicis & Publicanis mox ſubjicitur, interpretationem à me allatam confirmat. Nam quia in ſummo odio & deteſtatione tunc apud Judæos erant Ethnici & Publicani, illis comparat homines impuros & inſanabiles, qui nullis monitionibus obtemperant. Certe Ethnicis, ex quibus deinde compoſita fuit Eccleſia, præceptum dare noluit ut ſeipſos fugerent: nec hodie ratio eſt cur à Publicanis abhorreant fideles. Sed Chriſtus quo facilius poſſet à rudibus intelligi, loquendi formam à præſenti gentis ſuæ conſuetudine mutuatus eſt. Senſus autem eſt, nihil cum Eccleſiæ contemptoribus debere nobis eſſe negotii donec reſipuerint.

18. *Quæcunque ligaveritis.*] Eadem nunc verba repetit quibus uſus fuerat capite 16. ſed diverſo ſenſu. Nam illic doctrinæ auctoritatem aſſerere volebat: hic vero diſciplinam conſtituit, quæ appendix eſt doctrinæ. Illic dicebat Chriſtus non irritam fore Euangelii prædicationem quin odor eſſet vivificus vel lethalis: hic affirmat, quamvis impii Eccleſiæ judicium derideant, non tamen vanum fore. Hæc diſtinctio tenenda eſt, quod illic ſimpliciter de verbo prædicato, hic autem de publicis cenſuris, & diſciplina diſſeritur. Cæterum rationem metaphoræ ligandi & ſolvendi illinc petant lectores. Summa hæc eſt, Quiſquis admiſſo delicto ſuppliciter culpam agnoſcit, & deprecatur ut ab Eccleſia veniam impetret, eum abſolvi non tantum ab hominibus, ſed à Deo ipſo. Rurſus quiſquis Eccleſiæ objurgationes & minas ludibrio habet, ſi ab ea damnetur, ratum fore in cælo judicium quod homines tulerint. Siquis objiciat, Deum hoc modo fieri quaſi pedarium judicem, qui ſubſcribat mortalium hominum ſententiæ: ſolutio in promptu eſt. Neque enim auctoritatem Eccleſiæ ſuæ aſſerit Chriſtus qua jus ſuum & Patris imminuat: ſed potius qua verbi ſui majeſtatem ſanciat. Quemadmodum enim cap. 16. non quamlibet promiſcue doctrinam ſtabilire voluit, ſed quæ ex ore ſuo profecta eſſet: ita neque hoc loco quodlibet judicium ſtabile & ratum fore dicit, ſed in quo ipſe præſidet: neque id modo per Spiritum, ſed etiam per verbum. Unde ſequitur, homines nullum afferre Deo præjudicium, dum nihil niſi ex ejus ore pronunciant, ac tantum fideliter exequi ſtudent quod ille mandavit. Quamvis enim unicus ſit mundi judex Chriſtus, vult tamen interea miniſtros verbi ſui habere præcones. Deinde vult ſuum judicium ab Eccleſia proferri. Ita fit ut nihil ſibi deroget interpoſito hominum miniſterio quin ſolus ipſe abſolvat & liget. Oritur tamen hic quæſtio, quum multos hypocritas Eccleſia toleret, abſolvat etiam multos qui fictam pœnitentiam obtendunt, an conveniat tales in cælo abſolvi. Reſpondeo, non ad alios dirigi ſermonem quam qui recte ac ſincere Eccleſiæ ſe reconciliant. Nam trepidis conſcientiis afferre ſolatium, metumque eximere volens, teſtatur reatu liberari coram Deo quicunque peccaverint, ſi in gratiam redeant cum Eccleſia. Hoc enim quaſi pignus cæleſtis gratiæ ſtatuit, quod nihil ad hypocritas pertinet qui purum reconciliationis uſum pervertunt. Piis vero non vulgaris inde fiducia naſcitur, dum ſua peccata coram Deo & Angelis deleri audiunt ſimulac veniam obtinuerint ab Eccleſia. In altero membro minime ambigua eſt mens Chriſti. nam quum præfractis & ſuperbis proclive ſit Eccleſiæ judicium hoc prætextu contemnere, quia hominibus ſubjici nolint, ſicuti impii nebulones ſæpe ad cæleſte tribunal audacter provocant: Chriſtus, ut terrore frangat hanc contumaciam, quæ nunc ab illis ſpernitur damnationem in cælo ratam fore denunciat. Interim ſuos ad juſtam ſeveritatem animat, ne improbæ eorum contumaciæ ſuccumbant qui diſciplinam reſpuent vel excutient. Hinc quoque videre eſt quam inſulſe Papiſtæ præſentem locum ad omne tyrannidis genus fucandum torqueant. Jus excommunicandi Eccleſiæ tribui certum eſt, & ſani omnes fatentur: ſed an ut unuſquiſpiam, & quidem non ab Eccleſia vocatus, ſed à cornuta larvataque beſtia creatus, pro ſua libidine inanes excommunicationum crepitus emittat? Atqui legitimam Eccleſiæ gubernationem Presbyteris injunctam fuiſſe conſtat: non tantum verbi miniſtris, ſed qui ex plebe morum cenſores illis adjuncti erant. Hac tamen impudentia non contenti, probare etiamnum conantur ex hoc loco, quæcunque impoſuerint onera, eſſe ferenda. Taceo quod poteſtatem Eccleſiæ permiſſam indigne ſibi uſurpant ac rapiunt peſſimi Eccleſiæ hoſtes: tantum dico, Quum Chriſtus nonniſi de corrigendis peccatis agat, qui ſuis legibus animas illaqueant, non minus ſtulte quam ſcelerate ejus teſtimonio abuti. Ejuſdem farinæ eſt, quod auricularem ſuam confeſſionem hoc prætexto defendunt. Neque enim, ſi Eccleſiæ reconciliari Chriſtus voluit qui ſua culpa uſque ad publicum judicium tracti fuerint, ideo ſingulis legem imponit ut ſua peccata in aurem ſacrifici exonerent. Adeo autem frivolæ ſunt eorum ineptiæ, ut refutationi longius inſiſtere neceſſe non ſit.

19. *Rurſum dico vobis.*] Confirmat proximam ſententiam: quia Deus non modo Spiritum conſilii & prudentiæ daturus ſit petentibus, ſed etiam facturus ne virtute & effectu careat quicquid ex verbo ſuo egerint. Conſenſum vero precationi conjungens, admonet quam ſobrie & reverenter in omnibus ſacris actionibus ſe gerere debeant fideles. Monendus eſt peccator, & niſi correctionem admittat, excommunicandus. Hic non modo ſacrum os Dei conſulere oportet ne quid ſtatuatur niſi ex ejus verbo, ſed ſimul etiam à precibus auſpicari convenit. Unde clarius apparet quod ante docui, non permitti hominibus quidvis agendi licentiam: ſed Deum ſtatui gubernationis Eccleſiæ vindicem, ut judicia, quorum ipſe eſt auctor, ſciſcat ac ſanciat. Interim dum conveniunt fideles, vota ſua conjungere, & communiter precari docentur, non modo ad teſtandam fidei unitatem, ſed ut

omnium

omnium conſenſum Deus exaudiat. Ergo, ut alibi ſæpe promittit Deus ſe privatis cujuſque votis fore propitium: ita hic Chriſtus publicas preces ſingulari promiſſione dignatur, quo nos acrius ad earum ſtudium invitet.

20. *Ubi duo aut tres congregati in nomine meo.*] Promiſſio hæc longius patet quam ſuperior. Dominus enim ſe adfuturum declarat quoties duo aut tres in nomine ſuo convenerint, ut dirigat eos conſilio, & quicquid aggreſſi fuerint, ad proſperum ſucceſſum deducat. Non eſt ergo quod dubitent qui ſe tradunt ei regendos, quin optabilem ex præſentia ejus fructum ſentiant. Quum autem inæſtimabile bonum ſit Chriſtum habere in omnibus negotiis præſidem qui conſilia & eventus benedicat, ſicuti rurſum nihil miſerius quam ejus gratia deſtitui: non levem ſtimulum addere nobis debet hæc promiſſio, ut inter nos pie & ſancte coaleſcamus. Nam quiſquis vel ſacros conventus negligit, vel ſe disjungit à fratribus, ac ſegniter ſe gerit in colenda unitate, hoc ipſo demonſtrat ſe Chriſti præſentiam pro nihilo ducere. Sed videndum in primis, ut qui Chriſtum cupiunt ſibi adeſſe, in ejus nomine conveniant. Ac ſimul tenenda eſt hujus particulæ definitio. videmus enim ut impii ſacrum ejus nomen ſuis conſpirationibus non minus falſo & impudenter, quam ſceleſte obtendant. Ergo niſi velimus Chriſtum ad eorum ludibria proſtituere, & ſimul evertere quod hic promiſit, ſciendum in primis quid valeat hæc loquutio: nempe ut qui ſimul congregantur, rejectis omnibus impedimentis quæ nos ad Chriſtum accedere non ſinunt, ſincere ad eum aſpirent, ejus verbo ſe in obſequium addicant, ac Spiritu gubernari permittant. Tamendum non eſt, ubi viget hæc ſimplicitas, quin palam oſtendat Chriſtus ſuis auſpiciis non fruſtra coactum fuiſſe cœtum. In quo ſe prodit craſſa Papiſtarum inſcitia. clamant non potuiſſe errare Concilia, ideoque ſtandum omnibus eorum decretis: quia quoties duo aut tres congregantur in nomine Chriſti, ipſe in medio eorum eſt. Atqui in primis quærendum erat, convenerint nec ne Chriſti nomine, de quorum fide, doctrina & affectu ambigitur. Hoc dum omittunt vel involvunt Papiſtæ, quis non videt aſtute diſcrimen inter ſacros & profanos conventus ab illis confundi, ut poteſtas quidvis agendi ab Eccleſia ad hoſtes Chriſti juratos transferatur? Sciamus ergo nonniſi pios Dei cultores, qui Chriſtum pure quærunt, animari ad fiduciam, ne ſibi eum adfore dubitent. Spuriis autem & abortivis Conciliis, quæ telam ex proprio ſenſu contexuerunt, valere juſſu, apud nos ſemper Chriſtus unus cum Euangelii ſui doctrina emineat.

MATTH. XVIII.

21. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit, Domine, quoties peccabit in me frater meus, & remittam ei? num uſque ſepties?

22. Dicit illi Jeſus, Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties.

23. Ideo aſſimilatum eſt regnum cælorum homini Regi qui voluit conferre rationes cum ſervis ſuis.

24. Et quum cœpiſſet conferre, oblatus eſt ei unus qui debebat decem millia talentorum.

25. Cæterum quum is non eſſet ſolvendo, juſſit eum dominus ejus venundari, & uxorem ejus & liberos, & omnia quæ habebat, ac fieri ſolutionem.

26. Procidens autem ſervus, ille adorabat illum, dicens, Domine, eſto patiens erga me, & omnia tibi reddam.

27. Miſertus autem dominus ſervi illius, abſolvit eum, & æs alienum remiſit ei.

28. Egreſſus vero ſervus ille, invenit unum de conſervis ſuis qui debebat ſibi centum denarios: & injecta in eum manu, obtorto collo trahebat, dicens, Solve quod debes.

29. Et procidens conſervus ejus, rogabat eum, dicens, Eſto patiens erga me, & omnia reddam tibi.

30. At ille nolebat: ſed abiit, & conjecit eum in carcerem donec redderet debitum.

31. Porro quum vidiſſent conſervi ejus quæ fiebant, indoluerunt valde: & venerunt, aperueruntque domino ſuo omnia quæ facta fuerant.

32. Tunc accerſivit illum dominus ſuus, & ait illi, Serve ſceleſte, totum debitum illud remiſi tibi quum obſecraſſes me:

33. Nonne oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus eram?

34. Et iratus dominus ejus, tradidit eum tortoribus, quoad uſque redderet totum quod debebatur ſibi.

35. Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis ſuo quiſque fratri ex cordibus veſtris delicta illorum.

MARC.

LUC. XVII.

4. Et ſi ſepties in die peccaverit in te, & ſepties in die converſus fuerit ad te, dicens, Pœnitet me: remitte illi.

21. *Domine, quoties.*] Hoc objecit Petrus ex communi carnis ſenſu & ingenio. Naturaliter omnibus ingenitum eſt ut ſibi velint ignoſci: itaque ſiquis non ſtatim veniam impetrat, rigide ſecum agi & inhumaniter queritur. ſed multum abeſt ut ſe erga alios tam faciles præbeant qui clementer ſecum agi poſtulant. Ergo quum ſuos ad manſuetudinem hortatus eſſet Dominus, Petro in mentem venit iſta dubitatio, Quid fiet ſi ad dandam veniam ita ſimus propenſi, niſi quod noſtra lenitas peccandi erit illecebra? Interrogat igitur an peccantibus ſæpius, ignoſcere conveniat. nam quum ſeptenarius numerus pro magno ſumatur, tantundem valet adverbium Septies, acſi dixiſſet, Quouſque tandem, Domine,

mine, peccantes in gratiam vis recipi? nam abſurdum eſt ac minime utile, ut nos placabiles ſubinde reperiant. Atqui Chriſtus adeo hac objectione non movetur, ut diſerte exprimat nullum fieri debere remittendi finem. Neque enim certum numerum præſcribere voluit, ſed potius mandare ut nunquam fatigemur. Lucas à Matthæo nonnihil diſcrepat, quia ſimpliciter Chriſti præceptum refert, ut ſepties ignoſcere parati ſimus: ſenſus tamen convenit, ut non ſemel aut bis, ſed quoties reſipuerit peccator, ſimus ad dandam veniam prompti & faciles. Hoc tantum intereſt, quod apud Matthæum Dominus Petrum increpans, eo quod nimis reſtrictus foret, numerum hyperbolice auget, qui per ſe ad ſummam rei notandam ſufficit. Neque enim rogabat Petrus an ſepties remitteret, quod placeret euſque progredi; ſed ut objecta magni abſurdi ſpecie, Chriſtum à ſententia deduceret, quemadmodum nuper attigi. Ergo qui ſepties remittere paratus erit, ad ſeptuageſimam uſque offenſam erit placabilis. Cæterum ex verbis Lucæ alia oritur quæſtio, quia non jubet Chriſtus veniam dare niſi dum ad nos converſus peccator pœnitentiam teſtabitur: nam videtur hoc modo ſuis permittere ut improbis veniam ac miſericordiam negent. Reſpondeo, bifariam remitti peccata. Siquis injuriam mihi fecerit, ego autem depoſito vindictæ affectu eum amare non deſino, quin etiam beneficium rependo loco injuriæ: quamvis de illo ſiniſtre ſentiam ut meretur, remittere tamen illi dicor. Nam quum Deus hoſtibus nos bene velle jubet, non ideo protinus exigit ut probemus in illis quæ ipſe damnat, ſed tantum animos noſtros omni odio vult eſſe purgatos. In hoc genere veniæ adeo non eſt expectandum ut qui peccavit, ultro ad nos placandos accedat, ut amare oporteat qui nos data opera exaſperant, qui repudiant gratiam, vetereſque offenſas nobis accumulant. Secunda remittendi ſpecies eſt, quum ita fratrem recipimus in gratiam, ut de eo recte ſentiamus, ſimuſque perſuaſi deletam coram Deo eſſe peccati ejus memoriam. Atque hoc eſt quod prius admonui, Chriſtum hic non tantum de injuriis quæ nobis illatæ ſint, diſſerere, ſed de quibuſcunque peccatis. Vult enim eos qui lapſi ſunt, noſtra miſericordia levari. Quæ doctrina ideo valde neceſſaria eſt, quod natura præter modum ſumus omnes fere moroſi: & Satan prætextu ſeveritatis ad immanem rigorem nos impellit, ut miſeros homines quibus venia negatur, triſtitia & deſperatio abſorbeat. Sed hic quæritur rurſum, Simulac verbo quis profeſſus ſit pœnitentiam, fidesne haberi debeat. Nam ut hoc fiat, neceſſe erit volentes ac ſcientes errare. Ubi enim erit diſcretio, ſi ad centeſimum uſque crimen impune quivis nobis illudat? Reſpondeo primum, de quotidianis delictis hic haberi ſermonem, in quibus etiam optimus quiſque venia indiget. Quum igitur in tanta carnis infirmitate tam lubricum ſit nobis iter, tot inſidiæ & impulſus, quid fiet ſi ad ſecundum vel tertium lapſum præciditur ſpes veniæ? Addendum eſt ſecundo, Chriſtum non privare judicio fideles, ut ſtulte ad verbulum unum creduli ſint: ſed tantum velle æquos eſſe & humanos, ut reſipiſcentibus manum porrigant, ſi modo appareat ipſos ex animo ſibi in peccatis diſplicere. Sacra enim res eſt pœnitentia, ideoque maturo examine opus habet: ſed quoties probabile ſignum converſionis dederit peccator, admitti vult Chriſtus ad reconciliationem, ne repulſa fractus deficiat. Tertio notandum eſt, ubi quis ſua levitate & inconſtantia ſuſpectum ſe reddidit, poſſe nos veniam petenti ita ignoſcere, ut in poſterum obſervemus ejus mores, ne tolerantiam noſtram & manſuetudinem, quæ ex Spiritu Chriſti eſt, ludibrio habeat. Tenendum enim ipſius Domini conſilium eſt, clementia noſtra juvandos eſſe qui lapſi ſunt ut reſurgant. Et certe imitanda nobis Patris cæleſtis eſt bonitas, qui procul occurrit peccatoribus, ut eos ad ſalutem invitet. Adde, quum pœnitentia mirabile ſit opus Spiritus, & novi hominis creatio, ſi eam deſpicimus, ipſi Deo fieri injuriam.

23. *Aſſimilatum eſt regnum cælorum.*] Quia nos ad miſericordiam flectere difficile eſt, præſertim vero ubi multa fratrum vitia toleranda ſunt, ſtatim tædium obrepit: doctrinam hanc aptiſſima parabola Dominus confirmat, cujus ſumma eſt, Eos qui ad ignoſcenda fratrum delicta ſunt inflexibiles, peſſime ſibi conſulere, ac ſtatuere ſibi legem nimis duram & gravem: quia Deum experientur æque rigidum & inexorabilem erga ſeipſos. Nam in tribus membris præcipue conſiſtit ſimilitudo: opponitur enim Dominus ſervo, ingens ſumma minutis vel mediocribus, ſingularis clementia extremæ crudelitati. His tribus obſervatis, facile erit colligere Chriſti mentem. quid enim ſumus, ſi cum Deo conferimur? Jam vero cujus ſummæ quiſque noſtrum ei debitor eſt? Poſtremo quam leves ſunt offenſæ in quibus obnoxii ſunt nobis fratres, ſi expenditur noſtra erga Deum obligatio? Quam indignus itaque eſt Dei miſericordia homuncio immenſa mole oneratus, qui erga ſui ſimiles implacabilis, ne minimum quidem delictum remittit? Quantum ad verba ſpectat, Regnum cælorum hic vocatur ſpiritualis Eccleſiæ conditio: acſi dixiſſet Chriſtus, Ita ſe res habet inter Deum & homines, quoad animam & ſpiritualis vitæ rationem, ut inter dominum civilem & terrenum, ac ejus ſervos, quoad pecuniam & præſentis vitæ negotia.

25. *Juſſit eum dominus.*] Hic argute ſingula excutere frivolum eſſet. neque enim rigorem Deus ſemper oſtentat initio, donec ad deprecationem compulſi, veniam petamus: imo gratuita bonitate nos prævenit: ſed tantum docet, ſi ſummo jure in nos utatur Deus, quid nobis futurum ſit. Deinde ſi velit exigere à nobis quod debetur, quam nobis expediat confugere ad preces: quia hoc unicum ſupereſt aſylum peccatoribus. Notanda eſt etiam longa ſummarum diſtantia: nam quum talentum unum, centum denariis pluris ſit, quid centum denarii ad decem talentorum millia?

31. *Quum vidiſſent conſervi.*] Quanquam in his verbis quærendum non eſt myſterium, quia tamen nihil continent niſi quod natura dictat, & uſu quotidie diſcimus, ſciendum eſt, nobis coram Deo tot adverſarios teſtes fore quot nobiſcum vivunt homines: quia fieri non poteſt quin illis diſpliceat ac odio ſit crudelitas, præſertim dum ſibi quiſque metuit ne in caput ſuum redundet quod videt alteri fieri. Quod ad ſententiam proxime ſequentem, fruſtra quæritur quomodo puniat Deus quæ ſemel remiſit peccata: quia ſimplex hic ſenſus eſt, Licet omnibus miſericordiam offerat, indignos tamen eſſe qui ea fruantur rigidos exactores, à quibus nulla poteſt impetrari venia. Ridiculi vero ſunt Papiſtæ, dum ex adverbio Quouſque, purgatorium ignem eliciunt. certum enim eſt, mortem æternam à Chriſto hic notari, non pœnam temporalem qua Dei judicio ſatisfiat.

MATTH. XVII.	MARC.	LUC.
24. Quum autem veniſſent Capernaum, acceſſerunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, dixeruntque, Præceptor veſter non ſolvit didrachma?		
25. Dicit, Etiam. Et quum ingreſſus fuiſſet in domum, prævenit		

illum Jeſus, dicens, Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributa, aut cenſum? à filiis ſuis, an ab alienis?

26. Dicit illi Petrus, Ab alienis. Ait illi Jeſus, Ergo liberi ſunt filii.

27. Verum ne offendamus eos, profectus ad mare, mitte hamum, & eum piſcem qui prodierit primus, tolle: & aperto ore illius, invenies ſtaterem, eum acceptum da illis pro me & pro te.

24. *Quum autem veniſſent Capernaum.*] In primis notandus eſt hujus hiſtoriæ ſcopus: nempe quod Chriſtus tributum ſolvendo, ſubjectionem ultro teſtatus ſit, ſicuti formam ſervi induerat: ſimul tamen & verbis & miraculo oſtenderit, non jure, vel neceſſitate, ſed libera & voluntaria ſubmiſſione ſe ita eſſe exinanitum, ut eum cenſeret mundus quaſi uoum quemlibet è vulgo. Erat hoc non vectigal quod exigi ſoleret in trajectu, ſed annuum tributum Judæis impoſitum in ſingula capita, ut tyrannis penderent, quod olim ſolebant uni Deo. Scimus enim hunc ceoſum illis præſcriptum fuiſſe in Lege, ut dimidio ſtatere quotannis profiterentur, Deum, à quo redempti fuerant, eſſe ſummum ſuum Regem. Hoc quum ad ſe tranſtuliſſent Reges Aſiatici, placuit Romanis exemplum. Ita quaſi alienati eſſent Judæi à Dei imperio, profanis tyrannis ſolvebant ſacrum cenſum in Lege indictum. Porro, abſurdum videri poterat, Chriſtum quum apparuiſſet populi redemptor, oe ipſum quidem à tributo eſſe immunem. Hoc ſcandalum ut averteret, verbis docuit, ſola voluntate ſe eſſe obſtrictum: & miraculo idem probavit: quia à terreno imperio eximere ſe poterat qui mari dominabatur & piſcibus. *Præceptor veſter.* Quidam putant perſtrictum fuiſſe Chriſtum à tributi coactoribus, quaſi ſe à communi jure ſubduceret. Ergo, ut petulans & contumelioſum eſt illud hominum genus, probroſe hoc eſſe dictum interpretor. Nam quum cenſeri in ſua quiſque urbe ſoleret, ſcimus Chriſto non fuiſſe quietam uno in loco ſtationem. Quærunt ergo iſti, an ſolutus erit legibus, quia tanquam incertus hoſpes huc illuc diſcurſat? Et Petri reſponſum modeſtam excuſationem cootinet ad eos placandos: Solvet, inquit. Unde colligimus Chriſtum prius ex more ſolviſſe: quia Petrus ut rem minime dubiam promittit. Quod vero hunc potius, quam alios diſcipulos compellant, factum eſſe ſuſpicor quia apud ipſum habitavit Chriſtus. nam ſi eodem omnes cootubernio uſi forent, communis fuiſſet exactio. Ridiculi ergo ſunt Papiſtæ, qui tam frivolo prætextu Petrum dignitatis ſocium Chriſto faciunt. Vicarium, inquiuot, ſibi elegit, & pari ſecum honore dignatus eſt, quem ſolutione tributi ſibi æquavit. Atqui hoc modo ſubulcos omnes facient Chriſti vicarios, quia tantundem & illi pendebant. Quod ſi in tributo ſolvendo enituit primatus Petri, unde iſta quam ſibi arrogant, immunitas? Sed ita putide ineptire oportet qui Scripturam pro ſua libidine depravant.

25. *Quid tibi videtur Simon?*] Specimen divinitatis ſuæ in eo edidit Chriſtus, ſe nihil latere oſtendens. Quorſum autem tendit ejus ſermo? an ut ſe & ſuos à legum ſubjectione eximat? Sic quidam exponunt, jure liberos eſſe Cbriſtianos: ſed libere ſubjici communi politiæ, quoniam aliter humana ſocietas coli nequit. Mihi tamen ſimplicior videtur ſenſus. Quia enim periculum erat ne fruſtra Chriſtum veniſſe putarent diſcipuli, quia tributum ſolvendo ſpem liberationis præcideret: ſimpliciter affirmat ſe ideo ſolvere tributum quia jure ſuo & poteſtate ſponte abſtinet. Unde colligitur, oihil de ejus regno minui. Sed cur ſibi palam non veodicat quod ſuum eſt? nempe quia tributi coactoribus incognita erat ejus majeſtas. Quanquam enim ſpirituale eſt ejus regnum, ſic tamen habeodum eſt, quum unicus ſit Dei filius, hæredem quoque eſſe totius mundi, ut ſubjecta illi eſſe omnia, & coram ipſo in ordinem cogi deceat. Senſus ergo eſt, non ideo præfectos eſſe humano generi Reges à Deo, & inſtitutas politias, ut ipſe qui filius eſt, eandem cum aliis ſervitutem promiſcue obeat: ſed tamen, donec manifeſtata ſit regni ſui gloria, ſponte una cum aliis fore ſervum. Hoc teſtimonio non minus inſulſe, quam feliciter abuſus eſt Papa, ut ſuum Clerum legibus ſolveret. Quaſi vero raſura capitis faciat Dei filios qui à tributis & vectigalibus ſiot immuoes. Atqui nihil aliud voluit Chriſtus, quam ſibi honorem filii Regis vendicare, ut ſaltem domum haberet privilegio immunem à jure vulgari. Quare inſcite etiam Anabaptiſtæ hæc verba ad labefactandum politicum ordinem detorquent, quum certo certius ſit, Chriſtum minime de communi fidelium jure diſſerere: ſed tantum ſimilitudinem petere à filiis Regum, qui una cum ſuis domeſticis liberi ſunt.

27. *Mitte hamum.*] Quanquam fateor non ſemper plenos Cbtiſto loculos fuiſſe, noo tamen inopia coactum arbitror hoc mandaſſe Petro: ſed ut miraculo probaret ſe latius dominari quam omnes terrenos Reges, ut qui piſces ſibi haberet tributarios. Atque hoc ſemel tantum legimus factum eſſe, quia unum documeotum ſatis in totam vitam fuit. Porro, ſtater tantundem valebat ac ſiclus, nempe quatuor drachmas vel duo didrachma.

MATTH. XIX.

1. Et factum eſt, quum conſummaſſet Jeſus hos ſermones, migravit à Galilæa, & venit in fines Judææ trans Jordanem.

2. Et ſequutæ ſunt eum turbæ multæ: & ſanavit eos ibi.

MARC. IX.

38. Reſpondit autem ei Joannes, dicens, Præceptor, vidimus quendam nomine tuo ejicere dæmonia, nec ſequitur nos: & prohibuimus illum, propterea quod non ſequitur nos.

39. Jeſus autem ait, Ne prohibeatis illum: nullus enim eſt qui ſi virtutem fecerit in nomine meo, poſſit cito male loqui de me.

40. Qui enim non eſt adverſus nos, pro nobis eſt.

LUC. IX.

49. Reſpondens autem Joannes, dixit, Præceptor, vidimus quendam ſuper nomine tuo ejicientem dæmonia: & prohibuimus eum, quia non ſequitur nobiſcum.

50. Et ait ad illum Jeſus, Nolite prohibere. qui enim non eſt adverſum nos, pro nobis eſt.

51. Factum eſt autem, dum complerentur dies aſſumptionis ejus, & ipſe faciem ſuam obfirmaverat ut iret Hieroſolymam.

52. Et miſit nuncios ante conſpectum ſuum, & euntes intraverunt in oppidum Samaritanorum ut pararent illi.

53. Et non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis Hieroſolymam.

54. Quum

MARC. X.

1. Et quum inde ſurrexiſſet, venit in fines Judææ, per regionem quæ eſt trans Jordanem. Et conveniunt rurſum turbæ ad illum, & ſicut conſueverat, rurſum docebat eas.

54. Quum vidiſſent autem diſcipuli ejus Jacobus & Joannes, dixerunt, Domine, vis dicamus ut ignis deſcendat è cælo, & conſumat illos, quemadmodum & Elias fecit?

55. Converſus autem Jeſus, increpavit illos, dicens, Neſcitis cujus ſpiritus eſtis vos.

56. Filius enim hominis non venit ad perdendas animas hominum, ſed ſervandas. Et abierunt in aliud caſtellum.

38. Marc. *Præceptor.*] Hinc apparet celebre jam tunc fuiſſe Chtiſti nomen, ut eo uſi ſinr qui non erant ex familiaribus ejus diſcipulis: vel forte etiam abuſi: nihil enim pro certo aſſerere auſim. Fieri poteſt ut bic de quo ſir mentio, Chriſti doctrinam amplexus, non malo animo ad edenda miracula ſe contulerit: ſed quia non niſi ſelectos Euangelii ſui præcones bac facultate ornavit Chriſtus, temere ab illo ſuſceptum, vel potius arreptum fuiſſe hoc munus arbitror. Quanquam autem præpoſtere boc tentavit quod diſcipulos ſine mandato imitari auſus eſt, ſucceſſu tamen non caruit audacia, quia Domino placuit hoc quoque modo nomen ſuum illuſtrare: ſicuti interdum per eos operatur quorum miniſterium non probat quaſi legitimum. Adhæc nihil obſtat quominus fide particulari quiſpiam imbutus, cæcum impetum ſequatur, atque ita ſe ad edenda miracula præcipitet. Venio nunc ad Joannem & ejus ſocios. Hominem ab edendis miraculis ſe prohibuiſſe dicunt. Cur oon prius rogabant, liceret nec ne? nunc enim dubii & ſuſpenſi, Magiſtri judicium requirunt. Unde ſequitur, jus prohibendi inconſiderate ſibi ſumpſiſſe. Quare temeritatis damnandus eſt quiſquis plus aggreditur quam ſibi Dei verbo conceſſum eſſe novit. Deinde in Chriſti diſcipulis ſuſpecta eſt ambitio: quia de aſſerendo honoris ſui privilegio laborant. Qui fit enim ut hominem incognitum repente ab edendis miraculis depellant, niſi quia hoc jure ſoli volunt potiri? Cauſam enim allegant, quod Chriſtum oon ſequatur. acſi dicerent, Non eſt tuus contubernalis, ut nos: cur ergo bonore æquabitur?

39. *Ne probibeatis.*] Probiberi eum Chriſtus noluit, non quod illi auctor fuiſſet, vel probaret ejus factum, aut etiam probari vellet à diſcipulis: ſed quia ubi per occaſionem glorificatur Deus, ferendum id

Philip. 1. eſt ac gaudendum. Sic Paulus, quamvis illi diſpli-

verſ. 18. ceat eorum cupiditas, qui ſe venditabant Euangelii nomine, gaudet tamen hac occaſione propagari Chriſti gloriam. Notanda autem eſt ratio quæ ſubjicitur, fieri non poſſe ut Chriſto maledicat qui in ejus nomine virtutes edit: ac proinde in lucro deputandum. nam inde ſequitur, niſi magis propriæ gloriæ addicti fuiſſeot diſcipuli quam ſtudioſi ac cupidi promovendæ Magiſtri gloriæ, non ægre fuiſſe laturos quum eam aliunde extolli augerique cernerent. Neque tamen quum pronunciat Chriſtus pro amicis babendos qui palam non ſunt ioimici, liberum curſum temerariis hominibus laxari jubet, ut nobis tacentibus, ſe pro libidioe ſua huc illuc ingerant, totumque perturbenr Eccleſiæ ordinem (talis enim licentia, quoad vocatio noſtra tulerit, cobibenda eſt) tantum recte facere negar qui importune obſiſtunt ne quibusvis mediis propagetur regnum Dei. Nec vero ita ſuos agnoſcit, ut in grege ſuo cenſeat qui medii ſunt inter hoſtes & amicos: ſed intelligit, quatenus non nocent, prodeſſe ac juvare. Eſt enim proverbialis ſententia, qua monemur non movendum eſſe bellum donec ſimus laceſſiti.

51. Luc. *Dum complerentur dies.*] Hanc hiſtoriam ſolus Lucas refert: quæ tamen multis nominibus non parum eſt urilis. nam hic primo divina Chriſti fortitudo & conſtantia in ſpernenda morte deſcribitur: deinde, quam capitales inimicitias generent religionis diſſidia: tertio, quam præcipiti fervore ad impatientiam feratur hominum natura: adbæc, quam proclivis ſit in ſanctorum imitasione lapſus: poſtremo, ad manſuetudinem revocamur Chriſti exemplo. Cæterum mors Chriſti, aſſumptio vocatur, non tantum quia tunc ſublatus eſt è medio, ſed quia humili carnis ergaſtulo egreſſus, in ſublime conſcendit. *Faciem obſirmaverat.* Hoc verbo expreſſit Lucas, quum mors Chriſto eſſet ante oculos, ſubacto ejus metu, ad ipſam obeundam progreſſum eſſe: ſimul tamen luctatum eſſe indicat, ur terroris victor ſe animoſe ad mortem offerret. Nam ſi nulla fuiſſet objecta formido, ſi nulla difficultas, nullum certamen, nulla cura, quorſum attinuit faciem obſirmare? Sed quia nec ſtupidus erat, nec temulenta audacia præditus, crudeli acerbaque morte, imo diro & horribili cruciatu quem ſibi à ſevero Dei judicio inſtare ſciebat, moveri oportuit: adeoque id ejus gloriam non obſcurat vel minuit, ut inſigoe ſit immenſi erga nos amoris ejus documentum: quia poſthabiro ſui reſpectu, ur ſaluti noſtræ ſe addiceret, per medios terrores ad mortem properavit, cujus propinquus dies eum mioime lasebat.

52. *Miſit nuncios.*] Probabile eſt magnam comitum turbam tunc ſecum traxiſſe. neque enim miſſi ſunt nuncii qui lautas epulas inſtruerent, vel deligerent ſplendidum aliquod palatium, ſed tantum qui dicereot adventare magnam hoſpitum copiam. Illi vero excluſi, ac repulſam paſſi, Magiſtrum expectant. Hinc porro diſcimus quod ſecundo loco notavi, quum inter ſe diſſident bomines in religioois doctrina, facile in mutua odia prorumpere. ſignum enim acerrimi odii fuit, eſurientes fraudare victu, & feſſis negare boſpitium. Atqui Samaritanos ita male habet ac urit Judaica religio, ut qui eam ſectantur, nulla bumanitate dignos putent. Angebat etiam forte eos contumeliæ dolor, quod ſcirent templum ſuum, quaſi profanum, deteſtationi eſſe Judæis, ſeque degeneres & adulterinos haberi Dei cultores. Sed quum pertinaciter hæreret ſuperſtitio ſemel recepta, prava æmulatione certarunt uſque ad extremum in ea tuenda. Tandem eouſque exarſit contentio, ut uno incendio utramque gentem perdiderit: nam facem belli Judaici fuiſſe, teſtis eſt Joſephus. Quanquam autem invidiam declinare Chriſto promptum erat, mavult tamen ſe Judæum profiteri, quam obliqua abnegatione boſpitium redimere.

54. *Quum vidiſſent diſcipuli.*] Admonuit forte eos ipſa regio, ut contra impios protinus fulminare cuperent: illic enim quondam Elias igne cæleſti re- 2 Reg. 1.

gios milites dejecerat qui ad eum capiendum miſſi verſ. 10.

fuerant. Venit ergo illis in mentem, ſimili exitio devotos eſſe tunc Samaritas qui tam indigne Filium Dei rejicerent. Hic autem videmus quo nos impellat ſtulta ſanctorum Patrum imitatio. Obtendunt Jacobus & Joannes Eliæ exemplum: ſed non attendunt quantum ab Elia differant: non bene examinant zeli ſui intemperiem: ad Dei vocationem non reſpiciunt. Æqoe ſpecioſo prætextu ſuam idololatriam fucabant Samaritæ, ſicuti habetur Joannis 4. verſ. 20. ſed errabant utrique, quod nullo adhibito delectu, ſimiæ magis quam imitatores ſanctorum Patrum erant. Quanquam autem dubium eſt putentne ſibi in manu eſſe potentiam, an ſibi à Chriſto dari petant:

petant: mihi tamen hoc magis probabile eſt, quod ſtulta fiducia elati, modo annuat Chriſtus, ad exequendam vindictam ſe armatos eſſe non dubiteot.

55. *Neſcitis cujus ſpiritus.*] Hoc reſponſo non modo effrenem impetum Chriſtus in duobus diſcipulis compeſcuit, ſed regulam nobis omnibus præſcripſit ne zelo noſtro indulgeamus. Probe enim ſibi conſcium eſſe oportet quiſquis aliquid aggreditur, quod Spiritum Dei auctorem ducemque habeat, rectoque & puro agatur ejus inſtinctu. Multos impellet zeli fervor: ſed ſi deeſt Spiritus prudentiæ, ebulliunt in ſpumas. ſæpe etiam contingit zelo turbidos carnis affectus permiſtos eſſe: & qui acerrimi videntur gloriæ Dei zelotæ, excæcari privato carnis affectu. Quare niſi zelo noſtro præſit Dei Spiritus, ad excuſationem nihil proderit jactare nihil niſi bono zelo fuiſſe à nobis tentatum. Spiritus autem ipſe conſilio & prudentia nos reget, ne quid præter officium vel citra vocationem, denique niſi prudenter & opportune tentemus: deinde mentes noſtras, abſterſa omni carnis fæce, recto affectu imbuet, ne quid appetamus niſi quod Deus dictaverit. Perſtringit etiam Chriſtus diſcipulos, quod longe à ſpiritu Eliæ remoti, perperam quod ille geſſit, ſibi uſurpent. Nam Elias Dei judicium, quod illi mandatum erat à Spiritu, exequutus eſt: iſti autem non Dei juſſu, ſed carnis impulſu ad vindictam proſiliunt. Quare nihil nobis patrocinantur ſanctorum exempla, niſi idem qui illos direxit Spiritus in nobis habitet.

MATTH. XIX.

3. Et acceſſerunt ad eum Phariſæi, tentantes eum, & dicentes ei, Licetne homini divortium facere cum uxore ſua, qualibet ex cauſa?

4. Qui reſpondens ait eis, Annon legiſtis quod is qui fecit ab initio, maſculum & fœminam fecit eos?

5. Et dixit, Propterea deſeret homo patrem & matrem, & agglutinabitur uxori ſuæ: & erunt duo in carnem unam.

6. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. quod ergo Deus copulavit, homo ne ſeparet.

7. Dicunt illi, Cur ergo Moſes juſſit dare libellum repudii, ac dimittere eam?

8. Ait illis, Moſes ad duritiem cordis veſtri permiſit vobis repudiare uxores veſtras: cæterum ab initio non fuit ſic.

9. Dico autem vobis quod quicunque repudiaverit uxorem ſuam, niſi ob ſtuprum, & aliam duxerit, is committit adulterium: & qui repudiatam duxerit, is adulterium committit.

MARC. X.

2. Et adeuntes Phariſæi, interrogabant illum, Licetne viro uxorem repudiare? tentantes illum.

3. At ipſe reſpondens, dixit illis, Quid vobis præcepit Moſes?

4. Illi autem dixerunt, Moſes permiſit libellum repudii ſcribere, ac dimittere.

5. Et reſpondens Jeſus, dixit illis, Ad duritiem cordis veſtri ſcripſit vobis hoc præceptum.

6. Cæterum ab initio creationis maſculum & fœminam fecit illos Deus.

7. Propter hoc relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ:

8. Et erunt duo in carnem unam. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro.

9. Quod igitur Deus copulavit, homo ne ſeparet.

10. Et in domo rurſum diſcipuli illius eadem de re interrogarunt illum.

11. Et dicit illis, Quicunque repudiaverit uxorem ſuam, & duxerit aliam, adulterium committit in illam.

12. Et ſi mulier repudiaverit virum ſuum, & nupſerit alteri, adulterium committit.

LUC.

Quanquam inſidias Chriſto tendunt Phariſæi, & doloſe eum adoriuntur ut circumveniant, utiliter tamen nobis ceſſit eorum malitia: ſicuti Dominus mirifice in ſuorum utilitatem convertere novit quæcunque ad veræ doctrinæ ſubverſionem machinantur impii. Nam hac occaſione ſoluta fuit quæſtio quam pariebat repudii libertas, & de ſacro ac inſolubili conjugii nexu certa lex tradita. Inde autem arrepta eſt captionis anſa, quia in utramque partem ſecundum ipſos non niſi odioſa eſſe poterat reſponſio. Quærunt an viro liceat repudiare uxorem quavis de cauſa: ſi neget Chriſtus, clamabunt impie Legem ab ipſo abrogari: ſi affirmet, jactabunt potius lenonem eſſe quam Dei Prophetam, qui ſic virorum libidini indulgeat. Hoc quidem animis conceperant: ſed Filius Dei, qui novit ſapientes in aſtutia ſua deprehendere, eos fruſtratus eſt, illicitis repudiis ſevere reſiſtens: & ſimul tamen demonſtrans, nihil ſe niſi Legi conſentaneum proferre. Nam duobus capitibus totam rem concludit: ordinem creationis debere eſſe inſtar legis, ut vir conjugalem fidem tota vita colat: divortia autem eſſe permiſſa, non quod licita ſint, ſed quia cum præfracto & indocili populo negotium erat.

4. *Annon legiſtis.*] Non reſpondet quidem diſerte Chriſtus ad rogatum: ſed propoſitæ quæſtioni plane ſatisfacit. quemadmodum ſiquis nunc de Miſſa interrogatus, ſacræ Cœnæ myſterium fideliter exponat, ac tandem inferat, ſacrilegos eſſe & falſarios qui puræ Domini inſtitutioni quicquam vel addere vel detrahere audent, fictitium Miſſæ ſacrificium palam evertet. Hoc autem axioma ſumit Chriſtus, Ab initio Deus marem adjunxit fœminæ, ut duo efficerent integrum hominem. Ergo qui uxorem repudiat, quaſi dimidiam ſui partem à ſeipſo avellit. Hoc autem minime patitur natura ut corpus ſuum quiſpiam diſcerpat. Alterum argumentum ſubjicit, ductum à minori ad majus: Sanctius eſt conjugii vinculum quam quod filios parentibus aſtringit. Atqui pietas inſolubili nexu filios parentibus obligat. Multo minus ergo poteſt maritus renunciare uxori. Hinc ſequitur, divinum vinculum abrumpi ſi vir ab uxore divortium faciat. Jam vero hic eſt verborum ſenſus, Quod Deus humani generis conditor maſculum & fœminam fecerit, ut quiſque unica uxore contentus alias non appetat. Nam in numero duali inſiſtit: ſicuti & Propheta Malachias cap. 2. verſ. 10. quum adverſus polygamiam invehitur, eandem rationem adducit, quod Deus in quo abundantior erat Spiritus, ut in ejus arbitrio eſſet plures creare, unum tamen fecerit hominem, nempe qualis hic deſcribitur à Chriſto. Ergo ex ordine creationis probatur individua viri unius cum una uxore ſocietas. Siquis objiciat, hoc modo non fore licitum mor-

tua priore uxore inducere alteram: facilis eſt reſponſio, non modo vinculum morte ſolvi, ſed uxorem ſecundam à Deo ſubrogari in locum prioris, quaſi una & eadem eſſet.

5. *Propterea deſeret.*] Dubium eſt Adamne loquentem illic Moſes, an Deum inducat. ſed utrumvis eligas, ad præſentem locum parum intereſt: quia ſatis fuit adducere Dei oraculum, licet ore Adæ prolatum fuerit. Cæterum, non ſimplieiter jubetur qui uxorem ducit, patrem relinquere: quia ſecum ipſe pugnaret Deus ſi conjugio aboleret quam filiis erga parentes pietatem mandat. ſed dum comparatio fit inter officia, patri & matri præfertur uxor. Atqui ſi nuncium quis patri remittat, & jugum excutiat cui alligatus eſt, tale prodigium nemo admittet. Multo igitur minor erit ſolvendi conjugii libertas. *Erunt duo in unam carnem.* Hoc dicto non minus polygamia damnatur quam licentia in repudiandis uxoribus. nam ſi mutua inter duos conjunctio à Domino ſacrata fuit, adulterina eſt permiſtio trium vel quatuor. Sed Chriſtus (ut paulo ante attigi) aliter ad ſuum inſtitutum accommodat, quod ſcilicet laceret ſeipſum quiſquis ab uxore divortium facit: quoniam ea eſt vis ſancti conjugii ut maritus & uxor in unum hominem coaleſcant. Neque enim Chriſti conſilium fuit impuram & ſpurcam Platonis ſpeculationem invehere, ſed reverenter de ordine divinitus poſito diſſeruit. Sic igitur vivant inter ſe maritus & uxor, ut alter alterum foveat non ſecus ac dimidiam ſui partem: ille vero ſic imperet ut caput ſit uxoris, non tyrannus: mulier viciſſim modeſte ad obſequia ſe ſubmittat.

6. *Quod ergo Deus copulavit.*] Hac ſententia frenat Chriſtus virorum libidinem, ne uxores repudiando, ſacrum nodum abrumpant. Quemadmodum autem in viri arbitrio eſſe negat conjugium diſſolvere: ita & aliis omnibus legem edicit ne ſua auctoritate illicita repudia confirment. Abutitur enim ſua poteſtate Magiſtratus qui viro gratiam facit repudiandæ uxoris. Huc tamen proprie ſpectavit Chriſtus, ut quiſque pro ſe datam fidem ſancte colat: & quos libido vel pravus affectus ad repudium ſollicitat, hanc ſibi cogitationem injiciant, Quiſnam es qui divinæ conjunctionis liberam tibi rupturam facias? Cæterum latius quoque extendi poteſt hæc doctrina. Papiſtæ Eccleſiam à Chriſto capite ſuo avulſam nobis fingentes, truncum & mutilum nobis relinquunt corpus: in ſacra Cœna quum Chriſtus panem vino conjunxerit, uſu calicis totam plebem privare auſi ſunt. His diabolicis corruptelis opponere licebit, Quod Deus copulavit, homo ne ſeparet.

7. *Cur ergo Moſes.*] Hanc calumniam meditati fuerant, ſi Chriſtus (quod magis erat probabile) in repudiis legitimam cauſam exigeret. licitum enim videtur quicquid Lege ſua Deus permitit, ſola cujus voluntas ſtatuit boni & mali diſcrimen. Sed Chriſtus apta reſponſione falſam invidiam diluit, quod hoc conceſſerit Moſes eorum pervicaciæ, non autem quaſi licitum probaverit. Sententiam vero ſuam optima ratione confirmat, *Quia non ita fuit ab initio.* Sumit autem pro confeſſo, quum Deus ab initio conjugium inſtituit, perpetuam legem fixiſſe, quæ uſque ad finem vigere debeat. Quod ſi inſtitutio conjugii pro lege inviolabili habenda eſt, ſequitur, quicquid ab ea deflectit, non ex pura ejus natura eſſe, ſed hominum vitio. Quæritur tamen an fas Moſi fuerit permittere quod per ſe malum & vitioſum erat. Reſpondeo, improprie dici permiſſum quod ſevere non vetuit. neque enim legem tulit de repudiis, ut ea ſuo ſuffragio approbaret: ſed quum aliter reſtringi non poſſet hominum improbitas, quod maxime tolerabile erat remedium attulit, ut vir ſaltem uxoris pudicitiæ teſtimonium redderet. Lex enim nonniſi in mulierum favorem lata erat, ne poſtquam injuſte rejectæ erant, dedecus aliquod ſubirent. Unde colligimus inflictam viris potius fuiſſe pœnam, quam venia aut permiſſu accenſam fuiſſe eorum libidinem. Adde, quod à politia & externo ordine multum differt ſpirituale regimen. Quid liceat ac fas ſit, decem verbis complexus eſt Dominus: nunc quia fieri poteſt ut multa non vocentur ad humanum tribunal, de quibus ſua quemque conſcientia arguit ac convincit, non mirum eſt ſi leges politicæ ad illa conniveant. Sumamus familiare exemplum, Litigandi major nobis per leges fit libertas quam ferat charitatis regula. Cur iſtud? quia ſingulis jus reddi nequit, niſi aperta ſit petendi janua: interim lex Dei interior ſequendum eſſe pronunciat quod dictabit charitas. Neque tamen eſt cur hinc Magiſtratus ignaviæ ſuæ excuſationem captent, ſi ſponte ceſſent à corrigendis vitiis, vel omittant quæ poſtulabat officii ratio. Sed videant privati homines ne ſua vitia, legum patrocinio tegentes, culpam eorum duplicent. Nam hic Dominus oblique Judæos increpat, quaſi ipſis non ſufficiat impune ſuam proterviam tolerari, niſi Deum iniquitatis ſuæ auctorem inſcribant. Quod ſi ex legibus politicis non ſemper nec ubique petenda eſt ſancte pieque vivendi regula, multo minus ex conſuetudine.

9. *Dico autem vobis.*] Marcus hoc ſeorſum diſcipulis fuiſſe dictum refert, quum domum veniſſent: Matthæus autem, omiſſa hac circumſtantia, ſermonem contexit: ut ſæpe Evangeliſtæ medium aliquid relinquunt, quia ſatis habent rerum ſummas colligere. Nihil ergo diſcriminis eſt niſi quod alter altero diſtinctius rem exponit. Summa autem eſt, Quamvis Lex divortia non puniat quæ à prima Dei inſtitutione diſſident, adulterum tamen eſſe qui rejecta uxore alteram ſibi accipit. Neque enim eſt in hominis arbitrio, conjugii fidem ſolvere quam Dominus ratam manere vult. itaque pellex eſt quæ legitimæ uxoris torum occupat. Additur autem exceptio, quia mulier ſcortando, ſe quaſi putridum membrum à viro reſcindens, eum liberat. Qui alias cauſas excogitant, quia ſupra magiſtrum cæleſtem ſapere volunt, merito ſunt repudiandi. Elephantiaſin volunt juſtam repudii cauſam eſſe, quia morbi contagio non modo ad maritum, ſed & ad liberos perveniat. Ego autem ſicuti pio viro conſulo ut elephantiacam uxorem non attingat, ita ejus repudiandæ licentiam non permitto. Siquis objiciat, opus habere remedio qui cælibes vivere nequeunt, ne urantur: dico remedium non eſſe quod extra Dei verbum quæritur. addo etiam, nunquam illis defore continentiæ donum ſi Domino ſe regendos tradant: quia ſequuntur quod ille præſcripſit. Obrepet alicui uxoris faſtidium, ut congredi cum ea non ſuſtineat: an huic malo polygamia medebitur? Alterius uxor in paralyſin vel apoplexiam incidet, vel alio incurabili morbo laborabit: an maritus incontinentiæ prætextu illam rejiciet? Atqui ſcimus Spiritus auxilio nunquam deſtitui qui in viis ſuis ambulant. Scortationis vitandæ cauſa, inquit Paulus, quiſque uxo- 1 Cor. 7.
rem ducat. Hoc qui fecit, licet non ſuccedat ex voto, verſ. 2.
ſuis partibus defunctus eſt. Ergo ſiquid deſit, Dei ſubſidio farcietur. Ultra progredi, nihil aliud eſt quam Deum tentare. Quod autem alteram cauſam notat Paulus, nempe ubi pietatis odio conjuges ab 1 Cor. 7.
incredulis rejici contingit, non eſſe pium fratrem v. 12, 15.
vel ſororem tunc ſervituti obnoxium, à Chriſti mente diverſum non eſt. neque enim illic de juſta repudii cauſa diſſerit, ſed tantum an viro incredulo obſtricta maneat mulier poſtquam Dei odio impie rejecta, non aliter redire in gratiam poteſt quam ſi Deum abneget. Quare nihil mirum ſi Paulus alienationi à Deo, diſſidium cum homine mortali præferat. Videtur tamen ſupervacua eſſe quam ponit Chriſtus exceptio. Nam ſi capitale ſupplicium meretur adultera, quorſum attinet de repudio loqui?

Sed

Sed quia mariti erat uxoris adulterium judicio perſequi, ut domum flagitio purgaret: qualis qualis fuerit eventus, maritum qui uxorem impudicitiæ convincit, abſolvit Chriſtus à vinculo. & fieri poteſt ut in corrupto & degenere populo hujus quoque ſceleris magna regnaverit impunitas. Sicuti hodie perverſa Magiſtratuum indulgentia facit ut neceſſe habeant viri impuras uxores rejicere, quia de adulteris pœnà non ſumitur. Notandum autem eſt, commune ac mutuum eſſe jus utriuſque partis, ſicuti mutua & par eſt fidei obligatio. nam quum aliis in rebus primatum vir teneat, quoad torum uxori æquatur: non enim eſt dominus corporis ſui. Ergo quum adulter à conjugio defecerit, parta eſt uxori libertas. *Qui repudiatam duxerit.* Hoc membrum peſſime expoſitum fuit à multis interpretibus: generaliter enim & confuſe putarunt cælibatum præcipi quoties divortium factum fuerit. ita ſi maritus adulteram rejiceret, utrique injecta eſt cælibatus neceſſitas. Quaſi vero ſit hæc repudii libertas, tantum ab uxore ſecubare: quaſi etiam Chriſtus non clare in hac cauſa fieri permittat quod promiſcue ſibi Judæi pro ſuo arbitrio uſurpare ſoliti erant. Fuit ergo ille nimis craſſus error: nam quum adulterii damnat Chriſtus qui repudiatam uxorem duxerit, reſtringi hoc ad illicita & frivola divortia certum eſt. ideo Paulus manere innuptas jubet quæ ſic dimiſſæ fuerint, aut viris ſuis reconciliari: quia ſcilicet rixis & diſſidiis non aboletur conjugium. Idque elicitur ex Marco, ubi nominatim exprimitur uxor quæ à marito diſceſſerit. non quod liberum fuerit uxoribus dare maritis repudii libellum, niſi quatenus in exteros mores prolapſi erant Judæi: ſed notare voluit Marcus, corruptelam quæ tunc paſſim trita erat, reprehendi à Domino, quod poſt voluntaria divortia utrimque ad novum conjugium tranſibant. ideo adulterii nulla fit apud eum mentio.

1 Cor. 7. verſ. 11.

MATTH. XIX. | MARC. | LUC.

10. Dicunt ei diſcipuli, Si ita habet cauſa hominis cum uxore, non expedit matrimonium contrahere.

11. Qui dixit illis, Non omnes capaces ſunt hujus dicti, ſed quibus datum eſt.

12. Sunt enim eunuchi qui de matris utero ſic nati ſunt: & ſunt eunuchi qui facti ſunt eunuchi ab hominibus: & ſunt eunuchi qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cælorum. Qui poteſt capere, capiat.

Perinde acſi iniqua virorum conditio futura ſit, ſi ita alligati ſint uxoribus, ut quamdiu pudicæ fuerint, cogantur reliqua perferre potius quam ab illis diſcedant: hoc Chriſti reſponſo commoti diſcipuli, excipiunt, melius eſſe carere uxoribus quam induere talem laqueum. Sed cur non viciſſim expendunt quam dura ſit uxorum ſervitus, niſi quia ſibi & propriis commodis addictos impellit carnis ſenſus, ut aliis neglectis tantum ſibi bene conſultum eſſe cupiant? Interim ſe prodit impia ingratitudo, quod incommodi unius metu, vel tædio, ſingulare Dei donum reſpuunt. Satius eſt, ſecundum eos, conjugium effugere quam ſe aſtringere perpetuæ ſocietatis vinculo. Atqui ſi conjugium inſtituit Deus in communem humani generis ſalutem, licet quædam minus grata ſecum trahat, non ideo protinus ſpernendum eſt. Diſcamus ergo, ſiquid in Dei beneficiis nobis non arridet, non tam lauti eſſe ac moroſi quin reverenter illis utamur. Præſertim nobis in ſancto conjugio cavenda eſt hæc pravitas. nam quia multis moleſtiis implicitum eſt, ſemper conatus eſt Satan odio & infamia gravare, ut homines ab eo ſubduceret. Et Hieronymus nimis luculentum maligni perverſique ingenii ſpecimen in eo edidit, quod non tantum calumniis exagitat ſacrum illum & divinum vitæ ordinem, ſed quaſcunque poteſt ex profanis auctoribus *[illegible]* accumulat quæ ejus honeſtatem deforment. Nobis autem in mentem veniat, quæcunque in conjugio moleſta ſunt, accidentalia eſſe: quia proveniunt ex hominis vitio. Deinde meminerimus, quia poſt corruptam naturam medicina eſſe cœpit, non mirum eſſe ſi dulcedini permiſtum habeat amarum ſaporem. Sed videndum eſt quomodo hanc ſtultitiam refellat Dominus. Omnes hujus dicti capaces eſſe negans, ſignificat electionem non eſſe poſitam in manu noſtra, acſi de re nobis ſubjecta eſſet conſultatio. Siquis utile ſibi eſſe putat uxore carere, atque ita nullo examine habito cælibatus legem ſibi edicit, longe fallitur. Deus enim, qui pronunciavit bonum eſſe ut viro adjutrix ſit mulier, contempti ſui ordinis pœnam exiget: quia nimium ſibi arrogant mortales, dum ſe à cæleſti vocatione eximere tentant. Porro, non eſſe omnibus liberum eligere utrum libuerit, inde probat Chriſtus, quia ſpeciale ſit continentiæ donum. nam quum dicit non omnes eſſe capaces, ſed quibus datum eſt, clare demonſtrat non omnibus eſſe datum. Unde convincitur eorum ſuperbia qui ſibi arrogare non dubitant quod tam clare Chriſtus adimit.

12. *Sunt enim eunuchi.*] Tria eunuchorum genera ponit Chriſtus. Qui natura ſunt ſpadones, vel qui ab hominibus caſtrati, eos à conjugio arcet defectus: quia viri non ſunt. Alios dicit eſſe eunuchos qui ſe caſtraverunt ut ſe liberius Deo impendant. hos immunes facit à neceſſitate conjugii. Unde ſequitur alios omnes qui à conjugio abhorrent, ſacrilega audacia (Gigantum more) cum Deo pugnare. *Eunuchi.* Quod Papiſtæ urgent Caſtrandi vocem, quaſi ſuo arbitrio continentiæ legem homines imponant, nimis frigidum eſt. *Caſtratio.* Prius enim teſtatus eſt Chriſtus, Deum hoc quibus viſum eſt dare. Et paulo poſt iterum aſſeret temere cælibatum eligi ubi quis ſpeciali dono præditus non eſt. Quare hæc caſtratio non libero arbitrio ſubjicitur: ſed ſimplex ſenſus eſt, Quum natura apti ſint quidam ad conjugium, licet abſtineant, non tamen Deum tentare, quia Deus immunitatem illis concedit. *Propter regnum cælorum.* Inſulſe exponunt multi, Ad promerendam æternam vitam: quaſi cælibatus meritorium in ſe aliquem cultum contineat, ſicuti Papiſtæ fingunt ſtatum eſſe Angelicum. Atqui nihil aliud voluit Chriſtus quam cælibes hunc finem debere ſibi habere propoſitum, ut curis omnibus ſoluti ſeſe alacrius ad pietatis officia accingant. Stulta igitur imaginatio eſt, cælibatum eſſe virtutem: quia non magis quam jejunium per ſe Deo placet, nec inter obſequia quæ à nobis requirit, cenſeri meretur: ſed in alium finem ſpectare debet. imo nominatim exprimere voluit Chriſtus, licet quiſpiam à ſcortatione purus ſit, non tamen ejus cælibatum probari Deo, ſi tantum otio ſuo & deliciis proſpicit: ſed tantum hoc nomine excuſari ſi ad liberam & ſolutam cæleſtis vitæ meditationem aſpirat. In ſumma, docet Chriſtus non ſatis eſſe ſi caſte vivant cælibes, niſi conſulto ab uxoribus abſtineant quo ſe expediant ad meliora officia. *Qui poteſt capere, capiat.* Hac clauſula admonet Chriſtus minime ſpernendum eſſe conjugii uſum, niſi cæca temeritate nos in exitium præcipites dare velimus. nam diſcipulis, quos videbat

ſine judicio ruere, manum injicere oportuit. Cæterum utilis omnibus admonitio eſt, quia in eligendo vitæ genere pauci quid ſibi datum ſit reputant, ſed proſiliunt ſine delectu quocunque eos tulit inconſideratus fervor: atque utinam fuiſſet olim audita. Sed neſcio quibus Satanæ faſcinis obſtructæ fuerunt aures, ut reluctante natura, quaſi invito Deo, laqueum perpetui cælibatus ſibi induerint quos ad conjugium Deus vocabat. Poſtea exitiali voti laqueo conſtrictæ ſunt miſeræ animæ, ut à fovea nunquam emergerent.

MATTH. XIX.

13. Tunc oblati ſunt ei pueri, ut manus eis imponeret, ac oraret: diſcipuli autem increpabant eos.

14. Jeſus vero ait eis, Sinite pueros, & ne prohibeatis eos ad me venire: talium eſt enim regnum cælorum.

15. Et quum impoſuiſſet illis manus, abiit illinc.

MARC. X.

13. Et attulerunt ad illum pueros, ut tangeret eos: diſcipuli vero increpabant eos qui offerebant.

14. Jeſus autem quum vidiſſet, indignatus eſt, dixitque eis, Sinite pueros venire ad me, nec prohibete illos: talium enim eſt regnum cælorum.

15. Amen dico vobis, quicunque non acceperit regnum Dei tanquam puer, non ingredietur in illud.

16. Et quum cepiſſet eos in ulnas, impoſitis ſuper eos manibus, benedixit illis.

LUC. XVIII.

15. Offerebant autem ei etiam infantes, ut eos tangeret: quod quum viderent diſcipuli, increpabant illos.

16. Jeſus autem, quum illos ad ſe vocaſſet, dixit, Sinite pueros venire ad me, & ne prohibete eos: talium eſt enim regnum Dei.

17. Amen dico vobis, quicunque non acceperit regnum Dei veluti puer, non intrabit in illud.

Hæc hiſtoria valde utilis eſt: quia docet non eos ſolum recipi à Chriſto qui ſancti deſiderii fideique impulſu ſponte ad eum accedunt, ſed quibus nondum per ætatem ſentire licet quantopere indigeant ejus gratia. Nihil adhuc intelligentiæ eſt in puerulis iſtis ut benedictionem expetant: eos tamen ſibi oblatos humaniter & benigne recipit, ſolennique benedictionis ritu eoſdem Patri conſecrat. Porro eorum qui pueros offerunt conſilium obſervare convenit. niſi enim infixa fuiſſet eorum mentibus perſuaſio, depoſitam eſſe Spiritus virtutem penes ipſum, quam in populum Dei effunderet, abſurdum fuiſſet pueros offerre. Quare non dubium eſt quin participationem gratiæ illis poſtulent. ideo amplificandi cauſa apud Lucam additur particula *Etiam*: acſi dixiſſet, Poſtquam experti fuerant quam variis modis adultos juvaret, ſpem quoque de pueris cepiſſe, non prorſus vacuos omnibus Spiritus donis abituros ſi manus eis imponeret. Porro manuum impoſitio (ut alibi diximus) vetus & celebre apud Judæos benedicendi ſymbolum erat: ideo nihil mirum ſi Chriſtum pro pueris adhibita illa ſolenni ceremonia precari cupiant. interea tamen quum præſtantior minoribus benedicat, jus & honorem ſummi
Hebr. 7. verſ. 7. Prophetæ ei tribuunt.

13. *Diſcipuli autem increpabant.*] Si impoſitum ejus capiti fuiſſet diadema, libenter nec ſine plauſu excepiſſent: quia proprium ejus munus nondum tenebant. Nunc vero indignum ejus perſona eſſe ducunt, pueros admittere. nec colore error carebat: quid enim cum infantibus negotii ſummo Prophetæ ac Dei Filio? Sed hinc diſcimus perverſos eſſe judices, qui ex carnis ſuæ ſenſu æſtimant Chriſtum: ſubinde enim fit ut ſpolient eum propriis dotibus; & rurſus quæ in eum minime competunt, ſub ſpecie
Superſtitionum congeries. honoris affingant. Hinc nata eſt immenſa ſuperſtitionum congeries quæ fictitium Chriſtum mundo induxit. Quare diſcamus non aliter de ipſo ſentire quam ipſe docet, nec aliam illi induere perſonam quam à Patre fuit impoſita. Videmus quid in Papatu contigerit: magnum ſe Chriſto honorem deferre putarunt ſi coram panis fruſtulo ſe proſternerent. fœtida coram Deo abominatio. Rurſus quia non ſatis honorificum ei putabant eſſe Advocati obire pro nobis munus, innumeros ſibi patronos crearunt. atqui hoc modo ereptus illi fuit Mediatoris honor.

14. *Sinite pueros.*] Teſtatur ſe velle pueros admittere: & tandem in ulnas receptos non modo complectitur, ſed manuum impoſitione benedicit. Unde colligimus ad hanc quoque ætatem extendi ejus gratiam. nec mirum: nam quum totum genus Adæ ſub mortis reatu concluſum ſit, omnes à minimo uſque ad maximum perire neceſſe eſt, niſi quos eripit unus Redemptor. Arcere vero à redemptionis gratia ætatem illam, nimis crudele foret. itaque hunc clypeum Anabaptiſtis non temere opponimus. Infantibus Baptiſmum negant, quia non ſint ejus myſterii capaces quod illic ſignatur. Nos contra excipimus, quum gratuitæ peccatorum remiſſionis, ſimulque divinæ adoptionis pignus ac figura ſit Baptiſmus, infantibus minime negandum eſſe, quos Deus adoptat, & Filii ſui ſanguine abluit. Quod pœnitentiam vitæque novitatem ſimul illic figurari objiciunt: facilis ſolutio eſt, renovari Dei Spiritu pro ætatis modulo, *Fides actualis.*
donec per gradus ſuo tempore quæ in illis occulta eſt virtus augeſcat, & palam refulgeat. Quod autem non aliter reconciliari nos Deo, & adoptionis hæredes fieri contendunt quam fide, hoc de adultis fatemur: ſed quod ad infantes attinet, falſum eſſe convincit hic locus. Certe non luſorium nec inane ſymbolum erat manuum impoſitio, nec fruſtra preces in aërem Chriſtus effudit: ſolenniter autem offerre Deo non potuit quin puritate donaret. Quid vero illis precatus eſt, niſi ut reciperentur inter Dei filios? unde ſequitur regenitos Spiritu fuiſſe in ſpem ſalutis. Ipſe denique amplexus teſtis fuit cenſeri ipſos à Chriſto in ſuo grege. Quod ſi donorum ſpiritualium quæ figurat Baptiſmus, compotes fuerunt, externo ſigno privari abſurdum eſt. Sacrilega vero audacia eſt, abigere procul ab ovili Chriſti quos ipſe in ſinu ſuo fovet, & quaſi extraneos clauſa janua rejicere quos prohiberi non vult. *Talium eſt enim.* Hac voce tam parvulos quam eorum ſimiles comprehendit. Inſulſe enim Anabaptiſtæ pueros excludunt, à quibus initium fieri debebat. Sed interim ſumpta ex re præſenti occaſione, hortari ſuos voluit, ut malitia & faſtu exinaniti puerilem naturam induerent. Ideo apud Marcum & Lucam, additur, neminem in regnum cælorum poſſe ingredi, niſi qui puero ſit conformis. Sed notanda eſt Pauli admonitio, ne ſimus *1 Cor. 14. verſ. 20.*
pueri ſenſu, ſed malitia.

MATTH. XIX.

16. Et ecce unus accedens ait illi, Magiſter bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam?

17. Qui dixit ei, Cur me vocas bonum? nullus eſt bonus niſi unus Deus. quod ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.

18. Dicit illi, Quæ? Jeſus autem dixit, Non facies homicidium. Non committes adulterium. Non facies furtum. Non falſum dices teſtimonium.

19. Honora patrem & matrem. Et, Diliges proximum tuum ut teipſum.

20. Dicit illi adoleſcens, Omnia hæc ſervavi à juventute mea: quid adhuc mihi deeſt?

21. Ait illi Jeſus, Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni, ſequere me.

22. Quum audiſſet autem adoleſcens eum ſermonem, abiit triſtis: erat enim habens poſſeſſiones multas.

MARC. X.

17. Et quum exiret in viam, accurrit quidam: & quum genua flexiſſet, interrogavit eum, Præceptor bone, quid faciam ut vitam æternam poſſideam?

18. Jeſus autem dixit illi, Cur me dicis bonum? nemo bonus niſi unus Deus.

19. Præcepta noſti: Ne committas adulterium. Ne occidas. Ne fureris. Ne falſum teſtimonium dicas. Ne fraudes. Honora patrem tuum & matrem.

20. At ille reſpondens, dixit ei, Præceptor, hæc omnia ſervavi ab adoleſcentia mea.

21. Jeſus autem intuitus eum, dilexit ipſum, & dixit illi, Unum tibi deeſt: abi, quæcunque habes vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni, ſequere me, ſublata in humeros cruce.

22. Ille vero moleſtia affectus propter ſermonem, abiit mœrens: habebat enim poſſeſſiones multas.

LUC. XVIII.

18. Et interrogavit eum quidam princeps, dicens, Magiſter bone, quid faciam ut conſequar vitam æternam?

19. Dixit autem ei Jeſus, Quid me dicis bonum? nemo bonus niſi unus Deus.

20. Præcepta noſti: Non committes adulterium. Non occides. Non facies furtum. Non falſum teſtimonium dices. Honora patrem tuum & matrem tuam.

21. At ille dixit, Hæc omnia ſervavi à juventute mea.

22. Quo audito Jeſus ait illi, Adhuc unum tibi deeſt: omnia quæcunque habes, vende, & diſtribue pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni, ſequere me.

23. His ille auditis, mœrore affectus eſt: quia dives erat valde.

---

16. *Ecce unus accedens.*] Lucas principem, hoc eſt, primariæ auctoritatis virum fuiſſe dicit, non unum quemlibet è vulgo. Quanquam vero honorem conciliant divitiæ, videtur tamen gravis & boni viri exiſtimatio illi tribui. Et ego quidem, expenſis omnibus circumſtantiis, non dubito, quamvis adoleſcens vocetur, fuiſſe tamen ex eorum ordine qui frugi & caſta vita antiquam integritatem colebant. Venit autem non inſidioſe (ut Scribis mos erat) ſed diſcendi animo: itaque tam verbis quam genuflexione Chriſtum ſe ut fidum doctorem revereri teſtatur. Sed rurſus obſtabat cæca operum confidentia, ne proficeret ſub Chriſto, cui ſe alioqui docilem præbere optabat. Sic hodie videmus quoſdam non male affectos, quia tamen umbratili neſcio qua ſanctitate occupati ſunt, Euangelii doctrinam ægre guſtare. Porro, ut de ſtatu reſponſionis melius fiat judicium, notanda eſt quæſtionis forma. Non ſimpliciter rogat quomodo & qua via perveniet ad vitam, ſed quid boni faciendo eam acquiret. Merita igitur ſomniat, quibus vita æterna reddatur quaſi debita compenſatio. quare appoſite Chriſtus ad Legis obſervationem eum amandat, quam certum eſt eſſe viam vitæ, ut mox plenius diſſeram.

17. *Cur me vocas bonum?*] Hanc correctionem non tam ſubtiliter accipio ut bona pars interpretum, quaſi ſuam Deitatem inſinuet Chriſtus. tantundem enim valere putant hæc verba acſi dixiſſet, Si in me nihil altius agnoſcis natura humana, falſo elogium boni, quod convenit ſoli Deo, in me transfers. Equidem fateor, homines (proprie loquendo) minime tam honorifico titulo dignos eſſe, ac ne Angelos quidem: quia nec bonitatis guttam à ſe habent, ſed à Deo mutuantur: deinde, quia in illis tantum inchoata eſt bonitas, non perfecta. Sed Chriſti non aliud conſilium fuit quam fidem ſuæ doctrinæ aſſerere. acſi dixiſſet, Tu me falſo bonum vocas magiſtrum, niſi à Deo profectum agnoſcis. Ergo non hic aſſeritur Deitatis eſſentia, ſed ad fidem doctrinæ habendam deducitur juvenis. Jam quidem aliquo obediendi affectu imbutus erat: ſed eum vult Chriſtus altius conſcendere, ut Deum loquentem audiat. Nam (ut eſt mos hominum ex diabolis plerumque facere Angelos) promiſcue bonos doctores appellant in quibus nihil ſentiunt divinum. ſunt autem iſtæ donorum Dei profanationes. non mirum ergo ſi Chriſtus, ut doctrinæ ſuæ auctoritatem conciliet, juvenem ad Deum revocat *Serva mandata.* Locum hunc perperam interpretati ſont quidam ex veteribus (quos Papiſtæ ſequuti ſunt) acſi doceret Chriſtus Legis obſervatione poſſe nos vitam æternam promereri. Atqui non reſpexit Chriſtus quid poſſint homines, ſed ad propoſitam quæſtionem reſpondit, quænam ſit operum juſtitia: nempe quam Lex definit. Et certe ſic habendum eſt, Deum Lege ſua complexum eſſe ſancte juſteque vivendi rationem, qua juſtitia continetur. neque enim fruſtra hanc ſententiam protulit Moſes, Qui fecerit hæc, vivet in ipſis. Item, Conteſtor cælum & terram, quod hodie vobis oſtenderim vitam. Negandum ergo non eſt quin Legis obſervatio juſtitia ſit, qua vitam ſibi acquireret ſiquis perfectus eſſet Legis obſervator. Sed quia deſtituimur omnes gloria Dei, in Lege nonniſi maledictio reperietur: nec aliud nobis reſtat quam confugere ad gratuitum juſtitiæ donum. Itaque Paulus duplicem ſtatuit juſtitiam, Legis & fidei: priorem in operibus locat, ſecundam vero in mera Chriſti gratia. Unde colligimus Legale eſſe hoc Chriſti reſponſum: quia juvenem de operum juſtitia quærentem prius doceri oportuit, neminem coram Deo cenſeri juſtum niſi qui Legi ſatisfecerit (quod impoſſibile eſt) ut infirmitatis ſuæ convictus, ad fidei ſubſidium ſe

conferret. Fateor ergo, quia mercedem vitæ æternæ Deus Legis ſuæ obſervatoribus promiſit, niſi obſtaret carnis noſtræ infirmitas, hanc viam tenendam eſſe: ſed noſtro vitio fieri Scriptura docet ut neceſſe ſit nobis donari quod meritis non conſequimur. Siquis objiciat, fruſtra nobis proponi juſtitiam in Lege, cujus nemo unquam fieri compos poterit: reſpondeo, quia rudimentum eſt quo perducimur ad precariam juſtitiam, minime ſupervacuum eſſe. Ideo Paulus, ubi dixit factores Legis juſtificari, à Legis juſtitia omnes excludit. Porro hic locus figmenta omnia abolet quæ ſibi ad ſalutem acquirendam Papiſtæ fabricarunt. neque enim in eo tantum falluntur quod bonis operibus Deum obſtringere ſibi volunt ut ſalutem quaſi debitam rependat: ſed dum ſe ad bene agendum accingunt, poſthabita Legis doctrina, præcipue fictis quas vocant devotionibus ſunt intenti: non quod palam repudient Dei Legem, ſed quia humanas traditiones longe præferunt. Quid autem Chriſtus? nempe hunc ſolum Deo probari cultum quem ipſe præſcripſit: quia obedientia potior illi eſt omnibus victimis. Ergo, quiſquis ad Chriſti obſequium vitam componere ſtudet, dum ſe Papiſtæ in frivolis traditionibus occupant, ſtudium ſuum ſervandis Legis mandatis totum impendat.

18. *Non facies homicidium.*] Mirum eſt, quum toti Legi Chriſtus nos voluerit eſſe addictos, tantum ſecundam tabulam ab eo attingi: ſed hoc ideo factum eſt quia ex officiis charitatis melius perſpicitur qualis ſit cujuſque animus. Pietas quidem erga Deum ſuperior eſt: ſed quia hypocritæ prioris tabulæ obſervationem ſæpe ſimulant, ad examen habendum aptior eſt ſecunda tabula. Sciamus ergo præcepta à Chriſto delecta eſſe in quibus veræ juſtitiæ teſtimonium extat: per ſynecdochen tamen ſub parte totum deſignat. Quod præceptum de colendis parentibus ultimo loco poſuit, in eo nihil eſt momenti: quia exacti ordinis curam minime habuit. Interim notatu dignum, ſecundæ tabulæ adſcribi: ne quem decipiat Joſephi error, qui ad priorem tabulam putavit ſpectare. Quod tandem in fine additur, Diliges proximum: nihil à prioribus mandatis diverſum continet, ſed generalis eſt omnium expoſitio.

20. *Dicit illi adoleſcens.*] Legem illi fuiſſe mortuam oportet, quum ſe adeo juſtum ſomniaret: niſi enim per hypocriſin ſibi blanditus eſſet, optima ad diſcendam humilitatem admonitio erat, ſuas maculas & ſordes in Legis ſpeculo cernere. Verum ſtulta fiducia ebrius, ſecure jactat probe ſe à pueritia defunctum fuiſſe officio. Idem ſibi contigiſſe fatetur Paulus, quod ſe vivere perſuaſus fuerit quamdiu eum latebat Legis vigor: ſed poſtquam ſenſit quid Lex valeret, vulnus inde lethale ſibi fuiſſe inflictum. Ideo reſponſio Chriſti quæ ſequitur, ad hominis ingenium directa fuit. Neque tamen quicquam ab eo Chriſtus exigit præter Legis mandata: ſed quia ſimplex recitatio eum nihil moverat, aliis verbis occultum avaritiæ morbum detegit. Fateor nuſquam in Lege præcipi ut omnia vendamus: ſed quum Legis finis ſit homines ad ſui abnegationem deducere, & expreſſe concupiſcentiam damnet, videmus Chriſtum non alio ſpectaſſe quam ut falſam juvenis perſuaſionem corrigeret. Nam ſi penitus ſibi fuiſſet notus, audita Legis mentione ſe Dei judicio obnoxium confeſſus foret. nunc quia nuda Legis verba eum reatus ſui non ſatis convincunt, interior ſenſus aliis verbis exprimitur. Nam ſi quicquam nunc præter Legis mandata exigeret Chriſtus, ſecum ipſe pugnaret. Nuper Legis mandatis perfectam juſtitiam comprehendi docuit: quomodo igitur conveniet Legem defectus argui? Adde quod falſa eſſet quam prius citavi Moſis conteſtatio. Ergo Chriſtus non unum præter Legis obſervationem juveni deeſſe intelligit, ſed in ipſa Legis obſervatione. Quanquam enim nuſquam ad omnia vendenda nos Lex cogat; quia tamen vitioſas omnes concupiſcentias in nihilum redigit, quia ad crucis tolerantiam erudit, quia vult ad eſuriem & penuriam nos eſſe paratos: longe aberrat juvenis à plena ejus obſervatione, quamdiu affixus ſuis divitiis concupiſcentia flagrabat. Ac unum deeſſe dicit, quia de ſcortatione & homicidio concionari neceſſe non habet, ſed peculiarem morbum perſtringere, acſi ulcus digito attingeret. Notandum vero quod non ſolum vendere jubet, ſed dare pauperibus: quia divitias abjicere, per ſe virtus non eſſet, ſed vana potius ambitio. Laudatur à profanis hiſtoricis Crates Thebanus, quod pecuniam & quicquid habebat pretioſum, in mare projecerit: quia niſi perditis opibus ſe fore ſalvum non putabat. Quaſi vero non ſatius fuiſſet, quod ſibi ducebat eſſe ſuperfluum, in alios erogare. Certe quum charitas vinculum ſit perfectionis, qui ſecum alios pecuniæ uſu fraudat, nihil laudis meretur. Itaque non ſimpliciter laudatur à Chriſto venditio, ſed liberalitas in juvandis pauperibus. Carnis etiam mortificationem magis urget Chriſtus, quum dicit, *Sequere me.* Non enim tantum nomen dare jubet, ſed ferendæ cruci humeros ſubjicere: ut nominatim exponit Marcus. Et hoc ſtimulo fuit pungendus: quia quum domi in umbra & otio commode agere ſolitus eſſet, nunquam vel minimo guſtu conceperat quid eſſet veterem hominem crucifigere, & domare carnis cupiditates. Cæterum nimis ridiculi ſunt Monachi, dum hujus loci prætextu ſtatum perfectionis ſibi arrogant. Primo colligere facile eſt, non omnibus ſine delectu hoc mandari ut vendant omnia. peccaret enim agricola, qui labore ſuo victitare aſſuetus, liberoſque ſuos alere, prædiolum venderet nulla neceſſitate coactus. Retinere ergo quod in manum noſtram poſuit Deus, ſi modo parce & frugaliter nos & familiam alentes, partem aliquam pauperibus erogemus, majoris virtutis eſt quam omnia dilapidare. Sed quænam eſt præclara iſta venditio qua ſe venditant Monachi? quum domi pabulum non inveniat bona pars, in monaſteria, quaſi bene refertas haras, ſe demergit. Sibi quidem omnes ſedulo cavent ut ignavi alieno pane ſaginentur. Egregia ſcilicet permutatio, dum pauperibus erogare juſſi quod juſte poſſident, ſuo non contenti, aliena rapiunt.

21. Marc. *Intuitus eum Jeſus, dilexit.*] Quod hinc colligunt Papiſtæ, opera moraliter bona (quæ non fiunt Spiritus inſtinctu, ſed regenerationem præcedunt) de congruo mereri, nimis puerile commentum eſt. Nam ſi ex amore Dei infertur meritum, ranas & pulices dicemus mereri, quia Deus ſine exceptione creaturas omnes amore proſequitur. Diſtinguere ergo amoris gradus operæpretium eſt. Quod ad præſentem locum attinet, breviter tenere ſufficiat, Deum nonniſi filios ſuos quos Spiritu adoptionis regenuit, paterno amore complecti: atque hac dilectione fieri ut coram ejus tribunali probentur. Secundum hunc ſenſum, diligi à Deo, & coram eo juſtificari, ſynonyma ſunt. Interdum vero Deus quos non probat nec juſtificat, amare dicitur. nam quia illi grata eſt humani generis conſervatio (quæ juſtitia, æquitate, moderatione, prudentia, fide, temperantia conſtat) politicas virtutes amare dicitur: non quod ſalutis vel gratiæ meritoriæ ſint, ſed quia ad finem ſpectant illi probatum. Hoc ſenſu ſecundum diverſos reſpectus Ariſtidem & Fabricium amavit, & odio habuit. nam quatenus eos juſtitia externa ornaverat, idque in bonum commune, opus in illis ſuum amavit. Quia tamen impurum cor erat, nihil ad comparandam juſtitiam illis profuit externa juſtitiæ ſpecies. ſcimus enim ſola fide purgari corda, & Spiritum rectitudinis ſolis Chriſti membris dari. Ita ſolvitur quæſtio, qui fieri potuerit ut Chriſtus hominem ſuperbum & hypocritam diligeret, quum

Meritum de congruo.

his

his duobus vitiis nihil odioſius ſit Deo. neque enim abſurdum eſt, bonum ſemen quod indidit Deus quibuſdam naturis, ab ipſo diligi, ut tamen & perſonas & opera propter corruptelam rejiciat.

22. Matth. *Abiit triſtis.*] Exitus tandem oſtendit quam procul ab ea perfectione abeſſet juvenis ad quam eum Chriſtus vocabat. qui fit enim ut ſe à Chriſti ſchola ſubducat, niſi quia moleſtum eſt divitiis ſpoliari? Atqui niſi ad pauperiem ferendam parati ſimus, concupiſcentiam in nobis regnare palam eſt. Atque id eſt quod principio dixi: quod Chriſtus juſſit vendere omnia, non fuiſſe additamentum ad Legem, ſed probationem latentis vitii. nam ut hoc vel illo vitio quiſque magis laborat, ita ejus reprehenſione in lucem maxime protrahitur. Porro hoc exemplum admonet, ut conſtanter perſtemus in Chriſti ſchola, carni renunciandum eſſe. Diſceſſit à Chriſto hic juvenis qui & diſcendi ſtudium & modeſtiam attulerat, quia durum fuit familiari vitio valedicere. Idem & nobis continget niſi gratiæ Chriſti dulcedo nobis inſipidas reddat omnes carnis illecebras. Fueritne temporalis hæc tentatio, ut poſtea reſipuerit juvenis, neſcitur. probabilis tamen conjectura eſt, avaritia ſua fuiſſe abſtractum, nequid proficeret.

MATTH. XIX.

23. Jeſus autem dixit diſcipulis ſuis, Amen dico vobis, Dives difficile intrabit in regnum cælorum.

24. Iterum dico vobis, Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam divitem in regnum Dei ingredi.

25. Auditis autem his diſcipuli ejus expaverunt valde, dicentes, Quis ergo poteſt ſalvus fieri?

26. Intuitus autem illos Jeſus, dixit illis, Apud homines hoc impoſſibile eſt: apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt.

MARC. X.

23. Et quum circumſpexiſſet Jeſus, dicit diſcipulis ſuis, Quam difficulter qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt!

24. Diſcipuli vero obſtupuerunt ſuper verbis illius. At Jeſus rurſum reſpondens, dicit illis, Filii, quam difficile eſt eos qui fiduciam habent in pecuniis, regnum Dei ingredi!

25. Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam divitem in regnum Dei ingredi.

26. Illi vero ſupra modum admirati ſunt, dicentes intra ſeſe, Et quis poteſt eſſe ſalvus?

27. Intuitus autem Jeſus illos, dicit, Apud homines impoſſibile, ſed non apud Deum: nam omnia poſſibilia ſunt apud Deum.

LUC. XVIII.

24. Videns autem Jeſus illum mœrore affectum, dixit, Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt!

25. Facilius eſt enim camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum Dei.

26. Dixerunt autem qui audierant, Et quis poteſt ſalvus fieri?

27. At ille ait, Quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum.

23. *Dives difficile intrabit in regnum.*] Admonet Chriſtus non modo quam ſontica & mortifera ſit peſtis avaritia, ſed etiam quantum impedimentum afferant divitiæ. Apud Marcum quidem dicti ſui aſperitatem mitigat, dum ad eos ſolos reſtringit qui in divitiis fiduciam locant. Sed his verbis priorem ſententiam confirmari magis quam corrigi exiſtimo: acſi negaret debere illis mirum videri quod divitibus ingreſſum in regnum cælorum tam difficilem faciat: quia commune fere omnibus malum eſt, opibus ſuis confidere. Porro omnibus perinde utilis eſt hæc doctrina: nempe divitibus, ut de periculo ſuo admoniti caveant: pauperibus, ut ſorte ſua contenti, non adeo cupide appetant quod majori noxæ quam lucro futurum eſſet. Certum quidem eſt, divitias ſua natura minime obſtare quominus Deum ſequamur: ſed (quæ eſt humani ingenii pravitas) fieri vix poteſt quin ſe ingurgitent quibus ſuppetit largior copia. Ita quibus affluunt divitiæ, velut catenis devinctos tenet Satan, ne in cælum aſpirent: imo ſe ipſi defodiunt & conſtringunt, totoſque terræ mancipant. Simile cameli, quod paulo poſt additur, difficultatem amplificat: nam divites ſuperbia & confidentia magis turgere ſignificat quam ut ſe ad anguſtias, in quibus ſuos Deus continet, redigi ſinant. Cameli voce funem nauticum potius quam belluam notari arbitror.

25. *Auditis autem his diſcipuli ejus.*] Mirantur diſcipuli: quia non parum anxietatis injicere nobis hoc debet, divitiis ingreſſum obſtrui in regnum Dei. nam quocunque vertamus oculos, mille ſe obſtacula nobis ingerent. Notemus autem ſic admiratione perculſos fuiſſe, ut tamen non refugerint à Chriſti doctrina. Secus ille cujus nuper facta fuit mentio: nam ſic eum deterret præcepti auſteritas ut à Chriſto divortium faciat: hi autem quamvis trepident ac ſciſcitentur quiſnam ſalvus eſſe queat, curſum tamen alio non reflectunt, ſed cupiunt deſperationem vincere. Ita nobis proderit expaveſcere ad Dei minas, quoties triſte aliquid & metuendum denunciat: modo ne langueſcant animi noſtri, ſed potius expergefiant.

26. *Apud homines hoc impoſſibile eſt.*] Non prorſus omni ſollicitudine liberat Chriſtus ſuorum mentes: quia illis utile eſt ſentire quam arduus ſit in cælum aſcenſus. Primum, ut conatus omnes ſuos huc intendant: deinde, ut ſibi diffiſi, virtutem implorent è cælo. Videmus quanta ſit noſtra pigritia & ſecuritas. quid fieret ſi per mollem jucundamque planitiem ſuaviter, animi cauſa ſibi ambulandum eſſe putarent fideles? Hæc igitur ratio eſt cur non extenuet Chriſtus periculum (quo tamen incuſſum diſcipulis timorem videt) quin potius augeat. Nam quum prius tantum dixiſſet difficile eſſe, nunc impoſſibile affirmat. Unde apparet præpoſteros eſſe doctores qui ſic verentur duriter loqui ut carnis ignaviæ indulgeant. Atqui potius ſequi decebat Chriſti regulam, qui ſic temperat ſermonem, ut homines in ſeipſis proſtratos recumbere doceat in unam Dei gratiam, ſimulque ad preces ſtimulet. Ita prudenter ſuccurritur hominum infirmitati, non illis quicquam tribuendo, ſed eorum mentes erigendo ad ſperandam Dei gratiam. Hoc autem Chriſti reſponſo vulgare illud axioma (quod ex Hieronymo hauſerunt Papiſtæ) refellitur, Quiſquis Legem dixerit obſervatu impoſſibilem, anathema ſit. Clare enim pronunciat Chriſtus poſſibile non eſſe hominibus viam ſalutis tenere, niſi quatenus illis Dei gratia ſuccurrit.

Matth. XIX.

27. Tunc reſpondens Petrus, dixit ei, Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te. quid ergo erit nobis?

28. Jeſus autem dixit illis, Amen dico vobis, quod vos qui ſequuti eſtis me in regeneratione, quum ſederit Filius hominis in ſolio majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſolia duodecim, judicantes duodecim Tribus Iſraël.

29. Et quiſquis reliquerit domos, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam obtinebit.

30. Multi autem primi erunt noviſſimi, & noviſſimi primi.

Marc. X.

28. Et cœpit Petrus dicere illi, Ecce reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te.

29. Reſpondens autem Jeſus, dixit, Amen dico vobis, nullus eſt qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros mea cauſa & Euangelii,

30. Quin recipiat centupla nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & ſorores, & matres, & liberos, & agros, cum perſequutionibus, ac in ſeculo venturo vitam æternam.

31. Multi autem primi erunt ultimi, & ultimi primi.

Luc. XVIII.

28. Ait autem Petrus, Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te.

29. Qui dixit eis, Amen dico vobis, nemo eſt qui reliquerit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut liberos propter regnum Dei,

30. Qui non recepturus ſit multo plura in hoc tempore, & in ſeculo venturo vitam æternam.

Luc. XXII.

28. Vos autem eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis.

29. Et ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum:

30. Ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper ſolia, judicantes duodecim Tribus Iſraël.

Tacite ſe & alios diſcipulos diviti Petrus comparat, quem mundus alienaverat à Chriſto. Quia autem inopem & erraticam vitam non ſine probro & moleſtiis ducebant, nec melior in futurum tempus conditio ſe oſtendebat: merito quærit an fruſtra relictis ſuis omnibus ſe Chriſto addixerint. Abſurdum enim erat ſpoliatos, à Domino non reſtitui in melius. Sed quæ erant illa Omnia? nam quum ignobiles eſſent & pauperculi homines, vix fuit domi quod relinquerent. ridicula ergo videri potuit hæc jactantia. Et certe experientia oſtendit quam liberaliter ſua erga Deum officia vulgo æſtiment homines. ſicuti hodie qui fere mendici erant in Papatu, faſtuoſe exprobrant ſe Euangelii cauſa magnam jacturam feciſſe. Excuſari tamen poſſunt diſcipuli, quod licet nunquam ſplendidæ fuiſſent fortunæ, manuariis tamen operis non minus hilariter domi vivebant, quam opulentiſſimus quiſque. Et ſcimus tenues homines quietæ & pudicæ vitæ aſſuetos, ab uxoribus & liberis ægrius avelli, quam quos jactat ambitio, vel proſperæ fortunæ aura huc illuc rapit. Certe niſi diſcipulis repoſita fuiſſet aliqua merces, ſtulte genus vitæ mutaſſent. Cæterum ut in hac parte excuſabiles ſint, in eo tamen peccant, quod militia nondum defuncti, jam ſibi triumphum decerni poſtulent. Tale moræ tædium ſiquando nobis obrepat, ac nos impatientia ſollicitet, diſcamus primum reputare ſolatia quibus in hoc mundo crucis acerbitatem Dominus lenit: deinde ad ſpem cæleſtis vitæ nos erigere. Nam his duobus membris Chriſti reſponſio continetur.

28. Matth. *Amen dico vobis.*] Ne ſe operam luſiſſe putent diſcipuli, atque eos incepti curſus pœniteat, Chriſtus admonet regni ſui gloriam, quæ tunc adhuc latebat, manifeſtandam fore: acſi diceret, Non eſt cur vos iſta contemptibilis fortuna debilitet. nam ego, qui vix inter poſtremos jaceo, tandem majeſtatis ſolium conſcendam. Pauliſper igitur durate, uſquedum adveniat manifeſtandæ meæ gloriæ tempus. Quid autem illis tunc promittit? nempe ejuſdem gloriæ fore ſocios. Solia enim illis tribuens ex quibus judicent duodecim Tribus Iſraël, legatis eos comparat, vel primis conſiliariis ac præſidibus, qui in regio conſeſſu primas ſedes occupant. Scimus Apoſtolos duodecim numero fuiſſe electos, ut ita teſtatum fieret, Deum exhibito Chriſto diſperſas populi ſui reliquias velle colligere. Hæc ſumma erat dignitas, ſed adhuc occulta: ideo Chriſtus uſque ad ultimam regni ſui manifeſtationem eorum vota ſuſpendit, ut tunc demum electionis ſuæ fructum percipiant. Quanquam autem in Euangelii prædicatione aliqua ex parte enituit regnum Chriſti, non tamen dubium eſt quin de extremo die hic loquatur Chriſtus. *In regeneratione.* Quidam hanc particulam ad ſequentem contextum rejiciunt. Ita regeneratio *Regeneratio.* nihil aliud eſſet quam novitas quæ inſtaurationem noſtri ſequetur, dum abſorbebitur quod mortale eſt à vita, & corpus noſtrum humile in cæleſtem Chriſti gloriam transfigurabitur. Sed ego regenerationem potius ad priorem Chriſti adventum refero: quia tunc cœpit renovari mundus, & ex mortis tenebris Eccleſia in lucem vitæ emerſit. Atque hæc loquendi ratio paſſim occurrit in Prophetis, & ad hujus loci circumſtantiam optime quadrat. Nam toties promiſſa Eccleſiæ renovatio ſpem fecerat miræ felicitatis ſimulatque apparuiſſet Meſſias. Chriſtus ergo, ut errorem illum cohibeat, inter regni ſui principium & complementum diſtinguit.

28. Luc. *Vos autem eſtis.*] Quanquam diverſum Chriſti ſermonem & alio tempore habitum videtur referre Lucas, ego tamen non dubito quin ad idem tempus pertineat. neque enim perpetua illic narratur Chriſti concio, ſed diverſæ ſententiæ, neglecto ordine temporis: ſicuti paulo poſt rurſus dicendum erit. Cæterum pluribus verbis utitur quam Matthæus. nam quia ipſum comitati fuerant Apoſtoli in tentationibus, & conſtanter perſtiterant, conſortes quoque gloriæ fore pronunciat. Quæritur quo ſenſu tentationes ſuas appellet. Ego vero certamina, quibus eum & Apoſtolos communiter exercuit Deus, notari exiſtimo. ac merito Tentationum voce uſus eſt, quia vere ſecundum humanæ naturæ ſenſum probata fuit ejus fides & patientia.

29. *Diſpono vobis regnum.*] Non Præſides tantum eos hic facit, ſed Reges: quia regnum quod accepit à Patre illis communicat. Emphaſis autem ſubeſt in verbo Diſponendi, ne rapido deſiderii fervore *Diſponere.* nimis accelerent ad regnum occupandum, cujus ordinandi ipſe unus eſt legitimus arbiter: & ſuo exemplo eos ad patientiam hortatur. Quanquam enim

Rex

Rex erat à Patre deſtinatus, non tamen ſtatim in ſuam gloriam evectus eſt: imo ſeipſum exinanivit, & per crucis ignomioiam adeptus eſt regium bonorem. Edere & bibere ſuper menſam ſuam, metaphorice poſuit, pro eo quod eſt communis gloriæ eſſe ſocios.

29. Matth. *Quiſquis reliquerit.*] Poſtquam ſuorum mentes ſurſum extulit ad ſpem futuræ vitæ, ſolatiis etiam præſentibus eos ſuſteotat, coofirmatque ad ferendam crucem. Neque enim ſuos Deus, licet graviter affligi ſinat, unquam tamen deſerit quin ſuis ſubſidiis compenſet eorum ærumnas. Neque hic tantum Apoſtolos alloquitur, ſed ſumpta occaſione, generaliter ad pios nmnes ſermonem dirigit. Hæc ſumma eſt, Qui ſponte omnia perdiderint ob Chriſti cauſam, fore tamen etiam in hac vita feliciores quam ſi integri ſtetiſſent, præcipuam vero mercedem illis in cælo eſſe repoſitam. Videtur tamen quod de centupla compenſatione promittit, cum experientia minime congruere. Nam ut plurimum qui nrbati ſunt parentibus, vel liberis, aliiſque cognatis, viduati uxoribus, & fortunis nudati nb Chriſti teſtimonium, adeo ſua non recuperant, ut in exilio ſolitarii & deſerti cum dura egeſtate ægre luctentur. Reſpondeo, Siquis rite præſentem Dei gratiam æſtimet, qua ſuorum miſerias ſublevat, fatebitur omnibus mundi opibus non temere præferri. Quantumvis enim floreant increduli, quia tamen neſciunt quid ſibi in craſtinum inſtet, perplexos ſemper ac trepidos æſtuare neceſſe eſt: nec vero aliter frui poſſunt læta fortuna, niſi ſeipſos quodammodo obſtupefaciant. Interim ſuos exhilarat Deus, ut illis pluris ſit longeque ſuavius tantillum boni quo fruuntur, quam ſi extra Chriſtum illis afflueret immenſa bonorum copia. Qua ſenſu additam apud Marcum interpretor hanc vocem, *cum perſequutionibus.* acſi dixiſſet Chriſtus, Quamvis pios ſemper in hoc mundo perſequutiones maneant, & quaſi eorum tergo crux adhæreat: tam dulce tamen eſſe condimentum gratiæ Dei quæ ipſos exhilarat, ut illorum conditio Regum deliciis optabilior ſit.

30. *Multi autem prims.*] Sententia hæc ad excutiendam carnis ſegnitiem addita fuit. Jam ad præmium Apoſtoli, quum vix è carceribus egreſſi forent, properabant. Atque hoc fere ingenio ſumus omnes, ut menſe tranſacto peramus, tanquam emeriti milites, rude donari. Chriſtus autem eos qui bene cœperunt, ad ſtrenue pergendum hortatur: ſimulque admonet, nihil profuturum curſoribus alacriter cœpiſſe, ſi in medio ſtadio deficiant. Sicuti & Paulus admonet, non omnes qui currunt, palma *1 Cor. 9. verſ. 24.*
potiri. Et alibi fideles hortatur ſuo exemplo, ut eorum quæ à tergo ſunt obliti, ad reſiduam curſus ſui *Phil. 3. verſ. 14.*
partem nitantur. Quoties ergo nobis in mentem venit cæleſtis corona, quaſi novis ſtimulis pungi nos decet, ne in poſterum remiſſiores ſimus.

MATTH. XX.	MARC.	LUC.
1. Nam ſimile eſt regnum cælorum homini patriſamilias, qui exiit primo ſtatim diluculo ad conducendos operarios in vineam ſuam.		
2. Conventione autem facta cum operariis in ſingulos dies denario, miſit eos in vineam ſuam.		
3. Et egreſſus circiter horam tertiam, vidit alios ſtantes in foro otioſos.		
4. Et dixit illis, Ite & vos in vineam: & quodcunque juſtum fuerit dabo vobis.		
5. Illi autem abierunt. Rurſum autem exiit circiter horam ſextam & nonam, & fecit ſimiliter.		
6. Circa undecimam vero exiit, & invenit alios ſtantes otioſos: ac dicit illis, Cur hic ſtatis totum diem otioſi?		
7. Dicunt ei, Quia nemo nos conduxit. Dicit illis, Abite & vos in vineam: & quod juſtum fuerit accipietis.		
8. Quum autem veſpera facta eſſet, dicit dominus vineæ œconomo ſuo, Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à poſtremis uſque ad primos.		
9. Et quum veniſſent qui circa undecimam horam venerant, acceperunt ſinguli denarium.		
10. Venientes autem primi, arbitrati ſunt quod plus eſſent accepturi. & acceperunt ipſi quoque denarium.		
11. Eo autem accepto, murmurabant contra patremfamilias,		
12. Dicentes, Hi noviſſimi unam horam fuerunt in opere, & illos pares nobis feciſti, qui portavimus pondus diei, & æſtum.		
13. At ille reſpondens uni eorum, dixit, Amice, non facio tibi injuriam: nonne denario pactus es mecum?		
14. Tolle quod tuum eſt, & abi: volo autem huic noviſſimo dare ſicut & tibi.		
15. Annon licet mihi quod volo facere in rebus meis? an oculus tuus malus eſt quod ego bonus ſim?		
16. Sic noviſſimi erunt primi, & primi noviſſimi. multi enim ſunt vocati, pauci vero electi.		

Quum hæc parabola nihil aliud ſit quam proximæ ſententiæ confirmatio, Erunt primi noviſſimi: nunc videndum quomodo aptanda ſit. Quidam interpretes hanc ſummam colligunt, Quia non operum meritis acquiritur cæleſtis hæreditas, ſed gratis donatur, æqualem fore omnium gloriam. Atqui non diſputat Chriſtus vel de cæleſtis gloriæ æqualitate, vel de futuro piorum ſtatu: ſed hoc tantum pronunciat, cauſam non eſſe cur glorientur vel aliis inſultent qui tempore ſunt priores:, quia Dominus, quoties ita placuerit, vocare poterit quos viſus eſt ad tempus negligere, eoſque vel æquare vel præferre prioribus illis. Siquis exacte ſingulas hujus parabolæ partes diſcutere velit, inepta erit ejus curioſitas. Nihil ergo

amplius

amplius quærendum quam quod tradere Chriſti conſilium fuit. Porro jam diximus noo alio eum ſpectaſſe quam ut ſuos ad pergeudum continuis ſtimulis incitaret. Scimus ſegnitiem fere ex nimia fiducia naſci. ita fit ut multi, quaſi ſtadio confecto, in medio curſu deſideant. Ideo jubet nos Paulus quæ à tergo ſunt obliviſci, ut cogitantes quid nobis adhuc ſit reſiduum, nos ad ſtreoue currendum acuamus. verba tamen percurrere nihil nocebit, ut clarius inde eluceat doctrina.

1. *Nam ſimile eſt regnum cælorum.*] Senſus eſt, eandem eſſe rationem divinæ vocationis acſi quiſpiam operarios ad vineæ ſuæ culturam mane certo pretio conduceret, alios deinde ſubmitteret ſine pactione: quibus tamen parem mercedem rependeret. Regoi autem cælorum ideo meminit quia ſpiritualem vitam terrenæ comparat; vitæque æternæ præmium, pecuniæ qua bomines operas ſibi præſtitas munerantur. Locum bunc quidam ſubtiliter accipiunt, acſi diſcerneret Cbriſtus Judæos à Gentibus. Judæos enim prima hora dicunt fuiſſe pacta mercede vocatos, quia Dominus vitam æternam ſub conditione illis promiſit, ſi Legem implerent. In Gentibus autem vocandis nullam fuiſſe pactionem ioterpoſitam, ſaltem operum: quia gratis oblata illis fuit in Chriſto ſalus. Sed importunæ ſunt omnes hujuſmodi argutiæ: quia diſcrimen in pacto minime ſtatuit Dominus, ſed tantum in tempore, quod qui ultimi ſub veſperam ingreſſi ſunt in vineam, eandem cum primis accipiant mercedem. Quamvis enim Deus olim Judæis mercedem operum in Lege promiſerit, ſcimus tamen hoc caruiſſe effectu: quia nemo ſalutem meritis ſuis unquam adeptus eſt. Cur ergo (dicet quiſpiam) pactionis expreſſe meminit Chriſtus de primis loquens, in aliis vero tacuit? Nempe ut doceret, ſine cujuſquam injuria poſtremis haberi tantum honoris acſi ab initio vocati eſſent. nam proprie loquendo, nemini quicquam debet: jureque ſuo exigit à oobis (quos ſibi habet addictos) quæcunque in nobis ſita ſunt obſequia. Sed quia gratis mercedem nobis offert, dicitur operas, ſibi alioqui debitas, conducere. Hinc fit ut etiam mercedis nomine dignetur quam gratis donat coronam. Porro, ut oſtenderet nullam nobis eſſe cauſam expoſtulandi cum Deo, ſi honoris ſocios nobis adjungat qui longo intervallo nos ſequuti ſuot, ſimilitudinem mutuatus eſt ex communi bominum more, qui prius de mercede tranſigunt quam operarios mittant ad laborem. Cæterum ſiquis hinc colligat creati homines ad aliquid agendum, ac ſuam cuique provinciam divinitus injungi ne ignavi deſideant, non torquebit Chriſti verba. Colligere etiam licebit, inutilem eſſe totam vitam noſtram, & merito nos inertiæ damnari, quouſque ad Dei mandatum & vocationem quiſque vitam ſuam componat. Unde ſequitur, ſatagendo nihil proficere qui temere hoc vel illud vitæ genus ſuſcipiunt, nec expectant Dei vocantis nutum. Poſtremo elicitur etiam ex Chriſti verbis, eos demum placere Deo qui in fratrum utilitatem laborant. Denarium (qui paulo plus quatuor Caroleis Gallicis valebat) diurnæ operæ ordinariam fuiſſe mercedem probabile eſt. Horæ tertiæ, ſextæ & nonæ ideo nominatim fit mentio, quia quum apud veteres diſtribui ſoleret dies in horas duodecim ab ortu Solis uſque ad occaſum, erat alia diei partitio in ternas boras: ſicuti rurſum noctem dividebant in quatuor vigilias. Itaque hora undecima fioem diei ſignificat.

8. *Quum autem veſpera.*] Quod jubet paterfamilias initium fieri à poſtremis, minime in eo querendum eſt myſterium, quaſi primos Deus coronet qui ordioe temporis poſtremi ſunt. Nam hoc commentum minime conſentaneum eſſet Pauli doctrinæ. Qui ſuperſtites erunt, inquit, uſque ad Cbriſti adventum, non prævenient eos qui prius obdormierint in Cbriſto, ſed ſequentur. Cbriſtus vero diverſum ordinem hoc loco ſtatuit: quia aliter exprimere non poterat (quod tandem ſubjicit) primos, quia ſibi non plus daretur, murmuraſſe. Adde etiam quod hoc murmur aſſerere noluit ultimo die futurum, ſed tantum negare cauſam fore murmurandi. Proſopopœia enim quam inducit, non parvam locem affert huic doctrinæ, quod Dei liberalitas nullis hominum querelis ſit obnoxia, dum indignos præter meritum amplis præmiis hoorat. Fruſtra ergo imaginati ſunt quidam Judæos bis verbis perſtringi, qui maligni & invidi fuerunt erga Gentes. Nam filiis Dei tales in mercede æquari abſurdum foret. In fideles vero non competit hæc malignitas, ut obſtrepant Deo. Atqui ſimplex ſenſus eſt, liberum eſſe Deo, quum neminem juſta mercede fraudet, quos ſero vocavit, indebito præmio ornare.

16. *Sic noviſſimi erunt primi.*] Non confert nunc Judæos Gentibus, ut alibi: nec reprobos qui à fide deficiunt, electis qui perſeverant. itaque minime quadrat quæ à quibuſdam inſeritur ſenteotia, *Multi vocati, pauci electi.* Tantum voluit Chriſtus, ut quiſque ante alios vocatus eſt, ita alacrius currere: deinde omnes hortari ad modeſtiam, ne ſe alii aliis præferant, ſed ut libenter admittant ad communem palmam. Viſi fuerant Apoſtoli, quia totius Eccleſiæ primitiæ erant, ſibi aliquid eximium ſumere: nec vero Criſtus negavit quin ſeſſuri eſſent judices ad regendas duodecim Tribus Iſraël. Sed ne qua eos ambitio aut vana ſui confidentia efferret, ſimul monendi fuerunt, alios qui longo poſt tempore vocandi eſſent, ejuſdem gloriæ fore ſocios, quia nemini obſtrictus eſt Deus: ſed quoſcunque viſum eſt, gratis vocat, & vocatis præmium quale viſum eſt rependit.

MATTH. XX.

17. Et aſcendens Jeſus Hieroſolymam, aſſumpſit duodecim diſcipulos ſeorſum in via, & ait illis,

18. Ecce conſcendimus Hieroſolymam, & Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum & Scribis, & condemnabunt eum morte:

19. Et tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum: & tertia die reſurget.

MARC. X.

32. Erant autem in via aſcendentes Hieroſolymam: & præcedebat illos Jeſus, erantque pavefacti, & ſequentes timebant. Et aſſumptis rurſus duodecim, cœpit illis dicere quæ ſibi eventura erant:

33. Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum & Scribis, & damnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus:

34. Et illudent ei, & flagellabunt eum, & conſpuent in eum, & interficient eum: & tertia die reſurget.

LUC. XVIII.

31. Aſſumpſit autem Jeſus duodecim, & ait illis, Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis.

32. Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & contumeliis afficietur, & conſpuetur:

33. Et poſtquam flagellaverint, occident eum: ac tertia die reſurget.

34. Et ipſi nihil horum intellexerunt: & erat verbum hoc abſconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.

Tametſi

Tametſi admoniti prius fuerant Apoſtoli quis exitus Dominum maneret, quia tamen non ſatis profecerant, quod ſæpius dixerat nunc de integro repetit. Videt inſtare diem mortis: imo jam eſt in procinctu ut ſeipſum immolandum offerat. diſcipulos autem non modo timidos, ſed cæca formidine attonitos videt. Hortatur ergo ad conſtantiam, ne mox ſub tentatione deficiant. Porro duobus modis eos confirmat: nam quod futurum erat prædicens, non tantum eos munit ne ſubito malo præter opinionem circumventi ſuccumbant: ſed Deitatis ſuæ ſpecimen opponit crucis ſcandalo, ne brevis dejectio eos exanimet ubi perſuaſi fuerint ipſum eſſe Dei Filium, ideoque mortis victorem. Secunda confirmationis ratio eſt ex propinqua reſurrectione. Sed verba propius expendere convenit. Marcus exprimit quod ab aliis duobus tacetur, priuſquam Dominus ſeorſum Apoſtolis indicaret ſe recta ad mortis ſacrificium pergere, tam ipſos quam reliquos comites fuiſſe mœſtos & pavidos. Cur autem hoc metu correpti fuerint incertum eſt, niſi quia prius experti fuerant graves ſibi Hieroſolymæ eſſe adverſarios. Chriſtum ergo maluiſſent in receſſu aliquo extra telorum jactum quieſcere, quam ultro ſe objicere tam infeſtis hoſtibus. Quanquam autem hic timor pluribus modis vitioſus fuit: quod tamen Chriſtum ſequuntur, hoc non vulgaris obſervantiæ & pietatis ſignum eſt. Fuiſſet quidem longe melius, alacriter & ſine triſtitia properare quocunque ducere ipſos vellet Dei Filius: ſed laude digna eſt reverentia, quod vim ſibi facere malunt quam eum deſerere.

17. *Aſſumpſit duodecim.*] Mirum videri poſſet, quum omnes conſolatione indigeant (quia eos pariter invaſerat timor) cur ſolos duodecim arcani ſui conſcios faciat. Ego vero exiſtimo, mortem ſuam ideo non vulgaſſe, ne ante tempus latius ſpargeretur rumor. Deinde, quum præſentem admonitionis ſuæ fructum non ſperaret, eam apud paucos deponere ſatis habuit, qui poſtea futuri eſſent ejus teſtes. Nam ſicuti ſemen in terram jactum non ſtatim germinat, ita ſcimus Chriſtum Apoſtolis multa dixiſſe quæ non ſtatim fructum protulerunt. Quod ſi omnes promiſcue adhibuiſſet ad hunc ſermonem, fieri poterat ut multi terrore correpti aufugerent, vulgique aures implerent hoc rumore. Ita ingloria fuiſſet mors Chriſti, quam ſibi temere acceſſere viſus eſſet. Secreto itaque Apoſtolos alloquitur: ac ne eos quidem deligit tanquam ad profectum idoneos, ſed (quemadmodum nuper attigi) ut in poſterum ſint teſtes.

Cæterum in hac parte Lucas plenior eſt: quia non ſolum à Chriſto prædicta fuiſſe narrat quæ inſtabant, ſed additam ſimul doctrinam, implenda eſſe in Filio hominis quæ ſcripta erant per Prophetas. Nam hoc vincendæ tentationi optimum fuit remedium, in ipſa crucis ignominia notas agnoſcere quibus promiſſum ſalutis auctorem Prophetæ inſignierant. Jam minime dubium eſt quin ſimul ex Prophetis oſtenderit Dominus, qualem deberent mortis ſuæ fructum ſperare. Neque enim Prophetæ tantum docent Chriſtum paſſurum: ſed cauſam addunt, Ut mundum reconciliet Deo.

18. *Ecce conſcendimus.*] Hinc perſpicimus divina fortitudine inſtructum fuiſſe Chriſtum ad vincendos mortis terrores, qui ſciens & volens ad eam ſubeundam properat. Cur enim nullo cogente ad diram carnificinam iter contendit, niſi quia eum invicta Spiritus virtus, ſubacto metu, ſupra omnes humanos affectus extulerat? Quod autem circumſtantias propius deſignat, in eo magis luculentum Deitatis ſuæ documentum profert. Neque enim humanitus conjicere potuit, poſtquam à Scribis & Sacerdotibus damnatus foret, ſe traditum iri Gentibus, ut ſputis & aliis contumeliis aſperſus, flagellis cæſus, tandem raperetur ad ſupplicium crucis. Notandum vero eſt, quamvis Dominum minime lateret ſuorum infirmitas, graviſſimum tamen ſcandalum non tegere. Nam quemadmodum alibi diximus, nihil tunc ad percellendas piorum mentes gravius accidere potuit quam videre totum ſacrum Eccleſiæ ordinem Chriſto adverſum. non tamen fallendo, eorum infirmitati parcit, ſed rem ipſam ingenue declarans, modum oſtendit vincendæ tentationis, nempe ut reſurrectionem certo expectent. Sed quia neceſſe erat mortem præcedere, interea ipſorum triumphum in ſpe conſtituit.

34. Luc. *Nihil horum intellexerunt.*] Quiſnam hic fuit ſtupor, non intelligere quæ clare & familiariter de re non ſublimi nec recondita, ſed cujus ſuſpicionem aliquam ipſi ſponte conceperant, Chriſtus illis dicebat? Verum hic quoque memoria repetere convenit quod alibi admonui, ideo fuiſſe retentos in tam craſſa ignorantia, quia quum ſibi lætum & felicem progreſſum finxiſſent, pro ſummo abſurdo duxerint, Chriſtum probroſe crucifigi. Unde colligimus quantopere mentes hominum dementet fallax imaginatio. Quo magis cavendum eſt ne quibus figmentis impliciti cæcutiamus in luce.

MATTH. XX	MARC. X.	LUC.
20. Tunc acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans, & petens aliquid ab eo.	35. Et accedunt ad eum Jacobus & Joannes filii Zebedæi, dicentes, Præceptor, volumus ut quicquid petierimus facias nobis.	
21. At ille dixit ei, Quid vis? Ait illi, Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dextram tuam, & alter ad ſiniſtram, in regno tuo.	36. Ille vero dixit eis, Quid me vultis facere vobis?	
	37. Illi vero dixerunt, Da nobis ut unus à dextra tua, & alter à ſiniſtra tua ſedeamus in gloria tua.	
22. Reſpondens autem Jeſus, dixit, Neſcitis quid petatis. poteſtis bibere poculum quod ego bibiturus ſum, & baptiſmate quo ego baptizor baptizari? Dicunt ei, Poſſumus.	38. Jeſus autem dixit illis, Neſcitis quid petatis. poteſtis bibere poculum quod ego bibo, & baptiſmate quo ego baptizor baptizari?	
23. Ait illis, Poculum quidem meum bibetis, & baptiſmate quo ego baptizor baptizabimini: ſedere autem ad dextram meam & ſiniſtram meam, non eſt meum dare, ſed iis continget quibus paratum eſt à Patre meo.	39. At illi dixerunt ei, Poſſumus. Jeſus autem dixit illis, Poculum quidem quod ego bibo bibetis, & baptiſmate quo ego baptizor baptizabimini:	
	40. Sedere autem à dextris meis & à ſiniſtris meis, non eſt meum dare, ſed iis continget quibus paratum eſt.	

Hæc

Hæc hiſtoria illuſtre continet ſpeculum humanæ vanitatis. docet enim recto pioque zelo ambitionem ſæpe eſſe implicitam, vel aliud carnis vitium: ut qui ſequuntur Chriſtum, alio reſpiciant quam oportet. Porro à ſcopo perperam aberrant qui uno ipſo non contenti, hoc vel illud quærunt extra eum & ejus promiſſiones. Nec ſatis eſt initio animum ſimpliciter ad Chriſtum adjicere, niſi ejuſdem ſemper maneat puritatis tenor: quia ſæpe in medio curſu obrepunt vitioſi affectus quibus in obliquum abſtrahimur. Sicuti credibile eſt duos Zebedæi filios ſiocere primum Chriſto nomen dediſſe: ſed ubi apud eum ſe non vulgari gratia pollere vident, & audiunt regni propinqui fieri mentionem, ſtatim ad pravam cupiditatem feruntur ipſorum animi, ipſoſque liberaliter in officio maoere piget. Hoc ſi duobus ſummis diſcipulis contigit, quam ſollicite ambulare nos decet, ſi à recta linea deflectere nolumus. Præſertim ubi plauſibilis aliqua occaſio ſe offert, cavendum ne bonorum cupiditas pietatis affectum inficiat. Cæterum quanquam in verbis nonnihil diſcrepant Matthæus & Marcus, in rei tamen ſumma conveniunt. Dicit Matthæus veniſſe uxorem Zebedæi, & filiis poſtulaſſe ut primi in regno Chriſti ſederent: Marcus ipſos rogantes inducit. Sed probabile eſt, quia illis obſtabat pudor, matrem aſtute fuiſſe interpoſitam, quæ audacius peteret. Ab ipſis autem profectum eſſe votum hinc colligitur, quod Chriſtus illis, non matri reſpondit. Deinde quod mater ſupplex aliquid ſe velle petere oſtendit antequam proferat quod habet in animo: & ipſi etiam apud Marcum in genere ſtipulantur, concedi ſibi quicquid petierint: hæc timida inſinuatio male ſibi conſcios fuiſſe teſtis eſt.

21. *In regno tuo.*] Hoc in filiis Zebedæi laude dignum fuit, ſperare aliquod Cbriſti regnum cujus ne minima quidem umbra tunc apparebat. Vident ſub ignobili ſervi habitu contemptibilem: imo vident mundo ſordere, multiſque probris ſubjectum: brevi tamen magnificum fore Regem ſibi perſuadent, quia ſic docuerat. Præclarum certe fidei exemplum. ſed hinc perſpicimus quam facile purum ſemen, ſimulac cordibus noſtris inſitum eſt, degeneret in corruptelas: quia umbratile ſibi regnum imaginati ſunt, & mox ad primas ſedes appetendas ſtulte delapſi. Ergo quum ex generali fidei principio, quod per ſe non parum laudabile erat, fluxerit hæc prava cupiditas, rogandus eſt Dominus oon tantum ut nobis aperiat mentis oculos, ſed etiam ut perpetuu dirigat teneatque intentos ad rectum ſcopum. Rogandus etiam non modo ut fidem nobis inſpiret, ſed ut puram conſervet ab omni mixtura.

22. *Neſcitis quid petatis.*] Duplici nomine damnanda fuit eorum inſcitia: primum quod ambitioſe appeterent plus quam decebat: deinde quod pro cæleſti Chriſti regno aëreum phantaſma conceperant. Quod ad primum ſpectat, quiſquis gratuita Dei adoptione non contentus eminere appetit, extra metas ſuas vagatur, ſeque importune ingerens ultra quam decebat, ingratus eſt Deo. Jam ſpirituale Chriſti regnum ſenſu carnis noſtræ metiri, nimis perverſum eſt. Et quidem eo magis cavendæ ſunt otioſæ ſpeculationes quo magis bumano ingenio arrident. ſicuti videmus ſophiſtarum libros inanibus ejuſmodi figmentis refertos eſſe.

Poteſtis bibere poculum.] Ut ambitionem corrigat, & à perverſo deſiderio eos revocet, crucem & omnes ærumnas illis proponit, quæ Dei filiis ſubeundæ ſunt. acſi dixiſſet, Tantumne vobis eſt otii à præſenti militia, ut triumphi pompas jam ordinetis? Nam ſi vocationis ſuæ exercitiis ſerio fuiſſent dediti, pravæ huic imaginationi locum nunquam dediſſent. Quare bac ſententia Chriſtus eos qui ante tempus palmam arripiunt, in meditandis pietatis officiis occupari jubet. Et certe hoc freno optime ambitio compeſcitur: quia talis eſt noſtra conditio, quamdiu in mundo peregrinamur, ut vanas delicias excutere debeat. Circumſtant nos mille pericula: nunc inſidiis, & quidem variis, nos hoſtis adoritur: nunc aperta vi inſultat. Nonne pluſquam ſtupidus eſt qui inter tot mortes ſecure in triumpho pingendo ſe oblectat? Certos quidem de victoria ſuos eſſe jubet Dominus, & in media morte triumphum canere, quia aliter ad ſtrenue pugnandum animati non forent: ſed aliud eſt ſpe mercedis ſibi divinitus propoſita ſe alacriter ad pugnandum accingere, totoque ſtudio huc eniti: aliud, certaminum immemores, relicto hoſte, neglectiſque periculis ad triumphum præcurrere, cujus expectandum erat maturum tempus. Adde quod hæc præpoſtera celeritas ut plurimum à vocatione ſua homines abducit. Quemadmodum enim ut quiſque in bello ignaviſſimus eſt, cupidius ad prædam advolat: ſic in regno Chriſti nulli primatum magis appetunt quam qui ſubterfugiunt omnem laboris moleſtiam. Merito itaque Chriſtus inani gloria elatos in ſtatione continet. Summa autem eſt, nemini paratam eſſe coronam niſi qui legitime certaverit: ac præcipue neminem vitæ & regni Chriſti fore conſortem, niſi qui paſſionum & mortis ſocius ante fuerit. In nomine Baptiſmi, ratio metaphoræ apte conſtat. ſcimus enim Baptiſmo ad ſui abnegationem, ad veterem hominem crucifigendum, denique ad crucis tolerantiam initiari fideles. In voce Calicis dubium eſt an ad ſacræ Cœnæ myſterium alluſerit Dominus: ſed quia nondum in uſu tunc erat, ſimplicius accipere malo pro menſura afflictionum quam Deus cuique definit. Nam quia ejus eſt pro ſuo arbitrio ſingulis imponere ſuum onus, quemadmodum paterfamilias portiones inter ſuos diſtribuit ac partitur, ideo dicitur calicem dare bibendum. Cæterum his verbis non vulgaris ſubeſt conſolatio ad leniendam crucis acerbitatem, dum in ea Chriſtus ſe nobis adjungit. Quid enim magis optabile quam omnia habere cum Filio Dei communia? ſic enim fit ut quæ prima ſpecie mortifera apparent, nobis cedant in ſalutem & vitam. Qui vero prorſus à cruce immunis eſſe cupit, quomodo inter Chriſti diſcipulos cenſebitur, qui ejus Baptiſmum ſubire recuſat? nam hoc nihil aliud eſt quam ſe à primis rudimentis ſubducere. Jam vero quoties Baptiſmi fit mentio, veniat nobis in mentem, bac lege nos eſſe baptizatos, & in hunc finem, ut humeris noſtris crux adhæreat. Quod Joannes & Jacobus tam ſecure jactant ſe ad bibendum calicem eſſe paratos, in eo perſpicitur carnis confidentia. nam extra telorum jactum videmur nihil non poſſe. Ac paulo poſt turpis eventus eorum temeritatem detexit. boc tamen fuit in illis boni, quod ad utramque ſortem parati, ſe ad crucem ferendam obtulerunt.

23. *Poculum quidem meum.*] Quia diſcipuli erant, neceſſe erat magiſtro configurari. Denunciat autem illis Chriſtus quod futurum eſt, ut ſe ad patientiam comparent: ac ſub duorum hominum perſona ſuos omnes alloquitur. Nam etſi multi fideles ſuo fato, non violenta nec ſanguinaria morte intereunt, omnibus tamen commune eſt (ſicuti Paulus docet) *Rom. 8. verſ. 29.* conformari ad Chriſti imaginem. Itaque tota vita oves ſunt mactationi deſtinatæ. *Non eſt meum dare.* Nihil hoc reſponſo ſibi Cbriſtus derogat: ſed tantum admonet, minime fuiſſe injunctum ſibi à Patre hoc munus ut cuique propriam & diſtinctam ſedem in regno cælorum aſſignet. Venit quidem ut ſuos omnes colligeret in vitam æternam: ſed nobis ſufficere debet, quod ſanguine ejus parta hæreditas nos manet. Quo autem gradu alii ſupra alios emineant, neque noſtrum eſt inquirere, neque Deus à Cbriſto nobis patefieri voluit, ſed uſque ad ultimam revelationem differri. Nunc tenemus Chriſti conſilium. neque enim de ſua poteſtate hic diſputat: ſed tantum reputari vult quorſum miſſus fuerit à Patre, & quid ſuæ vocationi conveniat. Ideoque ab arcano Dei con-

Digitized by Google

conſilin injunctam ſibi docendi rationem diſcernit. Utilis admonitio ut ſobrie ſapere diſcamus, nec perrumpere conemur io abdita Dei myſteria: ac præſertim ne in excutiendo futuræ vitæ ſtatu ſimus ultra modum curioſi. nondum enim apparuit qnid erimns, donec nos Deus ſibi reddiderit ſimiles. Cæterum notandum eſt, æqualitatem non ſtatui inter Dei filios, poſtquam recepti fuerint in cæleſtem gloriam: ſed potius ſingulis promitti eum honoris gradum ad quem æternn Dei conſilio deſtinati ſunt.

1 *Joan* 3. *verſ.* 2.

Matth. XX.

24. Et quum audiſſent decem, indignati ſunt de duobus fratribus.

25. Jeſus autem vocavit eos ad ſe, & ait, Scitis quod principes Gentium dominentur illis: & qui magni ſunt, poteſtatem exerceant in eas.

26. Non ita erit inter vos: ſed quicunque voluerit inter vos magnus fieri, ſit veſter miniſter:

27. Et qui voluerit inter vos primus eſſe, ſit veſter ſervus.

28. Sicut Filius hominis non venit ut ſibi miniſtretur, ſed ut ipſe miniſtret, utque det animam ſuam redemptionem pro multis.

Marc. X.

41. Et quum audiſſent decem, cœperunt indignari de Jacobo & Joanne.

42. Jeſus autem quum vocaſſet eos ad ſe, dicit illis, Scitis quod qui videntur imperare Gentibus, dominium exercent adverſus illas: & qui magnates ſunt inter eas, poteſtatem exercent in illas.

43. Verum non ſic erit inter vos: ſed quicunque voluerit fieri magnus inter vos, erit miniſter veſter:

44. Et quicunque ex vobis voluerit eſſe primus, erit omnium ſervus.

45. Nam & Filius hominis non venit ut ſibi miniſtretur, ſed ut ipſe miniſtret, ac det animam ſuam redemptionem pro multis.

Luc. XXII.

24. Facta eſt autem & contentio inter eos, quis ex illis videretur eſſe major.

25. Dixit autem eis, Reges Gentium dominantur eis: & qui poteſtatem habent ſuper eas, benefici vocantur.

26. Vos autem non ſic: ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut junior: & qui princeps eſt, ſicut qui miniſtrat.

27. Nam uter major eſt, qui accumbit, an qui miniſtrat? nonne qui accumbit? At ego in medio veſtrum ſum ut qui miniſtrat.

24. *Quum audiſſent decem.*] Videtur Lucas concertationem hanc referre in aliud tempus. Verum quiſquis prudenter caput illud 22. expendet, clare videbit ſermones diverſis temporibus habitos, neglecto ordine, ſimul contexi. Ergo contentio de primatu, cujus meminit Lucas, ab hoc fonte profecta eſt, quod filii Zebedæi primas ſedes in Chriſti regno ambierant. Et tameo indignatio aliorum minime juſta fuit. nam quum ſtulta ambitio in duobus graviter reprehenſa eſſet, ut cum pudore à Chriſto diſcederent, quid reliquis decem nocebat illos ſtulte optaſſe quod non fuerant adepti? Nam quamvis merito eos pungeret æmulatio, repulſa tamen eos placare debebat. Sed Dominus voluit hac occaſione latentem in ipſis morbum detegi: nemo enim erat qui libenter aliis cederet, ſed quiſque occulte ſpem primatus apud ſe fovebat. ita fit ut inter ſe invideant ac contendant: in omoibus tamen regnet prava cupiditas. Quod ſi ruſticis & obſcuris hominibus ingeoitum fuit hoc vitium, & levi ac fere nulla occaſione erupit: quantopere oobis cavendum eſt, ubi ſuppetit materia, quæ occultum ignem concipiat? Itaque videmus ut in potentiæ & honorum amplitudine ferveat ambitio, flammaſque longe & late emittat, niſi Spiritus modeſtiæ è cælo reſtinguat hærentem in hominum natura ſuperbiam.

25. *Scitis quod principes Gentium dominentur illis.*] Primo dicitur eos ad ſe Chriſtus vocaſſe, ut ſeorſum eos objurgaret. Deinde hinc colligimus, quum eos ſuæ cupiditatis puderet, non palam queſtos eſſe, ſed quaſi raucum murmur fuiſſe ſubortum, & clam unumquemque ſe prætuliſſe aliis. Porro non generaliter diſſerit quam mortifera ſit peſtis ambitio, ſed ſimpliciter admonet nihil eſſe ſtultius quam de nihilo pugnare. Oſtendit enim primatum qui certaminis inter ipſos cauſa erat, in regno ſuo nullum eſſe. Falluntur ergo qui dictum hoc ad omnes pios promiſcue extendunt, quum tantum ex re ipſa doceat Chriſtus ridiculos eſſe Apoſtolos, qui de gradu potentiæ vel honoris in ordine ſuo diſceptant: quia docendi munus, ad quod deſtinati erant, mundi imperiis nihil affine habeat. Fateor quidem tam ad privatos homines quam ad Reges & Magiſtratus patere hanc doctrinam: quia nemo in Chriſti grege cenſeri meretur niſi qui ſub humilitatis Magiſtro ita profecit ut nihil ſibi arroget, ſed ad colendum fraternum amorem ſe ſubmittat. Eſt hoc quidem verum: ſed Chriſti conſilium (ut dixi) fuit, ſpirituale Eccleſiæ ſuæ regimen à terreois imperiis diſcernere, ne Apoſtoli aulicas gratias ad ſe transferrent. nam ut quiſque inter proceres à Regibus amatur, ad opes & præfecturas conſcendit. Chriſtus autem Paſtores Eccleſiæ ſuæ præficit, non qui dominentur, ſed miniſtrent. Ita refellitur Anabaptiſtarum error, qui Reges & Magiſtratus ab Eccleſia Dei exterminant, quia Chriſtus neget ſuis diſcipulis eſſe ſimiles: quum fiat comparatio non ioter Chriſtianos & profanos homines, ſed inter officia. Adde quod noo tam hominum perſonas reſpexit Chriſtus quam Eccleſiæ ſuæ ſtatum. Fieri enim poſſet ut qui pagi vel urbis erit dominus, ſimul docendi quoque munus, urgeote neceſſitate, obeat. Sed Chriſto ſatis fuit quid ferat munus Apoſtolicum, & quid ab eo alienum ſit, tractare. Quæritur tamen, cur Chriſtus, qui ordines in Eccleſia diſtinctos inſtituit, hoc loco gradus omnes repudiet. videtur enim ſic omnes dejicere, vel ſaltem inter ſe æquare, ut nullus ſupra alios excellat. Atqui longe aliud dictat naturæ ratio. Et Paulus Eccleſiæ regimen deſcribens, ſic varia miniſteria recenſet ut Apoſtolatus dignitas ſuperior ſit Paſtorum officio: & Timotheum ac Titum haud dubie ex Dei mandato cum auctoritate aliis præeſſe jubet. Reſpondeo, Si ſingula penitus excutimus, Reges ipſos non juſte, nec legitime dominari, niſi ſerviant: in hoc tamen differre munus Apoſtolicum à terreno Principatu quod Reges & Magiſtratus ſua ſervitus non impedit quominus imperent, & quidem cum magnifico ſplendore & pompa emineant ſupra ſubditos. Sic David, Ezechias, & alii ſimiles, quum voluntarii eſſent omnium ſervi, ſceptro tamen, diademate & ſolio, aliiſque inſignibus fuerunt ornati. Eccleſiæ autem gubernatio nihil tale admittit, quia Paſtoribus nihil plus Chriſtus detulit quam ut miniſtri ſint, à dominio autem prorſus abſtineant. Hic quoque notandum eſt, magis de re ipſa quam de affectu haberi ſermonem. Separat Chriſtus Apoſtolos à Regum ordine, non quia Regibus ſeſe efferre liceat, ſed quia aliter habet regia conditio quam munus Apoſto-

Apoſtolicum. Ergo quum utroſque humiles eſſe deceat, ſemper Apoſtolis videndum eſt quam regendæ Eccleſiæ ſuæ formam Dominus inſtituerit. Quod ad verba ſpectat, ubi Matthæus habet, *Reges exercere poteſtatem in eos*, apud Lucam legitur, *vocari beneficos*, eodem ſenſu. acſi diceret, rerum copiam affluere Regibus, eoſque magnis opibus pollere, ut munifici & liberales eſſe poſſint. Tametſi enim Reges potentia ſua magis gaudent, eamque terrori eſſe malunt quam in populi conſenſu fundatam eſſe, laudem tamen munificentiæ appetunt. Unde & nomen habent in lingua Hebraica. נדיבים enim vocantur à largiendo: quia non alium in finem illis penduntur vectigalia & tributa niſi ut ad ſumptus honoris ſplendori neceſſarios ſufficiant.

26. *Non ita erit inter vos.*] Non dubium eſt quin Chriſtus ſtultam imaginationem perſtringat, qua videbat Apoſtolos decipi. Stulte, inquit, & perperam regnum vobis fingitis, à quo ego abhorreo. Ergo ſi fidelem operam mihi impendere cupitis, alia vobis meditanda eſt ratio, ut certatim quiſque veſtrum ſtudeat aliis ſervire. Cæterum impropriè loquitur, miniſtrum fieri jubens qui magnus eſſe volet. neque enim patitur ambitio ut ſe quis fratribus addicat, imo ſubjiciat. Serviliter quidem blandiri fateor qui ad honores aſpirant, ſed nihil illis minus propoſitum eſt quam ſervire. Sed mens Chriſti obſcura non eſt; quia enim quiſque in amorem ſui rapitur, alio hunc affectum transferri debere pronunciat. acſi diceret, Sit hæc unica veſtra magnitudo, excellentia & dignitas, fratribus vos ſubmittere: ſit etiam hic primatus, omnium eſſe ſervos.

28. *Sicut Filius hominis.*] Exemplo ſuo Chriſtus ſuperiorem doctrinam confirmat: quia ultro ſervi
Phil. 2. verſ. 7. perſonam induerit, ac ſeipſum exinanierit, ſicuti etiam Paulus docet. Porro ut clarius probet quantum ab altitudine abfuerit, eos ad mortem ſuam revocat. acſi diceret, Quia vos mihi honore proximos delegi, prava ambitio ad regnandum ſollicitat: ego vero (ad cujus exemplum vos formare vitam decebat) non veni ut me efferam, vel quicquam regium mihi uſurpem: quin potius una cum ignobili & contempto carnis habitu crucis ignominiam ſuſcepi. Siquis objiciat, Chriſtum ideo fuiſſe exaltatum à Patre ut coram eo flectatur omne genu, in promptu eſt ſolutio, quod nunc dicit, ad tempus humiliationis referre. Ideo apud Lucam additur, ſic verſatum eſſe inter eos acſi eſſet miniſter: non quod fuerit illis vel ſpecie, vel titulo, vel reipſa inferior (Magiſter enim & Dominus agnoſci ſemper voluit) ſed quia ex cœleſti gloria ad tantam manſuetudinem deſcendit, ut ferendis eorum infirmitatibus ſubeſſet. Adhæc memoria tenendum eſt, comparationem hic fieri majoris & minoris: ſicuti apud Joannem, Si ego qui *Joan. 13.*
Magiſter ſum ac Dominus, vobis lavi pedes, multo *verſ. 14.*
magis hoc debetis alii aliis præſtare.

Animam ſuam redemptionem.] Mortis (ut diximus) ideo facta eſt à Chriſto mentio, ut diſcipulos à perverſo regni terreni figmento abſtraheret. Interea apte ſciteque vis & fructus ejus exprimitur, dum vitam ſuam pretium noſtræ redemptionis eſſe affirmat. unde ſequitur nobis gratuitam eſſe reconciliationem cum Deo, cujus non alibi quam in Chriſti morte pretium reperitur. Itaque hac una voce evertitur quicquid de putidis ſuis ſatisfactionibus garriunt Papiſtæ. Porro quum nos ſibi morte ſua in peculium acquiſierit Chriſtus, adeo immenſæ ejus gloriæ nihil derogat hæc de qua loquitur ſubmiſſio, ut eam maxime illuſtret. *Multos* ponit, non definite pro certo numero, ſed pro pluribus: quia ſe aliis omnibus opponit. Atque hoc ſenſu capitur ad Romanos 5. *Rom. 5.*
verſ. 15. ubi Paulus non de aliqua hominum parte *verſ. 15.*
agit, ſed totum humanum genus complectitur.

MATTH. XX.

29. Et egredientibus illis ab Jericho, ſequuta eſt eum turba multa.

30. Et ecce, duo cæci ſedentes juxta viam, quum audiſſent quod Jeſus tranſiret, clamaverunt, dicentes, Domine miſerere noſtri, fili David.

31. Turba autem increpabat eos ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes, Miſerere noſtri Domine, fili David.

32. Et ſtetit Jeſus, & vocavit eos, & ait, Quid vultis ut faciam vobis?

33. Dicunt illi, Domine, ut aperiantur oculi noſtri.

34. Miſertus autem Jeſus, tetigit oculos eorum: & confeſtim viſum receperunt eorum oculi, & ſequuti ſunt eum.

MARC. X.

46. Et veniunt Jericho. quumque egrederetur ab urbe Jericho, ac diſcipuli ejus & turba copioſa, filius Timæi Bartimæus, cæcus, ſedebat juxta viam mendicans.

47. Et quum audiſſet quod Jeſus Nazarenus eſſet, cœpit clamare, & dicere, Fili David, Jeſu, miſerere mei.

48. Et increpabant eum multi ut taceret. At ille multo magis clamabat, Fili David, miſerere mei.

49. Et ſtetit Jeſus, ac juſſit illum vocari. Et vocant cæcum, dicentes illi, Bono animo eſto, ſurge, vocat te.

50. Ille vero, abjecto pallio ſuo, ſurrexit, & venit ad Jeſum.

51. Et reſpondens dicit illi Jeſus, Quid vis faciam tibi? Cæcus autem dixit ei, Rabboni, ut viſum recipiam.

52. Jeſus autem dixit illi, Abi, fides tua te ſalvum fecit. Et protinus recepit viſum, & ſequebatur Jeſum in via.

LUC. XVIII.

35. Accidit autem quum appropinquaret Jericho, cæcus quidam ſedebat juxta viam mendicans.

36. Et quum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc eſſet.

37. Dixerunt autem ei quod Jeſus Nazarenus tranſiret.

38. Et clamavit, dicens, Jeſu fili David, miſerere mei.

39. Et qui præibant increpabant eum ut taceret. Ipſe vero multo magis clamabat, Fili David, miſerere mei.

40. Stans autem Jeſus, juſſit illum adduci ad ſe: & quum appropinquaſſet, interrogavit illum,

41. Dicens, Quid tibi vis faciam? At ille dixit, Domine, ut viſum recipiam.

42. Tunc Jeſus dixit ei, Recipe viſum: fides tua te ſalvum fecit.

43. Et confeſtim viſum recepit, ac ſequebatur illum, glorificans Deum. & omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.

29. *Egredientibus illis.*] Argute ſibi Oſiander viſus eſt ex cæco uno quatuor facere. Atqui ejus commento nihil eſt magis frivolum. Quia videbat Evangeliſtas in nonnullis verbis diſcrepare, finxit uni

cæca

cæco in ipſo urbis ingreſſu redditum eſſe viſum: ſecundum vero & duos alios illuminatos eſſe quum illinc Chriſtus diſcederet. Atqui ſic conveniunt omnes circumſtantiæ, ut nemo ſanus credat diverſas hiſtorias tractari. Scilicet (ut alia omittam) quum primum ad ſileotium conati eſſent adigere Chriſti comites, & præter ſpem ſuam ſanari vidiſſent, mox idem tentaſſent in tribus reliquis. Sed nihil opus eſt ſingula perſequi, ex quibus ſponte quivis colliget rem unam & eandem narrari. Sed offendit diſcrepantia, quod Matthæus & Marcus miraculum vel in uno cæco vel duobus editum fuiſſe dicunt quum Chriſtus jam ex urbe egreſſus foret: Lucas autem id factum eſſe commemoret antequam in urbem veniret. Deinde quod Marcus & Lucas nonniſi de cæco uno loquuntur: Matthæus vero duos conjungit. Sed quum ſciamus hoc paſſim occurrere in Euangeliſtis, ut in eadem hiſtoria unus prætereat quod ab aliis dicitur; & rurſum quod ab illis tacetur, clarius exponat: novum vel inſolens in præſenti loco videri non debet. Ego quidem ita conjicio, dum urbi appropinquaret Chriſtus, cæcum clamaſſe: ſed quum præ ſtrepitu non eſſet auditus, viam obſediſſe in urbis egreſſu, & tunc demum fuiſſe à Chriſto vocatum. Itaque Lucas, à vero principio exorſus, non perſequitur totam narrationem, ſed tranſilit Chriſti hoſpitium in urbe: alii autem duo ſolum tempus attingunt quod propius miraculo fuit. Conjectura autem probabilis eſt, ut ſæpe Chriſtus, fidem hominum probare volens, eos aliquantiſper diſtulit, eodem examine in hoc cæco fuiſſe uſum. Secundi nodi perquam facilis eſt ſolutio: nam & alibi vidimus unum dæmoniacum à Marco & Luca referri ſanatum, ubi Matthæus duos nominat, ſicuti & hoc loco. neque tamen ideo inter ſe diſſident. quin potius probabilis eſt conjectura, quum initio cæcus unus Chriſti gratiam imploraret, ejus exemplo commotum fuiſſe alterum: atque hac occaſione viſum duobus eſſe redditum. De uno vero tantum loquuti ſunt Marcus & Lucas, vel quia erat notior, vel quia in illo non minus inſigne virtutis Chriſti ſpecimen erat quam in duobus. Certe propter celebrem notitiam videtur eum prætuliſſe Marcus, qui tam ipſius quam patris nomen exprimit. non enim vel claritatem generis, vel divitias commendat: nam mendicus erat ex infima plebe. Unde apparet, quia vulgo nota erat ejus calamitas, nobilius fuiſſe miraculum in ejus perſona. Hæc mihi ratio eſſe videtur cur eum ſolum nominent Marcus & Lucas, de altero taceant, qui erat velut inferior acceſſio. Matthæus autem oculatus teſtis, ne hunc quidem, quamvis magis obſcurum, prætermittere voluit.

30. *Domine, miſerere.*] Dixi nuper initium clamandi ab uno eſſe factum: ſed alterum facile impulit ſimilis neceſſitas ut ſe quoque adjungeret. Porro non vulgarem Chriſto honorem deferunt, petentes ut ſui miſertus, ſuccurrat. Perſuaſos enim fuiſſe oportet, in ejus manu eſſe auxilium vel remedium quo egebant. ſed magis in eo ſpectanda eſt ipſorum fides quod Meſſiam fatentur, quem ſcimus hoc elogio notatum fuiſſe apud Judæos. Confugiunt igitur ad Chriſtum, non modo tanquam ad Prophetam quemlibet, ſed ad unicum ſalutis auctorem qui à Deo promiſſus fuerat. Clamor vehementiæ affectus indicium fuit. nam quum ſcirent ſe apud pleroſque odioſe loqui, quibus minime gratus erat Chriſti honor: metum ſuperavit ardor deſiderii, ut vocem libere nihilominus extollerent.

31. *Turba increpabat.*] Mirum eſt Chriſti diſcipulos, qui officii & reverentiæ cauſa eum ſequuntur, velle miſeros à Chriſti gratia arcere, & quantum in ſe eſt viam obſtruere ejus virtuti. Sed hoc plerumque fieri ſolet, ut major pars eorum qui nomen Chriſti profitentur, ab ejus acceſſu nos potius impediat vel moretur quam ad eum nos invitet. Si per homines pios & ſimplices, quos ad ſequendum Chriſtum trahebat aliqua religio, molitus eſt Satan duobus cæcis obſtaculum ponere: quanto id magis per hypocritas & perfidos efficiet, niſi nobis attente cavebimus? Conſtantia ergo opus eſt quæ impedimenta omnia tranſcendat. imo quo plures obices ingerit Satan, eo magis ad ſtudium precandi nos accendi convenit: ſicuti videmus cæcos duplicaſſe ſuum clamorem.

32. *Quid vultis ut faciam.*] Comiter & benigne rogat quid cupiant, quia ſtatuerat eorum precibus annuere. neque enim dubium eſt quin peculiari Spiritus inſtinctu precati ſint: quia ſicuti non omnes à morbis corporalibus eruere vult Dominus, ita neque ſimpliciter precari permittit. Præſcripta eſt nobis regula, quid, & quomodo, & quatenus petere debeamus: ab ea deflectere fas non eſt, niſi Dominus arcano Spiritus motu peculiare aliquod votum dictet. quod raro contingit. Cæterum interrogat eos Chriſtus, non tam ipſorum privatim cauſa quam totius populi. Scimus enim ut mundus Dei beneficia ſine ſenſu devoret, niſi ſtimulis excitetur. Ergo Chriſtus voce ſua turbam aſtantem ad obſervandum miraculum erigit, ſicuti paulo poſt ſigno viſibili, dum tactu aperit oculos. Quum dicit Matthæus Jeſum fuiſſe miſertum, non eſt participium ejus verbi quo nuper in cæcorum perſona uſus fuerat. Illi miſericordiam Chriſti implorabant, ut opem ferret miſeris: nunc autem exprimit Euangeliſta non ſolum gratuita bonitate inductum fuiſſe Chriſtum ut illos ſanaret, ſed quia eorum malo condoluit. Metaphora enim ſumpta eſt à viſceribus, in quibus reſidet humanitas & mutua compaſſio, quæ nos ad proximos juvandos incitat.

52. Marc. *Fides tua.*] Fidei nomine non tantum fiducia recuperandi viſus intelligitur, ſed altior perſuaſio, quod cæcus hic Jeſum agnoverat eſſe Meſſiam divinitus promiſſum. Nec vero confuſa quædam notitia fingenda eſt: quia prius vidimus, ex Lege & Prophetis ſumptam fuiſſe hanc confeſſionem. Non enim temere Chriſto nomen filii David cæcus impoſuit, ſed eum amplexus eſt qualem ex divinis oraculis edoctus fuerat venturum. Fidei autem aſcribit Chriſtus quod cæcus viſum recepit: quia tametſi ad incredulos quoque interdum Dei virtus & gratia penetrat, nemo tamen ejus beneficiis rite & utiliter fruitur, niſi qui ea fide percipit: imo incredulis uſus donorum Dei adeo ſalutaris non eſt, ut magis noxius ſit. Quare hæc ſalus cujus Chriſtus meminit, non reſtringitur ad externam ſanitatem, ſed ſanam quoque ſalvamque animam comprehendit. acſi diceret Chriſtus, fide cæcum impetraſſe ut Deo propitio, voti compos fieret. Quod ſi fidei reſpectu dignatus eſt Deus cæcum ſua gratia, ſequitur fide juſtificatum eſſe.

34. Matth. *Sequuti ſunt eum.*] Hoc gratitudinis ſignum fuit, cæcos Chriſto ſe dare comites. Quanquam vero incertum eſt diune hoc officium præſtiterint: fuit tamen hoc grati animi, ſpectaculum gratiæ Chriſti multis in illo itinere præbere. Addit Lucas, plebem dediſſe gloriam Deo: quod ad probandam miraculi certitudinem valet.

MATTH.	MARC.	LUC. XIX.
		1. Et ingreſſus perambulabat Jericho. 2. Et ecce vir nomine Zachæus: atque is princeps erat publicanorum, & idem erat dives.

3. Et quærebat videre Jeſum quis eſſet: nec poterat præ turba, quod ſtatura puſillus eſſet.

4. Et præcurrens, aſcendit in arborem ſycomorum, ut videret eum: nam illac erat tranſiturus.

5. Et quum veniſſet ad locum, ſuſpiciens Jeſus vidit illum, dixitque ad eum, Zachæe, feſtinans deſcende: quia hodie domi tuæ oportet me manere.

6. Et feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens.

7. Quumque viderent omnes, murmurabant, dicentes quod ingreſſus eſſet apud hominem peccatorem diverſaturus.

8. Stans autem Zachæus dixit ad Dominum, Ecce, dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & ſiquid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.

9. Ait Jeſus ad eum, Hodie ſalus domui huic contigit, eo quod & ipſe filius ſit Abrahæ.

10. Venit enim Filius hominis quærere & ſervare quod perierat.

Hinc apparet quam non fuerit curioſus Lucas in ſervanda temporum ſerie. Poſtquam enim miraculum narravit, nunc recitat quid acciderit in urbe Jericho. Dicit autem, quum Chriſtus ſe omnibus offerret per vias obambulaos, unum Zachæum ejus videndi fuiſſe maxime cupidum. ſignum enim vehementis deſiderii fuit, arborem conſcendere, quum divites ut plurimum ſint faſtuoſi, ſeque ſpecie gravitatis venditent. Fieri quidem poteſt ut idem alii etiam optarint: ſed hunc præ aliis omnibus merito celebravit Lucas, tum ob qualitatem perſonæ, tum ob miram, quæ repente extitit, hominis converſionem. Etſi autem in Zachæo nondum erat formata fides, fuit tamen hæc præparatio quædam. Neque enim Chriſti conſpectum ſine cæleſti inſtinctu tantopere expeteret; dico in eum finem qui ſtatim apparuit. quoſdam enim haud dubie impulit vana curioſitas ut Chriſti viſendi cauſa, etiam ex locis remotis accurrerent: ſed ex eventu patuit incluſum fuiſſe pietatis ſemen in animo Zachæi. Sic Dominus ſæpe, priuſquam ſe hominibus manifeſtet, cæcum illis affectum inſpirat, quo feruntur ad ipſum adhuc latentem & incognitum. quanquam autem noodum illis conſtet certa ratio, eos tamen noo fruſtratur, ſed ſe in tempore patefacit.

5. *Zachæe, hodie oportet.*] Memorabile gratiæ ſpeciomen, quod Zachæum præveoit Dominus, nec expectat ejus invitationem, ſed ultro domi ejus hoſpitium ſibi quærit. Scimus quam odioſum tunc fuerit, imo deteſtabile nomen Publicani: idque paulo poſt exprimet Lucas. Inſignis ergo Filii Dei humanitas, ad eum accedere à quo vulgus hominum abhorret, atque id priuſquam rogetur. Sed nihil mirum ſi hoc honore dignetur quem jam occulto Spiritus motu ad ſe traxit: quia præſtaotius fuit donum, in ejus corde habitare, quam domum ingredi. Hac autem voce teſtatus eſt, ſe fruſtra nunquam quæri ab hominibus qui ſincere eum cognoſcere cupiunt. Nam longe plus quam ſperaverat Zachæus adeptus eſt. Porro, quod tanta promptitudine obſequitur Zachæus, & celeriter ex arbore deſcendens, cum gaudio Chriſtum excipit, in eo clarius adhuc perſpicitur Spiritus ſancti vis & directio. nam etſi pura fide oondum imbutus erat, fuit tamen hæc docilitas & obedientia, fidei principium.

7. *Quumque viderent.*] Murmurant oppidi incolæ, & forte aliqui ex Chriſti comitibus, quod ad hominem mali & probroſi nominis divertat, quum tamen nemo ipſum invitaverit. Ita mundus quum expoſitam ſibi Dei gratiam negligat, eam ad alios transferri moroſe obſtrepit. Sed videamus quam iniquum fuerit murmur. abſurdum eſſe putant quod homioem ſceleratum dignetur Chriſtus tanto honore. *Peccator* enim hic, ut pluribus aliis locis, non vulgari ſenſu capitur: ſed hominem turpis ac flagitioſæ vitæ deſignat. Demus talem fuiſſe Zachæum; prius tamen quærendum erat quo conſilio illum ſibi hoſpitem eligeret Chriſtus. Nam dum foris murmurant, intus magnifice Deus nominis ſui gloriam illuſtrans, improbam eorum calumniam refutat. Fuit enim admirabile Dei opus Zachæi converſio: nec tamen juſta ratio erat cur Zachæum infamiæ notarent. Vectigalium redemptor erat. atqui vectigalia colligere, per ſe nullum eſt ſcelus: ſed apud Judæos ordo ille ideo infamia & odio flagrabat quod nihil magis indignum putabant quam ſe eſſe tributarios. Sed qualiſcunque eſſet Zachæus, laudabilis tamen, noo culpanda fuit Chriſti humanitas, quod miſero homini opem ſuam non negavit, ut ab exitio eum in ſalutem adduceret. Itaque eum non deterruit prava offenſio quio ad exequendum Patris mandatum pergeret. Atque hac animi magnitudine præditos eſſe oportet omnes ejus miniſtros ut pluris ſit illis animæ unius ſalus quam obſtreperi omnium imperitorum ſermones. ac proinde licet facta ſua dictaque omnia calumniis eſſe obnoxia videant, non tamen deſiſtant ab officio.

8. *Stans autem Zachæus.*] Ab hoc exitu fieri judicium decebat de Chriſti facto: ſed ita præpoſtere feſtinant homines, ut locum Deo nullum relinquant. Porro Zachæi converſio à fructibus & externis ſignis deſcribitur. quia probabile erat eum ſuas opes multorum damno auxiſſe; ſi quem fraudaverit, quadrupulum reddere paratus eſt; præterea dimidiam bonorum ſuorum partem pauperibus conſecrat. Poſſet quidem ſua omnia in pauperes quiſpiam erogare, cujus tamen liberalitas nihili eſſet coram Deo; ſed quamvis nulla hic interioris pœnitentiæ fiat mentio, Lucas tamen intelligit ex viva illa radice prodiiſſe pium ſtudium quod in Zachæo commendat. Sicuti Paulus de pœnitentia diſſerens, ad hæc officia nos hortatur ex quibus intelligant homines nos in melius eſſe mutatos: Qui furabatur, jam non *Ephes. 4.* furetur; magis autem manibus ſuis laboret, ut ſub- *verſ. 28.* veniat pauperibus & egenis. Ergo à corde incipiendum eſt, ſed operibus teſtanda ſimul eſt noſtra reſipiſcentia. Notemus autem Zachæum minime ex ſuis rapinis prædam Deo offerre: ſicuti multi divites ex ſuis furtis partem Deo aſſignant, quo majore licentia in poſterum prædentur, atque ut impune illis cedant ſuperioris temporis injuriæ. Atqui Zachæus ita Deo ſacrificat dimidiam bonorum ſuorum partem, ut quæcunque intulit damna, ſimul compenſet. unde colligimus, quas poſſidebat divitias, non ex illicito quæſtu illi proveniſſe. Ita Zachæus non modo ſatisfacere paratus eſt ſi quid fraude abſtulit, ſed juſtum patrimonium cum pauperibus communicat: quo ſe oſtendit ex lupo converſum eſſe noo ſolum in ovem, ſed etiam in paſtorem. Et peccata quidem jam admiſſa corrigens, malis artibus in futurum tempus renunciat: ſicuti hoc in primis à ſuis exigit Deus ut ab omni noxa abſtineant. Cæte-

rum

rum Zachæus ſuo exemplo neceſſitate alios minime obſtrioxit ut ſe dimidia bonorum ſuorum parte denudent: ſed tantum tenenda eſt regula quam præſcribit Dominus, ut nos & noſtra omnia conſecremus in ſanctos uſus ac legitimos.

9. *Hodie ſalus huic domui.*] Chriſtus teſtimonium Zachæo reddens, nihil in eo fuiſſe ſimulatum pronunciat. neque tamen ſalutis cauſam bonis operibus Zachæi aſcribit: ſed quia converſio illa certum erat divinæ adoptionis pignus, merito inde colligit, domum illam ſalutis eſſe hæredem. & hoc quoque verba ſonant. Nam quia Zachæus unus ſit ex Abrahæ filiis, ratiocinatur ſalvam eſſe ejus domum. Porro ut quis cenſeatur inter Abrahæ filios, fidem ejus imitetur neceſſe eſt: imo hanc laudem Scriptura fidei proprie tribuit, quod germanos Abrahæ filios ab extraneis diſcernat. Sciamus ergo eam præcipue in Zachæo laudari, cujus gratia factum eſt ut bona quoque opera Deo placerent. Nec vero dubium eſt quin Chriſti doctrina Zachæi converſionem præceſſerit. Illa igitur fuit ſalutis origo, audire Chriſtum de gratuita Dei miſericordia, de hominum cum ipſo reconciliatione, de Eccleſiæ redemptione diſſerentem, fideque hanc doctrinam amplecti. Quia οἶκος Græcis maſculini generis eſt, biſariam exponitur hic locus. Vetus interpres ad Zachæum retulit: quod mihi etiam magis placet. Eraſmus vertere maluit quod ipſa domus filia eſſet Abrahæ: quod tametſi non refello, de Zachæo tamen aptius exponi arbitror. Nam quia Deus, dum patremfamilias adoptat, toti etiam ejus domui ſe in Deum fore promittit, jure ſalus à capite extenditur ad totum corpus. Cæterum particula καὶ emphatica eſt. ſignificat enim Chriſtus, Zachæum non minus quam alios Judæos, qui ſuperbe illum execrabantur, Abrahæ eſſe filium. Ac ne ſuperior vita januam ſalutis ei videatur clauſiſſe, ab officio ſuo ratiocinatur, nihil in hac mutatione eſſe quod quenquam offendere debeat: quia miſſus à Patre fuerit ad ſervandos qui perditi ſunt.

MATTH. XXV.

14. Sicut enim homo quidam peregre proficiſcens vocavit ſervos ſuos, & tradidit illis bona ſua.

15. Et huic quidem dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum: unicuique ſecundum propriam facultatem. & profectus eſt ſtatim.

16. Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & negotiatus eſt per ea, & confecit altera quinque talenta.

17. Similiter & qui duo acceperat, lucratus eſt & ipſe altera duo.

18. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abſcondit pecuniam domini ſui.

19. Poſt multum vero temporis venit dominus ſervorum illorum, & ponit rationem cum eis.

20. Et accedens is qui quinque talenta acceperat, attulit altera quinque talenta, dicens, Domine, quinque talenta tradidiſti mihi, ecce altera quinque talenta lucratus ſum per ea.

21. Ait illi dominus ejus, Euge ſerve bone & fidelis, ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: intra in gaudium domini tui.

22. Accedens autem & qui duo talenta acceperat, ait, Domine, duo talenta tradidiſti mihi, ecce alia duo lucratus ſum per ea.

23. Ait illi dominus ejus, Euge ſerve bone & fidelis, ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: intra in gaudium domini tui.

24. Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait, Domine, noveram te quod homo durus ſis, metens ubi non ſeminaſti, & inde congregans ubi non ſparſiſti.

25. Ac territus abii, abſcondique talentum tuum in terra: ecce habes quod tuum eſt.

26. Reſpondens autem dominus ejus, dixit ei, Serve male & piger, ſciebas quod

MARC.

LUC. XIX.

11. Hæc illis audientibus, adjiciens dixit parabolam, eo quod eſſet prope Hieroſolymam, quodque exiſtimarent fore ut confeſtim regnum Dei manifeſtaretur.

12. Dixit ergo, Homo quidam genere clarus profectus eſt in regionem longinquam, ut acciperet ſibi regnum, ac reverteretur.

13. Vocatis autem decem ſervis ſuis, dedit eis decem minas, & ait ad illos, Negotiemini donec veniam.

14. Cives autem ejus oderant eum, miſeruntque legationem poſt illum, dicentes, Nolumus hunc regnare ſuper nos.

15. Et factum eſt ut rediret accepto regno, juſſitque vocari illos ſervos ad ſe quibus dederat pecuniam, ut ſciret quantum quiſque negotiatus eſſet.

16. Venit autem primus, dicens, Domine, mina tua decem minas acquiſivit.

17. Et ait illi, Euge bone ſerve: quia in minimo fuiſti fidelis, habeto poteſtatem ſuper decem civitates.

18. Et alter venit, dicens, Domine, mina tua confecit quinque minas.

19. Et huic ait, Et tu præfectus eſto quinque civitatibus.

20. Et alius venit, dicens, Domine, ecce mina tua quam habui repoſitam in ſudario.

21. Timui enim te, quod homo auſterus ſis: tollis quod non poſuiſti, & metis quod non ſeminaſti.

22. Dicit ei, De ore tuo te judicabo ſerve male. ſciebas quod homo auſterus ſim, tollens quod non poſui, & metens quod non ſeminavi:

23. Et quare non dediſti pecuniam meam ad menſam? & ego veniens, cum uſuris utique exegiſſem illam.

metam ubi non ſeminavi, & congregem illinc ubi non ſparſi.

27. Oportuit ergo te committere pecuniam meam menſariis: & veniens ego recepiſſem utique quod meum eſt, cum uſura.

28. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta.

29. Omni enim habenti dabitur, & abundabit: qui vero non habet, etiam id quod habet auferetur ab eo.

30. Et inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus & ſtridor dentium.

24. Et aſtantibus dixit, Auferte ab illo minam, & date illi qui decem minas habet.

25. Et dixerunt ei, Domine, habet decem minas.

26. Dico enim vobis quod omni habenti dabitur: ab eo autem qui non habet, etiam quod habet auferetur.

27. Cæterum inimicos meos illos qui noluerunt me regnare ſuper ſe, adducite huc, & interficite coram me.

28. Et his dictis, ibat præcedens ut aſcenderet Hieroſolymam.

11. Luc. *Hæc illis audientibus.*] Hoc prodigii ſimile fuit, quod toties admoniti diſcipuli de propinqua Chriſti morte, ad regnum ejus transvolabant. Duplex autem error fuit: quod ſine cruce imaginabantur beatam quietem, deinde quod regnum Dei ſuo carnali ſenſu æſtimabant. Unde apparet quam tenuis & obſcura fuerit eorum fides. Etſi enim ſpem reſurrectionis libaverant, levior tamen erat guſtus quam ut certi quicquam & firmi tenerent de Chriſto. Credunt eum Redemptorem qui olim promiſſus fuerat, unde ſpem renovationis Eccleſiæ concipiunt: ſed illa cognitio mox in figmenta degenerat, quæ vim regni ejus vel pervertunt vel obſcurant. Sed nihil abſurdius eſt quam quod illis tot monitiones ſine profectu memoria exciderant. Brutus certe hic ſtupor fuit, quum nuper diſerte teſtatus eſſet Chriſtus acerbam & ignominioſam mortem ſibi inſtare, non modo ipſos manere ſecuros, ſed properare velut ad lætum triumphum.

12. *Homo quidam.*] Matthæus hanc parabolam aliis interſerit neglecto temporum ordine. Sed quia hoc fuit illi conſilium, à capite viceſimo ſecundo in acervum colligere poſtremos Chriſti ſermones, non eſt cur valde laborent lectores quiſnam primo, vel ſecundo, vel tertio die intra breve illud tempus habitus fuerit. Jam, quid inter ſe differant Matthæus & Lucas, notare operæpretium eſt. nam quum ille membrum unum duntaxat attingat, hic poſterior duo complectitur. Membrum hoc ambobus commune eſt, Chriſtum ſimilem eſſe homini Principi, qui regni acquirendi cauſa longam expeditionem ſuſcipiens, pecuniam ſuam ſervis adminiſtrandam commiſit: & quæ ſequuntur. Hoc vero alterum, Lucæ peculiare eſt, ſubditos abuſos Principis abſentia, tumultum moviſſe, ut jugum ejus excuterent. Utroque membro huc ſpectavit Chriſtus, longe falli diſcipulos, qui putarent jam ipſum fixam habere regni ſtationem, & Hieroſolymam venire ut mox felicem ſtatum erigeret. Ita ſpe regni præſentis ablata, ad ſpem & tolerantiam eos hortatur. Multos enim labores diu & ſedulo illis obeundos edicit antequam gloria illa fruantur cui nimis calide inhiabant. *In regionem longinquam.* Quum putarent diſcipuli Chriſtum regni ſui poſſeſſionem jam tunc adire, hunc errorem primo corrigit: quia ſibi longinquo itinere acquirendum ſit regnum. Porro quid ſignificet regio longinqua, ſubtilius diſſerant qui captant argutias. Mihi non aliud notare videtur Chriſtus quam diuturnam abſentiam à tempore mortis uſque ad ultimum adventum. Quanquam enim ad dextram Patris ſedens cæli & terræ imperio potitur, & ex quo in cælum aſcendit data eſt ei omnis poteſtas, ut coram eo flectatur omne genu: quia tamen nondum hoſtes ſuos ſubegit, nondum apparuit mundi judex, nec manifeſtata eſt ejus majeſtas, non inepte dicitur abeſſe à ſuis, donec ornatus novo principatu iterum redeat. Verum quidem eſt eum nunc regnare, dum ſuos regenerat in vitam cæleſtem, & ad Dei imaginem refingit, Angeliſque aſſociat, dum verbo ſuo gubernat Eccleſiam, tuetur ſuo præſidio, Spiritus donis locupletat, fovet ſua gratia, virtuteque ſuſtinet, ſuppeditat denique quicquid neceſſarium eſt in ſalutem, dum Satanæ omniumque impiorum furorem compeſcit, omneſque machinas diſſipat: ſed quia carni abſconditus eſt hic regnandi modus, proprie in ultimum diem ejus manifeſtatio differtur. Ergo quum regni umbram ſtulte apprehenderent Apoſtoli, pronunciat Dominus procul ſibi quærendum eſſe regnum, ut moram ferre diſcant.

13. *Vocatis decem ſervis.*] Non ita in ſervorum numero ut in pecuniæ ſummis anxie hærendum eſt. nam Matthæus diverſas ſummas exprimens, uberiorem continet doctrinam: quod ſcilicet non omnibus æquale negotiandi onus Chriſtus injungat, ſed uni committens exiguam ſummam, majori pecuniæ alterum præficiat. In hoc ambo conſentiunt, uſque ad ultimum diem reſurrectionis Chriſtum à ſuis quodammodo peregrinari: interea vero minime conſentaneum eſſe ut otioſi ſedeant ac inutiles: ſingulis enim certum munus eſſe injunctum in quo ſe exerceant: debere igitur ad negotiandum intentos eſſe, ut rem Domini ſtrenue procurent. Simpliciter dicit Lucas datam cuique eſſe minam, quia ſive plus ſive minus nobis Dominus committat, pro ſe quiſque rationem pariter reddet. Plenior (ut dixi) & expreſſior eſt Matthæus, qui gradus ponit diſtinctos. Scimus enim non omnibus promiſcue Dominum largiri eandem donorum menſuram, ſed varie prout viſum eſt diſtribuere, ut alii alios præcellant. Porro quicquid in nos donorum contulerit Dominus, ſciamus inſtar pecuniæ apud nos eſſe depoſitum, ut inde aliquid lucri proveniat. Nihil enim indignius eſt quam Dei gratias (quarum vis in fructu conſiſtit) ſepultas latere, nec in aliquem uſum accommodari.

1 Cor. 12. verſ. 7. Epheſ. 4. verſ. 7.

15. Matth. *Unicuique ſecundum propriam fac.*] Hac voce non diſcernit Chriſtus naturam à Spiritus donis: nulla enim eſt vel potentia vel dexteritas quæ non debeat accepta referri Deo. Itaque quiſquis partiri cum Deo volet, nihil ſibi faciet reſiduum. Quid ergo ſibi vult quod paterfamilias dicitur ſingulis plus vel minus committere, ſecundum cujuſque facultatem? Nempe quia Deus, prout quemque diſpoſuit, & naturalibus ornavit donis, ita etiam hoc vel illud injungit, in rebus agendis exercet, provehit ad varias functiones, materiam præclare agendi ſuppeditat, occaſionem etiam proponit. Ridiculi vero ſunt Papiſtæ, dum hinc colligunt ſingulis conferri Dei dona ſecundum meriti ſui modum. Nam etſi vetus interpres nomen Virtutis poſuit, non intellexit, prout ſe geſſerint homines, laudemque virtutis adepti ſint, divinitus ornari: ſed tantum quatenus idoneos paterfamilias judicavit. Scimus autem neminem à Deo idoneum reperiri donec fecerit. Et Græcum nomen δύναμιν, quo uſus eſt Chriſtus, omni ambiguitate caret.

20. Qui

Negotiari qui dicantur.

30. *Qui quinque talenta.*] Dicuntur negotiari qui utiliter impendunt quicquid Deus apud ipſos depoſuit. Piorum enim vita negotiationi apte confertur: quia ultro citroque ad fovendam ſocietatem inter ſe contrahere debent. induſtria autem qua quiſque munus ſibi mandatum exequitur, ipſaque vocatio, facultas bene agendi, & reliqua dona in mercibus deputantur: quia ad hunc uſum & finem ſpectant ut mutua ſit inter homines communicatio. Fructus autem cujus meminit Chriſtus, communis eſt utilitas quæ Dei gloriam illuſtrat. Quanquam enim Deus opera noſtra non ditatur, nec creſcit, ut tamen quiſque fratribus ſuis maxime prodeſt, ac utiliter in eorum ſalutem accommodat quæ à Deo accepit dona, ita dicitur fructum vel lucrum ipſi Deo afferre. Tanti enim hominum ſalutem æſtimat cæleſtis Pater, ut quicquid in eam confertur, in ſuas rationes velit referri. Porro, ne fatigemur bene agendo, pronunciat Chriſtus non irritum fore eorum laborem qui ſe fideliter in ſua vocatione exercuerint. Apud Lucam dicit præfici quinque urbibus qui quinque minas lucratus ſit. quibus verbia exprimit longe aliam regni ſui gloriam fore ultimo adventu, quam nunc apparent. Nunc enim tanquam abſentis negotia laborioſe curamus: tunc vero ampla & multiplex honorum copia ei ad manum ſuppetet, qua magnifice nos exornet. Simplicior eſt loquendi forma apud Matthæum, Intra in gaudium domini tui: qua ſignificat fideles ſervos quorum officia probaverit, beatæ omnium bonorum affluentiæ ſecum fore conſortes. Sed quæritur quid ſibi velit quod additur, Auferte huic minam, & date alteri qui decem habet. nam tunc ceſſabit omnis negotiandi ratio. Reſpondeo, memoria tenendum eſſe quod prius admonui, errare eos qui ſcrupuloſe ſingulis particulis inſiſtunt. Germanus autem ſenſus eſt, etiamſi nunc ignavi & inutiles ſervi Spiritus donis inſtructi ſint, tandem omnibus nudatum iri, ut eorum inopia probroſaque egeſtas in gloriam bonorum cedat. Hos autem ignavos Chriſtus dicit vel talentum vel minam ſub terram defodere: quia dum otio & deliciis ſuis conſulunt, nihil ſubire volunt moleſtiæ. quemadmodum videmus permultos, dum ſibi ſuiſque commodis privatim addicti ſunt, ſubterfugere omnia charitatis officia, nec ullum habere communis ædificationis reſpectum. Quum dicitur paterfamilias, poſtquam reverſus eſt, vocaſſe ſervos ad rationem: ſicuti hinc bonis concipienda eſt alacritas, quia ſe intelligunt operam minime ludere: ita rurſum pigris & deſidioſis non levis injicitur terror. Diſcamus ergo, antequam adveniat Dominus & calculum nobiſcum ponat, quotidie noſipſos ſponte urgere.

24. *Noveram te quod homo durus.*] Hæc durities nihil ad ſummam parabolæ facit: & inepte philoſophantur qui hic diſputant quam auſtere ac rigide cum ſuis Deus agat. Nihilo enim magis notare talem rigorem Chriſtus voluit, quam uſuras laudare quum patremfamilias ſic loquentem inducit, Oportuiſſe apud menſarium deponi pecuniam, ut ſaltem ex fœnore creſceret. Tantum ſignificat Chriſtus nihil excuſationis fore eorum deſidiæ qui & dona Dei ſupprimunt, & ætatem ſuam conſumunt in otio. Unde etiam colligimus nullum vivendi genus coram Deo magis eſſe laudabile, quam ex quo ad hominum ſocietatem aliqua provenit utilitas. Sententia hæc, *Omni habenti dabitur*, expoſita fuit in caput 13. Tenebras etiam exteriores ſupra capite 8. docuimus domeſticæ luci opponi. nam quum antiquitus nocturnæ ut plurimum cœnæ eſſent, quas plurimæ faces & lampades illuſtrabant: qui ejiciuntur è regno Dei, Chriſtus eos dicit extra ejici in tenebras.

27. Luc. *Cæterum inimicos meos.*] Hoc ſecundo membro præcipue Judæos videtur perſtringere: omnes tamen complectitur qui abſente Domino ſeſe ad defectionem erigunt. Chriſto autem propoſitum fuit non modo tales horribilis vindictæ denunciatione terrere, ſed etiam ſuos retinere in fide ſubjectionis. Neque enim levis tentatio eſt, videre multorum perfidia & rebellione regnum Dei diſſipari. Ergo ut inter turbas maneamus quieti, Chriſtus ſe rediturum admonet, ſuoque adventu impiæ defectionis fore ultorem.

MATTH. XXI.

1. Et quum appropinquaſſent Hieroſolymis, & veniſſent Bethphage ad montem Olivarum, tunc Jeſus miſit duos diſcipulos,

2. Dicens eis, Ite in caſtellum quod contra vos eſt: & ſtatim invenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: ſolvite, & adducite mihi.

3. Et ſiquis vobis aliquid dixerit, dicite, Dominus his opus habet. Et confeſtim emittet eos.

4. Hoc autem totum factum eſt ut impleretur quod dictum eſt per Prophetam, dicentem,

5. Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, & ſedens ſuper aſinam, & pullum filium ſubjugalis.

6. Euntes autem diſcipuli, fecerunt ſicut præceperat illis Jeſus.

MARC. XI.

1. Et dum appropinquant Hieroſolymis ad Bethphage & Bethaniam juxta montem Olivarum, emittit duos è diſcipulis ſuis,

2. Et dicit illis, Abite in caſtellum quod contra vos eſt: & ſtatim ingredientes in illud, invenietis pullum alligatum, ſupra quem nullus hominum ſedit: ſolvite eum, & adducite.

3. Et ſiquis vobis dixerit, Cur facitis hoc? dicite, Quia Dominus eo opus habet: & continuo illum mittet huc.

4. Abierunt autem, & invenerunt pullum alligatum juxta januam foris in bivio, & ſolvunt illum.

5. Et quidam eorum qui illic ſtabant, dixerunt illis, Quid facitis ſolventes pullum?

6. At illi dixerunt eis quemadmodum præceperat Jeſus: & ſiverunt eos.

7. Et adduxerunt pullum ad

LUC. XIX.

29. Et factum eſt quum appropinquaſſet ad Bethphage & Bethaniam juxta montem qui vocatur Olivarum, miſit duos diſcipulos ſuos,

30. Dicens, Ite in caſtellum quod eſt è regione, & introëuntes illuc, invenietis pullum alligatum, in quo nemo unquam hominum ſedit: ſolvite illum, & adducite.

31. Et ſiquis vos interrogaverit, Quare ſolvitis? ſic dicetis ei, Quia Dominus eo opus habet.

32. Abierunt autem qui miſſi erant, & invenerunt ſicut dixerat illis.

33. Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos, Quare ſolvitis pullum?

34. At illi dixerunt, Dominus eo opus habet.

7. Et adduxerunt aſinam & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum ſuper illa collocarunt.

8. Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via: alii vero cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via.

9. Porro turbæ quæ præcedebant & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes, Oſanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, Oſanna in altiſſimis.

Jeſum, & injecerunt illi veſtimenta ſua, ſeditque ſuper illum.

8. Multi vero veſtimenta ſua ſternebant in via: alii vero frondes cædebant ex arboribus, & ſternebant in via.

9. Et qui præcedebant, quique ſequebantur, clamabant, dicentes, Oſanna:

10. Benedictus qui venit in nomine Domini: benedictum quod venit regnum in nomine Domini patris noſtri David, Oſanna in altiſſimis.

35. Et duxerunt illum ad Jeſum: & injectis veſtimentis ſuis ſuper pullum, impoſuerunt Jeſum.

36. Eunte autem eo ſubſternebant veſtimenta ſua in via.

37. Et quum appropinquaret jam ad deſcenſum montis Olivarum, cœperunt omnis multitudo diſcipulorum gaudentes laudare Deum voce magna, ſuper omnibus quas videbant virtutibus,

38. Dicentes, Benedictus qui venit Rex in nomine Domini: pax in cælo, & gloria in altiſſimis.

Non quia ex itinere feſſus eſſet, aſinum ſibi Chriſtus per diſcipulos accerſit, ſed in alium finem. nam quum inſtaret mortis tempus, ſolenni ritu oſtendere voluit qualis eſſet regni ſui natura. Id quidem facere exorſus fuerat à ſuo Baptiſmo: ſed hoc illi ſpecimen ſub vocationis ſuæ finem edendum reſtabat. Cur enim hactenus abſtinuit à Regis nomine, nunc vero demum libere ſe Regem profitetur, niſi quia non procul abeſt à ſtadii ſui meta? Ergo quum propinquus illi eſſet in cælum tranſitus, regnum ſuum palam in terra auſpicari voluit. Fuiſſet autem ridicula hæc pompa, niſi reſpondiſſet Zachariæ vaticinio. Ut ſibi regium honorem vendicet Chriſtus, ſuper aſinum equitans Hieroſolymam ingreditur. magnificus ſcilicet ſplendor. Adde quod aſinum precario quiſpiam illi conceſſit. Jam quod ephippiis & ornatu caret, ut veſtes ſuas injicere cogantur diſcipuli, turpis ac pudendæ inopiæ ſignum eſt. Magnum, fateor, comitatum ſecum trahit: ſed quorum hominum? nempe qui ex vicinis pagis temere concurrerant. Reſonant fauſtæ acclamationes: ſed à quibus? nempe à pauperculis, & contemptæ plebis hominibus. Data igitur opera videri potuit ſe omnium ludibrio exponere. Sed quia duo conjunctim agenda illi fuerunt, ut documentum aliquod præberet regni ſui, & doceret terrenis imperiis non eſſe affine, nec in caducis mundi hujus opibus ſitum, hæc illi prorſus tenenda fuit ratio. Quanquam hoc quoque profanis hominibus forte inſipidum foret, niſi multo ante teſtatus fuiſſet Deus per Prophetam ſuum talem fore Regem qui ad reſtituendam populi ſalutem venturus erat. Ergo ne impediat contemptibilis Chriſti habitus quominus in hoc ſpectaculo cernamus ſpirituale ejus regnum, nobis ante oculos verſetur oraculum cæleſte, quo Deus Filium ſuum ſub illa deformitate mendici magis ornaverat, quam ſi cunctis Regum inſignibus ſulgeret. Sine hoc condimento nunquam hæc hiſtoria nobis ſapiet. ideo multum ponderis ſubeſt verbis Matthæi, quum dicit impletum fuiſſe Prophetæ oraculum: quia enim videbat fieri vix poſſe ut homines qui opulentiæ & pompis nimis addicti ſunt, proprio carnis ſenſu quicquam ex hac hiſtoria proficerent, à nudo rei intuitu ad prophetiæ conſiderationem eos traducit.

2. *Ite in caſtellum.*] Quum Bethaniæ eſſet, aſinum minime popoſcit ad levandam itineris moleſtiam: facile enim erat reſiduum iter pedibus conficere. Sed quemadmodum currus ſuos Reges conſcendunt, unde conſpicui emineant: ita populi oculos in ſe convertere voluit Dominus, & aliquo indicio ratas facere comitum ſuorum acclamationes, nequis Regis honorem invito tribui putaret. Unde aſinum juſſerit adduci incertum eſt, niſi quod facile colligitur fuiſſe aliquem pagum ſuburbanum. nam ridiculum eſt quod allegorice de Hieroſolyma quidam exponunt. Nihilo etiam aptior eſt allegoria quam nonnulli in aſina & pullo excudunt. Aſinam populi Judaici figuram eſſe volunt, qui pridem ſubactus, & jugo Legis aſſuetus erat: Gentiles autem repræſentari per pullum, qui expers ſeſſoris fuerat. Chriſtum ergo aſinæ primum inſediſſe, quia à Judæis incipere debuit: poſtea tranſiſſe ad pullum, quia Gentibus quoque ſecundo loco præfectus erat. Et Matthæus quidem videtur utramque equitationem notare. Sed quum frequentes ſynecdochæ in Scripturis occurrant, nihil mirum ſi pro uno duos nominat. Cæterum ex aliis Euangeliſtis liquido conſtat Chriſtum nonniſi pullo uſum eſſe. Et dubitationem eximit Zacharias, qui pro familiari linguæ Hebraicæ uſu rem eandem bis repetit. *Statim invenietis.* Ne quid diſcipulos moretur quominus ad obſequium præſto ſint, Dominus mature quæſtionibus occurrit. Ac primo quidem non fortuito ſe eos mittere ſignificat, quum dicit, in primo pagi introitu inventuros aſellum cum matre. deinde neminem illis adverſaturum quin eum abducant, ſi modo reſpondeant opus ſibi eſſe. Hoc autem modo Deitatem ſuam probavit. nam & rem abſentem cognoſcere, & corda hominum in aſſenſum flectere, ſolius Dei fuit. Etſi enim fieri potuit ut aſini dominus, de illo non male ſentiens, libenter annueret: divinare tamen an futurus eſſet domi, an ei tunc commodum eſſet, an fidem habiturus eſſet hominibus ignotis, non fuit in hominis mortalis arbitrio. Sicuti autem diſcipulos confirmat Chriſtus ut ſint ad parendum alacriores, ita videmus quam ſe morigeros viciſſim præſtent. Succeſſus autem demonſtrat, totum hoc negotium divinitus gubernatum eſſe.

5. *Dicite filiæ Sion.*] Hoc apud Zachariam non habetur ad verbum: ſcite tamen apteque Euangeliſta quod Deus uni Prophetæ teſtari præcepit, ad omnes pios doctores transfert. Hæc enim unica ſpes fuit qua ſe filii Dei & fulcire & erigere debebant, quod venturus tandem eſſet Redemptor. Ideoque Propheta plenam & ſolidam lætitiæ materiam Chriſti adventu afferri docet fidelibus. Nam quia non aliter propitius eſt illis Deus quam Mediatore interpoſito, & idem eſt Mediator qui ſuos à malis omnibus liberat, quid extra ipſum eſſe poteſt quod homines peccatis ſuis perditos & miſeriis oppreſſos exhilaret? Sicuti autem abſente Chriſto mœrore nos penitus confici neceſſe eſt, ita rurſum fideles admonet Propheta, eſſe cur ſolide gaudeant ubi illis adeſt Redemptor. Quanquam autem aliis elogiis Chriſtum commendat, nempe quod juſtus ſit, & ſalute inſtructus: nonniſi particulam unam ſumpſit Matthæus, quæ propoſito ſuo quadrabat, nempe quod pauper venturus ſit, vel manſuetus, hoc eſt, diſſimilis Regi-

bus

bus terrenis, qui magnifico & ſumptuoſo habitu excellunt. Jam paupertatis indicium ſubjicitur, quod equitabit ſuper aſinum, vel filium aſinæ. nec enim dubium eſt quin plebeium equitandi modum regiæ amplitudini opponat.

6. *Euntes diſcipuli.*] Jam nuper dictum eſt, hic in diſcipulis laudari promptum obſequendi ſtudium: non enim tanta erat Chriſti auctoritas ut ſolum ejus nomen ad movendos ignotos homines ſufficeret. deinde timenda erat furti infamia. Hinc ergo apparet quantum Magiſtro detulerint dum nihil reſponſant, ſed ejus mandato & promiſſione freti properant quo juſſi ſunt. Nos quoque eorum exemplo diſcamus per quævis impedimenta pergere, ut Domino quæ à nobis exigit obſequia præſtemus. Ipſe enim ſublatis remoris viam inveniet, nec conatus noſtros finet eſſe irritos.

8. *Plurima autem turba.*] Hic narrant Euangeliſtæ Chriſtum agnitum fuiſſe à populo Regem. Ludicrum quidem ſpectaculum videri potuit quod ignobilis turba ramos cædendo, & veſtimenta ſua ſternendo, inanem Regis titulum Chriſto deferret. ſicuti tamen hoc ſerio fecerunt, ſuamque obſervantiam ex animo teſtati ſunt: ita Chriſtus eos cenſuit idoneos regni ſui præcones. Nec eſt quod tale exordium miremur, quum hodie quoque ad Patris dexteram ſedens, è cæleſti ſolio obſcuros homioes amandet, à quibus ſua majeſtas contemptibili modo celebretur. Cæſos palmarum ramos ex antiquo & ſolenni diei ritu (ſicuti conjiciunt nonnulli interpretes) mihi probabile non videtur. quin potius ſubito inſtinctu Spiritus hunc Chriſto exhibitum fuiſſe honorem apparet, quum nihil tale meditati eſſent diſcipuli, qui reliquæ turbæ ejus rei auctores fuerunt: nam & hoc ex Lucæ verbis colligitur.

Pſal. 118. verſ. 25. 9. *Oſanna Filio David.*] Precatio hæc ex Pſal. ſumpta eſt. Conſulto etiam Matthæus Hebraicas voces recitat, ut ſciamus non temere datos fuiſſe Chriſto plauſus, nec vota quæ in buccam veniſſent diſcipulis, ſine delectu effuſa eſſe: ſed reverenter ſequutos eſſe precandi formam quam per os Prophetæ Spiritus ſanctus toti Eccleſiæ dictaverat. Quanquam enim de regno ſuo illic diſſerat, non tamen dubium eſt quin præcipue reſpiciat ipſe alioſque reſpicere velit ad æternam ſucceſſionem quam pollicitus illi fuerat Dominus. Perpetuam enim orandi legem Eccleſiæ compoſuit, quæ etiam collapſis regni opibus in uſu foret. Itaque invaluerat conſuetudo ut de redemptione promiſſa paſſim his verbis vota conciperent. Et conſilium Matthæi fuit (ſicuti nuper attigimus) Hebreice referre celebre carmen, ut doceret Chriſtum à turba Redemptorem fuiſſe agnitum. Paulum quidem inflexa eſt verborum pronunciatio: potius enim dicendum erat, Hoſchiana, Salvum fac Hoſchiana. obſecro: ſed ſcimus vix poſſe in alienam linguam verba transferri quin aliquid è ſono mutetur. Nec vero Spiritus populum veterem duntaxat inſtituit ut quotidie pro regno Chriſti vota faceret: ſed nobis eadem nunc præſcribitur regula. Et ſane quum Deus nonniſi per manum Filii regnare velit, quum dicimus, Adveoiat regnum tuum, ſub hac particula idem notatur quod in Pſalmo clarius expreſſum eſt. Adde quod Deum rogantes ut Filium ſuum nobis Regem conſervet, fatemur hoc regnum neque humanitus erectum eſſe, neque hominum virtute ſuſtineri, ſed invictum ſtare cæleſti præſidio. Venire dicitur in Dei nomine qui ſe non ingerit, ſed Dei juſſu & mandato ſuſcipit regnum. quod ex Marco certius colligitur, ubi additur altera acclamatio, Benedictum regnum patris noſtri David, quod venit in nomine Domini. Sic enim loquuntur promiſſionum reſpectu: quia teſtatus fuerat Dominus ſe tandem illius populi fore liberatorem, modumque deſignaverat regni Davidis inſtaurationem. Videmus ergo honorem Mediatoris, à quo rerum omnium & ſalutis reſtitutio ſperanda erat, Chriſto tribui. Quum autem plebeii fuerint rudeſque idiotæ qui regnum Chriſti vocatunt regnum Davidis, hinc diſcamus tritam vulgo fuiſſe hanc doctrinam, quæ hodie coacta & dura multis videtur, quia in Scriptura parum ſuot exercitati. Apud Lucam adduntur pauca verba, *Pax in cælo, & gloria in altiſſimis:* quibus nulla ſubeſſet obſcuritas, niſi quod Angelico cantico non reſpondeot quod capite 2. habuimus. Nam illic Angeli gloriam Deo in cælis aſſignant, hominibus vero pacem in terra: hic tam pax quam gloria ad Deum refertur. In ſenſu tamen nihil eſt diſſidii. nam etſi diſtinctius Angeli cauſam demonſtrant cur Deo gloriam cani deceat (quia ſcilicet ejus miſericordia in hoc mundo pace fruantur homines) idem tamen ſibi vult quod nunc turba prædicat, in cælo eſſe pacem: quia ſcimus non aliter miſeras animas in mundo pacari, niſi ſe illis Deus è cælo reconciliet.

MATTH. | MARC. | LUC. XIX.

41. Et ut appropinquavit, videns civitatem, flevit ſuper illa, dicens,
42. O ſi cognoviſſes & tu, & quidem in iſto die tuo, quæ ad pacem tuam pertinent curares: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.
43. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & cingent te, & coanguſtabunt te undique.
44. Et ſolo æquabunt te, & filios tuos qui in te ſunt: & nou relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eo quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ.

41. *Flevit ſuper illa.*] Quum nihil magis cuperet Chriſtus quam injunctum ſibi à Patre officium exequi, finem vero ſuæ vocationis hunc eſſe ſciret, perditas oves domus Iſraël colligere: ſalvificum omnibus ſuum adventum eſſe optavit. Hæc fuit cauſa cur miſericordia tactus, defleret propinquum urbis Hieroſolymæ exitium. Nam quum expenderet illam divinitus electam eſſe ſacram ſedem in qua reſideret ſalutis æternæ fœdus, ſanctuarium unde prodiret ſalus toti mundo: fieri non potuit quin ejus interitum graviter doleret. quum etiam populum qui in ſpem vitæ æternæ adoptatus eret, ſua ingratitudine & malitia miſere perire videret: nihil mitum ſi lachrymas non tenuit. Quod autem abſurdum eſſo quidam putant, Chriſtum malo cui mederi poterat, condoleſcere: facile ſolvitur hic nodus. Nam ſicuti è cælo daſcendit ut carne humana circumdatus, divinæ ſalutis teſtis eſſet ac miniſter: ita vere humanos induit affectus quatenus ſuſceptæ functionis intererat. Ac prudenter ſemper notandum eſt quam perſonam ſuſtineat dum loquitur, vel hominum ſaluti operam impendit. ſicuti hoc loco, ut fideliter expleat Patris mandatum, neceſſe habet expetere ut fructus redemptionis ad totum electi populi corpus perveniat. Quatenus ergo datus erat huic populo miniſter in ſalutem, pro officii ſui ratione illius exitium deploret. Deus erat, fateor: ſed quoties oportuit doctoris officio fungi, quievit, & ſe quodammodo abſcondit ejus Deitas, nequid Mediatoris partibus obſtaret. Cæterum hoc fletu teſtatus eſt

non

non modo fraterne ſe diligere in quorum gratiam fuerat homo factus, ſed paternæ quoque dilectionis Spiritum à Deo in humanam naturam transfuſum eſſe.

42. *O ſi cognoviſſes & tu.*] Pathetica eſt oratio, ideoque abrupta. Scimus enim, in quibus ardent vehementes affectus, nonniſi dimidia ex parte ſenſus ſuos effari. Adde quod duo affectus hic ſimul permiſti ſunt. neque enim tantum miſeratur Chriſtus urbis cladem, ſed ſimul ingrato populo extremum ſcelus exprobrat, quod repudians oblatam ſibi ſalutem, ultro horribile Dei judicium accerſat. Emphatica autem eſt copula quæ interſeritur. tacite enim Chriſtus Hieroſolymam aliis Judææ, imo totius mundi urbibus comparat, hoc ſenſu, Si vel tu quæ ſingulari privilegio in toto orbe præcellis, ſi tu (inquam) ſaltem, quæ cæleſte es in terris ſacrarium, cognoſceres. Sequitur continuo poſt altera amplificatio, ſumpta à tempore: Quamvis hactenus ſceleſte & impie contra Deum fueris contumax, nunc ſaltem reſipiſcendi eſſet tempus. Significat enim jam diem adeſſe qui æterno Dei conſilio in ſalutem Hieroſolymæ ordinatus fuerat, & denunciatus à Prophetis.
Jeſ. 49. verſ. 8. Hoc eſt tempus acceptum (inquit Jeſaias) hic dies
2 Cor. 6. verſ. 2. ſalutis. Quærite Dominum dum inveniri poteſt:
Jeſ. 55. verſ. 5. invocate eum dum prope eſt. Pacis nomine omnes felicitatis partes ſecundum Hebraicam phraſin deſignat. Nec ſimpliciter dicit Hieroſolymæ incognitam eſſe ſuam pacem, ſed quæ ad pacem ſpectabant: quia ſæpe fit ut minime lateat homines ſua felicitas, ſed viam & media (ut loquuntur) malitia ſua excæcati ignorent. Cæterum quum miſeri-
1. cordiæ miſta ſit exprobratio, notemus tanto graviore pœna dignos eſſe homines, quanto excellentioribus donis præditi fuerint: quia ad alia peccata
2. accedit ſacrilega cæleſtis gratiæ profanatio. Secundo notemus, quo propius ad nos Deus accedit lucemque ſanæ doctrinæ admovet, ſi hanc occaſionem negligimus, minus nos eſſe excuſabiles. Semper quidem aperta eſt ſalutis janua: ſed quia interdum ſilet, non vulgare eſt beneficium, quum alta voce & familiariter nos ad ſe invitat: ideoque contemptum manet ſeverior vindicta. *Nunc autem abſcondita ſunt.* Hoc non dicitur ad levandam Hieroſolymæ culpam: potius enim ignominiæ cauſa notatur prodigioſus ejus ſtupor, quod Deum præſentem non cernat. Fateor quidem unius Dei eſſe cæcis aperire mentis oculos: nec ad percipienda regni cæleſtis myſteria quenquam eſſe idoneum, niſi quem intus Spiritu ſuo Deus illuminat: ſed non ideo digni ſunt venia qui bruta ſua cæcitate pereunt. Voluit etiam Chriſtus ſcandalum tollere, quod alioqui rudes & infirmos morari poterat. nam quum in urbem illam conjecti eſſent omnium oculi, ejus exemplum in utramque partem plurimum momenti habuit, vel ut noceret, vel ut prodeſſet. Ergo ne quem impediat illius incredulitas ſuperbuſque Evangelii contemptus, damnatur fœdæ cæcitatis.

43. *Venient dies ſuper te.*] Nunc quaſi ſumpta judicis perſona durius Hieroſolymam compellat. Sic etiam Prophetæ, quamvis lachrymis proſequantur eorum exitium pro quibus anxii eſſe debent, animos tamen ad ſeveras denunciationes colligunt: quia ſciunt non modo impoſitam ſibi eſſe curam ſalutis hominum, ſed etiam divini judicii ſe creatos eſſe præcones. Porro hoc nomine Hieroſolymam pronunciat horribiles pœnas daturam, quod tempus ſuæ viſitationis non cognoverit, hoc eſt, contempſerit exhibitum ſibi Redemptorem, nec ejus gratiam amplexa ſit. Nunc pœnarum quas illa perpeſſa eſt atrocitas nos terreat, ne ſocordia noſtra extinguamus ſalutis lucem, ſed attenti ſimus ad recipiendam Dei gratiam: imo ſtrenue obviam curramus.

MATTH. XXI.

10. Et quum intraſſet Hieroſolymam, commota eſt univerſa civitas, dicens, Quis eſt hic?

11. Turbæ autem dicebant, Hic eſt Jeſus Propheta ille à Nazareth Galilææ.

12. Et intravit Jeſus in templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes & ementes in templo, menſaſque nummulariorum & cathedras vendentium columbas evertit.

13. Et dixit eis, Scriptum eſt, Domus mea, domus deprecationis vocabitur: at vos feciſtis illam ſpeluncam latronum.

14. Et acceſſerunt ad eum cæci & claudi in templo, & ſanavit eos.

15. Quum vidiſſent principes Sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecerat, & pueros clamantes in templo, & dicentes, Oſanna filio David: indignati ſunt.

16. Et dixerunt ei, Audis quid iſti dicunt? Jeſus autem dicit eis, Certe. nunquam autem legiſtis, Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?

17. Et relictis illis exiit è civi-

MARC. XI.

11. Et ingreſſus eſt Hieroſolymam Dominus & in templum. & quum circumſpexiſſet omnia, jamque tempus eſſet veſpertinum, egreſſus eſt Bethaniam cum duodecim.

12. Et poſtero die quum exiiſſent Bethania, eſuriit.

13. Quumque vidiſſet arborem fici procul, habentem folia, venit ſi forte inventurus eſſet aliquid in ea. Et quum veniſſet ad eam, nihil invenit niſi folia: non enim erat tempus ficorum.

14. Et reſpondens Jeſus, dixit fi-cui, Ne poſthac ex te in æternum quiſquam fructum edat. Et audiebant diſcipuli illius.

15. Veniuntque Hieroſolymam. Et ingreſſus Jeſus in templum cœpit ejicere eos qui vendebant & emebant in templo, & menſas argentariorum, & ſellas vendentium columbas ſubvertit.

16. Et non permiſit ut quiſquam deportaret vas per templum.

17. Et dicebat, dicens illis, Nonne ſcriptum eſt, Domus mea, domus precationis vocabitur omnibus gentibus? vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.

LUC. XIX.

39. Et quidam Phariſæorum è turba dixerunt ad illum, Magiſter, increpa diſcipulos tuos.

40. Quibus ipſe ait, Dico vobis, quod ſi hi tacuerint, lapides clamabunt.

Paulo poſt.

45. Et ingreſſus in templum, cœpit ejicere vendentes in illo & ementes.

46. Dicens illis, Scriptum eſt, Domus mea, domus precationis eſt: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.

47. Et docebat quotidie in templo. Principes Sacerdotum & Scribæ quærebant illum per-

tate in Bethaniam, & diverſatus eſt illic.

18. Mane autem revertens in civitatem, eſuriit.

19. Et quum vidiſſet fici arborem unam in via, venit ad eam, & nihil invenit in ea, niſi folia tantum. Et ait illi, Ne poſthac ex te naſcatur fructus in æternum: & areſacta eſt continuo ficus?

20. Et quum vidiſſent diſcipuli, mirati ſunt, dicentes, Quomodo continuo exaruit ficus?

21. Reſpondens autem Jeſus, ait eis, Amen dico vobis, ſi habueritis fidem, & non hæſitaveritis, non ſolum hoc quod in ficu accidit facietis, verum etiam ſi monti huic dixeritis, Tollere, & projicere in mare, fiet.

22. Et omnia quæcunque petieritis in deprecatione, credentes, accipietis.

18. Et audierunt Scribæ ac principes Sacerdotum, & quærebant quomodo illum eſſent perdituri. timebant enim eum, quod tota turba admirabatur doctrinam ejus.

19. Et quum eſſet veſpera, egreſſus eſt ex urbe.

20. Et mane prætereuntes, viderunt ficum exaruiſſe radicitus.

21. Et recordatus Petrus, dicit illi, Rabbi, ecce, ficus illa cui maledixiſti, exaruit.

22. Et reſpondens Jeſus, dicit illis, Habete fidem Dei.

23. Amen dico vobis, quia quicunque dixerit monti huic, Tollere, ac mittaris in mare: & non hæſitaverit in corde ſuo, ſed fore crediderit quæ dixerit: erit illi quicquid dixerit.

24. Propterea dico vobis, quæcunque orantes petitis, credite quod accipietis: & erunt vobis.

perdere, & primores populi.

48. Nec inveniebant quid facerent: totus enim populus pendebat ab ore ejus quum audiret illum.

Diſſimilis eſt Matthæi & Marci narratio de ficu areſacta. Matthæus enim hoc factum eſſe dicit poſtridie quam ſe Chriſtus profeſſus erat Regem: Marcus vero in diem ſequentem rejicere videtur. Solutio tamen in promptu eſt: nam in hoc conſentiunt, Chriſtum, quum in urbem poſtridie ſolennis ſui ingreſſus veniret, maledixiſſe arbori. Tantum exprimit Marcus (quod præteritum à Matthæo fuerat) rem fuiſſe animadverſam à diſcipulis die ſequenti. Quanquam ergo diſtinctius temporis ordinem Marcus notavit, nihil tamen diverſum continet. Videtur apertius tam à Matthæo quam à Luca differre in hiſtoria correctæ nundinationis. nam quum uterque affirmet Chriſtum ſimulac urbem & templum ingreſſus eſt, expuliſſe vendentes & ementes: Marcus ſimpliciter dicit circumſpexiſſe omnia: ejectionem vero illam in diem alterum rejecit. Ego autem ita concilio, quod quum de templi purgatione loquutus non eſſet, eam deinde inſerat non ſuo loco. Primo die veniſſe in templum narrat, illicque omnia circumſpexiſſe. Quorſum autem intuitus ille tam diligens, niſi ut aliquid vitioſum corrigeret? Nam quum ante ſolitus eſſet templum frequenter viſere, novitate ſpectaculi commotus non fuit. Porro quum deberet Marcus ſubjicere continuo poſt, ejectos è templo fuiſſe qui illic vendebant & emebant, Chriſtum ex urbe egreſſum eſſe dicit: quod autem omiſerat relatu dignum, poſtea refert. Niſi cui forte magis placeat, in hac quoque hiſtoria obſervatum fuiſſe à Marco tempus, quod alii duo neglexerant. Etſi enim ſuo contextu videntur continuum tenorem notare, quia tamen diem certum non exprimunt, nihil abſurdi eſſet, quod conjunctim in ipſis legitur dividere. Mihi tamen illa quam priore loco poſui conjectura magis placet. nam veriſimile eſt coram majore populi frequentia editum illud fuiſſe à Chriſto potentiæ ſuæ ſpecimen. Cæterum quiſquis expendet quam parum curioſi fuerint Euangeliſtæ in notatione temporum, eum non offendet iſta narrandi diverſitas.

10. *Quum intraſſet Hieroſolymam.*] Commotam fuiſſe urbem Matthæus dicit, ut ſciamus rem non obſcure nec furtim fuiſſe geſtam, ſed toto populo ſpectante, nec ignaris Sacerdotibus & Scribis. Quare in illo contemptibili carnis habitu conſpicua fuit Spiritus majeſtas. quomodo enim paſſi omnes fuiſſent cum magno ſuo periculo Chriſtum in urbem regia pompa induci, niſi attoniti fuiſſent? Hæc ergo ſumma eſt, neque clandeſtinum fuiſſe Chriſti ingreſſum, neque hoſtes ejus quieviſſe, quia eum contemnerent: ſed potius occulto metu fuiſſe cohibitos, quia ſcilicet eos perculerat Deus ne quid tentare auderent. Interim perſtringitur ſupina urbis ſecuritas, & advenarum laudatur religio. nam quum audito ſtrepitu quærunt cives quiſnam ſit ille, patet eos non eſſe ex Chriſti comitibus.

12. *Intravit Jeſus in templum.*] Quum ſæpius in templum aſcenderet, & hæc corruptela ſubinde illi eſſet ante oculos, bis tantum ad ejus correctionem manum admovit: ſemel initio ſuæ legationis, & nunc rurſus quum prope ad metam ventum foret. Sed quum turpis & profana confuſio prorſus regnaret, templumque cum ſuis ſacrificiis excidio addictum foret, ſatis habuit Chriſtus ejus profanationem bis palam coarguere. Quum ergo ſe patefecit Doctorem & Prophetam à Deo miſſum ut Judæos expergefaceret, magiſque redderet attentos, templi purgandi munus ſibi ſumpſit. atque hanc priorem hiſtoriam ſolus Joannes attigit capite ſecundo. Nunc vero ſub finem curſus ſui eandem poteſtatem iterum ſibi vendicans, Judæos de templi pollutionibus admonet, ſimulque oſtendit reſtitutionem novam inſtare. Interea vero minime dubium eſt quin ſe & Regem & ſummum Pontificem, templi ac divini cultus præſidem teſtatus ſit. Quod ideo notandum eſt, ne ſibi quilibet privatus idem licere exiſtimet. Zelum quidem quo Chriſtus ad hoc agendum accenſus fuit, piis omnibus communem eſſe decet: ſed ne imitationis prætextu quiſquam temere irruat, videndum eſt quid ferat vocatio, & quatenus nos ex Dei mandato progredi oporteat. Siqua inquinamenta in Eccleſiam Dei obrepſerint, omnes Dei filios urat dolor. ſed quia non omnibus Deus manum armavit, qui privati ſunt ingemiſcant, donec remedium Deus attulerit. Fateor quidem eſſe pluſquam ſtupidos quibus non diſplicet templi Dei pollutio: nec ſufficere ſiqui intus anxii ſint, niſi à contagione ipſi abſtineant, & lingua teſtentur, quoties occaſio ita tulerit, ſe cupere res in melius mutatas: ſed quibus publica non eſt auctoritas, vitia quibus manu nequeunt mederi, lingua, quam habent ſolutam, oppugnent. Quæritur tamen, quum videret Chriſtus craſſis ſuperſtitionibus refertum eſſe templum, cur levem duntaxat, vel certe illis magis tolerabilem correxerit.

rit. Reſpondeo, neque foiſſe Chriſto propoſitum ſacras omnes ceremonias in antiquum uſum reſtituere, nec ab eo delectum ſuiſſe habitum quænam vitia majora vel minora eſſent: ſed huc tantum ſpectaſſe, ut ſub uno viſibili ſymbolo doceret ſibi à Deo purgandi templi mandatas eſſe partes: ſimulque oſtenderet fœdo & palpabili abuſu corruptum eſſe Dei cultum. Prætextu quidem non carebat illa nundinatio, quæ populum moleſtia levabat, ne procul quærenda eſſent ſacrificia: deinde ut præſto ad manum eſſet pecunia quam quiſque offerre vellet. Nec vero in ſanctuario ſedebant menſarii, vel proſtabant venales hoſtiæ, ſed tantum in atrio, cui nomen templi interdum tribuitur: ſed quia nihil minus conſentaneum eſt templi majeſtati quam illic erigi forum rerum venalium, & nummularios collybi cauſa ſedere, fuit hæc minime ferenda profanatio. Et Chriſtus in eam acrius invectus eſt, quod palam conſtaret morem illum Sacerdotum avaritia ad turpis quæſtus capturam inductum eſſe. Nam ut qui tabernam ingreditur variis mercibus pulchre inſtructam, quamvis nihil emere in animo habeat, illecebris tamen captus mutat conſilium: ſic captandis oblationibus retia tendebant Sacerdotes, ut à ſingulis aliquid lucri emungerent.

13. *Scriptum eſt.*] Duo teſtimonia ex duobus Prophetis ſumpta Chriſtus adducit: unum ex capite 56. Jeſaiæ, alterum ex 7. Jeremiæ. Porro quod ſcriptum eſt apud Jeſaiam, temporis circumſtantiæ quadrabat. illic enim prædicitur Gentium vocatio. Jeſaias ergo Deum facturum promittit non modo ut priſtinum ſplendorem templum recuperet, ſed etiam ut illuc confluant undique omnes Gentes, totuſque orbis in veram & ſinceram pietatem conſentiat. Certum quidem eſt metaphorice ipſum loqui. nam Prophetæ ſpiritualem Dei cultum, qui ſub regno Chriſti futurus erat, Legalibus figuris adumbrant. Certe hoc nunquam impletum fuit ut omnes populi Hieroſolymam adorandi cauſa aſcenderent. Quum ergo pronunciat templum fore locum precationis omnibus Gentibus, perinde valet hæc loquutio acſi dixiſſet Gentes aggregandas eſſe in Eccleſiam Dei, ut uno ore verum Deum una cum filiis Abrahæ invocent. Sed quia templi meminit, quatenus viſibilis tunc erat pietatis ſedes, merito Chriſtus Judæis exprobrat, in alienos uſus, quam quibus dicatum erat, ab ipſis eſſe traductum. Senſus ergo eſt, Templum hoc Deus hactenus extare voluit tanquam ſignum quo intenti eſſent omnes ejus cultores. Quam igitur indigne & ſceleſte in profanum forum convertitur? Cæterum Chriſti ætate vere templum illud domus erat precationis, quamdio ſcilicet viguit Lex cum ſuis umbris: cœpit autem omnibus Gentibus eſſe domus precationis, quum inde perſonuit Euangelii doctrina, qua totus orbis in fidei conſenſum coaluit. Et quanquam paulò poſt funditus everſum eſt, adhuc tamen hodie apparet hujus prophetiæ effectus. nam quia de Sion exivit Lex, neceſſe eſt ad illud principium reſpicere quicunque rite precari volunt. Fateor quidem nullum eſſe locorum diſcrimen, quia ubique vult invocari Dominus: ſed quemadmodum dicuntur lingua Chanaan loqui fideles qui Deum Iſraëlis ſe colere profitentur: ita & in templum venire, quia inde fluxit vera religio. & illa eadem origo fuit aquarum quæ brevi ſpatio mirum in modum auctæ, larga copia profluunt, ac
cap. 47. bibentes vivificant, ut meminit Ezechiel: quæ à
vers. 9. templo egreſſæ, ab ortu Solis uſque ad occaſum
cap. 14. ſe diffundunt, ut eſt apud Zachariam. Hodie quan-
vers. 5. quam ad ſacros conventus agendos templis utimur, diverſa tamen eſt ratio: quia ex quo exhibitus eſt Chriſtus, nobis externa & umbratilis ejus imago minime proponitur, ſicut olim Patribus ſub Lege. Notandum præterea eſt, Precationis voce totum Dei cultum notari à Propheta. Quantumvis enim multiplex tunc eſſet ceremoniarum copia, docere tamen breviter Judæos voluit Deus quorſum illas omnes referri deceret, nempe ut ſpiritualiter ipſum colerent: ſicuti clarius habetur Pſalmo 50. nam illic quoque Deus omnia pietatis exercitia ad precationem revocat. *At vos feciſtis illam.* Significat Chriſtus querimoniam Jeremiæ competere etiam in ſuum tempus, quo non minus vitiatum erat templum. Propheta hypocritas objurgat, qui templi fiducia peccandi licentiam ſibi indulgebant. Nam quum Dei conſilium eſſet Judæos externis ſymbolis, quaſi rudimentis, ad veram pietatem inſtituere, ſicut hypocritis ſolenne eſt ejus veritatem convertere in mendacium (quaſi ſufficeret externis ceremoniis dare operam) inani templi prætextu contenti erant. Reclamat autem Propheta, Deum templo minime affixum eſſe, vel ceremoniis alligatum, ideoque fallaciter jactare templi nomen, quod ſpeluncam latronum fecerant. Sicuti enim audacius in ſuis ſpeluncis peccant latrones, quia id ſe impune confidunt facturos: ſic hypocritis ex fictitio pietatis obtentu creſcit audacia, ut Deo propemodum illudere non dubitent. Porro quia metaphora Speluncæ ad omnes corruptelas extenditur, locum Prophetæ Chriſtus opportune ad præſentem cauſam accommodat. Additur apud Marcum vetuiſſe Chriſtum ne quis vas per templum ferret: hoc eſt, non eſſe paſſum quicquam illic à ſacris alienum ſpectari. nam Vaſis nomine Hebræi quodvis ſupellectilis genus notant. In ſumma, quicquid templi reverentiæ & majeſtati obſtabat, Chriſtus ſuſtulit.

14. *Acceſſerunt cæci & claudi.*] Ne auctoritas illa quam ſibi præter uſitatum morem uſurpaverat Chriſtus, temeritatis ſuſpecta foret, eam miraculis aſſeruit. Claudos ergo & cæcos in templo ſanavit, ut palam fieret vere in eum competere Meſſiæ jus atque honorem. nam eum Prophetæ his notis inſigniunt. Unde iterum perſpicimus quod paulo ante admonui, non eſſe cujuslibet è populo imitari hoc Chriſti factum, ne ſe inconſiderate in ſolium Meſſiæ extollat. Hoc quidem tenendum eſt, claudos & cæcos qui ſanati fuerunt, teſtes fuiſſe divinæ Chriſti virtutis, acſi Deus è cælo turbæ præconium ſua voce ſanciret.

15. *Quum vidiſſent principes.*] Lucas narrat Phariſæos jam in via cœpiſſe obſtrepere. Soli tunc diſcipuli clamabant: illis voluerunt ſilentium indici. Reſpondit Chriſtus, fruſtra ipſos contendere: quia potius clamorem à lapidibus exprimeret Deus quam Filii ſui regnum obrui ſineret. Credibile autem eſt quum nullus fieret clamandi modus, quin & pueri ipſi accederent, ſimul indignationem Scribis & Sacerdotibus creviſſe: & tunc de integro Chriſtum aggreſſos. Videntur autem oblique illum mordere, dum objiciunt captare laudem à pueris. Porro notandum eſt unde nata fuerit eorum offenſio. Impiæ quidem malitiæ ac virulento Dei contemptui fuiſſe conjunctam, inde patet, quod non minus eos torqueant miracula quam fauſtæ acclamationes: ſed nunc aliquid magis ſpeciale quæro, quidnam eos maxime pupugerit. Scimus autem quam acriter pro ſuo jure pugnaverint. huc enim ferebat eos zelus ut tyrannis quam ſemel uſurpaverant, ſalva ipſis maneret. Porro hæc non minima erat imperii diminutio, ſi plebi liberum fuiſſet Chriſto regium deferre nomen. etiam in rebus minutis ſua decreta volebant pro oraculis haberi, ne quicquam vel probare vel rejicere fas eſſet niſi ex eorum placito. Itaque abſurdum ac perverſum eſſe judicant, à plebe ornari quempiam Meſſiæ titulo, quem ipſi nullo gradu dignentur. Et certe æquum erat, ſi officio ſuo functi eſſent, eos toti populo auctores ac duces
præire. Creati enim erant Sacerdotes, ut ex eorum Mal. 2.
labiis omnes peterent Legis ſcientiam: denique ut vers. 7.
Dei exercituum angeli eſſent ac interpretes. Sed

quia

quia perfide veritatis lucem extinxerant, appoſite reſpondet Chriſtus, nihil eos proficere dum ſalutis doctrinam ſupprimere conantur: quia potius ex lapidibus erumpet. Subeſt autem tacita conceſſio: neque enim hunc præpoſterum eſſe ordinem Chriſtus negat quod indoctum vulgus & pueri Meſſiæ adventum ſua voce primi celebrent; ſed quia veritatem maligne ſuffocant qui legitimi eſſe debebant ejus teſtes, non mirum eſſe ſi Deus alios excitet, ac in eorum ignominiam pueros deligat. Hinc ad nos redit non parva conſolatio: quamvis enim tegendo Chriſti regno nullum non lapidem moveant impii, hic audimus operam eos ludere. Sperant, ubi ex turba quæ regnum Chriſti promovet alios è medio ſuſtulerint, alios metu prohibuerint, ſe voti fore compotes. atqui fruſtrabitur eos Dominus: quia ex lapidibus potius ora & linguas formabit, quam ut teſtibus Filii ſui regnum careat.

16. *Nunquam autem legiſtis.*] Anſam calumniæ Scribæ & Sacerdotes ex eo arripiunt quod ſe patitur Chriſtus regem à pueris vocari: ut ſuperbe improbi ſemper in Chriſti diſcipulis humilitatem deſpiciunt. Malitiam hanc refutat Chriſtus teſtimonio Davidis, qui infantes quoque ipſos præcones facit gloriæ Dei.
Pſal. 8. Ad verbum ſic habetur, Ex ore infantium & lacten-
verſ. 3. tium fundaſti robur. Quo ſignificat David, etiamſi omnes linguæ taceant, Deum non opus habere aliis rhetoribus ad illuſtrandam ſuam virtutem, quam infantibus pueris qui à matrum uberibus adhuc pendent. Ipſi quidem muti ſunt, ſed mirabilis Dei providentia, quæ in ipſis relucet, inſtar eſt ſonoræ & magniloquæ facundiæ. Nam qui ſecum reputat quomodo gignatur in utero matris fœtus, illic foveatur per novem menſes, tandem in lucem edatur, & paratum alimentum, ſimulac natus eſt, reperiat: neceſſe eſt ut non tantum ſentiat Deum mundi opificem, ſed totus in ejus admirationem feratur. Ita
Pſal. 19. ſol & luna, quamvis ſint elingues creaturæ: tamen
verſ. 2. ad canendas Dei laudes diſertum & vocale præconium illis tribuitur. Porro quum in lingua infantium perſonent elogia Dei, Chriſtus hinc colligit non eſſe abſurdum ſi à pueris qui jam uſu loquendi præditi ſunt, vocem eliciat.

18. *Mane autem revertens.*] Inter ſolennem illum, de quo audivimus, Chriſti ingreſſum, & diem Paſchatis, nocturnum illi hoſpitium fuit Bethaniæ: interdiu vero ad docendum in templo apparuit. Hiſtoriam vero quæ medio illo tempore contigit, referunt Matthæus & Marcus, quod Chriſtus in urbem veniens eſurierit, acceſſerit ad ficum: & quum præter folia nihil in ea reperiſſet, eam maledixerit: arbor vero ejus voce maledicta, continuo exaruerit. Porro Chriſtum non ſimulaſſe eſuriem, ſed vere perpeſſum eſſe, pro confeſſo accipio. Scimus enim carnis noſtræ infirmitatibus ſponte fuiſſe obnoxium: quanquam natura liber & immunis erat. Sed in eo ſita eſt difficultas, quomodo deceptus fuerit fructum in arbore vacua quærens, præſertim quum nondum eſſet maturum fructibus tempus: deinde cur tam ſevere excanduerit in arborem innoxiam. Sed nihil abſurdi eſt ſi dicamus, ſecundum hominem ſpeciem arboris fuiſſe illi incognitam: fieri tamen poteſt ut conſulto acceſſerit, eventum non ignorans. Certe ad maledicendum iracundiæ fervore non rapitur (fuiſſet enim non injuſta modo, ſed puerilis quoque ac ridicula ultio) ſed quum moleſta illi pro carnis ſenſu eſſet fames, eam contrario affectu vincere aggreſſus eſt: nempe ut Patris gloriam proveheret:
Joan. 4. quemadmodum alibi dicit, Cibus meus eſt ut faciam
verſ. 34. voluntatem Patris. Nam illic quoque cum laſſitudine ſitique luctatur: & ego in hanc conjecturam magis inclino, quod fames illi ad miraculum edendum, ſuoſque docendos occaſio fuerit. Ergo quum ipſum premeret fames, nec præſto adeſſet cibus, aliunde ſe paſcit: nempe Dei gloriam propagando. Voluit autem in arbore ſymbolum proponere qualis tandem exitus maneat hypocritas, & ſimul detegere quam inanis ſit ac nihili eorum oſtentatio.

19. *Ne poſthac ex te fructus.*] Hinc diſcamus quid valeat maledicendi verbum, nempe ut ſterilitatis damnetur arbor, ſicuti rurſum benedicit Deus quum fœcunditatem ſua voce inſpirat. Cæterum clarius ex Marco liquet non protinus exaruiſſe ficum, vel ſaltem id non fuiſſe obſervatum à diſcipulis donec poſtridie frondibus nudatam viderunt. Idem quoque Marcus uni Petro aſſignat quod Matthæus communiter omnibus diſcipulis. ſed quum Chriſtus in plurali numero reſpondeat, colligere promptum eſt unum rogaſſe omnium nomine.

21. *Reſpondens autem Jeſus.*] Uſum miraculi longius extendit Chriſtus, ut ſuos diſcipulos ad fidem fiduciamque animet. Apud Marcum generalis primum exhortatio ponitur, *Ut habeant fidem Dei.* Sequitur deinde promiſſio, fide impetraturos quicquid à Deo petierint. Fidem Dei habere tantundem valet atque certo ſibi promittere, & expectare à Deo quicquid opus fuerit. Sed quia fides, ſiqua eſt in nobis, erumpit ſtatim in preces, & ad theſauros gratiæ Dei qui verbo oſtenſi ſunt, penetrat, ut illis fruatur: ideo fidei precationem ſubjungit Chriſtus. nam ſi tantum dixiſſet fore quicquid optabimus, quibuſdam viſa eſſet imperioſa vel nimis ſecura fides. Quare eos vere demum credere oſtendit Chriſtus qui bonitate ejus & promiſſionibus freti, ſuppliciter ad ipſum confugiunt. Hic autem locus ad vim naturamque fidei exprimendam inſignis eſt, nempe quod certitudo ſit in Dei bonitatem recumbens, quæ dubitationem non admittit. Neque enim alios credere agnoſcit Chriſtus niſi qui indubie ſtatuunt Deum ſibi eſſe propitium, nec hæſitant quin daturus ſit quod petunt. Unde perſpicimus quam diabolico figmento faſcinati ſint Papiſtæ, qui fidem dubitationi permiſcent: imo ſtultæ præſumptionis nos inſimulant, ſi de paterno Dei erga nos favore perſuaſi, coram ipſo ſiſtere nos audemus. Atqui hoc præcipue Chriſti beneficium Paulus commendat, quod ex fide illius audaciam habemus accedendi ad Deum cum fiducia. ad Epheſios 3 verſ. 12. Docet præterea hic locus verum fidei examen in precibus contineri. Siquis objiciat vota hæc nunquam fuiſſe exaudita, ut montes ſe in mare projicerent: facilis reſponſio eſt, Chriſtum non laxare habenas hominum votis ut pro arbitrio quidlibet appetant, dum fidei regulæ preces ſubjicit. Sic enim neceſſe eſt ut Spiritus omnes noſtros affectus verbo Dei frenatos in obſequium cogat. Certam & ſine hæſitatione exorandi fiduciam requirit Chriſtus. Unde porro eam mens humana concipiat niſi ex Dei verbo? Nunc ergo videmus Chriſtum nihil diſcipulis promittere niſi ſe intra metas divini beneplaciti contineant.

47. Luc. *Docebat quotidie in templo.*] Marcus & Lucas primo docent ex quo genere hominum conſtiterit Eccleſia, nempe ex turba ignobili: rurſum quoſnam habuerit hoſtes Chriſtus, nempe Sacerdotes & Scribas, omneſque primores. Hæc autem pars eſt ſtultitiæ crucis, quod Deus præterita mundi excellentia quod ſtultum eſt, debile & contemptum eligit. Deinde commemorant bonos illos Eccleſiæ Dei præſides rationem quæſiſſe perdendi Chriſti: unde ſcelerata eorum impietas detecta fuit. Nam ut illis Chriſti perſequendi juſta fuiſſet cauſa, latronum tamen more ad cædem graſſari, vel ſicarios clam ſubmittere nequaquam fas fuit. Tertio docent, impiam illorum conſpirationem repreſſam eſſe: quia arcano Dei decreto ad mortem crucis deſtinatus erat Chriſtus.

Matth. XXI.

23. Et quum veniſſet in templum, acceſſerunt ad èum docentem principes Sacerdotum & Seniores populi, dicentes, Qua auctoritate hæc facis? & quis dedit tibi iſtam auctoritatem?

24. Reſpondens autem Jeſus, dixit eis, Interrogabo vos & ego quiddam: quod ſi dixeritis mihi, & ego vobis dicam qua auctoritate hæc faciam.

25. Baptiſmus Joannis unde erat? è cælo, an ex hominibus? At illi cogitabant apud ſe, dicentes, Si dixerimus, E cælo: dicet nobis, Quare ergo non credidiſtis illi?

26. Sin autem dixerimus, Ex hominibus: timemus turbam. omnes enim habent Joannem ut Prophetam.

27. Et reſpondentes Jeſu, dixerunt, Neſcimus. Ait illis & ipſe, Nec ego dico vobis qua auctoritate hæc faciam.

Marc. XI.

27. Et veniunt rurſus Hieroſolymam: & quum ambularet in templo, veniunt ad illum principes Sacerdotum, & Scribæ & Seniores.

28. Et dicunt illi, Qua auctoritate hæc facis? & quis tibi dedit auctoritatem iſtam ut hæc facias?

29. Jeſus autem reſpondens, dixit illis, Quæram à vobis & ipſe quiddam, & reſpondete mihi: & dicam vobis qua auctoritate hæc faciam.

30. Baptiſmus Joannis utrum è cælo erat, an ex hominibus? reſpondete mihi.

31. Et cogitabant apud ſe, dicentes, Si dixerimus, E cælo: dicet, Cur igitur non credidiſtis illi?

32. At ſi dicamus, Ex hominibus: timebant populum. omnes enim habebant Joannem quod vere Propheta fuiſſet.

33. Et reſpondentes, dicunt Jeſu, Neſcimus. Et Jeſus reſpondens, dicit illis, Nec ego dicam vobis qua auctoritate hæc faciam.

Luc. XX.

1. Et factum eſt in uno dierum illorum, docente illo populum in templo, & euangelizante, convenerunt principes Sacerdotum, & Scribæ cum Senioribus:

2. Et aiunt illi, dicentes, Dic nobis, qua auctoritate iſta facis? aut quis eſt qui tibi dedit auctoritatem iſtam?

3. Reſpondens autem Jeſus, dixit ad illos, Interrogabo vos & ego unum quiddam, & reſpondete mihi.

4. Baptiſmus Joannis è cælo erat, an ex hominibus?

5. At illi cogitabant intra ſe, dicentes, Si dixerimus, E cælo: dicet, Quare ergo non credidiſtis illi?

6. Sin dixerimus, Ex hominibus: plebs univerſa lapidabit nos. perſuaſum enim habet Joannem Prophetam eſſe.

7. Et reſponderunt, ſe neſcire unde.

8. Et Jeſus ait illis, Neque ego dico vobis qua auctoritate hæc faciam.

---

23. *Qua auctoritate hæc facis.*] Quia non proceſſerant alia conſilia & aperti ad oppugnandum conatus, nunc oblique teotant Sacerdotes & Scribæ, ſi forte illum à docendi ratione dejicere queant. Non diſceptant autem de ipſa doctrina, vera ſit oec ne (quod jam ſæpius fruſtra fuerant aggreſſi) ſed de vocatione & mandato controverſiam movent. Et erat quidem ſpecioſus color. nam quum nemo ſeipſum ingerere debeat vel ad Sacerdotii honorem, vel ad Prophetæ munus, ſed expectanda ſit Dei vocatio: multo minus fas euiquam erat ſibi Meſſiæ nomen aſſerere, niſi quem divioitus electum eſſe conſtaret. quia non tantum Dei voce, ſed etiam jurejurando *Pſal. 110. verſ. 4.* conſtitui oportuit, quemadmodum ſcriptum eſt. Sed perverſe & impie agunt, quod quum tam multis virtutibus teſtata eſſet divina Chriſti majeſtas, quaſi omnium ignari, inquirunt unde prodierit. Quid enim magis abſurdum eſt, quum palam exteotam videant manum Dei, dum ſanantur claudi & cæci, dubitare an homo privatus ſibi hanc licentiam temere aſſumat? Adde quod jam ante plus ſatis convicti fuerant, Chriſtum è cælo eſſe miſſum: ut oihil minus habeant in animo quam probare Chriſti geſta, ubi Deum agnoverint eorum auctorem. In hoc igitur inſiſtuot, noo eſſe legitimum Dei mioiſtrum quem ſuis ipſi ſuffragiis non elegeriot: acſi penes eos tota reſideat poteſtas. Atqui quamvis legitimi eſſeot Eccleſiæ præſides, prodigioſum tamen fuit, ſeſe cootra Deum efferre. Nunc tenemus cur illis Chriſtus diſerte non reſponderit: quia ſcilicet improbe & ſine pudore de re conſpicua ipſum rogabant.

25. *Baptiſmus Joannis.*] De Baptiſmo Joannis eos ioterrogat Chriſtus, non tantum ut oſtendat omni auctoritate indignos, quia ſanctum Dei Prophetam ſpreverant: ſed etiam ut eos proprio reſponſo coarguat, impudenter ſimulare rei bene compertæ igoorantiam. Tenendum enim memoria eſt, quorſum miſſus fuerit Joannes, quænam fuerit ejus legatio, in quam rem maxime incubuerit. Miſſus fuerat Chriſti præco: minime defuit ſuis partibus: & ipſe nihil ſibi aliud vendicat niſi ut paret viam Domioo. denique Chriſtum digito monſtraverat, teſtatuſque fuerat unicum eſſe Dei Filium. Nunc igitur unde ſibi probari volunt Scribæ novam Chriſti auctoritatem, quum in Joannis præconio legitima ejus fides facta eſſet? Nunc videmus Chriſtum non uſum fuiſſe callido artificio ut ſubterfugeret, ſed objectæ quæſtioni penitus & ſolide ſatisfeciſſe. Non enim agnoſci poterat Joannes Dei ſervus, quin ipſe Dominus agnoſceretur. Itaque noo armavit protervos homines, qui ſine ullo mandato, ſed privata audacia publicum ſibi munus uſurpaot: neque etiam ſuo exemplo ſophiſticam taccodæ veritatis artem induxit, ſicuti multi verſuti homines falſo eum auctorem prætexunt. Fateor equidem non ſemper eodem modo reſpondendum eſſe, ſiquando nobis inſidias tendunt impii: ſed ita prudenter cavendum eſt ab eorum malitia, ne veritas debito patrocinio fraudetur. Cæterum Baptiſmus hic non tantum pro ſigno ablutioois capitur, ſed pro toto Joannis miniſterio. Voluit enim elicere Chriſtus reſponſum, eſſetne Joannes verus & legitimus Dei Propheta, an impoſtor. Loquutio tamen hæc continet utilem doctrinam, Sitne à Deo Baptiſmus Joannis, ao ab hominibus: quia inde colligimus, oullam doctrinam, nullum ſacrum ſignum debere inter pios admitti oiſi à Deo profecta eſſe conſtet; nec eſſe io hominum arbitrio quicquam excudere. De Joanne habetur ſermo, quem alibi Dominus ſupra omnes Prophetas inſigoi elogio extollit. Baptiſmum tamen ejus, niſi à Deo mandatus eſſet, recipiendum eſſe Chriſtus negat. Quid ergo de fictitiis Sacramentis dicen-

dicendum, quæ ab hominibus oihili ſine ullo Dei juſſu ſtulte invecta ſunt? Nam Chriſtus his verbis aperte pronunciat totum Eccleſiæ regimen ſic pendere à nutu Dei, ut hominibus nefas ſit quicquam à ſeipſis inducere.

Cogitabant apud ſe, dicentes.] Hic perſpicitur Sacerdotum impietas. non reputant quid verum ſit, neque interrogant ſuam conſcientiam: imo turpiter malunt tergiverſari quam fateri quod verum eſſe norunt, nequid ſuæ tyrannidi decedat. Sic omnes impii, quanquam diſcendi ſe cupidos fingant, obſtruunt tamen januam veritati, ſi cupiditati ſuæ ſentiant eſſe adverſam. Non ergo eos ſine reſponſo ablegat Chriſtus, ſed pudefactos ac confuſos dimittit: & quantum ſatis eſt, producto in medium Joannis teſtimonio, divina potentia ſe inſtructum eſſe demonſtrat.

MATTH. XXI.	MARC.	LUC.
28. Quid autem vobis videtur? Homo habebat duos filios: & accedens ad priorem, dixit, Fili, vade, hodie operare in vinea mea. 29. Ille autem reſpondens, ait, Nolo. Poſtea vero pœnitentia motus, abiit. 30. Accedens autem ad alterum, dixit ſimiliter. At ille reſpondens, dixit, Ego domine. Et non abiit. 31. Uter è duobus fecit quod voluit Pater? Et dicunt ei, Prior. Dicit illis Jeſus, Amen dico vobis quod publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei. 32. Venit enim ad vos Joannes per viam juſtitiæ, & non credidiſtis ei: publicani autem & meretrices crediderunt ei. vos autem quum vidiſſetis, non fuiſtis tacti pœnitentia, ut crederetis ei.		

Clauſula hæc oſtendit in quem finem tendat parabola, quum Scribis & Sacerdotibus eos Chriſtus præfert qui vulgo infames ac deteſtabiles erant. Nam iſtis hypocritis larvam detrabit, ne ſe amplius venditent pro Dei miniſtris, & inane pietatis ſtudium obtendant. Quanquam enim ambitio eorum, & ſuperbia, & crudelitas & avaritia omnibus notæ eſſent, prorſus tamen alii cenſeri volebant. Et quum nuper Chriſtum aggreſſi ſunt, de ordine Eccleſiæ ſe eſſe ſollicitos mentiebantur, acſi fidi eſſent & probi ejus vindices. Quum ita craſſe Deo & hominibus illudant, eorum impudentiam refellit Chriſtus, oſtendens ipſos nihil minus eſſe quam quod jactabant, adeoque procul abeſſe ab ea dignitate in qua ſibi placebant, ut infra publicanos & meretrices ſubſidant. Nam quod ſe profitebantur optimos divini cultus cuſtodes, & Legis zelotas, hoc perinde eſſe Chriſtus dicit acſi quis filius patri verbotenus obſequium promittat, eum tamen fruſtretur. Quod ad publicanos & meretrices ſpectat, non excuſat eorum vitia, ſed diſſolutam eorum vitam comparat protervi & parum modeſti filii contumaciæ, qui patris imperium primo rejicit: ſed in boc longe præſtare docet, quia noo ad extremum uſque in ſuis vitiis perſiſtant, quin potius ad jugum ſubeundum, quod ferociter repulerant, placidi ſint ac morigeri. Nunc teoemus Chriſti conſilium. non tantum Sacerdotes & Scribas objurgat quod obſtinate reſiſtant Deo, nec reſipiſcant, toties moniti: ſed bonore eos ſpoliat quo indigni erant, quia deterior ſit illorum impietas quam meretricum laſcivia.

30. *Ego domine.*] Hæc phraſis ex lingua Hebraica ſumpta eſt. nam dum obſequia ſua offerre volunt Hebræi, ac teſtari ſe præſto eſſe ad parendum, ſic loquuntur, Ecce ego adſum domine. Eſt autem virtus per ſe laudabilis, ſimulatque verbum fecit Deus, prompto & alacri ſtudio obſequi. Nec vero Chriſtus tarditatem bic in laude ponit. ſed quum utrumque vitioſum ſit, poſtquam moram quis traxerit, tandem ad officium deſcendere, & verbis profiteri quod non præſtes: banc hypocriſin minus tolerabilem eſſe docet Cbriſtus quam ferociam quæ temporis ſucceſſu dometur.

32. *Venit autem Joannes.*] Quum Joannes fidelis fuerit Dei miniſter, quicquid docuit, Cbriſtus in ipſius Dei perſonam confert. Plenior fuiſſet loquutio, Venit Deus, juſtitiæ viam Joannis ore demonſtrans: ſed quia Joannes Dei nomine, non tanquam privatus bomo loquutus erat, merito in Dei locum ſubſtituitur. Atqui bic locus verbi prædicationi non parvam auctoritatem conciliat, dum præfracti in eum & rebelles eſſe dicuntur quicunque pias & ſanctas doctoris ab eo miſſi admonitiones contempſerint. Juſtitiæ nomen quidam ſubtilius exponunt, quibus ego ſuo ſenſu frui permitto. Mihi tamen nibil aliud ſonat quam Joannis doctrinam puram & rectam fuiſſe: acſi dixiſſet, nihil fuiſſe cauſæ cur eum rejicerent. Porro qnum publicanos credidiſſe dicit, non tantum ſignificat verbo annuiſſe, ſed ſerio affectu amplexos eſſe quod audierant. Unde colligimus, fidem non ſolum in eo eſſe poſitam ſiquis veræ doctrinæ ſubſcribat: ſed majus aliquid & altius comprebendere, ut auditor ſibiipſi renuncians, vitam ſuam Deo penitus addicat. Quum dicit ne tali quidem exemplo fuiſſe commotos, obſtinatam eorum malitiam amplificat. nam hoc extremæ deſperatioois ſignum fuit, ſaltem meretrices & publicanos non ſequi.

MATTH. XXI.	MARC. XII.	LUC. XX.
33. Aliam parabolam audite: Homo quidam erat paterfamilias, qui plantavit, vineam, & ſepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis, ac peregre profectus eſt.	1. Et cœpit illis per parabolas loqui: Vineam plantavit homo, & circumdedit ſepem, & fodit lacum, & ædificavit turrim, & elocavit eam agricolis, & peregre profectus eſt.	9. Cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc: Homo quidam plantavit vineam, & locavit eam colonis, & ipſe peregre egit multo tempore.
34. Quum autem tempus fructuum appropinquaſſet, miſit ſervos ſuos ad agricolas, ut acciperent fructus ipſius.	2. Et miſit opportuno tempore ad agricolas ſervum, ut ab agricolis acciperet è fructu vineæ.	10. Et opportuno tempore miſit ad colonos ſervum, ut de fructu vineæ darent ei: qui cæſum emiſerunt vacuum.

35. Et agricolæ apprehenſis ſervis ejus, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt.

36. Iterum miſit alios ſervos plures prioribus: & fecerunt illis ſimiliter.

37. Noviſſime autem miſit ad eos filium ſuum, dicens, Reverebuntur filium meum.

38. Agricolæ autem viſo filio dixerunt intra ſe, Hic eſt hæres: venite, occidamus eum, & occupemus hæreditatem ejus.

39. Et apprebenſum ejecerunt ex vinea, & occiderunt.

40. Quum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?

41. Aiunt illi, Quum mali ſint, male perdet eos, & vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus ſuis.

42. Dicit illis Jeſus, Nunquam legiſtis in Scripturis, Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli: à Domino factum eſt boc, & eſt mirabile in oculis noſtris?

43. Ideo dico vobis, Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.

44. Et qui ceciderit ſuper lapidem hunc, confringetur: ſuper quem vero ceciderit, conteret eum.

45. Et quum audiſſent principes Sacerdotum ac Phariſæi parabolas ejus, cognoverunt quod de ipſis diceret.

46. Et quærentes eum comprehendere, timuerunt turbas, quia tanquam Propbetam eum habebant.

3. At illi arreptum eum ceciderunt, ac remiſerunt vacuum.

4. Et rurſum miſit ad illos alium ſervum: & illi conjectis in eum ſaxis, caput illi contuderunt, remiſeruntque contumeliis affectum.

5. Et rurſus alium miſit: & illum occiderunt, multoſque alios, hos quidem cædentes, illos vero occidentes.

6. Itaque quum unum adhuc haberet filium ſuum dilectum, miſit etiam eum ad illos poſtremum, dicens, Reverebuntur filium meum.

7. Illi vero agricolæ dixerunt intra ſe, Hic eſt hæres: venire, occidamus eum, & noſtra erit hæreditas.

8. Et arreptum eum occiderunt, & ejecerunt extra vineam.

9. Quid igitur facturus eſt dominus vineæ? Veniet & perdet agricolas, & dabit vineam aliis.

10. An ne hanc quidem Scripturam legiſtis, Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli:

11. A Domino factum eſt hoc, & eſt mirabile in oculis noſtris?

12. Et quærebant eum comprehendere, & timuerunt turbam: ſciebant enim quod adverſus ipſos parabolam dixiſſet. & relicto illo, abierunt.

11. Et rurſus adhuc alterum ſervum miſit: illi vero hunc quoque cæſum & contumeliis affectum emiſerunt vacuum.

12. Rurſus miſit & tertium: at illi hunc quoque vulneribus inflictis ejecerunt.

13. Dixit autem dominus vineæ, Quid faciam? mittam filium meum dilectum: forſitan hunc, quum viderint, reverebuntur.

14. Quem quum vidiſſent coloni, cogitaverunt intra ſe, dicentes, Hic eſt hæres: venite, occidamus illum, ut noſtra fiat hæreditas.

15. Et ejectum illum extra vineam occiderunt. Quid ergo faciet illis dominus vineæ?

16. Veniet, & perdet colonos iſtos, & dabit vineam aliis. Quod quum audiſſent, dixerunt, Abſit.

17. Ille vero intuitus eos, ait, Quid eſt ergo boc quod ſcriptum eſt, Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, is factus eſt in caput anguli?

18. Omnis qui ceciderit ſuper illum lapidem, conquaſſabitur: ſuper quem autem ceciderit, comminuet illum.

19. Et quærebant principes Sacerdotum & Scribæ injicere in illum manus eadem hora, & timuerunt populum: cognoverunt enim quod in ipſos dixiſſet ſimilitudinem hanc.

33. *Aliam parabolam audite.*] Nonnihil diſcrepant Lucæ verba, qui dicit Chriſtum loquutum ad turbas: atqui ſermo ad Sacerdotes & Scribas dirigitur. Sed facilis ſolutio eſt, quod Chriſtus, licet ſtylum in ipſos ſtringeret, tamen coram tota plebe detexerit eorum ignominiam. Marcus quum dicit Chriſtum cœpiſſe loqui per parabolas, eam quæ prima erat ordine omittit: ſicuti & aliis locis ex tota ſumma partem duntaxat attingit. Porro hujus parabolæ ſumma eſt, non eſſe novum ſi Sacerdotes aliique Eccleſiæ proceres Deum jure ſuo fraudare impie conentur. nam ſimili pridem latrocinio graſſatos fuiſſe in Prophetas, & nunc ad Filium interficiendum paratos eſſe: ſed non impune tandem laturos, quia Deus juris ſui vindex exurget. Duplex autem eſt ſcopus: ut Sacerdotibus ingratitudinem exprobret perfidiæ & ſceleris plenam: deinde ut offendiculum tollat quod inſtabat ex propinqua ſua morte. Fallaci enim titulo apud vulgus imperitum & ſimplices rantum profecerant, ut ab eorum decreto & nutu penderet inter Judæos religio. Præmunit ergo infirmos Chriſtus, ac docet, quum à Sacerdotibus olim tot occiſi fuerint Prophetæ alii ſuper alios, non eſſe cur turbetur quiſquam ſi tale exemplum in ſua quoque perſona editum fuerit. Sed jam ſingulas partes expendamus. *Plantavit vineam.* Frequenter in Scriptura occurrit hæc ſimilitudo. Quod ad præſentem locum ſpectat, tantum ſignificat Chriſtus, dum Paſtores Eccleſiæ ſuæ Deus præficit, jus ſuum in eos minime transferre: ſed perinde facere acſi paterfamilias vineam aut agrum colono locaret, qui operam ſuam culturæ impendens, annuum fructum ſolve- *Jeſa.5:4.*
ret. Quemadmodum autem apud Jeſaiam & Jere- *Jer.2.21.*
miam conqueritur quod ex vinea ad quam colendam multum laboris & ſumptus impenderat, nullum fructum retulerit: ita hoc loco vinitores ipſos accuſat, qui proventum vineæ quaſi violenti prædones ſibi rapiunt. Quod dicit Chriſtus agricolas vineam pulchre ornatam & inſtructam è manu patrisfamilias accepiſſe, eorum crimen non leviter exaggerat.

nam

nam quo liberalius cum ipſis actum eſt, eo majore odio digna eſt ingratitudo. Hoc argumento utitur
1 Tim. 3. Paulus, dum hortari vult Paſtores ad munus ſuum
verſ. 15. ſtrenue peragendum, quod œconomi ſint, electi ad regendam Dei domum, quæ columna eſt & fundamentum veritatis. Et recte. nam quo ſplendidior & magis honorifica eſt eorum conditio, eo magis Deo obſtricti ſunt, ne ſegniter in opere verſentur. Quo magis (ut jam dictum eſt) eorum deteſtabilis eſt perfidia, quibus ludibrio eſt tanta Dei liberalitas, tantuſque honor quo ipſos dignatus eſt. Cæterum vineam plantaverat Deus quando gratuitæ ſuæ adoptionis memor, populum ex Ægypto liberatum de integro ſibi in peculium ſegregaverat, ſeque in Deum & Patrem ei fore teſtatus, vocaverat in ſpem æternæ ſalutis. Hæc enim plantatio eſt cujus mentio fit Jeſaiæ 60. verſ. 21. & aliis locis. Per *torcular* & *turrem* intellige adminicula quæ ad alendam populi fidem Legis doctrinæ adjuncta fuerant: ut ſacrificia & aliæ ceremoniæ. Deus enim, inſtar providi & ſeduli patrisfamilias, nihil diligentiæ reliquum fecit quin omnibus præſidiis Eccleſiam ſuam muniret. *Locavit eam agricolis.* Poſſet quidem per ſe Deus abſque hominum opera tueri bene compoſitum Eccleſiæ ſtatum: ſed homines ſibi aſſumit miniſtros, eorumque manibus utitur. Sic olim Sacerdotes inſtituit, qui tanquam vineæ cultores eſſent. Sed mirum eſt cur Prophetas Chriſtus ſervis comparet, qui peractis vindemiis ad fructum exigendum mittuntur. nam ſcimus ipſos quoque fuiſſe vinitores, & commune munus cum Sacerdotibus fuiſſe illis injunctum. Reſpondeo, Chriſto non fuiſſe neceſſarium exacte vel ſcrupuloſe exprimere quid ſimile vel diverſum eſſet inter duos iſtos ordines. Certe hac lege creati initio erant Sacerdotes ut ſana doctrina perfecte Eccleſiam excolerent. ſed quum ſocordia vel inſcitia mandatum ſibi opus negligerent, ſubmiſſi ſunt quaſi in extraordinarium ſubſidium Prophetæ, qui vitem noxiis herbis purgarent, putarent ſupervacuum ſarmentum, cæteriſque operis ſupplerent Sacerdotum deſidiam: interim tamen populum ſevere arguerent, collapſam reſtituerent pietatem, expergefacerent ſopitos animos, Deique cultum & novam vitam reducerent. Hoc autem quid aliud erat quam proventum Deo ex ſua vinea debitum poſcere? Quod Chriſtus ad ſuum inſtitutum apte vereque accommodat. neque enim penes Prophetas continuum & ſtabile erat Eccleſiæ regimen, ſed à Sacerdotibus retentum ſemper fuit: quemadmodum ſiquis ignavus colonus culturam deſerens, locum tamen cui præpoſitus ſemel fuit, poſſeſſionis prætextu occupet.

35. *Alium ceciderunt.*] Hic paulum differunt Marcus & Lucas à Matthæo: nam quum hic plures ſervos commemoret, & quum omnes male & indigne tractati eſſent, majorem numerum rurſus ſummiſſum: illi ſingulos tantum ordine ponunt, quaſi non ſimul duo vel tres miſſi forent, ſed unus poſt alium. Quanquam autem omnibus idem communiter fuit propoſitum, nempe Judæos idem in Filio auſuros quod in Prophetis non ſemel fecerant: Matthæus tamen expreſſius rem ipſam declarat: nempe quod Deus, Prophetarum copiam mittendo, certaverit cum Sacerdotum malitia. Unde apparet quam indomita fuerit illorum rabies, ad quam corrigendam nulla remedia profecerint.

37. *Verebuntur filium.*] Hæc quidem cogitatio proprie in Deum non convenit. ſciebat enim quid futurum eſſet, nec ſpe melioris eventus deceptus fuit: ſed uſitatum eſt, præſertim in parabolis, ad eum transferri humanos affectus. Neque tamen hoc abs re additum eſt: quia voluit Chriſtus tanquam in ſpeculo repræſentare quam deplorata eſſet illorum impietas, cujus hoc nimis certum fuit examen, contra Dei Filium, qui ipſos ad ſanam mentem revocaturus venerat, diabolico furore inſurgere. Sicuti autem crudeli Prophetarum cæde, quantum in ſe erat, Deum prius à ſua hæreditate depulerant: ita hic ſcelerum omnium cumulus fuit, Filium interficere, ut regnarent quaſi in orbata domo. Nam certe hæc Sacerdotibus adverſus Chriſtum ſæviendi cauſa fuit, ne tyrannidem quaſi prædam amitterent. Ipſe enim eſt per quem Deus Pater vult præeſſe, & cui omne imperium detulit. In fine etiam paululum variant Euangeliſtæ. Matthæus enim extortam illis confeſſionem refert, qua ſeipſos damnarunt: Marcus ſimpliciter Chriſtum pronunciaſſe qua pœna ſervi adeo nequam & improbi multandi ſint: Lucas apertius in ſpeciem diſſentit, averſatos fuiſſe dicens denunciatam à Chriſto pœnam. Verum ſi propius expendimus ſenſum, nulla eſt repugnantia, quia de pœna quam meriti erant tales ſervi non dubium eſt quin aſſenſi fuerint Chriſto: ſed quum in ſe tam crimen quam judicium conferri ſentirent, hoc ipſum deprecati ſunt.

42. *Numquam legiſtis.*] Tenendum eſt quod paulo ante diximus, quum Sacerdotes & Scribæ addictum ſibi haberent populum, hoc inter ipſos axioma volitaſſe, ſolos eſſe legitimos arbitros & judices futuræ redemptionis: ut nemo in Meſſiam recipiendus foret niſi quem nutu ſuffragioque ſuo probaſſent. Ideo contendunt eſſe impoſſibile quod dixerat Chriſtus, filium & hæredem domini vineæ ab ipſis interfici. Hoc autem Chriſtus Scripturæ teſtimonio confirmat: & emphatica eſt interrogatio. acſi dixiſſet, Vos pro magno abſurdo ducitis, fieri poſſe ut vineæ coloni impie contra Dei Filium conſpirent. quid? an Scriptura prædixit læto favore plauſuque exceptum iri, ac non potius ipſos primores fore illi adverſos?
Porro locus quem citat, ex eodem Pſalmo ſumptus Pſal. 118.
eſt unde & fauſta illa acclamatio, Salvum fac Do- verſ. 22.
mine, Benedictus qui venit in nomine Domini. Eſſe autem vaticinium de regno Meſſiæ, inde conſtat, quod David hac lege Rex à Deo creatus fuit ut ſolium ejus perpetuo ſtaret quamdiu lucerent in cælo ſol & luna, & collapſum rurſus Dei gratia in priſtinum ſtatum rediret. Quum ergo Pſalmus ille deſcriptionem regni Davidis contineat, ſimul annexa eſt perpetuitas quam ſequitur reſtitutio. Si de regno aliquo temporali ſermo eſſet, improprie ad ſe traheret Chriſtus. Sed notandum ſemper eſt quale in Davidis perſona regnum Deus erexerit: nempe quod in vero Meſſia uſque ad finem mundi ſtabiliret. nam vetus illa unctio umbratilis fuit. Unde colligitur, quod in Davide actum eſt, præludium & figuram Chriſti fuiſſe. Redeamus nunc ad verba Pſalmi. Incredibile ducebant Scribæ & Sacerdotes Chriſtum rejici ab Eccleſiæ præfectis. probat autem ex Pſalmo, mirifica Dei virtute, invitis hominibus, in ſuo ſolio locandum eſſe: atque id jam olim fuiſſe in Davide adumbratum, quem rejectum à proceribus Deus ſuſcepit, ut ſpecimen ac documentum ederet quid tandem facturus eſſet in ſuo Chriſto. Propheta autem metaphoram ſumit ab ædificiis. nam quia Eccleſia, Dei ſacrarium eſt, merito Chriſtus, in quo fundata eſt, vocatur lapis angularis, hoc eſt, qui ſuſtinet totam ædificii molem. Non omni ex parte quadraret ſimilitudo, ſi quis vellet ſingula quæ in Chriſtum competunt, excutere: ſed optime convenit, quia in eum recumbit Eccleſiæ ſalus, & ipſe ejus ſtatum continet. Itaque alii deinde Prophetæ eandem loquendi formam ſequuti ſunt, præſertim Jeſaias & Daniel. Sed Jeſaias propius ad hunc locum
alludit, qui Deum ſic loquentem inducit, Ecce pono Jeſa. 28.
in Sion lapidem fundamenti, lapidem pretioſum & verſ. 16.
electum, ad quem impingent ambæ domus Iſraël. In Novo autem Teſtamento paſſim hic idem loquendi modus occurrit. Summa ergo eſt, regnum Dei fundandum eſſe in lapide quem architecti ipſi tanquam reprobum & nihili abjicient. ac ſenſus eſt, Meſſiam, qui ſalutis Eccleſiæ fundamentum eſt, non commu-

Digitized by Google

nibus hominum ſuffragiis electum iri: ſed quum Deus arcana & inſperata virtute mirabiliter eum evehet, contrarios illi fore & infenſos principes quibus mandata eſt ædificii cura. Cæterum duo hic nobis ſpectanda ſunt. Deus enim ne perturbent nos impii hominum conatus, qui ad impediendum Chriſti regnum conſurgunt, nos ante tempus admonuit ita fore. Deinde, quicquid moliantur homines, ſimul teſtatus eſt in erigendo Chriſti regno victricem fore ſuam potentiam. Utrumque ſedulo nobis obſervandum eſt. Prodigii ſimile eſt, rejici ſalutis auctorem non ab extraneis, ſed à domeſticis: neque à ſtulta plebe, ſed ab ipſis principibus qui gubernacula Eccleſiæ tenent. Contra tam abſurdum hominum furorem munienda eſt fides, ne labaſcat rei novitate. Nunc tenemus quam utilis ſit prædictio, quæ pias mentes à terrore eximit, quem alioqui ex triſti ſpectaculo conciperent. nihil enim minus conſentaneum quam membra in caput, colonos in dominum, conſiliarios in regem ſuum inſurgere, & architectos fundamentum rejicere ab ædificio. Plus etiam energiæ ſubeſt alteri membro, ubi pronunciat Deus, impios, Chriſtum reprobando, nihil profecturos, quin ſua illi integra maneat dignitas: nempe ut fideles hac promiſſione freti, perverſam hominum ſuperbiam in Chriſto ſpernendo, ſecure quaſi ex alto rideant. Nam ubi omnia machinati fuerint, Chriſtus tamen ipſis invitis tenebit quem Pater illi attribuit locum. Quantumvis illi ferociter inſultent qui videntur honore & excellentia prædití, ſtabit nihilominus in ſuo gradu, nec quicquam illi ex pravo contemptu decedet. Denique prævalebit Dei auctoritas, ut lapis ſit electus & pretioſus, qui Eccleſiam Dei, regnum & templum ſuſtineat. Porro dicitur *poſitus lapis in caput anguli*, non quod tantum pars ſit fundamenti (quum ex aliis locis conſtet in ipſo uno ſolide fundatam eſſe Eccleſiam) ſed ſimpliciter hoc voluit Propheta, præcipuam fore ædificii fulturam. Quidam in voce *anguli* ſubtiliter philoſophantur, Chriſtum locari in angulo, quia duos parietes diverſos, Gentes ſcilicet ac Judæos, ſimul conjungat. Meo tamen judicio non altius reſpexit David quam quod lapis angularis ſuſtinet præcipuum ædificii pondus. Nunc quæritur quomodo Spiritus *Architectos* vocet qui tantum in ruinam & excidium templi Dei incumbunt. Nam ſe ideo probum fuiſſe
1 Cor. 3. architectum gloriatur Paulus, quia in ſolo Chriſto
verſ. 11. Eccleſiam fundaverit. Reſponſio facilis eſt, Quamvis injunctum ſibi munus perfide adminiſtrent, vocationis tamen reſpectu hoc elogium ipſis conceditur. Sic Propheticum nomen impoſtoribus ſæpe tribuitur: & vocantur Paſtores qui luporum inſtar gregem devorant. Nec vero hoc illis tam honorificum eſt quam eos deteſtabiles reddit, dum templum Dei funditus diruunt, cui exſtruendo præfecti erant. Hinc colligitur utilis admonitio, non obſtare legitimam vocationem quominus impii ſint ac ſcelerati Chriſti hoſtes qui miniſtri eſſe debuerant. Certe Legale Sacerdotium divinitus ordinatum erat, & Levitis permiſſa erat à Domino poteſtas regendæ Eccleſiæ: an ideo fideliter ſuo munere defuncti ſunt? an illis obedire pios decuit ad Chriſtum negandum? Eat nunc Papa cum ſuis cornutis Epiſcopis, & ſibi fidem in omnibus habendam eſſe jactent quia Paſtorum locum occupant. Ut demus rite ad Eccleſiæ regimen vocatos: fruſtra tamen plus ſibi arrogant quam ſe titulares eſſe Eccleſiæ Præſules. Atqui ne vocationis quidem titulus illis ſuppetit. nam ut ſe in hanc tyrannidem attollerent, everti neceſſe fuit totum Eccleſiæ ordinem. Verum ut juriſdictionem ordinariam ſibi merito uſurpent, ſi tamen evertunt ſacram Dei domum, nonniſi nomine tenus architecti cenſendi ſunt. Non ſemper hoc quidem accidit ut Chriſtum rejiciant quibus mandatum eſt Eccleſiæ regimen. nam & ſub Lege fuerunt multi pii Sacerdotes, & ſub regno Chriſti Paſtores etiam quidam ſtrenue & bona fide in ædificanda Eccleſia laborarunt: ſed tamen quia impleri hoc oportet, ut lapidem reprobent architecti, prudenter inter eos diſcernere convenit. Et data opera nos Spiritus ſanctus admonuit, ne quos inanis titulus & vocationis dignitas fallat. *A Domino factum eſt.* Quia hoc à communi hominum judicio nimis remotum eſt, ut Filium Dei Principem ſuum repudient ipſi Eccleſiæ Paſtores, ad arcanum Dei conſilium nos revocat Propheta: quod licet non comprehendamus ſenſu noſtro, ſuſpicere & mirari convenit. Sciamus ergo anſam omnibus quæſtionibus hic præcidi, ac diſerte vetari ne quis naturam regni Chriſti ratione carnis æſtimet ac metiatur. cujus enim ſtultitiæ eſt, miraculum, ad quod adorandum nos hortatur Propheta, velle ingenii noſtri modulo ſubjicere? Tu de regno Chriſti nihil admittes niſi quod tibi probabile viſum fuerit? cujus exordium Spiritus ſanctus myſterium eſſe pronunciat ſumma admiratione dignum, quia humanos oculos lateat. Meminerimus itaque, quoties de Eccleſiæ ortu, reſtitutione, ſtatu, totaque ſalute agitur, non eſſe conſulendos ſenſus noſtros, ſed tribuendum virtuti Dei honorem, ut abſconditum ejus opus miremur. Subeſt etiam hic inter Deum & homines tacita antitheſis: non enim ſolum amplecti jubemur mirificam regendæ Eccleſiæ rationem, quia divinum eſt opus: ſed ſimul revocamur à ſtulta hominum reverentia, quæ ſæpe Dei gloriam obſcurat. acſi dixiſſet Propheta, quamlibet ſplendidis titulis polleant homines, perverſe tamen fieri ſi quis illos Deo opponat. Quo refellitur diabolica Papiſtarum impietas, qui larvatæ Eccleſiæ ſuæ determinationem Dei verbo præferre non dubitant. Unde enim ſecundum eos pendet verbi Dei auctoritas, niſi ab hominum placito, ut Deo nihil plus ſit juris reſiduum quam quod ab Eccleſia precario accipit? Longe aliter hoc loco nos inſtituit Spiritus; nempe, ſimulac in medium prodit majeſtas Dei, ſilendum eſſe toti mundo.

43. *Ideo dico vobis.*] Hactenus ſermonem ſuum direxit Chriſtus ad duces & rectores, ſed coram plebe: nunc vero plebem ipſam ſimiliter compellat. neque id abſque cauſa, quum ſocia adjutrix eſſet Sacerdotibus & Scribis ad impediendam Dei gratiam. A Sacerdotibus quidem malum oriebatur: ſed jam hoc ſuis peccatis meritus fuerat populus, ut tam corruptos ac degeneres haberet Paſtores: deinde totum corpus ſimili fere malitia infectum erat, ut Deo reſiſteret. Hæc ratio eſt cur horrendam Dei vindictam omnibus promiſcue Chriſtus denunciet. nam ut primatu inflati erant Sacerdotes, ita reliquus populus adoptionis prætextu ſuperbiebat. Nunc Chriſtus Deum illis negat eſſe obſtrictum, ideoque fore ut honorem quo ſe reddebant indignos, alio transferat. Atque illis quidem hoc ſemel dictum fuit: noſtra autem omnium cauſa ſcriptum eſt, ut ſi nos Deus elegerit in populum, ne laſciviamus inani pravaque carnis fiducia, ſed nos illi viciſſim ſtudeamus filios
præſtare quales poſtulat. Nam ſi ramis naturalibus Rom. 11.
non pepercit, quid inſititiis facturus eſt? Regnum verſ. 21.
Dei hæreditario jure apud ſe reſidere Judæi putabant, ideoque ſecure obſtinati erant in ſuis vitiis. Nos in eorum locum repente præter naturam ſucceſſimus: multo itaque minus nobis affixum erit, niſi veræ pietatis radice nitatur. Sicuti autem terrorem incutere nobis debet quod regno Dei privatum iri Chriſtus minatur qui illud profanaverint: ita conſolari pios omnes poteſt quæ hic notatur ejus perpetuitas. nam his verbis ſignificat Chriſtus, quamvis Dei cultum apud ſe profundent impii, non tamen facturos ut aboleatur Chriſti nomen & pereat vera religio: quia Deus (in cujus manu ſunt omnes fines terræ) alibi regno ſuo domicilium ſedemque reperiet. Diſcendum eſt præterea ex hoc loco, Euangelium

lium non ideo prædicari ut ſterile & otioſum jaceat, ſed ut fructificet.

44. *Qui ceciderit ſuper lapidem.*] Confirmat apertius Chriſtus proximam ſententiam, nihil ſcilicet perire ſibi vel minui dum ab impiis rejicitur: quia ut lapidea ſit vel ferrea eorum obſtinatio, ſua tamen duritie ipſos confringet, ac proinde ipſorum exitio magis illuſtrabitur. Miram in Judæis pervicaciam cernebat, neceſſe ergo fuit genus hoc vindictæ ſevere illis proponi, ne tam ſecure impingerent. Hæc doctrina partim nos erudit, ut tenero & flexibili corde nos Chriſto domandos placide tradamus: partim etiam contra impiorum contumaciam furioſosque impetus confirmat, quos tandem formidabilis manet exitus. *Cadere* ſuper Chriſtum dicuntur qui ad eum opprimendum ruunt: non quod ipſo altius conſcendant, ſed quia euſque abripit eos ſua inſania ut Chriſtum quaſi è ſublimi impetere conentur. Hoc vero ſolum proficere ipſos docet ut ipſo conflictu frangantur. Sed ubi ita ſe faſtuoſe extulerint, aliud fore prædicit, ut ſcilicet conterantur ſub lapide in quem tam audacter irruerant.

45. *Cognoverunt quod de ipſis.*] Oſtendunt Evangeliſtæ quam parum Chriſtus profecerit, ne miremur ſi hodie non omnes ad obſequium Dei cogit Euangelii doctrina. Diſcamus etiam fieri aliter non poſſe quin rabiem impiorum magis ac magis accendant minæ. nam ſicuti Deus verbum ſuum cordibus noſtris obſignat, ſic etiam ejus cauterio vulnerat malas conſcientias: quo fit ut magis exardeat impietas. Rogandus itaque eſt ut nos ad voluntarium metum ſubigat, ne nuda vindictæ ejus cognitio nos magis exaſperet. Quod ſolo plebis metu tenentur ne manum Chriſto injicere audeant, ſciamus injectum illis divinitus fuiſſe frenum. Unde etiam non parum ſuavis conſolatio redit ad fideles, dum audiunt ſe Dei præſidio tegi, ut è mortis faucibus ſubinde emergant.

MATTH. XXII.

15. Tunc abeuntes Phariſæi, conſilium ceperunt ut illaquearent eum in ſermone.

16. Et mittunt ad illum diſcipulos ſuos cum Herodianis, dicentes, Magiſter, ſcimus quod verax ſis, & viam Dei in veritate doceas, neque cures quenquam: non enim reſpicis perſonam hominum.

17. Dic ergo nobis, Quid tibi videtur? licet cenſum dare Cæſari, an non?

18. Cognita autem Jeſus malitia eorum, ait, Quid me tentatis hypocritæ?

19. Oſtendite mihi numiſma cenſus. At illi obtulerunt ei denarium.

20. Et ait illis, Cujus eſt imago hæc & inſcriptio?

21. Dicunt ei, Cæſaris. Tunc ait illis, Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.

22. Et his auditis mirati ſunt, & eo omiſſo abierunt.

MARC. XII.

13. Ac mittunt ad eum quoſdam è Phariſæis & Herodianis, ut eum caperent in ſermone.

14. Illi vero quum veniſſent, dicunt ei, Præceptor, ſcimus quod verax es, & non curas quenquam: non enim reſpicis perſonam hominum, ſed in veritate viam Dei doces: licet cenſum dare Cæſari, an non? dabimus, an non dabimus?

15. Ille vero ſciens eorum ſimulationem, dixit illis, Quid me tentatis? afferte mihi denarium ut videam.

16. Illi vero attulerunt. Et dicit eis, Cujus eſt imago hæc & inſcriptio? Illi vero dixerunt ei, Cæſaris.

17. Et reſpondens Jeſus, dixit illis, Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo. Et admirati ſunt de eo.

LUC. XX.

20. Et obſervantes, miſerunt inſidiatores qui ſe juſtos ſimularent, ut caperent eum in ſermone, traderentque illum principatui & poteſtati Præſidis.

21. Et interrogaverunt eum, dicentes, Magiſter, ſcimus quod recte dicis ac doces, nec reſpicis perſonam, ſed viam Dei in veritate doces:

22. Licet nobis tributum dare Cæſari, an non?

23. Cognita autem eorum verſutia, dixit ad eos, Quid me tentatis?

24. Oſtendite mihi denarium. Cujus habet imaginem & inſcriptionem? Reſpondentes dixerunt, Cæſaris.

25. Et ait illis, Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ Dei ſunt, Deo.

26. Et non potuerunt verbum ejus reprehendere coram populo: & mirati ſuper reſponſo ejus, tacuerunt.

Quum Phariſæi alia omnia in Chriſtum fruſtra tentaſſent, hoc poſtremo putarunt optimum eſſe ejus perdendi compendium, ſi Præſidi tanquam ſeditioſum ac res novas molientem traderent. De cenſu (ut alibi vidimus) tunc magna erat apud Judæos diſceptatio. nam quum cenſum, quem Deus in Lege Moſaica ſibi ſolvi jubebat, Romani ad ſe tranſtuliſſent, paſſim fremebant Judæi, indignum eſſe ac minime ferendum facinus, quod profani homines Divinum jus hoc modo ad ſe raperent. Adde quod quum illa Legalis cenſus indictio adoptionis eorum teſtis eſſet, honore ſibi debito ſe ſpoliari putabant. Jam ut quiſque tenuiſſimus erat, ad tumultuandum audaciorem reddebat paupertatis fiducia. Hanc igitur captandi Chriſti aſtutiam Phariſæi excogitant, quod de cenſu utrovis modo reſponderit, laqueos ſibi induet. ſi negaverit ſolvendum eſſe, ſeditionis reus erit: ſin vero confeſſus fuerit jure deberi, gentis ſuæ hoſtis ac patriæ libertatis proditor habebitur. Porro huc præcipue ſpectant ut plebem ab eo alienent. Hæc captura eſt quam notant Euangeliſtæ, quia undique irretitum eſſe Chriſtum putant, ut jam effugere nequeat. Quia autem profeſſi erant ejus hoſtes, ideoque ſe fore ſuſpectos noverant, quoſdam ſubornant è ſuis diſcipulis, quemadmodum dicit Matthæus. Lucas autem inſidiatores vocat, qui ſe juſtos eſſe ſimularent: hoc eſt, doloſe obtenderent ſimplicem rectumque diſcendi affectum. Neque enim ſimulatio juſtitiæ hic in genere accipitur, ſed reſtringitur ad præſentem cauſam: quia niſi docilitatis ſincerique ſtudii prætextu admiſſi non eſſent. Herodianos ſibi adjungunt, qui Romano Imperio *Herodiani.*
magis favebant: unde ad criminandum erant aptiores. Notare autem operæpretium eſt, quum acre inter ipſos eſſet diſſidium, tanto Chriſti odio ardere ut ad eum perdendum conſpirent. Quænam fuerit ſecta iſta, alibi diximus. nam quum Herodes tantum ſemi-Judæus eſſet, vel degener atque adulterinus Le-

gis profeſſor, quicunque exacte volebant a omni ex parte ſervari Legem, illum cum impuro ſuo cultu damnabant: ipſe autem ſuos adulatores habebat, qui colorem inducerent perverſæ ejus doctrinæ. Itaque præter alias ſectas illo tempore nata erat aulica religio.

16. *Magiſter, ſcimus.*] Hæc eſt juſtitia quam ſimulant, dum ſe blande ſubjiciunt Chriſto, quaſi diſcendi cupidi: nec ſolum imbuti pietate, ſed etiam de illius doctrina recte perſuaſi. nam ſi ex animo loquuti eſſent, hæc vera erat rectitudo. Quare ex eorum verbis probi fidique doctoris, qualem ſe Chriſtum habere fingebant, definitio colligi poteſt. Veracem eſſe dicunt, qui Dei viam docet: hoc eſt, qui fidelis eſt Dei interpres: & quidem in veritate, hoc eſt, ſine ulla corruptela. Via Dei, commentis hominum & extraneis omnibus doctrinis opponitur: veritas autem ambitioni, avaritiæ, praviſque aliis affectibus qui puram docendi rationem inficere ſolent. Ergo is demum nobis habendus eſt legitimus doctor qui non ingerit hominum figmenta, nec diſcedit à genuino verbo Dei, ſed quod ex ore ejus didicit, quaſi per manus diſpenſat: deinde ſincero ædificandi ſtudio doctrinam accommodat in uſum & ſalutem populi, nullo autem eam fuco adulterat.
2 Cor. 2. verſ. 17. Quod pertinet ad hoc poſterius membrum, Paulus, dum ſe negat cauponari verbum Dei, ſignificat quoſdam eorum qui dexteritate pollent, nec palam evertunt rectam doctrinam, vel impiis dogmatibus ſunt infames, fucare tamen ac corrumpere doctrinæ puritatem, quia vel ambitioſi ſunt, vel avari, vel pro carnis ſuæ cupiditate huc & illuc flexibiles. Itaque eos mangonibus comparat, eo quod ſincerum verbi Dei uſum depravent. Notatu etiam dignum eſt quod ſimul addunt iſti hypocritæ, Chriſtum recte docere, quia illi curæ non eſt perſona hominum. Nihil enim eſt quod doctores à fideli integraque diſpenſatione magis abducat quam dum ſequuntur hominum
Galat. 1. verſ. 10. reſpectum. Nam impoſſibile eſt ut vere ſe Deo addicat quiſquis hominibus placere cupit. Habenda quidem eſt hominum cura: ſed non ut blanditiis captetur eorum favor. Denique, ut integri ſimus, faceſſat neceſſe eſt perſonarum acceptio, quæ lucem obtenebrat, juſtumque judicium pervertit, ſicuti ſæpius
Deut. 1. verſ. 10. & 16:19. in Lege Deus inculcat, & experientia etiam oſtendit. Ideo Chriſtus, Joan. 7. verſ. 24. προσωποληψίας & rectum judicium inter ſe committit, tanquam res penitus contrarias.

18. *Cognita eorum malitia.*] Sic præfati erant ut nihil ab optimis diſcipulis differrent. unde igitur hæc Chriſto notitia, niſi quia Spiritus ejus cordium erat cognitor? Neque enim humana conjectura olfecit eorum verſutiam: ſed quia Deus erat, penetravit in corda ipſorum, ut ſe blanditiis & juſtitiæ ſpecie fruſtra obtegerent. Ergo priuſquam reſponſum daret, ſuæ divinitatis ſpecimen edidit, occultam eorum malitiam patefaciens. Nunc quum ſimiles nobis ab improbis quotidie tendantur inſidiæ, interior vero malitia nos lateat, rogandus eſt Chriſtus ut nos inſtruat Spiritu diſcretionis: & quod ipſe natura proprioque jure habuit, nobis gratuito dono conferat. Porro quam neceſſaria ſit nobis hæc prudentia, inde patet, quod ſi nobis non cavemus ab impiorum laqueis, ſubinde eorum calumniis obnoxiam reddemus Dei doctrinam. Porro quod jubet Chriſtus nummum proferre, quanquam non magni momenti primo aſpectu videtur, tamen ad ſolvendas tendiculas ſufficit. Nam hac parte expreſſa illis fuit ſubjectionis confeſſio, ut Chriſtus neceſſe non haberet quicquam illis novum præcipere. Percuſſus erat nummus forma Cæſaris: ergo Romani Imperii auctoritas communi uſu probata receptaque erat. unde conſtabat Judæos ipſos jam ſibi ſponte legem impoſuiſſe ſolvendi tributi, quia Romanis gladii poteſtatem conceſſerant. Neque enim ſeorſum de cenſu diſputandum erat: ſed pendebat à generali politia hæc quæſtio.

21. *Reddite quæ ſunt Cæſaris.*] Admonet Chriſtus, quum gentis ſubjectio nummo teſtata ſit, non eſſe de ejus parte litigandum: acſi dixiſſet, Si vobis abſurdum eſt tributum pendere, ne Romano Imperio ſubjecti ſitis. Atqui nummus (qui mutuæ inter homines communicationis ſponſor eſt) Cæſarem vobis dominari teſtatur, ut tacita quoque veſtra approbatione perierit ac erepta ſit quam obtenditis libertas. Porro non ita medium eſt reſponſum Chriſti quin plenam de quæſtione propoſita doctrinam contineat. Nam hic inter ſpirituale & politicum regimen clara diſtinctio ponitur, ut ſciamus nihil nobis obſtare externam ſubjectionem quominus libera intus ſit conſcientia coram Deo. Voluit enim Chriſtus eorum errorem refellere, qui ſe Dei populum eſſe non putabant niſi ab omni humani imperii jugo eſſent immunes. Sicuti & Paulus in hanc partem ſedulo incumbit, ne minus ſe uni Deo ſervire exiſtiment, ſi parent humanis legibus, ſi tributa ſolvunt, ac reliquis oneribus ferendis ſubmittunt cervices. In ſumma, pronunciat non violari jus Dei, nec lædi ejus cultum, ſi Judæi quoad externam politiam Romanis pareant. Videtur etiam eorum hypocriſin perſtringere, quod quum ſecure permitterent Dei cultum multis in rebus violari, imo impie ſua poteſtate Deum fraudarent, tantum zeli ardorem præ ſe ferebant in re nihili. acſi dixiſſet, Valde ſolliciti eſtis, ſi tributum ſolvatur Romanis, ne quid ex Dei honore decedat. Atqui potius danda opera eſt ut Deo cultum exhibeatis quem à vobis requirit, interea hominibus etiam reddatis quod ſuum eſt. Videtur quidem non quadrare partitio: quia proprie loquendo, dum officio noſtro defungimur erga homines, obſequium hoc Deo impendimus. Sed Chriſtus ad vulgi captum ſermonem accommodans, ſatis habuit ſpirituale Dei regnum ab ordine politico & præſentis vitæ ſtatu diſcernere. Quare hoc diſcrimen tenendum eſt, quum Dominus ad regendas animas unicus Legiſlator eſſe velit, non aliunde ejus colendi petendam eſſe regulam quam ex ipſius verbo, atque in ſolo puroque cultu qui illic præſcribitur manendum: gladii vero poteſtatem, leges & judicia nihil obſtare quominus integer apud nos Dei cultus vigeat. Jam hæc doctrina latius patet, ut quiſque pro ſua vocatione debitum hominibus officium præſtet: liberi parentibus, ſervi dominis ſe libenter ſubmittant: alii aliis morigeri ſint & obſequentes, ſecundum charitatis legem: modo ſummum imperium Deus ſemper obtineat, cui ſubalternum eſt (ut loquuntur) quicquid hominibus deberi poteſt. Summa ergo eſt, quia Deo rebelles ſunt quicunque politicum ordinem labefactant, obedientiam erga Principes & Magiſtratus cum Dei cultu & timore ſemper conjunctam eſſe: ſed rurſum ſiquid ſibi ex Dei jure Principes uſurpant, non eſſe illis obediendum niſi uſque ad aras.

22. *Mirati ſunt.*] Hic etiam apparet ut Deus malignos hoſtium ſuorum conatus in diverſum finem convertat, nec modo ſpem eorum deludat ac fruſtretur, ſed etiam cum ignominia eos repellat. Fiet quidem interdum ut impii, licet victi, non tamen obſtrepere deſinant: ſed quantumvis indomita ſit eorum petulantia, quotquot pugnas contra Dei verbum intentant, totidem victorias habet Deus in manu, ut de illis & Satana eorum capite triumphet. In hoc vero reſponſo Chriſtus peculiariter ſuam gloriam illuſtrare voluit, dum coëgit pudore confuſos diſcedere.

Matth. XXII.

23. In illo die acceſſerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non eſſe reſurrectionem: & interrogaverunt eum,

24. Dicentes, Magiſter, Moſes dixit, ſiquis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, & ſuſcitet ſemen fratri ſuo.

25. Erant autem apud nos ſeptem fratres: & primus, uxore ducta, defunctus eſt. ac non habens ſemen, reliquit uxorem ſuam fratri ſuo.

26. Similiter ſecundus & tertius, uſque ad ſeptimum.

27. Noviſſime autem omnium defuncta eſt & mulier.

28. In reſurrectione ergo cujus è ſeptem illis erit uxor? omnes enim habuerunt eam.

29. Reſpondens autem Jeſus, ait illis, Erratis, neſcientes Scripturas neque virtutem Dei.

30. In reſurrectione enim neque matrimonium contrahunr, neque elocantur: ſed ſunt ſicut Angeli Dei in cælo.

31. De reſurrectione vero mortuorum non legiſtis quod vobis dictum eſt à Deo, qui ait,

32. Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob? Deus non eſt Deus mortuorum, ſed viventium.

33. Et quum audiſſent turbæ, obſtupuerunt de doctrina ejus.

Marc. XII.

18. Et veniunt Sadducæi ad illum, qui dicunt non eſſe reſurrectionem: interrogaveruntque illum, dicentes,

19. Præceptor, Moſes ſcripſit nobis, ſi cujus frater moriatur, ac relinquat uxorem, ac liberos non relinquat, ut accipiat frater ejus uxorem illius, & ſuſcitet ſemen fratri ſuo.

20. Septem fratres fuerunt: ac primus accepit uxorem, iſque moriens non reliquit ſemen.

21. Et ſecundus accepit illam, ac mortuus eſt, ac neque ipſe reliquit ſemen. Et tertius ſimiliter.

22. Et acceperunt eam ſeptem, nec reliquerunt ſemen. Poſtrema vero omnium mortua eſt & uxor.

23. In reſurrectione igitur, quum reſurrexerint, cujus illorum erit uxor? nam ſeptem habuerunt eam uxorem.

24. Et reſpondens Jeſus, dixit eis, Annon propterea erratis quod neſciatis Scripturas, neque virtutem Dei?

25. Quum enim à mortuis reſurrexerint, neque contrahunr matrimonium, neque nuptum dantur: ſed ſunt velut Angeli Dei, qui in cælis ſunt.

26. Cæterum de mortuis, quod reſuſcitentur, non legiſtis in libro Moſis, quomodo in rubo loquutus ſit illi Deus, dicens, Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob?

27. Non eſt Deus mortuorum, ſed Deus viventium. vos igitur multum erratis.

Luc. XX.

27. Acceſſerunt autem quidam Sadducæorum, qui negant eſſe reſurrectionem: & interrogaverunt eum,

28. Dicentes, Magiſter, Moſes ſcripſit nobis, ſi cujus frater mortuus fuerir habens uxorem, iſque ſine liberis mortuus fuerit, ut accipiat frater ejus uxorem, & ſuſcitet ſemen fratri ſuo.

29. Septem ergo fratres erant: & primus accepit uxorem, ac mortuus eſt ſine liberis.

30. Er accepit ſecundus illam, & ipſe mortuus eſt ſine liberis.

31. Et tertius accepir illam. ſimiliter & cæteri ſeptem: nec reliquerunt liberos, & mortui ſunt.

32. Noviſſime omnium mortua eſt & mulier.

33. In reſurrectione ergo cujus eorum erit uxor? ſiquidem ſeptem habuerunt eam uxorem.

34. Et reſpondens air illis Jeſus, Filii hujus ſeculi ducunt uxores, & nuptum dant.

35. Illi vero qui digni habebuntur ſeculo illo & reſurrectione ex mortuis, neque ducunt uxores, neque nuptum danr.

36. Neque enim ultra mori poſſunt: æquales enim Angelis ſunt, & filii ſunt Dei, quum filii ſint reſurrectionis.

37. Quod vero reſurgant mortui, & Moſes oſtendir juxta rubum, quum dicit Dominum eſſe Deum Abraham, & Deum Iſaac, & Deum Jacob.

38. Deus autem non eſt mortuorum, ſed vivorum: omnes enim illi vivunt.

39. Reſpondentes autem quidam Scribarum, dixeruut, Magiſter, bene dixiſti.

40. Er amplius non audebant eum quicquam interrogare.

Hic videmus ut Satan impios omnes, quibus alioqui peſſime inter ſe convenit, ad oppugnandam Dei veritatem ſimul colligat. Nam quum duabus iſtis ſectis hoſtilis eſſet diſſenſio, tamen adverſus Chriſtum conſpirant, ut Phariſæis non diſpliceat ſuam doctrinam in Chriſti perſona oppugnari. Ita hodie videmus omnes Satanæ copias, quamvis alioqui aliæ aliis contrariæ ſint, undique tamen in Chriſtum inſurgere. Et tam infeſto odio flagrant Papiſtæ contra Euangelium, ut Epicureos, Libertinos, & alia hujuſmodi portenta libenter foveant, modo ad illud labefactandum utantur his adjutoribus. In ſumma, videmus ex diverſis caſtris egreſſos eſſe qui impetum in Chriſtum facerent: & hoc ideo eſſe factum, quia omnes communiter lucem ſanæ doctrinæ oderant. Cæterum Sadducæi quæſtionem proponunt Chriſto, ut ſpecie abſurditatis vel eum in erroris ſocietatem pertrahant, vel, ſi diſſentiat, infament, ac ludibrio habeant apud rude & indoctum vulgus. Ac fieri quidem poteſt ut eodem cavillo prius vexare Phariſæos ſoliti fuerint, ſed eandem nunc Chriſto decipulam tendunt.

23. *Qui dicunt non eſſe reſurrectionem.*] Qualis fuerit Sadducæorum origo, alibi diximus. Porro non ſolum ultimam carnis reſurrectionem eos negaſſe, ſed animæ quoque immortalitatem, Lucas *Act. 23.*
teſtatur. Et certe ſi probe expenditur Scripturæ *verſ.* 8.
doctrina, animæ vita ſine ſpe reſurrectionis merum erit ſomnium. Neque enim Deus pronunciat animas à morte eſſe ſuperſtites, quaſi jam præſenti per-

fecta

fecta gloria, & ſua beatitudine fruantur: ſed earum ſpem in ultimum uſque diem ſuſpendit. Fateor quidem Philoſophos, quibus ignota erat reſurrectio carnis, de immortali animæ eſſentia multa diſſerere. ſed tam futiliter garriunt de futuræ vitæ ſtatu, ut nihil habeant ponderis eorum commenta. Quum vero tradit Scriptura ex ſpe reſurrectionis pendere ſpiritualem vitam, & animas à corporibus ſolutas illuc reſpicere: quiſquis reſurrectionem convellit, animas quoque immortalitate ſpoliat. Cæterum hinc perſpicitur horrenda Judaicæ Eccleſiæ confuſio, quod religionis antiſtites futuræ vitæ ſpem tollebant, ut poſt carnis interitum homines à brutis animalibus nihil differrent. Non negabant quidem ſancte & juſte vivendum: nec tam profani erant ut Dei cultum ſupervacuum eſſe ducerent (quin potius aſſerebant Deum eſſe mundi judicem, ac ejus providentia res humanas regi) ſed quum tam mercedem piorum quam debitas impiis pœnas ad præſentem vitam reſtringerent, etiamſi vere dixiſſent nunc quemque hominem æqualiter pro ſuo merito tractari, hoc tamen erat nimis præpoſterum, promiſſiones Dei tam anguſtis finibus includere. Jam experientia clare demonſtrat, pluſquam craſſum fuiſſe eorum ſtuporem, quum palam ſit mercedem quæ bonis repoſita eſt, ſuſpendi in aliam vitam: pœnas etiam impiis minime perſolvi in hoc mundo. Denique hoc delirio nihil abſurdius fingi poteſt, homines ad imaginem Dei creatos, inſtar pecudum morte extingui. Quam vero fœdum illud & prodigioſum fuit, quum ubique gentium apud profanos & cæcos idololatras ſaltem aliqua maneret futuræ vitæ opinio, apud Judæos (peculiarem Dei populum) hoc pietatis ſemen abolitum eſſe! Omitto quod quum ſanctos Patres cernerent properaſſe ad cæleſtem vitam, & fœdus quod Deus cum illis pepigerat, eſſe ſpirituale & æternum, pluſquam hebetes fuiſſe oporteat qui in luce tam clara cæcutirent. Sed primum hæc juſta fuit eorum merces qui Dei Eccleſiam in ſectas diſtraxerant: deinde hoc modo ultus eſt Dominus impium doctrinæ ſuæ contemptum.

24. *Magiſter, Moſes dixit.*] Quum ſufficeret rem nudam proponere, quorſum ita præfantur? nempe aſtute Moſis nomen obtendunt ut probent legitima eſſe conjugia quæ contracta erant non hominum placito, ſed mandato & ordinatione ipſius Dei. Porro neceſſe eſt ut ſecum Deus ipſe conſentiat. Talis ergo erat eorum captio, Si Deus olim fideles in regnum ſuum colliget; quod illis dederat in mundo, reſtituet: quid ergo fiet mulieri quam Deus ſeptem viris addixit? Sic impii omnes ac hæretici calumnias fabricant quibus deforment veram pietatis doctrinam, ac pudefaciant ſervos Chriſti: imo Papiſtæ nulla verecundia tenentur quominus aperte Deo verboque ejus illudant, dum nos circumvenire tentant.
Tit. 1: 5.
Ideo Paulus non abs re doctorem armis vult eſſe inſtructum, quibus adverſarios veritatis repellat. Quod ad legem hanc pertinet, qua juſſit Deus mortuis in matrimonium ſuccedere cognatos qui gradu ſanguinis proximi eſſent, ſi primus abſque liberis deceſſerat, hæc fuit ratio, ut mulier quæ nupſerat in aliquam familiam, ſemen inde ſuſciperet. Quod ſi ex primo conjugio procreati eſſent liberi, inceſtuoſum fuiſſet conjugium intra gradus à Lege vetitos.

29. *Erratis, neſcientes Scripturas.*] Quanquam Sadducæos compellat Chriſtus, hæc tamen objurgatio generaliter in omnes falſorum dogmatum inventores competit. nam quum nobis in Scripturis clare Deus affulgeat, errorum omnium fons & cauſa eſt earum ignoratio. Hæc autem piis non vulgaris conſolatio eſt, quod ab errandi periculo tuti erunt, quamdiu humili modeſtaque docilitate ex Scripturis inquirent quid rectum ac verum ſit. Quod virtutem Dei Chriſtus verbo conjungit, ad præſentis cauſæ circumſtantiam refertur. Nam quia reſurrectio captum humani ſenſus longe ſuperat, nobis erit incredibilis, donec mentes noſtræ ad intuitum immenſæ Dei potentiæ aſſurgant, qua poteſt ſibi ſubjicere omnia, quemadmodum docet Paulus. Phil. 3. verſ. 21. Adde quod Sadducæos deſipere neceſſe fuit, quia perperam præſenti ſtatu cæleſtis vitæ gloriam metiebantur. Interea tamen docemur, rite & prudenter eos demum ſentire & loqui de regni cæleſtis myſteriis qui Dei potentiam cum Scripturis conjungunt.

30. *Sunt ſicut Angeli.*] Non intelligit, filios Dei, ubi reſurrexerint, per omnia futuros Angelis ſimiles, ſed quatenus ab omni præſentis vitæ infirmitate immunes erunt. acſi negaret caducæ & corruptibilis vitæ neceſſitatibus amplius fore obnoxios. Lucas clarius exprimit ſimilitudinis rationem, quod ultra mori non poterunt, ideoque non erit propagandum eorum genus ſicuti in terra. Loquitur autem de ſolis fidelibus, quia de reprobis non fuerat habitus ſermo. Sed quæritur cur dicat tunc fore Dei filios, quia filii reſurrectionis erunt: quum Dominus fideles ſuos, licet fragili corporis ergaſtulo incluſos, hoc honore dignetur? Et quomodo æternæ vitæ hæredes poſt mortem eſſemus, niſi jam nos agnoſceret Deus pro filiis? Reſpondeo, ex quo fide inſerimur in corpus Chriſti; adoptari nos à Deo in filios, atque hujus adoptionis Spiritum teſtem eſſe, ſigillum, arrham Rom. 8. & pignus, ut hac fiducia libere clamare liceat, Abba, verſ. 15. Pater? Gal. 4: 6. Cæterum quanquam ſcimus nos eſſe Dei filios, quia tamen nondum apparuit quid erimus, donec transfigurati in ejus gloriam videbimus eum qualis eſt, nondum effectu ipſo cenſemur filii. Et quanquam Spiritu Dei regeniti ſumus, quia tamen adhuc abſcondita eſt vita noſtra, ejus manifeſtatio vere & in ſolidum ab extraneis nos diſcernet. Hoc ſenſu adoptio noſtra in ultimum diem à Paulo Rom. 8. differtur. verſ. 23.

37. Luc. *Quod vero reſurgant.*] Poſtquam abſurditatem ſibi objectam refutavit Chriſtus, jam Scripturæ teſtimonio confirmat doctrinam de ultima reſurrectione. Atque hic ordo nobis tenendus eſt, ut hoſtes veritatis calumniis ſuis depulſi, intelligant ſe Dei verbo repugnare. donec enim convicti fuerint Scripturæ teſtimonio, liberum illis erit ſemper obſtrepere. Porro locum ex Moſe citat Chriſtus, quia cum Sadducæis erat negotium, qui Prophetis non multum habebant fidei. ſaltem non alio loco eos habebant quam nos librum Eccleſiaſtici, vel Machabæorum hiſtoriam. Deinde quia Moſen adduxerant, illis eundem regerere maluit, quam unum quempiam ex Prophetis opponere. Adde quod minime in hoc incubuit ut locos Scripturæ omnes colligeret: ſicuti videmus Apoſtolos non iiſdem ſemper uti teſtimoniis in eadem cauſa. Neque tamen hunc locum præ aliis temere arripuit Chriſtus, ſed optimo judicio delegit (licet in ſpeciem videri poſſet obſcurior) quia in primis celebrem ac memorabilem eſſe decebat apud Judæos: quum teſtetur hac de cauſa redemptos fuiſſe à Domino, quia filii erant Abrahæ. Illic quidem pronunciat Deus ſe venire ut afflicto populo ſuccurrat: ſed ſimul addit, illum populum ſe agnoſcere pro ſuo, adoptionis reſpectu, propter fœdus cum Abraham percuſſum. Qui fit ut mortuos potius quam vivos reſpiciat Deus, niſi quia primum honoris gradum Patribus tribuit, apud quos fœdus ſuum depoſuerat? Quomodo autem præcellerent ſi morte eſſent extincti? Hoc etiam clare exprimit relatio. nam ſicuti pater nullus eſſe poteſt abſque liberis, neque Rex abſque populo: ſic proprie Dominus niſi vivorum vocari Deus non poteſt. Quanquam non tam ex communi loquendi forma ratiocinatur Chriſtus, quam ex promiſſione quæ his verbis incluſa eſt. Nam hac lege Dominus ſe nobis in Deum offert, ut nos viciſſim recipiat in popu-

populum: quod unum ad fiduciam plenæ beatitudiois ſufficit. Unde illa vox Eccleſiæ apud Prophetam Habacuc, Tu Deus noſter ab initio, non
Habac. 1. verſ. 12. moriemur. Quum ergo ſalutem omnibus promittat quibus ſe affirmat eſſe Deum, & hoc de Abraham, Iſaac, & Jacob prædicet poſt illorum mortem, ſequitur reſiduam vitæ ſpem eſſe mortuis. Siquis excipiat, poſſe animas ſuperſtites manere ut nulla ſit carnis reſurrectio: paulo ante reſpoodi, iſta duo eſſe connexa: quia animæ ad hæreditatem ſibi repoſitam aſpirant, ut nondum obtioeant ſuum ſtatum.

38. *Omnes enim illi vivunt.*] Hæc loquutio varie accipitur in Scripturis: ſed hic iotelligit Chriſtus, fideles, poſtquam muodo interieriot, agere cæleſtem vitam cum Deo. ſicuti Paulus ad Romanos cap. 6. verſ. 10. Chriſtum, poſtquam in cæleſtem gloriam receptus eſt, Deo vivere dicit: quia exemptus eſt hujus caducæ vitæ infirmitatibus & ærumnis. Sed conſulto hic admonet Chriſtus non eſſe de piorum vita ferendum judicium ex carnis ſenſu: quia recondita ſit ſub arcana Dei cuſtodia. Nam ſi mortuis ſunt fere ſimiles dum in mundo peregrinantur, multo minus poſt carnis interitum io eis appareret ulla vitæ ſpecies. At Deus fidelis eſt, ut ſupra hominum ſenſum coram ſe vivos conſervet.

39. *Reſpondentes quidam Scribarum.*] Quum omnes male affectos fuiſſe probabile ſit, divino inſtinctu quibuſdam, nempe Phariſæis, extorta fuit hæc confeſſio. Forte quanquam optaſſent Chriſtum turpiter victum obmuteſcere, quia tameo armatos ſe vident ejus reſponſo adverſus contrariam factioοem, facit ambitio ut partam victoriam illi gratulentur. Forte etiam urebat eos invidia, ne vellent à Sadducæis Chriſtum opprimi. Interim admirabili Dei providentia factum eſt ut ejus doctrinæ ſubſcriberent etiam infeſtiſſimi hoſtes. Frenata etiam eorum audacia fuit, non modo quia paratum eſſe Chriſtum videbant ad quoſvis inſultus ſuſtinendos, ſed quia timebant cum dedecore repelli: quod jam ſæpius acciderat. Deinde quia pudebat eos, tacendo palmam illi cedere, ut inde magis creſceret auctoritas apud plebem. Quod autem Matthæus dicit omnes miratos ſuper ejus doctrina, notandum eſt tot pravis vel frigidis commentis inſectam tunc fuiſſe pietatis doctrinam, ut merito inſtar miraculi babitum fuerit ita dextre & apposite ex Lege probatam fuiſſe ſpem reſurrectionis.

MATTH. XXII.

34. Phariſæi autem quum audiſſent quod obturaſſet os Sadducæis, convenerunt in unum.

35. Et interrogavit eum unus ex eis Legis doctor quiſpiam, tentans eum, & dicens,

36. Magiſter, quod eſt mandatum magnum in Lege?

37. Ait illi Jeſus, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.

38. Hoc eſt primum & magnum mandatum.

39. Secundum autem ſimile eſt huic, Diliges proximum tuum perinde atque teipſum.

40. In his duobus mandatis tota Lex & Prophetæ pendent.

MARC. XII.

28. Et quum acceſſiſſet quidam è Seribis, & audiſſet eos ſimul diſputantes, videretque quod bene reſpondiſſet eis, interrogavit illum, Quod eſt primum omnium præceptum?

29. Jeſus autem reſpondit illi, Primum omnium præceptorum eſt, Audi Iſraël, Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt:

30. Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis. hoc eſt primum præceptum.

31. Et ſecundum ſimile huic eſt, Diliges proximum tuum ut teipſum. majus his aliud præceptum non eſt.

32. Et dixit illi Scriba, Bene, præceptor, cum veritate dixiſti, quod unus ſit Deus, & non ſit alius præter illum: .

33. Quodque diligere eum ex toto corde, & ex tota intelligentia, & ex tota anima, & ex totis viribus, ac diligere proximum ut ſeipſum, plus ſit quam univerſa holocauſtomata & victimæ.

34. At Jeſus quum videret quod ſcienter reſpondiſſet, dixit illi, Haud longe abes à regno Dei. Et nemo poſt illa audebat illum interrogare.

LUC. X.

25. Et ecce quidam Legis peritus ſurrexit, tentans illum, & dieens, Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo?

26. At ille dixit ad eum, In Lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis?

27. Ille reſpondens, dixit, Diliges Dominum Deum tuum ex toto eorde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota mente tua: & proximum tuum ſieut teipſum.

28. Dixitque illi, Recte reſpondiſti: hoc fae, & vives.

29. Ille autem volens juſtificare ſeipſum, dixit ad Jeſum, Et quis eſt meus proximus?

30. Reſpondens autem Jeſus, dixit, Homo quidam deſcendebat ab Hieroſolymis in Jericho, & ineidit in latrones, qui etiam deſpoliaverunt eum veſtibus, ae vulneribus inflictis, abierunt, ſemimortuo relicto.

31. Aecidit autem ut Sacerdos quidam deſcenderet eadem via: viſoque illo præteriit.

32. Similiter & Levita quum iret juxta loeum, quum acceſſiſſet ae vidiſſet eum, præteriit.

33. Samaritanus autem quidam iter faciens venit ad eum: & viſo eo, miſericordia motus eſt.

34. Et accedens obligavit vulnera ejus, infundens oleum ae vinum: & imponens illum in ſuum jumentum, duxit in diverſorium, & curam ejus egit.

35. Et poſtero die egrediens, deprompto s duos denarios dedit hoſpiti, & ait ei, Curam illius habe: & quodcunque præterea inſumpſeris, ego quum rediero reddam tibi.

36. Quis ergo horum trium videtur tibi proximus fuiſſe illi qui incidit in latrones?

37. At ille dixit, Qui exercuit miſericordiam in illum. Ait igitur illi Jeſus, Vade, & tu fac ſimiliter.

Quan-

Quanquam buic hiſtoriæ aliquid ſimile tantum habere videtur ea quam referunt Matthæus 22. capite, & Marcus 12. non autem eadem eſſe: ego tamen in unum locum ideo conferre malui, quia quum Matthæus & Marcus affirment hanc fuiſſe ultimam quæſtionem qua tentatus fuit Dominus, Lucas ejus rei nullam mentionem facit. Videtur autem conſulio prætermittere, quia alibi retulerat. Neque tamen contendo eandem eſſe biſtoriam, quum Lucas à reliquis duobus quædam habeat diverſa. Inter omnes convenit, Scribam tentandi Chriſti cauſa moviſſe quæſtionem. ſed is qui à Matthæo & Marco deſcribitur, tandem diſcedit non male affectus: acquieſcit enim Chriſti reſponſo, ſignumque docilis ac manſueti ſpiritus præbet. Adde etiam quod viciſſim Chriſtus pronunciat non procul ipſum abeſſe à regno Dei. Atqui Lucas præfractum hominem faſtuque turgentem inducit, in quo nullum reſipiſcentiæ ſignum apparet. Nihil autem abſurdi eſſet, Chriſtum de vera juſtitia Legiſque obſervatione & regula bene vivendi ſæpius fuiſſe tentatum. Cæterum ſive Lucas alieno loco boc retulerit, ſive nunc prætermiſerit alteram interrogationem (eo quod prior illa narratio quoad doctrinam ſufficeret) doctrinæ ſimilitudo boc poſtulare viſa eſt ut tres Euangeliſtas inter ſe conferrem. Nunc videndum quænam buoc Scribam impulerit occaſio ad interrogandum Cbriſtum: nempe quia Legis erat interpres, offenditur Euangelii doctrina, qua exiſtimat Moſis auctoritatem minui. Quanquam non tam Legis zelo afficitur quam indigne fert ex magiſterii ſui honore aliquid decedere. Sciſcitatur ergo à Cbriſto profiterine velit aliquid Lege perfectius. nam etſi hoc verbis non exprimit, captioſa tamen eſt ejus quæſtio, ut Chriſtum odio populi exponat. Porro Matthæus & Marcus non uni tantum homini buoc aſtum tribuunt, ſed rem ex compoſito actam fuiſſe docent: ac unum fuiſſe delectum à tota ſecta, qui præ aliis ingenio & doctrina pollere viſus eſt. In forma etiam interrogationis nonnihil à Mattbæo & Marco differt Lucas: nam apud hunc quærit Scriba quid faciendo vitam æternam conſequantur homines: apud alios vero duos quodnam in Lege ſummum ſit mandatum. Idem tamen eſt finis: quia Chriſtum fallaciter aggreditur, ut ſiquid eliciat ex ejus ore à Lege diverſum, quaſi apoſtatam & impiæ defectionis auctorem eum exagitet.

26. Luc. *In Lege quid ſcriptum eſt?*] Aliud Chriſti reſponſum audit quam ſperaverat. Et certe non aliam pie juſteque vivendi regulam attulit Chriſtus quam quæ Lege Moſis tradita erat: quia ſub perfecto Dei & proximorum amore continetur ſumma juſtitiæ perfectio. Notandum tamen eſt, Chriſtum de acquirenda ſalute, prout rogatus fuerat, bic loqui. Neque enim plane, ſicut alibi, docet quomodo ad vitam æternam perveniant homines: ſed quomodo vivendum ſit, ut juſti coram Deo cenſeantur. Certum autem eſt in Lege præſcribi bominibus quomodo vitam formare debeant, ut ſalutem coram Deo ſibi comparent. Quod autem Lex nibil aliud quam damnare poteſt, ideoque mortis vocatur
Rom. 7. doctrina, & transgreſſiones augere à Paulo dicitur,
verſ. 13. non ſit doctrinæ vitio, ſed quia impoſſibile nobis eſt
præſtare quod jubet. Ergo quanquam ex Lege nemo juſtificatur, continet tamen Lex ipſa ſummam juſtitiam: quia non falſo ſalutem promittit ſuis cultoribus, ſi quis plene obſervet quicquid mandat. Neque hæc docendi ratio nobis abſurda videri debet, quod Deus primo juſtitiam operum requirat, deinde gratuitam offerat ſine operibus: quia neceſſe eſt homines ſuæ juſtæ damnationis convinci, ut ad Dei miſericor-
Rom 10. diam confugiant. Ideo apud Paulum utriuſque ju-
verſ. 5. ſtitiæ comparatio ponitur, ut ſciamus nos ideo gratis
juſtificari à Deo, quia propria juſtitia deſtituimur. Chriſtus autem in hoc reſponſo ſeſe accommodavit ad Legiſperitum, & rationem interrogationis habuit. quæſierat enim ille non unde petenda eſſet ſalus, ſed quibus operibus acquirenda.

37. Matth. *Diliges Dominum.*] Apud Marcum inſeritur præfatio, quod Deus Iſrael, unus ſit Jehovah. Quibus verbis auctoritatem Legi ſuæ duplici nomine conciliat Deus. nam & hic ſtimulus ad Dei colendi ſtudium acerrimus eſſe debet, dum certo perſuaſi ſumus nos verum cæli & terræ opificem colere: quia naturaliter ignaviam gignit dubitatio: & ſuavis ad eundem ipſum amandum illecebra eſt, dum ſibi nos gratis in populum adoptat. Ergo ne (velut in rebus dubiis fieri ſolet) trepidarent Judæi, audiunt, à vero & unico Deo vitæ regulam ſibi eſſe præſcriptam. Ne autem eos diffidentia retardet, familiariter ad ipſos accedit Deus, & gratuitum fœdus ſuum illis commendat. Interim tamen minime dubium eſt quin ſe ab idolis omnibus ſeparet, ne alio detrahantur Judæi, ſed in puro ejus unius cultu ſe contineant. Jam vero ſi incertitudo miſeros idolorum cultores non tardat quominus furioſo ardore in illorum amorem ferantur, quænam excuſatio Legis auditoribus reliqua eſt, ſi Deo ſibi patefacto torpeant. Porro quod ſequitur, eſt Legis epitome quæ
apud Moſen quoque extat. Nam quum diſtincta *Deut. 6.*
ſit in duas Tabulas, quarum prior ad cultum Dei, *verſ. 5.*
ſecunda ad charitatem refertur, bene & prudenter Moſes hanc ſummam colligit, ut agnoſcant Judæi quid in ſingulis præceptis velit Deus. Cæterum quamvis longe aliter Deum amare conveniat quam homines, non tamen abs re Deus pro cultu vel honore dilectionem à nobis requirit: quia hoc modo ſignificat non alium ſibi cultum quam voluntarium placere. Nam is vere demum ſe Deo in obſequium addicet qui eum amabit. Porro quia pravi & vitioſi carnis affectus nos à rectitudine abſtrahunt, oſtendit Moſes tunc rite compoſitam fore vitam noſtram ſi Dei amor omnes ſenſus noſtros occupet. Diſcamus itaque pietatis initium eſſe Dei amorem: quia Deus coacta hominum obſequia repudiat, vultque ſponte & liberaliter coli. diſcamus interea, ſub Dei amore reverentiam quæ illi debetur, notari. Apud Moſen non additur mens, ſed tantum cordis & animæ & fortitudinis ſit mentio. Quanquam autem hæc quatuor membrorum partitio plenior eſt, ſenſum tamen non mutat. nam quum docere ſummatim velit Moſes, ſolide amandum eſſe Deum, & buc conferri debere quicquid facultatis ineſt hominibus: ſatis habuit animæ & cordi addere fortitudinem, ne quam noſtri partem Dei amore vacuam relinqueret. Deinde ſcimus Hebræos ſub voce Cordis mentem interdum notare, præſertim ubi animæ conjungitur. Quid autem tam in hoc loco quam apud Matthæum differat mens à corde, non multum laboro: niſi quod mihi ſignificat altiorem rationis ſedem, unde conſilia omnia & cogitationes manant. Cæterum ex boc compendio apparet, Deum in Legis præceptis non reſpicere quid poſſint homines, ſed quid debeant. Nam in bac carnis infirmitate fieri non poteſt ut perfectus Dei amor regnum obtineat. ſcimus enim quam propenſi ſint ad vanitatem omnes animæ noſtræ ſenſus. Poſtremo hinc colligimus, Deum nibil morari externam operum ſpeciem, ſed interiorem affectum præcipue requirere, ut ex bona radice boni fructus naſcantur.

39. *Secundum mandatum ſimile huic.*] Secundum locum mutuæ inter bomines charitati aſſignat, quia Dei cultus prior eſt ordine. Simile autem priori eſſe dicit mandatum de proximis amandis, quia ex illo dependet. Nam quum ſibi quiſque addictus ſit, nuſquam vera erga proximos vigebit charitas niſi ubi regnabit amor Dei: mercenarius enim amor eſt quo filii ſeculi alii alios proſequuntur, quia ſingulis curæ eſt ſua utilitas. Rurſus impoſſibile eſt Dei amorem regnare quin fraternam inter homines charitatem ex ſe gignat. Porro quum proximos ſicuti nosipſos
dili-

diligere juſſit Moſes, noluit amorem noſtri priore loco ſtatuere, ut quiſque ſeipſum in primis amet, deinde proximos (quemadmodum Sorbonici ſophiſtæ cavillantur, Regulatum inferius eſſe ſua regula) ſed quum ſimus nobis nimium dediti, Moſes vitium hoc corrigens, proximos noſtros æquali gradu ſtatuit. acſi vetaret unumquemque, aliis neglectis, habere ſui curam: quia charitas in unum corpus omnes conjungit. Et [illegible] corrigens, quæ alios ab aliis ſeparat, ſingulos ad communem ſocietatem & quaſi mutuum complexum reducit. Unde colligimus,
Col. 3:14. perfectionis vinculum non immerito à Paulo vocari:
Rom. 13. verſ. 10. & alibi, complementum Legis: quoniam omnia ſecundæ tabulæ præcepta ad eam referri debent.

28. Luc. *Hoc fac, & vives.*] Paulo ante expoſui quomodo cum gratuita fidei juſtificatione hæc promiſſio conveniat. Neque enim ideo nos gratis juſtificat Deus quia Lex non oſtendit perfectam juſtitiam, ſed quia in ejus obſervatione deficimus omnes: ideoque nos vitam ab ea conſequi negat, quia infirma eſt in carne noſtra. Proinde hæc duo bene inter ſe conveniunt, Legem docere quomodo ſibi homines juſtitiam operibus comparent, & neminem juſtificari operibus: quia non in Legis doctrina, ſed in hominibus eſt defectus. Interea conſilium Chriſti fuit calumniam diluere qua ſciebat apud rudes & indoctos ſe gravari, quaſi Legem, quatenus perpetua eſt juſtitiæ regula, everteret.

29. *Ille volens juſtificare ſeipſum.*] Videri poſſet hæc quæſtio ad hominis juſtificationem nihil valere. Verum ſi memoria tenemus quod alibi dictum eſt, hominum hypocriſin maxime deprehendi in ſecunda tabula (quia dum ſe fingunt optimos Dei cultores, charitatem erga proximos palam violant) inde colligere promptum erit hoc ſuffugio uſum fuiſſe Phariſæum, ut ſub falſa ſanctimoniæ larva obtectus, in lucem non prodiret. Quum ergo intelligat examen charitatis ſibi fore adverſum, latebras captat in nomine Proximi, ne appareat Legis transgreſſor. Prius autem vidimus hac in parte Legem à Scribis fuiſſe corruptam, quod non alios ſibi propinquos ducebant niſi qui digni eſſent. Unde & illud axioma inter eos receptum erat, Licere odio habere inimicos. Nam hæc una hypocritis reatus ſui abolendi ratio eſt, tergiverſari quoad poſſunt, ne vita ſua exigatur ad Legis judicium.

30. *Reſpondens Jeſus.*] Poterat ſimpliciter docere Chriſtus proximi nomen ad quemvis hominum promiſcue extendi, quia totum humanum genus ſancto quodam ſocietatis vinculo conjunctum ſit. Et certe Dominus non alia de cauſa nomen hoc in Lege poſuit, niſi ut nos ad mutuum amorem ſuavius alliceret. Clarius fuiſſet præceptum, Dilige unumquemque hominem ſicut teipſum: ſed quia homines ſua ſuperbia excæcat, ut ſinguli ſeipſis contenti alios pari gradu vix dignentur, ſuaque officia ab illis ſubducant, data opera pronunciat Dominus omnes eſſe propinquos, ut ipſa affinitas alios aliis viciſſim conciliet. Ergo ut quis nobis ſit propinquus, ſufficit eſſe hominem: quia noſtrum non eſt communem naturam delere. Sed Chriſtus à Phariſæo reſponſum elicere voluit quo ſeipſum damnaret. Quia enim apud eos obtinuerat illa magiſtralis determinatio, Neminem eſſe nobis proximum niſi qui amicus eſt: ſi eum præciſe rogaſſet Chriſtus, nunquam uno verbo confeſſus foret ſub nomine proximi comprehendi omnes homines: quod eum fateri cogit ſimilitudo in medium adducta. Summa vero eſt, proximum nobis eſſe alieniſſimum quemque: quia Deus cunctos homines inter ſe devinxit, ut alii alios juvent. Concinne tamen Judæos & Sacerdotes in primis perſtringit, quod quum ſe ejuſdem Patris filios jactarent, & adoptionis privilegio ſe à reliquis Gentibus disjunctos, ut eſſent ſacra Dei hæreditas: barbaro tamen immanique contemptu alii alios non ſecus deſpicerent acſi nulla neceſſitudo intercederet. Neque enim dubium eſt quin Chriſtus crudelem charitatis neglectum deſcribat, cujus illi ſibi conſcii erant. Cæterum hic, ut dixi, præcipuus ſcopus eſt, propinquitatem quæ nos ad mutua officia obligat, non reſtringi ad amicos vel conſanguineos, ſed patere ad totum humanum genus. Ad hoc probandum comparat Chriſtus Samaritanum Sacerdoti & Levitæ. Satis ſcitur quam infeſto odio flagrarent Judæi in Samaritanos: ut in locorum vicinia maxima fuerit disjunctio. Nunc dicit Chriſtus Judæum civem Jericho, quum Hieroſolymam iter faciens vulneratus eſſet à latronibus, tam à Levita quam à Sacerdote, qui in eum jacentem & ſemimortuum inciderant, fuiſſe neglectum: à Samaritano autem humaniter curatum fuiſſe. ac demum quærit quiſnam ex tribus illis fuerit Judæo proximus. Non poterat certe elabi hic ſubtilis doctor quin Samaritanum reliquis duobus præferret. nam hic tanquam in ſpeculo perſpicitur hominum communitas, quam impio ſuo cavillo delere conati fuerant Scribæ. Et miſericordia quam Judæo hoſtis præſtitit, demonſtrat natura duce & magiſtra hominem hominis cauſa eſſe creatum. unde colligitur mutua inter omnes obligatio. Allegoria quam hic excudunt Liberi arbitrii patroni, magis futilis eſt quam ut refutatione digna ſit. Secundum eos ſub typo hominis vulnerati deſcribitur Adæ conditio poſt lapſum. unde inferunt, non extinctam prorſus in eo fuiſſe bene agendi virtutem, quia tantum dicitur ſemimortuus. Quaſi vero Chriſto propoſitum fuerit hoc loco de corruptione humanæ naturæ loqui, ac diſſerere quam mortiferum aut ſanabile vulnus Satan Adæ inflixerit: quaſi etiam non aperte & ſine figura alibi pronunciet Joan. 5. verſ. 25.
omnes eſſe mortuos, niſi quos voce ſua vivificat. Nihilo plus coloris habet altera allegoria: quæ tamen adeo placuit ut omnium fere ſuffragiis excepta fuerit inſtar oraculi. Samaritanum hunc finxerunt Chriſtum eſſe, quia ſit cuſtos noſter: vulneri infuſum fuiſſe vinum cum oleo dixerunt, quia pœnitentia & gratiæ promiſſione nos Chriſtus ſanet. Tertiam argutiam fabricati ſunt, quod Chriſtus non ſtatim reſtituat ſanitatem, ſed Eccleſiæ tanquam hoſpiti commendet paulatim curandos. Fateor nihil horum non eſſe plauſibile: verum Scripturæ major habenda eſt reverentia quam ut germanum ejus ſenſum hac licentia transfigurare liceat. Certe præter Chriſti mentem has ſpeculationes à curioſis hominibus fuiſſe confictas, cuivis perſpicuum eſt.

40. Matth. *In his duobus mandatis.*] Redeo nunc ad Matthæum, ubi dicit Chriſtus totam Legem & Prophetas pendere in his duobus mandatis: non quod huc reſtringere velit totam Scripturæ doctrinam, ſed quia ad hæc duo capita referri debeat quicquid ubique de ratione pie & juſte vivendi præcipitur. Neque enim Chriſtus generaliter diſſerit quid Lex & Prophetæ contineant: ſed contexens ſuum ſermonem, nihil aliud in Lege & Prophetis requiri dicit niſi ut quiſque Deum & proximos ſuos diligat: acſi diceret, ſummam piæ rectæque vitæ in Dei cultu & hominum charitate ſitam eſſe & incluſam: ſicuti Paulus perfectionem Legis dicit eſſe cha- Rom. 13. verſ. 10.
ritatem. Quare perperam hoc Chriſti dictum arripiunt quidam imperiti, acſi in Lege & Prophetis nihil altius quærendum eſſet. Nam ſicuti inter promiſſiones & mandata tenenda eſt diſtinctio: ita hic non generaliter pronunciat Chriſtus quid diſcendum ſit ex Dei verbo, ſed pro circumſtantia cauſæ, in quem ſcopum dirigantur omnia mandata, admonet. Interim gratuita peccatorum remiſſio per quam Deo reconciliamur, fiducia Dei invocandi, arrha futuræ hæreditatis, & aliæ omnes fidei partes, licet primum in Lege gradum obtineant, non pendent in his duobus mandatis: quia aliud eſt exigi quod debetur, aliud offerri quod nobis deeſt. Idem

aliis verbis notatur apud Marcum, Quod nullum aliud præceptum his majus ſit.

32. Marc. *Bene, Præceptor.*] Solus Marcus Scribam fuiſſe manſuefactum commemorat. atque hoc notatu dignum eſt, quod quum maligne & per inſidias Chriſtum eſſet adortus, non ſolum tacitus cedit veritati, ſed palam & ingenue Chriſto ſubſcribit. Ita videmus non ex eorum hoſtium genere fuiſſe quorum inſanabilis eſt pertinacia: quia licet centies convicti ſint, non tamen deſinunt veritatem quovis modo oppugnare. Cæterum ex hoc reſponſo colligitur, Chriſtum non præciſe duobus tantum verbis complexum eſſe vitæ regulam: ſed ut occaſio ferebat, invectum eſſe in fictam & larvatam Scribarum ſanctimoniam: qui quum externis tantum ceremoniis incumberent, fere pro nihilo ducebant ſpiritualem Dei cultum: charitatis vero apud eos non magna erat ratio. Quanquam autem Scriba talibus corruptelis imbutus erat, ut tamen fieri interdum ſolet, rectæ notitiæ ſemen ex Lege conceperat, quod latebat ſuffocatum in ejus corde. hinc fit ut facile à pravo uſu ſe reflecti ſuſtineat. Videtur tamen hoc minime quadrare, quum pars ſint divini cultus ſacrificia, & ad priorem Legis tabulam pertineant, hominum charitati poſtponi. Solutio eſt, Quamvis longe præſtet Dei cultus, ac pretioſior ſit omnibus juſtæ vitæ officiis, externa tamen ejus exercitia per ſe tanti non eſſe ut charitatem obruere debeant. Scimus enim charitatem per ſe & ſimpliciter placere Deo, quum ſacrificia non moretur neque probet, niſi in alium finem. Adde quod de nudis & inanibus ſacrificiis hic agitur, quia veræ & ſinceræ probitati fictitiam pietatis ſpeciem Chriſtus opponit. Eadem quoque doctrina paſſim occurrit apud Prophetas, ut ſciant hypocritæ nullius pretii eſſe ſacrificia quibus conjuncta non eſt ſpiritualis veritas, nec Deum pecudum victimis placari ubi charitas negligitur.

34. *At Jeſus quum videret.*] An ulterius deinde profecerit hic Scriba, incertum eſt: ſed quia ſe docilem oſtenderat, Chriſtus manum illi porrigit, ac ſuo exemplo docet juvandos à nobis eſſe in quibus principium aliquod vel docilitatis vel rectæ intelligentiæ apparet. Videtur enim duabus de cauſis pronunciaſſe Chriſtus hunc Scribam non procul abeſſe à regno Dei: nempe quia ad officium erat flexibilis, & prudenter à neceſſariis officiis diſcernebat externam cultus Dei profeſſionem. Porro non tam ejus laudandi quam cohortandi cauſa teſtatus eſt Chriſtus ipſum eſſe propinquum regno Dei: & in ejus perſona nobis omnibus animum addit, ut rectam viam ſemel ingreſſi, eo alacrius pergamus. His etiam verbis docemur, multos, dum adhuc errore tenentur impliciti, clauſis tamen oculis ad viam accedere, & hoc modo præparari ut maturo tempore in ſtadio Domini currant. Quod dicunt Euangeliſtæ obſtructum fuiſſe os adverſariis ut amplius Chriſto inſidiari non auderent, non ita accipere convenit quaſi deſtiterint ab obſtinata ſua pervicacia. intus enim fremebant, ut ſolent feræ beſtiæ caveis incluſæ, vel ut feroces equi, frenum mordebant. Sed quo magis ferrea erat eorum durities ac indomita rebellio, eo magis illuſtrem de utraque triumphum egit Chriſtus. Hæc autem ejus victoria non parum animare nos debet, ne unquam in veritate tuenda frangamur, certi de ſucceſſu. Fiet quidem ſæpe ut proterve uſque in finem inſultent hoſtes: ſed tandem efficiet Deus ut in eorum capita recidat iſte furor, ac veritas nihilominus victrix emergat.

MATTH. XXII.	MARC. XII.	LUC. XX.
41. Congregatis autem Phariſæis, interrogavit eos Jeſus, 42. Dicens, Quid vobis videtur de Chriſto? cujus filius eſt? Dicunt ei, Davidis. 43. Ait illis, Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum, dicens, 44. Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis, donec poſuero inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? 45. Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus eſt? 46. Et nemo poterat ei reſpondere quicquam. neque auſus fuit quiſquam ex illo die eum amplius interrogare.	35. Et reſpondens Jeſus, dicebat, docens in templo, Quomodo dicunt Scribæ Chriſtum eſſe filium David? 36. Nam ipſe David dixit in Spiritu ſancto, Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis, donec poſuero inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. 37. Ipſe ergo David vocat eum Dominum: & unde filius ejus eſt? Et multa turba audiebat illum libenter.	41. Dixit autem ad illos, Quomodo dicunt Chriſtum eſſe filium David? 42. Et ipſe David dicit in libro Pſalmorum, Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis, 43. Donec poſuero inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. 44. David ergo Dominum illum vocat: & quomodo filius ejus eſt?

42. *Quid vobis videtur.*] Clarius exprimunt Marcus & Lucas cur hoc Chriſtus quæſierit, quia ſcilicet prava inter Scribas opinio invaluerat, promiſſum Redemptorem ex Davidis filiis & ſucceſſoribus unum quempiam fore, qui nihil humana natura præſtantius ſecum afferret. nam ſtatim ab initio Satan quibuſcunque potuit artibus fictitium aliquem Chriſtum ſupponere conatus eſt, qui verus non eſſet Dei & hominum Mediator. Quia toties pollicitus fuerat Deus proditurum eſſe Chriſtum ex ſemine vel lumbis Davidis, altius omnium cordibus infixa erat hæc perſuaſio apud Judæos, quam ut ferre poſſent naturam humanam illi detrahi. Paſſus eſt igitur Satan Chriſtum agnoſci verum hominem & filium Davidis, quia hoc fidei caput labefactare fruſtra tentaſſet: ſed (quod deterius erat) ſua illum Deitate nudavit, quaſi unus quilibet ex filiis Adæ eſſet futurus. Atqui hoc modo ſpes futuræ & æternæ vitæ, & ſpiritualis juſtitia abolebatur. Ex quo vero exhibitus fuit Chriſtus mundo, pluribus vel machinis vel cuniculis nunc humanam, nunc divinam ejus naturam evertere conati ſunt hæretici, ne vel illi ad nos ſervandos plena eſſet poteſtas, vel familiaris ad eum acceſſus nobis pateret. Porro quum jam inſtaret hora mortis, teſtatam facere Deitatem ſuam voluit ipſe Dominus, ut intrepide in ipſum recumberet piorum omnium fiducia. nam ſi homo tantum eſſet, neque in ipſo liceret gloriari, neque ab ipſo ſalutem ſperare. Nunc tenemus ejus conſilium, quod ſcilicet non tam ſua cauſa aſſeruerit ſe Filium Dei eſſe, quam ut fidem noſtram in cæleſti ſua potentia fundaret. nam ut carnis infirmitas, qua ſe nobis propinquum fecit, audaciam nobis præbet ne dubitemus ad eum accedere: ita ſi ſola nobis ante oculos verſetur, metu potius & deſperatione nos implebit, quam bonam fiduciam ſuggerat. Notandum

tamen

tamen eſt, non reprehendi Scribas quia Chriſtum docerent fore Davidis filium, ſed quia merum ſibi hominem fiogerent, qui venturus è cælo erat ut hominis naturam & perſonam indueret. Nec de ſeipſo diſerte verba facit Dominus: verum ſimpliciter oſtendit, impie errare Scribas, qui tootum è terra & humana progenie Redempiorem expectent. Cæterum quaoquam ioter eos tritum erat dogma, ex Matthæo tameo colligimus coram plebe rogatos fuiſſe quid ſentirent.

43. *Quomodo David in Spiritu.*] Quod Davidem in Spiritu loquutum eſſe Chriſtus admonet, empbaticum eſt. nam rei futuræ vaticinium rei præſentis teſtimonio opponit. Nam cavillum quo hodie effugiunt Judæi, anticipat hac voce. Dicunt hoc præconio celebrari Davidis regnum, quaſi Deum ſibi regnandi auctorem ſtatueos, contra inſanos hoſtium ſuorum conatus inſurgeret, ac quicquam Deo invito profecturos negaret. Nequid tale objicerent Scribæ, præfatus eſt Chriſtus, Pſalmum de perſona Davidis minime eſſe compoſitum, ſed dictatum Spiritu Prophetico, ut futurum Chriſti regnum deſcriberet: ſicuti etiam ex cootextu evincere promptum eſt, neque io Davidem, neque in alium quempiam ex terrenis Regibus competere quæ illic leguntur. Nam illic David Regem inducit novo Sacerdotio ornatum, quo neceſſe erat abrogari veteres Legis umbras. Nunc videndum quomodo Chriſtum probet majoris excelleotiæ fore quam ut progenitus tantum ſit ex ſemine Davidis: oempe quia David, qui Rex erat & caput populi, ipſum appellat Dominum. unde ſequitur, in eo aliquid ſubeſſe homine majus. Videtur tamen infirma & frigida eſſe ratio: quia excipi poteſt, quum Pſalmum populo canendum daret, oon habito perſonæ ſuæ reſpectu, Chriſto io alios tribuiſſe imperium. Verum ego contra excipio, quum ipſe ex Eccleſiæ membris unum eſſet, nihil minus fuiſſe conſentaneum, quam ut ſe communi doctrina privaret. Hic quaſi uoa voce gloriari jubet omnes Dei filios, cæleſtis & invicti Regis præſidio ſe tutos eſſe. Si ab Eccleſiæ corpore ſeparetur, ſalutis in Chriſto promiſſæ particeps non erit. Si hæc vox paucorum eſſet, dominium Chriſti ſe noo extenderet uſque ad Davidem. Nunc vero nec ipſe nec alius quiſquam ab ejus ſubjectione eximi poteſt quin ſimul excidat à ſpe æternæ ſalutis. Ergo quum Davidi nihil melius fuerit quam comprehendi in Eccleſia, non mious ſibi quam reliquo populo Pſalmum hunc dictavit. Io ſumma, hoc elogio Chriſtus ſtatuitur ſummus & unicus Rex, qui inter omnes fideles emineat. Nec ulla exceptio admiti debet, quin, ubi præficitur Eccleſiæ Redemptor, ad unum omnes in ordinem cogantur. Quare minime dubium eſt quin ſe quoque ejus imperio ſubmittat David, ut in Dei populo cenſeatur. Sed occurrit jam alia quæſtio, annon extollere potuerit Deus quem ex hominum genere Redemptorem dabat, ut Davidis eſſet Dominus, licet filius. nam & hic non ſubſtantiale Dei nomen, ſed tantum Adonai ponitur, quod ſæpe etiam hominibus aptatur. Reſpondeo, Chriſtum pro confeſſo ſumere, qui numero hominum eximitur, & in eum honoris gradum evehitur ut ſit ſummum totius Eccleſiæ caput, non eſſe merum hominem, ſed Dei quoque majeſtate præditum. Nam Deus æternus, qui jurejuraodo ſibi uni hoc vendicat
ut coram ſe flectatur omne genu, ſimul etiam jurat *Jeſa. 45.*
ſe alteri gloriam ſuam oon daturum. atqui, teſte *verſ. 23.*
Paulo, dum evectus eſt in regnum Chriſtus, datum *& 42: 8.*
illi fuit nomen quod eſt ſuper omne nomen, ut co- *Rom. 14.*
ram ipſo flectatur omne genu. Atque ut id nunquam *verſ. 11.*
à Paulo dictum eſſet, ſic tamen res habet, Chriſtum *Phil. 2: 9.*
ideo præeſſe Davidi & ſacris aliis Regibus, quia ſupra Angelos quoque excellit. quod in hominem creatum non competeret, oiſi idem quoque eſſet Deus in carne manifeſtatus. Fateor quidem hic diſerte & ad verbum non exprimi divinam ejus eſſentiam: ſed inferre promptum eſt, Deum eſſe qui ſupra omnes creaturas locatur.

44. *Dixit Dominus Domino.*] Hic Spiritus ſanctus præit omnibus piis triumphale carmen, ut Satanæ & omnibus impiis animoſe inſultent, ac eorum furorem derideant, quod Chriſtum moliuntur è ſolio ſuo ejicere. Ergo ne vacillent vel expaveſcant, cernentes moveri in terra ingentes ſtrepitus, jubentur ſacrum & inviolabile Dei decretum contrariis omoibus ſtudiis opponere. Senſus ergo eſt, Quantumvis ioſaniant homines, irritum tamen fore quicquid machinari audebunt ad labefactandum Chriſti regnum, quod non hominum arbitrio, ſed divinitus erectum æterna ſtabilitate fulcitur. Ergo quoties violenter impetitur hoc regnum, veniat nobis in mentem hoc cæleſte oraculum. Nam certe in Chriſti manu depoſita fuit hæc promiſſio ut eam ſinguli fideles in ſuum uſum accommodent. Deus autem neque varius eſt, neque fallax, ut retractet quod ſemel ore
ſuo protulit. Porro ſeſſio ad dexteram, metaphorice *Seſſio ad*
accipitur pro ſecundo vel proximo gradu quem Dei *dexteram.*
vicarius occupat. Quare tantundem valet ac ſummum imperium & poteotiam obtinere Dei nomine: ſicuti Deum uoigenito Filio ſuas partes mandaſſe ſcimus, ut per ejus manum Eccleſiam ſuam gubernet. Itaque hæc loquutio locum mioime deſignat, ſed potius cælum & terram includit ſub Chriſti imperio. Seſſurum vero Chriſtum Deus pronunciat donec proſtrati fueriot ejus inimici, ut ſciamus invictum fore & inexpugnabile ejus regnum: non quod ſubactis hoſtibus privandus ſit poteſtate ſibi data, ſed quia cadentibus omnium hoſtium turbis, ioteger perpetuo ſtabit. Interea notatur quæ hodie perſpicitur regni ejus conditio, ne moleſtum nobis ſit ubi videmus undique infeſtari.

MATTH. XXIII.

1. Tunc Jeſus loquutus eſt ad turbas & ad diſcipulos ſuos,

2. Dicens, In cathedra Moſis ſedent Scribæ & Phariſæi:

3. Omnia ergo quæcunque præceperint vobis ſervare, ſervate, & facite: ſecundum vero opera eorum nolite facere. dicunt enim, & non faciunt.

4. Nam colligant onera gravia & difficilia portatu, imponuntque in humeros hominum: digito autem ſuo ea nolunt tangere.

5. Omnia vero opera ſua faciunt ut ſpectentur ab hominibus: dilatant autem phylacteria ſua, & magnificant fimbrias palliorum ſuorum,

MARC. XII.

38. Et dicebat illis in doctrina ſua, Cavete à Scribis, qui amant in ſtolis ambulare, & ſalutationes in foris,

39. Primaſque ſellas in Synagogis, & primos accubitus in cœnis.

LUC. XI.

45. Reſpondens autem quidam ex Legisperitis, ait illi, Magiſter, hæc dicens, etiam nos afficis contumelia.

46. At ille ait, Et vobis Legisperitis væ, quia oneratis homines oneribus quæ portatu difficilia ſunt: ipſi autem non uno digitorum veſtrorum attingitis ſarcinas.

6. Amantque primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis,

7. Et ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.

8. Vos autem nolite vocari Rabbi. unus enim eſt magiſter veſter, Chriſtus: vos autem omnes fratres eſtis.

9. Et patrem nolite vobis vocare in terra: unus enim eſt pater veſter, qui in cælis eſt.

10. Nec vocemini magiſtri: unus enim eſt magiſter veſter, Chriſtus.

11. Qui maximus eſt veſtrum, erit miniſter veſter.

12. Qui autem ſe exaltaverit, humiliabitur: & qui ſe humiliaverit, exaltabitur.

Paulo ante.

43. Væ vobis Phariſæi, qui appetitis primas cathedras in Synagogis, & ſalutationes in foro.

Luc. XX.

45. Audiente vero cuncto populo, dixit diſcipulis ſuis,

46. Cavete à Scribis, qui appetunt ambulare in ſtolis, & amant ſalutationes in foris, & primas cathedras in Synagogis, & primos accubitus in cœnis.

1. *Loquutus eſt ad turbas.*] Apprime utilis fuit hæc admonitio, ut inter diſſidia & certaminum ſtrepitus, in rebus turbatis & coofuſis, in diſſipatione recti & legitimi ordinis, ſalva tamen maneret verbi Dei auctoritas. oam huc ſpectavit Chriſti conſilium ne plebs Scribarum vitiis offenſa, Legis reverentiam abjiceret. Scimus enim quam proclives ad ejus faſtidium ſint hominum mentes: præſertim ubi diſſolutior eſt Paſtorum vita, neque verbis reſpondet, vulgo omnes eorum exemplo, quaſi conceſſa impunitate, laſciviunt. Idem etiam (imo aliquid deterius) in diſcordiis accidit: nam major pars excuſſo jugo, profundit ſuas libidines, ac extremus contemptus erumpit. Porro tunc ardebant Scribæ avaritia, ambitione turgebant, notæ erat eorum rapinæ, formidabilis crudelitas, tantaque morum corruptio ut videri poſſent in Legis interitum conſpiraſſe. Adhæc purum & genuinum Legis ſenſum pravis ſuis commentis perverterant, ut cogeretur Chriſtus acriter cum ipſis confligere: quia ad extinguendam veritatis lucem mira rabies eos ferebat. Itaque quia periculum erat ne multi partim ex talibus corruptelis, partim ex certaminum tumultu, contemptum totius pietatis conciperenr: tempeſtive occurrit Chriſtus ac perperam fieri pronunciat ſi ob vitia hominum peſſum eat vera religio, & ex Legis reverentia quicquam decedat. Quum Scribæ obſtinati prorſus eſſent veritatis hoſtes, quia tyrannide ſua oppreſſam tenebant Eccleſiam, coactus fuit Chriſtus eorum flagitia detegere. niſi enim abſtracti ab eorum ſervitute fuiſſent boni & ſimplices, præcluſa erat Euangelio janua. Alia etiam fuit ratio: quia plebs licitum ſibi eſſe putat quicquid à ſuis rectoribus fieri animadvertit, legemque ſibi fingit ex vitioſis illorum moribus. Cæterum ne quis in diverſam partem traheret quæ dicturus erat, præfatur, qualeſcunque ſint doctores, minime tamen æquum eſſe vel ex eorum ſordibus labem aliquam Dei verbo aſpergi, vel ex pravis eorum exemplis arripi peccandi licentiam. Atque hæc prudentia diligenter notanda eſt. plerique enim dum hoc unum captant ut odio gravent & infamia deforment improbos & ſceleratos, inconſiderato ſuo zelo miſcent omnia & confundunt. Contemnitur enim omnis diſciplina, calcatur pudor: denique nullus manet honeſti reſpectus: imo multis creſcit inde audacia, dataque opera Sacerdotum peccata traducunt ut liberius ipſi inducto colore peccent. Chriſtus autem ſic invehitur in Scribas ut Legem Dei prius à contemptu aſſerat. Hæc igitur eadem cautio nobis tenenda eſt, ſi reprehenſiones noſtras prodeſſe cupimus. Rurſus tamen notare convenit, nullius offendiculi metu deterritum fuiſſe Chriſtum quominus impios doctores, ſicuti meriti erant, traduceret. Tantum hanc moderationem tenuit, ne propter hominum probra, Dei doctrina vileſceret. Porro ut ſciamus de vitiis concionatum eſſe, non ut perſonis invidiam crearet, ſed ne contagio ſerperet latius, diſerte exprimit Marcus loquutum eſſe *in doctrina.* quibus verbis ſignificar, utiliter admonitos fuiſſe auditores ut ſibi caverent. Quanquam autem ad diſcipulos videtur reſtringere Lucas, probabile tamen eſt ſermonem ad totam rurbam promiſcue fuiſſe habitum. Quod etiam clarius patet ex Matthæo: & res ipſa poſcebat ut in genere omnes reſpiceret Chriſtus.

2. *In cathedra Moſis.*] Non remere quod alio loco recitat Lucas, huc inſerere viſum eſt. Præterquam enim quod eadem eſt doctrina, pon dubito quin Lucas, poſtquam dixerat ſevere & duriter Scribas correptos fuiſſe à Domino, addiderit etiam alias reprehenſiones, quas Matthæus in proprium locum diſtulit. Jam enim ſæpius vidimus Euangeliſtas, prout ferebar occaſio, diverſos Chriſti ſermones coacervaſſe. Porro quia plenior apud Matthæum ſenteotia habetur, ejus verba potius explicanda ſumam. Hortatur Dominus fideles in ſumma, quum peſſime vivant Scribæ, ne ad perverſos eorum mores vitam ſuam flectant, ſed potius forment ad Legis regulam, quam audiunt ex ore Scribarum: neceſſe enim habebat (ut nuper attigi) reprehendere multas in illis corruptelas, ne totum populum inficerent. Ergo ne ipſorum flagitiis labefactetur doctrina cujus miniſtri erant ac præcones, fideles ad illorum verba attentos eſſe jubet, non autem ad opera: acſi dixiſſet, non eſſe cauſam cur Dei filios à recte vivendo mala Paſtorum exempla impediant. Scribarum nomine doctores vel Legis interpretes notari ſatis convenit: idque phraſi Hebraica. eoſdem apud Lucam vocari Legisperitos certum eſt. Peculiariter autem Phariſæos qui erant ex Scribarum numero, perſtringit Dominus: quia tunc in Eccleſiæ regimine & Scripturæ interpretatione hæc ſecta primatum tenebat. Nam alibi diximus, quum Sadducæi & Eſſeni literales haberi mallent, Phariſæos aliam docendi rationem quaſi per manus ſibi à majoribus traditam ſequutos eſſe, ut ſcilicet myſticum Scripturæ ſenſum ſubtilius inquirerent. Unde & nomen illis fuit impoſitum: nam Pheruſim dicti ſunt, quaſi interpretes. Quanquam autem ſuis commentis totam Scripturam fœdaverant: quia tamen ſe jactabant illo populari doctrinæ genere, in tradendo Dei cultu, & ſancte vivendi diſciplina præcipue vigebat eorum auctoritas. Ideo ſic reſolvi debet loquutio, Phariſæi & reliqui Scribæ: vel, Scribæ, inter quos Phariſæi ſummo honore pollent, vobis dum loquuntur, rectæ vitæ probi ſunt magiſtri: impiis autem operibus peſſime vos inſtituunt. quare ad eorum ora potius quam ad manus attendite. Nunc quæritur, quicquid præcipiant doctores, an ſine diſcrimine parendum ſit. Nam ſatis conſtat ætatis illius Scribas nequiter & ſcelerate corrupiſſe Legem pravis figmeotis, oneraſſe iniquis legibus miſeras animas, multis ſuperſtitionibus vitiaſſe Dei cultum. atqui ſervari vult

Chriſtus eorum doctrinam, acſi eorum tyrannidi reſiſtere fas non eſſet. Facilis eſt ſolutio, non ſimpliciter conſerri quamlibet doctrinam cum vita: ſed hoc Chriſto fuiſſe propoſitum, à profanis eorum operibus diſcernere ſanctam Dei Legem. Nam Sedere in cathedra Moſis, nihil aliud eſt quam ex Lege Dei tradere quomodo vivendum ſit. Quanquam autem mihi non certo conſtat unde ſumpta ſit loquutio, probabilis tamen eſt eorum conjectura qui ad

1 Eſdr. 8. verſ. 4.

ſuggeſtum referunt quem erexit Eſdras, unde Lex recitaretur. Certe quum Rabbini de Scriptura diſſererent, ordine ſurgebant qui ex conſeſſu erant verba facturi. Legem vero ipſam ex editiore loco promulgari forte moris fuit. Sedet igitur in cathedra Moſis qui non ex ſeipſo, vel proprio ſenſu, ſed ex Dei auctoritate & verbo præcipit. Simul tamen legitima vocatio hic notatur: quia ideo audiri Scribas jubet Chriſtus quod publici eſſent Eccleſiæ doctores. Papiſtis ſatis eſt titulo præditos eſſe, ac locum occupare qui leges imponunt. Huc enim torquent verba Chriſti, quaſi neceſſe ſit obedienter recipere quicquid mandant ordinarii Eccleſiæ Præſules. Atqui ſatis ſuperque hæc calumnia refellitur altero Chriſti edicto, ubi à fermento Phariſæorum caveri jubet. Si rejicere, auctore Chriſto, non tantum fas eſt, ſed etiam oportet quicquid puræ Legis doctrinæ de ſuo Scribæ admiſcent, certe non ſine delectu & judicio amplecti convenit quicquid ipſis mandare libuerit. Deinde ſi hominum præceptis ſuorum conſcientias hic Chriſtus obſtringeret, falſo alibi pronunciaret, fruſtra Deum coli hominum mandatis. Hinc apparet, Chriſtum eatenus populum hortari ut Scribis pareat quantiſper in pura & ſimplici Legis interpretatione manent. Scite enim Auguſtinus & appoſite ad Chriſti mentem, Scribas ſuper cathedram Moſis ſedendo, Legem Dei docuiſſe exponit: ideoque oves debuiſſe vocem paſtoris per ipſos audire, tanquam per mercenarios. Quibus verbis contiouo poſt ſubjicit, Deus ergo per illos docet: ſua vero ſi docere velint, nolite audire, nolite facere. Tractatu in Joannem 46. Cui ſententiæ reſpondet quod idem tradit libro quarto de doctrina Chriſtiana, Quoniam boni fideles non quemlibet hominem, ſed ipſum Deum obedienter audiunt, ideo utiliter audiuntur qui etiam utiliter non agunt. Cathedra ergo non Scribarum, ſed Moſis cogebat eos bona docere, etiam non bona facientes. Sua enim agebant in vita ſua: docere autem ſua, cathedra eos non ſinebat aliena.

4. *Alligant enim onera.*] Non accuſat Scribas quaſi duris & iniquis legibus animas tyrannice opprimant. Tametſi enim multos induxerant ſupervacuos ritus (ut patet ex aliis locis) nunc tamen vitium illud Chriſtus non attingit: quia rectam doctrinam cum prava & diſſoluta vita confert. Porro Legem Dei onus vocari grave & difficile portatu, mirum non eſt, ac præſertim noſtræ infirmitatis reſpectu. Sed quamvis nihil exigerent Scribæ niſi quod à Deo mandatum erat, Chriſtus tamen hic nimis rigidam & auſteram docendi rationem perſtringit, quæ trita eſt ſuperbis iſtis hypocritis, ut ſcilicet imperioſe ab aliis flagitent quicquid debetur Deo: ſintque inexorabiles in urgendis officiis, ſibi autem blande remittant quæ tam ſevere injungunt aliis, & ſecure quidvis indulgeant. Quo ſenſu illis exprobrat Ezechiel quod cum auſteritate & potentia dominentur. Nam qui ſerio Deum timent, quanquam ad ejus obſequium ſincere & ſolide formare ſtudeant diſcipulos, quia tamen in ſeipſos magis quam in alios ſunt ſeveri, non tam præciſi ſunt exactores: deinde quia ſuæ infirmitatis conſcii ſunt, clementer ignoſcunt infirmis. At ſtupidis Dei contemptoribus nihil ad jubendum audacius vel magis crudele fingi poteſt: quia illis curæ non eſt difficultas qua ſe eximunt. Quare nemo aliis moderate præcipiet niſi qui ſibi primum erit magiſter.

5. *Omnia vero opera.*] Nuper dixerat Scribas longe aliter vivere quam doceant. nunc vero addit, ſi quid boni habeant in ſpeciem, id fictum eſſe & nugatorium: quia nihil aliud ſit illis propoſitum quam placere hominibus, ac ſe venditare. Atque hic tacite vero pietatis & ſanctæ vitæ ſtudio opponitur eorum operum larva quæ nonniſi ad oſtentationem valent. Nam integer Dei cultor nunquam ampullis iſtis erit deditus quibus inflati ſunt hypocritæ. Ita non tantum reprehenditur ambitio in Scribis & Phariſæis: ſed quum Dominus in tota eorum vita transgreſſionem divinæ Legis & contemptum damnaſſet, ne clypei loco objicerent fucoſam ſuam ſanctimoniam, per occupationem reſpondet, frivolas eſſe nugas & pro nihilo habendas in quibus ſe jactant, quia illic mera regnat oſtentatio. Poſtea ſpeciem unam profert, ex qua talis ambitio facilis erat cognitu, quod ſcilicet in veſtium fimbriis ſe probos Legis cultores in hominum oculis oſtentent. Quorſum enim fimbriæ latiores, & phylacteria communi vulgi more magis ſplendida, niſi ad inanem pompam? Juſſerat Dominus ut Judæi, inſignes ex Lege ſua & delectas quaſdam ſententias cum in fronte tum in ſuo veſtitu geſtarent: nempe quia facile carni obrepit Legis oblivio, ſubinde ad ejus memoriam revocari populum ſuum Dominus volebat. Nam & ideo tales ſententias juſſi erant ædium ſuarum poſtibus inſcribere, ut quocunque verterent oculos, pia aliqua admonitio ſtatim occurreret. Quid autem Scribæ? Ut à reliquo populo differrent, præcepta Dei ſplendidius in veſtibus ſuis depicta geſtabant. In hac autem jactantia ſe putida ambitio prodebat. Nos vero hinc quoque diſcamus quam ingenioſi ſint homines ad inanes fucos miſcendos, ut ſua vitia ſub aliquo virtutum colore & integumento occultent: quum ſcilicet quæ Deus mandavit pietatis exercitia ad ſuam hypocriſin detorqueant. Nihil utilius fuit quam ſenſus omnes exercere in Legis meditatione: neque id etiam fruſtra mandatum à Domino fuerat. Tantum vero abfuit ut proficerent in talibus rudimentis, ut perfectam juſtitiam in veſtium ornatu locantes, Legem in tota vita ſua ſpernerent. Neque enim magis contumelioſe potuit Lex Domini ludibrio haberi, quam quum ſervari ipſam fingerent theatrico habitu, & cuſtodias ejus vocarent perſonas ad augendam fabulam compoſitas. Quod Marcus & Lucas de ſtolis dicunt, eodem pertinet. ſcimus Orientales paſſim uſos fuiſſe longis veſtibus: quem morem hodie quoque retinent. Sed ex Zacharia apparet, Prophetas certa pallii forma à reliquis fuiſſe diſtinctos. Nec vero ratione caruit doctores ita veſtiri, ut in eorum habitu plus gravitatis & modeſtiæ quam in vulgari extaret. Scribæ vero id perperam ad luxum & pompam converterant. Quod exemplum ad ſe traxerunt ſacrifici Papales, in quibus conſtat ſtolas nihil aliud eſſe quam ſuperbæ tyrannidis inſignia.

Zach. 13. verſ. 4.

6. *Amantque primos accubitus.*] Probat ex claris ſignis nullum in Scribis vigere pietatis ſtudium, ſed ambitioni eſſe prorſus deditos. Nam expetere primos accubitus primaſque ſeſſiones, nonniſi eorum eſt qui ſuperbe ſe inter homines efferre malunt quam Deo probari. Præcipue vero hoc in illis Chriſtus damnat quod vocari appeterent magiſtri. Quanquam enim nomen Rabbi per ſe excellentiam deſignat, uſus tamen invaluerat tunc apud Judæos ut ſic magiſtros Legiſque doctores vocarent. Chriſtus vero hunc honorem cuiquam negat, præter ſe unum, competere. unde ſequitur, nonniſi cum ejus injuria ad homines transferri. Videtur tamen hoc nimis eſſe durum, imo abſurdum, quum jam per ſe nos Chriſtus non doceat, ſed magiſtros nobis ordinet ac præficiat: titulo autem privari quibus munus injungit, ridiculum eſt. Imo quum verſatus eſt in terris, Apoſtolos conſtituit qui ſuo nomine docendi offi-

 cium

cium obirent. Quod ſi de titulo agitur, Paulus certe
1 Tim. 2. verſ. 7. nolebat cum injuria Chriſti, ſacrilega uſurpatione gloriari, quum ſe magiſtrum & doctorem Gentium aſſeruit. Sed quia non aliud fuit Chriſti conſilium quam omnes à minimo uſque ad maximum in ordinem cogere, ut jus ſuum ſibi integrum ſervaret, non eſt cur de voce quiſpiam laboret. Non ergo moratur Chriſtus quo titulo vocentur qui docendi partes obeunt, ſed eos continet intra juſtas metas, ne fratrum fidei dominentur. Tenenda enim ſemper eſt diſtinctio, uni Chriſto obediendum eſſe, quia de ipſo ſolo vox Patris è cælo perſonuit, Ipſum audite: doctores vero ſic eſſe ejus miniſtros ut in ipſis audiri debeat, ſintque ſub eo magiſtri, quatenus perſonam ejus ſuſtinent. Caput eſt, ut ſua illi in ſolidum auctoritas maneat, nec quiſquam mortalium mioimam ejus partem delibet. Sic unicus eſt Paſtor: ſed tamen multos ſub ſe admittit Paſtores, modo ſupra omnes emineat, & per eos ſolus Eccleſiam gubernet. Itaque oppoſitum membrum notandum eſt: nam quia fratres ſumus, neminem io alios magiſterio fungi contendit. unde ſequitur, magiſterium non damnari quo non violatur fraterna inter pios communicatio. Denique nihil aliud hic præcipitur, niſi ut omnes ab ore ſolius Chriſti pendeant. In euodem fere ſenſum ratiocinatur Paulus, quum docet temere arripi ab aliis judicium in alios: quia omnes mutuo ſunt fratres, & omnes ſiſti oportet ad Chriſti tribunal. Rom. 14. verſ. 10.

9. *Patrem nolite vobis vocare.*] Eodem fere ſenſu patris honorem ſoli Deo viodicat quo ſe nuper aſſeruit unicum magiſtrum. oeque enim ſibi hoc nomen ſumpſerunt homines, ſed divinitus illis conceſſum fuit. Quare oon modo fas eſt patres nobis in terra vocare, ſed hoc honore eos privare impium eſt. Nec valet quæ à quibuſdam affertur diſtinctio, homines à quibus progeniti ſunt liberi, eſſe patres ſecundum carnem: ſolum vero Deum eſſe Patrem ſpirituum. Fateor quidem ſic Deum ab hominibus interdum diſtingui (ſicut ad Hebræos 12. verſ. 5.) ſed quum Paulus non ſemel patrem ſpiritualem ſe nominet, 1 Cor. 4. verſ. 15. videodum eſt quomodo id conveniat cum Chriſti Philip. 2. verbis. Verus ergo ſenſus eſt, paternum honorem verſ. 22. falſo tribui hominibus, ſi Dei gloriam obſcurat. Id autem fit quoties mortalis homo ſeorſum à Deo cenſetur pater, quum ab uno Deo per Chriſtum pendeant omnes cognationis gradus, ac ſic inter ſe cohæreant, ut Deus proprie ſolus ſit omnium pater. Ideo ſecundo repetitur ſuperior ſententia de Chriſti magiſterio, ut ſciamus hunc eſſe legitimum ordinem, ſi omnibus præſit unus Deus, paternoque jure & imperio potiatur: Chriſtus autem doctrinæ ſuæ omnes ſubjiciat, & habeat diſcipulos. Quemadmodum alibi dicitur, Chriſtom eſſe unicum totius Ec- Epheſ. 1. eleſiæ caput: quia ſcilicet totum corpus ei ſubeſſe & verſ. 22. parere conveniat.

11. *Qui maximus eſt veſtrum.*] Hac clauſula oſtendit ſe non ſophiſtice litigaſſe de vocibus, ſed rem potius ſpectaſſe: nequis ordinis ſui oblitus, pluſquam par eſt ſibi uſurpet. Pronunciat igitur ſummam in Eccleſia dignitatem eſſe non imperium ſed miniſterium. Quiſquis in hac menſura ſe continet, nec Deo nec Chriſto quicquam eripit, quocunque ornetur titulo. Sicuti rurſum fruſtra ſervi elogio fucatur poteſtas quæ Chriſti magiſterio derogat. Quid enim prodeſt quod Papa tyrannicis legibus oppreſſurus miſeras animas, ſe ſervum ſervorum Dei præfatur, niſi ut palam inſultet Deo, & hominibus probroſe illudat? Cæterum ut vocibus non inſiſtit Chriſtus, ita præciſe hoc ſuis mandat ne altius aſpirent vel conſcendere appetant quam ut ſub Patre cæleſti æquabiliter fraternam colant ſocietatem: & qui honore pollent, ſe aliis exhibeant miniſtros. Adjungit illam inſignem ſententiam, quæ alibi expoſita fuit, Qui ſe exaltat, humiliabitur, &c.

MATTH. XXIII.	MARC. XII.	LUC. XI.
13. Væ autem vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia elauditis regnum cælorum ante homines: vos enim non intratis, nec advenientes ſinitis intrare. 14. Væ autem vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, idque prætextu prolixæ orationis: propter hoc gravius puniemini. 15. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia circuitis mare & aridam ut faciatis unum proſelytum: & quum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo magis quam vos eſtis.	40. Qui devorant domos viduarum, & ſub prætextu prolixæ orationis: hi accipient graviorem damnationem.	52. Væ vobis Legiſperitis, quia tuliſtis clavem ſcientiæ: ipſi non introiſtis, & eos qui intrabant prohibuiſtis. LUC. XX. 47. Qui devorant domos viduarum, ac per ſimulationem longas preces faciunt: hi accipient majorem damnationem.

Acrius adhuc in eos invehitur: idque facit non tam eorum cauſa quam ut plebem & ſimplices ab eorum ſecta revocet. nam etſi reprobis Dei vindictam ſæpe proponi videmus in Scriptura, ut magis reddantur inexcuſabiles: ſub eorum tamen perſona utiliter monentur filii Dei ne ſe implicent iiſdem ſcelerum laqueis, ſed à ſimili exitio ſibi caveant. Certe quum Scribæ, everſo Dei cultu & corrupta pietatis doctrina, nullam correctiooem ferrent, & deſperata inſania in ſuam & totius populi perniciem oblatæ redemptioni ſe opponerent, omnibus exoſos & deteſtabiles reddi oportuit. Quanquam non tam quid meriti eſſent Chriſtus reſpexit, quam quid utile eſſet rudibus & imperitis. Voluit enim ſub vitæ ſuæ finem ſolenne relinquere teſtimonium, nequis niſi ſciens & volens ab impiis illis nebulonibus falli poſſet. Scimus autem quantum ſit obſtaculum ſimplicibus ſtulta falſorum doctorum reverentia, ne ab erroribus liberentur. Falſa doctrina imbuti tunc erant Judæi, imo multas ſuperſtitiones ab infantia imbiberant. Quum difficile per ſe & arduum foret reducere eos in viam, maxime illis obſtabat præpoſtera opinio quam conceperant de falſis doctoribus, quod ſcilicet legitimos eſſe putarent Eccleſiæ præſules, divini cultus antiſtites, & pietatis columnas. Adde quod ſic faſcinati erant ut vix poſſent inde abſtrahi niſi violento metu. Non ergo ut Scribas ſanet Chriſtus, horribilem Dei vindictam illis denunciat, ſed ut reliquos abſterreat ab eorum fallaciis. Quemadmodum hodie in clerum Papalem aſperius cogimur detonare, non alia de cauſa niſi ut qui dociles ſunt ac non penitus reprobi, ad ſalutem ſuam attendant, & perculſi Dei judicio, exitiales ſuperſtitionum, quibus captivi tenentur, laqueos abrumpant. Unde colligitur quam erudelis ſit eorum mollities quibus moleſta eſt noſtra vehementia. Diſplicet illis duriter & acerbe vexari lupos, qui laniandis ac vorandis ovibus aſſidue inhiant: & tamen vident miſeras oves deceptas inani larva, ſponte ſe in luporum fauces coojicere, niſi paſtor qui ipſas ſalvas cupit, & ab interitu

teritu eripere conatur, clamoſa voce ipſas abigat. Tenendum eſt igitur Chriſti conſilium, ut nos ejus exemplo ſevere minemur impiis deceptoribus, & io eos fortiter clamemus: ut quicunque ſunt ſanabiles, exitii metu ab illis fugiant. Nam etſi apud veritatis hoſtes nibil proficitur, citandi tamen ſunt ad Dei tribunal: & alii monendi ut eandem ſibi maledictionem inſtare ſciant niſi mature diſcedant à pravo conſeoſu.

13. *Clauditis regnum cælorum*.] Maledictionem illis denunciat Chriſtus: quia in commune totius populi exitium munus ſuum pervertunt. nam quum penes eos eſſet Eccleſiæ regimen, debuerant eſſe quaſi janitores regni cælorum. Quorſum enim pertinet religio & ſacra doctrina, niſi ut nobis cælos aperiat? Scimus enim totum humanum genus exulare à Deo, & ab hæreditate æternæ ſalutis excludi. Pietatis autem doctrina quaſi janua eſt qua ad vitam ingredimur. ideo metaphorice Scriptura dicit Paſtoribus dari claves regni cælorum: quemadmodum fuſius expoſui cap. 16. Atque hæc definitio tenenda eſt, quæ etiam ex Lucæ verbis clarius patet, ubi exprobrat Chriſtus Legiſperitis quod ſuſtulerint clavem ſcientiæ: nempe quod quum Legis divinæ cuſtodes eſſent, populum fraudabant vera ejus intelligentia. Sicut ergo hodie apud Paſtores depoſitæ ſunt claves regni cælorum ut in vitam æternam fideles admittant, & ab omni ejus ſpe arceant incredulos: ſic olim Sacerdotibus & Scribis ſub Lege idem muous injunctum fuit. Porro ex voce Scientiæ colligimus quam ſtulte Papiſtæ imaginarias claves fabricent: quaſi eſſet magica quædam poteſtas abſque verbo Dei. Nam Chriſtus innuit non alios uti iſtis clavibus quam qui doctrinæ miniſtri ſunt. Siquis objiciat, Phariſæos, licet perverſi eſſent Legis interpretes, claves nihilominus tenuiſſe: reſpondeo, quamvis officii reſpectu illis commiſſæ forent, malitia tameo ac fraude fuiſſe ſuppreſſas, ut nullus maneret earum uſus. Ideo Chriſtus eos abſtuliſſe dicit vel furatos eſſe clavem illam ſcientiæ, qua cælorum januam aperire debuerant. Sicuti bodie in Papatu obſeratum eſt cælum miſero populo, dum janitores ipſi (ſaltem quibus impoſita erat bæc cura) tyrannide ſua impediunt ne aperiatur. Porro niſi ſimus pluſquam ſocordes, manus ſponte impiis tyraonis non dabimus, qui nos crudeliter ab ingreſſu vitæ probibent.

14. *Quia comeditis*.] Longius nunc progreditur. neque enim crimina tantum accuſat quæ palam odio & deteſtatione digna erant, ſed virtutum etiam fucos abſtergit, quibus plebem fallebant. Siquis excipiat, noo fuiſſe opus reprehendi quæ exemplo nocere non poterant: tenendum illud memoria eſt, non aliter potuiſſe eorum ſaluti conſuli qui Scribarum erroribus devincti erant, niſi prorſus ab illis deficerent. Hæc igitur ratio Cbriſtum coëgit inanem virtutum ſpeciem, quæ ſuperſtitionum fomentum erat, traducere. Dicit igitur in ſumma, etiam ubi recte facere videntur, perperam religionis prætextu abuti. In longis precibus ſignum aliquod erat raræ pietatis. nam quo quiſque ſanctior eſt, precandi ſtudio magis eſt deditus. Phariſæos autem & Scribas adeo impuros eſſe dicit Chriſtus ut ne præcipuam quidem divini cultus partem ſine peccato uſurpent: quia illis precandi aſſiduitas turpis lucri ſit aucupium. neque enim aliter preces vendebant quam mercenarii diurnas operas locant. Unde etiam colligimus non præciſe reprehendi longas preces, quaſi in ea re vitium ſit: (præſertim quum Eccleſiæ Paſtores precando ſingulariter intentos eſſe oporteat) ſed hanc corruptelam damnari, quod res per ſe laudabilis in pravum finem converſa eſſet. Nam ubi ex conductitiis precibus captatur quæſtus, quo magis creſcit fervidæ (ut loquuntur) devotionis ſpecies, eo magis profanatur Dei nomen. Quoniam autem vulgi aoimis pridem inſederat falſa perſuaſio, ideo aſperius illis mioatur Chriſtus. neque enim leve crimen eſt rei tam ſacræ pollutio. Viduas autem præcipue fuiſſe captatas, mirum non eſt: quia quum ad ſuperſtitionem propenſæ ſint mulierculæ, nebulonibus eas emungere ſemper ſolenne fuit. Sic Paulus falſis ætatis ſuæ doctoribus objicit quod captivas ducant mulierculas, oneratas peccatis. 2 Timoth. 3. verſ. 6.

15. *Quia circuitis mare*.] Hoc quoque zelo favorem ſibi acquiſierant Scribæ, quod ſtuderent ad religionem Judaicam adducere exteros & incircumciſos. Itaque ſi qoem ſuis illecebris vel alio artificio pellexerant, quaſi aucta Eccleſia miros agebant triumphos. Hinc etiam magni plauſus à vulgo, quod alienigenas ſua induſtria & virtute Dei Eccleſiæ ioſerereot. Chriſtus autem ex adverſo pronunciat id ſtudium adeo ipſis non dandum eſſe laudi, ut Dei vindictam magis ac magis provocent: quia in graviorem interitum eos attrahant, qui ſe dedimt eorum ſectæ. Notandum enim quam tunc corruptus fuerit ſtatus, & quam diſſipata religio. nam ſicuti Deo acquirere diſcipulos pium & præclarum fuiſſet opus: ita ad cultum Judaicum (qui tunc degener erat, imo impiis profanationibus refertus) allicere Gentiles, nibil aliud fuit quam à Scylla in Cbarybdin eos rapere. Adde quod ſacrilego nominis Dei abuſu graviorem in ſe vindictam provocabaot, quum illis religio craſſiorem peccaodi liceotiam daret. Tale bodie exemplum in Monachis ſpectare licet: ſedulo eoim ipſi undique proſelytos corradunt, ſed quos ex laſcivis & impuræ vitæ hominibus reddant prorſus diabolos. nam ea eſt luſtrorum in quibus bacchantur corruptio, quæ vel cæleſtes Angelos depravet. Interim veſtitus Monachalis tegendis omne genus flagitiis aptiſſimum eſt velum.

MATTH. XXIII.	MARC.	LUC.
16. Væ vobis duces cæci, qui dicitis, Quicunque juraverit per templum, nihil eſt: qui autem juraverit per aurum templi, reus eſt.		
17. Stulti & cæci: utrum enim majus eſt, aurum, an templum quod ſanctificat aurum?		
18. Et quicunque juraverit per altare, nihil eſt: quieunque autem juraverit per donum quod eſt ſuper illud, reus eſt.		
19. Stulti ac cæci: utrum enim majus eſt, donum, an altare quod ſanctificat donum?		
20. Qui ergo juraverit per altare, jurat per ipſum, & per omnia quæ ſuper illud ſunt.		
21. Et qui juraverit per templum, jurat per illud, & per eum qui habitat in eo.		
22. Et qui juraverit per cælum, jurat per ſolium Dei, & per eum qui ſedet ſuper illud.		

16. *Væ vobis duces cæci.*] Sicuti hypocriſi fere ſemper conjuncta ambitio eſt: ſic populi ſuperſtitiones fovere ſolet Paſtorum avaritia & rapacitas. Sponte quidem mundus in errores propendet, imo quaſi conſulto fallacias & omne genus impoſturas ſibi acceſſit: ſed tunc demum obtinent vitioſi cultus, dum eos confirmant ipſi Antiſtites. Atqui ut plurimum contingit, eos qui præſunt non modo ſua conniventia blandiri erroribus, quia ſibi lucroſos eſſe vident, ſed ſuis flabellis eos magis accendere. Sic videmus in Papatu innumeris artibus auctas fuiſſe ſuperſtitiones, quum ſacrifici prædæ inhiarent: quia adhuc quotidie multa excogitant quibus ſtultum vulgus magis dementent. Porro ubi ſemel Satanæ præſtigiis obtenebratæ ſunt mentes, nihil eſt tam abſurdum vel etiam prodigioſum quod non avide ſuſcipiant. Hinc factum eſt ut plus reverentiæ auro templi & ſacris oblationibus quam templo & altari Judæi deferrent. Atqui oblationum ſanctitas à templo & altari pendebat, & quædam ſolum erat inferior acceſſio. Atque hoc delirium à Scribis & Sacerdotibus profectum fuiſſe credibile eſt, quia ad colligendas prædas apta erat venatio. Fuit autem non minus pernitioſus quam ſtultus error, eo quod populum ad craſſa figmenta abduceret. Nihil proclivius eſt quam homines à puro Dei cultu delabi. hujus ergo veli obtentu Satanæ promptum fuit procul à Dei intuitu abſtrahere qui jam plus æquo ad ſtultas imaginationes tendebant. Hæc ratio eſt cur eum errorem tam duriter Chriſtus caſtiget. Et tamen Papiſtas non puduit ſacrum Dei nomen ad turpius ludibrium proſtituere. nam apud illos pluris eſt fruſtum putridi cadaveris tangere, quam ſanctum utriuſque Teſtamenti volumen: vel etiam levare in cælum manus. Porro hoc modo inducitur carnalis Dei cultus, qui rectum ejus metum ſenſim obliterat. *Nihil eſt.* Hac particula non ſignificat omnem penitus honorem abrogatum fuiſſe templo: ſed comparative loquitur. Nam quum hyperbolice oblationes extollerent, in earum reverentiam ita rapiebatur hominum vulgus ut templi & altaris majeſtas vileſceret: eamque perjuriis violaſſe, minor eſſet religio quam per ſacras oblationes minus reverenter juraſſe.

18. *Qui juraverit per altare.*] Hic facit Dominus quod in corrigendis erroribus fieri debet, dum nos ad fontem revocat, & ex ipſa jurijurandi natura docet, templum ſuis donariis longe præcellere. Principium ergo illud ſumit, non eſſe fas niſi per unius Dei nomen jurare. Unde ſequitur, quaſcunque ad jurandum formulas homines adhibeant, uni Deo ſervandum eſſe ſuum honorem. Unde rurſum colligitur quomodo & quatenus per templum jurare liceat: nempe quia ſedes eſt ac ſanctuarium Dei. ſicuti per cælum, quia illic refulget Dei gloria. Deus enim ſe in talibus præſentiæ ſuæ ſymbolis in teſtem & judicem advocari patitur, modo jus ſuum ſalvum retineat: nam cælo Deitatem affingere ſceleſta idololatria eſſet. Jam quo illuſtrius gloriæ ſuæ ſpeculum in templo Deus proponit quam in oblationibus, eo plus reverentiæ & ſanctitatis meretur templi nomen. Nunc ergo tenemus quo ſenſu dicat Chriſtus jurari per habitatorem cæli dum per cælum juratur, nempe ut omnes jurandi formas in legitimum finem ac ſcopum dirigat.

MATTH. XXIII.

23. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia decimatis mentham, & anethum, & cyminum: & reliquiſtis quæ graviora ſunt Legis, judicium & miſericordiam & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere.

24. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.

25. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia purgatis exteriorem poculi patinæque partem: cæterum intus plena ſunt rapina & intemperantia.

26. Phariſæe cæce, purga prius quod eſt intra poculum & patinam, ut & exteriores horum partes puræ reddantur.

27. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ foris quidem apparent ſpecioſa, intus vero plena ſunt oſſibus mortuorum, omnique ſpurcitia.

28. Sic & vos foris quidem apparetis hominibus juſti: intus autem pleni eſtis fictione & iniquitate.

MARC.

LUC. XI.

42. Sed væ vobis Phariſæis, quia decimatis mentham & rutam, & quodvis olus: & præteritis judicium & charitatem Dei. Hæc oportuit facere, & illa non omittere.

Paulo poſt.

44. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia eſtis ut monumenta quæ non apparent, & homines ambulantes per ea neſciunt.

Taxat in Scribis Chriſtus vitium quo laborant omnes hypocritæ, quod in rebus minutis valde ſeduli ſint & anxii, præcipua autem Legis capita negligant. Hic morbus omnibus fere ſeculis & apud omnes gentes regnavit, ut major pars hominum defunctorie leviculis obſervationibus Deum placare ſtuduerit. Quia enim omni prorſus Dei obſequio ſe eximere nequeunt, ad hoc ſecundum remedium confugiunt, ut graviſſimas offenſas nihili ſatisfactionibus redimant. Sic videmus hodie Papiſtas, quum transgrediantur ſumma Dei præcepta, valde ardenter in frigidis ceremoniis ſatagere. Talis igitur fictio nunc à Chriſto reprehenditur in Scribis, qui in ſolvendis decimis valde ſeduli & ſcrupuloſi, præcipua Legis capita parum curabant. Porro ut melius putidam eorum oſtentationem traducat, non dicit generaliter decimas ſolviſſe, ſed menthæ, anethi atque (ut habetur apud Lucam) cujuſvis oleris: ut minimo diſpendio rarum pietatis ſtudium oſtentarent. Quia tamen Chriſtus præcipuam Legis juſtitiam in miſericordia, judicio & fide ſtatuit, primo videndum eſt quid per has voces intelligat: deinde cur omiſerit prioris tabulæ præcepta, quæ ad Dei cultum proprie ſpectant: quaſi pietas charitatis officiis ſit inferior. Judicium, pro æquitate vel rectitudine accipitur, qua fit ut cuique reddatur quod ſuum eſt, nec quiſquam alios fraudet vel lædat. Miſericordia autem longius progreditur: ut quiſque ſtudeat de ſuo fratribus ſuccurrere, levare conſilio vel opibus miſeros, tueri eos qui injuſte premuntur, & in commune humaniter conferre facultates quibus præditus eſt. Fides nihil aliud eſt quam ſincera integritas, nequid aſtute, nequid malitioſe vel per inſidias tentetur: ſed ut mutua inter omnes ſimplicitas

colatur

colatur, qua ſinguli ſecum agi volunt. Itaque ſumma Legis ad charitatem refertur. Scio quoſdem fidei nomen alitet interpretari, ut per ſynecdochen comprebendat totum Dei cultum: ſed Chriſtus ſuo more ſerium eaamen ſanctitatis ad fraternam charitatem hic revocat: ideoque priorem tabulam non attingit. Nec obſtat quod apud Lucam pro fide habetur amor Dei. conſilium enim Chriſti fuit oſteodere quid præcipue in Lege ſua Dominus à nobis exigat. Satis vero notum eſt Legem in duas tabulas fuiſſe diſtinctam, ut primum quid Deo, poſtea quid hominibus debeatur, oſtenderet. Apud Lucam utraque pars eaprimitur: acſi diceret Chriſtus buc maxime Legem tendere ut Deum amemus, erga proximos vero æqui ſimus ac miſericordes. Matthæus alrera tantum parte contentus fuit. neque abſurdum eſt charitatis officia vocari præcipua Legis
Rom. 13. verſ. 10. capita, quum ipſa charitas à Paulo vocetur Legis perfectio: ſicuti alibi dicit, Legem impleri ſi diligimus proaimos. Et ſupra Chriſtus de Legis præceptis interrogatus, nonniſi ea quæ ſunt ſecundæ tabulæ recenſuit. Siquis eacipiat, hoc modo præferri homines Deo, quia pluris cenſetur quæ illis præſtatur charitas quam religio: facilis ſolutio eſt, hic oon opponi priori Legis tabulæ ſecundam, ſed potius ex ſecundæ obſervatione probationem ſumi an vere & ea animo colatur Deus. Quia res interior eſt pietas, neque inter nos verſatur Deus ut noſtri erga ſe amoris experimentum capiat, neque etiam noſtris officiis indiget: facile eſt bypocritis mentiri, falſoque obtendere Dei amorem. Quia vero fraternæ charitatis officia ſub ſenſum omnium cadunt, & anre oculos ſunt poſita, in his melius eorum impudeotia coarguitur. Chriſtus ergo ſubtiliter hic differere noluit de ſingulis juſtitiæ partibus, vel earum ordine: ſed quantum ferebat communis bominum captus, ſimpliciter docuit, tunc vere demum ſervari Legem dum alii erga alios recti ſunt & humani & veraces: quia ſic teſtantur Deum ſe diligere ac revereri, imo legitimum ac idoneum ſinceræ pietatis teſtimonium proferunt. Non quod ſufficiat erga homines defungi, niſi prius Deo jus ſuum reddatur: ſed quia verum eſſe Dei cultorem neceſſe eſt qui ad ejus præſcriptum vitam ſuam format. Nondum tamen penitus ſoluta eſt quæſtio. nam decimæ, quas Chriſtus æquitati & miſericordiæ poſtponit, pars erant divini cultus, & pars aliqua in pauperes ſolebat erogari: ita duplex ſacrificium in ſe continebant. Reſpondeo, non ſimpliciter conferri hic decimas cum eleemoſynis & fide & judicio, ſed fictitiam Scribarum ſanctitatem cum ſincero & integro charitatis affectu. Cur enim ad decimas ſolvendas tam prompti & voluntarii erant, niſi ut Deum placareot minimo diſpendio & moleſtia? neque enim ad ſummam intenti erant. Ideoque inter officia charitatis numerari non debuit, quod Deo & bominibus fucum facerent ex levibus particulis.

23. *Hæc oportuit facere.*] Occupatio eſt qua prævenit Chriſtus eorum calumniam. poterant enim ſiniſtre carpere ejus ſermonem, acſi pro nibilo duceret quod Lege Dei præſcriptum erat. Fatetur ergo, quæcunque Deus mandavit ſervanda eſſe, nec quicquam omittendum: ſed non obſtare totius Legis ſtudium quominus in præcipuis capitibus inſiſtere oporteat. Unde colligit, præpoſtere facere eos qui ſeſe in rebus minimis occupant, quum potius à præcipuis ordiri oporteat. decimæ enim quædam erant acceſſio duntaxat. Negat ergo Cbriſtus ſibi in animo eſſe auctoritatem derogare vel minimis præceptis, licet ordinem in Legis obſervatione commendet atque exigat. Salva igitur maneat Lex univerſa, quæ nulla in parte violari poteſt ſine auctoris contemptu: oam qui ſcortari vetuit, & occidere, & furtum facere, idem & concupiſcentiam omnem damnavit. Unde colligimus, ſic inter ſe contexta eſſe omnia præcepta ut unum ab aliis diſcerpere fas non ſit. Quare etiam ſcriptum eſt, Maledictus omnis qui non præſtiterit quæcunque ſcripta ſunt. Quibus verbis abſque exceptione ſancitur univerſalis Legis juſtitia. ſed bæc reverentia, ut diximus, diſcrimen inter præcepta minime tollit: nec ipſum Legis ſcopum, ad quem veri ejus cultores mentem ſuam dirigunt, ne tantum in ſuperficie ludant.

24. *Duces cæci.*] Proverbialis eſt ſententia, qua pulchre eaprimitur putida in rebus minutis hypocritarum anaietas. nam ad minima delicta perinde exhorrent acſi centum mortibus acerbior illis foret unica transgreſſio, in graviſſimis autem ſceleribus ſibi & aliis ſuaviter indulgent. Ergo perinde faciunt acſi quis tenuem panis micam colaret, integrum voraret panem. Culicem ſcimus puſillum eſſe animal: camelum ingentem belluam. nihil ergo magis ridiculum quam vinum vel aquam colare, ne culicem glutiendo fauces lædas, ſecure vero ſorbere camelum. Atqui talibus deliciis hypocritas ludere conſtat: quia quum judicium, miſericordiam & fidem prætereant, imo totam Legem diſſipent, in rebus non magnis pluſquam auſteri ſunt ac rigidi. Porro quum hoc modo ſimulent ſe oſculari Dei pedes, ſuperbe conſpuunt in ejus faciem.

25. *Purgatis exteriorem.*] Proſequitur Dominus eandem ſententiam, ac figurate Scribis exprobrat, hoc unum ſollicite ipſos curare ut tantum coram hominibus ſplendeant. Nam per exteriorem patinæ partem metaphorice externam ſpeciem deſignat. acſi diceret, Vobis nulla muodities curæ eſt, niſi quæ eatra apparet: perinde acſi quis ſedulo abſtergeret eateriores ſordes calicis, intus vero impurum relinqueret. Quod autem translatitia ſit loquutio, ex ſecundo membro patet, ubi interior immunditiès damnatur, quod ſcilicet intus referti ſint intemperantia & rapina. Ergo hypocriſin eorum coarguit quod nonniſi ad hominum oculos vitam ſuam componere ſtudeant, ut ſibi inanem famam concilient ſanctitatis. Ideo eos ad purum & ſincerum recte vivendi affectum revocat. Purga, inquit, primum quod intus eſt: quia ſcilicet ridiculum eſſet oculos paſcere nitore, bibere autem ea calice fæculento, vel aliis modis impuro.

27. *Similes eſtis ſepulchris.*] Alia ſimilitudo, ſed quæ eundem finem ſpectat. comparat enim eos ſepulchris quæ ſibi ambitioſe pulchra & nitida extruunt ſeculi homines. Sicut ergo in ſepulchris pictura vel incruſtatio ad ſe trahit hominum oculos, quum intus condita ſint putrida cadavera: ita Chriſtus hypocritas dicit externo aſpectu fallere, quia fraude & iniquitate referti ſunt. Verba Lucæ aliud ſonant, quod fallant hominum oculos ſicuti ſepulchra, quæ ſæpe non animadvertunt qui ſuper ea ambulant: ſenſus tamen eodem recidit, nempe ſub prætextu falſæ ſanctimoniæ latere occultum fœtorem quem fovent in ſuis cordibus: ſicuti marmoreum ſepulcbrum, quis pulchri & delectabilis ſpeciem præ ſe fert, cadaveris fœtorem tegit ne offendat illac tranſeuntes. Unde colligimus quod prius diai, Chriſtum, ut conſuleret rudibus & imperitis quos inani fuco ſibi devinctos tenebant Scribæ, detraxiſſe fallacem larvam. Profuit enim ſimplicibus hæc admonitio, ut è luporum faucibus ſe mature ſubducerenr. Continet tamen hic locus generalem doctrinam, ut filii Dei non tam videri quam eſſe puri appetant.

MATTH. XXIII. | MARC. | LUC. XI.

29. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia ædificatis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta juſtorum.

30. Et dicitis, Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non fuiſſemus ſocii eorum in ſanguine Prophetarum.

31. Itaque teſtimonio eſtis vobiſmetipſis quod ſitis eorum filii qui Prophetas occiderunt.

32. Vos quoque implete menſuram patrum veſtrorum.

33. Serpentes, progenies viperarum, quomodo effugietis judicium gehennæ?

34. Ideo ecce ego mitto ad vos Prophetas, & ſapientes, & Scribas: & ex illis alios occidetis, & crucifigetis: & ex illis alios flagellabitis in Synagogis veſtris, & perſequemini de urbe in urbem.

35. Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus qui effuſus eſt ſuper terram à ſanguine Abel juſti uſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare.

36. Amen dico vobis, venient hæc omnia ſuper generationem iſtam.

37. Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt: quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſtis?

38. Ecce relinquitur vobis domus veſtra deſerta.

39. Dico enim vobis, haud quaquam videbitis me poſthac donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini.

47. Væ vobis, quia ædificatis monumenta Prophetarum, patres autem veſtri occiderunr illos.

48. Profecto teſtamini quod comprobatis facta patrum veſtrorum: quoniam illi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum ſepulchra.

49. Propterea & Sapientia Dei dixit, Mittam ad illos Prophetas & Apoſtolos, & ex illis occident & perſequentur.

50. Ut requiratur ſanguis omnium Prophetarum qui effunditur à conſtitutione mundi à natione iſta,

51. A ſanguine Abel uſque ad ſanguinem Zachariæ, qui periit inter altare & ædem: profecto dico vobis, requiretur ab hac natione.

LUC. XIII.

34. Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui mittuntur ad te: quoties volui congregare filios tuos quemadmodum avis nidum ſuum ſub pennas, & noluiſtis?

35. Ecce relinquitur vobis domus veſtra deſerta. Dico autem vobis quod non videbitis me donec venerit tempus quum dicetis, Benedictus qui venit in nomine Domini.

LUC. XI.

53. Quum autem hæc ad illos diceret, cœperunt Legiſperiti & Phariſæi graviter inſiſtere, & captioſe interrogare eum de multis,

54. Inſidiantes ei, & quærentes aliquid venari ex ore ejus quo accuſarent eum.

29. *Quia ædificatis ſepulchra Prophetarum.*] Falſo quidam putant reprehendi ſuperſtitionem in Scribis, quod præpoſtere magnificis ſepulchris ornarent mortuos Prophetas, ſicuti nunc Papiſtæ honorem Dei transferunt in Sanctos mortuos, imo eorum ſimulacbra perverſe adorant. Nondum eo progreſſi erant cæcitatis & amentiæ. quare aliud Chriſti conſilium eſt. Hoc etiam fuco apud indoctum vulgus, imo apud omnes Judæos favorem ſibi captabant Scribæ, quod Prophetarum memoriam reverenter colebant. Nam quum ſe hoc modo fingerent illorum doctrinam aſſerere, quivis putaſſet fidos eſſe imitatores ac optimos divini cultus zelotas. Res ergo erat apprime plauſibilis, monumenta Prophetis extruere: quia hoc modo quaſi ex tenebris eruebatur religio ut in ſuo honore ſtaret. Atqui nihil minus erat illis propoſitum quam doctrinam reſtituere, quæ Prophetarum interitu videri poterat extincta. Sed quum ipſi non modo à Prophetica doctrina alieni forent, ſed infeſtiſſimi ejus hoſtes, mortuos tamen ornabant ſepulchris, quaſi ſibi cum illis eadem eſſet cauſa. Atque hoc hypocritis ſolenne eſt, ſanctos Dei miniſtros & puros doctores poſt mortem honore proſequi, quos ferre vivos nequeunt. Neque hoc tantum ex vulgari provenit vitio: (quod notat Horatius his verbis, Virtutem incolumem odimus, Sublatam ex oculis quærimus invidi) ſed quia duris & ſeveris corruptionibus moleſti amplius non ſunt mortui cineres, non ægre in illis colendis evanidam religionis umbram oſtentant qui loquentium vocibus ad inſaniam aguntur. hæc enim fictio non magni conſtat, profiteri erga mutos obſervantiæ ſtudium. Ita ſinguli Prophetæ apud Judæos ſua ætate contumelioſe rejecti ac proterve vexati, ſæpe etiam crudeliter necati fuerunt: poſteritas vero, quæ nihilo melior erat patribus, umbratilem eorum memoriam venerata eſt potius quam doctrinam amplexa: quandoquidem & ipſa ſuis doctoribus peræque infenſa erat. Nam ſicuti mundus, quia Deum penitus ſpernere non audet, vel ſaltem palam contra ipſum inſurgere, hoc artificium excogitat ut Dei umbram colat pro Deo: ita in Prophetis ſimilem exercet ludum. Cujus rei nimis illuſtre documentum in Papatu cernitur. Nam Apoſtolorum & Martyrum legitima veneratione non contenti, divinos illis cultus affingunt: & quoſcunque congerant honores, non putant ſe modum excedere: interea ſæviendo contra fideles, oſtendunt qualis futura ſit ſua pietas erga Apoſtolos & Martyres, ſi hodie ſuperſtites idem quod olim munus obirent. Cur enim tanta in nos rabie exardent, niſi quia eam doctrinam recipi ac vigere cupimus quam ſuo ſanguine obſignarunt

runt

Digitized by Google

runt Apoſtoli & Martyres? Porro quum ſanctis Dei ſervis pretioſior ea fuerit quam propria vita, an huic parcerent qui eam tam furioſe perſequuntur? Suffitu ergo, candelis, floribus, omnique pomparum genere Sanctorum imagines ornent ut libuerit: ſi nunc viveret Petrus, eum diſcerperent, lapidibus obruerent Paulum: ſi Chriſtus ipſe adhuc ageret in mundo, eum lento igni uſtularent. Quia vero ætatis ſuæ Scribas & Sacrificos videbat Dominus laudem inde venari apud populum quod pii eſſent Prophetarum cultores, fallaciter eos ludere coarguit, quia præſentes & ſibi miſſos Prophetas non modo repudient, ſed inhumaniter etiam affligant. In eo autem ſe prodit impia fictio & craſſa impudentia, dum in cultu mortuorum religioſi videri appetunt, quum vivos extinguere conentur.

30. *Si fuiſſemus in diebus.*] Non fruſtra hanc ſententiam Chriſtus inſeruit. Quanquam enim eos non accuſat in patrum perſona, nec vitio præcipue vertit quod ſint homicidarum filii: obiter tamen perſtringit ſtultam eorum jactantiam, quod in ſuo genere gloriari ſolerent, qui tamen ex ſanguinariis Dei hoſtibus eſſent progeniti. Sic ergo reſolvi debet oratio, Cultus quem Prophetis mortuis præſtatis, quædam à vobis impietatis paternæ expiatio cenſetur. Jam igitur hoc obtineo, fruſtra vos jactare ſanctum genus, quum originem trahatis ab impiis & ſceleſtis patribus. Ite nunc, & veſtris ſceleribus obtendite eorum pietatem, quorum manus innoxio ſanguine fuiſſe pollutas fatemini. Atqui longe gravius crimen accedit, quod ſacrilegum furorem patrum, quem in mortuorum ſepulchris damnatis, in cæde vivorum imitamini. Quare tandem concludit, eos hac in parte à patribus non eſſe degeneres. acſi diceret, Non incipit gens veſtra nunc demum ſævire in Dei Prophetas: hæc enim vetus eſt diſciplina, hic mos à patribus traditus, denique hæc agendi ratio vobis eſt quaſi inolita. Cæterum non jubet eos facere quod faciunt, ut ſanctos doctores interficiant: ſed figurate ſignificat eos hæreditario jure inſurgere contra Dei ſervos, ac dandam illis eſſe licentiam oppugnandæ pietatis: quia hoc modo implent quod deeſt patrum ſceleribus, & quam illi exorſi ſunt telam abſolvunt. His autem verbis non tantum pronunciat ipſos eſſe deſperatos, & qui ad ſanam mentem revocari nequeant: ſed ſimplices admonet, non eſſe mirum ſi ab homicidarum filiis male tractentur Dei Prophetæ.

33. *Progenies viperarum.*] Poſtquam oſtendit Chriſtus Scribas non modo ſceleſtos eſſe piæ doctrinæ hoſtes & perfidos corruptores divini cultus, ſed mortiferas quoque Eccleſiæ peſtes: finem concioni ſuæ facturus, acrius in eos excandeſcit. ſicuti neceſſe eſt hypocritis violenter excuti ſuas lautitias, & quaſi raptari ad Dei tribunal, ut terreantur. Quanquam non tantum eos Chriſtus reſpexit, ſed toti populo voluit incutere terrorem, ut à ſimili exitio ſibi omnes caverent. Porro quam dura & intolerabilis fuerit reverendis magiſtris hæc verborum aſperitas, hinc colligere licet, quod jam longo uſu pacata illis erat dominatio, ut nemo contra muſſitare auderet. Nec dubium eſt quin multis diſplicuerit tam acerba Chriſti libertas: imo protervus & intemperans habitus fuerit, quod de ordine Scribarum tam probroſe loqui auderet. ſicuti hodie multi homines delicati nihil de clero Papali aſperius dici ſuſtinent. Sed quia negotium Chriſto erat cum peſſimis hypocritis, qui non modo ſuperbo Dei contemptu inflati & ſupina confidentia ebrii erant, ſed vulgus hominum faſcinaverant ſuis præſtigiis, neceſſe habuit vehementius contra ipſos inſurgere. Vocat ergo ſerpentes tam natura quam moribus: deinde vindictam illis denunciat, quam, niſi mature reſipuerint, fruſtra effugere tentabunt.

34. *Ideo ecce ego mitto.*] Apud Lucam expreſſius aliquid inſeritur, *Propterea etiam dixit Sapientia Dei.* Quod in hunc modum reſolvunt quidam interpretes, Ego, qui ſum æterna Dei Sapientia, de vobis pronuncio. Mihi tamen magis probatur, recepto Scripturæ more Deum hic ſub perſona Sapientiæ ſuæ loquentem induci: ut ſit ſenſus, Pridem de vobis Spiritu Prophetico Deus edixit quid futurum eſſet. Nuſquam, fateor, ad verbum hæc ſententia legitur: ſed quia paſſim Deus indomitam illius populi contumaciam exagitat, quaſi epitomen Chriſtus colligit, atque hac proſopopœia clarius exprimit quodnam fuerit Dei judicium de inſanabili gentis illius pravitate. Mirum enim videri poterat, ſi nullum operæpretium facturi erant doctores, cur illos temere vellet Dominus fatigari. Sic enim diſputant homines, Deum ludere operam quum reprobis verbum ſuum deſtinat, quos novit obſtinatos fore. Hypocritæ vero, quaſi hoc unum ſufficiat, aſſiduos apud ſe habere cæleſtis doctrinæ præcones, quantumvis indociles ſe præbeant, Deum ſibi propitium & faventem eſſe confidunt, modo externum verbum apud ipſos reſonet. Sic ferociter Judæi ſe jactabant, quod præ aliis gentibus Prophetis & doctoribus ſemper excelluiſſent: & quaſi tantum honorem eſſent promeriti, hoc illis indubium erat dignitatis ſuæ inſigne. Hanc futilem arrogantiam ut retundat Chriſtus, non ſolum negat aliis gentibus eos præſtare, quia Deus Prophetis & præclaris Sapientiæ ſuæ interpretibus eos dignatus ſit: ſed gratiam male locatam graviori illis eſſe probro, & majori exitio ceſſuram eſſe contendit: quia ſcilicet aliud fuerit Dei conſilium quam ipſi imaginentur, nempe ut eos magis inexcuſabiles redderet, atque ut ad ſummum uſque cumulum perduceret impiam ipſorum malitiam. acſi dixiſſet, Quod ſubinde vobis cælitus ordinati ſunt Prophetæ, fruſtra & ſtulte hoc decus obtenditis. aliud enim arcano ſuo judicio ſtatuit Deus, ut continua benignæ invitationis ſerie palam detegeret impiam veſtram pervicaciam: qua convicta, filios cum patribus eodem involveret exitio. Quod ad verba ſpectat, defectiva eſt oratio apud Matthæum, cujus ſenſus ſuppleri debet ex Lucæ verbis. Quod Prophetis Scribas & ſapientes annumerat, valet ad amplificationem gratiæ Dei. unde ipſorum ingratitudo magis patet: quod quum nihil ad eos docendos omiſerit Dominus, nihil tamen profecerit. Pro ſapientibus & Scribis Lucas ponit Apoſtolos, eodem ſenſu. Porro docet hic locus, Deum non ſemper hominibus ſalutem conferre, quoties verbum illis ſuum deſtinat: ſed reprobis interdum velle annunciari, quos fore obſtinatos novit, ut ſit illis odor mortis in mortem. Eſt quidem verbum Dei per ſe & ſua natura ſalutare, omneſque promiſcue ad ſpem vitæ æternæ invitat: ſed quia non omnes intus trahuntur, neque omnibus aures Deus perforat: quia denique non omnes renovantur ad pœnitentiam, vel ad obſequium flectuntur: quicunque verbum Dei reſpuunt, ſua incredulitate exitiale ſibi reddunt ac mortiferum. Id futurum eſſe quum præſciat Deus, ut reprobos in graviorem damnationem præcipitet, conſulto Prophetas ſuos illis mittit: quemadmodum fuſius explicat Jeſaiæ 6. verſ. 10. Hoc quidem carnis rationi minime conſentaneum eſſe fateor: ut videmus impuros Dei contemptores ſpecioſam latrandi materiam hinc arripere, quod Deus tanquam ſævus aliquis tyrannus, majore hominum pœna ſe oblectet, quos nulla ſpe profectus ſciens ac volens magis excæcat & indurat. Sed Deus talibus documentis fidelium modeſtiam exercet. Hæc igitur ſit noſtra ſobrietas, trepide adorare quod ſenſum noſtrum ſuperat. Qui Dei præſcientiam nihil obſtare dicunt quominus ſalvi fiant increduli, inani patrocinio ſtulte Deum ipſum excuſant. Fateor quidem reprobos non ideo ſibi mortem accerſere quia Deus ita futurum præviderit,

ideo-

ideoque ejus præſcientiæ non poſſe adſcribi quod pereunt: ſed hoc cavillo Dei juſtitiam nego rite defendi, quia mox objicere licebit, per Deum ſtare quominus reſipiſcant, quia in ejus manu eſt fidei & pœnitentiæ donum. Occurret etiam hæc objectio, Quid ſibi vult quod Deus certo & deliberato conſilio deſtinat verbi ſui lucem ad excæcandos homines? Cur morti æternæ devotos, ſimplici ruina non contentus, bis & ter perire vult? Proinde nihil reliquum eſt quam Dei judiciis hanc gloriam tribuere, ut cum Paulo exclamemus, profundam & incomprehenſibilem eſſe abyſſum. Sed quæritur quomodo prophetias Deus Judæis in perniciem ceſſuras eſſe pronunciet, quum efficaciter ſemper in illa gente viguerit ejus adoptio. Reſpondeo, Quum exigua tantum portio fide verbum amplexa ſit in ſalutem, hic de majori numero vel univerſali corpore ſermonem haberi: quemadmodum Jeſaias, ubi communem gentis interitum prædixit, jubetur Legem Dei inter diſcipulos obſignare. Sciamus ergo, quoties Judæos Scriptura morti æternæ adjudicat, reliquias excipi, in quibus Dominus gratuitæ electionis ſuæ cauſa ſemen aliquod conſervat.

35. *Ut veniat ſuper vos.*] Non modo detrahit illis quod ſibi falſo arrogabant, ſed Prophetis ornatos fuiſſe docet prorſus in diverſum finem, nequa ætas immunis eſſet ab impiæ rebellionis ſcelere. Nam pronomen *vos* generaliter totam gentem à prima ſua origine complectitur. Siquis objiciat, non congruere Dei judicio, pœnam de patrum criminibus exigi à filiis: in promptu ſolutio eſt, Quum ſe impia conſpiratione ſimul implicuerint, non debere abſurdum videri ſi Deus, communiter omnes puniens, pœnam patribus debitam in ſinum filiorum rejiciat. Juſte ergo à tota gente, quocunque ſeculo alii atque alii vixerint, perpetui contemptus exigitur ratio, & pœna ſimul expetitur. Nam ſicut Deus longo patientiæ ſuæ tenore cum totius populi malitia conſtanter certavit: ſic inflexibilis pervicaciæ, quæ ad extremum uſque duravit, totus populus merito reus peragitur. & ſicuti ex compacto ſingulæ ætates ſuos Prophetas necarunt, ita ad commune judicium vocari æquum eſt, ac cædes omnes quæ uno conſenſu patratæ ſunt, in omnibus vindicari. *A ſanguine Abel.* Tametſi Abel non à Judæis occiſus eſt, ejus tamen necem ipſis imputat Chriſtus, quia inter ipſos & Cain quædam erat impietatis cognatio: alioqui non quadraret quod dicit, ſanguinem juſtum ab initio uſque mundi effuſum à generatione hac. Cain ergo Judaici populi caput ac princeps auctorque ſtatuitur, quia ex quo Prophetas occidere cœperunt, ſucceſſerint in ejus locum cujus fuerunt imitatores. Porro Zachariam nominat non quaſi ultimum Martyrem: (neque enim tunc finem fecerunt Judæi Prophetarum cædibus: quin potius hinc crevit illis audacia & furor: & qui ſequuti ſunt poſteri, ſeſe ingurgitarunt ſanguine quem patres tantum libaverant) neque etiam quod mors ejus vulgo notior eſſet, tametſi eam ſacra Scriptura celebrat. ſed alia ratio eſt: quæ quum animadverſione digna eſſet, interpretes latuit. unde etiam factum eſt ut non modo hallucinati ſint, ſed etiam lectores implicuerint moleſta quæſtione. Lapſus enim memoria videri poſſet Chriſtus, dum cædem unam vetuſtam commemorans, innumeram prope ſtragem quæ poſtea ſub Manaſſe facta eſt, præterit. Neque enim ad tempus transmigrationis ceſſarunt apud Judæos impiæ ſanctorum virorum perſequutiones. imo

Jer. 32. verſ. 1. quum jam afflicti eſſent, ſcimus quam immaniter in Jeremiam ſævierint. Atqui data opera Dominus non recentes illis cædes exprobrat, ſed hanc magis antiquam deligit (quæ etiam initium & origo fuit ſceleratæ licentiæ, ut poſtea in effrenem crudelitatem erumperent) quia hoc ejus propoſito aptius erat. Nam hanc conſilii ejus ſummam eſſe nuper expoſui, quum gens illa ab impietate non deſiſteret, ream peragere omnium cædium quæ jam olim perpetratæ fuerant. Ergo non præſentis tantum ſævitiæ vindictam denunciat, ſed rationem illis reddendam eſſe dicit de cæde Zachariæ, acſi ejus ſanguine madefactæ eſſent ipſorum manus. Neque enim probabilis eſt eorum opinio qui hoc ad Zachariam referunt qui populum ab exilio Babylonico reducem ad templum ædificandum hortatus eſt, cujus extant vaticinia. Tametſi enim libri inſcriptio filium Barachiæ fuiſſe docet, occiſum tamen fuiſſe nuſquam legitur. deinde coacta eſt expoſitio, quod medio tempore inter altaris & templi ædificationem occiſus fuerit. De altero autem Zacharia Jojadæ filio ſacra hiſtoria refert quod huic loco optime quadrat: nempe quum poſt mortem patris ejus impia Regis & populi defectione collapſa eſſet vera religio, Spiritu Dei fuiſſe indutum, ut publicam idololatriam ſevere corriperet: ideoque in atrio templi fuiſſe lapidatum. Abſurdum vero non eſt patri Jojadæ honoris cauſa impoſitum fuiſſe Barachiæ cognomen: quia quum tota vita veri cultus fuiſſet aſſertor, merito benedictus Dei cenſeri debuit. Sive autem binomius fuerit Jojada, ſive mendum ſit in voce (ſicuti Hieronymus exiſtimat:) de re certe nulla eſt dubitatio quin Chriſtus ſacrilegam illam Zachariæ lapidationem notet, quæ ſcribitur 2 Chron. 24. v. 22. Circumſtantia loci criminis atrocitatem auget: quod ſcilicet templi ſanctitatem reveriti non fuerint. Porro *templum* hic ſumitur pro atrio, ut aliis locis. Huic propinquum erat altare holocauſtorum, ut Sacerdos in conſpectu populi victimas offerret. Apparet igitur nimis veſanam fuiſſe rabiem, quam altaris & templi conſpectus ſedare non potuit, quin ſacrum locum nefando homicidio Judæi fœdarent.

37. *Jeruſalem, Jeruſalem.*] His verbis clarius demonſtrat Chriſtus quam juſtam habeat excandeſcendi cauſam, quod Hieroſolyma, quam ſibi Deus in ſacrum & quaſi cæleſte domicilium elegerat, non modo indignam ſe præſtiterat tanto honore, ſed (quaſi ſpelunca latronum eſſet) hauriendo Prophetarum ſanguini longo uſu aſſueverat. Pathetice ergo exclamat Chriſtus ad tantum portentum, quod ſancta Dei civitas eo amentiæ delapſa erat, ut ſalvificam Dei doctrinam Prophetarum ſanguine pridem extinguere conata eſſet. Atque huc ſpectat repetitio nominis: quia tam prodigioſa & incredibilis impietas deteſtatione non vulgari digna erat. Nec vero exprobrat Chriſtus unam tantum vel alteram cædem, ſed hac conſuetudine imbutam eſſe urbem dicit ut Prophetas, quotquot mittuntur, occidere non deſinat. Participium enim loco epitheti poſitum eſt: acſi dixiſſet Chriſtus, Tu, quæ fidelis verbi Dei cuſtos, cæleſtis ſapientiæ magiſtra, lucerna mundi, fons rectæ doctrinæ, ſedes divini cultus, fidei & obedientiæ exemplar eſſe debueras, Prophetarum es interfectrix, ut jam habitum quendam contraxeris ſanguinis eorum ſorbendi. Hinc igitur patet, omni genere probrorum fuiſſe dignos, qui Dei ſanctuarium tam fœde profanaverant. Quanquam etiam ſimul Chriſti conſilium fuit, ſcandalo quod prope inſtabat, occurrere: ne fideles, quum eum indigne occidi Jeroſolymæ viderent, tale ſpectaculum ſua novitate turbaret. His enim verbis jam admoniti fuerunt, nihil mirum eſſe ſi urbs jugulandis vel lapidandis Prophetis aſſueta, ſuum Redemptorem crudeliter occideret. Cæterum hinc apparet quantum tribuere locis conveniat. Nullam certe mundi urbem æque ſplendidis elogiis ornavit Deus, vel tam honorifice extulit: videmus tamen quo ſe præcipitaverit ſua ingratitudine. Conferat nunc Papa latrocinii ſui ſedem cum ſancta illa urbe: quid pari honore dignum reperiet? Jactant nobis mercenarii ejus adulatores fidem illic olim viguiſſe. Quod ut verum

eſſe

eſſe demus, ſi hodie conſtat perfida defectione alienatam eſſe à Chriſto, & innumeris ſacrilegiis refertam, quam ſtulte honorem primatus ei affixum eſſe contendunt? Nos vero potius diſcamus ex hoc memorabili exemplo, ut quiſque locus majoribus Dei beneficiis in ſublime evectus eſt, adeoque à communi ſorte exemptus, ſi degeneret, non modo ſuis ornamentis ſpoliari, ſed eo magis probroſum eſſe & execrabilem: quia turpiter Dei gloriam inquinavit, decus gratiarum ejus fœdando. *Quoties volui.* Indignatio magis eſt quam commiſeratio. Urbem quidem ipſam, ſuper quam paulo ante fleverat, adhuc miſericordia proſequitur: ſed in Scribas exitii auctores durior & aſperior eſt, ſicuti meriti erant. Quanquam nec reliquis parcit, qui omnes ejuſdem ſceleris conſcii & approbatores & ſocii erant: ſed omnes in eundem reatum trahens, præcipue invehitur in ipſos duces, qui malorum omnium cauſa erant. Jam notanda eſt ſermonis vehementia. Si ſimpliciter repudiata fuiſſet Dei gratia Hieroſolymæ, jam minime excuſabilis fuiſſet ingratitudo: quum vero comiter & blande ad ſe allicere Deus tentaverit Judæos, ac nihil profecerit tanta benignitate, longe atrocius fuit tam ſuperbæ contumeliæ crimen. Acceſſit etiam indomita obſtinatio: quia non ſemel atque iterum ipſos Deus colligere voluit, ſed per continuos ſucceſſionis gradus alios atque alios ſubmiſit Prophetas, qui omnes fere à majori parte repulſi ſunt. Nunc tenemus cur ſe Chriſtus in Dei perſona gallinæ comparet: nempe quo plus ignominiæ huic ſceleſtæ genti irroget, quæ ſuaves & pluſquam maternas ejus invitationes reſpuerat. Mirum hoc certe & incomparabile amoris documentum fuit, quod ſe ad blanditias uſque demittere gravatus non eſt, quo cicuraret in ſuum obſequium rebelles. Similis fere exprobratio apud Moſen legitur, Deut. 32. verſ. 12. quod Deus tanquam aquila expanſis alis populum illum complexus ſit. Quanquam autem non uno modo alas ſuas expandit Deus ad fovendum illum populum, hanc tamen loquendi formam Chriſtus peculiariter ad unam ſpeciem accommodat, quod ſcilicet miſſi fuerint Prophetæ, qui vagos & diſperſos in ſinum Dei colligerent. Quo ſignificat, nunquam proponi nobis Dei verbum, quin ipſe materna dulcedine gremium ſuum nobis aperiat: nec eo contentus, uſque ad humile gallinæ ſtudium deſcendat in fovendis pullis. Unde ſequitur pluſquam monſtroſam eſſe noſtram ferociam, ſi ab ipſo colligi non patimur. Certe ſi in mentem nobis veniat ab una parte formidabilis Dei majeſtas, ab altera autem ſordida abjectaque noſtra conditio, non ſine pudore ad tantum bonitatis miraculum obſtupeſcere cogemur. Quid enim hoc eſt, ut Deus ſe noſtra cauſa euſque dejiciat? Quum maternam perſonam induit, immenſo ſpatio deſcendit infra ſuam gloriam: quanto hoc majus, quod gallinæ formam ſuſcipiens, nos inſtar pullorum ſuorum habere dignatur? Adde, quod ſi veteri populo qui ſub Lege vixit, hoc merito fuit objectum, in nos longe magis competit. Etſi enim verum ſemper fuit quod nuper citavi ex Moſe, veræ etiam ſint querimoniæ quæ apud Je-
Jeſa. 65. verſ. 2. ſaiam leguntur, quod Deus fruſtra quotidie brachia ſua extenderit ad amplexandum populum durum & rebellem, quod mane ſurgendo nihil aſſidua cura erga illum profecerit: hodie tamen longe familiarius & ſuavius nos ad ſe per Filium ſuum invitat. Quare horribilis nos vindicta manet, quoties Euangelii ſui doctrinam proponit, niſi ſub ejus alas, quibus nos ſuſcipere & tegere paratus eſt, placide nos recondimus. Interea docet Chriſtus, in tuto quieſcere omnes eos qui fidei obſequio ad Deum ſe aggregant: quia ſub ejus alis inexpugnabile habent refugium. Notandum etiam eſt alterum illud exprobrationis membrum, quod Deus perverſa veteris populi contumacia non ita mox fuerit offenſus, ut & paternum amorem & maternam curam abjiceret, quando Prophetas Prophetis continua ſerie addere non deſtitit. Quemadmodum hodie, licet mundi pravitatem plus ſatis ſit expertus, gratiæ tamen ſuæ curſum continuat. Subeſt tamen in his verbis altior notatio: nempe quod Judæi, ſimulatque eos Dominus collegerat, ab ipſo diffluebant. Hinc tam frequentes diſſipationes, quod ſub Dei alis vix ad momentum quieti manerent. qualis etiam hodie feritas in mundo cernitur, & omnibus ſeculis extitit. ideo neceſſe eſt ut vagos & palantes Deus ad ſe revocet. Sed hic eſt deſperatæ & ultimæ pravitatis cumulus, dum bonitatem Dei pertinaciter repudiant homines, & ſub ejus alas venire recuſant. Porro quod antehac dixi, Chriſtum loqui in Dei perſona, ſic intelligo, ſermonem hunc proprie in æternam ejus Deitatem competere. Neque enim hic diſſerit quid facere inceperit ex quo fuit in carne manifeſtatus: ſed quantum de ſalute populi illius ab initio fuerit ſollicitus, prædicat. Scimus autem Eccleſiam ita fuiſſe divinitus gubernatam, ut ei præfuerit Chriſtus, quatenus æterna erat Dei Sapientia. Quo ſenſu Paulus non Deum Patrem in deſerto, ſed Chriſtum ipſum fuiſſe tentatum dicit, primæ ad Corinthios capite 10. verſ. 9. Quod autem locus hic ad probandum liberum arbitrium, & arcanam Dei prædeſtinationem abolendam à Sophiſtis arripitur, facilis eſt ſolutio. Vult Dominus omnes congregare, inquiunt: ergo omnibus liberum eſt venire, nec eorum voluntas à Dei electione pendet. Reſpondeo, voluntatem Dei, cujus hic fit mentio, ab effectu eſſe conſiderandam. Nam quum verbo ſuo promiſcue omnes ad ſalutem vocet, atque hic ſit prædicationis finis ut in ejus cuſtodiam & fidem omnes confugiant, merito dicitur velle omnes ad ſe colligere. Non ergo hic nobis arcanum Dei conſilium, ſed voluntas quæ perſpicitur ex verbi natura, deſcribitur. Nam certe quos efficaciter colligere vult, eos Spiritu ſuo intus trahit, non externa ſolum hominis voce invitat. Siquis excipiat, abſurde duplicem in Deo voluntatem fingi: reſpondeo, non aliter nos credere quam unicam & ſimplicem eſſe ejus voluntatem: ſed quia ad profundam arcanæ electionis abyſſum mentes noſtræ non penetrant, pro infirmitatis noſtræ modulo bifariam nobis Dei voluntatem proponi. Ac miror quoſdam ita præfracto eſſe cerebro, ut ἀνθρωποπάθειαν, quæ paſſim in Scripturis occurrens nihil eos offendit, tantum hac in parte non admittant. Sed quia hoc argumentum copioſe alibi tractavi, ne in re ſupervacua nunc longior ſim, tantum breviter dico, ſimulac doctrina quæ unitatis vexillum eſt, in medium profertur, Deum velle omnes colligere, ut quicunque non veniunt, ſint inexcuſabiles. *Et noluiſtis.* Hoc tam ad totam gentem referri poteſt quam ad Scribas: ego tamen de his potius interpretor, à quibus maxime impedita fuit collectio. Nam & toto contextu in eos invectus eſt Chriſtus: & nunc quum ſingulari numero Hieroſolymam alloquutus foret, non temere videtur mox numerum mutaſſe. Eſt autem inter velle Dei & ipſorum nolle emphatica oppoſitio: quia exprimitur diabolicus hominum furor, qui Deo reluctari non dubitant.

38. *Ecce relinquetur.*] Templi vaſtationem & totius politiæ interitum denunciat. Quantumvis enim impietate, flagitiis, omnique infamia deformes eſſent: perverſa tamen externi cultus & templi fiducia ſic erant excæcati, ut Deum ſibi obſtrictum putarent. Ac ſemper hic clypeus in promptu illis erat, Quid? an migraret Deus ex hoc loco quem ſibi unum in terris delegit? Quod ſi habitat in medio noſtrum, tandem nos reſtitui neceſſe erit. Denique templum habebant pro invicto propugnaculo, quaſi in gremio Dei ſederent. Chriſtus autem fruſtra eos Dei præſentia gloriari contendit, quem ſuis ſceleribus expulerant: & *domum ipſorum* vocans, obli-

que ſubindicat Dei amplius non eſſe. Hac quidem lege extructum erat templum ut Chriſti adventu eſſe deſineret ſedes ac ſtatio Dei: ſtetiſſet tamen quaſi inſigne monumentum perpetuæ Dei gratiæ, niſi populi impietate deſtructum foret. Horribilis igitur hæc fuit Dei ultio, quod locum tam magnifice à ſe decoratum non modo deſerui ac funditus everti voluit, ſed uſque ad finem mundi ſubjecit extremæ ignominiæ. Eant nunc Romanenſes, & invito Deo Babylonicam ſuam arcem extollere pergant, quum templum Dei auſpiciis & mandato conditum videant populi ſceleribus cecidiſſe.

39. *Dico enim vobis.*] Confirmat quod dixerat de propinqua Dei ultione: quia ſcilicet unicum effugiendi interitus remedium illis tolletur. Nam illud erat tempus acceptum, ille dies ſalutis, quamdiu idem qui Redemptor illis advenerat, teſtis ac præco erat redemptionis à ſe allatæ. Ejus autem diſceſſu, perinde ac Solis occaſu, lux vitæ evanuit. quare neceſſe fuit miſeram hanc cladem, quam denunciat, ſuccedere. Nunc quæritur quodnam tempus deſignet hac particula *donec dicatis.* Quidam ad ultimum judicii diem reſtringunt: alii vaticinium eſſe putant, quod paulo poſt impletum fuit, quum ex Judæis quidam Chriſtum ſupplices adoraverunt. Sed neutra interpretatio mihi probatur. Ac certe miror tam levem ſcrupulum doctis hominibus obſtaculo fuiſſe, dum anxie quærunt quomodo de Chriſto dicturi ſint increduli; *Benedictus qui venit* &c. Non enim quales futuri ſint, ſed quid ipſe facturus ſit pronunciat. Nec vero adverbium *donec*, longius extenditur quam ad tempus quod præcedit. Joſeph non eſt congreſſus cum uxore donec illa Chriſtum peperit. Non intelligit his verbis Scriptura poſt partum eos poſtea cohabitaſſe tanquam virum & uxorem: ſed tantum oſtendit Mariam ante filii ſui partum virginem fuiſſe à viro intactam. Præſentis ergo loci hic, meo judicio, genuinus eſt ſenſus, Hactenus inter vos ſubmiſſe & humaniter verſatus ſum, & officio doctoris functus: nunc peracto vocationis meæ curſu diſcedam, nec me poſthac frui poteritis: ſed quem nunc Redemptorem contemnitis & ſalutis miniſtrum, judicem experiemini. Ita convenit hic locus cum illo Zachariæ, Videbunt quem transfixerunt. *Zach. 12. verſ. 10.*
Quin etiam videtur Chriſtus figurate perſtringere vanam eorum hypocriſin, quod velut promiſſæ ſalutis ardenter cupidi, quotidie ex Pſalmo canebant, Benedictus qui venit in nomine Domini: interea ludibrio habebant oblatum ſibi Redemptorem. Denique ſe ad illos venturum negat, donec ad conſpectum horrendæ ejus majeſtatis trepidi ſero exclament, vere eſſe Dei Filium. Atque hæc comminatio ad omnes Euangelii contemptores pertinet: præſertim qui falſo ejus nomen obtendunt, quum ejus doctrinam reſpuant: quia tandem agnoſcent ſe non poſſe ejus manus effugere, cui nunc fucata ſua ſimulatione illudunt. Nam & hodie eadem apud Papiſtas cantilena reſonat, quibus tamen pro nihilo eſt Chriſtus, donec vindicta armatus tribunal conſcendat. Monemur etiam, quamdiu nobis apparet Chriſtus Patris nomine, interpres ſalutis ac mediator, non labris tantum honorandum eſſe, ſed ſincere optandum ut ſibi nos totumque mundum ſubjiciat.

53. Luc. *Quum autem hæc ad illos.*] Jam prius admonui, ſuperiores ſententias non ſuo loco poſitas eſſe à Luca. Nam quum referret objurgatos fuiſſe à Chriſto Scribas in quodam prandio, poſtremos etiam ſermones, quibus eorum flagitia paulo ante mortem ab eo traducta ſunt, contexuit. Ita etiam proxima objurgatio decimo tertio capite à Luca inſeritur, ubi aliam hiſtoriam recitat. Siquis eorum opinionem ſequi malit qui ſæpius Chriſtum eadem iteraſſe divinant, non admodum repugno. Nunc Lucas, poſtquam maledictiones nuper expoſitas recenſuit, tandem concludit, Scribas omnes magis fuiſſe Chriſto infeſtos, ut ſuarum captionum aucupiis inſidias illi ſtruere non ceſſarent. quod ad colloquium in menſa habitum magis referri debet quam ad ultimam concionem. Sed ego non magni referre duxi, in tempore quod Euangeliſta neglexit, non eſſe curioſum.

Matth.	Marc. XII.	Luc. XXI.
	41. Et quum ſederet Jeſus ex adverſo gazophylacii, ſpectabat quomodo turba mitteret æs in gazophylacium. Et multi divites mittebant multa.	1. Sublatis autem oculis vidit eos qui mittebant munera ſua in gazophylacium divites.
	42. Et venit quædam vidua pauper, miſitq; minuta duo, quod eſt quadrans.	2. Vidit autem & quandam viduam pauperculam, mittentem illuc æra minuta duo.
	43. Vocatiſque ad ſe diſcipulis ſuis, dixit, Amen dico vobis quod hæc vidua pauper plus miſit quam omnes qui miſerunt in gazophylacium.	3. Et dixit, Vere dico vobis quod vidua hæc pauper plus quam omnes intulit.
	44. Nam omnes ex eo quod illis abundat, miſerunt: at hæc è penuria ſua, omnia quæcunque habebat, miſit totum ſuum victum.	4. Nam omnes hi ex eo quod ipſis exuberat, intulerunt in donaria Dei: hæc autem ex penuria ſua univerſum victum quem habebat, intulit.

43. *Amen dico vobis.*] Hoc Chriſti reſponſum doctrinam non parum utilem continet, Quicquid offerunt homines Deo, non ab externo pretio æſtimari, ſed tantum ex cordis affectu: imo pluris eſſe ejus pietatem qui pro ſuo modulo quantulumcunque habet Deo impendit, quam qui centuplo plus offert ex ſua abundantia. Porro duplex eſt hujus doctrinæ utilitas. nam Dominus pauperculos qui bene agendi facultate deſtitui videntur, animat ut non dubitent vel tenui officio alacriter ſtudium ſuum teſtari: quia ſi ſeipſos conſecrant, non minus pretioſa erit quæ in ſpeciem vilis & frivola eſt eorum oblatio, quam ſi omnes Crœſi theſauros afferant. Rurſus monentur quibus uberior ſuppetit copia, & qui pluribus donis excellunt, non ſufficere ſi largiendo gregarios & tenues longe ſuperent: quia minus eſt coram Deo, divitem ex magno acervo mediocrem ſummam conferre, quam pauperem, minutum aliquid erogando, ſe exhaurire. Porro non vulgaris fuit hujus viduæ pietas, quæ ne vacua in conſpectum Domini veniret, victu proprio ſe privare maluit. Et hæc ſimplicitas à Domino laudatur, quod ſui oblita, teſtari voluerit ſe & ſua omnia Dei eſſe. Sicuti etiam præcipuum ſacrificium quod à nobis exigitur, eſt noſtri abnegatio. Quanquam autem ſacras oblationes tunc non rite, nec in legitimos uſus fuiſſe diſpenſatas credibile eſt: quia tamen adhuc vigebat Legalis cultus, ideo eas non rejecit Chriſtus. Et certe facere non potuit hominum corruptela quin ſancte ex Dei mandato probi ejus cultores offerrent in ſacrificia & alios pios ſumptus.

MATTH. XXIV.

1. Et egreſſus Jeſus diſcedebat è templo: & acceſſerunt diſcipuli ejus, ut oſtenderent ei ſtructuras templi.

2. Jeſus autem dixit illis, Nonne videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis ſuper lapidem qui non deſtruatur.

3. Sedente autem eo in monte Olivarum, acceſſerunt ad eum ſecreto diſcipuli, dicentes, Dic nobis quando hæc erunt, & quod ſignum adventus tui & conſummationis ſeculi.

4. Et reſpondens Jeſus, dixit eis, Videte nequis vos ſeducat.

5. Multi enim venient in nomine meo, dicentes, Ego ſum Chriſtus: multoſque ſeducent.

6. Audituri enim eſtis bella, & rumores bellorum: videte ne turbemini. oportet enim omnia fieri: ſed nondum eſt finis.

7. Conſurget enim gens contra gentem, & regnum contra regnum: & erunt peſtilentiæ, & fames, & terræ motus variis locis.

8. Hæc autem omnia, initia ſunt dolorum.

MARC. XIII.

1. Et quum exiret è templo, dicit illi quidam è diſcipulis ejus, Præceptor, vide quales lapides, & quales ſtructuræ.

2. Et Jeſus reſpondens, ait illi, Vides has magnas ſtructuras? non relinquetur lapis ſuper lapidem qui non diruatur.

3. Et quum ſederet in monte Olivarum è regione templi, interrogabant illum ſecreto Petrus & Jacobus & Joannes & Andreas,

4. Dic nobis quando hæc erunt, & quod ſignum eſt quando hæc omnia ſunt conſummanda.

5. At Jeſus reſpondens illis, cœpit dicere, Videte nequis vos fallat.

6. Multi enim venient in nomine meo, dicentes, Ego ſum Chriſtus: multoſque decipient.

7. Quum autem audieritis bella & rumores bellorum, ne turbemini: oportet enim fieri. at nondum eſt finis.

8. Inſurget enim gens adverſus gentem, & regnum adverſus regnum: & erunt terræ motus in ſingulis locis, & erunt fames ac turbationes. initia dolorum, hæc.

LUC. XXI.

5. Et quibuſdam dicentibus de templo quod pulchris lapidibus ac donis ornatum eſſet, dixit,

6. Ex his quæ videtis, venient dies in quibus non relinquetur lapis ſuper lapidem qui non diruatur.

7. Interrogaverunt autem illum, dicentes, Præceptor, quando igitur hæc erunt, & quod ſignum quando iſta fieri incipient?

8. At ille dixit, Videte ne ſeducamini: multi enim venient ſub nomine meo, dicentes, Ego ſum: & tempus inſtat. ne igitur ſequamini illos.

9. Cæterum quum audieritis bella & ſeditiones, nolite terreri: oportet enim prius hæc fieri. ſed non ſtatim finis.

10. Tunc dixit illis, Inſurget gens contra gentem, & regnum contra regnum:

11. Et terræ motus magni erunt variis in locis, & fames, & peſtilentiæ, terroreſque de cælo, & ſigna magna erunt.

1. *Et egreſſus Jeſus.*] Senſerunt proculdubio diſcipuli Chriſtum hoc quaſi ultimum vale templo dixiſſe. Reſtabat igitur ut novum templum longe ſplendidius, & florentiorem regni ſtatum, ſicuti prædictum erat à Prophetis, erigeret. Nam illi nihil cum eo templo in quo omnia erant adverſa. Jam vero incredibile erat diſcipulis, magnificum templi ſplendorem Chriſto ceſſurum. Atque hoc diligenter notandum eſt, quum ad miraculum uſque ſumptuoſa eſſet templi facies, præſenti illo fulgore perſtrictos fuiſſe eorum oculos, ut vix ſperarent poſſe Chriſti regnum emergere. Noo fatentur quidem diſerte ſuam dubitationem: ſed eam tacite inſinuant, quum molem lapidum objectant Chriſto, quæ ſuperanda erat, imo in nihilum redigenda, ſi regnare vellet. Talis etiam Papatus admiratio multos ſimplices hodie detinet: nam quum maximis opibus, ingentique potentia inſtructum eſſe videant, protinus obſtupeſcunt, ut vileſcat ignobilis & ſqualida Eccleſiæ facies. Multi etiam deſipere nos putant dum ejus ruinam molimur, non ſecus acſi quis tentaret ſolem è cælo detrahere. Nec vero mirum eſt ſi tam nobile illud ſpectaculum Chriſti diſcipulos tenuerit attonitos. quanti enim Herodi conſtiterit illud ædificium, vel hinc etiam colligere licet, quod per octo continuos annos decem artificum millia in ea occupavit. Non fruſtra lapides mirantur, quorum quum eximia eſſet pulchritudo, quindecim cubitos longos fuiſſe, altos duodecim, latos octo, Joſephus tradit. Jam vero tanta etiam in longinquis regionibus illius reverentia, ut vix ſuſpicari quiſquam auderet, poſſe unquam deleri.

2. *Amen dico vobis.*] Quia diſcipulos templi magnitudo atque opulentia (tanquam velum eorum oculis oppoſitum) non ſinebat fidem ſuam intendere ad futurum verum Chriſti regnum, ideo jurejurando affirmat brevi peritura quæcunque ipſos morantur. Hæc igitur ruinæ templi prædictio viam rudibus & infirmis ſternebat. Etſi autem utile fuit templum dirui, ne Judæos terrenis elementis plus ſatis alioqui addictos, in umbratili cultu teneret: hæc tamen ſpecialis fuit ratio, quod Deus Filii ſui repulſam, gratiæque ab ipſo allatæ contemptum voluit horribili exemplo in gente illa ulciſci. Quare hac denunciatione diſcipulos à populi rebellis ſocietate retrahi oportuit. Sicuti hodie quicquid de pœnis impiorum prædicit Scriptura, à ſceleribus quæ iram Dei provocant, arcere nos debet. Quicquid etiam de caduca & evanida mundi figura docet, vanitatem ſenſus noſtri debet corrigere, quæ pompam & luxum & delicias nimis cupide ſectatur. Præſertim vero quod de tremendo Antichriſti & ſectæ ejus interitu pronunciat, remoras omnes quæ nos impediunt in recto fidei curſu, debet auferre.

3. *Sedente autem eo.*] Marcus quatuor nominat, Petrum, Jacobum, Joannem, & Andream. Ipſe autem & Lucas minus exprimunt quam Matthæus: tantum enim quæſiviſſe dicunt de tempore ruinæ templi, & (quia res erat difficilis creditu) quodnam ejus præſagium Deus è cælo daturus foret. Apud Matthæum vero de tempore adventus Chriſti & conſummationis ſeculi interrogant. Sed notandum eſt, quum perpetuum templi ſtatum à pueritia imaginati eſſent, ac prorſus in eo defixæ eſſent eorum

mentes, non putaſſe, ſtante mundi opificio, templum poſſe collabi. Itaque ſimulac periturum eſſe templum dixit Chriſtus, ultro illis in mentem venit conſummatio ſeculi. Atque (ut error errorem parit) quia perſuaſi erant, ſtatim ab exordio regni Chriſti ſe modis omnibus beatos fore, præterita militia, ad triumphum protinus convolant. Chriſti ergo adventum & mundi finem cum templi everſione conjungunt, quaſi res individuas: ac finem mundi intelligunt omnium inſtaurationem, ne quid perfectæ piorum felicitati deſit. Nunc videmus ideo ſimul proſilire ad diverſas quæſtiones, quia his figmentis impliciti erant, cadere templum non poſſe quin concuteret totum orbem: eundem umbris Legalibus finem fore quem toti mundo: continuo poſt illuſtrandam eſſe regni Chriſti gloriam, quæ filios Dei in ſolidum bearet: inſtare viſibilem mundi renovationem, quæ res confuſas momento in ordinem reſtitueret. Præſertim autem ſpes de præſenti Chriſti regno ſtulte præſumpta eos impellit ut præpoſtere ad beatam quietem feſtinent. Sicut & Actorum 1. verſ. 6. dum Chriſtum vident à mortuis reſurrexiſſe, ad felicitatem quæ in cælo nobis repoſita eſt, ad quam ſpe & patientia nos aſpirare convenit, præcipites feruntur. Etſi autem diſpar eſt noſtra ratio, quia in Legis umbris non ſumus educati, ut nos illa de terreno Chriſti regno ſuperſtitio infatuat, vix tamen centeſimus quiſque reperitur qui non ſimili fere laboret morbo. Nam quum omnes à moleſtiis, certaminibus, omnique crucis ſpecie natura abhorreant, urget harum rerum tædium ut ſine moderatione, ſine ſpe, ad ſpei fructum intempeſtive properent. Ita fit ut ſementem facere nullus velit, metere omnes ante tempus velint. Ut ad diſcipulos redeam, bonum quidem fidei ſemen animis conceperant, ſed maturitatem non expectant: & ſimul pravis figmentis imbuti, perfectionem regni Chriſti cum initio commiſcent: & quod in cælo quærendum erat, eo potiri in terra volunt.

4 *Reſpondens Jeſus.*] Reſponſum tulerunt minime ex animi ſententia. nam quum triumpho, velut jam militia perfuncti, inhiarent, Chriſtus eos ad longam tolerantiam hortatur: acſi dixiſſet, Vos ab ipſis carceribus palmam arripere vultis: atqui prius ſtadium conficere neceſſe erat. Regnum Dei in terram detrahitis, quo potiri quiſquam nequit niſi conſcenderit in cælum. Quum autem hoc caput admonitiones ad regendum vitæ noſtræ curſum apprime utiles contineat, videmus admirabili Dei conſilio factum eſſe ut nobis utilis eſſet Apoſtolorum error. Summa hæc eſt, Euangelii prædicationem eſſe ſationis inſtar: ideo patienter expectandum eſſe tempus meſſis: ac perperam molles eſſe & effœminatos, qui propter hyemis gelu, nives, nebulas, vel adverſas tempeſtates, animis franguntur. Duo autem nominatim præcipit Chriſtus diſcipulis: ut ſibi à falſis doctrinis caveant, & ne ſcandalis turbentur. Quibus verbis ſignificat, Eccleſiam ſuam, quamdiu peregrinabitur in mundo, his malis fore obnoxiam. Hoc autem minime conſentaneum videri poterat, quum longe aliter futurum Chriſti regnum deſcriberent
Jeſa. 54. verſ. 13. Prophetæ. Promittit Jeſaias omnes divinitus fore
tunc edoctos. Apud Joelem habetur, Effundam de
Joel. 2. verſ. 28. Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt
filii veſtri & filiæ veſtræ: juvenes veſtri viſiones
videbunt, & ſenes ſomnia ſomniabunt. Uberior
Jer 31. verſ. 34. etiam intelligentiæ lux promittitur à Jeremia, Non
docebit quiſque poſthac proximum ſuum, nec vir
fratrem ſuum, dicendo, Cognoſce Dominum: quia
omnes cognoſcent me à minimo uſque ad maximum.
Mal 4: 2. Ergo Sole juſtitiæ exorto, ſicut à Malachia prædictum erat, nihil mirum ſi Judæi ab omnibus errorum nebulis immunes ſe ac puros fore ſperarent.
Joan. 4. verſ. 25. unde & Samaritana mulier dicebat, Meſſias quum
venerit, docebit nos omnia. Jam vero ſcimus quam
magnificæ promiſſiones de pace, juſtitia, gaudio, bonorumque omnium affluentia paſſim occurrant. Quare nihil etiam mirum ſi Chriſti adventu ſe à bellorum turbis, à rapinis, & qualibet injuria, à fame denique & peſtilentia exemptum iri credebant. Chriſtus autem admonet, non minus poſthac moleſtos fore piis falſos doctores, quam veteri populo fuerint falſi prophetæ: nec minores fore perturbationes ſub Euangelio, quam olim ſub Lege fuerint. Non quod effectu careant illæ prophetiæ quas nuper attigi: ſed quia ſolidum earum complementum non primo ſtatim die extat. ſatis enim eſt bonorum illorum guſtum nunc fidelibus dari, ut ſpem ſolidæ fruitionis in poſterum foveant. Ideoque multum decepti fuerunt qui ſibi ſtatim ab exordio Euangelii perfecte exhiberi volebant quæ quotidie impleri cernimus. Adde quod hominum pravitas illam quam Prophetæ regno Chriſti felicitatem tribuunt, licet penitus exinanire non poſſit, tamen moratur vel perturbat. Facit quidem Dominus, certando cum hominum malitia, ut benedictiones ſuæ per quævis obſtacula viam inveniant: & certe abſurdum eſſet, aboleri eorum culpa quod in gratuita Dei bonitate fundatum, ab illorum arbitrio non pendet. Ut tamen aliquam ingratitudinis ſuæ mercedem recipiant, gratias ſuas (quæ alioqui uberrima copia ſeſe effunderent) tenuiter tantum diſtillat. Hinc tot malorum labyrinthus, per quem tota vita errant fideles, licet duce Chriſto & facem Euangelii ſui præferente, certam ſalutis viam teneant. Hinc tot certaminum congeries, ut duriter ipſis militandum ſit, licet abſque periculo. Hinc tot ac tam ſubitæ perturbationes, ut miſera inquietudine vexentur, licet Chriſto innixi probe ad finem uſque conſiſtant. Porro quum diſcipulos cavere ab imposturis jubet Chriſtus; ſciamus modum cavendi illis non defore, modo ne ſibi deſint. Quare ne dubitemus, ſi quiſque noſtrum in ſua ſtatione ſedulo ad excubias intentus ſit, quaſcunque inſidias machinetur Satan, nos ab illis tutos fore.

5. *Multi enim venient.*] Nondum in genere de perverſis & fallacibus doctrinis loquitur, ſed ſpeciem unam attingit, quæ velut quoddam præludium fuit omnium errorum quibus varie conatus eſt Satan puram Euangelii doctrinam labefactare. Nam paulo poſt Chriſti reſurrectionem exorti ſunt impoſtores, quorum ſe quiſque profeſſus eſt Chriſtum. Quia autem non tantum è medio ſublatus erat verus Redemptor, ſed ignominia crucis oppreſſus, & tamen ſpe redemptionis erectæ erant omnium mentes, & deſideria accenſæ, plauſibilis fallendi occaſio illis ad manum fuit. Nec dubium eſt quin talibus præſtigiis ludendos Judæos expoſuerit Deus, qui Filium ſuum tam indigne repulerant. Etſi autem brevi diſſipatæ ſunt illæ inſaniæ, voluit tamen Deus Judæos ita inter ſe tumultuari: primum ut ſe infames & exoſos redderent: deinde ut apud eos prorſus concideret ſalutis fiducia: denique ut toties fruſtrati, bruto ſtupore in ſuam perniciem ruerent. Nam ubi à Filio Dei, cujus officium eſt in ſacram unitatem nos colligere, mundus diffluxit, æquum eſt huc & illuc tanquam procellis raptari. Et eadem Dei vindicta factum eſt ut ſtulta credulitas plures abriperet quam recta fides in Dei obſequium adduxerat. Et hanc circumſtantiam data opera Chriſtus poſuit, ne fideles conſpecta inſanientium turba labaſcerent. Scimus enim quam proclive ſit ad multitudinem deflectere, præſertim ubi pauci ſumus numero.

6. *Audituri eſtis bella.*] Motus tantum Judaicos hoc loco deſignat: nam paulo poſt latius ſpargendum eſſe incendium dicet. Quemadmodum autem prius cavere juſſit ne quis eos decipiat, ſic nunc intrepido animo excipere jubet rumores bellorum, & bella ipſa. nam periculum erat ne malis obruti deficerent, præſertim ſi tranquillum & lætum otium ſibi fuiſſent

pol-

pollicit. Addit oportere hæc fieri, cauſam non aſſignans, ſed admonens nihil horum fortuito vel abſque Dei providentia accidere: ne fruſtra contra ſtimulum calcitrent. nihil enim ad nos ſubigendos efficacius, quam dum agnoſcimus quæ maxime videntur confuſa Deum ſuo arbitrio moderari. Ipſi quidem Deo nunquam juſtæ cauſæ & optimæ rationes deſunt cur mundum turbari ſinat: verum quia in mero ejus placito fideles acquieſcere convenit, ſatis habuit Chriſtus hortari diſcipulos ot animis ad ferendum compoſitis conſtantes manerent, quia ita Domino placet. *Sed nondum finis.* Apertius denunciat quod jam dixi, quæ per ſe gravia erant, majorum tamen calamitatum quædam ſolum fore præludia: quia ubi flamma bellorum Judæam corripuerit, latius erumpet. Nam ex quo propagata fuit Euangelii doctrina, ſimilis etiam apud alias gentes ingratitudo iram Dei accendit. Hinc factum eſt ut qui vinculum pacis cum Deo ruperant, ſe mutuis diſſidiis lacerarent: qui Dei parere imperio abnuerant, hoſtium violentiæ ſuccumberent: qui Deo reconciliari non ſuſtinnerant, inter ſe viciſſim tumultuarentur: qui denique cæleſti ſalute ſe abdicaverant, alii in alios ſæviendo, cædibus terram implerent. Porro quia noverat quam pervicax futura eſſet mundi malitia, rurſus addit, hæc fore initia dolorum: non ut ſe mœrore conficiant fideles (quibus ſemper in malis ſuppetit conſolatio) ſed ut ſe ad longi temporis patientiam comparent. Lucas præterea addit *terræ motus & ſigna è cælo.* Quarum rerum etſi certa hiſtoria non extat, ſufficit tamen à Chriſto fuiſſe prædictas. Reliqua petant lectores ex Joſepho.

MATTH. XXIV.

9. Tunc tradent vos in afflictionem, & occident vos: & eritis invisi cunctis gentibus propter nomen meum.
10. Et tunc ſcandalizabuntur multi: & alius alium invicem tradet, ſeque odio habebunt invicem.
11. Et multi pſeudoprophetæ ſurgent, ac ſeducent multos.
12. Et quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.
13. Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.
14. Et prædicabitur hoc Euangelium regni in univerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus: & tunc veniet conſummatio.

MARC. XIII.

9. Sed vos cavete vobis: tradent enim vos in Concilia & in Synagogas: cædemini, & ſub Præſidibus ac Regibus ducemini propter me, in teſtimonium illis.
10. Et apud omnes gentes oportet prius prædicari Euangelium.
11. Quum autem duxerint vos tradentes, ne præcogitetis quid dicturi ſitis, neque meditemini: ſed quicquid datum fuerit vobis in illa hora, hoc loquamini. non enim eſtis vos qui loquimini, ſed Spiritus ſanctus.
12. Traditurus autem eſt frater fratrem in mortem, & pater filium: & inſurgent filii adverſus parentes, ac morte afficient eos.
13. Et eritis exoſi omnibus propter nomen meum. Sed qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.

LUC. XXI.

12. Sed ante hæc omnia injicient vobis manus ſuas, & perſequentur, tradentes in Synagogas & carceres, trahendo vos ad Reges & Præſides propter nomen meum.
13. Continget autem vobis in teſtimonium.
14. Habete igitur fixum in cordibus veſtris, non eſſe præmeditandam defenſionem.
15. Ego enim dabo vobis os & ſapientiam cui non poterunt contradicere neque reſiſtere omnes qui adverſabuntur vobis.
16. Trademini autem etiam à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis: & ex vobis morte aliquos afficient.
17. Et eritis exoſi omnibus propter nomen meum.
18. Et pilus è capite veſtro non perit.
19. In patientia poſſidete animas veſtras.

9. *Tunc tradent vos in afflictionem.*] Jam aliud tentationis genus prædicit Chriſtus diſcipulis, quo præter communes afflictiones, ipſorum fides probanda ſit: nempe ipſos toti mundo exoſos & deteſtabiles fore. Hoc per ſe filiis Dei triſte ac durum eſt, promiſcue cum reprobis & Dei contemptoribus affligi, & iiſdem ſubjici pœnis quas illi pro ſuis ſceleribus ſuſtinent. Hoc vero longe iniquius videtur, duriter opprimi gravibus malis à quibus impii ſint
Similitudo. immunes. Verum ſicuti triticum, ubi ſimul cum palea flagellis percuſſum fuerit, mola deinde contunditur ac teritur: ita Deus filios ſuos non tantum communiter cum impiis affligit, ſed cruce etiam præ aliis ſubigit, ut videri poſſint reliquo genere humano miſeriores. Sed proprie hic Chriſtus de afflictionibus diſſerit quas pro Euangelio ſubituri erant diſci-
Rom. 8. verſ. 29. puli. Etſi enim verum eſt illud Pauli, quos Deus elegit, eos quoque deſtinaſſe ad ferendam crucem, ut conformes ſint imagini Filii ſui: non tamen hac ſingulari nota omnes inſignit, ut ab Euangelii hoſtibus perſequutionem ſuſtineant. De hac crucis ſpecie nunc concionatur Chriſtus, dum fidelibus pro Euangelii teſtimonio impiorum odia ſubire, probris ſe objicere, & furorem provocare neceſſe eſt. Nam admonitos voluit diſcipulos, Euangelii doctrinam (cujus futuri erant teſtes ac nuncii) mundo nequaquam fore gratam vel plauſibilem: quemadmodum & prius illis expoſuerat. Prædicit autem non modo cum paucis hoſtibus illis fore certamen, ſed quocunque venerint, gentes omnes fore illis infeſtas. Hoc autem incredibile portentum fuit, quod vel fortiſſimos animos percellere & concutere poſſet, nomen Filii Dei tam infame eſſe & odioſum, ut omnibus ejus cultoribus ubique invidiam crearet. Ideo apud Marcum habetur, *Cavete vobis.* Quo verbo finem & uſum admonitionis notat, debere ſcilicet ad tolerantiam paratos eſſe, ne incautos opprimat tentatio. Apud eundem Marcum additur, *Fore hoc Regibus & Præſidibus in teſtimonium*, quum ad illorum tribunal ducti fuerint Chriſti diſcipuli. Lucas paulo aliter, *Continget vobis hoc in teſtimonium*: ſed prorſus eodem ſenſu. ſignificat enim Chriſtus Euangelium ſuum eo magis teſtatum fore, ubi mortis periculo defenſum fuerit. Nam ſi tantum prædicando Euangelio operam dediſſent Apoſtoli, non etiam contra furioſos hoſtium impetus conſtanter pro eo aſſerendo ſtetiſſent, non tam illuſtris fuiſſet ejus confirmatio. Quum vero capita ſua objicere non dubitarent, nec ulli mortis terrores eos dejicerent à propoſito, ex intrepida eorum conſtantia apparuit quam ſerio de cauſæ ſuæ bonitate perſuaſi forent. Fuit igitur hæc legitima Euangelii obſignatio, Apoſtolos ad Regum

uſque tribunalia abſque formidine prodire & ingenue illic Chriſti nomen profiteri. Ideoque Petrus ſe teſtem vocat paſſionum Chriſti, quarum inſigoia ipſo geſtabat. Et Paulus Philippenſium primo, verſ. 17. gloriatur ſe in Euaogelii defenſiooem poſitum. Quod in primis notatu dignum eſt, ne turpi prævaricatione à fide excidant quos Deus tanto honore dignatur ut patronos veritatis ſuæ conſtituat.

11. Marc. *Ne præcogitetis.*] Hanc ſeotentiam, ſicut & proximam, expoſuimus Matthæi capite 10. nempe quod Dominus ab ea anxietate levare velit diſcipulos quæ oos in officio præſtando impedit, dum ſcilicet pares nos oneri fore diffidimus. Non quod prorſus ſecuros in utramque aurem dormire velit (quia nihil utilius eſt quam nos propriæ infirmitatis conſcios ad humilitatem inſtitui, & ſtimulari ad preces) ſed Chriſtus in Patris ſioum curas noſtras rejiciendas eſſe admonet, ut auxilio promiſſo confiſi, alacriter in curſu pergamus. Promiſſio autem aliis verbis ponitur apud Lucam: non quod à morte liberaturus ſit ſuos Chriſtus (hoc enim non ſemper eſt ſperandum) ſed quod daturus ſit os & ſapientiam quibus pudefiant adverſarii. Quanquam autem Chriſtus & præſentem mentem & loquendi facultatem ſuppeditat: ego tamen duas iſtas voces per hypallagen conjunctas eſſe ioterpretor: acſi pollicitus eſſet Chriſtus ſe moderaturum eſſe ipſorum linguas, ut prudenter & appoſite reſpondeant. Addit, hanc ſapientiam cootra omnes hoſtes fore victricem: quia nec contradicere nec reſiſtere poterunt. Noo quod veritati cedat eorum impudentia: ſed quia de phrenetica ipſorum audacia triumphabit illa veritas quam fruſtra oppugnant. Atque utinam in hanc fiduciam recumberent omnes à quibus exigitur fidei confeſſio: alia enim Spiritus virtus & majeſtas ſe exereret ad proſternendos Satanæ miniſtros. Nuoc dum partim ſenſu proprio efferimur, & ſuperbia inflati, temere præcipites ruimus, vel ultra progredimur quam oportet: partim vero in anguſtias perverſæ timiditatis nos conſtringimus: triſtis experientia oſtendit Dei gratia & Spiritus auxilio nos deſtitui. Porro quum apud Matthæum & Marcum affirmet Chriſtus Spiritum Patris eſſe qui in nobis loquitur, hic autem ſe os daturum pronunciet: colligimus proprium ejus eſſe munus, Spiritu nos inſtruere.

19. Luc. *In patientia veſtra.*] Hic longe alium tuendæ vitæ modum præſcribit Chriſtus diſcipulis ſuis, quam dictet carnis ratio. Naturaliter enim vitam quiſque in tuto locare cupit: præſidia quæ putamus oobis optima fore, hinc inde colligimus omnes: diſcrimen omne fugimus: denique non videmur nobis vivere niſi probe muniti. Chriſtus autem hanc vitæ cuſtodiam nobis mandat, ut ſemper ad mortem expoſiti, per igoem & aquam & gladios ambulemus. Et certe nemo ſpiritum ſuum vere in manus Dei reponet, niſi qui ſemper ad moriendum paratus, in diem vivere didicerit. In ſumma, jubet nos Chriſtus vitam noſtram poſſidere tum ſub cruce, tum inter aſſiduos mortis terrores.

10. Matth. *Tunc ſcandalizabuntur.*] Nunc tentationes enumerat quæ ex malis exemplis provenient. Hæc autem violenta eſt in primis & difficilis ad vincendum, dum Chriſtus ipſe multis eſt lapis ſcandali, ad quem alii impinguot, vel cujus objectu alii retrocedunt, alii deficiunt. Videtur autem mihi Chriſtus hoc verbo multas perturbationum ſpecies complecti: quia non tantum deficiunt qui rectum curſum ingreſſi erant, ſed multi exaſperantur adverſus Chriſtum: alii modeſtiæ & æquitatis obliti, ſeſe io rabiem projiciunt: alii profaneſcunt, & exuunt omnem pietatis ſenſum: alii in rebus confuſis ſcelerum licentiam ſibi uſurpant.

11. *Multi pſeudoprophetæ ſurg.*] Hæc admonitio à priore differt, ubi prædixit Chriſtus multos in ſuo nomioe venturos. nam illic tantum de impoſtoribus ſermo erat, qui paulo poſt Euangelii exordia ſe Chriſtos eſſe mentiti ſuot. nunc vero ſubiode falſos doctores exorituros denunciat qui ſanam doctrinam erroribus corrumpent: quemadmodum docet Pe- 1 Petr. 2. verſ. 8.
trus, Eccleſiam huic malo non minus fore obnoxiam ſub Euangelio quam olim ſub Lege. Quare non eſt quod errores & quælibet diaboli fallaciæ, ac pietatis corruptelæ pias mentes labefactent: quia nemo in Chriſto rite fundatus eſt niſi qui contra tales inſultus ſtaodum ſibi eſſe didicit. Nam hæc demum vera eſt fidei noſtræ probatio, dum ſurgentibus falſis doctrinis minime obruitur. Neque tantum venturos pſeudoprophetas dicit, ſed fallendi quoque aſtutia præditos fore, ut ſectas poſt ſe trahant. Eſt autem hic opus non vulgari cautione: quia multitudo errantium, non ſecus ac violenta procella curſum reflectere nos cogit, niſi penitus in Deo ſimus defixi. Qua de re paulo ante aliquid dictum eſt.

12. *Quoniam abundabit iniquitas.*] Quam longe lateque pateat hoc malum, neminem latere debet: ſed pauciſſimi obſervant. Nam quia luce Euangelii clarius detegitur hominum malitia, etiam in probis & recte animatis langueſcit ac fere extinguitur beneficentiæ ſtudium. Ita enim quiſque ſecum reputat perire officia quæ in hunc vel illum conferunt, quum omnes fere ingratos, vel perfidos, vel improbos experientia & quotidianus uſus oſtendat. Gravis certe & periculoſa tentatio. quid enim magis abſurdum quam doctrinam probare quæ probitatis ſtudium & charitatis vigorem minuere videtur? Atqui ubi emerſit Euangelium, charitas, cujus ardore accendi decebat omnium corda, potius refrigeſcit. Sed fons hujus mali, quem Chriſtus deſignat, ootandus: multos ſcilicet ideo fatiſcere, quia iniquitatis diluvio (quod paſſim exundat) pro ſua infirmitate ſuccumbuot. Hanc vero fortitudinem à ſuis Chriſtus requirit, ut contra luctaodo perſiſtant. Quemadmodum & Paulus præcipit ne benigoe & humaniter nos ge- 2 Theſſ. 3.
rendo fatigemur. Quamvis ergo ioiquitatum mole verſ. 13.
oppreſſa multorum charitas deficiat, hoc quoque obſtaculum ſuperandum eſſe admonet Chriſtus, ne fideles malis exemplis fracti reſiliant. Ideo ſenteotiam illam repetit, neminem poſſe ſalvum evadere niſi qui legitime certaverit, ut in fioem uſque perſeveret.

14. *Prædicabitur hoc Euangelium regni.*] Quia Dominus concionem habuerat quæ non parvam triſtitiæ materiam ſuggereret, opportune ſubjicitur hæc conſolatio, quæ vel collapſos animos erigat, vel labentes confirmet: nempe, quicquid machinetur Satan, & quantumvis multiplices turbas ingerat, emerſurum tamen Euangelium, donec per totum orbem ſpargatur. Quanqoam autem incredibile hoc erat, oportuit tamen Apoſtolos hoc Magiſtri teſtimonio fretos, præter ſpem bene ſperare, & iuterea fortiter eniti ad exequendum ſuum munus. Quod Antipodas quidam objiciunt, & alios procul remotos populos, ad quos ne tenuis quidem Chriſti fama hactenus pervenit: hujus nodi facilis eſt ſolutio. neque enim vel ſingulas mundi plagas ſpecialiter deſignat Chriſtus, nec certum tempus præfigit: ſed tantum affirmat, Euangelium (quod à Judæa, proprio domicilio, mox exterminandum omnes putaſſent) uſque ad ultimos orbis terræ fines propagatum iri ante ultimum adventus ſui diem. Finem quoque prædicationis notat: Ut ſit io teſtimonium cunctis gentibus. Quanquam enim nonquam ἀμάρτυρον ſe reliquit Deus, ac ſpeciali modo Judæis de ſe teſtatus eſt: hoc tamen præ aliis memorabile teſtimonium edidit, dum ſe patefecit in Chriſto ſuo. ideoque Paulus primæ ad Timotheum capite 2. verſ. 6. ſuis temporibus in lucem prodiiſſe dicit, quia hæc matura erat opportuoitas totius mundi ad Deum vocandi. Diſcamus ergo, quoties prædica-

tur

tur Euangelium, perinde eſſe acſi Deus ipſe in medium prodiret, noſque ſolenni & legitimo ritu conteſtaretur ne incerti vagemur in tenebris: qui vero parere abnuunt, reddantur inexcuſabiles. *Tunc veniet conſummatio.* Quidam ad excidium Templi, & cultus Legalis abolitionem perperam reſtringunt quod de fine & renovatione mondi intelligi debet. Nam quia diſcipuli illa duo ſimul miſcuerant, quaſi everti non poſſet Templum ſine totius mundi ruina: Chriſtus ad propoſitam quæſtionem reſpondens, admonuit, longam & triſtem malorum Iliada inſtare: nec ante illis feſtinandum eſſe ad palmam quam multis certaminibus & moleſtiis perfuncti eſſent. Sic ergo reſolvi debet hoc poſtremum membrum, Non ante adveniet finis ſeculi quam duris & laborioſis tentationibus Eccleſiam meam diu exercuerim. nam falſæ imaginationi quam apud ſe conceperant Apoſtoli opponitur. Unde rurſus diſcendum eſt, non præfigi certum diem, acſi eorum quæ nuper prædixit eventum continuo ſtatim tenore ultimus dies exciperet. nam quæcunque ſupra legimus, pridem experti ſunt fideles: nec tamen mox apparuit Chriſtus. Verum non aliud fuit ejus conſilium quam Apoſtolis nimium cupide ad cæleſtem gloriam transvolantibus frenum tolerantiæ injicere. acſi dixiſſet, non ita cito ut ſibi finxerant inſtare redemptionem, ſed interpoſitos eſſe longos anfractus.

MATTH. XXIV.

15. Quum ergo videritis abominationem deſolationis quæ dicta
Dan. 11. verſ. 31. & 12:11. eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto (qui legit intelligat):

16. Tunc qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes.

17. Qui in tecto, non deſcendat ut tollat quiequam de domo ſua:

18. Et qui in agro, non revertatur ut tollat veſtes ſuas.

19. Væ autem prægnantibus & lactantibus in illis diebus.

20. Orate autem ut non fiat fuga veſtra hyeme, neque Sabbatho.

21. Erit enim tunc afflictio magna, qualis non fuit ab initio mundi ad hoc uſque tempus, neque fiet.

22. Et niſi decurtati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro: ſed propter electos decurtabuntur dies illi.

23. Tunc ſi quis vobis dixerit, Ecce hic Chriſtus, aut illic: nolite credere.

24. Surgent enim pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur (ſi fieri poſſit) etiam electi.

25. Ecce prædixi vobis.

26. Si ergo dixerint vobis, Ecce in deſerto eſt, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere.

27. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & apparet uſque in Occidentem, ita erit & adventus Filii hominis.

28. Ubicunque enim fuerit cadaver, illic congregabuntur & aquilæ.

MARC. XIII.

14. Porro quum videritis abominationem deſolationis quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem ubi non oportet (qui legit intelligat): tunc qui fuerint in Judæa, fugiant ad montes.

15. Qui vero fuerit in tecto, ne deſcendat in domum, nec ingrediatur ut quicquam tollat è domo ſua.

16. Et qui fuerit in agro, ne revertatur ad ea quæ reliquit à tergo, ad tollendum pallium ſuum.

17. Væ autem prægnantibus & lactantibus in illis diebus.

18. Orate vero ne fiat fuga veſtra hyeme.

19. Erunt enim dies illi afflictio, qualis non fuit à primordio rerum conditarum quas condidit Deus, uſque ad hoc tempus, nec futura eſt.

20. Et niſi Dominus abbreviaſſet dies, non fuiſſet ſalva univerſa caro: ſed propter electos quos elegit, abbreviavit dies.

21. Ac tunc ſi quis vobis dixerit, Ecce hic Chriſtus, ecce illic: ne credatis.

22. Surgent enim pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & edent ſigna & prodigia ad fallendum (ſi fieri poſſit) etiam electos.

23. Vos autem cavete: ecce prædixi vobis omnia.

LUC. XXI.

20. Quum autem videritis circumdari ab exercitibus Hieroſolymam, tunc ſcitote quod immineat deſolatio ejus.

21. Tunc qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes: & qui in medio ejus, diſcedant: & qui in regionibus, non intrent in eam.

22. Quia dies ultionis hi ſunt: ut impleantur omnia quæ ſcripta ſunt.

23. Væ autem prægnantibus & mamma nutrientibus in illis diebus. erit enim afflictio magna ſuper terram, & ira in populo hoc.

24. Et cadent acie gladii, & captivi ducentur in omnes Gentes: & Jeruſalem calcabitur à Gentibus, donce impleantur tempora Gentium.

LUC. XVII.

22. Et ait ad diſcipulos, Venient dies quando deſiderabitis videre unum dierum Filii hominis: nec videbitis.

23. Et dicent vobis, Ecce hic, ecce illic: nolite ire, neque ſectemini.

24. Nam ſicut fulgur coruſcans è regione quæ ſub cælo eſt, in alteram quæ ſub cælo eſt fulget: ita erit Filius hominis in die ſuo.

25. Sed prius oportet illum multa pati, & reprobari à natione hac.

15. *Quum videritis abominationem.*] Quia res incredibilis erat (ut jam diximus) templi & urbis Hieroſolymæ excidium, totiuſque Judaicæ politiæ interitus: deinde abſurdum videri poterat, ſalvos non aliter fore diſcipulos, quam ſi ab eo populo avulſi eſſent penes quem depoſita erat adoptio & æternæ ſalutis fœdus: Chriſtus Danielis teſtimonio utrumque confirmat. acſi diceret, Ne in Templo & Legalibus ceremoniis ſitis defixi, certum finem illis impoſuit Deus: ac pridem teſtatus eſt, quum veniret Redemptor, ceſſatura eſſe ſacrificia: ne vobis moleſtum ſit reſecari à gente veſtra. Deus etiam de futura illius abdicatione ſuos in tempore admonuit. Porro talis prædictio non modo ad tollendam ſcandali materiam valebat, ſed etiam ad erigendas piorum mentes, ut in extremis cladibus ſe divinitus

reſpici,

Digitized by Google

reſpici, ſuamque ſalutem curari ſcientes, ad ſacram anchoram confugerent, in qua ioter ſæviſſimas jactationes firma tamen & tuta illis erat ſtatio. Verum antequam ultra progrediar, excutiendus eſt qui à Chriſto citatur locus. Falluntur autem, meo judicio, interpretes, qui ex nono capite Danielis teſtimonium hoc petitum eſſe tradunt. Neque enim illic ad verbum habetur *abominatio deſolationis*. & certum eſt, Angelum non de ultima vaſtatione, cujus hic Chriſtus meminit, diſſerere, ſed de temporali diſſipatione quam attulit tyrannis Antiochi. Capite autem duodecimo Angelus finalem (ut vocant) Legalis cultus abrogationem, quæ futura erat Chriſti adventu, prædicit. Poſtquam enim fideles ad infractam cooſtantiam hortatus eſt, tempus certum tam ruinæ quam inſtaurationis definit: Ex quo (ioquit) ablatum fuerit juge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio deſolationis, reſtabunt dies mille ducenti & nonaginta. Beatus qui expectaverit donec ad mille trecentos trigiotaquinque dies perveniat. Scio bunc locum propter ſuam obſcuritatem varie torqueri: ſed mihi videtur ſimplex hic eſſe ſenſus, quod Angelus, poſtquam ſemel templum ab Antiochi pollutionibus & idolis purgatum fuerit, pronunciet venturum rurſus eſſe tempus quo novæ profanationi expoſitum, ſine ſpe reſtitutionis ſanctitatem ſuam omnemque reverentiam perpetuo amittat. Quia autem funeſtus ac lugubris erat nuncius, iterum Prophetam ad anoum unum & bienniuum & ſex menſes revocat. Quibus verbis tam malorum diuturnitas quam exitus notatur. nam in continua malorum ſerie longus jam videtur anoi circuitus: ubi autem duplicatur temporis ſpatium, multo magis creſcit moleſtia. Hortatur ergo Spiritus fideles ut non modo ad integri anoi (hoc eſt, longi temporis) tolerantiam ſe comparent: ſed ut ſtatuant, continuo multarum ætatum tenore ferendas ſibi eſſe afflictiones. Porro in dimidio temporis ſubeſt non parva conſolatio: quia licet diuturnæ ſint afflictiones, perpetuas tamen noo fore oſtendit Spiritus. Ac prius quidem uſus fuerat hac loquendi forma, Durabit Eccleſiæ calamitas per tempus, tempora, & dimidium temporis. Nunc vero triennium illud cum ſex menſibus per dies ſopputat, ut fideles in longiore malorum tractu magis obdureſcant. Solenne enim eſt hominibus in rebus adverſis non per annos vel menſes, ſed per dies ſingulos tempus ſupputare: quia dies unus illis inſtar aoni eſt. Tandem beatos fore dicit qui ſuſtinuerint uſque ad finem illius temporis, hoc eſt, qui invicta patientia ad metam uſque pertigerint. Nunc Chriſtus quod propoſito ſuo quadrabat ſolum eligit: nempe inſtare ſacrificiis finem, & locandam in templo abominationem eſſe, quæ ſignum ſit ultimæ deſolationis. Quia autem in præſenti ſuo ſtatu nimis tenaciter hærebant Judæi, ut ad prophetias quibus prædicta erat ejus abolitio minime attenderent, Chriſtus, quaſi aurem vellicans, attente locum illum legere ipſos jubet: ut diſcant clare teſtatum eſſe à Prophetis quod illis tam difficile eſt creditu. Abominatio tantundem valet ac profanatio. nam hac voce notatur immunditiés quæ purum Dei cultum vitiat aut evertit. Dicitur autem Deſolationis, quod templi & politiæ interitum ſecum traheret: ſicuti prius capite 9. pollutionem ab Antiocho illatam, quaſi vexillum temporariæ deſolationis eſſe dixerat. ſic enim nomen Alæ vel Expanſionis interpretor. Falluntur autem quibus videtur notari Hieroſolymæ obſidio: nec eorum errori ſuffragantur Lucæ verba, cui non idem, ſed aliud dicere propoſitum fuit. Nam quia olim urbs illa quaſi in medio excidio liberata fuerat, ne quid tale in poſterum ſperent fideles, ſimulatque ab hoſtibus circumdata fuerit, pronunciat Chriſtus actum fore: quia prorſus nudata ſit Dei auxilio. Senſus ergo eſt, Noo fore dubium eventum belli: quia exitio devota ſit urbs illa, quod nihilo magis effugere poterit quam cæleſte decretum reſcindere. Ideo aliquanto poſt ſubjicitue, ipſam à Geotibus calcatum iri: quæ loquutio ultimam ruinam ſignificat. Porro quia in ſpeciem abſurdum erat, ſanctam urbem ita proſtitui Gentium libidini, additur conſolatio, ad tempus Geotibus permitti tantum licentiæ, donec matureſcat earum iniquitas, atque in lucem erumpat quæ illis repoſita eſt ultio.

16. *Tunc qui in Judæa ſunt.*] Poſtquam Prophetæ teſtimonio docuit Chriſtus, Templo profanato extinctum paulo poſt iri cultum Legalem: ſubjicit, diras & horrendas calamitates toti Judææ inſtare, ut nibil optabilius ſit quam procul inde ſubduci. & ſimul adeo repeotinas fore dicit, ut vix celerrimæ fugæ tempus ſupperat. Huc enim pertioent loquutiones, *Qui in tecto eſt, ne intret in domum, Qui in agro eſt, ne revertatur*: ne ſcilicet dum ſua ſervare cupiunt, ſeipſos perdant. Item, *Væ prægnantibus & lactantibus*: quia ſcilicet liberæ & expeditæ ad fugam non erunt. Item, *Orate ne hyeme aut Sabbatho contingat fuga veſtra*: ne ſcilicet feſtinationem vel religio, vel itineris aſperitas, & brevitas dierum impediat ac moretur. Conſilium ergo Chriſti fuit, primum ſuos expergefacere, ne beatam amplius quietem regnique terreni delicias imaginarentur: deinde eorum animos fortitudine munire, ne communibus ruinis ſuccumberent. Violenta quidem fuit hæc admonitio, pro ipſorum tamen ſtupore & ingenti malorum gravitate neceſſaria.

21. *Erit enim tunc afflictio.*] Lucas etiam dies ultionis fore dicit, & iram in populo illo, ut impleantur quæcunque ſcripta ſunt. nam quum obſtinata populi malitia ruptum tunc fuerit Dei fœdus, terram ipſam & aërem prodigioſa mutatione concuti oportuit. Nulla quidem magis exitialis plaga inflicta fuit Judæis quam quod extincta apud eos cæleſtis doctrinæ luce rejecti à Deo fuerunt. Verum (quod in tanta duritie oeceſſe erat) rejectionis ſuæ malum duris & gravibus flagellis ſentire coacti ſunt. Cæterum tam horrendæ vindictæ cauſa fuit quod ad ſummum cumulum pervenerat deſperata illius gentis impietas. Nam quæ eorum morbis allata erat medicina, non ſuperbe modo ab illis ſpreta fuerat, ſed contumelioſe etiam rejecta: imo in ipſum medicum crudeliter, tanquam furioſi vel abreptitii, ſævierant. Quum vero in ipſis tam ſevere obſtinatum Euangelii contemptum una cum pervicaciæ rabie ultus ſit Dominus, oobis ſemper ante oculos verſetur eorum pœna: ac inde diſcamus, nihil Deo magis eſſe intolerabile quam pertinacem gratiæ ſuæ contemptum. Quanquam autem ſimiles Euangelii contemptores manet eadem merces, in Judæis tamen illud præ aliis memorabile documentum extare voluit Deus, quo illuſtrior ad poſteros eſſet adventus Chriſti gloria. Nullis enim verbis exprimi poteſt ſceleris illius iodignitas, quod Filium Dei, vitæ auctorem cælitus ſibi oblatum, ad mortem rapuerint. Itaque illo pluſquam nefando ſacrilegio defuncti, noo deſtiterunt ſubinde aliis atque aliis criminibus omnes extremi exitii cauſas ſibi accerſere. Ideo negat Chriſtus parem in mundo afflictionem poſtea fore: quia ſicuti una Chriſti repulſa, tot præſertim ſceleſtæ contumaciæ & ingratitudinis circumſtantiis implicita, præ omnibus ætatum omnium peccatis maxime deteſtabilis fuit: ſic etiam æquum fuit illius vindictæ atrocitate alias omnes ſuperari.

22. *Niſi decurtati fuiſſent.*] Cladium atrocitatem amplificat, ſimul tamen admixta conſolatioοe: quod ſcilicet illis extingui poſſit Judaicum nomen, niſi Dominus electos ſuos reſpiceret, atque in illorum gratiam aliquid levationis afferret. Convenit autem hic locus cum illo Jeſaiæ, Niſi Dominus reſiduum *Jeſa. x.* nobis feciſſet exiguum ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, *verſ. 9.*

mui, & ſimiles Gomorrhæ. Nam & vindictam Dei
quæ in exilio Babylonico contigerat, rurſus Chriſti
Rom. 9. adventu impleri oportuit, teſte Paulo. Imo quo ma-
verſ. 29. gis ſe impietas profuderat, gravior tunc exundare
debuit vindicta. Ideo dicit Chriſtus, niſi malis finem
Deus imponat, perituros funditus Judæos, ut ne
unus quidem reſiduus maneat: ſed Deum gratuiti
fœderis ſui rationem habiturum, ut electis ſuis par-
Jeſa. 10. cat, ſecundum alterum illud Jeſaiæ vaticinium, Si
verſ. 22. fuerit populus tuus ut arena maris, reliquiæ dun-
taxat ſalvæ fient. Eſt autem hoc inſigne divini judi-
cii documentum, ubi viſibilem Eccleſiam ſic affligit
ut funditus videatur perdita: & tamen ad ſervan-
dum aliquod ſemen, ſuos electos, & quidem pau-
cos numero, mirabiliter ab interitu eripit, ut præ-
ter ſpem è gurgite mortis emergant. Sic enim ter-
rentur hypocritæ, ne Eccleſiæ titulo & ſpecie freti
vanam ſpem impunitatis ſibi fingant: quia modum
inveniet Dominus quo Eccleſiam ſuam liberet, ipſis
in exitium traditis. piis vero mira conſolatio ſugge-
ritur, quod nunquam ita frenum laxabit Deus iræ
ſuæ, quin ſaluti ipſorum conſulat. Sic in puniendis
Judæis horrendum in modum exarſit: & tamen præ-
ter ſpem hominum ſibi moderatus eſt, ne quis ex
electis periret. Atque hæc incredibilis miraculi fuit
materia, quod quum ex Judæa oritura eſſet ſalus, ex
paucis guttis fontis arefacti fluvios Deus creavit qui
totum mundum irrigarent. nam (ut Gentium
omnium odia in ſe contraxerant) parum abfuit quin
uno die ubique locorum ſigno dato trucidarentur.
Nec dubium eſt, quum multi talem eorum inter-
necionem urgerent, divinitus retentum fuiſſe Ti-
tum ne & milites & alios illius exequendæ plus ſatis
avidos, ſuo nutu armaret. Quod ergo ultimam to-
tius gentis cladem tunc compeſcuit Romanus impe-
rator, hæc decurtatio fuit ad ſervandum aliquod ſe-
men. Interea hoc notandum, quod *propter electos*
impetum iræ ſuæ cohibuit, ne omnes obrueret. Cur
enim ex ingenti multitudine paucos ſuperſtites re-
ſtare voluit? & quid habuit cauſæ cur hos aliis præ-
ferret? Nempe quod in populo quem adoptaverat,
reſidebat ejus gratia: ac, ne irritum eſſet ejus fœdus,
quidam æterno ejus conſilio ad ſalutem electi & de-
Rom. 11. ſtinati erant. Ideo Paulus cauſam gratuitæ electioni
verſ. 5. aſſignat quod ex immenſo populo ſervandæ ſint
reliquiæ. Faceſſant igitur hominum merita, quando
ad merum Dei beneplacitum revocamur, ne aliunde
pendeat inter hos & illos diſcrimen, niſi quia ſalvos
eſſe oportet qui electi ſunt. Quod ut clarius & ex-
preſſius commendet Marcus, pleonaſmon addit, ſic
loquens, *Propter electos, quos elegit, abbreviavit dies.*
Certe poterat ſufficere participium, niſi hoc diſerte
teſtatum vellet, non extraneis cauſis adduci Deum
ut hos potius quam illos favore proſequatur: ſed
quia eligere illi placuit quos ſervaret, in eorum ſa-
lute arcanum gratiæ ſuæ propoſitum ſtabilire. Quæ-
ritur tamen quomodo propter electos cladibus mo-
dum impoſuerit Deus, ne funditus Judæos perderet,
quum multi reprobi & deſperati ſervati fuerint. So-
lutio facilis eſt, liberatam fuiſſe gentis partem ut
inde ſuos electos, qui permixti erant, quaſi ſemen,
excuſſa palea, educeret. Quanquam ergo commu-
niter reprobis & electis temporalis contigit ſalus,
quia tamen illis nihil profuit, merito his ſolis adſcri-
bitur: ſicuti mira Dei providentia in eorum gratiam
directa fuit.

23. *Tunc ſi quis vobis.*] Iterum repetit quod de
impoſtoribus dixerat: nec fruſtra. majus enim ab
hac tentatione periculum inſtabat, ne miſeri homi-
nes in rebus afflictis & deſperatis, fallaci titulo de-
cepti, larvas pro Chriſto quærerent, & diaboli præ-
ſtigias amplecterentur pro Dei auxilio. Nam quum
Judæi ob contemptam redemptionem tam duriter
oppreſſi, violentis ſaltem remediis à perfidia retra-
hendi eſſent, novas ſpes aſtute illis objecit Satan,
quæ à Deo longius ipſos abducerent. Et certe nihil
magis exitiale eſt, quam, dum in rebus adverſis con-
ſilio deſtituimur, ſub nominis Dei prætextu menda-
ciis decipi, quæ & reſipiſcentiæ januam nobis ob-
ſtruunt, & infidelitatis tenebras augent, & tandem
deſperatione confuſos ad inſaniam præcipitant.
Quare in tanto periculo minime ſupervacua repeti-
tio fuit: ac præſertim quum pſeudoprophetas non
levibus machinis ad fallendum inſtructos fore admo-
neat Chriſtus, nempe ſignis & portentis quæ obſtu-
peſaciant infirmas mentes. Nam quum miraculis
virtutis ſuæ præſentiam teſtetur Deus, & ideo ſigilla
ſint veræ doctrinæ, nihil mirum ſi impoſtoribus
reverentiam concilient. Et tali illuſionis genere
ulciſcitur Deus hominum ingratitudinem, ut men-
dacio credant qui veritatem reſpuerunt, magiſque
ac magis obtenebrentur qui ad oblatam lucem clau-
ſerunt oculos. Quanquam & ſimul ſuorum conſtan-
tiam exercet, quæ inde clarius refulget dum nullis
fallaciis ſuccumbunt. Porro quum antichriſtos &
mendaces prophetas Dominus miraculis armatos
fore pronunciet, non eſt cur tantopere ſuperbiant Pa-
piſtæ hoc obtentu, vel ipſorum jactantia terreamur.
Miraculis ſuperſtitiones ſuas confirmant: nempe
quibus prædixit Filius Dei labefactandam eſſe mul-
torum fidem. Quare tantum apud prudentes mo-
menti habere non debent ut per ſe ſufficiant ad pro-
bandum hoc vel illud doctrinæ genus. Si excipiant,
hoc modo everti ac in nihilum redigi miracula qui-
bus tam Legis quam Euangelii ſancita fuit auctori-
tas: reſpondeo, certam Spiritus notam illis inſcul-
ptam fuiſſe quæ dubitationem & errandi metum
fidelibus eximeret. Neque enim quoties ad ſuos con-
firmandos virtutem ſuam exeruit Deus, ita confuſe
operatus eſt quin vera extaret nullique fallaciæ ob-
noxia diſtinctio. Adde quod doctrinam ſic obſi-
gnant miracula, ut illa quoque viciſſim præluceat,
& diſcutiat omnes nebulas quibus ſimplices mentes
obfuſcat Satan. Denique ſi ab impoſturis cavere pla-
cet, ſit apud nos individua ſignorum & doctrinæ
conjunctio.

24. *(Si poſſibile eſt) etiam electi.*] Hoc additum
fuit incutiendi terroris cauſa, quo magis ſollicite
intenti eſſent fideles ad cavendum. nam ubi tam
effreni licentia graſſantur pſeudoprophetæ, tanta-
que fallendi efficacia illis conceditur, facile eſſet ſe-
curos & incautos eorum fraudibus illaqueari. Chri-
ſtus ergo diſcipulos ſuos ad excubias agendas horta-
tur & excitat. deinde etiam admonet non eſſe cur
turbentur novitate ſpectaculi, ſi multos paſſim in
errorem abripi videant. Cæterum ut curam ſuis in-
jicit, ne torpentes circumveniat Satan: ita rurſum
amplam fiduciæ materiam ſuppeditat in quam
quieti recumbant, dum ipſos promittit adverſus
quaſcunque Satanæ inſidias Dei præſidio & cuſto-
dia tutos fore. Ergo quantumvis fragilis ſit ac lu-
brica piorum conditio, firma tamen hic fultura
oſtenditur in qua conſiſtant: quia poſſibile non ſit
eos à ſalute excidere, cujus fidelis eſt cuſtos Filius
Dei. Neque enim illis apud ſe tanta ſuppetit muni-
tio quæ Satanæ machinis reſiſtat, ſed quia Chriſti *Joan. 10.*
ſunt oves, quas nemo poterit rapere ex ejus manu. *verſ. 28.*
Notandum autem eſt quod ſalutis noſtræ firmitas
non in nobis, ſed in arcana electione locatur. Quan-
quam enim cuſtoditur ſalus noſtra per fidem (ut Pe- *1 Pet. 1.*
trus docet) altius tamen conſcendere oportet, Ideo *verſ. 5.*
nos in tuto eſſe quia nos Pater Filio ſuo dedit, &
Filius ipſe nihil quod ſibi datum eſt periturum
affirmat.

25. *Ecce prædixi.*] Plenius Domini mentem ex-
primit Marcus, *Vos autem cavete: ecce prædixi.*
Quibus verbis docemur, nulla excuſatione dignos
eſſe quos offendicula à Chriſto prædicta conſternant.
nam quum nobis Dei voluntas pro regula eſſe de-
beat, ſufficit nos in tempore eſſe admonitos, ita ei
pla-

1 Cor. 10. verſ. 13. placere. Deiode quum fidelem ſe pronunciet, nec paſſurum ut tentemur ultra quam ſimus ferendo, nunquam ad reſiſtendum nobis virtus deerit: modo ne infirmitatem noſtram alat torpor.

26. *Ecce in deſerto eſt.*] Lucas bunc ſermonem alteri Chriſti reſponſo permiſcet. nam quum à Phariſæis rogatus de adventu regni Dei, negaſſet cum obſervatione venturum: ſequitur in Lucæ contextu, quod converſus ad diſcipulos, admonuerit venturos eſſe dies quum amplius viſuri non ſint diem unum Filii bominis. Quibus verbis monere voluit ut in luce ambularent antequam occuparentur noctis tenebris. debuit enim hic acerrimus illis eſſe ſtimulus, ut proficere ſtuderent quamdiu fruebantur Chriſti præſentia, dum audirent graviſſimas perturbationes inſtare. Neſcitur autem an eadem de re bis admonuerit Cbriſtus diſcipulos. Sed mihi probabile eſt, quum de regni Dei adventu fieret mentio, quas hic inſeruit ſententias Lucam ex alio tempore deſumptas attexuiſſe. quod illi non rarum eſſe, alibi vidimus. Cæterum quia locus bic per inſcitiam varie detortus eſt, ut genuinum ſenſum habeant lectores, notanda illis eſt antitheſis inter latebras & longe lateque patentem regni Chriſti propagationem, eamque ſubitam & inopinatam, qualis eſt fulguris extenſio ab ortu Solis uſque ad occaſum. Scimus enim pſeudochriſtos (quod craſſæ & ſtultæ ſpei gentis illius conſentaneum erat) quaſcunque poterant copias in receptacula deſerti, vel in ſpeluncas, vel in alios receſſus contraxiſſe, ut jugum Romani Imperii vi & manu armata à ſe excuterent. Senſus ergo eſt, Quicunque opes ſuas in locum abditum colligit ut gentis libertatem armis recuperet, ſe pro Chriſto mendaciter venditare: quia miſſus ſit Redemptor qui repente & ex inſperato gratiam ſuam in omnes mundi plagas expandat. Hæc autem inter ſe contraria ſunt, redemptionem includere in aliquo angulo, & eam diffundere per totum orbem. Hoc modo admoniti fuerunt diſcipuli, non amplius in Judææ latebris Redemptorem eſſe quærendum: quia regni pomœria ad ultimos uſque terræ fines ſubito proferret. Atque hæc admirabilis celeritas, qua Euangelium per omnes mundi partes volitavit, illuſtre fuit divinæ potentiæ teſtimonium. Neque enim humana induſtria fieri poterat ut lux Euangelii, inſtar fulguris, ſimulac emicuit, ab una mundi plaga uſque ad oppoſitam penetraret: ideoque Chriſtus non temere hac circumſtantia cœleſtem ſuam gloriam commendat. Adde quod hac regni ſui amplitudine propoſita, oſtendere voluit Judææ vaſtitatem ſibi non poſſe obſtare quin regnaret.

28. *Ubicunque fuerit cadaver.*] Senſus eſt, Quibuſcunque artificiis conetur Satan boc & illuc diſtrahere filios Dei, io ipſo tamen Chriſto ſacrum eſſe unitatis vinculum, quo devinctos teneri conveniat. Unde enim diſſipatio niſi quia multi à Chriſto diffluunt, in quo ſolo ſita eſt noſtra firmitas? Ergo hic modus præſcribitur fovendæ ſanctæ conjunctionis, ne errorum diſtractiones corpus Eccleſiæ lacerent: nempe ſi in Chriſto defixi manemus. Quod diligenter notandum eſt. neque enim vel ad Romanæ ſedis primatum, vel ad alias nugas nos aſtringit Chriſtus: ſed hoc unico modo Eccleſiam ſuam colligat, ſi ad ipſum unicum caput omnes undique reſpiciant. Unde ſequitur, quicunque ei cohærent pura fide, extra ſchiſmatis eſſe periculum. Eant nunc Romanenſes, & ſchiſmaticos eſſe clament qui ſe à Chriſto alienari non ſinunt, ut latroni fidem ſuam mancipent. Quod Papiſtæ ipſi pro eorum ſocietate accipiunt qui fidem unam profitentur, & aquilas allegorice exponunt pro acutis & oculatis, nimis inſulſum eſt: quum aliud non fuiſſe Chriſti conſilium palam ſit, quam ad ſe vocare & in ſe retinere Dei filios, ubicunque ſint diſperſi. Nec vero bic ſimpliciter ponitur corpus, ſed cadaver. Aquilis autem nihil tribuit Cbriſtus quam quod apud nos corvis aut vulturibus congrueret, pro regionis quam incolimus natura. Neque etiam ſatis ſolida eſt aliorum argutia, qui odoriferam fuiſſe Cbriſti mortem dicunt, ut electos Dei alliceret. nam, meo judicio, ratiocinari voluit Chriſtus à minori ad majus, Si tanta eſt in avibus ſagacitas ut ex remotis locis ad cadaver unum multæ conveniant, turpe eſſe fidelibus, non aggregari ad vitæ auctorem, quo ſolo vere paſcuntur.

MATTH. XXIV.

29. Statim autem poſt afflictionem dierum illorum ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum movebuntur.

30. Et tunc apparebit ſignum Filii hominis in cælo: & tunc plangent omnes Tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute & gloria multa.

31. Et mittet Angelos ſuos cum magna voce tubæ: & congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à ſummo cælorum uſq; ad terminos eorum.

MARC. XIII.

24. Cæterum in diebus illis, poſt afflictionem illam, ſol obtenebrabitur, & luna non dabit ſplendorem ſuum:

25. Et ſtellæ cæli decident, & virtutes quæ in cælis ſunt concutientur.

26. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum poteſtate multa & gloria.

27. Et tunc mittet Angelos ſuos, & aggregabit electos ſuos à quatuor ventis, à ſummo terræ uſque ad ſummum cæli.

LUC. XXI.

25. Et erunt ſigna in ſole, luna & ſtellis: & in terris anxietas gentium in deſperatione, reſonante mari & fluctu:

26. Extabeſcentibus hominibus præ timore & expectatione eorum quæ ſupervenient orbi terrarum. Nam virtutes cælorum concutientur.

27. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate & gloria multa.

28. His autem fieri incipientibus, ſuſpicite & attollite capita veſtra: quoniam appropinquat redemptio veſtra.

Jam ad plenam regni ſui manifeſtationem deſcendit Chriſtus, de qua initio rogatus fuerat: ac promittit, poſtquam tot malis vexati fuerint, venturam ſuo tempore redemptionem. Nam hoc præcipue ſpectavit in ſuo reſponſo ut diſcipulos ſuos bona ſpe ſtabiliret, ne propter confuſos motus animis deficerent. Ideo non ſimpliciter de adventu ſuo loquitur, ſed Propheticas loquendi formas uſurpat, quibus ut quiſque magis erat iotentus, ita durius tentationis certamen ex contrario eventu ſubire neceſſe habebat. Qoid enim magis abſurdum quam regnum Chriſti non modo contemptibile, ſed cruce oppreſſum, multis probris coopertum, & omni genere afflictionis obrutum cernere, de quo tam magnifice Prophetæ concionati erant? Annon requiri poterat majeſtas illa quæ Soli & lunæ & ſtellis tenebras obduceret, totam concuteret orbis machinam, & uſitatum naturæ ordioem mutaret? His tentationibus

bus nonc Domious occurrit, pronunciaos, quamvis non ſtatim compleantur hæc vaticinia, ipſo tamen eveotu comprobatum tandem iri. Senſus itaque eſt, quæ de prodigioſa tam cæli quam terræ concuſſione olim prædicta erant, non debere ad redemptionis exordium reſtringi: quia totum curſum, donec ad metam ventum foret, complexi fuerint Prophetæ. Nunc ubi tenemus Chriſti conſilium, facilis eſt verborum iotelligentia: quod ſcilicet oon ſtatim obtenebrandum ſit cælum, ſed poſtquam afflictionibus defuncta fuerit Eccleſia. Non quod ultimo demum Chriſti adventu apparitura ſit regni ejus gloria & majeſtas: ſed quia illuc uſque differtur eorum complementum quæ fieri cœperunt poſt reſurrectionem, & quorum duntaxat guſtum aliquem Deus ſuis præbuit, ut longius eos per ſpei & patientiæ viam deduceret. Secundum hanc rationem uſque ad ultimum diem fidelium mentes ſuſpendit Chriſtus, ne putent irritum eſſe quod teſtati ſunt Prophetæ de reparatione futura, quia ſub denſa afflictionum caligine longo tempore ſubmerſum lateat. Perperam vero afflictionem dierum illorum quidam interpretes de Hieroſolymæ excidio accipiunt: quum potius univerſa ſit malorum omoium, de quibus ante Chriſtus diſſeruit, ἀνακεφαλαίωσιν. Porro hoc argumento ad toleraotiam eos animat, quod afflictiones felicem tandem lætumque habebunt exitum. acſi dixiſſet, quamdiu peregrinabitur io mundo Eccleſia, tempus nubilum fore & obſcurum: verum ſimulac finis contigerit miſeriis, ſuperventurum diem quo illuſtris appareat ſua majeſtas. Cæterum quomodo ſol obſcurandus ſit, hodie conjicere non poſſumus, ſed eventus ipſe oſtendet. Stellas quidem non reipſa caſuras intelligit, ſed ſecundum hominum ſenſum. ideo apud Lucam tantum prædicit fore ſigna in ſole & luna & ſtellis. Senſus ergo eſt, tantam fore machinæ cæli concuſſionem, ut ſtellæ ipſæ cadere putentur. Additur etiam apud Lucam, de formidabili motu maris, ut homines præ metu & anxietate deficiaot. Summa autem eſt, creaturas omnes ſurſum & deorſum, quaſi præcones fore citandis hominibus ad horribile illud tribunal, cujus contemptu impie ad ultimum uſque diem laſcivient.

30. *Tunc apparebit ſignum.*] Clarius hoc verbo diſcernit Chriſtus præſentem regni ſui ſtatum à futura ejus gloria. Eſt enim ſpecies conceſſionis, quod in afflictionum caligine Chriſti majeſtas non erit conſpicua, nec redemptionem ab eo allatam ſeotient homines. Nam certe confuſa rerum permiſtio quæ nunc cernitur, tum mentes noſtras obnubilat, tum Chriſti gratiam obruit, & quaſi evaneſcere facit ex oculis noſtris, ſaltem ut carnis ſenſu non apprehendatur ſalus ab eo parta. Ideo ſe ultimo adventu palam emerſurum denunciat, ut cæleſti potentia præditus, quaſi ſigno in ſublime erecto, ad ſe convertat totius mundi intuitum. Cæterum quia videbat majorem hominum partem doctrinæ ſuæ contemptricem fore, regnoque ſuo adverſam, ſimul planctum & lamentationem denunciat omnibus populis: quia ſcilicet æquum eſt ut rebelles conterat, perdatque ſua præſentia qui abſentis imperium ſpreverunt. Hoc autem dicit, partim ut ſuperbis ac præfractis terrorem incutiens, ad reſipiſcentiam eos adducat: partim etiam ut ſuorum animos confirmet in tanta mundi contumacia. Eſt enim non levis offendiculi materia, impiorum ſecuritas: quia videntur impune Deo illudere. deinde nihil proclivius eſt quam proſperæ fortunæ qua fruuntur illecebris capi, ut nobis effluat Dei reverentia. Ergo ne ebriæ illorum lætitiæ invideant fideles, Chriſtus eam in luctum & ſtridorem dentium pronunciat tandem converſum iri. Alludit autem, meo judicio, ad duodecimum caput Zachariæ, verſ. 11. ubi Deus memorabile judicii ſui ſpecimen inſtare docens, planctum apud omnes familias fore aſſerit, qualis fieri ſolet in funere unigeniti. Quare non eſt quod mundi converſionem quis expectet, quia ſero & ſine profectu tandem ſentient quem confixerint. Sequitur deinde ſigni illius explicatio, quod Filium hominis videbunt ſuper nubes venientem, qui ſub habitu ſervi contemptibilis tunc in terra agebat. Atque hoc modo gloriam regni ſui cæleſtem fore admonet, non terrenam, ut falſo imaginati erant diſcipuli.

31. *Et mittet Angelos ſuos.*] Specimen ſuæ illius potentiæ deſcribit, quod Angelos mittet qui electos ſuos colligant ab extremis mundi partibus. Nam ſummitas cælorum tantundem valet ac extrema regio. Sed hyperbolice loquitur Chriſtus, ut doceat, electos, etiamſi è terra ſublati, & per aerem disjecti forent, rurſus tamen congregatum iri, ut ſub capite ſuo coaleſcant in vitam æternam, & ſperata hæreditate fruantur. Voluit enim ſuos diſcipulos Chriſtus ſolari, ne triſtis Eccleſiæ diſſipatio eos frangeret. Quare & nos, quoties vel Satanæ artificio diſtrahi Eccleſiam, vel impiorom ſævitia lacerari, vel turbari impiis dogmatibus, vel procellis jactari cernimus, ad hanc collectionem diſcamus referre oculos. Atque ſi res nobis videtur creditu difficilis, ſuccurrat nobis Angelica potentia, quam ideo proponit Chriſtus ut nos ſupra humana media erigat. Quamvis enim hominum malitia nunc Eccleſia vexetur, per varias fugas & exilia feratur inſtabilis, fluctibus etiam alliſa frangatur, & miſere diſcerpta nihil habeat firmitatis in mundo, bene nihilominus ſperandum eſt: quia non humano modo, ſed cæleſti virtute (quæ omnibus obſtaculis longe erit ſuperior) eam colliget Dominus.

28. Luc. *His fieri incipientibus.*] Apud Lucam clarius exprimitur conſolatio qua ſuorum animos Chriſtus exhilarat. Quanquam enim hæc ſententia nihil à verbis Matthæi quæ nuper expoſuimus, diverſum continet: melius tamen oſtendit in quem finem dicantur venturi Angeli ad congregandos electos. Neceſſe enim fuit communi mundi triſtitiæ & anxietati piorum gaudium opponi quaſi è regione, & notari inter ipſos & reprobos diſcrimen, ne Chriſti adventum exhorreſcerent. Scimus Scripturam non de ultimo tantum judicio, ſed de omnibus quæ quotidie Deus exercet, varie loqui, prout vel ad
fideles vel ad incredulos dirigit ſermonem. Quor- *Amos 5.*
ſum vobis dies Domini? (inquit Propheta) dies ille, *verſ. 18.*
caliginis eſt ac tenebrarum, non lucis: mœroris,
non lætitiæ: exitii, non ſalutis. Contra, filiam Sion *Zach. 9.*
gaudere Zacharias jubet propter adventum Regis *verſ. 9.*
ſui. Et merito: quia (ut dicit Jeſaias) idem dies qui *Jeſa. 35.*
reprobis iram & ultionem adfert, beneplaciti & re- *verſ. 4.*
demptionis eſt fidelibus. Docet igitur Chriſtus ſuo
adventu exorituram gaudii lucem ſuis diſcipulis, ut
impiis terrore confuſis, propinqua ſalute exultent.
Ideo hac nota eos Paulus 1 Corinth. 1. inſignit, quod *1 Cor. 1.*
diem vel adventum Domini expectent. Nam & co- *verſ. 7.*
ronæ eorum & plena felicitas & refrigerium in illum *2 Tim. 4.*
diem differtur. Itaque vocatur hic *redemptio* (ſicuti *verſ. 8.*
ad Rom. cap. 8. verſ. 23.) quia tunc liberationis per Chriſtum partæ effectus vere & ſolide nobis conſtabit. Quare nunc ſtent erectæ aures noſtræ ad Angelicæ tubæ clangorem, qui non ideo tantum ſonabit ut reprobos percellat mortis horrore, ſed electos excitet in ſecundam vitam, hoc eſt, quos nunc vivificat ipſe Dominus Euangelii ſui voce, ad vitæ fruitionem vocet. Infidelitatis enim ſignum eſt, expaveſcere dum adeſt Filius Dei in ſalutem noſtram.

Matth. XXIV.

32. Ab arbore autem fici diſcite ſimilitudinem. Quum jam ramus ejus tener fuerit, & folia fuerint enata, ſcitis quod prope ſit æſtas.

33. Ita & vos, quum videritis hæc omnia, ſcitote quod prope ſit in foribus.

34. Amen dieo vobis, non præteribit ætas hæc donec omnia iſta fiant.

35. Cælum & terra præteribunt, verba autem mea non præteribunt.

36. Cæterum de die illo & hora nemo ſcit, ne Angeli quidem cælorum: niſi Pater meus ſolus.

Marc. XIII.

28. A ficu vero diſcite ſimilitudinem. Quum ramus ejus jam tener fuerit, produxeritque folia, ſcitis quod prope ſit æſtas.

29. Sic & vos, quum hæc videritis fieri, ſcitote quod prope ſit in foribus.

30. Amen dico vobis quod non præteribit ætas hæc donec omnia iſta fiant.

31. Cælum & terra præteribunt, verba autem mea non præteribunt.

32. Cæterum de die illo & hora nemo novit, ne Angeli quidem qui in cælo ſunt, nec ipſe Filius: ſed ſolus Pater.

Luc. XXI.

29. Et dixit illis ſimilitudinem, Videte ficum & omnes arbores:

30. Quum protrudunt jam gemmas, cernentes, ex vobisipſis ſcitis quod jam inſtet æſtas.

31. Ita & vos, quum videritis hæc fieri, ſcitote quod inſtet regnum Dei.

32. Amen dico vobis, non præteribit ætas hæc antequam omnia fiant.

33. Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.

Non tantum intelligo æque certum fore ſignum propinqui adventus Chriſti in illa rerum perturbatione cujus facta eſt mentio, atque certo cognoſcimus inſtare æſtatem dum arbores virere incipiunt: ſed aliud quiddam, meo judicio, denotat Chriſtus. Nam quum hyeme arbores rigore frigoris contractæ plus roboris præ ſe ferant, vere autem ſoluta duritie magis fragiles appareant, quin etiam findantur ut exitus novis ramuſculis pateat: ſic nihil obſtare Eccleſiæ vigori quod eam afflictiones ſecundum carnis ſenſum emolliant. Sicuti enim ſuccus interior per totam arborem infuſus, poſtquam mollitiem induxit, collectis viribus erumpit ad renovandum quod emortuum erat: ſic Dominus ab externi hominis corruptione plenam ſuorum inſtaurationem producit. Summa eſt, ne ex debili & caduco Eccleſiæ ſtatu interitum conjiciant, ſed potius ſperent immortalem gloriam, ad quam Dominus cruce & ærumnis ſuos præparat. Nam quod Paulus de ſingulis membris affirmat, in toto corpore impleri oportet: nempe ſi externus homo corrumpitur, in- 2 Cor. 4. verſ. 16. ternum renovari de die in diem. Cæterum quod obſcurius à Matthæo & Marco dictum erat, *Scitote quod prope ſit in foribus*: apud Lucam apertius exponitur, *Quod inſtet regnum Dei.* & hoc loco regnum Dei non (ut alibi ſæpius) à ſuo exordio cenſetur, ſed à ſua perfectione, idque ex eorum ſenſu quos docebat Chriſtus. Neque enim regnum Dei apprehendebant in Euangelio, io pace gaudioque fidei, in ſpirituali juſtitia: ſed beatam illam quietem & gloriam quærebant quæ ſub ſpe abſcondita eſt uſque ad ultimum diem.

34. *Non præteribit ætas hæc.*] Quanquam univerſali nota utitur Chriſtus, non tamen generaliter ad omnes Eccleſiæ miſerias extendit ſermonem: ſed ſimpliciter docet, nondum ætate una completa quicquid diſſeruit eventu probatum iri. nam intra annos quinquaginta exciſa urbs fuit, templumque dirutum, tota regio in ſtupendam vaſtitatem redacta, mundi contumacia ſeſe adverſus Deum extulit: exarſit etiam furor ad delendam ſalutis doctrinam, exorti ſunt falſi doctores qui ſincerum Euangelium ſuis impoſturis perverterent, religio miris modis concuſſa, totus piorum cœtus miſere vexatus fuit. Quanquam autem multis poſtea ſeculis eadem mala continuo tenore graſſata ſunt: vere tamen dictum fuit à Chriſto, ante finem unius ſeculi fideles reipſa & claro experimento ſenſuros quam verum eſſet ſuum vaticinium. nam eadem paſſi ſunt Apoſtoli quæ hodie videmus. Nec vero conſilium Chriſti fuit, finem calamitatum intra exiguum tempus ſuis promittere (quia hoc modo ſecum ipſe pugnaſſet, quum prius admonuerit nondum eſſe finem) ſed ut ad tolerantiam eos animaret, diſerte prædixit ad ipſorum ætatem ſpectare. Senſus eſt igitur, Prophetiam hanc non eſſe de malis longinquis, quæ multis poſt ſeculis viſura ſit poſteritas, ſed quæ jam impendent, & quidem una ſimul congerie, ut præſens ætas nullius partis expers futura ſit. Itaque Dominus omnes malorum ſpecies in unam ætatem congerens, minime ab iiſdem poſteros eximit: ſed tantum diſcipulos ad omnia conſtanter ferenda paratos eſſe jubet.

35. *Cælum & terra tranſibunt.*] Quo majorem dictis ſuis fidem conciliet, eorum certitudinem comparatione illuſtrat: quod ſcilicet magis ſtabilita ſit ac firma quam fabrica totius mundi. Cæterum hanc loquendi formam varie exponunt interpretes. Quidam enim cæli & terræ tranſitum ad ultimum diem referunt, quo abolebitur caduca eorum conditio. Alii autem ſic reſolvunt, Potius totam mundi fabricam eſſe perituram quam ut evaneſcat vaticinium quod nuper audivimus. Sed quia non dubium eſt quin Chriſtus ſuorum mentes ſupra mundi intuitum attollere data opera voluerit, mihi videtur notare aſſiduas inclinationes quæ in mundo cernuntur: acſi negaret æſtimanda eſſe dicta ſua ab inſtabili & quaſi æſtuoſa mundi varietate. ſcimus enim, dum res in mundo volvuntur, quam proclive ſit mentes noſtras ſimul abripi. Ideo Chriſtus diſcipulos vetat in mundi reſpectu occupari, ſed quaſi è ſublimi divinæ providentiæ ſpecula deſpicere quæ ventura prædixit. Interea ex hoc loco elicitur utilis doctrina, ſalutem noſtram (quia in Chriſti promiſſionibus fundata eſt) noo fluctuare ſecundum diverſas mundi agitationes, ſed inconcuſſam ſtare, modo etiam fides noſtra cælo & terra ſuperior ad ipſum uſque Chriſtum tranſcendat.

36. *Cæterum de die illo.*] Hac ſententia Chriſtus fidelium animos teneri ſuſpenſos voluit, ne falſa imaginatione tempus aliquod ultimæ redemptioni præfigant. Scimus quam volaticum nobis ſit ingenium, atque ut nos vana pluſquam oportet ſciendi cupiditas titillet. Videbat etiam Chriſtus diſcipulos intempeſtive ad triumphum properare. Vult ergo diem adventus ſui ita ſperari & expeti, ut tamen nemo inquirere audeat, quando venturus ſit. Vult denique ſuos diſcipulos ita incedere in lumine fidei, ut de temporibus incerti, revelationem patienter exſpectent. Cavendum ergo ne ultra quam permittit Dominus, in temporum articulis ſimus ſolliciti. Nam præcipua pars ſapientiæ noſtræ in eo conſiſtit, ſi nos intra verbi Dei cancellos ſobrie continemus. Porro

ne

ne hominibus moleſtum ſit diem illum neſcire, Angelos eis Chriſtus aſſociat: nimiæ enim ſuperbiæ ac improbæ cupiditatis foret, plus nobis appetere, qui ſuper terram reptamus, quam cæleſtibus Angelis conceſſum ſit. Apud Marcum additur, *Etiam Filius hominis*. Porro ter & quater inſanus foret qui ſe gravatim ignorantiæ ſubjiceret, quam ne ipſe quidem Dei Filius noſtra cauſa ſubire abnuit. Cæterum quia hoc Chriſto indignum eſſe multi putabant, conati ſunt hujus ſententiæ duritiem ſuo commento lenire. Ad captandum etiam ſubterfugium eos forte compulit Arrianorum malitia, qui hinc evincere conati ſunt Chriſtum non eſſe verum & unicum Deum. Ergo, ſecundum eos, neſcivit Chriſtus diem extremum, quia aliis patefacere noluit. Sed quum palam ſit, Chriſto communem cum Angelis ignorantiam tribui, alius ſeorſus aptior nobis quærendus eſt: quem antequam profero, breviter diluam eorum objecta qui Filium Dei contumelia affici putant ſi in eum ulla ignorantia competere dicatur. Primo quod objiciunt, Deo nihil eſſe incognitum: facilis eſt ſolutio. Scimus enim duas naturas in Chriſto ita fuiſſe conjunctas in unam perſonam, ut ſua cuique proprietas maneret: præſertim vero quievit Divinitas, ſeque minime exeruit quoties ad implendum Mediatoris officium interfuit humanam naturam ſeorſum operari quod ſuum erat. Quare nihil abſurdi fuit, Chriſtum, qui omnia ſciebat, aliquid ſecundum hominis ſenſum neſcire: neque enim aliter & dolori & anxietati obnoxius, & nobis ſimilis eſſe poterat. Quod vero excipiunt quidam non congruere ignorantiam Chriſto (quæ pœna eſt peccati) pluſquam abſurdum eſt. Ac primo quidem inſcite nugantur, ignorantiam (quæ Angelis tribuitur) ex peccato manare: ſed in altero non minus inſulſi ſunt, quod non agnoſcunt Chriſtum ideo carnem noſtram induiſſe ut debitas peccatis noſtris pœnas in ſe ſuſciperet. Quod autem ſecundum hominem Chriſtus diem ultimum neſcivit, id nihilo magis divinæ ejus naturæ derogat quam quod mortalis fuit. Cæterum non dubito quin ad munus ſibi à Patre injunctum reſpiciat, quemadmodum ſupra, quum diceret, Non eſſe ſuum hos vel illos ad dexteram & ſiniſtram ſuam locare. Non enim (ut illic expoſui) ſimpliciter hoc ſibi detrahebat: ſed ſenſus erat, non fuiſſe à Patre miſſum cum hoc mandato, quamdiu inter mortales verſatus eſt. Sic etiam nunc intelligo, quatenus Mediator ad nos deſcenderat, donec ſua provincia defunctus eſſet, non fuiſſe illi datum quod poſtea à reſurrectione accepit: nam tunc demum ſibi datam eſſe rerum omnium poteſtatem aſſeruit.

MATTH. XXIV.

37. Sed ſicut dies Noë, ita erit & adventus Filii hominis.

38. Sicut enim erant in diebus qui præceſſerunt diluvium, edentes & bibentes, contrahentes matrimonium & nuptum dantes, uſque ad eum diem quo intravit Noë in arcam:

39. Et non cognoverunt donec veniſſet diluvium, & ſuſtuliſſet univerſos: ita erit & adventus Filii hominis.

40. Tunc duo erunt in agro: unus aſſumitur, & alter relinquitur.

41. Duæ molentes in mola: una aſſumitur, & altera relinquitur.

42. Vigilate ergo: quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit.

MARC. XIII.

33. Cavete, vigilate & orate: neſcitis enim quando tempus ſit.

LUC. XVII.

26. Et ſicut accidit in diebus Noë, ita erit & in diebus Filii hominis.

27. Edebant, bibebant, uxores ducebant, & dabantur nuptum, ad eum uſque diem quo intravit Noë in arcam: & venit diluvium, & perdidit omnes.

28. Conſimiliter etiam ſicut accidit in diebus Lot: edebant, bibebant: emebant, vendebant: plantabant, ædificabant.

29. Cæterum quo die exiit Lot è Sodomis, pluit ignis & ſulphur è cælo, & omnes perdidit.

30. Secundum hæc erit dies quo Filius hominis revelabitur.

31. In illo die qui fuerit in tecto, & vaſa ejus in domo, ne deſcendat ad tollendum illa: & qui in agro, ſimiliter non redeat ad relicta.

32. Memores eſtote uxoris Lot.

33. Quicunque quæſierit animam ſuam ſervare, perdet illam: & quicunque perdiderit illam, gignet in vitam.

34. Dico vobis, in illa nocte erunt duo in lecto uno: unus aſſumetur, & alter relinquetur.

35. Duæ erunt ſimul molentes: una aſſumetur, & altera relinquetur.

36. Duo erunt in agro: unus accipietur, & alter relinquetur.

37. Tunc reſpondentes dicunt ei, Ubi Domine? Ipſe vero dixit eis, Ubi cadaver, illic cogentur & aquilæ.

LUC. XXI.

34. Cavete autem vobis nequando graventur corda veſtra crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ, ſubituſque vobis immineat dies ille.

35. Tanquam laqueus enim ſuperveniet in omnes qui ſedent ſuper faciem totius terræ.

36. Vigilate itaque omni tempore, deprecantes ut liceat vobis effugere iſta omnia quæ futura ſunt, & ſtare ante Filium hominis.

37. *Sicut dies Noë.*] Quanquam nuper ſuorum animos Chriſtus ſuſpendit ne de ultimo die nimis ſcrupuloſe inquirerent: ne tamen ſecure mundi deliciis indormiant, nunc ad ſollicitudinem eos hortatur. Sic ergo incertos de ſuo adventu eſſe voluit, ut tamen quotidie, imo ſingulis momentis, ad eum exſpectandum intenti ſint. Porro ut illis torporem excutiat, & acrius ad cavendum ſtimulet, mundo in

bruta ſocordia demerſo venturum repente finem prædicit: quemadmodum in diebus Noë gentes omnes diluvio præter ſpem abſorptæ ſunt, quum ſuaviter in delicias ſe ingurgitarent. Et paulo poſt Sodomitæ quum in ſuas libidines projecti nihil metuerent, igne cæleſti conſumpti ſunt. Quum talis ſub diem ultimum futura ſit mundi ſecuritas, non eſt cur ſibi vulgi exemplo indulgeant fideles. Nunc tenemus Chriſti conſilium: ne ſubito obruantur fideles, ſemper agendas illis eſſe excubias, quia inopinatus adveniet ultimi judicii dies. Sodomæ ſolus Lucas meminit, & quidem 17. capite, ubi per occaſionem, poſthabita ratione temporis, hunc Chriſti ſermonem recitat. Sed abſurdum non eſt duos Euangeliſtas uoo exemplo fuiſſe contentos, quamvis duo eſſent à Chriſto propoſita, præſertim quum per omnia quadraret, totum genus humanum olim quum otioſa lætitia difflueret, paucis exceptis, repente fuiſſe abſorptum. Quod autem dicit, edendo, bibendo, celebrandis nuptiis, & aliis negotiis ſecularibus tunc homines operam dediſſe, quum Deus totum mundum diluvio, & fulminibus Sodomam perdidit: his verbis ſignificat perinde fuiſſe occupatos in commodis & deliciis præſentis vitæ, acſi nulla snutatio timenda eſſet. Etſi autem ſtatim præcipiet diſcipulis ut ſibi à crapula & terrenis curis caveant, hoc tamen loco directe non damnat illorum temporum intemperiem, ſed potius contumaciam, qua factum eſt ut ſpretis Dei minis, ſupini expectarent horribilem interitum. Quum ergo durabilem ſtatum ſibi promitterent, ſecure in conſuetis ſuis rationibus pergere non dubitarunt. Atque hoc quidem per ſe vitioſum ac damnabile non fuiſſet, neceſſitatibus ſuis proſpicere, niſi craſſum ſtuporem oppoſuiſſent Dei judicio, ut clauſis oculis ad peccandi licentiam ruerent, quaſi nullus eſſet in cælo vindex. Ita nunc Chriſtus ultimam mundi ætatem prorſus ſtupidam fore docet, ut nihil cogitet quam de præſenti vita, ſuaſque curas in longum tempus extendat, ſolitum vitæ curſum, acſi in eodem ſtatu manſura ſemper eſſet terra, continuans. Sunt autem aptiſſimæ ſimilitudines: quia ſi nobis proponimus quid tunc contigerit, non amplius nos decipiet ejuſdem in mundi ordine tenoris aſpectus, ut credamus perpetuo ſtaturum. Nam triduo poſtquam in ſumma tranquillitate res ſuas quiſque agebat, terra inundatione ſubmerſa fuit, & quinque urbes igni conſumptæ.

39 *Non cognoverunt donec veniſſet diluvium.*] Fons & cauſa ignorantiæ fuit quod incredulitas excæcaverat eorum mentes: ſicut rurſum docet Apo-
Heb. 11. ſtolus undecimo ad Hebræos, Noe fidei oculis occul-
verſ. 7. tam adhuc Dei vindictam eminus vidiſſe, ut mature eam timeret. Et hic Chriſtus Noë cum reliquo mundo, Lot cum Sodomitis comparat: ut diſcant fideles ſeſe colligere, ne cum aliis vagantes evaneſcant. notandum autem eſt, ideo tunc reprobos obtorpuiſſe in ſuis malis, quia Dominus nonniſi ſervos ſuos ſalvifica admonitione cavendi opportune dignatus eſt: non quod de futuro diluvio prorſus celati ſint terræ incolæ (quorum oculis Noë in arcæ fabrica per annos plus centum triſte ſpectaculum objecit) ſed quia unus homo ſpecialiter de futura totius mundi clade admonitus cæleſti oraculo, & in ſpem ſalutis erectus fuit. Nunc quanquam vulgo perſonat ultimi judicii fama, quia tamen pauci divinitus edocti, Chriſtum ſuo tempore venturum judicem ſentiunt, hoc ſingulari Dei beneficio expergefieri convenit, & acui eorum ſenſus, ne ſe communi ſocordia implicent. Nam
1 Pet. 3. Petrus in hunc finem arcam Noë confert Baptiſmo
verſ. 25. noſtro, quod ſcilicet exigua hominum manus à
2 Pet. 2. multitudine ſegregata inter aquas ſervetur. Quare
verſ. 5. ad hanc paucitatem referendi ſunt animi, ſi cupimus ſalvi evadere.

40. *Tunc duo erunt in agro: unus aſſumetur.*] Lucas antequam hoc referat, ſententias quaſdam inſeſit: quarum prima apud Matthæum ad Hieroſolymæ excidium pertinet, *Qui fuerit in tecto, ne deſcendat in domum ſuam ad tollenda vaſa.* Sed fieri poteſt ut Chriſtus eadem verba ad res diverſas accommodaverit. Sequitur apud eundem Lucam admonitio, ut diſcipuli *memores ſint uxoris Lot:* nempe ut eorum quæ à tergo ſunt, obliti, ad metam ſupernæ vocationis contendant. Nam ideo converſa fuit in ſtatuam ſalis uxor Lot, quod dubitans an fruſtra ex urbe migraſſet, reſpexerit poſt tergum: quod erat fidem abrogare Dei oraculo. Probabile eſt etiam deſiderio ſui nidi, in quo placide quieverat, fuiſſe retractam. Quum ergo in ea æternum documentum extare voluerit Deus, firmandi ſunt animi fidei conſtantia, ne hæſitatione in medio curſu flacceſcant. deinde ad perſeverantiam formandi, ut illecebris caducæ vitæ valere juſſis, libere & alacriter ad cælum aſpirent. Tertia quoque ſententia apud Lucam additur, *Animas ſuas perdituros qui voluerint eas ſervare:* ne fideles impediat terrenæ vitæ cupiditas quominus per medias mortes intrepide ad ſalutem ſibi in cælis repoſitam feſtinent. Et concinne exprimit Chriſtus præſentis vitæ fragilitatem, quum dicit animas ζωογονῆσαι Ζωογονῆσαι.
(hoc eſt, generari in vitam) ubi perditæ fuerint. Perinde enim eſt acſi homines negaret in terra vivere: quia veræ demum & ſolidæ vitæ initium eſt renunciare mundo. Poſtea ſubjicit Lucas quod apud Matthæum quoque habetur, viros & fœminas tunc diremptum iri, ne copulæ quibus mutuo inter ſe devincti ſunt homines in mundo, pios retineant vel morentur. Sæpe enim contingit ut dum alii alios reſpiciunt, nemo gradum promoveat. Ergo ut quiſque pro ſe, omni vinculo ſolutus & expeditus, celeriter currat, docet Chriſtus ex uno pari alterum conjugem aſſumptum iri, altero relicto: non quod neceſſe ſit, quicunque inter ſe conjuncti ſunt, ita divelli (faciet enim ſancta pietatis copula ut viro probo mulier quoque proba adhæreat, patremque comitentur filii) ſed tantum voluit Chriſtus, ut remoras omnes abſcinderet, ſingulos ad feſtinationem hortari, ne qui jam accincti ſunt, ſocios fruſtra expectent. Apud Lucam ſubjicitur ſententia illa, *Ubicunque fuerit corpus*, &c. reſtringi tamen ad diem ultimum non debet. ſed quum rogaſſent diſcipuli, *Ubi Domine?* hoc eſt, Quomodo & recti ſtabimus in tanta concuſſione, & tuti manebimus in tam gravibus procellis? & quæ latebræ nos conjunctos protegent? Chriſtus (ſicuti apud Matthæum) ſe firmæ unitatis vexillum eſſe teſtatur, ſub quo omnes filios Dei colligi oporteat.

42. *Vigilate ergo.*] Expreſſior vel magis ſpecialis exhortatio refertur à Luca, *Cavendum eſſe ne corda graventur crapula & ebrietate & curis ſecularibus.* Et certe qui intemperanter vivendo ſenſus habet cibo vinoque obrutos, mente ad cæleſtis vitæ meditationem nunquam conſurget. Sed quia nulla eſt carnis cupiditas quæ non hominem inebriet, his omnibus danda eſt opera ne ſe mundo ingurgitent, ſi volunt ad Chriſti regnum properare. Apud Matthæum uno vigilantiæ nomine continua illa notatur attentio, quæ facit ut erectis ſurſum mentibus in terra peregrinemur. Apud Marcum primo jubentur diſcipuli videre ne ſcilicet incautos vel torpentes circumveniat interitus: deinde jubentur vigilare: quia ſubinde obrepunt variæ carnis illecebræ, quibus ſopiuntur mentes. Poſtea ſequitur exhortatio ad preces: quia ſcilicet aliunde ſuppetias petere neceſſe eſt, quibus noſtra infirmitas levetur. Lucas ipſam precationis formam dictat. Primum ut nos dignetur Deus ex tam profundo & multiplici labyrintho eripere: deinde ſalvos & incolumes ſiſtere in conſpectum Filii ſui. neque enim illuc pervenire licebit, niſi mirabiliter innumeras mortes effugerimus. Cæterum quia ex periculis enatando, præſentis vitæ curſum tranſigere non ſufficeret, Chriſtus

hoc

Digitized by Google

hoc tanquam præcipuum ponit, ut nobis ante ſuum tribunal ſtare liceat. *Quia neſcitis diem.* Notandum eſt, incertum adventus Chriſti tempus (quod pleriſque fere omnibus ſegnitiem inducit) attentionis & vigilantiæ ſtimulum debere nobis eſſe. Nam conſulto abſconditum nobis eſſe voluit Deus, ut nullo momento ſecuri, continuas excubias agamus. Qualis enim fidei & patientiæ eſſet probatio, ſi fideles tota vita otioſe vagantes in ſuis deliciis, in Chriſti occurſum triduo ſe ante accingerent?

MATTH. XXIV.

43. Illud autem ſcitote, quod ſi ſciſſet paterfamilias qua hora fur venturus fuiſſet, vigilaſſet utique, & non ſiviſſet perfodi domum ſuam.

44. Ideo & vos eſtote parati: quia qua hora non putatis, ea Filius hominis venturus eſt.

45. Quiſnam eſt fidelis ſervus & prudens, quem præfecit dominus famulitio ſuo, ut det illis cibum in tempore?

46. Beatus ſervus ille, quem quum venerit dominus ejus, invenerit ſic facientem.

47. Amen dico vobis, ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.

48. Quod ſi dixerit ſervus ille malus in corde ſuo, Cunctatur dominus meus venire:

49. Cœperitque percutere conſervos, imo edere & bibere cum ebriis:

50. Veniet dominus ſervi illius in die quo non expectat, & hora qua ignorat:

51. Et diſſecabit eum, partemque ejus ponet cum hypocritis. illic erit ploratus & ſtridor dentium.

MARC. XIII.

34. Sicut homo qui peregre agit, relicta domo ſua, deditque ſervis ſuis poteſtatem, ac ſuum cuique opus, & janitori mandavit ut vigilaret.

35. Vigilate igitur: neſcitis enim quando dominus domus venturus ſit, ſero, an medio noctis, an in gallicinio, an diluculo.

36. Ne quum venerit repente, offendat vos dormientes.

37. Cæterum quæ dico vobis, omnibus dico, Vigilate.

LUC. XII.

35. Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ accenſæ.

36. Et vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum quando revertetur à nuptiis: ut quum venerit, ac pulſaverit, confeſtim aperiant ei.

37. Beati ſervi illi, quos quum venerit dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.

38. Et ſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit, atque ita invenerit, beati ſunt ſervi illi.

39. Hoc autem ſcitote, quod ſi ſciſſet paterfamilias qua hora fur venturus fuiſſet, vigilaſſet utique, nec paſſus fuiſſet perfodi domum ſuam:

40. Et vos igitur eſtote parati: quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

41. Ait autem ei Petrus, Domine, ad nos dicis iſtam parabolam, an etiam ad omnes?

42. Dixit autem Dominus, Quiſnam eſt fidelis diſpenſator ac prudens, quem conſtituet dominus ſuper famulitium ſuum, ut det illis in tempore demenſum cibum?

43. Beatus ille ſervus, quem quum venerit dominus, invenerit ita facientem.

44. Vere dico vobis quod omnibus quæ poſſidet præficiet illum.

45. Quod ſi dixerit ſervus ille in corde ſuo, Differt dominus meus adventum: & inceperit percutere ſervos & ancillas, & edere, bibere, & inebriari:

46. Veniet dominus ſervi illius in die quo non ſperat, & hora qua neſcit: & diſſecabit eum, partemque ejus cum infidis ponet.

47. Ille autem ſervus qui cognovit voluntatem domini ſui & ſe non paravit, nec fecit ſecundum voluntatem ejus, vapulabit plagis multis:

48. Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Porro cuicunque multum datum eſt, multum quæretur ab eo: & cui multum commendarunt, plus petent ab eo.

49. Ignem veni miſſurus in terram, & quid volo ſi jam accenſus eſt?

50. Sed baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiatur?

43. *Si ſciſſet paterfamilias qua hora.*] Lucas hunc Chriſti ſermonem alio loco recitat quam Matthæus. Neque id mirum: nam capite 12. ex variis concionibus ſummam doctrinæ contexens (ſicuti alibi oſtendimus) hanc quoque parabolam inſerit. Adhæc generalis illic ponitur præfatio, ut diſcipuli lumbis præcinctis, & lucernas accenſas manibus geſtantes, Dominum ſuum expectent. Cui ſententiæ reſpondet parabola quæ paulo poſt ſequetur apud Matthæum, de virginibus prudentibus & fatuis. Paucis autem verbis concinne perſtringit Chriſtus quomodo fideles in mundo peregrinari oporteat. nam primo lumborum cincturam deſidiæ opponit, lucernas autem ardentes, ignorantiæ tenebris. Primum ergo diſcipulos jubet Chriſtus ad iter paratos & expeditos eſſe, ut per terram celeriter tranſeant, nec fixam quietamque ſtationem alibi quærant quam in cælo. Admonitio valde utilis. quanquam enim vitæ curriculum profani quoque homines in ore habent, videmus tamen ut in terra jaceant reſides ac defixi. Deus autem filiorum honore non dignatur niſi qui terræ inquilinos ſe agnoſcunt: nec tantum ad migrandum ſemper parati ſunt, ſed continuo etiam curſu pergunt ad cæleſtem vitam. Jam

Lumbi præcincti, & lucernæ accenſæ.

vero quia tenebris undique obvoluti ſunt quamdiu in mundo verſantur, lucernis eos inſtruit, ut qui noctu facturi ſunt iter. Priore itaque loco currendi ſtrenuitas commendatur: deinde certa directio, ne errando fruſtra ſe fatigent fideles. nam alioqui præſtaret in via claudicare quam temere conficere cæcum iter. Quod ad lumborum cincturam ſpectat, loquutio ex communi Orientalium more ſumpta eſt, qui oblongis utuntur veſtibus.

36. Luc. *Et vos ſimiles.*] Alia ſimilitudine utitur, quam Matthæus ſubticet, qui in hac parte brevior eſt. Se enim comparat patrifamilias, qui dum hilariter epulatur in nuptiis, vel alibi extra domum lætitiæ indulget, vult tamen ſervos ſuos modeſte & ſobrie domi agere, legitimis operis intentos, ac reditum ſuum aſſidue expectantes. Licet ergo Filius Dei in beatam cæli quietem receptus, à nobis abſit: quia tamen cuique ſuum officium injunxit, otioſos dormire abſurdum eſt. Deinde quia ſe ad nos reditutum promiſit, ad eum ſingulis momentis excipiendum paratos ſtare decet, ne ſopitos deprehendat. Nam ſi hoc ſibi deberi exiſtimat mortalis homo, ut quacunque hora domum redierit, præſto ſint ſervi ad occurſum, quanto majori jure hoc à ſuis exigit, ut ejus adventum ſobrii & vigiles ſemper expectent? Quo autem plus addat alacritatis, heros terrenos commemorat iſta ſervorum promptitudine adeo delectari, ut etiam illis miniſtrent: non quod omnibus dominis hoc ſit uſitatum, ſed quia hoc interdum accidit, ut herus qui natura comis & humanus eſt, ſervos tanquam ſodales ad communem menſam admittat.

Epheſ. 5 verſ 8. 1 Theſſ. 5. verſ. 5. 2 Pet 1. verſ. 19.

Quæritur tamen, quum paſſim Scriptura nos vocet filios lucis, & Dominus etiam nobis verbo ſuo præluceat, ut ambulemus tanquam in meridie, quomodo vitam noſtram Dominus conferat nocturnis vigiliis. Sed hujus nodi ſolutio ex Petri verbis petenda eſt, qui verbum Dei lucernæ ardentis inſtar fulgere docet, ut in loco caliginoſo via ſit nobis conſpicua. Ergo utrumque notandum, quod per obſcuras mundi tenebras iter nobis faciendum eſt, & tamen præeunte cæleſtis doctrinæ lucerna ab errandi periculo tuti ſumus, præſertim quum nobis Chriſtus ipſe Solis officium præſtet.

43. Matth. *Illud autem ſcitote.*] Alia ſimilitudine nunc ad ſedulas excubias diſcipulos ſuos hortatur Chriſtus. Nam ſiquis fures noctu graſſari audierit, metus ipſe & ſuſpicio eum dormire non ſinent. Nunc ergo quum de furtivo Chriſti adventu ſimus admoniti, & nominatim hoc prædictum ſit, vigilandum ſemper eſſe, ne dormientibus obrepens cum impiis nos abſorbeat: nulla eſt ignaviæ noſtræ excuſatio: præſertim quum hic neque parietis tantum fractura, neque rerum noſtrarum jactura timenda ſit, ſed lethale vulnus in animæ noſtræ exitium, niſi caveamus. Huc ergo tendunt verba, ut nos Chriſti admonitio expergefaciat: quia tametſi in longum tempus differatur ultimum judicium, ſingulis tamen momentis impendet; ideoque ſuſpecto tempore, & vicino periculo, torpere abſurdum eſt.

45. *Quiſnam eſt fidelis ſervus.*] Diſtinctius hic locus traditur à Luca, ubi Petri interrogatio inſeritur, quæ occaſionem novæ parabolæ dedit. Nam quum Chriſtus in furtivi ſui adventus periculo ignaviæ locum eſſe negaſſet, quæſivit Petrus eſſetne generalis hæc doctrina, an ad duodecim tantum ſpectaret. ſemper enim (ut alibi vidimus) in mentem venire ſolebat diſcipulis, inique ſecum agi niſi exempti à communi ſorte alios omnes longe anteirent. Nunc dum illis proponitur parum optabilis & læta conditio, tanquam attoniti huc & illuc circumſpectant. Huc vero tendit Chriſti reſponſum, ſi quoslibet ex medio vulgo vigilare convenit, multo minus ferendum eſſe ut ſomnolenti ſint Apoſtoli. Quare ſicut in genere prius totam familiam Chriſtus ad vigilem ſui occurſum hortatus fuerat: ſic nunc ſingularem curam à præcipuis ſervis requirit, qui ideo præfecti ſunt reliquis ut ſuo exemplo viam ſobriæ attentionis frugaliſque temperantiæ monſtrent. His verbis admonet non eſſe otioſa dignitate ornatos, ut deliciis ſecure vacent: ſed quo excellentiorem adepti ſunt honoris gradum, eo plus oneris eis incumbere. ideoque ſpecialiter fidem & prudentiam ab illis præſtandam eſſe docet. Hinc diſcant quicunque ad honorificum munus vocati ſunt, ſe magis adſtrictos eſſe, ne defunctorie ſolum operam ſuam impendant: ſed toto ſtudio & induſtria enitantur ad officium præſtandum. Nam quum vulgaribus ſervis ſatis ſit privatæ operæ penſum abſolvere, longius progredi oportet œconomos, quorum munus totius familiæ curam complectitur. Alioqui ingratitudinem illis exprobrat Chriſtus, quod quum delecti fuerint ante alios, honori ſuo non reſpondeant: quorſum enim eos Dominus reliquis præfert, niſi ut omnes ſingulari fide & prudentia ſuperent? Promiſcue quidem omnibus injungitur ſobria & ſedula attentio: ſed in Paſtoribus turpior eſt & minus excuſabilis ſomnolentia. Poſtea etiam ſpe mercedis alacritatem in ipſis excitat.

48. *Quod ſi dixerit ſervus ille malus*] His verbis breviter docet Chriſtus unde malis ſervis obrepat ſecuritas: dum ſcilicet longiore mora confiſi, tenebras ſibi ultro inducunt: diem illum, quo reddenda ſit ratio, fingunt nunquam venturum: denique abſentiæ Chriſti prætextu impunitatem ſibi promittunt. fieri enim non poteſt quin expectatio ejus, quoties nobis occurrit, ſoporem excutiat, ac multo magis laſciviam comprimat, ne improbe efferamur. Itaque nullus exhortationis ſtimulus acrior vel efficacior quam dum illud ſeverum tribunal ſtatuitur in medium, quod nemo effugere poterit. Quare ut ſtrenue quiſque noſtrum ad partes ſuas exequendas invigilet, utque ſedulo & modeſte ſe contineat in ſuis finibus, nobis ſubinde recurrat cogitatio ſupremi illius & inopinati adventus Domini, cujus contemptu reprobi exultant. Obiter etiam admonet Chriſtus quam facile ſit audaciam creſcere, ubi quis ſemel freno excuſſo ad peccandum ſe projecit. Neque enim ſervum modo inducit Chriſtus diſſolutum & nequam, ſed qui contumaciter inſurgit ad turbandam totam domum, & poteſtate ſibi conceſſa proterve abutitur, ſævitiam exercet in conſervos, luxurioſe diſſipat heri ſui bona, non ſine ejus ludibrio. Additur etiam pœna ad terrorem, & ea quidem non vulgaris: quia ſcilicet graviorem pœnam meretur tam effrenis improbitas.

47. Luc. *Ille autem ſervus.*] Huic circumſtantiæ, quæ à ſolo Luca exprimitur, multum ſubeſt ponderis, quod ut quiſque ſciens ac volens in Domini contemptum proſilierit, ita graviore ſupplicio dignus eſt. Comparatio enim ſtatuitur majoris & minoris, in hunc finem, Si ſervus qui imprudentia labitur, pœnam non effugit, quid fiet perverſo & rebelli, qui velut data opera imperium domini ſui conculcat? Tenendum autem memoria eſt, qui regendæ Eccleſiæ præfecti ſunt, eos non ignorantia peccare, ſed perverſe & impie fraudare Dominum ſuum. Hinc tamen generalis doctrina colligi debet, fruſtra ad ignorantiæ patrocinium confugere homines ut ſe à reatu liberent. Nam ſi hoc juris ſibi vendicat mortalis homo, ut de ſua voluntate ſervos velit inquirere, ne quid temere vel confuſe domi geratur: quanto major Filio Dei debetur auctoritas, ut quicunque illi miniſtrant, ſollicite doceri cupiant de ejus mandatis? non prorumpant ſuo arbitrio ad incertas operas, ſed toti pendeant ab ejus nutu? præſertim quum nobis præceperit quid agendum eſſet, ac benigne rogantibus ſemper reſpondeat. Certum eſt ignorantiam noſtram ſupinæ craſſæque negligentiæ ſemper eſſe comitem. Fruſtra quidem hoc aſylum captari videmus, Qui neſciens erravit, culpa vacare:

care :

care: quum ex adverſo pronunciet cæleſtis judex, quamvis tales lapſus levior caſtigatio maneat, non tamen prorſus impunitos fore. Jam vero ſi ne ignorantia quidem excuſat, quam horribilis vindicta conſulto peccantibus impendet, qui contra conſcientiam furioſe ruentes, Deum provocant? Quare ut cuique uberior doctrina contigerit, ita ſimul augetur pœnæ materia, niſi docilitas & obſequium accedat. Unde apparet quam putida ſit & frivola eorum tergiverſatio qui claram Euangelii doctrinam hodie reſpuentes, tali pervicaciæ Patrum inſcitiam obtendunt: quaſi vero ad repellendum Dei judicium ſufficiat ignorantiæ clypeus. Cæterum ut errantium delictis parcatur, eandem veniam ſponte peccantibus concedi minime æquum eſt, quando adverſus Deum deſtinata malitia ferociunt.

48. *Quicunque multum.*] Altera circumſtantia docet Chriſtus, gravius plectendos eſſe diſcipulos ſelectiores, ſi ſpreta vocatione, libidinoſe ad omnem licentiam ſe proſtituant: quia ut quiſque præſtantior eſt, ita plus ſibi commiſſum cogitare debet, atque hac quidem lege ut reddenda ſit olim ratio. Quare ut quiſque noſtrum majoribus donis excellit, niſi tanquam ager majori impenſa excultus proventum uberiorem Domino afferat, magno illi conſtabit vel inutiliter ſuppreſſæ gratiæ vel profanatæ abuſus.

49. *Ignem veni miſſ.*] Ex hac clauſula facile conjicitur hunc unum ex poſtremis Chriſti ſermonibus fuiſſe, nec ſuo tempore à Luca fuiſſe narratum. Senſus autem eſt, ſummam mundi perturbationem advectam eſſe à Chriſto, acſi cælum terræ miſcere vellet. Nam metaphorice Euangelium igni confertur, quia violenter rerum faciem mutat. Quum itaque falſo putarent diſcipuli quietis & dormientibus venturum eſſe Dei regnum, terribile incendium opponit Chriſtus, quo prius orbem flagrare oportet. Quis autem jam tunc apparebant primordia, hinc diſcipulos animat Chriſtus, quia ſentiant præſentem Euangelii virtutem. Quum jam, inquit, fervere incipient magni motus, adeo vos expaveſcere non decet ut ſit hæc potius bonæ fiduciæ materia: ego quidem hunc operæ meæ fructum extare gaudeo. Hoc idem nunc ad ſe transferant omnes Euangelii miniſtri oportet, ut turbato mundo alacrius ad officium ſuum incumbant. Notandum porro eſt, eodem doctrinæ igni (dum promiſcue ardet) conſumi paleas & ſtipulam, aurum vero & argentum purgari.

50. *Sed Baptiſmo habeo baptizari.*] His verbis extremum ſibi actum reſtare aſſerit Dominus, ut ſua morte renovationem mundi conſecret. Quia enim formidabilis erat illa cujus meminit concuſſio, terroris etiam plenum illud humani generis incendium: primitias mox in ſua perſona offerendas eſſe docet, ne deinde grave ſit diſcipulis partem aliquam ſentire. Mortem (ſicut alibi) Baptiſmo comparat, quia carnis interitu ſubmerſi ad tempus filii Dei in vitam paulo poſt reſurgunt, ut mors nihil aliud ſit quam per medias aquas tranſitus. Dicit autem ſe anguſtiis conſtringi donec baptiſmo iſto defunctus ſit, quo ſingulos noſtrum ſuo exemplo tam ad ſubeundam crucem quam ad mortem oppetendam erigat. non quod naturaliter mortem oppetere quiſquam poſſit, vel ullam inclinationem præſentis ſtatus: ſed quia dum cernimus in ulteriore ripa cæleſtem gloriam, beatam & immortalem quietem, earum deſiderio non ſolum patienter mortem ſubimus, ſed cupide etiam rapimur quo fides & ſpes nos trahunt.

MATTH. XXV.	MARC.	LUC.

1. Tunc ſimile erit regnum cælorum decem virginibus, quæ ſumptis lampadibus ſuis exierunt in occurſum ſponſo.
2. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.
3. Quæ erant fatuæ, acceptis lampadibus ſuis non ſumpſerunt oleum ſecum:
4. Prudentes vero ſumpſerunt oleum in vaſis ſuis una cum lampadibus.
5. Tardante vero ſponſo, dormitaverunt omnes ac dormierunt.
6. Porro medio noctis clamor factus eſt, Ecce, ſponſus venit: exite obviam ei.
7. Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ, & apparaverunt lampades ſuas.
8. Fatuæ autem prudentibus dixerunt, Date nobis de oleo veſtro: quia lampades noſtræ extinguuntur.
9. At reſponderunt prudentes, dicentes, Nequaquam: ne non ſufficiat vobis & nobis: ſed ite potius ad eos qui vendunt, & emite vobis ipſis.
10. Porro dum irent emptum, venit ſponſus: & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, clauſaque eſt janua.
11. Poſtea vero veniunt & reliquæ virgines, dicentes, Domine, domine, aperi nobis.
12. At ille reſpondens, ait, Amen dico vobis, non novi vos.
13. Vigilate itaque, quia neſcitis diem neque horam in qua Filius hominis veniet.

Quanquam eodem fere tendit hæc exhortatio quo ſuperior (ut patebit ex clauſula) proprie tamen addita eſt ut fideles ad perſeverantiam confirmet. Noverat Dominus quam propenſa ſit ad mollitiem hominum natura: atque ut plurimum fieri non modo ut langueſcant longo temporis tractu, ſed ſubito faſtidio deficiant. Hunc morbum ut corrigeret, diſcipulos non probe munitos eſſe docuit, niſi tolerantia in longum tempus illis ſuppetat. Ubi cognitus fuerit hic parabolæ finis, non multum in minutis argutiis laborandum erit, quæ nihil faciunt ad Chriſti mentem. Multum ſe torquent quidam in lucernis, in vaſis, in oleo. atqui ſimplex & genuina ſumma eſt, non ſufficere alacre exigui temporis ſtudium, niſi infatigabilis conſtantia ſimul accedat. Hoc autem aptiſſima ſimilitudine exprimit Chriſtus. Paulo ante hortatus fuerat diſcipulos ut per obſcura loca & caliginoſa iter facturi lucernis inſtructi eſſent: ſed quia,

niſi oleum ſuggeratur, paulatim areſcit lucernæ ellychnium, & lumen ſuum amittit, jam dicit Chriſtus aſſidua virtutis ſubminiſtratione opus habere fideles, quæ lumen in eorum cordibus accenſum foveat: alioqui fore ut in medio ſpatio deficiat eorum alacrites.

1. *Simile erit regnum cælorum.*] Hoc nomine ſtatus futuræ Eccleſiæ intelligitur, quæ Meſſiæ auſpiciis colligenda erat. Tam inſigni autem elogio data opera utitur, ne falſo beatæ perfectionis commento ſeſe decipiant fideles. Porro ſimilitudinem ea communi vitæ uſu ſumpſit. Puerilis enim Hieronymi & ſimilium fuit ſpeculatio, qui hoc ad virginitatis laudem traxerunt: quum nihil aliud Chriſto fuerit propoſitum quam tædii moleſtiam levare quæ ex mora ſui adventus concipi poterat. Dicit igitur nihil ſe à nobis exigere quam quod vulgo amicis præſtari ſolet in ſolenni ritu nuptiarum. Uſu autem receptum erat ut virgines (quæ teneræ ſunt ac delicatæ) ſponſum honoris cauſa in thalamum deducerent. Cæterum in eo vertitur ſumma parabolæ, quod non ſatis eſt ad officium ſemel accinctos fuiſſe, & paratos, niſi ad finem uſque duremus.

2. *Quinque prudentes.*] In fine proximi capitis peculiariter Domnus ſapere volebat œconomos: quis æquum eſt ut quoquiſque plus oneris ſuſtinet, & in arduis negotiis verſatur, eo prudentius ſe gerat. nunc autem ab omnibus Dei filiis prudentiam in genere requirit: ne ſcilicet inconſiderate ruendo, Satanæ in prædam ſe exponant. Hanc vero prudentiæ ſpeciem deſignat, ut neceſſariis ſubſidiis ſe inſtruere curent ad peragendum vitæ curſum. Tempus enim quamvis breve, pro impatientiæ noſtræ fervore nimis diu protrahi videtur: deinde ea eſt noſtra inopia, quæ ſubſidiis in ſingula momenta egeat.

5. *Tardante autem ſponſo.*] Quod dormitin à quibuſdam in malam partem trahitur, quaſi fideles una cum aliis ſocordiæ ſe dedant, & indormiant vanitatibus ſeculi, à Chriſti mente & parabolæ contextu prorſus alienum eſt. Probabilius eſſet de morte accipere quæ fideles occupat ante Chriſti adventum. neque enim nunc tantum expectanda nobis eſt ſalus, ſed ubi vita defuncti in Chriſto quieſcimus. Ego tamen ſimplicius accipio de negotiis terrenis, quibus implicari fideles neceſſe eſt quamdiu in carne habitant. Etſi autem nunquam obrepere illis debet regni Dei oblivio, non tamen ſomno inepte confertur occupationum hujus mundi diſtractio. Neque enim ſic intenti eſſe poſſunt in Chriſti occurſum, quin eos vel diſtrahant, vel retardent, vel implicent variæ curæ. Unde fit ut vigilando, ex parte dormiant. Quod ad clamorem ſpectat, metaphorice poſitum eſſe interpretor pro ſubito adventu. Scimus enim, quoties novum aliquid & inopinatum accidit, ſolere homines tumultuari. Clamat quidem Dominus quotidie, brevi ſe venturum: ſed tunc tota mundi machina reſonabit, & terrifica majeſtas ſic implebit cælum & terram, ut non modo ſopitos expergefaciat, ſed mortuos educat è ſepulchris.

8. *Fatuæ autem prudentibus.*] Hic taxatur ſera eorum pœnitentia qui ſuos defectus non ante ſentiunt quam dum præcluſa eſt remediis janua. Nam ideo ſtultitiæ damnantur qui ſibi in longum tempus non provident, quia ſecure in ſua egeſtate ſibi placent, ac mutuæ communicationis tempus ſic prætereunt ut contemnant oblata auxilia. Quia ergo tempeſtive de comparando oleo non cogitant, Chriſtus nimis ſeram notitiam deridens, quas ſtuporis ſui pœnas daturi ſint oſtendit: quod ſcilicet vacuos ſe & aridos ſine profectu animadvertent.

9. *Ne non ſufficiat nobis.*] Scimus ideo varie diſtribui à Domino ſua dona cuique ad propriam menſuram, ut mutuo alii alios juvent, & conferant in commune quod apud ſingulos depoſitum eſt: atque hoc modo ſacram in Eccleſia membrorum connexionem foveri. Sed hic tempus notat Chriſtus quo ſublatis ſarcinis ad ſuum tribunal omnes vocabit, ut reportet quiſque prout in corpore ſuo geſſerit. Merito itaque quam quiſque acceptæ gratiæ partem ſibi repoſuit, viatico comparat, quod pluribus non ſufficeret. Proinde quod mox ſubjicitur, *Ite & emite vobis*, non admonitio eſt, ſed exprobratio: hoc ſenſu, Fuit antehac emendi tempus, quod à vobis negligi non oportuit: proſtabat enim tunc oleum venale, cujus recuperandi ablata eſt facultas. Quanquam hinc ſtulte inferunt Papiſtæ, virtutibus noſtris vel induſtria acquiri perſeverantiæ donum. Nam in verbo Emendi nequaquam pretium notatur: ſicut ex Jeſaia clare patet, ubi Dominus nos ad emendum invitans, nullam compenſationem flagitat, ſed in promptu ſe vinum & lac habere dicit quod gratuito donet. Ergo non alia eſt comparandi ratio quam ut fide recipiamus quod nobis oblatum eſt. Tandem ſequitur januam regni cæleſtis omnibus male providis clauſum iri, quia in medio curſu defecerint. Neque enim hic ſcrupuloſe quærendum eſt quomodo emendi gratia profectas fuiſſe ſtultas virgines dicat Chriſtus: quia non aliud ſignificat quam omnes ab ingreſſu cælorum arcendos eſſe qui in ipſo articulo parati non fuerint. *Jeſa. 55. verſ. 1.*

MATTH. XXV.

31. Quum autem venerit Filius hominis in gloria ſua, & omnes ſancti Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem gloriæ ſuæ.

32. Et congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos alteros ab alteris, ſicut paſtor ſegregat oves ab hœdis.

33. Et ſtatuet oves quidem à dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris.

34. Tunc dicet Rex iis qui à dextris ſibi erunt, Venite benedicti Patris mei: poſſidete regnum paratum vobis ab exordio mundi.

35. Eſurivi enim, & dediſtis mihi edere: ſitivi, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me:

36. Nudus, & operuiſtis me: infirmus, & viſitaſtis me: in carcere eram, & veniſtis ad me.

37. Tunc reſpondebunt ei juſti, dicentes, Domine, quando te vidimus eſurientem, & pavimus: aut ſitientem, & dedimus tibi potum?

38. Quando autem te vidimus hoſpitem, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te?

MARC.

LUC. XXI.

37. Docebat autem interdiu in templo: noctu vero exiens, diverſabatur in monte qui vocatur Olivarum.

38. Et omnis populus diluculo veniebat ad eum, ut in templo eum audiret.

39. Aut

39. Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus
ad te?
40. Et reſpondens Rex, dicet illis, Amen dico vobis, quatenus feci-
ſtis uni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.
41. Tunc dicet & iis qui à ſiniſtris erunt, Diſcedite à me maledicti
in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus.
42. Eſurivi enim, & non dediſtis mihi cibum: ſitivi, & non dediſtis
mihi potum:
43. Hoſpes eram, & non collegiſtis me: nudus, & non operuiſtis
me: infirmus, & in carcere eram, & non viſitaſtis me.
44. Tunc reſpondebunt ei & ipſi, dicentes, Domine, quando te
vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut
infirmum, aut in carcere, & non miniſtravimus tibi?
45. Tunc reſpondebit illis, dicens, Amen dico vobis, quatenus non
feciſtis uni de minimis his, nec mihi feciſtis.
46. Et ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti vero in vitam æternam.

Proſequitur Chriſtus eandem doctrinam; & quod prius deſcripſit ſub parabolis, nunc plane & ſine figuris explicat. Summa eſt: ut ſe fideles ad ſancte recteqne viveodi ſtudium aoiment, debere fidei oculis ad cæleſtem vitam reſpicere, quæ nune abſcondita, ultimo tandem Chriſti adveotu pateſiet. Nam quum pronunciat ſe tunc ſeſſurum in ſolio gloriæ ſuæ, ubi cum Angelis venerit, hanc ultimam revelationem opponit confuſis & incompoſitis terrenæ militiæ agitationibus. acſi dixiſſet, ſe non ideo apparuiſſe ut ſtatim conſtitueret regnum ſuum: itaque ſpe & patientia opus eſſe, ne diſcipulos mora longior debilitet. Unde colligimus boc rurſus eſſe additum ut diſcipuli exempto errore præſentis & ſubitæ felicitatis, meotes ſuas ſuſpenderent uſque ad ſecundum Cbriſti adventum: interea ejus abſentia non conciderent nec labaſcereot. ideo tunc demum ſe Regis nomine inſignem fore dicit. Nam etſi regnum ſuum auſpicatus eſt in terris, & nunc ad Patris dexteram ſedet, ut ſummo imperio gubernet cælum & terram: nondum tamen erectum eſt in bominum conſpectu ſolium illud, unde divina ejus majeſtas longe plenius quam nunc, oltimo die fulgebit. Tunc enim conſtabit ſolidus effectus ejus gloriæ quam nune fide tantum guſtamus. Sedet ergo nune Chriſtus in ſolio cæleſti, quatenus ad frenandos boſtes ac tuendam Eccleſiam ipſum regnare neceſſe eſt: ſed tunc palam, ut perfectum ordinem ſtabiliat in cælo & terra, ut boſtes ſuos proſternat ſub pedibus ſuis, ut fideles ſuos colligat in ſocietatem æternæ & beatæ vitæ, tribunal conſcendet: denique tunc reipſa patebit quorſum illi datum ſit à Patre regnom. Dicit *ſe venturum in gloria ſua:* quia dum verſatus eſt in terris mortalis bomo, ſub contempto ſervi habitu jacebat. Et gloriam vocat ſuam, quam alibi Patri ſuo tribuit, eodem ſenſu: ſimpliciter enim divinam gloriam intelligit, quæ tunc lucebat in ſolo Patre, quum io ipſo eſſet abſcondita.

32. *Et congregabuntur.*] Amplis & magnificis elogiis regnum ſuum extollit, ut aliam felicitatem ſperare diſcant diſcipuli quam animis conceperant. Nam hoc unum illis ſatis erat, liberari gentem ſuam à miſeriis quibus tunc oppreſſa erat, ut conſtaret Deum noo fruſtra fœdus ſuum pepigiſſe cum Abraham & ejus poſteris. Cbriſtus vero longius extendit redemptionis per ſe allatæ fructum: quia totius mundi futurus ſit jodex. Deinde ut fideles ad pie vivendum bortetur, negat illam promiſcue communem fore bonis & malis: quia mercedem quæ otriſque repoſita eſt, ſecum afferet. In ſumma, tunc rite compoſitum fore regni ſui ſtatum pronunciat ubi juſti adepti fuerint coronam gloriæ, improbis vero præmium quod meriti ſunt, ſolutum fuerit. Jam quæ io illum uſque diem differtur ſeparatio hœdorum ab agnis, ſignificat nunc ſceleratos ſanctis & probis eſſe permiſtos, ut vivant una in eodem grege Dei. Ae videtur comparatio hæc ab Ezechiele ſumpta *Eze. 34. verſ. 21.* eſſe, ubi Dominus de bœdorum petulantia conqueritur, qui & cornibus impetunt miſeras oves, & paſcua corrumpunt, & aquam conturbant: ſeque vindicem fore aſſerit. Quare huc tendit Chriſti ſermo, ne fidelibus nimis acerba ſit ſua conditio, ſi nunc cogantur cum hœdis agere, imo duros ab illis inſultus & moleſtias ſuſtineant: deinde ut ſibi caveant ne ipſos quoque inficiat vitiorum contagio: tertio, ut ſciant pie & innoxie vivendo ſe operam non ludere, quia tandem apparebit diſcrimen.

34. *Venite benedicti.*] Tenendum memoria eſt Cbriſti conſilium: vult enim ſuos diſcipulos nunc ſpe contentos eſſe, ut cæleſtis regni fruitionem patienter & quietis animis expectent: deiode vult eos ſerio eniti, nec fatigari io recto curſu. Ad boc poſterius membrum refertur quod cælorum bæreditatem non aliis promittit niſi qui bonis operibus ad palmam ſupernæ vocationis contendunt. Sed antequam de præmio bonotum operum diſſerat, obiter oſtendit ex altiore fonte manare ſalutis initium. Nam *benedictos Patris* vocando, admonet ex gratuito Dei favore ſalutem eorum profectam. Nam Hebræis tantundem valet Benedictus Dei, ac Deo eharus vel dilectus. Adde quod non fideles modo hac loqueodi forma uſi ſunt ad celebrandam Dei gratiam in hominibus: ſed qui à vera pietate degeneres erant, boc tamen priocipium adhuc teouerunt. Ingredere benedicte Dei, dicebat Laban ſervo *Gen. 24. verſ. 31.* Abrahæ. Videmus dictatum fuiſſe illis elogium à natura, quo acceptam Deo referrent bonorum omoium laudem. Quare non dubium eſt quio Cbriſtus ſalutem piorum deſcribens, à gratuito Dei amote incipiat, quo prædeſtinati ſunt ad vitam qui duce Spiritu io hac vita ad juſtitiam aſpirant. Eodem etiam pertinet quod dicit paulo poſt, paratum illis ab initio mundi eſſe regnum, in cujus poſſeſſionem ultimo die mittentur. Quamvis enim excipere promptum ſit, repoſitam fuiſſe mercedem futuris eorum meritis: ſiquis tamen ſine contentione verba expendat, fatebitur tacitam eſſe commendationem gratiæ Dei. Quin etiam Chriſtus non ſimpliciter ad poſſidendum regnum invitat fideles, acſi illud ſuis meritis adepti forent: ſed diſerte exprimit, tanquam hæredibus dari. Notandus tamen eſt alter fiois in quem Dominus reſpexit. quamvis eoim piorum vita nihil aliud ſit quam miſerum ac triſte exilium, ut vix terra eos ſuſtineat: quamvis ſub dura inopia, ſub probris & aliis ærumnis laborent: ut forti & alacri animo ſuperent hæc obſtacula, teſtatur Dominus paratum alibi illis eſſe regnum. Eſt autem non vulgaris exhortatio ad patientiam, dum certo perſuaſi ſunt homines non fruſtra ſe tendere. Ergo ne impiorum ſuperbia, in qua nunc exultant, animos noſtros dejiciat, ne etiam ſpem noſtram debilitent propriæ miſeriæ, nobis ſemper io mentem veniat

niat hærediras quæ nos in cælo manet: quia non ex dubio aliquo eventu pendet, ſed antequam nati eſſemus, nobis divinitus parata eſt. Dico autem, ſingulis electis: quia hic Chriſtus benedictos Patris compellat. Cæterum quod hic tantum *ab exordio mundi paratum fuiſſe regnum* dicitur: alibi vero, *ante cæli & terræ creationem:* in eo nihil eſt abſurdi. Neque enim hic Chriſtus punctum temporis præfigit, quo vitæ æternæ hæreditas deſtinata ſit filiis Dei, ſed tantum ad paternam Dei curam nos revocat, qua nos complexus eſt antequam nati eſſemus; & ſpei noſtræ certitudinem inde confirmat, quod vitam noſtram turbulentæ mundi agitationes labefactare oequeant.

35. *Eſurivi.*] Si hic diſputatio eſſet de ſalutis noſtræ cauſa, oon male colligerent Papiſtæ, nos bonis operibus vitam æternam mereri: ſed quum nihil aliud propoſitum ſit Chriſto, quam ſuos ad bene recteque agendi ſtudium hortari, perperam ex ejus verbis elicitur quid valeant operum merita. Quod in cauſali particula inſiſtunt, infirmum eſt: ſcimus enim non cauſam ſemper, ſed conſequentiam potius notari, quum vita æterna juſtis promittitur. Quanquam alia eſt clarior ſolutio. oeque enim boois operibus mercedem promitti negamus, ſed gratuitam,
2 Tim. 4. verſ. 8. quia ex adoptione pendet. Gloriatur Paulus ſibi repoſitam eſſe coronam juſtitiæ: ſed unde illi fiducia, niſi quia Chriſti membrum erat, qui unicus eſt hæres regni cæleſtis? Reddendam ſibi à juſto judice prædicat coronam illam: ſed unde illud præmium, niſi quia & gratis adoptatus eſt, & juſtitia donatus qua ſumus omnes vacui? Hæc igitur duo teoenda ſunt: vocari fideles ad poſſeſſionem regni cæleſtis, bonorum operum reſpectu, non quia illud promeriti ſint operum juſtitia, vel quod ſibi ejus acquirendi fuerint auctores, ſed quia Deus juſtificat quos prius elegit. deinde quamvis duce Spiritu ad ſtudium juſtitiæ aſpirent, quia tamen Legi Dei nunquam ſatisfaciunt, nullam illis mercedem deberi, ſed mercedem vocari quod gratis donatur. Cæterum non enumerat Chriſtus omnes piæ & ſanctæ vitæ partes: ſed tantum exempli gratia quædam charitatis officia attingit, quibus teſtamur nos Deum colere. Etſi enim hominum charitati præcellit Dei cultus, ideoque potior eſt fides & invocatio quam eleemoſynæ: merito tamen Chriſtus teſtimonia veræ juſtitiæ io medium producit quæ magis apparent. Siquis contemptor Dei, tantum beneficus eſſet erga homines, nihil illi prodeſſet talis miſericordia ad Deum placandum, qui interea jure ſuo fraudatus eſſet. Chriſtus ergo juſtitiæ ſummam in eleemoſynis minime ſtatuit, ſed tanquam à ſignis notioribus oſtendit quid ſit pie & juſte vivere: ut certe fideles non tantum ore profitentur, ſed ſeriis exercitiis probant Deum ſe colere. Quare fanatici homines præpoſtere, hujus loci prætextu, tum ab auditu verbi, tum à ſacræ Cœnæ uſu, & reliquis ſpiritualibus exercitiis ſe ſubducunt: quia eodem colore & fidem, & crucis tolerantiam, & preces, & caſtitatem abjicerent. Atqui nihil minus voluit Chriſtus, quam vivendi regulam quæ continetur duabus Legis tabulis, reſtringere ad ſecundæ tabulæ partem. Stulte etiam monachi & ſimiles rabulæ ſex opera miſericordiæ ſibi finxerunt: quia Chriſtus non plura commemorat. Quaſi vero non ipſis quoque pueris perſpicuum ſit, per ſynecdochen laudari omnia charitatis officia. nam conſolari mœſtos, injuſte oppreſſis ſuccurrere, conſilio juvare ſimplices, eripere miſeros è faucibus luporum, miſericordia eſt non minori laude digna quam nudos veſtire, vel paſcere famelicos. Cæterum etſi Chriſtus charitatem nobis commendans, officia quæ pertinent ad Dei cultum non excludit: admonet tamen ſuos diſcipulos, hanc fore legitimam ſanctæ vitæ probationem ſi ſe in charitate exerceant: ſecundum
Oſee 6:6. illud Prophetæ, Miſericordiam volo, & non ſacrificium. quia ſcilicet hypocritæ, quum avari ſint, & crudeles, & fraudulenti, & rapaces, & ſuperbi, fallaci tamen ceremoniarum pompa ſanctimoniam ſimulant. Unde etiam colligimus, ſi cupimus ſummo Judici probari vitam noſtram, non eſſe vagandum in noſtris figmentis, ſed potius ſpectandum quid ille præcipue à nobis exigat. Nam quicunque ab ejus præceptis diſceſſerint, quantumvis ſudent ac ſe macerent in fictitiis operibus, ultimo tamen die hoc tandem audient, Quis hæc quæſivit è manibus ve- Eſa. 1. verſ. 12.
ſtris?

37. *Tunc reſpondebunt.*] Inducit Chriſtus juſtos dubitantes, qui tamen non ignorant eum ſibi expenſum ferri velle quicquid hominibus tribuitur. Sed quia hoc non ita penitus infixum eſt eorum animis ut decebat, ideo per hypotypoſin repræſentat. Unde enim fit ut ad beneficeotiam adeo tardi ſimus ac remiſſi, niſi quia cordibus noſtris vere non inſidet illa promiſſio, Cum fœnore olim à Deo repenſum iri quod pauperibus largimur? Huc ergo tendit admiratio quam hic ponit Chriſtus, ut diſcamus ſupra captum carnis noſtræ aſſurgere quoties fidem opemque noſtram implorant miſeri fratres, ne contempti hominis aſpectus beneficentiam noſtram retardet.

40. *Amen dico vobis.*] Sicuti nuper ſub figura docuit Chriſtus, ſenſum noſtrum nondum capere quanti ipſe æſtimet charitatis officia: ita nunc aperte pronunciat ſe accepta nobis laturum quæcunque in ſuos impenderimus. Nos vero pluſquam ſocordes eſſe oportet, niſi ex viſceribus noſtris miſericordiam exprimat hæc ſententia, Chriſtum vel negligi, vel coli in eorum perſona qui auxilio noſtro indigent. Itaque quoties ad miſeros juvandos pigreſcimus, veniat nobis Filius Dei aote oculos, cui aliquid negare immane ſacrilegium eſt. His etiam verbis oſtendit, ea ſe demum beneficia agnoſcere quæ gratis nullo præmii intuitu præſtita fuerint. Et certe quum famelicis, & nudis, & hoſpitibus, & captivis bene fieri jubeat, à quibus nulla ſperari poteſt mutua compenſatio: in ipſum reſpicere neceſſe eſt, qui ſe nobis ſponte obſtringit, & quod alioqui perditum videri poſſet, in rationes ſuas patitur referri. Solos autem fideles nominatim hic commendat: non quia velit in totum alios ſperni, ſed quia ut quiſque propius ad Deum accedit, ita nobis charior eſſe debet. nam etſi commune eſt ſocietatis vinculum inter omnes filios Adam, ſanctior tamen filiis Dei inter ſe eſt conjunctio. Ergo quia fidei domeſticos extraneis præferre convenit, peculiariter eos nominat Chriſtus. Quanquam autem illi propoſitum fuit, divites & qui facultatibus pollent ad levandam fratrum inopiam animare: hinc tamen ad miſeros & inopes non vulgaris redit conſolatio, quod licet probroſi ſint & abjecti coram mundo, non ſecus tamen Filio Dei pretioſi ſunt quam propria membra. Et certe fratres appellans, incredibili eos honore dignatur.

41. *Diſcedite à me maledicti.*] Nunc ad reprobos deſcendit, quos ita inebriat caduca ſua proſperitas, ut ſe perpetuo beatos fore ſomnient. Denunciat ergo ſe illis venturum judicem, qui delicias excutiat in quibus nunc ſunt demerſi: non quod terrorem illis injiciat Chriſti adventus (qui ſibi videntur pactum habere cum morte, & ſecuritatis callum ſibi obducunt) ſed ut de horribili eorum exitio admoniti fideles, præſentem illis ſortem non invideant. Nam ut nobis neceſſariæ ſunt promiſſiones, quæ ad recte vivendi ſtudium nos incitent atque erigant: ita & minæ viciſſim, quæ nos contineant in ſollicitudine & metu. Docemur ergo quam optabile ſit conjungi Filio Dei: quia æternus interitus & ignis tormentum eos omnes manet quos à ſe rejiciet ultimo die. Jubebit autem tunc à ſe diſcedere impios, quia multi hypocritæ perinde nunc ſunt juſtis permiſti acſi propinqua illis eſſet cum Chriſto affinitas. Porro alibi diximus, Ignis nomine metaphorice adum-

brari

brari pœnæ atrocitatem, quæ ſenſu noſtro non comprehenditur. Quare ſupervacuum eſt ſubtilius cum Sophiſtis inquirere de hujus ignis vel materia vel forma, nam eadem ratione de verme diſputandum
Jeſa. 66. verſ. 24. eſſet, quem Jeſaias igni conjungit. Adde quod idem alio loco ſatis declarat metaphoricam eſſe loquutio-
Jeſa. 30. verſ. 33. nem: quia Spiritum Dei flabello comparat, quo ignis accenditur: & ſulphur quoque admiſcet. Quare ſub his vocibus futuram in reprobos Dei vindictam concipere oportet, quæ omnibus tormentis gravior, potius horrorem incutiat quam noſcatur. Cæterum notanda eſt ignis perpetuitas, ſicuti gloriæ quæ nuper fidelibus promiſſa eſt. *Qui paratus eſt diabolo.* Diabolum ſibi Chriſtus opponit, tanquam reproborum omnium caput. Etſi enim diaboli omnes ſunt Angeli apoſtatæ, multi tamen Scripturæ loci principatum uni deferunt, qui ſub ſe impios omnes, veluti in unum corpus, ad interitum colligit: ſicuti fideles in vitam ſub Chriſto ſimul coaleſcunt, & ſub eodem creſcunt, donec perfectionem adepti, ſolide per ipſum Deo cohæreant. Jam vero dicit Chriſtus gehennam diabolo paratam eſſe, ne ſe impii eam effugere poſſe confidant: dum audiunt in idem ſupplicium cum diabolo ſe conſtringi, quem certum eſt ſine ulla ſpe liberationis, gehennæ pridem mancipatum eſſe & addictum. Quanquam autem per Angelos diaboli, quidam homines impios intelligunt, magis tamen probabile eſt de ſolis dæmonibus Chriſtum loqui. Atque ita ſub his verbis ſubeſt tacita exprobratio, quod homines ad ſpem ſalutis per Euangelium vocati, cum Satana perire maluerint, & rejecto ſalutis auctore in hanc miſeram ſortem ſponte ſe conjecerint. non quod minus ipſi ad exitium deſtinati ſint quam diabolus: ſed quia in eorum ſcelere palam apparet exitii cauſa, dum vocationis gratiam reſpuunt. Quamvis itaque arcano Dei judicio reprobi jam antequam naſcantur morti devoti ſint, quamdiu tamen offertur illis vita, non cenſentur mortis hæredes, vel Satanæ ſocii: ſed ab incredulitate emergit ac detegitur eorum perditio, quæ prius abſcondita erat.

44. *Tunc reſpondebunt & ipſi.*] Eadem hypotypoſis qua ante uſus fuerat Chriſtus, nunc quoque repetitur: ut ſciant reprobi, nihil ſibi ultimo die profuturos inanes prætextus quibus ſe nunc decipiunt. Unde enim tam crudelis ſuperbia in pauperes, niſi quia impune ſe putant eos contemnere? Ergo ut tales blanditias illis excutiat Dominus, olim (ſed nimis ſero) ſenſuros admonet quod nunc reputare non dignantur: qui nunc ſcilicet tam abjecti videntur, Chriſto non minus pretioſos eſſe quam propria membra.

MATTH. XXVI.

1. Et factum eſt quum conſummaſſet Jeſus omnes hos ſermones, dixit diſcipulis ſuis,

2. Scitis quod poſt biduum Paſcha fit: & Filius hominis traditur ut crucifigatur.

3. Tunc congregati ſunt principes Sacerdotum, & Scribæ, & Seniores populi in atrium principis Sacerdotum, qui dicebatur Caipha.

4. Et conſilium inierunt ut Jeſum dolo caperent, & occiderent.

5. Dicebant autem, Non in die feſto, ne tumultus fiat in populo.

6. Quum autem Jeſus eſſet Bethaniæ, in domo Simonis leproſi,

7. Acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum unguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis.

8. Videntes autem diſcipuli, indignati ſunt, dicentes, Ad quid perditio hæc?

9. Potuit enim iſtud unguentum venundari magno, & dari pauperibus.

10. Hoc autem cognito, ait illis Jeſus, Quid moleſti eſtis mulieri? opus enim bonum operata eſt erga me.

11. Nam ſemper pauperes habetis vobiſcum: me vero non ſemper habetis.

12. Quod enim hæc unguentum hoc miſit ſuper corpus meum, ad ſepeliendum me fecit.

13. Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, narrabitur etiam in ejus memoriam quod ipſa fecit.

MARC. XIV.

1. Erat autem Paſcha, & Azymorum dies *futuri* poſt biduum: & quærebant ſummi Sacerdotes & Scribæ quomodo eum per dolum comprehenſum occiderent.

2. Dicebant autem, Non in die feſto, ne tumultus fiat populi.

3. Et quum eſſet Bethaniæ in domo Simonis leproſi, accumbente eo, venit mulier habens alabaſtrum unguenti nardi piſticæ pretioſæ: & comminuto alabaſtro effudit illi, in caput.

4. Erant autem quidam qui indignarentur apud ſeſe, ac dicerent, Ad quid perditio hæc unguenti?

5. Nam poterat hoc vendi pluris quam trecentis denariis, ac dari pauperibus. Et infremuerunt adverſus illam.

6. At Jeſus dixit, Sinite illam: cur illi moleſti eſtis? bonum opus operata eſt erga me.

7. Semper enim pauperes habetis vobiſcum, & quandocunque volueritis, poteſtis illis benefacere: me vero non ſemper habetis.

8. Quod habuit hæc, fecit: prævenit ut ungeret meum corpus ad ſepulturam.

9. Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit Euangelium hoc in toto mundo, etiam hoc quod fecit hæc, dicetur in memoriam ipſius.

LUC. XXII.

1. Inſtabat autem dies feſtus Azymorum qui dicitur Paſcha.

2. Et quærebant principes Sacerdotum & Scribæ quomodo eum interficerent. timebant enim plebem.

Nunc

Nunc rurſus confirmat Chriſtus quod diſcipulis aliquoties fuiſſe ab eo prædictum vidimus: ſed hæc ultima prædictio clarius oſtendit quam voluntarius ſe ad mortem offerret. idque neceſſe fuit, quia niſi obedientiæ ſacrificio placari Deus non poterat. Simul etiam occurrere ſcandalo voluit, ne diſcipuli, neceſſitate coactum trahi ad mortem putantes, deficerent. Ita duplex fuit hujus ſententiæ uſus. primo, ut teſtatum fieret, ſponte ad mortem Filium Dei deſceodere, ut mundum reconciliaret Patri (quia neque aliter expiari poterat ſcelerum reatus, vel acquiri nohis juſtitia) deinde non mori tanquam violentia oppreſſum, quam effugere ooo poſſet: ſed quia ultro ſe morti objiceret. Proounciat igitur ſe conſulto Hieroſolymam venire, ut mortem illic oppetat. nam quum liberum eſſet retrocedere, & in tuto receſſu tranſigere tempus illud, in ipſo articulo ſciens ac volens procedit in medium. Quanquam autem nihil tunc diſcipulis profuit de obſequio quod Patri præſtabat eſſe admonitos, poſtea tamen hac doctrina oon vulgariter ædificata fuit eorum fides. Sicuti etiam hodie non mediocris inde utilitas ad nos redit: quia tanquam in vivo ſpeculo proponitur nobis ſpontaneum ſacrificium, quo deletæ ſunt omnes mundi transgreſſiones: & Filium Dei, alacriter & intrepide ad mortem pergeodo, jam mortis victorem conſpicimus.

3. *Tunc congregati ſunt.*] Non intelligit Matthæus io ipſo biduo fuiſſe congregatos: ſed hanc hiſtoriam inſerit, Chriſtum non humanitus edoctum fuiſſe ut diem morti ſuæ præfigeret. quibus enim conjecturis huc adduci potuit, quum ipſis hoſtibus in animo eſſet tempus differre? Senſus ergo eſt, Spiritu Prophetico loquutum eſſe de morte ſua, quum nemo ſuſpicari poſſet tam prope inſtare. Porro Joannes exponit qua de cauſa conventum hunc habueriot Scribæ & Sacrifici: quia ſcilicet major in dies populi concurſus ad Chriſtum fieret. Ac tunc quidem hortatu Caiaphæ decretum fuit è medio tollendum eſſe, quia niſi morte extinctus vinci noo poſſet: ſed non viſa eſt matura opportunitas, donec præterito die feſto dilapſa eſſet turba. Hinc colligimus, quantumvis cupide famelici illi canes inhiarent Chriſti morti, imo quantumvis rabioſe ad eam ſe proriperent, fuiſſe tamen arcano Dei freno conſtrictos, ut nihil eorum conſilio vel arbitrio actum ſit. Quantum in ſe eſt expectant aliud tempus: Deus vero ipſis nolentibus horam accelerat. Ac magnopere noſtra refert hoc tenere, Chriſtum non hoſtium ſuorum libidine temere abreptum fuiſſe ad mortem, ſed divinitus adductum: quoniam in eo fundata eſt propitiationis fides, Deo litatum eſſe ea victima quam ab initio ordinaverat. Ideoque voluit ipſo die Paſchæ Filium ſuum immolari, ut vetus figura unico æternæ redemptionis ſacrificio cederet. Quibus nihil aliud erat propoſitum quam Chriſtum obruere, tempus aliud magis idooeum viſum eſt: at Deus, qui eum expiandis peccatis in victimam deſtinaverat, diem proprium elegit, qui corpus umbræ ſuæ conjunctim opponeret. Unde nunc quoque clarius nobis refulget paſſionis Chriſti fructus.

6. *Quum eſſet Bethaniæ.*] Quod nunc Euangeliſta narrat, paulo ante acciderat quam Chriſtus Hieroſolymam veniret. ſed hic tempeſtive inſeritur, ut ſciamus quænam repente occaſio Sacerdotes ad feſtinandum impulerit. Chriſtum aperta vi aggredi non audebant: dolo autem opprimere non adeo facile erat. Nunc dum inſperata ratio à Juda præter ſpem offertur, ipſa agendi facilitas ad aliud conſilium eos rapit. Quod autem Joannes in hac hiſtoria paululum à Matthæo & Marco diverſus eſt, facile diluitur abſurditas, quæ interpretes quoſdam perperam induxit ut aliam hiſtoriam eſſe fingerent. Nomen molieris quæ Chriſtum unxit, quod duo noſtri Euaogeliſtæ ſubticent, à Joanne exprimitur. Hominis vero qoi Chriſtum convivio excepit nulla fit mentio, quum diſerte commemorent Matthæus & Marcus eum tunc apud Simonem leproſum cœnaſſe. Quod autem Joannes dicit unctos fuiſſe pedes, noſtri autem caput, in eo nulla eſt repugnantia. Scimus certe unguenta non fuiſſe projecta ad pedes: ſed quum ſolito uberior copia tunc effuſa eſſet, Joannes, amplificandi cauſa, pedes ipſos rigatos fuiſſe tradit. Marcus etiam refert, fracto alabaſtro totum unguentum fuiſſe ſuper caput effuſum. Quare optime convenit uſque ad pedes fluxiſſe. Ergo hoc fixum maneat, eandem ab omoibus hiſtoriam referri.

8. *Videntes diſcipuli.*] Hoc quoque Euangeliſtis non eſt inſolitum, quod ab uno auctore profectum eſt, pluribus tribuere, ſi illorum conſenſus acceſſerit. Joannes à Juda Chriſti proditore ortum fuiſſe murmur dicit, Matthæus & Marcus diſcipulos omnes ſimul cum eo involvunt: nempe quia nemo ex aliis obſtrepere unquam auſus fuiſſet, niſi impia Judæ obtrectatio inſtar facis eos accendiſſet. Ubi autem ſpecioſo colore cœpit ille damnare ſuperfluam impenſam, facile ad omnes pervaſit contagio. Atque hoc exemplo docemur quantum periculi ſit à malignis & virulentis linguis. Nam qui natura æqui ſunt & candidi & modeſti, niſi prudenter ſibi caveant, ſiniſtris tamen ſermonihus decepti, ad iniqua judicia facile labuotur. Quod ſi Chriſti diſcipulos levis & ſtulta credulitas ſocietate Judæ implicuit: quid nohis accidet, ſi ſuſurrones, quibus recte facta maligne carpere ſolenne eſt, nimia facilitate admittimus? Altera etiam hinc colligi debet admonitio, ne temere pronuociemus de re non ſatis comperta. Arripiunt diſcipuli quod à Juda dictum eſt: & quia prætextu noo caret, judicium male præcipitant. Atqui decebat propius inquirere an repreheoſione dignum eſſet factum: præſertim quum adeſſet magiſter, cujus ſtandum erat judicio. Sciamus ergo præpoſtere ferri ſententiam niſi præeunte Dei verbo: quia nemo noſtrum (ut docet Paulus) ſibi vivit aut moritur; ſed omnes ſiſti oportet ad Chriſti tribunal, ubi reddenda erit ratio. *Rom. 14. verſ. 10. 2 Cor. 5. verſ. 10.* Quanquam autem inter Judam & teliquos magnum fuit diſcrimen, quod ille perfide plauſibilem fucum furto ſuo obduceret, alios autem impelleret ſtulta ſimplicitas: videmus tamen ut ipſos à Chriſto abductos ſua imprudentia Judæ copulaverit.

10. *Quid moleſti eſtis.*] Mirum eſt cur Chriſtus, cujus tota vita temperantiæ & frugalitatis regula fuit & exemplar, immodicum ſumptum nunc probet, quem luxui & ſupervacuis deliciis affinem fuiſſe apparet. Sed notandum eſt defenſionis genus quo utitur. neque enim mulierem recte feciſſe pronunciat, quaſi idem quotidie fieri velit: ſed quod ſemel ab ea factum erat, Deo gratum eſſe teſtatur, quia ſic ob juſtam cauſam fieri oportuerit. Quanquam ergo unguenti uſum Chriſtus minime appeteret, hæc tameo illi unctio propter circumſtantiam placuit. Unde colligimus, ſingularia quædam officia interdum probari Deo, quæ tamen in exemplum trahi non decet. Nec vero dubium eſt quin occulto Spiritus ioſtinctu Maria ad Chriſtum ungendum proſilierit: ſicuti certum eſt, quoties ad opus aliquod extraordinarium vocati ſunt ſancti, inſolito motu fuiſſe impulſos, nequid niſi duce & rectore Deo tentarent. Nullum extitit mandatum quod Mariæ hanc unctionem injungeret, nec ſane opus fuit de opere uno legem præſcribi: ſed quia cæleſtis vocatio unicum eſt rite agendi principium, & à Deo reſpuitur quicquid à ſeipſis ſuſcipiunt homines, afflatu Spiritus gubernata fuit Maria, ut certa fiducia Chriſto hoc officium præſtaret. Cæterum hoc Chriſti reſponſo non taotum defenſa fuit mulieris unius cauſa, ſed aſſerta fuit ſancta omnium gloriatio, quibus ſufficit ſe & ſua opera Deo probari. Sæpe continget oon modo

per-

perſtringi, ſed palam quoque damnari injuſte pios homines, qui tamen ſibi probe conſcii ſunt nihil ſe niſi ex Dei juſſu agere. atque hoc ſuperbiæ tribuitur, ſi perverſa mundi judicia ſpernentes, ſola Dei approbatione contenti ſint. Quoniam hæc dura eſt tentatio, & fieri vix poteſt quin pravus multorum conſenſus nos percellat: tenenda eſt hæc doctrina, nullos unquam ad bene agendum conſtanter fore animatos, niſi à ſolo Dei nutu pendeant. Ideo Chriſtus diſcrimen bonorum & malorum hic ad ſuum unius arbitrium revocat. nam quum bonum opus mulieris eſſe affirmat, quod jam damnatum erat à diſcipulis, hac voce compeſcit hominum temeritatem, qui judicandi licentiam ſibi indulgent. Quare & nos hoc elogio freti, diſcamus ſecure floccipendere quicunque de nobis ſpargentur in mundo rumores: modo ſciamus, quod homines damnant, Deo probari. *Jeſa. 50. verſ. 7.* Sic Jeſaias impiis calumniis oppreſſus, Deum appellat ſponſorem. ſic & Paulus ad diem ejus provocat. *2 Cor. 4. verſ. 3.* Diſcamus ergo non ultra hominum judiciis deferre quam ut noſtro exemplo ædificentur in obſequium Dei: & quum magno ſtrepitu mundus contra nos inſurrexerit, hoc nobis ſolatium ſufficiat, quod in terra malum cenſetur, bonum è cælo pronunciari.

11. *Pauperes ſemper habetis vobiſcum.*] Non defendit ſimpliciter Chriſtus unctionem ut eam imitemur, ſed admonet Deo ob cauſam placere. Quod prudenter attendere convenit, ne una cum Papiſtis ſumptuoſos Deo cultus præpoſtere fingamus. nam quum audirent voluiſſe Chriſtum ungi à Maria, putarunt ſuffitu, cereis, magnifico ornatu, & ſimilibus pompis oblectari. hinc tantus in eorum ceremoniis ſplendor: nec ſe legitimos Dei cultores fore confidunt niſi in ſumptibus profuſi ſint. Atqui hic clare excipit Chriſtus, quod tunc ſemel fieri voluit, ſibi in poſterum minime gratum fore. Nam quum pauperes ſemper in mundo fore dicit, inter quotidianum cultum diſtinguit, cujus vigere debet uſus inter fideles; & illum extraordinarium, qui ceſſavit ab ejus in cælum aſcenſu. Volumusne pecuniam bene locare in vera ſacrificia? pauperibus erogemus. nam ſe nobiſcum eſſe Chriſtus negat, ut externis pompis colatur. Scimus certe, adeoque fidei experientia ſentimus, virtute & gratia ſpirituali nobis eſſe præſentem: ſed viſibilis nobiſcum non verſatur ut terrenos honores à nobis recipiat. Quare veſana eſt eorum obſtinatio qui ludicras impenſas invito & recuſanti obtrudunt. Porro quod ſemper pauperes fore dicit, hinc colligimus non fortuito multos egere, ſed certo Dei conſilio nobis offerri in quibus ſe charitas noſtra exerceat. Hujus loci ſumma eſt, licet Dominus nos & noſtra omnia ſibi dicari jubeat, non tamen quoad ſe alium quam ſpiritualem cultum exigere, qui nullis impenſis conſtat: ſed potius velle in pauperes erogari quæ ſtulte ad eum colendum impendit ſuperſtitio.

12. *Ad ſepeliendum me fecit.*] Confirmat his verbis Chriſtus quod diximus, pretioſum unguentum non odore ſuo, ſed tantum ſepulturæ reſpectu gratum eſſe: quia ſcilicet hoc ſymbolo teſtatum eſſe voluit odoriferum fore ſuum ſepulchrum, ut vitam & ſalutem in totum mundum ſpiravit. Ideo apud Joannem laudatur Maria quod unguentum illud ſervaſſet in diem ſepulturæ. Poſtquam vero extitit ſolida hujus figuræ veritas, & Chriſtus è ſepulchro egrediens, non domum unam, ſed totum mundum vivifico mortis ſuæ odore perfudit: puerile eſſet repetere quod ratione & fructu careret.

13. *Ubicunque prædicatum.*] Honori fore hoc officium Mariæ prædicit, quia laudabitur Euangelii doctrina. Unde colligimus, pretium operibus noſtris ſtatui non ex hominum opinione, ſed verbi Dei teſtimonio. Quod vero in toto mundo honorificam ejus memoriam fore dicit, hac comparatione oblique ſuos diſcipulos perſtringit: quia gentium omnium conſenſu apud exteros & in remotis mundi plagis factum hoc laudabitur, in quo damnando tantopere moroſi fuerant ipſi domeſtici. Blande etiam diſcipulos caſtigat Chriſtus, quia parum honorifice de futuro regno ſuo ſentiant. ſed interim hac voce teſtata fuit Gentium vocatio, in qua fundata eſt ſalus noſtra. Cæterum quomodo in toto mundo prædicandum Euangelium fuerit, diximus cap. 24.

MATTH. XXVI.

14. Tunc abiit unus è duodecim, qui dicebatur Judas Iſcariotes, ad principes Sacerdotum:

15. Et ait illis, Quid vultis mihi dare, & ego vobis tradam illum? At illi conſtituerunt ei triginta argenteos.

16. Et ex eo tempore quærebat opportunitatem ut eum traderet.

17. Cæterum primo die Azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum, dicentes ei, Ubi vis paremus tibi ad edendum Paſcha?

18. At ille dixit, Ite in urbem ad quendam, & dicite ei, Magiſter dicit, Tempus meum prope eſt: apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis.

19. Et fecerunt diſcipuli ſicut conſtituit illis

MARC. XIV.

10. Et Judas Iſcariotes, unus è duodecim, abiit ad ſummos Sacerdotes ut proderet eum illis:

11. Quo audito illi gaviſi ſunt, & polliciti ſunt ei pecuniam ſe daturos. & quærebat quomodo opportune illum traderet.

12. Ac primo die Azymorum quum Paſcha immolarent, dicunt illi diſcipuli ſui, Quo vis ut eamus, & paremus ut edas Paſcha?

13. Et emittit duos è diſcipulis ſuis, & dicit illis, Ite in urbem, & occurret vobis homo hydriam fictilem aquæ plenam bajulans: ſequimini illum.

14. Et quocunque ingreſſus fuerit, dicite patrifamilias, Magiſter dicit, Ubi eſt diverſorium ubi Paſcha cum diſcipulis meis edam?

15. Et ille vobis oſtendet triclinium magnum ſtratum, paratum: illic parate nobis.

LUC. XXII.

3. Intravit autem Satanas in Judam cui cognomen erat Iſcariotes, unum è duodecim.

4. Et abiit & loquutus eſt cum principibus Sacerdotum ac Magiſtratibus, quemadmodum illum traderet ipſis.

5. Et gaviſi ſunt, ac pacti ſunt ſe illi pecuniam daturos.

6. Et ille ſpopondit: quærebatque opportunitatem ut traderet eum ipſis ſine turba.

7. Venit autem dies Azymorum, in qua neceſſe erat immolari Paſcha.

8. Et miſit Petrum ac Joannem, dicens, Euntes, parate nobis Paſcha ut edamus.

9. At illi dixerunt ei, Ubi vis paremus?

10. Et dixit illis, Ecce introëuntibus vobis in urbem occurret homo vas aquæ teſtaceum portans: ſequimini eum in domum in quam intrabit.

11. Et dicetis patrifamilias domus,

Jeſus, & paraverunt Paſcha.

20. Veſpere autem facto, diſcubuit cum duodecim.

16. Et exierunt diſcipuli ejus, & venerunt in civitatem, & repererunt quemadmodum dixerat illis, paraveruntque Paſcha.

17. Et quum veſpera jam eſſet, venit cum duodecim.

mus, Dicit Magiſter, Ubi eſt diverſorium ubi Paſcha cum diſcipulis meis edam?

12. Et ipſe oſtendet vobis cœnaculum magnum ſtratum: ibi parate.

13. Euntes autem invenerunt ſicut dixerat illis, & paraverunt Paſcha.

14. Et quum jam eſſet tempeſtivum, accubuit, ac duodecim Apoſtoli cum eo.

Ad flectendum cor Judæ, vel in melius corrigendum, adeo nihil profuit Chriſti admonitio, ut ſecure ſtatim ad tractandum cum hoſtibus nefarium pactum tranſierit. Mirus autem ac prodigioſus fuit ſtupor, quod in jactura unguenti honeſtam tanto ſceleri excuſationem ſe nactum putavit: deinde quod verbis Chriſti admonitus, non ſenſit quid ageret. Sola mentio ſepulturæ ferreum cor mollire debuerat: quum inde colligere promptum eſſet, Chriſtum ſe pro ſalute humani generis in victimam offerre. Sed in hoc ſpeculo perſpicimus quanta ſit malarum cupiditatum cæcitas, & quam efficaciter mentem faſcinent. Furandi deſiderio ardebat Judas, longo uſu ad flagitium obduruerat: nunc quia aliunde præda non occurrit, Filium Dei vitæ auctorem perfide in mortem tradere non dubitat: &, quamvis ſancta admonitione retractus, violenter proſilit. Quare non abs re Lucas nominatim exprimit, Satanam in eum intraſſe, non quod Dei Spiritus ipſum ante regeret (quia furtis & rapinis, niſi Satanæ fuiſſet mancipium, addictus eſſe non potuit) ſed intelligit Lucas, tunc Satanæ penitus in poſſeſſionem fuiſſe traditum, ut deſperatus in exitium ſuum rueret. Nam etſi ad quotidianos lapſus nos impellit Satan, regnat autem in nobis dum ad majorem peccandi licentiam abripit: dicitur tamen in reprobos demum intrare, quum everſo Dei metu, extincta rationis luce, pudore etiam excuſſo, ſenſus omnes occupat. Hoc vero extremum vindictæ genus non in alios Deus exerit, niſi qui jam exitio devoti ſunt. Quare diſcamus mature reſipiſcere, ne longior noſtra durities Satanæ regnum in nobis ſtabiliat. nam ſimulac in hanc tyrannidem conjecti fuerimus, nullus inſaniendi modus erit. Præcipue notandum eſt, avaritiam in Juda tantæ excæcationis fuiſſe cauſam & fontem. unde apparet, merito
1 Tim. 6. vers. 10. à Paulo vocari malorum omnium radicem. Porro hic quærere an ſubſtantialiter Satanas in Judam intraverit, frivola ſpeculatio eſt. Hoc magis expendere convenit quam horribile ſit portentum, homines, ad imaginem Dei conditos, & Spiritui ſancto in templa deſtinatos, non modo in fœtida ſtabula vel cloacas converti, ſed fieri maledicta Satanæ domicilia.

17. *Primo die Azymorum acceſſerunt.*] Quæritur primo cur dies azymorum vocetur qui agni immolationem præcedit. Neque enim fermentum ceſſare Lex jubebat, donec agno veſcerentur. Sed hujus nodi facilis ſolutio eſt, quod ſcilicet hæc notatio refertur ad diem ſequentem: ſicuti ex Marco & Luca ſatis liquet. Quum ergo inſtaret dies mactandi & edendi Paſchatis, cujus initium erat à veſpere, rogant Chriſtum diſcipuli ubinam Paſcha edere velit. Difficilior autem inde naſcitur quæſtio, quod Chriſtus pridie ritu illo defunctus eſt quam tota gens publicum Paſcha celebraret. Aperte enim aſſerit Joannes, dum crucifixus eſt, fuiſſe Judæis paraſceven, non Sabbathi, ſed Paſchæ. Deinde non ingreſſos eſſe Prætorium, ne ſe pollucrent, quia poſtridie manducaturi erant Paſcha. Scio à nonnullis quæri ſuffugia, ſed quæ minime eos expediunt. neque enim ullis cavillis eludi hoc poteſt, quo die Chriſtum crucifixerunt, non egiſſe diem feſtum (quo fas non fuiſſet ſupplicium de aliquo ſumere) & tunc ſolennem fuiſſe apud eos præparationem, ut ſepulto demum Chriſto Paſcha ederent. Nunc quæritur quomodo Chriſtus anteverterit. neque enim quicquam præter Legis præſcriptum ſibi in hoc ritu permiſit. Quod ſtudio Chriſti perdendi Paſcha à Judæis fuiſſe dilatum quidam putant: ſcite hoc commentum à Bucero refellitur, imo ſua vanitate concidit. Ego itaque non dubito quin & legitimus dies à Chriſto ſervatus fuerit, & Judæi receptum pridem uſum ſequuti ſint. Primo extra controverſiam eſt, pridie Sabbathi occiſum fuiſſe Chriſtum: quia ante Solis occaſum in vicino ſepulchro celeriter fuit conditus, eo quod poſt veſperum feriari neceſſe erat. Jam vero nemini dubium eſt, vetuſta obſervatione, quum Paſcha & alii dies feſti in diem Veneris inciderent, rejectos fuiſſe in diem poſterum: quia populo nimis duræ fuiſſent continuæ bidui feriæ. Legem hanc proditam fuiſſe Judæi affirmant ſtatim poſtquam ab exilio Babylonico reverſus eſt populus: & quidem cæleſti oraculo, ne quid videantur temere in Dei præceptis mutaſſe. Quod ſi tunc moris fuit duos in unum dies feſtos conjungere (ut Judæi quoque fatentur, & ex vetuſtis eorum monumentis conſtat) ſatis probabilis eſt conjectura, Chriſtum qui pridie Sabbathi Paſcha celebravit, præfixum à Lege diem ſervaſſe. Scimus enim quam ſedulo curaverit ne ab ullo Legis apice diſcederet. Nam quum Legi obſtrictus eſſe voluerit, ut nos ab illius jugo eximeret, hujus ſubjectionis in ſummo articulo minime fuit oblitus. Itaque uſum externæ ceremoniæ omittere maluiſſet quam injunctum divinitus mandatum transgredi, atque ita ſe impiorum calumniis exponere. Certe ne Judæi quidem ipſi inficias eunt, quoties Sabbatho contiguum erat Paſcha, unas tantum ferias fuiſſe ſervatas: idque à Rabbinis fuiſſe inſtitutum. Unde ſequitur, Chriſtum, quum diſcederet à communi more, nihil tentaſſe præter Legem.

18. *Ite in urbem ad quendam.*] Matthæus certum hominem deſignat: reliqui duo miſſos fuiſſe diſcipulos narrant quaſi ad ignotum: quia datum illis ſignum fuerit hominis hydriam aquæ geſtantis. Sed facile hæc diſcrepantia conciliatur: quia Matthæus, præterito miraculo, eum hominem notat qui tunc agnitus fuit à diſcipulis. neque enim dubium eſt, poſtquam domum venerunt, repertum ab illis fuiſſe unum aliquem ex ſuis familiaribus. Nam & Chriſtus illi pro ſuo jure mandat ut ſibi ac ſuis hoſpitium paret, Magiſtrum ſe nominans: & ille protinus obſequitur. Cæterum quamvis hominem poſſet ſuo nomine exprimere, miraculo tamen diſcipulos ſuos dirigere ad eum maluit: ut quum exinanitum paulo poſt viderent, hoc tamen documento fulfulta ipſorum fides ſtaret. Neque enim hæc levis erat confirmatio, quod paucis ante horis quam ad mortem raperetur, Deum ſe manifeſto indicio teſtatus fuerat: ut ſcirent non neceſſitate ipſum cogi, ſed ſponte cedere. Quinquam autem in ipſo perturbationis momento nihil forte hoc eis profuit, memoria tamen poſtea fuit utilis. Sicuti hodie quoque ad ſuperandum crucis ſcandalum hoc noſtra ſcire refert, ſimul cum infirmitate carnis in Chriſto Deitatis gloriam apparuiſſe ſub ipſum mortis tempus. *Tempus meum prope eſt.*

Digitized by Google

eſt. Quanquam rite ex Legis præcepto Paſcha celebraret, videtur tamen conſulto hanc cauſam adducere ut moroſitatis culpam diluat. Sibi ergo feſtinandi cauſam eſſe dicit quominus ſe receptæ conſuetudini accommodet, quia ad majus ſacrificium vocetur. Interim tamen, ut diximus, in ceremonia nihil novat. Toties vero inculcat propinquum eſſe mortis tempus, ut ſciant ſponte ipſum properare ad gerendum morem Patris decreto. Quod autem umbratile ſacrificium vero conjunxit, hoc modo fideles hortatus eſt ut quod re ipſa implebat cum veteribus figuris conferrent. Nam hæc comparatio vim & effectum mortis ejus non parum illuſtrat. neque enim Paſcha in hunc tantum finem injunctum fuit Judæis ut antiquæ liberationis eſſent memores, ſed ut futuram (& quidem potiorem) à Chriſto ſperarent. Huc
1 Cor. 5. vers. 7. ſpectat Pauli ſententia, Chriſtum Paſcha noſtrum eſſe immolatum, &c.

19. *Fecerunt ſicut injunxerat.*] Quod diſcipuli prompto animo obtemperant, in eo notanda eſt pia eorum docilitas. Succurrere enim poterat dubitatio, quum hominem ignotum ſequuti eſſent, an eſſent à patrefamilias impetraturi quod magiſtri ſui juſſu petebant, quum ſcirent paſſim non modo contemptum, ſed etiam exoſum eſſe. Atqui non anxie inquirunt de eventu, ſed imperio placide obediunt. Atque hæc nobis regula tenenda eſt, ſi fidem noſtram probare cupimus, ut ſolo præcepto contenti, pergamus quo Deus jubet: ac ſperantes quem promittit ſucceſſum, ne ſimus nimis ſolliciti.

20. *Veſpere autem facto, diſcubuit.*] Non ut ederet Paſcha, quod ſtando fieri oportuit (ſicut viatores, dum properant, calceati & cum baculo ſolent raptim cibum ſumere) ſed peracto ſolenni ritu, ut cœnaret diſcubuiſſe interpretor. Ideo dicunt Euangeliſtæ, *Veſpere facto*: quia primo veſpere mactabant agnum, & carnem ejus aſſam edebant.

MATTH. XXVI.

21. Et edentibus illis, dixit, Amen dico vobis quod unus veſtrum me proditurus eſt.

22. Et mœſti redditi vehementer, cœperunt ſinguli dicere ei, Numquid ego ſum, Domine?

23. At ipſe reſpondens, ait, Qui intinxit mecum manum in patina, hic me proditurus eſt.

24. Filius quidem hominis vadit ſicut ſcriptum eſt de illo: væ autem homini illi per quem Filius hominis proditur. bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille.

25. Reſpondens autem Judas qui tradidit eum, dixit, Numquid ego ſum, Rabbi? Dixit ei, Tu dixiſti.

MARC. XIV.

18. Et diſcumbentibus illis ac edentibus, dixit Jeſus, Unus ex vobis me proditurus eſt, qui edit mecum.

19. At illi cœperunt mœrore affici, & quiſque eorum ei dicere, Num ego? Et alius, Num ego?

20. Ille vero reſpondens, dixit illis, Unus è duodecim, qui intingit mecum in patinam.

21. Filius quidem hominis vadit ſicut ſcriptum eſt de illo: ſed væ homini illi per quem Filius hominis proditur. bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille.

LUC. XXII.

15. Et ait illis, Deſiderio deſideravi hoc Paſcha comedere vobiſcum antequam patiar.

16. Dico enim vobis, Poſthac non edam ultra ex eo, donec compleatur in regno Dei.

Et paulo poſt.

21. Veruntamen ecce manus prodentis me mecum eſt in menſa.

22. Et Filius quidem hominis ſecundum quod definitum eſt vadit: veruntamen væ homini illi per quem proditur.

23. Et ipſi cœperunt quærere inter ſe quiſnam eſſet ex ipſis qui hoc facturus eſſet.

21. *Amen dico vobis quod.*] Quo perfidiam Judæ reddat magis deteſtabilem, hac circumſtantia indignitatem auget, quod quum in ſacra menſa ſimul accumberet, proditionem moliebatur. Nam ſi quis extraneus hoc feciſſet, mitius ferendum erat: nunc vero unum ex intimis hoc agitare, imo etiam inito nefario pacto in ſacrum convivium amicitiæ prætextu ſe ingerere, incredibile portentum eſt. Ideo apud Lucam ponitur adverſativa particula, *Veruntamen ecce manus prodentis me.* Etſi autem peracta demum cœna hoc Chriſti dictum Lucas ſubjicit, non poteſt tamen inde colligi temporis ſeries, quam ſcimus ſæpe ab Euangeliſtis negligi. Probabile tamen eſſe non nego, Judam adfuiſſe quum corporis & ſanguinis ſui ſymbola Chriſtus ſuis diſtribueret.

22. *Cœperunt ſinguli dicere.*] Non puto trepidaſſe diſcipulos, ut metu perculſi ſolent nulla cauſa ſe angere: ſed quum ſcelus exhorreant, cupiunt ab ejus ſuſpicione purgari. Hoc quidem reverentiæ ſignum eſt; quod oblique perſtricti, non ſtomachoſe reſponſant magiſtro ſuo, ſed eum ſibi quiſque judicem conſtituit (ſicuti hoc præcipue nobis quærendum eſt ut ille ſuo ore nos abſolvat) bona tamen conſcientia freti, libere teſtari volunt quam procul remoti ſint à tanto ſcelere. Chriſtus autem ſuo reſponſo neque ſcrupulum illis eximit, neque deſignat Judæ perſonam; ſed tantum confirmat quod nuper dixit, unum ex familiaribus convivis eſſe proditorem. Quam autem durum illis fuit, ſuſpenſos & perplexos ad tempus relinqui ut ſe exercerent in reputanda ſceleris atrocitate, alia deinde ſequuta eſt utilitas quum agnoſcerent impletum Pſalmi vaticinium, Qui me- Pſal. 55.
cum dulces capiebat cibos, calce me petivit. Adhæc vers. 15.
ſub Judæ perſona Dominus ſuos omnibus ſeculis voluit eſſe admonitos, ne frangantur vel exanimes concidant propter domeſticos proditores: quia idem quod ipſe expertus eſt qui commune eſt Eccleſiæ caput, nobis qui membra ſumus, accidere oportet.

24. *Filius quidem hominis vadit.*] Hic ſcandalo Chriſtus occurrit, quod graviter pias mentes alioqui concutere poterat. quid enim magis abſurdum quam Filium Dei perfide à diſcipulo proditum, libidini hoſtium exponi, ut ad probroſam mortem trahatur? Chriſtus autem hoc totum nonniſi Dei arbitrio fieri pronunciat. Hoc porro decretum probat Scripturæ teſtimonio, quia quod ſtatutum erat, per os Prophetæ ſui olim patefecit. Tenemus nunc quorſum ſpectent Chriſti verba: nempe ut diſcipuli, ſcientes Dei providentia gubernari quicquid agitur, vitam ejus vel mortem caſu volvi non putent. Cæterum latius patet hujus doctrinæ utilitas: quia tunc demum rite nobis ſancitur mortis Chriſti fructus, ubi non temere ab hominibus ad crucem abreptum eſſe conſtat, ſed æterno Dei decreto ſacrificium illud fuiſſe ordinatum ad expianda mundi peccata. Unde enim nobis reconciliatio, niſi quia Chriſtus

Patrem ſua obedientia placavit? Quare ſemper nobis occurrat Dei providentia, cui Judam ipſum, & omnes impios (licet invitos, & aliud agentes) parere neceſſe fuit. Semper hoc fixum maneat, Chriſtum iden paſſum eſſe quia tale Deo placuit expiationis genus. Negat tamen Chriſtus hoc prætextu abſolvi Judam à culpa, quia nihil egerit niſi quod divinitus ſtatutum erat. Nam etſi Deus recto ſuo judicio pretium redemptioni noſtræ ſtatuit Filii ſui mortem, Judas nihilominus Chriſtum prodendo, quia perfidia & avaritia plenus erat, juſtam ſibi damnationem conflavit. Denique quod Deus mundum redemptum voluit, hoc nequaquam obſtat quin Judas ſceleratus ſit proditor. Hinc perſpicimus, quamvis nihil poſſint homines niſi quod ſtatuit Deus, non tamen ideo à reatu abſolvi, dum pravo affectu ad peccandum feruntur. Licet enim Deus occulto freno eos in finem illis incognitum dirigat, nihil minus illis propoſitum eſt quam ejus decretis obſequi. Videntur quidem hæc duo humanæ rationi parum conſentanea, quod Deus ſic moderetur ſua providentia res humanas ut nihil fiat niſi ejus voluntate & nutu, & tamen perdat reprobos per quos exequutus eſt quod voluit. Sed videmus quomodo Chriſtus hic utrumque conciliet, maledictioni ſubjiciens Judam, quamvis divinitus hoc ſtatutum eſſet quod ipſe contra Deum machinatus eſt. non quod proditio Judæ proprie vocari debeat Dei opus, ſed quia Deus Judæ perfidiam ad implendum conſilium ſuum inflexit. Scio equidem quomodo nonnulli interpretes hunc ſcopulum declinent. fatentur Judæ opera impletum eſſe quod ſcriptum erat, quia Deus quod præſciverat, vaticiniis teſtatus ſit. Ergo ut doctrinam quæ illis videtur paulo aſperior, mitigent, præſcientiam Dei ſubſtituunt decreti loco, acſi eminus tantum proſpiceret Deus quæ futura ſunt, non autem ſuo arbitrio diſponeret. Sed longe aliter Spiritus hanc controverſiam dirimit: quia non tantum cauſam traditi Chriſti affert quod ita ſcriptum eſſet, verum etiam quod ita definitum. Nam ubi Matthæus & Marcus Scripturam allegant, Lucas recta nos ad cæleſte decretum adducit: quemadmodum in Actis docet, Chriſtum non modo præſcientia Dei, ſed definito conſilio fuiſſe traditum. & paulo poſt, Herodem & Pilatum cum reliquis improbis feciſſe quæ Dei manu & conſilio præordinata fuerant. Unde patet inſcite tergiverſari qui ad nudam præſcientiam confugiunt. *Bonum erat.* Hoc verbo docemur quam horribilis vindicta maneat impios, quibus ſatius eſſet nunquam natos eſſe. Atqui vita hæc, quantumvis caduca & innumeris ærumnis referta, incomparabile eſt Dei beneficium. Rurſum etiam hinc colligimus quam deteſtabilis ſit illorum impietas, quæ non tantum extinguit pretioſa Dei dona, & in perniciem convertit, ſed facit ut præſtet nunquam guſtaſſe Dei bonitatem. Notatu tamen digna eſt hæc particula, quod *homini bonum fuiſſet non naſci:* quia quantumvis miſera ſit Judæ conditio, Deo tamen bonum fuit illum creaſſe, qui reprobos ad diem exitii deſtinans, gloriam ſuam hoc quoque modo illuſtrat, ſicut docet Solomo. Ita ab omni ſiniſtra nota aſſeritur arcana illa Dei gubernatio, quæ hominum conſiliis & operibus præſidet, ut nuper attigi.

25. *Reſpondens autem Judas.*] Quanquam ſæpe videmus trepidare qui ſibi male conſcii ſunt, formidini tamen & cæcis tormentis implicitus eſt ſtupor, ut audacter ad negandum proſiliant: ſed hoc tandem proficiunt ſua impudentia, ut occultum ſcelus detegant. Sic Judas, quum illum mala conſcientia conſtrictum teneret, ſilere tamen nequit: adeo illum exagitat interior ille carnifex, dum metu & anxietate eundem dejicit. Porro ſtupidam ejus audaciam ſuo reſponſo oblique perſtringens Chriſtus, ad reputandum quod tegere volebat ſcelus ſollicitat. Sed jam diabolico furore mens, occupata concipere talem ſenſum non potuit. Cæterum hoc exemplo diſcamus, impios proterve excuſando, nihil aliud quam maturius judicium ſibi accerſere.

MATTH. XXVI.	MARC. XIV.	LUC. XXII.
26. Veſcentibus autem eis, accepit Jeſus panem: & quum egiſſet gratias, fregit, deditque diſcipulis, & ait, Accipite, comedite: hoc eſt corpus meum. 27. Et accepto poculo, ac gratiis actis, dedit illis, dicens, Bibite ex hoc omnes. 28. Hic eſt enim ſanguis meus Novi teſtamenti, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum. 29. Dico autem vobis, Non bibam poſthac ex hoc fructu vitis uſque in diem illum quum illum bibam vobiſcum novum in regno Patris mei. 30. Et quum hymnum cecinissent, exierunt in montem Olivarum.	22. Et edentibus illis, ſumpto Jeſus pane quum benedixiſſet, fregit, & dedit illis, ac dixit, Sumite, comedite: hoc eſt corpus meum. 23. Et accepto poculo, quum gratias egiſſet, dedit illis: & biberunt ex eo omnes. 24. Et dixit illis, Hic eſt ſanguis meus Novi teſtamenti, qui pro multis effunditur. 25. Amen dico vobis, Poſthac non bibam de fructu vitis uſque ad diem illum quum illum bibero novum in regno Dei. 26. Et quum hymnum ceciniſſent, exierunt in montem Olivarum.	17. Et accepto poculo, gratias egit, & dixit, Accipite hoc, & dividite inter vos. 18. Dico enim vobis quod non bibam de fructu vitis, donec regnum Dei veniat. 19. Et accepto pane, quum gratias egiſſet, fregit, ac dedit eis, dicens, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur: hoc facite in mei recordationem. 20. Similiter & poculum, poſtquam cœnavit, dicens, Hoc poculum, Novum teſtamentum in meo ſanguine, qui pro vobis effunditur.

Quia Lucas bis porrectum à Chriſto calicem memorat, quærendum eſt primo loco, ſitne repetitio (ut interdum Euangeliſtæ bis rem unam dicere ſolent) an vero Chriſtus, poſtquam ex calice libaverat, hoc idem ſecundo iteraverit. Quod poſterius mihi veriſimile eſt. ſcimus enim ſolennem in ſacrificiis libandi ritum obſervatum fuiſſe à ſanctis Patribus: unde illud Pſalmi 116. verſ. 13. Calicem ſalutis accipiam, & nomen Domini invocabo. Itaque non dubito, Chriſtum ex more vetuſto libaſſe in ſacro convivio, quod rite peragi aliter non poterat. idque diſerte refert Lucas antequam ad novi myſterii narrationem deſcendat, cujus ratio diſtincta eſt ab agno Paſchali. Hoc quoque ex recepto ſolennique uſu fuit quod *gratias egiſſe* nominatim dicitur *accepto calice.* Nam initio Cœnæ precatum fuiſſe

Digitized by Google

non dubito, ut nunquam ſine Dei invocatiooe ad menſam accedere ſolitus eſt. Sed ouoc rurſum eodem officio defungi voluit, ne ceremoniam omitteret quam ſacræ libationi fuiſſe annexam nuper oſtendi.

26. *Veſcentibus autem eis.*] Ego hæc verba non ita accipio quaſi cœnæ Paſchali hæc nova & longe excellentior permiſta fuerit, ſed potius finem tunc priori convivio fuiſſe impoſitum. Quod etiam à Luca clarius exprimitur, ubi dicit, *Chriſtum, poſtquam cœnaſſet, calicem dediſſe.* Abſurdum enim fuiſſet, unum & idem myſterium temporis diſtantia abrumpi. proinde oon dubito, quin continuo tenore, poſtquam panem diſtribuerat, calicem addiderit. Quod vero de calice peculiatiter narrat Lucas, ego ad panem quoque extendo. Veſcentibus ergo illis, panem Chriſtus accepit, ut eos ad novæ Cœnæ participationem vocaret. Gratiatum actio, quædam præparatio fuit ac tranſitus ad reputandum myſterium. Sic finita cœna, ſacrum panem & vinum guſtarunt: quia prius expergefacta fuit eorum ſecuritas, ut toti ad tam ſublime myſterium attenti eſſent. Et ratio ita exigit, à veteri umbra clarum hoc ſpiritualis vitæ teſtimonium oportuiſſe diſcerni. *Accepit Jeſus panem.* Iocertum eſt an ritus qui hodie celebris eſt inter Judæos, tunc etiam fuerit uſitatus. nam paterfamilias fragmentum à communi pane ſumptum ſub mappa recondit, cujus partes familiæ diſtribuat. Quia autem hæc bumana traditio eſt, nullo Dei maodato fundata, non eſt cur nimis curioſe laboremus in quærenda ejus origine. Et fieri poteſt ut Satanæ artificio deinde excogitata fuerit ad obſcurandum Cœnæ Chriſti myſterium. Cæterum ſi tunc apud Judæos in uſu fuit bæc ceremonia, ita receptum morem ſequutus eſt Chriſtus, ut tamen ſuorum animos alio traduceret, uſum panis in diverſum finem mutando. Hoc quidem ſine controverſia ſtatui debet, abolitis figuris Legalibus proditum hic fuiſſe à Chriſto novum Sacramentum. *Quum gratias egiſſet.* Marcus & Matthæus Benediceodi verbo utuntur: ſed quum ejus loco legatur apud Lucam verbum εὐχαριστήσας, in ſenſu nulla eſt ambiguitas. Et quum deinde in calice gratiarum actionem ſubjiciunt, prioris dicti ſatis clari ſunt interpretes. Quo magis ridicula eſt Papiſtarum inſcitia, qui ſigno crucis benedictionem exprimunt, quaſi exorciſmo Cbriſtus eſſet uſus. Memoria vero tenendum eſt quod nuper attigi, hanc gratiarum actionem ſpirituali myſterio eſſe conjunctam. Neque enim ut gratias Deo agere jubentur fideles, quia eos in hac caduca vita ſuſtentet, Chriſtus duntaxat ad promiſcuum victum reſpexit: ſed intentus fuit ad ſacram actionem, ut pro æterna generis humani ſalute gratias Deo ageret. nam ſi alimenta quæ in alvum deſcendunt, hortati nos & ſtimulare debent ad paternum Dei favorem laudandum: quanto nos vehementius excitat, imo inflammat ad boc pietatis officium, ubi animas noſtras ſpiritualiter paſcit? *Accipite, comedite.* Ne hic ſim nimium prolixus, tantum breviter perſtringam qualis ſit, & quid in ſe contineat Domini inſtitutio: deinde quis ſit ejus finis & uſus, quatenus ex Euangeliſtis colligere licet. Atque hoc primum occurrit, Chriſtum Cœnam inſtituere quam inter ſe communicent diſcipuli. Unde ſequitur, diabolicum eſſe inventum quod ſe unus bomo à reliquo cœtu ſeparans, privatim Cœnam peragit. Quid enim minus conſentaneum quam diſtribui inter omnes panem, & ſeorſum ab uno vorari? Quamvis ergo jactent Papiſtæ ſe in ſuis Miſſis Cœnæ Dominicæ habere ſubſtantiam, ex re ipſa tamen conſtat, quotquot celebrant privatas Miſſas, totidem à diabolo ad obruendam Chriſti Cœnam erecta eſſe trophæa. Iiſdem verbis docemur qualis in Cœna oblatio à Chriſto tradita fuerit. Jubet ſuos accipere: ipſe eſt igitur ſolus qui offert. Quod ergo Papiſtæ Chriſtum ſe in Cœna offerre fingunt, à contrario auctore profectum eſt. Et certe mira eſt iſta anaſtrophe, ut mortalis homo, dum Chriſti corpus accipete jubetur, ſibi ejus offerendi partes arripiat: atque ita Sacerdos à ſeipſo creatus, Deo Filium ſuum immolet: Non diſputo in præſentia quam multis ſacrilegiis ſcateat fictitia eorum oblatio: mihi probare ſufficit, adeo nihil habere Chriſti inſtitutioni affine, ut directe potius repugnet. *Hoc eſt corpus meum.* Quod bis verbis panem conſecratum fuiſſe dicunt ut fieret carnis Chriſti ſymbolum, non improbo, modo recte hoc nomen ac dextre ſumatur. Panem ergo, qui alendo corpori deſtinatus erat, eligit ac ſanctificat Chriſtus in alium nſum, ut ſpiritualis cibus eſſe incipiat. Atque hæc eſt cooverſio cujus mentio fit apud vetuſtos Eccleſiæ ſcriptores. Sed tenendum eſt interea, non conſecrari panem ſuſurro & flatu, ſed clara fidei doctrina. Et ſane magica incantatio eſt quum ad mortuum elementum dirigitur conſecratio: quia panis non ſibi, ſed nobis ſymbolum corporis Chriſti efficitur. In ſumma, nihil aliud eſt conſecratio quam ſolenne teſtimonium quo nobis terreſtre & corruptibile ſignum Dominus in ſpiritualem uſum deſtinat. quod fieri non poteſt niſi clate ad fidem ædificandam reſonent ejus mandatum & promiſſio. Unde rurſum patet, obſcuro murmure & flatu apud Papiſtas impie profanari myſterium. Quod ſi conſectat panem Chriſtus dum nobis teſtatur corpus ſuum eſſe, non imaginanda eſt ſubſtantiæ mutatio: ſed tenenda eſt ſolum uſus novitas. Porro niſi pridem diaboli aſtutia ſic faſcinatus eſſet mundus ut transſubſtantiationis portento ſemel invecto, nullam hodie veræ interpretationis lucem in his verbis admittat, ſupervacuum eſſet longius in ſenſu quætendo inſiſtere. Pronunciat Chriſtus panem eſſe corpus ſuum. de Sacramento habetur ſermo. Fateri vero neceſſe eſt, Sacramentum viſibili ſigno conſtare, cui res ſignata conjuncta eſt, quæ eſt ejus veritas. Jam & hoc ſatis tritum eſſe debet, rei ſignatæ nomen ad ſignum transferri. Quare nemo in Scriptura mediocriter verſatus negabit quin Sacramentalis loquutio metonymice ſumenda ſit. Omitto generales tropos, qui paſſim occurrunt in Scriptura: hoc tantum dico, quoties externum ſignum dicitur id eſſe quod figurat, omnium conſenſu metonymiæ locum dari. Baptiſmus ſi vocetur lavacrum regenerationis: ſi petra unde aqua Patribus in deſerto fluxit, vocetur Chriſtus: ſi columba vocetur Spiritus ſanctus: nullus controverſiam movebit quin ſignis tribuatur nomen rerum quas figurant. qui fit ergo ut quod Sacramentis omnibus commune eſt, ad Cœnam aptari non ſuſtineant quos tenet reverentia verborum Domini? Simplex & literalis ſenſus eos delectat. Cur ergo in omnibus Sacramentis non valebit eadem regula? Certe niſi petram ſubſtantialiter fuiſſe Cbriſtum concedant, putida eſt qua nos gravant calumnia. Si panem exponimus vocari corpus quia ſit ſymbolum corporis, labefactari obtendunt totam Scripturæ doctrinam. Neque enim hanc loquendi regulam nuper fabricavimus: ſed ex veterum auctoritate ab Auguſtino traditam omnes amplexi ſunt, ſignis improprie rerum ſpiritualium nomina aſcribi: atque ita debere exponi omnes Scripturæ locos, ubi de Sacramentis fit mentio. Quorſum ergo attinet, dum axioma ſumimus paſſim receptum, quaſi in re nova & inſolita magnos clamores movere? Cæterum clament ut libuerit præfracti homines, hoc apud ſanos & modeſtos valebit, in his Chriſti verbis Sacramentalem eſſe loquendi formam. Unde ſequitur, panem, quia ſymbolum eſt corporis Cbriſti, vocari corpus. Porro duo ſunt hominum genera qui contra nos inſurgunt. Papiſtæ ſua transſubſtantiatione deluſi negant oſtendi panem, quia taotum maneat ſpecies ſine ſubjecto. ſed eorum delirium refutat Paulus, affirmans panem 1 Cor. 10.
quem frangimus, eſſe communicationem corporis verſ. 6.
Chriſti: deinde ab eorum figmento abhorret ipſa

 natura

natura Sacramenti, cui non conſtabit ſua integritas niſi verum ſit externum ſymbolum. Unde enim diſcemus Chriſti carne paſci aoimas noſtras, ſi verus panis non ſtatuatur nobis ante oculos, ſed inane ſpectrum? Adhæc quid de altero ſymbolo dicent? Neque enim dicit Chriſtus, Hoc eſt ſanguis meus: ſed, *Hic eſt calix*. Ergo, ſecundum eos, noo modo vinum, ſed materiam ex qua conflatus erit calix, oeceſſe erit transſubſtantiari in ſanguinem. Jam quod apud Matthæum habetur, *Non bibam de hoc fructu vitis*, clare demonſtrat vinum fuiſſe quod bibendum porrexit. Ergo modis omnibus aperte refellitur Papiſtarum inſcitia. Sunt autem alii qui figuram repudiant, & quaſi phrenetici eandem mox recipiunt. Panis, ſecundum eos, vere & proprie eſt corpus. neque enim illis placet transſubſtantiatio: ſicuti rationis colore prorſus caret. Sed dum rogantur an Chriſtus ſit panis & vinum, reſpondent panem iden vocari corpus quia hoc ſub illo & cum illo in Cœna recipitur. Atqui ex hoc reſponſo elicere promptum eſt, improprie ad panem transferri nomen corporis cujus eſt ſignum. Ac mirum eſt, quum iſti homines ſubinde in ore babeant, Chriſtum ita loquutum eſſe unionis Sacramentalis reſpectu, eos non attendere quod dicunt. Qualis enim Sacramentalis unio rei & ſigni? annon quia Dominus arcana Spiritus ſui virtute implet quod promittit? Ergo non minus ridiculi ſunt iſti poſteriores literæ magiſtri quam Papiſtæ. Hacteous à me oſtenſa fuit ſimplex verborum Domioi expoſitio: nunc vero addendum eſt, non vacuum nec inane ſignum nobis proponi, ſed vere carnis & ſanguinis fieri participes qui fide promiſſionem hanc recipiunt. Fruſtra enim juberet ſuos Dominus panem edere, corpus ſuum eſſe affirmans, niſi effectus vere ad figuram accederet. Nec vero inter nos agitatur hæc quæſtio, verene an tantum ſignificative ſeipſum Chriſtus in Cœna nobis fruendum offerat. Etſi enim nihil illic præter panem cernimus, non tameo fruſtratur nos vel ludit qui animas noſtras ſuſcipit carne ſua alendas. Vera igitur non ſigno tantum monſtratur, ſed re ipſa quoque exbibetur carnis Chriſti manducatio. Sed hic tria obſervare operæpretium eſt: ne perperam res ſpititualis cum ſigno miſceatur: deinde, ne quæratur in terra Chriſtus, vel ſub terrenis elementis: tertio, ne fingatur alia manducatio quam quæ arcana Spiritus virtute Chriſti vitam nobis inſpirat. quod ipſum nonniſi ſola fide conſequimur. Primum (ut dixi) maneat inter ſignum & rem ſignatam diſtinctio, niſi velimus omnia pervertere. Neque enim ulla reſtabit Sacramenti utilitas, niſi nos pro ruditatis noſtræ captu à terreni elementi intuitu ad cæleſte myſterium deducat. Proinde quiſquis corpus Chriſti à pane non diſcernet, & ſanguinem à vino, nunquam intelliget quid velit Cœna, vel quorſum his ſymbolis utantur fideles. Sequatur deinde legitimus ille quærendi Chriſti modus, hoc eſt, ne in terra mentes noſtræ ſubſidant, ſed surſum conſcendant ad cæleſtem gloriam in qua babitat. Neque enim Chriſti corpus incorruptibilem vitam induit ut naturam ſuam abjiceret: unde ſequitur finitum eſſe. Jam vero ſupra cælos aſcendit, nequa nos in terrenis craſſa imaginatio occupet. Et ſane ſi myſterium hoc cæleſte eſt, nihil magis præpoſterum quam Chriſtum in terram deducere, qui nos ſurſum potius ad ſe vocat. Ultimum quod notandum eſſe admonui, eſt manducationis genus: neque enim ſomniandam eſt naturalem fieri ſubſtantiæ ejus tranſitum in animas noſtras: ſed comeditur à nobis ejus caro dum ea ea vitam percipimus. Tenenda enim analogia eſt vel ſimilitudo panis cum carne, qua docemur non ſecus paſci animas carne ipſa Chriſti, quam panis vigorem corporibus inſtillat. Spirituale ergo alimentum eſt Chriſti caro, quia nobis vivifica eſt. Ideo autem vivificat, quia vitam, quæ in ea reſidet, Spiritus ſanctus in nos diffundit. Quanquam autem aliud eſt veſci Chriſti carne quam in ipſum credere, ſciendum tamen eſt non aliter Chriſto nos poſſe veſci quam per fidem: quia manducatio ipſa fidei eſt effectus.

29. *Dico autem vobis.*) Hanc ſententiam Matthæus & Marcus ſacræ Cœnæ ſubjiciunt, poſtquam Chriſtus ſymbolum ſanguinis ſui in calice dederat. Unde colligunt quidam idem hic narrari à Luca quod paulo poſt repetet. Sed facile ſolvitur hic nodus: quia ad rem parum intereſt quo temporis momento hoc Chriſtus dixerit. nam huc tantum ſpectant Euangeliſtæ, admonitos fuiſſe diſcipulos tam de propinqua Magiſtri ſui morte, quam de nova & cæleſti vita. Nam quo propius inſtabat hora mortis, eo magis fuerunt confirmandi, ne prorſus deficerent. Deinde quum in ſacra Cœna mortem ſuam quaſi in ſpeculo ante oculos illis ponere in animo haberet, non abs re iterum teſtatus eſt ſe jam è mundo migrare. Cæterum quia plenus triſtitiæ nuncius erat, mox additur conſolatio, non eſſe cur mortem exhorreant, cui ſuccedet melior vita. acſi dixiſſet, Nunc quidem ad mortem propero, ſed ut inde ad beatam immortalitatem tranſeam, nec ſolus in regno Dei ſeorſum victurus, ſed vos habiturus conſortes ejuſdem vitæ. Ita videmus ut manu ducat ſuos diſcipulos ad crucem, & inde in ſpem reſurrectionis eos extollat. Sicut autem illos dirigi ad mortem Chriſti oportuit, ut per illam ſcalam in cælum aſcenderent: ita nunc, ex quo Chriſtus morte defunctus eſt ac in cælum receptus, à crucis intuitu in cælum deduci nos convenit, ut inter ſe cohæreant mors & vitæ reparatio. Quod autem communem illis ſecum gloriam promittat, clare ex verbis patet, *Donec bibam illud novum vobiſcum*. Quod vero objiciunt quidam, non congruere cibum & potum regno Dei, frivolum eſt: quia nihil aliud intelligit Chriſtus quam mox privandos fore diſcipulos ſua præſentia, ne poſthac cum illis veſcatur, donec ſimul fruantur vita cæleſti. Quum porro ejus vitæ quæ cibi & potus adminiculis non indiget, ſocietas notetur, novum tunc fore potionis genus dicit. Qua voce allegorice ipſum loqui docemur. Ideo apud Lucam ſimpliciter dicit, *Donec veniat regnum Dei*. In ſumma, Chriſtus redemptionis quam morte ſua peperit, fructum & effectum nobis commeodat. Quod hoc quidam putant fuiſſe impletum quoties Dominus poſt reſurrectionem cum diſcipulis ſuis comedit, ab ejus mente alienum eſt: nam quum ille inter mortalis vitæ curſum & cæleſtis vitæ metam medius eſſet ſtatus, tunc nondum patefactum erat regnum Dei. ideo & Mariæ dicebat, Noli me tangere: quia nondum aſcendi ad Patrem. Adde quod nondum ingreſſi erant diſcipuli in regnum Dei, ut vinum novum cum Chriſto biberent ejuſdem gloriæ participes. Quod autem bibiſſe poſt reſurrectionem Chriſtum legimus, quum tamen id ſe facturum negaſſet niſi diſcipulis in regnum Dei collectis: facile diluitur repugnaotiæ ſpecies. neque eoim præciſe de cibo & potu loquitur, ſed de vitæ præſentis conſuetudine. Porro ſcimus non ideo tunc bibiſſe Chriſtum ut vel alimentis vires reficeret, vel in ſuo convictu retineret diſcipulos: ſed tantum ut probata ſua reſurrectione (cujus adhuc erant dubii) eorum mentes ſurſum eveheret. Hoc itaque genuino ſenſu contenti ſimus, quod Dominus ſuis diſcipulis promittat, quum hactenus mortalis homo cum illis in terra vixerit, poſthac beatæ & immortalis vitæ ſecum fore ſocios.

19. Luc. *Quod pro vobis datur.*] Reliqui duo hanc particulam omittunt, quæ tamen minime ſupervacua eſt. nam ideo nunc panis eſt nobis Chriſti caro quoniam in ea nobis ſemel parta eſt ſalus. Et quemadmodum nullis prodeſt caro ipſa crucifixa niſi qui eam fide comedunt: ita viciſſim frigida eſſet ac nullius fere momenti manducatio, niſi ſacrificii ſemel oblati reſpectu. Ergo quiſquis nutriciam ſibi eſſe cupit Chriſti carnem, eam in cruce oblatam con-

conſideret ut noſtræ cum Deo reconciliationis eſſet pretiom. Cæterum quod in panis ſymbolo ſubticent Matthæus & Marcus, in calice exprimunt: nempe quod ſanguis ſit in remiſſionem peccatorum fundendus. Hæc vero nota ad utrumque membrum extendi debet. Ergo ut rite Chriſti carne paſcamur, ſpectanda nobis eſt ejus immolatio: quia ſemel pro ſalute noſtra dari oportuit ut quotidie nobis detur.

27. Matth. *Bibite ex hoc omnes.*] Quia Chriſti coolilium fuit fidem noſtram ſibi totam obſtringere, ne quid eatra ipſum quæramus, duobus ſymbolis vitam noſtram io ſe incluſam eſſe teſtatus eſt. Indiget corpus hoc ad fovendam & ſuſtinendam vitam cibo & potu. Chriſtus, ut ſe unum nobis ad præſtandas omnes ſalutis partes io ſolidum ſufficere doceat, ſibi vices potus ac cibi tribuit. in quo mira ejus indulgentia relucet, quod fidei noſtræ conſulere volens, ad carnis noſtræ ruditatem ita ſe demittat. Quo magis deteſtabilis eſt ſacrilega Papæ audacia, qui ſacrum hoc vinculum rumpere non dubitavit. Audimus Filium Dei vitæ plenitudinem quam ſuis confert, duobus ſymbolis pariter teſtatum eſſe. Quæ divinitus conjuncta erant, quo jure divellere homini mortali fas fuit? Adde quod conſulto videtur Dominus præcipere omnibus ut *ex calice bibant*, quo ſacrilegium hoc ab Eccleſia ſua arceret. De pane ſimpliciter dixiſſe legimus ut acciperent. cur bibere nominatim jubet omnes, & Marcus bibiſſe omnes diſerte narrat, niſi ut ſibi ab impia novitate caverent fideles? Nec tamen ſevero hoc interdicto deterritus fuit Papa quin fixam à Domino legem mutare ac violare auderet. Populum enim totum prohibuit ab uſu calicis. Atque ut ſe probaret non ſioe ratione furere, obtendit ſatis eſſe ſpeciem uoam, quia per concomitantiam conjunctus ſit ſanguis cum carne. Quaſi vero oon eodem prætextu totum Sacramentum abolere liceat, quia æque ſui participes nos facere Chriſtus poſſit abſque externo adminiculo. Sed iſtis puerilibus cavillis nihil juvatur ejus impietas: quia nihil magis abſurdum eſt quam ut traditis à Domino ſubſidiis ſponte careant vel privari ſuſtineant fideles: ideoque nihil minus ferendum quam impia hæc myſterii laceratio.

28. *Hic eſt ſanguis meus.*] Jam prius admonui, quum dicitur fundendus ſanguis *in remiſſionem peccatorum*, his verbis oos dirigi ad mortis Chriſti ſacrificium, ſine cujus memoria nunquam rite Cœna celebratur. Nec vero aliter ſatiari poſſunt fideles animæ niſi quatenus Deum ſibi placatum eſſe confidunt. Cæterum ſub multorum nomine non partem mundi tantum deſignat, ſed totum humanum genus. multos enim uni opponit: acſi diceret, ſe non unius hominis fore redemptorem, ſed mortem obire ut multos à reatu maledictionis liberet. Nec dubium eſt quia Chriſtus paucos alloquens, communem pluribus doctrinam facere voluerit. Notandum tamen ſimul eſt, quod apud Lucam nominatim diſcipulos compellans, ſingulos fideles hortatur ut ſanguinis effuſionem in ſuum uſum accommodent. Ergo dum ad ſacram menſam accedimus, non ſolum hæc generalis cogitatio in mentem veniat, redemptum Chriſti ſanguine eſſe mundum: ſed pro ſe quiſque reputet peccata ſua expiata eſſe. *Novi teſtamenti.* Lucas & Paulus aliter, *Novum teſtamentum in ſanguine:* eodem tamen ſenſu: quia fœdus hoc nonniſi ſpirituali ſanguinis potione ſancitur ut firmum ſit & efficax. Cæterum hinc colligere promptum eſt quam ſtulte ſuperſtitioſi ſint Papiſtæ & ſimiles, dum verba mordicus arripiunt. Quamvis enim crepent, hæc Spiritus ſancti expoſitio rejici non poteſt, quod calix vocetur ſanguis, quia teſtamentum eſt in ſanguine. Atqui eadem eſt panis ratio. unde ſequetur vocari corpus, quia teſtamentum eſt in corpore. Non eſt jam cur fidem ſimplicibus Chriſti verbis eſſe habendam contendant, extraneis vero commentis claudendas eſſe aures: Chriſtus eſt ipſe qui loquitur, quem idoneum ſui ſermonis interpretem eſſe non negabunt. atqui palam oſtendit non alia ratione ſe panem vocaſſe corpus ſuum niſi quia nobiſcum fœdus æternum pepigit, ut ſacrificio ſemel oblato, ſpiritualiter nunc epulemur. Porro hic duo notatu digna ſunt. nam ex voce Teſtamenti aut Fœderis colligimus incluſam eſſe promiſſionem in ſacra Cœna. Quo refellitur eorum error qui fidem Sacramentis juvari, foveri, fulciri & augeri negant. nam inter fœdus Dei & hominum fidem ſemper mutua ſubeſt relatio. Epitheto Novi docere voluit jam deſinere veteres figuras, ut ſtabili & æterno pacto locum cedant. Eſt igitur obliqua inter hoc myſterium & Legales umbras oppoſitio. unde appareat quanto melior ſit noſtra quam Patrum conditio, qui poſt peractum in cruce ſacrificium ſolida veritate fruimur.

26. Marc. *Quum hymnum cecinissent.*] Omittunt tres noſtri Euangeliſtæ divinos illos ſermones quos Joannes à Domino tam domi quam in itinere habitos fuiſſe narrat. nam (ut alibi diximus) hiſtoriam rerum geſtarum magis quam doctrinam complecti illis propoſitum fuit. Hoc tantum attingunt, ultro profectum eſſe quo venturus erat Judas: ut ſciamus ſic diſpenſaſſe illius temporis momenta, ut proditori ſuo voluotarius occurreret.

MATTH. XXVI.

31. Tunc dicit illis Jeſus, Omnes vos offendiculum in me patiemini in nocte hac: ſcriptum eſt enim, Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves gregis.

32. Poſtquam autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæam.

33. Reſpondens autem Petrus, ait illi, Etſi omnes in te offendiculum paſſi fuerint, ego tamen nunquam offendiculum patiar.

34. Ait illi Jeſus, Amen dico tibi quod in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis.

35. Ait illi Petrus, Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes diſcipuli dixerunt.

MARC. XIV.

27. Et dicit illis Jeſus, Omnes in me offendiculum patiemini in hac nocte: quia ſcriptum eſt, Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves.

28. Sed poſtquam reſurrexero, præcedam vos in Galilæam.

29. Petrus autem dicit illi, Etiamſi omnes offendiculum paſſi fuerint, at non ego.

30. Tunc dixit illi Jeſus, Amen dico tibi quod hodie in nocte hac priuſquam bis gallus cecinerit, ter me negabis.

31. At ille vehementius dicebat, Imo ſi me oportuerit tecum mori, non te negabo. Similiter autem & omnes dixerunt.

LUC. XXII.

31. Ait autem Dominus, Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret ſicut triticum.

32. Sed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua: & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos.

33. At ille dixit ei, Domine, tecum paratus ſum & in carcerem & in mortem ire.

34. Ille vero dixit, Dico tibi Petre, non canet hodie gallus priuſquam ter abneges me.

31. *Omnes vos.*] Quod Matthæus & Marcus extendunt pariter ad omnes diſcipulos, Lucas uni Petro dictum fuiſſe recitat. Quaoquam autem communis ad omnes erat ſermo, probabile tamen eſt, Chriſtum eos alloquutum eſſe in unius perſona, qui & præ aliis monendus erat, & ſingulari conſolatione habebat opus, ne poſt Chriſtum negatum deſperatio penitus eum obrueret.

31. Luc. *Ecce Satanas.*] Brevius alii duo & ſimplicius recitant, diſcipulis prædictum fuiſſe ſuum lapſum. In verbis autem Lucæ uberior ſubeſt doctrina: neque enim hiſtorice tantum de futura perturbatione loquitur Chriſtus, ſed diſerte exprimit certamen illis cum Satana fore, & ſimul promittit victoriam. Eſt autem hæc apprime utilis admonitio, quoties aliquod nobis objicitur ſcandalum, ut nobis aote oculos veniant Satanæ ioſidiæ: quemadmodum & Paulus docet non eſſe nobis luctam cum carne & ſanguine, ſed cum ſpiritualibus copiis, &c. (Epheſ. 6. verſ. 12.) Senſus ergo verborum eſt, Quum paulo poſt me oppreſſum videritis, ſcitote Satanam his armis inſtructum eſſe ad vos oppugnandos: & hanc illi commodam eſſe occaſionem ut fidem veſtram labefactet. Ideo autem dixi utilem eſſe hanc doctrinam, quia ſæpe contingit noſtra incogitantia nos circumveniri, dum tentatiooes negligimus, quæ nobis eſſent formidabiles ſi reputaremus ignita eſſe tela tam validi & robuſti hoſtis. Quanquam autem de acerrimo illo certamine nunc ſit mentio quo ſemel perculſi fuerunt diſcipuli prope ad fidei uſque extinctionem, latius tamen patet hæc doctrina, quod Satan aſſidue circumeat, inhians prædæ. Quum autem tam inſano feratur ardore ad nos perdendos, nihil magis abſurdum eſt quam nos torpere. Ergo antequam appareat pugnandi neceſſitas, jam nos paremus: quia ſcimus expeti à Satana noſtrum exitium, & omnes nocendi modos aſtute & ſedulo ab eo captari. Ubi vero ad conflictum ventum fuerit, ſciamus in illius hoſtis officina fabricatas eſſe omnes tentationes, undecunque prodeant. Similitudo cribrandi non omni ex parte proprie quadrat: nam alibi vidimus vanno aut cribro conferri Euangelium, quo triticum purgatur à palea. ſed hic ſimpliciter ventilare, aut violenter excutere ſignificat: quia in morte Chriſti durius ſolito jactati Apoſtoli fuerunt. Hoc ideo tenendum eſt, quia nihil minus Satanæ placet quam fidelium purgatio. Cæterum quamvis in alium finem eos exagitet, vere tamen hoc dicitur, non ſecus ac triticum in vanno huc & illuc ipſos propelli ac jactari. Porro aliquid deterius impletum fuiſſe in diſcipulis, paulo poſt videbimus. Atque hoc ſibi volunt Domini verba quibus apud Matthæum & Marcum utitur, *Vos omnes ſcandalum patiemini in me.* Significant enim non modo imperendos eſſe, ſed prope ceſſuros: quia prohroſa Chriſti dejectio eorum quoque animos proſternet. Nam quum ipſorum partes eſſent conſtanter pergere cum magiſtro ad crucem uſque, pavore retracti ſunt. Ita illis ſua infirmitas proponitur, ut precando & gemendo ad ſacrum Dei aſylum confugiant.

31. Matth. *Scriptum eſt enim.*] Hoc vaticinio eos ad ſuperandum ſcandalum aoimat, quia Deus pro ovibus ſuis agnoſcere non deſinat quos ad tempus huc & illuc expellit diſſipatio. Poſtquam enim de Eccleſiæ reſtitutione diſſeruit Propheta: ne extremæ clades, quæ jam inſtabant, deſperatione obruerent pias mentes, pronunciat, confuſa, imo everſa gubernatione, triſtem ac miſeram fore diſperſionem, victricem tamen fore Dei gratiam. Quanquam autem omnes fere interpretes locum Zachariæ ad unius Chriſti perſonam reſtringunt, ego tamen latius extendo: acſi dictum eſſet nullum fore amplius regimen, quo ſalus populi continetur: quia tolletur è medio paſtores. Neque enim dubito quin totum illud tempus complecti Dominus voluerit, quo poſt tyrannidem Antiochi nudata bonis paſtoribus Eccleſia in vaſtitatem redacta fuit. tunc enim Deus gladium horrenda licentia graſſari paſſus eſt, qui extinctis paſtoribus miſere turbaret populi ſtatum. Neque tamen obſtitit hæc diſperſio quin Dominus tandem oves ſuas exteota manu colligeret. Cæterum quanquam in genere denunciat Propheta orbandam paſtoribus eſſe Eccleſiam, ad Chriſtum tamen vere & proprie hoc aptatur. nam quum paſtorum omnium princeps fuerit, à quo ſolo pendebat Eccleſiæ ſalus, eo mortuo præciſa videri potuit omnis ſpes. Atque hæc extrema tentatio fuit, Redemptorem, qui ſpiritus & vita populi erat, quum gregem Dei colligere cœpiſſet, ſubito ad mortem rapi. Quo illuſtrior fuit Dei gratia, dum mirabiliter ex diſſipatione & interitu reſiduus grex iterum coaluit. Videmus ergo Chriſtum hoc teſtimonio appoſite uſum eſſe, ne futura diſperſio ultra modum terreret diſcipulos: & tamen ut ſuæ infirmitatis conſcii in paſtorem ſuum recumberent. Senſus ergo eſt, Putatis quidem, quia veſtram debilitatem nondum experti eſtis, vos ſatis validos & robuſtos eſſe: ſed paulo poſt conſtabit vere prædictum eſſe à Zacharia, occiſo paſtore diſſipandum eſſe gregem. Sed interim recreet vos ac ſuſtineat addita promiſſio, quod Deus manum extendet, ut ad ſe reducat diſperſas oves. Docet autem hic locus, nullam eſſe ſalvificam unitatem niſi quæ oves ſub Chriſti pedo conjunctas tenet.

32. *Poſtquam autem reſurrexero.*] Clarius hic exprimit quod ouper attigi, diſcipulos metu perculſos ſic ad breve tempus diſperſis & palatis ovibus fore ſimiles, ut denuo tamen revocandi ſint ad ovile. Neque enim ſimpliciter Chriſtus ſe reſurrecturum pronunciat, ſed ſe illis ducem fore profitetur, eoſque ſibi adoptat comites, acſi integri ſtetiſſent: & quo plus concipiant fiduciæ, locum edicit ad quem rurſus convenient. acſi dixiſſet, Ego vos Hieroſolymæ diſperſos, in Galilæa rurſum colligam.

33. *Reſpondens Petrus.*] Quaoquam nihil ſimulat Petrus, ſed ex ſincero affectu loquitur: quia tamen falſa virtutis ſuæ confidentia in ſtultam jactantiam effertur, merito corripitur à Chriſto, & graves paulo poſt temeritatis ſuæ pœnas luit. Ita oſteodit eventus Petrum de ſe plus eſſe pollicitum quam præſtando foret: quia ſe probe excutere neglexerat. Hinc etiam melius perſpicitur quam ſtupida ſit humanæ confidentiæ ebrietas, quod ſuæ infirmitatis iterum à Filio Dei admonitus, & quidem interpoſito jurejurando, adeo non cedit, nec quicquam remittit de ſtulta perſuaſione, nt altos illos ſpiritus majore impetu efflare pergat. Quæritur tamen annon Petro ſperare licuerit quod de ſe ſpondet: annon etiam Chriſti promiſſione fretus de ſe hoc promittere debuerit. Reſpondeo, quod Chriſtus ſuis diſcipulis invictæ fortitudinis Spiritum ante promiſit, ſpectaſſe ad tempus novitatis quod reſurrectionem ſequutum eſt. Quia ergo nondum cæleſti virtute induti erant, Petrus à ſeipſo concepta fiducia, fidei metas tranſilit. Ac omnino duobus modis peccavit. nam & tempus anticipans, ſibiipſe temerarius fuit ſponſor, non in promiſſionem Domini recubuit. Secundo, clauſis oculis ſuam infirmitatem præteriens, ſecure magis quam fortitet plus de ſe profeſſus eſt quam ratio ferebat. Hoc ideo notandum eſt ut quiſque infirmitatis ſuæ memor, aſſidue ad Spiritus ſancti auxilium confugiat: deinde ne plus ſibi quiſquam ſumere audeat quam Dominus promittit. Sic quidem ad certamen accinctos eſſe decet fideles, ut de victoriæ ſucceſſu non dubii vel ſuſpenſi animoſe timori reſiſtant. nam trepidatio & nimia anxietas diffidentiæ ſignum eſt. Verum ex altera parte cavendus eſt ſtupor, qui & ſollicitudinem excutit, & animos ſuperbia inflat, & extinguit precandi ſtudium. Hæc media ratio optime à Paulo temperatur, dum jubet nos ſalutem noſtram cum metu & timore peragere, quia Deus eſt (Phil. 2. verſ. 12.)

qui

qui velle & perficere operatur in nobis. nam ex una parte humiliatos, ad quærendas alibi ſuppetias ſollicitat: rurſum tamen, ne ignavos reddat ſollicitudo, ad ſtrenuos conatus nos hortatur. Ergo quoties ſe nobis ingerit aliqua tentatio, primum nobis in mentem veniat noſtra infirmitas, ut prorſus dejecti, aliunde petere diſcamus quod nobis deeſt: deinde occurrat promiſſæ gratiæ memoria, quæ nos dubitatione liberet. Nam qui infirmitatis ſuæ obliti, non invocato Deo, fortes ſe eſſe confidunt, perinde faciunt ac temulenti milites, qui ad arma temere proſiliunt: exhalata autem crapula nihil aliud quam fugam meditantur. Mirum autem eſt quod reliqui diſcipuli poſt reprehenſum Petrum, tamen in eandem temeritatem erumpunt. unde apparet quam parum ſibi noti fuerint. Quo exemplo docemur, nihil audendum eſſe niſi quatenus Deus manum porrigit: quia inconſiderato zelo nihil magis caducum vel evanidum. Videbant diſcipuli nihil eſſe magis turpe vel abſurdum quam magiſtrum deſerere. Ergo hoc flagitium merito deteſtantur: ſed nulla promiſſionis fide inſtructi, & neglectis precibus, perperam ad jactatoriam conſtantiam quæ nulla erat transvolant.

MATTH.	MARC.	LUC. XXII.
		35. Et dixit eis, Quando miſi vos ſine ſacculo & pera & calceamentis, num defuit quid vobis? At illi dixerunt, Nihil. 36. Dixit ergo eis, Sed nunc qui habet ſacculum, tollat: ſimiliter & peram: & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium. 37. Dico enim vobis quoniam adhûc quod ſcriptum eſt oportet perfici in me, Et cum iniquis deputatus eſt. Etenim ea quæ ſunt de me, finem habent. 38. At illi dixerunt, Domine, ecce hic gladii duo. At ille dixit eis, Satis eſt.

Huc ſpectat totus Chriſti ſermo, ſe hactenus pepercisse diſcipulis, ne quid illis plus imponeret moleſtiæ quam pro ipſorum modulo. Ac prioris quidem temporis indulgentiam commendat, quo nunc alacrius ad duriorem militiam ſe comparent. Quorſum enim rudes adhuc tirunculos procul à telorum jactu in umbra & quiete continuit, niſi ut paulatim collectis in otio animis & viribus ad pugnandum aſſueſcerent? Perinde igitur eſt acſi dixiſſet, Vobis hactenus fuit commoda & læta conditio, quia tanquam pueros molliter fovere volui: nunc maturum adeſt tempus quo vos inſtar virorum exerceam. Longius tamen patet diverſa quam hic ponit duorum temporum comparatio. nam ſi abſque annona, quum res pacatæ ipſos ſibi proſpicere ſinerent, ad munus ſuum egreſſis nihil defuit: nunc multo magis in tumultu & fervore, depoſita victus cura properare convenit quo vocat neceſſitas. Quanquam autem hic ſpecialiter commemorat Chriſtus quid egerit cum duodecim Apoſtolis, ſimul tamen docet, dum adhuc novitii ſumus & debiles in fide, tantiſper nobis inducias dari dum adoleſcamus in viros. itaque perperam eos facere qui ſua quiete ad delicias utuntur, quæ fidei robur enervent. Cæterum ne dubitemus quin hodie quoque rationem noſtri habeat Chriſtus, ut novitios & imbelles non præcipitet, ſed priuſquam ad conflictum mittat, armis inſtruat & virtute.

36. *Nunc qui habet ſacculum.*] Figurate ingentes turbas & acerrimos inſultus inſtare denunciat, perinde acſi imperator milites volens in aciem producere, ad arma conclamet. Jubet autem omnibus aliis curis valere juſſis, nonniſi ad pugnandum intentos eſſe, ut ne de victu quidem cogitent. docet enim (ut in extremis periculis fieri ſolet) omnia uſque ad peram & ſacculum eſſe vendenda, ut ſe armis muniant. Cæterum eos ad externam pugnam minime vocat, ſed tantum ſub bellandi ſimilitudine admonet quam difficiles illis obeundæ ſint luctæ tentationum, & quam graves ſpiritualium certaminum ſuſtinendi ſint impetus. Porro quo libentius in Dei providentiam ſe rejiciant, prius illis (ut dictum eſt) in memoriam reduxit, Deo fuiſſe curæ ut vacuis & nudis nihilque ferentibus victus tamen ſuppeteret. Tale & tam opportunum Dei ſubſidium expertis nulla debuit in futurum tempus obrepere dubitatio quin laborantibus omni ex parte ſuccurreret.

37. *Quoniam adhuc quod ſcriptum eſt.*] Huic adverbio Adhuc ſubeſt emphaſis: quia ſignificat Chriſtus nondum ſe omnibus officii ſui numeris defunctum eſſe, donec iniquis & ſceleratis accenſus fuerit, tanquam unus ex eorum ordine. Sed ne rei indignitas eorum animos nimis percellat, Jeſaiæ vaticinium adducit ex capite 53. verſ. 12. quod certum eſt nonniſi de Meſſia poſſe exponi. Jam quum illic dicatur reputandus eſſe inter impios, tali ſpectaculo (quamvis atroci) non decuit turbari fideles, nedum à Chriſto alienari, qui aliter Redemptor eſſe non poterat quam ſi probrum & dedecus ſcelerati hominis in ſe ſuſciperet. Nullum enim aptius tollendis ſcandalis remedium eſt, ubi aliqua nos abſurditas terret, quam ſi agnoſcimus ita Deo placere, nec temere fieri vel ſine juſta ratione quod fit ejus decreto: præſertim ubi olim prædictum fuit quod eventu ipſo apparet. Quum ergo à diſcipulis ſperandus eſſet Redemptor qualem Deus olim promiſerat, diſerte autem teſtatus eſſet Jeſaias, ut nos à ſcelerum reatu eximeret, pœnam in ipſum oportere transferri: debuit hoc ad ſedandum horrorem ſufficere, ne Chriſtum minoris facerent diſcipuli. Ideo ſubjicit *Quæ ad ſe pertinent finem habere:* ſignificans nihil à Prophetis fruſtra eſſe dictum. Nam loquutio hæc apud Græcos ſignificat Perfici, vel ad effectum perduci. Jam quum eventu probatur quicquid loquuti ſunt Prophetæ, hoc ad fidei noſtræ confirmationem valere potius debet quam nobis pavorem vel anxietatem incutere. Quanquam autem uno hoc argumento erigit & ſolatur Chriſtus diſcipulos, quia omnes prophetias compleri oporteat; ipſa tamen divini conſilii ratio non vulgarem fiduciæ materiam in ſe continet: nempe damnationi, quam omnes promeriti eramus, ſubjectum fuiſſe Chriſtum, & reputatum inter impios, ut nos, qui impii ſumus & ſceleribus oppreſſi, tanquam juſtos Patri offerret. Nam hinc puri & ſoluti à peccatis coram Deo cenſemur, quia Agnus ab omni macula purus & immunis in vicem noſtram ſubiit: ſicuti proximo capite rurſus dicendum erit.

38. *Domine, ecce duo gladii.*] Turpis ſane & bruta fuit hæc ruditas, quod diſcipuli toties admoniti de ferenda cruce, ferreis gladiis ſibi pugnandum eſſe putant. Porro incertum eſt, duoſne gladios ſibi eſſe prædicent, acſi probe inſtructi forent contra hoſtes, an vero querantur armis ſe deſtitui. Hoc quidem clarum eſt, ita fuiſſe ſtupidos ut de hoſte ſpirituali non cogitarent. Porro quod hinc eliciunt Canoniſtæ cornutos ſuos Epiſcopos duplici juriſdictione eſſe præditos, non ſolum putida eſt allegoria, ſed protervum ludibrium quo Dei verbo inſultant. Atque huc dementiæ prolabi oportuit Antichriſti mancipia, ut palam ſacrilego contemptu ſacra Dei oracula calcarent.

MATTH. XXVI.

36. Tunc venit Jeſus cum illis in villam quæ dicitur Gethſemane: & dixit diſcipulis, Sedete hic donec vadam & orem illic.

37. Et aſſumpto Petro & duobus filiis Zebedæi, cœpit affici dolore & mœſtitudine.

38. Tunc ait illis Jeſus, Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem: manete hic, & vigilate mecum.

39. Et progreſſus puſillum, procidit in faciem ſuam, orans, ac dicens, Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.

40. Et venit ad diſcipulos, & reperit eos dormientes: & dicit Petro, Adeo non potuiſtis una hora vigilate mecum?

41. Vigilate & orate, ut ne intretis in tentationem: ſpiritus quidem promptus eſt, at caro infirma.

42. Rurſus altera vice abiit, & oravit, dicens, Pater mi, ſi non poteſt hoc poculum tranſire à me niſi bibam illud, fiat voluntas tua.

43. Et venit, & reperit eos iterum dormientes. erant enim oculi eorum gravati.

44. Et relictis illis, iterum abiit, & oravit tertio, eundem ſermonem dicens.

MARC. XIV.

32. Et veniunt in locum cujus nomen Gethſemane: & dicit diſcipulis ſuis, Sedete hic donec oravero.

33. Et aſſumit Petrum & Jacobum & Joannem ſecum: cœpitque expaveſcere, & mœrore affici.

34. Et dixit illis, Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem: manete hic, & vigilate.

35. Et progreſſus puſillum, proſtratus eſt in terram: & oravit, ut, ſi poſſibile eſſet, tranſiret à ſe hora.

36. Et dicebat, Abba, Pater, omnia poſſibilia ſunt tibi: aufer poculum hoc à me. veruntamen non quod ego volo, ſed quod tu.

37. Et venit, & offendit eos dormientes: dicitque Petro, Simon, dormis? non potuiſti unam horam vigilare?

38. Vigilate & orate, ne intretis in tentationem: ſpiritus quidem promptus, àt caro infirma.

39. Et rurſum digreſſus oravit, eundem ſermonem dicens.

40. Et reverſus offendit illos rurſum dormientes. erant enim oculi eorum gravati, neque ſciebant quid illi reſponderent.

LUC. XXII.

39. Et egreſſus, ibat (ut erat ſolitus) in montem Olivarum: ſequuti autem ſunt illum etiam diſcipuli.

40. Et quum perveniſſet ad locum, dixit illis, Orate ne intretis in tentationem.

41. Et ipſe avulſus eſt ab eis ferme ad jactum lapidis, poſitiſque genibus orabat,

42. Dicens, Pater, ſi vis, transfer poculum hoc à me: veruntamen non mea voluntas ſed tua fiat.

43. Apparuit autem ei Angelus de cælo, corroborans eum.

44. Et anxietate correptus, prolixius orabat: & erat ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentes in terram.

45. Et quum ſurrexiſſet à precatione, veniſſetque ad diſcipulos ſuos, reperit eos dormientes præ mœrore:

46. Et ait illis, Quid dormitis? ſurgite & orate, ne intretis in tentationem.

36. *Tunc venit Jeſus.*] Lucas tantum montem Olivarum nominat: Marcus & Matthæus magis ſpecialem loci notam apponunt. Exprimit autem Lucas, quod magis ad rem pertinet, veniſſe illic Chriſtum pro ſuo more. Unde colligimus, non quæſiiſſe in receſſu latebras quibus ſe abderet, ſed quaſi ex condicto ſe obtuliſſe ad mortem. Ideo Joannes dicit notum fuiſſe proditori locum, quia illuc frequenter venire ſolitus erat Jeſus. Itaque hoc loco ejus obedientia iterum nobis deſcribitur, quia Patrem nonniſi voluntaria morte placaſſet. *Sedete hic.* Diſcipulos procul relinquens, eorum infirmitati parcit: acſi quis extremum diſcrimen ſibi in bello inſtare videns, uxorem & liberos in loco pacato deponeret. Cæterum quamvis omnes extra telorum jactum locatos velit, ſibi tamen propius adjunxit tres comites: ac fuit ille flos electus in quo plus erat vigoris. Neque tamen ipſos aſſumpſit quod pares ad ſuſtinendum impetum fore conſideret, ſed ut documento eſſent communis omnium defectus.

37. *Cœpit dolore affici.*] Jam ante vidimus Dominum cum metu mortis luctatum eſſe. ſed quia nunc cum tentatione manus conſerit, vocatur talis congreſſus doloris & mœſtitiæ initium. Unde colligimus, verum experimentum virtutis non eſſe niſi in re præſenti. nam tunc ſe prodit carnis debilitas quæ prius latebat, & affectus intimi ſeſe effundunt. Ergo tametſi quibuſdam præludiis Filium ſuum jam exercuerat Deus, nunc tamen propiore mortis conſpectu gravius vulnerat, & inſolitum terrorem incutit. Porro quia divina Chriſti gloria videtur hoc eſſe indignum quod pavore & mœſtitia correptus fuerit, multi interpretes anxie in quærendis effugiis ſudarunt. Sed inconſideratus & parum utilis fuit eorum labor: nam ſi nos timoris ac mœſtitiæ ejus pudet, effluet ac peribit redemptio. Vere enim Ambroſius, Non ſolum, inquit, excuſandum non puto, ſed etiam nuſquam magis pietatem ejus majeſtatemque demiror. minus enim contulerat mihi, niſi meum ſuſcepiſſet affectum. Ergo pro me doluit qui pro ſe nihil habuit quod doleret, & ſequeſtrata delectatione divinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur. Confidenter ergo triſtitiam nomino, quia crucem prædico. Neque enim ſpeciem incarnationis ſuſcepit, ſed veritatem. Debuit ergo & dolorem ſuſcipere, ut vinceret triſtitiam, non excluderet. neque enim habent fortitudinis laudem qui ſtuporem magis vulnerum tulerint quam dolorem. Hactenus Ambroſius. Certe qui ab humanis paſſionibus immunem fingunt Dei Filium, vere & ſerio hominem non agnoſcunt. Imo quum dicitur divina Chriſti virtus quaſi abſcondita ad tempus quieviſſe, ut partes Redemptoris patiendo impleret: adeo in eo nihil eſt abſurdum, ut aliter ſalutis noſtræ myſterium impleri nequiverit. Recte enim Cyrillus, Quod autem non voluntaria quodammodo fuerit crucis paſſio Chriſto, voluntaria autem propter voluntatem Patris, & propter ſalutem noſtram, ex precatione ejus facile diſces: Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte. Eadem enim ratione qua verbum

Dei

Dei Deus eſt, & ipſa naturaliter vita, nemo ambiget quod nullo modo mortem formidavit. caro autem factus, permittit carni ut ſua patiatur: & ideo ut vere homo præſentem jam in januis mortem expaveſcit, ac dicit, Si poſſibile eſt, Pater, tranſeat à me calix iſte: verum quoniam aliter fieri non poteſt, fiat non ut ego volo, ſed ut tu. Vides quemadmodum natura humana etiam in ipſo Chriſto ſua patitur ac formidat: ſed à conjuncto ſibi Verbo ad congruam Dei fortitudinem reducitur. Tandem concludit, Perſpicis non fuiſſe propter carnem, voluntariam mortem Chriſto: fuit tamen voluntaria, quia propter eam, ſecundum voluntatem Patris, ſalus & vita hominibus donata eſt. Hucuſque Cyrillus. Separari tamen à noſtra debet, quæ à Chriſto ſuſcepta fuit carnis infirmitas: ſicuti longe diſtat. Nam in nobis ideo nullus vitio affectus caret, quia omnes modum ac rectum temperamentum excedunt: Chriſtus autem triſtitia & metu ſic turbatus fuit, ut tamen adverſus Deum non inſurgeret, ſed maneret compoſitus ad veram temperantiæ regulam. Nec enim mirum eſt, quum integer eſſet, puruſque ab omni labe, puros & liquidos ab eo fluxiſſe affectus, quamvis humanæ infirmitatis teſtes forent: à corrupta autem hominum natura nihil manare niſi turbidum, & quod fæcem reſipiat. Teneatur ergo hoc diſcrimen, Chriſtum in metu & triſtitia infirmum fuiſſe abſque ulla vitii macula: noſtros autem omnes affectus, quia in exceſſum ebulliunt, eſſe vitioſos. Jam ipſa affectuum ſpecies quibus tentatus fuit Chriſtus, notanda eſt. Dicit Matthæus *triſtitia & mœrore* (vel anxietate) *fuiſſe affectum*: Lucas *angore conſtrictum*: Marcus addidit *expaviſſe*. Unde autem illi & mœror, & anxietas, & formido, niſi quia in morte triſtius aliquid & magis horribile concepit quam ſeparationem animæ & corporis? Et certe mortem ſubiit non tantum ut è terra in cælum migraret, ſed potius ut maledictionem, cui eramus obnoxii, in ſe ſuſcipiens, nos ab ea eximeret. Non ergo mortem horruit ſimpliciter quatenus tranſitus eſt è mundo, ſed quia formidabile Dei tribunal illi erat ante oculos, judex ipſe incomprehenſibili vindicta armatus: peccata vero noſtra, quorum onus illi erat impoſitum, ſua ingenti mole eum premebant. Quare nihil mirum ſi horribilis exitii abyſſus metu & anxietate duriter eum cruciavit.

38. *Triſtis eſt anima mea.*] Triſtitiæ ſuæ conſcios facit, ut ad ſympathiam expergefaciat: non quod eum lateret ipſorum debilitas, ſed quo magis in poſterum eos ſocordiæ ſuæ puderet. Porro hæc loquutio lethale doloris vulnus exprimit: acſi dixiſſet, triſtitia ſe exanimem eſſe, vel ſemimortuum. Sic Jonas Domino reſpondet, (cap. 4. verſ. 1.) Iratus ſum uſque ad mortem. Quod ideo admoneo quia ex vetuſtis ſcriptoribus quidam hunc locum argute tractando, inepte philoſophantur, quod Chriſti anima non in morte, ſed uſque ad mortem tantum triſtis fuerit. Atque hic rurſus tanti mœroris cauſa in mentem venire nobis debet. neque enim ſic animum Filii Dei mors per ſe cruciaſſet, niſi cum Dei judicio ſenſiſſet ſibi eſſe negotium.

39. *Progreſſus puſillum.*] Alibi vidimus Dominum quo ſe ad majorem precandi vehementiam accenderet, ſine teſtibus precatum eſſe. Nam ab hominum conſpectu ſubducti, melius ſenſus noſtros colligimus, ut magis ad id quod agimus intenti ſint. Neceſſe quidem non eſt, quoties orare volumus, in remotos angulos fugere (imo non ſemper expedit): ſed ubi major aliqua urget neceſſitas, quia liberius in ſolitudine ſe effundit orandi fervor, nobis utile eſt ſeorſum orare. Quod ſi Filius Dei hoc adminiculum non neglexit, pluſquam inſana ſuperbia foret non idem in uſum noſtrum transferre. Adde quod ubi ſolus Deus eſt arbiter, quia tunc timenda non eſt ambitio, magis familiariter ſeſe denudat fidelis anima, & ſimplicius ſua vota, gemitus, curas, pavores, ſpes & gaudia in Dei ſinum exonerat. Deus autem multas ineptias ſuis permittit dum ſeorſum orant, quæ in humano conſpectu oſtentatione non carerent. Ipſo etiam geſtu, quum in terram procidit, ſeriam orandi vehementiam teſtatus eſt. Nam etſi genuflexio, tanquam honoris ac reverentiæ ſymbolum, communiter precibus adhiberi ſolet: Chriſtus tamen ſuppliciter in terra jacendo, pro magnitudine doloris ſui ad miſerabilem habitum ſe formavit. *Pater mi, ſi poſſibile eſt.* Fruſtra laborant quidam ut oſtendant non hic precationem deſcribi, ſed querimoniam duntaxat. Ego vero tametſi abruptum fuiſſe votum fateor, non dubito quin precationem Chriſtus conceperit. Nec obſtat quod rem impoſſibilem ſibi concedi poſcit: quia non ſemper fidelium preces continuo tenore ad finem uſque fluunt: non ſemper æquabile temperamentum ſervant, non ſemper etiam diſtincto ordine ſunt compoſitæ: quin potius implicitæ & perplexæ vel confligunt ſecum, vel in medio curſu ſubſiſtunt: ſicuti navis procellis jactata quamvis ad portum tendat, non tamen rectum & æquabilem curſum tenere poteſt ut in mari quieto. Tenendum quidem eſt quod nuper dixi, non fuiſſe turbulentos Chriſti affectus, qui more noſtro ejus animo puram moderationem excuterent: ſed quantum ferre potuit ſana & integra hominis natura, metu perculſus & anxietate conſtrictus fuit, ut neceſſe foret inter violentos tentationum fluctus alternis votis quaſi vacillare. Hæc ratio eſt cur mortem deprecatus, mox ſibi frenum injiciat, Patriſque imperio ſe ſubjiciens, votum illud ſubito elapſum caſtiget ac revocet. Sed quæritur quomodo æternum Patris decretum reſcindi poſtulet, cujus minime ignarus erat. Nam etſi interponitur conditio, *Si poſſibile eſt*: hoc tamen abſurdum videtur, flexibile Dei conſilium facere. Sic enim penitus ſtatuere convenit, fieri non poſſe ut Deus conſilium retractet. Apud Marcum vero videtur Chriſtus Dei potentiam decreto opponere: *Omnia*, inquit, *tibi poſſibilia ſunt.* Atqui perperam huc Dei potentia extenditur, ut varium & mutabilem reddendo, veritatem ejus infirmet. Reſpondeo, nihil eſſe abſurdi ſi Chriſtus ex communi piorum more, omiſſo divini conſilii intuitu, deſiderium ſuum quo æſtuabat, in Patris ſinum depoſuerit. Neque enim fideles in fundendis precibus ſemper ad ſpeculanda Dei arcana conſcendunt, vel tanquam in otio expendunt quid factu ſit poſſibile: ſed votorum fervore interdum celeres feruntur. Sic Moſes petit deleri de libro vitæ. ſic Paulus *Exod. 32.*
optavit anathema fieri. Non fuit igitur hæc medi- *verſ. 32.*
tata Chriſti oratio: ſed vis & impetus doloris ſubi- *Rom 9.*
tam ei vocem extorſit, cui ſtatim addita fuit corre- *verſ. 3.*
ctio. Eadem vehementia præſentem cæleſtis decreti memoriam illi abſtulit, ut non reputaret in ipſo momento, ſe hac lege miſſum eſſe humani generis redemptorem: ſicuti gravis anxietas ſæpe caliginem oculis obducit, ne ſimul in mentem veniant omnia. In ſumma, nihil abſurdi eſt ſi in precibus non ſemper occurrit præſens omnium rerum attentio, ut diſtinctus ordo teneatur. Quod vero apud Marcum Chriſtus omnia Deo poſſibilia eſſe dicit, non huc ſpectat ut potentiam ejus cum immutabili veritate ac conſtantia in certamen committat: ſed quia nihil erat ſpei (ut in rebus deploratis fieri ſolet) in Dei virtutem ſe rejicit. Poculi vel calicis nomine alibi dictum eſt notari Dei providentiam quæ ſingulis crucis & afflictionum menſuram diſpenſat, perinde ac paterfamilias demenſum cuique ſervo aſſignat, ac inter liberos portiones diſtribuit. *Veruntamen non ſicut ego.* Videmus ut Chriſtus ſtatim ab ipſis carceribus affectum ſuum cobibeat, ſeque ipſum mature cogat in ordinem. Sed primum hic quæri poteſt quomodo ab omni vitio pura fuerit ejus voluntas, quæ tamen cum

Dei

Dei voluntate non congruebat. Nam ſi unica boni & æqui regula eſt Dei voluntas, ſequitur affectus omnes qui ab ea diſſident, eſſe vitioſos. Reſpondeo, quamvis hæc vera ſit rectitudo, formare noſtros omnes affectus ad Dei arbitrium: eſſe tamen quandam obliquæ diſſenſionis ſpeciem quæ culpa caret, nec in peccatum imputatur: quemadmodum ſiquis tranquillum & florentem Eccleſiæ ſtatum expetat, ſi cupiat ærumnis liberatos eſſe Dei filios, ſublatas è medio omnes ſuperſtitiones, repreſſam impiorum libidinem ne quid noceant. Hæc quum per ſe recta ſint, rite poſſunt à fidelibus expeti: quamvis aliter Deo placeat, qui vult Filium ſuum regnare inter hoſtes, ſuos exerceri ſub cruce, fidei & Euangelii victoriam contrariis Satanæ machinationibus illuſtrari. Videmus ut pia ſint vota quæ in ſpeciem à Dei voluntate diſcrepant: quia non exacte ſemper vel ſcrupuloſe à nobis inquiri vult Deus quid ſtatuerit ipſe, ſed quod pro ſenſus noſtri captu optabile eſt, flagitari à ſe permittit. Nondum tamen prorſus ſoluta eſt quæſtio. nam quum nuper dictum fuerit, recte compoſitos fuiſſe omnes Chriſti affectus, quomodo nunc ſeipſum corrigit? ſic enim affectum ſuum ſubigit in obſequium Dei quaſi modum exceſſerit. Certe in primo voto non apparet placida illa moderatio quam dixi: quia Mediatoris officio defungi, quantum in ſe eſt, renuit ac detrectat. Reſpondeo, in eo nihil fuiſſe vitii quod objecto mortis terrore, ſimul oblata eſt caligo, ut aliis omnibus omiſſis ad votum illud proſiliret. Neque hic ſubtiliter diſputare neceſſe eſt an illi obrepere potuerit ſalutis noſtræ oblivio: quia hoc unum ſufficere nobis debet, quum in mortis deprecationem erumperet, de aliis non cogitaſſe quæ viam clauſiſſent. Siquis excipiat, primum motum (quem frenari antequam longius excurreret oportuit) non fuiſſe temperatum ut decebat: reſpondeo, non poſſe in hac naturæ noſtræ corruptione perſpici affectuum fervorem cum temperie qualis in Chriſto fuit: ſed hunc dandum eſſe honorem Filio Dei ne eum æſtimemus ex nobis. Nam ſic in nobis æſtuant omnes carnis affectus ut proſiliant in contumaciam, vel ſaltem aliquid fæcis habeant admiſtum. Sic autem & doloris & metus fervore æſtuavit Chriſtus ut ſe tamen continuerit in ſua menſura. Imo ſicuti varii cantus & inter ſe diſcrepantes, adeo nihil diſſonum habeot ut potius concinnam ſuavemque harmoniam conficiant: ita in Chriſto inſigne extitit ſymmetriæ exemplar inter Dei & hominum voluntates, ut abſque conflictu & repugnantia inter ſe differant. Hic quidem locus clare docet nimis inſipidos fuiſſe veteres hæreticos qui Monothelitæ dicti ſunt, quod fingerent Chriſtum nonniſi una voluntate & ſimplici fuiſſe præditum. neque enim quatenus Deus erat, aliud voluit quam Pater. Sequitur ergo humanæ ejus animæ ſuos fuiſſe affectus ab arcano Dei conſilio diſtinctos. Jam vero ſi Chriſtum oportuit captivam tenere ſuam voluntatem, ut eam ſubjiceret Dei imperio, quamvis recte moderata eſſet: quam ſollicite nobis reprimenda eſt affectuum noſtrorum licentia, qui & ſemper inconſiderati feruntur ac præcipites, & contumacia referti ſunt? Quod ſi nos gubernet Dei Spiritus ut nihil velimus niſi rationi conſentaneum, Deo tamen hanc debemus obedientiam ut patienter feramus votis noſtris non dari ſucceſſum. Nam hæc fidei modeſtia eſt, Deo permittere ut aliter ſtatuat quam nos cupimus. Præſertim hæc regula tenenda eſt ubi nobis non conſtat certa & ſpecialis promiſſio, nequid petamus niſi ſub hac conditione, ut Deus impleat quod decrevit. quod fieri non poteſt quin vota noſtra illi reſignemus. Jam quæritur quid orando Chriſtus profecerit. *Hebr. 5. verſ. 7.* Apoſtolus ad Hebr. dicit exauditum fuiſſe à ſuo metu (ſic enim exponi debet locus ille: non autem ut vulgo legitur, pro ſua reverentia). Id porro non quadraret ſi mortem ſimpliciter timuiſſet Chriſtus: quia ab ea liberatus non fuit. Unde ſequitur gravioris mali timore ad deprecandam mortem fuiſſe adactum: nempe quum iram Dei ſibi propoſitam videret, quatenus ad ejus tribunal totius mundi peccatis oneratus ſe ſiſtebat, neceſſe illi fuit profundam mortis abyſſum exhorreſcere. Quanquam ergo mortem ſuſtinuit, quia tamen ſolutis ejus doloribus (quemadmodum & Petrus docet) ſuperior *Actor. 2. verſ. 24.* evaſit in lucta, merito dicit Apoſtolus exauditum fuiſſe à ſuo metu. Hic indocti homines inſurgunt, remque indignam eſſe clamitant quod veritus ſit Chriſtus abſorberi à morte. Ego autem ipſos mihi reſpondere velim quemnam fuiſſe metum putent qui guttas ſanguineas Chriſto expreſſit. nunquam enim niſi à diro & inſolito horrore fluxiſſet mortalis ille ſudor. Siquis hodie ſudando ſanguinem emittat, & quidem tanta copia ut guttæ in terram diſtillent, incredibile portentum erit: ſicui hoc contingat mortis timore, puſillo & muliebri animo eſſe dicemus. Ergo qui Chriſtum negant precatum eſſe ut eum Pater à mortis gurgite eriperet, mollitiem illi affingunt vel plebeio homine indignam. Siquis objiciat, infidelitatis eſſe timorem illum quem dico: in promptu ſolutio eſt, quum divinæ maledictionis horrore perculſus eſt Chriſtus, ſic tactum fuiſſe carnis ſenſu ut fides illæſa & incolumis maneret. Fecit enim naturæ ejus integritas ut eaſdem quæ nos ſuis aculeis pungunt tentationes ſine vulnere ſentiret. Interim ſtulte imaginantur ſine certamine victorem, qui tentationum ſenſu eum eximunt. Nec vero putare fas eſt quicquam eum ſimulaſſe dum conqueſtus eſt de mortali animæ ſuæ triſtitia: nec mentiti ſunt Euangeliſtæ, mœſtitia fuiſſe correptum & expaviſſe narrantes.

40. *Et venit ad diſcipulos.*] Quanquam nec metu ſolutus nec cura laxatus erat, remiſſa tamen precandi contentione, ſolatium hoc interpoſuit. Neque enim talis requiritur precandi aſſiduitas à fidelibus ut nunquam à Dei colloquio diſcedant: quin potius Chriſti exemplo ſuas orationes continuant, dum euſque progreſſi quo patitur infirmitas, ad exiguum quidem tempus ceſſant, ſubinde tamen recepto anhelitu ſe denuo ad Deum convertunt. Fuiſſet autem non parva doloris levatio, diſcipulos habere ejus ſocios & conſortes: contra vero acerba mali acceſſio fuit, ab ipſis quoque deſtitui. Etſi enim nullius ope indiguit, quia tamen ultro infirmitates noſtras ſuſceperat, atque in hoc maxime agone ejus exinanitionis de qua meminit Paulus, ſpecimen edere voluit: nihil mi- *Phil. 2:7.* rum ſi eorum ſocordia quos ſibi ſocios delegerat, grave & moleſtum onus addidit ejus dolori. Neque enim ficte cum ipſis expoſtulat, ſed ex genuino animi ſenſu dolere ſibi teſtatur quod deſertus fuerit. Juſta autem fuit ſocordiæ exprobratio, quod in extremis ejus anguſtiis non unius ſaltem horæ vigilias tuliſſent.

41. *Vigilate & orate.*] Quia in magiſtri periculo torpebant diſcipuli, ad ſeipſos revocantur, ut proprii mali ſenſu expergeſiant. Denunciat ergo Chriſtus, niſi vigiles ſint & orent, ſtatim à tentatione poſſe opprimi: acſi dixiſſet, Quando vos nulla tangit mei cura, nolite ſaltem vos negligere, quis veſtra hic res agitur: ac niſi cavetis, tentatio vos ſtatim demerget. Nam intrare in tentationem, eſt ſuccumbere. Notemus autem reſiſtendi modum hic præſcribi, non ut noſtra virtute & induſtria freti colligamus animos: ſed potius ut conſcii noſtræ infirmitatis, arma & vires petamus à Domino. Nihil ergo ſine precibus vigilantia noſtra proficiet. *Spiritus quidem promptus.* Ne terrore exanimet diſcipulos, eorum ſegnitiem leniter adhibita conſolatione bonæque ſpei materia caſtigat. Ac primum quidem admonet, tametſi alacres ad recte agendi ſtudium ferantur, eſſe tamen cum infirmitate carnis luctandum: ideoque nunquam ſupervacuas eſſe preces.

Vide-

Videmus ergo promptitudinis laudem concedi, ne ſua eos infirmitas in deſperationem conjiciat: & tamen ſtimulari ad preces, quia nondum præditi ſint ſatis robuſto Spiritu. Quare hæc admonitio proprie ad fideles ſpectat, qui Spiritu Dei regeniti cupiunt recte agere, ſub carnis tamen infirmitate adhuc laborant. nam etſi viget in ipſis Spiritus gratia, ſecundum carnem infirmi ſunt. Quanquam autem ſolis diſcipulis ſua debilitas oſtenditur, quia tamen perinde in omnes competit quod de illis dicit Chriſtus, hinc petenda eſt generalis regula, ſedulas excubias precando nobis agendas eſſe: quia nondum in nobis eminet tantum Spiritus robur quin ſubinde labamur carnis infirmitate, niſi Dominus ſuo nos auxilio erigat ac ſuſtineat. Cæterum non eſt cur nimis anxie trepidemus: quia remedium nobis certum proponitur, quod nec longe nec fruſtra quærendum eſt. Superiores enim fore promittit Chriſtus quicunque ad precandum intenti, carnis ſuæ deſidiam ſedulo excutient.

42. *Altera vice abiit.*] His Matthæi verbis videtur Chriſtus quaſi ſubacto metu liberius ac magis ſoluto animo ſe Patri permittere. Neque enim amplius petit transferri à ſe poculum: ſed hoc voto præterito, in hoc potius inſiſtit ut Dei conſilio pareat. Sed apud Marcum progreſſus hic non exprimitur: imo quum ſecundo reverſus eſt Chriſtus, dicitur eaſdem iteraſſe preces. Et certe non dubito quoties oravit, metu & horrore ad deprecandam mortem fuiſſe impulſum. Probabile tamen eſt, ſecunda vice magis enixum fuiſſe ad obſequium Patri præſtandum: & primo tentationis congreſſu fuiſſe animatum, ut majore fiducia ad mortem accederet. Lucas diſtincte non recitat diverſis vicibus ipſum oraſſe: ſed tantum dicit, quum urgeret anxietas, prolixius & vehementius id feciſſe, acſi fuiſſet continuus precandi tenor. verum, ſcimus Euangeliſtas interdum omiſſis circumſtantiis ſummam tantum perſtringere. Quod ergo tandem in fine dicit veniſſe Chriſtum ad diſcipulos, eſt hyſteron proteron: ſicut & in altero membro, ubi prius Angelum è cælo apparuiſſe narrat quam de angore Chriſti loquatur. Sed inverſus ordo nihil habet abſurdi: quia ut ſciremus non fruſtra miſſum illi fuiſſe Angelum, neceſſitas deinde exprimitur. Ita narratio poſterior, eſt velut cauſæ redditio. Quanquam autem non niſi à ſolo Dei Spiritu fortitudo ſuggeritur, id non obſtat quominus Angelis ſuis miniſtris Deus utatur. Atque hinc colligere licet quam ingentes pertulerit cruciatus Filius Dei, quod oculari conſpectu Dei auxilium ei proponi oportuit.

43. *Reperit iterum dorm.*] Hæc ſomnolentia neque ex crapula, neque ex craſſo ſtupore, neque ex fluxa carnis hilaritate fuit: ſed potius ex immodico mœrore, quemadmodum docet Lucas. Unde melius perſpicimus quam proclivis ad torporem ſit caro noſtra, cui oblivionem Dei pericula ipſa inducunt. Ita undique apta Satanæ occaſio & prompta eſt ad tendendas nobis inſidias. Nam ſi nihil adverſi metuimus, ebrio ſopore nos perfundit: timore vero & mœſtitia, quibus ad precandum ſtimulari nos decebat, ſenſus noſtros obruit, ne ad Deum aſſurgant. ita modis omnibus effluunt homines, & à Deo alienantur donec ipſos colligat. Notanda etiam circumſtantia eſt, quod tam acriter objurgati diſcipuli, eodem fere momento ad ſomnum recidunt. Neque hoc de tota cohorte dicitur, ſed de tribus quos ſibi præcipuos comites Chriſtus delegerat. quid ergo fiet gregariis, quum hoc in flore acciderit? Porro iteratio ejuſdem ſermonis non fuit battologia (quam ſupra damnavit Chriſtus in hypocritis, qui futili garritu ſe impetraturos ſperant quod nunquam ſincere & ex animo petunt): ſed docuit Chriſtus ſuo exemplo, non decere nos animis frangi, nec fatigari precando, ſi non ſtatim fiamus votorum compotes. Hæc igitur eſt non ſupervacua ſermonis repetitio, ſi tentatio repulſæ non extinguat precandi ardorem, quin tertio & quarto petamus quod viſus fuerit Deus negaſſe.

MATTH. XXVI.

45. Tunc venit ad diſcipulos ſuos, & dicit illis, Dormite jam, & requieſcite: ecce appropinquavit hora, & Filius hominis traditur in manus peccatorum.

46. Surgite, eamus: ecce appropinquat qui me tradit.

47. Adhuc eo loquente, ecce Judas unus ex duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladiis & fuſtibus, à Sacerdotibus & Senioribus populi.

48. Qui vero prodebat eum, dederat illis ſignum, dicens, Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum.

49. Et confeſtim accedens ad Jeſum, dixit, Ave Rabbi. Et oſculatus eſt eum.

50. Dixitque illi Jeſus, Amice, ad quid ades? Tunc accedentes, injecerunt manus in Jeſum, & ceperunt eum.

MARC. XIV.

41. Et venit tertio, dicitque illis, Dormite poſthac, & requieſcite. ſufficit, venit hora: ecce traditur Filius hominis in manus peccatorum.

42. Surgite, eamus: ecce appropinquat qui me prodit.

43. Et continuo, adhuc eo loquente, accedit Judas qui unus erat è duodecim, & cum eo turba multa cum gladiis & fuſtibus, à ſummis Sacerdotibus, & Scribis, & Senioribus.

44. Dederat autem, qui prodebat eum, ipſis interſignium, dicens, Quemcunque oſculatus fuero, is eſt: comprehendite eum, & abducite caute.

45. Et veniens, confeſtim accedit ad illum, ac dicit, Rabbi, Rabbi. Et oſculatus eſt eum.

46. Illi vero injecerunt in eum manus ſuas, & ceperunt eum.

LUC. XXII.

47. Adhuc autem eo loquente, ecce turba, & qui vocabatur Judas, unus è duodecim, antecedebat eos: & appropinquavit Jeſu, ut oſcularetur eum.

48. Jeſus autem dixit illi, Juda, oſculo Filium hominis prodis?

45. *Dormite jam, & requieſcite.*] Satis convenit ironice hic Chriſtum loqui: ſed tenendum ſimul eſt quorſum ſpectet ironia. Quia enim Chriſtus diſcipulos monendo nihil profecerat, non modo eorum ſocordiam oblique perſtringit: ſed denunciat, quamvis ſegnes eſſe velint, non fore illis amplius integrum. Senſus eſt igitur, Quia hactenus apud vos verba perdidi, jam vos hortari deſinam: ſed utcun-

que vobis per me dormire liceat, hoc tamen vobis hoſtes non permittent, ſed invitos cogent ad vigilandum. ideo apud Marcum additur, *Sufficit*: acſi dixiſſet non eſſe jam dormiendi tempus. Atque hoc modo plerumque Dominus hominum ſegnitiem caſtigat, ut qui ad verba ſurdi fuerunt, malis tandem coacti evigilent. Quare diſcamus Domini verbis mature attendere, ne quod ipſe ſponte à nobis elicere vult, ſero extorqueat neceſſitas.

46. *Surgite, eamus.*] His verbis declarat, ex quo precatus fuit, novis armis ſe eſſe inſtructum. Prius quidem ſatis voluntarius ad mortem fuerat: ſed in ipſo articulo cum carnis infirmitate durum illi certamen fuit, ut libenter ſe à morte ſubduceret, ſi modo licitum fuiſſet cum bona Patris venia. Precibus ergo & lachrymis novam è cælo virtutem obtinuit. non quod unquam vacillarit inopia virtutis: ſed quia ſub carnis infirmitate, quam ſponte ſuſceperat, anxie & cum moleſto difficilique conatu laborare voluit, ut in ſua perſona victoriam nobis acquireret. Nunc vero ſedata trepidatione, & timore ſubacto, rurſus ut voluntarium ſacrificium offerat Patri, non modo non fugitat, ſed ultro ad mortem occurrit.

47. *Adhuc eo loquente.*] Sedulo exprimunt Euangeliſtæ prævisum fuiſſe à Domino quicquid accidit. unde certo colligi potuit non externa violentia ipſum ad mortem trahi, niſi quatenus impii arcanum Dei conſilium exequebantur. Quanquam ergo lugubre & plenum terroris ſpectaculum diſcipulis objectum fuit: ſimul tamen oblatum eſt fiduciæ argumentum quo ſe erigerent, quum nihil fortuitum agi res ipſa oſtenderet, ac Chriſti prædictio eos dirigeret ad ſpeculandam Deitatis ejus gloriam. Quod autem à Sacerdotibus miſſa fuit armata turba, quod etiam tribunum & cohortem precario ſumpſerunt à Pilato: hinc apparet mala conſcientia perculſos fuiſſe ac vexatos, ut omnia trepide agerent. Quorſum enim ad Chriſtum capiendum tantis copiis opus fuit, quem ſciebant nullo armorum præſidio munitum eſſe? Hinc ergo tam ſollicitus apparatus, quod divina Chriſti virtus, quam multis documentis coacti fuerant ſentire, intus ipſos torquebat. ſed ex altera parte prodigioſus emergit eorum furor, quod armorum potentia freti, adverſum Deum inſurgere non dubitant.

48. *Qui vero prodebat eum.*] Non dubito quin vel reverentia Domini, vel ſceleris ſui pudore cohibitus fuerit Judas ut palam non auderet ſe unum ex hoſtibus profiteri: imo quod apud Marcum milites admonet *ut eum caute deducant*, ideo factum eſſe conjicio, quia memoria tenebat quam multis documentis probaſſet alias Chriſtus divinam ſuam virtutem. Sed mira interim dementia fuit, vel ſe occultare frivola ſimulatione, quum in Filii Dei conſpectum prodiret; vel immenſæ ejus potentiæ opponere hominum induſtriam.

49. *Ave Rabbi.*] Non dubito quin Judas quaſi trepidus magiſtri periculo, miſericordiæ affectum his verbis ſimulaverit: ideo apud Marcum exprimitur pathetica repetitio, *Rabbi, Rabbi.* Quanquam enim eum urgebat Chriſti majeſtas, ſic tamen diabolus faſcinaverat ejus mentem, ut perfidiam ſuam oſculo & verborum blanditiis probe celatam confideret. Hæc igitur ſalutatio vel acclamatio, compaſſionis fuit prætextus. Idem & de oſculo ſentio. etſi enim mos ſatis tritus Judæis fuit amicos oſculo excipere: quia tamen paulo ante à Chriſto diſceſſerat Judas, videtur nunc quaſi periculo repente expavefactus, extremum oſculum magiſtro porrigere. Ita ſpecie pietatis reliquos ſuperat, dum videtur ægerrime à magiſtro ſuo avelli: interim quam nihil ſuis fallaciis proficiat, apparet ex Chriſti reſponſo.

50. *Amice, ad quid ades?*] Expreſſius apud Lucam, *Juda, oſculo Filium hominis prodis?* niſi quod plus vehementiæ habet hæc exprobratio, quod magiſtri benevolentia & ſummo honore ſibi delato ad extremam perfidiam impie abutitur. Neque enim ironica eſt compellatio, dum Chriſtus amicum vocat: ſed ingratitudinem illi objicit, quod ex intimo & contubernali amico factus ſit proditor, quemadmodum in Pſalmo prædictum fuerat, Si hoc feciſſet Pſal. 55.
extraneus, tolerandum fuiſſet: nunc autem familia- verſ. 13.
ris & domeſticus, cum quo ſuaviter veſcebar, qui Pſal. 41.
me comitabatur in templum Domini, ſuſtulit con- verſ. 10.
tra me inſidias. Hic vero clare videmus quod paulo ante admonui, quocunque artificio ſe tegant hypocritæ, & quoſcunque fucos obtendant, ubi in conſpectum Domini ventum eſt, eorum ſcelera proferri in medium: imo hoc illis cedere in gravius judicium, quod in Chriſti gremium recepti, perfide in ipſum inſurgunt. nam Amici nomen (ut diximus) acrem in ſe aculeum continet. Cæterum huic malo quod ſemel Chriſtus in ſua perſona ſuſtinuit, ſciamus Eccleſiam ſemper fore obnoxiam, ut proditores in ſinu ſuo foveat. Ideo & paulo ante dictum fuit, Proditor acceſſit, qui unus erat è duodecim. Ne talibus exemplis ultra modum turbemur: quia utroque modo probare vult Dominus fidem noſtram, dum extra per hoſtes apertos Satan nos & Eccleſiam oppugnat, intus vero per hypocritas clandeſtinam perniciem molitur. Simul tamen docemur ſinceritatem cum Deo colere quicunque ſumus ex ejus diſcipulis. Nam & defectiones quas quotidie cernimus, ad timorem nos & veræ pietatis ſtudium ſollicitant: ut dicit Paulus, Diſcedat ab iniquitate quiſquis invocat nomen Domini. Jubemur omnes oſculari Dei Filium. videndum igitur ne hoc quiſquam proditorie faciat: alioqui magno conſtabit in tantum honorem fuiſſe evectos.

MATTH. XXVI.	MARC. XIV.	LUC. XXII.
51. Et ecce, unus ex iis qui erant cum Jeſu, extendens manum exeruit gladium ſuum: & percutiens ſervum ſummi Sacerdotis, amputavit auriculam ejus.	47. Unus autem quidam aſtantium, educto gladio, percuſſit ſervum ſummi Pontificis, & amputavit ejus auriculam.	49. Videntes autem ii qui circa ipſum erant quod futurum erat, dixerunt ei, Domine, percutiemusne gladio?
52. Tunc ait illi Jeſus, Converte gladium in locum ſuum. omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.	48. Et reſpondens Jeſus, dixit illis, Tanquam ad latronem exiiſtis cum gladiis & fuſtibus ad comprehendendum me?	50. Et percuſſit unus ex illis ſervum ſummi Pontificis, & amputavit auriculam ejus dextram.
53. An putas quod non poſſum nunc rogare Patrem meum, & exhibebit mihi pluſquam duodecim legiones Angelorum?	49. Quotidie eram apud vos in Templo docens, & non comprehendiſtis me. Sed *hoc factum eſt* ut implerentur Scripturæ.	51. Reſpondens autem Jeſus, dixit, Sinite hucuſque. Et quum tetigiſſet auriculam ejus, ſanavit eum.
54. Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quod ſic oportet fieri?		52. Dixit autem Jeſus ad eos qui venerant ad ſe, principes

55. In illa hora dixit Jeſus turbis, Tanquam ad latronem exiiſtis cum gladiis & fuſtibus ad comprehendendum me: quotidie apud vos ſedebam, docens in Templo, & non me cepiſtis.

56. Hoc autem totum factum eſt ut complerentur Scripturæ Prophetarum. Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt.

50. Et eo relicto fugerunt omnes.

51. * Unus autem adoleſcentulus ſequebatur eum, circumamictus ſindone ſuper nudum: & comprehenderunt eum adoleſcentes.

52. Ille vero relicta ſindone, nudus effugit ab illis.

cipes Sacerdotum, ac magiſtratus Templi, & Seniores, Quaſi ad latronem exiiſtis cum gladiis & fuſtibus?

53. Quum fuerim quotidie vobiſcum in Templo, non extendiſtis manus in me. ſed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.

51. *Et ecce, unus.*] Lucas dicit in hoc conſpiraſſe omnes diſcipulos ut pro magiſtro certarent. Unde rurſus apparet quanto magis ſimus ad pugnas animoſi ac prompti, quam ad tolerantiam crucis. Quare prudenter ſemper expendere convenit quid mandet Dominus, & quid à ſingulis noſtrum requirat, ne zeli noſtri ſervor ſine ratione & modo ebulliat. Quod autem diſcipuli Chriſtum dicuntur rogaſſe, non eo animo fecerunt ut parerent ejus imperio: ſed his verbis teſtati ſunt ſe ad vim boſtium arcendam accinctos eſſe ac paratos. Nec vero expectavit Petrus dum ſibi daretur percutiendi mandatum ac facultas, ſed temere ad vim illicitam proſiliit. Videtur quidem primò intuitu hæc ſtrenuitas laude digna eſſe, quod diſcipuli ſuæ infirmitatis obliti, quamvis ſint ad reſiſtendum impares, corpora tamen ſua pro magiſtro opponere, & ad certam mortem objicere non dubitant. perire enim cum Domino malunt, quam ſe vivis ac videntibus ipſum opprimi. Sed quia præpoſtere plus tentant quam ferat Dei vocatio vel permittat, jure damnatur eorum temeritas. Quare diſcamus, ut Domino obſequia noſtra placeant, ab ejus nutu pendere, ne quiſquam digitum moveat niſi quatenus ab illo juſſus fuerit. Ac ideo præſertim huic modeſtiæ ſedulo addictos eſſe convenit, quia recti & compoſiti zeli loco tumultuoſa ut plurimum in nobis regnat inæqualitas. Nomen Petri hoc quidem loco ſubticent Euangeliſtæ: ſed Joannes teſtatur, & ex contextu paulo poſt patebit, fuiſſe Petrum qui tacito nomine hic notatur. Colligere tamen ex Luca promptum eſt, alios quoque ejuſdem intemperantiæ fuiſſe ſocios. neque enim unum duntaxat alloquitur, ſed communiter omnibus dicit, *Sinite huc uſque.*

52. *Converte gladium.*] His verbis confirmat Chriſtus Legis præceptum quo privatis hominibus interdicitur uſus gladii. Ac præſertim notanda eſt pœnæ ſanctio quæ mox additur. neque enim ſtatuta hominum arbitrio fuit pœna qua proprium ſanguinem vindicent: ſed Deus ipſe nos ſevere à cædibus prohibendo, teſtatus eſt quam ſibi charum ſit humanum genus. Primum ergo ſe vi & manu defendi non vult, quia Deus percutere in Lege vetuerit. Atque hæc generalis ratio eſt: mox vero ad ſpecialem deſcendit. Cæterum hic movetur quæſtio, an nunquam liceat vi injuſtam vim repellere. nam quum Petro negotium eſſet adverſus impios & ſceleſtos latrones, damnatur tamen quod gladium arripuerit. Si in hoc facto moderatæ defenſionis exceptio non valuit, videtur Chriſtus omnium manus ligare. Quanquam autem in quintum caput fuſius tractata à nobis fuit hæc quæſtio, nunc tamen paucis verbis judicium meum repetam. Primo inter civile & conſcientiæ forum diſtinguere convenit. nam ſi quis latroni reſiſtat, quia adverſus communem generis humani hoſtem leges eum armant, publicæ pœnæ non erit obnoxius. Ita quoties injuſtæ violentiæ opponitur defenſio, ceſſat pœna quam exequendam terrenis judicibus mandavit Deus. Cæterum non ſimplex cauſæ bonitas à reatu conſcientiam abſolvit, niſi accedat purus affectus. Ergo ut quis rite ac licite ſe defendat, neceſſe eſt prius ipſum exuere & iracundiæ fervorem, & odium, & cupiditatem vindictæ, & omnes incompoſitos animi impetus, ut defenſio nihil habeat in ſe turbulentum. Hoc quia rarum eſt, imo vix unquam contingit, merito Chriſtus ad generalem regulam ſuos revocat, ut à gladio prorſus abſtineant. Porro ſtulte hoc teſtimonio abuſi ſunt fanatici homines ut gladium judicibus excuterent. Nefas eſſe contendunt gladio percutere. Id verum quidem eſſe fateor: quia nemini licet gladium ſuo arbitrio ſumere, ut ſit auctor cædis: ſed nego magiſtratus (qui miniſtri Dei ſunt, & per quos judicia ſua exercet) in communi ordine cenſeri. Adde quod his Chriſti verbis diſerte illis hæc ipſa aſſeritur poteſtas. nam quum pronunciet tollendos è medio eſſe homicidas, ſequitur gladium in manus tradi judicibus, ut injuſtas neces vindicent. Continget quidem interdum ſanguinarios homines aliis modis puniri: hæc tamen ordinaria eſt ratio, qua Dominus crudelem improborum ferociam compeſci voluit ne impune graſſetur. Jam quod huc impudentiæ prorumpere auſi ſunt Canoniſtæ quidam, ut docerent non ablatum fuiſſe Petro gladium, ſed mandatum eſſe ut reconditum teneret donec exerendi veniret opportunitas: hinc perſpicimus quam craſſe & proterve Dei verbo illuſerint canes illi.

53. *An putas quod non poſſim.*] Sequitur nunc ſpecialis illa ratio, cujus paulo ante memini. admonet enim Chriſtus, longe melius defenſionis genus & magis legitimum ſibi ad manum fore, niſi quia parendum eſt decreto Patris. Hæc enim ſumma eſt, Quum æterno Dei conſilio deſtinatus ſit in ſacrificium, idque Scripturæ oraculis teſtatum ſit, non eſſe contra pugnandum. Ita Petri temeritas alia circumſtantia damnatur, quod conetur non tantum cæleſte decretum labefactare, ſed viam quoque obſtruere humani generis redemptioni. Non ſolum illicite gladium extulit Petrus, ſed ſtulti & amentes fuerunt diſcipuli, quod pauci & imbelles contra militum cohortem & maximam turbam aliquid agere tentarunt. Ergo Dominus, ut eorum ſtultitiam evidentius coarguat, hanc comparationem ponit, Si quærendum ſit tuendæ vitæ præſidium, ſibi præſto fore non undecim Angelos, ſed copioſum & invictum exercitum. quum ergo Angelos ad opem ſibi ferendam non accerſat, multo minus inconſideratum modum expetere, à quo nulla ſperanda ſit utilitas. Nihilo enim magis profuit tumultuari diſcipulos quam ſi paucæ ranæ ſtrepitum moverent. Fruſtra autem hic laborant quidam interpretes, quomodo Angelos impetrare Chriſtus à Patre potuerit, ex cujus decreto mors illi obeunda erat. nam hæc inter ſe pugnant, quod Filium ſuum morti expoſuerit nudum & inermem (quia ſic neceſſe erat, & ſemel ſtatutum) & tamen ad mittendas ei ſuppetias precibus flecti potuerit. Sed enim conditionalis eſt Chriſti ſermo, ſibi longe potiorem eſſe modum tuendæ vitæ, niſi obſtaret Patris voluntas. Sic tollitur omnis repugnantia, quoniam ideo à rogando Patre abſtinuit Chriſtus, quod de contrario ejus decreto certus foret. Hinc tamen elicitur utilis doctrina, injuriam facere Deo qui ad illicita media confugiunt neceſſitatis prætextu. Siquis legitimis opibus & adjumen-

tis deſtituitur, ad prava conſilia & vitioſos conatus præceps rapitur: nempe quia pauci ad arcanam Dei tutelam attendunt, quæ ſola ad præſtandam nobis quietem ſufficere debebat. Imminet nobis periculum: quia exitus ſecundum carnem non apparet, hoc vel illud excogitamus, quaſi nulli ſint in cælo An-
Hebr. 1. verſ. 14. geli, quos toties Scriptura poſitos ſalutis noſtræ cauſa cuſtodes eſſe dicit. Itaque nos eorum auxilio privamus. nam quoſcunque ſua inquietudo & nimia anxietas præcipitat ut manus ad vetita malorum remedia extendant, certum eſt eos Dei providentiæ renunciare.

54. *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ?*] Hoc verbo intelligit Chriſtus nihil ſibi tentandum eſſe effugiendæ mortis cauſa, ad quam ſciebat à Patre ſe vocari. Non egebat quidem ipſe Scripturis ex quibus diſceret ſibi divinitus injunctum eſſe tunc mori: ſed quia non tenent mortales quid apud ſe Deus ſtatuerit donec verbo patefiat, Chriſtus diſcipulos reſpiciens, quod voluntatis ſuæ teſtimonium reddidit Deus, merito in medium producit. Scimus quicquid malorum nobis accidit, à Deo ipſo infligi: ſed quia de eventu ſumus dubii, remedia quæ permittit quærendo, non inſurgimus contra ejus imperium: ſed ubi comperta eſt ejus voluntas, nihil aliud reſtat quam quieſcere. Quanquam autem Chriſtus hic tantum docet, patienter ferendam ſibi eſſe mortem, quia Scripturis teſtatum ſit oportere ſic fieri: hujus tamen doctrinæ uſus latius patet, nempe Scripturam idoneum eſſe domandæ carnis contumaciæ frenum: quia in hunc finem nobis oſtendit Deus quid ſibi placeat, ut nos contineat in voluntatis ſuæ obſequio. Ideo Paulus has Scripturæ proprias attribuit partes ut nos ad patientiam erudiat, & in rebus adverſis ſuppeditet quantum opus eſt conſolationis. Brevius apud Lucam diſcipulos caſtigat Chriſtus, *Sinite huc uſque*: ſed tamen aſpere in eorum audaciam invehitur, quia ad damnabile facinus progreſſi ſint. quanquam ſimul ſpem veniæ facit, ſi pravo fervore ſedato, ultra non proſiliant.

51. Luc. *Quum tetigiſſet auriculam ejus.*] Stulto ſuo zelo Petrus gravem infamiam magiſtro ſuo ejuſque doctrinæ inuſſerat. Nec vero dubium eſt quin hoc artificio Satan tentaverit æterno probro Evangelium gravare, quaſi Chriſtus ad res novandas ſicariis ac tumultuoſis comitibus uſus eſſet. Hanc igitur cauſam fuiſſe exiſtimo cur vulnus ab eo inflictum Chriſtus ſanaverit. Cæterum horribilis ac prodigioſus ſtupor tenuit hoſtes, quos nihil movit tanti miraculi conſpectus. Minus tamen mirum eſt in aliena perſona Chriſti virtutem non eſſe intuitos, quum voce ejus proſtrati furere non deſtiterint. Hic eſt ſpiritus vertiginis, quo reprobos dementat Satan ubi in cæcitatem à Domino projecti ſunt. In ipſo præſertim ſervo qui ſanatus fuit, notabile extat ingratitudinis exemplum. ſiquidem nec divina Chriſti virtute ſubactus fuit ut à ſua duritie reſipiſceret, nec beneficio victus, ut ex hoſte diſcipulus fieret. Stulte enim commenti ſunt Monachi, animo quoque fuiſſe ſanatum, ne mutilum eſſet Chriſti opus. quaſi vero non ſe quotidie Dei bonitas ad indignos effundat.

55. Matth. *Tanquam ad latronem.*] His verbis expoſtulat Chriſtus cum hoſtibus ſuis, qui ad conflandam ei invidiam magnis copiis inſtructi venerant. nam hic ſenſus eſt, Quid opus fuit contra me tanto armorum apparatu, acſi latro quiſpiam ſuperandus foret? Atqui ego ſemper inermis ac placidus inter vos vixi: quum in Templo docerem, nullo militum impetu facile fuit me capere. Quanquam autem de malitia ipſorum conqueritur, quia violenter in ſe tanquam in hominem ſeditioſum irruerent: rurſus tamen malam eorum conſcientiam pungit, quod duce proditore, nonniſi trepide & cum multis diffidentiæ ſignis ad eum accederent.

56. *Hoc autem totum factum eſt.*] Paulo aliter reliqui duo. nam quod in ſua perſona recitat Matthæus, videtur Marcus Chriſto tribuere. Lucas etiam diverſis verbis utitur, quod *hæc ſit ipſorum hora, & poteſtas tenebrarum.* Conſilium tamen Spiritus ſancti certum eſt, Quicquid machinati fuerint impii, nihil omnino ſine Dei nutu & providentia fuiſſe actum. nam (ſicuti prius dictum fuit) nihil teſtatus eſt Deus per ſuos Prophetas niſi quod apud ſe definierat. Hic ergo primum docemur, quantumvis effreni libidine Satan exultet cum impiis omnibus, dominari tamen ſemper Dei manum, ut invitos trahat quocunque voluerit. Docemur ſecundo, quamvis impii compleant quod Scripturis prædictum eſt, quia tamen ipſis Deus non utitur tanquam legitimis miniſtris, ſed arcano impulſu dirigit quo minime vellent, non eſſe excuſabiles: & quum Deus juſte ipſorum malitia utatur, culpam in ipſis hærere. Notemus interea, hoc à Chriſto fuiſſe dictum ut ſcandalum tolleret, quod alias non parum turbaſſet infirmos, quum tam contumelioſe ipſum vexari conſpicerent. Quanquam non diſcipulis tantum conſulere, ſed hoſtium quoque ſuperbiam retundere voluit, ne quaſi parta victoria triumphos agerent. Ideo apud Lucam dicit, *eſſe eorum tempus*: quo ſignificat illis ad breve tempus à Domino permitti hanc licentiam. *Poteſtas autem tenebrarum* pro diabolica accipitur: quod verbum rurſus ad evertendam ipſorum gloriam non parum valuit. nam utcunque ſe efferant, Chriſtus tamen docet nihil eſſe quam diaboli mancipia. Porro dum confuſe omnia miſcentur, ac diabolus tenebras ſpargendo totum mundi ordinem videtur evertere, ſciamus ſurſum in cælis lucere Dei providentiam, ut tandem quæ turbata ſunt componat: ideoque fidei oculos ad illam ſerenitatem erigere diſcamus. Quod dicuntur *fugiſſe omnes diſcipuli*, hinc iterum colligere licet quanto promptiores ad temere pugnandum fuerint quam ad ſequendum magiſtrum.

51. Marc. *Unus adoleſcentulus.*] Unde factum ſit ut quidam ſomniaverint hunc fuiſſe Joannem, neſcio, nec magnopere curandum eſt: hoc magis ad rem pertinet, tenere quorſum hanc hiſtoriam Marcus retulerit. Ego vero hunc illi propoſitum fuiſſe finem arbitror, ut ſciremus, tumultuoſe, abſque pudore & modeſtia (ut in rebus perditis fieri ſolet) graſſatos fuiſſe impios, quod juvenem, hominem ſibi incognitum & nullius criminis ſuſpectum comprehenderint, ut vix eorum manus nudus effugerit. Probabile enim eſt adoleſcentem cujus fit mentio, quum ſtudioſus eſſet Chriſti, nocturno tumultu audito, abſque veſtibus linteo duntaxat opertum veniſſe, vel quo inſidias detegeret, vel ſaltem ne deeſſet pietatis officio. Certe quod nuper dixi perſpicitur, immani violentia graſſatos fuiſſe impios, quando ne miſero quidem adoleſcenti, qui ſeminudus è lecto ad ſtrepitum accurrerat, pepercerint.

MATTH. XXVI.	MARC. XIV.	LUC. XXII.
57. At illi comprehenſum Jeſum duxerunt ad Caiapham principem Sacerdotum, ubi Scribæ & Seniores convenerant.	53. Et adduxerunt Jeſum ad ſummum Sacerdotem: & conveniunt cum eo omnes principes Sacerdotum, & Seniores & Scribæ.	54. Comprehenſum autem eum duxerunt, & induxerunt in do-
58. Petrus autem ſequebatur	54. Et Petrus eminus ſequebatur eum	

eum procul uſque ad atrium ſummi Pontificis: & ingreſſus intro, ſedebat cum miniſtris, ut videret finem.

59. Principes autem Sacerdotum & Seniores & totum Concilium quærebant falſum teſtimonium contra Jeſum, ut eum morti traderent:

60. Et non inveniebant. etiam quum multi falſi teſtes acceſſiſſent, non inveniebant. Noviſſime autem venerunt duo falſi teſtes,

61. Qui dixerunt, Hic dixit, Poſſum deſtruere templum Dei, & triduo ædificare illud.

uſque in atrium ſummi Pontificis: & erat ſedens una cum miniſtris, & calefiebat ad lumen.

55. Principes autem Sacerdotum & totum Concilium quærebant teſtimonium adverſus Jeſum, ut eum morti traderent: nec inveniebant.

56. Multi enim falſum teſtimonium dixerant contra eum, & non congruebant eorum teſtimonia.

57. Et quidam ſurgentes, falſum teſtimonium tulerunt contra eum, dicendo,

58. Nos audivimus eum dicentem, Ego diruam templum hoc quod manibus factum eſt, & tribus diebus ædificabo aliud non manufactum.

59. Et ne ſic quidem congruebat eorum teſtimonium.

domum ſummi Pontificis. Petrus vero ſequebatur eminus.

Aliam narrationis ſeriem tenet Lucas quam Matthæus & Marcus. Verum quod inter ipſos diverſum eſt, mox ſuo loco conciliare ſtudebimus. Interim quæ notatu digna ſunt in verbis Matthæi & Marci, breviter perſtringere convenit. In primis, ut tollatur crucis ſcandalum, ſpectanda eſt utilitas quam nobis peperit Chriſti exinanitio. ſic enim fiet ut incomparabilis Dei bonitas & gratiæ efficacia quicquid deforme ac probroſum illic erit, ſuo fulgore aboleat. Filium Dei capi, vinciri & conſtringi ſecundum carnem turpe fuit; at vero dum reputamus nos ejus vinculis ſolutos eſſe à tyranoide diaboli, & reatu qui nos coram Deo tenebat implicitos; non ſolum tollitur offendiculum ad quod impingere poſſet fides noſtra, ſed in ejus locum ſuccedit immenſæ Dei gratiæ admiratio, cui tanti fuit noſtra liberatio ut Filium unigenitum impiis vinciendum tradiderit. Hoc quoque nobis erit ſingularis Chriſti erga nos amoris pignus, quod ſibi ipſe non pepercit, ſed ſponte carni ſuæ laqueos induit ut animas noſtras à vinculis multo pejoribus eximeret.

57. *Duxerunt ad Caiapham.*] Quanquam Judæis adempta erat major (quam vocant) juriſdictio, manebant tamen quædam reliquiæ ejus judicii quod *Deut. 17. verſ. 8.* Lex ſummo Sacerdoti defert: itaque cum mero imperio non erepta erat modica coërtio. Hinc fit ut Chriſtus ad ſummum Pontificem examinandus trahatur: non ut ultimum de ipſo judicium ad tribunal illud fiat, ſed ut ſuo judicio gravatum Sacerdotes deinde ſiſtant coram Præſide. Caiaphas Pontifex *Joſeph. hiſtor. lib. 18.* alio nomine vocatus fuit Joſephus, quem Joſephus hiſtoricus dicit à Valerio Grato Judææ præſide ſummo Sacerdotio ornatum eſſe, quum honore amotus eſſet Simon Camithi filius. Solum autem cognomen ab Euangeliſtis ponitur, quia forte vulgo tunc notius magiſque celebre erat. Sacerdotes in domum Caiaphæ Matthæus conveniſſe dicit, non quod jam ante Chriſtum adductum media nocte congregati fuerint; ſed quia condictus erat locus, ut audito nuncio mature ſub diluculum accurrerent. Quanquam nuper vidimus quoſdam ex ordine Sacerdotum ad Chriſtum capiendum cum militibus noctu egreſſos eſſe. Sed alibi ſæpius vidimus in ſervando temporis ordine Euangeliſtas non adeo fuiſſe curioſos. Certe in præſenti loco nihil aliud illis fuit propoſitum, quam docere, impia totius Concilii factione oppreſſum fuiſſe Filium Dei. Et hic horribile tremendumque ſpectaculum nobis ante oculos ſtatuitur. non enim alibi tunc vel Dei templum, vel legitimus cultus, vel Eccleſiæ facies, quam Hieroſolymæ: ſummus Pontifex unici inter Deum & homines Mediatoris typus erat: qui aderant illi in concilio, totam Dei Eccleſiam repræſentabant: illi tamen omnes ad unicam ſpem ſalutis extinguendam ſimul conſpirant. Sed quia Davidis vaticinio proditum erat, Lapidem ab architectis rejectum, nihilominus in caput anguli fore: item ab Jeſaia prædictum fuerat, Deum exercituum toti populo Iſraël fore in lapidem offendiculi, ad quem impingerent: rite à Domino proviſum fuit ne talis hominum impietas fideles animas turbaret. *Pſal. 118. verſ. 22. Jeſa. 8. verſ. 14.*

59. *Quærebant falſum teſtimonium.*] His verbis Euangeliſtæ notant, nihil Sacerdotibus minus fuiſſe in animo quam de cauſa inquirere, ut re bene comperta, quid rectum eſſet decernerent. jam enim hoc illis prius fixum erat, Chriſtum perdere: nunc tantum ejus opprimendi ratio ab ipſis quæritur. Fieri autem non poteſt ut æquitati reſtet aliquis locus ubi cauſæ cognitio non præcedit. In falſis teſtibus quærendis perfida eorum crudelitas ſe prodit. Quod autem ſpe ſua dejecti ne ſic quidem deſiſtunt, in eo melius conſpicitur cæca eorum obſtinatio. Ergo in illa furoris caligine refulſit tamen Filii Dei innocentia, ut diaboli ipſi inſontem perire cognoſcerent. Notandum prætetea eſt, *falſos teſtes* vocari non qui mendacium de nihilo conflatum proferunt, ſed qui calumnioſe pervertunt recte dicta, & ad crimen detorquent: quale etiam exemplum hic diſerte refertur de templi ruina & nova inſtauratione. Dixerat quidem Chriſtus, ubi dirutum eſſet templum corporis ſui, ſe triduo exeitaturum illud: nunc falſi teſtes non excogitant novum commentum, ſed depravant ejus verba, acſi quaſdam præſtigias in templo ædificando jactaſſet. Quia autem levis & nihili erat calumnia, hinc colligere promptum eſt quantopere ſua rabie excæcati fuerint Sacerdotes & Scribæ, qui ſine colore Chriſtum tamen ad mortem poſtulant.

MATTH. XXVI.

62. Et ſurgens ſummus Sacerdos, ait illi, Nihil reſpondes? quid iſti contra te teſtificantur?

63. Jeſus autem tacebat. Et

MARC. XIV.

60. Et ſurgens ſummus Sacerdos in medium, interrogavit Jeſum, dicens, Non reſpondes quicquam? quid iſti adverſum te teſtificantur?

LUC. XXII.

63. Et viri qui tenebant Jeſum, illudebant ei cædentes.

64. Et quum eum undique velaſſent, percutiebant faciem ejus, & interrogabant eum,

reſpondens ſummus Sacerdos, ait illi, Adjuro te per Deum viventem, ut dicas nobis an tu ſis Chriſtus Filius Dei.

64. Dicit illi Jeſus, Tu dixiſti: veruntamen dico vobis, à modo videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis, & venientem in nubibus cæli.

65. Tunc ſummus Sacerdos diſcidit veſtimenta ſua, dicens, Blaſphemavit: quid inſuper egemus teſtibus? ecce, nunc audiſtis ejus blaſphemiam.

66. Quid vobis videtur? At illi reſpondentes, dixerunt, Reus eſt mortis.

67. Tunc expuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt: alii autem palmas in faciem ejus incuſſerunt;

68. Dicentes, Vaticinare nobis, Chriſte, quis eſt qui te percuſſit?

61. At ille tacebat, neque quicquam reſpondebat. Rurſum ſummus Sacerdos interrogavit, & dicit illi, Tu es Chriſtus filius Benedicti?

62. Jeſus autem dixit, Ego ſum. & videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis, & venientem in nubibus cæli.

63. Summus autem Sacerdos, diſciſſis veſtibus ſuis, dixit, Quid adhuc opus habemus teſtibus?

64. Audiſtis blaſphemiam: quid vobis videtur? Illi vero omnes condemnarunt eum eſſe reum mortis.

65. Et cœperunt quidam conſpuere in eum, & obvelare faciem ejus, & colaphis eum cædere, & dicere illi, Divina. Et miniſtri colaphis eum cædebant.

eum, dicentes, Vaticinare, quis eſt ille qui te percuſſit?

65. Et alia multa convitiantes dicebant in eum.

66. Atque ut illuxit, convenerunt Seniores plebis, & principes Sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in concilium ſuum,

67. Dicentes, Num tu es Chriſtus? dic nobis. Et ait illis, Si vobis dixero, non credetis:

68. Quod ſi etiam interrogavero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis.

69. Ex hoc tempore erit Filius hominis ſedens à dextris virtutis Dei.

70. Dixerunt autem omnes, Tu ergo es Filius Dei? Qui ait, Vos dicitis me eſſe.

71. At illi dixerunt, Quid adhuc deſideramus teſtimonium? ipſi enim audivimus ex ore ejus.

62. *Et ſurgens.*] Chriſtum tacuiſſe certum eſt quum falſi teſtes eum premerent, non modo quia refutatione indigni erant, ſed quia jam abſolvi non quærebat, ſciens horam ſuam veniſſe. Caiaphas tamen ejus ſilentio inſultat, quaſi victus obmuteſceret, ſicuti ſolent qui ſibi male conſcii ſunt. Summa autem improbitas eſt, quod Chriſtum inſimulat non carere culpa, quia eum teſtes oppugnent. Tantundem enim valet interrogatio hæc, *Quid iſti teſtantur contra te?* acſi dixiſſet, Qui fit ut tibi adverſentur iſti homines, niſi quia cogit eos religio? neque enim ſine cauſa tibi infenſi eſſent. Quaſi vero neſciret fraude ſubornatos eſſe. ſed ita excuſſo pudore ferociunt impii, dum potentia & viribus ſunt ſuperiores. Rurſum vero tacuit Chriſtus, non ſolum quia frivola erat objectio, ſed quia ſacrificio devotus omnem privatæ defenſionis curam abjecerat.

63. *Adjuro te per Deum viventem.*] Hoc unum crimen putavit ad damnandum Chriſtum ſufficere Pontifex ſi ſe Chriſtum profeſſus eſſet. atqui quum ſe jactarent omnes à Chriſto redemptionem ſperare, quærendum prius fuerat itane eſſet. Nullum fore Chriſtum, per cujus manum liberandus eſſet populus, negare non fuiſſent auſi. Prodit Jeſus in medium cum Chriſti elogio: cur ad rem ipſam non attendunt? cur non ſigna examinant unde rectum judicium fieri poterat? Sed quia ſemel ſtatutum illis erat Chriſtum perdere, contenti ſunt hoc ſacrilegii prætextu, quod Deitatis gloriam præ ſe tulerit. Et tamen jurejurando adhibito perinde rem examinat Caiaphas, acſi ea probe comperta paratus eſſet cedere. interim totam ejus mentem occupant perverſum Chriſti odium & contemptus: ſic deinde eam excæcant ſuperbia & ambitio, ut pro confeſſo ſumat, ſimulac de facto conſtiterit, omiſſa juris inquiſitione in manu eſſe juſtam damnationis cauſam. Porro ex Caiaphæ verbis colligere licet, celebrem tunc inter Judæos fuiſſe Meſſiæ titulum, ut Dei Filium vocarent. neque enim aliunde quam ex communi more ſumpta fuit hæc interrogandi forma. Et ſane non minus ex Scripturæ oraculis Dei Filium eſſe tenebant, quam Davidis. Ac videtur Caiaphas vel territandi Chriſti cauſa, vel augendæ invidiæ, hoc epitheto uſus eſſe. acſi dixiſſet, Vide quo progrediaris: neque enim te Chriſtum dicere potes quin ſimul arroges nomen Filii Dei, quo eum inſignit Scriptura. Eodem ſpectat quod apud Marcum pro Deo habetur *Benedictus*. Illa enim reverentiæ ſimulatio magis Chriſtum gravabat quam ſi ſanctum Dei nomen profanaſſet.

64. *Tu dixiſti.*] Apud Lucam inſeritur alia reſponſio, qua perſtringit Chriſtus Sacerdotum malitiam, quod ſcilicet non cognoſcendi ſtudio inquirant. *Non credetis*, inquit, *ſi dixero:* quibus verbis ſignificat, etiamſi centies probaverit ſe eſſe Chriſtum, hoc tamen abſque profectu fore apud obſtinatos. Non enim audierant ſolum, ſed oculis conſpexerant miracula, quæ tacente Chriſto cæleſtem ac divinam ejus potentiam aſſererent, adeoque clamarent Redemptorem eſſe olim promiſſum. Deinde ſubjicitur confeſſio, quæ tametſi pluribus verbis refertur apud Matthæum, diverſum tamen ſenſum non continet. Se ergo Chriſtum eſſe prædicat Jeſus, non declinandæ mortis cauſa, ſed potius ut hoſtium rabiem in ſe inflammet. Quia vero tunc ſub ſordido habitu contemptibilis erat, imo fere exinanitus: ſe tandem ſuo tempore cum regia majeſtate venturum edicit, ut judicem exhorreant quem nunc ſalutis auctorem agnoſcere non ſuſtinent. Senſus ergo eſt, ipſos magnopere falli ſi ex præſenti intuitu æſtiment quiſnam ſit: quia humiliari & fere in nihilum redigi oporteat antequam appareat regni ſui inſignibus & magnifico ſplendore ornatus. nam hæc particula *poſthac*, ſecundum ſuum adventum à priore diſtinguit. Porro hinc elici poteſt utilis doctrina, quæ longius pateat. unde enim tanta impiis ſecuritas? unde tanta rebellandi protervia, niſi quia Jeſus crucifixus non in magno apud eos pretio eſt? Ergo revocandi ſunt ad horribile judicium, quod ſuo ſtupore non effugient. Quamquam autem inſtar fabulæ ſubſannant quod de futuro Chriſti adventu dicitur: non tamen fruſtra judex ipſe eos ad tribunal ſuum citat, ac citari jubet Evangelii ſui præconio, quo magis reddantur inexcuſabiles. Præcipuum vero apud fideles uſum habet hæc denunciatio, ut jam ſpei oculis Chriſtum in cœlo ad dextram Patris ſedentem

quæ-

quærant, ac patienter expectent dum adveniat, ſimulque ſtatuant non fruſtra laſcivire impios contra abſentem: quia ſurſum è cælo venientem aſpicere cogentur quem nunc non modo deſpiciunt, ſed etiam faſtu ſuo conculcant. Metaphora in nomine *dexteræ* ſatis nota eſſe debet, quia frequenter in Scripturis occurrit. Dicitur autem Chriſtus ſedere ad dexteram Patris, quia ſummus Rex conſtitutus (qui ejus nomine mundum gubernet) quaſi ſecundam ab eo honoris & imperii ſedem obtinet. Sedet ergo Chriſtus ad Patris dexteram, quia ejus eſt vicarius: & ideo vocatur hæc dextera virtutis, quia nonniſi per manum Filii ſui virtutem ſuam nunc Deus exerit, ac die ultimo judicium proferet.

65. *Tunc ſummus Sacerdos.*] Hinc perſpicimus quam nihil profuerint apud impios iſtos miracola, quibus Divinitatem ſuam teſtatus erat Chriſtus. Sed nihil mirum eſt, ſub humili ſervi forma contemptum ab illis fuiſſe Dei Filium quos nulla tangebat ſalutis promiſſæ cura. Niſi enim prorſus exuiſſent omnem pietatis ſenſum, in ſtatu deplorato ſollicite ad Redemptorem eos attendere decebat: nunc dum omiſſa inquiſitione, oblatum ſibi reſpuunt, annon extinguunt, quantum in ſe eſt, omnes Dei promiſſiones? Ac primo quidem ſummus Sacerdos Chriſtum pronunciat blaſphemum: deinde ſubſcribunt alii. Ac veſtium laceratio clare oſtendit quam audacter ac improbe falſum zelum obtendant profani Dei contemptores. Hoc quidem ſummo Sacerdote dignum erat, quum Dei nomen probroſe violari audiret, non modo intus uri ac cruciari, ſed deteſtationis ſignum palam dare: ſed examen repudians, præpoſtere ſibi ipſe blaſphemiam confinxit. Interea tamen perfidus hypocrita, alienam perſonam ſumendo, Dei ſervis præſcripſit quam graviter ferendæ ſint blaſphemiæ: ſuoque exemplo turpem eorum ignaviam damnavit quos nihilo magis commovet violata religio, quam ſi ſcurras de futilibus nugis jocari audirent.

67. *Tunc expuerunt in faciem.*] Vel inverſus eſt hiſtoriæ ordo apud Lucam, vel bis tantas contumelias pertulit Dominus. quod poſterius mihi videtur probabile. Neque tamen dubito quin miniſtris creverint animi, ut inſolentius Chriſtum conſpuerent ac percuterent poſtquam viderunt Concilii præjudicio morti addictum. Cæterum huc ſpectarunt omnia ludibria, nihil minus eſſe conſentaneum quam ut princeps eſſet Prophetarum qui ne à colaphis quidem ob velum interpoſitum ſibi cavere poſſet. Atqui hanc petulantiam longe alio convertit Dei providentia: quia ſputis & colaphis fœdata Chriſti facies imaginem illam in nobis reſtituit, quæ per peccatum corrupta, imo deleta erat.

MATTH. XXVI.

69. Petrus vero ſedebat foris in atrio. Et acceſſit ad eum una ancilla, dicens, Et tu cum Jeſu Galilæo eras.

70. At ille negavit coram omnibus, dicens, Neſcio quid dicas.

71. Quum autem exiſſet in veſtibulum, vidit eum altera, & ait his qui erant ibi, Hic etiam erat cum Jeſu Nazareno.

72. Et iterum negavit cum jurejurando, Non novi hominem.

73. Poſt puſillum acceſſerunt qui ſtabant, & dixerunt Petro, Vere & tu ex illis es: nam & loquela tua te manifeſtum facit.

74. Tunc cœpit execrari & jurare quod non noſſet hominem. Et continuo gallus cantavit.

75. Et recordatus eſt Petrus verbi Jeſu, qui dixerat ei, Priuſquam gallus cantet, ter me negabis. Et egreſſus foras, flevit amare.

MARC. XIV.

66. Et quum eſſet Petrus in atrio inferius, venit una ancillarum ſummi Pontificis:

67. Quumque vidiſſet Petrum ſe calefacientem, intuita illum, dicit, Et tu cum Jeſu Nazareno fuiſti.

68. At ille negavit, dicens, Non novi, neque ſcio quid dicas. Et exivit foras in veſtibulum: & gallus cecinit.

69. Et ancilla quum vidiſſet eum, rurſus cœpit dicere iis qui aſtabant, Hic ex illis eſt.

70. At ille rurſum negavit. Et paulo poſt iterum qui aſtabant, dixerunt Petro, Vere ex illis es: nam & Galilæus es, & loquela tua convenit.

71. At ille cœpit execrari & jurare, Non novi hominem iſtum de quo dicitis.

72. Et iterum gallus cecinit: recordatuſque eſt Petrus verbi quod dixerat illi Jeſus, Priuſquam gallus cecinerit bis, abnegabis me ter. cœpitque flere.

LUC. XXII.

55. Quum autem accendiſſent ignem in medio aulæ, atque una conſediſſent, ſedit & Petrus inter illos.

56. Quem quum vidiſſet ancilla quædam ſedentem ad lumen, defixis in illum oculis, dixit, Et hic cum illo erat.

57. At ille abnegavit eum, dicens, Mulier, non novi illum.

58. Et poſt puſillum alius videns eum, dixit, Et tu de illis es. Petrus vero ait, Homo, non ſum.

59. Et intervallo interjecto fere horæ unius, alius quidam affirmabat, dicens, Vere & hic cum illo erat: nam & Galilæus eſt.

60. Et ait Petrus, Homo, neſcio quid dicas. Et continuo, adhuc illo loquente, cecinit gallus.

61. Et converſus Dominus, intuitus eſt Petrum: & recordatus eſt Petrus ſermonis Domini, quomodo dixerat ipſi, Priuſquam gallus cecinerit, ter me negabis.

62. Et egreſſus foras Petrus, flevit amare.

Lapſus Petri qui hic narratur, illuſtre infirmitatis noſtræ ſpeculum eſt. Rurſum in ejus pœnitentia memorabile bonitatis & miſericordiæ Dei exemplum nobis proponitur. Itaque hiſtoria quæ de uno homine narratur, communem toti Eccleſiæ doctrinam (& quidem apprime utilem) continet, tum quæ ſtantes ad ſollicitum timorem erudiat, tum quæ lapſos erigat veniæ fiducia. Ac primo quidem notandum eſt, inconſiderate feciſſe Petrum quando in aulamuſque Pontificis ingreſſus eſt. Pietatis quidem officium fuit magiſtrum ſequi: ſed quia futuræ ſuæ defectionis admonitus fuerat, debuit potius in angulo aliquo latere, ne peccandi occaſioni ſe offerret. Ita ſæpe contingit fideles ſpecie virtutis in tentationes ſe projicere. Quare rogandus eſt Dominus ut nos contineat Spiritus ſui freno, ne modulo noſtro egreſſi, ſtatim pœnas demus. Rogandus etiam eſt, quoties aliquid ſuſcipimus agendum, ne deficere nos

ſinat

ſinat inter medios conatus, vel operis principia: ſed robur ad finem uſque è cælo ſuppeditet. Non debet quidem infirmitatis noſtræ ſenſus nobis ignaviæ cauſa eſſe quin pergamus quocunque nos Deus vocat: ſed temeritatem noſtram cobibere debet nequid ſupra vocationem noſtram tentemus: deinde nos ad preces ſtimulare, ut Deus, qui recte incipere dedit, perſeverandi quoque gratiam addat.

69. *Acceſſit ad eum ancilla.*] Hic videmus ad frangendum hominem non opus eſſe gravi conflictu, nec multis copiis vel machinis: quiſquis enim Dei manu non fuerit ſuffultus, ad levem auram vel folii cadentis ſtrepitum mox concidet. Petrus certe non minus animoſus erat quam quiſquam noſtrum, & jam ſpecimen excelſi animi (licet in audacia præpoſtera) non vulgare ediderat: non tamen expectat dum ad Pontificis tribunal trahatur, vel dum hoſtes vi illata mortem intentent: ſed mulierculæ voce territus, magiſtrum protinus abnegat. Atqui nuper ad mortem uſque invictus miles ſibi viſus fuerat. Meminerimus ergo, ad magnos impetus ſuſtinendos adeo nobis pares non eſſe vires, ut in ſola pugnæ umbra deficiant. Cæterum ita juſtam noſtræ perfidiæ mercedem ſolvit Deus dum nos exarmat, ac deſtituit omni virtute, ut de nihilo trepidemus, poſtquam abjecimus ejus timorem. nam ſi in corde Petri viguiſſet ſolidus Dei timor, invictum fuiſſet propugnaculum: nunc autem nudus & inermis longe adhuc à periculo expaveſcit.

70. *Negavit coram omnibus.*] Hæc circumſtantia crimen exaggerat, quod Petrus in abnegando magiſtro ne turbam quidem teſtium veritus eſt. Et conſulto hoc exprimere voluit Spiritus, ut ipſe hominum conſpectus nos ad retinendam fidei confeſſionem animet. Nam ſi coram infirmis Chriſtum abnegamus, quia noſtro exemplo concuſſi labaſcunt, totidem perdimus animas quantum in nobis eſt: ſi vero coram impiis Dei contemptoribus & Euangelii adverſariis Chriſtum fraudamus debito teſtimonio, omnium ludibrio exponimus ſacrum ejus nomen. Denique ſicut fortis & libera confeſſio pios omnes ædificat, ac incredulos pudefacit: ita defectio publicam in Eccleſia fidei ruinam & ſanæ doctrinæ probrum ſecum trahit. Ergo quo quiſque magis eminet, ſibi attentius caveat: quia à gradu ſuo excidere non poteſt quin magis noceat. Porro forma abnegationis quæ hic ponitur, ſatis oſtendit nihil ſua aſtutia proficere miſeros Sophiſtas, qui ambiguis & flexiloquis ambagibus effugiunt ſiquando ad reddendam fidei ſuæ rationem vocentur. Non abjurat diſerte Petrus totam Euangelii doctrinam: tantum negat ſe hominem noviſſe. ſed quia oblique ſub Chriſti perſona oblatæ redemptionis lucem ſepelit, fœdæ & turpis perfidiæ damnatur. Audierat nuper ex ora Domini, ſacrificium Deo gratum eſſe fidei confeſſionem. minime ergo excuſabilis eſt negatio quæ Deum legitimo cultu & Chriſtum ſuo honore fruſtratur. Teneamus ergo, ſimulac à ſimplici & ingenua Chriſti profeſſione diſceditur, ipſum fruſtrari legitimo teſtimonio.

71. *Vidit eum altera.*] Ex Marci verbis potius conjicitur eandem fuiſſe ancillam: certe aliam à priore fuiſſe non exprimit. In eo tamen nihil repugnantiæ eſt: quia probabile eſt ſermonem ab una profectum volitaſſe per omnium ora, ut prima illa multis & ſæpius indicaverit, ac ſimul aliæ ſubierint ad confirmandum & latius ſpargendum ejus indicium. imo Joannes narrat, non ab ancilla, ſed à turba hominum ſecundo rogatum fuiſſe Petrum. Unde apparet, vocem quæ ab ancilla manaverat, exceptam fuiſſe à viris aſtantibus, qui Petrum aggreſſi ſunt. Aliud eſt inter Marcum & reliquos tres diſcrimen: quia ille duplicem galli cantum commemorat, alii vero dicunt tunc demum ceciniſſe gallum poſtquam ter Dominum abnegaſſet Petrus. Sed hujus quoque nodi ſolutio non difficilis eſt, quia nihil contrarium aliorum hiſtoriæ refert Marcus: ſed quod illi ſilentio prætereunt, explicatius tradit. Ego quidem non dubito, quum Chriſtus Petro diceret, Priuſquam gallus cantet: notatum fuiſſe ab eo gallicinium, quod multas vices in ſe repetitas continet. non enim ſemel tantum canunt galli, ſed ſæpius iterant cantus ſuos: unius tamen vigiliæ nomine unum gallicinium dicitur. Ergo Matthæus, Lucas & Joannes Petrum ter Dominum abnegaſſe dicunt ante finem gallicinii: Marcus circumſtantiam unam diſtinctius exprimit, quod ſcilicet brevi temporis ſpatio uſque ad tertiam abnegationem abductus fuerit Petrus, & primo cantu admonitus non reſipuerit. Porro non dicemus inter profanos hiſtoricos eſſe diſſidium, ſi unusquiſpiam res ab aliis intactas recitet. Ergo quanquam diverſa eſt Marci narratio, non tamen cum aliis pugnat. Hoc vero notatu dignum eſt, quod Petrus, poſtquam ſimplici abnegatione elabi non potuit, interpoſito jurejurando crimen duplicat: paulo poſt etiam, quum vehementius urgetur, uſque ad execrationem deſcendit. Unde colligimus, poſtquam ſemel excidit peccator, in deterius ſubinde rapi. ita qui incipiunt à mediocribus delictis, præcipites deinde ruunt in fœdiſſima ſcelera quæ primo exhorruiſſent. Atque hæc juſta Dei vindicta eſt, ex quo nos Spiritus ſancti auxilio privamur, violentum in nos imperium tandem Satanæ permittere, ut ſibi prorſus addictos & mancipatos huc & illuc projiciat. Id vero præcipue in fidei abnegatione contingit: quia ubi quis metu crucis deflexit à pura Euangelii profeſſione, ſi nondum hoſtibus ſatisfactum eſſe videat, ultra progreditur: & quod non auſus fuerat pure fateri, ſine ullis integumentis prorſus abjurat. Deinde hoc quoque obſervandum eſt quod uno fere temporis puncto ter Petrus defecerit: quia hinc apparet quam lubrici & proclives ſimus ad cadendum quoties nos Satan impellit. certe nullus erit cadendi modus, niſi Dominus extenta manu nos retineat. Poſtquam in Petro extinctus fuit gratiæ Spiritus vigor, ut quiſque in eum incidens de Chriſto rogaſſet, ad centum vel mille abnegationes fuiſſet paratus. Quanquam ergo turpiſſimum illi fuit ter cadere, Dominus tamen illi pepercit, linguas hoſtium cohibens ne plures inſultus moverent. Sic etiam quotidie Satanam ab ipſo frenari neceſſe eſt, ne innumeris tentationibus nos obruat. Etſi enim multis machinis nos impetere non ceſſat, niſi tamen Dominus, infirmitati noſtræ conſulens, impetum furoris ejus arceret, cum immenſa tentationum mole nobis certandum foret. Itaque celebranda nobis eſt hac in parte miſericordia Domini, quod hoſtis noſtri libidinem vix centeſima ex parte in nos graſſari patitur.

74. *Tunc cœpit execrari.*] Hac tertia abnegatione in ſummum cumulum erupit Petri erga magiſtrum infidelitas. nam jurejurando non contentus, ad execrationem tranſilit, qua corpus & animam ſuam exitio devovet: ſibi enim maledictionem Dei imprecatur ſi Chriſtum noverit atque perinde hoc valet acſi dixiſſet, Male peream ſiquid mihi commune eſt cum ſalute Dei. quo magis admiranda eſt Chriſti bonitas, qui diſcipulum è ruina tam lethali erectum ſanavit. Cæterum hic locus docet non protinus eſſe blaſphemiam in Spiritum, ſiquis infirmitate carnis lapſus, veritatem licet cognitam abneget. Audiebat certe Petrus ex ore Domini quam deteſtabilis ſit perfidia, coram hominibus ipſum negare: & quam horribilis eos ultio coram Deo & Angelis maneat, qui ignavo crucis timore fidei confeſſionem deſerunt: imo non fruſtra paulo ante, mortem & quodvis tormentum Chriſti abnegationi prætulerat. Nunc ergo ſciens & ante admonitus ſe præcipitat, veniam tamen poſtea obtinet. unde ſequitur, infirmitate, non autem inſanabili malitia peccaſſe:

Digitized by Google

caſſe. Libenter enim Chriſto præſtitiſſet debitum pietatis officium, niſi metu extinctæ recti affectus ſcintillæ fuiſſent.

75. *Et recordatus eſt Petrus.*] Ad vocem galli acceſſit etiam Chriſti intuitus, teſte Luca. nam prius canentem gallum neglexerat, ſicuti ex Marco audivimus. A Chriſto igitur reſpici oportuit ut ad ſe rediret. Idem & in nobis ſinguli experimur. quis enim noſtrum ſecure non præterit ſurdis auribus non dico varios & multiplices avium cantus (qui tamen nos ad Deum glorificandum incitant) ſed ipſam Dei vocem, quæ clare & articulate in Legis & Euangelii doctrina reſonat? Neque uno tantum die mentes noſtras occupat tam brutus ſtupor, ſed perpetuus eſt, donec ſuo nos aſpectu dignetur qui ſolus corda hominum convertit. Notare tamen operæpretium eſt non fuiſſe vulgarem intuitum (quia Judam prius reſpexerat, qui tamen nihilo inde redditus fuerat melior) ſed in reſpiciendo Petro, oculis ſuis adjunxiſſe arcanam Spiritus efficaciam, atque adeo gratiæ ſuæ radius in cor ejus penetraſſe. Quare ſciamus, quoties lapſus fuerit quiſpiam, ei non eſſe pœnitentiæ initium niſi à Domini aſpectu. *Flevit amare.* Veriſimile eſt Petrum metu egreſſum eſſe, quia flere coram teſtibus non audebat. in quo ſe rurſus adhuc prodidit ejus infirmitas. Unde colligimus, non ſatisfactione veniam fuiſſe promeritum, ſed eam adeptum paterna Dei indulgentia. Atque hoc exemplo docemur, quamvis claudicet noſtra pœnitentia, bene tamen ſperandum eſſe: quia ne debilem quidem reſipiſcentiam, modo ſincera ſit, Deus aſpernatur. Interim occultæ Petri lachrymæ veram ejus coram Deo & Angelis pœnitentiam teſtatæ ſunt. nam ab hominum oculis ſubductus, Deum ſibi & Angelos proponit: ideoque ex intimo cordis affectu manant iſtæ lachrymæ. Quod ideo notandum eſt, quia videmus eas à multis large profundi quamdiu ſpectantur, quibus in ſeceſſu oculi mox areſcunt. Porro non dubium eſt quin lachrymas quæ Dei judicio nullæ exprimuntur, eliciat ambitio & hypocriſis. Quæritur tamen an fletum requirat vera pœnitentia. Reſpondeo, fideles ſæpe ſiccis oculis non ficte gemere ad Dominum, ſuamque culpam fateri ut veniam impetrent: ſed in gravioribus peccatis nimis ſtupidos eſſe ac ſocordes qui non vulnerantur dolore ac triſtitia, nec uſque ad lachrymas pudefiunt. Ideo Scriptura, poſtquam ſcelerum reos peregit homines, ad ſaccum & cinerem eos hortatur.

MATTH. XXVII.	MARC. XV.	LUC. XXIII.
1. Mane autem facto, conſilium ceperunt omnes principes Sacerdotum & Seniores populi adverſus Jeſum, ut eum morti traderent. 2. Et vinctum eum adduxerunt, & tradiderunt Pontio Pilato præſidi. 3. Tunc videns Judas qui eum prodiderat, quod damnatus eſſet, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum & Senioribus, 4. Dicens, Peccavi prodens ſanguinem innoxium. At illi dixerunt, Quid ad nos? tu videris. 5. Et projectis argenteis in Templo, receſſit: & abiens, laqueo ſe ſuſpendit. 6. Principes autem Sacerdotum acceptis argenteis, dixerunt, Non licet eos mittere in Corbanam, quia pretium ſanguinis eſt. 7. Conſilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in ſepulturam peregrinis. Actor. 1. verſ. 19. 8. Quare vocatus eſt ager ille, ager ſanguinis, uſque in hodiernum diem. Zach. 13. verſ. 7. 9. Tunc impletum eſt quod dictum eſt per Jeremiam Prophetam, dicentem, Et acceperunt triginta argenteos, pretium æſtimati, quem æſtimarunt à filiis Iſraël: 10. Et dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus.	1. Et confeſtim diluculo conſilio inito ſummi Sacerdotes cum Senioribus & Scribis ac toto conſeſſu, Jeſum vinctum abduxerunt, tradideruntque Pilato.	1. Et ſurgens univerſa multitudo eorum, duxit eum ad Pilatum.

1. *Mane autem facto.*] Quum prius nocte intempeſta ſummus Pontifex cum ſuo conſilio Jeſum examinaſſet, tandem ſub ortum Solis decernunt ſiſtendum eſſe coram Præſide. Atque in eo judicii formam obſervant, ne ſuſpecta ſit eorum feſtinatio ſi ante tempus (ut fieri ſolet in tumultu) ad Pilatum accurrant. Probabile tamen eſt, quum ab eorum conſeſſu abductus eſſet Chriſtus, conſultationem mox ab illis fuiſſe habitam, & ſine longiori mora ſtatuiſſe quid facere vellent. Prius enim dictum fuit quo tempore Chriſtus ab illis egreſſus Petro occurrerit, nempe poſt gallicinium & quum jam aurora inſtaret. Quare non intelligunt Euangeliſtæ loco fuiſſe motos, ſed tantum referunt primo diluculo Chriſtum fuiſſe ab illis morti addictum, nec momentum unum ceſſaſſe in ſcelere ſuo ſtrenue exequendo. Quod autem prius dixit Lucas, *Mane fuiſſe congregatos*, de ipſo principio exponi non debet, ſed de ultimo actu qui deinde ſubjicitur: acſi diceret, eos, poſtquam illuxit, quia confeſſus erat Dominus ſe eſſe Dei Filium, de ejus morte ſuum decretum protuliſſe. Quod ſi de hominis capite illis permiſſa fuiſſet cognitio, certatim omnes pro ſuo furore ſuis manibus in eum ſæviſſent: ſed quia Pilatus capitalibus judiciis præerat, coguntur ad ejus tribunal deſcendere: tantum ſuo præjudicio ipſum illaqueant. Nam lapidatio Stephani (ut in rebus turbatis) ſeditioſe contigit. Dei autem Filium oportuit ſolenni ritu à terreno judice damnari, ut noſtrum in cælo reatum deleret.

3. *Tunc videns Judas.*] Hoc adverbio non deſignat Matthæus certum temporis articulum. nam paulo poſt ſubjunget, quia videbat Judas proditionis mercedem à Sacerdotibus reſpui, in Templo eam projeciſſe. Atqui ex ædibus Caiaphæ recta in Prætorium venerunt, illicque ſteterunt uſque ad Chriſti damnationem. Vix ergo eo die fuiſſent in Templo reperti: ſed quia de tragico Synedrii furore agebat, mortem quoque Judæ (in qua melius apparuit cæca eorum obſtinatio & quaſi ferrea durities) inſeruit. Dicit autem Judam pœnitentia fuiſſe tactum:

ctum: non quod reſipuerit, ſed quod illi diſplicuerit admiſſum facinus: ut ſæpe Deus reprobis oculos aperit, ut ſua mala ſentire incipiant & horrere. Nam qui ſerio dolent ut reſipiſcant, non tantum dicuntur μεταμελεῖν, ſed etiam μετανοεῖν. Unde & μετάνοια, quæ vera eſt hominis ad Deum converſio. Tædium igitur & horrorem concepit Judas, non ut ſe ad Deum reciperet, ſed potius ut deſperatione obrutus, exemplum eſſet hominis à Dei gratia prorſus abdi-
2 Cor. 7. vers. 10. cati. Merito quidem Paulus ſalutarem triſtitiam eſſe prædicat quæ ad pœnitentiam adducit: verum ſiquis in ipſo limine impingat, nihil ei proderit confuſus & informis dolor. Quin potius hac juſta vindicta impios tandem perſequitur Deus qui judicium ejus cuntumaciter ſpreverunt, quod Satanæ ſine ſpe ſolatii cruciandos tradit. Vera pœnitentia eſt peccati diſplicentia, concepta ex metu & reverentia Dei, quæ ſimul amorem & deſiderium juſtitiæ ex ſe gignit. Ab hoc affectu procul abſunt impii. cuperent enim nullum peccandi facere finem: imo quantum in ſe eſt, ſibi ac Deo illudere conantur. ſed invitos & calcitrantes cæco horrore torquet conſcientia, ut peccatum ſuum quamvis non oderint, tamen cum dolore & anxietate ſibi grave & moleſtum eſſe ſentiant. Hinc fit ut inutilis ſit eorum dolor: quia non liberaliter ſe ad Deum convertunt, neque etiam aſpirant in melius, ſed pravæ ſuæ cupiditati affixi, in tormento quod effugere non poſſunt tabeſcunt. Hoc modo (ut nuper dixi) eorum obſtinationem ulciſcitur Deus. nam etſi electos ſuos duriter caſtigans, reluctantes ad ſe trahit: vulnera tamen quæ inflixit, opportune ſanat, ut ſponte ad eum veniant cujus ſe manu percuti agnoſcunt, & cujus ira terrentur. Priores ergo ſine peccati odio Dei judicium non minus fugitant quam metuunt: atque ira incurabili plaga vulnerati pereunt inter ſuos dolores. Si Chriſti monitionem audiſſet Judas, locus adhuc erat pœnitentiæ: ſed quoniam ab eo contempta fuit tam benigna ad ſalutem invitatio, in Satanæ magiſterium traditur, qui eum in deſperationem præcipitet. Cæterum ſi recte de pœnitentia docerent Papiſtæ in ſuis ſcholis, in Juda nihil deſiderari poſſet, in quem tota eorum definitio competit. Hic enim cernitur & cordis contritio, & oris confeſſio, & operis ſatisfactio, ut loquuntur. Unde colligimus illos tantum corticem arripere: quia omittunt quod præcipuum erat, hominis ad Deum converſionem, dum pudore & metu fractus peccator ſibi renunciat, ut ſe addicat in obſequium juſtitiæ.

4. *Quid ad nos?*] Hic deſcribitur Sacerdotum ſtupor & vecordia, dum formidabili Judæ exemplo admoniti, non tamen ad ſeipſos redeunt. Fateor quidem, ſicuti hypocritæ ſibi blandiri ſolent, colorem illis fuiſſe in promptu quo ſuam cauſam & Judæ diſtinguerent: quia ſceleris ſocios ſe non putabant, licet abuſi eſſent proditoris perfidia. Atqui Judas non modo ſe fatetur peccaſſe, ſed Chriſti innocentiam prædicat. unde ſequitur, homini juſto exitium molitos, ideoque nefariæ cædis reos eſſe. Nec vero dubium eſt quin Deus cauterio mordere voluerit ipſorum conſcientias, quod occultam ſaniem detegeret. Nos vero diſcamus, quoties terreri videmus ſceleratos quibuſcum aliquid nobis commune eſt, totidem eſſe ad pœnitentiam incitamenta, quorum neglectu colpam duplicant obſtinati. Tenendum etiam eſt, unius ſcelere minime abſolvi eos omnes qui ſe quovis modo implicuerint: multo vero minus proficere ſceleris auctores, qui ſe à miniſtris ſuis disjungunt, ne eandem ſuſtineant pœnam.

5. *Laqueo ſe ſuſpendit.*] Hoc pretio vendit Satan illecebras quibus impios ad tempus demulcet, quod illos in furorem vertit, ut ipſi ſpem ſalutis ultro ſibi abſcindentes non alibi quam in morte ſolatium inveniant. Judas triginta argenteos, quibus non minus ſuam ſalutem quam Chriſtum prodiderat, ipſe projicit, quanquam per alios frui licebat: nec modo ſe privat eorum uſu, ſed cum ſacrilega mortis Chriſti mercede vitam quoque ſuam projicit. Ita, quamvis manum Deus non admoveat, impios tamen ſuæ cupiditates fruſtrantur, ut votorum ſuorum potiti non modo ſe abdicent inanium bonorum fruitione, ſed inde potius laqueos ſibi conficiant. Cæterum quamvis ſint ſui carnifices, pœnam à ſe exigendo, nihil de atrocitate iræ Dei levant aut minuunt.

6. *Non licet eos.*] Hinc clare patet, hypocritas externam modo larvam ſectando, craſſe cum Deo ludere. modo ne ſuum Corban profanent, in reliquis ſe puros eſſe fingunt: nec ſolliciti ſunt de nefaria pactione, qua ſe Dei vindictæ non minus quam Judas obſtrinxerant. Quod ſi pretium ſanguinis in ſacro theſauro recondere nefas erat, cur potius licuit inde ſumere? neque enim niſi ex Templi oblationibus divites erant, nec aliunde ſumptum erat quod nunc tanquam pollutum rurſus miſcere dubitant. Unde autem pollutio niſi ab ipſis? Porro quo magis ſua flagitia tegere conantur impii, eo magis ad ea publicanda invigilat Dominus. Sperabant honeſto integumento ſepultum iri crimen ſi agrum ſterilem ſepeliendis hoſpitibus emerent. Atqui hoc admirabilis Dei providentia in contrarium eventum convertit, ut ager ille quaſi æternum memoriale foret ejus proditionis quæ prius obſcura fuerat. Neque enim nomen ipſi loco indiderunt: ſed poſtquam vulgo res innotuit, publico conſenſu vocatus eſt ager ille ſanguinis: acſi Deus illorum probrum juſſiſſet volitare in omnium linguis. Sepulturam vero peregrinis curare plauſibile fuit, ſiquos Hieroſolymæ mori contingeret qui ex longinquis regionibus ſacrificandi cauſa illuc aſcenderant. Quoniam autem pars erat ex Gentibus, non improbo quod veteres quidam ſcripſerunt, hoc ſymbolo datam fuiſſe ſpem ſalutis Gentibus, quia in pretio mortis Chriſti incluſæ eſſent. Sed quia ſubtile magis quam firmum eſt commentum, in medio relinquo. Nomen Corbana Chaldaicum eſt, deductum ex Hebraico Corban, cujus alibi facta fuit mentio.

9. *Tunc impletum eſt quod dictum eſt.*] Quomodo Hieremiæ nomen obrepſerit, me neſcire fateor, nec anxie laboro. certe Hieremiæ nomen errore poſitum eſſe pro Zacharia, res ipſa oſtendit: quia nihil tale apud Hieremiam legitur, vel etiam quod accedat. Alter autem ille locus niſi dextre accommodetur, in alienum ſenſum male detortus videri poſſit. verum ſi regulam tenemus quam in citanda Scriptura ſequuti ſunt Apoſtoli, cognitu facile erit, apte Chriſto congruere quod illic habetur. Poſtquam conqueſtus eſt Dominus, quamdiu in regendo populo paſtoris officio functus eſt, ſe male operam locaſſe: tædio ſe & moleſtia cogi dicit ut labori renunciet. fracto igitur pedo ſe amplius fore paſtorem negat. Poſtea ſubjicit, quum mercedem exigeret, ſibi datos triginta argenteos. Quibus verbis ſignificat, non minus ſordide ſe fuiſſe habitum quam ſi ignobilis quiſpiam & vilis eſſet operarius. Nam ceremonias & inanes fucos quibus ejus beneficia penſabant Judæi, comparat triginta argenteis, tanquam indignæ & pudendæ bubulci vel opificis mercedi: ideo jubet projici ad figulum in Templo. acſi diceret, Hoc præclarum ſuum munus, quod mihi non minus probroſum eſſet accipere quam contumelioſe offertur, potius ad emendas tegulas vel lateres impendant, quibus reficiant Templi rimas. Jam quo certius conſtaret Chriſtum eſſe Deum exercituum, in quem populus ab initio malignus fuerat & ingratus: ubi in carne patefactus eſt, quod figurate prius dictum fuerat, reipſa & viſibili modo in ejus perſona impleri oportuit. Ergo quum malitia eorum coactus illis vale diceret, ſuamque operam ſubduceret indignis, eum triginta argenteis æſtimarunt. Atque hic contemptus Filii Dei extremus eorum impietatis cumulus fuit. *Pretium*

æſti-

æſtimati. Matthæus verba Zachariæ oon refert: quia tantum ad metapboram alludit ſub qua illic Dominus de populi ingratitudine conqueritur. Summa tamen eadem eſt, quum ſe totos ſuaque omnia deberent Judæi Domino, non ſine contumelia cum ſervili mercede eum eblegaſſe: acſi nihilo plus tot ſeculis ipſos gubernando meritus foret quam bubulcus quiſpiam unius anni opera. Se ergo tam vili pretio taxatum conqueritur, quum ſit inæſtimabilis. In fine autem, ubi dicit, *quem æſtimarunt à filiis Iſraël*, indefinita eſt loquutio. Judas cum Sacerdotibus pepigerat, qui populi totius nomen ac perſonam ſuſtinebant: ita licitantibus Judæis quaſi præconis voce addictus fuerat Chriſtus. Dignum autem pretium fuit quod figulo daretur.

10. *Sicut conſtituit.*] Hac particula confirmat Matthæus, non ſine Dei providentia hoc eſſe factum: quia dum alio tendunt, inſcii complent vetus oraculum. Nam qui fieri potuit ut agrum à figulo emere veniret illis in mentem, niſi eorum errorem Dominus ad ſui decreti exequutionem flexiſſet?

MATTH. XXVII.

11. Jeſus autem ſtetit ante Præſidem. Et interrogavit eum Præſes, dicens, Tu es Rex Judæorum? Dixit illi Jeſus, Tu dicis.

12. Et quum accuſaretur à principibus Sacerdotum & Senioribus, nihil reſpondit.

13. Tunc dicit illi Pilatus, Non audis quam multa contra te teſtificantur?

14. Et non reſpondit ei ad ullum verbum: ita ut miraretur Præſes vehementer.

MARC. XV.

2. Et interrogavit eum Pilatus, Tu es Rex Judæorum? At ille reſpondens, dixit illi, Tu dicis.

3. Et accuſabant eum principes Sacerdotum de multis.

4. Pilatus autem rurſus interrogavit eum, dicens, Non reſpondes quicquam? ecce quam multa adverſus te teſtantur.

5. Jeſus autem deinde nihil reſpondit, adeo ut miraretur Præſes.

LUC. XXIII.

2. Cœperunt autem eum accuſare, dicentes, Hunc deprehendimus evertentem gentem, ac vetantem tributa dari Cæſari, dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe.

3. Pilatus autem interrogavit eum, dicens, Tu es Rex Judæorum? Ille vero reſpondens ei, ait, Tu dicis.

4. Ait autem Pilatus ad principes Sacerdotum & turbas, Nihil invenio noxæ in homine hoc.

5. At illi invaleſcebant, dicentes, Commovet populum, docens per univerſam Judæam, exorſus à Galilæa uſque ad hunc locum.

6. Pilatus autem audita mentione Galilææ, interrogavit num homo Galilæus eſſet.

7. Atque ut cognovit quod ad Herodis ditionem pertineret, remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Hieroſolymis erat tunc temporis.

8. Herodes autem viſo Jeſu gaviſus eſt valde: tenebatur enim jam multo tempore cupiditate videndi illum, eo quod audiret multa de eo: & ſperabat ſe ſignum aliquod viſurum ab eo fieri.

9. Interrogabat autem eum multis ſermonibus: at ipſe nihil ei reſpondebat.

10. Stabant autem principes Sacerdotum & Scribæ acriter accuſantes eum.

11. Sprevit autem eum Herodes eum exercitibus ſuis: quumque illuſiſſet, indutum veſte ſplendida remiſit ad Pilatum.

12. Et facti ſunt amici inter ſe Pilatus & Herodes eodem die. Nam antea ſimultas inter eos interceſſerat.

11. *Jeſus ergo ſtetit.*] Quanquam deforme fuit hoc ſpectaculum, & longe alienum à dignitate Filii Dei, quod tractus fuit ad profani hominis tribunal, ut cauſam capitis tanquam maleficus ex vinculis diceret: tenendum tamen memoria eſt, in doctrina crucis (quæ Græcis ſtultitia eſt, & Judæis ſcandalum) conſtare nobis ſalutem. Voluit enim Filius Dei vinctus ſiſti coram terreno judice, & illic ſubire capitale judicium, ut nos reatu ſoluti ad cæleſtem Dei thronum libere accedere non dubitemus. Ergo ſi reſpicimus quid nobis profuerit Chriſtum judicari ſub Pilato, ſtatim abſterſum erit probrum tam indignæ ſubjectionis. Et certe nullos offendit Chriſti damnatio niſi vel ſuperbos hypocritas, vel ſtupidos & craſſos Dei contemptores, quos propriæ iniquitatis non pudet. Stetit ergo Dei Filius coram homine mortali reus, illicque accuſari & damnari paſſus eſt, ut nos coram Deo ſtemus intrepidi. Æternam quidem illi infamiam irrogare conati ſunt hoſtes: ſed nobis potius ſpectandus eſt finis ad quem nos dirigit Dei providentia. Nam ſi in mentem veniat quam formidabile ſit Dei tribunal, nec tamen potuiſſe nos illic abſolvi niſi reus in terra Chriſtus fieret, nunquam pigebit in ejus vinculis gloriari. Rurſum quoties audimus in triſti ſordidoque habitu Chriſtum ſtetiſſe coram Pilato, hinc petamus fiduciæ materiam, ut ipſo interceſſore freti in Dei conſpectum læti & alacres prodeamus. Eodem etiam pertinet quod de ſilentio mox ſequitur. Tacuit Chriſtus quum undique ipſum urgerent Sacerdotes, nempe ut ſuo ſilentio nobis os aperiret. Nam hinc præclara illa facultas quam celebrat Paulus, ut pleno ore clamemus Abba, Pater: Rom. 8. verſ. 15. ut ſtatim iterum attingam. *Tu es Rex Judæorum.* Quanquam multis & variis criminibus Chriſtum obruere tentarunt, probabile tamen eſt, maligne arreptum ab illis fuiſſe Regis nomen, ex quo ſummam invidiam apud Pilatum illi conflarent. Ideo apud Lucam exprimitur quod *deprehenderint ipſum evertentem gentem, ac vetantem tributa dari Cæſari, dicentem.* Hoc vero crimine nihil odioſius apud Pilatum, cui nihil majori curæ erat quam quietum Imperii ſtatum tueri. Ex Joanne perſpicitur varie agitatam fuiſſe cauſam: ſed ex toto contextu clare apparet hoc præcipuum fuiſſe accuſationis caput. Sicuti hodie quoque Satan hoc prætextu exoſum vel ſuſpectum reddere Evangelium molitur, quaſi Chriſtus, regnum ſuum erigendo, omnia mundi imperia labefactet, juraque regum & magiſtratuum convellat,

lat. Regum vero tam cæca plerumque ſuperbia eſt, ut Chriſtum ſine poteſtatis ſuæ jactura regnare non poſſe exiſtiment. Itaque plauſibilis eſt ſemper apud eos actio qua ſemel injuſte gravatus eſt Chriſtus. ideo Pilatus aliis poſthabitis, in ſeditione maxime inſiſtit: quia ſi Chriſtum comperiſſet aliquid in ſtatu publico turbaſſe, abſque mora eum cupide damnaſſet. hæc ratio eſt cur de regno eum interroget. Quanquam autem apud tres noſtros Euangeliſtas ambigua eſt Chriſti reſponſio: ex Joanne tamen colligitur, Chriſtum ingenue confeſſum eſſe quod objectum erat: ſed crimen ſimul diluiſſe, quum negaret terrenum ſe eſſe Regem. Quia vero minime illi propoſitum fuit ſollicite ſe purgare, quemadmodum rei ſolent; medium reſponſum Euangeliſtæ ponunt: acſi dicerent, neque inficias iviſſe quin Rex eſſet, oblique tamen calumniam notaſſe qua præter meritum gravabant eum hoſtes.

12. *Nihil reſpondit.*] Cur obmutuiſſe Chriſtum dicant Euangeliſtæ, cujus nuper reſponſionem ex eorum ore audivimus, hæc ratio eſt, quod quum parata eſſet defenſio, ſponte abſtinuerit. Nec certe prius de regno reſpondit, quod abſolvi cuperet; ſed tantum ut ſe aſſereret illum eſſe Redemptorem olim promiſſum, coram quo flectendum eſſet omne genu. Hanc patientiam miratus eſt Pilatus, quod ultro innocentiam ſuam tacendo proderet Chriſtus, quum frigidas & inanes calumnias refellere promptum eſſet. Tanta erat Chriſti integritas, ut ſine patrocinio judici manifeſta eſſet. Verum optabat Pilatus Chriſtum ſibi nnn deeſſe, quo minore invidia abſolvi poſſet. Et hactenus quidem laudabilis eſt Pilati æquitas, quod innocentiæ Chriſti favens, ad ejus defenſionem ipſum pungit. Sed ne Chriſti ſilentium miremur quaſi abſurdum, ſicut ille fecit; nos ad Dei conſilium attendere oportet, qui Filium ſuum (quem expiandis peccatis noſtris victimam ordinaverat) quamvis in ſe purus eſſet, tamen quaſi in perſona noſtra noxium damnari voluit. Siluit ergo tunc Chriſtus ut nunc ſit nobis patronus, ac ſua interceſſione à reatu nos liberet: ſiluit, ut gloriari poſſimus nos ejus gratia juſtos eſſe. Atque hoc modo implе-
Jeſa. 53. verſ. 7. tum fuit Jeſaiæ vaticinium, quod tanquam ovis ad mactationem ductus ſit, &c. Interim tamen enituit
1 Tim. 6. verſ. 12. illa bona confeſſio, cujus meminit Paulus, non verborum, ſed realis: non qua ſibi privatim conſuleret, ſed qua abſolutionem acquireret toti humano generi.

4. Luc. *Ait autem Pilatus.*] Quum noſtrorum criminum pœnam ſubiret Chriſtus, prius judicis ſui ore abſolvi oportuit, ut deinde conſtaret alieno magis quam ſuo nomine damnari. Cæterum quia præ tumultu populi eum plane abſolvere non audebat Pilatus, libenter oblatam ſibi occaſionem amplexus eſt, ut eum Herodis judicio permitteret. Erat autem hic Herodes cognomine Antipas, cui relicta fuerat Galilææ Tetrarchia, quum Judæa in partem Syriæ provinciæ, relegato Vienam Archelao, redacta foret. Etſi autem paulo poſt referet Lucas hoc munere placatum fuiſſe Herodem, qui prius infenſus fuerat Pilato: hic tamen non tam captare ejus gratiam voluit, quam honeſto prætextu invidiam à ſe depellere, & ita effugere neceſſitatem damnandi Chriſti.

8. *Herodes autem viſo Jeſu gaviſus eſt.*] Hinc apparet quantopere impios ſua ſuperbia inebriet, imo prorſus dementet. Quamvis enim non agnoſceret Herodes Chriſtum pro Dei Filio, Prophetæ ſaltem loco eum habebat. Quare pluſquam iniquum fuit ejus ſordibus & ignominia delectari. Verum quaſi facta eſſet ſibi injuria quamdiu Chriſti conſpectu potitus non fuerat, nunc ſuæ libidini ſubjectum cernens, exultat quaſi victor. Videmus etiam quomodo ab impiis & profanis hominibus ametur Prophetæ in quibus relucet Dei virtus. Jam diu optaverat Herodes Chriſtum videre: cur non etiam audire optabat ut ex ejus doctrina proficeret? Nempe quia divinæ virtutis theatricus ſpectator eſſe maluit quam pie & ſuppliciter eam revereri ut decebat. Atque hoc carnis ingenium eſt, ſic Deum expetere in ſuis operibus ut ejus imperio ſe non ſubjiciat: ſic expetere conſpectum ſervorum ejus, ut loquentem in ipſis audire fugitet. Imo Herodes quum ſperaret aliquod miraculum à Chriſto, reum tamen ad ſuos pedes jacere maluit quam doctorem admittere. Quare mirum non eſt ſi Deus ab impiis gloriam ſuam ſubducat, qui ſibi cuperent ludos ab eo non ſecus atque ab hiſtrione aliquo præberi.

11. *Sprevit autem illum Herodes.*] Fieri aliter non potuit quin ab homine ſuperbo, & ſibi in lautitiis ſuis, regio honore & opibus placente ſperneretur Chriſtus, qui nihil tunc niſi contemptibile præ ſe tulit. Non tamen excuſabilis eſt Herodis faſtus, qui viam gratiæ Dei præcluſit: nec dubium eſt quin Deus, ut pœnam ſumeret de priore ejus ſocordia, conſulto induraverit ipſius animum tali ſpectaculo. Indignus enim fuit qui unam cæleſtis gloriæ ſcintillam in Chriſto conſpiceret: quia tamdiu ad plenum fulgorem cæcutierat, quo illuſtrata fuerat tota ejus ditio. Nec tantum ab uno Herode ſpretum fuiſſe Chriſtum narrat Lucas, ſed à toto ejus ſatellitio: ut ſciamus raro in aulis Regum haberi juſtum Deo honorem. Nam quia pompis fere deditі ſunt omnes aulici, tanta eorum ſenſus occupat vanitas, ut ſpirituales Dei gratias vel ſecure deſpiciant, vel clauſis oculis prætereant. Cæterum hoc Chriſti contemptu nobis parta eſt nova dignitas, ut nunc Deo & Angelis pretioſi ſimus.

12. *Facti ſunt amici*] Quod Chriſtus reconciliandæ inter impios gratiæ pignus fuit, hinc diſcamus quam contemptibiles ſint mundo filii Dei, ipſaque religio. Probabile eſt, quum utrumque impelleret ſua ambitio, in contentionem aliquam de imperio veniſſe: ſed quæcunque fuerit diſſidii origo, in terrenis negotiis neuter de ſuo jure vel tantillum alteri ceſſiſſet: quia tamen Chriſtus pro nihilo ducitur, Pilatus Herodi facile eum addicit, & viciſſim Herodes Pilato remittit. Sic hodie videmus, quum pro latronibus & aliis ſceleratis inter ſe diſceptent judices, filios Dei tanquam quiſquilias contemptim jactari. Pietatis autem odium impios ſæpe invicem placat, ut quibus nihil prius erat commune, ad extinguendum Dei nomen ſimul conſpirent. Nec vero quum ad mortem ultro citroque tradunt impii Dei filios, quaſi pretioſa mercede redimunt mutuam amicitiam: ſed quod viliſſimum ipſis eſt, non gravatim obtrudunt, perinde acſi quis fruſtum panis cani projiceret. Inter nos vero aliam pacem abolitis diſcordiis componere debet Chriſtus: nempe ut Deo primum reconciliati, pio ſanctoque conſenſu tum ad colendam juſtitiam juvemus alii alios, tum ut fraternis officiis & mutua humanitate certemus.

MATTH. XXVII.	MARC. XV.	LUC. XXIII.
15. In feſto autem conſueverat Præſes turbæ dimittere unum vinctum quem voluiſſent.	6. Cæterum in feſto dimittebat illis unum vinctum, quemcunque poſtulaſſent.	13. Pilatus vero, convocatis principibus Sacerdotum ac magiſtratibus & plebe, 14. Dixit ad illos, Obtuliſtis mihi

16. Habebant autem tunc vinctum inſignem, qui dicebatur Barrabbas.

17. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus, Utrum vultis dimittam vobis, Barrabbam, an Jeſum qui dicitur Chriſtus?

18. Sciebat enim quod propter invidiam tradidiſſent eum.

19. Sedente autem illo pro tribunali, miſit ad eum uxor ejus, dicens, Nihil tibi cum juſto illo: multa enim paſſa ſum hodie per ſomnium propter eum.

20. Principes autem Sacerdotum & Seniores perſuaſerunt turbis ut peterent Barrabbam, Jeſum vero perderent.

21. Reſpondens autem Præſes, ait illis, Utrum vultis vobis è duobus dimittam? At illi dixerunt, Barrabbam.

22. Dixit illis Pilatus, Quid igitur faciam Jeſu qui dicitur Chriſtus? Dicunt ei omnes, Crucifigatur.

23. Præſes autem ait, Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes, Crucifigatur.

7. Erat autem qui dicebatur Barrabbas, qui cum ſeditionis auctoribus fuerat vinctus, qui per ſeditionem cædem patraverant.

8. Et quum clamaſſet turba, cœpit flagitare quemadmodum ſemper fecerat ipſis.

9. Pilatus autem reſpondit illis, dicens, Vultis dimittam vobis Regem Judæorum?

10. Sciebat enim quod propter invidiam principes Sacerdotum illum tradidiſſent.

11. Principes vero Sacerdotum concitaverunt turbam, ut potius Barrabbam dimitteret ipſis.

12. Pilatus vero reſpondens, rurſum dixit illis, Quid igitur vultis faciam ei quem dicitis Regem Judæorum?

13. At illi rurſum clamaverunt, Crucifige eum.

14. Pilatus vero dicebat eis, Quid enim mali fecit? At illi vehementius clamaverunt, Crucifige eum.

mihi hunc hominem quaſi avertentem populum: & ecce, ego coram vobis interrogans, nullum crimen invenio in homine iſto, ex iis de quibus accuſatis illum.

15. Sed ne Herodes quidem: nam remiſi vos ad eum, & ecce, nihil dignum morte actum eſt ei.

16. Caſtigatum ergo eum dimittam.

17. Neceſſe autem habebat dimittere eis in feſto unum.

18. Exclamarunt autem omnes in turba, dicentes, Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabbam.

19. Qui erat propter ſeditionem quandam factam in urbe & homicidium conjectus in carcerem.

20. Iterum autem Pilatus loqutus eſt ad eos, volens dimittere Jeſum.

21. At illi clamabant, dicentes, Crucifige, crucifige eum.

22. Ille autem tertio dixit eis, Quid enim mali fecit? nullum crimen capitale comperio in eo: caſtigatum ergo illum dimittam.

23. At illi inſtabant vocibus magnis, poſtulantes ut crucifigeretur: & invaleſcebant voces eorum ac principum Sacerdotum.

15. *In feſto conſueverat.*] Hic nobis tum implacabilis Sacerdotum crudelitas, tum furioſa etiam populi obſtinatio deſcribitur. mira enim utroſque amentia correptos eſſe oportuit, quibus non ſatis fuit conſpirare in mortem hominis innoxii, niſi etiam in ejus odium latronem liberarent. Sic impios præcipitat Satan, poſtquam ſemel ruere cœperint, ut nullum quantumvis deteſtabile ſcelus horreant, ſed excæcati & ſtupidi accumulent peccata peccatis. Non dubium eſt quin Pilatus, ut pudore eos flecteret, ſceleſtiſſimum hominem delegerit, cui Chriſtus oppoſitus abſolvi poſſet. Et ipſa criminis atrocitas cujus Barrabbas reus erat, merito debuit populi odia in eum transferre, ut ſaltem comparatione Chriſtus liberaretur. Atqui nullo dedecore terrentur vel Sacerdotes vel tota gens, quin ſeditioſum & homicidam ſibi dono dari poſtulent. Interim reputandum nobis eſt Dei conſilium, quo factum eſt ut Chriſtus quaſi poſtremus hominum cruci deſtinaretur. Sæviunt quidem in ipſum cæco furore Judæi: ſed quia Deus expiandis mundi peccatis κάθαρμα ordinaverat, etiam infra latronem & homicidam locari paſſus eſt. Huc vero redactum eſſe Dei Filium nemo rite expendet ſine ſummo horrore, ſuique diſplicentia, & deteſtatione ſuorum ſcelerum. Sed hinc quoque non vulgaris emergit fiduciæ materia: quia ideo in profundum ignominiæ demerſus eſt Chriſtus ut nobis aſcenſum in cæleſtem gloriam ſua dejectione acquireret: ideo latrone habitus fuit deterior ut nos aggregaret Dei Angelis. Hic fructus ſi rite æſtimetur, ſatis ſuperque ad abolendum crucis ſcandalum valebit. Porro quod in die feſto quempiam unum ex vinctis Præſes in populi gratiam dimittere ſolebat, exemplum fuit ſtulte & perperam inductum, non ſine aperta cultus Dei corruptela. nihil enim minus conſentaneum eſt quam dies feſtos ſcelerum impunitate ornari. Nam ideo magiſtratus armavit Deus gladio ut crimina quæ tolerari ſine publica pernicie nequeunt, ſevere vindicent. unde apparet legum & pœnarum violatione minime coli velle. Sed hoc ſcilicet proficiunt homines, quum à ſeipſis temere rationes colendi Dei excogitant (quum nihil tentandum ſit niſi ex præſcripto verbi ejus) ut honoris prætextu ipſum ſæpe afficiant contumelia. Quare hæc nobis tenenda eſt ſobrietas, nequid Deo offeramus niſi quod poſtulat. Adeo enim profanis muneribus non delectatur, ut iram ejus magis provocent.

19. *Sedente autem illo.*] Quaoquam diurna meditatio inſomnii cauſa eſſe potuit, minime tamen dubium eſt uxorem Pilati non naturaliter (ut quotidie nobis accidit) ſed ſingulari Dei inſtinctu hæc tormenta fuiſſe paſſam. Vulgo putarunt diabolum, ut remoram injiceret humani generis redemptioni, fœminam ſubornaſſe. quod minime convenit, quum ejuſdem impulſu tantopere arderent Sacerdotes & Scribæ ad Chriſtum perdendum. Sic ergo potius habendum eſt, pluribus modis probatum fuiſſe à Deo Patre Chriſti innocentiam, ut conſtaret ipſum alieno (hoc eſt noſtro) nomine mortem obire. Ideo & toties Pilati voce prius abſolvi quam damnari voluit, ut in gratuita ejus damnatione, legitima pro peccatis noſtris ſatisfactio fulgeret. Cæterum hoc nominatim refert Matthæus, nequis tam ſollicitum Pilati ſtudium miretur, dum pro hominis contempti vita in tumultu populari dimicat. Et certe nocturnis uxoris terroribus illum Deus ad tuendam Filii ſui innocentiam coegit: non ut eriperet eum à morte,

ſed

ſed tantum ut teſtatum faceret, in aliorum vicem pœnæ quam promeritus non erat ſubjici. De ſomniis autem quæ ſunt inſtar viſionum, alibi dictum eſt.

20. *Principes autem Sacerdotum.*] Præcipuos mali auctores Euangeliſta deſignat, noo quod plebem (quæ aliunde impulſa fuit) excuſet ſtulta credulitas: ſed ut ſciamus non ſponte infenſam fuiſſe Chriſto, ſed dum obſequium ſuum venditat Sacerdotibus, tam omnis æquitatis & modeſtiæ, quam propriæ ſalutis fuiſſe oblitam. Hinc vero docemur quam exitialis ſit impiorum auctoritas, quibus facile eſt huc illuc ad quodvis oefas hominum vulgus rapere, quo nihil magis flexibile eſt. Teoendum interea eſt conſilium Euangeliſtæ, Chriſtum populi voce tam acriter ad mortem fuiſſe poſtulatum, non quod ipſe paſſim exoſus foret, ſed quia major pars ſuis Præſulibus ambitioſe morem gerere cupiens, poſthabito æquitatis reſpectu, linguam impiæ paucorum conſpirationi quaſi venalem addixit.

22. *Quid igitur faciam Jeſu.*] Quia ſic amentia videt excæcatos Pilatus ut cum maximo ſuo dedecore latronem à morte eripere non dubitent, alio artificio eos pungere conatur ut ad ſanitatem revocet: nempe quod mors Chriſti ignominiam ipſis inuret, eo quod vulgata eſſet fama de Jeſu, ipſum Regem & Chriſtum eſſe. acſi dixiſſet, Si vos hominis non miſeret, ſaltem conſulite bonori veſtro: quia ejus ſupplicio vulgo putabunt extranei vos omnes fuiſſe caſtigatos. Atque ne hoc quidem modo ſedatus fuit ſævitiæ ardor, quio pergerent ſibi publice magis eſſe inimici quam privatim Chriſto. Ideo apud Marcum, quo acrius pungat eos Pilatus, dicit etiam ab ipſis Jeſum vocari Regem, ſignificans titulum hunc periode celebrem eſſe acſi uſitatum eſſet cognomen. Atqui abjecto omni pudore pertinaciter urgent Chriſti necem, quæ ſecum totius gentis ignominiam trahebat. Apud Joannem exprimitur reſponſio, quam tres noſtri ſubticent: nempe Regem illis nullum eſſe præter Cæſarem. Ita ſpe promiſſæ ſibi redemptionis privari malunt, & in perpetuam ſervitutem addici, quam oblatum ſibi divinitus Redemptorem ſuſcipere.

16. Luc. *Caſtigatum ergo dimittam.*] Si quod leve delictum admiſſum erat abſque crimine capitali, eum qui deliquerat ſolebant Romani Præſides virgis cædere: atque hoc pœnæ genus dictum fuit coërtio. Inique ergo Pilatus, qui Chriſtum ab omni culpa abſolvens, quaſi mediocris delicti convictum punire vult. Neque enim ſolum teſtator nullum ſe crimen morte dignum in eo comperiſſe, ſed ejus innocentiam abſque exceptione aſſerit. Cur ergo eum flagellas? Sed ita ſolent terreni homines, quos Dei Spiritus in conſtanti recti ſtudio non confirmat, etiamſi æquitatem colere cupiant, ad modicas injurias coacti deflectere. Nec modo hoc ſibi pro juſta excuſatione ducunt quod non graviſſime peccarint, ſed ex eo clementiæ laudem ſibi arrogant quod pepercerint aliqua ex parte innoxiis. Interea non reputant, quamvis abſit extrema crudelitas, non aliter virgis quam ſecuri violari juſtitiam, quæ pretioſior eſt hominum vita. Quod ad Filium Dei ſpectat, boc modo dimiſſus, probrum virgarum ſine ſalutis noſtræ profectu ſecum tuliſſet: in cruce vero, non ſecus atque in ſplendido curru, de boſtibus ſuis ac noſtris triumphavit. Utinam vero non multis hodie Pilatis refertus eſſet mundus. Sed idem videmus in membris compleri quod in capite cœptum eſt. Eadem qua Judaici Sacerdotes ſævitia Chriſtum ad mortem raptandum eſſe clamarunt, pios ejus ſervos perſequitur clerus Papalis. Multi quidem ex judicibus voluntarios ſe carnifices præbent eorum furori: ſed quia abhorrent à ſanguine fundendo, ut eripiant homines innoxios à morte, Chriſtum ipſum (unicam Dei juſtitiam) flagellant. Quid enim aliud eſt, Dei cultores redimendæ vitæ cauſa ad Euangelii abnegationem cogere, quam virgarum dedecori ſubjicere Chriſti nomen? Interea hoſtium ejus violentiam obtendunt: quaſi hoc colore probe tegatur perfida eorum timiditas: quæ ſi in Pilato non fuit excuſabilis, ſummam in ipſis deteſtationem meretur. Cæterum quanquam boc prætereuot tres noſtri Euangeliſtæ, ex Joanne tamen conſtat virgis cæſum fuiſſe Chriſtum quum adhuc de ſervanda ejus vita contenderet Pilatus, ut ſpectaculi deformitas populi rabiem placaret. ſimul tamen addidit Joannes implacabilem fuiſſe, donec extinctus eſſet vitæ auctor.

MATTH. XXVII.

24. Videns autem Pilatus quod nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret, accepta aqua abluit manus coram populo, dicens, Innocens ego ſum à ſanguine hujus juſti: vos videritis.

25. Et reſpondens univerſus populus, dixit, Sanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros.

26. Tunc dimiſit illis Barrabbam: Jeſum autem flagellatum tradidit ut crucifigeretur.

27. Tunc milites Præſidis ſuſcipientes Jeſum in Prætorio, congregaverunt ad eum univerſam cohortem.

28. Et quum exuiſſent eum, circumdederunt ei chlamydem coccineam:

29. Et coronam de ſpinis contextam impoſuerunt ſuper caput ejus, & arundinem in dextra ejus: & genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes, Ave Rex Judæorum.

MARC. XV.

15. Pilatus vero volens turbæ ſatisfacere, dimiſit illis Barrabbam: & tradidit Jeſum flagellatum, ut crucifigeretur.

16. Milites autem abduxerunt eum intro in atrium, quod eſt Prætorium: & convocant totam cohortem.

17. Et induunt illum purpura, & circumponunt ei contextam ſpinis coronam.

18. Et cœperunt ſalutare illum, Ave Rex Judæorum.

19. Et verberabant illius caput arundine, & inſpuebant in illum: & poſitis genibus adorabant illum.

20. Et quum illuſiſſent ei, exuerunt eum purpura, & induerunt

LUC. XXIII.

24. Et Pilatus adjudicavit ut fieret quod illi poſtulabant.

25. Dimiſit autem illis eum qui propter ſeditionem & homicidium conjectus fuerat in carcerem, quem popoſcerant: Jeſum vero tradidit arbitrio eorum.

26. Et quum abducerent eum, apprehenderunt Simonem quendam Cyrenenſem, venientem rure: & impoſuerunt illi crucem ut portaret poſt Jeſum.

27. Sequebatur autem illum multa turba populi ac mulierum, quæ & plangebant & lamentabantur eum.

28. Converſus autem Jeſus ad illas, dixit, Filiæ Jeruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vobiſmet ipſis flete, & ſuper filiis veſtris.

29. Quoniam ecce venient dies in quibus dicent, Beatæ ſteri-

30. Et quum expuiſſent in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus.

31. Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt veſtibus ſuis: & adduxerunt eum ut crucifigerent.

32. Exeuntes autem, invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc adegerunt ut tolleret crucem ejus.

illum veſtibus propriis: & educunt eum ut crucifigerent eum.

21. Et coëgerunt prætereuntem quendam Simonem Cyrenenſem, qui veniebat ex agro, patrem Alexandri & Ruffi, ut tolleret crucem ejus.

ſteriles, & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt.

30. Tunc incipient dicere montibus, Cadite ſuper nos: & collibus, Operite nos:

31. Quia ſi in humido ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

32. Ducebantur autem & alii duo facinoroſi cum eo, ut interficerentur.

24. *Videns autem Pilatus.*] Quemadmodum nautæ vim majorem tempeſtatis experti, ad extremum cedunt, & ſe in contrarium curſum rapi ſinunt: ita Pilatus, ſe imparem videns ad compeſcendum populi motum, depoſita judicis auctoritate inſanos clamores ſequitur. Quanquam autem diu reſiſtere conatus erat, non tamen eum excuſat neceſſitas: quia potius quidvis perferre debuit quam ab officio deflectere. Nec vero culpam ejus levat puerilis ceremonia qua utitur. quomodo enim ſceleris labem abſtergeret paucis aquæ guttis, quæ nullis piaculis deleri poterat? Quanquam etiam non hoc præcipue ſpectavit ut ſuas coram Deo maculas purgaret: ſed populo ſignum deteſtationis propoſuit, ſi forte exprimeret furoris pœnitentiam. acſi in hunc modum præfatus eſſet, Ecce, cogitis me ad injuſtam cædem, ad quam trepide nec ſine horrore deſcendo. Quid ergo vobis futurum eſt, & quam gravis vos manet Dei vindicta qui præcipui eſtis auctores? Cæterum qualecunque fuerit conſilium Pilati, Deus tamen hoc modo teſtatam voluit Filii ſui innocentiam, quo melius pateret in eo damnata eſſe peccata noſtra. Siſtitur ad tribunal judicis terreni ſupremus & unicus mundi Judex: damnatur ad crucem tanquam ſceleratus: quin etiam locatur medius inter latrones, quaſi eorum princeps. Poſſet talis ſpectaculi fœditas primo intuitu ſenſus humanos non parum turbare, niſi occurreret hæc ratio, pœnam quæ nos manebat, Chriſto fuiſſe impoſitam, ut nunc ſublato reatu, non dubitemus in conſpectum cæleſtis Judicis prodire. Ergo aqua quæ Pilato ad eluendas ſordes nihil profuit, in alium uſum hodie valere debet, ut oculos noſtros ab omnibus impedimentis purget, quo liquide in media damnatione, Chriſti juſtitiam conſpiciant.

25. *Sanguis ejus ſuper nos.*] Non dubium eſt quin ſecure ſe devoverint Judæi, acſi juſta illis coram Deo ratio conſtaret: ſed zelus inconſideratus eouſque ipſos præcipitat ut ſcelus inexpiabile deſignantes, ſolenni quoque devotione ſpem veniæ ſibi abſcindant. Hinc colligimus quam ſollicite cavenda ſit in omnibus judiciis præceps temeritas. nam ubi audent homines neglecta inquiſitione hoc vel illud arripere prout viſum eſt, tandem à cæco impetu neceſſe eſt ad furorem ipſos delabi. Atque hæc juſta eſt Dei ultio, qua perſequitur eorum ſuperbiam qui recti & iniqui delectum habere non dignantur. Putarunt Judæi, Chriſtum occidendo gratum ſe obſequium Deo præſtare. ſed unde pravus hic error, niſi ex impia contumacia & ipſius Dei contemptu? Quare merito in hanc amentiam projecti ſunt, ut ſibi ultimum exitium accerſerent. Nos vero, ubi de cultu Dei & ſacris ejus myſteriis agitur, oculos aperire diſcamus, & reverenter ſobrieque de cauſa cognoſcere, ne hypocriſis & audacia ſtupore nos dementent. Sicuti autem nunquam paſſus eſſet Deus execrandam hanc vocem effluere ex ore populi, niſi prius deſperata fuiſſet ejus impietas: ita juſte eam horrendis & inſolitis modis poſtea ultus eſt. & tamen incredibili miraculo quaſdam ſibi reliquias ſervavit, ne fœdus ſuum extingueretur totius gentis interitu. Adoptaverat ſibi ſemen Abrahæ, ut eſſet gens electa, regnum ſacerdotale, ſacrum peculium, & hæreditas. Nunc Judæi ad tantæ gratiæ abnegationem quaſi una voce conſpirant. quis non diceret totam gentem radicitus à regno Dei evulſam eſſe? Sed Deus in ipſorum perfidia illuſtrat fidei ſuæ conſtantiam; atque, ut ſe non fruſtra fœdus cum Abraham pepigiſſe oſtendat, quos gratis elegit, à generali eximit interitu. ita ſemper omnibus humanæ incredulitatis obſtaculis ſuperior emergit ejus veritas.

26. *Tunc dimiſit illis Barrabbam.*] Non exprimunt tres noſtri Euangeliſtæ quod apud Joannem habetur, Pilatum conſcendiſſe tribunal ut inde ſententiam ferret: quia tantum ſignificant libidine populi & confuſo tumultu victum eſſe ut indigne Chriſtum traderet ad mortem. Utrumque tamen notandum eſt, quod invito extortus fuerit aſſenſus, & tamen judicis perſonam repræſentarit in eo damnando quem inſontem eſſe pronunciat. Niſi enim purus ab omni delicto fuiſſet Dei Filius, non eſſet ab ejus morte expiatio petenda. rurſum, niſi vadis nomine ſubiiſſet quam nos promeriti eramus pœnam, nunc impliciti eſſemus ſcelerum noſtrorum reatu. Filium ergo ſuum voluit Deus ſolenni ritu damnari ut nos ejus gratia abſolveret. Ipſa vero ſupplicii atrocitas non minus ad confirmandam fidem noſtram valet quam ad nos metu iræ Dei terrendos, & malorum noſtrorum ſenſu humiliandos. nam ſi rite in meditanda Chriſti morte proficere cupimus, inde incipere decet ut pro pœnæ quam ſuſtinuit gravitate exhorreamus noſtra peccata. Ita fiet ut non modo nos pigeat noſtri ac pudeat, ſed ut ſerio dolore vulnerati, quo decet ardore quæramus medicinam, & ſimul confuſi trepidemus. nam pluſquam lapideis cordibus nos eſſe oportet niſi vulneribus Filii Dei penitus ſauciemur: niſi oderimus ac deteſtemur peccata noſtra, quibus expiandis tantum pœnarum pertulit Dei Filius. Cæterum ut hic ſe profert horribilis Dei vindicta, ſic ex altera parte uberrima fiduciæ materia nobis proponitur. neque enim timendum eſt ut in Dei judicium amplius veniant peccata noſtra, à quibus tam pretioſa mercede nos abſolvit Dei Filius. Neque enim vulgari tantum mortis ſpecie defunctus eſt ut vitam nobis acquireret, ſed una cum cruce noſtram in ſe maledictionem ſuſcepit, nequa amplius in nobis reſideat immunditics.

27. *Tunc milites Præſidis.*] Hæc probrorum acceſſio noo fruſtra narratur. Quod Filium ſuum unigeoitum Deus ludibriis omne genus expoſuit, ſcimus non ludicrum fuiſſe aliquod ſpectaculum. Primum ergo quid meriti ſimus expendere convenit: deinde compenſatio à Chriſto oblata in bonam ſpem erigere nos debet. Digna eſt noſtra fœditas quam abominetur Deus, & Angeli omnes conſpuant. ut vero nos in Patris conſpectum Chriſtus puros & immaculatos ſiſteret, conſpui ipſe & omnibus contumeliis fœdari voluit. Quare illa quam ſemel in terra paſſus eſt deformitas, nunc gratiam nobis in cælo conciliat, & ſimul inſtaurat imaginem Dei, quæ non modo inquinata erat peccati ſordibus, ſed fere deleta. Hinc quoque refulget inæſtimabilis erga nos Dei miſeri-

cordia, quod unigenitum Filium ſuum hucuſque cauſa noſtra dejecerit. Hoc documento mirum erga nos ſuum amorem probavit Chriſtus, quod nullum ignominiæ genus pro ſalute noſtra recuſaverit. Sed hæc arcana potius meditatione quam verborum ornatu indigent. Docemur interea, carnis ſenſu minime æſtimandum eſſe Chriſti regnum, ſed fidei & Spiritus judicio. Quamdiu enim in mundo ſubſiſtent mentes noſtræ, non modo contemptibile nobis videbitur, ſed pudendis etiam ignominiis refertum: verum ſimulac fide in cælum aſſurrexerint, non ſolum occurret ſpiritualis majeſtas Chriſti, quæ obliteret omne crucis probrum; ſed ſputa, flagella, colaphi & alia ludibria ad contemplandam ejus gloriam
Phil. 2. verſ. 10, & 8. deducent: quemadmodum docet Paulus datum illi fuiſſe nomen & ſummum imperium, ut coram ipſo flectatur omne genu, quia ſeipſum ſponte exinanivit uſque ad mortem crucis. Quare ſi hodie etiam Chriſto mundus proterve illudit, diſcamus fidei altitudine ſuperare hæc ſcandala: nec moremur quid impii Chriſto perperam affingant, ſed quibus inſignibus induerit illum cæleſtis Pater, quo illum ſceptro & qua corona decoraverit, ut non modo longe ſupra homines, ſed etiam ſupra omnes Angelos emineat. Quod Marcus purpuram cocci loco poſuit, quum diverſi ſint colores, in eo minime ſudandum eſt. Chriſtum veſte pretioſa fuiſſe indutum non eſt probabile: unde colligimus non fuiſſe purpuream, ſed quæ ſimilitudinem aliquam referret: quemadmodum pictor veritatem imitatur in ſuis figuris.

32. *Invenerunt hominem Cyrenæum.*] Hac circumſtantia exprimitur extrema tam gentis Judaicæ quam militum crudelitas. Non dubium eſt quin ſuas cruces tunc geſtare ſoliti fuerint malefici uſque ad ſupplicii locum: ſed quum nonniſi robuſti latrones crucifigerentur, pares erant ad tale onus ferendum: Chriſti alia fuit ratio, ut ipſa corporis debilitas palam demonſtraret agnum immolari. Fieri etiam poteſt ut flagellis mutilatus, multiſque injuriis duriter oppreſſus, crucis ponderi ſuccubuerit. Narrant autem Euangeliſtæ ruſticum hominem & ignobilem coactum fuiſſe à militibus ut crucem geſtaret: quia quum deteſtabile eſſet ſupplicium illud, ſolo etiam contactu pollui ſe omnes putabant. Qui vero ex contemptiſſima plebis fæce ad ſordidum & infame munus arreptus fuit, eum Deus per ſuos præcones nobilitat. neque enim ſupervacuum eſt quod non modo exprimunt Euangeliſtæ ejus nomen, ſed patriam quoque & filios commemorant. Nec dubium eſt quin hoc præludio nos admonuerit Deus, quum nullius ſimus per nos loci vel pretii, dignitatem & famam nobis oriri ex Filii ſui cruce.

27. Luc. *Sequebatur autem eum.*] Quamvis in publico totus populus uno clamore Chriſtum damnaſſet, videmus tamen quoſdam non fuiſſe oblitos doctrinæ & miraculorum. ſic in miſera illa diſſipatione exiguas ſibi reliquias Deus ſervavit. Quanquam autem imbecilla fuit iſtarum mulierum fides, credibile tamen eſt occultum fuiſſe pietatis ſemen, unde poſtea ſuo tempore germen prodiit. Interea fletûs earum valuit ad damnandam impiam nefandamque virorum crudelitatem, qui cum Scribis & Sacerdotibus in mortem Chriſti conſpiraverant. Verum aliud fuit Lucæ conſilium, nempe ut ſciremus, dum excuſſo freno confuſe exultat hominum impietas, Deum non otioſe ſpeculari quid agatur, ſed vindicem ſedere in cælo, qui mox de injuſta ſævitia pœnas ſumat: nec ideo ſpernendam eſſe ejus vindictam quia differtur in tempus idoneum: ſed antequam appareat timendam eſſe.

28. *Nolite flere.*] Putarunt quidam objurgari mulieres quod ſtulte & inconſiderato affectu inanes lachrymas funderent. atqui non ſimpliciter eas caſtigat Chriſtus, acſi perperam & ſine ratione flerent: ſed admonet longe majorem flendi eſſe cauſam ex horribili quod impendet Dei judicio: acſi diceret, mortem ſuam Hieroſolymæ & toti genti non finem, ſed initium malorum eſſe. atque hoc modo ſignificat ſe non ita expoſitum impiorum libidini quin Deo curæ ſit. Nam ex pœna quæ deinde ſequuta eſt, clare patuit, Chriſti vitam Deo Patri fuiſſe pretioſam quo tempore omnes putabant deſertum prorſus & rejectum eſſe. Teſtantur quidem hæc verba quam excelſa animi fortitudine præditus fuerit Chriſtus: quia ſic loqui non poterat niſi conſtanter & intrepide ad mortem pergeret: ſed huc præcipue tendit, ſe in illo deformi ſordidoque habitu reſpici tamen à Deo: impios vero, qui nunc quaſi victores ſuperbe triumphant, non diu inſanæ lætitiæ fore compotes, quia paulo poſt ſequetur incredibilis converſio. Hæc doctrina hodie quoque nobis prodeſt, dum agnoſcimus Chriſtum non ideo minus charum fuiſſe Patri quia ad momentum deſtitutus fuerit ejus auxilio: ſed tanti fuiſſe illi ſalutem noſtram, ut ne Unigenito quidem parceret. Hoc autem inſigni documento patefecit, quum urbem ſanctam & ubi unicum Sacrarium ſibi elegerat, funditus excidit, ac perdidit una cum incolis. Hinc ad meditandam mortis Chriſti cauſam aſſurgere diſcamus. nam quum Deus illam tam ſevere ultus ſit, nunquam à Filio ſuo obiri paſſus eſſet, niſi ut pro mundi peccatis eſſet expiatio.

29. *Quoniam ecce venient.*] Denunciat non vulgarem cladem, ſed diram & prius inauditam inſtare, in qua palam cernatur divina ultio: acſi dixiſſet, gentem illam non uno vel ſimplici interitus genere abſumptum iri, ſed multiplici ingentium malorum congerie interituram, ut multo ſatius ſit montium ruinis opprimi, vel abſorberi terræ chaſmate, quam inter ſævos diuturni exitii cruciatos tabeſcere. Nec vero irritæ minæ ceciderunt, ſed hoc verborum fulmen ſuperavit ipſa eventus atrocitas, quemadmodum ex Joſepho patet. Porro quum iſtæ ſint ultimæ deſperationis voces, optare à montibus opprimi & ſobolem maledicere, his verbis docuit Chriſtus ſenſuros tandem Judæos non cum homine mortali, ſed cum Deo bellum ſe geſſiſſe. Ita juſtam ſacrilegi furoris mercedem perſolvunt Dei hoſtes, ut fruſtra ejus vindictæ terram pro clypeo opponere cupiant qui prius cælum ipſum impetere auſi ſunt.

31. *Si in humido.*] Hac ſententia confirmat Chriſtus nec inultam fore mortem ſuam, nec diu ſtaturos Judæos, quorum matura jam, imo ſemiputrida erat iniquitas: ac vulgari ſimilitudine probat fieri non poſſe quin iræ divinæ ignis ſtatim illos incendio correptos devoret. Scimus lignum aridum ſolere prius in ignem conjici: quod ſi humidum & viride comburitur, tandem multo minus parcetur arido. Porro verbum *faciunt* indefinite exponere licet, hoc ſenſu, Si ante tempus ad ignem rapitur lignum viride, quid ſicco & veteri fore putatis? Niſi forte quis malit conferri homines cum Deo: acſi dixiſſet Chriſtus, impiis, qui ſimiles ſunt arido ligno, ubi juſtos indigne perdiderint, paratas eſſe apud Deum vices ſuas. quomodo enim ipſi pridem exitio devoti, cæleſtis judicis manum effugerent, qui tantum licentiæ ipſis ad tempus contra bonos & inſontes permittit? Utrovis autem modo accipere libeat, ſumma eſt, præpoſtere lamentari mulieres, niſi ſimul expectent ac metuant horribile, quod ſceleratis impendet, Dei judicium. Et quoties ultra modum nobis moleſta eſt crucis acerbitas, hoc ſolatio mitigare convenit, Deum, qui nunc ſuos injuſte affligi patitur, minime tandem paſſurum ut impune evadant ſcelerati. Niſi autem hæc ſpes nos fulciret, neceſſe foret identidem ſub ærumnis concidere. Quanquam enim naturale eſt ac magis conſuetum ex ligno arido potius quam humido ignem fieri, Deus tamen diverſum ordinem ſequitur: quia dum tranquillum otium

repro-

Digitized by Google

reprobis concedit, variis ærumnis ſuos exercet. ideoque miſerior eſt eorum conditio ſi ex præſenti intuitu æſtimetur. Sed hoc opportunum remedium eſt, ſi patienter integrum divini judicii curſum expectent. Ita enim ſuccurret, puſilla mora nihil lucrari impios: quia ubi Deus fideles ſuos humiliaverit paternis ferulis, ſtricto gladio contra eos inſurget quorum ſcelera viſus eſt ad tempus non obſervare.

MATTH. XXVII.

33. Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod eſt Calvariæ locus.

34. Et dederunt ei acetum ad bibendum cum felle miſtum: & quum guſtaſſet, noluit bibere.

35. Poſtquam autem crucifixerunt eum, diviſerunt veſtimenta ejus, ſortem mittentes: ut impleretur quod dictum eſt per Pro-
Pſal. 22. verſ. 19. phetam, Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtimentum meum miſerunt ſortem.

36. Et ſedentes, ſervabant eum ibi.

37. Et impoſuerunt ſuper caput ejus cauſam ejus ſcriptam, HIC EST JESUS REX JUDÆORUM.

Jeſ. 53. verſ. 12. 38. Tunc crucifiguntur cum eo duo latrones: unus à dextris, & alter à ſiniſtris.

MARC. XV.

22. Et ducunt eum in Golgotha locum, quod eſt, ſi interpreteris, Calvariæ locus.

23. Et dederunt ei bibere myrrhatum vinum: ſed ille non ſumpſit.

24. Quumque crucifixiſſent eum, partiti ſunt veſtimenta ejus, mittentes ſortem ſuper illa, quis quid tolleret.

25. Erat autem hora tertia: & crucifixerunt eum.

26. Et erat inſcriptio cauſæ illius inſcripta, REX JUDÆORUM.

27. Et cum eo crucifigunt duos latrones: unum à dextris, & alterum à ſiniſtris ejus.

28. Et impleta eſt Scriptura quæ dicit, Et cum iniquis deputatus eſt.

LUC. XXIII.

33. Poſtquam venerunt in locum qui vocatur Calvaria, ibi crucifixerunt eum, & facinoroſos: unum à dextris, alterum à ſiniſtris.

34. Jeſus autem dicebat, Pater, remitte illis: neſciunt enim quid faciant.

35. Dividentes vero veſtimenta ejus, miſerunt ſortem.

Paulo poſt.

38. Erat autem & inſcriptio ſcripta ſuper eum literis Græcis, & Latinis, & Hebraicis, HIC EST JESUS REX JUDÆORUM.

33. *Et venerunt in locum.*] Deductus fuit Jeſus in locum ubi ſolebant ſupplicio affici ſcelerati, quo mors ejus eſſet magis probroſa. Quanquam autem id ex more factum eſt, altius tamen Dei conſilium expendere convenit. nam Filium ſuum ejici voluit ex urbe quaſi indignum hominum conſortio, ut nos in cæleſte regnum ſuum cum Angelis recipiat. Ideo
Hebr. 13. Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos ad veterem Legis
verſ. 12. figuram hoc refert. Sicuti enim jubebat Deus extra caſtra comburi animalium corpora, quorum ſanguis pro expiatione in Sanctuarium inferebatur: ita Chriſtum dicit egreſſum eſſe ex porta urbis, ut ſuſcepta maledictione quæ nos premebat, quaſi rejectitius fieret, atque hoc modo expiaret noſtra peccata. Quo autem plus ignominiæ probrique coram mundo ſuſtinuit, eo gratius & nobilius in morte ſua Deo & Angelis præbuit ſpectaculum. Neque enim obſtitit loci fœditas quin illic glorioſum victoriæ ſuæ trophæum erigeret: neque fœtor cadaverum quæ illic jacebant, quominus ſuavis ſacrificii ejus odor ſpiraret per totum orbem, & in cælum uſque penetraret.

34. *Dederunt ei acetum.*] Quanquam non ita curioſe digerunt Euangeliſtæ ſingula quæque ordine ſuo ut notari certo queant temporum momenta: ego tamen probabili ratione conjicio, antequam tolleretur in crucem Dominus, pro more porrectum ex calice ei fuiſſe myrrhatum vinum, vel qualiſcunque fuerit miſtura, quam ex felle quoque & aceto confectam fuiſſe patet. Satis quidem inter omnes fere interpretes convenit, diverſam fuiſſe hanc potionem ab ea cujus meminit Joannes, & de qua etiam paulo poſt dicetur. Hoc tantum addo, mihi videri fuiſſe oblatum calicem Domino quum eſſet crucifigendus: poſtquam vero crux in ſublime erecta fuit, tunc demum ſpongiam fuiſſe ingeſtam. Quando autem potum inceperit petere, anxie non diſputo. ſi tamen omnia inter ſe conferimus, non alienum eſt à ratione, poſtquam recuſaverat amaram illam confectionem, ſubinde ludibrii cauſa illi fuiſſe obtruſam. Nam poſtea ſubjiciet Matthæus, milites inter potum dandum exprobraſſe quod ſe à morte eripere non poſſet. Unde colligimus, objecto remedio, riſiſſe impotentiam Chriſti, quia conqueſtus fuerat ſe à Deo relictum. Quod ad Joannis hiſtoriam ſpectat, unum hoc tenere ſufficit, Chriſtum ad levandam ſitim rogaſſe ut ſibi daretur communis potus, acetum vero myrrha & felle miſtum accelerandæ mortis cauſa illi obtruſum fuiſſe. Atqui patienter ferebat ſuos cruciatus, ut doloris tædio mortis feſtinationem minime expeteret. Nam & hæc pars ſacrificii & obedientiæ ejus erat, languoris moram ad extremum uſque ſufferre. Porro falluntur, meo judicio, qui inter reliqua tormenta Filio Dei crudeliter inflicta acetum numerant. Magis probabilis eſt eorum conjectura qui putant hoc potionis genus egerendo ſanguini aptum fuiſſe, & ideo maleficis dari ſolitum quo mors ipſorum eſſet celerior. ideo Marcus vinum myrrhatum appellat. Cæterum Chriſtus (quemadmodum nuper attigi) non tam amaritudine offenſus, vinum vel acetum reſpuit, quam ut oſtenderet ſe placide ſecundum Patris mandatum ad mortem progredi, non autem impatientia doloris præcipitem ruere. Nec obſtat quod dicit Joannes impletam fuiſſe Scripturam, *In ſiti mea potarunt me aceto.* Nam Pſal 69. verſ. 11.
utrumque optime convenit, datum fuiſſe remedium ad finiendos lentæ mortis cruciatus, & tamen duriter modis omnibus afflictum fuiſſe Chriſtum: ut ipſum quoque levamen pars eſſet vel acceſſio doloris.

35. *Diviſerunt veſtimenta.*] Hoc quoque ex conſuetudine milites feciſſe certum eſt, quod hominis damnati ſpolia inter ſe partiti ſunt. unum forte ſingulare fuit, quod ſortem miſerunt ſuper tunica inconſutili. Sed quamvis nihil acciderit Chriſto in hac parte niſi quod omnes damnati patiebantur, ſumma tamen attentione digna eſt hæc narratio. nam Filium Dei ſuis veſtibus nudatum Euangeliſtæ proponunt, ut ſciamus hac nuditate partas nobis eſſe divitias, quæ nos coram Deo exornent. Exui ergo Filium ſuum voluit Deus, ut nos juſtitia ipſius & bonorum omnium copia veſtiti, cum Angelis ſecure appareamus, quos prius fœda turpitudo in lacero habitu à cælorum acceſſu arcebat. Chriſtus

ipſe veſtes ſuas inſtar prædæ paſſus eſt diripi, ut nos victoriæ ſuæ opibus ditaret. Porro quod Matthæus
Pſal. 22. dicit, ita impletum fuiſſe vaticinium Davidis,
verſ. 19. *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea*, &c. ſic accipere coovenit, literaliter (ut loquuntur) & reipſa in Chriſto fuiſſe exhibitum quod David ſibi factum metaphorice & ſub figura conqueſtus eſt. Nam David ſub veſtium nomine fortunas & honores ſuos intelligit: acſi diceret, ſe vivum & videntem prædæ fuiſſe hoſtibus, qui involaverant in ejus domum, adeoque non pepercerant reliquis bonis, ut uxorem quoque raperent. Hanc crudelitatem metaphora amplificat, veſtimenta ſua ſorte diviſa fuiſſe ſcribens. Quum autem umbra & imago fuerit Chriſti, quod paſſurus erat Chriſtus, Spiritu Prophetico prædixit. Quare in ejus perſona boc quoque notabile eſt, quod milites ejus veſtitum prædati ſunt: quia in bac direptione ſigna & notas agnoſcimus quibus olim inſignitus fuerat. & ſimul tollitur ſcandalum, quod alioqui ex ejus nuditate conciperet ſenſus carnis: quia nibil paſſus eſt quod non vere & proprie in Redemptoris perſonam competere Spiritus oraculum pronunciet.

25. Marc. *Erat autem bora tertia.*] Hoc cum Joannis teſtimonio videtur minime eſſe conſentaneum: narrat enim circiter horam ſextam Chriſtum fuiſſe damnatum. Verum ſi reputemus quod ex aliis locis conſtat, diem fuiſſe in quatuor partes diſtributum, & ſingulas partes à prima exordii ſui hora nomen ſumpſiſſe, non difficilis erit ſolutio. Totum medium tempus ab exortu Solis uſque ad ſecundam partem vocabant horam primam. Secunda pars uſque ad meridiem illis erat hora tertia. Sexta bora à meridie incipiens, uſque ad tertiam vel quartam pomeridianam durabat. Quum ergo tempus à Pilato extrahi viderent Judæi, & jam meridiem inſtare, dicit Joannes vehementius clamaſſe, ne totus dies efflueret. Verum illud non obſtat quominus circiter finem boræ tertiæ crucifixus fuerit Dominus. Nam ſatis liquet, ex quo tumultuarie damnatus eſt, ſubito fuiſſe arreptum: tanto ejus extinguendi ſtudio Judæi ardebant. Ergo Marcus non initium horæ tertiæ ſed finem deſignat. Et boc veriſimilius eſt, Chriſtum non longius tribus horis pependiſſe in cruce.

34. Luc. *Jeſas autem dicebat.*] Hac voce probavit Chriſtus ſe illum eſſe placidum ac manſuetum agnum, qui ad victimam ducendus erat, ſicuti teſta-
Jeſ. 53. tus fuerat Jeſaias Propbeta. Neque enim vindictam
verſ. 7. ſolum remittit, ſed eorum ſalutem commendat Deo Patti à quibus pluſquam crudelitet vexatur. Magnum hoc fuiſſet, de talione nihil cogitare: ſicuti
1 Pet. 3. Petrus, dum ejus exemplo nos hortatur ad patien-
verſ. 9. tiam, dicit non rependiſſe maledicta pro maledictis, nec ultum fuiſſe ſuas injurias, ſed hoc uno fuiſſe contentum quod Deum haberet vindicem. Hæc vero longe ſuperior ac præſtantior fuit virtus, Deum precari ut boſtibus ignoſceret. Sicui videtur hoc non ſatis quadrare cum illa quam nuper citavi Petri ſententia, in promptu eſt reſponſio. Nam quod miſericordiæ affectu inductus fuit Cbriſtus ut veniam ſuis perſequutoribus à Deo poſceret, id non obſtitit quin acquieſceret juſto Dei judicio, quod ſciebat reprobis & obſtinatis ſtatutum eſſe. Quum ergo videret Cbriſtus cæco impetu tum plebem Judaicam, tum milites in ſe furere, quanquam excuſabilis non erat ignorantia eorum, tamen miſertus eſt, ut ſe deprecatorem interponeret. Interea quum ſciret Deum fore ultorem, judicium illi contra deſperatos permiſit. Atque hoc modo affectum ſuum temperare debent fideles in malis tolerandis, ut perſequutores ſuos ſalvos eſſe cupiant: & tamen non dubitent vitam ſuam ſub Dei eſſe præſidio: & hac conſolatione freti quod tandem impiis ſua libido impune non cedet, ſub crucis onere non deficiant. Hujus moderationis exemplum nunc in duce & magiſtro noſtro proponit Lucas: quia quum ſuos perſequutores exitio devovere poſſet, non modo ab imprecatione abſtinuit, ſed etiam illis bene precatus eſt. Notandum vero eſt, ſiquando in nos totus mundus inſurgat, & certatim nos omnes obruere conentur: hoc vincendæ tentationi optimum eſſe remedium, ſi nobis in mentem veniat eorum cæcitas qui Deum in nobis oppugnant. ſic enim fiet ne ultra modum nos perturbet multorum in nos ſolos & deſertos conſpiratio. Sicuti rurſum quotidianus uſus oſtendit quam valida ſit ad concutiendos infirmos macbina, dum ſe ab ingenti multitudine impeti vident. Ergo ſi ad Deum aſſurgere diſcamus, facile nobis erit quaſi ex alto deſpicere infidelium ignorantiam: quia utcunque polleant viribus & magnis copiis, neſciunt tamen quid faciunt. Cæterum veriſimile eſt Chriſtum non promiſcue pro omnibus oraſſe, ſed tantum pro miſera plebe, quam zelus inconſideratus, non autem deliberata impietas rapiebat. Nam ut de Scribis & Sacerdotibus nulla ſpes fuit reſidua, pro illis fruſtra oraſſet. Nec vero dubium eſt, quia à Patre cæleſti exaudita fuit hæc precatio, hinc factum eſſe ut multi ex populo, quem fuderant ſanguinem, fide poſtea biberent.

37. Matth. *Impoſuerunt ſuper caput.*] Quod breviter attingunt Matthæus & Marcus, expreſſius narrat Lucas, inſcriptum fuiſſe titulum tribus linguis: Joannes etiam fuſius perſequitur. Quare inde petant lectores quod hic brevitatis cauſa ſubticeo. Tantum dicam, non ſine Dei providentia hoc eſſe factum, quod tribus linguis celebrata fuit mors Chriſti: nam etſi non aliud fuit Pilati conſilium quam gentem Judaicam probroſe traducere, altius tamen reſpexit Deus. hoc enim quaſi præſagio teſtatus eſt paſſim nobilem fore Filii ſui mortem ut omnes undique populi Regem Judæis promiſſum agnoſcerent. Non fuit quidem bæc legitima Euangelii prædicatio, quia indignus fuit Pilatus quem Deus Filio ſuo teſtem daret: ſed quod per veros miniſtros præſtandum erat, in Pilato adumbratum fuit. Denique talem Chriſti præconem cenſere licet qualis propheta fuit Caiaphas.

38. *Tunc crucifiguntur.*] Hoc ad extremi dedecoris cumulum acceſſit, quod Cbriſtus inter duos latrones medius fuit ſuſpenſus. nam primum ei locum, non ſecus ac principi latronum dederunt. Si ſolus in crucem actus foret, ſeparata ab aliis maleficis videri poterat ejus cauſa: nunc autem non ſolum miſcetur, ſed in ſublime attollitur quaſi omnium maxime deteſtabilis. Quare Marcus huc Jeſaiæ vati- Jeſ. 53.
cinium accommodat, Cum iniquis deputatus eſt. verſ. 12.
Hoc enim diſerte Propheta de Chriſto commemorat, non magnifica pompa liberaturum eſſe ſuos à morte, ſed quia pœnam eorum ſceleribus debitam ſubibit. Ergo ut nos à reatu eximeret, neceſſarius fuit hic expiationis modus, ut ſe in locum noſtrum ſubjiceret. Hic vero perſpicitur quam horribilis ſit iræ Dei contra peccata gravitas, cujus placandæ cauſa Cbriſtum, æternam juſtitiam, in ordinem latronum conjici oportuit. Perſpicitur etiam incomparabilis erga nos Chriſti amor, qui ut ſanctis Angelis nos aggregaret, unus ex ſceleſtis cenſeri ſuſtinuit.

MATTH. XXVII.	MARC. XV.	LUC. XXIII.
39. Prætereuntes autem convitia jaciebant in eum, moventes capita ſua,	29. Et qui præteribant convitiabantur ei, moventes capita ſua, ac	35. Et ſtabat populus ſpectans: & deridebant eum principes cum illis, dicentes, Alios ſervavit, ſervet ſeipſum, ſi hic eſt Chriſtus ille Dei electus.
40. Et dicentes, Tu ille	dicentes, Væ qui de-	36. Illu-

qui deſtruebas templum, & in triduo ædificabas, ſerva temetipſum: ſi Filius Dei es, deſcende de cruce.

41. Similiter & principes Sacerdotum illudentes cum Scribis & Senioribus, dicebant,

42. Alios ſervavit, ſeipſum non poteſt ſervare: ſi Rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, & credemus ei.

43. Confidit in Deo, liberet eum nunc, ſi vult eum: dixit enim, Filius Dei ſum.

44. Idipſum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo, exprobrabant ei.

moliris templum, & in tribus diebus exſtruis:

30. Serva teipſum, & deſcende de cruce.

31. Similiter & ſummi Sacerdotes illudentes inter ſe cum Scribis, dicebant, Alios ſervavit, ſeipſum ſervare non poteſt.

32. Chriſtus Rex Iſraël deſcendat nunc de cruce, ut videamus & credamus. Et qui crucifixi erant cum illo, probra jaciebant in eum.

36. Illudebant autem ei & milites, accedentes, & acetum offerentes ei:

37. Dicenteſque, Si tu es ille Rex Judæorum, ſalvum te fac.

Paulo [illegible]

39. Unus autem [illegible]celeratorum qui ſuſpenſi erant, convitiabatur ei, dicens, Si tu es Chriſtus, ſerva teipſum & nos.

40. Reſpondens autem alter, increpabat eum, dicens, Ne Deum quidem tu times, quod in ipſa damnatione es?

41. Et nos quidem juſte: nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali geſſit.

42. Et dixit ad Jeſum, Domine, memento mei quum veneris in regnum tuum.

43. Dixit illi Jeſus, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.

39. *Prætereuntes autem.*] His circumſtantiis magnum ineſt poodus: nam ante oculos nobis ponitur extrema Filii Dei exinanitio, quo melius appareat quanti illi conſtiterit ſalus noſtra: ſimulque reputantes nos omnibus quas ſuſtinuit pœnis jure eſſe obnoxios, magis ac magis incitemur ad pœnitentiam. Nam in hoc ſpectaculo palam nobis Deus fecit quam miſera ſit noſtra conditio, ſi nobis deeſſet Redemptor. Cæterum quæcunque in ſe pertulit Chriſtus, ad levationem noſtram referri debent. Hoc certe omnibus tormentis certamen fuit durius, quod omnes quaſi à Deo projectum ac deſertum, probris & contumeliis vexarunt. Ideoque David Pſal. 22. verſ. 7. Chriſti perſonam gerens, hoc præcipue in ſuis malis deplorat. Et certe nihil eſt quod atrocius vulneret pias mentes, quam dum impii, ad labefactandam fidem ipſorum, exprobrant Dei auxilio & gratia deſtitui. Hæc eſt dura illa perſe-
Galat. 4. verſ. 29. quutio qua Paulus dicit vexatum fuiſſe Iſaac ab Iſmaël: non quod gladio & vi armata in eum ſæviret, ſed quia Dei gratiam ſubſannans, tentaret ejus fidem ſubvertere. Porro has tentationes perpeſſus eſt David primum, deinde Chriſtus ipſe, ne ſua novitate nos hodie nimium terreant. Neque enim unquam deerunt impii qui noſtris miſeriis inſultent. Et hoc eſt ſolenne Satanæ artificium, quoties non adeſt nobis Deus pro voto, ſed auxilium ſuum pauliſper occultat, objicere, nos fruſtra ſperaſſe: quaſi irrita ſit ejus promiſſio.

40. *Tu qui deſtruebas templum.*] Vanitatis arguunt Chriſti doctrinam, quia virtutem, quam ſibi aſſeruit, nunc dum neceſſe eſt, re ipſa non oſtendat. Atqui niſi mente & judicio eos privaſſet maledicendi libido, paulo poſt illis conſpicua fuiſſet ejus ſententiæ veritas. Dixerat Chriſtus, Deſtruite templum hoc, & triduo ſuſcitabo ipſum. Nunc inter ruinæ principia præcocem triumphum agentes, tridui moram non expectant. Talis eſt impiorum contra omnes Dei filios inſolentia, dum prætextu crucis ſpem futuræ vitæ illis præcidere conantur. Ubi, inquiunt, illa eſt immortalis gloria quam homines ſtulte creduli jactant? quum jaceant fere ignobiles & deſpecti, alii tenuiter victitent, alii ſub continuis languoribus ægre animam trahant, alii per fugas & exilia jactentur, alii in carceribus tabeſcant, alii combuſti in cinerem redigantur. Sic eos excæcat præſens externi hominis noſtri corruptio, ut ſpem futuræ vitæ renovationis vanam & ridiculam eſſe fingant. Nobis autem expectandum eſt promiſſi ædificii maturum tempus, nec indigne ferendum ſi nunc crucifigimur cum Chriſto, ut reſurrectionis ejus poſtea ſimus conſortes. *Si Filius Dei es.* Tale à Chriſto potentiæ ſuæ documentum exigunt impii, ut ſe Filium Dei probando Filius Dei eſſe deſinat. Hac lege induerat carnem humanam, & in mundum deſcenderat, ut ſacrificio mortis ſuæ reconciliaret homines Deo Patri. Ergo ut Filium Dei præſtaret, neceſſe habuit in cruce pendere. Nunc reprobi iſti ſibi loco Filii Dei fore negant Redemptorem, niſi à cruce deſcendens mandato Patris renunciet, ac ſcelerum expiatione valere juſſa, perſonam ſibi divinitus impoſitam exuat. Nos vero hinc diſcamus fidem noſtram confirmare quod Filius Dei ſalutis noſtræ gratia cruci affixus manere voluit, donec tum ſæviſſimis carnis tormentis, tum horrendis ſpiritus anguſtiis & morte ipſa defunctus eſſet. Ac ne ſimili modo nobis contingat Deum tentare quo feciſſe iſtos videmus, ſinamus Deum, quoties ita ei viſum fuerit, potentiam ſuam abſcondere, ut rurſus pro ſuo arbitrio eam opportune exerat. Eadem pravitas in altera quæ mox ſequitur objectione apparet, *Si Rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, & credemus ei.* Non enim Regem amplecti ipſos decebat niſi qualis deſcriptus erat à Prophetis. atqui diſerte Jeſaias & Zacharias Chriſtum deformem, afflictum, damnatum, & maledictum, exanimem, pauperem, & contemptum inducunt, antequam regale ſolium conſcendat. Præpoſtere ergo Judæi diſſimilem appetunt quem agnoſcant pro Rege: quia ſic teſtantur ſibi minime cordi eſſe Regem quem ſe daturum pollicitus fuerat Dominus. Nos vero contra, ut ſolide in Chriſtum recumbat noſtra fides, fulturam in ejus cruce quæramus. neque enim aliter Rex Iſraël legitimus cenſeri poſſet niſi impletis Redemptoris partibus. Atque hinc colligimus quam exitiale ſit, poſt ſpeculationes noſtras vagando, à Dei verbo diſcedere. Nam quia Judæi Regem imaginati ſunt quem illis ſuus ſenſus dictabat, Chriſtum crucifixum reſpuerunt, quia in ipſum credere abſurdum putabant: nobis vero hæc optima & ſumma credendi ratio, quia crucis ignominiæ ſponte cauſa noſtra ſe ſubjecit.

42. *Alios ſervavit.*] Hæc vero minime excuſabilis ingratitudo fuit, quod præſenti Chriſti humiliatione offenſi, omnia quæ prius ante ipſorum oculos ediderat miracula nihili æſtimant. Fatentur eum alios ſervaſſe. qua virtute? aut quo medio? cur ſaltem hac in parte non venerantur manifeſtum Dei opus?

opus? Porro quia maligne ſuffocant, imo quantum in ſe eſt extinguere conantur Dei lucem, quæ in miraculis fulgebat, indigni ſunt qui de crucis infirmitate recte judicent. Quia non ſtatim ſe eripit Chriſtus à morte, impotentiam ei exprobrant. Atque hoc impiis omnibus n[illegible]is eſt conſuetum, potentiam Dei metiri præſenti a[illegible]ctu, ut quicquid non facit, exiſtiment non poſſe: ideoque debilitatis ipſum inſimulent quoties perverſæ eorum cupiditati non obtemperat. Nos vero teneamus, Chriſtum, quum facile poſſet, non protinus ſe à morte liberaſſe, ſed quia noluerit. Cur autem neglexit ad tempus ſalutem ſuam niſi quia majori curæ erat noſtra omnium ſalus? Cur ſe liberare noluit niſi ut nos omnes ſervaret? Videmus ergo, quæ fidem noſtram probe ædificant, Judæos ſua malitia ad ſuæ incredulitatis patrocinium traxiſſe.

43. *Confidit in Deo.*] Hoc, ut paulo ante dixi, acerrimum tentationis telum habet Satan, dum fingit Deum noſtri eſſe oblitum, quia non mature & in ipſo articulo ſuccurrat. nam quum advigilet Deus in ſuorum ſalutem, nec tantum opportune illis opem ferat, ſed etiam præveniat ipſorum neceſſitatem (quemadmodum paſſim docet Scriptura) videtur minime diligere quos non juvat. Hac igitur dialectica nos in deſperationem abducit, fruſtra nos confidere de amore Dei ubi palam ejus auxilium non apparet. Et quemadmodum hoc genus fallaciæ ſuggerit mentibus noſtris, ita ſubornat ſuos miniſtros, qui ſalutem noſtram à Deo proditam eſſe & abjectam arguant, quia auxilium ſuum differt. Ergo hoc argumentum tanquam vitioſum repudiare convenit, non amari à Deo quos videtur ad tempus deſerere. imo nihil magis abſurdum eſt quam ad ſingulos temporis articulos reſtringere ejus amorem. Deus quidem ſe liberatorem nobis fore promiſit: verum ſiquando ad mala noſtra conniveat, mora patienter ferenda eſt. Quare fidei naturæ contrarium eſt urgere adverbium *nunc* quos cruce & rebus adverſis ad obedientiam erudit, & ad preces nominiſque ſui invocationem ſollicitat: quum hæc potius ſint paterni ejus amoris teſtimonia, ſicuti Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos admonet. Hoc vero in Chriſto ſpeciale fuit, quamvis dilectus eſſet Filius, non tamen à morte eripi donec pœnas à nobis debitas ſolviſſet: quia illo pretio redempta fuit noſtra ſalus. Quare iterum perverſe Sacerdotes, dum Filium Dei non eſſe colliguot, quia munus ſibi à Patre injunctum obeat.

44. *Idipſum autem & latrones.*] Matthæus & Marcus per ſynecdochen latronibus tribuunt quod tantum uni fuiſſe proprium ex Luca conſtat. Nec vero dura videri debet hæc loquutio: quia duobus Euangeliſtis nihil aliud fuit propoſitum quam docere undique omnium convitiis impetitum fuiſſe Chriſtum, ut ne latrones quidem jam ſemimortui ei parcerent. Quemadmodum David Pſal. 22. verſ. 7. ſuas calamitates deplorans, earum indignitatem inde amplificat quod ſit opprobrium quorumlibet hominum, & abjectio plebis. Quanquam autem omittunt memorabilem hiſtoriam quam de altero latrone refert Lucas, in eo tamen nihil eſt abſurdi quod dicunt ab omnibus deriſum fuiſſe Chriſtum uſque ad ipſos latrones: quia non de ſingulis perſonis habetur ſermo, ſed de ipſo genere. Nunc itaque veniamus ad Lucam.

39. *Unus autem ſcel.*] Hac contumelia quam à latrone paſſus eſt Filius Dei, nobis ſummus honor inter Angelos partus eſt, ut nos pro fratribus ſuis agnoſcant. Sed interim furioſæ obſtinationis exemplum in hoc perdito homine nobis deſcribitur, quando neque inter medios cruciatus blaſphemias cum ferocia ſpumare deſinit. Ita ſolent deſperati homines, quæ effugere nequeunt tormenta, per contumaciam ulciſci. Tametſi autem Chriſto exprobrat quod neque ſeipſum neque alios ſervare poſſit, hæc tamen objectio in Deum ipſum dirigitur. Sicuti impii quoties non impetrant quod volunt, libenter Deum è cælo detraherent. Deceret quidem ipſos plagis domitos manſueſcere: ſed hinc apparet quam ferrea ſit mali cordis durities, quæ nullis pœnis flectitur.

40. *Reſpondens autem alter.*] In hoc miſero homine ſingulare nobis inopinatæ ac incredibilis Dei gratiæ ſpeculum proponitur: tum quod repente ſub mortem in novum hominem mutatus eſt, atque ab ipſis inferis in cælum retractus: deinde quod omnium ſcelerum, in quibus tota vita demerſus fuerat, veniam momento adeptus eſt, adeoque ante Apoſtolos & novæ Eccleſiæ primitias in cælum receptus. Primo igitur in hujus hominis converſione inſigne gratiæ Dei ſpecimen refulget. neque enim proprio carnis inſtinctu immanem ſævitiam & ſuperbum Dei contemptum exuit, ut ſtatim reſipiſceret, ſed manu Dei ſubactus eſt: ſicuti tota Scriptura docet, opus ejus eſſe pœnitentiam. Ac eo magis excellit hæc gratia, quod præter ſpem omnium obtigit. Quis enim unquam putaſſet latronem inter ultimos ſpiritus non modo pium fore Dei cultorem, ſed eximium fidei & pietatis magiſtrum toti mundo, ut nobis quoque ex ejus ore petenda ſit veræ & legitimæ confeſſionis regula? Ac primum quidem hunc ſuæ pœnitentiæ fructum protulit, quod ſevera caſtigatione cohibuit impiam ſocii ſui petulantiam: deinde & ſecundum adjecit, ſeſe humilians ingenua ſcelerum ſuorum confeſſione, & Chriſto debitam juſtitiæ laudem tribuens. Poſtea mirificam fidem teſtatus eſt, ſe totum ac ſalutem ſuam rejiciens in præſidium Chriſti, quem tamen in cruce pendentem, & morti propinquum cernebat. *Ne Deum quidem tu times.* Quanquam hæc verba varie torquent interpretes, mihi tamen ſimplex videtur eſſe ſenſus, Quid hoc ſibi vult quod ne hæc quidem damnatio te cogit ad timendum Deum? Nam ſocii ſui duritiem inde exaggerat latro, quod ad ultimam neceſſitatem redactos ne ſic quidem Deum timere incipit. Verum ut tollatur omnis ambiguitas, monendi ſunt lectores protervum & impium convitiatorem qui ſe impune ludere putabat, revocari ad Dei tribunal: quia etiamſi tota vita ſtupidus fuiſſet, tunc contremiſcere oportuit, quum ſentiret armatam in ſe Dei manum, & paulo poſt reddenda eſſet omnium ſcelerum ratio. Signum ergo perditæ & diabolicæ obſtinationis fuit quum ultimo judicio conſtrictum Deus teneret, non redire tunc quoque ad ſanam mentem: quia ſiqua pietatis gutta eſſet in corde hominis, coactus ſaltem ad Dei timorem ſe colligeret. Nunc tenemus verborum ſummam, deſperatos eſſe & omni Dei timore privatos qui ne pœnis quidem emendantur. Ἐν τῷ αὐτῷ κρίματι, non pro eadem, ſed ipſa præſenti damnatione poſitum eſſe interpretor: acſi dixiſſet latro, Quum jam ſis quaſi in media morte, expergefieri decebat ut Deum judicem tuum agnoſceres. Porro hinc colligimus utilem doctrinam, Deo penitus reſiſtere quos pœnæ ad humilitatem non erudiunt: quia pudore confuſos obmuteſcere neceſſe eſt quicunque præditi ſunt aliquo Dei timore.

41. *Et nos quidem juſte.*] Quia objurgatio à damnatione ſumpta in Chriſtum competere videri poterat, hic eum latro à ſua & ſocii cauſa diſcernit. Pœnam enim quæ communis erat, ſibi & ſocio juſte infligi fatetur, non autem Chriſto, quem non proprium crimen, ſed hoſtium crudelitas ad mortis ſupplicium rapuerat. Tenendum vero memoria quod nuper dixi, editum eſſe à latrone pœnitentiæ documentum quale Deus à nobis omnibus exigit, dum ſe confeſſus eſt dignam factis mercedem recipere. Præſertim vero hoc notandum eſt, quod non obſtiterit ſupplicii atrocitas quin ſe diris tormentis patienter ſubjiceret. Quare ſi nos ſcelerum vere pœniteт,

niſet, diſcamus, ea libenter abſque diſſimulatione ubi opus erit detegere, nec refugere quam meriti ſumus ignominiam. hæc enim unica ratio eſt qua ſepeliamus peccata noſtra coram Deo & Angelis, ſi ea apud homines vanis coloribus fucare non tentemus. Porro quum inter varia integumenta quæ captat hypocriſis, hoc maxime ſit commune, quod quiſque alios ſecum involvit, ut eorum exemplo ſe excuſet: latro contra non minus ſollicite Chriſti innocentiam aſſerit, quam ſimpliciter & libere ſe & ſocium condemnat.

42. *Domine, memento mei.*] Neſcio an à mundo condito magis rarum & memorabile fidei exemplum unquam extiterit. quo majori admiratione digna eſt Spiritus ſancti gratia quæ tam luculente hic ſe exeruit. Latro, qui non modo in Chriſti ſchola edoctus non fuerat, ſed ſe nefandis cædibus efferando, conatus fuerat extinguere omnem recti ſenſum, repente altius penetrat quam Apoſtoli omnes & reliqui diſcipuli, in quibus docendis tantum operæ conſumpſerat ipſe Dominus: neque id modo, ſed Chriſtum in patibulo Regem adorat, regnum ejus celebrat in horrenda & pluſquam deformi abjectione: moribundum, pronunciat vitæ auctorem. Certe ſi imbutus fuiſſet recta fide, multa de Chriſti officio prius audiſſet, miraculis etiam fuiſſet in hoc ipſo confirmatus: offuſa tamen tam probroſæ mortis caligine evaneſcere potuit illa cognitio. nunc rudem & novitium, imo prorſus mente corruptum, ſtatim à primis rudimentis in cruce maledicta ſalutem apprehendere & cæleſtem gloriam, pluſquam admirabile fuit. Quibus enim notis vel inſignibus ornatum videbat Chriſtum, ut mentem ad ejus regnum attolleret? Et certe hoc erat quaſi ex profundis inferis ſupra cælos conſcendere. Carni vero fabuloſum hoc fuit ac ridiculum, rejectitio & damnato (quem ferre mundus non poterat) regnum terrenum terrenis omnibus imperiis nobilius tribuere. Hinc colligimus quam perſpicaces ei fuerint mentis oculi, quibus vitam in morte, celſitudinem in ruina, gloriam in probro, victoriam in exitio, regnum in ſervitute intuitus eſt. Quod ſi latro Chriſtum in cruce pendentem, & quaſi maledictione obrutum, fide ſua in cæleſte ſolium evexit: væ noſtræ ſocordiæ ſi non reverenter ſuſpicimus à dextris Dei ſedentem, ſi non ſpem vitæ in ejus reſurrectione figimus, ſi non tendimus in cælum quo ingreſſus eſt. Jam ſi ex altera parte reputamus in quo ſtatu Chriſti miſericordiam imploraverit, creſcet fidei ejus admiratio. Lacero corpore jam exanguis extremam manum carnificum expectat, & tamen in ſola Chriſti gratia acquieſcit. Primum unde illi veniæ fiducia, niſi quis in Chriſti morte (quæ omnibus aliis deteſtabilis videtur) ſacrificium boni odoris concipit ad expianda mundi peccata efficax? Quod autem cruciatus ſuos animoſe negligens, imo quaſi ſui oblitus ad ſpem & deſiderium occultæ vitæ rapitur, humanum ſenſum longe ſuperat. Quare & mortificationem carnis, & patientiam, & fidei altitudinem, & ſpei conſtantiam, & pietatis ardorem ab hoc magiſtro diſcere non pudeat, quem Dominus ad humiliandam carnis ſuperbiam nobis præfecit. nam ut quiſque eum alacrius ſequetur, ita propius ad Chriſtum accedet.

43. *Amen dico tibi.*] Quanquam nondum Chriſtus palam de morte triumphaverat, ejus tamen efficaciam & fructum in media ſui exinanitione exerit. Atque hoc modo declarat nunquam ſe regni potentia fuiſſe exutum. nihil enim Regi divino magis excelſum aut magnificum quam mortuis vitam reſtituere. Chriſtus ergo licet manu Dei percuſſus ſpeciem hominis fere deplorati præbuerit, quia tamen non deſtitit eſſe mundi Servator, cæleſti potentia ſemper fuit præditus ad munus ſuum implendum. Ac primo quidem notanda eſt incredibilis facilitas, quod ſine mora latronem tam humaniter complectitur, ſibique beatæ vitæ ſocium fore promittit. Quare minime dubium eſt quin ſine exceptione in regnum ſuum omnes admittere paratus ſit qui ad eum confugient. Unde certo ſtatuere licet, modo memor ſit noſtri, nos ſalvos fore. Porro fieri non poteſt ut eorum obliviſcatur qui ſuam ei ſalutem commendant. Quod ſi latroni tam facilis tranſitus in cælum fuit, quia in ultima rerum omnium deſperatione recubuit in Chriſti gratiam: multo magis hodie Chriſtus mortis victor manum è ſolio ſuo nobis porriget, ut in vitæ ſocietatem colligat. Abſurdum enim eſſet, ex quo chirographum nobis contrarium affixit cruci, mortemque & Satanam profligavit, & in ſua reſurrectione triumphum egit de mundi principe, nobis non æque facilem & promptum eſſe ac latroni tranſitum à morte in vitam. Quiſquis ergo vera fide animæ ſuæ cuſtodiam Chriſto morienti tradet, non extrahetur in longum tempus, ut ſuſpenſus langueat: ſed ejus voto eadem, qua erga latronem uſus eſt, benignitate Chriſtus occurret. Itaque faceſſat putidum illud Sophiſtarum commentum de pœnæ retentione, quum culpa remittitur: quia videmus ut Chriſtus quem à reatu abſolvit, ſimul à pœna liberet. Nec obſtat quod latro pœnam cui addictus erat, nihilominus ad extremum uſque ſuſtinet: quia hic nulla compenſatio nobis fingenda eſt quæ ad placandum Dei judicium piaculi vice ſit (quemadmodum Sophiſtæ delirant): ſed pœnis corporalibus ſimpliciter electos ſuos Dominus ad diſplicentiam & odium peccati erudit. Itaque Chriſtus latronem paterna diſciplina ad ſui abnegationem adductum, quaſi gremio ſuo excipit, non ad ignem Purgatorium ablegat. Notandum præterea eſt quibus clavibus latroni aperta fuerit regni cælorum janua. neque enim hic vel Papalis confeſſio, vel ſatisfactiones in rationem veniunt: ſed pœnitentia & fide contentus eſt Chriſtus, ut ad ſe venientem ultro excipiat. Atque hinc melius iterum confirmatur quod nuper attigi, ſiquis gravetur latronis veſtigiis inſiſtere & præeuntem ſequi, dignum eſſe æterno exitio: quia impio faſtu ſeipſum ab aditu cælorum arcet. Et certe ſicuti in latronis perſona commune obtinendæ veniæ pignus nobis omnibus Chriſtus dedit: ſic rurſum tanto miſerum illum honore dignatus eſt, ut omni propria gloria exuti, nonniſi in una Dei miſericordia gloriemur. Quod ſi vere & ſerio ſe quiſque noſtrum excutiat, merito nos pudefaciet immenſa ſcelerum noſtrorum congeries, ut hominem perditum, qui mera gratia ſalutem adeptus eſt, ducem & anteſignanum habere minime pigeat. Porro ſicuti jam tunc fructum ſuum protulit mors Chriſti, ita hinc colligimus, animas, ubi à corporibus migrarunt, ſuperſtites vivere. alioqui luſoria eſſet promiſſio Chriſti, quam etiam jurejurando confirmat. De loco tamen Paradiſi curioſe & argute diſputandum non eſt. nobis ſufficiat, quicunque fide inſiti ſunt in Chriſti corpus, eſſe ejus vitæ participes: atque ita poſt mortem beata & læta quiete frui, donec in ſolidum patefiat Chriſti adventu perfecta cæleſtis vitæ gloria. Unum adhuc reſiduum eſt, quod latroni promittitur, non levare præſentes ejus miſerias, nec quicquam ex corporali pœna minuere. Qua monemur, non æſtimandam eſſe Dei gratiam carnis ſenſu. ſæpe enim accidet ut miſerrime affligi ſinat Deus quibus tamen propitius eſt. Ergo ſi ſecundum corpus miſere torquemur, cavendum eſt ne guſtum divinæ bonitatis nobis adimat doloris acerbitas. quin potius mala omnia temperet, ac leniat hæc una conſolatio, ſimulac favore ſuo nos complexus eſt Deus, quicquid malorum perpetimur, nobis adjumento eſſe in ſalutem. Ita fiet ut non modo ab omnibus miſeriis fides noſtra victrix emergat, ſed in media pœnarum tolerantia ſuaviter quieſcat.

MATTH. XXVII.

45. A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram uſque ad horam nonam.

46. Et circa horam nonam clamavit Jeſus voce magna, dicens, Eli, Eli, lamaſabachthani? hoc eſt, Deus meus, Deus meus, cur deſeruiſti me?

47. Quidam autem illic aſtantium quum audiſſent, dicebant, Eliam vocat iſte.

48. Et continuo currens unus ex eis, quum acceptam ſpongiam impleſſet aceto, impoſuit arundini, dabatque ei bibere.

49. Cæteri vero dicebant, Sine, videamus an veniat Elias liberaturus eum.

50. Jeſus autem quum iterum clamaſſet voce magna, emiſit ſpiritum.

51. Et ecce, velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo uſque ad imum: & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt.

52. Et monumenta aperta ſunt: & multa corpora ſanctorum qui dormierant, ſurrexerunt.

53. Et egreſſi è monumentis poſt reſurrectionem ejus, venerunt in ſanctam civitatem, & apparuerunt multis.

54. Centurio vero, & qui cum eo erant cuſtodientes Jeſum, viſo terræ motu & iis quæ facta fuerant, timuerunt valde, dicentes, Vere Filius Dei erat iſte.

55. Erant autem ibi mulieres multæ è longinquo ſpectantes, quæ ſequutæ fuerant Jeſum à Galilæa, miniſtrantes ei:

56. Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi & Joſe mater, & mater filiorum Zebedæi.

MARC. XV.

33. Quum vero facta eſſet hora ſexta, tenebræ ortæ ſunt ſuper totam terram uſque ad horam nonam.

34. Et hora nona clamavit Jeſus voce magna, dicens, Eloi, Eloi, lamaſabachthani? quod eſt, ſi quis interpretetur, Deus meus, Deus meus, cur me deſeruiſti?

35. Et quidam aſtantium quum audiſſent, dicebant, Ecce, Eliam vocat.

36. Accurrit autem quidam, & impleta ſpongia aceto, impoſitaque arundini, porrexit illi potum, dicens, Sinite, videamus an venturus ſit Elias ad deponendum eum.

37. Jeſus autem emiſſa voce magna, expiravit.

38. Et velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo uſque ad imum.

39. Quum vidiſſet autem Centurio, qui è regione ejus aſtabat, quod ſic emiſſo clamore expiraſſet, dixit, Vere homo hic Filius erat Dei.

40. Erant autem & mulieres è longinquo ſpectantes: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi parvi & Joſe mater, & Salome,

41. (Quæ etiam quum eſſet in Galilæa, ſequutæ fuerant illum, & miniſtraverant ei) aliæque complures, quæ ſimul aſcenderant cum ipſo Hieroſolymam.

LUC. XXIII.

44. Erat autem fere hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt ſuper totam terram uſque ad horam nonam.

45. Et obſcuratus eſt ſol, & velum templi ſciſſum eſt medium.

46. Et quum clamaſſet voce magna Jeſus, ait, Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et hæc quum dixiſſet, exſpiravit.

47. Quum vidiſſet autem Centurio quod accidit, glorificavit Deum, dicens, Certe homo hic juſtus erat.

48. Et omnes turbæ quæ convenerant ad ſpectaculum illud, quum vidiſſent quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur.

49. Stabant autem omnes noti ejus procul, & mulieres quæ eum ſequutæ erant à Galilæa, hæc videntes.

45. *A ſexta autem hora.*] Quanquam in Chriſti morte carnis infirmitas Deitatis gloriam ad breve tempus operuit, imo ipſe Dei Filius deformis jacuit ſub probro & contemptu, & (quemadmodum Paulus loquitur) exioanitus fuit: quibuſdam tamen notis eum ornare non deſtitit cæleſtis Pater, atque in ultima dejectione quædam futuræ gloriæ prælυdia erexit, quæ pias mentes adverſus crucis ſcandalum fulcirent. Ita Chriſti majeſtas Solis defectu, terræ motu, petrarum fiſſura & veli fractione magnifice teſtata fuit: perinde acſi cælum & terra debitum ſuo opifici & fictori cultum præſtarent. Cæterum primo loco quæritur quorſum Solis eclipſis. nam quod veteres Poëtæ in ſuis tragœdiis ſubduci terris Solis lumen fingunt ubi nefandum aliquod ſcelus patratur, ad ootandum iræ divinæ portentum ſpectat. atque hoc quidem figmentum deductum fuit ex communi naturæ ſenſu. Ideo quidam ioterpretes in Chriſti morte immiſſas divinitus fuiſſe tenebras putant, in ſignum deteſtationis: acſi Deus obtenebrato Sole faciem ſuam à ſcelere omoium teterrimo abſconderet. Alii Sole viſibili extincto demonſtratum fuiſſe dicuot interitum Solis juſtitiæ. Alii ad gentis excæcatiooem, quæ paulo poſt ſequuta eſt, referre malunt. Nam Judæi rejecto Chriſto, poſtquam è medio ſublatus eſt, cæleſtis doctrinæ luce privati ſunt, nec quicquam illis reliquum fuit præter deſperationis tenebras. Ego vero potius exiſtimo, quia præ ſtupore ad locem cæcutiret ille populus, tenebris fuiſſe expergefactum ut admirabile Dei conſilium in Chriſti morte teputaret. Nam inſolita ordinis naturæ converſio, niſi prorſus obduruiſſent, ſerio debuit afficere eorum ſenſus, ut ad futuram mundi renovationem attendereot. Interea ſpectaculum illis exhibitum fuit terroris plenum, ut ad Dei judicium expaveſcerent. Et ſane fuit hoc incomparabile iræ Dei documentum, quod ne unigenito quidem Filio pepercit, nec aliter placatus eſt quam illo expiationis pretio. Quod autem à Scribis, & Sacerdotibus, & magna populi parte, ſecure neglecta, & clauſis oculis prætetita fuit Solis extinctio, prodigioſa eorum amentia horrorem nobis incutere debet. nam brutis animalibus magis fuiſſe ſtupidos neceſſe eſt qui tali portento de cæleſtis judicii rigore palam admoniti, illudere non deſinerent. Sed hic eſt ſpiritus ſtuporis & vertiginis quo Deus reprobos inebriat, poſtquam diu certavit cum eorum malitia. Interim diſcamus, poſtquam Satanæ præſtigiis faſcinati ſunt, gloriam

Dei

Dei quantumvis conſpicua ſit, illis eſſe abſconditam: ſaltem obtenebratas eſſe eorum mentes, ut videndo non videant. Cæterum quia generalis illa fuit admonitio, nobis hodie prodeſſe debet, ut ſciamus ſacrificium quo ſumus redempti, non minoris momenti fuiſſe quam ſi ſol è cælo cecidiſſet, vel collapſa fuiſſet tota mundi machina. Ita enim fiet ut peccata magis horreamus. Porro quod hanc Solis defectionem quidam ad omnes mundi plagas extenduot, mihi conſentaneum non videtur. nam etſi hoc ab uno aut altero ſcriptore proditum fuit, magis tameo celebris fuit illorum temporum hiſtoria quam ut miraculum tam inſigne taceri potuerit ab aliis permultis, qui accurate perſequuti ſunt quæ non ita memoratu digna erant. Adde quod ſi toti mundo communis fuiſſet defectio, quia credita fuiſſet naturalis, facilius hominum ſenſum fugiſſet. Sole autem alibi fulgente, tenebris obrui Judæam, magis notabile fuit prodigium.

46. *Circa horam nonam clamavit.*] Quanquam apparuit pluſquam humanus vigor in Chriſti clamore, certum tamen eſt vehementia doloris illi fuiſſe expreſſum. Et certe hic præcipuus fuit conflictus, & omnibus aliis tormentis durior, quod in ſuis anguſtiis adeo levatus non eſt Patris auxilio vel favore, ut ſe quodammodo alienum ſentiret. Neque enim corpus ſolum in pretium noſtræ cum Deo reconciliationis obtulit, ſed in anima etiam pertulit debitas nobis pœnas: atque ita vere factus eſt vir do-
Iſ. 53. verſ. 3. lorum, ſicut Jeſaias loquitur. Et vero nimis inſulſi ſunt qui hac redemptionis parte poſthabita, tantum in externo carnis ſupplicio inſiſtunt. nam ut pro nobis ſatisfaceret Chriſtus, reum ad Dei tribunal ſiſti oportuit. Nihil autem magis horribile quam Deum ſentire judicem, cujus ira mortes omnes ſuperat. Ergo quum ſpecies tentationis Chriſto objecta eſt, quaſi Deo adverſo jam eſſet exitio devotus, horrore correptus eſt, quo centies cuncti mortales fuiſſent abſorpti, ipſe autem mirifica Spiritus virtute victor emerſit. Nec vero ficte vel theatrice conqueritur ſe à Patre relictum. Et quod nonnulli ex vulgi opinione ſic loquutum obtendunt, inſipidum eſt cavillum. nam interior animi mœſtitia vi & ardore ſuo eum coëgit in clamorem erumpere. Nec tantum ocularis fuit redemptio qua defunctus eſt (ut nuper dixi) ſed ut ſe vadem pro nobis obtulerat, vere Dei judicium ſubire loco noſtro voluit. Sed abſurdum videtur, Chriſto elapſam eſſe deſperationis vocem. Solutio facilis eſt, quaoquam ſenſus carnis exitium apprehenderet, fixam tamen ſtetiſſe fidem in ejus corde qua Deum præſentem intuitus eſt, de cujus abſentia conqueritur. Diximus alibi quomodo Deitas locum ceſſerit carnis infirmitati, quatenus ſalutis noſtræ interfuit, ut omnes Redemptoris partes Chriſtus impleret. Diſcrimen etiam notavimus inter naturæ ſenſum & fidei notitiam. quare nihil obſtat quominus Dei alienationem mente conceperit Chriſtus prout ſenſus communis dictabat, & ſimul fide retinuerit Deum ſibi eſſe propitium. Quod ſatis clare patet ex duobus querimoniæ membris. nam antequam tentationem exprimat, præfatur ſe ad Deum confugere tanquam Deum ſuum, atque ita clypeo fidei fortiter repellit illam quæ ſe ex oppoſito ingerebat derelictionis ſpeciem. Denique in hoc diro cruciatu illæſa fuit ejus fides: ut ſe relictum eſſe deplorans, propinquo tamen Dei auxilio confideret. Porro vocem hanc in primis notatu fuiſſe dignam hinc apparet, quod Spititus ſanctus, quo melius eam inſculperet hominum memoriæ, Syriaca lingua referri voluit. nam hoc perinde eſt, acſi Chriſtum eadem quæ tunc ore ſuo protulit verba recitantem induceret. Quo turpior eſt eorum ſocordia qui tantam Chriſti mœſtitiam & tam dirum pavorem quaſi per jocum leviter prætereunt. Quiſquis autem reputat hac lege ſuſceptam fuiſſe à Chriſto mediatoris perſonam ut reatum noſtrum tam in anima quam in corpore ſubiret, non mirabitur illi certamen fuiſſe cum mortis doloribus, quaſi Deo irato in labyrinthum malorum projectus foret.

47. *Eliam vocat iſte.*] Qui hoc ad milites referuot rudes & ignaros Syriacæ linguæ, & Judaicæ religioni non aſſuetos, falluntur meo judicio. putant enim hallucinatos fuiſſe in vocum ſimilitudine. Atqui mihi nullo modo probabile eſt inſcitia lapſos eſſe, quum potius data opera Chriſto illudere, & calumnioſe pervertere ejus orationem ſtatutum fuerit. Nulla enim ad labefactandam piorum ſalutem aptior Satanæ machina eſt quam ubi à Dei iovocatione ipſos depellit. Itaque ſuos miniſtros quantum poteſt huc impellit ut precandi affectum nobis excutiat. Sic impios Chriſti hoſtes impulit ut proterve ejus precationem in riſum converterent: volens hoc artificio eum præcipuis armis ſpoliare. Et certe hæc admodum gravis tentatio eſt, dum videmur tantum abeſſe à profectu ut Deus nomen ſuum potius opprobriis exponat quam ſe oſtendat votis noſtris propitium. Tantundem igitur valuit hæc ironia vel caninus latratus, acſi negaſſent Chriſto quicquam eſſe negotii cum Deo, quod Eliam implorans in aliud aſylum ſe conferret. Sic videmus omni ex parte fuiſſe vexatum, ut deſperatione obrutus ab invocando Deo abſiſteret: quod erat ſaluti renunciare. Cæterum ſi hodie tam conductitii Antichriſti rabulæ quam domeſtici etiam nebulones, quæ à nobis recte dicta ſunt, ſuis calumniis indigne depravant, ne miremur idem nobis quod capiti noſtro accidere. Quamvis tamen Deum in Eliam transfigurent, ubi pro ſua libidine nos ſubſannaverint, exaudiet tandem Deus gemitus noſtros, ſeque tum vindicem gloriæ ſuæ oſtendet, tum impuræ falſitatis ultorem.

48. *Et continuo currens unus.*] Hinc probabilis conjectura elicitur, quum ſemel potum reſpuiſſet Chriſtus, ſubinde moleſtiæ cauſa fuiſſe illi oblatum. Quanquam ſimul veriſimile eſt initio porrectum illi fuiſſe in calice acetum, antequam in ſublime elatus eſſet: poſtea admotam ori fuiſſe ſpongiam, quum jam penderet in cruce.

36. Marc. *Dicens, Sinite.*] Quod hic Marcus tradit, militem acetum porrigendo dixiſſe, Sinite, videamus, &c. Matthæus vero ſermonem hunc cæteris attribuit: in eo nihil eſt repugnantiæ. Nam veriſimile eſt ab uno cœpiſſe ſubſannationem, quæ ab aliis cupide excepta clamorem inter omnes excitavit. Ita verbum Sinere, non eſt prohibentis, ſed ludentis. Ergo qui primus Chriſtum deriſit, ironice vicinos compellans, Expectemus, inquit, an veniat Elias. Protinus ſequuti ſunt alii, & quiſque proximo ſuo eandem cantilenam occinuit: ut fieri ſolet in mutuo conſenſu. Nec vero in numero plurali vel ſingulari inſiſtendum eſt: quia tantundem valet Sine quod Sinite: vice enim interjectionis poſitum eſt verbum, acſi dixiſſent, St, ſt.

50. Matth. *Quum iterum clamaſſet.*] Lucas, qui prioris querimoniæ non meminit, hujus ſecundi clamoris verba recitat, quæ Matthæus & Marcus prætereunt. Dicit autem clamaſſe, *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*: quo teſtatus eſt, quamvis duriter concuſſus eſſet violentis tentationibus, fidem tamen ſuam minime fuiſſe concuſſam, ſed ſuo loco ſemper invictam ſtetiſſe. Nullus enim clarior agi potuit triumphus quam dum intrepide jactat Chriſtus, Deum animæ ſuæ (quam omnes perditam putabant) fidum eſſe cuſtodem. Porro quia apud ſurdos verba facturus erat, recta ſe ad Deum contulit, & fiduciæ ſuæ teſtimonium depoſuit in ejus gremio. Voluit quidem ab hominibus exaudiri quod dicebat: ſed quamvis nihil apud homines proficeret, unico Deo teſte contentus fuit. Et certe nulla magis ſeria eſt vel firma fidei approbatio, quam ubi pius homo, dum undique ſe impeti videt

ut

Digitized by Google

ut nihil in hominibus reperiat ſolatii, ſpreta totius mundi inſania, dolores ſuos & euras in Dei ſinum eaonerat, & in ſpe promiſſionum quieſcit. Tamerſi autem hanc precandi formam ſumpſiſſe videtur ex Pſalmo 31. verſ. 9. mihi tamen dubium non eſt quin eam pro temporis circumſtantia ad præſentem uſum ſuum aptaverit: acſi diaiſſet, Video equidem Pater omnium vocibus me deſtinari ad interitum, & animam meam quodammodo hue & illuc raptari: interea ſecundum carnem nihil in te auailii ſentio: non tamen id obſtabit quominus ſpiritum meum in manus tuas deponam, & ſecure recumbam in abſcondita bonitatis tuæ cuſtodia. Notandum tamen eſt, Davidem eo quem citavi loco, non tantum hoc rogaſſe ut anima ſua Dei manu excepta, poſt mortem ſalva & ſuperſtes maneret; ſed vitam ſuam commendaſſe Domino, ut ejus tutela protectus, tam vivens quam moriens feliciter ageret. Videbat ſe multis mortibus aſſidue obſideri: nihil ergo reſtabat niſi ut ſe ineapugnabili Dei præſidio committeret. Porro ubi Deum ſtatuit animæ ſuæ cuſtodem, tutam eſſe ab omni periculo gloriatur: & ſimul ad obeundam mortem, ubi ita viſum fuerit Deo, ſecure ſe comparat, quia Dominus ipſe in morte quoque ſuorum animas cuſtodit. Nunc quia illud prius Chriſto ablatum erat ut animam ſuam in caduco terrenæ vitæ ſtatu Patri tuendam committeret, alacriter ad mortem pergens, extra mundum ſervari cupit. Nam ideo præcipue animas noſtras in fidem ſuam recipit Deus ut ſpes noſtra umbratilem hanc vitam tranſcendat. Jam meminerimus Chriſtum non privato ſui reſpectu commendaſſe Patri animam, ſed omnes ſuorum fidelium animas quaſi uno faſciculo compleaum eſſe, ut ſimul cum ſua ſerventur: imo hac prece jus ſervandi omnes animas ſibi ipſe peperit, ut non ſolum in ejus gratiam eas cuſtodia ſua dignetur cæleſtis Pater, ſed partes illi ſuas reſignans, ei ſervandas committat. Quare & Ste-
Actor. 7. verſ. 59. phanus in morte, in ejus manus animam ſuam depoſuit: Domine Jeſu, inquit, ſuſcipe ſpiritum meum. Cujus eaemplo quiſquis in Chriſtum credet, non efflabit in aërem animam moriens, ſed ad fidelem depoſitarium confugiet, qui tuto conſervat quicquid ſibi traditum eſt à Patre. Clamor iterum vehementiam affectus oſtendit: neque enim dubium eſt quin Chriſtus ex tentationum anguſtiis quibus conſtrictus erat, non ſine ſerio ardentique conatu tandem eruperit in hanc vocem. Quanquam ſimul alto & ſonoro præconio teſtatum nobis eſſe voluit, animam ſuam, à morte ſalvam & incolumem fore, ut nos eadem fiducia inſtructi alacriter exeamus è caduco carnis noſtræ tugurio.

51. *Et ecce, velum.*] Quod ſciſſuram veli Solis defectui Lucas permiſcet, quaſi ante Chriſti mortem contigerit, ordinis eſt inverſio. neque enim (ut ſæpius viſum eſt) temporum momenta exacte obſervant Euangeliſtæ. Nec vero conſentaneum fuit, niſi paracto expiationis ſacrificio velum ſcindi: quia tunc Chriſtus verus & æternus Sacerdos, abolitis Legalibus figuris, ſanguine ſuo nobis ad cæleſte Sanctuarium viam patefecit, ut non ſtemus jam procul in atrio, ſed libere in Dei conſpectum prodeamus. Quamdiu enim duravit umbratilis cultus, velum oppoſitum erat terreno Sanctuario, quod inde non pe-
Coloſſ. 2. verſ. 14. des modo populi, ſed oculos etiam arceret. Chriſtus autem deleto chirographo quod nobis contrarium erat, obſtaculum omne abrupit, ut ipſo mediatore freti, ſimus omnes regale ſacerdotium. Ideo veli ſciſſura non modo ceremoniarum quæ ſub Lege vigebant, abrogatio fuit, ſed quædam cælorum apertio, ut nunc familiariter Deus Filii ſui membra ad ſe invitet. Interea admoniti fuerunt Judæi, finem eaternis ſacrificiis eſſe impoſitum, nullum poſthac veteris Sacerdotii uſum fore: etiamſi ſtaret templi ædificium, non amplius illic conſueto ritu colendum eſſe Deum: ſed quia jam umbrarum ſubſtantia & veritas completa erat, figuras Legales in ſpiritum converſas eſſe. Quanquam enim viſibile ſacrificium obtulit Chriſtus, ſpiritualiter tamen (ut docet Apo-
Hebr. 9. verſ. 14. ſtolus in Epiſtola ad Hebræos) æſtimandum eſt, ut ejus pretium & fructus conſtet. Sed miſeris nihil profuit externum Sanctuarium rupto velo nudari: quia ſalvificæ lucis conſpectum interius ſuæ infidelitatis velum ademit. Quod de terræ motu & petrarum fiſſura additur apud Matthæum, eodem momento factum eſſe mihi probabile eſt. Porro hoc modo non ſolum terra ſuo opifici teſtimonium reddidit, ſed teſtis etiam citata eſt contra perditæ gentis duritiem. nam hinc apparuit quam prodigioſa eſſet obſtinatio, quam nec terræ concuſſio, nec lapidum fiſſura movit.

52. *Et monumenta aperta ſunt.*] Hoc quoque ſpeciale portentum fuit, quo teſtatus eſt Deus Filium ſuum mortis carcerem ingredi, non ut illic clauſus maneret, ſed ut omnes educeret qui captivi tenebantur. nam quo tempore in Chriſti perſona ſpectata fuit contemptibilis carnis infirmitas, magnifica & divina mortis ejus virtus ad inferos uſque penetravit. Hæc ratio eſt cur ſepulchro mox claudendus alia ſepulchra aperuerit. Dubium tamen eſt an hæc ſepulchrorum apertio contigerit ante reſurrectionem. nam ſanctorum reſurrectio, quæ paulo poſt ſubjicitur, meo judicio ipſam Chriſti reſurrectionem ſequuta eſt. abſurdum enim eſt quod interpretes quidam divinant, vivos & ſpirantes triduo latuiſſe in ſepulchris. Mihi quidem probabile videtur, Chriſto mortuo fuiſſe ſtatim aperta ſepulchra: quum autem reſurrexit, quoſdam piorum recepto ſpiritu, egreſſos eſſe, & in urbe fuiſſe conſpectos. Nam ideo primogenitus ex mortuis & primitiæ *1 Cor. 15. verſ. 20.* reſurgentium vocatur Chriſtus quia morte ſua inchoavit novam vitam, reſurrectione vero perfecit: *Coloſſ. 1. verſ. 18.* non quod mortui ipſo moriente protinus revixerint, ſed quia mors ejus vitæ origo fuit & initium. Optime igitur congruit hæc ratio, quum ſepulchrorum fractura præſagium eſſet novæ vitæ, fructum ipſum vel effectum apparuiſſe triduo poſt, quia Chriſtus reſurgens alios e ſepulchris comites ſecum eduxit. Porro hoc ſigno oſtenſum fuit, eum ſibi privatim nec mortuum eſſe, nec reſurrexiſſe, ſed ut vitæ odorem in omnes fideles ſpiraret. Hic tamen naſcitur quæſtio, cur tantum quoſdam reſurgere voluerit Deus, quum peræque ad omnes fideles attineat reſurrectionis Chriſti ſocietas. Reſpondeo, quia nondum maturum erat tempus quo totum Eccleſiæ corpus aggregaretur ad caput ſuum, editum in paucis ſpecimen fuiſſe novæ vitæ, quæ omnibus ſperanda eſt. Scimus enim Chriſtum hac lege receptum fuiſſe in cælos, ut vita membrorum ejus ad- *Col. 3: 3.* huc ſit abſcondita, donec manifeſtetur ejus adventu. Verum ut ſe alacrius piæ mentes in ſpem erigerent, reſurrectionem, quæ futura eſt omnium communis, in paucis quibuſdam delibari utile fuit. Altera quæſtio difficilior, quid poſtea factum ſit iſtis ſanctis. nam abſurdum videtur, ex quo ſemel in conſortium novæ vitæ à Chriſto admiſſi fuerant, rurſus in pulverem reverſos. Verum ſicuti non facilis eſt hoc prompta ſolutio, ita anxie laborare nihil attinet in re cognitu non neceſſaria. Diu in hominum cœtu fuiſſe verſatos veriſimile non eſt: quia tantum ad breve tempus conſpici oportuit, ut in illo ſpeculo vel imagine manifeſta eſſet Chriſti virtus. Quum autem Deus apud vivos ſpem cæleſtis vitæ confirmare voluerit in illorum perſona, nihil abſurdi erit ſi dicamus eos hoc officio defunctos, iterum quieviſſe in ſuis ſepulchris. Veriſimilius tamen eſt, vitam, qua donati ſunt, non fuiſſe deinde illis ademptam. nam ſi mortalis fuiſſet, ſolidæ reſurrectionis documentum eſſe non poterat. Porro quanquam totus mundus reſurget, ac Chriſtus non minus

Digitized by Google

nus impios ad judicium ſuſcitabit quam fideles ad ſalutem: quis tamen in gratiam Eccleſiæ proprie reſurrexit, merito nonniſi ſanctos tanto honore dignarus eſt ut ſimul cum ipſo reſurgerent. Quod Hieroſolymam Matthæus honorifice ſanctam urbem nominet, non civium meritis tribuit hoc elogium: (ſcimus enim tunc omnibus ſcelerum inquinamentis fuiſſe refertam ut ſpelunca potius latronum eſſet) ſed quum divinitus electa eſſet, donec palam fieret ejus reprobatio, nullis hominum corruptelis deleri potuit quæ in Dei adoptione fundata erat ſanctitas. Vel, ſi quis brevius malit, ex parte hominum profana, ex parte Dei ſancta fuit, uſque ad templi excidium vel pollutionem, quæ non multo poſt Chriſtum crucifixum contigit.

54. *Centurio vero.*] Quum Lucas planctum populi commemoret, non ſolus Centurio cum ſuis militibus Chriſtum agnovit Dei Filium: ſed hoc diſerte referunt de ipſo Euangeliſtæ amplificandi cauſa: quia mirum ſit profanum hominem, nec in Lege educatum, ſed veræ pietatis expertem, tale ex ſignis quæ videbat judicium feciſſe. Quæ comparatio ad damnandum urbis ſtuporem non parum valet. nam præter tenue vulgus, nullos ex Judæis concuſſa & tremente mundi machina fuiſſe motos, horribilis amentiæ ſignum fuit. Quanquam Deus in tam craſſa cæcitate, quæ de Filio ſuo edebat teſtimonia latere paſſus non eſt. Ergo non tantum vera religio oculatos reddidit puros Dei cultores, ut ſentirent Chriſti gloriam è cælo illuſtrari: ſed ipſe naturæ ſenſus exteros homines, & quidem milites, fateri coëgit quod neque ex Lege neque ex magiſtris didicerant. Quia Marcus dicit Centurionem ſic loquutum quod Chriſtus magno clamore emiſſo expiraviſſet, putant quidam interpretes notari inſolitum vigorem, qui ad mortem uſque integer perſtiterat. & ſane quum fere exangue eſſet Chriſti corpus, hoc humano more accidere non potuit ut laterum & arteriæ vis ad ſonorum clamorem ſuppeteret. Ego tamen potius conſtantem in Dei nomine invocando perſeverantiam à Centurione laudatam eſſe puto. Quanquam non ſolus Chriſti clamor eum induxit ut de eo honorifice ſentiret: ſed quia videbat inſignem ejus virtutem cum cæleſtibus miraculis congruere, hæc illi expreſſa fuit confeſſio. Cæterum quod Deum timuiſſe dicitur, non ita exponi debet quaſi penitus reſipuerit: tantum ſubitus & evanidus impetus fuit, ut ſæpe contingit vanos homines & mundo deditos percelli Dei timore, dum formidabilem ſuam potentiam exerit: ſed quia non ſubeſt viva radix, protinus ſecuritatem obducere quæ ſenſum illum extinguat. Non fuit igitur mutatus Centurio, ut ſe Deo in reliquum vitæ tempus addiceret, ſed tantum Deitatis Chriſti momentaneus præco fuit. Quod autem apud Lucam habetur taotum dixiſſe, *Vere hic homo juſtus erat*, tantundem valet acſi aperte exprimeret eſſe Dei Filium, ſicut alii duo Euangeliſtæ narrant. Nam paſſim fama percrebuerat, affectum fuiſſe Chriſtum ſupplicio quia ſe pro Filio Dei gereret: nunc dum juſtitiæ laudem ei tribuit Centurio, eumque à crimine aſſerit, Filium Dei ſimul fatetur: non quod diſtincte intelligeret quomodò genitus eſſet Chriſtus ex Deo Patre, ſed quia divinum aliquid in eo eſſe non dubitat, quodque documentis convictus, non vulgarem eſſe hominem, ſed divinitus excitatum, ſtatuit. Quod ad turbas ſpectat, pectora tundendo, piaculi reatum deprecatæ ſunt, quod ſentirent piaculum injuſta & nefanda cæde publice contractum eſſe. Sed quia non ultra progreſſæ ſunt, nihil illis profuit ſuus planctus: niſi forte quibuſdam melioris pœnitentiæ initium vel præparatio fuit. Sed quia tantum lamentatio nobis deſcribitur quam Deus in Filii ſui gloriam extorſit, diſcamus hoc exemplo parum aut nihil eſſe ſi quis ex præſenti Dei potentia horrorem concipiat, donec ſedata conſternatione in corde tranquillo reſideat Dei timor.

55. *Erant autem ibi mulieres.*] Hoc additum fuiſſe interpretor ut ſciamus, quum huc & illuc fuga dilapſi eſſent diſcipuli, quoſdam tamen ex illorum cœtu retentos à Domino fuiſſe teſtes. Quanquam autem Joannes Apoſtolus à cruce non diſceſſit, nulla tamen hic fit ejus mentio: ſed tantum laudantur mulieres quæ Chriſtum ad mortem uſque comitatæ ſunt, quod viris trepide fugientibus, clarius enituit ſingularis earum pietas erga magiſtrum. Raro enim ſtudii ardore præditas fuiſſe neceſſe eſt, quæ tametſi nihil præſtare officii poſſent, in extremis tamen probris poſitum reverenter colere non deſtiterunt. Neque tamen viros omnes fugiſſe, ex Luca colligimus: quia dicit, *omnes ejus notos procul ſtetiſſe*. Sed mulieres non ſine cauſa potiſſimum celebrant Euangeliſtæ, quod viris præferri dignæ eſſent. Meo quidem judicio tacita comparatio graviter Apoſtolos perſtringit. De ipſo corpore loquor. nam quia unus tantum reſiduus manſerat, de eo (ſicuti nuper dixi) tres Euangeliſtæ tacent. Fuit autem electis teſtibus hoc valde probroſum, ab eo ſpectaculo ſe ſubducere ex quo pendebat mundi ſalus. Itaque dum poſtea Euangelium promulgarunt, præcipuum hiſtoriæ caput à fœminis mutuari oportuit. Quod niſi ingenti malo mirabiliter occurſum eſſet Dei providentia, redemptionis notitia ſe & nos privaſſent. Cæterum quanquam in fœminis non videtur tanta eſſe auctoritas, ſi tamen expendimus quanta Spiritus virtute contra illam tentationem ſuffultæ fuerint, non erit cur vacillet fides noſtra quæ in Deum verum teſtimonii auctorem recumbet. Interea notemus incredibili Dei bonitate factum eſſe ut ad nos uſque manaret Euangelium de expiatione qua nobis reconciliatus fuit Deus. Nam in communi eorum defectione quos aliis præcurrere decebat, quoſdam ex medio grege animavit Deus qui ſe à trepidatione colligerent, futuri nobis ejus hiſtoriæ teſtes ſine cujus fide ſalvi eſſe non poſſumus. De ipſis porro mulieribus iterum mox aliquid dicendum erit: in præſentia unum obiter notare ſufficiat, ſtudio diſcendi à patria fuiſſe abductas, ut aſſidue penderent ex ore Chriſti: nec labori aut facultatibus peperciſſe, modo ſalvifica ejus doctrina fruerentur.

MATTH. XXVII.	MARC. XV.	LUC. XXIII.
57. Quum autem veſpera eſſet, venit homo dives ab Arimathæa, nomine Joſeph, qui & ipſe diſcipulus erat Jeſu.	42. Et quum jam eſſet veſpera (quoniam erat paraſceve, quæ præcedit Sabbathum)	50. Et ecce vir nomine Joſeph, decurio, vir bonus & juſtus.
58. Hic acceſſit ad Pilatum, & poſtulavit corpus Jeſu. tunc Pilatus juſſit reddi corpus.	43. Venit Joſeph *ortus ex civitate* Arimathæa, honeſtus decurio, qui & ipſe erat expectans regnum Dei: & ſumpta audacia, ingreſſus eſt ad Pilatum, & petiit *ab eo* corpus Jeſu.	51. Hic non conſenſerat conſilio ac facto eorum, *oriundus* ab Arimathæa urbe Judæorum, qui expectabat & ipſe regnum Dei.
59. Et quum accepiſſet		52. Hic acceſſit ad Pilatum, & poſtulavit corpus Jeſu.

corpus Joſeph, involvit illud ſindone munda.

60. Poſuitque illud in monumento ſuo novo quod exciderat in petra: & advoluto magno lapide ad oſtium monumenti, abiit.

61. Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, ſedentes contra ſepulchrum.

44. Pilatus autem admiratus eſt ſi jam mortuus eſſet: & accerſito ad ſe Centurione, interrogavit illum an jam dudum mortuus fuiſſet.

45. Et re cognita ex Centurione, donavit corpus ipſi Joſeph.

46. Et is mercatus ſindonem, depoſitum eum involvit ſindone, & poſuit in monumento quod erat excisum è petra: & advolvit lapidem ad oſtium monumenti.

47. Maria vero Magdalene & Maria Joſe ſpectabant ubi poneretur.

53. Et depoſitum involvit ſindone, & poſuit illud in monumento quod erat in petra exciſum, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat.

54. Et dies erat paraſceve, & Sabbathum illuceſcebat.

55. Subſequutæ autem mulieres quæ eum eo venerant à Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum poſitum erat corpus ejus.

56. Reverſæ vero paraverunt aromata & unguenta: ac Sabbatho quidem quieverunt ſecundum præceptum.

Subjicitur nunc Chriſti ſepultura, quaſi medius tranſitus ab ignominia crucis ad reſurrectionis gloriam. Voluit quidem Deus alia etiam cauſa Filium ſuum ſepeliri, ut ita melius teſtatum fieret vera morte pro nobis eſſe defunctum. Sed hic interim finis præcipue ſpectandus eſt, quod hoc modo aboleri cœperit maledictio quam ad breve tempus ſuſceperat: neque enim vulgari more projectum fuit ejus cadaver in foveam, ſed in ſepulchro exciſo honorifice conditum. Quanquam autem tunc adhuc ante oculos verſata eſt carnis infirmitas, nec divina virtus Spiritus ante reſurrectionem lucide conſpecta eſt: voluit tamen Deus hoc quaſi præludio adumbrare quod paulo poſt facturus erat, ut Filium ſuum mortis victorem magnifice ſupra cælos eveheret.

57. *Quum autem veſpera eſſet.*] Intellige Joſeph non ſub crepuſculum veniſſe, ſed ante occaſum Solis, ut citra Sabbathi violationem hoc pietatis officium magiſtro præſtaret. nam initium Sabbathi erat ab illa veſpera. Ergo neceſſe fuit Chriſtum ante noctis tenebras in ſepulchro deponi. Porro à Chriſto mortuo uſque ad Sabbathi obſervationem tres horæ liberæ reſtabant. Quanquam autem Joannes non ſolius Joſeph meminit, ſed Nicodemum quoque illi adjungit comitem: quia tamen ſolus ipſe ſuſcepit negotium à principio, & Nicodemus ipſum ducem & auctorem tantum ſequutus eſt, tribus Euangeliſtis in brevi narratione ſatis fuit quid ab ipſo uno geſtum ſit referre. Jam etſi rara laude dignus fuit hic Joſeph affectus, primo tamen nobis conſideranda eſt Dei providentia, quod hominem inter ſuos nobilem & eximiæ dignitatis elegit qui ſepulchri honore probrum crucis tegere inciperet. Et ſane quum totius gentis invidiæ & odio, quum ingentibus periculis ſe exponeret, non dubium eſt arcano Spiritus inſtinctu tantum fiduciæ ſumpſiſſe. nam licet ante unus fuiſſet ex Chriſti diſcipulis, nunquam tamen libere & palam profiteri fidem ſuam auſus fuerat. Nunc dum in Chriſti morte ſpectaculum deſperationis plenum occurrit, quod etiam viriles animos frangere poſſet: unde illi repente tam generoſa animoſitas ut inter ſummos terrores nihil metuens, longius quam rebus pacatis progredi non dubitet? Sciamus ergo divinitus per manum Joſeph ſepultum fuiſſe Dei Filium. Huc etiam referri debent quæ hic notantur circumſtantiæ. Pietas Joſeph & vitæ integritas laudantur: ut diſcamus in Dei ſervo agnoſcere opus divinum. *Divitem* fuiſſe Euangeliſtæ referunt, ut ſciamus mira animi celſitudine ſuperatum fuiſſe obſtaculum quod alioqui eum coëgiſſet retrorſum cedere. Nam, ut ſuperbi ſunt divites, nihil difficilius eſt illis quam ſponte vulgi contemptum ſubire. Scimus autem quam ſordida & infamis fuerit opera, crucifixi hominis cadaver è manu carnificis ſuſcipere. Adhæc quo ſplendidior ei fuit fortuna, cautior etiam fuiſſet ac timidior (ut ſolent homines divitiis ſuis addicti diſcrimen omne fugere) niſi è cælo indita fuiſſet illi audacia. Adſcribitur etiam dignitas ordinis, quod *Decurio* fuerit, vel *Senator*, ut hac quoque in parte reluceat Dei virtus: quia non ex obſcura plebe ſuppoſitus eſt qui raptim & clanculum Chriſti corpus defoderet, ſed ex alto honoris gradu excitatus fuit hujus officii miniſter. Nam quo minus credibile erat illum pietatis cultum Chriſto paratum eſſe, eo clarius apparuit hoc totum Dei conſilio & manu gubernari. Docemur autem hoc exemplo, tantum ab excuſatione abeſſe divites ſi Chriſtum honore ſuo fraudent, ut duplicis culpæ potius rei ſint, dum ſtimulos quibus incitari eos decebat, convertunt in obſtacula. Fateor quidem hoc nimis conſuetum eſſe & vulgare ut ſe à jugo ſubducant qui videntur præ aliis excellere, ut delicati ſint ac molles, ut nimium providi & timidi: ſed nobis ineunda eſt longe diverſa ratio, niſi opes & honores adjumenta ſint ad colendum Deum nos illis perperam abuti. Circumſtantia temporis docet quam facile ſit Deo corrigere pravos metus qui nos ab officio impediunt. Quum ante non auderet Joſeph rebus dubiis ingenue ſe Chriſti diſcipulum profiteri, nunc, ubi maxime ardet hoſtium furor, & ſævitia graſſatur, animum colligit, ut in apertum diſcrimen ſe conjicere non dubitet. Videmus ergo ut Dominus momento corda formet in novos affectus, ac erigat Spiritu fortitudinis qui prius collapſi erant. Cæterum ſi pio honorandi Chriſti ſtudio tantum fiduciæ ſumpſit Joſeph quum mortuus in cruce penderet: niſi hodie, poſtquam reſurrexit à mortuis, idem ſaltem ejus glorificandi viget in cordibus noſtris zelus, væ noſtræ ſocordiæ.

43. Marc. 51. Luc. *Qui & ipſe erat expectans regnum Dei.*] Hoc præcipuo elogio ornatur Joſeph quod expectaret regnum Dei. Laudatur quidem etiam à juſtitia: ſed expectatio hæc regni Dei, juſtitiæ radix & origo fuit. Per *regnum Dei* intellige promiſſam in Chriſto inſtaurationem. Nam ordinis integritas, quam ubique Prophetæ adventu Chriſti futuram promiſerant, ſtare non poteſt niſi quum Deus homines diſſipatos ſub imperium ſuum colligit. Hac itaque nota commendatur pietas Joſeph, quod in ſtatu perdito ſpem redemptionis aluerit quæ à Deo promiſſa erat. Hinc etiam naſcitur timor Dei, & ſancte recteque vivendi ſtudium. neque enim fieri poteſt ut ſe Deo quiſquam addicat niſi qui eum ſperat ſibi liberatorem fore. Notemus autem, quum omnibus Judæis promiſcue deſtinata eſſet ſalus in Chriſto, ejuſque promiſſio omnibus communis eſſet,

Spiri-

Spiritum ſanctum nonniſi de pauciſſimis teſtari, quod hic audivimus de Joſeph. Unde apparet incomparabilem Dei gratiam maligna totius fere populi oblivione fuiſſe tunc ſepultam. Volitabat quidem paſſim in linguis omnium de futuro Chriſti adventu jactantia: ſed paucorum animis infixum erat Dei fœdus, ut fide ad ſpiritualem renovationem aſſurgerent. Horrendus ſane fuit ille ſtupor: ideoque non mirum ſi pura religio obſoleverat, extincta ſalutis fide. Utinam vero non ſimilis eſſet hujus infelicis ſeculi corruptela. Apparuit ſemel Chriſtus Judæis & toti mundo redemptor, ut Prophetarum vaticiniis teſtatum fuerat: rebus ex confuſa diſſipatione in rectum & legitimum ſtatum compoſitis, regnum Dei erexit: tempus militiæ nobis præſcripſit quo patientiam noſtram exerceat, donec iterum è cælo adveniat perfector ejus regni quod inchoavit. quotuſquiſque ad eam ſpem vel mediocriter adſpirat? Annon perinde terræ affixi ſunt fere omnes acſi nulla promiſſa eſſet reſurrectio? Verum utcunque major pars ſcopi ſui oblita, huc & illuc diffluat, meminerimus hanc eſſe propriam fidelium virtutem, quæ ſurſum ſunt quærere: ac præſertim ex quo Dei gratia illuxit per Euangelium, erudiens nos ut abnegata impietate & mundanis concupiſcentiis, ſobrie & juſte & pie vivamus in præſenti ſeculo, expectantes beatam ſpem & illuſtrationem gloriæ magni Dei. Tit. 2: 11, 12, 13.

59. *Et quum accepiſſet corpus.*] Brevius ſepulturam perſtringunt tres Euangeliſtæ: ideoque de aromaticis unguentis nullus apud eos ſermo, quæ ſolus Joannes celebrat: tantum ſindonem mundam à Joſeph emptam fuiſſe narrant. Unde colligimus honorifice fuiſſe ſepultum. Nec vero dubium eſt, hominem divitem, quum ſepulchrum ſuum Domino cederet, in reliquis etiam decorum ſplendorem & ornatum præſtitiſſe. Et hoc etiam arcana Dei providentia magis quam meditato hominum conſilio accidit, ut novum & adhuc purum ſepulchrum nactus ſit Dominus, qui primogenitus eſt ex mor- *Coloſſ.* 1.
tuis, & primitiæ reſurgentium. Deus itaque hoc *verſ.* 18.
ſymbolo Filium ſuum à toto generis humani grege 1 *Cor.* 15.
diſtinxit, & vitæ novitatem propoſuit in ſepulchro *verſ.* 20.
ipſo.

61. *Erat autem ibi Maria Magdalene.*] Marcus & Matthæus tantum narrant mulieres ſpectaſſe quid fieret, ac notaſſe locum ubi poſitum fuit corpus. Lucas vero conſilium etiam ſimul exprimit, quod ſcilicet reverſæ in urbem paraverint aromata & unguenta, ut biduo poſt funus ſuo ordine celebrarent. Unde cognoſcimus meliori odore perfuſas fuiſſe earum mentes, quem Dominus in morte ſua ſpiravit ut eas ad ſepulchrum ſuum adductas altius extolleret.

MATTH. XXVII. | MARC. | LUC.

62. Poſtera autem die quæ ſequitur Paraſceven, convenerunt principes Sacerdotum & Phariſæi ad Pilatum,

63. Dicentes, Domine, recordati ſumus quod impoſtor ille dixit adhuc vivens, Poſt tres dies reſurgam.

64. Jube ergo muniri ſepulchrum uſque ad tertium diem, ne forte veniant diſcipuli ejus nocte ut furentur eum, dicantque plebi, Surrexit à mortuis: & erit noviſſimus error pejor priore.

65. Ait illis Pilatus, Habetis cuſtodiam: ite, munite ſicut ſcitis.

66. Illi autem abeuntes munierunt ſepulchrum, obſignato lapide, adhibitis cuſtodibus.

62. *Poſtera autem die quæ.*] In hac narratione non tam Matthæo propoſitum fuit oſtendere quam obſtinato furore Chriſtum perſequuti ſint Scribæ & Sacerdotes, quam nobis velut in ſpeculo repræſentare incredibilem Dei providentiam in reſurrectione Filii ſui probanda. Conſpirant inter ſe homines aſtuti, certe in fraudibus & perfidia exercitati; & rationem excogitant qua memoriam extinguant hominis mortui. nam ſe nihil profeciſſe vident niſi opprimant reſurrectionis fidem. At vero dum id conantur, eam quaſi ex profeſſo in lucem notitiæ producunt. Certe obſcurior fuiſſet Chriſti reſurrectio, vel ſaltem ejus negandæ major illis fuiſſet libertas, niſi teſtes curaſſent ad ſepulchrum locandos. Videmus ergo ut Dominus homines verſutos non ſolum fruſtretur, ſed etiam propriis conſiliis tanquam laqueis intortos, in ſuum obſequium trahat & cogat. Indigni quidem erant Chriſti hoſtes quibus patefieret ejus reſurrectio: ſed illorum impudentiam coargui oportuit, & maledicendi prætextum illis detrahi, imo convinci ipſorum conſcientias, ne ignorantia excuſabiles forent. Interea hoc notemus, Deum, quaſi mercede conductos haberet, eorum opera ad illuſtrandam Chriſti gloriam uſum eſſe: quia nullus ad eam negandam mentiendi color relictus illis fuit, reperto vacuo ſepulchro. non quod à veſana ſua improbitate deſtiterint: ſed hoc locuples apud omnes recto ſanoque judicio præditos teſtimonium fuit, Chriſtum reſurrexiſſe, cujus corpus ſepulchro incluſum quum milites undique obſeptum ſervarent, repertum non fuit.

63. *Recordati ſumus quod impoſtor.*] Divino inſtinctu hæc illis ſuggeſta fuit cogitatio, non tantum ut juſtam ſceleris ultionem de ipſis ſumeret Dominus (quemadmodum cæcis tormentis mentes ſibi male conſcias ſubinde exagitat) ſed præcipue ut impuras ipſorum linguas frenaret. Interea rurſum perſpicimus quantus ſtupor impios occupet, ubi faſcinati ſunt à Satana. *Impoſtorem* adhuc vocant, cujus divina virtus & gloria nuper tot miraculis refulſit. Hoc certe non fuit oppedere nubibus, ſed Solis obſcurationem ridendo, contra os Dei (ut ita loquar) conſpuere. Talibus exemplis docemur mature nobis pia modeſtaque attentione conſiderandam eſſe Dei gloriam ubi ſe profert, ne duritiem noſtram ſequatur bruta & horribilis excæcatio. Quanquam autem prima ſpecie durum hoc & abſurdum videtur, quod tam proterve impii Chriſto mortuo inſultant: ne hæc licentia nos conturbet, prudenter ſemper diſpicere convenit quorſum Dominus eam reflectat. Videntur ſibi impii totam Chriſti doctrinam cum miraculis una iſta quam ſuperbe evomunt blaſphemia obruere. atqui Deus non aliter quam per ipſos Filium ſuum à ſiniſtra impoſturæ nota vindicat. Quoties ergo ſuis calumniis omnia pervertere parabunt impii, & ſeſe in effrenem maledicentiam projicient, æquis & ſedatis animis expectemus dum lucem eliciat Deus ex tenebris.

65. *Habetis cuſtodiam.*] His verbis ſignificat Pilatus ſe eorum arbitrio permittere ut milites in excubiis ſtatuant. Quo permiſſu magis fuerunt conſtricti ne quibus cavillis effugerent. quanquam enim ſine pudore Chriſto poſt reſurrectionem obſtrepere auſi ſunt, ſignatorio tamen annulo Pilati os ſibi magis obturarunt quam ſepulchrum.

Digitized by Google

Matth. XXVIII.

1. Veſpera autem Sabbathorum quæ luceſcit in primam Sabbathorum, venit Maria Magdalene, & altera Maria, ut viderent ſepulehrum.

2. Et ecce, terræ motus factus eſt magnus. Angelus enim Domini deſcendit de cælo, & accedens devolvit lapidem ab oſtio, ſedebatque ſuper eum.

3. Erat autem aſpectus ejus ſicut fulgur, & veſtimentum ejus candidum ſicut nix.

4. Præ timore autem ejus concuſſi ſunt euſtodes, & facti ſunt velut mortui.

5. Reſpondens autem Angelus, dixit mulieribus, Nolite timere vos: ſcio enim quod Jeſum qui erucifixus eſt quæritis.

6. Non eſt hie: ſurrexit enim ſicut dixit. venite, videte locum ubi poſitus erat Dominus.

7. Et eito euntes, dicite diſcipulis ejus quod ſurrexit à mortuis. Et ecce præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis. ecce dixi vobis.

Marc. XVI.

1. Et quum præteriſſet Sabbathum, Maria Magdalene & Maria Jacobi & Salome emerunt aromata, ut venirent & ungerent eum.

2. Et ſummo diluculo primi diei Sabbathorum veniunt ad monumentum exorto ſole.

3. Dicebantque inter ſeſe, Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti?

4. Et quum reſpexiſſent, vident quod revolutus eſſet lapis. nam erat magnus valde.

5. Et ingreſſæ in monumentum, viderunt adoleſcentem ſedentem à dextris, amictum ſtola candida: & expaverunt.

6. At ille dicit eis, Ne expaveſcatis: Jeſum quæritis Nazarenum qui fuit crucifixus. ſurrexit, non eſt hie: ecce locus ubi poſuerant illum.

7. Sed abite, dicite diſcipulis ejus & Petro quod ille præcedit vos in Galilæam: illie eum videbitis, ſicut dixit vobis.

Luc. XXIV.

1. Prima autem die Sabbathorum profundo diluculo venerunt ad monumentum, portantes quæ paraverant aromata, & nonnullæ cum illis.

2. Repererunt autem lapidem revolutum à monumento.

3. Et ingreſſæ non invenerunt corpus Domini Jeſu.

4. Et factum eſt dum mente conſternatæ eſſent de hoc, ecce duo viri ſteterunt juxta illas in veſtibus fulgurantibus.

5. Quum autem eſſent expavefactæ, & inclinarent vultum in terram, dixerunt ad illas, Quid quæritis viventem cum mortuis?

6. Non eſt hie, ſed ſurrexit. recordamini ut dixerit vobis quum adhuc eſſet in Galilæa,

7. Dicens quod oporteret Filium hominis tradi in manus hominum ſceleratorum, & crucifigi, & die tertio reſurgere.

8. Et recordatæ ſunt verborum ejus.

Jam ventum eſt ad redemptionis noſtræ clauſulam: nam hinc exurgit viva noſtræ cum Deo reconciliationis fiducia, qnod Cbriſtus mortis victor ex inferis emerſit, ut novæ vitæ poteſtatem penes ſe
1 Cor. 15. verſ. 14. eſſe oſtenderet. Quare Paulus merito dicit nullum fore Euangelium, & ſpem ſalutis irritam ac evanidam, niſi tenemus Chriſtum ex mortuis reſurrexiſſe. Nam ita demum parta nobis fuit juſtitia, & patefactus in cælum ingreſſus, denique adoptio noſtra ſancita, dum Chriſtus reſurgendo Spiritus ſui potentiam exerens, Filium Dei ſe probavit. Quanquam autem aliter quam carnis noſtræ ſenſus expeteret, reſurrectionem ſuam patefecit: hæc tamen quæ illi placuit ratio nobis quoque optima videri debet. Sine teſte egreſſus eſt è ſepulchro, ut locus vacuus primum indicium foret: deinde mulieribus per Angelos nunciari voluit ſe vivere: paulo poſt illis apparuit, ac tandem Apoſtolis, idque ſæpius. Ita paulatim ſuos pro eorum modulo ad pleniorem notitiam deduxit. Quod autem initium fecit à mulieribus, nec modo ſe illis viſendum exhibuit, ſed injunxit etiam apud Apoſtolos Euangelii præconium, ut illorum quaſi magiſtræ forent: in eo primum caſtigatus fuit Apoſtolorum torpor, qui pavore fere jacebant exanimes, quum fœminæ ſedulo ad ſepulchrum properarent, quibus etiam non vulgaris merces repenſa fuit. Etſi enim vitio non carebat ungendi Chriſti conſilium, quaſi adhuc eſſer mortuus: earum tamen infirmitati ignoſcens, ſingulari ipſas honore dignatus eſt, munus Apoſtolicum viris ereptum ad breve tempus reſignans. Atqoe boc modo ſpeci-
1 Cor. 1. verſ. 27. men ejus quod Paulus docet exbibuit, nempe quod eligat quæ ſtulta ſunt ac debilia in mundo, ut carnis altitudinem humiliet. Nec vero nos aliter rite comparati erimus ad hoc fidei noſtræ caput diſcendum, niſi omni faſtu depoſito dociles nos mulierum teſtimonio ſubjicimus: non quod fides noſtra tam anguſtis finibus clauſa manere debeat, ſed quia Dominus, ut obedientiam noſtram probet, ſtultos fieri nos velit, priuſquam ad ſua myſteria plenius cognoſcenda admittat. Quod ad hiſtoriam pertinet, Matthæus tantum dicit *duas Marias veniſſe ut viderent ſepulchrum*: Marcus Salomen tertiam adjungens, dicit *emiſſe aromata ut ungerent corpus*: ex Luca autem colligitur non duas modo vel tres, ſed complures veniſſe. Sed hoc ſacris ſcriptoribus ſcimus eſſe uſitatum, ut paucos tantum ex majore numero exprimant. Probabilis etiam conjectura eſt, Mariam Magdalenam cum altera comite (ſive præmiſſa fuerit, ſive ſponte præcurrerit) ante alias ad ſepulchrum acceſſiſſe. Atque hoc videntur innuere Matthæi verba, quod *videndi cauſa duæ illæ venerint*: quia niſi ex aſpectu non conſtabat ratio Cbriſti ungendi. Interea quod in animo habebant præſtare officium ſubticet: quia hoc unum maxime propoſitum erat, de reſurrectione teſtari. Quæritur tamen quomodo ſtudium hoc mulierum, quod ſuperſtitione miſtum erat, Deo placuerit. Ego vero non dubito quin morem ungendi mortuos à Patribus acceptum ad ſuum finem retulerint, ut conſolationem in mortis luctu ex ſpe futuræ vitæ peterent. Peccaſſe quidem fateor quod non ſtatim mentes ſuas extulerint ad illam prædictionem quam ex ore magiſtri audierant: ſed quia retinent generale principium de ultima reſurrectione, ignoſcitur defectus ille, qui totum actum (ut loquuntur) merito vitiaſſet. Sic Deus ſæpe paterna indulgentia ſanctorum officia ſuſcipit, quæ non modo ſine venia non placerent, ſed jure etiam cum ignominia & pœna repudiarentur. In eo igitur refulget mira Chriſti bonitas, quod benigne & comiter mulieribus vivus occurrit, quæ perperam ipſum inter mortuos quærebant. Quod ſi illas fruſtra ad ſepulchrum ſuum venire paſſus non eſt, certo ſtatuere convenit, ſiquis fide nunc ad eum aſpiret, minime fru-

fruſtratum iri: quia non impediet locorum diſtantia quin potiantur ipſo fideles, qui cælum & terram Spiritus ſui virtute implet.

1. Marc. *Et quum præteriſſet Sabbathum.*] Idem valet quod habetur apud Matthæum, *Veſpera quæ luceſcit in primam diem Sabbathorum.* Item apud Lucam, *Prima die Sabbathorum.* Nam quum ſciamus Judæos à primis noctis tenebris diem fuiſſe exorſos, intelligunt omnes, finito Sabbatho de ſepulchro viſendo mulieres inter ſe conſilium cepiſſe, ut illuc ante auroram venirent. *Primam diem Sabbathorum* duo Euangeliſtæ nominant, quæ ordine prima erat inter duo Sabbatha. Quod alii verterunt Unam, erroris cauſam multis præbuit ob linguæ Hebraicæ inſcitiam. nam quum אחד nunc Unum ſignificet, nunc Primum, Euangeliſtæ (ut in pluribus aliis locis) Hebraicam phraſin ſequuti, μίαν dixerunt. Ego vero (ne ambiguitas falleret) eorum mentem clarius expolui. Sed in emptione aromatum à Marci verbis nonnihil diſſidet Lucæ narratio: quod in urbem reverſæ paraverint aromata: deinde ſecundum præceptum Legis quieverint uno die antequam iter ingreſſæ ſiat. Sed Marcus duas res diverſas eodem contextu referens, tempora minus accurate quam Lucas diſtinguit. nam quod prius actum erat, una cum profectione miſcet. In re quidem ipſa optime conveniunt, quod ſacra quiete defunctæ, adhuc inter noctis tenebras domo egreſſæ ſint, ut ſub primum diluculum ad ſepulchrum acceſſerint. Iterum vero memoria tenendum eſt quod prius attigi, ritum ungendi mortuos, licet multis profanis gentibus communis foret, apud ſolos Judæos legitimo fuiſſe in uſu: quibus à patribus traditus fuerat ut ſe in fide reſurrectionis exercerent. Cadaver enim ſenſu privatum condire ſine hoc reſpectu, frigidum & inane ſolatium fuiſſet: ſicut Ægyptios ſcimus hac in parte anxie fuiſſe operoſos ſine ullo profectu. Atqui Deus hoc ſacro ſymbolo Judæis vitæ imaginem in morte repræſentabat, ut ſe ex putredine & pulvere novum vigorem recepturos ſperarent. Porro Chriſti reſurrectio ſicuti vivifico ſuo odore penetravit omnia ſepulchra, ut vitam in mortuos ſpiraret: ita externas illas ceremonias abolevit. Quare non ipſe adminiculis egebat, ſed mulierum ruditas & inſcitia, quia nondum probe tenebant ipſum à corruptione immunem eſſe.

3. *Dicebantque inter ſe.*] Hanc dubitationem ſolus Marcus exprimit: ſed quum alii narrent lapidem ab Angelo fuiſſe revolutum, facile colligitur perplexas hæſiſſe & conſilii dubias donec aditus Dei manu patefieret. Cæterum hinc diſcamus, zelo ſuo abreptas ſine conſilio illuc veniſſe. Lapidem ſepulchro viderant opponi, qui ab ingreſſu quoſvis arceret: cur id domi per otium non venit in mentem, niſi quia metu & admiratione attonitas ratio & memoria deficit? Sed quia pio fervore cæcutiunt, vitium hoc illis Deus non imputat.

2. Matth. *Et ecce terræ motus.*] Pluribus ſignis gloriæ ſuæ præſentiam oſtendit Dominus, ut ad reverentiam melius formaret ſanctarum mulierum corda. Nam quia res non levis momenti erat, ſcire partam eſſe à Filio Dei de morte victoriam (in quo vertitur ſalutis noſtræ ſumma) ſcrupulos omnes eximi oportuit, ut divina majeſtas palam & non obſcure illarum oculis ſe offerret. *Factum* ergo *terræ motum* dicit Matthæus, in quo ſenſibilis erat illa quam dixi cæleſtis potentia. Atque hoc portento mulieres expergefieri oportuit, ut nihil jam humanum vel terreſtre conciperent, ſed mentes ſuas extollerent ad novum & minime expectatum Dei opus. In Angeli quoque veſtitu & forma, quaſi per radios, Deitatis fulgor ſeſe diffudit: ut ſentirent non eſſe hominem mortalem qui facie hominis indutus prope adſtabat. Etſi enim ad immenſam Dei gloriam nihil vel lucis coruſcatio, vel nivis candor: quin etiam, ſi eum rite cognoſcere cupimus, nullus fingendus eſt color: externis tamen notis ſe propinquum eſſe admonens, pro infirmitatis noſtræ captu nos ad ſe invitat. tantum ſciendum eſt viſibilia præſentiæ ejus ſigna nobis offerri, ut cum inviſibilem mentes noſtræ apprehendant: ſub corporeis formis guſtum nobis præberi ſpiritualis ejus eſſentiæ, ut ſpiritualiter eam quæramus. Interea non dubium eſt quin externis ſymbolis conjuncta fuerit interior quædam efficacia, quæ mulierum cordibus Deitatis ſenſum inſculperet. Nam etſi initio obſtupefactæ ſunt, patebit tamen ex contextu, collectis animis gradatim ita fuiſſe edoctas ut præſentem Dei manum ſentirent. Cæterum tres noſtri Euangeliſtæ dum compendio ſtudent, prætereunt quod fuſius à Joanne narratur capite 20. uſque ad verſum 12. quod ſcimus illis non eſſe inſolitum. Hoc etiam diverſum eſt quod apud Matthæum & Marcum unius tantum Angeli fit mentio, quum Joannes & Lucas duos ponant. Verum hæc quoque repugnantiæ ſpecies facile diluitur: quia ſcimus quam frequentes in Scriptura ſynecdochæ paſſim occurrant. Conſpecti ergo fuerunt duo Angeli, primum Mariæ, deinde aliis comitibus. Sed quia alter qui loquendi partes ſuſtinuit, præcipue ad ſe convertit illarum mentes, Matthæo & Marco ſatis fuit ejus legationem referre. Adde quod ubi dicit Matthæus *Angelum ſuper lapidem ſediſſe*, in his verbis eſt ὕστερον πρότερον: vel ſaltem neglecta eſt hiſtoriæ ſeries: quia non protinus apparuit Angelus, ſed quum ſuſpenſas & anxias mulieres rei novitas & admiratio teneret.

4. *Præ timore concuſſi ſunt cuſtodes.*] Terruit cuſtodes Dominus, acſi cauterium imprimeret eorum conſcientiis, quod invitos cogeret divinam ejus virtutem ſentire: ſaltem hucuſque valuit terror ne ſecure eluderent quæ mox de reſurrectione ſpargenda erat fama. Nam etſi linguas venales proſtituere ipſos non puduit, coacti ſunt tamen, vellent nollent, intus agnoſcere quod apud homines improbe negabant. Nec vero dubium eſt quin ubi liberior loquendi facultas erat, apud ſuos familiariter confeſſi fuerint quod pecunia redempti non audebant vulgo proferre. Ac notandum eſt diſcrimen inter duas terroris ſpecies quas Matthæus inter ſe comparat. Territi fuerunt milites aſſueti ad tumultus, & pavore ita abſorpti ut tanquam ſemimortui caderent: ſed proſtratos nulla virtus erexit. ſimilis fuit mulierum pavor: ſed conſolatio mox ſequuta animos prope defectos reſtituit, ut ſaltem melius aliquid ſperare inciperent. Et certe conſentaneum eſt ut promiſcue tam piis quam reprobis horrorem metumque incutiat Dei majeſtas, ut à facie ejus ſileat omnis caro. Sed ubi electos ſuos humiliavit Dominus ipſe ac ſubegit, mox eorum formidinem mitigat, ne oppreſſi ſuccumbant: neque id modo, ſed gratiæ quoque ſuæ dulcedine vulnus inflictum ſanat. reprobos vero vel panico, ut loquuntur, metu exanimat, vel tabeſcere ſinit ſub lentis tormentis. Nam quod ad milites iſtos ſpectat, ſimiles quidem fuerunt mortuis, ſed abſque ſerio affectu: ſicuti mente alienati expaveſcunt quidem ad momentum, ſimul tamen obliviſcuntur ſe timuiſſe: non quod prorſus deleta fuerit timoris memoria, ſed quia illis effluxit viva illa & efficax divinæ virtutis apprehenſio, cui cedere coacti fuerant. Sed hoc præcipue tenendum eſt, quum peræque timerent ut mulieres, non adhibitam fuiſſe medicinam quæ ipſorum timorem leniret. ſolis enim mulieribus dixit Angelus, *Nolite timere:* materiam vero gaudii & ſecuritatis illis propoſuit in Chriſti reſurrectione. Apud Lucam additur objurgatio, quod *viventem quærant cum mortuis:* perinde acſi aurem illis vellicaret Angelus, ne amplius in ſua deſperatione torperent.

7. *Et cito euntes, dicite diſcipulis.*] Hic mulieres

extraordinario bonore Deus ornat per Angelum, quod præcipuum ſalutis noſtræ caput apud ipſos quoque Apoſtolos promulgandum ipſis mandat. Apud Marcum nominatim jubentur nuncium hunc Petro afferre: non quia tunc dignitate excelleret, ſed quia tam fœda ejus defectio ſpeciali conſolatione opus habebat, ut ſciret ſe non eſſe abdicatum à Chriſto, quamlibet turpiter ac ſcelerate lapſus eſſet. Jam ingreſſus fuerat ſepulchrum, ac reſurrectionis Chriſti veſtigia conſpexerat: ſed honorem illi Deus negavit quo paulo poſt dignatus eſt mulieres, ut audiret ex ore Angeli Chriſtum reſurrexiſſe. Et certe hinc apparet quanto adhuc ſtupore laboraverit, quod trepidus iterum refugit in ſuas latebras acſi nihil vidiſſet, quum Maria flens ad ſepulchrum ſederet. Quare non dubium eſt quin ipſa & ejus comites in Angeli conſpectu retulerint patientiæ ſuæ mercedem. Quod diſcipulos in Galilæam accerſit Angelus, ideo factum eſſe arbitror ut Chriſtus ſe pluribus pateſaceret. ſcimus enim diutius verſatum eſſe in Galilæa. Et ſuis liberius ſpatium dare voluit, ut paulatim in ipſo receſſu animos colligerent. Deinde locorum conſuetudo eos adjuvit, ut magiſtrum certius agnoſcerent. nam modis omnibus confirmari oportuit, nequid ad fidei certitudinem deeſſet. *Ecce dixi vobis.* Hac loquendi forma aſſeverat Angelus verum eſſe quod dixit. Hoc autem non à ſe profert, quaſi primus eſſet auctor, ſed Chriſti promiſſioni ſubſcribit: ideoque apud Marcum ipſa Chriſti verba tantum reducit in memoriam. Lucas ſermonem ulterius proſequitur, quod admoniti fuerint à Chriſto diſcipuli, ipſum crucifigi oportere &c. eodem tamen ſenſu: quia mortem ſuam una cum reſurrectione prædixerat. Additur etiam, tunc *recordatas fuiſſe verborum Domini*: quo docemur, quamvis male profeciſſent in Chriſti doctrina, eam tamen non periiſſe, ſed fuiſſe ſuffocatam donec maturo tempore germen proferret.

MATTH. XXVIII.

8. Et digreſſæ celeriter à monumento cum timore & gaudio magno, currebant ut renunciarent diſcipulis ejus. Quum autem irent ad renunciandum diſcipulis ejus,

9. Tunc ecce Jeſus occurrit illis, dicens, Avete. Illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum.

10. Tunc ait illis Jeſus, Nolite timere: ite, renunciate fratribus meis ut eant in Galilæam: & ibi me videbunt.

MARC. XVI.

8. Et abeuntes cito, fugerunt à monumento: habebat enim illas tremor & ſtupor. neque cuiquam quicquam dicebant: timebant enim.

9. Quum autem mane ſurrexiſſet primo die Sabbathi, apparuit primum Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat ſeptem dæmonia.

10. Illa profecta renunciavit iis qui cum illo fuerant, lugentibus ac flentibus.

11. Et illi quum audiſſent quod viveret, ac viſus eſſet ab ea, non crediderunt.

LUC. XXIV.

9. Et egreſſæ à monumento, nunciaverunt hæc omnia ipſis undecim, & cæteris omnibus.

10. Erat autem Maria Magdalena, & Joanna, & Maria Jacobi, & cæteræ quæ cum illis erant, quæ hæc dicebant Apoſtolis.

11. Et viſa ſunt apud illos ceu deliramentum verba earum, neque crediderunt eis.

12. Surgens autem Petrus, cucurrit ad monumentum: & proſpiciens, vidit linteamina ſola poſita: & abiit, ſecum admirans quod acciderat.

8. *Et digreſſæ celeriter.*] Prætereunt tres Euangeliſtæ quod de Maria Magdalena narrat Joannes, illam ſcilicet nondum conſpectis Angelis in urbem rediiſſe, ac flebiliter conqueſtam eſſe de corpore Chriſti ſublato. hic tantum de ſecundo in urbem reditu agitur, in quo ipſa & aliæ comites nunciarunt diſcipulis Chriſtum reſurrexiſſe: quod tam voce ac teſtimonio Angeli, quam Chriſti ipſius conſpectu didicerant. Porro antequam Chriſtus ſe oſtenderet, jam currebant ad diſcipulos, ſicuti juſſæ erant ab Angelo: in itinere ſecunda confirmatio acceſſit, ut minus dubitanter aſſerere poſſent Domini reſurrectionem. Dicit Matthæus, *Profectas eſſe cum timore & gaudio magno.* quibus verbis intelligit exhilaratas quidem fuiſſe voce Angeli, ſimul tamen fuiſſe metu perculſas, ut inter lætitiam & anxietatem æſtuarent. Sic enim interdum contrarii affectus piorum corda occupant, & verſant alternis vicibus, donec tandem pax Spiritus compoſitum ſtatum afferat. Nam ſi fides in illis fuiſſet ſolida, ſubacto timore prorſus eas ſedaſſet: nunc timor gaudio permiſtus nondum recte Angeli teſtimonio acquieviſſe demonſtrat. Hic vero inſigne miſericordiæ ſpecimen exhibuit Chriſtus, quod ita dubiis & trepidis occurrit ut quod reſiduum erat dubitationis tolleret. Nonnibil tamen diſcrepant Marci verba, quod *fugerint tremore & ſtupore correptæ*, ut præ metu obſtupeſcerent. Sed ſolutio non adeo difficilis eſt: quia quum animus eſſet Angelo parere, non tamen ſuppetebat facultas niſi Dominus ipſe ſolviſſet ſilentium. Verum in eo quod ſequitur major eſt repugnantiæ ſpecies. Marcus enim non dicit obviam illis fuiſſe Chriſtum, ſed tantum Magdalenæ *apparuiſſe primo diluculo*: Lucas hujus viſionis in totum non meminit. Sed hæc prætermiſſio quum minime ſit Euangeliſtis inſolita, nobis abſurda videri non debet. Quod ad diſcrimen verborum Matthæi & Marci ſpectat, fieri poteſt ut Magdalena tanti boni compos fuerit ante alias: vel etiam per ſynecdochen ad omnes extendat Matthæus quod unius fuit proprium. Probabilius tamen eſt, ſolam nominari à Marco, quia primo Chriſti conſpectu & peculiari modo præ aliis potita fuerit, interea ejus comites ſuo ordine Chriſtum vidiſſe: ideoque communiter hoc omnibus apud Matthæum tribui. Fuit autem hoc admirabile bonitatis ſpecimen, quod cæleſtem ſuam gloriam miſeræ fœminæ, quæ à ſeptem dæmoniis poſſeſſa fuerat, Chriſtus patefecit: & lucem novæ æternæque vitæ proferre volens, inde exorſus eſt ubi nihil ſecundum hominem niſi contemptibile & pudendum. Sed hoc documento teſtatus eſt Chriſtus, ubi ſemel gratiam erga nos ſuam exeruit, quam liberaliter ejus curſum proſequi ſoleat: & ſimul omnem carnis ſuperbiam dejecit.

9. *Tenuerunt pedes ejus.*] Videtur hoc cum verbis Joannis non congruere, ubi teſtatur prohibitam fuiſſe Mariam à Chriſti contactu. Sed facilis conciliatio eſt, quod Dominus Mariam videns in pedum ſuorum amplexu & oſculo nimis defixam eſſe, eam recedere jubeat: quia corrigenda erat ſuperſtitio, & monſtrandus reſurrectionis finis, à quo Mariam partim terrenus craſſuſque affectus, partim ſtultus fervor abſtrahebat. Pedes vero ſuos primo congreſſu tangere paſſus eſt Dominus, nequid ad certitudinem deeſſet. Itaque continuo poſt ſubjicit Matthæus, ipſas *adoraſſe Dominum*: quod ſignum fuit non ambiguæ notitiæ.

10. *Tunc*

10. *Tunc ait illis Jeſus.*] Timorem fuiſſe vitioſum colligimus, quo rurſum Chriſtus eas liberat. quanquam enim ex admiratione oriebatur, contrarius tamen erat tranquillæ fiduciæ. Ergo ut ſe attollant ad Chriſtum mortis victorem, jubentur læto eſſa animo. Sed iiſdem verbis docemur tunc demum rite à nobis cognoſci Domini reſurrectionem, ſi concepta fiducia gloriari audemus ejuſdem vitæ oos eſſe factos participes. Certe bucuſque proficere debet fides noſtra ne timor prævaleat. Porro Cbriſtus jubeos nunciari hoc diſcipulis, hac legatione diſſipatam Eccleſiam de ioiegro collegit & collapſam erexit. nam ſicuti nos hodie præcipue vivificat reſurrectionis fides, ita tunc oportuit vitam diſcipulis reſtitui unde exciderant. Hic quoque notanda eſt iocredibilis Chriſti humanitas, quod transfugas qui aum torpiter deſeruerant, fratrum nomioe dignatur. Nec dublum eſt quin tam blanda appellatione mœrorem, quo ſciebat ipſos graviter iorqueri, lenire ultro volucrit. Cæterum quia non ſolos Apoſtolos fratrum loco complexus eſt, ſciamus Chriſti mandato perlatum fuiſſe hunc nuncium, ut ad nos deinde manaret. Quare frigide audienda non eſt reſurrectionis hiſtoria, quando jure fraternæ neceſſitudinis ad percipiendum ejus fructum Chriſtus ſuo ore nos comiter invitat. Quod quidam interpretes ſub *fratrum* nomine Chriſti cognatos intelligunt, eorum errorem ſatis ſuperque refellit contexius: quia diſerte exprimit Joaones *Mariam veniſſe ad diſcipulos:* & mox ſequitur apud Lucam *veniſſe mulieres ad Apoſtolos.* Conſentit etiam Marcus, *Mariam veniſſe* ſcribens, *atque hæc dixiſſe lugentibus diſcipulis.*

11. Marc. *Illi quum audiſſent.*] Marcus unius tantum Mariæ teſtimonium commemorat. mihi tamen perſuaſum eſt, ab omnibus communiter relata fuiſſe Chriſti mandata: imo locus hic melius confirmat quod nuper dixi, nihil diſſidii eſſe inter Euangeliſtas, dum unus peculiariter Mariæ Magdalenæ aſſignat quod ſecundum alios omnibus communa fuit, licet non æquali gradu. Turpis vero ſocordia diſcipulos conſtrictos tenebat, ut in memoriam non reducerent completum eſſe quod ex Magiſtro ſæpius audierant. Siquid prius inauditum narraſſeot mulieres, merito in re incredibili earum ſermoni non ſtatim babita fuiſſet fides: ſed nunc pluſquam bebetes fuiſſe oportet, qui rem à Filio Dei toties promiſſam & teſtatam, ubi ab oculatis teſtibus completa eſſa narratur, pro fabula vel ſomnio ducunt. Adde quod quum ipſos ſua incredulitas recta intelligentia privaverit, non modo reſpuunt veritatis lucem, ſed tanquam deliramentum rejiciunt, ſicuti docet Lucas. Hinc apparet rentationi ita ſuccubuiſſe ut fere omnis verborum Cbriſti guſtus eorum animis excidiſſet.

12. Luc. *Surgens autem Petrus.*] Mihi non dubium eſt quin hic à Luca ioverſus ſit hiſtoriæ ordo, ſicuti ex verbis Joannis elicere promptum eſt. nec male, meo judicio, reſolvetur *currendi* verbum in tempus pluſquam perfectum. Sciunt autem mediocriter in Scriptura verſati quam hoc uſitatum ſit Hebræis, quæ ſuo loco omiſſa erant, poſterius referre. Atque bac circumſtantia Lucas Apoſtolorum duritiem magis exaggerat, quod aſpernati ſint mulierum verba: quum tamen Petrus vacuum ſepulchrum jam vidiſſet, ac manifeſto reſurrectionis ſigno in admirationem eſſet coactus.

Matth. XXVIII.	Marc.	Luc.
11. Illis autem proficiſcentibus, ecce, quidàm è cuſtodibus venerunt in civitatem, ac renunciaverunt principibus Sacerdotum omnia quæ acciderant.		
12. Et congregati cum Senioribus, conſilio habito, pecuniam copioſam dederunt militibus,		
13. Dicentes, Dicite quod diſcipuli ejus nocte venerint, ac furati ſint eum vobis dormientibus.		
14. Et ſi hoc auditum fuerit ſub Præſide, nos perſuadebimus ei, & ſecuros vos faciemus.		
15. At illi accepta pecunia fecerunt ſicut erant edocti. & divulgatus eſt hic ſermo apud Judæos uſque in hodiernum diem.		

11. *Illis autem proficiſcentibus.*] Non modo credibile eſt, ſed res ipſa oſtendit, milites, quibus injuncta erat ſepulchri cuſtodia, ſic fuiſſe mercede corruptos ut ad nutum Sacerdotum mentiri parati eſſent. Res illis nota erat, nibil magis Sacerdotes timere quam oe fama obtineret Chriſtum triduo poſt mortem reſurrexiſſe: ſciebant ideo ſe illuc fuiſſe miſſos ut ſervato cadavere famam illam extinguerent. Homines ergo lucro addicti, imo quæſtum undiqua captantes, poſtquam illis fructus ſuæ diligentiæ periit, rationem novam excogitant emungeodæ pecuniæ. Quod autem dicit Matthæus *veniſſe ex illis quoſdam*, incertum eſt an pauci aſtuti conſilium ab alus ſegregaverint, an vero miſſi fuerint communi omnium oomina. In banc ſecundam partem magis inclinat conjectura: quia poſtea dicit Matthæus oon uni vel duobus, ſed io genere datam fuiſſe militibus mercedem perjurii. Certum quidem eſt, ſive omnes ſimul conſpiraverint, ſive pars illorum, tamen ex crudeli & implacabili Sacerdotum contra Chriſtum odio prædam venatos eſſe: deinde quum ſcelere obſtrictos tenerent, mala eorum cooſcientia ad extorquendam pecuniam fuiſſe abuſos. Nam (quod ſceleratis fere omnibus contingit) Sacerdotes male ſibi cnoſcii, ut dedecus ſuum tegerent, milites largo pretio corrumpere coacti ſunt. Porro hioc patet, reprobos, poſtquam ſe ad peccandum præcipites ſemel dederunt, novis ſubinde flagitiis implicari: idque dum pudorem ſuum tueri volunt apud homines, Dei offenſa ſecure neglecta. Miſeri iſti non tantum largitione redimunt milites, ſed etiam ſi crimen in judicium adductum fuerit, famam ſuam & caput noxæ nbjiciunt. Quid autem eos præter ſumptus jacturam ad tantum diſcrimen ſubeundum cogit, niſi quia obſtinatus furor eos retrocedere oon ſinit donec peccata peccatis accumulent?

15. *Divulgatus eſt hic ſermo.*] Hic vindictæ Dei extremus fuit cumulus ad excæcandos Judæos, quod militum perjurio ſepulta fuit Chriſti reſurrectio, & tam futile mendacium receptum. Atque hinc apparet voluntario errore fuiſſe deceptos qui Cbriſtum reſurrexiſſe oon putabant, ſicuti mundus ſponte ſe ad ludendum offert Satanæ impoſturis. Neque eoim, ſi quis tantum oculos aperuiſſet, longa inquiſitione opus erat. Armati milites ſubreptum ſibi fuiſſe dicunt Chriſti corpus ab imbelli, trepido, & exiguo, & ioermi bominum grege. Quis coloris prætextus? Adduot, ſe dormientibus hoc eſſe factum. Undo igitur furtum divinant? Quod ſi qua erat ſuſpicio de diſcipulis, cur non veſtigia ſequuti ſunt? cur nullum ſtrepitum moverunt? Puerile ergo effugium hoc fuit, quod impune illis non ceſſiſſet ſi cum recto & cordato Præſide fuiſſet negotium. Sed factum eſt Pilati conniventia ut tanta improbitas evanuerit.

Sicuti videmus quotidie accidere ut profani judices non multum ſatagant ubi veritas fraude & malitia obruitur. quin potius, ſi oibil metuunt incommodi, cum perfidis nebulonibus colludere videotur. Quanquam autem hoc durum videri poſſet, quod Deus falſum hunc rumorem graſſari paſſus ſit ad extinguendam Filii ſui gloriam, juſtæ ejus ultioni habendus eſt qui debetur honor. Dignam enim fuiſſe illam gentem quam nebulæ luce privarent, hinc perſpicimus, quod inane frivolumque mendacium tam cupide arripitur: deinde quia omnes fere impegerant in lapidem offeoſionis, obtenebrari oportuit oculos eorum ne viderent calicem vertiginis ipſis propinari: denique in omne genus dementiæ projici, ſicuti Jeſaiæ vaticinio prædictum erat. Neque enim Deus unquam tam ſtulta credulitate ipſos decipi paſſus eſſet, niſi ut privaret ſpe ſalotis à quibus ipſe contemptus fuerat Redemptor. ſicuti eodem pœnæ genere nunc mundi ingratitudinem caſtigat, laxans reprobis habenas ut in pejus proficiant. Cæterum quamvis apud Judæos prævaluerit hoc mendacium, non tamen obſtitit quin libere volitaret Euangelii veritas uſque ad ultimos terræ fines, ſicuti contra mundi obſtacula victrix ſemper emergit. *Jeſa.6:8.*

MATTH.

MARC. XVI.

12. Poſthæc autem duobus ex ipſis ambulantibus apparuit in alia forma, euntibus rus.

LUC. XXIV.

13. Et ecce, duo ex illis ibant eodem die in caſtellum quod aberat ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Hieroſolymis, nomine Emaus.

14. Et ipſi colloquebantur inter ſe de iis omnibus quæ acciderant.

15. Et factum eſt, dum confabularentur ac diſputarent, & ipſe Jeſus appropinquans ibat cum illis.

16. Cæterum oculi illorum tenebantur ne eum agnoſcerent.

17. [Et ait ad illos, Qui ſunt hi ſermones quos confertis inter vos ambulanres, & eſtis triſtes?

18. Ac reſpondens unus, cui nomen Cleopas, dixit ei, Tu ſolus peregrinus es Hieroſolymis, neque cognoviſti quæ facta ſunt illic his diebus?

19. Quibus ille dixit, Quæ? Et dixerunt ei, De Jeſu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens opere & ſermone coram Deo & toto populo:

20. Et quomodo tradiderunt eum ſummi Sacerdotes & principes noſtri in condemnationem mortis, & crucifixerunt eum.

21. Nos autem ſperabamus eum eſſe illum qui redempturus eſſet Iſraël. atqui ſuper hæc omnia tertius dies eſt hodie quod hæc facta ſunt.

22. Sed & mulieres quædam ex nobis attonitos reddidere nos, quæ dilueulo pervenerunt ad monumentum:

23. Et non invento corpore ejus, venerunt, dicentes ſe etiam viſionem Angelorum vidiſſe, qui dicerent eum vivere.

24. Et abierunt quidam eorum qui erant nobiſcum, ad monumentum, & ita repererunt ſicuti mulieres dixerant: ipſum vero non viderunt.

25. Et ipſe dixit ad eos, O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ loquuti ſunt Prophetæ!

26. Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & intrare in gloriam ſuam?

27. Et exorſus à Moſe & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipſo erant.

28. Et appropinquaverunt caſtello quo ibant: & ipſe præ ſe ferebat ſe longius ire.

29. Et coëgerunt illum, dicentes, Mane nobiſcum, quoniam vergit ad veſperam, & inclinatus eſt dies. Et intravit ut maneret cum illis.

30. Et factum eſt, dum accumberet cum eis, accepit panem & benedixit, ac fregit: & porrigebat illis.

13. *Et ecce, duo*] Etſi hanc hiſtoriam Marcus tantum breviter delibat, Matthæus & Joannes oe verbo quidem attingunt: quia tamen cognitu apprime utilis & memoratu digna erat, eam non fruſtra Lucas tam accurate perſequitur. Sed jam ſæpe admonui, ita ſingulis Euangeliſtis ſuas partes apte diſtribuiſſe Dei Spiritum, ut quod apud unum vel duos ooo occurrit, ex aliis diſcere liceat. Nam & plures viſiones, quarum mentio ſit apud Joannem, apud tres noſtros tacentur. Porro antequam ad ſingulas circumſtantias veniam, hoc ſummatim præfari operæpretium erit, delectos fuiſſe duos iſtos teſtes, per quos Dominus non perſuaderet Apoſtolis ſe reſurrexiſſe, ſed eorum tarditatem coargueret. quamvis tamen initio oihil promoverint; aliis deinde adminiculis teſtimonium eorum adjutum, apud ipſos juſtum pondus obtinuit. Quinam vero fuerint, dubium eſt, niſi quod ex alterius nomine (quem Lucas paulo poſt Cleopam vocabit) conjicere licet oon fuiſſe ex undecim. Emaus, vetus oppidum fuit, nec ignobile, quod poſtea Nicopolim vocarunt Romani: nec longa diſtantia fuit ab Hieroſolymis, quum ſexagiota ſtadia tantum ſeptem millia paſſuum efficiant & paſſus quadringentos. Sed locus non tam ob celebritatem quam ad certitudinem hiſtoriæ à Luca expreſſus fuit.

14. *Et ipſi colloquebantur.*] Hoc pietatis ſignum fuit, quod ſidem in Chriſtum, licet infirmam & exiguam,

guam, utcunque ſovere conati ſunt. neque enim alio tendebat colloquium niſi ut magiſtri ſui reverentiam crucis ſcandalo inſtar clypei opponerent. Quanquam autem ſciſcitando & diſputando inſcitiam reprehenſione dignam prodebant, quum pridem admoniti de futura Chriſti reſurrectione, obſtupeſcerent ad ejus auditum: eorum tamen docilitas ad eximendum errorem, Chriſto aditum præbuit. Multi enim data opera quæſtiones movent, quia illis propoſitum eſt contumaciter verum reſpuere: quibus autem cordi eſt placide verum amplecti, etiamſi vacillent ad minimas objectiones, & ad leves ſcrupulos ſubſiſtant, his gratiam coram Deo pium obediendi ſtudium conciliat, ut quaſi porrecta manu in ſolidam certitudinem adducti fluctuare deſinant. Hoc quidem tenendum eſt, ubi de Chriſto inquirimus, ſi modeſto diſcendi ſtudio id fiat, januam ei apertam eſſe ad nos juvandos: imo tunc velut doctorem ipſum accerſimus, ſicuti profani homines impuris ſuis ſermonibus eum procul ſubmovent.

16. *Oculi illorum tenebantur.*] Hoc diſerte Euangeliſta teſtatur, ne quis putet mutatam fuiſſe corporis Chriſti figuram. Quamvis ergo ſimilis ſui maneret Chriſtus, ideo agnitus non fuit quia capti erant videntium oculi: quo tollitur ſpectri vel falſæ imaginationis ſuſpicio. Hinc vero docemur quanta ſit in nobis ſenſuum omnium imbecillitas, ut neque oculi nec aures officio ſuo fungantur, niſi quatenus illis aſſidue ſuggeritur è cælo facultas. Naturaliter quidem ſuis dotibus prædita ſunt membra noſtra: ſed quo melius conſtet precario nobis conceſſas eſſe, Deus in manu ſua earum uſum retinet: ut hoc ipſum quod aures audiunt & oculi vident, in quotidianis ejus beneficiis ponendum ſit. quia niſi in ſingula momenta vegetet ſenſus noſtros, tota eorum vis mox peribit. Fateor quidem, non ſæpe teneri ſenſus noſtros qualiter tunc accidit, ut in objecta forma tam craſſe hallucinentur: uno tamen exemplo oſtendit Deus penes ſe eſſe quaſcunque homini facultates contulit dirigere, ut ſciamus naturam ſubeſſe ejus arbitrio. Jam ſi corporales oculi, quibus maxime proprium eſt videre, quoties Domino placet, ſic tenentur ut oblatas ſibi formas non diſcernant: non majori acumine pollerent mentes noſtræ, etiamſi illis ſua maneret integritas. nunc vero in miſera iſta corruptione, poſtquam ſuum illis lumen ademptum eſt, innumeris fallaciis obnoxiæ ſunt, adeoque craſſa hebetudine oppreſſæ, ut nihil quam errare poſſint: ſicuti etiam ſubinde contingit. Itaque legitimum veri & falſi diſcrimen non ex ingenii noſtri perſpicacia, ſed ex Spiritu prudentiæ nobis eſt. Præcipua autem bebetudo in rerum cæleſtium intuitu coarguitur, quia non tantum falſas ſpecies pro veris concipimus, ſed lucem claram vertimus in tanebras.

17. *Qui ſunt hi ſermones quos confertis inter vos.*] Quod palam videmus à Chriſto tunc factum eſſe, quotidie in nobis arcano modo fieri ſentimus, ut ſe ultro ad nos docendos inſinuet. Cæterum ex Cleopæ reſponſo clarius apparet quod nuper dixi, nempe quanquam anxii & perplexi eſſent de Chriſti reſurrectione, reverenter tamen ſenſiſſe de ejus doctrina, ut minime ad defectionem propenſi eſſent. Neque enim expectant dum eos Chriſtus ſe manifeſtando præveniat, vel honorifice de eo loquatur quiſquis ille ſit viator: quin potius ex tenui & obſcura luce ſcintillas in hominem ignotum Cleopas ſpargit, quæ ejus animum aliquatenus illuſtrent, ſi rudis & ignarus eſſet. Sic exoſum & infame paſſim tunc erat Chriſti nomen ut honorifice de eo loqui tutum non eſſet: atqui ſpreta invidia, Dei Propbetam nominat, & ſe profitetur eſſe ex ejus diſcipulis. Etſi autem elogium hoc Prophetæ divina Chriſti majeſtate longe inferius eſt, laudem tamen meretur mediocris commendatio, dum nihil aliud Cleopæ propoſitum eſt quam acquirere Chriſto diſcipulos qui ſe ejus Euangelio ſubmittant. Incertum vero eſt an pro ſua ruditate minus ſplendide quam decebat loqutus de Chriſto fuerit Cleopas: an vero à notioribus rudimentis incipere voluerit, ut gradatim altius conſcenderet. Certe paulo poſt non ſimpliciter in communi Prophetarum ordine Chriſtum recenſet, ſed à ſe & aliis creditum fuiſſe Redemptorem dicit.

19. *Potens opere & ſermone.*] Eadem fere verborum forma uſus eſt Lucas Actor. 7. verſ. 22. in Stephani perſona, ubi Moſen celebrans, dicit potentem fuiſſe in verbis & factis: hoc autem loco dubium eſt an *Potens* vocetur Chriſtus *opere* propter miracula (acſi dictum eſſet, divinis virtutibus fuiſſe præditum quæ probarent è cælo miſſum eſſe) an vero latius boc pateat, ut ſenſus ſit, ipſum excelluiſſe tam facultate docendi quam vitæ ſanctimonia, & præclaris dotibus. Atque hic poſterior ſenſus mihi arridet. Nec ſupervacua eſt adjectio, *Coram Deo & populo:* quæ ſignificat Chriſti præſtantiam ita fuiſſe teſtatam hominibus, & claris experimentis cognitam, ut fuco & inani oſtentatione caruerit. Atque hinc colligi poterit brevis veri Prophetæ definitio, nempe qui ſermoni operum quoque virtutem adjunget, nec tantum apud homines excellere ſtudebit, ſed ſincere ſe gerere tanquam ſub Dei oculis.

21. *Nos autem ſperabamus.*] Ex contextu patebit non fuiſſe ſpem, quam de Chriſto conceperant, abruptam, licet hoc primo intuitu verba innuant. Sed quia narratio interpoſita de Chriſti damnatione hominem nullo Euangelii guſtu imbutum alienare poterat, quod ab Eccleſiæ præſulibus damnatus foret: huic ſcandalo ſpem redemptionis opponit Cleopas. Etſi autem trepide & inſtar vacillantis poſtea oſtendit in hac ſpe ſe manere, ſedulo tamen quæcunque poteſt adjumenta ad ejus fulturam colligit. Nam tertium diem ab ipſo non alio fine notatum fuiſſe probabile eſt niſi quia Dominus ſe triduo reſurrecturum promiſerat. Quod deinde corpus à mulieribus repertum non fuiſſe narrat, & oblatam illis Angelorum viſionem, & quod de ſepulchro vacuo dixerant mulieres, virorum quoque teſtimonio fuiſſe probatum: ad hanc ſummam refertur, Chriſtum reſurrexiſſe. Ita pius homo inter fidem & metum dubius, fidei adhibet fomenta, & contra metum pro ſuo virili luctatur.

25. *Et ipſe dixit ad eos.*] Acrior & durior videtur hæc objurgatio quam pro infirmi hominis reſpectu: verum qui circumſtantias omnes expendet, facile intelliget non abs re tam aſpere caſtigatos à Domino fuiſſe, apud quos tam male diuturnam operam & prope abſque ullo fructu locaverat. Notandum enim eſt non tantum ad hos duos reſtringi quod hic dicitur, ſed objici commune vitium quod ſtatim ex eorum ore reliqui ſocii audiant. Toties Chriſtus de ſua morte eos præmonuerat, toties etiam diſſeruerat de nova & ſpirituali vita, ſuamque doctrinam Prophetarum oraculis confirmaverat: quaſi apud ſurdos, vel potius truncos ac lapides verba feciſſet, mortis horrore perculſi huc & illuc ſeſe verſant. Hanc igitur titubationem ſtultitiæ merito tribuit, & ejus cauſam facit ſocordiam, quod ad credendum non magis propenſi fuerint. Nec vero illis tantum exprobrat quod quum illis optimus fuerit magiſter, ſegnes ac tardi fuerint ad diſcendum: ſed quod Prophetarum dictis attenti non fuerint. acſi diceret excuſatione carere eorum ſtuporem, quia nonniſi per eos ſteterit, quum & per ſe luculenta eſſet Prophetarum doctrina, & illis probe expoſita. Sicuti hodie major pars hominum eandem inſcitiæ ſuæ culpam ſuſtinet, quia indociles ſunt ac præfracti. Notemus autem, quum nimis torpere diſcipulos videret Chriſtus, ut eos expergefaciat, ab objurgatione

incipere. Sic enim ſuhigendi ſunt quos experti ſumus vel duros vel ignavos.

26. *Nonne hæc oportuit.*] Non dubium eſt quio de Meſſiæ officio quale deſcriptum eſt à Prophetis, concionatus ſit Dominus, ne mors crucis offendiculo eſſet: & in itinere trium vel quatuor horarum ſatis fuit ad uberem rerum explicationem ſpatii. Non ergo tribus verhis aſſeruit Chriſtum oportuiſſe pati, ſed prolixe diſſeruit miſſum ideo fuiſſe ut mortis ſacrificio peccata mundi expiaret, ut κάθαρμα fieret ad tollendam maledictionem, ut ſuo reatu aliorum ſordes elueret. Ideo ſententiam hanc interrogative protulit Lucas, majoris vehementiæ cauſa. unde colligitur, rationihus oſtenſam fuiſſe mortis neceſſitatem. Summa eſt, perperam turbari diſcipulos magiſtri ſui morte (ſine qua implere Chriſti partes noo potuit: quia præcipuum redemptionis caput erat ejus immolatio) hoc enim modo januam obſtruere ne in regnum ſuum accedat. Quod diligenter nntandum eſt. nam quum Chriſtus honore ſuo careat niſi cenſetur victima pro peccatis, unicus [Philip. 2. verſ. 7.] illi in gloriam ſuam ingreſſus eſt exinanitio illa ex qua Redemptor emerſit. Atqui in ordine præpoſtero nihilo levius hodie inter nos peccari videmus. nam ex eorum turba qui magnifice Chriſtum Regem prædicant, eumque extollunt divinis encomiis, vix decimus quiſque gratiam morte ejus nohis allatam cogitat.

27. *Et exorſus à Moſe.*] Docet hic locus quomodo per Euangelium Chriſtus nohis patefiat, nempe dum Lege & Prophetis illuſtratur ejus ootitia. Nemo enim unquam magis dexter vel idoneus Euangelii doctor fuit quam Dominus ipſe, quem videmus ex Lege & Prophetis mutuari doctrinæ ſuæ probationem. Siquis excipiat, à rudimentis fuiſſe exorſum, ut paulatim diſcipuli, Prophetis valere juſſis, ad perfectum Euangelium tranſirent, facile refellitur hoc commentum: quia poſtea dicetur omnibus Apoſtolis apertam fuiſſe mentem, non ut ſaperent abſque Legis ſubſidio, ſed ut Scripturas intelligerent. Quare ut nobis hodie Chriſtus per Euangelium pateat, Moſen & Prophetas tanquam anteambulones in medium prodire neceſſe eſt. Quod ideo monendi ſunt lectores ne ſanaticis aurem præbeant, qui Legem & Prophetas ſupprimendo, Euangelium impie mutilant. Quaſi vero inutile eſſe velit Deus quicquid unquam de Filio ſuo teſtatus eſt. Quo autem modo ad Chriſtum aptanda ſint quæ paſſim in Lege & Prophetis de ipſo leguntur, oon eſt præſentis operis explicare. Breviter tenere ſufficiat, non fruſtra vocari Chriſtum finem Legis. Nam ut obſcure & procul eum Moſes adumhret magis quam exprimat, hoc quidem extra cootroverſiam liquet, niſi in genere Abrahæ emineat unum caput, ſuh quo populus in corpus unum coaleſcat, diſſipatum iri quod cum ſanctis Patrihus fœdus pepigit Deus, & irritum fore. Deinde quum Tabernaculum & ceremonias formari Deus juſſerit ad cæleſte exemplar, ſequitur, ſacrificia & omnes templi ritus, niſi aliunde ſua illis conſtet veritas, inanem & infructuoſum fore lndum. Atque hoc quidem argumentum pluribus [Hebr. 9. verſ. 1.] explicat Apoſtolus in Epiſtnla ad Hebræos. ſumpto enim illo principio, viſibiles Legis ceremonias ſpiritualium rerum umhras eſſe, in toto Legali Sacerdotio, in ſacrificiis, in forma Sanctuarii Chriſtum quærendum eſſe docet. Prudenter etiam alicubi divinat Bucerus, in illa ohſcuritate certam methodum Scripturæ enarrandæ apud Judæos fuiſſe in uſu, quam Patres illis per manus tradiderant. Sed ego, ne incerta ſequar, genuina illa & ſimplici ratione contentus ſum quæ paſſim apud omnes Prophetas occurrit, qui fuerunt apprime idonei Legis interpretes. Recte ergo elicitur Chriſtus ex Lege, ſi reputemus, fœdus quod Deus cum Patribus percuſſit, Mediatore fuiſſe ſuhnixum: Sanctuarium, quo Deus gratiæ ſuæ præſentiam teſtatus eſt, ſanguine fuiſſe conſecratum: Legem ipſam cum ſuis promiſſionihus, ſanguinis aſperſione fuiſſe ſancitam: unum Sacerdotem fuiſſe ex toto populo electum qui ſe omnium nomine in Dei conſpectum ſiſteret, non ut unus quiſpiam mortalium, ſed ſuh ſacro hahitu: nullam ſpem hominibus ſuæ cum Deo reconciliationis illic fuiſſe datam, niſi oblata victima. Adhæc apprime inſigne eſt vaticinium de regni perpetuitate in tribu Juda. Prophetæ vero ipſi (ut attigimus) longe illuſtrius Mediatorem pinxerunt, qui tamen ipſi primam ejus notitiam hauſerunt à Moſe: quia non aliud injunctum illis erat muous niſi ut fœderis memoriam renovarent, clarius oſtenderent ſpiritualem Dei cultum, fiduciam ſalutis io Mediatore fundarent: clarius etiam oſtenderent reconciliationis modum. Cæterum quia Deo placuerat plenam revelationem in Filii ſui adventum differre, noo ſupervacua fuit interpretatio.

28. *Et appropinquaverunt caſtello.*] Cur alium locum divinent quidam interpretes quam Emauntem, nulla ratio eſt. neque enim tam longum erat iter ut in propiore hoſpitio quieſcendum fuerit. Scimus ſeptem millia paſſuum (etiam ſiquis animi gratia lente amhulet) quatuor ad ſummum horis coofici. Itaque non duhito quin Emauntem uſque progreſſus fuerit Chriſtus. Jam quod quæritur an ſimulatio in eum competat qui æterna eſt Dei veritas: reſpoodeo, hac lege non fuiſſe obſtrictum Dei Filium ut omnia ſua conſilia palam faceret. Quia tamen ſimulatio quædam eſt mendacii ſpecies, nondum expeditus eſt nodus: quum præſertim hoc exemplum plerique trahant ad mentiendi licentiam. Ego vero reſpondeo, Chriſtum ſine mendacio peræque ſimulaſſe quod hic dicitur, ac ſe viatorem eſſe præ ſe tulit. eadem enim eſt utriuſque ratio. Paulo argutior eſt Auguſtini ſolutio. nam fictionem hanc inter tro- [lib. 2. ad Creſconium, cap. 81. item in lib. Quæſtionum ſuper Evangelia, cap. 51.] pos & figuras, deinde ioter parabolas & apologos cenſeri vult. Mihi vero hoc unum ſufficit, ſicuti Chriſtus oculos eorum ad tempus velavit quibuſcum loquebatur, ut tanquam aliena perſona indutum vulgarem hoſpitem ducerent: ſic conſilium longius pergendi ad tempus præ ſe tuliſſe, non aliud fingentem quam quod reipſa facturus erat, ſed quia volebat ſui diſceſſus modum celare. Longius enim profectum nemo negabit: quia tunc ſegregatus fuit ab hominum conſortio. Ita hac fictione diſcipulos ſuos non fefellit, ſed pauliſper ſuſpenſos tenuit, dum maturum adeſſet manifeſtationis tempus. Quare nimis præpoſtere faciunt qui eum ſibi accerſuot mendacii patronum: ac nihilo magis nohis licebit ejus exemplo quicquam fingere, quam divinam ejus virtutem æmulari in claudendis videntium oculis. Quare nihil tutius quam præſcriptam vere & ſimpliciter loquendi regulam tenere. Non quod à Patris lege unquam diſceſſerit Dominus ipſe, ſed quia ſine literalibus præceptis tenuit genuinam Legis meotem. ſenſus vero noſtri imbecillitas alio freno indiget.

30. *Accepit panem.*] Auguſtinus & cum eo plerique alii ſenſerunt, panem noo in edulium à Chriſto porrectum fuiſſe, ſed in ſacrum corporis ſui ſymbolum. Et hoc dictu plauſihile eſt, Dominum in ſpirituali demum Cœnæ ſpeculo agnitum fuiſſe. nam diſcipuli corporalibus eum oculis intuiti non cognoverant. Sed quia nullo probabili indicio conjectura hæc nititur, ſimplicius accipio verba Lucæ, quod Chriſtus panem in manus ſumens, gratias ſuo more egerit. Peculiarem vero precandi ritum illi in uſu fuiſſe apparet, cui ſciebat diſcipulos familiariter aſſueviſſe, ut hac nota admoniti ſenſus ſuos excitarent. Interim diſcamus magiſtri exemplo, quoties pane veſcimur, ipſi vitæ auctori gratiarum actiooem offerre, quæ nos à profanis hominibus diſcernat.

Matth.	Marc. XVI.	Luc. XXIV.
	13. Et illi abierunt, ac nunciaverunt reliquis: qui neque illis crediderunt.	31. Et aperti ſunt oculi eorum, & agnoverunt eum: & ipſe evanuit ex oculis eorum. 32. Et dixerunt inter ſe, Nonne cor noſtrum ardebat in nobis, dum loqueretur nobis in via, & aperiret nobis Scripturas? 33. Et ſurgentes eadem hora, regreſſi ſunt Hieroſolymam, & invenerunt congregatos undecim, & eos qui cum illis erant,
	14. Poſtea ſedentibus illis undecim apparuit, & exprobravit illis incredulitatem ſuam & cordis duritiem, quod iis qui ipſum viderant reſuſcitatum, non credidiſſent.	34. Dicentes, Surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni. 35. Tunc illi narraverunt quæ geſta erant in via, & quomodo fuiſſet agnitus ipſis in fractione panis. 36. Dum autem hæc loquuntur, ſtetit Jeſus in medio ipſorum, & dicit eis, Pax vobis. 37. Expavefacti vero & conterriti, exiſtimabant ſe ſpiritum videre. 38. Et dixit eis, Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in cordibus veſtris? 39. Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipſe ſum: contrectate me & videte: quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. 40. Et quum hæc dixiſſet, oſtendit eis manus & pedes.

31. *Et aperti ſunt oculi.*] His verbis docemur nullam fuiſſe in Chriſto metamorphoſin, ut formarum varietate hominum oculos luſerit (ſicuti Proteum ſuum fingunt Poëtæ) ſed videntium oculos potius erraſſe, quia velati eſſent. Sicuti paulo poſt non evanuit ab iiſdem oculis quia per ſe inviſibile fuerit ejus corpus, ſed quia Deo vigorem ſuum ſubtrahente, obtuſa fuit eorum acies. Nec vero mirum eſt, Chriſtum, ſimulac fuit agnitus, ſubito diſparuiſſe: quia nequaquam utilis erat longior ejus conſpectus, ne (ut ſuopte ingenio nimis in terram proclives erant) rurſus illum ad terrenam vitam detrahere cuperent. Ergo quatenus ad teſtandam reſurrectionem neceſſe erat, videndum ſe exhibuit: ſubito autem diſceſſu docuit, ſe alibi quam in mundo quærendum eſſe: quia novæ vitæ complementum erat in cælum aſcenſus.

32. *Nonne cor noſtrum.*] Effecit Chriſti agnitio ut arcanam & latentem Spiritus gratiam, qua prius donati fuerant, vivo ſenſu perciperent diſcipuli. Sic enim nonnunquam operatur in ſuis Deus ut vim Spiritus ad tempus ignorent (cujus tamen non ſunt expertes) vel ſaltem ut eam diſtincte non agnoſcant, ſed tantum ſentiant arcano inſtinctu. Sic diſcipuli ardorem quidem prius conceperant (cujus nunc recordantur) ſed ſine attentione: nunc ex quo innotuit illis Chriſtus, demum reputare incipiunt quam prius ſine guſtu hauſerant ejus gratiam, ſeque hebetes fuiſſe intelligunt. nam ſeipſos inſimulant ſocordiæ: acſi dicerent, Qui factum eſt ut inter loquendum non fuerit à nobis cognitus? nam quum penetraret in corda noſtra, debuimus animadvertere quiſnam eſſet. Cæterum non ſimpliciter ex hoc nudo ſigno colligunt eſſe Chriſtum, quia ad inflammandas mentes efficax fuerit ejus ſermo: ſed quia debitum ei honorem tribuunt, dum ore loquitur, intus quoque Spiritus ſui ardore corda accendere. Glo-
2 Cor. 3. riatur quidem Paulus ſibi datum eſſe miniſterium
verſ. 8. Spiritus: & ſæpe verbi miniſtros his encomiis ornat Scriptura, quod animos convertant, mentes illuminent, renovent homines ut puræ ſint ac ſacræ victimæ: ſed tunc non quid præſtent ipſi propria virtute oſtenditur, ſed quid Dominus potius per eos efficiat. In unum vero Chriſtum utrumque ſimul competit, externam vocem proferre, & efficaciter formare corda in obedientiam fidei. Nec vero dubium eſt quin tunc ſingularem notam duorum hominum cordibus inſculpſerit, ut ſentirent tandem divinum ardorem loquendo ipſum ſpiraſſe. nam etſi ſemper ignis eſt verbum Domini, igneus tamen vigor peculiari & inſolito more tunc ſe protulit in ſermone Chriſti, qui divinæ ejus potentiæ luculentus eſſet teſtis: nam ſolus eſt qui baptizat in Spiritu Luc. 3.
ſancto & igni. Meminerimus tamen hunc cæleſtis verſ. 16.
doctrinæ, quiſquis ejus ſit miniſter, legitimum eſſe fructum, ignem Spiritus in cordibus accendere, qui & carnis affectus excoquat & purget, imo exurat, & vere fervidum excitet Dei amorem, totoſque homines velut ſua flamma in cælum rapiat.

33. *Et ſurgentes eadem hora.*] Circumſtantia temporis, & locorum diſtantia oſtendit quanto nuncii ad condiſcipulos perferendi ſtudio duo iſti homines flagrarint. Quum ſub veſperam ingreſſi eſſent diverſorium, non ante noctis tenebras patefactum illis fuiſſe Dominum probabile eſt. iter trium horarum nocte intempeſta conficere, incommodum erat: ſurgunt tamen eodem momento, & propere Hieroſolymam currunt. Et certe ſi tantum poſtridie veniſſent, ſuſpecta fuiſſet tarditas: nunc vero quum ſe nocturna quiete fraudare maluerint quam non celeriter facere lætitiæ ſuæ participes Apoſtolos, narrationi fidem addidit ipſa feſtinatio. Jam quando Lucas dicit *eadem hora ſurrexiſſe*, circiter mediam noctem ad diſcipulos perveniſſe credibile eſt. Atqui, eodem Luca teſte, illi tunc inter ſe colloquebantur. Hinc ergo cognoſcitur eorum anxietas & diligentiæ ardor, quod noctem fere pervigilem duxerint, nec deſierint ultro citroque ſciſcitari, donec Chriſti reſurrectio pluribus teſtimoniis plenius innoteſceret.

34. *Dicentes, Surrexit Dominus.*] His verbis ſignificat Lucas, qui lætum nuncium Apoſtolis attulerant ad confirmandos eorum animos, viciſſim de altera viſione edoctos fuiſſe. Nec dubium eſt quin hoc mutuæ confirmationis præmium à Deo retulerit pia eorum ſedulitas. Porro ex temporis ratione colligere licet, poſtquam è ſepulchro redierat Petrus, ſollicitum æſtuaſſe donec ſe illi Chriſtus oſtenderet: ideoque ipſo die quo inviſerat ſepulchrum, fuiſſe voti compotem. Hinc illa gratulatio inter undecim, jam non eſſe ambigendum, quia Dominus Simoni apparuerat. Sed videtur hoc cum Marci verbis non congruere, qui dicit, *ne his quidem duobus ab undecim fidem fuiſſe habitam.* Nam qui fieri potuit ut repudiatis novis teſtibus, in ſua hæſitatione fluctuarint qui jam certi erant? Nam dicendo *vere reſurrexiſſe*, fatentur rem eſſe extra controverſiam. Primum dico, in generali loquutione eſſe ſynecdochen: quia & quidam duriores fuerunt vel minus prompti: Thomas vero reliquis omnibus obſtinatior. Deinde facile colligimus, ita fuiſſe perſuaſos

ut ſolent homines attoniti, quibus res non eſt tranquille meditata: tales autem ſubinde in varias dubitationes revolvi ſcimus. Quicquid ſit, conſtat ex Luca, majorem illorum partem in illo quaſi ecſtatico pavore non modo libenter ampleaam eſſe quod dicebatur, ſed contra ſuam diffidentiam pugnaſſe. Nam hac particula *vere*, dubitandi anſam ſibi præcidunt. Certe paulo poſt videbimus, iterum & tertio præ admiratione ad ſuas agitationes fuiſſe relapſos.

36. *Stetit Jeſus ipſe in medio.*] Quum eandem biſtoriam copioſe narret Joannes, in quibuſdam circumſtantiis variat: Marcus etiam paulo aliter perſtringit. Verum quod ad Joannem ſpectat, quum tantum colligat quæ omiſſa fuerunt à Luca, facilis eſt utriuſque conciliatio. Certe in ſumma rei nullum eſt diſſidium, niſi quis forte de tempore controverſiam moveat. Illic enim dicitur ingreſſus eſſe Jeſus poſt veſperam: ex contextu vero Lucæ apparet multa jam de nocte apparuiſſe, quum ſcilicet ex Emaunte reverſi eſſent diſcipuli. Sed mihi præciſe non videtur urgendum eſſe tempus veſperæ: quin potius quod dicitur, apte & commode eatendi poteſt uſque ad ſeram noctem, nempe quum poſt veſperam fores clauſiſſent Apoſtoli, ſeque occulte domi tenerent, tunc veniſſe ad ipſos Chriſtum. Denique non primum noctis initium deſignat Joannes, ſed ſimpliciter ſignificat tranſacto die & poſt Solis occaſum, adeoque inter medias noctis tenebras Chriſtum præter ſpem veniſſe ad diſcipulos. Aliunde tamen naſcitur quæſtio, quia Marcus & Lucas undecim congregatos fuiſſe memorant quum illis Cbriſtus apparuit: Joannes vero Thomam dicit tunc abfuiſſe. Sed abſurdum non eſt pro ipſis Apoſtolis numerum undenarium poni, quamvis unus à cœtu abeſſet. Nuper vero diaimus, & res ipſa oſtendit, Joannem magis diſtincte ſingula exprimere: quia conſilium ejus erat referre quæ ab alus prætermiſſa erant. Porro eandem à tribus biſtoriam narrari eatra dubium eſt, quum diſerte Joannes teſtetur, bis tantum viſum fuiſſe Chriſtum diſcipulis Hieroſolymæ antequam in Galilæam profecti eſſent. Dicit enim *tertio illis apparuiſſe ad mare Tiberiadis.* Duas autem viſiones prius noraverat, hanc ſcilicet quæ contigit poſtridie reſurrectionis, & alteram quæ octo poſt diebus ſequuta eſt. quanquam ſiquis de ſecunda exponere malit quod habetur apud Marcum, non valde reclamo. Nunc redeo ad Lucæ verba. Non exprimit quidem Cbriſtum divina ſua virtute fores ſibi pateſeciſſe quæ clauſæ erant: ſed tamen verbo *ſtandi* tale aliquid ſubindicat. Quomodo enim noctu repente Dominus ſtare potuit in medio ipſorum, niſi mirabiliter ingreſſus eſſet? Eadem vero ſalutationis forma ab utroque ponitur, *Pax vobis:* qua ſignificant Hebræi ſe lætum & proſperum ſucceſſum optare.

37. *Expavefacti vero.*] De boc pavore non meminit Joanoes: ſed quum dicat ipſe quoque Chriſtum manus ſuas & latus oſtendiſſe diſcipulis, conjicere licet fuiſſe aliquid ab eo omiſſum. Nec vero Euangeliſtis inſolens eſt, dum compendio ſtudent, partem duntaaat attingere. Porro ea Luca diſcimus ſpectaculi novitate territos, credere ſuis oculis auſos non fuiſſe. Paulo ante ſtatuerant reſurreaiſſe Dominum, & tanquam de re ſibi probe nota aſſeveranter loquuti erant: nunc dum eum conſpiciunt ſuis oculis, ſenſum illis excutit admiratio, ut ſpiritum eſſe imaginentur. Etſi autem vitio oon caruit hic error qui ex infirmitate manavit, oon tamen ita ſui obliti erant ut ſibi timerent à præſtigiis: ſed quamvis ſibi illudi non putent, magis tamen huc inclinant, ſibi in viſiooe per ſpiritum proponi reſurrectionis imaginem, quam Chriſtum ipſum, qui nuper in cruce mortuus fuerat, vivum adeſſe. Ita viſionem fallaciæ ſuſpectam non habebant, quaſi inane eſſet ſpectrum: ſed metu correpti, tantum in ſpiritu ſibi oſtendi putabant quod reipſa poſitum erat ſub oculis.

38. *Quid turbati eſtis.*] His verbis monentur à terrore colligere mentes ſuas, ut recepto ſenſuum vigore, de re ſibi comperta judicent. Quamdiu enim homines occupat perturbatio, in luce manifeſta cæcutiunt. Ergo ut certam notitiam concipiant diſcipuli, jubentur rem ſedatis & compoſitis animis expendere. Secundo membro Chriſtus aliud vitium caſtigat, quod ſcilicet alternando inter varias cogitationes ſeipſos impediant. Dicit autem *aſcendere cogitationes*, ſignificans veri notitiam in ipſis ideo ſuffocari ut videndo non videant: quia non cohibent perverſas imaginationes, ſed potius curſum illis laxando, in locum ſuperiorem attollunt. Et certe nos boc nimis verum eſſe eaperimur: quemadmodum nebulæ ſi mane ſerenum fuerit cælum, ſurſum elatæ claram Solis lucem obſcurant: ita dum noſtris rationibus nimis libere contra Dei verbum inſurgere permittimus, quod ante nobis conſpicuum erat, ex oculis noſtris ſubduci. Licet quidem, ubi aliqua abſurditatis ſpecies occurrit, expenſis binc inde rationibus diſquirere: nec fieri aliter poteſt quin rebus dubiis buc & illuc verſentur mentes noſtræ. ſed tenendus eſt modus & ſobrietas, ne altius quam oportet ſe efferat caro, & ſuas cogitationes procul in cælum emittat.

39. *Videte manus meas.*] Corporales eorum ſenſus adhibet teſtes, ne umbram ſibi putent pro corpore objici. Ac primo quidem corporeum hominem à ſpiritu diſtinguit: acſi diceret, Viſus & tactus probabunt me eſſe verum hominem qui antehac vobiſcum verſatus ſum: quia carne illa ſum indutus quæ crucifiaa fuit, & adhuc notas geſtat. Porro quum Cbriſtus palpabile eſſe corpus ſuum pronunciet, & ſolidis oſſibus compactum, biſque notis diſcernat à ſpiritu: ſcite & vere adductus eſt hic locus à noſtris bominibus ad refellendum craſſum errorem de tranſubſtantiatione panis in corpus, vel de locali corporis præſentia, quas homines præpoſteri in ſacra Cœna fingunt. Nam illic volunt eſſe Chriſti corpus ubi nullum corporis ſignum apparet. hoc autem modo ſequetur naturam ſuam mutaſſe, ut eſſe deſierit quod erat, & unde ab ipſo Chriſto probatur verum eſſe corpus. Si cootra excipiant, latus tunc fuiſſe confiaum, pedes clavorum vulneribus fuiſſe perforatos, atque etiam manus, nunc autem illæſum & integrum in cælo eſſe Cbriſtum: facile diſcutitur boc cavillum. neque enim boc tantum agitur, quali babitu apparuerit Chriſtus, ſed quid teſtetur de vera carnis ſuæ natura. Hoc autem tanquam proprium illi attribuit, palpabilem eſſe, ut à ſpiritu differat. Ergo hodie quoque diſcrimen iſtud carnis à ſpiritu manere neceſſe eſt: quod perpetuum eſſe ex Chriſti verbis ſtatuere licet. De vulneribus autem ſic babendum eſt, hoc documento nobis omnibus teſtatum eſſe, Chriſtum nobis potius reſurrexiſſe quam ſibi, quum mortis victor, & beata cæleſtique immortalitate præditus, ſuorum tamen cauſa crucis reliquias ad tempus geſtare ſuſtinuerit. Hæc certe mira fuit indulgentia erga diſcipulos, quod aliquid ſibi deeſſe maluit ad perfectam reſurrectionis gloriam, quam tali ſubſidio fidem illorum fraudari. Cæterum ſtultum & anile delirium fuit, plagis adhuc confoſſum imaginari quum adveniet mundi judex.

14. Marc. *Sedentibus illis undecim.*] Participium *ἀνακειμένοις* non pro Diſcumbentibus (ut alii verterunt) ſed pro Sedentibus poſitum eſſe eaiſtimo: neque id ſine ratione, ſi tamen hoc conveniat, primam viſionem bic deſcribi. nam tempeſtiva non fuiſſet cœnatio circiter mediam noctem. Deinde ſi menſa fuiſſet appoſita, non quadraret quod paulo poſt dicet Lucas, rogaſſe Chriſtum num quid baberent edulii. Eſt autem phraſis Hebraica, Sedere pro Quieſcere in aliquo loco. Quæ autem ſequitur objurgatio, magis in primam viſionem quam ſecundam competit: quia quum (teſte Joanne) viſo Domino poſtridie

Paſcha-

Paſchatis gaviſi fuerint diſcipuli, correpta tunc fuit eorum incredulitas. Quod nonnulli ad ſolum Thomam reſtringunt bæc Marci verba, coactum videtur. itaque ſimpliciter exponere malo, Chriſtum, quum primo apparuit Apoſtolis, eos iocrepuiſſe quod oculatis reſurrectionis ſuæ teſtibus non crederent. Quanquam noo in eo ſolum damnatur cordis durities quod fidem bomioibus non habuerint, ſed quia ipſo rei eventu convicti, ne ſic quidem demum amplexi ſint teſtimonium Domini. Quum ergo Petrus & Maria, Cleopas & ſodalis non primi eſſeot reſurrectionis teſtes, ſed taotum verbis Chriſti ſubſcriberent: ſequitur à reliquis Apoſtolis factam fuiſſe Domino injuriam quod fidem abrogarent ejus verbis, quæ tamen jam ſuo effectu probata erant. Quare me[illegible] illis exprobratur cordis durities, quia ad tarditatem acceſſerit prava obſtinatio: acſi data opera quod patebat eſſe verum ſupprimere cuperent. non quod illis propoſitum fuerit extioguere magiſtri ſui gloriam, vel eum vanitatis arguere: ſed quia obſtaculo illis erat ſtupor ne dociles ſe præberent. Denique bic non dàmnatur voluntaria pervicacia (ſicuti prius dictum fuit) ſed cæca ſocordia, quæ interdum homioes, alioqui non improbos oes rebelles, indurat.

MATTH.	MARC.	LUC. XXIV.

41. Adhuc autem illis non credentibus præ gaudio, & mirantibus,
dixit eis, Habetis hic aliquid edulii?
42. At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & aliquid de favo apiario.
43. Et accepit, & in conſpectu illorum comedit.
44. Et dixit ad eos, Hæc ſunt verba quæ loquutus ſum ad vos quum
adhuc eſſem vobiſcum: quod neceſſe foret impleri omnia quæ ſcripta
ſunt in Lege Moſis, & Prophetis, & Pſalmis de me.
45. Tunc aperuit illorum mentem ut intelligerent Scripturas.
46. Et dixit eis, Sic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, &
reſurgere à mortuis tertio die:
47. Et prædicari nomine ejus pœnitentiam ac remiſſionem peccatorum in omnes Gentes, initio facto ab Hieroſolymis.
48. Vos autem eſtis teſtes eorum.
49. Et ecce ego mitto promiſſum Patris mei ſuper vos: vos autem
ſedete in civitate Hieruſalem, quoadusque induamini virtute ex alto.

41. *Adhuc illis non credentibus.*] Hic quoque locus oſtendit oon fuiſſe conſulto incredulos, ſicuti qui in animum inducuot non credere: ſed quum eos ad cupide credendum ferret voluntas, fuiſſe affectus ſui vehementia conſtrictos ut acquieſcere non poſſent. Nam certe gaudium cujus meminit Lucas, nonniſi ex fide oriebatur: & tamen obſtaculo fuit oe victrix emergeret eorum fides. Notemus ergo quam ſuſpecta nobis eſſe debeat affectuum noſtrorum vehementia, quæ quamvis ex bonis principiis oriatur, nos tamen à recta via transverſos rapit. Monemur etiam quam ſedulo nobis luctandum ſit contra fidei impedimenta, quum gaudium ex Chriſti præſentia conceptum incredulitatis cauſa fuerit Apoſtolis. Rurſum vero perſpicimus quam benigne & comiter ſuorum infirmitati indulgeat Chriſtus, qui novo adminiculo labantes fulcire non recuſat. Et quidem licet cæleſtis vitæ novitatem adeptus, cibo & potu oihilo magis indigeat quam Angeli, ſe tamen ad communem mortalium uſum ſponte demittit. Toto vitæ ſuæ curſu edendi & bibendi neceſſitati ſe ſubjecerat: nunc ea exemptus, cibo io bunc finem veſcitur ut diſcipulos de ſua reſurrectione perſuadeat. Ita videmus ut poſthabito ſui reſpectu noſter ſemper eſſe voluerit. Hæc vera eſt ac pia hujus biſtoriæ meditatio, in qua utiliter inſiſtent fideles, curioſis quæſtionibus valere juſſis, Si concoctus fuit bic cibus corruptibilis, quale iode alimeotum traxerit immortale Chriſti corpus: deiode quid factum ſit excrementis. Quaſi vero oon ſit in ejus arbitrio qui de oihilo omnia creavit, pauxillum cibi in nibilom, ubi ita viſum eſt, redigere. Sicut ergo piſcem & favum vere guſtavit Chriſtus ut ſe bominem monſtraret, ita non dubium eſt quin divina ſua virtute quod in alimentum tranſire opus non erat conſumpſerit. Sic Angelos io menſa Abrahæ, ſicuti veris corporibus induti erant, vere comediſſe & bibiſſe oon dubito: neque tamen propterea concedo, pro carnis infirmitate cibo & potu fuiſſe refectos: ſed quum in gratiam Abrahæ humana forma induti eſſent, boc etiam dedit ſervo ſuo Dominus, ut ante ejus tugurium cæleſtes illi hoſpites veſcerentur. Porro ſi fatemur corpora qoæ ad tempus ſumpſerant, poſtquam legatione ſua defuocti ſunt, in nihilum redacta eſſe, quis idem de alimentis factum eſſe negabit?

44. *Hæc ſunt verba.*] Quanquam ex Matthæo & Marco poſtea patebit noo abſimilem ſermonem io Galilæa fuiſſe habitum, mibi tamen probabile eſt, nunc à Luca narrari quod poſtridie reſurrectionis contigit. Quod enim Joannes de illo die tradit, *Sufflaſſe in eos* ut Spiritum ſanctum conferret, coovenit cum verbis Lucæ quæ mox ſequentur, *Aperuiſſe illis mentem ut intelligerent Scripturas.* Porro bis verbis Chriſtus oblique craſſam & ignavam ſuorum oblivionem perſtringit, quod familiariter de futura reſurrectione pridem admoniti, perinde attoniti forent acſi nibil unquam illis fuiſſet dictum. Perinde eoim valent ejus verba, acſi diceret, Quid bæretis quaſi in re nova vel inopinata, quæ tameo ſæpius à me prædicta fuerat: cur non potius verborum meorum recordamini? Nam ſi me veracem hactenus duxiſtis, hoc jam ex mea doctrina vobis cognitum eſſe debuerat priusquam accideret. Io ſumma, tacite conqueritur Chriſtus, quum effluxerit ſua doctrina, ſe operam apud Apoſtolos male perdidiſſe. Acrius etiam eorum tarditatem pungit, quum ſe quicquam novum protuliſſe negat: ſed tantum in memoriam revocaſſe quæ à Lege & Prophetis teſtata erant, quibus jam à pueritia imbutos eſſe decebat. Verum ut totius doctrinæ pietatis ignari forent, nibil tamen magis abſurdum fuit quam non protinus amplecti quod à Deo profectum eſſe perſuaſi erant. Confeſſum enim in tota gente axioma iſtud erat, nullam eſſe religiooem niſi quæ cootinebatur in Lege & Prophetis. Cæterum hic plenior habetur quam aliis locis Scripturæ partitio: quia præter Legem & Prophetas, tertio loco adduntur Pſalmi: qui tametſi jure inter Prophetias numerari queunt, aliquid tamen proprium habent ac diſtinctum. Bimembris tamen diviſio quam alibi vidimus, totam nihilominus Scripturam complectitur.

45. *Tunc aperuit illorum mentem.*] Quia antea Dominus perfunctus doctoris officio, nibil aut parum

rum apud diſcipulos profecerat, nunc Spiritu ſuo intus eos docere incipit. Fruſtra enim in aerem funduntur verba, donec intelligentiæ dono illuſtratæ *Pſal. 145. verſ. 8.* ſint mentes. Verum quidem eſt, inſtar lucernæ eſſe verbum Domini: ſed lucet in tenebris ac inter cæcos, donec lux interior oculis detur à Domino, cujus proprium munus eſt illuminare cæcos. Atque hinc apparet quanta ſit naturæ noſtræ corruptio, quando nihil nobis prodeſt oblatum in oraculis cæleſtibus vitæ lumen. Jam vero ſi intelligentia non perſpicimus quid rectum ſit, quomodo ad præſtandum obſequium ſufficeret voluntas? Fatendum eſt igitur nos modis omnibus deficere, ut cæleſtis doctrina non aliter utilis ſit nobis vel efficax, niſi quatenus Spiritus & mentes noſtras ad eam intelligendam, & corda noſtra ad ſubeundum ejus jugum format: ideoque ut idonei ſimus ejus diſcipuli, neceſſe eſt depoſita omni ingenii noſtri fiducia, lumen è cælo petere: ſtulta etiam liberi arbitrii opinione relicta nos Deo *1 Cor. 3. verſ. 18.* regendos tradere. Nec vero abs re Paulus jubet ſtulteſcere homines, ut Deo ſapiant: quia ad ſuffocandum Spiritus lumen nulla eſt deterior caligo quam proprio acumini confidere. Obſervent præterea lectores, non fuiſſe apertos mentis oculos diſcipulis, quibus ſine adjumento Dei myſteria perſpicerent, ſed ut comprehenſa ſunt in Scripturis: atque ita impletum fuit quod dicitur Pſalm. 119. verſ. 18. Illumina oculos meos, ut conſiderem mirabilia Legis tuæ. Neque enim Spiritum Deus ſuis confert qui verbi ſui uſum aboleat, ſed potius qui fructuoſum reddat. Quare perperam fanatici homines revelationum prætextu ſpernendæ Scripturæ ſibi licentiam concedunt. nam quod de Apoſtolis nunc legimus, quotidie in ſuis omnibus Chriſtus efficit: nempe ut Spiritu ſuo ad intelligendam Scripturam eos dirigat, non autem abripiat ad vagos ἐνθουσιασμούς. Sed quæritur cur operam Chriſtus toto triennio in illis docendis perdere maluerit quam ſtatim illorum aperire mentes. Reſpondeo primum, quamvis non extiterit tam cito fructus operæ, non tamen fuiſſe inutilem: quia donati nova luce, ſuperioris quoque temporis profectum ſenſerunt. Nam *apertas illis fuiſſe mentes* interpretor, non modo ut in poſterum eſſent dociles, ſi quid illis eſſet propoſitum: ſed ut doctrinam fruſtra anteauditam, cum fructu in memoriam revocarent. Deinde ſciamus illa triennii inſcitia utiliter didiciſſe, non aliunde ſe quam ex cæleſti luce novam perſpicaciam eſſe adeptos. Adde quod Chriſtus certum in hac re Deitatis ſuæ ſpecimen edidit: quia non externæ tantum vocis fuit miniſter quæ in auribus ſonaret, ſed arcana virtute in men*1 Cor. 3. verſ. 7.* tes penetravit: atque ita oſtendit, quod Paulus adimit Eccleſiæ doctoribus, in ſe unum competere. Notandum tamen eſt, non ita vacuos & privatos fuiſſe intelligentiæ luce Apoſtolos, quin exigua quædam principia tenerent: ſed quia levis tantum erat guſtus, cenſetur hoc veræ intelligentiæ principium, dum remoto velo, Chriſtum in Lege & Prophetis conſpiciunt.

46. *Dixit eis, Sic ſcriptum eſt.*] Hoc contextu refellitur eorum calumnia qui externam doctrinam obtendunt ſupervacuam fore ſi nulla nobis ad intelligendum facultas naturaliter ſuppetat. Quorſum, inquiunt, apud ſurdos verba faceret Dominus? Atqui videmus, ubi Spiritus Chriſti, qui interior eſt magiſter, partes ſuas implet, non luſoriam eſſe miniſtri loquentis operam. Chriſtus enim poſtquam intelligentiæ Spiritu donavit ſuos, non ſine fructu apud eos ex Scripturis diſſerit. Apud reprobos vero licet externa vox evaneſcat quaſi mortua, ipſos nihilominus reddit inexcuſabiles. Quod autem attinet ad verba Chriſti, ſumpta ſunt ex illo principio, Neceſſe eſt compleri quicquid ſcriptum eſt: quia nihil per ſuos Prophetas teſtatus ſit Deus niſi quod certo facturus erat. Sed iiſdem verbis monemur quid præcipue ex Lege & Prophetis diſcendum ſit; nempe quum finis & anima Legis ſit Chriſtus, quicquid ſine ipſo & extra ipſum cognoſcitur, inane & jejunum eſſe. Quare ut quiſque in Scriptura optime proficere cupiet, ſemper intentus ſit ad hunc ſcopum. Jam vero hic priore loco mortem ſuam & reſurrectionem ponit Chriſtus, deinde fructum qui ex utraque nobis provenit. Unde enim pœnitentia & remiſſio peccatorum, niſi quia homo vetus noſter crucifixus eſt cum Chriſto, ut per ejuſdem gratiam reſurgamus in vitæ novitatem? quia etiam ſacrificio mortis ejus expiata ſunt peccata, & ſanguine ablutæ ſordes, reſurrectione vero parta juſtitia? Docet igitur in morte ſua & reſurrectione cauſam *Rom. 6.* & materiam noſtræ ſalutis eſſe quærendam: quia *verſ. 6.* inde manat reconciliatio cum Deo, & regeneratio in novam ac ſpiritualem vitam. Ideoque diſerte exprimitur, non poſſe tam remiſſionem peccatorum quam pœnitentiam niſi in ejus nomine prædicari: quia nec ſperanda eſt nobis juſtitiæ imputatio, nec abnegatio noſtri vitæque novitas contingit, niſi quatenus ipſe factus eſt nobis juſtitia & ſanctificatio. *1 Cor. 1.* Porro quia alibi copioſe tractavimus de hac Euan- *verſ. 30.* gelii ſumma, ſatius eſt lectores inde petere ſiquid memoria non teneant, quam repetitione onerari.

47. *In omnes Gentes, initio facto* &c.] Nunc clare demum aperit Chriſtus quod ante celaverat, redemptionis à ſe allatæ gratiam communiter ad omnes Gentes patere. Etſi enim à Prophetis non ſemel prædicta fuerat Gentium vocatio, non tamen ſic erat patefacta ut eas facile ſecum admitterent Judæi in ſpem ſalutis. Ergo uſque ad reſurrectionem non fuit Chriſtus niſi unius electi populi creditus redemptor. Ac tunc primum diruta fuit maceria, ut qui extranei & prius diſperſi fuerant, in ovile Domini aggregarentur. Interim tamen, ne irritum videri poſſet Dei fœdus, locavit Chriſtus Judæos in priore gradu, initium fieri præcipiens ab Hieroſolyma. Nam quia genus Abrahæ peculiariter adoptaverat Deus, reliquo mundo præferri oportuit: hoc eſt jus primogenituræ quod illis aſſignat Jeremias 31. verſ 9. Hunc quoque ordinem diligenter ubique obſervat Paulus, quod Chriſtus ad- *Epheſ. 2.* veniens annunciaverit pacem iis qui prope erant, *verſ. 17.* deinde alienis & remotis.

48. *Vos autem eſtis teſtes.*] Nondum eos ad promulgandum Euangelium ablegat, ſed tantum admonet quorſum eos deſtinaverit, ut ſe in tempore comparent. Partim vero hac conſolatione eorum triſtitiam lenit, partim hoc ſtimulo corrigit eorum ignaviam. Quum recentis ſuæ defectionis conſcii ſibi forent, dejectis animis eſſe oportuit. Hic præter ſpem incredibili honore eos Chriſtus dignatur, legationem ſalutis æternæ toti mundo publicandam illis injungens. Hoc modo non ſolum eos in integrum reſtituit: ſed novæ gratiæ magnitudine flagitii memoriam prorſus abolet. Simul tamen eos (ut dixi) exſtimulat, ne ad fidem, cujus ordinati ſunt præcones, adeo ſegnes ſint ac tardi.

49. *Ecce ego mitto.*] Ne Apoſtolos terreat ſua imbecillitas, ad ſpem novæ & adventitiæ gratiæ eos invitat: acſi diceret, Tametſi vos tanto oneri ſentitis eſſe impares, non tamen eſt cur animos deſpondeatis: quia ego virtutem, qua vos deſtitui ſcio, è cælis ſufficiam. Jam quo melius in hac fiducia eos confirmet, Spiritum ſanctum commemorat à Patre fuiſſe promiſſum. Nam quo ſe alacriter ad opus accingerent, jam illos Deus ſua promiſſione animaverat, eorum diffidentiæ occurrens. Nunc ſe Chriſtus in locum Patris ſubſtituens, præſtandi munus in ſe recipit: in quo iterum divinam ſibi potentiam vendicat. Nam hæc pars ejus gloriæ eſt quam Deus jurejurando negat ſe alteri daturum, infirmos homi- *Jeſa. 42.* nes cæleſti virtute induere. Itaque ſi in Chriſtum *verſ. 8.* competit, ſequitur illum eſſe Deum qui olim per os

Pro-

Prophetæ loquutus eſt. Quanquam autem Apoſtolis ſpecialem gratiam pollicitus eſt Deus, & Chriſtus contulit: tamen in genere hoc tenendum eſt, neminem mortalium per ſe Euangelio prædicando idoneum eſſe, niſi quatenus Deus Spiritu ſuo eos veſtiens, ipſorum nuditati & inopiæ ſuccurrit. Et certe ut non de ſolis Apoſtolis exclamat Paulus, Quis ad hæc idoneus reperietur? ſed neminem inter mortales huic tanto oneri parem eſſe pronunciat: ſic neceſſe eſt quoſcunque Deus excitat Euangelii miniſtros, imbui cæleſti Spiritu: ideoque omnibus Eccleſiæ doctoribus ſine exceptione ubique promittitur. *Vos autem ſedete.* Ne temere ante tempus ad docendum prorumpant, quietem & ſilentium illis Chriſtus imperat quouſque eos pro ſuo arbitrio emittens, tempeſtive utatur eorum opera. Atque hæc utilis fuit obedientiæ eorum probatio, quod Scripturæ intelligentia præditi, & afflati Spiritus gratia, quia tamen loqui vetuit Dominus, ſilent tanquam muti. ſcimus enim quam cupide prodeant in medium qui ſibi hoc videntur cum laude & admiratione facturi. Et forte hac dilatione, eorum torporem Chriſtus multare voluit, quia non ſtatim ex ſuo mandato in Galilæam eodem die profecti erant. Quicquid ſit, eorum exemplo edocti ſumus nihil tentandum eſſe niſi vocante Domino. Quare licet publice docendi non deſit facultas, ſe tamen privati homines in ſilentio contineant donec eos ſua manu in theatrum producat. Porro quod jubentur ſedere Hieroſolymæ, id intelligere convenit, poſtquam ex Galilæa reverſi fuerint. Nam (ut paulo poſt audiemus ex Matthæo) quamvis Hieroſolymæ ſe videndum exhibuerit, non tamen mutavit quod prius de Galilæa decreverat. Ideo ſenſus verborum eſt, poſtquam in loco condicto mandata illis dederit, velle tamen adhuc tacitos ad tempus manere, uſque dum novam virtutem ſuppeditet.

2 Cor. 2. verſ. 16.

Matth. XXVIII.	Marc. XVI.	Luc.
16. Undecim autem diſcipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi conſtituerat illis Jeſus.	15. Et dixit eis, Ite in mundum univerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ.	
17. Et quum vidiſſent illum, adoraverunt eum: quidam autem dubitaverunt.	16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.	
18. Et accedens Jeſus, loquutus eſt eis, dicens, Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.	17. Porro ſigna eos qui crediderint, hæc ſubſequentur, Per nomen meum dæmonia ejicient: linguis loquentur novis:	
19. Exeuntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti:	18. Serpentes tollent: & ſiquid lethale biberint, non nocebit eis: ſuper ægrotos manus imponent, & bene habebunt.	
20. Docentes eos ſervare omnia quæcunque præcepi vobis. & ecce, ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi. Amen.		

16. *Undecim autem diſcipuli.*] Matthæus prætericns quæ ex aliis tribus retulimus, tantum docet ubi undecim diſcipuli ad munus Apoſtolicum legati ſint. Neque enim (ut jam ſæpius viſum eſt) illis propoſitum fuit perſequi ſingulas hiſtoriæ partes: quia Spiritui ſancto, qui eorum ſtylum direxit, ſatis eſſe viſum eſt ex conjunctis teſtimoniis ſummam complecti qualem videmus. Ergo quod noſtra maxime intererat elegit Matthæus, nempe quum Chriſtus diſcipulis apparuit, eos ſimul creaſſe Apoſtolos, qui æternæ vitæ legationem perferrent in omnes mundi plagas. Cæterum quanquam montis non fuit alibi facta mentio, colligimus tamen hunc Galilææ locum Mariæ notum fuiſſe. Mirum tamen eſt quoſdam Chriſto jam bis viſo adhuc dubitaſſe. Sicui ad primam manifeſtationem hoc referre placeat, nihil erit abſurdi: quia interdum res diverſas miſcere ſolent Euangeliſtæ. Sed neque abſurdum videri debet ſi reliquiæ pavoris quoſdam ad novam rurſus vacillationem impulerint. Scimus enim, quoties apparuit Chriſtus, donec collectis animis ad ejus conſpectum aſſuevisſent, metu & ſtupore fuiſſe perculſos. Quare ſenſus eſt, meo judicio, quoſdam initio hæſitaſſe, donec propius & familiarius ad eos Chriſtus accederet: ubi autem vere certoque innotuit, tunc eos adoraſſe: quia ſcilicet conſpicuus erat divinæ ejus gloriæ fulgor. Et forte eadem ad dubitandum ratio ipſos repente impulit quæ poſtea induxit ut adorarent: quia depoſito ſervi habitu, nihil tunc niſi cæleſte præ ſe tulit.

18. *Et accedens Jeſus, loquutus.*] Non dubium eſt quin hic acceſſus ſcrupulum omnem exemerit. Matthæus vero antequam diſcipulis injunctum narrat docendi munus, Chriſtum de ſua poteſtate præfatum eſſe dicit. nec abs re: non enim hic ſufficeret mediocris auctoritas: ſed ſummo vereque divino imperio pollere oportet qui ſuo nomine vitam æternam promitti mandat, totum orbem redigi ſub ditionem ſuam; ac doctrinam promulgari quæ ſubacta omni altitudine totum humanum genus humiliet. Atque hac quidem præfatione non modo Apoſtolos erexit Chriſtus ad liberam muneris ſui exequendi fiduciam, ſed fidem Euangelii ſui in omnes ætates ſtabilivit. Nunquam certe tam arduum munus aggredi Apoſtolis perſuaſum foret, niſi ſcirent in cælo ſedere ſuum vindicem, cui ſummum imperium datum eſſet. nam ſine tali præſidio impoſſibile fuiſſet quicquam proficere. Atqui ubi audiunt cælo & terræ præeſſe cui operam ſuam locant, hoc uno ad ſuperanda quævis obſtacula ſatis ſuperque inſtructi ſunt. Quod vero ad auditores ſpectat, ſi contemptibilis eorum qui Euangelium annunciant forma eorum fidem debilitat vel moratur, ſurſum oculos ad ipſum auctorem referre diſcant, à cujus poteſtate æſtimanda eſt Euangelii majeſtas. ita fiet ut per ſuos miniſtros loquentem deſpicere non audeant. Diſerte autem ſe tam cæli quam terræ dominum & regem facit, quia Euangelii prædicatione homines ſub obſequium ſuum cogens, regni ſui ſolium conſtituit in terra: & ſuos in novam vitam regenerans, & ad ſpem ſalutis invitans, cælos aperit, ut ad beatam immortalitatem cum Angelis attollat qui prius non ſolum reptabant in mundo, ſed in mortis abyſſo demerſi erant. Meminerimus vero, quod Chriſtus jure ſuo ſemper apud Patrem habuit, hoc illi in carne noſtra datum eſſe, vel (ut clarius loquar) in perſona Mediatoris. Non enim æternam potentiam jactat, qua præditus fuit ante creatum mundum, ſed quam nunc accepit, dum ordinatus fuit mundi judex. Imo notandum eſt, imperium hoc non fuiſſe liquido cognitum donec à mortuis reſurrexit: quia tunc demum ſummi Regis inſignibus ornatus, in ſublime prodiit. Quo etiam pertinet illud Pauli, Exinanivit ſeipſum: *Philip. 2.*
propterea exaltavit illum Deus, & dedit illi nomen *verſ. 7. 9.*
quod

quod eſt ſupra omne nomen, &c. Quanquam autem alibi ſeſſio ad Patris dexteram in cælum aſcenſui ſubjicitur, tanquam ordine poſterior: quia tamen reſurrectio & in cælum aſcenſus res ſunt inter ſe mutuo connexæ, merito nunc de ſua potentia tam magnifice concionatur Chriſtus.

19. *Exeuntes ergo.*] Quanquam Marcus, poſtquam narravit Chriſtum apparuiſſe undecim diſcipulis, mox ſubjicit mandatum de Euangelio prædicando, non tamen continuum actum deſignat: quia ex Matthæi contextu colligimus hoc non prius eſſe factum quam in Galilæam egreſſi eſſent. Summa autem eſt, nt Euangelium ubique promulgando, in fidei obedientiam Gentes omnes adducant: deinde ut doctrinam ſuam obſignent ac ſanciant Euangelii ſigno. Apud Matthæum initio jubentur ſimpliciter docere: ſed apud Marcum exprimitur doctrinæ genus, nempe ut Euangelium prædicent. Et paulo poſt apud Matthæum ipſum additur reſtrictio, ut doceant ſervare quæcunque præcepit Dominus. Hinc diſcamus Apoſtolatum non eſſe inanem honoris titulum, ſed operoſum munus: ideoque nihil magis eſſe abſurdum vel minus tolerabile, quam ut ſibi larvati homines uſurpent hunc honorem, qui otioſe regnantes, docendi munus à ſe rejiciunt. A Papa Romano ejuſque cohorte ſuperbe ſucceſſio hæc jactatut, quaſi communem cum Petro & ejus collegis perſonam ſuſtineant: interim doctrinæ nihilo major illis cura eſt quam Lupercis, vel Bacchi & Veneris ſacerdotibus. Verum qua fronte, obſecro, in eorum locum ſe ſubrogant quos audiunt creatos fuiſſe Euangelii præcones? Sed quamvis eos non pudeat impudentiam ſuam prodere, tamen apud omnes ſani judicii lectores hoc uno verbo ſatis valide proſternitur futilis eorum hierarchia, quod nullus Apoſtolorum ſucceſſor eſſe poteſt niſi qui ſuam in Euangelii prædicatione operam Chriſto impendit: denique quiſquis doctoris partes non implet, perperam nomen Apoſtoli mentitur. imo hoc Novi Teſtamenti ſacerdotium eſt, ſpirituali verbi gladio homines in ſacrificium Deo mactare. Unde ſequitur, degeneres eſſe & commentitios omnes ſacrificos qui non ſunt ad docendi officium intenti. *Docete omnes Gentes.* Hic Chriſtus ſublato diſcrimine Gentes æquat Judæis, & otroſque promiſcue in fœderis ſocietatem admittit. Quo etiam pertinet *Exeundi* verbum. Nam Prophetis ſub Lege præſcripti erant Judææ limites: nunc vero diruta maceria, Euangelii miniſtros procul exite jubet Dominus, ad ſpargendam pet omnes mundi plagas ſalutis doctrinam. Quamvis enim (ut nuper attigimus) primogenituræ dignitas intet prima exordia manſerit apud Judæos, communis tamen Gentibus
Jeſ. 49. verſ. 6. fuit vitæ hæreditas. Sic impletum fuit illud Jeſaiæ vaticinium cum ſimilibus, datum eſſe Chriſtum Gentibus in lucem, ut ſit ſalus Dei uſque ad extremum terræ. Id Marcus intelligit per omnem creaturam: quia poſtquam domeſticis annunciata fuit pax, ad longinquos etiam & extraneos idem nuncius pervenit. Porro quam neceſſe fuerit clare moneri Apoſtolos de Gentium vocatiooe, inde patet, quod etiam
Actor. 10. verſ. 28. poſt acceptum mandatnm, ad eas accedere illis ſummo horrori fuit, acſi ſe & doctrinam polluerent. *Baptizantes eos.* Baptizari jubet Chriſtus qui nomen Euangelio dederint, ſeque profeſſi fuerint diſcipulos: partim nt illis Baptiſmus, vitæ æternæ ſit teſſera coram Deo, partim apud homines externum fidei ſignum. Scimus enim Deum nobis teſtari adoptionis ſuæ gratiam hoc ſigno: quia nos inſerit in corpus Filii ſui, ut nos in grege ſuo cenſeat: ideo & ſpirituale noſtrum lavacrum, quo nos ſibi reconciliat, & nova juſtitia illic repræſentantur. Sed quemadmodum gratiam ſuam Deus hoc ſigillo nobis confirmat, ita quicunque ſe ad Baptiſmum oſterunt, viciſſim quaſi data ſyngrapha obſtringunt ſuam fidem. Porro quum Apoſtolis diſerte una cum prædicatione Euangelii mandatæ ſint iſtæ partes, ſequitur non alios Baptiſmi legitimos eſſe miniſtros niſi qui iidem ſimul doctrinam miniſtrant. Quod ergo privatis hominibus, imo etiam fœminis permiſſa fuit baptizandi licentia, quia Chriſti inſtitutioni minime conſentaneum eſt, nihil aliud fuit quam mera profanatio. Adde, quum doctrinæ prior datur locus, inter hoc myſterium & adulterinos Gentium ritus, quibus ſe in ſua ſacra initiant, verum ſtatui diſcrimen: quia donec verbo ſuo terreſtre elementum Deus vivificet, nobis Sacramentum non efficitur. Ut ſuperſtitio omnia Dei opera præpoſtere æmulatur, ſtulti homines varia Sacramenta fabricant pro ſuo arbitrio: ſed quia non ſubeſt verbum, tanquam anima, inanes ſunt ac luſoriæ umbræ. Quare teneamus, doctrinæ virtute fieri ut ſigna novam naturam induant: ſicuti externa carnis lotio ſpirituale regenerationis pignus eſſe incipit præeunte Euangelii doctrina. atque hæc genuina eſt conſecratio, in cujus locum magicos exorciſmos Papatus nobis invexit. Ideoque apud Marcum dicitur, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit.* quibus verbis non modo à ſpe ſalutis excludit Chriſtus hypocritas, qui fide vacui, externo tantum ſigno inflati ſunt: ſed ſacro vinculo doctrinæ Baptiſmum copulat, ut hoc nihil aliud ſit quam illius acceſſio. Verum quia docere prius jubet Chriſtus quam baptizare, & tantum credentes ad Baptiſmum vult recipi, videtur non rite adminiſtrari Baptiſmus niſi fides præceſſerit. Atque hoc prætextu multum tumultuati ſunt Anabaptiſtæ contra Pædobaptiſmum. Solutio tamen non difficilis eſt, ſiquis præcepti rationem expendat. Jubet Chriſtus perferri ad omnes Gentes legationem æternæ ſalutis: eam coofirmat addito Baptiſmi ſigillo. Merito autem ante Baptiſmum locatut verbi fides, quum Gentes alienæ prorſus eſſent à Deo, nec quicquam haberent cum electo populo commune. nam alioqui mendax eſſet figura, quæ peccatorum remiſſionem & Spiritus donum offerret incredulis qui nondum eſſent Chriſti membra. Fide autem aggregari ſcimus ad populum Dei qui prius diſperſi erant. Nunc quæritur qua lege Deus qui ante fuerunt alieni, in filios cooptet. Certe negari non poteſt, ubi eos ſemel amplexus eſt in ſuum favorem, quin eundem proſequatur erga eorum filios ac nepotes. Communiter ſe Chriſti adventu Gentibus ac Judæis patrem exhibuit. quæ ergo olim Judæis data fuit promiſſio, inter Gentes hodie quoque *Geneſ. 17.*
vigeat neceſſe eſt, Ero Deus tuus, & Deus ſeminis *verſ. 7.*
tui poſt te. Ita eos qui fide in Eccleſiam Dei ingreſſi ſunt, videmus cum ſua ſobole cenſeri in Chriſti membris, & in ſalutis hæreditatem ſimul vocari. Nec vero ſeparatut hoc modo Baptiſmus à fide vel doctrina: quia licet pueri infantes nondum per ætatem fide percipiant Dei gratiam, Deus tamen eorum patentes compellans, ipſos etiam complectitur. Nego igitur temere Baptiſmum infantibus conferri, ad quem Dominus eos invitat dum ſe illis promittit fore in Deum. *In nomine Patris.* Hic locus docet, plenam & liquidam Dei notitiam, quæ obſcure tantum ſub Lege & Prophetis adumbrata fuerat, demum emerſiſſe ſub Chriſti regno. Veteres quidem Deum nunquam auſi fuiſſent vocare ſuum patrem niſi hanc fiduciam ſumpſiſſent à Chriſto capite: nec illis prorſus incognita erat æterna Dei ſapientia, quæ fons erat lucis & vitæ. Unum etiam ex confeſſis principiis erat, Deum ſuam virtutem in Spiritu ſancto exerere. Sed exortu Euangelii longe clarius ſub tribus Perſonis patefactus fuit Deus: quia tunc Pater in Filio, viva & expreſſa ſua imagine, conſpicuum ſe exhibuit: Chriſtus vero ipſe claro Spiritus ſui fulgore mundum irradians, & hunc & ſeipſum cognoſcendum præbuit. Cæterum non abs re Patris, Filii, & Spiritus expreſſa hic ſit mentio: quia aliter Baptiſmi vis apprehendi non poteſt quam ſi à gratuita Patris miſericordia initium fiat, qui nos per Filium

uni-

unigeoitum ſibi reconciliat: deinde in medium prodeat Chriſtus ipſe cum mortis ſuæ ſacrificio: & tandem accedat etiam Spiritus ſanctus, per quem oos abluit ac regenerat, denique ſuorum omnium booorum conſortes facit. Ita videmus nec rite cognoſci Deum niſi diſtincte fides noſtra tres in una eſſentia Perſonas concipiat: & inde Baptiſmi efficaciam fructumque manare, quod Deus Pater in Filio ſuo nos adoptat, & per Spiritum à carnis noſtræ ſordibus purgatos reformat in juſtitiam.

16. Marc. *Qui crediderit.*] Hæc promiſſio fuit adjuncta, quæ totum bumaoum genus ad fidem alliceret. ſicuti rurſum ad terrendos incredulos gtavis exitii denunciatio ſequitur. Porro mirum oon eſt ſalutem promitti fidelibus: quia credendo in Filium Dei unigenitum, non modo cenſentur ipſi inter Dei filios, ſed gratuita juſtitia & Spiritu regenerationis donati ſummam æternæ vitæ poſſident. Cum fide Euangelii Baptiſmus conjungitur, ut ſciamus inſculptam illic eſſe ſalutis noſtræ notam: oiſi enim ad teſtandam Dei gratiam valeret, impropriè dixiſſet Chriſtus, *Salvos fore qui crediderint & baptizati fuerint.* Quanquam ſimul tenendum eſt, non ita neceſſario requiri ad ſalutem ut perire neceſſe ſit quicunque eum adepti non fuerint. neque enim hic fidei adjungitur tanquam dimidia ſalutis cauſa, ſed ut teſtimonium. Fateor quidem bominibus neceſſitatem imponi ne ſignum gratiæ Dei negligant: ſed quamvis pro eorum infirmitate talibus adjumentis uratur Deus, obſtrictam eſſe ejus gratiam nego. Hoc modo noo ſimpliciter neceſſarium eſſe dicemus, ſed tantum obedientiæ noſtræ reſpectu. Secundo membro, ubi condemnat Chriſtus eos qui non crediderint, rebelles ſignificat, dum oblatam ſalutem reſpuunt, graviorem ſibi pœnam accerſere, nec jam communi tantum bumani generis interitu eſſe implicitos, ſed propriæ ingratitudinis culpam ſuſtinere.

17. *Signa eos qui crediderint, hæc* &c.] Sicuti miraculis Euangelii ſui fidem ſancierat Dominus quamdiu verſatus erat in mundo, ita nunc eandem virtutem in futurum tempus propagat, ne putent diſcipuli alligatam corporali ejus præſentiæ fuiſſe. Magnopere enim intererat vigere inter fideles divinam illam Chriſti potentiam, ut certo conſtaret reſurrexiſſe à mortuis, quo ſuperſtes maneret ejus doctrina, & immortale eſſet nomen. Porro quod fideles boc dono inſtruit, ad ſingulos trabendum non eſt. ſcimus enim diſtributa varie fuiſſe dona, ut miraculorum poteſtas nonniſi penes quoſdam fuerit. Sed quia commune totius Eccleſiæ fuit quod paucis dabatur, & quæ unus miracula edebat, io omnium confirmationem valebant, merito indefinite credentes nomioat Chriſtus. Senſus ergo eſt, fideles ejuſdem virtutis, quæ prius in Chriſto admirabilis fuerat, fore miniſtros, ut eo abſente certior conſtet Euange-
Joan. 14. verſ. 12. lii obſignatio: ſicuti apud Joannem promittit eadem & majora facturos. Porro ad teſtaodam Chriſti gloriam & Deitatem ſatis fuit paucos ex credentibus fuiſſe hac facultate ornatos. Quanquam autem non exprimit Chriſtus velitne hoc temporale eſſe donum, an perpetuo in Eccleſia ſua reſidere: magis tamen probabile eſt nooniſi ad tempus promitti miracula, quæ novum & adbuc obſcurum Euangelium illuſtrent. Fieri quidem poteſt ut ingratitudinis ſuæ culpa mundus hoc booore privatus ſit: ego tamen ſtatuo, miraculis bunc propriè impoſitum fuiſſe finem, ne qua Euangelii doctrinæ ſub initium deeſſet approbatio. Et certe videmus eorum uſum non ita multo poſt ceſſaſſe, vel ſaltem adeo rara fuiſſe eorum exempla ut colligere liceret non peræque omnibus ſeculis eſſe communia. Fecit tamen præpoſtera eorum qui deinde ſequuti ſunt, vel cupiditas, vel ambitio, ne miraculis prorſus carerent, ut inania ſibi fingerent. Atque boc modo aperta fuit Satanæ fallaciis janua, non ſolum ut præſtigiæ ſuccederent in locum veritatis, ſed ut ſignorum prætextu ſimplices abducerentur à recta fide. Et certe æquum fuit curioſos bomines, qui legitima approbatione non contenti, nova ſubinde miracula peterent, talibus impoſturis deludi. Hæc ratio eſt cur alibi prædixe- Mat. 24.
rit Chriſtus regnum Antichriſti ſignis mendacibus verſ. 24.
refertum fore: & Paulus idem teſtetur. Quare ut 2 Theſ. 2.
miracula fidem noſtram rite confirment, in illa verſ. 9.
quam dixi ſobrietate ſeſe contineant noſtræ mentes. Unde etiam ſequitur, putidam eſſe eorum calumniam qui doctrinam noſtram miraculis deſtitui objectant. Quaſi vero non eadem illa ſit quam Chriſtus ſatis ſuperque olim obſignavit. Sed in hoc argumento brevior ſum, quia jam pluribus locis plenius à me tractatum fuit.

20. Matth. *Docentes eos ſervare.*] His verbis (ut ante admonui) Chriſtus Apoſtolos mitteodo, oſtendit ſe illis in totum non reſignare ſuas partes, quaſi Eccleſiæ ſuæ magiſter eſſe deſinat. nam Apoſtolos cum hac exceptione dimittit, ne propria commenta obtrudant; ſed quod ipſe mandavit, de manu (quod aiunt) in manum pure & fideliter diſpenſent. Atque utinam jus quod ſibi arrogat Papa, huic regulæ ſubjiceret. nos enim facile pateremur ipſum eſſe Petri vel Pauli ſucceſſorem, modo ne tyrannice in animas dominaretur. Sed quum profligato Chriſti magiſterio, putidis ſuis nugis Eccleſiam inficiat, ſatis hinc apparet quam longe à munere Apoſtolico deſciverit. Teneamus in ſumma, his verbis præfici Eccleſiæ doctores, non qui proferant quicquid viſum fuerit, ſed ab ore unius magiſtri ipſi quoque pendeant, ut ei, non ſibi, acquirant diſcipulos. *Ecce, ego vobiſcum.* Quia provinciam Chriſtus mandabat Apoſtolis quam minime obire poterant bumana tantum virtute freti, cæleſtis ſui præſidii fiducia eos animat. Nam antequam ſe illis adfuturum promitteret, præfatus eſt ſe Regem eſſe cæli & terræ, qui maou ſua & imperio omnia gubernet. Ergo emphatice legendum eſt boc pronomen *Ego:* acſi dixiſſet, ſi officio ſuo ſtrenue deſungi vellent Apoſtoli, non reſpiciendum eſſe quid ipſi poſſent, ſed injuncta ejus poteſtate nitendum eſſe ſub cujus auſpiciis militant. Modus autem præſentiæ quam Dominus ſuis promittit; ſpiritualiter intelligi debet: quia ut nobis auxilietur, non opus eſt è cælo deſcendere, quum Spiritus ſui gratia, quaſi extenta manu è cælo, juvare nos poſſit. nam qui ſecundum corpus immenſo locorum ſpatio à nobis diſtat, non modo per totum mundum Spiritus ſui efficaciam diffundit, ſed in nobis quoque vere babitat. Notandum eſt præterea, non ſolis Apoſtolis hoc eſſe dictum: quia non in unam modo ætatem, ſed uſque ad finem mundi Dominus auxilium ſuum promittit. Perinde eſt igitur acſi diceret, utcunque infirmi ſint Euangelii miniſtri, rerumque omnium inopia laborent, ſe illorum fore præſidem, ut victores emergant ſupra omnes mundi conflictus. Sicuti hodie clara experientia docet, arcano modo Chriſtum mirabiliter operari, ut innumeris obſtaculis Euangelium prævaleat. Quo minus ferenda eſt cleri Papalis improbitas, dum ſacrilegæ ſuæ tyrannidi hunc colorem inducunt. Negant Eccleſiam errare poſſe quæ à Chriſto regitur. Quaſi vero Chriſtus, non ſecus ac gregarius quiſpiam miles, aliis ducibus mercenariam operam locarit: ac non potius auctoritatem ſibi in ſolidum retinens, ſe doctrinæ ſuæ vindicem fore teſtatus ſit, ut ſe ejus miniſtri victores totius mundi fore confidant.

MATTH.	MARC. XVI.	LUC. XXIV.
	19. Itaque Dominus quidem, poſtquam loquutus fuiſſet eis, receptus eſt in cælum, & conſedit à dextris Dei.	50. Eduxit autem eos foras uſque in Bethaniam: & ſublatis in altum manibus ſuis, benedixit eis.

51. Et

20. Illi vero egreſſi prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante per ſigna ſubſequentia.

51. Et factum eſt, quum benediceret illis, receſſit ab eis, ac ferebatur in cælum.

52. Et ipſi adorato eo regreſſi ſunt Hieroſolymam eum gaudio magno.

53. Et erant ſemper in templo laudantes & benedicentes Deum. Amen.

19. *Itaque Dominus.*] Quia magnifice ſupra totum mundum extulerat Matthæus regnum Chriſti, de ipſius in cælum aſcenſu nullus apud eum fit ſermo. Loci etiam & formæ Marcus non meminit: quorum utrumque exprimitur à Luca. Dicit enim *eductos fuiſſe in Bethaniam diſcipulos*, ut à monte Olivarum (unde ad ſubeundam crucis ignominiam profectus erat Dominus) cæleſte ſuum ſolium conſcenderet. Sicuti autem non ab omnibus promiſcue redivivus voluit conſpici, ita non quoslibet ſui in cælum aſcenſus teſtes admiſit: quia hoc fidei myſterium Euangelii præconio cognoſci magis, quam oculis cerni volebat. Sequitur apud Lucam, Chriſtum *ſublatis in altum manibus Apoſtolos benedixiſſe.* Quo docuit benedicendi munus, quod ſub Lege Sacerdotibus commiſſum erat, vere & proprie ſuum eſſe. Dum ſibi mutuo benedicunt homines, id nihil aliud eſt quam bene precari. Dei autem alia eſt ratio, qui non votis tantum favet, ſed ſolo nutu præſtat quicquid nobis optabile eſt. Sed quum omnis benedictionis unicus ſit auctor, quo tamen familiaris eſſet ſua gratia, voluit ſuo nomine ab initio Sacerdotes benedicere tanquam mediatores. Sic
Geneſ. 14. verſ. 19. Melchiſedec benedixit Abrahæ. Et Num. c. 6. v. 23. perpetua hujus rei lex tradita eſt. Eodem pertinet quod Pſal. 118. v. 26. legitur, Benedicimus vobis è domo Domini. Denique Apoſtolus ſignum præſtan-
Hebr. 7. verſ. 7. tiæ eſſe dicit, aliis benedicere. Nam minor, inquit, à majore benedicitur. Nunc ubi Chriſtus (verus Melchiſedec, & æternus Sacerdos) in lucem prodiit, in ipſo compleri oportuit quod Legalibus figuris ad-
Epheſ. 1. verſ. 3. umbratum erat. ſicuti etiam docet Paulus, nos in ipſo benedici à Deo Patre, ut divites ſimus omnium cæleſtium bonorum. Ergo ſemel palam & ſolenni ritu Apoſtolos benedixit, ut recta ſe ad ipſum conferant fideles, ſi Dei gratiæ compotes eſſe cupiant. In *manibus ſublatis* deſcribitur vetus ceremonia, qua ſcimus Sacerdotes olim fuiſſe uſos.

52. *Et ipſi adorato eo.*] Adorandi verbo primum ſignificat Lucas exemptam fuiſſe dubitationem Apoſtolis, quia tunc omni ex parte reſplenduit Chriſti majeſtas, ut jam dubia eſſe non deberet ejus reſurrectio: deinde ob eandem cauſam cœpiſſe majore reverentia eum colere quam dum ejus conſuetudine in terra fruebantur. Cultus enim de quo nunc agitur, non tantum ut magiſtro vel Prophetæ, neque etiam ut Meſſiæ, dimidia tantum ex parte cognito, ſed ut Regi gloriæ, mundique Judici exhibitus fuit. Quia autem Lucæ propoſitum erat longius hiſtoriam ſuam texere, tantum breviter dicit quid decem diebus egerint Apoſtoli. Summa autem eſt, præ gaudii fervore palam erupiſſe in laudes Dei, & fuiſſe in templo aſſiduos. non quod noctes dieſque illic transegerint: ſed quod frequentarint omnes conventus, ſtatiſque & ſolennibus horis adfuerint ad gratiarum actionem Deo reddendam. Hæc porro alacritas timori opponitur, qui prius clauſos & latentes domi tenebat.

19. Marc. *Conſedit à dextris Dei.*] Aliis locis expoſui quid valeat hæc loquutio: Chriſtum ſcilicet in ſublime evectum eſſe ut ſupra Angelos omneſque creaturas emineat, ut per ejus manum Pater mundum gubernet, ut denique coram eo flectatur omne genu. Ergo perinde eſt acſi vocetur Dei vicarius, qui ejus perſonam ſuſtinet. Quare locum aliquem imaginari non convenit, quum metaphorice dextra ſecundam à Deo poteſtatem ſignificet. Conſulto autem hoc addidit Marcus ut ſciremus non receptum fuiſſe Chriſtum in cælos ut beatam quietem procul à nobis colat, ſed ut mundo præſideat in ſalutem omnium piorum.

20. *Illi vero egreſſi.*] Breviter hic attingit Marcus quæ ſecundo libro Lucas hiſtorice proſequitur, puſillæ & ignobilis hominum cohortis vocem pertonuiſſe uſque ad extremos orbis fines. Nam quo res minus erat credibilis, eo certius refulſit cæleſtis potentiæ miraculum. Chriſtum morte crucis vel extinctum prorſus eſſe omnes putaſſent, vel ita oppreſſum ut nulla unquam fieret ejus mentio niſi probroſa & deteſtabilis. Apoſtoli, quos ſibi teſtes elegerat, illo turpiter deſerto ſeſe in tenebras abdiderant: tanta erat eorum inſcitia ac ruditas, tantus deinde contemptus, ut vocem in publico emittere vix auderent. An ab hominibus indoctis, nulliuſque pretii, atque etiam transfugis, ſperandum fuit ut oris ſui ſonitu tot gentes diſperſas ſub crucifixi imperium cogerent? Magnum ergo pondus ſubeſt his verbis, quod egreſſi, ubique prædicaverint, qui trepide nuper in ſuo ergaſtulo ſilebant. momento enim tam inopinata converſio humanitus accidere non potuit. Ideoque addit Marcus, *Domino cooperante*, ſignificans hoc vere divinum fuiſſe opus. Neque tamen hac loquendi forma inter ipſorum operam vel laborem & Dei gratiam partitur, quaſi ſeorſum ipſi quicquam præſtiterint: verum ſimpliciter à Deo fuiſſe adjutos intelligit, quia ſecundum carnem fruſtra aggreſſi eſſent quod per ipſos tamen eſt perfectum. Fateor quidem verbi miniſtros vocari Dei coadjutores quatenus ipſorum miniſterio utitur: ſed tenendum eſt, nullam illis virtutem ſuppetere niſi quam idem ſubminiſtrat: deinde plan- *1 Cor. 3. verſ. 7.*
tando & rigando nihil proficere, niſi ab arcana Spiritus efficacia proveniat incrementum. *Sermonem confirmante.* Hic, meo judicio, ſpeciem deſignat Marcus ejus quod proxime in genere poſuit. nam aliis quidem modis cooperatus eſt Dominus, ne irrita eſſet Euangelii ſui prædicatio: ſed hoc illuſtre fuit auxilii ejus documentum, quod miraculis eam ſancivit. Docet autem hic locus quorſum referri debeant miracula, niſi ea in perverſas corruptelas trahere libeat: nempe, ut Euangelio ſubſerviant. Unde ſequitur, ſanctum Dei ordinem inverti, ſi à verbo Dei avulſa (cujus ſunt appendices) ad ornandas impias doctrinas, vel fucandos vitioſos cultus trahuntur.

LAUS DEO.

HARMONIÆ *ex tribus Euangeliſtis*, MATTHÆO, MARCO, *&* LUCA *compoſitæ*

FINIS.

JOANNIS CALVINI,

MAGNI THEOLOGI,

COMMENTARII

IN

EUANGELIUM

SECUNDUM JOANNEM,

CUM

INDICE ACCURATISSIMO.

Editio ut poſterior ita prioribus multo emendatior.



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JACOBI SCHIPPER.
M. DC. LXVII.

COMMENTARIORUM
JOANNIS CALVINI
IN
EUANGELIUM
SECUNDUM JOANNEM

PRÆFATIO.

Magnificis Dominis, Syndicis, Senatuique Genevenſi, Dominis ſuis vere obſervandis Joan. Calvinus *Spiritum prudentiæ & fortitudinis, proſperumque gubernationis ſucceſſum à Domino precatur.*

QUoties in mentem venit illa Chriſti ſententia, qua tanti æſtimat quod hoſpitibus colligendis impenditur humanitatis officium, ut in ſuas rationes acceptum ferat, ſimul occurrit quam ſingulari vos honore dignatus ſit, qui urbem veſtram non unius vel paucorum, ſed commune Eccleſiæ ſuæ hoſpitium eſſe voluit. Semper apud homines profanos non modo laudata, ſed una ex præcipuis virtutibus habita fuit hoſpitalitas: ac proinde in quibus extremam barbariem ac mores prorſus efferatos damnare vellent, eos ἀξένους, vel (quod idem valet) inhoſpitales vocabant. Laudis autem veſtræ longe potior eſt ratio, quod turbulentis hiſce miſeriſque temporibus Dominus vos conſtituit quorum in fidem præſidiumque ſe conferrent pii & innoxii homines, quos non ſæva minus quam ſacrilega Antichriſti tyrannis è patriis ſedibus fugat ac diſpellit. Neque id modo, ſed ſacrum etiam apud vos domicilium nomini ſuo dicavit, ubi pure colatur. Ex his duobus quiſquis minimam partem vel palam reſcindere, vel furtim auferre conatut, non hoc agit modo ut nudatam præcipuis ſuis ornamentis urbem veſtram deformet, ſed ejus quoque ſaluti maligne invidet. Quamvis enim quæ Chriſto & diſperſis ejus membris præſtantur hic pietatis officia, caninos impiorum latratus provocent, merito tamen hæc vobis una compenſatio ſatis eſſe debet quod è cælo Angeli & ex omnibus mundi plagis filii Dei benedicunt: ut ſecure putidam eorum maledicentiam ſpernere liceat, quibus in Deum ipſum plus quam in vos quidvis evomere nulla eſt religio nec pudor: imo qui vobis detrahere volentes, à Dei contumelia incipiunt. Quamvis eadem hæc occaſio multorum in vos odia inflammet, nihil tamen inde vobis metuendum eſt periculi, quamdiu eorum furori manus ſuæ tutelam opponet ille qui fidum ſe promiſit earum urbium fore cuſtodem ubi & ſedes erit Euangelii ſui doctrinæ, & piis hominibus, quos ferre mundus nequit, dabitur aliqua ſtatio. Omitto quod de placando hoc hoſtium ge-

nere vos eſſe ſollicitos nihil attinet, quando nemo vobis infenſus eſt Euangelii cauſa, qui non vos alioqui vel perditos eſſe cupiat, vel oppreſſos. Cæterum ut demus nonniſi hanc ob cauſam vos profeſſis ſanæ doctrinæ adverſariis eſſe exoſos, quia veſtro patrocinio eam defendi vident: poſthabitis tamen eorum machinationibus ac minis, duo hæc invicta propugnacula conſtanter tueri vos decet, puræ religionis cultum, & piam fovendæ Eccleſiæ curam, quam Chriſtus alis veſtris tegendam commiſit. Quod ad convitia pertinet quibus nos meritorii Papæ rabulæ inceſſunt, defectionem ab Eccleſia eſſe quod cum Romana ſede fecimus diſſidium: utinam vero plena fiducia coram Deo & Angelis teſtari nobis liceret, ab illa colluvie quam longiſſime nos abeſſe, ut facilis eſt ac expedita ejus criminis, quo nos gravare ſolent, defenſio. Catholicæ ſcilicet Eccleſiæ titulo gloriantur, qui in univerſa Legis & Euangelii doctrina partem nullam à fœdis corruptelis integram reliquerunt, qui totum Dei cultum ſuperſtitionum ſuarum fœtore profanarunt, qui omnia Dei inſtituta ſuis figmentis adulterare non ſunt veriti. Imo tam catholica eſt errorum congeries, quibus everſa ab illis fuit tota religio, ut obruendæ perdendæque centies Eccleſiæ ſufficiant. Nunquam ergo ſatis magnifice pro merito immenſam Dei bonitatem extollere licebit, qua factum eſt ut ab illo exitiali gurgite mirabiliter emerſi, fixam habeamus in ſolida æternaque Dei veritate fidei noſtræ anchoram. Et certe Papatum nihil aliud quam monſtrum ex innumeris Satanæ fallaciis conflatum eſſe, & quam obtendunt Eccleſiam, Babylone magis confuſam, unus hic Commentarius erit (ut ſpero) luculentus teſtis. Interea quod res habet, ingenue fatebor: nos ab illius lacunæ ſordibus, quarum ſe contagio nimis longe diffundit, non ſatis procul diſtare. Queritur Antichriſtus nos ſibi elapſos eſſe: nos autem gemere cogimur, nimis multa ex vitiis quibus orbem terrarum infecit, apud nos eſſe reſidua. Nobis reſtituta eſt ſincera doctrinæ puritas, integra religio, ſimplex Dei cultus, genuina Sacramentorum ratio, qualis à Chriſto tradita eſt. Verum, quominus vigeat ea quæ debebat morum vitæque correctio, hæc maxime cauſa eſt, quod bona pars effrenis illius licentiæ memor qua Papiſtæ contra Deum impune laſciviunt, Chriſti jugo aſſueſcere non poteſt. Itaque quod hoſtes noſtri (ut falſa nos invidia apud imperitos gravent) odioſe clamitant ſolutam à nobis eſſe diſciplinam, hoc uno abunde vel nobis tacentibus refellitur eorum calumnia, quod nullum domi majus certamen nobis eſt, quam de immodico (ut multis quidem videtur) noſtro rigore. Atqui quum mihi Collegiſque meis ſitis optimi teſtes, non magis auſteros eſſe nos vel reſtrictos quam flagitat officii neceſſitas, adeoque cogit: ſicuti nos tuto in conſcientiæ veſtræ judicio acquieſcimus, ita viciſſim quam ridicula ſit hac in parte hoſtium impudentia, tanquam ex re præſenti judicare vobis promptum eſt. Nunc ut privatim de me aliquid dicam, etſi compluribus meis

ſcri-

ſcriptis, qualiter hanc Eccleſiam inſtituerim, toti mundo teſtatum eſſe confido, operæpretium tamen facturum me putavi ſi aliquod extaret ſingulare ejus rei monumentum, quod nominis veſtri inſcriptionem haberet. Magni enim intereſt proponi in omnium conſpectu doctrinæ genus quod à me traditum eſſe agnoſcitis. Etſi autem in omnibus quos hactenus edidi libris, poſt mortem quoque meam vobis & populo vobis commiſſo prodeſſe ſtudui, minimeque decet quæ ex urbe veſtra ad exteras nationes manavit doctrinam longe lateque uberem proferre fructum, in ſua ſede negligi: Commentarium tamen hunc qui peculiariter vobis dicatus eſt, tenacius veſtræ memoriæ hæſurum confido. Quod ut fiat, Deum ipſum precor ut cordibus veſtris inſcriptum ita penitus ſuo digito infigat, ne ullo unquam Satanæ artificio deleatur. Nam ejus eſt labori meo dare ſucceſſum, qui mihi hunc pridem animum dedit ut nihil magis cupiam quam fideliter veſtram omnium ſalutem curare. Porro ſicut ab exacta boni Paſtoris diligentia, & aliis virtutibus, quas officii magnitudo excellentiaque poſtulat, me procul abeſſe coram mundo ingenue fateor, & coram Deo tot vitia, quæ meum curſum impediunt, aſſidue deploro: ita profiteri audeo, fidem mihi rectamque voluntatem non deeſſe. Quod ſi interea obſtrepere non deſinant improbi, ſicuti meum eſt bene agendo refellere eorum calumnias, ita veſtrarum erit partium eaſdem ſancta, qua polletis, auctoritate compeſcere. Valete magnifici ac mihi in Chriſto venerandi Domini, cujus præſidio vos commendo. Genevæ, Calend. Januarii. M. D. LIII.

 A R-

ARGUMENTUM

IN

JOANNEM.

QUid ſignificet Græcis Euangelii nomen, ſatis notum eſt: in Scriptura vero κατ' ἐξοχὴν pro læto & felici exhibitæ nobis in Chriſto gratiæ nuncio capitur: ut diſcamus, contempto mundo, & caducis ejus opibus ac deliciis, incomparabile hoc bonum toto cordis affectu appetere, oblatumque complecti. Quod profanos homines facere videmus, ut in vanis mundi gaudiis intemperanter exultent, nullo aut perquam exiguo ſpiritualium bonorum ſenſu tangantur, omnibus fere nobis eſt ingenitum. Ergo Deus, ut vitium hoc corrigat, nuncium quem de Chriſto publicari jubet, Euangelii nomine peculiariter inſignit. Ita enim admonet, non alibi verum & ſolidum gaudium poſſe obtineri: ut ſane in ipſo completos habemus omnes beatæ vitæ numeros. Quidam Euangelii nomen ad gratuitas omnes Dei promiſſiones extendunt, quæ ſparſæ ſunt etiam in Lege & Prophetis. Nec vero negandum eſt, quoties ſe Deus propitium hominibus fore teſtatur, illiſque peccata remittit, quin Chriſtum ſimul offerat, cujus proprium eſt, ubicunque affulget, lætitiæ radios diffundere. Fateor ergo Patres ejuſdem nobiſcum Euangelii, quantum ad gratuitæ ſalutis fidem ſpectat, conſortes fuiſſe: verum quia Spiritus in Scripturis ita loqui ſolet, Chriſti demum adventu publicatum fuiſſe Euangelium, nos quoque hanc loquendi formam retineamus. ac illa ſit Euangelii definitio quam poſui, ſolenne eſſe de patefacta in Chriſto gratia præconium. Qua ratione vocatur Euangelium, Dei potentia in ſalutem omni credenti: quia Deus juſtitiam illic ſuam manifeſtat. Vocatur & legatio, qua ſibi homines reconciliat. Porro quoniam Chriſtus divinæ miſericordiæ paternique in nos amoris pignus eſt, ideo & propria eſt Euangelii materia. hinc factum eſt ut Euangelii nomen peculiariter obtinuerint hiſtoriæ quæ Chriſtum apparuiſſe in carne, mortuum, & à morte ſuſcitatum, ac tandem in cælos receptum fuiſſe narrant. Quanquam enim ſecundum rationem nuper adductam hoc nomine cenſetur novum Teſtamentum, uſus tamen obtinuit ut per ſynecdochen ſic vocetur pars iſta quæ Chriſtum nobis in carne exhibitum, mortuum eſſe, & ex morte reſurrexiſſe teſtatur. Cæterum quia non ſufficeret nuda hiſtoria, imo ad ſalutem nihil prodeſſet, non ſimpliciter narrant Euangeliſtæ natum eſſe Chriſtum, & mortuum, & mortis victorem: ſed in quem finem natus fuerit, quorſum mortuus fuerit, ac reſurrexerit, & quis inde ad nos redeat fructus, ſimul exponunt. Hoc tamen inter eos quoque eſt diſcrimen, quod alii tres in narranda Chriſti vita & morte ſunt fuſiores: hic autem noſter in doctrinam, qua & Chriſti officium, & mortis reſurrectioniſque virtus explicatur, magis inſiſtit. Non tacent illi quidem veniſſe Chriſtum ut ſalutem mundo afferret, ut mortis ſuæ ſacrificio mundi expiaret peccata, ut denique omnes Mediatoris partes perageret (quemadmodum & Joannes in hiſtorica narratione aliquatenus verſatur) ſed doctrina quæ vim & fructum adventus Chriſti nobis demonſtrat, longe clarius in hoc apparet quam in reliquis. Et quum omnibus communiter propoſitum ſit Chriſtum oſtendere, priores illi corpus (ſi ita loqui fas eſt) in medium proferunt, Joannes vero animam. Quamobrem dicere ſoleo, hoc Euangelium clavem eſſe quæ aliis intelligendis januam aperiat. Quiſquis enim Chriſti virtutem, ut hic graphice expreſſa eſt, tenuerit, is vero demum cum profectu quæ ab aliis traduntur de exhibito Redemptore, leget. Creditur Joannes hoc maxime conſilio ad ſcribendum adductus, ut Chriſti Divinitatem contra impias Ebionis & Cerinthi blaſphemias aſſereret: idque Euſebius & Hieronymus ex communi veterum ſententia referunt: ſed quæcunque illi tunc ſcribendi fuerit ratio, minime tamen dubium eſt quin longius Eccleſiæ ſuæ Deus proſpexerit. Sic ergo quatuor Euangeliſtis dictavit quod ſcriberent, ut diſtributis inter ipſos partibus corpus unum integrum abſolveret. Nunc ergo noſtrum eſt, quatuor ita mutuo inter ſe nexu conjungere, ut nos patiamur quaſi uno omnium ore ſimul doceri. Quod quartum in ordine Joannem locarunt, in eo habita fuit temporis quo ſcripſerat ratio: ſed in lectione diverſus ordo utilior: ut ſcilicet apud Matthæum & reliquos lecturi Chriſtum à Patre nobis eſſe datum, in quem finem manifeſtatus ſit, primum ex Joanne diſcamus.

JOANNIS CALVINI COMMENTARII IN SANCTUM JESU CHRISTI EUANGELIUM SECUNDUM JOANNEM.

CAP. I.

1. IN principio erat Sermo, & Sermo erat apud Deum, & ille Sermo erat Deus.
2. Hic erat in principio apud Deum.
3. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.
4. In ipſo vita erat: & vita erat lux hominum.
5. Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.

Cur Joannes Christi divinitatem prædicet, idque ab effectibus.

1. *IN principio erat Sermo.*) Hoc exordio æternam Chriſti Divinitatem prædicat, ut ſciamus æternum eſſe Deum qui manifeſtatus eſt in carne. Porro hic ſcopus eſt, generis humani inſtaurationem fieri oportuiſſe per Dei Filium, quum ejus virtute creata fuerint omnia, quum ſolus creaturis omnibus vitam & vigorem inſpiret, ut in ſtatu ſuo maneant: ac præſertim in homine ipſo ſingulare ediderit tam virtutis quam gratiæ ſuæ ſpecimen: adeoque poſt Adæ lapſum ac defectionem, non tamen deſtiterit erga poſteros liberalis eſſe ac beneficus. Atque hæc doctrina cognitu in primis neceſſaria eſt: nam quum extra Deum minime quærenda ſit vita & ſalus, quomodo in Chriſtum recumberet fides noſtra, niſi certo conſtitutum eſſet quod hic docetur? Ergo his verbis teſtatur Euangeliſta nos ab unico & æterno Deo minime diſcedere quum in Chriſtum credimus: deinde ejuſdem beneficio vitam nunc reſtitui mortuis qui natura adhuc integra, vitæ fons & cauſa fuit.

Cur Filius Dei Sermo dicatur.

Quod Sermonem vocat Dei Filium, hæc mihi ſimplex videtur eſſe ratio, quia primum æterna ſit Dei ſapientia & voluntas, deinde expreſſa conſilii ejus effigies. Nam ut ſermo character mentis dicitur in hominibus, ita non inepte transfertur hoc quoque ad Deum, ut per Sermonem ſuum dicatur nobis ſeipſum exprimere. Aliæ ſignificationes τοῦ λόγου non ita conveniunt. Eſt quidem Græcis λόγος & definitio, & ratio, & ſupputatio: ſed nolo ſupra fidei meæ captum argute philoſophari. Et videmus Dei Spiritum adeo ejuſmodi argutias non probare, ut nobiſcum balbutiens, quam ſobrie de tantis arcanis ſapiendum ſit, tacendo clamet. Porro quemadmodum ſe Deus in creando mundo per Sermonem iſtum patefecit, ita prius habuit apud ſe reconditum: ut duplex ſit relatio, prior ad Deum, altera ad homines.

Servetus. Filius Dei genitus ab æterno.

Servetus ſuperbiſſimus ex gente Hiſpanica nebulo, æternum hunc Sermonem tunc demum exortum eſſe fingit quum in mundi creatione exertus eſt. Quaſi vero non prius fuerit quam virtus ejus externo opere fuit cognita. Longe aliud hic docet Euangeliſta: neque enim Sermoni aſſignat temporis initium, ſed ab initio fuiſſe dicens, ſecula omnia tranſcendit. Nec me latet quid oblatret hic canis, & quid olim cavillati ſint Arriani: nempe Deum creaſſe principio cælum & terram, quæ tamen æterna non ſint:

Principium quid hic ſignificet.

quia *Principii* nomen magis ad ordinem reſpiciat quam æternitatem deſignet. Sed hanc calumniam Euangeliſta prævertit, quum dicit fuiſſe apud Deum. Si à tempore cœpit eſſe Sermo, aliquam in Deo temporum ſeriem inveniant neceſſe eſt. Et ſane hac particula nominatim diſcernere voluit eum Joannes à rebus omnibus creatis. Poterant enim multa venire in mentem, ubinam eſſet Sermo ille, quomodo vim ſuam exereret, cujus eſſet naturæ, unde cognoſci poſſet. Negat igitur in mundo & rebus creatis hærendum eſſe: quia ſemper Deo conjunctus fuerit antequam mundus extaret. Nunc qui principium ad cæli & terræ originem trahunt, annon Chriſtum redigunt in communem mundi ordinem, à quo diſerte hic eximitur? Qua in re non tantum Filio Dei atrocem faciunt injuriam, ſed æterno quoque ejus Patri, quem Sapientia ſua privant. Si Deum abſque ſua Sapientia imaginari nefas eſt, fateri oportet non alibi quærendam Sermonis originem quam in æterna Dei Sapientia. Excipit Servetus, non prius comprehendi Sermonem poſſe quam quum Deus à Moſe loquens inducitur. Quaſi vero non ſubſtiterit in Deo quia palam non innotuit, hoc eſt, quaſi non fuerit intus donec extra prodire cœpit. Sed anſam inſanis ejuſmodi deliriis præcidit Euangeliſta quum ſine exceptione affirmat Sermonem fuiſſe apud Deum. nam ab omnibus temporum momentis aperte nos revocat.

Quid fuiſſe apud Deum.

Qui ex tempore verbi imperfecto colligunt perpetuum ſtatum, non ſatis firma ratione nituntur. Verbum *Erat*, inquiunt, continuam ſeriem magis exprimit quam ſi dixiſſet Joannes, Fuit. Sed in tantis rebus magis ſolide argumentandum eſt. Illud autem unum quod attuli ſufficere nobis debet, quod Euangeliſta nos in æterna Dei adyta mittit, ut illic ſciamus quaſi abſconditum fuiſſe Sermonem, antequam ſe in externa mundi fabrica patefecerit.

Principium, principio carens.

Recte ergo Auguſtinus principium hoc, cujus nunc fit mentio, principio carere admonet. Tametſi enim Pater ordine prior eſt quam ſua Sapientia, illum tamen ſua gloria ſpoliant qui ullum temporis punctum imaginantur quo Sapientiam ſuam præceſſerit. Atque hæc æterna eſt generatio, quæ ante conditum mundum immenſo ſpatio latuit quidem in Deo (ut ita loquar,) longis annorum ſucceſſionibus obſcure Patribus ſub Lege adumbrata, tandem plenius in carne exhibita fuit. Miror quid Latinos moverit ut τὸν λόγον transferrent Verbum. ſic enim vertendum potius fuiſſet τὸ ῥῆμα. Verum ut demus aliquid probabile ſequutos eſſe, negari tamen non poteſt quin Sermo longe melius conveniat. Unde apparet quam barbaram tyrannidem exercuerint theologaſtri, qui Eraſmum adeo turbulente vexa-

runt ob mutatam in melius vocem unam. *Et ſermo erat apud Deum.* Jam diximus ita ſupra mundum & creaturas omnes locari, & omnibus ſeculis priorem ſtatui Dei Filium. Verum ſimul hæc loquutio diſtinctam illi à Patre hypoſtaſin attribuit: abſurde enim diceret Euangeliſta, ſemper cum Deo vel apud Deum fuiſſe, niſi propria quædam illi ſubſiſtentia in Deo foret. Ergo ad refellendum Sabellii errorem valet hic locus, quia oſtendit Filium à Patre differre. Jam admonui, ſobrie in tantis arcanis ſapiendum eſſe, & modeſte loquendum. Excuſatione tamen digni ſunt veteres Eccleſiæ ſcriptores, qui quum aliter rectam & ſinceram doctrinam adverſus flexiloquas hæreticorum ambages non poſſent aſſerere, voces quaſdam excogitare coacti ſunt, quæ tamen non aliud ſonarent quam quod alioqui in Scripturis traditur. Tres hypoſtaſeis vel perſonas in una & ſimplici Dei eſſentia ſubeſſe dixerunt. Nomen Hypoſtaſeos primo ad Hebræos capite in eo ſenſu habetur, cui Subſtantiæ nomen reſpondet, ut ſumitur apud Hilarium. Τὰ πρόσωπα vel perſonas vocarunt diſcretas in Deo proprietates, quæ ſe mentibus noſtris conſpiciendas offerunt: quemadmodum dicit Gregorius Nazianzenus ſe non poſſe unum cogitare quin mox tria circumaffulgeant. *Et ſermo erat Deus.* Nequis de Divina Chriſti eſſentia ſcrupulus maneat, clare aſſerit eſſe Deum. Jam quum unicus ſit Deus, Chriſtum ejuſdem eſſe cum Patre eſſentiæ, & tamen in aliquo differre ſequitur. Sed de hoc ſecundo membro jam dictum eſt. Quod ad eſſentiæ unitatem ſpectat, nimia fuit Arrii improbitas, qui ne æternam Chriſti Divinitatem fateri cogeretur, fictitium neſcio quem Deum eſſe garriebat. Nos autem quum audimus Sermonem fuiſſe Deum, quid eſt quod de æterna illius eſſentia amplius moveamus controverſiam?

Chriſti à Patre diſtincta hypoſtaſis.
Sabellius.
Cur inventa diſtinctio ὑποστάσεως καὶ προσώπου.
Chriſtus ὁμοούσιος Patri.
Si Sermo Deus, ergo æternus.

2. *Hic erat in principio.*] Ut prædicta mentibus noſtris altius infigat Euangeliſta, duo illa ſuperiora membra in brevem epilogum colligit, quod fuerit ſemper, & quidem apud Deum, ut principium intelligas omni tempore ſuperius.

3. *Omnia per ipſum.*] Ubi Sermonem eſſe Deum aſſeruit, & æternam ejus eſſentiam prædicavit, nunc ab operibus Divinitatem ejus probat. Atque hæc practica eſt notitia, ad quam nos præcipue aſſuefieri convenit. frigebit enim apud nos nudum Dei nomen Chriſto attributum, niſi talem reipſa fides noſtra eum ſentiat. Apte autem prædicat de Filio Dei quod in ejus perſonam proprie competit. Interdum quidem ſimpliciter dicit Paulus, omnia per Deum eſſe, Rom. 11:36. ſed quoties comparatur Filius cum Patre, hac nota diſtingui ſolet. Quare hic mos loquendi uſitatus eſt, Patrem omnia feciſſe per Filium, & à Deo per eundem Filium omnia eſſe. Huc autem ſpectat Euangeliſtæ conſilium (ſicut dixi) quod ſtatim ab ipſa mundi creatione Sermo Dei in externum actum prodierit. Nam quum in ſua eſſentia prius eſſet incomprehenſibilis, tunc ejus vis effectu palam fuit cognita. Quidam etiam ex Philoſophis Deum ita conſtituunt mundi architectum, ut mentem illi in condendo hoc opificio adjungant. Id quidem recte, quia congruenter cum Scriptura: ſed quia mox in frivolis cogitationibus evaneſcunt, non eſt cur eorum teſtimonia cupide appetamus. quin potius cæleſti hoc oraculo contenti, plus multo dici ſciamus quam mens noſtra concipiat. *Et ſine ipſo factum eſt nihil quod* &c. Tametſi varie hic locus legitur, ego tamen citra controverſiam, uno contextu ita lego, Factum eſt nihil quod factum eſt. Atque in eo conſentiunt omnes fere Græci codices, ſaltem magis probatæ auctoritatis: deinde ſenſus omnino ita poſtulat. Qui particulam iſtam, Quod factum eſt, disjungunt à ſuperiori oratione, ut ad ſequentem ſententiam annectant, coactum ſenſum adducunt. Quod factum eſt, in ipſo erat vita, hoc eſt, vivebat, aut in vita ſuſtinebatur. Sed hunc loquendi modum nuſquam creaturis attribui oſtendent. Auguſtinus more ſuo nimium Platonicus ad ideas rapitur, quod Deus, antequam mundum conderet, formam totius opificii in mente ſua conceptam habuerit: atque ita vita eorum quæ nondum extabant, in Chriſto fuerit, quia in eo ordinata erat mundi creatio. Sed quam iſtud ſit à mente Euangeliſtæ longe remotum, mox videbimus. Nunc ad prius membrum redeo. Non eſt vitioſa hæc περισσολογία, ut in ſpeciem videtur: quia enim nihil non molitur Satan ut Chriſto aliquid detrahat, nominatim teſtari voluit Euangeliſta, eorum quæ facta ſunt nihil penitus excipi.

Verbi Dei, id eſt, Chriſti divinitas probatur ab operibus ipſius perſonæ propriis.
Philoſophorum de mente opinio.
Vita non dicitur eſſe in creaturis.

4. *In ipſo vita erat.*] Hactenus docuit, per Sermonem Dei creata fuiſſe omnia: nunc eorum quæ creata fuerant conſervationem ſimiliter illi attribuit: acſi diceret, non ſubitam modo ejus virtutem, quæ mox tranſierit, apparuiſſe in mundi creatione: ſed in eo eſſe conſpicuam quod ſtabilis & fixus naturæ ordo durat: quemadmodum ad Hebræos cap. 1: 3. dicitur ſuſtinere omnia verbo aut nutu potentiæ ſuæ. Cæterum vita hæc vel ad inanimata extendi poteſt (quæ ſuo modo vivunt, etiamſi ſenſu careant) vel de ſolis animantibus exponi. Parum refert utrum eligas: ſimplex enim ſenſus eſt, Sermonem Dei non modo fontem vitæ fuiſſe creaturis omnibus, ut eſſe inciperent quæ nondum erant; ſed vivifica ejus virtute fieri ut in ſtatu ſuo maneant. Niſi enim continua ejus inſpiratio mundum vegetet, neceſſe erit quæcunque vigent protinus decidere, aut in nihilum redigi. Denique quod Paulus Actor. 17:28. Deo aſcribit, nos ſcilicet in ipſo eſſe & moveri & vivere, Joannes Sermonis beneficio fieri teſtatur. Deus ergo eſt qui nos vivificat, ſed per æternum Sermonem. *Vita erat lux hominum.* Alias interpretationes quæ à mente Euangeliſtæ diſſident, conſulto prætereo. Hic, meo judicio, partem vitæ commemorat qua homines reliquis animantibus præcellunt: acſi diceret non vulgarem hominibus datam fuiſſe vitam, ſed quæ cum luce intelligentiæ conjuncta eſſet. Hominem porro ex aliorum numero ſegregat: quia melius Dei virtutem ſenſu in nobis percipimus, quam procul ipſam intuemur. Sic Paulus admonet in Actis, Deum non eſſe procul quærendum, quia ſe intus in nobis patefaciat. Poſtquam ergo generalem gratiæ Chriſti conſiderationem Euangeliſta propoſuit, ut homines propius ad eam reputandam adducat, oſtendit quid ipſis peculiariter datum fuerit: quod ſcilicet creati non fuerint pecudibus ſimiles, ſed mente præditi gradum altiorem obtinuerint. Porro quia Deus non fruſtra lucem ſuam in illorum mentibus accendit, ſequitur in hunc finem eſſe conditos ut ipſum tam ſingularis boni auctorem agnoſcant. Et quando lucem hanc, cujus Sermo ſcaturigo erat, inde ad nos transfudit, inſtar ſpeculi eſſe debet in quo divinam Sermonis vim clare cernamus.

Sermone Dei omnia conſervantur.
Cur peculiariter facta hominum mentio.
Act. 14 verſ. 17.

5. *Et lux in tenebris lucet.*] Objici poterat, homines tam multis Scripturæ locis vocari cæcos, & cæcitatem cujus damnantur, plus ſatis notam eſſe: miſere enim in tota ſua ratione evaneſcunt. unde enim tot errorum labyrinthi in mundo, niſi quod homines proprio ſenſu nonniſi ad vanitatem & mendacium feruntur? Quod ſi nulla in hominibus lux apparet, extinctum eſt illud Divinitatis Chriſti teſtimonium, cujus proxime Euangeliſta meminit. Ille enim tertius erat gradus (ut dixi) in vita hominum quiddam longe eſſe præſtantius quam ſit motus & ſpiratio. Hanc quæſtionem anticipat Euangeliſta: & primum quidem admonet, lucem qua initio donati fuerant homines, non eſſe ex præſenti eorum ſtatu æſtimandam, quia in hac vitiata & degenere natura lux in tenebras verſa fuerit: interea tamen negat prorſus extinctam eſſe intelligentiæ lucem: quia in obſcura humanæ mentis caligine adhuc quædam fulgoris ſcin-

Lux in hominibus extincta.

ſcintillæ emicant. Nunc intelligunt lectores duo eſſe hujus ſeotentiæ membra. nam multum diſtare nunc homines dicit ab integra illa natura qua initio præditi fuerant: mentem enim eorum quæ lucida omni ex parte eſſe debebat, tenebris immerſam miſere cæcutire. itaque gloriam Chriſti iu hac naturæ corruptione eſſe quaſi obtenebratam. Sed rurſus contendit Euangeliſta in mediis tenebris adhuc quaſdam extare locis reliquias, quæ divinam Chriſti virtutem aliquatenus oſteodant. Ergo fatetur Euangeliſta mentem hominis excæcatam eſſe: ut merito cenſeatur tenebris oppreſſa. Poterat enim mitiore verbo uti, ac dicere obſcuram vel caliginoſam eſſe lucem: ſed clarius exprimere voluit quam miſera ſit poſt primi hominis lapſum noſtra conditio. Quod vero lucem in tenebris lucere affirmat, id ad naturæ corruptæ laudem minime pertinet, ſed potius ad tollendum ignoraotiæ prætextum. *Et tenebræ eam non comprehenderunt.* Quamvis exigua hac luce quæ nobis reſidua eſt, ſemper ad ſe invitaverit homines Filius Dei, dicit tamen Euangeliſta nullo profectu hoc eſſe factum, quia videndo non viderint. Ex quo enim alienatus fuit homo à Deo, ſic ignorantia mentem ejus oppreſſam tenet, ut quicquid lucis io ea reſtat, ſine effectu jaceat ſuffocatum. Et hoc quotidie experientia probat. quicunque enim Spiritu Dei non ſunt regeoiti, quum ratione aliqua polleant, certo documento ſunt, hominem non tantum ut ſpiret eſſe conditum, ſed ut intelligat. Cæterum ab eo rationis ſuæ ductu ad Deum non perveniunt, ac ne accedunt quidem: ut tota eorum intelligentia nihil tandem ſit quam vera vanitas. Unde ſequitur, de hominum ſalute actum eſſe, niſi novo auxilio Deus ſuccurrat: quia quum lumen io eos ſuum effundat Dei Filius, ſunt tamen eouſque hebetes ut unde ſit lumen iſtud non comprehendant, ſed deliriis & pravis imaginationibus abrepti, prorſus deſipiunt. Duæ ſunt præcipuæ luminis partes quod adhuc in corrupta natura reſidet. nam omnibus ingenitum eſt aliquod religionis ſemen: deiode inſculptum eſt eorum conſcientiis booi & mali diſcrimeo. Sed qui tandem inde fructus emergunt, niſi quod religio in mille ſuperſtitionum porteota degenerat: conſcientia autem judicium omne pervertit, ut vitium cum virtute confundat? In ſumma, nunquam naturalis ratio homines ad Chriſtum diriget. Jam quod prudentia ad regendam vitam inſtructi ſunt, quod ad præclaras artes ac diſciplinas nati: id quoque totum ſine fructu evaneſcit. Porro tenendum eſt, Euangeliſtam de naturalibus tantum donis loqui, regeoerationis gratiam nondum attingere. Duæ enim ſuot diſtinctæ Filii Dei virtutes: prior, quæ in mundi architectura & naturæ ordinæ apparet: altera vero, qua naturam collapſam renovat & inſtaurat. Ut eſt æterous Dei Sermo, per eum cooditus fuit mundus, ejus virtute acceptam ſemel vitam omnia retinent, homo in primis ſingulari intelligentiæ dono ornatus fuit: & quamvis ſua defectione amiſerit intelligentiæ lucem, videt tamen adhuc & intelligit: ut non ſit penitus abolitum quod naturaliter ex Filii Dei gratia habet. Sed quoniam lucem quæ in eo adhuc reſidet, ſtupore ſuo & pravitate ohtenebrat, ſupereſt ut novum officium ſuſcipiat Dei Filius, hoc eſt, Mediatoris, qui hominem perditum regenerationis Spiritu reformet. Ergo præpoſtere philoſophantur & intempeſtive qui lucem hanc, cujus meminit Euangeliſta, ad Euangelium referunt & ſalutis doctrinam.

Quomodo cæcitas hominum non comprehendat lucem.

De regeneratiois gratia nondum loquitur Euangeliſta.

6. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen Joannes.
7. Hic venit in teſtimonium, ut teſtificaretur de lumine: ut omnes crederent per eum.
8. Non erat ille lux, ſed ut teſtificaretur de luce.
9. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum.
10. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit.
11. In ſua venit, & ſui eum non receperunt.
12. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem ut filii Dei fiant: iis ſcilicet qui credunt in nomen ejus.
13. Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.

6. *Fuit homo.*] Nunc diſſerere incipit Euangeliſta quomodo Sermo Dei in carne manifeſtatus fuerit: ac nequis addubitet Chriſtum eſſe æternum Dei filium, Joannis Baptiſtæ præconio celebratum fuiſſe recitat. Neque enim ſe tantum hominibus viſendum Chriſtus exhibuit: ſed voluit etiam teſtimonio Joannis ac doctrina innoteſcere. Imo Deus Pater teſtem hunc Chriſto ſuo præmiſit, quo facilius oblatam ab illo ſalutem omnes reciperent. Poſſet tamen abſurdum prima facie videri, Chriſto aliunde dari teſtimonium, quaſi ipſe indigeat. Atqui pronunciat ſe ab homine teſtimonium non quærere. Reſponſio facilis & nota eſt, teſtem hunc noſtra non Chriſti cauſa fuiſſe ordinatum. Siquis objiciat oimis infirmum eſſe teſtimonium homiois, ut Chriſtus probetur eſſe filius Dei: hic quoque in promptu eſt ſolutio, non citari Baptiſtam quaſi privatum teſtem, ſed qui divina auctoritate præditus, Angeli magis quam hominis perſonam ſuſtineat. Ideo non ſuarum virtutum elogiis ornatur, ſed hoc uno, quod Dei legatus fuerit. Nec obſtat quod Euangelii prædicatio Chriſto commiſſa fuit, ut ſibi ipſe teſtis eſſet. In hunc enim finem ſpectabat Joannis præconium, ut ad Chriſti doctrinam & miracula attenderent. *Miſſus à Deo.* Vocationem Joannis non confirmat, ſed obiter tantum ejus meminit. Hoc ad certitudinem non ſatis eſt, quum multi ſponte currentes, divinitus ſe miſſos jactent: ſed Euangeliſta paulo poſt de hoc teſte plura verba facturus, ſatis habuit uno verbo præfari, non veniſſe niſi Dei mandato. Poſtea videbimus quomodo Deum miniſterii ſui auctorem aſſerat. Nunc tenendum eſt (quod prius attigi) quod de Joanne prædicatur, in omnibus Eccleſiæ doctoribus requiri, ut à Deo vocati ſint: ne alibi quam in ſolo Deo fundata ſit docendi auctoritas. Nomen exprimit non tantum hominis deſignandi cauſa, ſed quoniam ex re ipſa illi impoſitum fuit. neque enim dubium eſt quin Dominus ad munus reſpexerit cui Joannem deſtinabat, quum ita vocari per Angelum juſſit, ut inde omnes agnoſcerent eum divinæ gratiæ præconem. Tametſi enim paſſive יוחנן accipi poteſt, atque ita ad perſonam referri, quod Deo gratus Joannes fuerit: ego tamen libenter ad fructum quem ex eo alii percipere debebant, extendo.

7. *Hic venit in teſtimonium.*] Finem vocationis breviter perſtringit: nempe ut Chriſto Eccleſiam pararet, quemadmodum ad Chriſtum omnes invitans, ſatis oſtendit non ſua cauſa ſe veniſſe. Adeo autem commendatione opus non habebat Joannes, ut Euangeliſta moneat ipſum non fuiſſe lucem, ne immodicus ejus ſplendor Chriſti gloriam obſcuret. Sic enim quidam illi fixi hærebant ut Chriſtum negligerent. quemadmodum ſi quis auroræ aſpectu attonitus, ad ſolem oculos vertere non dignetur. Porro quo ſenſu accipiat nomen lucis Euangeliſta, mox videbimus. Suot quidem pii omnes lux in Domino, *Epheſ. 5. verſ. 8.*

 quia

quia ejus Spiritu illuminati, non ſibi taotum vident, ſed alios etiam ſuo exemplo dirigunt in viam ſalutis. *Matth. 5. verſ. 14.* Apoſtoli etiam peculiariter lux vocantur, quia Euangelii facem præferunt quæ mundi tenebras diſcutiat. Sed hie differit Euangeliſta de unico & æterno illuminationis fonte, quemadmodum ſtatim clarius oſtendit.

9. *Erat lux vera.*] Vera lux non oppooitur falſæ: ſed Cbriſtum ab aliis omnibus diſcernere voluit Euangeliſta, ne quis hoc illi putaret eſſe cum Angelis vel hominibus commune quod lux dicitur. Hoc porro diſcrimen eſt, quod quicquid lucidum eſt in cælo & in terra, aliunde mutuatur ſplendorem ſuum: Chriſtus autem lux eſt ex ſeipſa & per ſe refulgens, deinde irradians totum orbem ſuo fulgore: ut noo alia ſit uſquam origo vel cauſa ſplendoris. Veram ergo lucem dixit cui natura proprium eſt lucere. *Quæ illuminat omnem hominem.* Præcipue in boc ioſiſtit Euaogeliſta ut Chriſtum lucem eſſe doceat, ab effectu quem in ſe quiſque noſtrum ſentit. Poterat ſubtilius diſputare, quod Cbriſtus, utpote lux æterna, fulgorem ſibi ingenitum habeat, non aliunde accitum: ſed nos potius ad experieotiam quam habemus omoes revocat. Nam quum nos omoes ſplendoris ſui participes faciat Cbriſtus, fatendum eſt boc honoris proprie io ipſum ſolum competere ut lux vocetur. Cæterum biſariam locus bic exponi ſolet. Quidam enim ootam univerſalem ad eos reſtringunt qui Spiritu Dei regeniti, lucis viviſicæ fiuot compotes. Auguſtinus ſimilitudinem adducit ludimagiſtri, qui ſi unus io urbe ſcholam habeat, dicetur omnium magiſter, etiamſi multi ad ſcholam non accedant. Ergo hoc comparative dictum accipiunt, omnes illumioari à Chriſto, quia nemo jactare queat ſe aliter quam ejus gratia vitæ lucem adeptum eſſe. Sed quum omnes generaliter ponat Euangeliſta qui io hunc mundum veniuot, mihi alter ſenſus magis arridet, quod in totum genus humanum diffuſi ſint ab hae luce radii: ſicuti etiam prius dictum eſt. Seimus eoim boc homines præ aliis animantibus ſingulare habere, quod ratione & intelligentia præditi ſunt, quod diſcrimen recti & injuſti in ſua cooſcientia inſculptum geruot. Nemo itaque eſt ad quem non perveniat aliquis æternæ lucis ſenſus. Sed quia fanatici homines locum huoc temere arreptum longius torquent, ut ſcilicet inde colligant omnibus peræque offerri illuminationis gratiam: meminerimus bic tantum agi de communi naturæ luce, quæ longe infra fidem ſubſidit. neque enim cum toto mentis ſuæ acumine ac perſpicacia quiſquam hominum in regnum Dei penetrabit: ſolus eſt Spiritus Chriſti qui januam cælorum electis aperit. Deinde meminerimus, rationis lucem quam Deus hominibus indiderat, ſic obſcuratam fuiſſe per peecatum, ut vix in denſis tenebris, adeoque in borrenda ignorantia & errorum abyſſo exiguæ ſcintillæ emicent, quæ etiam protinus ſuffocaotur.

10. *In mundo erat.*] Homioes ingratitudinis accuſat, quod ita quaſi ſponte cæcutierint, ut cauſa lucis qua fruebantur, illis incognita fuerit. Hoc autem ad omoes mundi ætates patet: quia antequam manifeſtatus ſit io carne Chriſtus, ſuam ubique virtutem proferebat. Ergo quotidiani illi effectus corrigere debebant hominum torporem. Quid eoim magis abſurdum quam haurire ex rivo fluente aquam, & meote non concipere fontem unde rivus ipſe ſcaturiat? Igitur quod mundus Chriſtum non cognovit aotequam manifeſtaretur in caroe, oulla reperietur juſtæ ignoraotiæ excuſatio: hoc enim eorum ignavia & maligno quodam ſtupore accidit qui eum ſemper virtute præſeotem habebaot. Summa eſt, ounquam talem fuiſſe Cbriſti abſentiam à muodo, quin homines ejus radiis expergefacti, in ipſum attollere oculos debuerint. Uode ſequitur culpam illis imputandam eſſe.

11. *In ſua venit.*] Hic vero prorſus deplorata hominum pravitas & malitia, hic pluſquam ſcelerata impietas apparet, quod quum Filius Dei ſe in carne conſpicuum exhibuit, & quidem Judæis (quos ſibi Deus ab aliis geotibus velut in peculium ſegregaverat) non tameo agnitus nec receptus fuit. Hunc etiam locum varie exponunt. Aliqui eoim promiſcue de toto mundo Euangeliſtam putaot loqui. & certe nulla eſt pars mundi quam noo ſibi jure veodicet Dei Filius. Senſus ergo eſt ſecuodum illos, quum Cbriſtus in mundum deſceodit, oon in alienos fioes ingreſſum eſſe, quia totum genus bumaoum propria erat ejus hæreditas. Sed rectius ſentiunt, meo judicio, qui referunt ad ſolos Judæos: ſubeſt enim tacita comparatio, qua magis exaggerat Euaogeliſta bominum iogratitudioem. Filius Dei ſibi io una gente domicilium elegerat: quum illic apparuit, rejectus eſt. Hinc ergo clare perſpicitur quam malitioſa ſit hominum cæcitas. Hoc autem omnino dicendum fuit, ut ſcandalum tolleret Euangeliſta quod multis tunc objicere poterat Judæorum incredulitas. Quum eoim ſpretus ac repudiatus eſſet ab ea gente cui nominatim promiſſus fuerat, quis illum putaſſet totius muodi redemptorem? ideo videmus quantopere in hac parte laboret Paulus. Cæterum tam in verbo quam in nomine ſubeſt emphaſis. Ubi prius erat Filius Dei, illuc eum Euangeliſta dicit veniſſe. Significat ergo oovum & extraordinarium præſentiæ modum, quo ſe Filius Dei manifeſtavit, ut illum homines propiore iotuitu conſpicereot. Quum dicit *in ſua*, Judæos aliis gentibus comparat: quia ſingulari privilegio in Dei familiam cooptati erant. Chriſtus ergo ſe illis primo obtulit tanquam domeſticis, & qui peculiari jure ad ejus imperium pertinebaot. Eodem ſpectat illa Dei querimonia apud Jeſaiam, Bos cognoſcit *Jeſa. 1: 3.*
poſſeſſorem ſuum, aſinus præſepe domini ſui: Iſraël autem me oon cognovit. Quamvis enim totius orbis habeat imperium, ſe tamen peculiarem Iſraëlis dominum facit, quem velut in ſacrum ovile collegerat.

12. *Quotquot autem.*] Ne quos moretur hoc obſtaculum quod Chriſtum Judæi contempſeriot ac reſpueriot, pios qui io ipſum credunt, ſupra cælum attollit Euangeliſta. dicit enim fide hanc gloriam cooſequi ut filii Dei ceoſeantur. Et in particula univerſali *quotquot*, ſubeſt antitheſis: cæca enim gloriatione Judæi efferebantur, acſi ſoli Deum haberent ſibi obſtrictum. Pronunciat ergo Euangeliſta mutatam eſſe ſortem, quia abdicatis Judæis Gentes in vacuum locum ſuccedaot. perinde eſt enim acſi jus adoptionis ad extraneos transferret. Hoc eſt quod dicit Paulus, ioteritum populi unius, vitam *Rom. 11.*
totius mundi fuiſſe: quia Euangelium veluti ab illis *verſ. 12.*
expulſum, longe lateque per totum orbem diſſipari cœpit, ita privilegio quo excellebant, ſpoliati ſunt. Chriſto autem nihil obfuit eorum impietas: quia & alibi erexit regni ſui ſedem, & promiſcue ad ſpem ſalutis vocavit omnes populos, qui prius videbantur à Deo rejecti eſſe. *Dedit eis poteſtatem.* Nomen ἐξουσίας mihi dignitatem hoc loco ſignificat: & præſtaret ita vertere, ad refellendum Papiſtarum commentum. Huoc enim locum peſſime corrumpuot: quia intelligunt optionem tantum nobis dari, ſi quidem beneficio boc uti libuerit. Ita liberum arbitrium ex bac voce, tanquam ignem ex aqua, eliciunt. Habet boc prima ſpecie aliquid coloris, quod Euangeliſta non dicat Chriſtum facere Dei filios, ſed dare poteſtatem ut fiant. Hinc ergo colliguot oobis gratiam hanc ſolum offerri, io arbitrio noſtro eſſe ejus fruendæ vel reſpuendæ facultatem. Sed hoc frivolum unius vocis aucupium coorextus evertit. nam continuo poſt ſubjicit Euangeliſta,

fieri

fieri Dei filios non propria carnis voluntate, ſed quum ex Deo naſcuntur. Quod ſi fides nos regenerat ut ſimus filii Dei, & eam cælitus inſpirat Deus: aperte conſtat non potentialiter tantum à Chriſto nobis offerri adoptionis gratiam, ſed ipſo actu, ut loquuntur. Et ſane Græcis ἐξουσία ἀντὶ ἀξιώσεως interdum capitur: qui ſenſus huic loco optime quadrat. Periphraſis autem qua uſus eſt Euangeliſta, plus ad commendandam gratiæ excellentiam valet quam ſi uno verbo dixiſſet, omnes qui in Chriſtum credunt, fieri ab ipſo Dei filios. Nam de immundis & profanis hic loquitur, qui perpetua ignominia damnati, in mortis tenebris jacebant. In eo itaque admirabile gratiæ ſuæ ſpecimen exhibuit Chriſtus, quod tales hoc honore dignatus eſt ut ſubito filii Dei eſſe inciperent. ac hujus beneficii magnitudinem merito extollit Euangeliſta, quemadmodum & Paulus ad Epheſios 2: 4. Quod ſicui magis placeat communis nominis ſignificatio, non tamen poteſtas hic ab Euangeliſta ſtatuitur media quædam facultas quæ plenum & ſolidum effectum tollat: ſed potius intelligit datum fuiſſe immundis & incircumciſis à Chriſto quod impoſſibile videbatur. Incredibilis enim rerum converſio tunc facta eſt, quum Chriſtus ex lapidibus excitavit Deo filios. Eſt igitur poteſtas ἱκανότης, cujus meminit Paulus ad Coloſſ. 1: 12. ubi gratias agit Deo qui idoneos reddidit nos ad participandam ſanctorum ſortem. *Qui credunt in nomen.* Chriſti recipiendi modum breviter notat, quum ſcilicet in eum creditur. Fide ergo inſiti in Chriſtum, jus adoptionis conſequimur ut ſimus filii Dei. Et certe quum ille unicus ſit Dei filius, minime ad nos pertinet hic honor niſi quatenus ejus ſumus membra. Rurſus hinc illud commentum refellitur de potentia. Poteſtatem hanc dari Euangeliſta pronunciat iis qui jam credunt. atqui certum eſt reipſa jam eſſe Dei filios. Fidei ergo nimis derogant qui tantum hoc credendo conſequi hominem dicunt ut filius Dei fiat, ſi velit: quia præſentis effectus loco, ſuſpenſam potentiam ſtatuunt. Craſſior adhuc repugnantia apparet in eo quod ſtatim ſequitur. Dicit Euangeliſta, jam ex Deo eſſe natos qui credunt. Non ergo facultas tantum eligendi offertur, quum jam idipſum de quo agitur obtineant. Etſi autem Hebræis Nomen pro virtute

Nomen Chriſti pro Chriſto.

ſæpe accipitur, hic tamen relatio eſt ad Euangelii doctrinam. tunc enim demum in Chriſtum credimus quum nobis prædicatus eſt. Loquor de ordinaria ratione, qua nos Dominus ad fidem adducit. Idque diligenter notandum eſt: quia ſibi multi confuſam ſine ulla doctrinæ intelligentia fidem ſtulte

Fides implicita.

fabricant. Quemadmodum apud Papiſtas credendi verbo nihil magis tritum, ubi tamen nulla eſt ex Euangelii auditu Chriſti notitia. Ergo Chriſtus per Euangelium ſe nobis offert, nos autem fide eum recipimus.

13. *Qui non ex ſang.*] Quod oblique hic pravam Judæorum confidentiam perſtringi quidam putant, libenter amplector. Habebant illi ſemper in ore generis ſui dignitatem, quaſi ex ſancta progenie orti, naturaliter ſancti eſſent. Et merito gloriati fuiſſent Abrahæ genere, ſi legitimi filii ac non degeneres fuiſſent: at fidei gloriatio nihil prorſus carnali genituræ arrogat, ſed uni Dei gratiæ fert acceptum quicquid eſt boni. Dicit ergo Joannes, qui ex gentibus ante immundis Chriſto credunt, non ex utero naſci Dei filios, ſed à Deo refingi, ut eſſe incipiant. Sanguines videtur poſuiſſe in numero plurali, quo longam generis ſucceſſionem melius exprimeret. Nam hæc pars erat jactantiæ apud Judæos, continua ſerie poſſe originem ſuam referre uſque ad Patriarchas. *Carnis voluntas & viri* idem mihi ſignificat. Cur enim caro pro muliere ſumatur (quemadmodum multi cum Auguſtino volunt) ego non video. Potius rem unam diverſis verbis repetens Euangeliſta, eam melius inculcat, & altius mentibus infigit. Tametſi autem Judæos, qui in carne ſuperbiebant, proprie reſpicit: ex hoc tamen loco generalis doctrina colligi poteſt, quod filii Dei cenſemur, non eſſe hoc naturæ noſtræ proprium, neque ex nobis proficiſci: ſed quia Dominus voluntarie nos, hoc eſt, gratuito amore genuit. Hinc primo ſequitur, fidem ex nobis non provenire, ſed ſpiritualis regenerationis eſſe fructum. Negat enim Euangeliſta poſſe quenquam credere, niſi qui ex Deo genitus eſt. cæleſte ergo donum eſt fides. Deinde fidem non frigidam eſſe nudamque notitiam, quum nullus credere poſſit niſi Dei Spiritu reformatus. Videtur tamen Euangeliſta præpoſtere regenerationem fide facere priorem, quum potius effectus ſit fidei, ideoque poſterior. Reſpondeo utrumque optime convenire: quia & fide concipimus incorruptibile ſemen, quo in novam & divinam vitam renaſcimur; & tamen jam fides ipſa opus eſt Spiritus ſancti, qui nonniſi in filiis Dei habitat. Ergo ſecundum diverſos reſpectus fides regenerationis noſtræ pars eſt, & in regnum Dei ingreſſus, ut nos in filiis ſuis numeret. Quod enim Spiritus mentes noſtras illuſtrat, id jam ad renovationem noſtri pertinet. Hoc modo ex regeneratione, tanquam ex fonte, manat fides. Sed quoniam eadem fide Chriſtum recipimus, qui Spiritu nos ſuo ſanctificat, ideo dicitur adoptionis noſtræ eſſe principium. Quanquam altera diſtinctio afferri poteſt clarior & magis expedita. Nam quum Dominus fidem inſpirat, occulte nos & arcano quodam & incognito nobis modo regignit. Fide autem donati, vivo conſcientiæ ſenſu non adoptionis modo gratiam, ſed vitæ quoque novitatem & alia Spiritus ſancti dona apprehendimus. Nam quum fides (ut dictum eſt) Chriſtum recipiat, nos in omnium ejus bonorum poſſeſſionem quodammodo inducit. Ita quantum ad ſenſum noſtrum ſpectat, nonniſi poſt fidem Dei filii eſſe incipimus. Quod ſi adoptionis fructus eſt vitæ æternæ hæreditas, videmus ut Euangeliſta uni Chriſti gratiæ totam ſalutem noſtram adſcribat. Et ſane, ut ſe penitus excutiant homines, Dei filiis nihil dignum reperient, niſi quod ipſis Chriſtus contulerit.

14. Et Sermo caro factus eſt, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam tanquam Unigeniti à Patre: plenus gratiæ & veritatis.

14. *Et Sermo caro factus.*] Jam docet qualis ille fuerit Chriſti adventus, de quo meminerat: nempe quod carne noſtra indutus, ſe palam mundo oſtendit. Etſi autem ineffabile arcanum, quod Dei Filius humanam naturam induerit, breviter attingit Euangeliſta, mire tamen perſpicua eſt hæc brevitas. Ludunt hic quidam & ineptiunt frivolis argutiis deliri homines, Sermonem dici carnem eſſe factum, quia Deus Filium ſuum, ut mente conceperat, hominem in mundum miſerit. quaſi Sermo ille, umbratilis neſcio quæ fuerit idea. Atqui oſtendimus veram in eſſentia Dei hypoſtaſin exprimi hac voce. *Carnis* etiam nomen plus ad exprimendam ejus mentem energiæ habet quam ſi dixiſſet hominem eſſe factum. Oſtendere voluit ad quam vilem & abjectam conditionem Dei Filius noſtra cauſa ex cæleſtis ſuæ gloriæ celſitudine deſcenderit. Scriptura quum de homine contemptim loquitur, carnem appellat. Quum autem tanta ſit diſtantia inter ſpiritualem Sermonis Dei gloriam & putidas carnis noſtræ ſordes, eouſque tamen ſe Filius Dei ſubmiſit ut carnem iſtam tot miſeriis obnoxiam ſuſciperet. Cæte-

rum

Digitized by Google

rum caro minime hic pro corrupta natura accipitur (ut ſæpe apud Paulum) ſed pro homine mortali: tametſi fragilem & prope evanidam ejus naturam
Pſal. 78. verſ. 39. per contemptum notat. Pſal. 78. Recordatus eſt quia caro ſunt. Jeſaiæ 40. Omnis caro fœnum. &
Jeſa. 40. verſ. 6. ſimilibus locis. Simul tamen obſervandum eſt ſynecdochicam eſſe loquutionem: quia pars inferiot totum hominem comprehendit. Stulte ergo Apollinaris, qui Chriſtum fingebat corpore tantum humano veſtitum abſque anima. nam ex innumeris teſtimoniis colligere promptum eſt, non minus anima quam corpore prædìtum fuiſſe. Et Scriptura quum homines *Carnem* vocat, non ideo exanimes ipſos facit. Clara igitur ſententia eſt, quod Sermo ante ſecula ex Deo genitus, & qui ſemper apud Patrem reſidebat, homo fuerit factus. In hoc fidei capite duo præcipue tenenda ſunt: ſic in unam perſonam coaluiſſe duas in Chriſto naturas, ut unus atque idem Chriſtus verus ſit Deus & homo. Alterum vero, non obſtare perſonæ unitatem quin diſtinctæ naturæ maneant, ita ut divinitas quicquid ſibi proprium eſt retineat, humanitas etiam ſeorſum habeat quod in eam competit. Itaque Satan, quum variis deliriis per hæreticos conatus ſit ſanam doctrinam ſubvertere, ſemper tamen ex duobus his erroribus altetutrum invexit: vel Chriſtum ita confuſe filium Dei eſſe & hominis, ut neque ſua illi divinitas integra maneret, neque vera hominis natura eſſet circumdatus: vel ita carne eſſe veſtitum, ut quaſi duplex eſſet, duaſque haberet diviſas perſonas. Sic olim Neſtorius diſerte confitebatur utramque naturam: ſed Chriſtum unum fabricat Deum, & alterum, hominem. Eutyches autem contra, quum Chtiſtum unum agnoſceret Dei & hominis filium, neutram ex duabus naturis illi relinquebat, ſed fingebat eſſe ſimul permiſtas. Et Servetus hodie cum Anabaptiſtis talem fingit Chriſtum qui confuſe ſit conflatus ex duplici natura, quaſi homo divinus. Verbo quidem pronunciat eſſe Deum: ſed ſi veſana ejus commenta recipias, divinitas ad tempus in naturam humanam converſa fuit: & nunc rurſus natura hominis à divinitate abſorpta eſt. His ambobus ſacrilegiis refellendis appoſite loquitur Euangeliſta. Quum Sermonem dicit carnem eſſe factum, clare hinc perſonæ unitas colligitur. neque enim convenit alium nunc eſſe hominem quam qui vetus ſemper fuit Deus: quum dicatur Deus ille factus eſſe homo. Rurſum quum diſtincte Chriſto homini Sermonis nomen tribuat, ſequitur, Chriſtum, quum homo factus eſt, non deſiiſſe tamen eſſe quod prius erat, & nihil in æterna illa Dei eſſentia quæ carnem induit, eſſe mutatum. Denique ſic Filius Dei homo eſſe cœpit, ut tamen adhuc ſit ille æternus Sermo qui nullum habet temporis initium. *Et habitavit.* Qui exponunt carnem fuiſſe Chriſto velut domicilium, non aſſequuntur Euangeliſtæ mentem. neque enim perpetuam manſionem hic Chriſto in nobis aſſignat: ſed dicit ad tempus (inſtar hoſpitis) verſatum eſſe. Verbum enim quo utitur, ἐσκήνωσεν, à tabernaculis deductum eſt. Nihil ergo ſignificat aliud quam Chriſtum in terris defunctum eſſe munere ſibi injuncto: vel non tantum momento uno apparuiſſe, ſed verſatum eſſe inter homines donec officii ſui curſum abſolveret. *In nobis.* Cæterum dubium eſt loquaturne in genere de hominibus, an de ſe tantum & reliquis diſcipulis, qui teſtes oculati fuerunt ejus quod dicit. Ego hoc ſecundum magis probo: ſtatim enim ſubjicit, *Et conſpeximus gloriam ejus.* Tametſi enim ab omnibus conſpici potuit Chriſti gloria, tamen maximæ parti propter cæcitatem incognita fuit: pauci tantum, quibus oculos Spiritus ſanctus aperuit, hanc gloriæ manifeſtationem viderunt. Summa eſt, Chriſtum ita cognitum fuiſſe hominem, ut aliquid longe majus & excellentius in ſe conſpiciendum præbuerit. Unde ſequitur, Dei majeſtatem non fuiſſe exinanitam, quamvis carne circumdata eſſet. latuit quidem ſub carnis humilitate, ſed ita tamen ut fulgorem ſuum emitteret. *Tanquam*, non eſt improprietatis nota hoc loco, ſed potius veram & ſolidam approbationem deſignat. Sicuti quum Paulus dicit, Tanquam filii lucis ambu- Eph. 5:8.
late, vult nos vere operibus teſtari hoc ipſum quod ſimus filii lucis. Intelligit ergo Euangeliſta conſpectam fuiſſe in Chriſto gloriam quæ Filio Dei congrueret, certumque eſſet Divinitatis teſtimonium. *Unigenitum* vocat, quia unicus eſt natura filius: acſi eum ſupra homines & Angelos locaret, ac illi uni aſſereret quod in creaturam nullam competit. *Plenus gratiæ.* Proximæ ſententiæ confirmatio eſt. Aliis quidem in rebus apparuit Chriſti majeſtas: ſed hoc præ aliis ſpecimen elegit Euangeliſta, ut nos in practica magis quam ſpeculativa ejus notitia exerceat. quod diligenter notandum eſt. Certe quum Chriſtus ſicco pede ſuper aquas incederet, quum fugaret dæmones, & aliis miraculis exereret ſuam potentiam, unigenitus Dei filius cognoſci potuit: ſed partem approbationis Euangeliſta in medium adducit, ex qua ſuavem fructum percipit fides: quia ſcilicet inexhauſtum gratiæ & veritatis fontem Chriſtus reipſa ſe eſſe teſtatus ſit. Dicitur etiam Stepha- Act. 7. verſ. 55.
nus fuiſſe plenus gratia: ſed alio ſenſu. Plenitudo enim gratiæ in Chriſto, fons ille eſt unde nos omnes haurire oportet: ſicuti fuſius paulo poſt dicendum erit. Poſſet hoc per hypallagen exponi pro veraci gratia: vel exegetice hoc modo, Plenum fuiſſe gratia, quæ eſt veritas aut perfectio. Sed quia iterum ſtatim repetet eandem loquendi formam, utroque loco eundem eſſe ſenſum arbitror. Gratiam hanc & veritatem poſtea Legi opponet. ergo ſimpliciter interpretor, Chriſtum Apoſtolis inde agnitum fuiſſe pro filio Dei, quod complementum omnium quæ ad ſpirituale Dei regnum pertinent, in ſe haberet: denique quod in omnibus vere ſe præſtiterit Redemptorem & Meſſiam: quæ maxime inſignis eſt nota qua diſcerni ab aliis omnibus debuit.

15. Joannes teſtificatur de ipſo, & clamavit, dicens, Hic eſt de quo dicebam, Qui poſt me veniens mihi præpoſitus fuit, quia excellentior me erat.
16. Et ex plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.
17. Quia Lex per Moſen data eſt: gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.
18. Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.

15. *Joannes teſtificatur.*] Nunc recitat quale fuerit Joannis præconium. Verbo præſentis temporis continuum actum deſignat. Et certe perpetuo vigere debet hæc doctrina, acſi vox Joannis perpetuo auribus hominum inſonaret. Sic *Clamandi* verbum deinde ponit, ut Joannis doctrinam minime obſcuram vel ambagibus implicitam fuiſſe ſignificet: nec illum ſuſurraſſe inter paucos homines, ſed palam alta voce prædicaſſe Chriſtum. Prima ſententia huc ſpectat, Chriſti cauſa fuiſſe miſſum: itaque abſurdum eſſe ut ipſe emineat jacente Chriſto. *Hic eſt*, inquit, *de quo dicebam.* quibus verbis intelligit ſibi hoc ab initio fuiſſe propoſitum ut Chriſtus innoteſceret, atque hunc ſuarum concionum fuiſſe finem: ſicuti non aliter legationis ſuæ munus exequi potuit quam ad Chriſtum diſcipulos ſuos vocando. *Qui poſt me venit.* Tametſi aliquot menſibus major natu erat quam Chriſtus, hic tamen de ætate non agit: ſed quia Prophetæ officium exercuerat aliquo temporis ſpatio priuſquam in medium Chriſtus prodiret, ideo ſe tempore facit priorem. Ergo publicæ manifeſtationis reſpectu Chriſtus

Joan-

Joannem ſequutus eſt. Quæ ſequuntur, ad verbum ſic habent, Ante me factus eſt, quia prior me erat. Senſus autem eſt, Chriſtum jure prælatum fuiſſe Joanni, quia excelleotior eſſet. Cedit igitur Chriſto, & lampadem (ut proverbio dicitur) illi reſignat. Sed quia poſterior tempore exortus eſt, boc non obſtare admonet quominus præferendus ſit pro dignitatis ſuæ metito. Sic omnes qui vel donis Dei vel honoris gradu excellunt, manere in ſuo gradu decet, ut infra Chriſtum ſubſidant.

16. *Et ex plenitudine.*] Nunc de Chriſti officio concionari incipit, quod bonorum omnium affluentiam io ſe contineat, ita ut non aliunde ulla pars ſalutis petenda ſit. Apud Deum quidem eſt fons vitæ, juſtitiæ, virtutis, ſapientiæ: ſed fons nobis occultus & inacceſſus: ſed horum omnium copia nobis in Chriſto expoſita fuit, ut inde petere liceat. Ultro enim ad nos fluere paratus eſt, ſi modo tranſitum illi fide demus. Pronunciat in ſumma, extra Chriſtum nihil protſus quærendum eſſe boni. Quanquam hæc ſententia pluribus membris conſtat. primo enim oſtendit omnes nos ſpiritualium bonorum inopes prorſus ac vacuos eſſe. In hoc enim abundat Chriſtus ut defectui noſtro ſuccurrat, ut egeſtatem ſublevet, ut jejunos ac famelicos ſatiet. Secundo admonet, ſimulatque à Chriſto diſceſſimus, fruſtra nos vel guttam unam boni quærere: quia in ipſo ſolo Deus quicquid eſt bonorum reſidere voluit. Ergo Angelos & homines aridos, inane cælum, ſtetilem terram, omnia denique nihili reperiemus, ſi aliter quam per Chriſtum velimus fieri donotum Dei participes. Tertio admooet minime timendum eſſe ne quicquam nohis deſit, ſi modo hauriamus ex Chriſti plenitudine: qoæ ſic numeris omnihus perfecta eſt, ut ſeoſuri ſimus vere inexhauſtum eſſe fontem. Et Joannes unum ſe ex reliquis facit, non modeſtiæ cauſa, ſed ut clarius pateat neminem prorſus excipi. Dubium tamen eſt generaliterne de toto genere humano loquatur, an tantum eos intelligat qui poſt Chriſtum in carne exhibitum plenius facti ſunt bonorum ejus compotes. Certum quidem eſt, pios omnes, qui ſub Lege vixerunt, ex eadem plenitudine hauſiſſe: ſed quia Joannes mox temporum diſcrimen ſubjicit, magis probabile eſt hic proprie ab ipſo commendari uberem iſtam bonorum copiam quam Chriſtus adventu ſuo protulit. Scimus enim parcius ſub Lege guſtata fuiſſe Dei beneficia: Chriſto autem in caroe exhibito, quaſi plena manu effuſa fuiſſe ad ſatietatem. Non quod uberiore quiſquam noſtrum Spiritus gratia ahundet quam Abraham: ſed de ordinaria Dei diſpenſatione, & de modo ac ratione diſpenſandi loquor. Ergo Joannes, ut diſcipulos ſuos melius ad Chriſtum invitet, pronunciat omnibus in eo propoſitam eſſe bonorum quihus deſtituuntur copiam. Quanquam ſi longius extendere placeat, nihil in eo etiam erit abſurdi: imo cootextus non male hoc modo fluet, Omnes ab initio mundi Patres à Cbriſto hauſiſſe quicquid habuerint dooorum: quia tametſi Lex per Moſen data eſſet, non tamen inde gratiam obtioueriot. Ego tamen quid mibi placeret, ptius oſteodi: nempe quod hic cum Patribus nos Joannes conferat, ut hac comparatione quod oobis datum eſt amplificet. *Et gratiam pro gratia.* Quomodo locum hunc exponat Auguſtinus, ſatis notum eſt, Quicquid ſcilicet bonorum identidem nohis à Deo ſuggeritur, & tandem vitam æternam, non meritis noſtris rependi, quaſi debitam mercedem: ſed hoc meræ eſſe liberalitatis quod priores gratias ita remunerat Deus, & dona in nobis ſua coronat. Pie quidem id & ſcite dictum, ſed ad præſentem locum minus apte. Simplicior eſſet ſenſus ſi comparative acciperes particulam ἀντὶ: acſi diceret, Quaſcunque in nos gratias cumulat Deus, peræque ex hoc fonte manare. Poſſet etiam accipi quaſi nota finalis cauſæ, Nos gratiam nunc accipere, ut aliquando Deus opus ſalutis noſtræ compleat: quod erit gratiæ complementum. Ego tamen eorum ſententiæ potius ſubſcribo qui nos irrigari dicunt effuſis in Chriſtum gratiis. Quod enim à Chriſto accipimus, non modo tanquam Deus nobis largitur, ſed Pater in eum contulit, quod tanquam per canalem ad nos manaret. Hæc eſt unctio qua delibutus fuit, ut nos ſecum omnes ungeret. unde & ille Chriſtus vocatur: nos, Chriſtiani.

17. *Quia Lex per Moſen.*] Eſt prolepſis, in qua prævenit contrariam exceptiooem. Tanti enim erat apud Judæos Moſes, ut ægre quicquam ab eo diverſum admitterent. Docet ergo Euangeliſta quanto inferius fuetit Moſis miniſterium Chriſti poteſtate. Simul comparatio hæc Chriſti virtutem non parum illuſtrat. nam quum Moſi nihil non deferrent Judæi, admonet Euangeliſta perquam exiguum eſſe quod ille attulit, ſi cum Chriſti gratia conferatur. Erat enim alioqui magnum obſtaculum, quod ſe ex Lege habere putabant quæ nonniſi per Chriſtum conſequimur. Cæterum notanda eſt antitheſis, quum Legem opponit gratiæ & veritati: nam uttumque horum Legi defuiſſe ſignificat. *Veritas* autem, meu judicio, pro firma & ſolida rerum ſtabilitate capitur. per nomen *Gratiæ*, ſpirituale eorum complementum intelligo quorum nuda litera in Lege continebatur. Ac poſſunt duæ iſtæ voces per hypallagen eodem referri: acſi dixiſſet, gratiam, qua conſtat Legis veritas, io Chriſto demum exhibitam fuiſſe. Verum quia idem manebit ſenſus, conoectasne an diſtinguas parum intereſt. Hoc quidem certum eſt, Euangeliſtam velle in Lege adumbratam duntaxat fuiſſe ſpiritualium bonorum imaginem, in Chriſto vero ſolide præſtari: unde ſequitur, ſi Legem à Cbriſto ſepares, nihil illic reſtare prætet inanes figuras. Qua ratione dicit Paulus ad *Col. 2:17.* Coloſſ. illic eſſe umbras, in Chriſto corpus. Neque tamen imaginandum eſt quicquam fallaciter in Lege fuiſſe oſtenſum: Chriſtus eoim anima eſt quæ vivificat quod alioqui eſſet in Lege mortuum. Sed hic aliud agitur, quid ſcilicet Lex per ſe & abſque Chriſto valeat. oegat autem Euangeliſta quicquam in ea ſolidum inveniri, donec ad Chriſtum ventum fuerit. Porro veritas hæc in eo conſiſtit quod per Chriſtum obtinemus gratiam, quam Lex minime potuit conferre. Itaque Gratiæ nomen generaliter accipio, tam pro gratuita peccatorum remiſſione quam pro renovatione cordis. nam quum hic diſcrimen veteris & oovi Teſtamenti brevitet notet Euangeliſta (quod ſuſius deſcribitur à Jet.) quic- *Jer. 31.*
quid ad ſpiritualem juſtitiam ſpectat, hoc verbo *verſ. 32.*
complectitur. Ejus autem duæ ſunt partes, quod gratis ſe nobis Deus reconciliat, peccata noo imputando: & quod Legem ſuam cordibus inſculpit, ac intus per Spiritum ſuum in illius obedientiam homines reformat. unde apparet Legem perperam ac falſo exponi, ſi quos in ſe retineat, vel impediat quominus ad Chriſtum accedant.

18. *Deum nemo vidit unquam.*] Aptiſſime hoc ad proximæ ſententiæ confirmationem additum. Cognitio enim Dei, janua eſt qua in bonorum omnium fruitionem ingredimur. Ergo quum ſe Deus nobis per ſolum Chriſtum patefaciat, hinc etiam conſequitut, omnia à Cbriſto petenda eſſe. Hæc doctrinæ ſeries diligenter notanda eſt. Nihil magis tritum videtut, quam pro fidei ſuæ modo percipere unumquemque noſtrum quæ Deus nobis offert: ſed pauci ſunt qui cogitent vas fidei & notitiæ Dei afferendum eſſe, quo hauriamus. Quod Deum à nemine viſum eſſe dicit, non tantum de externo corporei oculi aſpectu intelligendum: nam generaliter ſignificat, quum Deus lucem babitet inacceſſam, non poſſe niſi in Chriſto, viva ſua imagine, cognoſci. Porro hunc locum ita vulgo expoouot, Quum

nuda

nuda Dei majeſtas in ſe ſit abſcondita, nunquam potuiſſe comprehendi, niſi quatenus ſe in Chriſto manifeſtavit. Deum ergo nonniſi in Chriſto Patribus olim fuiſſe cognitum. Ego vero potius hic Euangeliſtam in comparatione jam adducta inſiſtere ſentio, quanto ſcilicet noſtra quam Patrum conditio ſit potior: quia Deus, qui prius in arcana ſua gloria latebat, ſe nunc quodammodo viſibilem fecerit. Nam
Heb. 1: 3. certe quum vocatur Chriſtus expreſſa Dei imago, id ad peculiare novi Teſtamenti beneficium pertinet. Sic etiam hoc loco Euangeliſta novum & inſolitum quiddam deſignat, quum Unigenitum, qui erat in ſinu Patris, nobis expoſuiſſe dicit quod alioqui occultum erat. Dei ergo manifeſtationem quæ per Euangelium nobis allata eſt, commendat: in qua nos à Patribus diſcernit, facitque illis superio-
2 *Cor.* 3. & 4. res. Quemadmodum & Paulus fuſius tractat. nullum enim, ut ſub Lege, amplius velum eſſe prædicat: ſed Deum palam in Chriſti facie conſpici. Sicut abſurdum videtur Patres Dei notitia privari, ex quibus Prophetæ nobis hodie etiam facem præferunt: reſpondeo, non ſimpliciter aut præciſe illis negari quod nobis tribuitur, ſed minoris & majoris (ut loquuntur) fieri comparationem: quia illi parvas tantum vivæ lucis ſcintillas habebant, cujus plenus hodie fulgor nos illuſtrat. Siquis excipiat, Deum tunc
Gen. 32. *verſ.* 30. quoque facie ad faciem eſſe viſum: dico aſpectum illum minime cum noſtro conferri: ſed prout tunc ſolebat Deus obſcure & quaſi procul ſe oſtendere, quibus clarius apparuerat, ii ſe facie ad faciem vidiſſe dicunt. Itaque temporis ſui reſpectum habent: interim Deum non videbant niſi multis involucris obtectum. Singularis fuit viſio illa & reliquis fere omnibus excellentior, quam in monte Moſes impetravit, & tamen nominatim Deus pronunciat, Faciem *Exod* 33.
meam videre non poteris, tantum videbis tergum *verſ.* 23.
meum. Qua metaphora plenæ & liquidæ revelationis tempus nondum veniſſe ſignificat. Eſt etiam notandum, Patres, quum Deum aſpicere vellent, ſemper oculos ad Chriſtum vertiſſe. Non tantum hoc intelligo quod Deum in æterno ſuo Sermone intuiti ſint, ſed quod ad promiſſam Chriſti manifeſtationem tota mente totoque cordis affectu intenti erant. Qua ratione dicet Chriſtus ipſe cap. octavo, Abraham vidit diem meum. Porro quod ſubalternatur non pugnat. Manet ergo illud fixum, Deum, qui prius erat inviſibilis, nunc in Chriſto apparuiſſe. Quum dicit *Filium in ſinu Patris fuiſſe*, ſumpta eſt ab hominibus translatio, qui in ſinum ſuum admittere dicuntur quibuſcum arcana omnia communicant. Sedes conſilii pectus eſt: ergo Filium ab intimis ſecretis Patri fuiſſe docet: ut ſciamus in Euangelio nos habere quaſi apertum Dei pectus.

19. Et hoc eſt teſtimonium Joannis, quando miſerunt Judæi Hieroſolyma Sacerdotes & Levitas, ut interrogarent eum, Tu quis es?

20. Et confeſſus eſt, & non negavit: confeſſus eſt, *inquam*, Non ſum ego Chriſtus.

21. Tunc interrogarunt eum, Quid ergo? Elias es tu? Et dixit, Non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit, Non.

22. Dixerunt ergo illi, Quis es? ut reſponſum demus iis qui miſerunt nos: quid dicis de teipſo?

23. Ego, inquit, vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, quemadmodum dixit Jeſaias Propheta.

19. *Et hoc eſt teſtimonium.*] Hactenus Joannis concionem de Chriſto habitam retulit Euangeliſta: nunc deſcendit ad teſtimonium magis celebre, quod Sacerdotum legatis redditum fuit ut Hieroſolymam perferrent. Dicit ergo Joannem aperte profeſſum eſſe quorſum à Deo miſſus eſſet. Quæritur primum quo conſilio ipſum interrogaverint Sacerdotes. Vulgo exiſtimant Chriſti odio falſum honorem Joanni eos detuliſſe. atqui tunc nondum illis innotuerat Chriſtus. Dicunt alii placuiſſe magis Joannem, quod ex genere ac ordine Sacerdotali eſſet. Sed ne hoc quidem eſt probabile. nam quum fauſta omnia ſibi à Chriſto promitterent, cur ſponte finxiſſent ſibi falſum Chriſtum? Proinde alia ratione inductos fuiſſe arbitror. Diu jam caruerant Prophetis: Joannes repente & ex inſperato prodierat. erecti expectatione erant omnium animi. Adde quod propinquum Meſſiæ adventum omnes animis conceperant. Ne in officio ſuo torpere videantur Sacerdotes ſi rem tanti momenti negligant aut diſſimulent, quærunt ex Joanne quiſnam ſit. Ergo initio nihil aſtute egerunt: quin potius redemptionis deſiderio impulſi ſcire cupiunt an Joannes ſit Chriſtus: quia uſitatum in Eccleſia ordinem mutare incipit. Neque tamen nego quin ſimul retinendi ſui juris ambitio apud eos valuerit: ſed tamen nihil minus habebant in animo quam Chriſti honorem ad alium transferre. Nec quicquam agunt à perſona quam ſuſtinent alienum. nam quum gubernacula tenerent Eccleſiæ Dei, curare eos decebat nequis ſe temere ingereret, nequis emergeret novæ ſectæ auctor, ne fidei unitas in populo ſcinderetur, nequis novos & extraneos ritus in medium proferret. Apparet ergo vulgatam fuiſſe de Joanne famam quæ omnium mentes excitaverit. Hoc autem admirabili Dei providentia gubernatum fuit, quo illuſtrius eſſet hoc teſtimonium.

20. *Et confeſſus eſt.*] Hoc eſt, plane & ſine ambagibus vel ulla ſimulatione confeſſus eſt. Confitendi verbum priore loco in genere capitur, quod rem ut erat expoſuerit. Secundo repetitur ad exprimendam confeſſionis formam. Diſerte ergo reſpondit ſe non eſſe Chriſtum.

21. *Elias es tu?*] Cur Eliam potius quam Moſen nominant? Quia ex prophetia Malachiæ hunc exo- *Mal.* 4: 5.
rientis Meſſiæ quaſi luciferum fore tenebant. Hoc tamen ex opinione falſo præſumpta quærunt. nam quum hominis animam putarent ex uno corpore ad aliud migrare, dum Malachias Propheta Eliam mittendum denunciat, Eliam illum qui ſub Achab vixit, imaginabantur venturum eſſe. Quare merito & vere reſpondet Joannes ſe non eſſe Eliam: loquitur enim ex eorum ſenſu. Chriſtus autem ex genuina *Marc.* 9.
Prophetæ interpretatione Eliam ipſum eſſe affir- *verſ.* 13.
mat. *Propheta es tu?* Perperam Eraſmus ad Chriſtum reſtringit. Nam quod articulus additur, nullam emphaſin habet hoc loco: & poſtea ſatis declarant legati ſe alium à Chriſto Prophetam intellexiſſe. ita enim ſubſumunt, Si neque Chriſtus es, neque Elias, neque Propheta. diverſas itaque perſonas videmus notari. Alii ſciſcitatos putant an eſſet aliquis unus ex veteribus Prophetis: ſed neque hæc expoſitio mihi probatur. Potius hoc nomine Joannis officium deſignant, an conſtitutus ſit à Deo Propheta. Dum hoc negat, non modeſtiæ cauſa mentitur, ſed ſincere & ex animo ſe à numero Prophetarum ſegregat. Nec tamen pugnat hoc reſponſum cum Chriſti elogio. Joannem Chriſtus ornat ti- *Mat.* 11.
tulo Prophetæ: imo addit ipſum eſſe plus quam Prophetam. Sed illis verbis nihil aliud quam fidem & auctoritatem ejus doctrinæ vendicat: & ſimul muneris illi injuncti præſtantiam extollit. Joannes autem hoc loco aliud ſpectat: nempe quod nullum proprium mandatum habeat, ut ordinarius

mos

mos Prophetarum fuit: ſed tantum præco ſit Chriſto deſtinatus. Similitudine hoc clarius patehit. Quicunque etiam de rebus non magois mittuntur legati; nomen & jus legatorum obtinent, ſiquidem propria habent mandata. Tales fuerunt omnes Prophetæ, qui certis vaticiniis inſtructi, Propheticum munus exercuerunt. Si qua res maximi ponderis agatur, ac duo mittantur legati, quorum alter mox adfuturum nunciet qui de tota rei ſumma tranſigat, hic poſterior conficiendi negotii mandatum habeat: annon prior legatio pars & appendix bujus præcipuæ cenſebitur? Hæc in Joanne ratio valuit, cui nihil aliud injunxerat Deus niſi ut Chriſto diſcipulos pararet. Atque hic ſenſus ex circumſtantia loci contextuque facile elicitur. Nam oppoſitum membrum, quod mox ſequitur, expendere convenit. *Ego*, inquit, *non ſum Propheta, ſed vox in deſerto clamans.* Quare hinc pendet diſcrimen, quod vox clamans ut paretur via Domino, non ſit Propheta ſeparatam & ſibi propriam functionem habens, ſed ſubalternus tantum miniſter (ut ita loquar); & ejus doctrina, quædam duntaxat audiendi alterius magiſtri præparatio. Hoc modo Joannes, quamvis Prophetis omnibus excellentior, non tamen eſt Propheta.

23. *Vox clamantis in deſerto.*] Quia docendi partes ſibi temere ſumpſiſſet niſi miniſterio præditus, oſtendit quænam ſit ſua functio, eamque Jeſaiæ teſti- *Jeſa 40. verſ. 3.*
monio comprobat. unde ſequitur; eum nihil niſi divinitus juſſum agere. Jeſaias quidem non de uno Joanne illic loquitur: ſed Eccleſiæ inſtaurationem promittens, futurum prædicit ut adhuc audiantur lætæ voces, viam jubentes ſternere Domino. Tametſi autem Dei adventum notat, quum à Babylonico exilio populum reduceret: verum tamen complementum fuit Chriſti in carne manifeſtatio. Ergo in præconibus qui Dominum appropinquare nunciarunt, principatum habuit Joannes. Porro argute philoſophari in vocis nomine (quod nonnulli faciunt) frivolum eſt. *Vox* dicitur Joannes, quia impoſita illi ſit clamandi provincia. Allegorice quidem Jeſaias deſertum vocat miſeram Eccleſiæ vaſtitatem, quæ populo reditum negare videbatur: acſi diceret, tranſitum quidem obſtructum eſſe captivo populo, ſed Dominum viam reperturum per invia. Sed deſertum illud viſibile in quo Joannes concionabatur, ſymbolum vel imago erat vaſtæ ſolitudinis quæ ſpem liberationis tollebat. Si hanc ſimilitudinem reputes, facile videbis non torqueri Prophetæ verba. Nam ita Deus omnia compoſuit, ut populo ſuis miſeriis attonito ante oculos poneret hujus vaticinii ſpeculum.

24. Porro qui fuerant miſſi, erant ex Phariſæis.
25. Itaque interrogaverunt eum, & dixerunt illi, Quid ergo baptizas, ſi tu non es
Chriſtus, neque Elias, neque Propheta?
26. Reſpondit illis Joannes, dicens, Ego baptizo in aqua: medius autem inter vos
ſtat quem vos neſcitis:
27. Ipſe eſt qui poſt me veniens, mihi prælatus eſt: cujus ego non ſum dignus ſolvere
corrigiam calceamenti.
28. Hæc in Bethabara facta ſunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.

24. *Erant ex Phariſæis.*] Dicit fuiſſe Phariſæos, qui tunc primatum tenebant in Eccleſia: ut ſciamus non fuiſſe contemptibiles aliquos ex grege Levitarum, ſed homines auctoritate præditos. hinc fit ut de Baptiſmo quæſtionem moveant. Vulgares miniſtri qualicunque reſponſo contenti fuiſſent: iſti autem, quia elicere nequeunt quod cuperent, temeritatis inſimulant Joannem quod novum ritum inducere audeat.

25. *Quid ergo baptizas.*] Quum hos tres gradus conſtituunt, videntur apte ratiocinari, Si nec Chriſtus es, nec Elias, nec Propheta. neque enim cujuſvis eſt Baptiſmi uſum inſtituere. Penes Meſſiam futura erat omnis poteſtas: de venturo Elia hanc opinionem conceperant, quod ab eo inchoanda eſſet regni & Eccleſiæ inſtauratio. Prophetis etiam Dei concedunt ut provinciam ſibi injunctam obeant. Conſtituunt igitur novitatem eſſe illicitam, quod Joannes baptizat, quum nulla illi publica perſona à Deo impoſita ſit. Sed in eo falluntur quod Eliam il-
Mal. 4. verſ. 5. lum eſſe non agnoſcunt cujus ſit mentio apud Malachiam: tametſi Eliam ſe eſſe neget quem ipſi ſomniabant.

26. *Ego baptizo aqua.*] Hoc ad corrigendum eorum errorem ſatis valere debebat: ſed profectu caret clara alioqui admonitio apud ſurdos. nam quum ad Chriſtum eos mittit, jamque eum adeſſe pronunciat, hinc conſtat, non modo divinitus conſtitutum eſſe ut ſit Chriſti miniſter, ſed eſſe verum Eliam qui ad teſtandam Eccleſiæ renovationem miſſus ſit. Porro non exprimitur hic plena antitheſis: quia diſerte ſpiritualis Chriſti Baptiſmus non opponitur externo Joannis Baptiſmo: ſed facile ſubaudiri poteſt iſtud poſterius membrum de Baptiſmo Spiritus. & paulo poſt Euangeliſta utrumque ponit. Duo autem hujus reſponſionis ſunt capita: quod Joannes nihil præter fas ſibi uſurpet: quia auctorem Baptiſmi ſui Chriſtum habet, in quo conſtat ſigni veritas. deinde quod nihil habeat præter externi ſigni adminiſtrationem, vis autem & efficacia penes unum Chriſtum tota ſit. Ita Baptiſmum ſuum aſſerit, quatenus ejus veritas aliunde pendet: interim vero ſibi adimendo Spiritus virtutem, Chriſti dignitatem extollit, ut in eum ſolum reſpiciant homines. Hoc optimum eſt temperamentum, ubi miniſter quicquid auctoritatis ſibi vendicat, ita mutuatur à Chriſto ut etiam ad eum referat, illi ſoli omnia tribuens. Cæterum nimis levi hallucinatione factum eſt quod Joannis Baptiſmum à noſtro diverſum eſſe putarunt. neque enim hic Joannes de Baptiſmi ſui utilitate & uſu diſputat, ſed tantum cum Chriſti perſona ſuam confert. Quemadmodum hodie ſi quæratur quæ ſint noſtræ & Chriſti partes in Baptiſmo, fateri oportet Chriſtum ſolum præſtare quod Baptiſmus figurat; nos præter nudam ſigni diſpenſationem nihil habere. Duplex eſt in Scriptura de Sacramentis loquendi modus. nam alicubi docet lavacrum eſſe regenerationis, illic ablui peccata, nos inſeri in Chriſti corpus, crucifigi veterem noſtrum hominem, nos in vitæ novitatem reſurgere. Ac tunc quidem Chriſti virtutem hominis miniſterio conjungit: ut certe nihil aliud eſt miniſter quam Chriſti manus. Quare ejuſmodi loquutiones non quid per ſe conferat homo, ſed quid per hominem & ſignum, tanquam ſua organa efficiat Chriſtus, oſtendunt. Verum quia proclivis eſt in ſuperſtitionem lapſus, deinde homines pro ingenita ſibi ſuperbia ereptum Deo honorem ad ſe rapiunt, ideo Scriptura, ut ſacrilegam hanc inſolentiam compeſcat, miniſtros interdum à Chriſto diſcernit, ut hoc loco: ut ſciamus nihil miniſtros eſſe vel poſſe. *Medius inter vos.* Eorum ſocordiam oblique perſtringit, quod Chriſtum ignorent, ad quem maxime animos advertere debebant. ac ſemper hoc ſedulo inculcat, nihil de ſuo miniſterio poſſe cognoſci donec ad auctorem ipſum ventum fuerit. Dicit Chriſtum inter eos medium ſtare, ut ad eum cognoſcendum ſtudia excitet. Summa autem huc redit, ut ſe dejiciat

Digitized by Google

quantum fieri poteſt, ne qua in parte honor illi perperam delatus Chriſti præſtantiam obſcuret. Probabile autem eſt has illi ſententias frequentes fuiſſe in ore, quum videret ſe immodice perverſis hominum judiciis extolli.

27. *Qui poſt me veniens.*] Duo hic dicit, Chriſtum à ſe tempore quidem ſecundum, ſed gradu dignitatis longe priorem eſſe: quia Pater illum omnibus prætulerit. Tertium paulo poſt addet, Chriſtum ideo aliis omnibus præpoſitum eſſe quia jure alios omnes antecellit.

28. *Hæc in Bethabara.*] Loci notatio non tantum ad fidem hiſtoriæ ſpectat, ſed etiam ut ſciamus in celebri hominum conventu datum fuiſſe hoc reſponſum. Multi enim ad Joannis Baptiſmum confluebant: hic autem ordinarius illi ad baprizandum locus erat. Et putant fuiſſe Jordanis trajectum: unde & nomen deducunt: nam interpretantur Domum tranſitus. Niſi forte eorum opinio magis placeat, qui ad memorabilem populi tranſitum hoc referunt, quum Deus per medias aquas viam ſub Joſua patefecit. *Joſue 3. verſ. 13.* Alii legendum potius judicant Betharaba. Bethaniæ nomen inſcite hic à quibuſdam poſitum fuit: nam poſtea videbimus quam vicina Hieroſolymæ fuerit Bethania. Bethabaræ autem ſitus, quem topographi deſcribunt, optime cum Euangeliſtæ verbis convenit. quanquam de vocis pronunciatione non contendo.

29. Poſtridie videt Joannes Jeſum venientem ad ſe, & dicit, Ecce Agnus Dei qui tollit peccatum mundi.

30. Hic eſt de quo dixi, Poſt me venit vir, qui mihi præpoſitus eſt: quia excellentior me erat.

31. Et ego non noveram eum: ſed ut manifeſtaretur Iſraëli, propterea ego veni aqua baptizans.

32. Et teſtificatus eſt Joannes, dicens, Ego conſpexi Spiritum deſcendentem inſtar columbæ è cælo, & manſit ſuper eum.

33. Et ego non noveram eum: ſed qui me miſit ad baptizandum aqua, ille mihi dixit, Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto.

34. Ego itaque vidi, & teſtificatus ſum quod hic eſt Filius Dei.

29. *Poſtridie.*] Non dubium eſt quin jam prius de Meſſiæ exhibitione verba feciſſet Joannes: ſed quum exortus eſt Chriſtus, voluit brevi tempore ionoteſcere illius præconium. & jam inſtabat tempus quo Chriſtus finem illius miniſterio adferret: quemadmodum Sole exorto aurora ſubito evaneſcit. Ergo quum Sacerdotibus legatis teſtatus eſſet adeſſe jam & verſari in medio populi à quo Baptiſmi veritas & virtus petenda eſſet, poſtridie eum palam oſtendit. Hæc enim duo continua temporis ſerie conjuncta, plus ad movendos animos valent. Hæc eadem ratio eſt cur Chriſtus ſe in ejus conſpectum offerat. *Ecce Agnus Dei.* Præcipuum Chriſti officium breviter quidem, ſed dilucide exponit, quod ſcilicet peccata mundi mortis ſuæ ſacrificio tollens, homines Deo reconciliet. Alia quidem beneficia nobis confert Chriſtus: ſed hoc ſummum, & ex quo reliqua dependent, quod iram Dei placando, facit ut juſti & puri cenſeamur. Ex hoc enim fonte profluuot omnes bonorum rivi, quod Deus peccata non imputando in gratiam nos recipit. Ideo Joannes ut nos ad Chriſtum adducat, à gratuita, quam per ipſum conſequimur, peccatorum veoia exordium facit. Porro in voce *Agni* ad vetera Legis ſacrificia alludit. Erat illi cum Judæis negotium, qui ſacrificiis aſſueti, aliter de peccatorum expiatione doceri oon poterant quam propoſito in medium ſacrificio. Quum autem variæ fueriot ſpecies, una hic per ſynecdochen ponitur. & probabile eſt Joannem ad agnum Paſchalem reſpexiſſe. Io ſumma notandum eſt, Joannem hac loquutione uſum eſſe, quæ ad docendos Judæos aptior erat, & plus habebat energiæ. quemadmodum nos hodie propter Baptiſmi uſum melius apprehendimus quid valeat peccatorum remiſſio ſanguine Chriſti parta, quum audimus nos illo ablui & purgari ſordibus noſtris. Interea quum ſuperſtitioſe de ſacrificiis vulgo Judæi ſentirent, vitium illud obiter corrigit, quorſum ſpectarint illa omnia admonens. Hic peſſimus erat ſacrificandi abuſus, quod in ſymbolis defixam habebant fiduciam. Ergo Joannes Chriſtum proponens, ipſum teſtatur eſſe Agnum Dei: quo ſignificat, quaſcunque ſub Lege victimas Judæi offerre ſoliti erant, minime ad peccata expianda valuiſſe, ſed fuiſſe tantum figuras, quarum exhibita fuerit veritas in Chriſto ipſo. *Peccatum* ſingulari numero pro quavis iniquitate ponit: acſi diceret, quicquid eſt injuſtitiæ quod Deum ab hominibus alienat, per Chriſtum tolli. Et quum dicit *Mundi* peccatum, hanc gratiam ad totum genus humanum promiſcue extendit: ne ſibi ſolis Judæi miſſum Redemptorem putent. ſed hinc colligimus univerſum mundum eodem conſtringi reatu; & quia cuncti ſine exceptione mortales rei ſunt injuſtitiæ coram Deo, reconciliatione opus habere. Ergo Joannes generaliter de mundi peccato loquens, nos propriæ miſeriæ ſenſu afficere, & quærendum remedium hortari voluit. Nunc vero quod omnibus offertur beneficium, amplecti noſtrum eſt: ut ſtatuant ſinguli nihil ſibi obſtare quominus reconciliationem in Chriſto inveniaot, ſi modo duce fide ad ipſum accedant. Porro unicam tollendis peccatis rationem ſtatuit. Scimus, ab inirio mundi, quum omnes convictos teneret própria conſcientia, anxie in promerenda venia laboraſſe. Inde tot expiationum genera, quibus Deum placari falſo putabant. Fateor quidem adulterinos omnes placationum ritus è ſancto principio originem duxiſſe: quia ſcilicet Deus ſacrificia ioſtituerat quæ homines ad Chriſtum dirigerent. Sed tamen proprium ſibi quiſque placandi Dei modum confinxit: Joannes autem nos ad unum Chriſtum revocat, nec aliter quam ejus beneficio Deum nobis eſſe propitium docet: quia ipſe unus tollit peccata. Quare non aliud peccatoribus reliquum facit niſi ut ad Chriſtum confugiant: quo humanas omnes ſatisfactiones, piacula omnia & redemptiones evertit: ut certe nonniſi impia commenta ſunt, diaboli aſtu inventa. *Tollendi* verbum bifariam exponi poteſt: vel quod Chriſtus onus quo eramus oppreſſi, in ſe receperit (quemadmodum dicitur peccata noſtra in ligno portaſſe: & Jeſaias dicit pacis noſtræ correctionem illi fuiſſe impoſitam) vel quod peccata aboleat. *1 Pet. 2. verſ. 24. Jeſ. 53. verſ. 5.* Sed quia hoc poſterius pendet à priore, ideo libenter utrumque recipio, quod ſcilicet Chriſtus peccata noſtra ferendo auferat. Quamvis ergo peccatum in nobis perpetuo hæreat, tamen quo ad Dei judicium, nullum eſt: quia abolitum Chriſti gratia, nobis non imputatur. Nec diſplicet quod Chryſoſtomus annotat, verbo præſentis temporis continuum actum deſignari. nam expiatio, qua ſemel defunctus eſt, ſemper viget. Cæterum non ſimpliciter peccatum à Chriſto tolli docet, ſed modum ſimul deſignat, quod ſcilicet Patrem nobis propitiaverit mortis ſuæ beneficio. hoc enim ſub Agni nomine

mine

mine intelligit. Sciamus ergo tunc nos demum Chriſti gratia reconciliari Deo ſi recta ad ejus mortem oos conferimus, & ſtatuimus illum cruci affixum unicam eſſe victimam expiatricem, qua ſublatus eſt omnis noſter reatus.

30. *Hic eſt de quo dixi.*] Summatim comprebendit omnia, quum Chriſtum affirmat eſſe quem ſibi præferendum docuit. hinc enim ſequitur, Joannem nihil quam præconem eſſe in illius gratiam miſſum: unde rurſus conſtat Chriſtum eſſe Meſſiam. Porro hic tria enumerat. nam quum dicit virum poſt ſe venire, ſignificat ſe tempore fuiſſe prinrem, ut viam
Mal. 3. verſ. 1. Chriſto pararet, juxta Malachiæ teſtimonium, Ecce mitto Angelum meum coram facie mea. Quum dicit ſibi præpoſitum, hoc ad gloriam refertur, qua Deus Filium ſuum ornavit quum prodiit in mundum ad exequendum Redemptoris munus. Ratio tandem ſubjicitur, quia Cbriſtus dignitate Joannem longe ſuperet. Non fuit ergo adventitius honor quem illi detulit Pater, ſed æternæ ejus majeſtati debitus. Cæterum de hac loquutinne ſupra nonnihil attigi, præpoſitum ſcilicet eſſe, quia primus erat.

31. *Et ego non noveram.*] Ne ſuſpectum ſit teſtimonium quaſi amicitiæ vel gratiæ datum, dubitationem prævenit, aliam ſe Chriſti notitiam habere negans quam quæ divinitus obtigit. Summa ergo eſt, Joannem neque ex ſuo ſenſu, neque in hominis gratiam, ſed inſtinctu Spiritus & Dei mandato loqui. *Veni*, inquit, *aqua baptizans*. boc eſt, vocatus ſum & ordinatus ad hoc munus, ut eum patefacerem Iſraëli. Quod poſtea clarius exponit & confirmat Euangeliſta, dum ipſum teſtificantem inducit quod Divino oraculo Cbriſtum cognitum habeat. Pro eo quod hic habetur, Veni ad baptizandum, illic diſerte exprimit ſe miſſum eſſe. ſola enim eſt Dei vocatio quæ legitimos Eccleſiæ miniſtros facit: quia quicunque ſe ultro ingerit, quacunque polleat vel doctrina vel facundia, nihil tamen auctoritatis meretur, quia Deum auctorem non habet. Quum autem Joaonem, ut legitime baptizarer, oportuerit à Deo mitti, bioc collige non eſſe in ullius hominis arbitrio Sacramenta inſtituere: ſed hoc jus unius eſſe Dei proprium. Sicut
Mat. 21. verſ. 25. alibi Cbriſtus, ut Joannis Baptiſmum probet, quærit ſitne è cælo, an ab hominibus.

32. *Vidi Spir. deſcend. inſtar columbæ.*] Impropria eſt vel figurata loquutio. quibus enim oculis Spiritum videre poterat? Sed quia columba certum & minime fallax præſentiæ Spiritus ſymbolum erat, Spiritus metooymice vocatur: non quod vere ſit, ſed quod oſtendat quantum fert bominis captus. Atque hæc translatio trita eſt in Sacramentis cur enim Chriſtus panem appellat corpus ſuum, niſi quia rei nomen apte ad ſignum transfertur, præſertim ubi ſignum, verum & efficax ſimul pignus eſt quo certiores reddamur, rem ipſam quæ ſignatur, nobis præſtari? Non tamen intelligas Spiritum ſub columba incluſum fuiſſe, qui cælum & terram implet, ſed virtute fuiſſe præſentem: ut ſciret Joannes non fruſtra oculis ſuis objici tale ſpectaculum. quemadmodum nos Chriſti corpus ſcimus non alligatum eſſe pani, ſed ejus tamen participatione fruimur. Jam quæritur cur ſub columbæ forma Spiritus tunc apparuerit. Tenenda ſemper eſt ſignorum analogia cum veri-
Actor. 2. verſ. 3. tate. Quum Spiritus Apoſtolis daretur, viſæ ſunt igneæ linguæ & diſſectæ, quod ſpargenda eſſet per omnes linguas Euangelii prædicatio, & igneam virtutem habitura. Sed hoc loco Deus repræſentare palam voluit illam Chriſti maoſuetudinem quam Jeſaias commendat, Lignum fumigans non extin- Jeſa. 42. verſ. 1.
guet, & calamum quaſſatum non confringet. Tunc eoim primum Spiritus ſuper eum deſcendere viſus eſt: non quod prius eo vacuus fuiſſet, ſed quia tunc quaſi ſolenui ritu inauguratus fuit. Scimus enim inſtar hominis privati per triginta annos latuiſſe: quia nondum manifeſtationis tempus advenerat. Quum vero mundo ſe patefacere vellet, à Baptiſmo incepit. Tunc ergo non tam ſibi quam ſuis accepit Spiritum. atque ideo viſibilis fuit deſcenſus ille, ut ſciamus in eo reſidere donorum omnium copiam, quorum inopes & vacui ſumus. Idque ex verbis Baptiſtæ colligere promptum eſt. quod enim dicit, Super quem videris Spiritum deſceodentem, ac manentem ſuper eum, is eſt qui baptizat Spiritu: perinde valet acſi diceret, in bunc finem Spiritum conſpectum eſſe ſub forma viſibili, & requieviſſe ſuper Chriſtum, ut ſua plenitudine omnes ſuos irrigaret. Quid ſit baptizare Spiritu, ſupra breviter attigi: nempe ſuum Baptiſmo effectum dare, ne inanis ſit vel irritus: quod Spiritus ſui virtute præſtat.

33. *Super quem videris.*] Hic naſcitur difficilis quæſtio. nam ſi Joannes Chriſtum non noverat, cur recuſat ad Baptiſmum admittere? Hoc certe ignoto non diceret, Ego abs te potius debeo baptizari. Re- Math. 3. verſ. 14.
ſpondent quidam eatenus fuiſſe cognitum, quod tanquam eximium Prophetam reverebatur, Dei Filium eſſe neſciebat. Atqui frigida eſt hæc ſolutio. debet enim quiſque abſque ullius perſonæ reſpectu vocationi Dei parere. Itaque nulla eſt hominis dignitas vel excellentia quæ nos in officio noſtro impedire debeat. Quare Deo ejuſque Baptiſmo feciſſet injuriam Joannes ſi alteri cujus, præterquam Dei Filin, ſic loquutus eſſet. Ergo neceſſe eſt Chriſtum prius fuiſſe cognitum. Primo norandum eſt, hic de notitia agi quæ ex conſuetudine & mutuo uſu gignitur. Tametſi ergo Chriſtum agnoſcit ex quo videt, non tamen deſinit hoc verum eſſe, non fuiſſe ſibi invicem notos communi hominum more: quia notitiæ initium ex Deo profectum eſt. Nondum tamen prorſus ſoluta videtur quæſtio. dicit enim, Spiritus conſpectum fuiſſe indicationis notam: atqui Spiritum nondum viderat quum illum tanquam Filium Dei alloquitur. Ego eorum ſententiæ libenter ſubſcribo qui ſignum hoc confirmationis cauſa additum putant, neque id tam Joannis reſpectu quam noſtri omnium. Solus quidem Joannes vidit, ſed aliis potius quam ſibi. Bucerus illud Moſis apte citat, Hoc vobis erit ſignum, Exod. 3.
quod itinere tridui confecto, ſacrificabitis mihi in verſ. 12.
monte. Certe quum exirent, jam ſciebant Deum liberationis ducem ac præſidem eſſe: ſed hæc à poſteriori (ut loquuntur) confirmatio fuit. Sic ad priorem revelationem, quæ Joanni data fuerat, boc auctarium acceſſit.

34. *Vidi, & teſtatus ſum.*] Significat nibil ſe dubium proferre: quia Deus probe & penitus illi comperta eſſe voluit quorum futurus erat mundo teſtis. Atque hoc notatu dignum eſt, ipſum eſſe teſtatum quod Cbriſtus eſſet Filius Dei, quia Spiritus ſancti datorem Cbriſtum eſſe oporteat, quia in alium oeminem honor ac munus homines Deo reconciliandi competat.

35. Poſtridie rurſus ſtabat Joannes, & ex diſcipulis ejus duo.
36. Et intuitus Jeſum ambulantem dixit, Ecce Agnus Dei.
37. Audierunt illum duo illi diſcipuli loquentem, & ſequuti ſunt Jeſum.
38. Converſus autem Jeſus, & intuitus illos ſequentes ſe, dicit ipſis, Quid quæritis? Qui dixerunt illi, Rabbi (quod ſi interpreteris, exponitur Magiſter) ubi manes?
39. Dicit illis, Venite & videte. Venerunt & viderunt ubi maneret, & apud eum manſerunt diem illum: hora autem erat fere decima.

36. *Ecce Agnus Dei.*] Hinc clarius patet quod jam prius admonui, Joannem, quum ſentiret ſe ad ſtadii ſui metam appropinquare, aſſidue inſtare ſolitum ut Chriſto lampadem traderet. conſtantia etiam plus fidei teſtimonio conciliat. Sed quod continuis diebus tam ſedulo in repetenda Cbriſti commendatione inſiſtit, eo admonet peractum jam ſibi eſſe curſum. Hic præterea videmus quam teoue & bumile Eccleſiæ principium fuerit. Joaones quidem Cbriſto diſcipulos parabat: ſed Chriſtus nunc demum Eccleſiam colligere incipit. Porro duos tantum habet obſcuros & ignobiles homines: ſed hoc quoque ad illuſtrandam ejus gloriam facit, quod brevi temporis ſpatio, non humanis opibus nec valida manu adjutus, regnum ſuum miro & incredibili modo propagat. Porro notandum eſt quorſum præcipue homines adducat, nempe ut in eo peccatorum remiſſionem inveniant. Sicuti autem Chriſtus ſe conſulto diſcipulis obtulerat ut ad ſe venirent, ita nunc benigne venientes animat & bortatur. neque enim expectat dum ipſi priores verba faciant, ſed rogat, *Quid quæritis?* Hæc tam blanda & comis invitatio, quæ ſemel duobus facta eſt, ad omnes nunc pertinet. Quare timendum non eſt oe ſe nobis ſubducat Chriſtus, vel facilem acceſſum neget, ſi modo nos ad ſe aſpirare viderit. quin potius manu porrecta conatus noſtros juvabit. Et quomodo non occurreret ad ſe venientibus, qui vagos & errantes procul quærit, ut in viam reducat?

38. *Rabbi.*] Nomen boc primariis bominibus & hooore aliquo præditis commune erat: ſed hic Euangeliſta alium temporis ſui uſum notat, quod ſcilicet hoc nomine ſalutabant doctores ac verbi Dei interpretes. Tametſi ergo Chriſtum nondum agnoſcunt unicum Eccleſiæ magiſtrum, commoti tamen Joannis elogio, illum Propbetæ & Doctoris loco habent: qui primus eſt ad docilitatem gradus. *Ubi manes?*] Hoc exemplo docemur, talem ex primis Eccleſiæ rudimentis concipiendum eſſe Cbriſti guſtum qui oos ad proficiendi ſtudium inflammet. deinde non debere nudo & evanido aſpectu eſſe contentos, ſed expetendum eſſe ejus domicilium, ut nos ad ſe hoſpites recipiat. Sunt enim permulti qui Euangelium procul duntaxat olfaciunt, atque ita ſinunt Chriſtum ſubito evaneſcere, & effluere quicquid de ipſo didicerant. Quanquam autem tunc non facti ſunt perpetui ejus diſcipuli, non tamen dubium eſt quin nocte illa plenius eos erudierit, ut paulo poſt ſibi penitus addictos haberet.

39. *Hora autem erat fere.*] Hoc eſt, Inſtabat veſper. quia duæ tantum horæ ad occaſum uſque Solis reſtabant. Diem enim tunc in horas duodecim partiebantur, quæ æſtate longiores, hyeme breviores eraot. Ex hac tamen temporis circumſtantia colligimus, duobus iſtis diſcipulis tantum audiendi Chriſti & propius noſcendi fuiſſe ardorem, ut de nocturno boſpitio ſolliciti non eſſent. Nos vero magna ex parte multum illis ſumus diſſimiles, qui ſine fine procraſtinamus: quia nobis nunquam commodum eſt Chriſtum ſequi.

40. Erat Andreas, frater Simonis Petri, unus ex duobus qui audierant ex Joanne, & ſequuti fuerant ipſum.

41. Invenit hic prior fratrem ſuum Simonem: & dicit illi, Invenimus Meſſiam, quod interpretando dicitur Chriſtus.

42. Adduxit itaque eum ad Jeſum. Intuitus eum Jeſus dixit, Tu es Simon filius Jona, tu vocaberis Cephas, quod eſt, ſi exponas, Petrus.

40. *Erat Andreas.*] Huc ſpectat Euangeliſtæ conſilium uſque ad finem capitis, ut ſciamus quomodo paulatim adducti ſuerint Cbriſto diſcipuli. Hic de Petro narrat, poſtea Philippum & Nathanaëlem adjunget. Quod Andreas ſtatim fratrem adducit, in eo exprimitur fidei natura, quæ lucem intus ſuppreſſam non ſuffocat, ſed potius huc illuc ſpargit. Vix ſcintillam unam habet Andreas, qua tamen irradiat fratrem ſuum. Væ igitur ſocordiæ noſtræ, ſi plenius illuminati non alios ſtudemus ejuſdem gratiæ facere conſortes. Imo io Andrea duo animadver-
Jeſa 42. verſ. 3. tere licet quæ Jeſaias exigit à filiis Dei, nempe ut quiſque manum proximi ſui apprehendat: deinde ut dicat, Venite, aſcendamus in montem Domini, & ipſe nos docebit. Fratri enim manum porrigit Andreas; ſed interea bunc finem babet propoſitum ut ſibi in Chriſti ſchola ſit condiſcipulus. Notandum præterea Dei conſilium eſt, quod Petrum, qui futurus erat longe præſtantior, Andreæ opera & miniſterio ad Chriſti notitiam deduci voluit: nequis noſtrum, quantumvis excellat, doceri à minori recuſet. Graves enim moroſitatis ſuæ, vel potius ſuperbiæ pœnas dabit qui propter hominis contemptum ad Chriſtum venire non dignabitur.

41. *Invenimus Meſſiam.*] Meſſiæ nomen Græce interpretatus eſt Euangeliſta, ut quod arcanum Judæis erat, toti mundo vulgaret. Porro bic ordinarius erat Regum titulus, quemadmodum ſolennis illis erat unctio. Sed oon ignorabant interea, Regem unum divinitus ungendum eſſe, ſub quo ſperanda eſſet perfecta æternaque felicitas: præſertim quum terrenum Davidis regnum minus ſtabile experti forent. Deinde quemadmodum ipſos variis ærumnis ſubactos & gravatos ad Meſſiæ expectationem erexit, ita clarius illis patefecit propinquum ejus adven-
Dan. 9. tum. Nam Danielis vaticinium præ aliis illuſtre eſt quantum ad Chriſti nomen ſpectat. oon enim, ut ſuperiores Prophetæ, Regibus illud tribuit, ſed unius Redemptoris facit proprium. Hinc mos loquendi paſſim obtinuerat, quoties facta erat Meſſiæ aut Chriſti mentio, ne quem alium niſi Redemptorem intelligerent. Sic infra capite quarto dicet Samaritana mulier, Meſſias venturus eſt. Quo magis mirum eſt à tam paucis exceptum fuiſſe qui jam cupide ab omnibus expetebatur, & in ore omnium erat.

42. *Tu es Simon,* &c.] Chriſtus Simoni nomen imponit, non (ut fieri ſolet inter bomines) ex præterito aliquo eventu, vel ex eo quod jam cernitur: ſed quia Petrum facturus ipſum erat. Primum dicit, *Tu es Simon filius Jona.* Mutilum patris nomen ponit: quod ſatis vulgare eſt quum in alienas linguas nomina transferuntur. Nam ex capite ultimo palam conſtabit filium fuiſſe Joanna, vel Joannis. Hoc vero totum perinde valet acſi diceret, longe alium fore quam oonc ſit. Neque enim bonoris cauſa patrem commemorat: ſed quum obſcuro genete natus eſſet, ac nullius inter homines exiſtimationis, boc ſibi non fore obſtaculo pronunciat quominus reddat virum invictæ fortitudinis. Ergo hoc tanquam vaticinium Euangeliſta commemorat, quod Simoni impoſitum fuerit novum cognomen. Vaticinium intelligo, non tantum quia præviderit Chriſtus futuram in Petro fidei conſtantiam, ſed quia prædixerit quid illi daturus eſſet. Ergo gratiam qua illum donare poſtea ſtatuit, jam elogio commendat: ideo non dicit hoc illi in præſentia cognomen eſſe, ſed differt in futurum tempus. *Tu vocaberis Cephas*, inquit. Pios quidem omnes Petros eſſe convenit, qui in Chriſto fundati ad extruendum Dei templum aptentur: ſed hic unus propter ſingularem excellentiam ita vocatur. Interea ridiculi ſunt Papiſtæ, qui eum in Chriſti vicem ſubſtituuot, ut ſit Eccleſiæ fundamentum. Quaſi vero non ipſe quoque in Cbriſto cum reliquis fundatus ſit. Bis autem ridiculi, dum ex lapide caput

faciunt.

faciunt. Extat enim in Gratiaoi rhapſodiis inſulſus Canon ſub Anacleti nomine, qui nomen Hebræum cum Græco permutans, & κεφαλὴ non diſtinguens à Cepha, Petrum putat conſtitutum hoc nomine Eccleſiæ caput. Porro Cepha Chaldaicum magis quam Hebræum eſt nomen; ſed illa poſt Babylonicum exilium uſitata erat pronunciatio. itaque in Chriſti verbis nihil eſt ambiguum. Petro enim quod minime unquam ſperaſſet promittit; & ſuam in eo gratiam ſeculis omnibus commendat, nequid illi obſit prior conditio, quum inſignis hic titulus novum hominem factum eſſe declaret.

43. Poſtridie voluit Jeſus exire in Galilæam: & invenit Philippum, & dixit illi, Sequere me.
44. Erat autem Philippus ex Bethſaida, urbe Andreæ & Petri.
45. Invenit Philippus Nathanaëlem, & dicit illi, Invenimus Jeſum filium Joſeph ex Nazareth: de quo ſcripſit Moſes in Lege, & Prophetæ.
46. Dixit illi Nathanaël, Ex Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Dixit illi Philippus, Veni, & vide.

43. *Sequere me.*] Hac una vnce quod accenſus fuit Pbilippi animus ad ſequendum Cbriſtum, inde colligimus quanta ſit verbi efficacia: ſed non in omnibus promiſcue apparet. Deus enim multos compellat nullo profectu, perinde acſi inani ſonitu eorum aures verberaret. Externa igiiur verbi prædicatin per ſe infructuoſa eſt, niſi quod reprobos lethaliter vulnerat, ut reddantur coram Deo inexcuſabiles. Sed quum arcana Spiritus gratia illam vivificat, neceſſe eſt ſenſus omnes ſic affici ut homines quocunque Deus vncat, ſequi parati ſint. Ergo rogandus Cbriſtus eſt ut eandem in nobis Euaogelii potentiam exerat. Cæterum in Philippo ſequendi Cbriſti peculiaris ratio fuit. jubetur enim ſequi non modo ut quivis noſtrum, ſed tanquam contubernalis & individuus comes. Sed tamen bæc vocatio ſpecimen eſt vocationis omnium.

44. *Erat ex Bethſaida.*] Videtur data opera poſitum bujus urbis nomen, quo illuſtrior in tribus Apoſtolis pateat Dei bonitas. Scimus quam ſevere urbi illi Cbriſtus alibi minetur ac maledicat. Quare ex gente adeo impia & ſcelerata quod aliqui à Deo in gratiam recepti ſunt, perinde habendum eſt acſi ex inferis educti eſſent. Quod autem Chriſtus ex profunda illa abyſſo ereptos tanto honore dignatur ut Apoſtolos conſtituat, id præclarum & memorabile beneficium eſt.

45. *Invenit Philippus Nathanaëlem.*] Utcunque hæc Eccleſiæ incunabula deſpectui habeant ſuperbi bomines, noſtrum tamen eſt majorem in illis Dei gloriam perſpicere quam ſi magnificus ab initio & modis omnibus ſplendidus fuiſſet regni Cbriſti ſtatus. Scimus enim in quantam mox ſegetem hoc exiguum ſemen excreverit. Porro idem hic ædificandi ſtudium in Philippo nobis proponitur quod prius io Aodrea. Modeſtia etiam notatur, quod nihil aliud cupit ac ſtudet niſi ut habeat qui ſecum à communi omnium magiſtro diſcant. *Invenimus Jeſum.* Quam tenuis fuerit modulus fidei in Philippo hinc patet, quod de Chriſto quatuor verba proſari nequit quin duos craſſos errores permiſceat. Facit illum filium Joſepb, & patriam Nazareth falſo illi aſſignat: & tamen quia ſincere fratri ſuo prodeſſe cupit, & Cbriſtum patefacere, Deo probatur bæc ejus ſedulitas, & proſperum etiam ſucceſſum habet. Danda quidem opera eſt ut ſe quiſque intra fines ſuos ſobrie contineat. nec ſane Euangeliſta hoc quaſi laude dignum in Philippo commemorat, quod Cbriſtum bis deformet, ſed ejus doctrinam, utcunque vitioſa eſſet ac errore implicita, utilem fuiſſe refert: quia ad huoc ſcopum nihilominus tendebat ut Cbriſtus vere cognoſceretur. Jeſum ſtulte dicit filium Joſepb, imperite Nazarenum facit: ſed interea non adducit niſi ad Filium Dei qui ex Bethlehem natus eſt: nec adulterinum Chriſtum fabricat, ſed tantum vult cognoſci qualis à Moſe & Prophetis traditus eſt. Videmus ergo hoc in doctrina eſſe præcipuum, ut quoquo modo ad Chriſtum perveniant qui nos audiunt. Multi quum ſubtiliter de Cbriſto diſputant, ſuis tamen argutiis ita eum obſcurant & involvunt ut nunquam reperiri queat. In bunc modum Papiſtæ Chriſtum non dicent eſſe filium Joſeph: (diſtincte enim tenent quid nominis habeat) ſed interea virtutem ejus exinaniunt, ita ut ſpectrum oſtentent loco Chriſti. Annon præſtaret cum Philippo craſſe balbutire, & retinere verum Chriſtum, quam diſerto argutoque loquendi modo fictitium inducere? Contra, multi ſunt hodie pauperculi idiotæ, qui dicendi rudes & ignari, multo tamen fidelius Chriſtum docent quam omnes Papæ Theologi, cum altis ſuis ſpeculationibus. Admonet itaque hic locus ne faſtidioſe reſpuamus ſi quid minus apte à ſimplicibus & indoctis de Cbriſto dictum fuerit; modo nos ad Cbriſtum dirigant. Sed ne falſis hominum commentis à Chriſto abſtrahamur, hoc nobis ſemper in promptu remedium ſit, ut puram ejus notitiam petamus ex Lege & Prophetis.

46. *Ex Nazareth.*] Initio refugit Nathanaël, Chriſti patria (ut quidem à Philippo indicata fuerat) offenſus. Sed primum decipitur inconſiderato Philippi ſermone. nam quod ille ſtulte putaverat, hic pro certo ſumit. Accedit deinde præpoſterum judicium ex loci odio vel contemptu. Utrumque diligenter nobis obſervandum eſt. Parum abfuit quin hic ſanctus vir acceſſum ſibi ad Chriſtum præcluderet. Quare hoc? Quia quod de ipſo perperam dictum fuerat à Philippo, temere ipſe credit. deinde quia præſumpta opinio ejus animom occupaverat, ut nihil ſperaret boni à Nazareth. Niſi ergo nobis ſedulo cavemus, non erimus extra idem periculum. Et ſane ejuſmodi obſtaculis quotidie molitur Satan nos arcere ab acceſſu Chriſti. Plurima enim mendacia ſpargi aſtute curat, quæ vel exoſum vel ſuſpectum nobis Euangelium reddant, ne ipſum guſtare audeamus. Alterum etiam lapidem movere non deſinit, ut Chriſtum nobis contemptibilem reddat. Videmus enim quale multis offendiculum ſit crucis humilitas, quæ tam in Chriſto capite quam in ejus membris apparet. Cæterum quia vix tam cauti eſſe poſſumus quin tentemur his Satanæ artificiis, ſaltem nobis protinus ſuccurrat *Veni, & vide.* Paſſus eſt Nathanaël duplicem ſuum errorem hoc Philippi dicto corrigi. Itaque ejus exemplo dociles nos primum & morigeros præbeamus: deinde ne recuſemus inquirere ubi Chriſtus ipſe dubitationes quæ nos vexant, eximere paratus eſt. Qui affirmative hanc ſententiam legunt, vehementer errant: quam enim frigide boc eſſet dictum? Deinde ſcimus urbem Nazareth non fuiſſe tunc in pretio habitam; & Philippi reſponſum ſatis oſtendit illam hæſitationis & diffideotiæ fuiſſe vocem.

Digitized by Google

47. Quum vidiſſet Jeſus Nathanaëlem ad ſe venientem, dicit de illo, Ecce vere Iſraëlita in quo dolus non eſt.

48. Dicit illi Nathanaël, Unde me noſti? Reſpondit Jeſus, & dixit illi, Priuſquam Philippus te vocaret, quum eſſes ſub ficu, vidi te.

49. Reſpondit Nathanaël, & dixit illi, Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Iſraëlis.

50. Reſpondit Jeſus, & dixit illi, Quoniam dixi tibi, Vidi te ſub ficu, credis: majora his videbis.

51. Tunc dixit illi, Amen, amen dico vobis, poſthac videbitis cælum apertum, & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper Filium hominis.

47. *Ecce vere Iſraëlita.*] Quod Chriſtus Nathanaëlem laudat, non facit in ejus gratiam: ſed ſub ejus perſona communem doctrinam proponit. Nam quum plerique ſe fidelium titulo venditent, qui nihil minus ſunt quam fideles, veros & probos à falſis aliqua nota diſcerni operæpretium eſt. Scimus quanto ſupercilio gloriati fuerint Judæi in patre ſuo Abraham, quam confidenter generis ſui ſanctitatem jactaverint: interea vix centeſimus quiſque reperiebatur non prorſus degener & alienus à fide Patrum. Ergo Chriſtus, ut hypocritis larvam detrahat, breviter verum Iſraëlitam definit: & ſimul ſcandalum tollit quod mox exoriturum erat ex impia gentis contumacia. nam qui cenſeri volebant filii Abrahæ & ſanctus Dei populus, infeſti Euangelii hoſtes paulo poſt futuri erant. Ergo nequem exanimet vel perturbet communis omnium fere ordinum impietas, mature admonet, ex multis qui Iſraëlitarum nomen obtendunt, paucos eſſe veros Iſraëlitas. Porro quia hæc etiam Chriſtianiſmi definitio eſt, non leviter prætereundus eſt hic locus. Verum ut paucis teneamus Chriſti mentem, notandum eſt dolum ſinceritati opponi. Doloſos ergo vocat qui alibi dicuntur in Scriptura Duplices corde. Nec tantum craſſa illa hypocriſis taxatur, quum ſe bonos viros ſimulant qui ſibi male conſcii ſunt: ſed alia etiam interior, dum ita cæcutiunt homines in ſuis vitiis, ut non aliis tantum, ſed ſibi mentiantur. Cordis igitur coram Deo integritas, & erga homines rectitudo Chriſtianum facit. Sed præcipue dolum illum Chriſtus notat cujus mentio
Pſal. 32. fit in Pſalmo. Ἀληθῶς hic plus ſignificat quam Certe.
verſ. 2. Eſt quidem Græcis ſæpe ſimplex affirmatio: ſed quia hic inter rem & nudum titulum ſubaudienda eſt antitheſis, Vere dicitur eſſe qui reipſa eſt qualis cenſetur.

48. *Unde me noſti?*] Quamvis illi blandiri nollet Chriſtus, audiri tamen ab eo voluit ut novam interrogationem eliceret, cui reſpondens probaret ſe filium Dei. Non fruſtra autem interrogat Nathanaël unde notus ſit Chriſto. nam hominis tam ſinceri, qui omni dolo vacuus ſit, rarum eſt exemplum: & illam puritatem cordis noſſe nonniſi Dei eſt. Cæterum Chriſti reſponſio videtur parum appoſita. neque enim ſi Nathanaëlem ſub ficu vidit, penetrare ideo potuit in altas cordis latebras. Verum alia eſt ratio: nam ſicuti Dei proprium eſt cognoſcere homines nunquam viſos, ita etiam videre quæ oculis non apparent. Quum ergo ſciret Nathanaël ſe non humano more viſum fuiſſe à Chriſto, ſed vere divino intuitu: hinc colligere potuit non humanitus jam ipſum loqui. Eſt igitur probatio ex paribus ſumpta. neque enim minus in Deum competit videre quæ ſunt extra conſpectum, quam de cordis puritate judicium ferre. Colligenda præterea eſt ex hoc loco utilis doctrina: quum de Chriſto minime cogitamus, ab ipſo nos conſpici. atque ita fieri neceſſe eſt ut averſos reducat.

49. *Tu es Filius Dei.*] Quod ex divina potentia Filium Dei agnoſcit, non mirum eſt. Sed qua ratione Iſraëlis Regem vocat? neque enim res conjunctæ videntur. Sed Nathanaël altius reſpicit: jam Meſſiam eſſe audierat: huic doctrinæ confirmationem quæ data eſt, ſubnectit. Tenet etiam aliud principium, non eſſe venturum Filium Dei niſi ut ſe Dei populo Regem præſtet. merito itaque Regem Iſraëlis fatetur qui Filius Dei eſt. Et certe fides non in ſola Chriſti eſſentia (ut ita loquar) hærere debet, ſed ejus virtutem & officium attendere. parum enim prodeſſet ſcire quiſnam ſit Chriſtus, niſi hoc ſecundum accederet, qualis erga nos eſſe velit, & in quem finem miſſus fuerit à Patre. Hinc factum eſt ut Papiſtæ nonniſi umbratilem Chriſtum habeant: quia nudam eſſentiam apprehendere illis curæ fuit: regnum vero ejus, quod ſervandi virtute conſtat, neglexerunt. Porro quod Regem Iſraëlis prædicat Nathanaël, cujus tamen regnum ad extremos uſque mundi fines extenditur, confeſſio eſt ad fidei menſuram finita. necdum enim eo progreſſus erat ut ſciret toti mundo deſtinatum eſſe Regem: vel potius, undique colligendos eſſe Abrahæ filios, ut totus mundus eſſet Iſraël Dei. Nos, quibus patefacta eſt regni Chriſti amplitudo, has anguſtias tranſilire convenit. Interea Nathanaëlis exemplo fidem noſtram exerceamus auditu verbi: confirmemus quibuſcunque poſſumus adminiculis: nec maneat ſepulta, ſed in confeſſionem erumpat.

50. *Reſpondit Jeſus.*] Non reprehendit Nathanaëlem quaſi nimium credulus fuerit, ſed potius ſuo calculo probans ejus fidem, majora illi & reliquis confirmationis argumenta promittit. Adde quod uni homini ſpeciale hoc erat, viſum eſſe ſub ficu à Chriſto abſente & procul remoto: nunc vero probationem quæ futura ſit omnibus communis, Chriſtus adfert: ideoque ſermonem quaſi ex abrupto ab uno homine ad omnes convertit.

51. *Videbitis*, inquit, *cælum apertum*, &c.] Multum autem errant, meo judicio, qui anxie quærunt tempus & locum ubi & quando Nathanaël & reliqui cælum apertum viderint. Potius enim quiddam continuum deſignat, quod ſemper extare debebat in ejus regno. Fateor quidem aliquoties diſcipulis viſos fuiſſe Angelos, qui hodie non apparent. Fateor aliam fuiſſe cæleſtis gloriæ manifeſtationem quum aſcendit Chriſtus in cælum, quam nunc nobis conſtet. Sed ſi probe reputamus, quod tunc factum eſt, perpetuo viget. Nam quum prius nobis clauſum eſſet regnum Dei, vere in Chriſto apertum fuit. Hujus rei viſibile ſpecimen editum fuit tam Stephano & tribus diſcipulis in monte, quam aliis diſcipulis in Chriſti aſcenſu. Verum ſigna omnia quibus ſe Deus nobis præſentem oſtendit, ad cæli apertionem pertinent: maxime ubi ſe nobis in vitam communicat. Sequitur alterum membrum de Angelis. Hi dicuntur *Aſcendere & deſcendere*, ut divinæ erga nos beneficentiæ ſint miniſtri. Ergo hac loquutione mutua inter Deum & homines communicatio notatur. Hoc autem beneficium Chriſto acceptum ferre convenit: quia ſine ipſo hoſtile potius Angelis nobiſcum diſſidium eſt quam familiaris juvandi noſtri cura. Ideo ſuper ipſum aſcendere & deſcendere dicuntur: non quod illi ſoli miniſtrent, ſed quod ejus reſpectu atque in ejus honorem complectantur ſua cura totum Eccleſiæ corpus. Nec dubito quin ad ſcalam
alludat quæ monſtrata fuit Patriarchæ Jacob per Gen. 28.
ſomnium. vere enim in Chriſto præſtatur quod viſio verſ. 12.
illa adumbrabat. Denique hujus loci ſumma eſt,

Quum

Quum eſſet totum genus humanum extraneum à regno Dei, nunc cælorum januam nobis eſſe patefactam, ut ſimus cives ſanctorum & Angelorum ſocii: atque ut hi ordinati ſaluris noſtræ cuſtodes, ex beata quiete ad opem miſeriis noſtris ferendam deſceodant.

CAP. II.

TErtio die nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ: & erat mater Jeſu illic.
2. Vocatus eſt autem etiam Jeſus & diſcipuli ejus ad nuptias.
3. Et quum vinum defeciſſet, dicit mater Jeſu illi, Vinum non habent.
4. Dicit illi Jeſus, Quid tibi mecum mulier? nondum venit hora mea.
5. Dicit mater ejus miniſtris, Quodcunque dixerit vobis, facite.
6. Erant autem illic hydriæ lapideæ ſex poſitæ ſecundum purificationem Judæorum,
continentes ſingulæ circiter metretas duas vel tres.
7. Dicit illis Jeſus, Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas uſque ad ſummum.
8. Et dicit illis, Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tulerunt.
9. Quum autem guſtaſſet architriclinus aquam vinum factam (non noverat autem
unde eſſet, ſed miniſtri noverant qui hauſerant aquam) vocat ſponſum architriclinus,
10. Et dicit illi, Omnis homo primo bonum vinum ponit: & quum inebriati fuerint,
tunc id quod deterius eſt: tu vero ſervaſti bonum hucuſque.
11. Hoc principium ſignorum fecit Jeſus in Cana Galilææ, & manifeſtavit gloriam
ſuam: & crediderunt in eum diſcipuli ejus.

1. *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ.*] Quum hiſtoria hæc primum à Chriſto editum miraculum contineat, vel uno boc nomine ad eam conſiderandam maxime attentos eſſe nos decet. quanquam (ut poſtea videbimus) aliæ ſuot cauſæ quæ nobis eam commendent. Sed ex progreſſu multiplex utilitas dilucidius conſtabit. Locum primo nominat Euangeliſta Cana Galilææ, non illam quæ verſus Sareptam ſita, inter Tyrum & Sidonem, major dicta eſt (hujus alterius comparatione) quam alii in ſorte Tribus Zabulon locant, alii vero Tribui Aſer aſſignant. Nam & Hieronymus reſtatur adbuc ſuo tempore illic ejus nominis extitiſſe oppidulum. Vicinam certe urbi Nazareth fuiſſe credibile eſt, quum nuptiarum cauſa eo venerit Chriſti mater. Itinere diei unius à Capernaum fuiſſe diſſitam, ex capite quarto conſtabit. Vicinitas quoque urbis Bethſaida inde colligi poteſt, quod triduo poſtquam in finibus illis Chriſtus fuerat, celebratas in Cana nuptias fuiſſe Euangeliſta commemorat. Fieri poteſt ut tertia etiam non procul Hieroſolyma, & tamen extra Galilæam fuerit. Sed hoc, quia mihi ignotum, relinquo. *Et erat mater Jeſu.*] Probabile eſt aliquem fuiſſe ex conſanguineis Chriſti qui uxorem duxerit. Jeſus enim matri tanquam comes hic additur. Quod diſcipuli ſimul vocantur, inde colligi poteſt quam ſimplex & frugalis fuerit illis vivendi ratio, quia in commune cum illis vivebat. Sed hoc abſurdum videri poſſet quod homo non admodum dives nec copioſus (ut patebit ex vini defectu) in Chriſti gratiam quatuor aut quinque alios invitet. Verum inter inopes facilior eſt & magis ingenua invitatio: quia dedecus non verentur (quemadmodum divites) ſi minus laute & ſplendide hoſpites ſuos tracteot. Priſcum enim morem communicationis mutuæ pauperes magis retinent. Hoc tamen rurſus parum civile quod convivas ſuos patitur ſponſus in media cœna vino deſtitui. nam parum conſiderati hominis eſt vinum quantum coovivis ſufficiat non habere. Reſpondeo, nihil hic narrari quod non frequeoter accidat, præſertim ubi non eſt quotidianus vini uſus. Deinde contextus oſtendit, ſub finem convivii cœpiſſe vinum deficere, quum jam ex more ſaturos eſſe oporteret. Sic enim loquitur architriclinus, Alii deterius vinum inebriatis apponunt: tu vero hucuſque quod optimum erat ſervaſti. Adhæc non dubito quin hoc totum divina providentia gubernatum fuerit, ut locus eſſet miraculo.

3. *Dicit mater Jeſu.*] Dubitari poteſt ſperetne aliquid ac petat à filio, quum oullum adbuc miraculum ipſe edidiſſet. Ex fieri poteſt ut tale remedium non expectans, eum admonuerit ut pia aliqua exhortatione convivis tædium eximeret, ac ſimul levaret pudorem ſponſi. Porro hanc anxiæ συμπαθείας vocem fuiſſe ioterpretor. Nam quum videret ſancta mulier poſſe convivium turbari, quod parum ſe honorifice accipi putantes qui vocati fuerant, fremerent adverſus ſponſum, aliquid ſolatii optavit. Chryſoſtomus eam muliebri affectu ſibi & filio neſcio quid favoris captaſſe ſuſpicatur: ſed hæc conjectura nihil rationis habet. Sed cur tam duriter à Chriſto repellitur? Reſpondeo, quamvis neque ambitio neque alius carnis affectus ipſam ageret, in eo tamen peccaſſe quod fines ſuos exceſſit. Quod ſollicita eſt de aliorum incommodo, & mederi quoquo modo cupit, boc humanitatis eſt, ac virtuti dandum: ſed interea ſe ingerendo, Chriſti gloriam obſcurare poterat. Quanquam ſimul notandum eſt, Chriſtum non tam ejus quam aliorum cauſa ſic loquutum eſſe: major ejus erat modeſtia & pietas quam ut adeo ſevera caſtigatione opus haberet. deinde non peccabat ipſa ſciens & volens. Sed Chriſtus periculo tantum occurrit, ne alio quam oportet trahatur matris dictum, quaſi ex ejus præſcripto miraculum poſtea ediderit.

4. *Quid tibi mecum mulier?*] Græce ad verbum eſt, Quid tibi & mihi? Sed Græcis tantundem valet hæc loquutio, ac Latinis, Quid ribi mecum? Vetus interpres multos ſefellit, qui putaruot Chriſtum negare vini defectum pertinere ad ſuam & matris curam. Atqui ex ſecundo membro colligere promptum eſt quam id remotum ſit à Chriſti ſenſu. curam enim banc ſuſcipit, ac ſuarum eſſe partium teſtatur, quum addit horam ſuam noodum veniſſe. Utrumque ergo conjungi debet, Chriſtum tenere quid facto ſit opus, & tamen matris admonitu hac in re nihil facturum. Inſignis certe locus. cur enim matri præciſe negat quod liberaliter aliis quibuslibet toties poſtea conceſſit? Deinde cur ſimplici repulſa non contentus, eam in vulgarem mulierum ordinem cogit, nec jam matris nomine dignatur? Hac Chriſti voce palam conſtat denunciari hominibus, ne nominis materni honorem ſuperſtitioſe in Maria evehendo, quæ Dei propria ſunt in ipſam transferant. Sic ergo matrem Chriſtus alloquitur, ut perpetuam ac communem ſeculis omnibus doctrinam tradat, ne immodicus matris honor divinam ſuam gloriam obſcuret. Porro quam neceſſaria hæc admonitio fuerit, ex craſſis fœdiſque ſuperſtitionibus, quæ poſtea ſequutæ ſunt, plus ſatis ootum eſt. Facta eſt enim Maria regina cæli, ſpes,

vita, & mundi ſalus. Denique eo progreſſus eſt veſanus furor ut Chriſti propemodum nudati ſpoliis eam ornarent. Quumque has execrabiles in Filium Dei blaſphemias damnamus, maligni & invidi vocamur à Papiſtis. imo improbe calumniantur ſanctæ Virginis honorem hoſtiliter à nobis impugnari. Quaſi vero non habeat quantum illi honoris debetur, niſi Dea fiat: aut hoc illi ſit honorificum, ſacrilegis titulis ornatam in Chriſti locum ſubrogari. Atrocem ergo illi Mariæ injuriam faciunt, quando, ut mentitis eam laudibus deforment, Deo eripiunt quod ſuum eſt. *Nondum venit hora mea.*] Significat ſe hactenus non incogitantia vel torpore ceſſaſſe. Interea ſubindicat ſibi rem curæ futuram ubi opportunitas advenerit. Itaque ſicut matrem inſimulat quod intempeſtive feſtinet, ita rurſum miraculi ſpem facit. Utrumque agnoſcit ſancta Virgo. neque enim amplius eum compellat: & quum miniſtros admonet ut quicquid ille præceperit, faciant, novum quiddam ſperare ſe oſtendit. Cæterum hæc doctrina latius patet, Quoties Dominus nos tenet ſuſpenſos, auxiliumque ſuum differt, non ideo torpere, ſed potius opera ſua ſic moderari ut nihil niſi opportune agat. Qui ad fatalem temporum ordinationem hunc locum traxerunt, magis ſunt ridiculi quam ut verbo uno opus ſit ad eos refellendos. Hora Chriſti aliquando dicitur quæ illi deſtinata eſt à Patre: & tempus ſuum poſtea vocabit quod illi commodum erat & aptum ad exequenda Patris mandata: hoc autem loco temporis ad agendum ſumendi & eligendi arbitrium ſibi vindicat.

5. *Dicit mater ejus miniſtris.*] Hic ſancta Virgo ſpecimen edit veræ obedientiæ, quam Filio debebat ubi non de humanis officiis, ſed divina ejus potentia agebatur. Modeſte igitur acquieſcit in Chriſti reſponſo, aliosque ſimiliter hortatur ut ejus imperio pareant. Fateor quidem ex circumſtantia præſenti Virginem ſic loquutam eſſe acſi negaret hac in parte quicquam ſibi eſſe juris, Chriſtum ſuo unius arbitrio facturum quod placuerit: ſed ſi ejus conſilium ſpectes, latius patet hæc ſententia. Poteſtate enim, quam ſibi perperam ſumpſiſſe videri poterat, ſe abdicat primum & exuit: deinde totam uni Chriſto aſſerit, quum ſequendum præcipit ejus imperium. Ergo generaliter hinc docemur ſi quid expetimus à Chriſto, non aliter nos votorum fore compotes niſi ab ipſo toti pendemus, in eum reſpicimus, facimus denique quicquid jubet. Atqui nos ad matrem non ablegat, ſed ad ſe invitat potius.

6. *Erant autem illic hydriæ.*] Ex ſupputatione Budæi has hydrias admodum capaces fuiſſe colligimus. nam quum metreta faciat viginti congios, ſingulæ ut minimum hujus regionis ſextarium continebant. Largam ergo vini copiam ſuppeditavit Chriſtus, nempe quæ plus centum & quinquaginta hominibus ſufficeret ad hilare convivium. Adde quod tam numerus hydriarum quam modus ipſe ad comprobandam miraculi veritatem facit. Si duo tantum aut tres congii fuiſſent, ſuſpicari multi poterant aliunde fuiſſe advectos. ſi in vaſe tantum uno facta fuiſſet converſio aquæ in vinum, non ita perſpicua teſtataque fuiſſet miraculi certitudo. Non fruſtra igitur Euangeliſta numerum commemorat, nec fruſtra exprimit quantum caperent. Porro hoc ex ſuperſtitione natum erat ut tot ac tam ampla vaſa illic proſtarent. Abluendi quidem ritum habebant ex Lege Dei: ſed (ut mundus ſemper nimius eſt in rebus externis) Judæi præſcripta à Deo ſimplicitate non contenti, continuis aſperſionibus ludebant. atque (ut ambitioſa eſt ſuperſtitio) non dubium eſt quin hoc etiam pompæ ſerviret: quemadmodum hodie in Papatu videmus, quæcunque ad Dei cultum pertinere dicuntur, ad meram oſtentationem eſſe compoſita. Duplex ergo vitium erat: quod abſque Dei mandato in fictitia & ſupervacua ceremonia temere ſe occupabant: deinde quod religionis prætextu ambitio in illo apparatu regnabat. Mira porro in Papatu quorundam nebulonum fuit improbitas, qui hydrias obtrudere auſi ſint primum exiguæ menſuræ, deinde etiam inæquales. Atque hodie nihil eos pudet in tanta Euangelii luce tales adhuc impoſturas vendidare. hoc certe non eſt fallere præſtigiis, ſed cæcis audacter illudere. Mundum vero à Satana faſcinatum eſſe palam eſt, qui tam craſſa ludibria non ſentit.

7. *Implete hydrias aqua.*] Ridiculum miniſtris hoc præceptum videri potuit: aquæ enim jam erat plus ſatis: ſed hoc modo agere nobiſcum Dominus ſolet ut illuſtrior emergat ejus potentia ex inſperato ſucceſſu. Quanquam hæc circumſtantia ad miraculi commendationem addita eſt: nam quum miniſtri infuſa aqua vinum hauriant, nulla hærere poteſt ſuſpicio.

8. *Ferte architriclino.*] Eodem ſpectat quod vini ſaporem ab architriclino probari voluit Chriſtus priuſquam guſtaret ipſe, aut quiſquam alius ex convivis. Quod autem tam placide illi in omnibus obtemperant miniſtri, hinc colligimus multum in eo fuiſſe reverentiæ ac dignitatis. Architriclinum vocat Euangeliſta qui inſtruendo convivio & menſis ordinandis præfectus erat. non quod lautum ac ſplendidum adeo convivium fuerit, ſed quia honorificæ appellationes ex divitum lautitiis ac ſplendore etiam ad pauperum nuptias transferuntur. Sed mirum eſt quod Chriſtus, frugalitatis magiſter, vini (& quidem præſtantiſſimi) magnam copiam largitur. Reſpondeo, quum nobis quotidie Deus largum vini proventum ſuppeditat, noſtro vitio fieri ſi ejus benignitas irritamentum eſt luxuriæ: quin potius hæc temperantiæ noſtræ vera eſt probatio, ſi in media affluentia parci tamen ac moderati ſumus. Quemadmodum Paulus gloriatur ſe *Philip. 4.*
ad utrumque edoctum eſſe, ut abundare & eſurire *verſ. 12.*
ſciat.

11. *Hoc principium ſignorum.*] Senſus eſt, hoc primum fuiſſe ex Chriſti miraculis. Quod enim Angeli paſtoribus ipſum in Bethlehem natum nunciarunt, quod Magis ſtella apparuit, quod Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ ſuper eum deſcendit, tametſi hæc miracula fuerunt, non tamen proprie ab ipſo ſunt edita. hic autem de miraculis agitur quorum ipſe auctor extitit. Frivolum enim eſt ac ridiculum quod quidam dicunt, inter miracula quæ Chriſtus in Cana Galilææ edidit, hoc primum numerari: quaſi vero ad manifeſtandam virtutem ſuam ſibi locum delegerit ubi nonniſi bis fuiſſe legitur. Quin potius Euangeliſtæ conſilium fuit temporis ordinem, quem in exerenda ſua virtute Chriſtus tenuit, notare. Nam ad annum uſque triceſimum domi ſe, tanquam privatus quiſpiam homo, continuit. Baptiſmo initiatus, ad obeundam functionem ſuam inde in lucem prodire cœpit, & palam claris documentis facere quorſum à Patre miſſus foret. Non mirum ergo ſi primum Divinitatis ſuæ ſpecimen in tempus illud diſtulit. Magnum conjugii decus quod nuptiale convivium non modo Chriſtus ſua præſentia dignatus eſt, ſed primo à ſe edito miraculo ornavit. Extant vetuſti quidam Canones quibus Clerici nuptias adire vetantur. Cauſa vetandi fuit, ne laſcivias, quæ illic ut plurimum graſſantur, ſpectando, earum quodammodo approbatores eſſent. At vero longe præſtitiſſet, tantum illuc gravitatis ſecum afferre ut licentiam compeſcerent quam ſibi in latebris indulgent protervi homines ac diſſoluti. Nobis vero potius Chriſti exemplum ſit pro lege: nec quicquam putemus utilius eſſe factu quam quod eum feciſſe legimus. *Manifeſtavit gloriam.* Quia tunc ſcilicet memorabile & glorioſum ſpecimen edidit unde Filium Dei eſſe conſtaret. Quæcunque enim miracula oſtendit mundo, totidem divinæ ejus potentiæ teſtimonia fuerunt. Tunc autem opportu-

num

Digitized by Google

num illuſtrandæ ejus gloriæ tempus advenerat quum ex Patris mandato ionoteſcere vellet. Unde etiam colligitur miraculorum finis. perinde enim valet hæc loquutio acſi dictum eſſet, Chriſtum, ut pateſaceret glotiam ſuam, miraculum hoc edidiſſe. Quid ergo de miraculis ſentiendum quæ gloriam Chriſti nbſcurant? *Crediderunt in eum diſcipuli.*] Si diſcipuli erant, aliqua fide jam imbutos eſſe oportuit. Sed quum hactenus non certa & explicita fide eum ſequuti eſſeot, tunc demum ſe illi addicere cœperunt, ut Meſſiam agnoſcerent quaſi jam illis prædicatus fuerat. Magna vero Chriſti indulgentia, quod pro diſcipulis habet in quibus tam puſilla eſt fides. Et ſane hæc doctrina generaliter ad nos omnes patet. nam quæ adulta nunc eſt fides, infantiam prius ſuam habuit: imo io nemine tam perfecta eſt quin ad unum omnes credendo proficere neceſſe ſit. Ita qui jam credebant, quatenus ad ſcopum majores quotidie faciunt progreſſus, credere incipiunt. Ergo qui fidei primitias adepti ſunt, ſemper ad profectum contendant. Fructus etiam miraculorum hic oſtenditur: nempe quod ad confirmationem profectumque fidei referri debent. Qui alio detorquet, totum eorum uſum corrumpit & adulterat. Sicuti Papiſtas videmus non alium io finem jactare fictitia ſua miracula niſi ut fidem obruant, & à Chriſto mentes avertant ad creaturas.

12. Poſt hoc deſcendit in Capernaum ipſe & mater ejus, & fratres ejus, & diſcipuli ejus; & illic manſit non multos dies.

13. Erat autem in propinquo Paſcha Judæorum. itaque aſcendit Jeſus Hieroſolymam.

14. Et invenit in Templo quoſdam qui vendebant boves, & oves, & columbas; numularios item ſedentes.

15. Et facto ex funiculis flagello, omnes è Templo ejecit eum ovibus, & bobus: & numulariorum effudit pecuniam, menſaſque evertit.

16. Et iis qui columbas vendebant dixit, Tollite iſta hine: ne faciatis domum Patris mei domum mercatus.

Pſal. 69. verſ. 10. 17. Porro recordati ſunt diſcipuli ejus quod ſcriptum ſit, Zelus domus tuæ comedit me.

12. *Deſcendit in Capernaum.*] Tranſit Euangeliſta ad novam hiſtoriam. Quoniam autem propoſitum illi erat pauca memoratu digna, quæ alii tres omiſerant, colligere, tempus deſignat quo hoc quod dicturus eſt, geſtum ſuit. Narrant enim reliqui quod hic legimus Chriſtum feciſſe: ſed diverſum tempus, ſimile, non idem eſſe factum demonſtrat. Bis ergo

Chriſtus Templum bis repurgavit.

Chriſtus Templum fœda & profana negotiatione purgavit: ſemel, circa legationis ſuæ exordia: iterum vero quum è mundo migraturus eſſet ad Patrem. Cæterum ut ſummam teneamus, ſingula ordine breviter excutienda ſunt. Quod boves ac pecudes ac columbæ venales in Templo proſtabant, quod ſedebant illic collybiſtæ, hnneſto prætextu non caruit. jactare enim poterant, negotiationem quæ illic fi. bat, minime profanam eſſe: ſed potius ſpectare ad ſacrum Dei cultum, ut in ptomptu quiſque haberet quod offerre poſſet Domino. Et certe piis hominibus valde commodum erat invenire ſub manu quaſvis oblationes, & hoc modo levari huc & illuc curſitandi moleſtia. Mirum ergo eſt cur tantopere id Chriſto diſplicuerit. Sed duæ rationes notandæ ſunt. nam quia ad quæſtum & avaritiam ſuam hoc mercatu abutebantur Sacerdotes, tale Dei ludibrium ferendum non fuit: deiode quicquid excuſationis nbtendant homines, ſimul tamen ac paululum declinant à Dei mandato, reprehenſione digni ſunt, ac correctione opus habent. Atque hac præcipue de cauſa Chriſtus Templi purgationem aggreſſus eſt: quemadmodum clare pronunciat Templum Dei non eſſe locum mercatus. Quæri tamen poteſt cur non potius auſpicatus ſit à doctrina. videtur enim hæc tumultuoſa & præpoſtera eſſe ratio, manum admovere corrigendis vitiis priuſquam adhibitum fuit doctrinæ remedium. Atqui aliud ſpectavit Chriſtus. nam quia jam tempus advenerat quo injunctum ſibi à Patre munus publice obiret, Templi poſſeſſionem quodammodo adire voluit, ac divinæ ſuæ auctoritatis documentum ſtatuere. Atque ut omnes ad ejus doctrinam attenti eſſent, torpentes ac ſopitas mentes novo & inſolito facinore expergeſieri oportuit. Templum cæleſtis doctrinæ & pietatis ſacrarium erat. Quum doctrinæ puritatem reſtituere vellet, operæ pretium fuit ut ſe Templi dominum comprobaret. Adde quod ſacrificia & alia pietatis exercitia ad ſpiritualem ſuum finem revocare noo aliter poterat quam abuſum tollendo. Ergo quod tunc ab eo geſtum eſt, quoddam ejus reformationis præludium fuit ad quam peragendam à Patre miſſus fuerat. In ſumma, Judæos excitari decuit hoc exempln ut à Chriſto ioſolitum aliquid & minime vulgare expectarent: ſimul commonefieri decuit de vitiatn & perverſo cultu Dei, ne emendationem reſpuerent. *Et fratres ejus.*] Cur fratres ſe Chriſto comites adjunxerint incertum eſt: niſi forte ſimul ituri erant Hieroſolymam. Cæterum fratrum nomine quoslibet cognatos Hebraica lingua deſignari, nntum eſt.

13. *Paſcha Judæorum. itaque aſcendit.*] Ad verbum Græce habetur, Et venit: ſed Euangeliſta copulam poſuit loco rationalis particulæ. veniſſe enim tunc ſignificat ut Paſcha celebraret Hieroſolymæ. Hujus autem conſilii duplex erat finis. nam quum noſtra cauſa Legi ſubjectus eſſet Filius Dei, omnia Legis mandata exacte ſervando, plenæ ſubjectionis & obedientiæ typum in ſua perſona exhibere voluit. Deinde quoniam in populi frequentia magis prodeſſe poterat, hac fere occaſione ſemper uſus eſt. Ergo quoties poſtea dicetur veniſſe Chriſtum diebus feſtis Hieroſolymam, hoc ideo ab ipſo factum obſervent lectores, primum ut à Deo inſtituta pietatis exercitia cum reliquis coleret: deinde ut in majore populi confluxu publicaret ſuam doctrinam.

16. *Ne faciatis domum Patris mei.*] In ſecunda ejectione gravius ac ſevetius loquutum commemorant alii Euangeliſtæ: quod ſcilicet ex Templo Dei facerent ſpeluncam latronum. Atque ita agendum eſt ubi mitior caſtigatio profectu caruit. Nunc ſimpliciter admooet ne Templum Dei in alienos uſus vertendo, profaoent. Templum, Dei domus vocabatur, quod illic Deus peculiariter iovocari vellet, quod virtutem illic ſuam exereret, quod deoique ad ſpirituales & ſacros ritus illud deſtinaſſet. At ſe quidem Dei filium pronunciat Chriſtus, ut ſibi jus & auctoritatem repurgandi Templi vendicet. Porro quia facti ſui rationem hic reddit Chriſtus, ſiquem inde fructum colligere libet, in hac præcipue ſententia inſiſtere convenit. Cur ergo ementes & vendentes ejicit ex Templn? Ut cultum Dei hominum vitio adulteratum ſuæ integritati reſtituat, atque hoc modo Templi ſanctitatem ioſtauret ac aſſerat. Scimus autem extructum fuiſſe Templum illud ut eorum umbra eſſet quorum viva effigies extat in Chriſto. Itaque

que ut ſacrum Deo maneret, nonniſi ad ſpirituales uſus applicandum erat. Hac de cauſa fas eſſe negat in emporium converti. Principium enim ſumit ex Dei inſtituto: quod ſemper oobis tenendum eſt. Quibuſcunque ergo præſtigiis ludat Satan, quicquid à Dei mandato vel tantillum deflectit, ſciamus perverſum eſſe. Specioſus ad fallendum erat ille fucus, juvari & provehi Dei cultum, quum ad manum fidelibus porrigebantur quæ offerrent: ſed quia Deus in alios uſus Templum ſuum deſtinaverat, nihil moratur Chriſtus quæ adverſus ordinem à Deo poſitum objici poterant. Non eadem hodie templorum noſtrorum eſt ratio: ſed quod de veteri Templo dicitur, rite & proprie in Eccleſiam competit: eſt enim cæleſte in terra Dei ſacrarium. Quare ante oculos ſemper verſari nobis debet Dei majeſtas, quæ in Eccleſia reſidet, ne ullis inquinamentis polluatur. Manebit autem tunc demum integra ejus ſanctitas, ſi nihil in ea admiſſum fuerit à Dei verbo alienum.

17. *Recordati ſunt diſcipuli.*] Fruſtra hic ſe oonnulli impediunt, quærentes quomodo Scripturæ recordati fuerint diſcipuli cujus adhuc erant expertes ac ignari. Neque enim intelligendum eſt tunc illis ſubiiſſe in memoriam hunc Scripturæ locum: ſed poſtea quum divinitus edocti, apud ſe reputarent quidnam ſibi vellet hoc Chriſti facinus, directore Spiritu hic Scripturæ locus illis occurrit. Et certe operum Dei non ſemper extemplo cauſa nobis apparet, ſed poſtea temporis ſucceſſu conſilium nobis ſuum aperit. Atque hoc cohibendæ noſtræ audaciæ aptiſſimum eſt frenum, ne Deo obſtrepamus, ſiquando noſtro judicio minus probantur quæ facit. Simul monemur, quum Deus nos quaſi ſuſpenſos tenet, patienter exſpectandum eſſe plenioris notitiæ tempus, & feſtinationem nimiam, quæ nobis ingenita eſt, cohibendam eſſe. Nam ideo plenam operum ſuorum manifeſtationem Deus differt ut nos io modeſtia contineat. Senſus ergo eſt, Diſcipulos tandem aſſequutos eſſe, Chriſtum zelo domus Dei, quo flagrabat, impulſum fuiſſe ut profanatiooes illas è medio tolleret. Templi nomine proculdubio totum Dei cultum David per ſynecdochen deſignat. Sic enim habet integer verſus, Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me. Ubi ſecundum membrum priori reſpondet, imo nihil aliud eſt quam exegetica repetitio. Summa utriuſque membri eſt, Davidem tam anxie de aſſerenda Dei gloria fuiſſe ſollicitum, ut libenter caput ſuum probris omnibus quæ in Deum jaciebant reprobi, ſuppoſuerit: taoto zelo æſtuaſſe ut hic unus affectus alios omnes deglutiret. Atque hoc quidem ſenſu ille præditum ſe fuiſſe teſtatur: ſed oon dubium eſt quin delinearit in ſua perſona quæ Meſſiæ proprie congruebant. Ideo dicit Euangeliſta hanc fuiſſe unam ex notis quibus agnitus fuit Jeſus à diſcipulis regni Dei vindex ac reparator. Obſerva autem, Scripturæ ductum ſequutos eſſe ut de Chriſto ſentirent quod decebat. Et certe qualis ſit Chriſtus, vel quorſum pertineat quicquid geſſit & paſſus eſt, nemo unquam tenebit niſi duce & magiſtra Scriptura. Quare prout quiſque noſtrum proficere io Chriſti cognitione cupiet, ſedula & continua Scripturæ meditatione opus erit. Domus Dei non fruſtra memioit David, ubi de illius gloria agitur. Nam Deus, quamvis ſibi ſufficiat ac ſe uno contentus eſſe poſſit, vult tamen in Eccleſia illuſtrari ſuam gloriam. In quo ſingulare amoris erga nos ſui documentum præbet, quod ſuam gloriam quaſi individuo nexu cum ſalute noſtra conjungit. Reſtat nunc ut ſe ad Chriſti imitationem ſinguli comparent: quando in capitis exemplo generalis toti corpori doctrina proponitur: ſicut docet Paulus Rom. 15. v. 3. Ne patiamur, quantum in nobis eſt, ſacrum Dei templum ullo modo inquinari. interea tamen cavendum nequis vocationis ſuæ fines tranſiliat. Zelum omnibus nobis cum Filio Dei communem eſſe oportet: at non omnibus protinus licet flagellum arripere, ut vitia manu corrigamus. neque enim nobis poteſtas data eſt, nec idem injunctum munus.

18. Reſponderunt ergo Judæi, ac dixerunt ei, Quod ſignum oſtendis nobis quod iſta facias?

19. Reſpondit Jeſus, & dixit eis, Deſtruite templum hoc, & in tribus diebus erigam illud.

20. Dixerunt ergo Judæi, Quadraginta & ſex annis extructum eſt Templum hoc, & tu in tribus diebus eriges illud?

21. At ille dicebat de templo corporis ſui.

22. Quum ergo reſurrexiſſet à mortuis, recordati ſunt diſcipuli ejus quod hoc dixiſſet eis: & crediderunt Scripturæ, & ſermoni quem dixerat Jeſus.

18. *Quod ſignum oſtendis nobis.*] Quod in tanto cœtu nemo Chriſto manum injecit, nullus ex pecuariis & numulariis violenter eum repulit, hinc colligere licet divinitus fuiſſe omnes perculſos, ut attoniti ſtuperent. Quare niſi prorſus excæcati fuiſſent, hoc ſatis illuſtre erat miraculum, quod unus contra multos, inermis contra validos, ignotus contra taotos principes tantum auſus fuerat. Cur enim illi non obſtabant, quum longe ſuperiores eſſeot, niſi quod diſſolutæ & quaſi fractæ erant eorum manus? Cauſam tamen interrogandi aliquam habent: neque enim cujuſvis eſt, ſiquid vitioſum eſt aut diſplicet in Templo Dei, ſtatim mutare. Damnare quidem corruptelas omnibus liberum eſt: verum ſi ad eas tollendas privatus homo manum admovet, temeritatis arguetur. Quia mos vendendi in Templo receptus erat, Chriſtus rem oovam & iouſitatam aggreſſus eſt: quare merito poſtulant ut ſe à Deo miſſum probet. ſumunt enim principium iſtud, In publica adminiſtratione non eſſe fas quicquam mutare ſine certa vocatione ac mandato Dei. Sed in altero errabant, quod admittere nolebant Chriſti vocatiooem niſi edito miraculo. neque enim id in Prophetis & aliis Dei miniſtris fuit perpetuum ut ſigna ederent, neque Deus ad hanc neceſſitatem ſe adſtrinxit. Ergo in ſigno flagitaodo perperam Deo legem imponunt. Quod Judæos Euangeliſta interrogaſſe dicit, hoc nomine proculdubio multitudinem quæ illic adſtabat, & quaſi totum Eccleſiæ corpus intelligit. acſi diceret non unius aut alterius hunc fuiſſe ſermonem, ſed populi.

19. *Deſtruite templum, &c.*] Eſt allegorica loquutio: ac data opera Chriſtus ita obſcure loquutus eſt, quod aperto reſponſo indignos judicabat. Quemadmodum alibi teſtatur ſe in parabolis loqui apud eos *Mat.* 13.
qui arcana cæleſtis regni capere nequeunt. Primum *verſ.* 13.
autem illis negat quod poſtulabant ſignum, vel quia profectu caruiſſet, vel quia ſciebat noo eſſe opportunum tempus. Aliquid interdum etiam importunis eorum precibus conceſſit. ounc ergo magnam cauſam obſtitiſſe oportet cur recuſaverit. Interea tamen non vulgari ſigno poteſtatem ſuam approbatum ac ſancitum iri ſignificat, ne excuſationis prætextum inde captent. nulla enim divinæ in Chriſto virtutis major approbatio deſiderari poterat quam ipſius reſurrectio à morte. Sed figurate id inſinuat, quoniam clara promiſſione eos non dignatur. In ſumma, tractat incredulos ut merentur, & ſimul ab omni contemptu ſe eximit. Nondum quidem obſti-

natos

natos eſſe conſtabat: ſed Chriſtus ſatis tenebat qualis eſſet eorum affectus. Quæri tamen poteſt, quum tam multa & varia miracula ediderit, cur unum hic attingat. Reſpondeo, de aliis omnibus miraculis tacuiſſe, quia ſola reſurrectio ad os illis obſtruendum ſufficeret: deinde quia Dei virtutem eorum ludibriis proſtituere nolebat. nam & ideo de reſurrectionis ſuæ gloria allegorice loquutus eſt. Tertio, dico eum protuliſſe quod cauſæ quadrabat. nam his verbis demonſtrat ſibi jus omne io Templum competere, quum in vero Dei templo extruendo rantum poſſit. Tametſi vero nomen templi ad rei circumſtantiam accommodat, apte tamen & congruenter corpus Chri-
2 Cor. 5. ſti templum vocatur. Tabernaculum dicitur corpus
vers. 4. cujuſque noſtrum, quod in eo babitat anima: Chriſti autem corpus, Divinitatis ejus domicilium fuit. Scimus enim Filium Dei ſic naturam noſtram induiſſe, ut in carne quam aſſumpſit, æterna Dei majeſtas, tanquam in ſacrario, habitaret. Quod autem boc loco abutebatur Neſtorius, ut probaret non unum & eundem eſſe Chriſtum Deum & hominem, facile refelli poteſt. Sic enim colligebat, Filius Dei in carne tanquam in templo habitavit: ergo disjunctæ naturæ, ut minime idem eſſet Deus & homo. Atqui boc argumentum ad homines transferri poſſet: ſequetur enim, non unum eſſe bominem, cujus anima in corpore babitat tanquam io tabernaculo. Proinde bæc loquendi ſorma ad tollendam perſonæ io Chriſto unitatem inſulſe torquetur. Porro ootan-
1 Cor. 6. dum eſt corpora etiam noſtra vocari Dei templa, ſed
vers. 19. diverſo ſenſu, nempe quia per Spiritus ſui vim & gratiam Deus in nobis habitat: in Chriſto autem plenitudo Divioitatis corporaliter: ita ut vere ſit Deus manifeſtatus in carne. *Erigam illud.* Hic ſibi Chriſtus reſurrectionis ſuæ gloriam vendicat, quum tamen Scriptura paſſim teſtetur opus eſſe Dei Patris. Sed bæc duo probe inter ſe conveniunt. Scriptura enim ut Dei potentiam nobis commendet, Patri boc diſerte adſcribit, quod excitaverit Filium à morte: hic vero Chriſtus peculiariter Divinitatem ſuam prædicat. Ac Paulus utrumque cooeiliat, ad Rom. 8. v. 11. nam Spiritum, quem facit reſurrectionis auctorem, promiſcue nunc Chriſti, nunc Patris Spiritum nominat.

20. *Quadraginta ſex annis.*] Conſentit cum boc
Dan. 9. loco Danielis ſupputatio. Septem enim hebdomadas
vers. 25. numerat, quæ annos quadraginta novem efficiunt: ſed antequam ad finem ultimæ veotum eſſet, abſolutum Templum fuit. Quod io biſtoria Eſdræ longe brevius temporis ſpatium notatur, tametſi aliquam habet repugnantiæ ſpeciem, minime ramen cum Prophetæ verbis pugnat. Erecto enim ſanctuario, antequam Templi ædificium perfectum foret, ſacrificia offerre cœperunt: poſtea diu intermiſſum fuit opus populi ignavia, quemadmodum ex querimoniis Aggæi clare patet. ſevere enim Judæos accuſat, Agg. 1.
quod nimis ſedulo intenti ad extruendas privatas vers. 4.
ædes, Dei Templum mutilum relinquerent. Sed quorſum ejus Templi mentionem faciunt, quod ab Herode quadraginta ante annis vel circiter exciſum fuerat? Nam quod tuoc habebant Templum, tametſi magnificentiſſime & immani ſumptu erat extructum, intra octo tamen annos Herodes præter hominum opinionem abſolverat, ut refert Joſepbus libro Aotiquit. 15. cap. ultimo. Mihi probabile videtur, perinde habitam fuiſſe novam Templi ſtructuram acſi vetus illud ſemper in ſtatu ſuo duraſſet, quo plus venerationis ineſſet: atque ita ex vulgari & uſitato more fuiſſe loquutos, quod Templum à Patribus ſumma difficultate vix per annos quadraginta ſex conditum fuerat. Porro hæc reſponſio ſatis oſtendit quo animo ſignum petierint. nam ſi parati fuiſſent Propbetæ divinitus miſſo reverenter obſequi, non ita ſuperbe repudiaſſent quod de officii ſui approbatione dixerat. Teſtimonium aliquod divinæ virtutis habere volunt: interea nihil admittunt quod non bominum modulo reſpondeat. Sic bodie Papiſtæ miracula flagitant, non quod locum daturi ſint Dei potentiæ: (nam illis fixum eſt, homines præferre Deo, nec unguem unum ab eo deflectere quod uſu & conſuetudine receptum habent) ſed ne abſque ratione videantur Deo eſſe rebelles, colorem hunc prætexunt ſuæ pervicaciæ. Ita cæco impetu infidelium animi ſecum tumultuantur, ut Dei manum ſibi oſtendi cupiant, nec tamen Divinam eſſe velint.

22. *Quum ergo ſurr. à mort. recordati.*] Recordatio hæc ſuperiori fuit ſimilis, cujus nuper meminit Euangeliſta. Loquentem Cbriſtum non intelligebant diſcipuli: poſtea ſuo tempore fructum protulit quæ fruſtra in aërem evanuiſſe videbatur doctrina. Ergo quamvis multa in Domini factis & dictis ad tempus obſcura ſint, non ideo tamen deſperandum eſt, nec ſpernendum quod non ſtatim aſſequimur. Obſervandus eſt contextus, Quod Scripturæ & Chriſti ſermoni crediderint. ſignificat enim Euangeliſta, Scripturam cum Cbriſti ſermone conferendo, fuiſſe adjutos ut in fide proficerent.

23. Quum autem eſſet in Paſchate Hieroſolymis die feſto, multi crediderunt in nomen ejus, videntes ſigna quæ edebat.

24. Ipſe autem Jeſus non credebat ſemetipſum eis, eo quod ipſe noſſet omnes,

25. Nec opus haberet ut quiſquam teſtaretur de homine: ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine.

23. *Multi crediderunt &c*] Appoſite banc narrationem proximæ coonectit. Signum quale petebant Judæi, Chriſtus non dederat. Nunc quum pluribus miraculis nihil aliud profecerit apud eos niſi ut frigidam & umbratilem fidem conciperent, ſatis comprobat hic eventus indignos fuiſſe quorum votis obtemperaret. Fuit quidem hic aliquis ſignorum fructus, quod in Cbriſtum multi crediderunt, adeoque in nomen ejus, ut ſe ejus doctrinam ſequi velle profiterentur. (*Nomen* enim auctoritatis loco bic poſitum eſt) poterat hæc qualiſcunque fidei ſpecies, quæ adhuc erat evanida, in veram fidem demum emergere: poterat bæc utilis eſſe præparatio ad celebrandum apud alios Cbriſti nomen. eſt tamen illud verum quod diximus, procul abfuiſſe à recto affectu, ut io divinis operibus proficerent ſicuti par erat. Cæterum non fuit hæc fidei ſimulatio qua venditare ſe apud bomines velleot: erant enim perſuaſi Chriſtum eſſe magnum aliquem Prophetam. fortaſſis etiam tribuebant illi bonorem Meſſiæ, cujus tunc magna paſſim erat expectatio. Sed quia proprium Meſſiæ officium non tenebant, præpoſtera erat eorum fides, quæ in mundo ac rebus terrenis hærebat. deinde frigida erat & ſerio cordis affectu vacua perſuaſio. Aſſentiuntur enim Euangelio hypocritæ, non ut ſe in obſequium Cbriſti addicant, nec ut ſincera pietate Deum ſequantur vocantem: ſed quia agnitam veritatem prorſus rejicere non audent, ac præſertim ubi nulla eſt repugnandi cauſa. Nam ſicuti non inferunt ultro nec gratis bellum Deo, ita ubi ſentiunt ejus doctrinam carni ſuæ praviſque cupiditatibus eſſe adverſam, ſtatim exacerbantur, vel ſaltem à fide jam concepta reſiliunt. Quos ergo Euangeliſta crediſſe dicit, ego non intelligo fidem ſimulaſſe quæ nulla eſſet, ſed coactos aliquo modo fuiſſe ut Chriſto nomen darent. non fuiſſe tamen veram & legitimam eorum fidem inde conſtat, quod illos è ſuorum numero Chriſtus excludit, cujus

judicio

judicio ſtandum eſt. Adde quod fides iſta tantum ex miraculis pendebat, nullam adhuc radicem egerat in Euangelio: ita nec fixa nec ſtabilis eſſe potuit. Adjuvantur quidem miraculis filii Dei ut ad fidem perveniant: ſed illud nondum eſt vere credere, quum Dei virtutem mirantur, ut doctrinam ſimpliciter credant eſſe veram, non autem penitus ſe illi ſubjiciant. Proinde ubi generaliter de fide ſermo habetur, ſciamus aliquam eſſe fidem quæ mente duntaxat apprehenditur, & poſtea facile evaneſcit: quia in corde infixa
Jacob. 2. noo eſt. atque ea eſt quam Jacobus vocat mortuam.
v. 17, 26. ſed vera fides Spiritu regeoerationis ſemper conſtat. Obſerva non eundem eſſe apud omnes operum Dei profectum: quoſdam enim ad Deum uſque adducunt: alios percellunt cæco tantum motu, ut Dei quidem potentiam animadvertant, ſed tamen noo deſinant vagari in ſuis cogitationibus.

24. *Jeſus non credebat.*] Quod exponunt quidam Chriſtum ab illis ſibi caviſſe, quia probos non eſſe ac fidos noverat, mihi non videntur ſatis exprimere Euangeliſtæ mentem. Longe etiam minus conveoit quod adducit Auguſtinus de catechumenis. Potius hoc vult Euangeliſta, meo judicio, noo habitos fuiſſe à Chriſto pro germanis diſcipulis, ſed tanquam leves ac frivolos fuiſſe contemptos. Locus diligenter notandus, non omnes qui ſe profitentur Chriſti eſſe, coram ipſo tales cenſeri. Sed adjungi ſimul debet quæ mox ſequitur ratio, *Quia omnes noverat.* Nihil hypocriſi periculoſius eſt, cum alias ob cauſas, tum quod vitium eſt pluſquam vulgare. Nemo fere eſt qui ſibi non placeat: dum autem inanibus blanditiis nos fallimus, Deum putamus nobiſcum cæcutire. Hic autem monemur quaotum ejus judicium à noſtro diſtet. Nam quæ involucris tecta nos fugiunt, ipſe perſpicit: quæ fucato ſplendore perſtringunt nobis oculos, ipſe ex occulto fonte, id eſt, intimo cordis affectu, æſtimat. Hoc eſt quod dicit Salomon, *Prov. 12. verſ. 1.*
Deum ſua trutina ponderare corda hominum, quum illi ſibi in viis ſuis blandiuotur. Meminerimus ergo eos demum veros eſſe Chriſti diſcipulos qui illi probati ſunt, quia ſolus eſt idoneus hujus rei arbiter ac judex. Nunc quæritur, quum dicit Euaogeliſta Chriſtum *noviſſe omnes*, eosne ſolos deſignet de quibus nuper loquutus eſt, an pertineat hoc ad univerſum hominum genus. Extendunt hoc multi ad communem hominum naturam, ac putant hic damnari totum mundum impiæ ac perfidæ ſimulationis. Et certe vera eſt ſententia, nihil poſſe inveniri in hominibus cur illos Chriſtus dignetur ſuorum numero. Sed ego contextui non video quadrare. reſtringo igitur ad eos quorum prius facta fuit mentio. Verum quia dubitari poterat unde hæc Chriſto notitia: hanc quæſtionem anticipans Euangeliſta, reſpondet perſpectum fuiſſe Chriſto quicquid in hominibus nos latet, ut poſſet jure ſuo inter homines diſcernere. Chriſtus ergo, qui cordium eſt cognitor, monitore opus non habuit ut ſciret quales eſſent iſti. Eo autem ingeoio præditos, & eo animi affectu eſſe noverat, ut merito à ſe alienos duceret. Quod quidam rogant annon exemplo Chriſti ſuſpectos etiam habere poſſimus qui ſuæ probitatis ſpecimen nobis noo dederunt, nihil ad præſentem locum facit. noſtra enim ratio longe diverſa eſt: quia Chriſtus ipſas arborum radices notas habebat: nos vero nonniſi ex fructibus qui palam apparent, cognoſcimus qualis ſit unaquæque arbor. Porro quum charitas (teſte Paulo) ſuſpi- *1 Cor. 13.*
cax non ſit, de hominibus ignotis ſiniſtre abſque *verſ. 4.*
cauſa ſuſpicari fas non eſt. Cæterum ne ab hypocritis ſemper fallamur, & ne improbis eorum fallaciis nimium expoſita ſit Eccleſia, proprium Chriſti eſt, nos Spiritu diſcreuionis inſtruere.

CAP. III.

Erat autem homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine, princeps inter Judæos.

2. Hic venit ad Jeſum nocte, ac dixit illi, Rabbi, ſcimus quod à Deo veneris magiſter. nemo enim hæc ſigna poteſt facere quæ facis, niſi ſit Deus cum illo.

3. Reſpondit Jeſus, & dixit illi, Amen, amen dico tibi, niſi quis iterum natus ſit, non poteſt videre regnum Dei.

4. Dicit illi Nicodemus, Quomodo poteſt homo naſci quum ſit ſenex? numquid poteſt rurſus in uterum matris ſuæ ingredi, & naſci?

5. Reſpondit Jeſus, Amen, amen dico tibi, niſi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt ingredi in regnum Dei.

6. Quod natum eſt ex carne, caro eſt: & quod natum eſt ex Spiritu, ſpiritus eſt.

1. *Erat autem homo ex.*] Nunc in perſona Nicodemi ſpectandum nobis Euangeliſta proponit quam fluxa & caduca fuerit eorum fides, qui miraculis commoti Chriſto repeote nomen dederant. Hic enim quum ordioe Phariſæus eſſet, & principem locum teneret in ſua gente, longe ſupra alios excellere debuit. nam in vulgo ut plurimum regnat levitas. Hunc autem qui doctrina & uſu pollebat, gravem quoque & cordatum hominem eſſe quis non putaſſet? Atqui ex reſponſo Chriſti conſtat, nihil minus quam ad diſcenda pietatis rudimeota paratum veniſſe. Si primarius inter viros minus eſt quam puer, quid de promiſcuo grege ſentiendum? Quanquam autem conſilium Euangeliſtæ fuerit nobis velut in ſpeculo monſtrare quam pauci Hieroſolymis ad recipiendum Euangelium rite diſpoſiti eſſent, aliis tamen nominibus hæc nobis hiſtoria apprime utilis eſt: ac præſertim quod in ea docemur de corrupta humani generis natura, quis rectus ſit in ſcholam Chriſti iogreſſus, quibus initiis formari nos ad profectum cœleſtis doctrinæ oporteat. Concioois enim quam habet Chriſtus hæc ſumma eſt, ut veri ſimus ejus diſcipuli, nos oportere fieri novos homines. Verum antequam longius progredimur, ex circumſtantiis quas Euaogeliſta hic recitat, expendere convenit quæ impedimenta Nicodemum tenuerint ne ſe totum Chriſto daret. *Ex Phariſæis.* Hoc quidem honorificum Nicodemo fuit apud ſuos: ſed Euangeliſta illi titulum hunc non tribuit honoris cauſa; ſed potius obſtaculum fuiſſe notat quominus libere & ſoluto animo ad Chriſtum veniret. Unde monemur, qui in mundo excellunt, ut plurimum implicitos teneri peſſimis laqueis: imo ſic videmus multos teneri conſtrictos ut oe leviſſimo quidem voto in cœlum tota vita aſpirent. Unde dicti ſint Phariſæi, alibi docuimus: nam quaſi medullam Scripturæ & arcaoum ſenſum tenerent, ſolos Legis interpretes ſe eſſe jactabant, atque hac ratione vocabant ſe Pherusim. Eſſenis tametſi auſterior vita conciliabat ſanctitatis famam, quia tamen eremitis ſimiles à communi vita & hominum conſuetudine diſſidebant, ideo Phariſæorum ſecta in majori pretio erat. Porro Euangeliſta non tantum commemorat Nicodemum ordine fuiſſe Phariſæum, ſed unum ex gentis ſuæ primoribus.

2. *Venit ad Jeſum nocte.*] Quod noctu venit, inde

nimis

Digitized by Google

nimis timidum fuiſſe colligimus. ſuo enim ſplendore oculos quaſi perſtrictos habebat. Obſtabat etiam forte pudor: quia ambitioſi homines de ſua fama actum eſſe putant ſi ad diſcentium ordinem ex magiſtrali faſtigio ſemel deſcenderint. Nec dubium eſt qoin ſtulta ſcientiæ opinione inflatus fuerit: denique quum ſe magni faceret, ſibi decedere quicquam nolebat. Et tamen aliquod pietatis ſemen in eo ſe profert, quod Dei Propbetam apparuiſſe audiens, doctrinam cælitus allatam non contemnit nec negligit, ſed aliquo ejus deſiderio tenetur. quod ſtudium non niſi ex Dei timore & reverentia natum erat. Multos titillat frivola curioſitas ut, de rebus novis avide inquirant: ſed non dubium eſt quin Nicodemum religio conſcientiæ ſenſus impulerit ut Chriſti doctrinam familiarius noſſe cuperet. Ac quanquam ſemen illud diu quaſi emortuum latuit, mortuo tamen Cbriſto fructum produxit qualem nemo unquam ſperaſſet. *Rabbi, ſcimus.* Tantundem valent hæc verba acſi dixiſſet, Magiſter, ſcimus quod veneris magiſter. Sed quum tunc literiti homines vulgo Magiſtri dicerentur, Nicodemus priore loco Chriſtum ex more ſalutans, uſitatum nomen illi tribuit: poſtea autem *à Deo* miſſum eſſe affirmat, qui magiſterio fungatur. Atque ab hoc principio pendet omnis doctorum auctoritas in Eccleſia. Nam quum ex ſolo Dei verbo ſapere nos oporteat, non alii certe audiendi ſunt niſi quorum ore Deus loquitur. Et notandum eſt, quum apud Judæos religio valde corrupta & prope diſſipata eſſet, hoc tamen axioma ſemper fuiſſe tetentum, Non eſſe legitimum doctorem niſi qui à Deo profectus erat. Cæterum quia oulli ſuperbius ac ſecurius gloriantur Dei titulo quam pſeudopropbetæ, diſcretiooe hic opus eſt qua ſpiritus probentur. Ideo ſubjicit Nicodemus, conſtare Chriſtum eſſe divinitus miſſum, quia Deus ſuam in eo virtutem potentius exerat quam ut negari poſſit Deum illi adeſſe. Sumit autem pro confeſſo, Deum non ſolere niſi per ſuos miniſtros operari, ut ita quod illis injunxit munus obſignet. Neque id temere, quum miracula Dominus ſemper doctrinæ ſuæ ſigilla eſſe voluerit. Recte etiam Deum facit unicum miraculorum auctorem, quum dicit neminem poſſe hæc ſigna facere niſi Deus ſit cum illo. perinde enim eſt acſi aſſereret non humanitus fieri, ſed Dei virtutem hic tegnare, & palam eminere. In ſumma, quum duplex ſit miraculorum fructus, ut præparent ad fidem, deinde ut eam ex verbo conceptam melius confirment: in priore parte Nicodemus recte profecerat, quia verum Dei Propbetam ex miraculis Chriſtum agnoſcit. Videtur tamen hoc parum eſſe firmum: nam quum ſemel Propbetæ fallaciis ſuis imperitos non ſecus deludant quam ſi veris ſignis Dei miniſtros ſe probarent, quale diſcrimen erit veritatis & mendacii, *Deut. 13. verſ. 5.* ſi ex miraculis pendeat fides? Imo diſerte Moſes pronunciat hoc modo nos tentari an Deum amemus. *Mat. 24 verſ. 24. 2 Theſ. 2. verſ. 9.* Nota quoque eſt Chriſti & Pauli admonitio, ut ſibi à ſignis mendacibus caveant fideles, quibus Antichriſtus multorum perſtrioget oculos. Reſpondeo, fieri quidem juſto Dei permiſſu ut fallantur Satanæ præſtigiis qui digni ſunt: verum id non obſtare dico quin electis appareat Dei virtus in miraculis, quæ illis ſit veræ ſanæque doctrinæ non ſpernenda ap- *2 Cor. 12. verſ. 12.* probatio. Sic Paulus gloriatur Apoſtolatum ſuum ſignis & virtutibus ſancitum fuiſſe. Ergo utcunque in tenebris ſe pro Dei ſimia jactet Satan, ubi tamen apetti ſunt oculi, & lux ſpiritualis prudentiæ affulget, miracula Dei præſentiam qualem bic prædicat Nicodemus, ſatis ſolide teſtantur.

3. *Amen, amen dico tibi.*] Quod bis vocem *Amen* repetit Chtiſtus, id facit excitandæ attentionis cauſa: nam de re omnium maxime ſeria & gravi verba facturus, neceſſe babuit Nicodemum magis attentum reddere, qui alioqui totum bunc ſermonem neglectim aut leviter præteriiſſet. huc ergo ſpectat duplex aſſeveratio. Cæterum quanquam longe petitus & prope intempeſtivus videtur hic ſermo, aptiſſime tamen inde exorſus eſt Chriſtus. Nam ſicuti fruſtra in agro inculto ſemen ſpargitur, ita etiam temere projicitur Euangelii doctrina, niſi prius ſubactus fuerit auditor, & rite ad obedientiam ac docilitatem compoſitus. Videbat Chriſtus multis ſpinis refertum Nicodemi animum, multis vitioſis berbis præfocatum, ut vix ſpirituali doctrinæ ullus eſſet locus. Hæc igitur exbortatio, arationis inſtar fuit ad eum purgandum, ne quid doctrinæ profectum impediret. Quare meminerimus ita ſemel uni hoc fuiſſe dictum ut eadem quotidie voce nos omnes Filius Dei compellet. Quis enim noſtrum pravis affectibus vacuum ſe dicet, ut tali purgatione opus non babeat? Ergo ſi probe & utiliter in Chriſti ſchola proficere libet, hinc exordium facere diſcamus. *Niſi quis iterum natus.* Acſi diceret, Quamdiu non habes quod præcipuum eſt in regno Dei, noo multi boc facio quod me agnoſcis magiſtrum: hic enim primus in regnum Dei ingreſſus eſt ut ſis novus homo. Quoniam autem inſignis eſt hæc ſenteotia, ſingulas partes propius excutere convenit. *Videre regnum Dei* idem valet ac Ingredi in regnum Dei: ſicuti mox patebit ex contextu. Sed falluntur qui regnum Dei pro cælo accipiunt: quum potius ſpiritualem vitam ſignificet, quæ fide in boc mundo inchoatur, magiſque in dies adoleſcit, ſecundum aſſiduos fidei progreſſus. Ita ſenſus eſt, neminem vere aggregari in Eccleſiam poſſe, ut cenſeatur inter Dei filios, quin prius renovatus ſit. Itaque breviter hic oſtenditur quale ſit Chtiſtianiſmi initium. Atque bac loquutione ſimul docemur, exules nos ac prorſus alienos à regno Dei naſci, ac perpetuum nobis cum ipſo diſſidium eſſe, donec alios ſecunda genitura nos faciat. Generalis enim eſt ſententia, quæ complectitur totum humanum genus. Si uni boc dixiſſet Cbriſtus, vel paucis, non poſſe eos pervenire io cælum niſi prius renati eſſent, poſſemus conjicere certas perſonas duntaxat notari: ſed de omnibus ſine exceptione loquitur. Eſt enim indefinita oratio, quæ tantundem valet ac univerſalis, Quicunque non fuerit renatus, &c. Porro verbo Renaſcendi non partis unius correctionem, ſed renovationem totius naturæ deſignat. *Renaſcendi verbo quid ſignificetur.* unde ſequitur nihil eſſe in nobis niſi vitioſum. Nam ſi in toto & ſingulis partibus neceſſaria eſt reformatio, corruptionem ubique diffuſam eſſe oportet. Qua de re paulo poſt fuſius dicendum erit. Eraſmus, Cyrilli opinionem ſequutus, adverbium ἄνωθεν male tranſtulit E ſuperois. Ambigua eſt, fateor, illius ſignificatio apud Græcos: ſed Chriſtum Hebraice cum Nicodemo loquutum eſſe ſcimus. Porro illic amphibologiæ locus non fuiſſet, qua deceptus Nicodemus, in ſecunda carnis nativitate pueriliter bæſitat. Nihil ergo aliud concepit ex Chriſti ſermone, quam hominem rurſum naſci oportere, antequam in regno Dei cenſeatur.

4. *Quomodo poteſt homo naſci.*) Tametſi loqueodi forma, qua uſus eſt Chtiſtus, in Lege & Prophetis expreſſa non erat, quum tamen paſſim in Scriptura renovationis mentio occurrat, ſitque unum ex primis fidei rudimentis, conſtat quam infeliciter Scribæ tunc in Scripturæ lectione verſati ſint. Non fuit certe unius hominis vitium, neſcire quid ſibi vellet regenerationis gratia: ſed quum in frivolis argutiis ſe occuparent fere omnes, quod in pietatis doctrina præcipuum eſt negligebatur. Quale bodie exemplum Papatus in ſuis Theologis nobis præbet. nam quum tota vita ſe in reconditis ſpeculationibus fatigent, quicquid proprie ad cultum Dei, ad ſalutis noſtræ fiduciam, ad pietatis exercitia ſpectat, nihilo illis notius eſt quam ſutori vel bubulco aſtrorum curſus: imo ſibi in exoticis myſteriis placentes, genuinam Scripturæ doctrinam, quaſi

magiſtrali gradu indignam, ex profeſſo contemnunt. Non eſt ergo quod miremur Nicodemum hic velut ad feſtucam impingere. eſt enim hæc juſta Dei ultio, ut qui ſibi præſtantiſſimi ac ſummi videntur doctores, quibus ſordet ac vilis eſt communis doctrinæ ſimplicitas, in minutis articulis obſtupeſcant.

5. *Niſi quis natus fuerit ex aqua.*] Locus hic varie expoſitus fuit. quidam enim putarunt duas regenerationis partes diſtincte exprimi, & ſub Aquæ nomine veteris hominis abnegationem notari: per Spiritum vero intellexerunt novam vitam. Alii tacitam antitheſin ſubeſſe putant, quaſi Aquam & Spiritum (pura ſcilicet ac liquida elementa) Chriſtus terreſtri & craſſæ hominum naturæ opponat. Ita allegorice hoc accipiunt dictum, quaſi juberet Chriſtus nos gravem & oneroſam carnis maſſam exuere, & fieri aquæ & aëris ſimiles, ut ſurſum tendamus, vel ſaltem non ita degravemur in terram. Sed utraque opinio mihi aliena videtur à Chriſti mente. Chryſoſtomus (cui major pars ſubſcribit) Aquæ nomen ad Baptiſmum refert. ita ſenſus eſſet nos per Baptiſmum ingredi in regnum Dei, quia illic nos Spiritus Dei regenerat. Hinc factum eſt ut præciſa Baptiſmi neceſſitas ſtatueretur ad ſpem vitæ æternæ. Atqui etiamſi demus Chriſtum hic loqui de Baptiſmo, non tamen ſic urgenda ſunt verba ut ſalutem in externo ſigno includat: ſed ideo potius Aquam Spiritui adjungit, quia ſub illo viſibili ſymbolo, quam Deus Spiritu ſuo vitæ novitatem ſolus in nobis efficit, teſtatur atque obſignat. Verum quidem eſt, Baptiſmi neglectu arceri nos à ſalute: atque hoc ſenſu neceſſarium eſſe fateor. ſed ſalutis fiducia præpoſtere ſub ſigno includitur. Quantum vero ad hunc locum attinet, nullo modo adducor ut Chriſtum de Baptiſmo verba facere credam. hoc enim fuiſſet intempeſtivum. Tenendum enim ſemper memoria eſt conſilium Chriſti quod ante expoſuimus: nempe quod Nicodemum hortari voluit ad vitæ novitatem, quia Euangelii capax non erat donec alius homo eſſe inciperet. Eſt igitur una & ſimplex ſententia, nos de integro naſci oportere, ut filii Dei ſimus, atque bujus ſecundæ geniture Spiritum ſanctum eſſe auctorem. Nam quum Nicodemus Pythagoricam palingeneſiam ſomniaret, Chriſtus ut hunc illi errorem eximeret, interpretationis vice addidit, non fieri naturaliter ut ſecundo naſcantur homines, nec opus eſſe ut alterum corpus induant: ſed naſci, quum mente & animo renovantur per Spiritus gratiam. Ideo Spiritum & Aquam pro eodem poſuit: neque hoc durum aut coactum videri debet. frequens ac tritus loquendi mos eſt in Scriptura, quum de Spiritu fit mentio, ad exprimendam ejus vim, Aquæ vel Ignis nomen adjungi. Jam aliquoties habuimus Chriſtum eſſe qui baptizat Spiritu ſancto & igni: ubi ignis nihil à Spiritu diverſum ſonat, ſed tantum qualis ejus in nobis ſit efficacia, oſtendit. Quod autem hic proponit nomen Aquæ, non multum ad rem intereſt: imo hæc loquutio melius fluit quam altera: quia ſcilicet metaphoram ſequitur nuda & aperta ſententia, acſi diceret Chriſtus, neminem eſſe Dei filium donec per aquam renovatus fuerit: hanc vero aquam, eſſe Spiritum qui nos repurgat, & qui virtute ſua in nos diffuſa, vigorem inſpirat cæleſtis vitæ, quum natura prorſus aridi ſumus. Et merito Chriſtus, ut Nicodemo ſuam inſcitiam exprobret, formam loquendi Scripturæ uſitatam adducit. debuit enim agnoſcere tandem Nicodemus, quod à
Ezec. 36. Pſal. 51. Purificationes Legis. Chriſto dictum erat, ex communi Prophetarum doctrina eſſe ſumptum. Ergo Aqua nihil aliud eſt quam interior Spiritus ſancti purgatio & vegetatio. Adde quod non eſt inſolens copulam exegetice ſumi, quum ſcilicet poſterius membrum explicatio eſt prioris. Ac mihi etiam contextus ſuffragatur. nam quum mox rationem Chriſtus ſubjicit cur nos renaſci oporteat, præterita aquæ mentione, ſolo Spiritu quam exigit vitæ novitatem conſtare docet. unde ſequitur aquam non eſſe à Spiritu ſeparandam.

6. *Quod natum eſt ex carne.*] Probat à contrariis clauſum nobis omnibus eſſe regnum Dei, niſi per palingeneſiam ingreſſus nobis pateſiat. Sumit enim illud pro confeſſo, Non poſſe nos ingredi in regnum Dei, niſi ſpirituales ſimus. Atqui ex utero nihil afferimus niſi carnalem naturam. Sequitur ergo nos omnes naturaliter exulare à regno Dei, & cæleſti vita privatos manere ſub mortis ſervitute. Porro quum Chriſtus hic ratiocinetur renaſci oportere homines, quia tantum caro ſunt: totum proculdubio hominem ſub carne comprehendit. *Caro* itaque non corpus hoc loco ſignificat, ſed animam ſimul, adeoque ſingulas ejus partes. *Caro quid.* Nam inſulſe Papiſtæ theologaſtri ad partem quam vocant ſenſualem reſtringunt: quia hoc modo ineptum eſſet Chriſti argumentum, Secunda nativitate opus eſſe, quia pars noſtri vitioſa ſit. Quod ſi Caro Spiritui opponitur tanquam corruptum integro, perverſum recto, pollutum ſancto, inquinatum ſincero: inde colligere promptum eſt totam hominis naturam uno verbo damnari. Mentem ergo noſtram & rationem Chriſtus vitioſam eſſe pronunciat, quia carnalis eſt: omnes cordis affectus pravos eſſe & reprobos, quia ipſi quoque ſunt carnales. Verum hic objici poteſt quæſtio, Quum anima non gignatur ex humana ſobole, præcipua noſtri parte nos ex carne non naſci. Hinc factum eſt ut putarent multi non modo ſecundum corpus nos à parentibus ducere originem, ſed animas ſimul ex traduce propagari. Abſurdum enim videbatur, peccatum originale, quod propriam in anima ſedem habet, ab uno homine diffuſum eſſe in omnes poſteros, niſi animæ omnes ex illius anima, tanquam ex fonte, manaſſent. Et certe hoc primo aſpectu videntur innuere Chriſti verba, nos ideo eſſe carnem quia ex carne naſcimur. Reſpondeo, quantum ad verba Chriſti ſpectat, non alium eſſe ſenſum, quam nos omnes carnales eſſe ut naſcimur; & quatenus in hunc mundum prodimus homines mortales, naturam noſtram nihil niſi carnem ſapere. Simpliciter enim hic inter naturam & ſupernaturale donum diſtinguit. Nam quod in perſona unius Adæ totum genus humanum corruptum fuit, non tam ex genitura provenit quam ex Dei ordinatione: qui ſicut in uno homine nos omnes ornaverat, ita ſpoliavit ſuis donis. Quare non tam unuſquiſque noſtrum à parentibus ſuis vitium & corruptionem contrahit, quam omnes pariter in uno Adam corrupti ſumus. quia ſtatim poſt ejus defectionem Deus quod naturæ humanæ dederat, abſtulit. Suboritur etiam alia quæſtio: certum enim eſt in hac degenere vitiataque natura manere tamen aliquid donorum Dei reſiduum: unde ſequitur non omni ex parte nos eſſe perverſos. Solutio facilis eſt, Dona quæ nobis reliqua fecit Dominus poſt lapſum ſi per ſe æſtimentur, laude quidem eſſe digna: ſed quum per omnes partes graſſetur mali contagio, nihil in nobis ſincerum reperietur & omni inquinamento vacuum. Quod aliqua Dei notitia nobis adnaſcitur, quod in conſcientia inſculptum eſt aliquod boni & mali diſcrimen, quod ingenio pollemus ad tuendam præſentem vitam, quod denique tot modis antecellimus brutas pecudes, id per ſe, ut à Deo proficiſcitur, præclarum eſt: ſed in nobis perinde inquinata ſunt hæc omnia, atque vinum vaſis ſui fœtore prorſus infectum ac imbutum, boni ſaporis gratiam perdit, imo guſtu & amarum & noxium eſt. Notitia enim Dei, qualis nunc hominibus reſtat, nihil aliud eſt quam horrenda idololatriæ & ſuperſtitionum omnium ſcaturigo: judicium in rerum delectu & diſcrimine

partim

partim cæcum ac præpoſterum, partim mutilum & confuſum: quicquid induſtriæ habemus, in vanitatem & nugas defluit: voluntas autem ipſa furioſo impetu præcox, tota ad malum rapitur. Itaque io tota natura nulla rectitudinis gutta ſupereſt. Unde conſtat ſecunda genitura nos ad regnum Dei formandos eſſe: idque volunt Chriſti verba, Quia homo ex utero matris carnalis tantum naſcitur, Spiritu refingendum eſſe, ut ſpiritualis eſſe incipiat. Et Spiritus nomeo bifariam hic capitur: nempe pro gratia, & effectu gratiæ. Priore enim loco Chriſtus Spiritum Dei unicum puræ & rectæ naturæ auctorem eſſe docet: poſtea nos ſpirituales eſſe ſignificat, ex quo ſumus ejus virtute renovati.

7. Ne mireris quod dixi tibi, Oportet vos naſci de integro.
8. Spiritus quo vult ſpirat, & vocem ejus audis: ſed neſcis unde veniat, nec quo
vadat: ſic eſt omnis qui genitus eſt ex Spiritu.
9. Reſpondit Nicodemus, & dixit illi, Quomodo poſſunt hæc fieri?
10. Reſpondit Jeſus, & dixit ei, Tu es magiſter Iſraëlis, & hæc ignoras?
11. Amen, amen dico tibi, quod novimus, loquimur; & quod vidimus, teſta-
mur: & teſtimonium noſtrum non recipitis.
12. Si terreſtria dixi vobis, & non creditis: quomodo ſi dixero vobis cæleſtia, credetis?

7. *Ne mireris.*] Varie hunc locum torqueot interpretes. Quidam Nicodemi & ſimilium craſſitiem perſtriogi putant: acſi diceret Chriſtus oon eſſe mirum ſi cæleſte illud regeneratioois myſterium non capiant, quando ne in ordine quidem naturæ, eorum quæ ſub ſenſus cadunt, rationem aſſequuotur. Alii argutum quidem, ſed nimis coactum ſenſum excudunt. Sicuti liber eſt venti flatus, ita Spiritus genitura nos in libertatem reſtitui, ut ſoluti à peccati jugo, ſponte ad Deum curramus. Alieoum etiam prorſus eſt à Chriſti mente quod affert Auguſtinus, Spiritum Dei ſuo arbitrio eſſe efficacem. Melius Chryſoſtomus & Cyrillus, qui ſimilitudinem à vento ſumptam eſſe dicunt, atque ita accommodaot ad præſentem locum, Quum vis ejus ſentiatur, originem tamen & cauſam latere. Ego, ut ab eorum ſententia non longe diſcedo, ita Chriſti ſenſum & clarius & certius exponere conabor. Retineo principium illud quod ſimilitudinem mutuetur Chriſtus ab ordine naturæ. Iocredibile ducebat Nicodemus quod de regeoeratiooe & oova vita audierat: quia regenerationis hujus modus altior erat ejus captu. Chriſtus, ut ejuſmodi ſcrupulum illi eximat, in vita etiam corporali mirificam Dei virtutem extare docet, cujus ratio occulta eſt. Hauriunt eoim omoes ex aëre vitalem ſpiritum: ipſa aëris agitatio ſenſu percipitur: uode tamen proveoiat & quo abeat neſcimus. Si in hac caduca & evanida vita tam potenter agit Deus ut mirari cogamur ejus virtutem: quam abſurdum eſt, in cæleſti ac ſupernaturali vita arcanum ejus opus mentis noſtræ apprehenſione velle metiri, ut noo plus credamus
1 Cor. 15. verſ. 36. quam apparet? Sic Paulus, quum adverſus eos invehitur qui reſurrectionis doctrinam ideo abjiciuot quod impoſſibile videtur, corpus, quod nunc putredini obnoxinm eſt, ubi in pulverem & nihilum redactum fuerit, beata immortalitate indui: ſocordiam illis exprobrat, quod in grano tritici non conſiderent ſimilem potentiam. neque enim germinat ſemen, donec putrefactum fuerit. Hæc
Pſal. 104. verſ. 24. illa eſt admirabilis ſapientia de qua exclamat David. Nimis ergo ſtupidi ſunt, qui commuoi naturæ ordine admoniti, noo altius aſſurgunt, ut Dei manum in ſpirituali Chriſti regno longe potentiorem agnoſcant. Cæterum quod mirari vetat Chriſtus, non ita accipere convenit quaſi ſordere nobis velit tam præclarum Dei opus, & quod præcipua admiratione dignum eſt: ſed admiratione nos teneri non vult quæ fidem noſtram impediat. Multi enim reſpuunt, quaſi fabuloſum, quod nimis arduum ac difficile putant. In ſumma, ne dubitemus Spiritu Dei nos refingi, ac fieri novos homines, quamvis agendi modus nos lateat.

8. *Spiritus quo vult ſpirat.*] Non quod proprie voluntas ſit in flatu, ſed quia libera ſit agitatio, & vaga & varia. nunc enim aër in hanc, nunc in illam partem fertur. Hoc autem ad rem facit: quia ſi inſtar aquæ contiouo motu flueret, minus eſſet in eo miraculi. *Sic eſt omnis.* Significat Chriſtus non minus perſpici in homiois renovatione Spiritus Dei motum & actionem, quam aëris io hac terreſtri & externa vita: ſed modum eſſe reconditum. Nos ergo ingratos eſſe & malignos ſi incomprehenſibilem Dei virtutem in cæleſti vita noo adoramus, cujus tam illuſtre ſpecimen io hoc mundo nobis exhibet: ſi mious in reſtituenda animæ ſalute illi tribuimus, quam in tuendo corporis ſtatu nobis demonſtrat. Applicatio paulo erit clarior ſi ſententiam ita reſolvas, Talis eſt vis & effectus Spiritus ſancti io homine regenito.

9. *Quomodo poſſunt hæc fieri?*] Videmus quid maxime obſtet Nicodemo: quicquid audit, portento ſimile exiſtimat, quia modum non aſſequitur. Ita oullum nobis pejus obſtaculum eſt quam propria arrogaotia, quod ſcilicet ſapere ſemper volumus pluſquam oportet: ac proinde diabolico faſtu rejicimus quicquid rationi noſtræ oon eſt expoſitum. Quaſi vero immenſam Dei potentiam ad tam anguſtum modulum reſtringi æquum ſit. Licet quidem de modo & ratione operum Dei aliquatenus inquirere, modo ſobrie & reverenter: ſed Nicodemus hac objectione, quaſi fabulam repudiat quod fieri poſſe noo credit. Qua de re plenius tractabimus cap. 6.

10. *Tu es magiſter Iſraëlis.*] Quia fruſtra apud hominem ſuperbum, tempus & operam, docendo, ſe conſumere videt Chriſtus, ad objurgationem deſcendit. Et certe apud tales nullus unquam doctrinæ profectus erit, donec pravæ confidentiæ flatu, quo turgeot, exinaniti fuerint. Porro hoc ad domandum faſtum aptiſſime illi objicitur. nam in quo ſibi maxime videtur acutus & prudens, ejus inſcitiam Chriſtus exagitat. Hoc gravitatis & perſpicaciæ eſſe ducebat, rem impoſſibilem non admittere: quia ſtulte credulus eſt qui alterius dictis, nondum bene comperta ratione, annoit. Sed interea ridiculus eſt Nicodemus cum ſuo magiſtrali ſupercilio, quod in primis elementis magis quam pueriliter hæſitat. Talis certe dubitatio turpis ac pudenda eſt. qualis enim religio, qualis Dei notitia, qualis regula bene vivendi, qualis ſpes vitæ æternæ, niſi tenemus hominem Spiritu Dei renovari? Eſt ergo emphaſis in voce *Hæc*. Quia enim hanc doctrinæ partem Scriptura identidem inculcat, ne poſtremis quidem tironibus ignota eſſe debet. Nullo itaque modo ferendum eſt ut ejus ignarus ſit ac rudis qui doctorem ſe in Eccleſia profitetur.

11. *Quod novimus, loquimur.*] Quidam ad Chriſtum & Joannem Baptiſtam hoc referunt: alii numerum pluralem loco ſingularis poſitum eſſe dicunt. Ego vero oon dubito quin ſe Chriſtus omnibus Dei Prophetis conjungat, & communiter loquatur in omnium perſoos. Philoſophi enim aliique ventoſi

doctores nugas ſæpe quas commenti ſunt, ingerunt: hoc autem Chriſtus ſibi & omnibus Dei ſervis tanquam proprium vendicat, quod nonniſi certam doctrinam tradunt. neque enim mittit Deus qui de rebus ignotis vel dubiis garriant: ſed eos in ſchola ſua format, ut quæ ab ipſo didicerint, aliis deinde tradant. Porro ſicuti Chriſtus hoc elogio doctrinæ ſuæ certitudinem nobis commendat, ita ſuis omnibus miniſtris legem modeſtiæ præſcribit, ne propria ſomnia vel conjecturas obtrudant: ne in medium proferant humana figmenta, quibus nihil ſolidi ſubeſt: ſed fidele ac purum Deo teſtimonium reddant. Videat ergo quiſque quid ſibi à Domino revelatum ſit: nequis fidei ſuæ metas tranſiliat: nequis denique ſibi loqui permittat niſi quod à Domino audierit. Notandum etiam eſt quod Chriſtus doctrinam ſuam jurejurando hic confirmat, ut plena illi apud nos conſtet auctoritas. *Teſtimonium noſtrum non recipitis.* Hoc ideo additur nequid decedat Euangelio ob hominum iogratitudinem. Quia enim apud paucos fidem invenit Dei veritas, paſſim vero repudiatur à mundo, à contemptu aſſerenda eſt: ne adeo minori in pretio ſit ejus Majeſtas quod illam totus fere mundus ſuperbe deſpicit & ſua impietate obſcurat. Quanquam autem ſimplex & unus eſt verborum ſeoſus, duplex tameo ex hoc loco doctrina colligenda eſt. prior, ne labaſcat apud nos Euangelii fides, ſi paucos in terra diſcipulos habeat: acſi diceret Chriſtus, Utcunque non recipiatis doctrinam meam, manet nihilominus certa & ſtabilis: quia nuoquam efficiet hominum incredulitas quin Deus perpetuo verax maneat. Altera, quod non impuoe effugient qui hodie abrogant fidem Euangelio, quando ſacroſancta eſt Dei veritas. Hoc clypeo munitos eſſe nos oportet, ut adverſus hominum cootumaciam in obedientia Euangelii pergamus. Teoendum quidem hoc principium eſt, ut io Deo fuodata ſit fides noſtra. Sed ubi Deum habemus auctorem, tanquam ſupra cælos evecti ſecure debemus totum muodum potius calcare, vel ex alto deſpicere, quam ut nos quorundam infidelitas perturbet. Quod teſtimonium ſuum onn recipi conqueritur Chriſtus, inde colligimus, verbo Dei omoibus ſeculis hoc fuiſſe quaſi fatale, ut apud paucos fidem obtineret. Nam ad majorem numerum, & fere ad totum populi corpus pertinet verbum *Non recipitis.* Quare non eſt quod hodie nos exanimet fidelium paucitas.

12. *Si terreſtria.*] Concludit Chriſtus, Nicodemo & ſimilibus eſſe imputandum ſi in Euangelii doctrina minus proficiant. Per ſe enim non ſtare oſtendit quominus omnes recte inſtituat, quando ad terram uſque deſcendit ut nos in cælum attollat. Hoc nimis tritum vitium eſt ut ſubtiliter & argute doceri homines appetant. Hinc taotopere bonæ parti arrident altæ & abſtruſæ ſpeculationes. Hinc etiam minoris Euangelium æſtimant plerique quod illic magniloquentiam non reperiunt quæ ipſorum aures impleat. itaque in ſtudio vulgaris & humilis doctrinæ ſe occupare noo dignantur. Atqui nimia eſt iſta improbitas, quod ideo minus honoris deferimus loquenti Deo quia ſe ille ad ruditatem noſtram demittit. Ergo quod craſſe & plebeio ſtylo nobiſcum balbutit Dominus in Scriptura, hoc ſciamus cauſa noſtra fieri. Quiſquis tali humilitate offendi ſe jactat, vel prætexit quominus Dei verbo ſe ſubjiciat, mentitur. qui enim Deum ſibi propinquum amplecti non ſuſtinet, multo minus ſupra nubes ad eum evolabit. *Terreſtria* quidam exponunt rudimenta ſpiritualis doctrioæ. Nam abnegatio ooſtri quoddam eſt pietatis tirocinium. Sed potius iis ſubſcribo qui hoc ad docendi formam referunt. tametſi enim cæleſtis fuit tota Chriſti concio, adeo tamen familiariter loquutus eſt ut ſermo ipſe terreſtris quodammodo poſſit videri. Præterea non debent verba hæc reſtringi ad unicam concionem. hic enim uſitata quam tenuit Chriſtus docendi ratio (hoc eſt, plebeia ſimplicitas) cum pompa & ſplendore confertur, cui ambitioſi homines nimis cupide addicti ſunt.

13. Et nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit è cælo, Filius hominis qui eſt in cælo.
Num. 21. 14. Et ſicut Moſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium ho-
verſ. 9. minis:
15. Ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.
16. Sic enim Deus dilexit mundum ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis qui
credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.
17. Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut condemnet mundum: ſed ut
ſervetur mundus per eum.
18. Qui credit in eum, non condemnatur: qui vero non credit, jam condemnatus eſt:
quia non credidit in nomen unigeniti Filii Dei.

13. *Nemo aſcendit in cælum.*] Iterum hortatur Nicodemum ne ſibi ac ſuæ perſpicaciæ confidat: neminem enim mortalium poſſe ſua induſtria in cælum penetrare, niſi qui duce Filio Dei illuc tendet. Aſcenſus enim in cælum puram myſteriorum Dei notitiam & ſpiritualis iotelligentiæ lucem ſignificat.
2 Cor. 2. verſ. 14. Idem eoim hoc loco docet Chriſtus quod Paulus, quum proounciat non capere hominem animalem quæ Dei ſunt. Itaque totum humani ingenii acumen à rebus divinis arcet, quia longe infra Deum ſubſidit. Sed notanda ſuot verba, ſolum Chriſtum, qui cæleſtis eſt, in cælum aſcendere, aliis omnibus præcluſum eſſe ingreſſum. Sed priore membro nos humiliat, quum totum mundum à cælo prohibet. Jubet
1 Cor. 3. verſ. 18. Paulus ſtulteſcere apud ſeipſos quicunque Deo ſapere cupiunt: nihil minus libenter facimus. Ergo tenenda eſt ſenteotia, evaneſcere ac deficere ſenſus omnes noſtros quum ad Deum venitur. ſed poſtquam cælum nobis clauſit Chriſtus, remedium in promptu offert, quum addit, Filio hominis datum eſſe quod omnibus aliis negatum eſt. Neque enim quod aſcendit in cælum, id ſibi privatim ac ſolus facit, ſed ut nobis dux ſit & director. Atque hac cauſa vocavit ſe Filium hominis, ne dubitemus communem nobis cum eo eſſe ingreſſum: qui ideo carnem noſtram induit ut nos boaorum omnium conſortes haberet. Quum ergo unus ſit Patris conſiliarius, admittit nos in ea arcana quæ in abdito alioqui laterent. Videtur tamen hoc eſſe abſurdum, quod ſe dicit eſſe in cælo quo tempore in terra habitat. Si reſpondeas verum eſſe illud reſpectu divinitatis, loquendi modus aliud ſonat: quod ſcilicet homo ipſe in cælo fuerit. Dici poſſet non fieri loci mentionem, ſed conditione tantum diſcerni Chriſtum à reliquis, quia hæres ſit regni Dei, à quo totum genus humanum exulat: ſed quum in Chriſto propter unitatem perſooæ ſatis frequens ac tritum ſit, quod unius naturæ proprium eſt, ad alteram transferri, non alia ſolutio quærenda eſt. Chriſtus ergo qui in cælo eſt, carnem noſtram ioduit, ut porrecta nobis fraterna manu, ſecum nos ad cælum evehat.

14. *Et ſicut Moſes.*] Clarius explicat quorſum dixerit ſe unum eſſe cui apertum eſt cælum: oempe

ut

ut omnes illuc inducat, qui modo eum ſequi ductorem volent. ſe enim palam omnibus & aperte expoſitum fore teſtatur, ut ſuam ad omnes virtutem diffundat. *Exaltari* ſignificat collocari in loco edito & excelſo, ut omnium aſpectui pateat. id factum eſt Euangelii prædicatione. Nam quod de cruce quidam exponunt, contextui ooo quadrat, & alienum eſt ab inſtituto. Simplex ergo verborum ſenſus eſt, quod Euangelii promulgatione inſtar vea illi erigendus fuerit Chriſtus, quo intenderent omnium oculi,
Jeſa. 2. verſ. 2. ſicut prædiaerat Jeſaias. Hujus eaaltationis typum ſtatuit in ſerpente æneo, qui à Moſe erectus fuit, cujus conſpectus ſalutare remedium iis erat qui lethali ſerpentum morſu vulnerati erant. Nota eſt hiſtoria quæ habetur Num. 21. v. 9. Porro in hunc finem hoc loco adducitur, ut ſe doceat Chriſtus Euangelii doctrina conſtituendum eſſe ante omnium oculos, ui quicunque ipſum fide intuiti fuerint, ſalutem percipiant. Unde colligendum eſt, Chriſtum nobis in Euangelio clare proponi, nequis de obſcuritate queratur, & patefactionem hanc omnibus eſſe communem, & ſuum eſſe fidei aſpectum, quo tanquam præſentem cernat: quemadmodum
Gal. 3: 1. dicit Paulus, ipſum cum cruce ſua graphice depingi, quum vere prædicatur. Non eſt autem ſimilitudo impropria vel longe petita, Sicut externa tantum erat ſerpentis ſpecies, intus nihil tabificum aut venenoſum: ita formam carnis peccatricis induit Chriſtus, à peccato tamen puram & vacuam, quo letbale in nobis peccati vulnus ſanaret. Neque enim fruſtra Dominus olim, quum à ſerpentibus vulnerati eſſent Judæi, tale antidoti genus oppoſuit. Atque hoc ad confirmationem ſermonis à Chriſto habiti valebat. nam quum inſtar obſcuri & abjecti hominis contemni ſe videret, nihil aptius afferre potuit ſerpentis eaaltatione: acſi diceret, non debere videri abſurdum ſi præter hominum opinionem ex infimo evehatur, quia id in ſerpentis typo jam adumbratum ſub Lege fuerit. Quæritur nunc an ſe Chriſtus ſerpenti compareт, quia ſit aliquid ſimile: an vero ſacramentum fuiſſe ſignificet, quale fuit manna. Tametſi enim manna corporalis erat cibus, deſtinatus ad præſentem uſum, ſimul tamen
1 Cor. 10. verſ. 3. myſterium ſpirituale fuiſſe teſtatur Paulus. Idem ut de ſerpente æneo ſentiam, tum hic locus me inducit, tum quod in poſterum ſervatus fuit, donec populi ſuperſtitione in idolum converſus eſſet. Si quis aliter judicet, non contendo.

16. *Sic enim Deus.*] Primam ſalutis noſtræ cauſam & quaſi fontem aperit Chriſtus: idque nequa dubitatio hæreat. Neque enim tranquilla eſt animis noſtris ſtatio in qua quieſcant, donec ad gratuitum Dei amorem ventum eſt. Ergo ſicui non alibi quam in Chriſto tota ſalutis noſtræ materia quærenda eſt, ita videndum unde nobis Chriſtus fluxerit, cur nobis oblatus ſit ſervator. Utrumque hic diſtincte nobis traditur: quod ſcilicet fides in Chriſtum ſit omnibus vivifica: & quod ideo vitam attulerit Chriſtus quia cæleſtis Pater genus humanum, quod amat, perire nolit. Atque hic ordo diligenter notandus eſt. ubi enim de ſalutis noſtræ origine agitur, ut ingeoita eſt naturæ noſtræ impia ambitio, ſtatim obrepunt diabolicæ imaginationes de propriis meritis. Deum ergo nobis ideo propitium eſſe fingimus quia dignos judicaverit quos reſpiceret. Atqui Scriptura ubique meram & ſimplicem ejus miſericordiam extollit, quæ merita omnia aboleat. neque aliud ſibi volunt Chriſti verba, quum in Dei amore cauſam ſtatuit. Nam ſi altius conſcendete
Epheſ. 1. verſ. 5. libeat, Spiritus per os Pauli januam obſerat, amorem hunc docens in propoſito voluntatis ejus fundatum eſſe. Et certe non obſcurum eſt ita loquutum eſſe Chriſtum, ut homines à reſpectu ſui ad ſolam Dei miſericordiam traduceret. Nec Deum, quia aliquid in nobis tanto beneficio dignum animadverterit, ad nos liberandos inductum pronunciat: ſed liberationis gloriam in ſolidum aſſignat ejus amori. idque ex contextu melius etiamnum patet: datum enim eſſe hominibus Filium ſubjicit, ne pereant. Unde ſequitur, donec perditos ope ſua dignetur Chriſtus, omnes eſſe æterno exitio deſtinatos. Hoc etiam Paulus ea temporis circumſtantia *Rom. 5.*
demonſtrat: quia ſcilicet dilecti fuimus quum adhuc *verſ. 10.*
inimici eſſemus per peccatum. Sane ubi regnat peccatum, nihil inveniemus præter iram Dei, quæ mortem ſecum trahit. Sola igitur miſericordia eſt quæ nos Deo reconciliat, ut ſimul reſtituat in vitam. Videtur tamen hic modus loquendi cum multis Scripturæ teſtimoniis pugnare, quæ primum divini erga nos amoris fundamentum in Chriſto ponunt, extra ipſum vero oſtendunt Deo nos eſſe exoſos. Sed memoria tenendum eſt quod jam prius admonui, arcanum amorem, quo nos apud ſe complexus eſt cæleſtis Pater, quia ex æterno ejus propoſito manat, omnibus aliis cauſis ſuperiorem eſſe: gratiam vero quam oobis teſtatam eſſe vult, & qua in ſalutis fiduciam erigimur, à reconciliatione per Chriſtum parta incipere. Nam quum neceſſe ſit illi peccatum eſſe odio, quomodo nos ab ipſo amari ſtatuemus, donec eapiata ſint peccata, quorum reſpectu merito nobis iraſcitur? Ita Chriſti ſanguinem intercedere oportet ad placandum nobis Deum, priuſquam ullus paternæ ejus benevolentiæ ſenſus ad nos perveniat. Cæterum ut priore loco audimus, Deum, quia nos diligebat, Filium ſuum io mortem pro nobis dediſſe: ita mox ſubjicitur, Chriſtum unum eſſe in quem proprie reſpicere fides debet. Dedit Unigenitum, ut quiſquis in eum crediderit, non pereat. Hic (inquam) rectus eſt fidei intuitus, Chriſtum ſibi proponere, in quo Dei pectus io amorem effuſum cernat: hæc firma & ſolida fultura, in mortem Chriſti, tanquam unicum pignus, recumbere. *Unigeniti* nomen ἐμφατικὸν eſt, ad commendandam divini in nos amoris vehementiam. Quia enim non facile ſibi homines perſuadent à Deo ſe diligi: ut omnem dubitationem eximeret, nominatim eapreſſit, tantopere nos Deo fuiſſe charos, ut ne unigenito quidem Filio pepercerit noſtra cauſa. Quum ergo ſatis ſuperque teſtatam nobis ſuam charitatem fecerit Deus, quiſquis hoc teſtimonio non contentus adhuc vacillat, non levem Chriſto injuriam facit, quaſi unus aliquis ea vulgo temere in mortem projectus fuerit. Quin potius ita reputandum eſt, quanti unigenitum ſuum Filium Deus æſtimat, tam pretioſam illi fuiſſe noſtram ſalutem: cujus pretium Unigeniti ipſius mortem eſſe voluit. Cæterum hoc oomen jure Chriſtus obtinet, quia unicus eſt natura Filius: nobiſcum vero hunc honorem adoptione tunc demum communicat quum inſerimur in ejus corpus. *Qui credit in eum non pereat.* Inſigne fidei elogium, quod nos ab æterno interitu vindicat. Diſerte enim eaprimere voluit, quamvis ad mortem videamur nati, certam tamen offerri liberationem in Chriſti fide: ita mortem quæ alioqui nobis imminet, minime timendam eſſe. Et univerſalem notam appoſuit, tum ut promiſcue omnes ad vitæ participationem invitet, tum ut præcidat excuſationem incredulis. Eodem etiam pertinet nomen Mundi, quo prius uſus eſt. Tametſi enim in mundo oihil reperietur Dei favore dignum, ſe tamen toti mundo propitium oſtendit, quum ſinn eaceptione omnes ad fidem Chriſti vocat, quæ nihil aliud eſt quam ingreſſus in vitam. Cæterum meminerimus ita communiter promitti omnibus vitam in Chriſto qui crediderint, ut tamen minime communis omnium ſit fides. Patet enim omnibus Chriſtus, ac expoſitus eſt, ſolis tamen electis oculos Deus aperit, ut fide ipſum quærant. Porro hinc conſtat admirabilis fidei effectus, quia per eam Chriſtum recipimus qualis nobis datus eſt à Patre:

nempe qui nos æternæ mortis reatu ſolutos vitæ æternæ hæredes efficiat: quia mortis ſuæ ſacrificio peccata noſtra expiavit, ne quid obſtet quominus nos pro filiis ſuis agnoſcat Deus. Quando igitur Chriſtum cum mortis ſuæ efficacia & reſurrectionis fructu amplectitur fides, non mirum eſt ſi per eam Chriſti quoque vita potimur. Nondum tamen ſatis liquet cur & quomodo vitam nobis conferat fides, an quia Spiritu nos ſuo regenerat Chriſtus, ut vivat in nobis ac vigeat Dei juſtitia: an vero quia ſanguine ejus purgati à peccatis, gratuita venia juſti apud Deum cenſemur. Certum quidem eſt hæc dun ſemper conjuncta eſſe: ſed quia hic de ſalutis certitudine agitur, tenenda præcipue eſt hæc ratio, nos ideo vivere quia Deus peccata non imputando, gratis nos amat. Ideo nominatim ſacrificii fit mentio, quo ſimul cum peccatis maledictio & mors abolita eſt. Jam prius admonui quorſum ſpectent hæc duo membra: nempe ut ſciamus vitam nos recuperare in Chriſto, qua ſumus in nobis privati. Nam in hac miſera humani generis conditione prior ordine eſt redemptio quam ſalus.

17. *Non enim miſit.*] Confirmatio eſt proximæ ſententiæ: quia non fruſtra Deus huc ad nos Filium ſuum miſit. Atqui non venit ut perdat: ſequitur ergo proprium eſſe Filii Dei officium ut ſalutem per eum conſequantur quicunque crediderint. Jam non eſt quod dubitet quiſquam, vel anxie laboret quomodo mortem poſſit effugere, quando tenemus hoc eſſe Dei conſilium ut nos ab ea Chriſtus eripiat. Repetitur iterum *Mundi* nomen, ne quis omnino arceri ſe putet, ſi modo fidei viam tenet. *Judicare* hic pro damnare, ut multis aliis in locis, accipitur. Quod autem ſe veniſſe negat ad damnandum mundum, in eo proprium adventus ſui finem notat. Quid enim opus fuit Chriſtum ad nos perdendos venire, qui ter quaterque perieramus? Nihil ergo aliud in Chriſto conſiderandum quam quod Deus pro immenſa ſua bonitate opitulari nobis voluit, ut perditos ſervaret. & quoties nos peccata noſtra urgent, quoties Satan ad deſperationem ſollicitat, objiciendus eſt hic clypeus, Deum nos æterno exitio nolle opprimi, quia Filium ſuum ſalutem mundi ordinavit. Quod autem alibi docet Chriſtus ſe in judicium veniſſe, quod vocatur petra ſcandali, quod dicitur poſitus in multorum ruinam: id accidentale eſt, vel (ut ita loquar) adventitium. Qui enim oblatam in eo gratiam reſpuunt, digni ſunt qui judicem experiantur ac tam indigni fœdique contemptus ultorem. cujus rei in Euangelio luculentum ſpecimen apparet: nam quum proprie ſit Dei potentia in ſalutem omni credenti, facit multorum ingratitudo ut illis in mortem cedat. Utrumque optime expreſſit Paulus, quum ſe in promptu 2 Cor. 10. vers. 6.
habere vindictam gloriatur in qua omnes ſuæ doctrinæ adverſarios conficiat, poſtquam impleta fuerit piorum obedientia. Perinde enim id valet acſi diceret, deſtinari præſertim ac primo loco Euangelium fidelibus, ut ſit illis in ſalutem: ſed poſtea non impune ceſſurum incredulis, qui contempta Chriſti gratia, eum mortis auctorem habere maluerint quam vitæ.

18. *Qui credit in eum, non condemnatur.*] Quod toties ac tam ſedulo inculcat extra mortis periculum eſſe omnes fideles, hinc colligere licet quam neceſſaria ſit fiduciæ certitudo & ſtabilitas, ne perpetuo trepident ac æſtuent conſcientiæ. Iterum ergo pronunciat nullam manere damnationem ubi crediderimus. quod etiam infra 5. capite fuſius exponet. Præſens tempus hic accipitur loco futuri, ex conſuetudine linguæ Hebraicæ: vult enim fideles à metu damnationis ſecuros eſſe. Proxima ſententia, *Qui vero non credit*, &c. ſignificat non aliud eſſe remedium quo mortem quiſquam hominum effugiat. acſi diceret, omnibus qui datum in Chriſto vitam rejiciunt, non reſtare niſi mortem: quum non alibi vita conſtet quam in fide. Præteritum verbi tempus ἐμφατικῶς poſuit, quo melius exprimeret de omnibus incredulis actum eſſe. Notandum autem, Chriſtum peculiariter de his loqui quorum impietas ſe in manifeſto Euangelii contemptu prodiderit. Tametſi enim verum eſt, non aliud unquam fuiſſe effugiendæ mortis remedium quam ſi ad Chriſtum confugerent homines: quia tamen hic Chriſtus diſſerit de Euangelii prædicatione, quæ ſpargenda erat per totum mundum, ſermonem adverſus eos ſtringit qui accenſam divinitus lucem ſponte ac maligne extinguunt.

19. Hoc autem eſt judicium, quod lux venit in mundum: & dilexerunt homines tenebras magis quam lucem. erant enim mala eorum opera.

20. Quiſquis enim mala agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ne arguantur opera ejus.

21. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifeſtentur ejus opera, quod in Deo ſint facta.

19. *Hoc autem eſt judicium.*] Occurrit murmuribus & querimoniis quibus exagitare ſolent profani homines nimium (ut ipſi putant) Dei rigorem, quum ſeverius quam optarent cum illis agit. Durum videtur, omnes qui in Chriſtum non credunt, exitio devoveri. Ne quis itaque ſuam damnationem Chriſto adſcribat, propriæ cujuſque culpæ imputandam eſſe docet. Ratio: quia infidelitas malæ conſcientiæ teſtis eſt. unde conſtat obſtare ſuam pravitatem incredulis ne ad Chriſtum accedant. Sunt qui putant notari hic duntaxat ſignum damnationis. At Chriſti conſilium eſt hominum improbitatem compeſcere, ne ſuo more tergiverſari vel cum Deo expoſtulare audeant, quaſi inique eos tractet dum infidelitatem morte æterna punit. Tale ergo judicium æquum eſſe, nulliſque calumniis obnoxium demonſtrat: non tantum quia perverſe faciunt qui tenebras præferunt luci, & lucem ultro ſibi oblatam fugiunt; ſed quia illud odium lucis nonniſi ex animo male ſibi conſcio & ſcelerato naſcitur. Refulget quidem in multis pulchra ſanctitatis ſpecies, qui tamen Euangelio adverſantur: verum ut ſanctiores Angelis appareant, hypocritas eſſe minime dubium eſt: quia non alia de cauſa repellunt Chriſti doctrinam niſi quia latebras ſuas amant, quibus tegatur eorum fœditas. Quum ergo ſola hypocriſis infenſos homines Deo reddat, tenentur omnes convicti: quia niſi ſuperbia excæcati in vitiis ſibi placerent, prompti ac voluntarii eſſent ad recipiendam Euangelii doctrinam.

20. *Quiſquis enim mala agit.*] Senſus eſt, Ideo lucem ipſis eſſe odioſam quia mali ſunt, & quantum in ſe eſt peccata ſua tegere cupiunt: unde ſequitur, eos remedium abigendo, damnationis materiam quaſi data opera fovere. Multum ergo fallimur ſi putamus pio zelo ferri qui adverſus Euangelium inſaniunt, quum potius lucem horreant, quo liberius ſibi in tenebris adulentur.

21. *Qui autem facit.*] Hoc videtur improprie & abſurde dici, niſi fateri velis rectos eſſe aliquos & veraces priuſquam regeniti ſint Dei Spiritu. quod minime conſentaneum eſt cum perpetua Scripturæ doctrina: fidem namque radicem eſſe ſcimus ex qua proveniunt bonorum operum fructus. Hunc nodum ut expediat Auguſtinus, *Facere veritatem* exponit Agnoſcere quam miſeri ſimus, ac omni

bene

bene agendi virture deſtituti. Et certe hæc vera eſt ad fidem præparatio, quum inopiæ noſtræ ſenſu compulſi, ad Dei gratiam confugimus. Sed hoc totum alienum eſt à Chtiſti mente: ſimpliciter enim dicere voluit, eos qui ſincere agunt, nihil magis quam lucem appetere, ut probentur eorum opera: quia tali examine habito, melius conſtat eos coram Deo fuiſſe veraces, ac omni dolo puros. Perperam vero & inſcite inferet aliquis, homines ante fidem ſibi eſſe bene conſcios. Neque enim Chriſtus electos credere dicit ut bonorum operum laudem referant: ſed tantum quid facturi eſſent infideles, niſi male ſibi conſcii eſſent. Porro *Veritatis* nomine uſus eſt Chriſtus, quia externo operum ſplendore decepti, nnn reputamus quid intus lateat. Ideo dicit, integros homines & minime fucatos libenter in Dei conſpectum prodire, qui ſolus operum noſtrorum idoneus eſt judex. nam *Opera* hic dicuntur *in Deo facta*, quæ illi probantur, ac ſecundum ejus tegulam bona ſunt. Hinc diſcamus oon eſſe de operibus judicandum niſi admota Euangelii luce: quia ratio noſtra prorſus cæcutit.

22. Poſt hæc venit Jeſus & diſcipuli ejus in terram Judæam, & illic verſabatur cum ipſis, & baptizabat.

23. Erat autem & Joannes baptizans in Ænon prope Salim: quia aquæ multæ erant illic. Veniebant ergo & baptizabantur.

24. Quia nondum conjectus erat in carcerem Joannes.

25. Orta igitur quæſtio eſt à diſcipulis Joannis cum Judæis de purgatione.

26. Et venerunt ad Joannem, dixeruntque illi, Rabbi, qui tecum erat trans Jordanem, cui tu teſtimonium reddidiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.

27. Reſpondit Joannes ac dixit, Non poteſt homo accipere quicquam niſi datum illi fuerit è cælo.

28. Ipſi mihi teſtes eſtis quod dixerim, Non ſum ego Chriſtus: ſed miſſus ſum ante eum.

22. *Poſt hæc venit Jeſus.*] Veriſimile eſt Chriſtum elapſo die feſto veniſſe in eam Judææ partem quæ vicina erat oppido Ænon, quod in tribu Manaſſe ſitum eſt. *Aquas* illic multas fuiſſe Euangeliſta dicit, quarum non ita frequens in Judæa copia erat. Fuiſſe autem duo hæc oppida Ænon & Salim non procul à confluente Jordanis & Jaboc tradunt Geographi: quibus vicinam faciunt Scythopolim. Cæterum ex his verbis colligere licet, Baptiſmum fuiſſe celebratum à Joanne & Chriſto totius corporis ſubmerſione. Quanquam de externo ritu minus anxie laborandum eſt, modo cum ſpirituali veritate & Domini inſtituto ac regula congruat. Quantum vero conjicere licet, fecit illa vicinitas ut ſpargerentur varii rumores, multi ſermnnes agitarentur paſſim de Lege, de cultu Dei, de Eccleſiæ ſtatu, ob duos novos Baptiſtas ſimul exortos. Nam quod Euangeliſta Chriſtum baptizaſſe dicit, id ad prima exordia refero: quod tunc ſcilicet munus ſibi à Patre injunctum publice auſpicatus fuerit. Tametſi autem per diſcipulos hoc agebat Chriſtus, hic tamen tanquam Baptiſmi auctor nominatur, omiſſis miniſtris, qui nihil agebant niſi ejus nomine ac mandatn. Qua de re initio proximi capitis rurſus aliquid dicetur.

25. *Orta igitur quæſtio eſt*, &c.] Non fruſtra hic Euangeliſta recitat ortam à diſcipulis Joannis quæſtionem. quominus enim doctrina inſtructi erant, eo confidentius ad diſputandum ſe ingerunt: ut ſemper audax eſt inſcitia. Si ipſos aggreſſi fuiſſent alii, excuſari poterant: ſed quod impares ad certamen ſuſtinendum ultro laceſſunt Judæos, id temere faciunt ac perperam. Hoc autem ſonant verba, motam fuiſſe ab illis quæſtionem. Præterquam autem quod de re incognita temere ultra ſcientiæ ſuæ modum diſſerendo peccabant, ſuberat alterum quoque non minus vitium, quod illis non tam propoſitum erat legitimum Baptiſmi uſum aſſerere quam tueri magiſtri ſui cauſam, ut ſua illi integra maneret auctoritas. Utrumque reprehenſione dignum: quod non tenentes quænam ſit vera Baptiſmi ratio, ludibrio exponunt ſacrum Dei inſtitutum: & quod perverſa ambitione, magiſtri ſui partes adverſus Chriſtum ſuſcipiunt. Itaque uno verbo perculſos ac fractos fuiſſe apparet, quum objectum eſſet Chriſtum quoque baptizare. Nam in hominis perſona occupati, doctrinæ minorem habebant curam. Eorum exemplo docemur quorſum recidant qui pravis hominum ſtudiis potius quam Dei zelo aguntur: ac proinde monemur unum hoc ſpectandum & modis omnibus curandum eſſe ut ſolus Chriſtus emineat,

De purgatione.] Quæſtin de purgatione fuit, quia Judæis varia erant baptiſmata à Lege præſcripta: nec Legalibus illis contenti, multa inſuper à majoribus accepta ſtudioſe colebant. Quod jam novus purgandi ritus inducitur à Chriſto & Joanne poſt tantam copiam & varietatem, id abſurdum eſſe ducunt.

26. *Cui tu teſtimonium reddidiſti.*] Hoc argumento vel Chriſtum facere contendunt minorem Joanne, vel illi reddere obſtrictum, quia hondre affectus fuerit. Quod enim honorificis elogiis Chriſtum ornavit Joannes, id in beneficio deputant: quaſi vero tale illi præconium non debuerit: imo quaſi non ſumma fuerit hæc ejus dignitas, præconem eſſe Filii Dei. Nihilo rectius fuit Chriſtum poſtponere Joanni, quia ejus teſtimonio commendatus fuerat. ſcimus enim quid teſtatus fuerit Joannes. Quod dicunt *omnes ad Chriſtum venire*, perverſæ æmulationis vox eſt: metuunt enim ne mox deſeratur magiſter à frequentia.

27. *Non poteſt homo.*] Nonnulli ad Chriſtum referunt, quaſi impiæ adverſus Deum audaciæ accuſet diſcipulos, qui adimere Chriſto nitantur quod illi à Patre datum eſt. hunc itaque ſenſum eſſe volunt, Quod ille in tantum honorem brevi emerſit, divinitus factum eſt: fruſtra ergo deprimere contenditis quem Deus in altum ſua manu extulit. Aliis autem videtur eſſe exclamatio, in quam præ indignatione prorumpat, quod tam male hactenus profeciſſent diſcipuli. Et certe nimis abſurdum erat, quem toties audierant Chriſtum eſſe, adhuc velle cogere in ordinem, ne ſupra miniſtrum ſuum emergeret. Merito itaque pronunciare Joannes potuit, fruſtra conſumi operam docendis hominibus, quia ſurdi ſunt & ſtupidi donec mente renovati fuerint. Verum ego potius eorum ſententiæ ſubſcribo qui de Joanne exponunt: nempe quod in ſua & illorum manu eſſe neget, magnum ſe creare, quando hæc noſtra omnium menſura eſt ut ſimus quales eſſe nos Deus voluit. Nam ſi ne ipſe quidem Dei Filius ſibi honorem ſumpſit, quis ex grege plus appetere audebit quam datum fuerit à Domino? Una hæc cogitatio ſi penitus omnium animis inſideret, abunde ſufficeret ambitioni cohibendæ. Porro ambitione correcta & abolita, ſimul contentionum peſtis ſublata foret. Unde enim fit ut ſe quiſque plus juſto efferat niſi quia à Domino non pendemus, ut quem nobis gradum aſſignat, eo ſimus contenti?

28. *Ipſi mihi teſtes.*] Expoſtulat cum ſuis diſcipulis Joannes quod ſuis ſermonibus fidem non habuerint. Sæpius monuerat ſe Chriſtum non eſſe: ergo nihil reſtabat niſi ut ſervus eſſet, Filio Dei

ſubjectus una cum reliquis. Atque bic locus notandus eſt. negando enim ſe Chriſtum eſſe, nihil ſibi reliquum facit niſi ut capiti ſubjectus, tanquam unus ex reliquis in Eccleſia miniſtret, neque ita evebatur ut obſcuret capitis honorem. *Se ante miſſum* dicit, ut viam Chriſto pararet, ſicut apparitores Regibus ſolent.

29. Qui habet ſponſam, ſponſus eſt: amicus autem ſponſi, qui ſtat & audit eum,
gaudio gaudet propter vocem ſponſi. hoc ergo gaudium meum impletum eſt.
30. Illum oportet creſcere, me autem minui.
31. Qui è ſupernis venit, ſuper omnes eſt: qui ex terra eſt, ex terra eſt, & ex terra loquitur: qui è cælo venit, ſupra omnes eſt:
32. Et quod vidit & audivit, hoc teſtatur, & teſtimonium ejus nemo recipit.
Rom. 3. 33. Qui autem recipit ejus teſtimonium, ſignavit quod Deus ſit verax.
verſ. 4. 34. Quem enim miſit Deus, is verba Dei loquitur: non enim ex menſura dat Deus Spiritum.

29. *Qui habet ſponſam.*] Hac ſimilitudine melius confirmat, unum eſſe Chriſtum qui eximitur communi aliorum numero. Sicuti enim qui uxorem ducit, non ideo amicos invitat & adhibet ad nuptias ut illis ſponſam proſtituat, vel jure ſuo cedens in ſocietatem admittat thori conjugalis, ſed potius ut conjugium honorifice ab illis cultum ſanctius reddatur: ita Chriſtus miniſtros ſuos non ideo ad docendi officium vocat ut Eccleſia ſubacta, dominium ſibi uſurpent, ſed ut fideli eorum opera ad eam ſibi ſociandam utatur. Magnum hoc & præclarum eſt, præfici Eccleſiæ homines qui perſonam Filii Dei ſuſtineant. Sunt igitur tanquam amici, quos ſibi adjungit ſponſus ut in commune nuptias celebrent. ſed diſcrimen tenendum eſt, ut gradus ſui memores, quod proprium eſt ſponſi ad ſe non trahant. Summa huc redit, quantalibet excellentia polleant doctores, non tamen obſtare Chriſto debere quin ſolus emineat, ſolus in Eccleſia ſua dominetur, ſolus eam verbo ſuo regat. Subinde in Scriptura occurrit hæc ſimilitudo, quum exprimere vult Dominus ſacrum adoptionis vinculum quo nos ſibi conjungit. Sicuti autem vere ſe fruendum nobis offert, ut noſter ſit: ita merito fidem à nobis & charitatem mutuam ſtipulatur, quam uxor marito debet. Porro conjugium hoc in Chriſto omni ex parte
Epheſ. 5. impletum fuit, cujus ſumus caro & oſſa, ut Paulus
verſ. 29. docet. Caſtitas quam requirit, præcipue in Euangelii obedientia ſita eſt, ne ullo modo à pura ejus ſimplicitate abduci nos ſinamus. quemadmodum idem tractat 2. Corinth. 11. v. 2. Uni itaque ſubeſſe Chriſto nos oportet, eum nobis eſſe unicum caput, nec pilum quidem nos à ſimplici Euangelii doctrina deflectere, eum ſolum habere gloriæ principatum ut ſponſi jus & locum apud nos retineat. Quid miniſtri? Certe eos accerſit Dei Filius ut officium ſibi in ſacris nuptiis peragendis impendant. Quare eorum partes ſunt, modis omnibus ſatagere ut ſponſam, cujus illis mandata eſt cura, caſtam marito virginem exhibeant, quod ſe facere Paulus gloriatur eo quem citavi loco. Qui vero Eccleſiam ſibi potius quam Chriſto conciliant, perfide violant connubium quod ornare deberent. Et quo majori nos honore dignatur Chriſtus, dum ſponſæ ſuæ cuſtodes facit, eo ſceleratior eſt noſtra infidelitas, niſi ſuum illi jus integrum tueri ſtudemus. *Hoc ergo gaudium meum impletum eſt.* Significat ſe votorum omnium ſummam adeptum eſſe, nec jam eſſe quod deſideret, ubi videt regnare Chriſtum, & illi audientiam quam meretur dari. Quiſquis ita affectus erit ut poſthabito ſui reſpectu Chriſtum extollat, & ejus honore contentus ſit, fideliter & cum fructu Eccleſiæ præerit: quiſquis autem ab hoc ſcopo vel minimum divertet, impurus erit adulter, nec aliud poterit quam ſponſam Chriſti corrumpere.

30. *Illum oportet creſcere.*] Ulterius progreditur. Quia enim prius in ſummam dignitatem à Domino evectus fuerat, hoc fuiſſe temporale admonet: nunc exorto juſtitiæ Soli cedendum eſſe. Itaque non modo inanes honoris fumos, qui hominum errore in eum temere congerebantur, repellit ac diſcutit: ſed etiam ſollicite cavet ne verus ac legitimus honos, quem illi Dominus contulerat, Chriſti ſplendorem obſcuret. Hac ratione dicit, quod hactenus habitus fuit ſummus Propheta, ſe in tam excelſo gradu nonniſi ad tempus fuiſſe collocatum, donec adveniret Chriſtus, cui lampas tradenda erat. Interea teſtatur, æquo animo ſe paſſurum ut in nihilum redigatur, modo ſuis radiis totum mundum impleat Chriſtus & occupet. Atque hoc Joannis ſtudium omnes Eccleſiæ paſtores imitari decet, ut Chriſto evehendo capita & humeros ſubjiciant.

31. *Qui è ſupernis.*] Alia ſimilitudine oſtendit quantum à reliquis omnibus diſtet Chriſtus, & quanto ſit ſuperior. Regi enim vel ſummo Duci eum comparat, qui ex alto tribunali verba faciens, pro imperii ſui reverentia audiendus eſt: ſibi vero ſatis eſſe docet ſi ex imo ſubſellio loquatur. Chriſtum dicit è ſupernis veniſſe, non tantum quatenus Deus eſt, ſed quia in eo nihil niſi cæleſte ac majeſtatis plenum cernitur. In ſecundo membro vulgaris translatio ſemel tantum habet, *qui ex terra eſt:* ſed Græci codices in diverſa lectione conſentiunt. Suſpicor ab hominibus indoctis repetitionem, quam ſupervacuam ducebant, fuiſſe eraſam. Sed perinde valet acſi diceretur, Qui è terra eſt, originem ſuam ſapit, ac pro naturæ ſuæ conditione ſubſidit in ordine terreno. Hoc itaque ſolius Chriſti proprium eſſe aſſerit ut è ſublimi loquatur, quia è cælo deſcendit. Sed quæri poteſt annon è cælo quoque profectus ſit Joannes, quantum ad vocationem & munus, ideoque audiendus fuerit Dominus per os ipſius loquens. videtur enim cæleſti quam tradit doctrinæ eſſe injurius. Reſpondeo, non ſimpliciter hoc eſſe dictum, ſed comparative. Si ſeorſum conſiderantur miniſtri, tanquam è cælo cum ſumma auctoritate loquuntur quod à Deo mandatum eſt: ſimul autem atque incipiunt opponi Chriſto, nullos eſſe amplius oportet. Sic Apoſtolus ad Hebræos capite 12. v. 25. Legem cum Euangelio committens, Quum impune, ait, non ceſſerit iis qui loquentem in terra aſpernati ſunt, videte ne eum aſpernemini qui è cælis eſt. Vult ergo agnoſci in ſuis miniſtris Chriſtus, ſed ita ut ſolus maneat Dominus, illi autem contenti ſint ordine ſervorum: præſertim ubi ad comparationem venitur, ita vult diſcerni ut ſolus emineat.

32. *Et quod vidit & audivit.*] Pergit in ſuo officio Joannes. nam ut Chriſto paret diſcipulos, ejus doctrinam à certitudine commendat, quod nihil proferat niſi quod à Patre ſuo accepit. Viſus & auditus dubiæ opinioni, vanis rumoribus & figmentis quibuslibet opponuntur. ſignificat enim nihil eum tradere niſi probe cognitum. Sed dicet quiſpiam parum fidei mereri qui nihil præter auditum habet. Reſpondeo, hoc verbo notari, Chriſtum à Patre edoctum eſſe ut nihil niſi divinum afferat, utpote ſibi divinitus revelatum. Id autem in totam Chriſti perſonam competit, quatenus à Patre miſſus eſt in

mundum

mundum legatus & interpres. Poſtea mundi ingratitudinem accuſat, qui tam certum ac fidelem Dei teſtem impie & ſcelerate reſpuit. Occurrit autem ſcandalo quod multos à fide avertere, & multorum curſum impedire vel morari poterat. nam (ut ſolemus ah hominum judicio nimium pendere) bona pars Euangelium ex mundi contemptu æſtimat, ſaltem ubi videt paſſim rejici: boc præjudicio occupata, difficilior eſt ad credendum & tardior. Proinde quoties videmus talem mundi pervicaciam, hæc tamen admonitio nos in conſtanti ejus obedientia retineat, eſſe veritatem à Deo profectam. Quum dicit *neminem recipere*, ſignificat paucos eſſe & propemodum nullos fideles, ſi conferantur cum ingenti impiorum turba.

33. *Qui autem recipit ejus teſtimonium.*] Hic pios ad amplexandam intrepide Euangelis doctrinam hortatur & animat. acſi diceret non eſſe cauſam cur eos pudeat ſuæ paucitatis ac pigeat, quando Deum habent fidei ſuæ auctorem, qus unus inſtar omnium abunde nobis ſufficit. Ergo etiamſi totus mundus Euangelio fidem abroget ac detrahat, non debet hoc bonis obſtare quin Deo ſubſcribant. Habent etiam in quo ſecure acquieſcere liceat, quum ſciunt, Euangelio credere nihil eſſe aliud quam Dei oraculis ſubſcribere. Interea colligimus hoc eſſe fidei proprium ut in Deum recumbat, & ſtabilita ſit in ejus verbo. nulla enim ſubſcriptio eſſe poteſt niſi priores partes Deus loquendo occupaverit. Qua doctrina non tantum ab omnibus humanis figmentis diſcernitur fides, ſed etiam ab opinione dubia & ſuſpenſa. neceſſe enim eſt ut Dei veritati, quæ omni dubitatione exempta eſt, reſpondeat. Ergo ſicut mentiri non poteſt Deus, ita fidem vacillare abſurdum eſt. Hoc præſidio muniti, quibuſcunque machinis nos turbare ac concutere Satan conetur, perpetuo ſtabimus victores. Hinc etiam monemur quam gratum ac pretioſum coram Deo ſacrificium ſit fides. nam ut nihil illi pluris eſt quam ſua veritas, ita nullus illi acceptior cultus præſtari à nobis poteſt quam dum fide noſtra profitemur illum eſſe veracem: tunc illi demum ſuus honor vere conſtat. Rurſum nulla gravior illi fieri injuria poteſt quam dum Euangelio non creditur. ſpoliari enim ſua veritate nequit quin aboleatur tota ejus gloria & majeſtas. Atqui ejus veritas in Euangelio quodammodo incluſa eſt, illicque eam vult agnoſci. Quare increduli nihil Deo, quantum in ſe eſt, reliquum faciunt: non quod Dei fidem labefactet eorum impietas, ſed quod per eos non ſtat quin ipſum arguant vanitatis. Niſi pluſquam ſaxei ſumus, hoc tam præclarum elogium, quo ornatur fides, ardentiſſimum ejus ſtudium accendere in animis noſtris debet. Quantus enim eſt hic honos, quo miſeros bomunciones dignatur Deus, ut qui natura nihil ſunt aliud quam mendacium & vanitas, idonei tamen cenſeantur qui ſacram Dei veritatem ſubſcriptione ſua comprobent?

34. *Quem enim miſit.*] Confirmat proximam ſententiam. oſtendit enim vere nobis eſſe cum Deo negotium quum Chriſti doctrinam recipimus: quia non aliunde profectus ſit Chriſtus quam à Patre cæleſti. Solus ergo Deus eſt qui per eum loquitur. Et certe Chriſti doctrinæ minus tribuimus quam oportet, niſi eam agnoſcimus eſſe divinam. *Non enim ex menſura.* Duobus modis exponitur hic locus: quidam enim ad communem diſpenſationem extendunt, quod Deus, qui fons eſt bonorum omnium inexhauſtus, minime ſe eainaniat quum large & ubertim ſua dona effundit in bomines. Qui ex vaſe aliquo hauriunt quod diſtribuant, perveniunt tandem ad fundum: ſed periculum non eſt nequid tale Deo contingat: neque unquam tam larga erit donorum ejus affluentia quin nova ſubinde largitate eam, ubi viſum fuerit, ſuperet. Videtur expoſitio hæc habere aliquid coloris, quia indefinita eſt oratio: ego tamen Auguſtinum potius ſequor, qui de Chriſto interpretatur hoc eſſe dictum. Nec obſtat quod nondum ſit expreſſa Chriſti mentio in hoc membro, quum omnem ambiguitatem tollat poſterius membrum, uhi ad Chriſtum reſtringitur quod promiſcue de multis dictum videri poterat. Nam hæc verba proculdubio exegetice addita ſunt, Parrem omnia Filio dediſſe in manum, quia eum amet. ideo uno contextu legenda ſunt. Et verbum præſentis temporis quaſi continuum actum deſignat. tametſi enim Spiritu ſemel donatus fuit ad ſummam uſque perfectionem, & tamen aſſidue, tanquam ex ſcaturigine, longe lateque manat, ideo non inepte nunc etiam accipere à Patre dicitur. Quod ſiquis ſimplicius interpretari malit, non eſt inſolens temporis mutatio in ejuſmodi verbis. Senſus nunc clarus eſt, Chriſto non eſſe ex menſura datum Spiritum, quaſi gratiæ qua pollet facultas ad aliquem modum finita ſit. quemadmodum Paulus docet, 1 Corinth. 12. v. 7. & Epheſ. 4. v. 7. ſingulis diſtrihui ſecundum donationis menſuram, ita ut nemo unus ad plenum abundet. Nam quum boc mutuum inter nos fraternæ communicationis vinculum ſit, ut nullus ſibi ſeorſum ſufficiat, ſed viciſſim alii aliis indigeant: in hoc à nobis differt Chriſtus quod Pater immenſam Spiritus ſui copiam in eum effudit. Et ſane Spiritum abſque menſura in en reſidere oportet, quo hauriamus omnes ex ejus plenitudine, quemadmodum primo capite habuimus. Atque huc ſpectat quod ſequitur continuo poſt, *Patrem dediſſe in ejus manum omnia.* Neque enim his verbis Chriſti modo excellentiam prædicat Joannes, ſed opulentiæ qua præditus eſt, finem etiam & uſum ſimul oſtendit: ut ſcilicet tanquam arbiter à Patre conſtitutus, ſingulis, prout viſum eſt atque eapedit, diſtribuat: quemadmodum fuſius eaplicat Paulus quarto illo ad Epheſios capite quod nuper citavi. Quantumvis ergo ſuos varie locupletet Deus, hoc uni Chriſto ſingulare eſt, habere omnia in manu.

35. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manum ejus.

36. Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui vero incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.

35. *Pater diligit Filium.*] Sed quid ſibi vult iſta ratio? an alios omnes odio habet? Reſponſio in promptu eſt, non agi de vulgari amore, quo Deus homines à ſe conditos vel alia opera ſua proſequitur, ſed de ſingulari illo, qui à Filio incipiens, inde ad omnes creaturas manat. Facit enim hic amor, quo Filium amplexus, nos quoque in eo amplectitur, ut per illius manum nobis bona ſua omnia communicet.

36. *Qui credit in Filium.*] Hoc addidit nt non tantum ſciamus bona omnia à Chriſto petenda eſſe, ſed teneamus etiam fruendi modum. Porro fruitionem in fide poſitam eſſe docet: nec immerito, quandoquidem per eam poſſidetur Chriſtus, qui ſecum & juſtitiam, & vitam, juſtitiæ fructum affert. Quod autem vitæ cauſa vocatur fides in Chriſtum, inde colligimus io ſolo Chriſto vitam contineri: neque ejus nos aliter fieri compotes quam Chriſti ipſius gratia. Sed non convenit inter omnes quomodo ad nos perveniat Chriſti vita. quidam enim ita accipiunt, quoniam credendo, Spiritum recipimus qui nos in juſtitiam regenerat, nos ejuſmodi tegeneratione ſalutem conſequi. Ego autem, quamvis hoc eſſe verum fatear, fide nos renovari, ut Spiritus Chriſti nos regat: primo tamen loco conſiderandam eſſe dico gratuitam peccatorum remiſſionem, qua fit ut Deo accepti ſimus: dico item in hac ſola totam

ſalutis

ſalutis fiduciam & fundatam eſſe & cooſiſtere: quia non aliter juſtitia nobis coram Deo imputari poteſt niſi dum peccata nobis non imputat. *Qui vero incredulus eſt.* Sicuti vitam in Chriſto propoſuit, cujus dulcedioe nos alliceret: ita nunc æternæ morti addicit quicunque Chriſto non credunt. Atque hoc modo amplificat Dei beneficium, quum admonet nullum eſſe aliud effugiendæ mortis remedium niſi nos Chriſtus liberet. Inde enim pendet hæc ſententia, Quod in Adam ſumus omoes perditi. Si autem Chriſti officium eſt, quod perierat ſervare, merito qui oblatam in en ſalutem reſpuunt, in morte manent. Diximus nuper hoc proprie ad eos pertinere qui Euangelium ſibi patefactum rejiciuot. etſi enim eodem exitio implicitum eſt totum humanum genus, gravior tamen & duplex ultio eos manet qui Filium Dei recuſant liberatorem. Nec certe dubium eſt quin Baptiſta mortem incredulis denunciando, ejus terrore nos ad Chriſti fidem ſtimulare voluerit. Porro his verbis damnari palam eſt redigique in nihilum quicquid extra Chriſtum juſtitiæ ſe habere putat mundus. Nec eſt quod objiciat quiſpiam, iniquum eſſe ut qui pii alioqui & ſancti ſunt, ideo pereant quia non credunt. Fruſtra enim in hominibus fingitur aliqua ſanctitas, niſi qua donati ſint à Chriſto. *Videre vitam* poſuit pro frui vita. Cæterum quo melius exprimat nihil reſtare oobis ſpei, niſi à Chriſto liberemur, dicit *iram Dei manere* ſuper incredulos. Quaoquam non diſplicet quod docet Auguſtinus, manendi verbo eſſe uſum, ut ſciamus jam ab utero nos morti eſſe deſtinatos, quia filii iræ omnes naſcimur. Saltem ejuſmodi alluſionem libeoter admitto, modo teneamus genuinum & ſimplicem eſſe illum quem dixi ſenſum, ſic incredulis omoibus mortem iocumbere, & eos tenere oppreſſos ac ſubmerſos, ut effugere nunquam poſſint. Et certe quamvis naturaliter damnati jam ſint reprobi, ſua tamen infidelitate novam ſibi mortem accerſunt. Atque in hunc finem data eſt Euangelii miniſtris ligandi poteſtas. Hæc enim juſta eſt humanæ cootumaciæ vindicta, ut qui ſalutare Dei jugum excutiunt, ſe conſtringant mortis vinculis.

CAP. IV.

POſtquam ergo cognovit Dominus quod audiſſent Phariſæi Jeſum plures diſcipulos facere & baptizare quam Joannem,

2. (Etſi Jeſus ipſe non baptizabat, ſed diſcipuli ejus,)

3. Reliquit Judæam, & abiit rurſus in Galilæam.

4. Oportebat autem ipſum tranſire per Samariam.

5. Venit ergo in urbem Samariæ, quæ dicitur Sichar, vicinam agro quem dedit Jacob Joſeph filio ſuo.

6. Erat autem illic fons Jacob: Jeſus autem feſſus ex itinere ſedebat ſic ſuper fontem, quum eſſet hora fere ſexta.

7. Venit mulier ex Samaria ad hauriendam aquam. Dicit illi Jeſus, Da mihi quod bibam.

8. (Diſcipuli enim ejus profecti erant in urbem ad cibos emendos.)

9. Dicit illi mulier Samaritana, Quomodo tu Judæus quum ſis, potum à me petis, quæ ſum mulier Samaritana? neque enim commercium habent Judæi cum Samaritanis.

1. *Poſtquam ergo cognovit.*] Nuoc Euangeliſta de colloquio verba facturus quod habuit Chriſtus cum Samaritide, principio cauſam profectionis exponit. Quum enim ſciret Phariſæos male affectos, noluit eorum furori ſe ante tempus objicere. hæc illi ex Judæa migrandi fuit ratio. Ita ſignificat non veniſſe deſtinato conſilio in Samariam ut illic habitaret, ſed quod tranſeuodum per eam erat io Galilæam tendentibus. Nam donec ſua reſurrectione januam aperiret Euangelio, in colligendis ovibus Iſraël, ad quas miſſus erat, occupari oportuit. Ergo quod Samaritanos dignatus eſt ſua doctrina, extraordinarium fuit, & quaſi fortuitum, ut ita loquar. Sed cur ſeceſſum & latebras Galilææ petit, acſi innoteſcere nollet, quod maxime optandum erat? Reſpondeo, ipſum teouiſſe rationem agendi, atque opportunitate temporis ſic fuiſſe uſum ut ne momentum quidem præteriret. Stadium ergo ſuum ordine & quo decebat temperamento conficere voluit. Unde etiam docemur, oos ita debere animis eſſe compoſitos, ut neque ullo metu terreamur quin pergamus in officio, neque in accerſendis periculis ſimus nimium præcipites. Hanc porro mediocritatem vere colent quicunque in ſuam vocationem erunt intenti. nam & Dominum conſtanter ſeqoentur vel per medias mortes, nec temere ſe projicient, ſed ambulabunt in viis ſuis. Meminerimus ergo, non oltra progrediendum eſſe quam vocatio noſtra poſtulat. *Phariſæos* ſolos commemorat Euaogeliſta qui infeſti Chriſto fueriot: non quod alii Scribæ fuerint amici, ſed quia ſecta hæc tunc regnabat, & ipſi pii zeli prætextu maxime ioſaniebant. Quæritur an Chriſto plures diſcipulos inviderint, quia magis in Joannem propenſi, ejus dignitati & famæ ſtudereot. Alius eſt verborum ſenſus. nam quum eos id jam prius male baberet, diſcipulos à Joanne colligi, magis exaſperavit eorum animos quum viderent plures adhuc Chriſto accedere. Ex quo autem Joannes ſe nihil quam præconem Filii Dei eſſe profeſſus erat, major ad Chriſtum concurſus fieri cœpit, & jam miniſterio ſuo probe defunctus erat. Ita docendi & baptizandi munus paulatim Chriſto reſignavit.

2. *Etſi Jeſus ipſe non baptizabat.*] Baptiſmus Chriſti vocatur, quem per aliorum manus contulit: ut ſciamus Baptiſmum ex miniſtri perſona minime æſtimandum eſſe, ſed vim ejus totam pendere ab auctore cujus nomine & mandato confertur. Unde ſingularis ad nos conſolatio redit, dum ſcimus Baptiſmum noſtrum ad nos abluendos & renovandos noo minus habere efficaciæ, quam ſi à Filio Dei nobis datus foret. Nec dubium eſt quio ab externa ſigni adminiſtratione quamdiu in mundo verſatus eſt conſulto abſtiouerit, ut teſtatum omnibus ſeculis faceret, nihil decedere ex virtute Baptiſmi dum ab homine mortali offertur. In ſumma, non tantum intus baptizat Chriſtus Spiritu ſuo, ſed ſymbolum ipſum quod ab homine mortali ſuſcipimus, perinde habendum eſt acſi Chriſtus ipſe manum è cælo exerens, ad nos uſque porrigeret. Quod ſi Chriſti eſt Baptiſmus qui per homioem datur, qualiſcunque ſit miniſter, Chriſti eſſe non deſinet. Atque hoc ad refellendos Anabaptiſtas ſufficit, qui miniſtri vitio Baptiſmum quoque vitiari contendunt, & hujus delirii cauſa Eccleſiam turbant. Quemadmodum contra Donatiſtas eodem argumento apposite uſus eſt Auguſtinus.

5. *Quæ dicitur Sichar.*] Hieronymus in epitaphio Paulæ vitioſe ita legi putat, quum potius legendum ſit Sichem. Et certe hoc poſterius antiquum & verum eſſe nomen conſtat: verum probabile eſt, jam Euangeliſtæ tempore vocem Sichar fuiſſe in uſu. *Gen. 34. verſ. 25.* De loco ſatis convenit, urbem fuiſſe ſitam in latere montis Garizim, cujus incolæ à Simeone & Levi proditorie cæſi fuerunt, & quam Abimelech indigena ſolo poſtea æquavit. Sed tanta fuit loci commoditas, ut tertio urbs illic condita fuerit, quam Hieronymi ſeculo Neapolin vocabant. Et Euangeliſta omnem controverſiam tollit, tot additis circumſtantiis. Nam ex Moſe ſatis conſtat ubinam fuerit ager ille quem Jacob filiis Joſeph attribuit. montem quoque Garizim Sichimæ fuiſſe vicinum omnes fatentur. Templum illic fuiſſe extructum, mox dicemus. Quin illic diu habitaverit Jacob cum ſua familia, minime dubium eſt.

6. *Jeſus autem feſſus ex itinere.*] Non ſimulavit laſſitudinem, ſed revera feſſus erat. nam quo magis ad ſympathiam propenſus foret, nobiſque condoleſceret, infirmitates in ſe noſtras ſuſcepit: quemadmodum docet Apoſtolus. Huc pertinet temporis circumſtantia. neque enim mirum quod circa meridiem ſitiens & laſſus ad puteum quieverit. nam quum dies ab ortu Solis ad occaſum uſque duodecim haberet horas, ſexta erat meridies. Quum dicit *ſic* ſediſſe, quaſi geſtum hominis fatigati exprimit.

7. *Da mihi quod bibam.*] Quod aquam à muliere poſtulat, non ſimpliciter eo conſilio facit ut ejus docendæ materiam habeat: ſitis enim eum urgebat, ut bibere optaret. Sed hoc impedimento eſſe non poteſt quin docendi occaſionem nactus, ea utatur: quia ſuæ neceſſitati mulieris ſalutem præfert. Ergo ſitis ſuæ oblitus, quaſi colloquendi ſuppetat otium & commoditas, ut eam in vera pietate inſtituat, anagogen ab aqua viſibili ad ſpiritualem deducit: & ejus animum irrigat cæleſti doctrina, quæ aquam illi negaverat.

9. *Quomodo tu Judæus quum ſis.*] Exprobratio eſt, qua retaliat communem gentis ſuæ contemptum. Notum eſt Samaritanos fæcem populi fuiſſe ex alienigenis collectam. Quia corruperant Dei cultum, multoſque perverſos & adulterinos ritus colebant, Judæis merito erant exoſi. Interea tamen non dubium eſt quin Judæi magna ex parte carnali ſuo odio Legis zelum prætexerent. nam apud multos plus valebat ambitio & invidia, & quod illis dolebat regionem ſibi deſtinatam à Samaritanis occupari, quam quod de violato Dei cultu ſolliciti eſſent ac triſtes. Erat tamen juſta diſſidii ratio, modo puri ac recte compoſiti fuiſſent affectus. Ideo Chriſtus quum ad primam Euangelii publicationem Apoſtolos mittit, vetat ne ad Samaritanos divertant. *Luc. 9. verſ. 53.* Verum mulier hæc facit quod omnibus fere eſt ingenitum: quia enim in pretio eſſe cupimus, ægerrime ferimus nos contemni. adeoque hic eſt communis humanæ naturæ morbus ut velit quiſque ſua vitia placere aliis: ſiquis autem nos & noſtra improbat, ſtatim ſine diſcrimine iraſcimur. Excutiat ſe quiſque, & hoc ſuperbiæ ſemen in animo ſuo reperiet, donec exſtirpatum à Spiritu Dei fuerit. Mulier ergo iſta, quia gentis ſuæ ſuperſtitiones apud Judæos damnari ſciebat, nunc illis in Chriſti perſona inſultat. Quod mox ſequitur, Judæos *nihil habere* cum Samaritanis *commercii*, à muliere dictum puto: alii ab Euangeliſta explicationis vice additum accipiunt. Et certe parum refert utrumvis ſenſum eligas: ſed mihi videtur optime congruere quod mulier Chriſtum hoc modo ſubſannet, Quid? an tibi fas eſt à me potum petere, quum vobis adeo profani ſimus? Siquis aliter malit, non contendo. Cæterum fieri poteſt ut Judæi à Samaritanis ultra modum abhorruerint. quemadmodum enim diximus falſo zeli colore abuſos eſſe, ita modum excedere promptum fuit, quemadmodum accidere ſolet omnibus qui pravis affectibus indulgent.

10. Reſpondit Jeſus, ac dixit illi, Si ſcires donum Dei, & quis ſit qui tibi dicit, Da mihi potum: tu petiiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam.

11. Dicit ei mulier, Domine, neque quo haurias habes, & puteus eſt altus: unde ergo habes aquam vivam?

12. Num tu major es Patre noſtro Jacob, qui dedit nobis puteum, & ipſe ex eo bibit, & filii ejus, & pecora ejus?

13. Reſpondit Jeſus, ac dixit illi, Omnis qui bibit ex aqua hac, ſitiet rurſum:

14. Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo illi, non ſitiet in æternum: ſed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.

15. Dicit ei mulier, Domine, da mihi aquam hanc, ut non ſitiam, neque veniam huc ad hauriendum.

10. *Reſpondit Jeſus.*] Nunc ſumpta occaſione incipit Chriſtus de Spiritus ſui gratia & virtute concionari, idque apud mulierculam quæ indigna prorſus erat cum qua verbum faceret. Mirum certe bonitatis ejus exemplum. quid enim fuit in miſera fœmina, ut ex ſcorto, Filii Dei repente diſcipula fieret? Quanquam in nobis quoque omnibus idem miſericordiæ ſpecimen exhibuit. Non omnes quidem mulieres ſunt ſcorta, non omnes viri flagitio aliquo notati: ſed quam ullus noſtrum præſtantiam in medium afferet cur nos cæleſti doctrina & adoptionis honore dignatus fuerit? Nec fortuito accidit cum tali perſona colloquium: nam quaſi ſub typo nobis oſtendit Dominus, ſe nequaquam ex dignitate eligere quibuſcum ſalutis doctrinam communicet. Atque hoc quidem prima ſpecie admirabile conſilium eſt, quod tot prætermiſerit in Judæa magnos viros: interea cum hac muliere familiariter contulerit ſermonem. Verum nobis ſub ejus perſona exprimi oportuit quam verum ſit illud *Jeſ. 65:1.* Prophetæ, Inventus ſum à non quærentibus me: iis qui de me non rogabant, palam apparui: dixi non petentibus, Ecce ego adſum. *Si ſcires donum Dei.* Ego hæc duo membra, Si donum Dei ſcires, & quis ſit qui tecum loquitur, ita diſtincte lego ut poſterius ſit quaſi interpretatio prioris. hoc enim ſingulare Dei erat beneficium, præſentem Chriſtum habere, qui vitam æternam ſecum ferebat. Senſus clarior erit ſi vice copulæ particulam exegeticam ſupponas, Si ſcires donum Dei, nempe quiſnam ſit qui tecum loquitur. Cæterum his verbis docemur, tunc nos demum ſcire quiſnam ſit Chriſtus quum tenemus quid nobis in eo dederit Pater, & quid bonorum ipſe nobis offerat. Ea autem cognitio ab inopiæ noſtræ ſenſu incipit. nam ut ad remedium quis aſpiret, eum prius neceſſe eſt malis ſuis affici. Itaque Dominus non ebrios ſed ſitientes, non ſaturos ſed famelicos invitat ut comedant & bibant. Et quorſum ad nos mitteretur Chriſtus cum Spiritus plenitudine, niſi nos vacui eſſemus? Cæterum ut multum profecit is qui defectum ſuum ſentiens, quantopere aliena ope

Digitized by Google

indigeat jam agnoſcit: ita non ſufficeret ſub malis ſuis gemere, niſi prompti paratique auxilii ſpes accederet. quia hoc modo nihil poſſemus quam mœrore tabeſcere, vel certe (quod Papiſtis accidit) huc illuc curſitando, inutili & ſupervacua laſſitudine nos conficere. Verum ubi Chriſtus apparet, non amplius fruſtra vagamur remedium petituri unde nullum dari poteſt, ſed recta ad eum pergimus. Hæc igitur vera demum & utilis eſt gratiæ Dei cognitio, dum eam ſcimus in Chriſto nobis eſſe expoſitam, ejuſque manu nobis porrigi. Simul admonet Chriſtus quam efficax ſit bonorum ſuorum cognitio, utpote quæ ad ea expetenda nos ſtimulat, animoſque noſtros accendit. *Si ſcires*, inquit, *petiiſſes*. Porro ſcopus verborum minime obſcurus eſt: voluit enim mulieris deſiderium acuere, ne oblatam ſibi vitam contemptim rejiceret. *Dediſſet tibi aquam vivam.*] His verbis teſtatur Chriſtus, ſi ad ipſum dirigantur vota noſtra, minime irrita fore. Et certe ſine hac fiducia prorſus frigeret petendi ſtudium. Verum ubi ad ſe venientibus Chriſtus occurrit, atque ad omnes ſatiandos paratus eſt, jam non eſt pigritiæ vel ceſſationi locus. Atqui hoc nobis omnibus eſſe dictum nemo non ſentiret, niſi ſua cuique obſtaret incredulitas. Quanquam autem ex re præſenti nomen Aquæ ad Spiritum tranſtulit, ſatis tamen in Scripturis trita eſt hæc metaphora, & optimam rationem habet. ſumus enim inſtar aridæ ſterilisque terræ: nullus in nobis ſuccus, nullus vigor, donec Spiritu ſuo nos Dominus irrigat. Vocatur etiam Spiritus alibi Aqua munda, ſed diverſo ſenſu: quia ſcilicet ſordes, quibus toti ſcatemus, abſtergit & purgat. Sed hic & ſimilibus locis de arcana vegetatione agitur, qua vitam in nobis inſtaurat, tuetur & perficit. Sunt qui de Euangelii doctrina exponant: cui ego hanc appellationem congruere fateor. ſed ego Chriſtum exiſtimo totam renovationis gratiam hic complecti: ſcimus enim in hoc miſſum eſſe, ut novam vitam afferat. Aquam igitur, meo judicio, bonorum omnium vacuitati, qua laborat ac premitur humanum genus, opponere voluit. Porro Aquam vivam non modo nominat ab effectu, quaſi vivificam: ſed ad diverſas aquarum ſpecies alludit. Viva ergo dicitur ex vivo fonte ſcaturiens.

11. *Domine, neque quo haurias habes.*] Sicuti à Judæis deſpiciebantur Samaritani, ita hi viciſſim illos contemptui habebant. Itaque hæc mulier Chriſtum initio aſpernatur, adeoque eum ſubſannat. Satis intelligit Chriſtum figurate loqui: ſed eum perſtringit contraria figura: acſi diceret plus eum promittere quam præſtare queat. Deinde arrogantiæ eum inſimulat, quod ſe præferat ſancto Patriarchæ Jacob. Jacob, inquit, in ſuum & totius familiæ uſum contentus fuit hoc puteo: tune præſtantiorem habes aquam? Quam vitioſa ſit hæc comparatio, inde ſatis liquet quod ſervum Domino, & hominem mortuum Deo viventi opponit: & tamen quam multi quotidie in hoc idem vitium incidunt? Quo magis cavendum eſt, ne eouſque evehamus hominum perſonas ut Dei gloriam obſcurent. Reverenter quidem colenda ſunt dona Dei, ubicunque apparent. Ergo pietate inſignes viros, aliiſque raris dotibus præditos honore proſequi par eſt: ſed eatenus ut ſemper Deus alte emineat ſuper omnes, ut Chriſtus cum ſuo Euangelio conſpicuus fulgeat. nam illi totum mundi ſplendorem cedere oportet. Notandum etiam quod Samaritæ falſo gloriabantur ſe progeniem eſſe ſanctorum Patrum. Ita hodie Papiſtæ quum ſpurii ſint & ſemen adulterinum, pluſquam ſuperbe jactant Patres, ac legitimis Dei filiis inſultant. Etiamſi ex Jacob ſecundum carnem orti fuiſſent Samaritæ, quia tamen prorſus erant degeneres, & à vera pietate alieni, præpoſtera fuiſſet hæc gloriatio. Nunc quum Cuthæi ſint origine, vel ſaltem ex profanis Gentibus collecti, non tamen ſancti Patriarchæ falſo nomen obtendere deſinunt: verum id ſine profectu. Ita ſcilicet omnibus accidere neceſſe eſt qui perperam in luce hominum exultant, ut Dei luce priventur, nec quicquam ſocietatis habeant cum ſanctis Patribus, quorum titulo ſunt abuſi.

13. *Omnis qui bibit ex aqua.*] Utcunque ſe parum proficere videat Chriſtus, adeoque ludibrio haberi ſuam doctrinam, pergit tamen clarius exponere quod dixerat. diſcernit enim uſum utriuſque aquæ, quod altera corpori ad tempus ſerviat: vis alterius in vegetanda anima perpetua ſit. Nam ut corruptioni obnoxium eſt corpus, ita ſubſidia quibus fovetur, caduca & fluxa eſſe oportet. quod animam vivificat, non niſi æternum eſſe poteſt. Cæterum cum Chriſti verbis non pugnat quod uberioris gratiæ deſiderio uſque ad vitæ finem ardent fideles. neque enim uſque ad plenam ſatietatem primo ſtatim die nos potari ſignificat: ſed tantum hoc vult, Spiritum ſanctum ſcatebram eſſe perpetuo fluentem: ita non eſſe periculum ut exareſcant qui ſpirituali gratia renovati ſunt. Quamvis ergo tota vita ſitiamus, certum tamen eſt non in unum diem vel ad breve aliquod tempus nos Spiritum hauſiſſe, ſed ut perpetuo ſcaturiens nunquam nos deficiat. Ita ſitiunt tota vita fideles, & quidem ardenter: & tamen vivifico ſucco interim abundant: quia quantulumcunque receperint gratiæ, id eos aſſidue vegetat, ut nunquam ſint prorſus aridi. Quare ſatietas iſta non deſiderio, ſed tantum ſiccitati opponitur. quod proximis verbis adhuc clarius exprimitur, *Fiet fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Continua enim notatur irrigatio, quæ in hac mortali & caduca vita cæleſtem in illis æternitatem fovet. Non ergo ad breve tempus in nos fluit Chriſti gratia, ſed ſe ad beatam uſque immortalitatem diffundit: quia fluere non deſinit donec vita incorruptibilis quam inchoat, ſuis omnibus numeris conſtet. *Da mihi aquam hanc.*] Non dubium eſt quin ſatis agnoſcat mulier Chriſtum de aqua ſpirituali loqui: ſed quia eum contemnit, pro nihilo habet omnes ejus promiſſiones. Obſtructus enim eſt doctrinæ aditus quamdiu is qui loquitur, auctoritate apud nos caret. Oblique ergo Chriſtum inceſſit mulier, acſi diceret, Tu quidem multa jactas, ſed nihil video: ſi potes, reipſa oſtende.

16. Dicit ei Jeſus, Vade, voca virum tuum, & veni huc.

17. Reſpondit mulier, & dixit ei, Non habeo virum. Dixit ei Jeſus, Bene dixiſti, Non habeo virum.

18. Quinque enim viros habuiſti, & nunc quem habes, non eſt vir tuus: hoc vere dixiſti.

19. Dicit ei mulier, Domine, video quod tu ſis Propheta.

20. Patres noſtri in monte hoc adoraverunt: & vos dicitis quod Jeruſalem ſit locus ubi oporteat adorare.

21. Dicit ei Jeſus, Mulier, crede mihi, venit hora quando neque in monte hoc, neque Hieroſolymis adorabitis Patrem.

16. *Voca virum tuum.*] Videtur hoc nihil ad rem facere: imo putare quis poſſet, Chriſtum mulieris protervia fractum, & pudefactum, alio deflectere ſermonem. ſed non ita eſt. Quum enim videret, ſcurrilibus dicteriis excipi quod dicebat, aptum huic malo remedium adhibuit. percutit enim mulieris conſcientiam peccati ſenſu. Atque hoc rurſus præclarum eſt miſericordiæ ſpecimen quod prope invitam trahit quæ ſponte accedere nolebat. Sed illud quod attigi præcipue notandum, vulnerandos eſſe peccati ſenſu qui nimium ſecuri ſunt ac propemodum ſtupent. Talibus enim fabuloſa erit Chriſti doctrina, donec ad tribunal Dei citati, eum quem ſpernebant, timere tanquam ſuum judicem cogantur. In hunc modum tractandi ſunt omnes qui ſcurrili ſua dicacitate adverſus Chriſti doctrinam inſurgere non dubitant, ut ſentiant non impune hoc ſibi ceſſurum. Tanta etiam multorum contumacia eſt, ut audientiam illi nunquam daturi ſint niſi violenter ſubacti. Ergo quoties inſipidum videmus eſſe Chriſti oleum, aceto miſcendum eſt, ut ſapere incipiat. Imo hoc nobis omnibus neceſſarium eſt. neque enim ſerio afficimur loquente Chriſto niſi pœnitentia expergefacti. Ergo ut rite quis proficiat in ejus ſchola, propriæ miſeriæ demonſtratione, quaſi aratro, ejus duritiem ſubigi neceſſe eſt: quia ſola hæc cognitio delicias omnes nobis excutit ne amplius audeamus Deo illudere. Itaque ſi quando nobis obrepat verbi Dei neglectus, nullum aptius remedium erit quam ſi ſe quiſque ad peccata ſua reputanda ſollicitet, ut ipſum ſui pigeat, adeoque expavefactus Dei judicio, humilietur ad ejus obſequium, cujus contemptu ante laſciviebat.

17. *Non habeo virum.*] Nondum emergit illius admonitionis fructus, qua mulieris animum ad pœnitentiam Chriſtus pungere voluerat. Et certe ita nos ebrius noſtri amor ſopitos tenet, vel potius hebetat, ut minime nos excitent primæ punctiones. Sed huic quoque tarditati apposite medetur Chriſtus, dum ulcus ipſum validius premit: aperte enim ſuum illi flagitium exprobrat. Quanquam non unam ſcortationem hic notari puto. nam quod *quinque* viros habuiſſe dicit, credibile eſt id fuiſſe factum quod petulans mulier & immorigera maritos ad faciendum divortium compulerit. Sic ergo verba interpretor, Quum te legitimis maritis Deus junxiſſet, nullum feciſti peccandi finem, donec pluribus repudiis infamis, te ad ſcortationem proſtitueres.

19. *Domine, video quod* &c.] Hic jam emergit objurgationis fructus. neque enim modeſte tantum culpam ſuam agnoſcit mulier, ſed audiendæ Chriſti doctrinæ, quam prius reſpuebat, prompta & expoſita, ultro eam appetit & flagitat. Ergo (ut jam dixi) veræ docilitatis initium eſt pœnitentia, & ad ſcholam Chriſti ingrediendam januæ apertio. Docet autem nos ſuo exemplo mulier, quum nobis oblatus eſt doctor quiſpiam, utendum eſſe hac occaſione, ne ſimus Deo ingrati, qui Prophetas nunquam nobis deſtinat quin veluti porrecta manu nos ad ſe invitet. Tenendum autem eſt quod docet Paulus, divinitus nobis mitti qui docendi facultate pollent. [*Rom.* 10. *verſ.* 15.]

20. *Patres noſtri.*] Falſum eſt quod quidam putant, eo quod moleſta eſſet ac odioſa mulieri objurgatio, eam aſtute alio delabi. quin potius à ſpecie ad genus tranſit, & de peccato ſuo edocta, generaliter in puro Dei cultu inſtitui vult. Rite autem & ordine hoc facit, quod Prophetam conſulit, ne in colendo Deo erret: perinde acſi inquireret ex ipſo Deo qualiter coli velit. nihil enim magis perverſum quam varios cultus arbitrio noſtro fingere abſque Dei verbo. Porro inter Judæos & Samaritas de vera adorandi regula perpetuum fuiſſe certamen, ſatis notum eſt. Tametſi enim Cutthæi & reliqui advenæ, qui decem tribubus in exilium abductis, Samariam tranſlati erant, plagis coacti ſuſceperant Legis ritus, ac ſe Deum Iſrael colere profitebantur (ut 2 Reg. 17. v. 27. legimus) erat tamen mutila apud eos & multis modis vitiata religio: quod Judæis tolerabile non erat. Sed magis accenſa fuerat contentio poſt templum in monte Garizim extructum à Manaſſe Joannis ſummi Pontificis filio, & Jaddi fratre, quo tempore Darius ultimus Perſarum Rex per manum Sanabaletis Præfecti Judæam tenebat. Nam Manaſſes ducta in uxorem Satrapæ filia, ne fratre eſſet inferior, Sacerdotem ſe illic creavit, ac quoſcunque potuit apoſtatas præmiis ad ſe pellexit: quemadmodum Joſephus libro Antiquitatum 11. refert. Quod autem veræ pietatis deſertoribus ſolenne eſt, ut patrocinium ſibi ex Patrum exemplis quærant, id tunc fecerunt Samaritani: ſicuti ex verbis mulieris colligere licet, Patres noſtri, inquit, adoraverunt in monte hoc. Certum eſt non fuiſſe ea cauſa inductos ut ſacrificia illic offerrent: ſed poſtquam illic erexerant perverſum cultum, ſequuta eſt pertinacia, quæ ad prætextus captandos ingenioſa fuit. Fateor quidem, interdum ſtulto zelo non ſecus atque œſtro ſtimulari leves & inconſideratos homines, ut quod à ſanctis factum fuiſſe audiunt, protinus ſine judicio in exemplum arripiant. Sed alterum illud vitium magis commune eſt, ut ſuis erroribus colorem inducant ex factis Patrum. idque in Papatu cernere promptum eſt. Verum quia hic locus inſigni documento eſt quam præpoſtere faciant qui poſthabito Dei mandato ſe conformant ad Patrum exempla, notandum eſt quot modis hic peccare ſoleat mundus. Sæpe enim contingit ut ſine delectu pro Patribus major pars ſequatur qui minime omnium habendi erant Patres. Ita hodie Papiſtas videmus, quum inflatis buccis Patres decantant, nullum Prophetis & Apoſtolis locum dare: ubi autem paucos nominarunt honore dignos, coacervare ingentem hominum ſui ſimilium catervam, vel ſaltem deſcendere ad corruptiora ſecula: quibus etſi nondum tam craſſa barbaries invaluerat, religio tamen & doctrinæ puritas multum declinaverant. Ergo tenendum eſt ſedulo diſcrimen, ne Patres cenſeantur niſi quos conſtabit fuiſſe Dei filios: deinde, qui pietatis ſuæ excellentia hunc honoris gradum promeriti ſint. Frequenter etiam in eo peccatur quod temere ex Patrum factis communis lex ſtatuitur. Vulgus enim non ſatis honoris ſe Patribus habere putat niſi eos eximat hominum numero. Ita dum nobis in mentem non venit homines fuiſſe qui labi poterant, vitia virtutibus promiſcue miſcemus. Unde ſequitur peſſima in vivendi ratione confuſio. Nam quum ad Legis regulam examinanda ſint omnia hominum facta, trutinam ipſam ſuis ponderibus ſubjicimus. denique ubi tanti ſit Patrum imitatio, impune poſt eos ſe peccare mundus putat. Tertium vitium eſt prava æmulatio, ubi ſcilicet nec eodem præditi Spiritu, nec eodem inſtructi mandato trahimus in exemplum quod Patrum aliquis fecit. Quemadmodum ſiquis privatus gladio ulciſci velit fratrum injurias, quia hoc fecit Moſes: [*Exod.* 2. *verſ.* 12.] ſiquis de ſcortatoribus pœnas ſumat, quia fecit hoc Phinees. [*Num.* 25. *verſ.* 7.] Hinc natus eſt immanis ille furor mactandi proprios filios (quemadmodum multi judicant) quod Judæi patri ſuo Abrahæ ſimiles eſſe volebant. Quaſi vero generale hoc eſſet præceptum, [*Gen.* 22. *verſ.* 2.] Immola filium tuum Iſaac: ac non potius ſingularis unius hominis probatio. Talem φιλαυτία ut plurimum faſtus & nimia confidentia parit, dum ſibi plus nimio arrogant homines, nec ſuo modulo ſe quiſque metitur. Interea Patribus nulli ſunt recti imitatores, plurimæ ſimiæ. Ex hoc etiam fonte fluxiſſe bonam partem veteris monaſtices fatebuntur qui prudenter veterum ſcripta expendent. Ergo niſi ſponte errare libeat, ſemper videndum eſt quo quiſque ſpiritu donatus ſit, quid ferat cujuſque vocatio, quid ſingulis conveniat, & quid ſingulis ſit mandatum. Huic tertio vitio affine eſt aliud, confuſio

ſcilicet temporum, dum ſcilicet poſteri in Patrum exemplis occupati, diverſam agendi legem ſibi à Domino præſcriptam eſſe non cogitant. Huic inſcitiæ acceptum referri debet immenſa ceremoniarum congeries, quibus obruta eſt Eccleſia ſub Papatu. Statim ab Eccleſiæ exordio in hac parte peccari cœptum eſt, quia plus valuit ſtulta Judaiſmi affectatio quam decebat. Habebant Judæi ſua ſacrificia: ne tali pompa carerent Chriſtiani, inventus eſt immolandi Chriſti ritus. Quaſi vero deterior futura eſſet Chriſtianæ Eccleſiæ conditio ſi ceſſaſſent omnes umbræ quibus offuſcari poterat Chriſti claritas. Sed poſtea longius erupit ac ſine modo graſſatus eſt furor. Ergo ne hic labamur, ſemper ad præſentem regulam attentos eſſe nos oportet. Olim ſuffitus, luminaria, veſtes ſacræ, altare, vaſa, & ſimiles ritus Deo placebant: nempe quia obedientia nihil habet gratius vel magis pretioſum. Nunc à Chriſti adventu mutata eſt ratio. Ergo quid nobis in Euangelio præſcribat conſiderandum, ne temere ſequamur quod ſub Lege Patres ſervarunt. Nam quæ tunc fuit pia ſacrorum obſervatio, hodie ſceleratum ſacrilegium foret. Hoc Samaritanos decepit, quia non reputabant in exemplo Jacob quantum differret temporis ratio. Patriarchis altaria paſſim erigere licuerat, quod nondum ordinatus eſſet locus, quem poſtea Dominus elegit: ex quo vero Deus Templum in monte Sion juſſit extrui, ceſſavit prior liber- *Deut.* 12.
tas. Hac ratione dicebat Moſes, Poſthac non facietis *verſ.* 8.
ſinguli quod ſibi rectum viſum fuerit, ſed tantum quod vobis præcipio. Nam ex quo Dominus Legem tulit, rectum ſui cultum alligavit ad Legis ipſius decreta, quum ante liberior eſſet uſus. Similis prætextus erat adorantibus in Bethel. illic enim ſolenne Deo ſacrificium obtulerat Jacob: ſed poſtquam locum Dominus Hieroſolymis deſignaverat, amplius non erat Bethel, ſed Bethaven. Nunc videmus quis fuerit ſtatus quæſtionis. Samaritanis Patrum exemplum erat pro regula: Judæi in Dei mandato fundati erant. Mulier hæc, tametſi gentis ſuæ conſuetudinem hactenus coluerat, non tamen in ea acquieſcit. Adorationem hic intellige non quamlibet (nam quotidianis precibus ubique locus erat) ſed cui annexa erant ſacrificia, ut publica & ſolennis eſſet religionis profeſſio.

21. *Mulier, crede mihi.*] Prima reſponſi ſui parte breviter ceremonialem cultum, qui ſub Lege fuerat inſtitutus, abolet. Nam quum dicit horam inſtare quæ nullum habeat proprium & peculiarem adorandi locum, ſignificat temporale fuiſſe quod traditum à Moſe fuerat, atque ita jam adeſſe tempus quo diruatur maceria. Hoc modo cultum Dei ex prioribus anguſtiis eductum latius extendit, ut ejus participes fiant Samaritani. Quum dicit, *Venire horam*, præſens eſt loco futuri: ſenſus eſt tamen, jam proprie inſtare abrogationem Legis, quod ad Templum & Sacerdotium ſpectat, & alios externos ritus. Deum nominando *Patrem*, videtur eum oblique opponere Patribus quorum mentionem fecerat mulier: acſi diceret, Deum communem fore Patrem omnibus, ut jam ſine locorum & gentium diſcrimine communiter adoretur.

22. Vos adoratis quod neſcitis, nos adoramus quod ſcimus: quia ſalus ex Judæis eſt.
23. Sed venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate: etenim Pater tales quærit qui adorent ipſum.
24. Deus eſt ſpiritus: & eos qui adorant ipſum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.
25. Dicit ei mulier, Scio quod Meſſias venturus eſt, qui dicitur Chriſtus. quum ergo venerit ille, annunciabit nobis omnia.
26. Dicit ei Jeſus, Ego ſum qui loquor tecum.

Nunc quod breviter attigerat de Legis abrogatione, fuſius exponit. Summam tamen orationis partitur in duo membra: priore, formam colendi Dei, quæ in uſu fuerat Samaritanis, ſuperſtitionis & erroris damnat: apud Judæos vero probam & legitimam fuiſſe teſtatur. Et cauſam differentiæ ſubjicit, quod Judæis conſtaret ex verbo Dei cultus ſui certitudo: Samaritani autem nihil certi ex ore Dei tenebant. Secundo declarat ritus, hactenus à Judæis ſervatos brevi habituros finem.

22. *Vos adoratis quod neſcitis.*] Memorabilis ſententia, qua docemur nihil in religione temere vel fortuito eſſe tentandum: quia niſi adſit ſcientia, non jam Deus, ſed phantaſma vel ſpectrum colitur. Itaque hoc fulmine coocidunt bonæ omnes intentiones quas vocant. habemus enim, homines nihil poſſe quam errare ubi ſua eos regit opinio ſine verbo aut mandato Dei. Nam Chriſtus perſonam & cauſam gentis ſuæ ſuſcipiens, Judæos longe à Samaritanis diſtare docet. Cur id? *Quoniam ex ipſis eſt ſalus*, inquit. Quibus verbis ſignificat, hoc uno eos præſtare quod aternæ ſalutis fœdus cum illis pepigerat Deus. Quidam ad Chriſtum reſtringunt, qui ex Judæis progenitus eſt. Et certe, quando in ipſo omnes Dei promiſſiones ratæ ſunt ac firmæ, nulla niſi in eo ſalus. Sed quia minime dubium eſt quin Judæos ideo præferat Chriſtus quod non incognitum aliquod numen, ſed Deum unum adorant, qui ſe illis patefecit, & à quo ſunt in populum adoptati: ſub nomine Salutis ſalvifica illa manifeſtatio quam ex cæleſti doctrina habebant, intelligi debet. Sed cur dicit ab illis eſſe, quum potius apud eos depoſita eſſet, ut ea ſoli fruerentur? Alludit, meo judicio, ad id quod prædictum erat à Prophetis, Legem à Sion prodituram. Nam *Jeſ.* 2
ea conditione ſegregati ad tempus erant à reliquis *verſ.* 3.
populis ut ab ipſis tandem ad totum mundum pura Dei cognitio manaret. Summa tamen huc redit, non rite coli Deum niſi ex fidei certitudine, quam ex Dei verbo gigni neceſſe eſt. unde ſequitur, ad idololatriam prolabi quicunque à verbo diſcedunt. Clare enim teſtatur Chriſtus, idolum aut inane figmentum ſtatui Dei loco ubi verum Deum homines ignorant: damnat autem ignorantiæ omnes quibus ſe Deus ipſe non patefecit. Nam ſimulac verbi ejus luce deſtituimur, regnant tenebræ & cæcitas. Notandum autem eſt, Judæos, quum ſua perfidia aboleverint vitæ æternæ fœdus cum Patribus ſancitum, theſauro illo privatos eſſe quem tunc adhuc tenebant: nondum enim abdicati erant ex Eccleſia Dei. Nunc quum abnegent Filium, nihil cum Patre illis commune eſt. Idem de omnibus ſentiendum qui à pura Euangelii fide ad ſua & hominum commenta tranſvolarunt. Quantumvis ſibi in ſua pertinacia blandiantur & plaudant qui ex ſenſu ſuo vel hominum traditionibus adorant Deum, hæc una vox de cælo detonans quicquid ſe habere putant divinum & ſanctum proſternit, Vos adoratis quod neſcitis. Itaque ut Deo probetur noſtra religio, neceſſe eſt ut in ſcientiam ex ejus verbo conceptam recumbat.

23. *Sed venit hora.*] Sequitur poſterius membrum de abrogando Legali cultu. Quum dicit horam venire, aut venturam, ordinem à Moſe traditum non fore perpetuum docet. Quum dicit horam jam nunc eſſe, finem imponit ceremoniis: atque ita admonet impletum eſſe correctionis tempus. interea Templum *Hebr.* 9.
& Sacerdotium rituſque omnes illis annexos pro- *verſ.* 10.
bat,

bat, quantum ad præteriti temporis uſum. Porro ut oſtendat Deum neque Hieroſolymis neque in monte Garizim velle adorari, altius principium ſumit, veram ſcilicet ejus adorationem in ſpiritu ſitam eſſe. Nam inde ſequitur rite ubique locorum invocari. Primum tamen hic quæritur cur & quo ſenſu ſpiritualis vocetur Dei cultus. Hoc ut teneamus, notanda eſt antitheſis inter ſpiritum & externas figuras, ſicuti inter umbras & veritatem. Dicitur ergo ſpiritu conſtare Dei cultus, quia nihil aliud eſt quam interior cordis fides, quæ invocationem parit: deinde conſcientiæ puritas, abnegatio noſtri, ut addicti in Dei obſequium, ſimus illi quaſi ſacræ victimæ. Hinc exoritur altera quæſtio, Annon ſub Lege ſpiritualiter eum Patres coluerint. Reſpondeo, quum ſemper ſui ſimilis ſit Deus, non alium ab initio mundi cultum probaſſe quam ſpiritualem, qui ejus naturæ congrueret. Cujus rei Moſes ipſe ſatis locuples eſt teſtis: qui multis locis declarat non alio ſpectare finem Legis quam ut fide & pura conſcientia populus Deo adhæreat. Verum id clarius exprimunt Prophetæ quum ſevere invehuntur in populi hypocriſin: quia ſatisfactum Deo putabat poſtquam ſacrificiis defunctus erat externaque illa pompa. Nihil opus eſt multa huc teſtimonia adducere, quæ paſſim occurrunt: inſignes tamen præ aliis loci ſunt Pſal. 50. Jeſ. 1. 58. & 66. Mich. 5. Amos 7. Cæterum ita ſpiritualis fuit ſub Lege Dei cultus, ut tamen implicitus externis tot ceremoniis, carnale aliquid & terreoum in ſpecie ſaperet. Ideo Paulus Galat. 4: 9. ceremonias carnem appellat, & egena mundi elementa. Similiter auctor epiſtolæ ad Hebræos Sanctuarium

Hebr. 9. verſ. 1.

vetus cum ſuis appendicibus terrenum fuiſſe dicit. Ideo cultum Legis apte dicemus fuiſſe in ſua ſubſtantia ſpiritualem: formæ reſpectu, carnalem quodammodo ac terrenum. Erat enim umbratilis tota illa ratio, cujus veritas nunc palam apparet. Nunc videmus quid nobiſcum Judæi commune habuerint, & quid diverſum. Omnibus ſeculis fide, precibus, gratiarum actione, puritate cordis & vitæ innocentia coli Deus voluit, nec aliis unquam ſacrificiis delectatus eſt: ſed erant io Lege variæ acceſſiones, ut ſpiritus & veritas ſub involucris laterent: nunc rupto templi velo, nihil obſcurum vel tectum. Sunt quidem & nobis hodie externa quædam pietatis exercitia, quibus ruditas noſtra indiget: verum is eſt modus eaque ſobrietas quæ nodam Chriſti veritatem non obſcurent. Denique quod adumbratum Patribus fuit, palam expreſſum habemus. Hoc vero diſcrimen in Papatu non modo confuſum, ſed penitus everſum fuit. neque enim illic minor eſt umbrarum denſitas quam fuit olim ſub Judaiſmo. Quin manifeſtum inter nos & Judæos diſcrimen hic ſtatuat Chriſtus, negari non poteſt. Quibuſcunque elabi cavillis conentur, in externa tantum forma nos eſſe Patribus diſſimiles conſtat, quia illi ſpiritualiter Deum colentes, ceremoniis adſtricti erant, quæ Chriſti adventu ſunt abolitæ. Chriſti ergo præſentia quantum in ſe eſt Eccleſiam ſpoliant quicunque eam gravant immodica ceremoniarum turba. Nec moror evanidos illos colores, multos ex vulgo non minus hodie indigere talibus adminiculis quam olim inter Judæos. ſemper enim quo ordine Eccleſiam ſuam regi voluerit Dominus, ſpectandum eſt: qnia unus ille quid nobis expediat optime novit. Certum autem eſt, rationi divinitus ordinatæ nihil eſſe magis contrarium quam craſſam & his carnalem pompam, quæ regnat in Papatu. Spiritum quidem tegebant Legales umbræ, ſed iſtæ larvæ prorſus eum deformant. Quare ad tam fœdas & iodignas corruptelas minime connivendum eſt. Utcunque cauſentur aſtuti homines, vel ad vitia corrigenda nimis timidi, res iſtas eſſe medias, ideoque indifferenter habendas: certe tolerabile non eſt præſcriptam à Chriſto normam violari. *Veri adoratores.*] Videtur obiter taxare Chriſtus multorum pervicaciam, quæ poſtea erupit. ſcimus enim quam pugnaces & contentioſi patefacto Evangelio fuerint Judæi in tuendis ceremoniis quibus aſſueverant. Quanquam latius patet hæc ſententia: quia enim ſciebat mundum à ſuperſtitionibus nunquam purum fore, ideo pios & rectos cultores à perverſis ac fictis ſegregat. quo teſtimonio inſtructi Papiſtas damnare in ſuis omnibus figmentis & eorum probra contemnere ne dubitemus. Quid enim metuendum eſt quum audimus placere Deo nudum hunc & ſimplicem cultum, qui Papiſtis ideo deſpectui eſt quia ceremoniarum congerie non turget? & quid illis prodeſt inanis carnis ſplendor, quo Chriſtus teſtatur Spiritum extingui? Quid ſit Deum colere *in ſpiritu & veritate*, ex ſuperioribus dilucide patet: nempe ablatis veterum rituum involucris, ſimpliciter retinere quod ſpitituale eſt in Dei cultu. nam veritas divini cultus in ſpiritu conſiſtit: ceremoniæ autem quiddam erant adventitium. Atque hic rurſus notandum eſt non conferri veritatem cum mendacio, ſed cum externa figurarum acceſſione, ut ſit pura ſimplexque (ut loquuntur) ſpiritualis cultus ſubſtantia.

24. *Deus eſt ſpiritus.*] Confirmatio ab ipſa Dei natura. Quum homines caro ſint, non mirum eſt ſi illis arrideant quæ ipſorum ingenio reſpondent. Hinc fit ot multa comminiſcantur in cultu Dei, quæ oſtentatiooe plena, ſolidi nihil habent. Atqui hoc in primis expendere eos decebat, ſibi cum Deo eſſe negotium, cui nihilo minus eſt cum carne diſſidium quam igni cum aqua. Hæc ſola cogitatio, ubi de colendo Deo agitur, ad frenandam ingenii noſtri laſciviam ſufficere debebat: quod adeo ſimilis nobis non eſt, ut quæ nobis maxime placent, illi nauſeæ ſint ac tædio. Quod ſi hypocritas ita excæcat ſua ſuperbia ut Deum ſuo arbitrio vel potius libidini ſubjicere non formident, ſciamus tamen hanc modeſtiam non ultimum in vero Dei cultu locum tenere, ut nobis ſuſpectum ſit qnod adlubeſcit ſecundum carnem. Porro quia ad ejus altitudinem conſcendere non licet, meminerimus petendam eſſe ex ejus verbo regulam qua dirigamur. Locus hic ſæpe à Patribus citatur adverſus Arrianos, ad probandam Spiritus divinitatem: ſed perperam eo torquetur: quia hic ſimpliciter pronunciat Chriſtus ſpiritualis naturæ eſſe Patrem ſuum, ideoque rebus frivolis non affici, quemadmodum pro ſua levitate homines ſolent.

25. *Meſſias venturus eſt.*] Quamvis impura & multis erroribus confuſa eſſet apud Samaritanos religio, principia tamen quædam ex Lege ſumpta, eorum animis infixa erant: quale hoc fuit de Meſſia. Probabile autem eſt, quum ex Chriſti ſermone colligeret mulier inſolitam mutationem inſtare Eccleſiæ Dei, ſtatim ſubiiſſe Chriſti memoriam, ſub quo plenam rerum omnium inſtaurationem ſperabat. Quum Meſſiam dicit venturum, de tempore propinquo videtur loqui. Et certe multis argumentis ſatis conſtat, paſſim tunc erectos fuiſſe omnium animos Meſſiæ exſpectatione, qui rebus miſere collapſis, imo perditis ſuccurreret. Hoc quidem extra controverſiam eſt, mulierem Chriſtum Moſi & Prophetis omnibus in docendi officio præferre. Tria enim paucis verbis complectitur: primo Legis doctrinam non fuiſſe numeris omnibus abſolutam, ſed illic rudimenta duntaxat fuiſſe tradita. Niſi enim ulterior quidam fuiſſet progreſſus, non diceret Meſſiam annunciaturum omnia. eſt enim tacita inter eum & Prophetas antitheſis, quod propriæ illius ſiot partes diſcipulos ad metam perducere, ab illis tantum initiatos, & quaſi in ſtadium inductos. Secundo declarat mulier talem ſe Chriſtum ſperare qui futurus ſit Patris interpres, & piorum omnium doctor ac magiſter. Poſtremo ſignificat nihil ejus doctrina melius vel perfectius eſſe appetendum: imo hunc ultimum ſapientiæ ſcopum eſſe, ultra quem progredi fas non ſit. Utinam vero

qui nuoc ſe jactant Chriſtianæ Eccleſiæ columnas, ſaltem hanc mulierculam imitarentur, ut ſimplici potius Chriſti doctrioa contenti foreot quam ſibi magiſterium neſcio quod arriperent ad ingerenda ſua commenta. Unde enim conflata eſt Papæ & Mahumeti religio niſi ex pravis additamentis, quibus ſe finxerunt Euangelii doctrinam complere? quaſi abſque talibus deliriis mutila foret. Sed quiſquis in Chriſti ſchola probe erit edoctus, non alios ſibi magiſtros accerſet, ac ne admittet quidem.

26. *Ego ſum qui loquor tecum.*] Quum ſe mulieri eſſe Meſſiam fatetur, doctorem proculdubio ſe offert, quo ſpei ab ea conceptæ reſpondeat. Itaque mihi veriſimile eſt ubetiorem doctrinam ſiti ejus expleodæ ſequutam eſſe. Ac tale quidem gratiæ ſuæ documentum in paupercula fœmina extare voluit, ut teſtatum omnibus faceret ounquam ſe officio deeſſe ubi doctor appetitur. Periculum ergo noo eſt nequem omnino fruſtretur quem paratum diſcipulum inveniet. qui vero ſe illi ſubmittere gravantur (ut multos videmus ſuperbos & profanos homines) vel qui aliunde perfectiorem ſapientiam ſperant, ut Turcæ & Papiſtæ: digni ſunt qui per innumeras præſtigias circumacti mergantur in errorum labyrinthum. Cæterum his verbis, Ego qui loquor, ſum Meſſias Filius Dei, Meſſiæ nomen quaſi ſigillum commendat obſignandæ Euangelii ſui doctrinæ. quia ſtatuendum eſt à Patre fuiſſe uoctum, & Spiritum Dei io eo requieviſſe, ut ſalutis nuncium ad nos perferret: quemadmodum teſtatur Jeſaias cap. 61. verſ. 1.

27. Interea autem venerunt diſcipuli ejus, & mirati ſunt quod cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit, Quid quæris? vel, Quid loqueris cum ea?
28. Reliquit ergo hydriam ſuam mulier, & abiit in urbem, & dicit hominibus,
29. Venite, & videte hominem qui mihi dixit omnia quæ feci, numquid hic eſt Chriſtus?
30. Exierunt ergo ex urbe, & venerunt ad eum.
31. Interea rogabant eum diſcipuli, dicentes, Rabbi, comede.
32. Ipſe autem dixit illis, Ego habeo cibum edendum quem vos neſcitis.
33. Dicebant ergo inter ſe diſcipuli, Num quiſpiam attulit illi quod ederet?
34. Dicit eis Jeſus, Cibus meus eſt ut faciam voluntatem ejus qui me miſit, & perficiam opus ejus.

27. *Et mirati ſunt.*] Quod Euangeliſta refert miratos fuiſſe diſcipulos, duplex eſſe cauſa potuit: vel quod eos offenderet perſonæ vilitas; vel quod Judæos pollui arbitrabantur ſi cum Samaritanis ſermonem miſcerent. Tametſi autem utrumque ex pia Magiſtri reverentia oriebatur, perperam tamen faciunt ſi mirantur, quaſi abſurdum, quod mulierem prorſus abjectam dignetur ille tanto bonore. Cur eoim non ſe potius ipſos reſpiciunt? reperirent certe illic non mioorem ſtupendi materiam, quod nihili homunciones, & tanquam populi quiſquiliæ, in ſummum honoris gradum evecti eſſent. Et tamen quod dicit Euangeliſta, non auſos fuiſſe rogare, utile eſt obſervatu. docemur enim eorum exemplo, ſi quid interdum in Dei & Chriſti operibus aut verbis à ſenſu noſtro abhorret, non eſſe laxandas nobis habenas ut audacter obſtrepamus: ſed modeſte potius ſileodum, donec quod nobis abſconditum eſt, è cælo patefiat. Hujus porro modeſtiæ fundamentum eſt Dei timor, & Chriſti revereotia.

28. *Reliquit ergo hydriam.*] Hoc ad exprimendum ſtudii ardorem narrat Euangeliſta. nam feſtinationis ſignum eſt quod relicta hydria in urbem redit. Atque hæc fidei natura eſt, ut facti vitæ æternæ compotes, alios in ſocietatem colligere optemus: nec poteſt ſepulta & otioſa in cordibus jacere Dei cognitio quin ſe apud homines proferat. Illud enim
Pſal. 116. verſ. 1. verum eſſe oportet, Credidi, propterea loquar. Eoque magis notandæ nobis ſunt vehementia & alacritas mulieris quod eas exigua tantum fidei ſcintilla accendit: vixdum enim Chriſtum guſtaverat, dum in tota urbe eum celebrat. Ergo qui jam mediocres in ejus ſchola progreſſus fecerunt, illis pluſquam turpe erit pigreſcere. Sed videtur hoc potius reprehenſione digoum, quod adhuc rudis & minus ſolide edocta fidei ſuæ limites tranſilit. Reſpondeo, inconſiderate fuiſſe acturam ſi docendi ſibi partes ſumpſiſſet: nuoc vero quum nihil quam excitare ſuos cives cupiat ut Chriſtum loquentem audiant, oon dicemus ſui oblitam longius prorumpere quam decebat: ſolum tubæ vel campanæ officio fungitur ut ad Chriſtum invitet.

29. *Videte hominem.*] Quia dubitanter hic loquitur, videri poſſet Chriſti auctoritate non valde fuiſſe permota. Reſpondeo, quia ad diſſerendum de tantis myſteris idonea non erat, pro ſuo modulo eam ſatagere ut cives ſui à Chriſto ſe doceri ſuſtineant. Porro hic ad eos excitandos optimus erat ſtimulus, quum ex ſigno non obſcuro neque ambiguo Prophetam eſſe cognoſcerent. nam quia ex doctrina facere judicium non poterant, utilis aptaque illis erat hæc inferior præparatio. Dum itaque res occultas mulieri aperuiſſe audiunt, hinc colligunt eſſe Dei Prophetam: quo conſtituto attendere ad ejus doctrinam incipiuot. quanquam mulier ultra progreditur: nam conſiderare eos jubet numquid ſit Meſſias: hoc uno ſcilicet contenta, ſi quod jam in Chriſto iovenerat, illi ſuo impulſu quærant. inventuros enim ſciebat plus quam promitteret. Sed cur mentitur *Omnia* Chriſtum ſibi dixiſſe? Jam prius admonui, non de una ſcortatione fuiſſe reprehenſam à Chriſto, ſed paucis verbis objecta illi fuiſſe plura totius vitæ peccata. neque eoim ſingulas ſententias Euangeliſta recenſuit: ſed ſummatim docuit, Chriſtum, ut mulieris dicacitatem compeſceret, ſuperiorem ac præſentem ejus vitam in medium protuliſſe. Interea videmus acceoſam pio zelo mulierem, ſibi ſuæque exiſtimationi minime parcere, ut Chriſti nomeo illuſtret. nam recitandis ſuis probris oon abſtinet.

32. *Ego cibum habeo.*] Mirum cur feſſus & eſuriens cibum recuſet. nam ſi quis hoc facere eum dicat ut ſuo exemplo nos erudiat ad tolerandam inediam, cur oon igitur perpetuo fecit? Sed alio tendebat ejus conſilium quam ut reſpuendum ſimpliciter eſſe cibum diceret. Tenenda eſt enim circumſtantia hæc, quod eum ſic urget præſentis negotii cura, totumque ejus animum occupat, ut cibum negligere illi moleſtum non ſit. neque tamen ſic iotentum eſſe profitetur ad exeqoenda Patris mandata, ut neque edat, neque bibat: tantum quid ſibi prius ſit vel poſterius oſtendit. atque ita ſuo exemplo docet, regnum Dei omnibus corporis commodis eſſe præferendum. Edere quidem & bibere nobis Deus permittit, modo ne ab eo quod præcipuum eſt, abſtrahamur: hoc eſt, ut ſuæ quiſque vocationi ſerviat. Dicet quiſpiam fieri aliter non poſſe quin avocamenta ſint cibus & potus, quæ aliquid temporis melioribus ſtudiis abſtrahant. Et hoc quidem verum, fateor: ſed quia Dominus pro ſua indulgentia oobis concedit ut carnem noſtram curemus quantum poſtulat neceſſitas, oon deſinit qui parce & ſobrie

fovendo

fovendo corpori dat operam 4 Dei obſequium interea præſerre, ut decet. Quanquam ſimul cavendum ne ita addicti ſimus horis noſtris, quin parati ſimus cibo nos fraudare, ubi propoſita aliqua occaſione quaſi præſentem horam nobis Deus condicit. Talis opportunitas quum nunc in manibus Chriſto eſſet, quæ effluere poterat, eam obvius ulnis amplectitur & retinet. Quia igitur negotium à Patre injunctum ſic urget ut alia omnia omittere neceſſe ſit, cibum poſthabere non dubitat. Et certe abſurdum fuiſſet mulierem relicta hydria ad vocandum populum currere, in Chriſto minus cerni ardoris. Denique ſi nobis propoſitus hic erit ſcopus, non perdere ob vitam vivendi cauſas, non difficile erit optimum modum tenere. Qui enim propoſitum hunc habebit vitæ finem ut Domino ſerviat, à quo ne præſenti quidem mortis periculo fas ſit nos abduci: hoc certe pluris quam cibum & potum faciet. Metaphora cibi & potus eo gratiæ plus habet quod tempeſtive ex præſenti ſermone ducta eſt.

34. *Cibus meus eſt.*] Significat non modo hoc ſibi eſſe antiquiſſimum, ſed nihil eſſe quo magis delectetur, vel in quo libentius & cupidius ſe exerceat. Quemadmodum David, ut Legem Dei commendet, *Pſal. 19.*
non tantum pretioſam ſibi fuiſſe dicit, ſed melle quo- *verſ. 11.*
que dulciorem. Ergo ut Chriſtum ſequamur, non tantum ſtudioſe nos impendere Deo convenit, ſed tam eſſe voluntarios ad peragenda ejus mandata ut minime ſit moleſtus aut gravis labor. Porro quum addit Chriſtus, *Ut perficiam ejus voluntatem*, ſatis exponit quænam ſit Patris voluntas ad quam intentus erat: nempe ut injunctum ſibi munus expleret. Ita ſingulis reſpicienda eſt ſua vocatio, nequis Deo impenſum ferat quod temere ſuo arbitrio ſuſcepit. Cæterum quæ fuerit Chriſti functio ſatis notum eſt, promovere ſcilicet Dei regnum, animas perditas in vitam reſtituere, ſpargere lucem Euangelii, denique ſalutem afferre mundo. Harum rerum præſtantia laſſo & famelico cibi & potus oblivionem induxit. Hinc tamen non vulgaris ad nos redit conſolatio, dum audimus Chriſtum de hominum ſalute adeo fuiſſe ſollicitum, ut eam curare ſumma illi fuerit voluptas. neque enim dubium eſt ſimiliter hodie quoque erga nos affici.

35. Nonne vos dicitis, Adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis veniet? Ecce, dico vobis, attollite oculos veſtros, & videte regiones, quoniam albæ ſunt jam ad meſſem.

36. Et qui metit, mercedem accipit, & fructum congregat in vitam æternam: ut & qui ſeminat, ſimul gaudeat, & qui metit.

37. In hoc enim eſt ſermo verus, quod alius eſt qui ſeminat, & alius qui metit.

38. Ego miſi vos ad metendum quod vos non laboraſtis. alii laboraverunt, & vos in labores eorum introiſtis.

35. *Nonne dicitis.*] Proſequitur ſuperiorem ſententiam. quia enim nihil ſibi prius eſſe dixerat quam perficere opus Patris, nunc oſtendit quam ſit illud maturum: idque facit comparatione meſſis. Sicuti enim ubi maturuit ſeges, meſſis ferre moram non poteſt, quia alioqui grana conciderent: ita nunc matura ſpirituali fruge tardandum eſſe negat, quia damnoſa ſit ceſſatio. Videmus quorſum adducta ſit ſimilitudo, nempe ad exprimendam feſtinationis cauſam. Particula hac, *Nonne dicitis*, oblique notare voluit quanto attentiores ſint hominum animi ad res terrenas quam cæleſtes. ſic enim meſſis deſiderio æſtuant ut anxie ſupputent menſes ac dies: interea in colligendo tritico cæleſti mirum ut torpeant. Atque hanc pravitatem non ſolum nobis eſſe ingenitam, ſed vix à cordibus noſtris revelli poſſe, quotidianus uſus arguit. Nam quum omnes terreſtri vitæ in longum proſpiciant, quam negligenter de rebus divinis cogitamus. Sic alibi Chriſtus ipſe, Hypocritæ, vos ex cæli facie judicatis qualis futurus ſit dies craſtinus: tempus autem viſitationis meæ non agnoſcitis? Matth. 16. verſ. 3.

36. *Et qui metit, mercedem accipit.*] Alio argumento probat quam ſedulo incumbere nos deceat in opus Dei: quia ſcilicet ampla & ſplendida labori repoſita ſit merces. Fructum enim promittit, eumque non corruptibilem nec caducum. Quanquam quod de fructu ſubjicit, bifariam exponi poteſt: vel ut ſit mercedis declaratio (atque ita bis idem diceret diverſis verbis) vel ut commendet eorum operam qui Dei
infr. 15. regnum locupletant: quemadmodum repetet cap. 15.
verſ. 16. v. 16. Ego elegi vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. Et ſane verbi Miniſtris utrumque ingentes addere animos debet, ne unquam ſub labore fatiſcant, dum ſibi paratam eſſe in cælo gloriæ coronam audiunt, & ſciant fructum meſſis ſuæ non pretioſum modo fore coram Deo, ſed etiam æternum. In hunc finem paſſim in Scriptura mercedis fieri ſolet mentio, non autem ut inde operum merita æſtimentur. Quis enim, ſi ad calculum ventum fuerit, non pœna ignaviæ magis, quam diligentiæ præmio dignus reperietur? Ergo optimis operariis nihil reſtabit aliud niſi ut ſupplices ad veniæ deprecationem confugiant. ſed Dominus, qui paterne nobiſcum agit, ut noſtram ignaviam corrigat, & nos alioqui parum cordatos melius animet, gratuitam mercedem rependere dignatur. Porro hoc adeo non evertit fidei juſtitiam, ut potius ſtabiliat. unde enim fit ut quicquam in nobis quod remuneretur inveniat Deus, niſi quia Spiritu nos ſuo donavit? Atqui Spiritum arrham pignuſque adoptionis eſſe ſcimus. Secundo, unde fit ut mutilis & vitioſis operibus tantum honoris Deus habeat, niſi quia poſtquam nos ſibi gratis reconciliavit, vitia quæ operibus noſtris adhærent, non imputando, præter ullum meritum accepta habet? Summa hujus loci eſt, Laborem quem docendo impendunt Apoſtoli, minime durum aut gravem debere illis eſſe, quum ſibi tam utilem, Chriſto & Eccleſiæ fructuoſum eſſe ſciant.
Ut & qui ſeminat.] His verbis admonet Chriſtus, ſine cujuſquam fore querimonia quod Apoſtoli alienæ culturæ fructum colligent. Atque hæc amplificatio notanda eſt. nam ſi in mundo eorum gemitus, qui laboris ſui fructum queruntur alio transferri, non impediunt quin novus poſſeſſor ſegetem ab alio jactam libenter metat: ubi mutuus eſt conſenſus, mutuum gaudium & gratulatio, quanto alacriores eſſe meſſores convenit? Verum ut hic locus probe intelligatur, tenenda eſt inter ſationem & meſſem antitheſis. Satio fuerat Legis & Prophetarum doctrina: tunc enim ſemen in terram projectum manebat quaſi in herba. doctrina autem Euangelii, quia ad juſtam maturitatem homines adducit, apte meſſi confertur. Lex enim ab ea perfectione longe diſtabat, quæ in Chriſto demum exhibita fuit. Nota eſt etiam pueritiæ & virilis ætatis comparatio quam adducit Paulus ad Gal. cap. 4. v. 1. quæ eodem tendit. Denique quum præſentem ſalutem Chriſti adventus ſecum attulerit, non mirum eſt ſi Euangelium, in quo aperta eſt regni cæleſtis janua, meſſis vocetur doctrinæ Propheticæ. Neque tamen hoc obſtat quin Patres ſub Lege collecti fuerint in Dei horreum. Verum ſimilitudo hæc ad docendi modum referenda eſt. nam ſicuti Eccleſiæ pueritia uſque ad finem Legis duravit, prædicato autem Euangelio mox ſucceſſit adoleſcentia: ita tunc matureſcere cœpit ſalus, hujus

 ſemen-

Digitized by Google

ſementem duntaxat fecerant Prophetæ. Sed quum in Samaria hunc ſermonem Chriſtus habuerit, videtur ſationem latius quam ad Legem & Prophetas extendere. Et ſunt qui promiſcue tam de Gentibus quam de Judæis hæc exponant. Fateor quidem pietatis quædam grana ſemper in toto orbe ſparſa fuiſſe: & minime dubium eſt quin præclaras ſententias, quæ in Philoſophis & profanis ſcriptoribus extant, Deus eorum manu quodammodo ſeminaverit. Sed quum adulteratum fuerit ſemen illud ab ima radice, & quæ inde enaſci potuit ſeges (licet non proba nec genuina) immenſa errorum congerie ſuffocata fuerit, tam noxiam corruptionem abſurdum eſt ſationi conferri. Deinde quod de conſenſu gaudii hic habetur, in Philoſophos aut ſimiles minime competit. Nondum tamen ſolutus eſt nodus, quia Samaritanos Chriſtus in ſpeciem deſignat. Reſpondeo, quamvis apud eos omnia corruptelis infecta eſſent, fuiſſe tamen illic abſconditum aliquod pietatis ſemen. Unde enim ſimulac verbum de Chriſto audiunt, tanta ejus quærendi promptitudo, niſi quia ex Lege & Prophetis venturum eſſe Redemptorem didicerant? Fuerat quidem Judæa peculiaris Domini ager, quem per ſuos Prophetas excoluerat: ſed quoniam aliquantula ſeminis portio in Samariam delata erat, non abs re dicit Chriſtus illic quoque maturuiſſe ſemen. Si quis objiciat, electos fuiſſe Apoſtolos ut Euangelium vulgarent toti mundo: reſponſio facilis eſt, Chriſtum ut tempus ferebat loquutum eſſe, niſi quod in Samaritanis Propheticæ doctrinæ ſemen, licet multis zizaniis miſtum ac refertum, à ſpe fructus jam prope maturi commendat.

37. *In hoc enim verus eſt ſermo.*] Proverbium hoc vulgare erat, quo indicabant multos ſæpe alieni laboris fructum percipere. quanquam hoc diverſum erat, quod ægre patitur is qui laboravit, fructum ab alio auferri, quum Apoſtoli ſocios lætitiæ habeant Prophetas. Neque tamen hinc poteſt colligi, Prophetas ipſos eorum quæ in Eccleſia hodie geruntur teſtes vel conſcios eſſe: quia non alio ſpectat Chriſti conſilium, quam hoc affectu docuiſſe Prophetas quamdiu vixerunt, ut de fructu quem illis colligere non dabatur, jam gauderent. Non abſimilis eſt comparatio qua Petrus primo epiſtolæ ſuæ capite utitur, (*1 Pet. 1. verſ. 23.*) niſi quod generaliter fideles omnes hortatur: Chriſtus autem hic ſolos diſcipulos compellat, & in eorum perſona Euangelii miniſtros. Jubet autem his verbis ita in commune ſuas operas conferre, ut nulla inter eos prava ſit æmulatio: qui priores ad opus mittuntur, ita debere ad præſentem culturam eſſe intentos, ut aliis qui deinde ſuccedent, majorem benedictionem non invideant: qui mittuntur quaſi ad maturam frugem colligendam, eo alacrius in partes ſuas incumbant. Nam comparatio quæ hic fit inter Legis & Euangelii doctores, poteſt etiam his ſingulis inter ſe aptari.

39. Ex urbe autem illa multi Samaritanorum in eum crediderunt, propter ſermonem mulieris, quæ teſtificabatur, Dixit mihi omnia quæ feci.

40. Poſtquam ergo venerunt ad eum Samaritæ, rogarunt eum ut maneret apud ipſos. Et manſit duos dies.

41. Ac multo plures crediderunt propter ſermonem ejus.

42. Ac mulieri dicebant, Non amplius propter tuam orationem credimus: ipſi enim audivimus, & ſcimus quod hic ſit vere Servator mundi Chriſtus.

43. Poſt duos autem dies exiit inde, & abiit in Galilæam.

44. Ipſe enim Jeſus teſtificatus eſt quod Propheta in ſua patria honorem non habet.

45. Quum autem venit in Galilæam, receperunt eum Galilæi, qui omnia viderant quæ fecerat Hieroſolymis die feſto. nam & ipſi venerant ad diem feſtum.

39. *Crediderunt propter ſermonem mulieris.*] Hic refert Euangeliſta quantum valuerit mulieris præconium apud cives ſuos. unde apparet, ſpem & deſiderium promiſſi Meſſiæ non parum viguiſſe apud eos. Cæterum *credendi* verbum hic improprie ſignificat mulieris ſermone fuiſſe excitatos ut Chriſtum agnoſcerent Prophetam. Hoc autem eſt velut fidei initium, quum animi ad recipiendam doctrinam parati ſunt. Talis ad fidem ingreſſus hic honorifice vocatur fides, ut ſciamus quanti Deus verbi ſui reverentiam faciat, quum tanto honore dignatur ſolam eorum docilitatem qui nondum edocti ſunt. In eo autem ſe demonſtrat fides illa quod proficiendi deſiderio tenentur: qua ratione apud ſe manere Chriſtum cupiunt.

41. *Multo plures crediderunt.*] Ex ſucceſſu ipſo palam eſt Chriſtum non fuiſſe plus æquo facilem ut illis annueret. videmus enim quam fructuoſum iſtud fuerit biduum quod petentibus conceſſit. Quo exemplo docemur nunquam ceſſandum eſſe quoties regnum Dei propagare licet. Quod ſi timemus ne obnoxia ſit ſiniſtris rumoribus noſtra facilitas, vel ſæpius ſit inutilis, petamus à Chriſto Spiritum conſilii qui nos dirigat. Hic jam alio ſenſu ponitur *credendi* verbum, quia non tantum ad fidem præparatos fuiſſe ſignificat, ſed recta fide imbutos.

42. *Propter tuam orationem.*] Tametſi Eraſmum in verſione ſequutus ſum, quia barbarum eſt loquelæ nomen, quod habet vetus interpres: monendi tamen ſunt lectores, λαλιὰν idem fere Græcis ſonare quod Latinis ſignificat Loquentia. Et videntur jactare Samaritani ſibi ſolidius jam eſſe fulcrum quam in lingua mulieris, quæ ut plurimum futilis eſſe ſolet. *Credimus.* Melius exprimit qualis fuerit ipſorum fides, nempe ex ipſo Dei verbo concepta: ut gloriari poſſint ſe magiſtrum habere Filium Dei. ut certe is ſolus eſt in cujus auctoritate tuto acquieſcere licet. Non adeſt ipſe quidem nunc palam, ut ore ad os nobiſcum loquatur: verum per quoſcunque eum audire contingat, non tamen niſi in eum recumbere fides noſtra poteſt. nec aliunde provenit ſcientia cujus ſimul fit mentio. Nam profectus ab homine mortali ſermo aures quidem implere & ſatiare poterit: ſed animum in tranquilla ſalutis fiducia nunquam ſtabiliet, ut merito ſe glorietur ſcire qui audivit. Ergo in fide hoc primum, eſt ut Chriſtum ſciamus eſſe qui per ſuos miniſtros loquitur: deinde ut ſuum illi honorem tribuamus, hoc eſt, ne dubitemus eſſe fidum ac veracem, ut freti tam certo auctore, in ejus doctrinam ſecure recumbamus. Cæterum quod Jeſum *Mundi Servatorem & Chriſtum* prædicant, id proculdubio habent ex auditu: Unde colligimus, Euangelii ſummam intra biduum familiarius illis fuiſſe à Chriſto traditam quam hactenus Hieroſolymæ fuiſſet: Et Chriſtus ſalutem quam attulerat, toti mundo communem eſſe teſtatus eſt: quo melius intelligerent ad ſe quoque pertinere. Neque enim tanquam legitimos hæredes ad participandam ſalutis gratiam eos vocavit: ſed docuit ſe veniſſe ut in Dei familiam extraneos admitteret, ac pacem afferret iis qui procul erant.

44. *Ipſe enim Jeſus teſtificatus eſt.*] Species repugnantiæ quæ hic primo intuitu apparet, diverſas

expo-

Digitized by Google

expoſitiones peperit. Nimis argutum eſt quod affert Auguſtinus, Chriſtum bonore caruiſſe apud ſuos, quia plus ſolo biduo apud Samaritanos profecerit quam longo tempore apud Galilæos: abſque miraculis plures acquiſierit in Samaria diſcipulos quam ingens miraculorum numerus in Galilæa lucrifecerat. Non placet etiam quod Chryſoſtomus patriam Chriſti intelligit Capernaum, quia illic frequentius quam alibi fuerit. Cyrillo itaque potius ſubſcribo, qui relicta urbe Nazareth, in diverſam Galilææ partem abiiſſe dicit. Illam enim nominant reliqui tres Euangeliſtæ quum hoc teſtimonium Chriſti referunt. Poſſet quidem bic eſſe ſenſus, quod quum plenæ illuſtrationis tempus nondum veniſſet, latere in patria, tanquam in obſcuriore receſſu, voluerit. Quidam etiam exponunt, biduo ſubſtitiſſe in Samaria, quod nulla erat feſtinandi ratio in eum locum ubi contemptus eum manebat. Alii putant recta in Nazareth profectum, ſtatim inde commigraſſe. Sed quia nihil tale refert Joannes, non audeo huic divinationi dare locum. Ergo illud verius, quum in patria Nazareth contemptui ſe videret eſſe, divertiſſe alio potius. Quare mox ſequitur, veniſſe in oppidum Cana. Et quod ſimul additur, fuiſſe exceptum à Galilæis propter miracula, reverentiæ, non contemptus ſignum fuit. *Propheta in ſua patria.*] Non dubito quin hæc proverbialis fuerit ſententia. ſcimus autem proverbiis celebrari quod ſæpius & [illegible] uſuvenire ſolet. Quare non eſt quærenda exactius perpetua veritas: quaſi neceſſe ſit ſemper verum eſſe quod illic dicitur. Certum quidem eſt, alibi Prophetas potius celebrari quam in patria: fieri etiam interdum poteſt, & reipſa accidit, ut Prophetam noo minus colant cives ſui quam extranei. ſed proverbium docet quid magis tritum ſit ac vulgare, nempe Prophetis alibi potius ubivis locorum bonorem tribui quam apud ſuos. Poteſt autem duplex origo eſſe hujus proverbii, ac ſenſus. eſt enim boc vitium univerſale, ut quos in cunis vagientes, quos pueriliter ineptientes vidimus, ii tota vita nobis deſpectui ſint, quaſi nulli profectus pueritiam ſequuti eſſent. Accedit & alterum malum, quod inter notos magis regnat, æmulatio ſcilicet. Mihi tamen probabile eſt natum iode proverbium, quod Prophetæ à gente ſua tam male accepti fuerint: nam boni & pii homines, quum tantam in Judæa adverſus Deum ingratitudinem, tantum verbi contemptum, tantam contumaciam cernerent, merito hanc quærimoniam jactare poterant, Nuſquam minus haberi bonoris Dei Prophetis quam in terra ſua. Si prior ſenſus magis arridet, nomen Prophetæ generaliter ſumendum erit pro quovis doctore, quem admodum Paulus Epimenidem appellat Cretenſium Prophetam.

45. *Receperunt eum.*] An diuturnus fuerit bic honos, non ſatis conſtat. nihil enim proclivius eſt quam donorum Dei oblivio. Nec alio conſilio hoc narrat Joannes niſi ot ſciamus ſub multorum teſtium oculis edita fuiſſe à Chriſto miracula, ut longe lateque prædicata fuerint. Iterum notatur una ſignorum utilitas, quod viam doctrinæ ſternunt: nam faciunt ut Chriſtus revereotiam obtineat.

46. Venit ergo Jeſus iterum in Cana Galilææ, ubi verterat aquam in vinum. Erat autem regius quidam, cujus filius infirmus erat, in Capernaum.

47. Hic quum audiſſet Jeſum ex Judæa in Galilæam veniſſe, abiit ad eum, & rogavit eum ut deſcenderet, & ſanaret filium ſuum: erat enim propinquus morti.

48. Dixit ergo illi Jeſus, Niſi ſigna & prodigia videritis, non credetis.

49. Dixit illi regius ipſe, Domine, deſcende priuſquam moriatur puellus meus.

50. Dixit illi Jeſus, Vade, filius tuus vivit. Credidit homo ſermoni quem illi dixerat Jeſus, & profectus eſt.

51. Quum autem adhuc deſcenderet, ſervi occurerunt illi, & nunciarunt, dicentes, Filius tuus vivit.

52. Sciſcitatus ergo eſt ex ipſis qua hora melius habuiſſet: & dixerunt illi, Heri hora ſeptima reliquit eum febris.

53. Cognovit ergo pater quod fuiſſet eadem hora qua dixerat illi Jeſus, Filius tuus vivit. Et credidit Ipſe, & domus ejus tota.

54. Hoc rurſus ſecundum ſignum fecit Jeſus, quum veniſſet ex Judæa in Galilæam.

46. *Erat regius quidam.*] Hæc verior lectio, etiamſi ſecus Eraſmus ſentiat. Fateor quidem illo tempore Regulos fuiſſe dictos qui nunc Duces vocantur, aut Barones aut Comites: ſed talis erat tunc Galilææ ſtatus ut nemo ejus ordinis in Capernaum habitare potuerit. Porro unum aliquem ex aula Herodis fuiſſe arbitror. nam qui à Cæſare miſſum putant, nihil babent coloris. Cæterum nominatim hoc expreſſit Euangeliſta, quia in tali perſona illuſtrius erat miraculum.

47. *Quum audiſſet Jeſum.*] Quod opem à Chriſto petit, fidei quidem hoc aliquod ſignum eſt: ſed quod opis ferendæ modum Chriſto præfigit, ex eo apparet quanta fuerit ruditas. Chriſti enim virtutem ad corporis præſentiam alligat. ſcilicet de Chriſto non aliud conceperat quam Prophetam eſſe divinitus miſſum cum hoc mandato & facultate, ut miraculis edendis ſe Dei miniſtrum probaret. Hoc tamen vitium, quamvis reprehenſiooe dignum, Chriſtus diſſimulans, alia de cauſa ſevere eum objurgat, imo in genere omnes Judæos, quod miraculorum oimis cupidi forent. Sed unde nunc tanta Chriſto aſperitas, qui alios miracula appetentes comiter accipere ſolitus eſt? Fuit certe ei tunc certa aliqua ratio, quæ nos latet, cur ſeverius quam ex more ſuo ageret cum hoc homioe. Et forte non tam ejus rationem habuit, quam totius gentis. Videbat parum auctoritatis habere ſuam doctrinam, neque tantum negligi, ſed prorſus ſperni: interea defixos eſſe omnes in miraculis, & totos eorum ſenſus ſtupore magis quam admiratione occupari. Impius ergo ille qui vulgo tunc regnabat verbi contemptus hanc illi querimoniam extorſit. Verum quidem eſt, etiam ex ſanctis quoſdam interdum, ne promiſſionum veritas apud eos vacillaret, coofirmationem à ſignis optaſſe: videmus etiam Deum, quum placide eorum votis annuerit, minime fuiſſe offenſum. Sed longe major pravitas bic à Chriſto notatur: ſic enim pendebant à miraculis Judæi ut verbo nihil reſiduum facerent. Ac primo quidem hoc præpoſterum habebant, quod apud ſtupidos & nimis carnales nulla erat doctrinæ reverentia, niſi miraculis expergefacti eſſeot. Oportuerat enim Dei verbum, in quo à teoeris educati erant, illis pluſquam familiare eſſe: deinde quum miracula eſſent edita, adeo non ſequebatur is qui debet profectus, ut attoniti ſtuperent. Sic nulla erat eorum religio, nulla apud eos Dei notitia, nullum pietatis exercitium niſi in miraculis. Quo ſpectat etiam illa Pauli exprobratio, Judæi ſigna quærunt. Significat enim ſignis abſque ratione & modo addictos nec Chriſti gratia, nec vitæ æternæ promiſſionibus,

Digitized by Google

neque arcana Spiritus virture affici: quin potius faſtidioſe Euangelium reſpuere, quia illis præter ſigna nihil ſapiar. Atque utinam hodie quoque plurimos teneret ſimilis morbus: ſed hac voce nihil magis vulgatum, Præcedant miracula ur aures præbeamus huic doctrinæ. Quaſi vero ita ſordere nobis debeat Chriſti veritas, niſi aliunde fulciatur. Verum etiamſi ingenti ſignorum acervo Deus eos obrueret, mentiuntur tamen quum ſe credituros dicunt. externa quædam admiratio naſceretur, ſed nihilo eſſet major doctrinæ attentio.

49. *Domine, deſcende.*] Quando hic rogando pergens tandem impetrat quod volebat, collige non ideo reprehenſum à Chriſto eſſe quaſi eum abjicere prorſus vellet, ac preces repudiaret: ſed hoc potius conſilio feciſſe ut corrigeret vitium illud quod illi aditum ad veram fidem obſtruebat. Et tenendum eſt memoria quod prius dixi, hanc communem totius populi reprehenſionem magis fuiſſe quam unius hominis propriam. Atque ita quod in votis noſtris præpoſterum eſt, vel contortum, vel ſuperfluum, neceſſe eſt corrigi vel reſecari, ut noxia obſtacula tollantur. Porro quum aulici homines lauti ac ſuperbi eſſe ſoleant, nec libenter patiantur ſecum durius agi, notandum eſt hunc neceſſitate ſua & orbitatis metu humiliatum, non excandeſcere neque obſtrepere quum aſperius à Chriſto excipitur, ſed objurgationem illam modeſto ſilentio transmittere. Idem & in nobis experimur: miræ enim ſunt noſtræ deliciæ, mira impatientia & moroſitas, donec malis ſubacti faſtum & ſupercilium deponere cogimur.

50. *Filius tuus vivit.*] Hic primo relucet ſingularis Chriſti humanitas & indulgentia, quod hominis ruditati ignoſcens, longius virtutem ſuam extendit quam ſperaverat. Petebat ut Chriſtus adventu ſuo filium ſanaret. Ægrotum quidem liberari à morbo poſſe, ſed non mortuum excitari putabat: ideo feſtinationem urget, ne mors præveniat. Ergo quum utriuſque veniam Chriſtus facit, hinc colligere licet quanto apud eum in pretio ſit vel puſilla fides. Hoc quoque obſervatu dignum, quod Chriſtus ejus deſiderio non obtemperans, plus multo concedit quam petierat. nam teſtimonium habet de præſenti filii ſanitate. Ita ſæpe cæleſtis Pater votis noſtris quo ad circumſtantias non obtemperans, modis inopinatis ad nos juvandos operatur, ut diſcamus nihil illi præſcribere. Quum dicit filium vivere, ſignificat ex mortis periculo eſſe ereptum. *Credidit homo ſermoni.* Quia hac perſuaſione imbutus venerat, Chriſtum eſſe Dei Prophetam, ideo tam facilis ad credendum fuit ut vocem unam mox arriperet, arreptam in animum defigeret. Quamvis autem de Chriſti potentia minus honorifice ſentiret quam par erat, tamen brevis promiſſio novam repente in ejus animo fiduciam peperit: ut in uno Chriſti verbo filii ſui vitam incluſam eſſe ſtatueret. Atque hac promptitudine verbum Dei à nobis recipi decebat: ſed multum abeſt quin tam præſentem in auditoribus ſemper effectum habeat. Quotus enim quiſque eſt qui multis concionibus tantum proficiat quantum hic ſemiprofanus unica voce audita? Quo plus ſtudii in excitanda noſtra tarditate ponendum eſt: rogandus vero in primis Deus ut corda noſtra ſic afficiat ne minus ad credendum prompti ſimus quam ipſe ad pollicendum facilis ac benignus eſt.

51. *Quum autem adhuc deſcend.*] Hic fidei effectus deſcribitur una cum verbi efficacia. nam ſicuti Chriſtus puerum jam moriturum verbo in vitam reſtituit, ita pater fide ſua momento uno filium ſalvum recuperat. Sciamus ergo, quoties ſua beneficia nobis offert Dominus, virtutem ejus ad præſtandum quicquid promittit, ſemper fore expoſitam: modo ne januam illi obſtruat noſtra incredulitas. Hoc quidem non eſſe perpetuum, imo non eſſe frequens aut vulgare fateor, ut ſtatim ad opem nobis ferendam Dominus manum ſuam exerat: ſed quoties differt, ſua illi conſtat ratio, & quidem nobis utilis. Hoc quidem certum eſt, adeo nunquam ipſum in mora eſſe ut potius cum obſtaculis noſtris pugnet. Ergo quum præſens ejus auxilium non apparet, reputemus quanta in nobis diffidentia lateat, vel ſaltem quam tenuis & reſtricta ſit noſtra fides. Atqui non mirum eſt ſi beneficia ſua perire nolit, ac temere in terram projicere, ſed deponere velit apud eos qui porrecto fidei ſinu ea excipere parati ſunt. Et quamvis non eodem ſemper modo ſuos juvet, nunquam tamen irrita erit cujuſquam fides, quin ſentiamus verum eſſe quod docet Propheta, Promiſſiones Dei, etiam ubi moram trahere videntur, maxime tamen feſtinare.

52. *Sciſcitatus ergo eſt.*] Quod ſervos rogavit quando melius habere filius cœpiſſet, factum eſt arcano Dei impulſu, quo miraculi veritas magis illuceſceret. Nam & nos ad ſuffocandam potentiæ Dei lucem natura pluſquam maligni ſumus, & in hoc variis artibus incumbit Satan ut operum ejus aſpectum obſcuret. Quare ut laudem ſuam apud nos obtineant, ita conſpicua nobis reddi neceſſe eſt, ne quis dubitationi ſuperſit locus. Quamlibet ergo ingrati ſint homines, non tamen patitur hæc circumſtantia tam inſigne Chriſti opus fortuoæ adſcribi.

53. *Credidit ipſe, & domus.*] Videtur eſſe hoc abſurdum, quod fidei initium Euangeliſta in eo homine commemorat cujus fidem prius laudavit. nec poteſt *Credendi* verbum hoc quidem loco ad fidei progreſſum referri: ſed tenendum eſt, hominem Judæum, & educatum in Legis doctrina, jam aliquo fidei guſtu præditum fuiſſe quum ad Chriſtum acceſſit. Quod deinde credidit ſermoni Chriſti, illa fuit particularis fides, quæ non longius patebat quam ad filii vitam: nunc autem alio modo credere cœpit, quia ſcilicet Chriſti doctrinam amplexus, ſe unum ex ejus diſcipulis eſſe profeſſus eſt. Ita non jam filium duntaxat Chriſti beneficio ſibi incolumem redditum iri ſperat, ſed Chriſtum agnoſcit Dei filium, ac nomen dat ejus Euangelio: totam familiam comitem habet, quæ miraculi teſtis fuerat. Nec tamen dubium eſt qu in operam dederit ut ſecum omnes ſui ad Chriſtianiſmum concederent.

CAP. V.

POſt hæc erat dies feſtus Judæorum, & aſcendit Chriſtus Hieroſolymam.

2. Eſt autem Hieroſolymæ ad Probaticam piſcina quæ vocatur Hebraice Betheſda, quinque porticus habens.

3. In his ſedebat multitudo magna ægrotantium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motionem.

4. Angelus enim per intervalla deſcendebat in piſcinam, & aquam turbabat: qui ergo primus deſcenderat poſt turbationem aquæ, fiebat ſanus, quocunque olim morbo detentus fuiſſet.

5. Erat autem homo illic qui triginta & octo annos tranſegerat in infirmitate.

6. Hunc quum vidiſſet Jeſus ſedentem, & noviſſet quod jam laboraſſet multo tempore, dicit illi, Vis ſanus fieri?

7. Reſpon-

7. Reſpondit illi infirmus, Domine, hominem non habeo, qui me, quum turbata eſt aqua, demittat in piſcinam: interea autem dum ego venio, ante me alius deſcendit.

8. Dicit illi Jeſus, Surge, tolle grabbatum tuum, & ambula.

9. Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille, & ſuſtulit grabbatum ſuum, & ambulavit. erat autem Sabbathum die illo.

1. *Poſt hæc erat dies feſtus.*] Quanquam non exprimit diſerte Euangeliſta quiſnam dies hic fuerit, probabilis tamen conjectura eſt Pentecoſten notari: ſi tamen quod hic narratur, ſtatim ex quo in Galilæam venerat Chriſtus, factum eſt. Nam mox à Paſcbate Hieroſolymam profectus, per Samariam tranſieos, quadrimeſtre tempus uſque ad meſſem numerabat: Galilæam ingreſſus ſanavit aulici filium. Subjicit Euangeliſta diem hunc feſtum ſequutum eſſe. Ergo temporis ratio huc nos ducit ut Pentecoſte intelligi debeat: quanquam de ea re non contendo. Venit autem Chriſtus Hieroſolymam ad diem feſtum, partim quia tunc propter populi concurſum magis erat propagandæ doctrinæ opportunitas, partim quia oportuit ipſum Legi ſubjectum eſſe, ut à Legis ſervitute omnes redimeret, quemadmodum jam alibi monuimus.

2. *Ad Probaticam piſcina.*] Additur loci circumſtantia: unde colligimus non obſcurum vel paucis notum fuiſſe miraculum. Quod enim locus hominum frequentia celebris fuerit, quinque porticus indicio ſunt, & Templi vicinitas hoc ferebat. Adhæc nominatim dicit Euangeliſta jacuiſſe illic multos ægrotos. Quantum ad nominis rationem ſpectat, merito à doctis rejicitur Hieronymi commentum, qui Betheder facit ex *Betheſda*, & Gregis domum interpretatur. piſcinæ enim hic fit mentio, quæ ſoro pecuario propinqua erat. Ratione etiam carent qui Bethſeda legunt, quaſi Locum piſcationis. Probabilius ergo ſentiunt qui exponunt Locum effuſionis. Nam אשד Hebræis Defluxum ſignificat. Euangeliſta autem Chaldaice (ut tunc ferebat communis linguæ uſus) pronúnciavit Eſda. Ego enim aquam per canales ductam fuiſſe arbitror, ut inde Sacerdotes haurirent. Niſi forte impoſitum loco fuit nomen, quod per ſiphones aqua funderetur. *Probatica* autem, meo judicio, dicta fuit quod pecudes illuc adducerentur in ſacrificium offerendæ.

3. *Sedebat multitudo.*] Fieri poteſt ut in porticibus jacuerint ægroti ad rogandas eleemoſynas, quum illac tranſiret populus qui Templum adorandi cauſa petebat. Et illinc etiam emi ſolebant pecudes in ſacrificium offerendæ. Interea Deus ſingulis diebus feſtis numerum aliquem ſanabat, ut hoc modo præſcriptum in Lege cultum & Templi ſanctitatem commendaret. Videri tamen poſſet hoc abſurdum, quod quum nihil tale factum legamus quo tempore maxime florebat religio, imo quum Prophetarum ſeculo nonniſi extra ordinem edita fuerint miracula, rebus adeo collapſis & prope confuſis, illuſtrior ſolito apparuerit Dei virtus & gratia in miraculis. Reſpondeo duas fuiſſe cauſas, meo quidem judicio. nam quum Spiritus in Prophetis habitans ſatis locuples divinæ præſentiæ teſtis foret, non alia confirmatione tunc indigebat religio: ſignis enim pluſquam idoneis ſancita Lex fuerat, & Deus innumeris teſtimoniis non deſierat mandatum à ſe cultum comprobare. Sub Chriſti vero adventum, quia Prophetis deſtituebantur, & miſerrimus erat eorum ſtatus, variæque tentationes undique ipſos urgebant, extraordinario hoc ſubſidio habebant opus, ne putarent ſe à Deo prorſus deſtitutos, atque ita fracti deficerent. Scimus enim Malachiam ultimum fuiſſe ex Prophetis: atque ideo ſuæ doctrinæ clauſulam
Mal. 4. verſ. 4. hanc apponit, Ut recordentur Judæi Legis à Moſe traditæ, donec Chriſtus appareat. Utile enim Deo viſum fuit eos Prophetarum inopia ſuſpenſos ad tempus tenere, quo majore Chriſti deſiderio flagrarent, & ſibi exhibitum exciperent majore reverentia. Interea ne teſtimonio careret Templum, & ſacrificia, & totus cultus unde ſalus mundo proditura erat, hoc ſanationis dono Judæos retinuit Dominus, ut ſcirent non temere ſe à reliquis gentibus eſſe à Deo ſegregatos. Nam Deus, ægrotos ſanando, tanquam manu è cælo exerta, palam monſtrabat ſibi probari hoc adorationis genus quod habebant ex Legis præſcripto. Deinde non dubito quin tempus redemptionis inſtare, jamque propinquum eſſe Chriſtum ſalutis auctorem talibus ſignis monuerit, quo melius omnium animi expergefierent. Duplicem hunc ſignorum uſum illa ætate fuiſſe arbitror, ut ſibi Deum adeſſe cognoſcerent Judæi, atque ita conſtantes in Legis obedientia manerent: deinde ut intenti eſſent ad ſperandum novum & inſolitum ſtatum. *Claudorum, cæcorum, aridorum.* Ut ſciamus non vulgares morbos à Domino curatos fuiſſe, quaſdam eorum ſpecies exprimit Euangeliſta. neque enim claudis, cæcis & aridis ſubvenire poſſunt humana remedia. Triſte quidem ſpectaculum illud fuit, videre in tanta hominum caterva multiplicem membrorum deformitatem. Verum ibi clarius interim refulgebat Dei gloria quam in conſpectu ingentis exercitus & optime compoſiti. nihil enim magnificentius quam ubi inſolita Dei potentia naturæ defectus corrigit & inſtaurat: nihil etiam nec pulchrius nec ſuavius quam ubi pro immenſa ſua bonitate humanis miſeriis opitulatur. Quare illud nobiliſſimum theatrum extare Dominus voluit, in quo conſpicua eſſet non modo indigenis, ſed etiam quibuſvis hoſpitibus ſua majeſtas. Atque (ut jam attigi) non ultimum hoc Templi ornamentum ac decus fuit, quum Deus extenta manu ſe adeſſe palam facerer.

4. *Angelus enim.*] Fuit quidem proprium Dei opus, ægrotos ſanare; ſed quemadmodum manu & opera Angelorum uti conſuevit, ita Angelo mandavit partes iſtas. Qua ratione vocantur Angeli potentiæ aut virtutes: non quod Deus ſuam illis virtutem reſignando, otioſus ipſe in cælo ſedeat: ſed quia potenter in ipſis agendo, virtutem ſuam magnifice nobis teſtatam facit. Male ergo illi & perverſe qui proprium Angelis quicquam affingunt, vel qui ita medios ſtatuunt inter nos & Deum, ut Dei gloriam quaſi procul remotam obſcurent, quum potius ſe in illis præſentem exhibeat. Ideo cavendæ ſunt deliræ Platonis ſpeculationes, quia nimia ſit inter nos & Deum diſtantia, adeundos eſſe Angelos, ut nobis gratiam concilient: quum potius recta ad Chriſtum venire nos oporteat, ut ejus ductu, auſpiciis & mandato Angelos habeamus ſalutis noſtræ adjutores & miniſtros. *Per intervalla.* Poterat momento uno ſimul omnes Deus ſanare: verum ut miracula ſuum habent finem, ita & modum
habere debent. quemadmodum & Chriſtus admo- *2 Reg. 4.*
net, quum tot mortui ſint tempore Eliſæi, non- *verſ. 32.*
niſi puerum unum fuiſſe excitatum: quum tot vi- *1 Reg. 17.*
duæ famelicæ eſſent tempore ſiccitatis, unius tan- *verſ. 9.*
tum inopiæ ab Elia fuiſſe ſubventum. Ita ſatis ha- *Luc. 4.*
buit Dominus paucis ægrotis præſentiæ ſuæ ſpeci- *verſ. 25.*
men edere. Cæterum ſanandi modus qui hic deſcribitur, ſatis admonet nihil minus eſſe conſentaneum quam ut ſuo judicio homines Dei opera ſubjiciant. Quid enim, obſecro, opis vel remedii ex aqua turbida ſperari poterat? Sed ita ſcilicet nos proprio ſenſu exutos Dominus ad fidei obſequium aſſuefacit. Nimis cupide ſequimur quæ præter Dei verbum rationi noſtræ arrident. Ergo ut nos ſibi morigeros reddat, ea ſæpe objicit quæ cum ratione

noſtra

noſtra pugnant. Tunc ergo demum docilitatem noſtram probamus ubi clauſis oculis ſequimur nudum verbum, etiamſi nullum operæpretium videmur nobis facturi. Simile exemplum habemus in Naaman Syro, quem lepræ curandæ cauſa Propheta ad Jordanem mittit, & ipſe quidem hoc velut ludibrium initio aſpernatus, reipſa tandem ſentit Deum ſic præter humanam rationem agere, ut nos tamen nunquam fruſtretur aut ludat. Interea aquæ turbatio clarum documentum fuit Deum pro ſuo arbitrio libere elementis uti, & operis effectum ſibi vindicare. Eſt enim hoc pluſquam commune vitium, creaturis adſcribere quod unius Dei eſt. Verum nimiæ ſtultitiæ erit ſanitatis cauſam in aqua turbida quærere. Sic ergo externum ſymbolum commendat, ut ſymboli aſpectu ad ipſum unicum gratiæ auctorem ægroti reſpicere cogantur.

2 Reg. 5. vers. 10.

5. *Erat autem quidam homo.*] Varias circumſtantias colligit Euangeliſta quæ certam miraculo fidem faciunt. Diuturnitas morbi ſpem curationis abſtulerat: illo aquæ remedio privari ſe conqueritur: ſæpius conatus fuerat ſe in aquam injicere, ſed fruſtra: nullum illi ab hominibus auxilium. hinc magis conſpicua elucet Chriſti virtus. Eodem etiam tollendi grabbati præceptum ſpectabat, ut omnibus palam foret non aliter ſanatum quam Chriſti beneficio. Quum enim validus ac robuſtus omnibus membris, quibus ante captus fuerat, repente ſurgit: tam ſubita mutatio magis excitare & afficere debet ſpectatorum animos.

6. *Vis ſanus fieri?*] Non ſciſcitatur quaſi de re dubia: ſed partim ut gratiæ quæ offerebatur deſiderium in eo accendat, partim ut teſtes qui aderant reddat magis attentos, quos aliud cogitantes fugere poterat miraculum, ut ſæpe in rebus ſubitis accidit. Fuit igitur his duabus cauſis neceſſaria præparatio.

7. *Non habeo hominem.*] Facit hic ægrotus quod ſolemus fere omnes: Dei enim auxilium ſua cogitatione includit, nec plus ſibi polliceri audet quam mente concipiat. Quod autem infirmitati ejus ignoſcit Chriſtus, in eo ſpeculum habemus ejus indulgentiæ quam quotidie experitur quiſque noſtrum, dum nos in propinquis mediis hæremus defixi: ipſe vero manu præter ſpem ex locis abſconditis prolata demonſtrat quantum bonitas ſua fidei noſtræ anguſtias exuperet. Præterea hoc exemplo ad tolerantiam nos erudiri decet. Longum fuit triginta annorum tempus, quo Deus beneficium ſuum in miſero hoc homine juvando diſtulit, quod tamen illi ab initio præſtare ſtatuerat. Quantumvis ergo diu nos ſuſpenſos teneat, ſic anxie gemamus ſub noſtris ærumnis ut tamen longi temporis tædium nunquam nos exanimet. Etſi enim nullus exitus appareat quum mala noſtra longius protrahuntur, ſtatuendum tamen ſemper eſt Deum mirificum eſſe liberatorem, qui virtute ſua obſtacula omnia facile perrumpit.

9. *Erat autem Sabbathum.*] Minime Chriſtum latebat quanta mox offenſio ſequutura eſſet quum hominem viderent ſarcinis onuſtum incedere. nam geſtare Sabbatho quicquam oneris nominatim Lex vetat. Sed duplex fuit ratio cur poſthabita hujus periculi ratione tale ſpectaculum ederet Chriſtus: nempe ut miraculum vulgo melius innoteſceret: deinde ut occaſio daretur, & quaſi via pateſieret ei præclaræ concioni quam mox habuit. Tanti porro erat miraculi illius cognitio ut populi offenſionem ſecure negligere debuerit; præſertim quum in promptu eſſet juſta defenſio, qua etſi improbos non placavit, abunde tamen refutavit eorum calumnias. Tenenda igitur regula eſt, etiamſi totus mundus in iram efferveat, publicandam nobis eſſe Dei gloriam, prædicandaque ejus opera, quatenus gloriæ ejus intereſt nota eſſe. Nec vero fatigari nos vel frangi oportet, etiamſi infeliciter nobis cedat noſtrum hoc ſtudium, modo illum quem dixi finem propoſitum habeamus, nec tranſiliamus officii noſtri metas.

Jer. 17. vers. 21.

10. Dixerunt ergo Judæi ei qui ſanatus fuerat, Sabbathum eſt, non licet tibi tollere grabbatum.

11. Reſpondit illis, Qui me fecit ſanum, ille mihi dixit, Tolle grabbatum tuum & ambula.

12. Interrogarunt ergo eum, Quis eſt ille homo qui dixit tibi, Tolle grabbatum tuum & ambula?

13. Porro qui ſanatus fuerat, non noverat quis eſſet: Jeſus enim ſe ſubduxerat, quia turba erat in loco.

14. Poſt hæc invenit eum Jeſus in Templo, & dixit ei, Ecce, ſanus factus es: ne amplius pecces, nequid deterius tibi contingat.

15. Abiit homo, & nunciavit Judæis quod eſſet Jeſus qui ſanum eum fecerat.

16. Et propterea perſequebantur Jeſum Judæi, & quærebant eum interficere, quod hæc faceret Sabbatho.

10. *Sabbathum eſt.*] Quum tuenda omnibus eſſet Sabbathi religio, recte & merito hominem accuſant. ſed quum excuſatio ab eo adducta illis non ſatisfacit, in eo jam peccare incipiunt: cognita enim cauſa abſolvi debuit. Geſtare onus (ut dictum eſt) erat Sabbathi violatio: ſed Chriſtus, qui ejus humeris onus impoſuit, eum auctoritate ſua ſublevat. Docemur itaque hoc exemplo à præcipiti judicio cavendum eſſe, donec cujuſque facti ratio penitus nobis comperta ſit. Quicquid pugnat cum Dei verbo, ſine controverſia damnari meretur: ſed quia hic ſæpe hallucinari contingit, præcedat modeſta & placida inquiſitio, ut ſanum ſit ac ſobrium judicium. Nam quia Judæi pravo affectu occupati inquirere non ſuſtinent, judicio & moderationi januam obſtruunt. Quod ſi paſſi fuiſſent ſe doceri, non modo ſublata fuiſſet offenſio, ſed longius magno cum profectu ad Euangelii notitiam perducti eſſent. Nunc quatenus peccarint videmus, quia ſcilicet juſtam defenſionem non admittunt. Defenſio autem eſt, quod is qui ſanatus fuerat, nihil ſe facere reſpondet niſi ejus mandato qui jus & poteſtatem jubendi habuit. Tametſi enim nondum tenebat quiſnam eſſet Chriſtus, perſuaſus tamen erat, divinitus miſſum eſſe, quia divinam ejus virtutem expertus erat: atque inde auctoritate præditum eſſe colligit, ut neceſſario illi ſit parendum. Sed videtur hoc quoque reprehenſione dignum, quod miraculum à Legis obedientia eum dimovet. Fateor quidem eum non ſatis firmo argumento niti vel pugnare: bis tamen alii peccant, quod neque reputant hoc extraordinarium eſſe Dei opus, nec judicium ſuſpendunt donec Prophetam Dei verbo inſtructum audierint.

13. *Non noverat quis eſſet.*] Noluit certe Chriſtus tanti operis gloriam evaneſcere: ſed prius notum ac celebre eſſe voluit quam ſe ejus auctorem profiteretur. Ideo pauliſper ſe ſubduxit, ut Judæis liceret ſine perſonæ reſpectu de re ipſa judicium facere. Atque hinc colligimus non poſſe hominis fidei tribui quod ſanatus fuerat, qui ne ſanus quidem medicum

ſuum

ſuum agnoſcit: & tamen quod juſſus ſuſtulit grabbatum, fide directrice factum videtur. Ego vero ſicuti non nego arcanum fuiſſe aliquem in eo impulſum fidei, ita ex contextu clare patere dico, ſolidæ doctrinæ, in qua acquieſceret, ac puræ lucis fuiſſe expertem.

14. *Poſt hæc invenit eum.*] Hæc verba clarius demonſtrant, Chriſtum non ideo latuiſſe ad tempus ut beneficii ſui memoria periret: jam enim ultro in medium ſe profert. tantum voluit priore loco opus cognoſci: deinde ſe prædicare auctorem. Porro hic locus utiliſſimam doctrinam continet. nam quum dicit Chriſtus, *Ecce ſanus factus es*, nos Dei beneficiis perperam abuti ſignificat niſi ad gratitudinem excitemur. Neque enim exprobrat Chriſtus quod dedit: ſed tantum admonet ideo ſanatum fuiſſe hominem, ut gratiæ acceptæ memor, Deum liberatorem tota vita coleret. Ergo ſicuti nos ferulis ad pœnitentiam erudit Deus & ſtimulat, ita ad eandem nos invitat ſua bonitate & clementia. Imo hic univerſalis eſt tam redemptionis noſtræ quam omnium Dei donorum ſcopus, ut nos habeat prorſus ſibi addictos. Porro fieri hoc nequit niſi pœnæ jam elapſæ animis inſideat recordatio: & qui veniam adeptus eſt, in hac meditatione tota vita ſe exerceat. Docet etiam hæc admonitio, quicquid patimur mali, peccatis noſtris imputandum eſſe. neque enim fortuitæ ſunt hominum calamitates, ſed totidem ſunt caſtigatoriæ ferulæ. Primo itaque manum Dei quæ nos percutit agnoſcere oportet, non cæcum fortunæ impetum imaginari in malis noſtris: deinde hunc Deo honorem tribuere, quod quum optimus ſit Pater, ex noſtris miſeriis voluptatem non capiat: ideoque nunquam durius nos tractet niſi peccatis noſtris offenſus. Quum peccare vetat, non exigit ut ab omni peccato ſit immunis, ſed comparatio ſit ſuperioris vitæ. Hortatur enim Chriſtus ut poſthac reſipiſcat, neque maneat ſui ſimilis. *Ne quid deterius.* Si nihil ferulis proficiat erga nos Deus, quibus leniter nos tanquam teneros ac delicatos filios humaniſſimus pater caſtigat, novam perſonam & quaſi alienam induere cogitur. Flagella ergo ad domandam noſtram ferociam arripit, quemadmodum in Lege denunciat, Levit. 26: 14. Deut. 28: 15. & Pſal. 32: 9. Imo paſſim in Scripturis occurrunt ejuſmodi teſtimonia. Itaque quod novis ſubinde malis aſſidue premimur, id noſtræ contumaciæ acceptum referre decet. neque enim refractariis equis & mulis ſumus ſimiles, ſed pluſquam indomitæ belluæ. Quare non mirum eſt ſi atrocioribus pœnis quaſi malleis conterat Deus quibus mediocris pœna nihil prodeſt: frangi enim æquum eſt qui corrigi non ſuſtinent. In ſumma, hic pœnarum uſus eſt ut cautiores in poſterum reddamur. ſi ad primos & ſecundos ictus opponimus obſtinatam cordis duritiem, ſeptuplo gravius feriet. ſi dato ad breve tempus reſipiſcentiæ ſigno, mox ad ingenium redimus, hanc noſtram obliviosam levitatem & ſocordiæ plenam acrius caſtigat. Cæterum in hujus hominis perſona intueri operæpretium eſt quam benigne & indulgenter nos toleret Dominus. Finge eum ſenio propinquum fuiſſe: in primo tamen ætatis flore morbo correptum fuiſſe oportuit: fortaſſe & à prima pueritia invaſit eum morbus. nunc quam gravis fuerit tot annorum pœna reputa. Atqui certum eſt nimiam Deo ſeveritatem objici non poſſe quod tam diuturno languore ſemimortuum hominem confecerit. Quod ergo levius plectimur, id fieri diſcamus quod Dominus pro immenſa ſua bonitate ſummum pœnarum rigorem temperet. Diſcamus etiam nullas eſſe tam ſævas & atroces pœnas, quibus non aliquid addere Dominus poſſit quoties viſum erit. Nec dubium eſt quin ſibi horrendos ſæpe & prodigioſos cruciatus miſeri homines improbis ſuis querimoniis accerſant, dum negant mala ſua augeri poſſe. Annon hæc abſcondita ſunt in theſauris meis? inquit Dominus Deut. 32: 34. Notandum præterea eſt quam tardus ſit caſtigationum Dei in nobis profectus. Nam ſi Chriſti exhortatio ſupervacua non fuit, colligere inde licet hujus hominis animam nondum bene vitiis omnibus purgatam fuiſſe. Et certe altiores ſunt in nobis vitiorum radices quam ut die uno vel altero evelli queant. Morborum vero animæ curatio longe difficilior eſt quam ut exigui temporis remediis contenta ſit.

15. *Abiit homo.*] Nihil minus in animo habuit quam conflare Chriſto invidiam: nihil etiam minus ſperavit quam ut tantopere furerent adverſus Chriſtum. Pius ergo affectus fuit quum vellet juſto ac debito honore medicum ſuum proſequi. Judæi vero in eo virus ſuum produnt, quod non modo Chriſtum accuſant violati Sabbathi, ſed in extremam ſævitiam erumpunt.

17. Jeſus autem reſpondit illis, Pater meus ad hoc uſque tempus operatur, & ego operor.

18. Ob hanc igitur cauſam magis quærebant ipſum Judæi interficere, quod non ſolum ſolvebat Sabbathum, ſed & Patrem ſuum vocabat Deum, æqualem ſe faciens Deo

19. Reſpondit ergo Jeſus, & dixit illis, Amen, amen dico vobis, non poteſt Filius facere à ſeipſo quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem. quæ enim ille facit, hæc & Filius ſimiliter facit.

17. *Pater meus.*] Videndum quo defenſionis genere utatur Chriſtus. non reſpondet Legem de colendo Sabbatho temporalem fuiſſe, & quæ jam abroganda ſit: quin potius violatam à ſe Legem fuiſſe negat, quia hoc divinum ſit opus. Fuit quidem illa umbratilis ceremonia, cui finem impoſuit Chriſtus (*Coloſſ. 2. verſ. 16.*) ſuo adventu, ſicuti Paulus docet. ſed præſentis cauſæ ſtatus in eo minime verſitur. Jubentur enim homines à ſuis tantum operibus feriari. ideo Circumciſio, quæ Dei eſt, non hominum opus, Sabbatho adverſa non eſt. In hoc capite inſiſtit Chriſtus, non turbari divinis operibus ſanctam quietem quæ Lege Moſis mandata eſt. Atque hac ratione non ſuum modo factum excuſat, ſed ejus etiam qui grabbatum ſuum tulit. erat enim appendix & quaſi pars miraculi: quia nihil quam ejus approbatio erat. Deinde ſi inter Dei opera cenſetur gratiarum actio & gloriæ ejus præconium, non fuit Sabbathi profanatio Dei gratiam pedibus ac manibus teſtatam facere. De ſe tamen præcipue loquitur Chriſtus, cui Judæi magis infeſti erant. Interea ſanitatem quam ægroto reſtituit, divinæ ſuæ virtutis ſpecimen eſſe teſtatur. Filium ſe Dei prædicat, & ſibi communem eſſe cum Patre agendi rationem aſſerit. Quis ſit Sabbathi uſus, & quibus de cauſis præceptum fuerit, nunc pluribus non diſputo. quod ad præſentem locum ſufficit, adeo non abrumpit vel impedit curſum operum Dei Sabbathi religio, ut potius ipſis ſolis concedat locum: cur enim hominibus ceſſationem ab operibus propriis Lex edicit, niſi ut ad conſideranda Dei opera ſenſus omnes ſuos vacuos & ſolutos applicent? Impius ergo Legis everſor eſt, nedum perverſus interpres, qui liberum Dei operibus regnum in Sabbatho non concedit. Siquis objiciat, proponi Dei exemplum hominibus, ut ſeptimo die quieſcant: ſolutio in promptu eſt, non in eo conformes eſſe homines Deo quod ferias ille egerit, ſed quod à turbulentis hujus mundi actionibus ceſſantes, ad cæleſtem quietem aſpirent. Ergo Dei Sabbathum non ceſſatio eſt, ſed ſolida perfectio, quæ

tran-

tranquillum pacis ſtatum ſecum adfert. Nec obſtat *Geneſ. 2. verſ. 2.* quod Moſes dixit Deum operibus ſuis finem feciſſe. ſignificat enim perfecto mundi opificio conſecraſſe diem illum, quem homines meditandis ejus operibus impenderent. Interea non deſiit mundum à ſe conditum ſua virtute ſuſtinere, regere ſuo conſilio, bonitate fovere, & cuncta ſuo arbitrio in cælo & in terra ſtatuere. Ergo ſex diebus abſoluta fuit mundi creatio: regimen vero ejus perpetuum eſt, & aſſidue in tuendo & conſervando ejus ordine Deus operatur: quemadmodum Paulus docet in eo nos vivere, moveri & eſſe, Actor. 17:28. Et David ſtare omnia *Pſal. 104. verſ. 29.* docet quatenus ea Spiritus Dei vegetat, deficere autem ſimulac ejus vigore deſtituta fuerint. Nec generali tantum providentia creatam à ſe naturam tuetur Dominus, ſed ſingulas ejus partes ordinat ac temperat. Præſertim vero ſuo præſidio ſervat ac tegit fideles, quos in fidem tutelamque ſuam recepit. *Et ego operor.* Jam Chriſtus, omiſſo præſentis cauſæ patrocinio, miraculi finem & uſum exponit, nempe ut inde agnoſcatur Dei Filius. Nam hoc in omnibus factis & dictis habuit propoſitum, ut ſe oſtenderet ſalutis auctorem. Hoc Divinitatis proprium eſt quod ſibi vendicat. quemadmodum etiam Apoſtolus Heb. 1:3. dicit eum ſuſtinere potenti ſuo nutu omnia. Sed ideo ſe Deum teſtatur, ut in carne manifeſtatus Chriſti officium præſtet: ita è cælo ſe profectum affirmat, ut præcipue ſciri velit quorſum deſcenderit in terram.

18. *Ob hanc igitur cauſam.*] Hac defenſione adeo non ſedavit illorum rabiem ut potius irritaverit. Nec vero ignarus erat quam maligna eſſet eorum improbitas, & quam ferrea obſtinatio: ſed hoc primum ſpectavit, ut paucis ſuis, qui tunc aderant, prodeſſet: deinde ut in lucem protraheret inſanabilem eorum malitiam. Docuit autem nos ſuo exemplo, nunquam cedendum eſſe impiorum furori, quin Dei veritatem, quantum neceſſitas exigit, toto mundo invito & obſtrepente aſſerere conemur. Nec eſt cur male habeat Chriſti ſervos, ſi non proficiant apud omnes ex animi ſententia: quando ne Chriſto quidem ſucceſſit. Nec vero mirum eſt, quo magis ſe exerit Dei gloria, Satanam in ſuis membris & organis violentius tumultuari. Priore membro quum infenſos Chriſto fuiſſe dicit Euangeliſta quia Sabbathum ſolverat, ex eorum loquitur ſenſu. nam rem ſecus habuiſſe jam ante docui. Præcipua indignationis cauſa eſt quod Deum Patrem ſuum vocavit. Et certe voluit Chriſtus Deum peculiari quodam modo Patrem ſuum intelligi, ut ſe à communi aliorum ordine eximeret. Æqualem ſe Deo fecit quum perpetuam ſibi operationem tribueret. Adeo autem hoc Chriſtus non negat, ut clarius confirmet. Quo refellitur Arrianorum veſania, qui ſic fatebantur Chriſtum eſſe Deum ut Patri æqualem non putarent. Quaſi vero in una & ſimplici Dei eſſentia reperiri aliqua poſſit inæqualitas.

19. *Reſpondit ergo Jeſus.*] Videmus quod dixi, adeo non dilui à Chriſto, quanquam calumnioſum, quod Judæi objecerant, ut verum eſſe apertius diſſerat. Ac primo quidem in illo capite inſiſtit, Divinum eſſe opus quod carpebant Judæi, ut intelligant cum Deo ipſo ſibi eſſe bellandum ſi damnare pergant quod illi neceſſe eſt adſcribi. Locus hic varie olim agitatus fuit inter orthodoxos Patres & Arrianos. Arrius minorem Patre Filium inde colligebat, quia ex ſe nihil poſſit. Excipiebant Patres, notari tantum his verbis Perſonæ diſtinctionem, ut ſciretur Chriſtum à Patre eſſe, non tamen intrinſeca agendi virtute eum privari. Atqui utrimque erratum eſt: neque enim de nuda Chriſti divinitate habetur concio: & quæ mox videbimus, in æternum Dei Sermonem per ſe & ſimpliciter minime competunt, ſed tantum quadrant Dei Filio quatenus in carne manifeſtatus eſt. Sit nobis ergo ante oculos Chriſtus, ut à Patre miſſus eſt mundo redemptor. In eo Judæi nihil humana natura altius reputabant. Ideo contendit ſe humanitus non ſanaſſe ægrotum, ſed divina virtute quæ ſub carne viſibili latebat. Hic cauſæ ſtatus eſt, Quum illi in carnis aſpectu defixi Chriſtum contemnerent, jubet eos altius conſurgere, ac Deum intueri. Ad hanc antitheſin referendus eſt totus ſermo, Longe errare eos qui ſibi cum homine mortali negotium eſſe putant, dum Chriſtum accuſant de operibus vere divinis. Ideo tantopere affirmat nihil in hoc opere ſibi eſſe à Patre diverſum.

20. Pater enim diligit Filium, & omnia demonſtrat illi quæ ipſe facit: & majora his monſtrabit illi opera, ut vos miremini.

21. Quemadmodum enim Pater ſuſcitat mortuos & vivificat, ſic & Filius quos vult vivificat.

22. Neque enim Pater judicat quenquam, ſed omne judicium dedit Filio:

23. Ut omnes honorent Filium, ſicut honorant Patrem. qui non honorat Filium, non honorat Patrem qui miſit illum.

24. Amen, amen dico vobis, quod qui ſermonem meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in judicium non veniet, ſed tranſivit à morte in vitam.

20. *Pater enim diligit.*] Quam dura ſit & coacta veterum expoſitio nemo non videt. Deus (inquiunt) ſe in Filio amat. atqui hoc Chriſto carne induto pulchre convenit, quod à Patre ametur. Imo ſcimus hoc inſigni titulo tam ab Angelis quam ab hominibus *Matth. 3. verſ. 17.* fuiſſe diſtinctum, Hic eſt Filius meus dilectus. Scimus enim electum fuiſſe Chriſtum, in quo reſideret totus Dei amor, ut inde quaſi ex pleno fonte ad nos manaret. amatur enim Chriſtus à Patre, ut eſt Eccleſiæ caput. Hunc amorem docet cauſam eſſe cur Pater omnia per ejus manum efficiat. nam quum dicit *ſibi monſtrari*, hoc verbo intelligenda eſt communicatio: acſi diceret, Quemadmodum Pater animum ſuum, ita & virtutem in me effudit, ut in meis operibus divina gloria refulgeat; imo ut nihil divinum quærere homines poſſint quod non in me inveniant. Et certe extra Chriſtum fruſtra Dei potentia quæretur. *Majora his monſtrabit illi opera.* Significat his verbis, miraculum quod in ſanando homine ediderat, non fuiſſe ſummum ex operibus ſibi à Patre mandatis. tenuem enim duntaxat illic guſtum præbuerat ejus gratiæ cujus proprie & miniſter & auctor eſt: nempe ut vitam mundo reſtituat. Quum addit *Ut miremini*, oblique eorum ingratitudinem perſtringit, quod illud tam ſplendidum virtutis Dei ſpecimen contemnerent. acſi diceret, Quantumvis hebetes ſitis ac ſtupidi, quæ poſthac facturus eſt per me Deus, vel invitos in admirationem rapient. Videtur hoc tamen minime fuiſſe impletum, quum ſciamus illos videndo non vidiſſe: ſicuti etiam Jeſaias dicit reprobos cæcutire ad lucem Dei. *Jeſ. 6. verſ. 9.* Reſpondeo, Chriſtum hic de eorum affectu loquutum non eſſe, ſed tantum notaſſe quam magnifice paulo poſt ſe Dei Filium probaturus eſſet.

21. *Quemadmodum enim Pater.*] Summatim hic comprehendit quale ſibi datum ſit à Patre officium. Tametſi enim ſpeciem unam eligere videtur, eſt tamen generalis doctrina, in qua ſe vitæ auctorem prædicat. Vitam autem & juſtitiam, & omnia Spiritus ſancti dona, & omnes ſalutis noſtræ partes in ſe con-

Digitized by Google

continet. Ac certe miraculum hoc ita oportuit ſpeciale eſſe virtutis Chriſti documentum, ut communem illum fructum proferret, nempe ut aperiret Euangelin januam. Notandum porro qualiter vitam nobis Chriſtus cooferat: omnes enim invenit mortuos. ergn à reſurrectione initium fieri neceſſe eſt. Non tamen ſupervacuum eſt qnod duo verba ſimul conjungit: quia non ſatis eſſet nos à morte eſſe ereptos niſi vitam pleoe & ſolide nobis reſtitueret Chriſtus. Porro hanc vitam non omnibus promiſcuam facit. dicit eoim ſe vitam dare *cui vult*: quo ſignificat oonniſi certos homines (hoc eſt, electos) hac gratia ſe peculiariter dignari.

22. *Neque enim Pater.*] Genus ipſum nunc clarius exprimit, quod Pater in Filii perſona mundum gubernet, ac ejus manu imperium exerceat. *Judicium* enim pro imperio & poteſtate accipit Euangeliſta, ſecundum phraſim linguæ Hebraicæ. Nunc ſummam tenemus, quod traditum ſit Chriſto regnum à Patre, ut arbitrio ſuo cælum ac terram moderetur. Sed videri poſſet hoc valde abſurdum, quod Pater, reſignatn imperii ſui jure, tanquam privatus quiſpiam homo in cælo otietur. Reſponſio facilis eſt, hoc non tam Dei quam hominum reſpectu dici: nam in Patre nihil mutatum eſt dum Chriſtum conſtituit ſummum Regem, ac cæli terræque Dominum. eſt enim ipſe in Filio, & in eo operatur. Sed quia dum volumus ad Deum aſcendere, ſenſus omnes noſtri ſtatim deficiunt, ponitur nobis ante oculos Chriſtus, tanquam conſpicua Dei inviſibilis imago. Nnn eſt igitur cur fruſtra nos cælorum adyta ſcrutando fatigemus, quum infirmitati noſtræ conſulat Deus ubi ſe propinquum in Chriſti perſona oſtendit. quin potius, quoties de mundi regimine, de noſtro omnium ſtatu, de cæleſti noſtræ ſalutis præſidin agitur, diſcamus ad Chriſtum unum referre oculos (ſicuti penes ipſum depoſita eſt omnis poteſtas, & in ejus facie Deus Pater, qui alioqui procul eſſet abſconditus, nobis apparet) ne nuda Dei majeſtas immenſn ſuo fulgore nos abſorbeat.

23. *Ut omnes honorent.*] Hoc membrum ſatis confirmat quod nuper attigi, Deum non ita in Chriſti perſona regnare quaſi ipſe, ut ſolent ignavi reges, quieſcat in cælo: ſed quia in Chriſto potentiam ſuam declaret, ſeque præſentem exhibeat. Quid enim aliud ſibi volunt hæc verba, Ut omnes hnnorent Filium, niſi quod Pater agnoſci vult ac coli in Filio? Ergo noſtrum eſt Deum Patrem io Chriſtn quærere, illic intueri ejus potentiam, illic eum adorare. nam (ſicuti continuo poſt ſequitur) *Qui non honorat Filium*, legitimo honore Deum fraudat. Deum eſſe colendum fatentur omnes: adeoque hic ſenſus nobis à natura ingenitus altas habet in cordibus noſtris radices, ut nemo ſimpliciter Deo hoonorem ſuum negare audeat: interea hominum mentes Deum extra viam quærendn evaneſcunt. Hinc tot fictitii dii, hinc tot perverſi cultus. Verum ergo Deum nnn alibi quam in Chriſtn reperiemus, nec
[Pſal. 2. vers. 10.] rite aliter eum colemus quam Filium oſculando, ut David docet. Nam (ut alibi teſtatur Joannes) qui
[1 Joan. 2. verſ. 23.] Filium non habet, ille ſimul caret Patre. Pulchris quidem & ſplendidis titulis ornant Turcæ & Judæi quem adorant Deum: ſed hoc teneodum eſt, Dei nomen, quum à Chriſto ſeparatur, nihil quam ioane eſſe figmentum. Ideo quiſquis Deo vero cultum ſuum probari cupit, ne à Cbriſto deflectat. Nec alia fuit Patrum ratio ſub Lege: tametſi enim obſcurum Chriſti aſpectum habebant ſub umbris, nunquam tamen citra Chriſtum ſe patefecit Deus. Sed nunc ex quo exhibitus fuit Chriſtus in carne, & Rex nobis impoſitus, totum muodum illi flectere genua oportet, ut ſe Deo ſubjiciat. Nam quum illum ſedere ad dexteram ſuam Pater juſſerit, qui Deum imaginatur ſine Cbriſto, dimidia ſui parte eum mutilat.

24. *Qui ſermonem meum audit.*] Hic modus & ratio honoris exprimitur, nequis in externo duntaxat aliquo ritu & frivolis ceremoniis ſitum eſſe putet. Nam Euangelii doctrina Chriſto ioſtar ſceptri eſt quo fideles ſibi à Patre ſubjectos regit. Atque hæc definitio in primis notatu digna eſt. Nihil magis tritum eſt quam falſa Chriſtianiſmi profeſſio: nam & Papiſtæ, qui infenſiſſimi ſunt Chriſti hoſtes, pluſquam audacter tamen ejus nomine ſuperbiunr. ſed hic Chriſtus non alium à nobis honorem exigit quam ut Euangelio ſuo obediamus. Unde ſequitur, quicquid honoris Chriſto deferunt hypocritæ, proditorium eſſe Judæ oſculum. Ut centies Regem ipſum nuncupent, regno tamen & omni poteſtate eum ſpoliant dum fidem non habent Euangelio. Fructum obedientiæ ſimul commendat quum dicit, *Habet vitam æternam*, quo ſimus ad eam præſtandam magis voluntarii. Quis enim tam ferreus eſſe debet quin propoſito æternæ vitæ præmio, ſeſe libenter Chriſtn ſubmittat? Et tamen videmus quam paucos ſibi conciliet hac tanta benignitate. Ea eſt noſtra pravitas ut ſponte perire magis libeat quam tradere nos Dei Filio in obſequium, ut ejus beneficio ſervemur. Utrumque ergo bic complectitur Chriſtus: & regulam pii ſincerique cultus quem à nobis exigit, & rationem qua nos reſtituit in vitam. Neque enim quod prius docuit tenere ſufficeret, eum ſcilicet ad ſuſcitandos mortuos veniſſe, niſi etiam ſciremus qualiter à morte liberet. Pronunciat autem vitam obtineri doctrinæ ſuæ auditu: voce *auditus* fidem intelligens, ſicuti mox ſe declarat. Atqui fides non in anribus, ſed in corde ſedem habet. Unde porrn tanta fidei vis, alibi dictum eſt. Semper quid nobis Euangelium nfferat, reſpicere convenit. neque enim mirum eſt, qui Chriſtum cum ſuis nmnibus meritis recipit, eum reconciliari Den, & à mortis reatu abſolvi: qui Spiritu ſancto donatur, eum
indui cæleſti juſtitia, ut in vitæ novitate ambulet. [Rom. 6.]
Particula quæ additur, *Credit in eum qui me miſit*, ad [verſ. 4.]
ſtabiliendam Euangelii auctoritatem valet, dum Chriſtus à Deo profectum eſſe teſtatur, non huma-
nitus fabricatum. Quemadmodum alibi negat à ſe- [infra 14.]
ipſo eſſe quod loquitur, ſed à Patre ſibi mandatum. [verſ. 10.]
In judicium non venit. Hic tacita ſubeſt antitheſis inter reatum cui naturaliter omnes ſumus obnoxii, & gratuitam abſolutionem quam per Chriſtum conſequimur. Niſi enim omnes maneret damnatio, quorſum attineret inde eximere qui in Chriſtum credunt? Sit igitur ſententia nos eſſe extra mortis periculum, quia Chriſti beneficio abſolvimur. Ergo utcunque nos ſanctificet Chriſtus, ac regeneret Spiritu ſuo in vitæ oovitatem, ſpecialiter tamen hic gratuita peccatorum remiſſio notatur, in qua ſola conſiſtit hominum beatitudo. Vere enim demum is vivere incipit qui Deum habet propitium. quomodo autem nos amaret Deus niſi peccatis noſtris ignoſceret? *Tranſivit.* Quod Latina quædam exemplaria habent io futurn tempore Tranſibit, ex inſcitia & temeritate cujuſpiam natum eſt, qui mentem Euangeliſtæ non capiens, ſibi conceſſit pluſquam par erat. nam in Græco verbo nulla eſt prorſus ambiguitas. Tranſitum autem à morte jam eſſe factum non inepte dicit, quia & incorruptibile eſt in filiis Dei vitæ ſemen ex quo vocati ſunt, & jam in cæleſti gloria per ſpem Cbriſto conſident, & regnum Dei intra ſe habent certo cooſtitutum. Nam qnod abſcondita eſt eorum vita, non ideo fide eam poſſidere deſinunt: quod undique à morte obſidentur, noo ideo tranquilli eſſe deſinnnt: propterea quod ſe Cbriſti præſidio norunt eſſe ſatis tutos. Interea meminerimus, fideles ita eſſe nunc in vita, ut mortis ſemper materiam circumferant. ſed Spiritus qui in

illis habitat, vita eſt, quæ reliquias mortis tandem
1 Cor. 15. verſ. 26. abolebit. Eſt enim verum illud Pauli, mortem ultimum fore hoſtem qui deſtruetur. Nec ſane hic vel de plena mortis abolitione, vel de ſolida vitæ exhibitione agitur. Sed quamvis inchoata tantum ſit vita in nobis, tantam tamen ejus certitudinem fidelibus conſtare pronunciat Chriſtus, ut ſibi metuere à morte non debeant: nec mirum, quum in ipſum inſiti ſint, qui fons eſt vitæ inexhauſtus.

25. Amen, amen dico vobis quod ventura eſt hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filii Dei: & qui audierint, vivent.
26. Quemadmodum enim Pater habet vitam in ſeipſo, ita & Filio dedit vitam habere in ſeipſo.
27. Et poteſtatem ei dedit faciendi judicii, quia Filius hominis eſt.
28. Ne miremini hoc: quia ventura eſt hora qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem ejus.
29. Et exibunt qui bona fecerint, in reſurrectionem vitæ: qui autem mala fecerint, in reſurrectionem judicii.

25. *Amen, amen dico.*] Quum toties jurantem in ſalutis noſtræ cauſa Dei Filium Euangeliſta inducit, hinc primum quam ſollicitum ſit erga nos ejus ſtudium perſpicimus: deinde quantopere referat fidem Euangelii bene ac penitus fixam ſancitamque eſſe. Videtur certe iocredibile neſcio quid narrari, quum prædicatur hic fidei effectus de quo Chriſtus diſſerit. ergo jurejuraodo confirmat adeo vivificam eſſe Euangelii ſui vocem ut ad ſuſcitandos mortuos ſit efficax. De morte ſpirituali eum loqui ſatis convenit. nam qui ad Lazarum & filium viduæ Nain & ſimiles referunt, contextu ipſo refelluntur. Primo admonet Chriſtus nos omnes eſſe mortuos antequam nos ipſe vivificet. atque hinc patet quid tota hominis natura ad ſalutem comparandam valeat. Papiſtæ quum liberum ſuum arbitrium erigere volunt, homini Samaritano comparant, quem ſemivivum latrones in via reliquerant. Quaſi vero allegoriæ fumo obſcurare claram ſententiam liceat, qua nos Chriſtus morti plane addicit. Et ſane quum poſt primi hominis defectionem alienati à Deo ſimus per peccatum, quicunque ſe æterno interitu oppreſſos non agnoſcunt, nihil aliud quam ſe decipiunt inanibus blanditiis. Fateor quidem in hominis anima aliquid manere vitæ reſiduum (nam & intelligentia, & voluotas, & omnes ſenſus totidem ſunt vitæ partes) ſed quia nulla pars eſt quæ ad cæleſtem vitam aſpiret, non mirum eſt ſi totus homo, quantum attinet ad regnum Dei, mortuus cenſetur. Atque hanc mortem pluribus verbis Paulus decla-
Epheſ. 2. verſ. 1. & 4: 17. rat, quum dicit nos alienatos eſſe à pura & ſana ratione mentis, totoque cordis affectu Deo inimicos, & juſtitiæ ejus adverſos, cæcos errare in tenebris, & pravis concupiſcentiis deditos. Si naturæ adeo corruptæ nullus eſt vigor ad juſtitiam appetendam, ſequitur extinctam eſſe vitam Dei io nobis. Ita Chriſti gratia, vera eſt à morte reſurrectio. Hæc porro gratia nobis per Euangelium confertur: non quod externa vox tantum habeat energiæ, quæ plerumque fruſtra aures verberat; ſed quia Chriſtus corda noſtra intus Spiritu ſuo alloquitur, ut vitam nobis oblatam fide recipiamus. Neque enim promiſcue hic de omnibus mortuis agit: ſed electos tantum intelligit, quibus Deus aures perforat & aperit, ut Filii ſui vocem capiant, quæ eos in vitam reſtituat. Imo diſtincte Chriſtus ſuis verbis duplicem gratiam nobis commendat, quum dicit, *Audient mortui vocem Filii Dei: & qui audierint, vivent.* Neque enim minus præter naturam eſt, mortuos audire, quam in vitam unde exciderant revocari. Ergo utrumque arcanæ eſt Dei virtutis. Quum dicit, *Ventura eſt hora, & nunc eſt*, loquitur tanquam de re prius inſolita. Et certe promulgatio Euangelii, nova & ſubita mundi reſurrectio fuit. Si roget quiſpiam annon ſemper vitam hominibus dederit verbum Dei, facilis eſt reſponſio, doctrinam Legis & Prophetarum, quum deſtinata eſſet Dei populo, magis hoc habuiſſe officii ut qui à Deo geniti erant, in vita foveret, quam ut reduceret à morte. Euangelii autem diverſa fuit ratio, quo Gentes à regno Dei prius eatraneæ, diviſæ à Deo, privatæ omni ſalutis fiducia, in vitæ ſocietatem accitæ ſunt.

26. *Quemadmodum enim Pater.*] Oſtendit unde tanta voci ſuæ efficacia, quod ſcilicet ipſe ſit fons vitæ, & eam voce ſua in homines effundat. Neque enim nobis ex ejus ore profluerET vita niſi penes ipſum eſſet ejus cauſa & origo. Neque enim Deus vitam in ſe habere dicitur tantum quod propria virtute & intrinſeca ſolus vivat, ſed quia vitæ plenitudinem in ſe continens, omnia vivificat. Atque hoc quidem proprie in Deum competit, quemadmodum Pſalmo 36. habetur, Apud te eſt fons vitæ. Sed *Pſal 36. verſ. 9.*
quia Dei majeſtas, ut eſt procul à nobis diſſita, ſimilis eſſet ſcatebræ latenti & abſconditæ, ideo palam ſe in Chriſto exeruit. Habemus itaque promptum & expoſitum fontem ex quo haurire liceat. Hic verborum eſt ſenſus, Quod Deus vitam apud ſe occultam & quaſi ſepultam habere noluerit, atque ideo transfuderit in Filium ut ad nos manaret. Hinc colligimus proprie hunc titulum adſcribi Chriſto quatenus in carne manifeſtatus eſt.

27. *Et poteſtatem dedit ei.*] Iterum repetit datum ſibi fuiſſe imperium à Patre, ut plenam & in cælo & in terra rerum omnium poteſtatem habeat. ἐξουσία hic dignitatem ſignificat: *Judicium* vero pro regimine & imperio accipitur. acſi diceret conſtitutum eſſe Filium Regem à Patre qui mundum gubernet, atque exerceat Patris ipſius poteſtatem. Ratio quæ mox ſubjicitur, in primis notanda, *Quia Filius hominis eſt.* Significat enim tam magnifica poteſtate ornatum prodire ad homines, ut illis communicet quod à Patre accepit. Quidam non aliud hoc loco dici putant, quam quod habetur apud Paulum ad Philippenſ. Quod Chriſtus, quum in forma *Philip. 2.*
Dei eſſet, ſeipſum exinanivit forma ſervi accepta, *verſ. 7.*
ſeque humiliavit uſque ad mortem crucis. Et propterea extulit illum Pater, & dedit illi nomen omni nomine præſtantius, ut coram ipſo flectatur omne genu, &c. Sed ego longius extendo, Chriſtum, quatenus homo eſt, vitæ auctorem à Patre fuiſſe ordinatum, ne procul nobis quærenda ſit. Neque enim ſibi Chriſtus accepit quaſi indigeret, ſed ut nos locupletaret ſua opulentia. Summa eſt, patefactum nobis eſſe in Chriſto homine quod in Deo reconditum erat: & vitam prius inacceſſam, nunc in promptu eſſe. Quod autem nonnulli rationem hanc à ſuo contextu avulſam ſequenti membro connectunt, coactum eſt, & à Chriſti mente alienum.

28. *Ne miremini hoc.*] Videtur parum appoſite ratiocinari, dum ejus quod dixerat confirmationem

ab

ab ultima reſurrectione petit. neque enim majus eſt corpora excitari quam animas. Reſpondeo, non ex re ipſa hic comparationem fieri majoris & minoris, ſed ex hominum ſenſu. Nam, ut ſunt carnales, nihil mirantur niſi externum & viſibile. Hioc fit ut animæ reſurrectionem ſecure prætereant, carnis autem reſurrectio plus habeat apud eos admirationis. Simul facit craſſa hæc noſtra ſtupiditas ut longe plus ad faciendam fidem valeant quæ oculis cernuntur, quam quæ ſola fide concipi poſſunt. Quia de ultimo die meminit, non amplius additur reſtrictio illa, *Et nunc eſt:* ſed tempus aliquaodo fore ſimpliciter pronunciat. Verum occurrit altera exceptio. nam etſi fideles corporum reſurrectionem expectant, non poſſunt tamen ejus notitiæ inniti, ut ſtatuant nunc animas eripi à morte, quia olim corpora è ſepulchris reſurgeot. Apud impios vero quid magis ridiculum quam ignotum (ut vulgo aiuot) per ignotius probare? Reſpoodeo, hic Chriſtum de ſua potentia gloriari apud reprobos, ut teſtatum faciat plenam rerum omnium inſtaurationem ſibi à Patre mandatam eſſe. acſi diceret, Quod oune à me inchoari dico, aliquando ſub oculis veſtris abſolvam. Et certe quod nunc Euangelii ſui voce animos ſub interitu demerſas Chriſtus vivificat, id quoddam ultimæ reſurrectionis præludium eſt. Porro quia totum humanum genus complectitur, mox inter electos & reprobos diſcernit. Quæ partitio oſtendit, reprobos, ut nunc Chriſti voce ad judicium citantur, ita eadem voce pertrahendos ſemel & ſiſtendos ad ejus tribunal. Sed cur tantum ſepulchris incluſos nominat, quaſi participes reſurrectionis futuri non ſint alii, ſive qui naufragio perierunt, vel à beſtiis ſunt devorati, vel in cinerem redacti? Verum quia ſepeliri communiter ſolent mortui, per ſynecdochen omnes intelligit qui pridem extincti ſunt. Atque hoc magis emphaticum eſt quam ſi mortuos tantum dixiſſet. nam quos ſpiritu & luce mors jam privavit, ſepulchrum velut à mundo ſubducit. *Vox Filii* clangorem tubæ ſignificat, qui Chriſti juſſu *Mat. 24.* & virtute perſooabit. Nam quod Aogelus præco *verſ. 31.* vel apparitor futurus eſt, id non obſtat quominus *1 Cor. 15.* tribuatur judici quod geritur ejus auctoritate & quaſi *verſ. 52.* ſub perſona. *1 Theſſ. 4.* *verſ. 16.*

29. *Qui bona fecerint.*] Fideles à bonis operibus deſignat, quemadmodum à fructu arborem cognoſci alibi docet. Bona autem ipſorum opera laudat, *Matth. 7.* quibus à ſua vocatione operam dare cœperunt. La- *verſ. 17.* tro enim cui vitam in cruce Chriſtus promiſit, qui tota vita ſceleribus deditus fuerat, inter extremos demum ſpiritus ad recti ſtudium aſpirat. Sed quia renaſcitur novus homo, & ex peccati mancipio juſtitiæ ſervus eſſe incipit, totus ſuperior vitæ curſus in rationem non venit coram Deo. Adde quod ne *Tit. 2: 14.* peccata quidem quorum reatu ſe quotidie obſtringuot fideles, illis imputantur. Nam ſine venia nemo unquam extitit in mundo qui bene vixiſſe cenſeri queat: imo nullum omnino bonum opus cenſebitur niſi cujus vitiis Deus ignoſcet: quando omnia mutila ſunt & corrupta. Factores ergo bonorum operum hic dicuntur, quos Paulus illorum ſtudioſos aut zelotas vocat, Tit. cap. 2. v. 14. Sed æſtimatio hæc ex paterna Dei indulgeotia pendet, qui gratuito probat quod rejici merebatur. Quod ex locis iſtis colliguot Papiſtæ vitam æternam rependi meritis operum, oulla difficultate refellitur. Neque enim de ſalutis cauſa Chriſtus tractat, ſed tantum electos à reprobis ſua nota diſcernit: idque facit ut ſuos ad ſanctitatem & innocentiam invitet atque hortetur. Et nos certe fidem quæ nos juſtificat, cum ſtudio bene juſteque vivendi conjuoctam eſſe non negamus: ſed tantum docemus, non alibi quam in ſola Dei miſericordia quieſcere fiduciam noſtram poſſe.

30. Non poſſum facere ego à meipſo quicquam: quemadmodum audio, judico: & judicium meum juſtum eſt. quia non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem Patris qui me miſit.

31. Si ego teſtificor de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum.

32. Alius eſt, qui teſtatur de me: & novi quod verum ſit teſtimonium quod teſtificatur de me.

30. *Non poſſum facere ego à meipſo.*] Supervacuum foret hic ſubtiliter diſputare à ſeipſone an aliunde poſſit Filius Dei, quod ad æternam ejus divinitatem ſpectat. neque enim talibus argutiis nos occupare voluit. Proinde nulla erat cauſa cur ſe tam anxie torquerent veteres in repellenda Arrii calumnia. Filium Patri æqualem oon eſſe nebulo ille jactabat, quia nihil poſſet à ſeipſo. Reſpondent ſaocti viri, Filium jure Patri ferre acceptum quicquid habet: à quo perſonæ reſpectu, principium ſuum ducit. Sed primum Chriſtus hic de nuda ſua divinitate verba non facit: ſed, ut caroe noſtra indutus eſt, ſe ab externa ſpecie minime æſtimandum eſſe admonet, quia aliquid habeat homine altius. Deinde videodum quibuſcum negotium habeat. Judæos, qui ipſum opponere Deo tentabant, refellere illi propoſitum eſt. negat ergo ſe quicquam facere humanitus, quia ducem habeat & moderatorem Deum qui in ſe habitat. Hoc ſemper memoria tenendum, quoties de ſe loquitur Chriſtus, ſibi taotum ſumere quod hominis proprium eſt: quia Judæos reſpicit, qui perperam eum quaſi unum aliquem ex hominum vulgo eſſe dicebant. Eadem ratione quicquid homine ſuperius eſt, ad Patrem refert. *Judicandi* verbum proprie competit in doctrinam, ſed ad totam ſimul adminiſtrationem pertinet. acſi diceret ſe Patrem in omnibus auctorem habere, ſibi pro regula eſſe ejus arbitrium: ideoque illum fore vindicem. *Et judicium meum juſtum eſt.* Concludit, extra aleam reprehenſionis eſſe facta ſua & dicta, quoniam nihil niſi mandato & ductu Patris aggredi ſibi permittat. Rectum enim eſſe quicquid à Deo manat, abſque controverſia fixum eſſe debet. Hanc modeſtiam primum inter nos pietatis axioma eſſe decebat, adeo reverenter de verbo & operibus Dei ſentire, ut ſolum Dei nomen ad probandam juſtitiam & rectitudinem ſufficeret. ſed quam pauci reperiuntur, qui Deum, niſi cogantur, ſtatuant juſtum eſſe? Deus quidem ſuam juſtitiam (fateor) experientia nobis demonſtrat: ſed ipſam ad carnis noſtræ ſenſum reſtringere, ne aliter de ea ſentiamus quam ingenium noſtrum dictat, nimis licentioſa eſt impietas. Sit igitur certa & indubia conſequentia, rectum & verum eſſe quicquid à Deo eſt, nec fieri poſſe quin verax ſit Deus in omnibus verbis ſuis, juſtus & rectus in omnibus factis. Simul monemur hanc eſſe unicam bene agendi rationem, nihil niſi duce & auſpice Deo aggredi. Quod ſi totus in oos poſtea mundus inſurgat, hæc invicta defenſio ſuppetet, Non errare qui Deum ſequitur. *Quia non quæro voluntatem meam.* Hic minime ſuam & Patris voluntatem quaſi res contrarias inter ſe committit: ſed tantum refellit quod falſo putabant, eum humana audacia impelli magis quam Dei auctoritate regi. Negat igitur proprium ſibi affectum eſſe, & ſeparatum à juſſu Patris.

31. *Si ego teſtificor de.*] Non detrahit hic teſtimonio ſuo fidem, quam alibi fortiter aſſerit: ſed eſt

modus conceſſionis. Quia enim aliunde ſatis ſuperque inſtructus erat Chriſtus, ne ſibi credatur remittit. Si meum, inquit, de me teſtimonium vulgari hominum more vobis ſuſpectum eſt, eſto, ne valeat. Scimus autem pro vero & legitimo non haberi quod quiſque de ſe prædicat, etiamſi vere alioqui loquatur: quia nemo in propria cauſa idoneus eſt teſtis. Quamvis autem iniquum ſit in hunc ordinem cogi Dei Filium, mavult tamen jure ſuo cedere, ut hoſtes ſuos Dei auctoritate convincat.

33. Vos miſiſtis ad Joannem, & teſtimonium reddidit veritati.
34. Ego vero ab homine teſtimonium non accipio: ſed hæc dico ut vos ſalvi ſitis.
35. Ille erat lucerna ardens & lucens: vos autem voluiſtis exultare ad tempus in luce ejus.
36. Ego vero habeo teſtimonium majus quam Joannis: opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipſa opera quæ ego facio, teſtantur de me quod Pater me miſerit.

33. *Vos miſiſtis ad Joannem.*] Priuſquam Dei teſtimonium proferat, urget eos Joannis reſponſo, cui fidem detrahere honeſte non poterant. Quorſum enim ad eum mittere attinebat niſi ejus dictis ſtare vellent? mittunt enim tanquam ad Dei Prophetam. itaque ejus vocem ſibi inſtar oraculi fore ſimulant. Tametſi autem ſubeſt hic quoque altera conceſſio, clare tamen illis exprobrat Chriſtus, nihil præter malitiam obſtare quo minus credant. Ideo ad rem plurimum facere videmus hanc circumſtantiam, quod miſerint ad Joannem, & quaſi diſcendi animn ſciſcitati ab eo fuerint quiſnam eſſet Meſſias, & tamen pro nihilo duxerint ejus reſponſum.

34. *Teſtimonium ab homine non accipio.*] Atqui non fruſtra Deus ipſum ſibi teſtem eligit: & alibi
Actor. 1. verſ. 8. Chriſtus ipſe pronunciat diſcipulos ſibi fore teſtes. Reſpondeo, Chriſtum Joannis teſtimonio uti, non quod indigeat, ſed quatenus noſtra refert inde aliquid habere confirmationis. Mutuantur homines inter ſe alii ab aliis teſtimonium, quia carere eo ſubſidio oequeunt. Alia eſt Dei & Chriſti conditio. nam virtutem Philoſophi prædicant non eſſe alienæ opis indigam: quid in ſe habet homo quo Dei veritatem fulciat? Et ſtatim etiam Chriſtus ſubjicit ſe Joannis teſtimonium proferre eorum cauſa. ſignificat non tam ſui habere ſe reſpectum quam hominibus conſulere, dum Euangelii ſui præcones excitat per quos nobis de voluntate ſua teſtetur. In quo etiam mira ejus bonitas relucet, dum omnia ad ſalutem noſtram attemperat. Quare noſtrum eſt viciſſim dare operam ne fruſtra in nobis ſervandis ſit ſollicitus.

35. *Erat lucerna ardens.*] Quod Joannem vocat lucernam ardentem, inde magis arguitur eorum ingratitudo. ſequitur enim nonniſi ſponte eos cæcutire, quum accenſa fuerit Dei lucerna ante eorum oculos. Senſus itaque verborum eſt, Deus vos errare noluit: Joannem enim conſtituit lucernam, cujus ſplendor vos dirigeret. Quod ergo me non agnoſcitis Dei Filium, ſit errore voluntario. Sequitur alia exprobratio, quod non modo clauſis oculis lucem ſibi oblatam præterierint, ſed data opera abuſi fuerint ad Chriſtum opprimendum. Quod enim Joannem extollere ſupra juſtum gradum parati erant, id ex maligno & perfido conſilio oriebatur, ne Filio Dei locus eſſet. Perverſum hunc cæleſtis lucis abuſum Chriſtus eleganter laſciviæ comparat: quemadmodum ſi paterfamilias lucernam ſervis noctu accendat ad peragenda quæ mandavit officia, illi autem ejus uſum ad comeſſationes & omne proterviæ genus transferant. Porro ſicuti his verbis Judæos accuſat Chriſtus, ita nos in commune omnes admonet ne piis doctoribus, quos rectæ viæ duces nobis Deus ordinat, ad vagandum huc & illuc abutamur. Et quam utilis ſit admonitin, nmnium temporum experientia nſtendit. Toto vitæ curſu regendos ſuſcipit Deus homines ad ultimam uſque metam. Prophetas ſuos mittit rectores. Ea eſt hominum intemperies ut proterve ſaltare ſine progreſſu, quam ambulandn progredi malint: ea inconſtantia & levitas, ut perpetua directione ſpreta & rejecta rapiantur ad ſubitos ſuos affectus. Ideo dicit *ad tempus*, vel Ad horam: qua voce eorum ſtultitiam perſtringit, quod putarint fluxa & evanida protervia æternam Dei lucem poſſe extingui. Ita hodie Papiſtæ, quotquot Deus pios doctores Eccleſiæ ſuæ tanquam accenſa lumina dedit, in contrarium uſum trahunt, quaſi illis propoſitum ſit oculos lucis aſpectu ſibi perſtringere. Nec modo lucernis abutuntur ad ſuffocandam Dei lucem, ſed etiam in tenebris ſæpe exultant: ut quum adverſus puram Euangelii doctrinam inſulſis rabularum ſuorum commentis ſuperbiunt. Cæterum quod hic Chriſtus de Joanne
prædicat, Paulus omnium fidelium commune facit, quia ſermonem vitæ habentes, tanquam lu- Philip. 2. verſ. 15.
minaria fulgere debeant in mundo. proprie tamen in Apoſtolos & Euangelii miniſtros competere docet Chriſtus, quod facem reliquis præferunt. Nam quum omnes in tenebris cæci verſemur, Deus verbi ſui luce nobis affulget. Sed hic peculiariter Joannem ornat hoc elogio, per cujus miniſterium Deus Eccleſiæ ſuæ multo luculentius affulſit.

36. *Habeo majus teſtimonium.*] Poſtquam in perſona Joannis prave à Judæis corruptum fuiſſe Dei donum oſtendit, jam ſecundo repetit quod dixerat, ſibi non opus eſſe hominis teſtimonio, quaſi oon ſufficiat ipſe ſibi. Quanquam eo quod deſpectui ſe eſſe videbat, eos more ſuo revocat ad Patrem. *Opera enim quæ dedit.* Duo in medium profert quibus approbatus eſt Filius Dei. Pater, inquit, miraculis Filium ſuum eſſe teſtatur: & priuſquam in mundum venirem, mihi in Scripturis ſanctis locuples teſtimonium reddidit. Meminerimus ſemper quorſum tendat. Vult ſe promiſſum à Deo Meſſiam agnoſci, ut audiatur. Talem ergn ſe nunc re ipſa fuiſſe exhibitum contendit qualem Scriptura prædicat. Quæritur an ad id probandum quantum ſatis eſt valeant miracula, quum ſimilia prius edita fuiſſent à Prophetis. Reſpondeo, quæ per manum Prophetarum Deus ſigna edidit, non ultra ſuum finem cui deſtinata erant protendiſſe, ut ſcilicet Dei miniſtros eſſe nſtenderent, qui auctoritatem aliter obtinere non poterant: ſed Deus Filium ſuum altius extollere vnluit. Atque hoc Dei conſilium pro ſcopo in miraculis habendum eſt. Ergo niſi malitia occupati ſponte oculos clauſiſſent, Chriſtus ſignorum virtute quis & qualis eſſet conſpicuum facere poterat.

37. Et qui miſit me Pater, ipſe teſtatus eſt de me: neque vocem ejus audiſtis unquam, nec ſpeciem ejus vidiſtis.

38. Et ſermonem ejus non habetis in vobis manentem: quia quem miſit ille, huic vos non creditis.

39. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in illis vitam æternam habere: & illæ ſunt quæ teſtantur de me.

40.. Et non vultis venire ad me ut vitam habeatis.

37. *Et qui miſit me.*] Perperam hoc ad vocem in Baptiſmo ejus auditam reſtringitur. Pattem enim teſtatum in præterito tempore fuiſſe dicit, ut ſignificet non ignotum ſe prodire, quia pridem in Lege & Propbetis illum Deus inſignierat, ut notas ſuas ſecum afferret unde poſſet agnoſci. Deum ergo teſtatum de Filio ſuo eſſe interpretor quoties olim veteri populo ſalutis ſpem fecit, vel plenam regni Iſraël inſtaurationem pollicitus eſt. Ita Judæos decebat conceptam habere ex Scripturis Chtiſti ideam, antequam in carne manifeſtaretur. Quod præſentem contemnunt adeoque rejiciunt, en planum faciunt nullum ſe habere Legis guſtum: quod etiam illis Chriſtus exprobrat. Legis ſcientia perinde gloriabantur acſi in Dei ſinu educati eſſent. *Neque vocem ejus audiſtis.* Chriſtus poſtquam ſe non recipi conqueſtus eſt, acrius invehitur in eorum cæcitatem. Quod *vocem* Dei eos nunquam audiſſe, & *ſpeciem* nunquam vidiſſe dicit, metaphoricæ ſunt loquutiones, quibus in ſumma docere vult, alieuos eſſe prorſus à Dei notitia. Nam ſicuti vultu & ſermone homines ſe patefaciunt, ita Deus vocem ad nos ſuam Prophetarum voce emittit, & in Sacramentis quaſi viſibilem formam induit, unde cognoſci pro modulo noſtro queat. Verum qui Deum in viva ſua effigie non agnoſcit, ſatis hoc ipſo prodit, nullum ſe
2 Cor. 3. numen colere niſi quod ipſe fabricavit. Ideo Paulus
verſ. 14. oppoſitum oculis ipſorum velum dicit, ne cernant Dei gloriam in facie Chriſti.

38. *Et ſermonem ejus.*] Hic verus eſt profectus, dum radices agit in nobis ſermo Dei, ut cordibus noſtris infixus certam illic ſedem habeat. Cæleſti doctrinæ locum apud Judæos negat eſſe Chtiſtus, quia Dei Filium, quem illa ubique commendat, non recipiunt. & merito hoc illis objicit: neque enim fruſtra per Moſen & Prophetas loquutus eſt Deus. Atqui non aliud habuit conſilii Moſes niſi ut ad Chriſtum recta omnes vocaret. unde conſtat non eſſe ejus diſcipulos qui Chriſtum repudiant. Deinde quomodo ſermonem vitæ habebit in ſe manentem qui vitam ipſam repellit? quomodo tenebit Legis doctrinam qui Legis animam quantum in ſe eſt extinguit? nam Lex ſine Chriſto inanis eſt, nec quicquam habet ſolidi. Quo igitur propius quiſque novit Chriſtum, tantundem profecit in Dei ſermone.

39. *Scrutamini Scripturas.*] Quod prius dixerat Chriſtus ſe Patrem habere teſtem in cælo, ad Moſen & Prophetas referri diximus. nunc ſequitur clarior explicatio: teſtimonium enim illud in Scripturis extare dicit. Iterum vero ſtultam eorum jactantiam perſtringit, qnod vitam ſe habere in Scripturis profitebantur, quum mortuam tantum literam arriperent. Neque enim ſimpliciter reprehendit quod vita quæratur in Scripturis (quando nobis in eum finem & uſum deſtinatæ ſunt). ſed quod Judæi vivificam ſibi eſſe Scripturam putarent, quum alieni eſſent à genuino ejus ſenſu: imo quum lucem vitæ quæ illic continetur, ſuffocarent. Quomodo enim ſine Chriſto vitam Lex conferet, qui ſolus eam vivificat? Cæterum docemur hoc loco, ex Scripturis petendam eſſe Chriſti notitiam: nam qui de Chtiſto imaginantur quod ipſis libuit, tandem nonniſi umbratile ſpectrum ejus loco habebunt. Primo igitur tenendum eſt non aliunde quam ex Scripturis Chriſtum rite cognoſci. Quod ſi ita eſt, ſequitur, hoc animo legendas eſſe Scripturas ut illic inveniamus Chriſtum. Quiſquis ab hoc ſcopo deflectet, utcunque diſcendo ſe fatiget tota vita, nunquam ad ſcientiam veritatis perveniet. Quid enim ſapere abſque Dei ſapientia poſſumus? Porro quemadmodum jubemur Chriſtum in Scripturis quærere, ita hoc loco pronunciat non irritum fore noſtrum ſtudium. ſic enim illic de Filio ſuo teſtatur Pater ut eum nobis indubie patefaciat. Sed hoc bonam partem impedit, quod neglectim & quaſi in tranſcurſu tantum ſuperficiem inſpiciunt. Atqui ſumma attentione opus erat. ideo penitus abſconditum hunc theſaurum ſcrutari Chriſtus jubet. Quare qnod Judæi, qui aſſidue Legem in manibus habent, ſic abhorrent à Chriſto, eorum ſocordiæ imputandum eſt. Conſpicuus enim gloriæ Dei ſplendor refulget in Moſe: ſed ipſi velum appetunt quod ſplendorem obſcuret. *Scriptura* vero Vetus Teſtamentum intelligi ſatis notum eſt. neque enim in Euangelio primum manifeſtari cœpit Chriſtus: ſed qui à Lege & Prophetis teſtimonium babebat, palam ſe in Euangelio exhibuit.

40. *Et non vultis.*] Iterum exprobrat nihil illis præter malitiam obſtare quominus vitam in Scripturis oblatam percipiant. nam quum eos nolle dicit, ignorantiæ & cæcitatis cauſam pravitati & contumaciæ aſſignat. Et certe quum tam benigne ſe illis offerret, ſponte eos cæcutire oportuit. quum vero lucem data opera fugerent, imo quum infidelitatis ſuæ tenebris ſolem obruere cuperent, merito acrius eos objurgat Chriſtus.

41. Gloriam ab hominibus non accipio.

42. Sed novi vos quod dilectionem Dei non habetis in vobis.

43. Ego veni in nomine Patris mei, & non ſuſcipitis me: ſi alius veniat in nomine ſuo, illum ſuſcipietis.

44. Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam mutuo à vobis accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt non quæritis?

45. Ne putetis quod ego accuſaturus ſim vos apud Patrem: eſt qui vos accuſet, Moſes in quem vos ſperatis.

46. Si enim crederetis Moſi, crederetis etiam mihi: nam ille de me ſcripſit.

47. Si vero illius ſcriptis non creditis, quomodo meis verbis credetis?

41. *Gloriam ab hominibus.*] Pergit in objurgatione: ſed ne ſuſpectus ſit, quaſi propriam cauſam agat, occupando præfatur ſe nihil morari hominum gloriam, nec ſua referre, vel ſibi dolere quod contemni ſe videat. Et certe major eſt quam ut pendeat ab hominum judiciis, quando nihil detrahere illi poteſt totius mundi malignitas, ac ne pilum quidem ex ejus amplitudine minuere. Sic antem inſiſtit in refellenda calumnia ut ſupra homines ſe eatollat. poſtea libere in ipſos invehitur, Deique contemptum & odium illis objicit. Tametſi autem multum à Chriſto honoris gradu diſtamus, ſiniſtra tamen hominum judicia ſecure nos contemnere oportet. Certe ſummopere cavendum ne ad iracundiam

nos provocet contemptus noſtri: quin potius hac tantum de cauſa iraſci diſcamus ſi ſuus Deo non habetur honor. Hæc ſancta zelotypia nos urat & excruciet, quoties mundum videmus ita ingratum eſſe ut Deum rejiciat.

42. *Quod dilect. Dei non hab.*] Dilectio Dei pro toto pietatis ſenſu hic capitur. amare enim Deum nemo poteſt quin eum ſuſpiciat, ſeque totum illi ſubmittat: quemadmodum viciſſim ubi non regnat amor Dei, nullum poteſt eſſe obſequendi ſtudium. Qua ratione hanc Legis ἀνακεφαλαίωσιν potuit Moſes, ut diligamus Deum noſtrum ex toto corde, &c.

43. *Ego veni.*] Quod Deum non ament nec revereantur Judæi probat Chriſtus hoc argumento quia pſeudoprophetas cupide recepturi ſint quum ſubjicere ſe Deo recuſent. Sumit enim pro confeſſo, hoc pravi & impii animi ſignum eſſe, quum poſthabita veritate libenter mendaciis homines ſubſcribunt. Si quis objiciat errore hoc plerumque magis quam malitia fieri, in promptu eſt reſponſio, neminem Satanæ impoſturis eſſe obnoxium, niſi quatenus perverſa quadam cupiditate mendacium veritati præfert. Qui fit enim ut ſurdis loquatur Deus, promptos & alacres inveniat Satan, niſi quia à juſtitia averſi, iniquitatem ultro appetimus? Quanquam notandum eſt, Chriſtum proprie de his loqui quibus peculiariter illuxit Deus: ſicuti Judæos hoc privilegio dignatus erat, ut edocti ejus Lege, rectam ſalutis viam tenerent. Tales certum eſt aurem minime præbere falſis doctoribus, niſi quia falli optant.
Deut. 13. verſ. 3. Ideo dicit Moſes Deut. cap. 13. quum ſurgunt pſeudoprophetæ, hoc modo probari & examinari populum an Deum ſuum diligat. Videtur quidem in multis innoxia eſſe ſimplicitas: ſed minime dubium eſt quin illis oculos perſtringat hypocriſis quæ intus in eorum animis latet. Certum enim eſt Deum januam nunquam claudere pulſantibus, nunquam eos fruſtrari à quibus ſincere quæritur. Vere itaque
2 Theſ. 2. verſ. 10. Paulus hoc Dei vindictæ adſcribit, dum efficacia illuſionis datur Satanæ, ut credant mendacio qui rejecta veritate approbarunt injuſtitiam: & eos perire dicit qui dilectionem veritatis non receperunt ut ſalvi fierent. Ita hodie multorum hypocriſis detegitur, qui Papæ fraudibus ac impiis ſuperſtitionibus addicti, virulento furore in Euangelium exardent. Nam ſi compoſitos ad Dei timorem animos haberent, timor ille obedientiam ſimul gigneret. *In nomine Patris.* Hoc quidem titulo pſeudoprophetæ ſe venditant, ut hodie plenis buccis jactat Papa ſe Chriſti vicarium: imo non niſi hoc prætextu miſeros homines ab initio decepit Satan. ſed Chriſtus hic rem ipſam, non fucum deſignat. Nam ſe ideo Patris nomine veniſſe teſtatur, quia & à Patre miſſus ſit, & fideliter quod mandatum eſt peragat. Porro hac nota legitimos Eccleſiæ doctores à fucatis & adulterinis diſcernit. Quicunque igitur ſeipſos efferunt, ac proprium ſibi in animas magiſterium arrogant, intrepide rejiciendos eſſe docet hic locus. nihil enim ſeparatum à Deo habere debet qui ejus ſervus cenſeri cupit. Nunc ſi de tota Papæ doctrina fiat examen, cæci quoque ipſi videbunt proprio nomine eum veniſſe.

44. *Quomodo vos poteſtis.*] Quia durum videri poterat, eos qui Legis & Prophetarum domeſtici à pueritia diſcipuli fuerunt, tam craſſæ inſcitiæ damnari, & ſtatui veritatis hoſtes: imo res videri poterat incredibilis: admonet Chriſtus quid eos impediat quominus credant: nempe quod illis ſanam mentem ambitio adimeret. Proprie enim Sacerdotes & Scribas alloquitur, qui ſuperbia turgidi ſubjicere ſe Deo non poterant. Eſt tamen hic inſignis locus, qui docet omnibus præcluſam eſſe fidei januam quorum animos inanis terrenæ gloriæ cupiditas occupat. Neceſſe enim eſt, qui vult aliquis eſſe in mundo, vagum reddi & evanidum, ita ut ad Deum minime tendat. Tunc demum ad cæleſtis doctrinæ obedientiam ſe homo colligit, quum hoc ſibi præcipue tota vita quærendum ſentit ut ſe Deo approbet. Sed videtur perverſa confidentia, qua ſe hypocritæ coram Deo extollunt, majus eſſe obſtaculum quam ſit mundana ambitio: atqui ſcimus illo etiam morbo maxime laboraſſe Scribas. Reſponſio facilis eſt: falſam enim ſanctimoniæ larvam qua rude vulgus fallebant, detrahere illis Chriſtus voluit. Craſſius itaque vitium quaſi digito monſtrat, unde palam fiat omnibus eos nihil minus eſſe quam quod haberi volebant. Deinde quamvis adverſus Deum exultet hypocriſis, ſemper tamen in mundo & coram hominibus ambitioſa eſt. Imo hæc ſola eſt vanitas quæ nos inflat, prava confidentia, dum noſtro & aliorum potius quam Dei judicio ſtamus. Nam qui Deum vere judicem ſibi proponit, neceſſe eſt ut fractus & proſtratus concidat. Ergo ut quis gloriam à ſolo Deo quærat, neceſſe eſt pudore ſui confuſum, ad gratuitam illius miſericordiam confugere. Et certe qui Deum reſpiciunt, damnatos ſe ac perditos vident, nec quicquam ſibi eſſe reliquum in quo glorientur præter Chriſti gratiam. talis gloriæ ſtudium ſemper cum humilitate conjunctum erit. Quantum vero ad præſentem locum ſpectat, non aliter ad capiendam Euangelii doctrinam comparatos eſſe homines ſignificat Chriſtus quam ubi ſenſus omnes ſuos à mundo abſtractos in ſolum Deum convertunt, ac ſerio reputant ſibi cum illo eſſe negotium, ut deliciarum quibus ſibi illudere ſolent, obliti, in conſcientias ſuas deſcendant. Quare nihil mirum ſi tam paucos hodie dociles Euangelium inveniat, quum omnes ſurſum deorſum ferat ambitio. nihil etiam mirum ſi ab Euangelii profeſſione multi deficiant: ſua enim vanitate abrepti evolant. Quo majore ſtudio unum hoc quærere nos decet, ut coram mundo contempti & abjecti, in nobis etiam confuſi cenſeamur inter Dei filios.

45. *Ne putetis.*] Erga obſtinatos & præfractos ubi doctrina & amicis monitionibus nihil proficitur, hæc ratio tenenda eſt, ut ſcilicet ad Dei tribunal citentur. Pauci quidem ſunt qui aperte Deum rideant: ſed quamplurimi Deum, cui hoſtiliter ipſi ſunt adverſi, propitium ſibi fingendo, inanibus blanditiis ſecure ludunt. Ita hodie gigantes noſtri, qui totam Chriſti doctrinam impie conculcant, perinde tamen ſuperbiunt acſi ex intimis eſſent Dei amicis. quis enim Papiſtis alibi quam apud eos Chriſtianiſmum eſſe perſuadeat? Tales erant Scribæ quibuſcum hic diſputat Chriſtus. quum ſummi eſſent Legis contemptores, Moſen tamen magnifice jactabant, ut non dubitarent eum inſtar clypei Chriſto opponere. Si gravem ſe illis & intolerabilem adverſarium fore minatus eſſet, ſciebat hoc totum contemptum iri: ergo paratam illis à Moſe accuſationem denunciat. Falluntur autem qui putant hic inter Moſis & Chriſti officium notari diſcrimen, quia Legis proprium ſit reos peragere infideles. Neque enim eo reſpexit Chriſtus, ſed tantum ut fiduciam excuteret hypocritis, qui Moſis reverentia falſo gloriabantur. Quemadmodum ſiquis Papiſtis hodie regerat, nullos fore illis magis infeſtos hoſtes ſanctis Eccleſiæ doctoribus, quorum titulum improbe mentiuntur. Porro hinc diſcamus non eſſe fruſtra Scripturis gloriandum: quia niſi vera fidei obedientia colimus Dei Filium, extremo die accuſatores in nos ſurgent quos illi teſtes Deus excitavit. Quum dicit eos *ſperare in Moſen*, non inſimulat eos ſuperſtitionis, quaſi ſalutis ſuæ cauſam Moſi adſcriberent: ſed eos intelligit perperam niti Moſis præſidio, quaſi eum impiæ contumaciæ patronum habituri eſſent.

46. *Si enim crederetis.*] Oſtendit cur Moſes futurus ſit eorum accuſator, quia ſcilicet ejus doctri-

nam

nam reſpuunt. Scimus autem non poſſe Dei ſervis majorem fieri injuriam quam dum contemnitur eorum doctrina, vel probro afficitur. Deinde quos Dominus verbi ſui miniſtros conſtituit, ejus quoque vindices eſſe oportet. Ergo duplicem omnibus ſuis Prophetis impoſuit perſonam: ut piis magiſtri eſſent ac doctores in ſalutem, reprobos olim ſuo teſtimonio confodiant. Quod dicit Chriſtus Moſen de ſe ſcripſiſſe, longa probatione non indiget apud eos qui Chriſtum agnoſcunt eſſe finem Legis & animam. Verum ſiquis eo non contentus locos ſibi oſtendi deſideret, primum conſulo ut diligenter legat Epiſtolam ad Hebræos, cui Stephani quoque concio reſpondet, Actorum cap. 7. deinde ut obſervet quæ Paulus ad ſuum inſtitutum teſtimonia accommodat. Paucos certe locos eſſe fateor quibus Moſes palam Chriſtum prædicet: ſed quorſum tabernaculum, ſacrificia & ceremoniæ omnes, niſi ut figuræ eſſent ad primum illud exemplar formatæ quod in monte illi oſtenſum fuerat? Ergo evaneſcit totum Moſis miniſterium. Deinde videmus ut populum ad fœdus Patrum aſſidue revocet, quod in Chriſto ſancitum erat: adeoque ut Chriſtum conſtituat præcipuum caput & fundamentum fœderis. Neque hoc ſanctis Patribus ignotum fuit, qui ſemper in Mediatorem fuerunt intenti. Longior tractatio brevitati, cui ſtudeo, non congrueret.

47. *Si enim illius ſcriptis.*] Videtur hic Chriſtus minus ſibi fidei quam Moſi aſtruere: atqui ſcimus voce Euangelii concuſſum eſſe cælum & terram. Verum Chriſtus ſermonem ſuum ad eos attemperat quibuſcum loquitur. Nam Judæis citra controverſiam ſancta erat Legis auctoritas. ita fieri non poterat quin Chriſtus Moſe eſſet inferior. Huc pertinet antitheſis *ſcriptorum* & *verborum*: nam eorum infidelitatem inde exaggerat quod Dei veritas quaſi in tabulis conſignata, fidem tamen apud eos non obtineat.

CAP. VI.

POſtea abiit Jeſus trans mare Galilææ, quod vocatur Tiberiadis.
2. Et ſequuta eſt eum turba multa, quia viderat ſigna ejus quæ ediderat ſuper infirmos.
3. Aſcendit vero Jeſus in montem, & illic ſedebat cum diſcipulis ſuis.
4. Erat autem propinquum Paſcha, dies feſtus Judæorum.
5. Sublatis ergo Jeſus oculis, & intuitus quod turba multa veniret ad eum, dicit Philippo, Unde ememus panes ut iſti comedant?
6. (Porro hoc dicebat tentans eum: ipſe enim noverat quid facturus eſſet.)
7. Reſpondet ei Philippus, Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt illis, ut quiſque eorum pauxillum accipiat.
8. Dicit illi unus ex diſcipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri:
9. Eſt hic puellus unus qui habet quinque panes hordeaceos & duos piſciculos: ſed hæc quid ſunt inter tam multos?
10. Dixit autem Jeſus, Facite homines diſcumbere. Erat autem herba multa in eo loco. Diſcubuerunt ergo homines, numero circiter quinque millia.
11. Sumpſit autem panes Jeſus, & gratiis actis diſtribuit diſcipulis: diſcipuli vero diſcumbentibus. Similiter & ex piſciculis quantum volebant.
12. Poſtquam vero ſatiati ſunt, dixit diſcipulis ſuis, Colligite quæ ſuperſunt fragmenta, ne quid pereat.
13. Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentis quæ ex quinque hordeaceis panibus ſuperfuerant iis qui comederant.

1. *Poſtea abiit Jeſus.*] Quum facta Chriſti ac dicta colligere ſoleat Joannes quæ præterierant alii tres Euangeliſtæ, hoc loco hiſtoriam miraculi ab illis narratam præter morem ſuum repetit: verum hoc facit certo conſilio, ut inde ad Chriſti concionem tranſeat quæ poſtridie habita eſt in Capernaum: quia res erant conjunctæ. Quare hæc narratio, tametſi illi communis eſt cum tribus reliquis, hoc tamen habet peculiare quod in alium finem tendit, ſicut videbimus. Dicunt alii hoc fuiſſe factum paulo poſt mortem Joannis Baptiſtæ: qua temporis circumſtantia cauſam diſceſſus Chriſti notant. Tyranni enim ubi ſemel imbuti ſunt piorum ſanguine, exardent in majorem ſævitiam, non ſecus ac potandi intemperies ſitim ebrioſis acuit. Ergo Chriſtus ſua abſentia Herodis furorem placare voluit. *Mare Galilææ* pro lacu Geneſara accipit. Quum addit *vocatum fuiſſe Tiberiadis*, melius locum exprimit quo ſe contulit Chriſtus: neque enim totus lacus habuit hoc nomen, ſed tantum pars ripæ vicina in qua ſita erat Tiberias.

2. *Sequuta eſt turba.*] Hinc tantus ſequendi Chriſti fervor, quod perſpecta ejus virtute in miraculis, magnum aliquem eſſe Prophetam & à Deo miſſum perſuaſi erant. Cæterum hic omittit Euangeliſta quod alii tres referunt, docendo & ſanandis ægrotis conſumptam fuiſſe diei partem, & quum jam ſol in occaſum vergeret, rogatum fuiſſe à diſcipulis ut dimitteret turbas. Summam enim breviter perſtringere ſatis habuit, ut hac occaſione nos ad reliquum contextum, qui poſtea ſequetur, deduceret. Cæterum hic primo loco perſpicimus quanto audiendi Chriſti ſtudio populus arderet, quod omnes ſui obliti, noctem ſecure in loco deſerto expectant. Quo minus excuſationis habet torpor noſter, vel potius ſocordia, quod cæleſtem Chriſti doctrinam famis curæ adeo non præferimus, ut minima quæque avocamenta ſubinde nos à vitæ æternæ meditatione abducant. imo rariſſime contingit ut Chriſtus nos mundi obſtaculis ſolutos & expeditos inveniat. Adeo nemo eum ſequi uſque ad montem deſertum paratus eſt, ut vix decimus quiſque eum excipere ſuſtineat quum ſe domi offert inter medias commoditates. Quamvis autem in toto fere mundo graſſetur hic morbus, certum tamen eſt neminem regno Dei aptum fore niſi qui excuſſis talibus deliciis, cibum animæ cupidius appetere diſcat quam ut venter illi ſit obſtaculum. Sed quia nos caro ſemper ad ſua commoda ſollicitat, hoc quoque rurſus notandum eſt, eorum curam ſponte à Chriſto ſuſcipi qui ſeipſos negligunt. Neque enim expectat dum famelici inclament ſe inedia perire, nec ſuppetere quicquam cibi: ſed cibum illis non rogatus parat. Dicet aliquis non eſſe iſtud

 perpe-

perpetuum, quod ſæpe videamus pios, dum prorſus regno Dei ſoot addicti, fame tamen confici, & propemodum tabeſcere. Reſpondeo, Chriſtum, etiamſi hoc modo fidem & tolerantiam noſtram probare velit, reſpicere tamen è cælo noſtram inopiam, & de ea ſublevanda, quantum oobis expedit, eſſe ſollicitum: quod autem non ſtatim ſuccurrit, optima ratione, licet occulta, id fieri.

3. *Aſcendit in montem.*] Seceſſum proculdubio quærebat Chriſtus uſque ad feſtum diem Paſchatis: ideo dicitur ſediſſe in monte cum diſcipulis. Atque id quidem conſilii cepit ſecuodum hominem, ſed interea aliud fuit Dei cooſilium, cui libenter obſequutus eſt. Quamvis itaque hominum conſpectum fugeret, ſe tamen velut in celeberrimum theatrum produci Dei manu patitur. Major enim hominum frequentia in deſerto monte fuit quam in populoſa aliqua urbe: major etiam famæ celebritas ex miraculo nata eſt quam ſi ſtetiſſet in medio foro Tiberiadis. Quare hoc exemplo docemur ſic ex rebus natis conſilia capere, ut tamen ſi aliter ſuccedit quam putavimus, nobis non doleat ſuperiorem eſſe Deum, qui omnia moderetur ſuo arbitrio.

5. *Dicit Philippo.*] Quod hic legimus dictum uni Philippo, alii omnibus dictum fuiſſe tradunt. ſed in eo nihil abſurdi. Probabile enim eſt Philippum ex communi omnium ſenſu loquutum eſſe: ideo peculiariter Chriſtus illi reſpondet. Quemadmodum continuo poſt Andream loquentem inducit, ubi alii ſermooem pariter omnibus aſſignant. Tentat diſcipulos in perſona Philippi, an miraculum expectent quale mox viſuri eraot. Quum videt eos de extraordinario remedio nihil concipere, tunc eorum mentes quaſi ſopitas incitat, ut oculos ſaltem ad præſeotem rei conſpectum habeant apertos. Hic autem ſcopus eſt omnium quæ diſcipuli adſerunt, ut à populo retinendo Chriſtum dehortentur. Et forte ſibi in eo privatim conſulunt, ne pars incommodi in eos redondet. Quare neglectis eorum objectionibus pergit Cbriſtus in ſuo inſtituto.

Denarius. 7. *Ducentorum denariorum.*] Quum denarius ex Budæi ſupputatione quatuor Caroleos valeat, & duos turonicos, ſumma hæc ad 35 Francicos vel circiter aſcendit. Hanc ſummam ſi diſtribuas in quinque hominum millia, ſingulæ centuriæ habebunt quatuordecim ſolidos turonicos. Nunc accedant uſque ad numerum millenarium mulieres & pueri, ita reperies Philippum ſingulis capitibus ſeſquituronicum in exiguo pane emendo attribuere. Verum (ut in magna turba fieri ſolet) plures forte eſſe arbitrabatur. Cæterum quum tenues & minime pecunioſi forent diſcipuli, ſummæ magnitudine Chriſtum terrere voluit Andreas: acſi diceret non ſuppetere opes quæ ad paſcendum populum ſufficerent.

10. *Facite homines diſcumbere.*] Quod non citius ad ſpem quam dabat Magiſter erecti fuerunt diſcipuli, nec illis in mentem venit ejus potentiæ tribuere, quantum decebat, tametſi reprehenſione dignus fuit ſtupor, non parvam laudem meretur prompta eorum obedientia, quod ejus mandato nunc parent, quid conſilii habeat ipſe, & quo profectu facturi ſint quod faciunt, neſcientes. Eadem populo obſequendi facilitas: nam de fine incerti omnes, uno tantum verbo juſſi diſcumbunt. Atque hæc vera fidei probatio, quum Deus homines quaſi io tenebris ambulare jubet. Id ut fiat, diſcamus nobis non ſapere, ſed in rebus confuſis nihilominus ſperare proſperum eventum, quum Deum ſequimur ducem, qui ſuos nunquam fruſtratur.

11. *Gratiis actis.*] Non ſemel nos monuit exemplo ſuo Chriſtus, quoties cibum attingimus, à precibus auſpicandum eſſe. nam quæcunque in uſum noſtrum deſtinavit Deus, tanquam immenſæ ejus bonitatis & paterni in nos amoris ſymbola, ad eum celebrandum nos invitant. Et gratiarum actio (ſicut Paulus docet) ſolennis quædam ſanctificatio eſt, ut *1 Tim. 4. verſ. 4.* eorum uſus nobis purus eſſe incipiat. Unde ſequitur ſacrilegos eſſe donorum Dei profanatores, qui ea neglecto Deo ingurgitant. Atque eo magis notanda eſt hæc admonitio, quod videmus hodie bonam mundi partem ſe belluino more ſaginare. Quod *panem* diſcipulis datum voluit inter eorum manus creſcere, hinc docemur quum alii aliis mutuo ſervimus, Deum benedicere labori noſtro. Nunc totius miraculi ſummam colligamus. 1. Hoc autem habet cum aliis com- *Summa totius miraculi.* mune quod in eo divinam ſuam virtutem Chriſtus cum beneficentia conjunctam exeruit. 2. Eſt etiam nobis ejus ſententiæ confirmatio qua nos exhortatur ad quærendum Dei regnum, reliqua omnia nobis adjectum iri promittens. Nam ſi eorum curam ſuſcepit qui ſubito tantum impetu ad eum delati fuerant, quomodo nobis deeſſet ſi eum conſtanti animi propoſito quæramus? Sinet quidem interdum (ut prius dixi) ſuos eſurire: nunquam tamen eos ſuo ſubſidio deſtituet. interim optimas cauſas habet cur nobis non opituletur niſi in rebus extremis. 3. Adde quod Chriſtus palam fecit ſe non ſpiritualem tantum vitam mundo conferre, ſed alendis etiam corporibus à Patre eſſe præfectum. Bonorum enim omniom affluentia illi in manum data eſt, ut tanquam canalis eam in nos effundat. quanquam improprie canalem voco, quum potius fons vivus ſit ex æterno Patre ſcaturiens. Ideo Paulus quicquid eſt bonorum, commu- *1 Cor. 1. verſ. 3.* niter à Patre, & ipſo nobis precatur. Et alibi, in *Epheſ. 5. verſ. 20.* omnibus per eum gratias Deo Patri agendas docet. Nec modo æternæ ejus divinitatis proprium eſt hoc munus, ſed Pater etiam in carne œconomum nobis eum cooſtituit, per cujus manum nos paſcat. 4. Quamvis autem non cernamus quotidie oculis miracula, non minus tamen liberaliter vim ſuam Chriſtus in nobis paſcendis explicat. Et certe noo legimus eum, quoties ſuis cœnam date voluit, novis mediis uſum eſſe. Quare præpoſterum votum fuerit ſi quis inuſitato aliquo modo cibum & potum ſibi deferri flagitet. 5. Adde quod non magnas populo lautitias paravit Chriſtus, ſed pane hordeaceo & aridis piſcibus contentos eſſe oportuit qui mirificam ejus virtutem palam in cœna illa cernebant. 6. Jam vero etiamſi quinque hominum millia non ſaturet hodie quinque panibus, totum tamen mundum mirabiliter paſcere non deſinit. Eſt quidem hoc nobis paradoxon, Non vivere hominem ſolo pane, ſed ſer- *Deut. 8. verſ. 3.* mone qui egreditur ex ore Dei: ſumus enim externis mediis adeo affixi ut nihil ſit difficilius quam à Dei providentia pendere. hinc tanta trepidatio ſimulac non ſuppetit panis ad manum. Verum ſi quis omoia rite expendat, Dei benedictionem in omnibus alimentis cernere cogetur: ſed uſu & aſſiduitate nobis vileſcunt naturæ miracula. Nec vero hac in parte tam ſtupor nobis obſtat quam malignitas. quotus enim quiſque eſt qui non vago mentis errore cælum & terram centies circuire malit, quam Deum ſe offerentem aſpicere?

13. *Impl. duodecim cophinos.*] Quum ſeptem panibus ſatiata fuiſſent quatuor hominum millia, Matthæus totidem quot fuerant panes ſportas ſuper- *Mat. 15. verſ. 37.* fuiſſe ſcribit. quum ergo majori hominum numero minor copia æque ſufficit, & fere duplo amplius manet reſiduum, hinc melius perſpicimus quantum valeat illa Dei benedictio, ad cujus intuitum ſponte claudimus oculos. 7. Eſt etiam hoc obiter notandum, quanquam Chriſtus ad illuſtrandum miraculum impleri cophinos jubet, ſimul tamen ad frugalitatem ſuos hortari, quum dicit, *Colligite ne quid pereat.*] neque enim major Dei largitas luxuriæ irritamentum eſſe debet. Ergo qui abundant, ſe olim rationem reddituros eſſe meminerint immodicæ copiæ, niſi ſedulo & fideliter in bonos & Deo probatos uſus reponant quod illis affluit.

14. Homi-

14. Homines ergo illi quum ſignum vidiſſent quod fecerat Jeſus, dicebant, Hic eſt vere Propheta qui venturus eſt in mundum.

15. Jeſus itaque quum noviſſet quod venturi eſſent, & eum rapturi ut facerent Regem, diſceſſit rurſus in montem ipſe ſolus.

16. Quum autem veſper eſſet, deſcenderunt diſcipuli ejus ad mare.

17. Et conſcenſa navi venerunt trans mare in Capernaum. & jam tenebræ erant, & non venerat ad eos Jeſus.

18. Et mare vento magno flante intumeſcebat.

19. Quum ergo progreſſi eſſent ſtadia viginti quinque vel triginta, vident Jeſum ambulantem ſuper mare: & quum appropinquaſſet navi, territi ſunt.

20. Ille autem dicit eis, Ego ſum, ne terreamini.

21. Volebant ergo eum accipere in navem: & continuo navis appulit ad terram ad quam ibant.

14. *Homines ergo.*] Videtur hic aliquis eſſe miraculi profectus quod auctorem fatentur Meſſiam eſſe: neque enim alio ſpectabat Chriſtus. ſed quod habent de Chriſto notitiæ conceptum, mox in alienum finem perperam convertunt. Atque hoc pluſquam vulgare hominibus vitium eſt, ſimulac illis ſe Deus patefecit, corrumpere ſois mendaciis, ac pervertere ejus veritatem: imn quum rectam viam iogreſſi videotur, mox à ſeipſis degenerant.

15. *Ut facerent Regem.*] Quod Regis titulum & honnrem Chriſto deferre in animo habebant iſti homines, id ex ratione aliqua oriebatur: io eo vero multum errabant quod ſibi licentiam ſumebant creandi Regis: nam Scriptura hoc uni Deo vendicat, quemadmodum Pſalmo 2. babetur, Ego conſtitui Regem meum, &c. Deinde quale illi regnum affingunt? Terrenum ſcilicet, quod prorſus alienum eſt ab ejus perſona. Hinc diſcamus quam periculoſum ſit in rebus divinis relicto Dei verbo quicquam ex ſenſu noſtro comminiſci. nihil enim eſt quod noo adulteret præpoſterum mentis noſtræ acumen. Et quid juvat zeli prætextus, quum præpoſtero noſtro cultu magis ſumus in Deum contumelioſi quam ſi conſulto & data opera quiſpiam ejus gloriam impugnet? Scimus quam furioſi ad extinguendam Chriſti gloriam fuerint hoſtium conatus. Illa certe extrema vis fuit quum in crucem actus eſt. atqui hoc modo & ſalus mundn parta eſt, & de morte ac Satana Chriſtus ipſe magnificum triumphum egit. Si nunc Regem ſe creari paſſus eſſet, actum erat de ſpirituali ejus regno, Euangelium æterna infamia notatum eſſet, ſpes ſalutis prorſus deleta. Hoc tandem proficiunt fictitii cultus & honores temere ah hominibus excogitati, ut Deum vero ſuo honore ſpoliatum, dedecore tantum onerent. Notandum etiam eſt *rapiendi* verbum. Volebant Chriſtum rapere, inquit Euangeliſta, boc eſt, violento impetu Regem, quamvis invitum, facere volebant. Quare ſi probari illi cupimus quem deferimus honorem, ſemper quid poſtulet ſpectandum eſt. Et certe qui honores à ſe inventos Deo obtrudunt, quodammodo vim illi & manum afferunt, quum recti cultus fuodamentum ſit obedientia. Hinc præterea diſcimus quam reverenter in purn & ſimplici Dei verbo manendum ſit: quia ſimulatque paululum deflectimus, ſermentis noſtris inficitur veritas, ut jam deſinat eſſe ſui ſimilis. Habebant ex verbo Dei, Regem fore qui promiſſus erat Redemptor: ſed ex ſuo capite regnum terrenum comminiſcuntur, & præter Dei verhum regnum illi deferunt. Ita quoties verbo Dei opiniones noſtras miſcemus, fides in frivolas conjecturas degenerat. Ergo ad modeſtiam ſe aſſuefaciant fideles, ne eos in perverſum zeli ardnrem abripiat Satan, ut gigantum inſtar violenti in Deum irruant: qui tunc demum rire colitur quum illum amplectimur ſe nobis nfferentem. Mirum autem eſt, in quinque bnminum millibus tam præcipitem fuiſſe audaciam, ut in creando novo Rege arma Pilati & Imperii Romani potentiam in ſe provocare non dubitarint. Et certum eſt, nunquam eo fuiſſe progreſſuros, niſi Prophetarum oraculis freti Deum à partibus ſuis ſtaturum, ſeque ita ſuperiores fore ſperaſſent. Sed interea errabant, regnum fingendo quod nuſquam Prophetæ commeodaverant. Tantum ergo abeſt ut ad conatus ſuos juvandos præſentem habeant Dei manum, ut ſe Chriſtus potius ſubducat. Eadem ratio fuit cur tamdiu ſuh Papatu miſeri homines in denſis tenebris quaſi Deo ahſente vagati ſiot, quia ejus cultum ſuis commentis totum polluere auſi fuerant.

16. *Deſcenderunt ejus diſcipuli.*] Non dubium eſt quin tamdiu latere voluerit Chriſtus dum turba difflueret. Scimus quam difficile ſit ſedare popularem motum. atqui ſi palam fuiſſet tentatum quod animis conceperant, ſparſus mox fuiſſet rumor: poſtea vero noo ita facile fuiſſet inuſtam ſemel maculam eluere. Tntum ioterea illud tempus precibus impendit, quemadmodum alii Euangeliſtæ referunt: forte ut Deus Pater illam populi intemperiem corrigeret. Quod miraculo trajicit lacum, diſcipulis hoc prodeſt ad confirmandam rurſus eorum fidem. Loogius etiam fructus manat: quia poſtridie colligere promptum fuit toti populo, illum ſua virtute, nnn oavigio advectum. Ripam enim obſidebant ex qua eum ſolvere oportebat: & vix inde fuiſſent abſtracti niſi vidiſſent diſcipulos alio tranſire.

17. *Tenebræ jam erant.*] Joannes multas circumſtantias preterit, quas alii ponunt: qualis iſta eſt, quod per aliquot horas cum adverſo vento luctati ſunt. Nam probahile eſt poſt primas noctis tenehras ortam fuiſſe tempeſtatem. dicunt autem quarta demum vigilia Chriſtum apparuiſſe diſcipulis. Qui in dimidio lacus ſpatio adhuc eos fuiſſe conjiciuot quum illis apparuit Chriſtus (quia Joannes dicit tunc vigioti quinque aut triginta ſtadia fuiſſe progreſſos) in eo falluntur qood putant eos navigaſſe in ulteriorem vel adverſam ripam. Nam Bethſaida, prope quam editum fuiſſe miraculum Lucas teſtatur, & Capernaum, quó navis appulit, ſitæ ſunt in eodem tractu. Plinius lib. 5. ſex milliaribus lacum bunc latum eſſe tradit, longum autem ſedecim. Joſeph. lib. 3. belli Judaici centum illi ſtadia in longitudinem, quadraginta in latitudinem aſſignat. Porro quum octo ſtadia milliare unum efficiant, hinc colligere promptum eſt quantum alter ab altero diſcrepet. Quantum ad præſentem navigationem pertinet, taotum ſpatii nnn recto curſu, ſed jactatione confectum fuiſſe divino. Utcunque res habeat, voluit docere Euangeliſta in ſummo periculo fuiſſe verſatos quum ſe Chriſtus oſtendit. Poſſet autem videri abſurdum quod ſic vexantur diſcipuli Chriſti, quum aliis tranquilla ſit navigatio. Sed

ita

ita ſæpe Dominus ſuos exercet gravibus periculis, ut eum in liberatione melius & familiarius agnoſcant.

19. *Territi ſunt.*] Timoris cauſam exprimunt reliqui Euangeliſtæ, quod ſpectrum eſſe putarent. Fieri autem non poteſt quin conſternatio & metus nos invadat quum oculis objicitur ſpectrum aliquod: quia vel Satanam nobis illudere putamus, vel Deum aliquid portendere. Cæterum hic tanquam in ſpeculo nobis proponit Joannes qualis concipi à nobis poſſit Chriſti notitia abſque verbo, & quid afferat. Nam ſi nudum ſuæ Divinitatis ſpecimen exhibeat, ſtatim ad figmenta noſtra delabimur, ac ſibi quiſque idolum Chriſti loco fabricat: poſt mentis errores ſequitur poſtea trepidatio & confuſus animi pavor. ſed ubi loqui incipit, ex ejus voce tum liquidam percipimus ſolidamque notitiam, tum gaudium mentibus noſtris & læta pax affulget. Multum enim his verbis ſubeſt pondus, *Ego ſum, ne terreamini.* nam hic docemur, in ſola Chriſti præſentia nos ſatis amplam habere fiduciæ materiam, ut tranquilli ſimus & ſecuri. Sed hoc nonniſi ad Chriſti diſcipulos pertinet: poſtea enim videbimus impios eadem voce *inf.* 18.6.
fuiſſe proſtratos. Diſcriminis cauſa eſt quod reprobis & incredulis judex eſt miſſus in exitium: quare ejus conſpectum ſuſtinere nequeunt quin ſtatim abſorbeantur. Pii autem, qui ſibi agnoſcunt propitiatorem eſſe datum, audito ejus nomine quod illis eſt certum & divini amoris & ſuæ ſalutis pignus, quaſi à morte in vitam excitati animos colligunt, & quaſi ſerenum cælum hilares conſpiciunt, quieti in terra reſident: & omnium malorum victores, ejus præſidium omnibus periculis opponunt. Cæterum non tantum verbo eos ſolatur & erigit, ſed etiam re ipſa timorem eximit, tempeſtatem ſedando.

22. Poſtridie turba quæ ſtabat trans mare, quum vidiſſet quod navis alia non erat illic, niſi ea ſola in quam conſcenderant diſcipuli ejus: & quod non venerat Jeſus cum diſcipulis ſuis in navem, ſed ſoli diſcipuli abierant.

23. Porro aliæ naves venerant Tiberiade, prope locum ubi comederant panem poſtquam Dominus gratias egiſſet.

24. Quum ergo vidiſſet turba Jeſum illic non eſſe, nec ejus diſcipulos, conſcenderunt ipſi quoque in naves, & venerunt Capernaum, quærentes Jeſum.

25. Et eo invento trans mare, dixerunt illi, Rabbi, ex quo tempore hic es?

22. *Poſtridie.*] Hic Euangeliſta circumſtantias refert unde conjicere poſſet turba divinum fuiſſe Chriſti trajectum. Una fuerat navis, eam ſine Chriſto ſolvere vident: veniunt poſtridie aliunde naves, quibus vehuntur Capernaum: illic Chriſtum repeſriunt. reſtat ergo ut miraculo advectus fuerit. Eſt autem in verbis ἀνακόλουθον, ſed ſenſus nihilominus ſatis clarus eſt. nam priore membro dicit Joannes unicam fuiſſe navem, eam ſub omnium oculis à ripa & loco illo ſolviſſe, nec habuiſſe Chriſtum vectorem: poſtea ſubjicit naves Tiberiade veniſſe, quibus advecta fuerit turba, quæ ad ripam conſederat, quaſi exitus omnes obſidens, ne elabi Chriſtus poſſet.

23. *Prope locum ubi comederant panem.*] Ambiguus eſt verborum ſenſus: poſſunt enim ita exponi, vel quod Tiberias vicina fuerit loco ubi ſatiati à Chriſto fuerant quinque panibus, vel quod naves ad ripam loco propinquam & ſubjectam appulerint. atque hæc poſterior expoſitio mihi magis probatur. Nam Bethſaida, prope quam editum fuiſſe miraculum illud Lucas exprimit, inter Tiberiadem & Capernaum media eſt. Itaque naves, quum * ex ſupe- * *Al. ex inferiore loco aſcenderent.*
riore loco deſcenderent, legebant ripam illam in qua turbæ ſtabant. nec dubium eſt quin applicitæ ad terram fuerint ad recipiendos vectores. Quum Joannes iterum commemorat Chriſtum *gratias egiſſe*, non eſt ſupervacua repetitio. ſignificat enim precibus Chriſtum impetraſſe ut pauculi illi panes tot hominibus paſcendis ſufficerent: & quia frigidi ad preces ac ignavi ſumus, his idem nobis inculcat.

25. *Trans mare.*] Diximus antehac urbem Capernaum non fuiſſe ſitam in adverſa ripa. Tiberias enim in ea parte lacus ſita eſt in qua latius ſe diffundit: ſequitur poſtea Bethſaida: Capernaum vero in extremo receſſu jacet, non procul ab * egreſſu Jor- * *Al. regreſſu.*
danis. Quod autem Joannes trans lacum ipſum locat, non debet ita intelligi quaſi regio ex diametro oppoſita fuerit, ſed quia in extremo illo receſſu flexuoſus lacus fuerit, ac propter ſinum interpoſitum non potuerit iter confici niſi per longos circuitus. Plebeio itaque more trans mare dicit Euangeliſta, quia rectum iter & uſitatum niſi navigio non patebat.

26. Reſpondit illis Jeſus, ac dixit, Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia comediſtis ex panibus, & ſaturati eſtis.

27. Operamini cibum, non qui perit, ſed cibum qui manet in vitam æternam, quem Filius hominis vobis dabit: hunc enim Pater ſignavit Deus.

28. Dixerunt ergo illi, Quid facimus ut operemur opera Dei?

29. Reſpondit Jeſus, & dixit illis, Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum quem ille miſit.

26. *Reſpondit illis Jeſus.*] Non reſpondet Chriſtus ad rogatum ut ſuam illis potentiam commendet in miraculo, ſed potius objurgat quod inconſiderate ruant: neque enim illis conſtabat vera & legitima facti ſui ratio, quia aliud in Chriſto quam Chriſtum ipſum quærebant. Hoc itaque in illis vitii notatur, quod Chriſtum ventris non ſignorum cauſa quærant. Neque tamen negari poteſt quin miraculum reſpexerint. imo prius narravit Euangeliſta ſignis fuiſſe commotos ad ſequendum Chriſtum. Sed quia miraculis abutebantur in alienum finem, merito illis exprobrat quod majorem ventris quam ſignorum reſpectum habeant: acſi eos negaret in Dei operibus rite proficere ut decebat. hic enim verus fuiſſet profectus, ſic Chriſtum agnoſcere Meſſiam ut illi ſe docendos ac regendos traderent, ac eo duce tenderent ad cæleſte Dei regnum. Atqui nihil ab eo majus expectant quam ut bene habeant ac commode in hoc mundo. Porro hoc eſt Chriſtum ſpoliare præcipua ſua virtute. datus enim ideo à Patre fuit, & ideo ſe patefecit hominibus, ut Spiritu ſancto donatos in imaginem Dei reformet, ut ſua juſtitia indutos in vitam æternam ducat. Multum ergo intereſt quid in Chriſti miraculis ſpectemus: nam qui ad regnum Dei non aſpirans in commodis præſentis vitæ hæret, non aliud quærit quam ut ventrem impleat. Quemadmodum hodie multi cupide Euangelium amplecterentur, ſi crucis acerbitate vacuum carnis tantum delicias afferret. Imo multos videmus nomen Chriſto dare ut hilarius & ſolutius vivant. Alii ſpe lucri, alii metu, alii in eorum gratiam quibus placere volunt, Chriſti ſe diſcipulos profitentur. Ergo hoc in quærendo Chriſto primum eſt, ut contempto mundo quæramus regnum Dei & juſtitiam ejus. Cæterum

quia

Digitized by Google

quia ſibi ut plurimum homines imponunt, ac ſibi perſuadent optime Chriſtum à ſe quæri dum totam ejus virtutem adulterant, more ſuo Chriſtus particulam *Amen* duplicat, quaſi jurejurando vitium quod ſub hypocriſi noſtra latet, extrahere è tenebris velit.

27. *Operamini.*] Docet quorſum intenta eſſe ſuorum ſtudia velit: nempe ad vitam æternam. ſed quia pro ingenii oostri craſſitie ſemper rebus terrenis addicti ſumus, ideo prius corrigit ingenirum illum nobis morbum, quam oſtendat quid agendum ſit. Illa fuiſſet ſimplex doctrina, Operamini cibum incorruptibilem: ſed quia noverat hominum ſenſus terreois curis devinctos teneri, primum laqueis illis ſolvi & expediri jubet ut in cælum aſſurgant: non quod ſuos à labore prohibeat, quo ſibi quotidianum victum acquirant; ſed terrenam hanc vitam cæleſti poſthabendam eſſe admonet. quia hæc una viveodi piis cauſa eſt, ut in mundo peregrinantes feſtinent in cæleſtem patriam. Deinde videndum quid hic agatur. quia enim Chriſti virtutem adulterant qui ventri & rebus terrenis ſunt addicti, quid in ſe quærendum ſit & qua de cauſa quærendus ſit diſputat. Cæterum metaphoras uſurpat ſermonis circumſtantiæ congruentes. Si nulla fuiſſet cibi facta mentio, citra figuram dixiſſet, Vos depoſita mundi cura, ad cæleſtem vitam eniti oportet. ſed quia illi ad pabulum tanquam pecudes currebant, metaphorice Chriſtus ſermonem ſuum contexit, ac cibum quidem vocat quæcunque ad vitæ oovitatem pertinent. Scimus autem animas noſtras paſci Euangelii doctrina, dum in nobis eſt efficax per Spiritus virtutem. Ergo quum fides ſit animæ vita, quæcunque fidem alunt & promovent, cibo comparantur. Hoc eibi genus incorruptibile vocat, & manere dicit in vitam æternam: ut ſciamus non in diem animas noſtras paſci, ſed educari in ſpem beatæ immortalitatis: quia opus ſalutis noſtræ inchoat Dominus, ut perficiat uſque io diem Chriſti. Ideo Spiritus dona recipere nos convenit, ut teſſeræ ſint ac pignora viiæ æternæ. Nam etſi reprobi cibum hunc guſtatum ſæpe reſpuunt, ut in illis non permaneat: fideles tamen animæ vim iſtam manentem ſentiunt, ubi vim iſtam Spiritus io ejus donis minime caducam, imo nunquam excidentem, percipiunt. Futilis eſt eorum argutia qui ex Operandi voce colligunt nos vitam æternam operibus mereri. figurate enim (ut dictum eſt) Cbriſtus homines bortatur ut ſua ſtudia ad cæleſtis vitæ meditationem applicent, quum alias ſoleant mundo eſſe affixi. Ex Chriſtus ipſe omnem ſcrupulum eximit, quum ſe teſtatur hunc *cibum donare*. nam quod donatione ejus conſequimur, nemo propria induſtria ſibi comparat. Eſt quidem in his verbis aliqua repugnantiæ ſpecies: ſed facile hæc duo inter ſe conveniunt, quod ſpiritualis animæ cibus gratuitum ſit Chriſti donum, & quod nos toto cordis affectu buc eniti conveniat ut
Signatus. ſiamus tanti boni participes. *Hunc enim Pater ſignavit.* Confirmat proximam ſententiam: quia in hoc deſtinatus nobis ſit à Patre. Perperam hunc locum veteres ad divinam Chriſti eſſentiam torſerunt, quaſi ſignatus dicatur quia character eſt, & expreſſa imago Patris. neque enim hic de æterna ſua eſſentia ſubtiliter diſſerit, ſed quid ſibi mandatum ſit & injunctum, quid habeat erga nos nfficii, & quid petere à ſe & ſperare debeamus. Porro apta metaphora ad vetuſtum morem alludit: nam quod volebant auctoritate ſua ſancire, anoulis ſignabant. Ita Chriſtus, ne videatur quicquam ſibi ſumere, has partes à Patre ſibi fuiſſe impoſitas pronunciat, & boc Patris decretum quaſi inſculpto ſigillo patefactum eſſe. Summa eſt, Quum minime ſit cujuſvis paſcere animas cibo incorruptibili, Chriſtus in medium prodit, ac ſe auctorem tanti boni promittens, ſimul adjungit ſe approbatum eſſe à Deo, & cum hac ſignatoria nota bominibus fuiſſe miſſum. Hinc ſequitur, non irritum fore corum ſtudium qui animas ſuas Chriſto paſcendas offerent. Sciamus ergo expoſitam nobis eſſe in Chriſto vitam, ut quiſque noſtrum non fortuito, ſed certus de ſucceſſu ad eam aſpirei. Simul tamen docemur, crimine falſi teneri coram Deo quicunque laudem hanc alio quam ad Chriſtum transferunt. Unde conſtat Papiſtas omnibus doctrinæ ſuæ partibus prorſus eſſe falſarios. quotquot enim in Chriſti locum ſupponunt ſalutis media, toties quaſi inductis lituris hoc Dei ſigillum, quod unum eſt authenticum, ſcelerata audacia & nefanda perfidia corrumpunt. Nos vero, ne in illum borribilem reatum incidamus, Chriſto integrum ac illibatum ſervare diſcamus quicquid illi à Patre datum eſt.

28. *Quid faciemus ut* &c.] Satis intellexerat turba hortatum eſſe Cbriſtum ut altius contenderent quam ad præſentis vitæ commoda, nec debere in terra occupari quos Deus alio vocat. Verum qui ſic interrogant, ex parte hallucinantur, quod laborandi rationem non tenent: neque enim cogitant Deum per manum Filii nobis conferre quicquid ad ſpiritualem vitam neceſſe eſt. Primo quærunt quid facere ipſos oporteat: deinde quum opera Dei nominant, vagantur ſine ſcopo: ita ignorantiam gratiæ Dei produnt. Quanquam videntur hic ſuperbe Chriſto obſtrepere, quaſi immerito eos arguat: acſi dicerent, Nullamne æternæ vitæ curam nobis eſſe putas? quid ergo facere nos jubes ultra quam facimus? *Opera Dei* intellige quæ Deus exigit, & quæ illi probantur.

29. *Hoc eſt opus Dei.*] Loquuti erant de operibus: Chriſtus ad unum opus eos revocat, boc eſt, ad fidem. quo ſignificat, quicquid extra fidem homines moliuntur, inutile ac vanum eſſe, ſolam vero fidem ſuffieere: quia hoc unum à nobis Deus poſtulat, ut credamus. Eſt enim hie inter fidem & hominum ſtudia ac conatus tacita antitheſis. acſi dixiſſet, Fruſtra ſatagunt bomines quum ſine fide ſtudent placere Deo, acſi extra viam currendo ad metam non tenderent. Eſt ergo inſignis locus, quod homines, quantumvis miſere tota vita ſe fatigent, ludunt tamen operam niſi fides in Chriſtum ſit illis vivendi regula. Qui ex hoc loco colliguni fidem donum eſſe Dei, falluntur: neque enim quid efficiat Deus in nobis, ſed quid requirat ac velit, Chriſtus docet. Videtur tamen id eſſe abſurdum, nihil Deo probari præter unam fidem: neque enim contemni debet charitas, nec alia pietatis officia locum & honorem perdunt. ergo utcunque primatum teneat fides, non tamen ſupervacua ſunt alia opera. Reſponſio facilis eſt. neque enim fides vel charitatem vel ullum aliud bonum opus excludit: quando omnia io ſe continet. Fides enim vocatur unicum Dei opus, quia per ipſam Chriſtum poſſidentes, filii Dei efficimur, ut nos Spiritu ſuo gubernet. Quia ergo à fide Chriſtus ejus fructus nnn ſeparat, non mirum eſt ſi in ea conſtituat proram (ut loquuntur) & puppim. Quid valeat Credendi verbum diximus tertio capite. hoc ſemper memoria tenendum eſt, ut vis fidei nobis conſtet, definiendum eſſe quid ſit Chriſtus in quem credimus, & cur nnbis à Patre datus ſit. Cæterum putida eſt eorum cavillatio qui hujus loci prætextu operibus nos juſtificari contendunt ſi fides juſtificat, quum ipſa quoque vocetur opus primum. Satis conſtat Chriſtum improprie loqui, quum fidei imponit nomen operis. ſicuti quum Paulus legem fidei & legem operum inter ſe comparat. Deinde quum operibus negamus juſtificari homines, opera intelligimus quorum merito ſibi homines gratiam apud Deum concilient. Atqui fides nihil ad Deum affert: quin

potius

potius hominem vacuum & inopem ſiſtit coram
Fides quo- Deo, ut Chriſto ejuſque gratia impleatur. Quare
dammodo paſſivum eſt opus (ut ita loquar), cui nulla poteſt
rependi merces: nec aliam confert homini juſtitiam *eſt paſſi-*
niſi quam à Chriſto recipit. *vum opus.*

30. Dixerunt ergo illi, Quod ergo ſignum facis, ut videamus & credamus tibi? quid operaris?
31. Patres noſtri manna comederunt in deſerto: ſicut ſcriptum eſt, Panem cæli dedit *Exod. 16.*
eis edendum.
32. Dixit ergo illis Jeſus, Amen, amen dico vobis, non Moſes panem vobis dedit è cælo: ſed Pater meus dat vobis panem è cælo verum.
33. Panis enim Dei hic eſt qui deſcendit è cælo, & vitam dat mundo.

30. *Quod ſignum facis?*] Hæc improbitas plus
Mat. 12. ſatis teſtatur quam vere alibi dictum ſit, Generatio
verſ. 39. hæc prava ſignum quærit. Signorum admiratione ad Chriſtum prius tracti fuerant: novo rurſus ſigno obſtupefacti, Chriſtum confeſſi ſunt eſſe Meſſiam, & Regem volebant hac fiducia creare: nunc tanquam ab ignoto ſignum poſtulant. Unde tam ſubita oblivio, niſi quia Deo ingrati, ad conſpectum virtutis ejus maligne cæcutiunt? Nec dubium eſt quin faſtidiant quæcunque hactenus viderunt miracula, quod Chriſtus eorum votis non obſequitur, nec eum reperiunt qualem ſibi finxerant. Si ſpes oblata fuiſ-
A miraculis qui petunt vocationis teſtimonium. ſet terrenæ felicitatis, aſſiduos illi plauſus dediſſent: Propheta, & Meſſias, & Filius Dei abſque controverſia fuiſſet ab illis ſalutatus: nunc quia eos objurgat quod carni ſint nimium dediti, audiendum amplius non putant. Et hodie quam multi ſunt illis ſimiles? initio enim quia Chriſtum vitiis ſuis blandum fore ſibi promittunt, cupide arripiunt ejus Euangelium, nullam ejus probationem deſiderant: ſed ubi ad abnegationem carnis, & crucis tolerantiam vocantur, tunc fidem Chriſto abrogare incipiunt, quærunt unde natum ſit Euangelium: denique magiſter illis eſſe deſinit Chriſtus, ſimulatque eorum votis non reſpondet.

31. *Patres noſtri.*] Ergo ulcus digito Chriſtus tetigit, quum eos inſtar brutorum animalium venire diceret ad ſaginandum ventrem: hunc enim craſſum affectum produnt quum Meſſiam poſtulant à quo paſcantur. Et quod magnifice extollunt Dei gratiam in manna, id aſtute faciunt ad obruendam Chriſti doctrinam, qua immodicum ſtudium corruptibilis cibi damnabat. nam ex adverſo opponunt ſplendidum elogium quo ornatur manna, quum illi nomen tribuitur panis cæleſtis. Atqui non eo conſilio Spiritus honorifice manna appellat panem cæli, quaſi Deus populum ſuum tanquam porcorum gregem ſaginando, nihil illi præſtantius dederit. Ergo nihil excuſationis habent quum ſpiritualem animæ cibum, qui nunc à Deo offertur, impie reſpuunt.

32. *Amen, amen dico vobis.*] Videtur negare Chriſtus quod ex Pſalmo citatum fuerat: ſed tantum per comparationem loquitur. Panis cæli man vocatur, ſed corpori alendo: panis autem cæleſtis vere & proprie cenſetur quod ſpirituale eſt animæ alimentum. Ergo Chriſtus hic mundum cælo opponit, quia incorruptibilis vita non niſi in regno Dei quærenda eſt. Cæterum veritas hoc loco non opponitur figuris, ut alibi ſæpe: ſed Chriſtus reſpicit quænam vera ſit hominis vita, nempe qua differt à brutis animalibus, & qua inter creaturas excellit. Quum ſubjicit poſtea, *Pater meus dat vobis*, perinde valet acſi dixiſſet, Man quod à Moſe datum fuit patribus veſtris, non attulit cæleſtem vitam: ſed nunc vere panis cæleſtis vobis offertur. Patrem quidem hujus panis datorem nominat, ſed intelligit per manum ſuam dari. Ita antitheſis non refertur ad Moſen & Deum, ſed ad Moſen & Chriſtum. Chriſtus autem Patrem potius quam ſe hujus doni auctorem facit, ut plus reverentiæ conciliet: acſi diceret, Agnoſcite me Dei miniſtrum, cujus manu animas veſtras paſcere vult in vitam æternam. Sed rurſus parum cum Pauli doctrina conſentaneum videtur: Paulus enim man cibum ap- *1 Cor. 10.*
pellat ſpiritualem. Reſpondeo, Chriſtum pro captu *verſ. 3.*
eorum loqui quibuſcum negotium habet. neque hoc Scripturæ inſolens eſt. Videmus ut varie Paulus ipſe de Circumciſione diſſerat. quum tractat de inſtitutione, fatetur fuiſſe fidei; dum illi cum pſeudoapoſtolis certamen eſt, ſigillum potius maledictionis facit, idque ex eorum ſenſu. Reputemus quid Chriſto objectum fuerit: nempe ipſum Meſſiam non probari niſi victum corporalem ſuis ſuppeditet. Ergo non proponit in medium cujus rei figura fuerit man, ſed hunc verum fuiſſe panem negat quo ventres paſcebat Moſes.

33. *Panis enim Dei eſt.*] Ratiocinatur Chriſtus à definitione ad definitum negative, hoc modo, Panis cæleſtis eſt qui è cælo deſcendit ad dandam mundo vitam: in manna nihil fuit tale: ergo non fuit ille cæleſtis panis. Interea vero confirmat quod prius dixit, nempe ſe à Patre miſſum eſſe, ut longe excellentius homines paſcat quam Moſes. Man quidem è cælo viſibili (hoc eſt, ex nubibus) deſcendit, ſed non ex regno Dei æterno, unde ad nos manat vita. Et Judæi quos alloquitur Chriſtus, non altius ſpectabant quam quod in deſerto bene referti & ſaginati fuerant patrum ventres. Panem Dei nunc vocat quem prius dixit panem cæli: non quod aliunde ſit quam à Deo qui nos in præſenti vita panis ſuſtentat, ſed quia ille demum cenſetur divinus qui ad beatam immortalitatem animas vivificat. Cæterum hic locus docet totum mundum Deo eſſe mortuum, niſi quatenus eum Chriſtus vivificat: quia nuſquam niſi in ipſo reperietur vita. In *deſcenſu* è cælo duo no- *Deſcenſus*
tanda ſunt, nempe quod in Chriſto divinam habe- *è cælo.*
mus vitam, quia à Deo profectus eſt ut nobis ſit auctor vitæ; deinde quod nobis propinqua eſt cæleſtis vita, ut ſupra nubes volare, & mare trajicere opus non ſit. Nam ideo ad nos deſcendit Chriſtus quia ſurſum aſcendere nemo poterat.

34. Dixerunt ergo illi, Domine, ſemper da nobis panem hunc.
35. Dixit illis Jeſus, Ego ſum panis vitæ: qui venit ad me, non eſuriet: & qui credit in me, non ſitiet unquam.
36. Sed dixi vobis quod etiam vidiſtis me, & non creditis.
37. Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me non ejiciam foras.
38. Quia deſcendi è cælo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui me miſit.
39. Hæc autem eſt voluntas ejus qui me miſit Patris, ut quodcunque mihi dedit, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die.

40. Hæc

40. Hæc autem eſt voluntas ejus qui me miſit, ut quiſquis videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.

34. *Semper da nobis.*] Non dubium quin ironice loquantur, ut in eo Chriſtum vanitatis inſimulent quod ſe panem vitæ dare jactabat. Ita miſeri homines, dum promiſſiones Dei reſpuunt, uno hoc malo noo contenti, Chriſtum ſubſtituunt reum ſuæ infidelitatis.

35. *Ego ſum panis vitæ.*] Docet primum coram adeſſe panem quem per ludibrium petebant: deinde objurgat. Porro à doctrina incipit, ut ingratitudinis magis convictos oſtenderet. Duæ autem ſunt partes: quia onde petenda ſit vita oſtendit, & quomodo ea potiamur. Scimus quid occaſionem Chriſto præbuerit ut metaphoris iſtis uteretur, quia ſcilicet mannæ & quotidiani victus facta erat mentio. Sed tameo hæc figura ad docendos rudes aptior eſt quam ſimplex oratio. Quum pane veſcimur in alimentum corporis, tum infirmitas noſtra, tum vis divinæ gratiæ melius apparet quam ſi abſque pane arcanam virtutem Deus inſtillet ad corpus ipſum alendum. Ita anagoge à corpore ad animam ſumpta facit ut Chriſti gratia melius ſentiatur. nam quum audimus Chriſtum eſſe panem quo animas noſtras veſci oportet, hoc in animos noſtros magis penetrat quam ſi ſimpliciter Chriſtus diceret ſe eſſe vitam noſtram. Notandum tamen non exprimi *panis* voce vim Chriſti vivificam, qualiter eam ſentimus. neque enim panis vitam inchoat, ſed quæ jam eſt eam fovet ac tuetur in ſtatu. At Chriſti beneficio non modo retinemus vitam, ſed habemus vitæ initium. quare impropria eſt ex parte ſimilitudo. Verum in hoc nihil abſurdi eſt: quia Chriſtus ex ſermonis prius habiti circumſtantia orationem ſuam contexit. Atqui mota fuerat quæſtio uter paſcendo homines eſſet præſtantior, Moſes, an ipſe Chriſtus. Hæc eadem ratio eſt cur panem tantum nominet: quia illi manna ſolum objecerant, ideo ſatis habuit panem alterum opponere. Cæterum ſimplex doctrina eſt, Non vivere animas noſtras intrinſeca (ut ita loquar) virtute, ſed vitam à Chriſto mutuari. *Qui venit ad me.* Nunc veſceodi modum definit: nempe quum fide ipſum recipimus. Neque enim quicquam incredulis prodeſt, Chriſtum eſſe panem vitæ, quia vacui ſemper manent: ſed tuoc Chriſtus efficitur panis noſter quum famelici ad ipſum accedimus ut nos impleat. Venire ad Chriſtum & Credere idem in hoc loco valent: ſed in priore verbo fidei effectus exprimitur, quod ſcilicet inediæ noſtræ ſenſu compulſi ad Chriſtum petendæ vitæ cauſa confugimus. Porro qui ex hoc loco manducationem Chriſti nihil aliud eſſe colligunt quam fidem, non ſatis appoſite ratiocinantur. Fateor certe non aliter nos Chriſtum edere quam credendo: ſed manducatio ipſa effectus eſt ac fructus fidei potius quam fides. Neque enim fides Chriſtum intuetur duntaxat quaſi procul remotum, ſed eum amplectitur ut noſter fiat, & in nobis habitet: facit ut coaleſcamus io ejus corpus, communem habeamus cum ipſo vitam, unum denique ſimus cum ipſo. Ergo verum eſt ſola fide manducari Chriſtum, modo ſimul teneamus qualiter nos cum ipſo conjungat fides. *Non ſitiet unquam.* Videtur hoc præter rationem additum: quia officium panis non eſt ſitim reſtinguere, ut eſuriem ſedat. plus ergo pani tribuit Chriſtus quam ferat ejus natura. Jam dixi qnod panis tantum nomen oſurpet, quia ſcilicet ita ferebat mannæ comparatio cum cæleſti ejus virtute qua animæ noſtræ in vita ſuſtinentur. interea panis nomine totam alimentorum ſummam intelligit: atque id ex trito gentis ſuæ uſu. Hebræi enim panem comedere per ſynecdochen pro cœnare aut prandere accipiunt: & quum à Deo petimus panem quotidianum, potum & reliquas vitæ partes comprehendimus. Senſus ergo eſt, Quiſquis ſe ad Chriſtum contulerit, ut ab ipſo vitam habeat, nihil ei defuturum quin ad ſatietatem uſque omnibus vitæ fovendæ præſidiis abundet.

36. *Sed dixi vobis.*] Jam eos increpat quod donum Dei ſibi expoſitum maligne rejiciaot. Eſt autem hic nimis impius Dei contemptus, rejicere quod quis agnoſcit ab ipſo datum. Niſi teſtatam illis feciſſet Chriſtus ſuam virtutem, ac palam feciſſet ſe à Deo prodiiſſe, poterat eorum culpam ſublevare ignorantiæ prætextus: ſed quod ejus doctrinam repudiant quem prius Meſſiam Domini confeſſi ſunt, extrema eſt indignitas. Verum quidem eſt, nunquam ſic data opera reſiſtere Deo homines ut ſibi cum Deo negotium eſſe cogitent. quo pertinet illud Pauli, Nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent *1 Cor. 2.*
ſi ab illis fuiſſet agnitus. Sed increduli, quia ſponte *verſ. 8.*
cæcutiunt ad lucem, merito videre dicuntur quod ſtatim evaneſcit ex eorum oculis: quia Satan eorum mentes obtenebrat. Hoc extra controverſiam eſt, quod dixit eos *vidiſſe*, non de corporis aſpectu debere accipi, ſed potius notari voluntariam cæcitatem, quod illum qualis erat cognoſcere potuerint, niſi ipſis ſua malitia obſtaret.

37. *Quicquid dat mihi Pater.*) Nequid doctrinæ ſuæ deroget eorum incredulitas, tantæ contumaciæ cauſam eſſe dicit quod reprobi ſint & à grege Dei alieni. Hoc itaque conſilio ioter electos & reprobos hic diſcernit, ut ſua nihilominus maneat doctrinæ auctoritas, quamvis apud multos fidem non obtineat. Nam & impii verbo Dei detrahunt, & pro nihilo habent, quia ejus reverentia non tanguntur: & multi infirmi ac rudes dubitant an verbum Dei ſit quod à bona mundi parte reſpuitur. Huic ſcandalo Chriſtus occurrit, quum ſuos eſſe negat quicunque non credunt: talibus ſi non ſapiat Dei veritas, nihil eſſe mirum: ſed omnes Dei filios eam amplecti. Primo loco dicit ad ſe venire quoſcunque illi Pater donat. Quibus verbis intelligit fidem noo eſſe in arbitrio hominum, ut promiſcue vel fortuito hic & ille credant, ſed Deum eligere quos Filio ſuo quaſi de manu in manum tradat. Nam quum dicit venire quicquid datur, inde colligimus noo omnes dari. Rurſum colligimus, tanta Spiritus efficacia operari Deum in electis ſuis ut nemo eorum excidat. Nam *donandi* verbum perinde valet acſi dixiſſet Chriſtus, Quos elegit Pater, eos regenerat, & mihi in Euangelii obedientiam addicit. *Et eum qui venit ad me.* Hoc ad piorum conſolationem additum eſt, ut certo ſtatuant fide ſibi patere aditum ad Chriſtum, &, ſimulac in fidem ejus ac tutelam ſe tradiderint, benigne receptum iri. unde ſequitur ſalutarem fore omnibus piis Euangelii doctrinam, quia nemo ſe Chriſto diſcipulum offert qui non viciſſim illum ſentiat & experiatur fidum & probum doctorem.

38. *Quia deſcendi è cælo.*] Confirmatio eſt proximæ ſententiæ, quod fruſtra non quæratur à nobis Chriſtus. Fides enim opus eſt Dei, quo demonſtrat nos eſſe ſuos, & Filium conſtituit ſalutis noſtræ præſidem. Atqui Filius nihil aliud propoſitum habet niſi ut impleat Patris mandata. nunquam igitur repudiabit à Patre miſſos. unde tandem conficitur nunquam irritam fore fidem. Quod diſcrimen ponit Chriſtus ioter ſuam & Patris voluntatem, in eo auditoribus ſe attemperat: quia (ut proclive eſt ad diffidentiam hominis ingenium) fingere nobis diverſum aliquid ſolemus quod dubitationem pariat. Ut pravis ejuſmodi figmentis anſam præcidat Chriſtus, ſe mundo exhibitum fuiſſe aſſerit, ut ratum faciat ipſo effectu quod de ſalute ooſtra decrevit Pater.

39. *Hæc autem eſt voluntas.*] Nunc teſtatur hoc eſſe Patris conſilium ut in Chriſto certam ſalutem reperiant fideles. uode iterum ſequitur, reprobos eſſe quicunque non proficiunt in Euangelii doctrina. Quare ſi videmus multis cedere in exitium, non eſt quod deſpondeamus aoimos: quia illi ſponte malum ſibi accerſunt. Nobis ſufficiat quod ſemper ad colligeodos in ſalutem electos Euangelium valebit. *Non perdam ex eo.* Hoc eſt, non patiar mihi auferri vel perire. quo ſignificat non ad diem unum vel paucos ſe eſſe ſalutis noſtræ cuſtodem, ſed ſibi ad extremum uſque curæ futuram, ut tanquam à carceribus ad metam uſque nos perducat. ideo mentionem facit ultimæ reſurrectioois. Atque hæc promiſſio pluſquam neceſſaria eſt miſere laborantibus in tanta carnis infirmitate, cujus ſibi quiſque noſtrum ſatis conſcius eſt. Singulis certe momentis labefactari poſſet totius mundi ſalus, niſi fideles Chriſti manu ſuffulti, intrepide ad diem reſurrectionis tenderent. Sit ergo hoc animis noſtris infiaum, porrectam eſſe nobis manum à Chriſto, ut nos minime in medio curſu deſerat, ſed quo ejus ductu freti, ſecure ad diem ultimum oculos attollere audeamus. Alia etiam de cauſa meminit reſurrectionis: quia dum vita noſtra abſcondita eſt, ſimiles mortuis ſumus. Quid enim differuot ab impiis fideles, niſi quod miſeriis obruti, & tanquam oves mactationi deſtinatæ, ſemper alterum in ſepulchro pedem habent? imo parum abeſt quin à morte ſubinde abſorbeantur? Una ergo ſpei & patientiæ fultura reſtat, ſi omiſſo præſentis vitæ ſtatu, ad diem illum ultimum animos ſenſuſque noſtros conferimus, & per mundi obſtacula tranſimus, donec fidei noſtræ fructus tandem appareat.

40. *Hæc autem eſt voluntas.*] Dixerat tuendæ ſalutis noſtræ partes ſibi à Patre mandatas eſſe: nunc modum quoque definit. Hæc itaque obtinendæ ſalutis eſt ratio ſi obediamus Euangelio Chriſti. Hoc quidem jam nuper attigerat: ſed nuoc melius exprimit quod ſubobſcure fuerat dictum. Quod ſi Deus fide ſervari vult quos elegit, & æternum ſuum decretum boc modo ſancit ac exequitur, quiſquis non contentus Chriſto, de æterna prædeſtinatione curioſe inquirit, quantum in ſe eſt præter Dei conſilium ſalvus eſſe appetit. Electio Dei per ſe occulta eſt & arcana: eam Dominus vocatione qua nos dignatur, patefacit. Quare inſaniunt qui ſuam vel aliorum ſalutem in labyrintho prædeſtinationis quærunt, propoſitam ſibi fidei viam non tenentes: imo præpoſtera hac ſpeculatione vim prædeſtinationis & effectum evertere conantur. nam ſi nos io hunc finem elegit Deus ut credamus, tolle fidem, & mutila erit electio. Atqui in Dei conſilio continuam & ordinatam principii & finis ſeriem abrumpere nefas eſt. Porro ut individuo nexu electio Dei vocationem ſecum trabit: ita quum efficaciter nos Deus ad fidem Chriſti vocavit, hoc perinde apud nos valeat acſi inſculpto ſigillo ſuum de ſalute noſtra decretum comprobaret. Nam Spiritus teſtimonium nihil aliud eſt quam adoptionis noſtræ obſignatio. Ergo ſua cuique fides æternæ Dei prædeſtinationis locuples eſt teſtis, ut altius ioquirere ſacrilegium ſit. quia atrocem Spiritui ſancto injuriam facit quiſquis ſimplici ejus teſtimonio ſubſcribere detrectat. *Videre* & *Credere* ſuperiori ſententiæ opponit. Judæis enim exprobraverat quod non crederent, quum tamen vidiſſent: nunc in filiis Dei cum ſenſu quem percipiunt divinæ in Chriſto virtutis, fidei obedientia conjungitur. Porro bæc verba oſtenduot fidem ex Chriſti notitia fluere: non quod præter ſimplex Dei verbum quicquam deſideret: ſed quia ſi Chriſto fidamus, qualis ſit & quid nobis afferat ſentire nos oportet.

41. Murmurabant ergo Judæi de eo, quia dixerat, Ego ſum panis qui deſcendi è cælo.

42. Et dicebant, Nonne hic eſt Jeſus filius Joſeph, cujus nos novimus patrem & matrem? quomodo ergo hic dicit, E cælo deſcendi?

43. Reſpondit ergo Jeſus, & dixit illis, Ne murmuretis inter vos.

44. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui me miſit, traxerit eum: & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.

Jeſ. 54. verſ. 13. Jer. 31. verſ. 34. 45. Eſt ſcriptum in Prophetis, Et erunt omnes docti à Deo. Quiſquis ergo audivit à Patre, & didicit, venit ad me.

41. *Murmurabant.*] Exortum inde fuiſſe murmur Euangeliſta docet quod Judæi carnis bumilitate offeoſi, nihil in Chriſto divinum aut cæleſte conciperent. Quanquam duplex illis fuiſſe obſtaculum oſtendit. alterum enim ſibi ex falſa opinione fingebant, quum dicerent, Hic eſt filius Joſeph, cujus patrem & matrem novimus. Alterum erat ex perverſo judicio, quod Filium Dei Chriſtum eſſe non putabant, quia carne indutus ad homines deſcenderat. Atqui nos nimium maligni ſumus, ſi ideo deſpicimus Dominum gloriæ quod ſe noſtra cauſa exinanivit, forma ſervi accepta. nam hoc luculentum potius immenſi erga nos amoris & admirabilis gratiæ ſpecimen fuit. Deinde oon ſic latebat divina Chriſti majeſtas ſub contemptibili & abjecta carnis ſpecie, quin multiplicis fulgoris ſui radios emitteret. ſed craſſis hominibus & ſtupidis deerant oculi qui perſpicerent manifeſtam ejus gloriam. Utroque modo nos etiam quotidie peccamus. Primo magnum hoc nobis impedimentum eſt quod Chriſtum non aſpicimus niſi carnis oculis: ita fit ut nihil in ipſo magnificum nobis appareat. vitioſo enim noſtro ſenſu quicquid in ipſo eſt ejuſque doctrina pervertimus: adeo ſiniſtri ſumus interpretes. Deinde eo ipſo non contenti, multa falſa arripimus quæ Euangelii contemptum pariant. Quin etiam multi ſibi monſtra fabricant, quorum prætextu Euangelium ſibi exoſum reddant. Ergo data opera repellit mundus Dei gratiam. Ac nominatim Judæos exprimit Euangeliſta, ut ſciamus profectum ab iis eſſe murmur qui fidei & Eccleſiæ titulo ſuperbiebant: ut omnes diſcamus Chriſtum reverenter ſuſcipere quum ſe ad nos demittit, & quo propint nobis eſt, eo libentius ad eum accedere, ut nos ad cæleſtem ſuam gloriam extollat.

43. *Ne murmuretis.*] Murmuris culpam io eos rejicit: acſi diceret, Doctrina mea nullam continet offendiculi materiam: ſed quia vos reprobi eſtis, virulentos animos veſtros irritat. ac ideo non ſapit, quia inſipidum eſt vobis palatum.

44. *Nemo poteſt &c.*] Non ſimpliciter eorum pravitatem accuſat, ſed ſimul admonet hoc peculiare eſſe Dei donum, propoſitam à ſe doctrinam amplecti. quod ideo facit ne ipſorum incredulitas infirmos conturbet. Multos enim tenet hæc ſtultitia, ut in rebus divinis ab hominum reſpectu pendeant. ita fit ut Euangelium ſuſpectum habeant ſimulatque vident non recipi à mundo. Rurſum increduli ſibi in ſua pervicacia placentes, Euangelium damna-

damnare audent, quia ipſis non arrideat. Ex adverſo itaque pronunciat Chriſtus, Euangelii doctrinam, quamvis promiſcue omnibus prædicetur, non poſſe tamen ab omnibus percipi, ſed opus eſſe nova mente & novo ſenſu. non eſſe igitur fidem in hominum arbitrio, ſed divinitus conferri. Quia *venire* ad Chriſtum metaphorice hic poſitum eſt pro credere: Euangeliſta, ut metaphoram contexat in membro oppoſito, *trahi* eos dicit quorum mentes illuminat Deus, & corda flectit ac format in Chriſti obedientiam. Hæc ſumma eſt, non mirum eſſe ſi ab Euangelin multi abhorreant: quia nemo unquam ſponte ad Chriſtum accedere poterit niſi quem Deus Spiritu ſuo præveniet. Inde autem ſequitur non omnes trahi, ſed Deum hac gratia dignari quos elegit. Quantum ad trahendi modum ſpectat, non eſt ille quidem violentus qui hominem cogat externn impulſu: ſed tamen efficax eſt motus Spiritus ſancti, qui homines ex nolentibus & invitis reddit voluntarios. Quare falſum eſt illud & profanum, non niſi volentes trahi: quaſi homo ſe proprio motu obſequentem Deo præbeat. quod enim homines Deum volentes ſequuntur, id jam ab ipſo habent qui eorum corda in ſuum obſequium formavit.

Venire ad Chriſtum. Trahi.

45. *Eſt ſcriptum in Prophetis.*] Confirmat Chriſtus Jeſaiæ teſtimonio quod dixit, Neminem ad ſe venire niſi à Patre tractum. Prophetas nominat in plurali numero, quia in unum corpus collectæ erant omnes prophetiæ, ut merito poſſet unus cenſeri Prophetarum omnium liber. Porro locus qui citatur extat apud Jeſaiam, capite 54. verſ. 13. ubi de Eccleſiæ inſtauratione verba faciens, filios illi promittit Dei magiſterio edoctos. Unde colligere promptum eſt, non aliter poſſe reſtitui Eccleſiam, niſi Deus magiſtri partes ſuſcipiens, fideles ad ſe adducat. Docendi ratio de qua loquitur Propheta, non in externa tantum voce ſita eſt, ſed in arcana etiam Spiritus ſancti operatione. In ſumma, hoc Dei magiſterium eſt interior cordis illuminatio. Quod dicit *Omnes*, ad electos reſtringi debet, qui ſoli ſunt genuini Eccleſiæ filii. Jam non difficile eſt videre quomodo vaticinium hoc Chriſtus ad præſentem cauſam accommodet. Docet Jeſaias tunc vere demum ædificari Eccleſiam quum filios habet divinitus edoctos. Apte igitur infert Chriſtus, non eſſe oculos hominibus ad perſpiciendam vitæ lucem, donec aperiantur à Deo. Simul etiam in nota univerſali inſiſtit: quia inde ratiocinatur, omnes qui à Deo docentur, efficaciter trahi ut veniant. atque huc pertinet quod mox ſubjicitur, *Quiſquis ergo audivit*, Summa eſt, reprobos eſſe & exitio devotos quicunque non credunt: quia omnes Eccleſiæ filios & vitæ hæredes Deus ſibi obedientes diſcipulos reddat. Unde ſequitur, neminem ex Dei electis à Chriſti fide alienum fore. Proinde ſicuti prius negavit Chriſtus homines ad credendum eſſe idoneos niſi trahantur, ita nunc pronunciat efficacem eſſe Spiritus gratiam, qua trahuntur ut neceſſario credant. His duobus membris prorſus evertitur tota liberi arbitrii facultas quam ſibi ſomniant Papiſtæ. nam ſi tunc demum venire ad Chriſtum incipimus quum nos traxit Pater, fidei initium minime in nobis eſt, neque ulla præparatio:. rurſus ſi veniant omnes quos Pater docuit, non credendi tantum optionem dat illis, ſed fidem ipſam. Ergo quod directioni Spiritus ſponte obſequimur, hæc pars gratiæ eſt, & quaſi obſignatio: quia non traheret nos Deus ſi tantum porrecta manu voluntatem noſtram in medio ſuſpenſam relinqueret. Proprie autem nos trahere dicitur quum ad plenum uſque fidei effectum Spiritus ſui virtutem extendit. *Audire à Deo* dicuntur qui Deo intus loquenti ſe ex animo ſubjiciunt, quia in illorum cordibus Spiritus regnat. *Venit ad me.* Oſtendit individuam conjunctionem quam cum Patre habet. Senſus enim eſt, Fieri non poſſe quin ſe Chriſtn addicant quicunque Dei ſunt diſcipuli, & Deo eſſa indociles qui Chriſtum rejiciunt: quia hæc ſola eſt ſapientia quam in Dei ſchola diſcunt electi omnes, ad Chriſtum venire. neque enim Pater, qui eum miſit, ſeipſum abnegare poteſt.

46. Non quod Patrem quiſquam viderit, niſi is qui eſt à Deo, hic vidit Patrem.
47. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam.
48. Ego ſum panis vitæ.
49. Patres veſtri comederunt manna in deſerto, & mortui ſunt.
50. Hic eſt panis qui è cælo deſcendit, ut ex eo edat aliquis & non moriatur.
51. Ego ſum panis vivus qui è cælo deſcendi. ſi quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea eſt quam ego dabo pro mundi vita.

46. *Non quod Patrem.*] Sicuti hactenus commendavit Patris ſui gratiam, ita nunc ſedulo ad ſe unum revocat fideles. nam utrumque conjungi debet, nullam haberi poſſe Chriſti notitiam donec Pater illuminet ſuo Spiritu qui natura cæci ſunt, & tamen fruſtra quæri Deum niſi præeunte Chriſto: quoniam altior eſt Dei majeſtas quam ut ad eum hominum ſenſus pertingant. Imo exitialis erit abyſſus quæ putabitur eſſe Dei cognitio extra Chriſtum. Quum Patrem ſibi ſoli cognitum eſſe dicit, ſignificat hoc officium in ſe proprie competere ut hominibus eum manifeſtet, qui alioqui eſt abſconditus.

47. *Qui credit in me.*] Proximæ ſententiæ expoſitio. docemur enim his verbis tunc innoteſcere nobis Deum quum in Chriſtum credimus. Deum enim inviſibilem tunc cernere quaſi in ſpeculo vel in viva & expreſſa imagine incipimus. Ergo maledictum ſit quicquid de Deo nobis proponitur, niſi dirigat in Chriſtum. Quid ſit in Chriſtum credere, prius expoſui. neque enim confuſa & inanis fides imaginanda eſt, quæ Chriſtum virtute ſua ſpoliet: qualis eſt apud Papiſtas, qui de Chriſto credunt quantum libuerit. Nam ideo vitam fide conſequimur quia ſcimus in Chriſto contineri omnes vitæ noſtræ partes. Quod quidam ex hoc loco colligunt, credere in Chriſtum idem eſſe atque edere Chriſtum vel carnem ejus, non ſatis firmum eſt. hæc enim duo inter ſe tanquam prius & poſterius differunt: ſicuti ad Chriſtum venire, & ipſum bibere: præcedit enim acceſſus. Fateor non manducari Chriſtum niſi fide. ſed ratio eſt, quia fide eum recipimus ut habitet in nobis, ſimulque ejus participes, adeoque unum cum ipſo. Quare manducatio, effectus eſt aut opus fidei.

48. *Ego ſum panis vitæ.*] Præter id quod prius dixerat ſe vivificum eſſe panem quo animæ noſtræ aluntur: ut id melius amplificet, ſimul antitheſin repetit hujus panis & veteris mannæ, una cum hominum comparatione. *Patres*, inquit, *veſtri comederunt manna*, &c. Manna dicit eorum Patribus caducum fuiſſe cibum, qui eos à morte non exemit. Sequitur ergo, animas non alibi quam in ipſo cibum invenire, quo in ſpiritualem vitam paſcantur. Porro tenendum eſt memoria quod alibi admonui, non hic haberi de manna ſermonem quatenus Chriſti

1 Cor. 10. verſ. 3. figura fuit arcana (nam eo reſpectu Paulus ſpiritualem cibum nominat) ſed diximus Chriſtum hic auditoribus ſermonem ſuum attemperare, qui tantum de paſcendo ventre ſolliciti, nihil in manna altius ſpectabant. Merito itaque patres eorum mortuos eſſe pronunciat, hoc eſt, qui ſimiliter ventri addicti fuerunt. Et tamen eos ad edendum iuvitat, quum dicit ſe veniſſe *ut edat aliquis.* perinde enim valet hæc loquutio acſi diceret, omnibus ſe in promptu fore qui tantum edere volent. Neminem ex his qui Chriſtum ſemel comederint, *mori*, intellige, quia nunquam extinguitur quæ ab ipſo nobis confertur vita: quemadmodum habuimus capite quinto.

51. *Ego ſum panis vivus.*] Sæpius idem repetit, quia nec quicquam eſt magis cognitu ueceſſarium, & pro ſe quiſque ſeutit, quam difficulter fidem apud nos inveniat, & quam facile ac cito effluat. Vitam omnes appetimus: ſed ſtulte ac perverſe per ambages vagamur in ea quærenda: oblatam major pars faſtidioſe reſpuit. Quis enim non ſibi vitam fingit extra Chriſtum? quotus vero quiſque eſt, cui Chriſtus unus ſatisfaciat? Non igitur ſupervacua eſt inculcatio, dum aſſerit toties Chriſtus ſe unum ad dandam vitam ſufficere. ſibi enim uni vendicat panis titulum, ut omnes vivendi fictitias ſpes ex animis noſtris revellat. *Panem* vivum uunc appellat, quem prius dixit panem vitæ, eodem ſenſu nempe quo vivificum. Deſcenſum cæli ſubinde commemorat, quia in hoc mundo, cujus præterit figura & evaneſcit, non reperietur ſpiritualis & incorruptibilis vita, ſed tantum in cæleſti Dei regno. Quoties verbum *edendi* ponit, ad fidem nos hortatur, quæ ſola facit ut fruamur hoc pane in vitam. neque id fruſtra, quia pauci ſunt qui manum extendere dignentur ut ori admoveant hunc panem: imo quum Dominus in os uſque illis porrigit, pauci ſunt qui guſtent: ſed alii vento ſe ingurgitant: alii, quaſi Tantalo ſimiles, prope cibum ipſum ſus vecordia eſuriunt. *Panis quem ego dabo.* Quia vis illa arcana conferendæ vitæ, de qua loquutus eſt, ad divinam ejus eſſeutiam referri poterat, nunc deſcendit ad ſecundum gradum, ac vitam illam in ſua carne poſitam eſſe docet, ut inde hauriatur. Mirificum ſane Dei conſilium, quod in ea carne ubi ſola prius mortis materia erat, vitam nobis propoſuerit. Atque ita infirmitati noſtræ conſulit, dum nos ad fruendam vitam non vocat ſupra nubes, ſed eam exerit in terra: non ſecus acſi in regni ſui abdita uos eveberet. Interea ingenii noſtri ſuperbiam corrigens, fidei humilitatem & obedientiam probat, dum vitam petituros, in carne ſua, in ſpeciem contemptibili, ſubſidere jubet. Sed objicitur contra, Chriſti carnem non poſſe vitam dare, quæ & morti fuit obnoxia, & nunc per ſe immortalis non eſt: deinde hoc minime competere in carnis naturam ut animas vivificet. Reſpondeo, quamvis hæc virtus aliunde quam ex carne proveniat, uihil tamen obſtare quin apte in eam competat hic titulus. Nam ſicut æternus Dei Sermo fons vitæ eſt, ita caro ejus veluti canalis, vitam, quæ intrinſeca (ut loquuntur) in divinitate reſidet, ad nos diffundit. Atque hoc Caro vivifica.
ſenſu dicitur vivifica, quod vitam quam aliunde mutuatur, nobis communicat. Id minime obſcurum erit ſi reputemus quænam ſit vitæ cauſa, nempe juſtitiam. Atqui quamvis à ſolo Deo juſtitia fluat, non alibi tamen pleua ejus exbibitio nobis conſtabit quam in carne Chriſti. nam in ea impleta fuit hominum redemptio, in ea oblatum ſacrificium expiaudis peccatis, obedientia Deo præſtita, quæ ipſum nobis placaret: ea quoque perfuſa fuit ſanctificatione Spiritus: ea tandem devicta morte in cæleſtem gloriam recepta fuit. Sequitur ergo, omnes vitæ partes illic fuiſſe locatas, nequis poſſit jure conqueri ſe privari vita, quia procul lateat. *Quam ego dabo pro mundi vita.* Dandi verbum varie accipitur. prior donatio, cujus prius meminit, quotidie fit, quoties ſcilicet ſe nobis Chriſtus offert; ſecundo loco donatiouem illam uuicam notat quæ facta eſt in cruce, quum ſe Patri in ſacrificium obtulit. tunc enim ſe in mortem expoſuit pro hominum vita: uunc ad percipiendum mortis ſuæ fructum nos invitat. Nibil enim nobis prodeſſet victimam illam ſemel eſſe immolatam niſi nunc ſacro epulo veſceremur. Porro hoc notandum eſt, quod carnis ſuæ immolandæ partes ſibi Chriſtus aſſerit. unde apparet quam improbo ſacrilegio ſe contaminent Papiſtæ, qui ſibi in Miſſa uſurpant quod unici illius Sacerdotis proprium fuit.

52. Decertabant ergo Judæi inter ſe, dicentes, Quomodo poteſt hic nobis dare carnem edendam?
53. Dixit ergo eis Jeſus, Amen, amen dico vobis, niſi ederitis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habetis vitam in vobis.
54. Qui manducat carnem meam, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die:
55. Caro enim mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus.
56. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.
57. Quemadmodum me miſit vivens Pater, ego quoque vivo propter Patrem: & qui manducat me, ille etiam vivet propter me.
58. Hic eſt panis qui è cælo deſcendit: non quemadmodum comederunt patres veſtri manna, & mortui ſunt: qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

52. *Decertabant ergo Judæi.*] Judæos rurſus nominat non honoris cauſa, ſed ut ſuam illis incredulitatem exprobret, quod familiarem de vita æterna doctrinam non recipiuut, vel ſaltem de re adhuc obſcura & dubia non modeſte inquirunt. pervicaciæ enim & contemptus ſignum eſt, quod pugnaſſe eos dicit: qui vero ita contentioſe diſputant, viam ſibi obſtruunt ad veri notitiam. Neque tamen boc in illis ſimpliciter reprehenditur quod de modo interrogaverint: nam eadem reprehenſio in Abraham & beatam Virginem caderet. Ergo vel imperitia falluntur, vel parum candide faciunt qui præterita rixandi libidine & audacia (quas tantum damnat Euangeliſta) ſolam particulam *Quomodo* exagitant, quaſi Judæis nefas fuerit de modo manducationis inquirere. Atqui hoc ſocordiæ potius imputaudum eſt quam fidei obſequio tribuendum, ſi dubitationum nodos qui nobis ſolvuntur Domini verbo, ſcientes & volentes tenemus implicitos. Quare non inquirere tantum licet de manducandæ carnis Chriſti modo, ſed eum quoque tenere operæpretium eſt quatenus in Scriptura exponitur. Faceſſat ille bis contumax humilitatis prætextus, Mihi una illa Chriſti vox ſufficit quum pronunciat carnem ſuam vere cibum eſſe; ad reliqua libenter cæcutio. Quaſi vero non idem futurus ſit hæreticis color, ſi ſponte ignorent ex Spiritu ſancto conceptum eſſe Chriſtum, quia ſemen Abrahæ ipſum credentes,

non

Digitized by Google

non ultra inquirant. Solum tenenda eſt hæc moderatio in arcanis Dei operibus, ne plus ſcire appetamus quam verbo ſuo definit.

53. *Amen, amen dico vobis.*] Hoc jusjurandum Chriſto extorſit indignatio, quum tam ſuperbo contemptu gratiam ſuam reſpui videret. neque enim jam ſimplici doctrina utitur, ſed incutiendo terrori ſimul minas admiſcet: æternum enim exitium denunciat omnibus qui vitam à carne ſua petere recuſaverint: acſi diceret, Si caro mea vobis contemptui eſt, ſcitote non aliam vobis ſpem vitæ reſtare. Hæc omnes gratiæ Chriſti contemptores manet ultio, ut cum ſua ſuperbia male pereant. atque hac præciſa ſeveritate urgendi ſunt, ne ſibi blandiri pergant. Nam ſi mortem ægrotis remedia aſpernantibus minamur, quid impiis agendum eſt, dum vitam ipſam abolere quantum in ſe eſt nituntur? Quod dicit *Carnem Filii hominis*, emphaſim habet: perſtringit enim eorum contemptum, qui inde naſcebatur quia reliquis hominibus ſimilem videbant. Senſus ergo eſt, Contemnite me ut libet propter humilem & abjectum carnis meæ conſpectum: tamen incluſa eſt in contemptibili hac carne vita, qua ſi vos privatis, non alibi reperietis quod vos vivificet. Craſſus fuit veterum error, qui infantulos putarunt vita æterna privari niſi Euchariſtiam illis porrigerent. neque enim de Cœna habetur concio, ſed de perpetua communicatione, quæ etiam extra Cœnæ

Bohemi.

uſum nobis conſtat. Nec vero recte Bohemi, quum hoc teſtimonio probarent uſum calicis promiſcuum debere omnibus eſſe. Quod ad infantulos ſpectat, eos Chriſti inſtitutio à Cœnæ participatione arcet, quia nondum ſeipſos probare, nondum colere memoriam mortis Chriſti poſſunt. Eadem inſtitutio calicem omnibus una cum pane communem facit: mandat enim ut inde bibamus omnes.

54. *Qui manducat carnem meam.*] Repetitio eſt, ſed non ſupervacua: confirmat enim quod erat creditu difficile, non aliter carne ſua & ſanguine animas paſci quam corpus potu & cibo ſuſtinetur. Ergo ſicuti nuper teſtatus eſt, omnibus qui vitam alibi quam in carne ſua quærunt, nihil reſiduum eſſe præter mortem: ita nunc pios ad bonam ſpem animat, dum vitam illis in eadem carne promittit. Obſerva quod reſurrectionem toties adjungit vitæ æternæ: quia ſalus noſtra ad illum uſque diem abſcondita erit. Ergo quid nobis Chriſtus conferat ſentire nemo poteſt, niſi qui ſuperato mundo reſurrectionem ultimam ſibi ante oculos ponit. Ex his verbis palam apparet, perperam de Cœna exponi totum hunc locum: nam ſi verum eſſet, quicunque ad ſacram Domini menſam ſe ingerunt, carnis & ſanguinis ejus fieri participes, omnes ſimiliter vitam referrent. ſcimus autem multis in exitium cedere. Et certe ineptum fuiſſet ac intempeſtivum de Cœna tunc diſſerere, quam nondum inſtituerat: ideo de perpetua fidei manducatione eum tractare certum eſt. Simul tamen fateor, nihil hic dici quod non in Cœna figuretur ac vere præſtetur fidelibus adeoque ſacram

Sigillum hujus concionis Cœna Domini.

Cœnam Chriſtus quaſi hujus concionis ſigillum eſſe voluit. Atque hæc ratio eſt cur apud Joannem nulla fiat Cœnæ mentio. Itaque genuinum ordinem ſequitur Auguſtinus, dum inter explicandum hoc caput Cœnam non attingit, donec ad finem uſque ventum eſt. Tunc autem docet myſterium hoc in ſymbolo repræſentari quoties Eccleſiæ ſacram Cœnam celebrant, alibi quotidie, alibi tantum diebus Dominicis.

55. *Caro mea vere eſt cibus.*] Idem aliis verbis confirmat, ſicuti inedia corpus tabeſcit & conficitur, ita animam, niſi cœleſti pane reficiatur, mox fame perituram. Nam quum affirmat carnem ſuam vere eſſe cibum, animas, ſi careant cibo iſto, famelicas eſſe ſignificat. Tunc ergo vitam in Chriſto invenies, ſi vitæ materiam quæras in ejus carne. Ita cum Paulo jactare convenit, nihil nobis excellere præter Chri-

1 Cor. 2. verſ. 2.

ſtum crucifixum: quia ſimulatque à ſacrificio mortis ejus diſceſſimus, nihil præter mortem nobis occurrit. Nec alia via nos ad divinæ ſuæ virtutis ſenſum deducit quam per mortem & reſurrectionem ſuam. Ideo Chriſtum amplectere ſervum Patris, ut ſe vitæ principem tibi oſtendat. Nam quod ſe exinanivit, hoc modo ditati ſumus omni bonorum affluentia: ejus humiliatio ac deſcenſus ad inferos nos in cœlum extulit: crucis maledictionem ſubeundo, nobile juſtitiæ trophæum erexit. Præpoſteri ergo ſunt interpretes qui animas à Chriſti carne abducunt. Sed cur ſeorſum ſanguinis ſui meminit Chriſtus, qui ſub carne continetur? Reſpondeo habitam ab ipſo rationem fuiſſe noſtræ ruditatis. nam quum diſtincte cibum & potum exprimit, vitam quam præſtat, numeris omnibus completam eſſe admonet, ne dimidiam tantum vel mutilam nobis fingamus: acſi diceret, nullam nobis defore vitæ partem, ſi modo edamus carnem ſuam, & ſanguinem bibamus. Sic etiam in Cœna, quæ huic doctrinæ reſpondet, non contentus panis ſymbolo, calicem ſimul adjungit, ut duplicem vitæ teſſeram in ipſo habentes, eo ſolo contenti eſſe diſcamus. neque enim partem vitæ reperiet in Chriſto niſi qui eum totam & ſolidam vitam ſibi eſſe ſtatuet.

56. *Qui manducat carnem meam.*] Alia confirmatio. nam quum vitam ſolus in ſe contineat, ejus fruendæ modum præſcribit, ut carnem ſuam edamus: acſi negaret ſe aliter noſtrum fieri niſi quum fides noſtra in ejus carnem dirigitur. neque enim ad Chriſtum Deum unquam perveniet qui hominem negligit. Quare ſi tibi vis aliquid cum Chriſto eſſe commune, cavendum in primis eſt ne carnem ejus faſtidias. Quum dicit ſe in nobis *manere*, perinde hoc valet acſi diceret, hoc unum eſſe unitatis vinculum, & hac ratione ſe nobiſcum coaleſcere, quum fides noſtra in mortem ejus recumbit. Porro iterum hinc colligere licet, verba de externo ſymbolo non fieri: quod multi promiſcue ex infidelibus percipiunt, tamen à Chriſto alieni manent. Hinc præterea refellitur delirium illud, Judam non minus ſumpſiſſe Chriſti corpus quam reliquos, dum omnibus porrectus eſt panis à Chriſto. nam ſicuti ad externum ſignum inſcite reſtringitur hæc doctrina, ſic tenendum eſt quod prius dixi, illic obſignari doctrinam quæ hic habetur. Atqui certum eſt, Judam nunquam fuiſſe Chriſti membrum: deinde pluſquam abſurdum eſt carnem Chriſti mortuam & ſpiritu vacuam imaginari: poſtremo ridiculi ſunt qui ullam carnis Chriſti manducationem abſque fide ſomniant, quum ſola fides os (ut ita dicam) animæ ſit ac ventriculus.

57. *Quemadmodum miſit me.*] Hactenus quomodo nos vitæ compotes fieri oporteat Chriſtus diſſeruit: nunc ad cauſam principalem tranſit, quia prima vitæ origo in Patre eſt. Prævenit autem objectionem: quia videri poterat Deo quod ſuum eſt detrahere, quum ſe faceret vitæ cauſam. Sic ergo ſe facit vitæ auctorem ut aliunde ſibi hoc datum concedat quod aliis miniſtrat. Notemus hanc quoque orationem accommodari ad eorum captum quibuſcum loquebatur Chriſtus: ſe enim Patri comparat tantum carnis ſuæ reſpectu. Tametſi enim Pater vitæ principium eſt, Sermo tamen æternus ipſe quoque proprie eſt vita. Sed de æterna Chriſti Divinitate hic non agitur, quia ſeipſum proponit ut carne noſtra veſtitus ſe patefecit mundo. Quod ergo ſe vivere propter Patrem dicit, non competit in nudam divinitatem, neque etiam ſimpliciter & per ſe humanæ naturæ convenit: ſed elogium eſt Filii Dei in carne manifeſtati. Deinde ſcimus Chriſto non eſſe inſolens, Patri adſcribere quicquid in ſe habebat divinum. Notandum autem eſt tres hic recenſeri vitæ

Tres vitæ gradus.

gradus: primum locum obtinet vivens Pater, qui

Chriſtus ut Deus homo factus, ſecunda vitæ cauſa eſt. ſcaturigo eſt, ſed remota & abſcondita: ſequitur Filius, quem habemus velut fontem nobis expoſitum, & per quem ad nos vita diffunditur: tertia eſt vita quam nos ab ipſo haurimus. Nunc tenemus ſummam, quia Deus Pater, penes quem reſidet vita, procul à nobis diſtat, Chriſtus quaſi medius ſtatuitur, qui eſt ſecunda vitæ cauſa, ut inde ad nos uſque perveniat quod alioqui in Deo lateret.

58. *Hic eſt panis.*] Redit ad comparationem mannæ & carnis ſuæ, unde exorſus fuerat. ſic enim claudendus illi ſermo fuit, Non eſt cur mihi præferatis Moſen, quia patres veſtros io deſerto aluerit: quum ego vobis longe præſtantiorem cibum ſuppeditem. mecum enim cæleſtem vitam affero. Nam (ut ſupra dictum eſt) è cælo deſcendere panis dicitur qui nihil terreoum vel corruptibile ſapit, ſed immortalitatem ſpirat regni Dei. Hanc virtutem non experti ſunt in manna, qui tantum paſceodo ventri intenti erant. Nam quum duplex fuerit mannæ uſus, Judæi cum quibus hic Chriſtus diſputat, nihil ſpectabant præter cibum corporalem. Vita autem animæ minime caduca eſt, ſed proficit in melius donec totus homo renovatus fuerit.

59. Hæc dixit in ſynagoga, docens in Capernaum.
60. Multi itaque ex diſcipulis ejus, quum audiſſent, dixerunt, Durus eſt hic ſermo,
quis poteſt eum audire?
61. Jeſus autem quum noviſſet in ſeipſo quod de hoc murmurarent diſcipuli ſui, dixit
eis, Hoc vos offendit?
62. Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem ubi erat prius?
63. Spiritus eſt qui vivificat: caro non prodeſt quicquam. Verba quæ ego loquor vobis, Spiritus & vita ſunt.
64. Sed ſunt ex vobis quidam qui non credunt. Noverat enim ab initio Jeſus qui
eſſent non credentes, & quis eſſet qui proditurus erat ipſum.

59. *Hæc dixit in ſynagoga.*] Locum deſignat Joannes, ut ſciamus multos interfuiſſe: deinde concionem fuiſſe habitam ut de re gravi & ſeria. Sequitur tameo mox, ex tanta turba vix pauculos fuiſſe qui profecerint. imo hæc doctrina multis qui ſe Chriſti diſcipulos profitebaotur, defectionis occaſio fuit. Si aliquos tantum offenſos eſſe dixiſſet Euangeliſta, jam iſtud fere prodigii loco babendum eſſet: ſed quod turmatim inſurgunt, & ſimul conſpirant, quale exemplum eſſe dicemus? Quare penitus animis noſtris inſideat hæc hiſtoria, nequando nobis contingat Chriſto loquenti obſtrepere. deinde ſiquid tale cernamus hodie in aliis, ne fidem noſtram conturbet eorum ſuperbia.

60. *Durus eſt hic ſermo.*] Quin potius in illorum cordibus erat durities, non in ſermone. Sed ita ſolent reprobi lapides ex Dei verbo ſibi congerere, ad quos impingant. & quum ferrea ſua contumacia ruant adverſus Chriſtum, queruntur durum eſſe ejus ſermonem, qui potius ipſos mollire debuerat. Nam quiſquis ſe humiliter Chriſti doctrinæ ſubmittet, nihil in ea reperiet durum aut aſperum: incredulis vero, qui ſe pervicaciter opponent, malleus erit conterens petras, ſicut Propheta vocat. *Jer. 23. verſ. 29.* Porro quum eadem nobis omnibus ingenita ſit durities, ſi ex ſenſu noſtro judicemus de Chriſti doctrina, totidem paradoxa erunt quot verba. Quare nihil ſupereſt niſi ut Spiritus directioni quiſque ſe commendet, ut cordibus noſtris inſcribat quod alioqui ne in aures quidem penetraret. *Quis poteſt eum audire?* Hic perſpicimus quam maligna ſit incredulitas. nam qui ſalutis doctrinam impie & ſcelerate rejiciunt, excuſatione non contenti, ultro Filium Dei reum ſubſtituere audeot ſuo loco, & indignum pronunciare qui audiatur. Ita hodie Papiſtæ oon modo Euangelium audacter repudiant, ſed ſimul crepaot borrendas blaſphemias, ne videantur abſque cauſa repugnare Deo. Et certe quum tenebras appetant, non mirum eſt ſi fictis portentis illos deludit Satan. Sed quod illi pro ſua intemperie ferre nequeunt, non tantum modeſtis ac docilibus erit tolerabile, ſed eos eriget ac ſuſtinebit. Interea reprobi obſtreperis ſuis convitiis nihil quam gravius ſibi exitium accerſent.

61. & 62. *Jeſus autem quum noviſſet.*] Sciebat quidem Chriſtus offenſionem à reprobis conceptam non poſſe tolli (neque enim tam eos vulnerat doctrina, quam putridum quod intus io corde ulcus alebant detegit) voluit tamen modis omnibus experiri num quis ioter eos qui offenſi fuerant, ſanabilis adhuc eſſet: reliquis autem os obſtruere. Interrogando, ſignificat nullam eos cauſam habere: vel ſaltem in doctrina ipſa minime eſſe ſcandali materiam. Sic cohibenda eſt eorum improbitas qui canina taotum rabie perciti verbo Dei maledicunt: caſtiganda quoque eorum ſtultitia qui temere contra veritatem ruunt. Dicit Jeſum in ſeipſo noviſſe, quia illi nondum ingenue ptotulerant quid eos morderet, ſed tacito murmure inter ſe fremebant. prævenit ergo apertas eorum querimonias. Si objiciat quiſpiam non obſcuram fuiſſe eorum naturam, quum diſertis verbis reſpuerent Chriſti doctrinam: fateor quidem clara eſſe verba quæ prius retulit Joaoes: ſed ſimul dico eos averſantium more jactaſſe ioter ſe obſtreperas iſtas & quaſi raucas voces. nam ſi ſermonem habuiſſent cum Chriſto, ſpes fuiſſet longe melior, quod aperta illi fuiſſet via ad docendum: nunc quum ſeorſum obloquuntur, viam ſibi ad diſcendum præcludunt. Nihil ergo melius, quum Domini ſenſum non ſtatim aſſequimur, quam recta ad ipſum venire ut nodos omnes nobis expediat. *Hoc vos offendit?* Videtur hic Chriſtus non tam eximere ſcandalum quam augere: ſi quis tamen ptopius expendat ſcandali cauſam, erat in hac ſententia quod eorum animos placare deberet. Humilis & abjecta Chriſti coodітio, quam oculis cernebant, quum carne indutus nihil ab hominum vulgo differret, illis obſtaculo erat ne divinæ ejus virtuti locum darent. nunc quaſi ſubducto velo ad cæleſtis ſuæ gloriæ conſpectum eos revocat: acſi diceret, Quia inter homioes ſine honore verſor, vobis ſum contemptui, nec quicquam in me divinum agnoſcitis: atqui paulo poſt fiet ut Deus magnifica virtute me ornatum, ab boc contemptibili mortalis vitæ ſtatu ſupra cælos extollat. Nam in Chriſti reſurrectione talis apparuit Spiritus ſancti potentia, quæ Chtiſtum eſſe Filium Dei palam facerer: ſicut etiam docer Paulus ad Romanos. *Rom 1:4.* Et quum dicitur in Pſal. Filius meus es tu, ego hodie genui te: *Pſal. 2:7.* reſurrectio quaſi ſpecimen ſtatuitur unde iſta Chriſti gloria agnoſci debuit: aſcenſus vero in cælum, gloriæ iſtius complementum fuit. Quod dicit *ſe prius fuiſſe in cælo*, humaoitati proprie non quadrat, & tamen de Filio hominis loquitur. ſed hæc loquendi forma inſolens non eſt, quando duæ naturæ in Chriſto perſonam unam conſtituunt, quod unius proprium eſt, ad alteram transferre.

63. *Spiritus eſt qui vivificat.*] His verbis docet Chriſtus nullum apud Judæos doctrinæ ſuæ profectum eſſe: quia quum ſpiritualis ſit & vivifica, aures non reperiat bene præparatas. Sed quia varie expoſitus fuit hic locus, principio genuinum verborum

ſen-

ſenſum tenere operæpretium eſt. hinc facile patebit Chriſti conſilium. Quod carnem prodeſſe negat, male Chryſoſtomus, meo judicio, ad Judæos refert, qui carnales erant. Fateor quidem in cæleſtibus myſteriis totam humani ingenii vim evaneſcere ac deficere: ſed eam ſententiam non continent Chriſti verba, niſi violenter torqueantur. Æque in antitheto coactus eſſet ſenſus, quod ſcilicet Spiritus illuminatio vivificet. Nec recte etiam illi qui Chriſti carnem prodeſſe dicunt quatenus crucifixa eſt, comeſam vero nihil nobis afferre: quin potius comedere eam neceſſe eſt, ut crucifixa proſit. Auguſtinus ſubaudiendum putat ſolam & per ſe, quia debeat cum Spiritu conjungi: quod cum re ipſa conſentaneum eſt. nam Chriſtus ad modum edendi ſimpliciter reſpicit. Non ergo quamvis excludit utilitatem, quaſi nulla percipi ex carne ſua poſſit: ſed ita demum inutilem fore pronunciat ſi à Spiritu ſeparetur. Unde enim habet caro ut vivificet niſi quia ſpiritualis eſt? Ideo quiſquis in terreſtri carnis natura ſubſiſtit, nihil in ea reperiet niſi mortuum: ſed qui oculos attollent ad Spiritus virtutem qua perfuſa eſt caro, non fruſtra vivificam dici, ipſo effectu & fidei experientia ſentient. Tenemus nunc quomodo caro vere ſit cibus, & tamen nihil proſit: nempe cibus eſt, quia per ipſam parta nobis eſt vita, quia in ipſa placatus nobis eſt Deus, quia in ipſa completas habemus omnes ſalutis partes: nihil prodeſt, ſi ex ſua origine & natura æſtimetur (neque enim vitam confert Abrahæ ſemen, quod per ſe morti eſt obnoxium) ſed à Spiritu accipit unde nos paſcat. Quare nos quoque, ut ab ea vere alamur, ſpirituale fidei os afferre decet. Quod autem adeo conciſa eſt ſententiæ brevitas, credibile eſt id factum eſſe quia ſic agendum eſſe ducebat Cbriſtus cum incredulis. Ergo hac clauſula quaſi ſermonem abrupit, quia indigni erant apud quos plus verbotum faceret. Interim pios & dociles non neglexit: quia hic paucis habent quod abunde illis ſatisfaciat. *Verba quæ ego loquor.* Alluſio eſt ad proximam ſententiam: nam Spiritus nomen hic diverſo ſenſu accipit. Sed quia de arcana Spiritus virtute loquutus erat, eleganter hoc ad doctrinam ſuam transfert, quod ſpiritualis ſit. nam vox *Spiritus* in adjectivum reſolvi debet. Porro ſpiritualis vocatur ſermo qui nos ſurſum invitat, ut Chriſtum, duce Spiritu, fide, non carnis ſenſu, in cæleſti ſua gloria quæramus. ſcimus enim eorum quæ dicta ſunt nihil niſi fide comprehendi. Ac notatu etiam dignum eſt quod vitam cum Spiritu connectit. Vitam ab effectu nominat ſermonem ſuum, quaſi vivificum: ſed vivificum nemini fore docet niſi à quo ſpiritualiter percipitur. nam alii inde mortem potius haurient. Apud pios ſuaviſſimum hoc Euangelii elogium eſt, quod certi ſunt ſibi in æternam ſalutem deſtinatum eſſe: ſimul tamen monentur ut idoneos ſe diſcipulos præbere ſtudeant.

64. *Sed ſunt quidam ex vobis.*] Rurſus culpam illis adſcribit quod Spiritu vacui doctrinam ſuam male corrumpant ac depravent, & hoc modo vertant ſibi in exitium. Poterant enim alioqui objicere, Tu quidem vivificum eſſe jactas quod loqueris, ſed nihil tale experimur. Dicit ergo illos ſibi eſſe obſtaculo. nam incredulitas, ut ſemper eſt ſuperba, nihil unquam aſſequetur in verbis Chriſti quæ contemptim deſpicit. Ergo ſiquid proficere cupimus ſub hoc magiſtro, animos ad ipſum audiendum rite compoſitos afferamus: niſi enim humilitas & reverentia aditum ejus doctrinæ patefaciat, mentes noſtræ pluſquam ſaxeæ ſunt, nec ullam ſanæ doctrinæ partem admittent. Proinde quod tam exiguus hodie Euangelii profectus cernitur in mundo, meminerimus hominum pravitate accidere. nam quotuſquiſque eſt qui ſibi renuncians, Chriſto vere ſe addicat? Quod tantum quoſdam dicit eſſe incredulos (quum hoc crimen fere in omnes competeret) feciſſe ideo videtur ne ſiqui adhuc eſſent ſanabiles, deſperatione animos abjicerent. *Noverat enim ab initio.* Hoc ideo addidit Euangeliſta nequis putet temere judicaſſe Chriſtum de ſuis auditoribus. Multi ſe ex ejus grege eſſe profitebantur: at ſubita defectio hypocriſin detexit. Sed eorum perfidiam, quum adhuc aliis occulta foret, Chriſto notam fuiſſe Euangeliſta dicit: idque non tam ipſius cauſa, quam ut diſcamus judicium non ferre niſi de rebus bene compertis. nam quod Chriſtus ab initio ſcivit, hoc divinitatis ejus proprium fuit. Alia noſtra eſt ratio: quia enim non ſumus cordium cognitores, ſuſpendere jodicium decet, donec externis ſignis ſe prodat impietas, atque ita arbor à fructibus cenſeatur.

65. Et dixit, Propterea dixi vobis quod nemo poteſt venire ad me, niſi illi fuerit datum à Patre meo.

66. Ex eo multi ejus diſcipuli abierunt retro, nec amplius cum eo ambulabant.

67. Dixit ergo Jeſus ipſis duodecim, Num & vos vultis abire?

68. Reſpondit ergo illi Simon Petrus, Domine, ad quem diſcedemus? verba vitæ æternæ habes.

69. Et nos credidimus & cognovimus quod tu es Chriſtus Filius Dei viventis.

70. Reſpondit eis Jeſus, Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus eſt?

71. Dicebat autem Judam Simonis Iſcariotem: hic enim erat eum traditurus, quum unus eſſet ex duodecim.

65. *Propterea dixi.*] Iterum fidem admonet rarum admodum & ſingulare donum eſſe Spiritus Dei, ne miremur Euangelium non recipi paſſim ab omnibus. nam ut ſiniſtri ſumus interpretes, minus honorifice de Euangelio ſentimus, quia totus illi mundus non ſubſcribit. venit enim nobis in mentem qui fieri poſſit ut ſalutem ſuam major pars hominum ſponte rejiciat. Quod ergo tanta eſt fidelium paucitas, cauſam aſſignat Cbriſtus, quia ad fidem ſua perſpicacia nemo hominum perveniat: omnes enim cæcos eſſe donec à Spiritu Dei illuminentur. ſolos igitur eſſe tanti boni compotes, quos ejus participatione dignatur Pater. Nam ſi promiſcua omtibus hæc gratia eſſet, intempeſtive & extra rem ejus mentio fieret hoc loco. Tenendum eſt enim Chriſti conſilium, non multos Euangelio credere quia non niſi ex arcana Spiritus revelatione naſcatur fides. *Donandi* verbo hic utitur pro eo quod prius dixerat *trahere*: quo ſignificat non aliam nos trahendi cauſam Deo eſſe niſi quia gratuito nobis favet. quod enim conſequimur ex Dei dono & gratia, nemo ſibi propria induſtria comparat.

66. *Ex eo multi diſcipulorum.*] Nunc recitat Euangeliſta quanta perturbatio concionem illam ſequuta ſit. Eſt autem hoc horribile portentum quod tam benigna & comis Chriſti invitatio alienare multorum animos potuerit, præſertim qui prius illi nomen dederant, adeoque familiares erant ejus diſcipuli. Sed hoc exemplum nobis quaſi ſpeculi vice proponitur, in quo cernamus quanta ſit mundi pravitas & ingratitudo, qui ex ipſa viæ planitie ſcandali materiam ſibi ſtruit ne ad Chriſtum accedat. Dicerent multi ſatius fuiſſe non moveri ejuſmodi ſermonem, qui defectionis cauſa multis fuit: ſed longe aliter nobis ſtatuendum eſt. Nam quod de Chriſto prædictum fuerat, in ejus doctrina perſpici tunc oportuit,

Jeſ. 8:14. & nunc quotidie oportet, eum ſcilicet lapidem eſſe offenſionis. Sic quidem temperanda eſt nobis doctrina, nequem noſtra culpa offendamus: quoad fieri poteſt retineodi ſunt nobis omnes. denique cavendum ne inconſiderate loquendo, rudes vel infirmos turbemus. Sed nunquam adbiberi tanta cautio poterit quin multis ſcandali occaſio ſit Chriſti doctrina: quia reprobi eaitio devoti venenum ex cibo ſaluberrimo, & fel ex melle ſugunt. Certe quid utile eſſet, optime tenebat Filius Dei: videmus tamen eum non effugere quin multos ea ſuis offendat. Ergo utcunque multi abhorreant à pura doctrina, ſupprimere tamen eam fas non eſt. Tantum meminerint
2 Tim. 2. verſ. 16. Eccleſiæ doctores Paulinæ admonitionis, verbum Dei recte ſecandum eſſe: tum deinde per quævis offendicula intrepide pergant. Quod ſi multos deficere contingat, ne ideo minus ſapiat nobis verbum Domini quia reprobis non arridet: nimis enim delicati ſunt ac molles quos defectio quorundam ſic percellit ut illis cadentibus ſimul labaſcant. Quum addit Evangeliſta *non amplius ambulaſſe* cum Chriſto, ſignificat non plenam fuiſſe apoſtaſiam, ſed tantum quod ſe à Chriſti contubernio ſubduxerint. damnat tamen eos quaſi apoſtatas. Unde diſcendum eſt non poſſe nos latum pedem retrocedere quin proclivis ad perfidam abnegationem lapſus nos maneat.

67. *Dixit ergo Jeſus duodecim.*] Quia graviter concuti poterat Apoſtolorum fides, quum ſe ex magna turba reſtare tam paucos viderent, Chriſtus ſermonem ſuum ad eos convertit: docetque non eſſe cauſam cur ſe aliorum levitate & ioconſtantia abripi ſinant. Nam dum eos rogat numquid velint ipſi quoque diſcedere, ad confirmandam eorum fidem facit. dum enim ſe illis proponit apud quem maneant, ſimul bortatur ne ſe comites adjungant apoſtatis. Et certe ſi in Chriſto fundata erit fides, ab hominibus non pendebit, neque unquam vacillabit, etiamſi cælum terræ miſceri videat. Ac notanda eſt circumſtantia, quod Cbriſtus omnibus fere diſcipulis pri-
Jeſ. 8:16. vatus, ſolos duodecim retinet: qualiter Jeſaias prius juſſus fuerat teſtimonium ligare, & Legem obſignare in diſcipulis. Talibus exemplis docetur unuſquiſque fidelium, etiamſi neminem ſocium habeat, Deum ſequi.

68. *Reſpondit ergo ei Simon Petrus.*] Omnium nomine bic Petrus, ſicut alibi, reſpondet: quia idem erat omnium ſeoſus, niſi quod in Juda nihil erat ſincerum. Porro bujus reſponſi duo ſunt membra. cauſam enim adducit Petrus cur libenter una cum ſuis fatribus acquieſcat Cbriſto: quia ejus doctrinam ſibi ſalutarem ac vivificam eſſe ſentiunt. Deinde fratetur, quocunque ſe conferant eo relicto, nihil præter mortem eſſe reliquum. Quum dicit *verba vitæ*, genitivus loco epitheti ponitur: quod Hebræis frequens eſt. Inſigne porro Euangelii encomium, quod nobis vitam æternam miniſtrat, ſicuti
Rom. 1. verſ. 16. Paulus teſtatut eſſe Dei potentiam in ſalutem omni credenti. Continet quidem & Lea vitam: ſed quia mortis æternæ reatum transgreſſoribus denunciat, non poteſt aliud quam occidere. Longe aliter nobis in Euangelio vita offertur, dum videlicet gratis nos ſibi Deus reconciliat, peccata non imputando. Cæterum nihil hic vulgare de Chriſto prædicat Petrus, quum eum habere dicit *vitæ æternæ verba*: ſed boc uni illi vendicat tanquam proprium. unde ſequitur illud ſecundum quod nuper attigi, ſimulatque à Cbriſto diſceſſum eſt, ubique præter mortem nihil eſſe reſiduum. Quare omnes qui eo magiſtro non contenti ad hominum commenta transvolant, manet certus interitus.

69. *Et nos credidimus.*] Verba ſunt præteriti temporis, ſed poſſunt reſolvi in tempus præſens: atque id ad ſenſum non multum intereſt. Porro his verbis fidei ſummam breviter Petrus complectitur. Sed videtur confeſſio hæc tihil ad præſentem cauſam facere: quæſtio enim de manducanda Chriſti carne mota fuerat. Reſpondeo, etiamſi non protinus aſſequuti ſint duodecim quicquid docuerat Chriſtus, ſatis tamen eſſe quod pro fidei ſuæ modulo ſalutis auctorem fatentur, ſeque per omnia illi ſubjiciunt. *Credendi* verbum priore loco ponitur, quia rectæ intelligentiæ initium eſt fidei obedientia: imo fides ipſa vere mentis oculus eſt. Verum continuo poſt notitia ſubjicitur, quæ fidem ab erroneis falſiſque opinionibus diſcernit. credunt etim Turcæ & Judæi & Papiſtæ, ſed nihil norunt neque tenent. At fidei annexa eſt cognitio. quia nobis certo & indubie conſtat Dei veritas, non qualiter apprehenduntur humanæ ſcientiæ, ſed dum eam cordibus noſtris Spiritus obſignat.

70. *Reſpondit eis Jeſus.*] Quum omnibus Chriſtus reſpondeat, binc colligimus omnes ex ore Perri loquutos eſſe. Porro Cbriſtus bic undecim Apoſtolos inſtruit & armat contra novum ſcandalum, quod jam inſtabat. Fuerat bæc gravis Satanæ macbina ad quatiendam eorum fidem, quum ad tam parvum numerum redacti eſſent: ſed eos Judæ lapſus penitus exanimare poterat. nam quum ſacer ille numerus à Cbriſto delectus eſſet, quis uoquam putaſſet ea ejus integritate quitquam poſſe decerpi? Perinde igitur valet iſta Chriſti admotutio acſi dixiſſet, Soli ex magna caterva duodecim reliqui eſtis. ſi fidem veſtram non labefecit multorum infidelitas, parate vos ad novum certameo: nam bæc manus, quamvis exigua, adbuc uno bomine minuetur. Quod Chriſtus *duodecim à ſe electos* dicit, non refertur ad æternum Dei conſilium: (neque enim fieri poteſt ut quiſquam eorum excidat qui præordinati ſunt ad vitam) ſed quum delecti eſſent ad munus Apoſtolicum, pietate & ſanctimonia præ aliis eacellere ipſos decebat. Ergo *electos* pro eximiis & à vulgo ſegregatis poſuit. *Diabolus eſt.* Non dubium eſt quin Judam maaime deteſtabilem boc nomine reddere voluerit. falluntur enim qui vocis atrocitatem eatenuant: & certe qui tam ſanctum munus profanant, eos non poſſumus ſatis eaecrari. Angeli vocantur doctores, qui legatione ſua probe funguntur. Jure ergo Diabolus cenſetur qui in ordinem aſcitus tam bonorificum, ſua perfidia & ſcelere degenerat. Eſt etiam alia ratio, quod Deus in reprobos & ſceleratos miniſtros Satanæ plus juris & licentiæ permitiit quam in quoſvis alios ea plebe homines. Quare ſi diabolicus furor eos agitat qui in Paſtores electi erant, ut ſimiles ſint feris belluis ac portentis, adeo hinc vileſcere non debet ordinis dignitas ut potius nobis commendetur, quando ejus profanationem ſequitur dira ultio.

71. *Dicebat autem Judam.*] Tametſi ſibi male conſcius erat Judas, non legimus tamen ſuiſſe commotum. adeo ſtupidi ſunt hypocritæ ut vulnera ſua non ſentiant: coram bominibus vero frontis ſunt adco ferreæ ut ſe optimis quibuſque præferre non dubitent.

CAP. VII.

ET ambulabat Jeſus poſt hæc in Galilæa: non enim volebat in Judæa ambulare, quia quærebant Judæi eum occidere.

2. Inſtabat autem dies feſtus Judæorum, Tabernaculorum fixio. Levit 23. verſ. 34.

3. Dixerunt ergo ei fratres ſui, Tranſi hinc, & abi in Judæam: ut & diſcipuli tui vediant opera tua quæ facis.

4. Nemo

4. Nemo enim in occulto quicquam facit, & quærit manifeſtus eſſe. ſi hæc facis, manifeſta teipſum mundo.

5. Neque enim fratres ejus credebant in ipſum.

6. Dixit ergo illis Jeſus, Tempus meum nondum adeſt: tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum.

7. Non poteſt mundus odiſſe vos: me autem odit, quia ego teſtificor de ipſo quod opera ejus mala ſint.

8. Vos aſcendite ad diem hunc feſtum: ego nondum aſcendo ad diem hunc feſtum, quia tempus meum nondum impletum eſt.

1. *Et ambulabat.*] Non videtur Euangeliſta continuam hiſtoriam texere, ſed eligere ex diverſis temporibus quæ memoratu digna erant. Dicit hic verſatum eſſe ad tempus in Galilæa, quia apud Judæos nuſquam tuta erat ſtatio. Siquis abſurdum eſſe ducit quod latebras quæſierit Chriſtus, qui nutu ſuo frangere & irritos reddere poterat omnes hoſtium conatus: prompta eſt ſolutio, quod ſcilicet impoſitæ ſibi à Patre perſonæ memor, intra hominis fines ſe con-
Phil. 2: 6. tinere voluerit. accepta enim ſervi forma ſe exinanivit, donec Pater eum extolleret. humano itaque more fugit periculum. Siquis objiciat, quum tempus mortis ſuæ præfixum teneret, non fuiſſe fugiendi cauſam: prior illa ſolutio huc quoque apte quadrat. ſe enim ut hominem gerebat periculis obnoxium: quare in media diſcrimina temere irrumpere non debuit. Quid de nobis apud ſe ſtatuerit Deus, non eſt noſtrum attendere in ſubeundis periculis, ſed quid nobis mandet ac præſcribat, quid ferat & poſtulet noſtrum officium, qualis inſtituendæ vitæ legitima ſit ratio. Cæterum ita pericula Chriſtus declinavit ut tamen ab officii curſu ne latum quidem unguem deflecteret: quorſum enim vitæ incolumitas, niſi ut ſerviamus Domino? Cavendum itaque ſemper ne propter vitam vivendi cauſas perdamus. Quod autem contemptus Galilææ angulus hoſpitium Chriſto præbet, quem ferre nequit Judæa: hinc perſpicimus quam non ſemper in præcipuis Eccleſiæ ſedibus pietas emineat ac Dei timor.

2. *Inſtabat autem dies feſtus.*] Tametſi nihil affirmo, probabile tamen eſt ſecundo poſt Baptiſmum Chriſti anno hoc accidiſſe. De hoc feſto die cujus meminit Euangeliſta, plura nunc dicere nihil attinet. in quem finem & uſum mandatus fuerit, Moſes docet Levit. 23. nempe ut annuo ritu in memoriam revocarent Judæi, patres ſuos annis quadraginta ſub tabernaculis vixiſſe, quum domibus carerent: ut ita celebrarent liberationis gratiam. Supra autem diximus duplicem Chriſto fuiſſe cauſam cur Hieroſolymam veniret ad dies feſtos: quia ſcilicet Legi ſubjectus, ut ab ejus ſervitute nos omnes redimeret, ex ejus obſervatione nihil prætermittere voluit: deinde quia in hominum frequentia & extraordinario confluxu melior erat promovendi Euangelii opportunitas. Nunc autem ſic Chriſtum in ſeceſſu Galilææ quieviſſe narrat Euangeliſta, quaſi Hieroſolymam venturus non eſſet.

3. & 4. *Dixerunt ergo ei fratres.*] Hoc nomine comprehendunt Hebræi cognatos omnes & conſanguineos, in quocunque ſint gradu. Ab illis deriſum fuiſſe Chriſtum refert, quod lucem & celebritatem fugiens, in obſcura & ignobili parte Judææ lateret. Dubitari tamen poteſt an eos impulerit ambitio ut Chriſtum inclareſcere cuperent. Ut hoc demus, contemptim tamen eos illudere palam eſt, quia non putant eum ratione & conſilio agere: imo ſtultitiam illi exprobrant, quia quum velit aliquid eſſe, ſibi diffidens non audeat prodire in hominum conſpectum. Quum dicunt, *Ut & diſcipuli tui videant*, non tantum domeſticos intelligunt, ſed quos ſibi paſſim ex tota gente acquirere volebat. Subjiciunt enim, Tu omnibus vis notus eſſe, & interea lates. *Si hæc facis.* Hoc eſt, ſi aſpiras ad tantam magnitudinem ut omnes te prædicent, fac ut in te vertas omnium oculos. Et mundum opponunt paucis hominibus, inter quos ſine honore degebat. Poteſt alius quoque ſenſus elici, Si hæc facis, hoc eſt, quum tanta virtute ſis præditus ut famam tibi miraculis concilies, noli ea perdere. nam quicquid à Deo tibi datum eſt, fruſtra hic conſumis ubi nulli ſunt teſtes ac æſtimatores idonei. Hinc perſpicimus quanta ſit in reputandis Dei operibus hominum ſocordia: nunquam enim ſic loquuti fuiſſent Chriſti cognati, niſi luculenta divinæ ejus virtutis ſpecimina, quæ cum ſumma admiratione debuerant ſuſpicere ac revereri, quaſi pedibus calcaſſent. Quod de Chriſto hic audimus, quotidie uſuvenit, ut filiis Dei plus moleſtiæ propinqui exhibeant quam extranei: ſunt enim Satanæ organa, quæ nunc ad ambitionem, nunc ad avaritiam ſollicitant qui Deo pure ac fideliter ſervire cupiunt. Sed Chriſtus tales Satanas acriter repellens, ſuo exemplo admonet non eſſe ſtultis fratrum votis obſequendum.

5. *Neque enim fratres.*] Hinc colligimus quam nihil ſit carnalis propinquitas: perpetuam enim infamiæ notam Spiritus inurit Chriſti cognatis, quod tot operum teſtimoniis convicti, ne tum quidem credebant. Ergo, ut ait Paulus, quiſquis in Chriſto 2 Cor. 5.
cenſeri optat, ſit nova creatura. nam qui ſe totos Deo vers. 17.
addicunt, patris & matris & fratrum locum apud Gal. 6: 1.
Chriſtum obtinent: alios à ſe prorſus abdicat. Quo magis ridicula eſt Papiſtarum ſuperſtitio, qui in Virgine Maria, poſthabitis omnibus aliis, ſolum ſanguinis honorem efferunt, quaſi non reprehenſa ab ipſo Chriſto fuerit mulier quæ ex media turba clamabat, Beatus uterus qui te geſtavit, & ubera quæ Luc. 11.
te lactarunt. Reſpondit enim Chriſtus, Quin po- vers. 27.
tius beati qui audiunt verbum Dei.

6. *Tempus meum nondum venit.*] De tempore mortis falſo quidam interpretantur. nam tempus profectionis ſuæ notat. Atque in hoc ſe à cognatis differre teſtatur, quod illis liberum eſt ac impune licet omnibus horis coram mundo prodire, quia mundum ſibi amicum ac propitium habeant: ipſe autem ſibi merito timeat, quia mundum infeſtum habet. Significat autem his verbis eos perperam de re nota conſilium dare: deinde carnales prorſus eſſe arguit, quum eos dicit non poſſe odio haberi à mundo. nam pax mundi impio in vitia & omne malorum genus conſenſu redimenda eſt.

7. *Me vero odit, quia teſtificor.*] Mundus hic pro hominibus non renatis accipitur, qui ingenium ſuum retinent. Quicunque ergo nondum ſunt Spiritu regeniti, eos ſibi adverſarios eſſe Chriſtus pronunciat. Et cur? Eo quod damnet ipſorum opera. Quod ſi judicio Chriſti acquieſcimus, fateri neceſſe eſt totam hominum naturam adeo vitioſam ac perverſam eſſe, ut nihil inde recti, nihil ſinceri, nihil boni oriri queat. En cur ſibi placeat quiſquam noſtrum quamdiu apud ſe manet. Jam dicit Chriſtus ſe odio haberi quia teſtetur mundi opera mala eſſe. Significat non poſſe Euangelium rite prædicari quin totus mundus ad Dei tribunal reus citetur, ut ita conteratur & in nihilum redigatur caro & ſanguis: juxta illud, Spiritus quum venerit, arguet mundum infra 16.
de peccato. Simul hinc diſcimus tantam eſſe homi- vers. 8.
nibus ingenitam ſuperbiam, ut ſibi in ſuis vitiis blan-

blandiantur ac plaudant. Neque enim reprehenſi excandeſcerent, niſi nimio ſui amore cæci ſibi adularentur in propriis malis: imo in hominum vitiis præcipuum & maxime exitiale eſt faſtus & arrogantia. Solus Spiritus nos manſuefacit, ut reprehenſiones placide feramus, adeoque nos ſponte offeramus Euangelii gladio mactandos.

9. Hæc autem quum dixiſſet illis, manſit in Galilæa.
10. Quum autem aſcendiſſent fratres ejus, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum, non palam, ſed quaſi in occulto.
11. Judæi ergo quærebant eum in die feſto, ac dicebant, Ubi eſt ille?
12. Et murmur multum de ipſo erat in turbis: hi quidem dicebant, Bonus eſt: alii autem dicebant, Non, ſed ſeducit turbam.
13. Nemo tamen palam loquebatur de eo propter metum Judæorum.

9. *Manſit in Galilæa.*] Hic ab una parte Euangeliſta ſub oculis nobis ſtatuit Chriſti cognatos, qui Dei cultum vulgari more præ ſe ferunt, ſed tamen impiis ſunt amici, atque ideo ſecure ambulant: ab altera parte Chriſtum ipſum, qui mundo exoſus, clam in urbem venit, donec officii neceſſitas illum cogit aperte ſe oſtendere. Quod ſi nihil miſerius eſt quam à Chriſto divelli: maledicta pax, quæ tanta mercede conſtat ut Chriſto renunciemus.

11. *Judæi ergo quærebant eum.*] Hic conſiderandum eſt qualis fuerit Eccleſiæ ſtatus. nam Judæi illo tempore tanquam famelici promiſſæ redemptioni inhiabant: tamen quum illis apparet Chriſtus, ſuſpenſi hærent. hinc confuſum illud murmur & varii ſermones. Quod clanculum ſuſurrant, ſignum eſt tyrannidis quam ſibi ſumpſerant Sacerdotes & Scribæ. Horribile certe exemplum, quum illa eo tempore unica fuerit Eccleſia in terris, hic nobis proponi velut confuſum & informe chaos. Qui præſunt paſtorum loco, metu & terrore appreſſum tenent populum: in toto corpore fœda vaſtitas & triſtis diſſipatio. Per *Judæos* promiſcuam plebem intelligit, quæ jam à duobus annis ad audiendum Chriſtum aſſueta, eum requirit quando ex more non apparet. Nam quum dicunt, *Ubi eſt ille?* notum hominem deſignant. & tamen vox iſta oſtendit non fuiſſe hactenus ſerio affectos, & ſemper ambiguos pendere.

12. *Murmur multum.*] Significat ubicunque turmatim ſe homines aggregabant (ut fieri ſolet in magnis conventibus) clancularios ſermones de Chriſto habitos fuiſſe. Diſſenſio quæ hic refertur, indicio eſt non eſſe novum hoc malum, ut varia ſint de Chriſto hominum judicia, etiam in medio Eccleſiæ ſinu. Sicuti autem Chriſtum recipere non dubitamus, qui pridem damnatus eſt à maxima gentis ſuæ parte: ita nos ejuſmodi præſidio munitos eſſe decet, ne hodiernis diſſidiis turbemur. Deinde quanta ſit in rebus divinis hominum temeritas, ſpectare licet. in minimo negotio non ita fuiſſent licentioſi: at ubi de Filio Dei & ſacroſancta ejus doctrina vertitur quæſtio, extemplo judicium præcipitant. Quo major nobis ſervanda eſt moderatio, ne inconſiderate vitam noſtram cum æterna Dei veritate damnemus. Quod ſi pro impoſtoribus nos mundus habet, meminerimus hæc eſſe Chriſti ſtigmata, modo interim reipſa nos præſtemus veraces. Oſtendit præterea hic locus, in magna multitudine, etiam ubi corpus ipſum confuſum eſt, ſemper eſſe aliquos recte ſentientes: ſed pauci mentis bene compoſitæ à multis inſanis obruuntur.

13. *Nemo tamen palam loquebatur.*] Judæos hic vocat primores, penes quos erant gubernacula. Tanto illi ardebant Chriſti odio, ut verbum nullum fieri ſinerent in utramvis partem: non quod eos male haberet quibuslibet probris eum lacerari; ſed quia nullum videbant melius compendium quam ſi ſepultum oblivione eſſet ejus nomen. Sic hoſtes veritatis poſtquam experti ſunt truculentia ſua nihil ſe proficere, nihil magis cuperent quam ſuppreſſam eſſe ejus memoriam: idque unum moliuntur. Quod *metu* ſubacti ſilebant omnes, id tyrannicum prorſus fuit, quemadmodum prius dixi. Nam ut in ſtatu Eccleſiæ bene ordinato locum non habet effrenis licentia; ſic ubi metu compreſſa tenetur omnis libertas, ut vocem nemo mittere audeat, miſerrima eſt conditio. Atque eo clarior & admirabilior enituit Chriſti virtus, quod ſibi inter hoſtes armatos, & furioſa eorum odia, & in tam formidabili dominio ſibi audientiam faciens, pleno (quod aiunt) ore veritatem aſſeruit.

14. Feſto autem die jam dimidio, aſcendit Jeſus in templum, & docebat.
15. Et mirabantur Judæi, dicentes, Quomodo hic literas novit, quum non didicerit?
16. Reſpondit illis Jeſus, ac dixit, Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me.
17. Siquis voluerit ejus voluntatem facere, cognoſcet de doctrina utrum ex Deo ſit, an ego à meipſo loquar.
18. Qui à ſeipſo loquitur, gloriam propriam quærit: qui vero quærit gloriam ejus qui miſit eum, hic verax eſt, & injuſtitia in eo non eſt.
19. Nonne Moſes dedit vobis Legem, & nemo ex vobis facit Legem? quid me quæritis interficere?

14. *Aſcendit in templ.*] Nunc videmus non ſic timuiſſe Chriſtum ut ſuis partibus deeſſet. nam hæc illi moræ cauſa fuit, ut in celeberrimo conventu habere concionem poſſet. Interdum igitur periculis cedere licet: ſed nulla bene agendi opportunitas negligi vel omitti debet. Quod in templo docet, facit hoc ex veteri inſtituto & more. nam quum Deus tot ceremonias mandavit, populum ſuum noluit in frigidis & vanis ſpectaculis occupari. Ut autem conſtaret utilitas, doctrinam oportuit ſimul conjungi. Atque hoc modo externi ritus vivæ ſunt rerum ſpiritualium imagines, dum formam ſuam habent ex Dei verbo. Quia autem tunc Sacerdotes fere muti erant, Scribæ vero ſuis fermentis & falſis commentis adulterabant puram doctrinam, Chriſtus docendi munus ſuſcepit: & merito, ut qui ſummus eſſet Sacerdos: quemadmodum paulo poſt nihil ſe niſi ex Patris mandato aggredi prædicat.

15. *Et mirabantur Judæi.*] Falluntur qui ſic exceptum fuiſſe putant Chriſti ſermonem ut in pretio & honore eſſet. Sic enim mirantur Judæi, ut contemptus occaſionem inde capiant. Nam ea eſt hominum ingratitudo ut in æſtimandis Dei operibus ſponte ſibi ſemper accerſant errandi materiam. Si Deus uſitatis mediis agit & conſueta via (ut loquuntur); media hæc quæ oculis apparent, quaſi vela, nos

im-

impediunt à manus divinæ conſpectu. nihil ergo niſi humanum tunc agnoſcimus. Sin vero inſolita Dei virtus & naturæ ordine ac mediis vulgo notis ſuperior refulget, obſtupeſcimus, & quaſi ſomnium evaneſcit quod ſenſus omnes noſtros penitus afficere debebat. Nam (quæ eſt noſtra ſuperbia) pro nihilo ducimus cujus ratio non apparet. Erat hoc mirabile gratiæ & virtutis Dei ſpecimen, quod Chtiſtus à nullo magiſtro edoctus, eximia tamen Scripturæ intelligentia pollebat: imo qui nunquam fuerat diſcipulus, præſtantiſſimus erat doctor & magiſter. Atqui hoc ipſo deſpiciunt Judæi gratiam Dei, quia eorum captum ſuperat. Proinde hoc exemplo moniti, majorem quam pro more Dei reverentiam adbibere diſcamus in operibus ejus conſiderandis.

16. *Mea doctrina non eſt mea.*] Quod Judæis ſcandalum erat, Chriſtus quaſi ſcalam potius eſſe admonet, quæ ſurſum eos evehere debeat ad cernendam Dei gloriam: acſi diceret, Quando videtis doctorem non formatum in ſchola hominum, divinitus eruditum eſſe agnoſcite. Nam ideo Filium ſuum ex mechanica potius officina prodire voluit cæleſtis Pater quam ex Scribarum ſcholis, quo magis conſpicua eſſet Euangelii origo, nequis in terra fabricatum putaret, vel bominem quempiam fingeret eſſe ejus auctorem. Sic & Chriſtus Apoſtolos rudes ac idiotas ſibi delegit, ac triennio paſſus eſt ſubſidere in craſſa ignorantia, ut momento uno edoctos, quaſi novos bomines, adeoque Angelos è cælo delapſos, proferret. Interea oſtendit Chriſtus unde petenda ſit ſpiritualis doctrinæ auctoritas, nempe à ſolo Deo. Quod autem doctrinam quæ Patris eſt, ſuam eſſe negat, in eo captum auditorum reſpicit, qui nihil de eo altius ſentiebant quam bominem eſſe. Ergo per conceſſionem ita diverſus à Patre haberi patitur ut nihil tamen proferat niſi ab ipſo mandatum. Summa eſt, quod Patris nomine docet, non eſſe hominis, nec profectum ab bomine, ut impune contemni poſſit. Videmus quo argumento auctoritatem conciliet ſuæ doctrinæ, nempe ipſam ad Deum auctorem referendo. Videmus etiam quo jure & qua ratione audientiam ſibi poſtulet: nempe quia miſſus ſit à Patre doctor. Horum igitur utrumque habeat oportet quiſquis docendi munus uſurpat, & ſibi fidem vult haberi.

17. *Si quis voluerit.*] Occupatio qua contrarias objectiones anticipat. nam quum illic multos adverſarios baberet, cuivis promptum fuiſſet obſtrepere, Quid tu nobis Dei nomen jactas, à quo te prodiiſſe non agnoſcimus? Quid axioma iſtud nobis obtrudis (quod tibi minime concedimus) nihil te docere niſi ex ejus juſſu? Excipit ergo hic Chriſtus, rectum judicium manare ex timore Dei & reverentia: ideo ſi animos habeant ad timotem Dei compoſitos, facile agnituros an verum ſit nec ne quod prædicat. Quo ſimul illos oblique perſtringit. nam unde fit ut diſcernere nequeant, niſi quod rectæ intelligentiæ caput ipſos deficit, pietas ſcilicet & ſtudium obſequeodi Deo? Sententia hæc in primis notatu digna eſt. Aſſidue nobis inſidiatur Satan, & undique tendit laqueos, ut ſuis fallaciis nos capiat. Hic nos Cbriſtus ad cavendum optime præmunit, nequibus ejus impoſturis ſimus unquam obnoxii: nempe ſi parati ſimus in Dei obſequium, minime illum nobis defore quin Spiritus ſui luce affulgeat, ut diſcernere liceat inter veritatem & mendacium. Nihil ergo aliud nobis obſtat quominus recte judicemus, niſi quod indociles ſumus ac præfracti, ac juſtam noſtræ bypocriſeos pœnam ſuſtinemus quoties nobis Satan illudit. Sic Moſes admo-
Deut. 13. verſ. 3. net, quum emergunt pſeudopropbetæ, tentari nos ac probari à Domino: quia nunquam fallentur qui recto erunt corde. Hinc apparet quam perperam & ſtulte hodie permulti, dum errandi periculum metuunt, hac trepidatione ſeſe impediant ab omni diſcendi ſtudio: quaſi fruſtra dictum ſit, Pulſate, Matth. 7.
& aperietur vobis. Nos potius, ſi Deo toti in obſe- verſ. 7.
quium ſimus addicti, Spiritum diſcretionis ab eo nobis datum iri ne dubitemus, qui perpetuus ſit dux ac director. Si aliis fluctuari libet, ſentient tandem quam vani ſint ignorantiæ ſuæ prætextus. Et certe quicunque hodie hæſitant, & dubitationem ſuam fovere malunt, quam legendo vel audiendo ſerio inquirere ubinam ſit Dei veritas, eos in generalibus principiis ſecure Deum contemnere videmus. Dicet hic ſe pro mortuis precari, quia ingenio ſno diffiſus, quod de Purgatorio commenti ſunt perverſi homines, damnare non audeat: interea licentioſe ſibi ſcortari permittet. Ille negabit ſibi tantum eſſe acuminis ut inter puram Cbriſti doctrinam & adulterina hominum figmenta diſtinguere poſſit: interim ad furandum vel pejerandum ſatis habebit. Denique omnes iſti Sceptici, qui dubitationis velum obtendunt in rebus bodie controverſis, manifeſtum Dei contemptum in rebus minime obſcuris produnt. Itaque non eſt quod miremur à pauciſſimis hodie recipi Euangelii doctrinam, quum tam rarus ſit Dei timor in mundo. Cæterum in his Chriſti verbis continetur vera pietatis definitio, quum ſcilicet ad ſequendam Dei voluntatem ex animo parati ſumus: quod facere nemo poteſt niſi qui ſe proprio ſenſu abdicaverit. *An ego à meipſo loquar.* Notandum quomodo judicium fieri velit Chriſtus de quavis doctrina. nam quæ à Deo eſt, eam ſine controverſia vult recipi: quæ autem eſt ab homine, eam libere repudiari patitur. ſolam enim hanc notam qua inter doctrinas diſcernere conveniat, ponit.

18. *Qui à ſeipſo loquitur.*] Hactenus docuit non alia cauſa cæcutire homines niſi quia non reguntur Dei timore: nunc alteram quoque notam apponit in ipſa doctrina, unde cognoſcere liceat ſitne Dei an hominis. nam quæcunque Dei gloriam illuſtrat, ſancta eſt & divina: quæcunque autem hominum ambitioni ſervit, & eos efferendo obſcurat Dei gloriam, non modo nihil fidei meretur, ſed acriter rejici debet. Nunquam igitur errabit qui ſcopum ſibi proponet Dei gloriam: nunquam ſpecie recti hallucinabitur qui ad hunc quaſi Lydium lapidem exi- Lydius
get ac probabit quod ſub Dei nomine affertur. Hinc lapis.
etiam monemur neminem fideliter obire poſſe doctoris munus in Eccleſia, niſi qui ambitione vacuus, unum hoc ſibi agendum ſumet, ut totis viribus promoveat Dei gloriam. Quum dicit *injuſtitiam in eo non eſſe*, ſignificat nihil pravum vel fucatum, ſed agere quod probo & ſincero Dei miniſtro dignum eſt.

19. *Nonne Moſes.*] Non refert Evangeliſta continua ſerie habitum à Chriſto ſermonem, ſed tantum capita rerum breviter decerpit quæ ad ſummam totius rei faciunt. Accenſi in ejus odium fuerant Sacerdotes & Scribæ quod paralyticum ſanaſſet: hoc ſe Legis zelo facere profitebantur. ut hypocriſin eorum refellat, argumentum ſumit non à re, ſed à perſona. Quia enim licentioſe omnes ſuis vitiis indulgebant acſi nulla Lex illis unquam fuiſſet cognita, inde colligit nullo eos Legis amore vel ſtudio tangi. Non ſufficeret quidem hæc defenſio ad probandam cauſam: (nam ut demus eos falſum colorem inducere pravo & injuſto odio, non tamen ſequitur recte feciſſe Chriſtum ſiquid præter Legis præſcriptum commiſit: neque enim ab alienis peccatis petenda eſt culpæ noſtræ levatio) ſed Chriſtus duo membra hic conjungit: priore compellat hoſtium ſuorum conſcientias, & quum ſe Legis patronos ſuperbe jactarent, larvam hanc ipſis detrahit. nam exprobrat quod ſibi permittant violare Legem quoties libet: itaque Legem illis non eſſe curæ. Deinde ad cauſam ipſam deſcendit, ſicuti mox videbimus. ſic conſtat ſuis partibus plena & ſolida defenſio. Ergo hujus membri ſumma eſt, nullum

eſſe

Digitized by Google

eſſe Legis zelum in ejus contemptoribus. unde infert Chriſtus aliunde impelli Judæos ad tantam rabiem, dum ipſum interficere cupiunt. In hunc modum extrahendi ſunt impii ex ſuis latebris, quoties Deum & ſanam doctrinam oppugnantes, pio ſe affectu hoc agere ſimulant. Qui hodie acerrimi ſunt Euangelii hoſtes, & maxime ſtrenui vindices Papatus, nihil habent ad favorem magis plauſibile quam quod zeli ardore incitantur: cæterum ſi excutiatur eorum vita, omnes turpibus flagitiis operti palam Deo illudunt. Quis in Papæ curia craſſum Epicuriſmum regnare neſcit? an ita verecunde fœditatem ſuam tegunt Epiſcopi & Abbates, ut aliqua religionis ſpecies appareat? Monachi etiam & ſimiles rabulæ nonne ſic ad omnem nequitiam, ad libidines, avaritiam, & quævis ſcelerum monſtra projecti ſunt, ut vita eorum Dei prorſus eſſe oblitos clamitet? Nunc vero quum nihil eos pudeat Dei & Eccleſiæ zelo ſe venditare, annon hoc Chriſti reſponſo frenandi ſunt?

20. Reſpondit turba, & dixit, Dæmonium habes, quis te quærit interficere?
21. Reſpondit Jeſus, & dixit illis, Unum opus feci, & omnes miramini.
22. Propterea Moſes dedit vobis Circumciſionem (non quod ex Moſe ſit, ſed ex Patribus) & Sabbatho circumciditis hominem.
23. Si Circumciſionem accipit homo Sabbatho ut non ſolvatur Lex Moſis, mihi iraſcimini quod totum hominem ſanum fecerim Sabbatho?
24. Ne judicetis ſecundum aſpectum, ſed rectum judicium judicate.

20. *Dæmonium habes.*] Perinde valet acſi dixiſſent, Tu inſanis. fuit enim trita inter Judæos loquutio, qui in hac doctrina exercitati erant, infeſtari à diabolo homines dum in furorem aguntur, vel dum illis mens & ratio adempta eſt. Et ſane ſicuti lenes & moderatæ caſtigationes paternæ ſunt Dei ferulæ: ita ubi durius & ſeverius nos tractat, non videtur manu ſua nos percutere, ſed potius adhibere diabolum carnificem & iræ ſuæ miniſtrum. Cæterum turba ſimplici animo Chriſtum objurgat: neque enim vulgo nota erant Sacerdotum conſilia. Stulti ergo iſti homines inſaniæ tribuunt quod ſe Chriſtus ad mortem captari conqueritur. Hinc docemur, ſollicite cavendum eſſe ne ſententiam feramus de rebus incognitis: verum ſiquando ab imperitis nôs temere damnari contingat, patienter Chriſti exemplo devoranda eſt hujuſmodi indignitas.

21. *Unum opus feci.*] Nunc perſonis valere juſſis, de re ipſa tractare incipit. demonſtrat enim minime cum Lege Dei pugnare quod edidit miraculum. Quod dicit ſe unum opus feciſſe, ſenſus eſt, ſe unius tantum criminis reum agi, vel in uno tantum opere reprehendi, quod Sabbatho hominem ſanaſſet: illos autem ſingulis Sabbathis plura opera eadem aut prorſus ſimilia quum faciant, non vocare illa in crimen. nullum enim Sabbathum præteribat quin multi in Judæa infantes circumciderentur. Hoc exemplo factum ſuum defendit: quanquam non ſimpliciter ratiocinatur à ſimili, ſed eſt majoris & minoris comparatio. Hoc ſimile habebant Circumciſio & ſanatio paralytici, quod utrumque erat divinum opus: ſed hoc ſecundum præſtantius eſſe Chriſtus contendit, quia beneficium ad totum hominem extenditur. Porro ſi hominem à corporali tantum morbo ſanaſſet, non valeret comparatio: Circumciſio enim, quæ ad animæ ſanitatem ſpectat, plus haberet excellentiæ. Chriſtus ergo ſpiritualem miraculi fructum cum externo beneficio corpori præſtito conjungit. itaque integram hominis ſalutem Circumciſioni merito præfert. Poſſet etiam eſſe alia comparationis ratio: nempe quod Sacramenta non ſemper vim & effectum præſentem habeant, ipſe autem Chriſtus efficaciter operatus ſit in ſanando paralytico. Sed priorem illam expoſitionem magis amplector, quod maligne & calumnioſe Judæi opus improbent, in quo magis relucet Dei gratia quam in Circumciſione, cui tantum honoris deferunt ut per eam Sabbathum minime violari putent. Admiratio de qua loquitur, ſignificat murmur illud exortum ex Chriſti facto: quia auſum fuiſſe putabant pluſquam fas erat.

22. *Propterea Moſes.*] Illativa particula non videtur quadrare: itaque nonnulli διὰ τοῦτο accipiunt pro διὰ τί. ſed eorum opinioni Græca ſyntaxis repugnat. Simplicius itaque interpretor, Circumciſionem ita fuiſſe mandatam ut Sabbathis quoque neceſſarius foret ejus ſymboli uſus. Propterea, inquit: quaſi diceret inde illis ſatis fuiſſe monſtratum non violari cultum Sabbathi divinis operibus, ut Chriſtus Circumciſionis exemplum ad præſentem cauſam accommodet. mox tamen correctione utitur quum dicit, Moſen non fuiſſe primum Circumciſionis miniſtrum. Sed hoc illi ſatis erat quod Moſes tam ſeverus Sabbathi exactor, juſſerat tamen octavo die circumcidi infantes, etiamſi in Sabbatum incidiſſet.

24. *Ne judicetis.*] Poſtquam defenſionem abſolvit, objurgatione etiam utitur, quod pravis affectibus abrepti, ex re & cauſa judicium non faciunt. Circumciſio apud illos juſtam reverentiam obtinebat, quum Sabbatho fieret. ſciebant Legem non violari, quia Dei opera inter ſe rite conſentiant. cur non idem ſtatuunt de Chriſti opere, niſi quia conceptum ex perſona præjudicium illorum mentes occupat? Ergo nunquam rectum erit judicium niſi quod ex veritate rei feretur. nam ſimulac perſonæ prodeunt in medium, oculos & ſenſus in ſe convertunt, ut veritas protinus evaneſcat. Hæc admonitio cum in omnibus cauſis & negotiis valere debet, tum vero pluſquam neceſſaria eſt ubi de cæleſti doctrina agitur: nihil enim magis proclive eſt quam ab ea nos hominum odio vel contemptu alienari.

25. Dicebant ergo quidam ex Hieroſolymitanis, Nonne hic eſt quem quærunt interficere?
26. Et ecce palam loquitur, & nihil illi dicunt: An forſan vere noverunt principes quod hic ſit vere Chriſtus?
27. Sed novimus unde hic ſit: Chriſtus autem quum veniet, nemo cogniturus eſt unde ſit.
28. Clamabat ergo Jeſus in templo, docens, & dicens, Et me noſtis, & noſtis unde ſim: & à meipſo non veni, ſed verax eſt qui miſit me, quem vos non noſtis.
29. Ego autem novi eum, quia ab ipſo ſum: & ille me miſit.
30. Quærebant ergo eum comprehendere: & nemo miſit in eum manum, quia nondum venerat hora ejus.

25. *Qui-*

25. *Quidam ex Hieroſolymitanis.*] Quibus ſcilicet compertæ erant principum inſidiæ, & qui ſciebant quantopere inviſus eſſet Cbriſtus. nam promiſcuum vulgus (ut paulo ante viſum eſt) hoc pro ſomnio aut delirio habebat. Iſti ergo, qui norunt quam impotenti adverſus Chriſtum odio flagrent gentis ſuæ primores, non fruſtra mirantur, illis quieſcentibus Chriſtum in templo non modo palam verſari, ſed libere etiam concionari. ſed in eo peccant quod in miraculo prorſus divino non reputant Dei providentiam. Sic carnales bomines quoties inſolitum aliquod cernunt Dei-opus, mirantur quidem, ſed nulla divinæ virtutis conſideratin illis interim in mentem ſubit. Atqui noſtrum eſt prudentius expendere Dei opera: præſertim quum impii omnia machinando Euangelii curſum non impediunt ut cuperent, certo ſtatuendum eſt irritos eſſe eorum conatus, quia Deus oppoſita manu ſua eos disjiciat.

27. *Sed novimus unde hic ſit.*] Hic videmus non modo quanta ſit hominum cæcitas ubi judicandum eſt de rebus divinis; ſed hoc illis vitium fere eſſe innatum, ut ingenioſi ſint ad ſtruenda ſibi obſtacula quo minus ad veri notitiam perveniant. Sæpe quidem aſtu Satanæ occurrunt ſcandala quæ pleroſque à Chriſto arceant: verum ſi plana eſſet ac æquabilis via, quiſque ſibi ſcaodalum fingeret. Quamdiu alieni à Chriſto fuiſſent principes, ſola eorum incredulitas huic turbæ obſtitiſſet: nunc ſublato illo impedimento, novam ſibi cauſam commiriſcuntur ne ad fidem accedant. Imo quum principum exemplo par eſſet eos moveri, adeo non ſequuntur quod rectum eſt, ut in primo gradu ſponte impingant. Ita ſcibicet deficere moa ſolent homines qui bene exorſi erant, niſi Dominus ad extremum uſque eorum progreſſus dirigat. Porro argumentum quo ſe impediunt, tale eſt: Cbriſti originem ignotam fore Prophetæ teſtati ſunt: novimus autem undę hic prodierit: non eſt ergo pro Chriſto habendus. Hinc monemur quam eaitialis res ſit Scripturas lacerare, adeoque Chriſtum ipſum, ut dimidia tantum ſui parte cenſeatur. Deus liberatorem ea ſemine Davidis promiſit: atqui paſſim hoc ſibi munus tanquam ſibi proprium vendicat. Ergo Deum in carne manifeſtari oportuit, qui Eccleſiæ ſuæ redemptor eſſet. *Mich. 5. verſ. 2.* Sic Michæas locum deſignat ubi naſciturus ſit Chriſtus. Ex te, inquit, Bethlehem Dux exorietur qui regat populum meum. Sed cootinuo poſt alterum egreſſum excelſiorem, ideoque reconditum & arcanum, prædicat. Miſeri autem iſti homines dum nihil in Chriſto reſpiciunt niſi quod deſpectui ſubjacet, temere colligunt non eum eſſe qui promiſſus fuerat. Sic igitur humilem in carne Chriſtum intueri diſcamus, ut hæc quæ ab impiis deſpicitur humilitas, nos ad cæleſtem ejus gloriam evehat. Ita Bethlehem, ubi naſci debuit homo, janua nobis erit qua ad æternum Deum ingredi liceat.

28. *Clamabat ergo Jeſus.*] Acerbis verbis in eorum temeritatem invehitur, quod ſuperbe ſibi in falſa opinione placentes, à veri notitia ſe eacluderent. acſi diceret, Vos omnia cognoſcendo nihil tandem cognoſcitis. Et certe nulla eſt deterior peſtis quam quum homines ſic inebriat tantillæ quam habent ſcientiæ fiducia ut ſecure rejiciant quicquid ab eorum ſenſu diſcrepat. Ironice loquitur quum dicit, *me noſtis, & noſtis unde ſim. A meipſo non veni.* Opinioni ab illis falſo conceptæ opponit quod verum eſt. acſi diceret, Dum habetis defiaos in terram oculos, putatis me quoque totum illis ſubjectum: itaque me quaſi ignobilem terræ filium contemnitis. atqui Deus teſtabitur, è cæln me veniſſe. proinde utcunque repudier à vobis, Deus me vere eſſe ſuum agnnſcet. Deum *veracem* appellat *2 Tim. 2. verſ. 13.* eodem ſenſu quo Paulus fidelem. Si increduli ſumus (inquit) ille fidelis manet: abnegare ſeipſum non poteſt. ſcopus eoim eſt, nibil minuı ex Euangelii fide, utcunque ipſum labefactare conetur mundus: quantumvis Chriſto detrahant impii, manere tamen eum integrum: quia Dei veritas ſolida & ſui ſimilis ſemper manet. Contemni ſe Chriſtus videt: adeo noncedit, ut magnifice potius veſanæ eorum arrogantiæ inſultet, apud quos nihil habet pretii. Hac invicta & heroica magnitudine fideles omnes præditos eſſe decet. Imo fides noſtra nunquam ſtabilis ac firma erit, niſi impiorum proterviam, dum in Chriſtum inſurgunt, ludibrio habeat. Præſertim vero pios doctores hoc præſidio fretos pergere in aſſerenda ſana doctrina convenit, etiam toto mundo reluctante. Sic Jeremias ſponſorem ac vindicem ſuum appellat Deum, quia tanquam impoſtor damnatut: Decepiſti me Domine, *Jer. 20. verſ. 7.* inquit, & deceptus ſum. Sic Jeſaias undique calumniis & probris obrutus, ad hoc aſylum confu- *Jeſa 50. verſ. 18.* git, quod Deum habiturus ſit cauſæ ſuæ approbatorem. Sic Paulus oppreſſus iniquis judiciis, ad diem *2 Cor. 4. verſ. 5.* Domini provocat omnes, tumultuanti mundn opponere unum Deum ſatis habens. *Quem vos non noſtis.*] Significat non mirum eſſe ſi notus Judæis non ſit, qui Deum ignoraot: nam hoc eſt recte ſapiendi initium, in Deum reſpicere. Dei notitiam ſibi tribuens, ſignificat ſe non temere in tantam confidentiam efferri: & eaemplo ſuo admonet non eſſe leviter ingerendum Dei nomen, ut de patronn ac vindice cauſæ noſtræ gloriemur. Sunt enim multi plus ſatis audaces in jactanda Dei auctoritate. imo phreneticis, qui pro Dei oraculis commenta ſua venditant, nihil ad repudianda omnium hnminum judicia promptius & animoſius fingi poteſt. Sed bis Chriſti verbis docemur à ventoſa & futili confidentia in primis cavendum eſſe: tunc vero demum fortiter reſiſtendum eſſe hominibus ubi prohe comperta nobis eſt Dei veritas. qui autem ſibi certo conſcius eſt Deum à parte ſua ſtare, non eſt cur inſolentiæ crimen metuat, totam mundi altitudinem calcando.

29. *Quia ab ipſo ſum.*] Nonnulli duo hæc membra ſic diſtinguunt ut prius ad divinam Cbriſti eſſentiam referant, alterum ad munus illi à Patre injunctum, cujus obeundi gratia carnem naturamque humanam induit. quod tametſi rejicere non audeo, neſcio tamen an ita argute loqui voluerit Chriſtus. Fateor quidem cæleſtem Chriſti eaortum inde poſſe colligi: ſed adverſus Arrianos hæc æternæ ejus divinitatis non ſatis firma eſſet probatio.

30. *Quærebant ergo eum compreben.*] Nnn deerat nocēndi voluntas, imo ne conatus quidem: & vires ſuppetebant. cur ergo in tanto ardore quaſi pedibus & manibus ligatis torpent? Euangeliſta reſpondet, *Quia nondum Chriſti hora venerat.* quo admonet, Chriſtum contra illorum vim & furioſos impetus Dei præſidio tectum fuiſſe. Et ſimul occurrit crucis ſcandalo; quia nnn eſt cur turbemur quum audimus non pro bominum libidine abreptum fuiſſe Chriſtum ad mortem; ſed quia Patris decreto in tale ſacrificium deſtinatus erat. Atque hinc colligenda eſt univerſalis doctrina. nam utcunque in diem vivamus, mortis tamen hora cuique conſtituta eſt apud Deum. Res difficilis creditu, quod tot fortoitis caſibus obnoaii, tot hominum ferarumque injuriis & inſidiis expoſiti, tot obſeſſi morbis, ſimus tamen extra omnem periculorum aleam, niſi quum evocare nos Deus volet. Sed com diffidentia noſtra luctandum. ac primum quidem tenenda eſt doctrina qualem hic audimus: deinde finis quo ſpectat, & eahortatio quæ inde ducitur: ut ſcilicet curis omnibus in Deum projectis, quiſque vocationi ſuæ inſerviat, nec ullo metu revocetur ab officio. nemo tamen fines ſuos tranſiliat. Neque enim prnvidentiæ Dei fiducia ultra progredi fas eſt quam Deus ipſe præcipit.

31. Multi autem ex turba crediderunt in eum: & dicebant, Chriſtus quum venerit, numquid plura ſigna faciet quam hic facit?

32. Audierunt Phariſæi turbam murmurantem hæc de eo: & miſerunt Phariſæi & Sacerdotes miniſtros ut comprehenderent eum.

33. Dixit ergo illis Jeſus, Adhuc paululum temporis vobiſcum ſum, & vado ad eum qui me miſit.

34. Quæretis me, & non invenietis: & ubi ego ſum, vos non poteſtis venire.

35. Dixerunt ergo Judæi inter ſe, Quo hic iturus eſt quod nos non inveniemus eum? an in diſperſionem Græcorum iturus eſt, & docturus Græcos?

36. Quis eſt hic ſermo quem dixit, Quæretis me, & non invenietis: & quo ego vado, vos non poteſtis venire?

31. *Multi autem ex turba.*] Videri poterat concionatus eſſe Chriſtus apud ſurdos & penitus obſtinatos: dicit tamen Euangeliſta ſequutum fuiſſe aliquem fructum. Ergo utcunque alii fremant, alii rideant, alii calumoientur, exoriantur variæ diſſenſiones: oon tamen inutilis erit Euangelii prædicatio. Ideo ſpargendum ſemen, & patienter ſuſtinendum donec temporis ſucceſſu fructus ſe proferat. Cæterum *credendi* verbum hic improprie ſumitur, quia pendebant ex miraculis potius quam doctrinæ innitebantur, necdum perſuaſi erant Jeſum eſſe Chriſtum: ſed quia ad ipſum audiendum comparati erant, & ei tanquam magiſtro ſe dociles præbebant, talis fidei præparatio vocatur fides. Ergo quod exiguam boni affectus ſcintillam tam honorifico titulo Spiritus dignatur, id nos aoimare debet ne fidem quantumvis exiguam Deo acceptam fore dubitemus.

32. *Audierunt Phariſæi.*] Hinc apparet Phariſæos, quaſi in excubiis locati eſſent, ad omnes occaſiones intentos fuiſſe ne Chriſtum emergere ſinerent. Priore loco eos Euangeliſta ſolos nominat: deinde Sacerdotes illis adjungit, quorum ipſi pars erant. Non dubium eſt, quin, ut præcipui haberi volebant Legis zelotæ, acrius reliquis omnibus ſe Chriſto oppoſuerint. Verum quia ſoli pares non fuiſſent opprimendo Chriſto, negotium detulerunt ad totum Sacerdotum ordinem. Ita qui inter ſe alioqui diſſidebant, uno jam conſenſu Satanæ auſpiciis inter ſe conſpirant adverſus Dei Filium. Cæterum quum tantus Phariſæorum ardor & tam anxia ſedulitas fuerit pro tyrannoide ſua tuenda & corrupto Eccleſiæ ſtatu, quanto nos ferventiores eſſe decebat in aſſerendo Chriſti regno? Non minus hodie inſana eſt Papiſtarum contentio ad extinguendum Euangelium. Hoc ioterea peſſimum eſt, quod ſaltem ſuo exemplo ſtudia noſtra non acuunt, ut animoſius in piæ ſanctæque doctrinæ patrocinio ſudemus.

33. *Adhuc paululum.*] Sunt qui exiſtiment ſermonem hunc ad præſentem populi cœtum haberi: alii vero ad miniſtros qui miſſi ad capiendum Chriſtum fuerant. ſed mihi non dubium eſt quin hoſtes ſuos proprie compellet Chriſtus à quibus initum perdendi ejus conſilium fuerat. Deridet enim eorum conatus, quod fruſtra omnia moliantur, donec tempus à Patre decretum advenerit. Et interim contumaciam illis exprobrat, quod oblatam ſibi gratiam non modo reſpuant, ſed furioſe quoque oppugnent: & ſimul eam brevi auferendam minatur. Quum dicit *vobiſcum ſum*, eorum ingratitudinem perſtringit, quod quum illis à Patre datus eſſet, quum ad eos deſceodiſſet è cæleſti gloria, quum familiariter illos ad ſe invitans nihil magis cuperet quam ipſis adeſſe, pauci tamen erant qui eum admitterent. Quum dicit *Adhuc puſillum temporis*, admonet oon diu paſſurum Deum ut tam fœdo contemptui expoſita ſit ſua gratia. Interea vero ſignificat neque vitam neque mortem ſuam eorum arbitrio ſubjectam eſſe: ſed conſtitutum ſibi eſſe à Patre tempus, quod impleri oporteat. *Vado ad eum qui me miſit.*] His verbis teſtatur ſe morte nequaquam extinctum iri: quin potius ubi mortale corpus exuerit, ſe magnifico reſurrectionis triumpho declaratum iri Dei Filium. acſi diceret, Satagite quantum in vobis eſt: nunquam tamen efficietis quin Pater me legatione injuncta perfunctum in cæleſtem ſuam gloriam recipiat. Itaque non modo integer mihi ſtatus manebit poſt mortem, ſed longe excellentior conditio mihi tunc parata eſt. Cæterum hinc colligenda eſt generalis admonitio: nobis enim adeſt Chriſtus quoties in ſpem ſalutis per Euangelii prædicationem nos vocat. Nam Epheſ. 2. verſ. 17. Euangelii prædicatio non fruſtra vocatur Chriſti ad nos deſcenſus. Si manum ab ipſo porrectam apprahendimus, ipſe ad Patrem nos deducet: & quamdiu peregrinandum nobis erit io mundo, oon modo propinquum ſe nobis oſtendet, ſed in nobis perpetuo habitabit. quod ſi illius præſeotiam negligimus, nihil illi decedet: ſed à nobis diſcedens, à Deo & vita prorſus alienos nos relinquet.

34. *Quæretis me.*] Quærebant illi Chriſtum ut interficerent. hic Chriſtus in ambigua verbi ſignificatione ludit: quia mox futurum erat ut alio modo eum quærerent, nempe ut miſeris ſuis ac perditis in rebus aliquid opis aut ſolatii iovenirent. acſi diceret, Moleſta nunc vobis eſt ac intolerabilis exigui temporis præſentia: ſed brevi continget, ut me fruſtra quæratis: quia non corpore tantum, ſed virtute etiam procul remotus, veſtrum interitum è cælo ſpectabo. Sed poteſt hic quæri qualis iſta fuerit quærendi Chriſti ratio, quum ſatis conſtet de reprobis Chriſtum loqui, qui ad extremum uſque in rejiciendo Euaogelio obſtinati fuerunt. Nonnulli ad doctrinam referunt: quia Judæi juſtitiam operum perperam ſectando, minime conſequuti ſint quod volebant. Plures de Meſſiæ perſona accipiunt, quod Judæi redacti ad extrema, Redemptorem fruſtra imploraverint. Ego autem ſimpliciter anxios impiorum gemitus hic notari interpretor, dum neceſſitate coacti, ad Deum utcunque reſpiciunt. Sed tunc quoque quærendo non quærunt. Nam incredulitas & pervicacia eos quaſi obſeratis oordibus à Deo arcet. Cuperent quidem Deum adeſſe liberatorem: ſed impœnitentia & duritia cordis ſui viam ſibi obſtruunt. Exemplum habemus io Eſau, qui ob *Gen. 27.*
ereptam ſibi primogenituram non mœrore tantum *verſ. 38.*
afficitur, ſed fremens ac frendens in furioſam indi- *Heb. 11.*
gnationem prorumpit. Sed interim adeo procul abeſt *verſ. 17.*
à recta quærendæ benedictionis via, ut tunc ſe maxime ea indignum reddat. Sic Deus in reprobis gratiæ ſuæ contemptum ulciſci ſolet, ut vel atrocibus pœnis afflicti, vel miſeriæ ſuæ ſenſu conſtricti, vel compulſi in alias anguſtias, querantur, clament, ejulent. ſed nullo profectu: quia ſemper ſui ſimiles eandem quam prius ferociam intus alunt: neque ad Deum feruntur, ſed potius eum mutatum vellent, quando abolere nequeunt. Hinc diſcamus mature excipiendum eſſe Chriſtum, ubi ſe quaſi præſentem ſiſtit: ne ejus fruendi occaſio nobis effluat. quia ſi ſemel clauſa fuerit janua, fruſtra ingredi tentabimus. Quærite Dominum, inquit Jeſaias, *Jeſa. 55.*
dum inveniri poteſt: invocati eum dum prope eſt. *verſ. 6.*

Sedulo

Sedulo itaque occurrere Deo convenit, dum adeſt tempus beneplaciti, ſicuti alibi loquitur idem Propheta: quia neſcimus quamdiu noſtram ſocordiam laturus ſit Deus. In verbis iſtis, *Ubi ego ſum, non poteſtis venire*, tempus præſens loco futuri ponitur.

Jeſ. 49. verſ. 8.

35. *Quo hic iturus eſt.*] Hoc conſulto Euangeliſta addidit, ut oſtenderet quantus fuerit populi ſtupor. ita impii non modo ſurdi ſunt ad audiendam Dei doctrinam, ſed horribiles quoque minas ludibundi prætereunt, quaſi aliquid fabuloſum audirent. Nominatim loquutus erat Chriſtus de Patre, ipſi autem in terra ſubſidunt, nec aliud cogitant quam migrationem in regiones longinquas. Græcos Judæis vocari transmarinas gentes, ſatis notum eſt. non tamen intelligunt Chriſtum ad incircumciſos venturum, ſed ad Judæos qui per varias mundi plagas diſſipati erant. Nam *diſperſionis* nomen indigenis cujuſque loci, & qui incolunt natale ſolum, non quadraret: Judæis autem profugis & exulibus optime convenit. Sic Petrus Epiſtolam ſuam priorem παρεπιδήμοις διασπορᾶς Ponti, Galatiæ, &c. inſcribit. Et Jacobus duodecim Tribus ἐν τῇ διασπορᾷ conſtitutas ſalutat. quæ loquutio ſumpta eſt ex Moſe & Prophetis. Ergo ſenſus verborum, Num hic mare trajiciet ut ſe ad Judæos conferat qui habitant in mundo nobis incognito? Et fieri poteſt ut Chriſtum hoc ludibrio vexare voluerint, Si hic eſt Meſſias, an regni ſui ſedem in Græcia figet, quum Deus terram Chanaan proprium illi domicilium aſſignaverit? Verum utcunque res habeat, videmus ſevera Chriſti denunciatione nihil fuiſſe commotos.

37. Porro ultimo die, qui maximus erat diei feſti, ſtetit Jeſus & clamavit, dicens,
Siquis ſitit, veniat ad me, & bibat.
38. Qui credit in me, quemadmodum dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent
aquæ viventis.
39. Hoc autem dicebat de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. nondum
enim erat Spiritus ſanctus, quia Jeſus nondum glorificatus erat.

37. *Ultimo die.*] Hic primo notandum eſt, nullis hoſtium vel inſidiis vel machinationibus territum fuiſſe Chriſtum ut ab officio deſiſteret: quin potius una illi cum periculis creviſſe animi magnitudinem ut fortius pergeret. Hoc & temporis circumſtantia, & frequentia populi, & clamandi libertas teſtantur, quum manus undique ſibi intentas eſſe ſciret. nam probabile eſt tunc miniſtros ad exequendum imperium fuiſſe paratos. Notandum deinde, non alio quam Dei præſidio fretum ſtetiſſe contra tam violentos eorum conatus qui omnia poterant. Nam quæ alia ratio afferri poteſt cur poſt inſtructam ab illis catervam celeberrimo die, in medio templo, ubi quietum regnum habebant, concionatus fuerit Chriſtus, niſi quod illorum rabiem Deus cohibuit? Nobis tamen hoc ipſum valde utile eſt, quod Euangeliſta Chriſtum pleno ore clamantem inducit ut ad ſe veniant quicunque ſitiunt. nam hinc colligimus non unum aut alterum tenui & obſcuro ſuſurro invitari, ſed ita omnibus promulgari hanc doctrinam ut neminem lateat, niſi qui ultro aures obturans, altum & ſonorum clamorem non admittit. *Siquis ſitit.* Hoc membro omnes hortatur ad bonorum ſuorum participationem, modo propriæ inopiæ ſibi conſcii juvari cupiant. Nam omnes quidem ſumus inopes, omniumque bonorum vacui & indigi: ſed non omnes ad quærendum remedium ſtimulat inopiæ ſuæ ſenſus. Hinc fit ut multi pedem non moventes, in miſero defectu tabeſcant: imo permultos ſua vacuitas non afficit, donec Dei Spiritus igni ſuo famem & ſitim accendat in illorum cordibus. Ergo Spiritus officium eſt facere ut ſuam gratiam appetamus. Quantum vero ad præſentem locum ſpectat, hoc principio tenendum eſt, non alios ad obtinendas Spiritus divitias vocari à Chriſto niſi qui illarum deſiderio æſtuant. Scimus enim acerrimum eſſe tormentum ſitis, ut robuſtiſſimi quique & patientiſſimi omnium laborum in ſiti tamen deficiant. Sitientes tamen invitat potius quam famelicos, ut metaphoram continuet qua poſtea utetur in nomine Aquæ & verbo Bibendi: ut inter ſe reſpondeant omnes orationis partes. Nec dubito quin
Jeſa. 55. verſ. 1. ad Jeſaiæ locum alludat, Omnes ſitientes venite ad aquas. Nam quod illic Deo tribuit Propheta, in Chriſto demum neceſſe fuit impleri: ſicuti rurſum
Luc. 1. verſ. 53. id quod cecinit beata Virgo, quod plenos & ſaturos inanes dimittat. Ideo recta ad ſe venire jubet. acſi diceret, ſe unum eſſe qui ſiti omnium explendæ ſufficiat: falli autem & fruſtra laborare quicunque aliunde vel minimum ſitis ſuæ levamen petunt. *Et bibat.* Hortationi additur promiſſio. etſi enim hoc eſt hortandi verbum, promiſſionem tamen in ſe continet: quia teſtatur Chriſtus non ſe aridam ac ſiccam eſſe ciſternam, ſed fontem inexhauſtum, qui large & ubertim potum omnibus ſuppeditet. unde ſequitur non irritum fore deſiderium, ſi ab eo expetamus quod nobis deeſt.

38. *Qui credit in me.*] Veniendi ratio hic oſtenditur: nempe quod fide, non pedibus accedere conveniat. imo Venire nihil aliud eſt quam Credere, ſi tamen Credendi verbum recte definias: quemadmodum prius dictum eſt, in Chriſtum nos credere dum eum amplectimur qualem ſe in Euangelio proponit, virtute, ſapientia, juſtitia, puritate, vita, & omnibus Spiritus donis refertum. Cæterum promiſſionem quam nuper attigimus, hic clarius & plenius confirmat: docet enim plenam copiam ſibi ſuppetere, qua nos ad ſatietatem reficiat. Eſt quidem ſatis dura in ſpeciem metaphora, quum fluvios aquæ vivæ è ventre fidelium fluxuros eſſe dicit: ſenſus tamen minime dubius eſt, quod nihil ſpiritualium bonorum unquam defuturum ſit credentibus. *Aquam vivam* nominat, cujus ſcaturigo nunquam areſcit, nec deſinit continuus fluxus. *Fluvios* plurali numero vocari interpretor multiplices Spiritus gratias, quæ ad ſpiritualem animæ vitam neceſſariæ ſunt. In ſumma, hic tam perpetuitas donorum Spiritus quam affluentia nobis promittitur. Quidam *de ventre* credentium *aquas fluere* intelligunt, quum is qui Spiritu donatus eſt, partem ad fratres ſuos derivat, ut mutua eſſe debet inter nos communicatio. Senſus tamen mihi ſimplicior videtur, quod quiſquis in Chriſtum credet, fontem vitæ quaſi in ſe ſcaturientem habebit: quemadmodum ſupra capite quarto dicebat Chriſtus, Qui biberit ex aqua hac, non ſitiet unquam. nam quum ordinarius potus ſitim nonniſi ad breve tempus reſtinguat, Chriſtus fide nos haurire dicit Spiritum, qui fons ſit aquæ ſalientis in vitam æternam. Neque tamen ſic primo die fideles Chriſto ſaturos eſſe docet ut poſtea non eſuriant neque ſitiant: quin potius Chriſti fruitio novum ejus deſiderium accendit. ſed ſenſus eſt, Spiritum inſtar vivi & ſemper irrigui fontis eſſe in
credentibus: quemadmodum & Paulus ad Romanos Rom. 8.
capite octavo, teſtatur ipſum eſſe in nobis vitam, verſ. 10.
quamvis adhuc in reliquiis peccati mortis materiam circumferamus. Et ſane quum quiſque pro fidei ſuæ menſura donorum Spiritus compos fiat, non poteſt in hac vita ſolida eorum plenitudo conſtare. Verum ſic fideles in fide proficiendo ſubinde ad nova Spiritus

tus incrementa aſpirant, ut primitiæ quibus imbuti ſunt, illis ad vitæ perpetuitatem ſufficiant. Sed hinc etiam monemur quam exiguus ſit fidei noſtræ modulus, quum vix guttatim in nobis diſtillent Spiritus gratiæ, quæ inſtar flumioum profluerent ſi juſtum Chriſto locum daremus, hoc eſt, fides nos ejus capaces redderet. *Quemadmodum dicit Script.* Quidam hoc reſtringunt ad ſuperius membrum: alii ad poſterius. ego autem ad totum orationis complexum extendo. Deinde, meo judicio, non deſignat hic Chriſtus certum aliquem Scripturæ locum, ſed teſtimonium ex communi Prophetarum doctrina ſumit. nam quoties Dominus Spiritus ſui abundantiam promittens, eam aquis vivis comparat, præcipue reſpicit ad Chriſti regnum, & eo dirigit fidelium mentes. Ergo omnia de aquis vivis vaticinia ſuum in Chriſto complementum habent: quia ipſe unus reconditos Dei theſauros nobis aperuit, & patefecit. Ideo effuſæ ſunt in eum Spiritus gratiæ, ut de plenitudine ejus omnes hauriamus. Digni ergo ſunt qui miſere pereant qui tam benigne ac comiter à Chriſto vocati, huc & illuc vagantur. *Dicebat de Spiritu.* Interdum Aquæ nomen Spiritui tribuitur ob munditiem, quia ejus eſt purgare ſordes noſtras: ſed in hoc loco & ſimilibus diſſimilis eſt hujus loquutionis ratio: quod ſcilicet omni vitæ ſucco & humore deſtituimur, niſi quum nos Spiritus Dei vegetat, & nos arcano quaſi vigore irrigat. eſt autem ſynecdoche, quia omnes vitæ partes ſub una voce Aquæ comprehenduntur. Unde etiam colligimus, quicunque Spiritu Chriſti regeniti non ſunt, pro mortuis habendos eſſe, quacunque vitæ larva ſe jactent. *Nondum enim erat Spiritus.* Scimus æternum eſſe Spiritum: ſed Euangeliſta illam Spiritus gratiam quæ poſt Chriſti reſurrectionem effuſa fuit in homines, quamdiu ſub humili ſervi forma verſatus eſt Chriſtus in mundo, palam extitiſſe negat. Et comparative quidem loquitur: ſicuti quum opponitur Novum Teſtamentum Veteri, Deus Spiritum ſuum fidelibus promittit, acſi nunquam eum Patribus dediſſet. Jam tunc certe primitias Spiritus acceperant diſcipuli: nam unde fides niſi à Spiritu? Ergo non ſimpliciter negat Euangeliſta gratiam Spiritus ante Chriſti mortem piis fuiſſe exhibitam, ſed nondum ita illuſtrem & conſpicuam tunc fuiſſe ut poſtea futura erat. Eſt enim hoc præcipuum regni Chriſti decus, quod Spiritu ſuo Eccleſiam gubernat. Atqui juſtam & quaſi ſolennem regni ſui poſſeſſionem tunc adiit quum evectus eſt ad Patris dexteram. Non mirum ergo ſi plenam exhibitionem Spiritus ad illud tempus diſtulit. Supereſt tamen una quæſtio, num hic viſibiles Spiritus gratias, an vero regenerationem intelligat, quæ adoptionis eſt fructus. Reſpondeo, in donis illis viſibilibus, tanquam in ſpeculis, Spiritum apparuiſſe, qui adventu Chriſti promiſſus fuerat: proprie tamen hic agi de virtute Spiritus qua renaſcimur in Chriſto, ac efficimur novæ creaturæ. Quod ergo nunc Chriſtus ad Patris dexteram glorioſus ſummaque imperii majeſtate præditus ſedet, nos in terra inopes & iejuni ac prope inanes bonorum ſpiritualium jacemus: tarditati & anguſtiis fidei noſtræ imputandum eſt.

40. Multi igitur ex turba quum audiſſent hunc ſermonem, dicebant, Hic eſt vere Propheta.

41. Alii dicebant, Hic eſt Chriſtus. Alii autem dicebant, Numquid ex Galilæa Chriſtus venturus eſt?

42. Nonne Scriptura dicit quod ex ſemine Davidis, & ex oppido Bethlehem, unde erat David, venturus ſit Chriſtus?

43. Diſſidium itaque in turba fuit propter ipſum. Porro quidam ex ipſis volebant comprehendere eum: ſed nemo injecit in eum manus.

40. *Multi igitur ex turba.*] Jam recitat Euangeliſta quis poſtremæ illius concionis fructus extiterit: nempe quod aliis aliud ſentientibus, diſſidium exortum ſit in populo. Notandum eſt Joannem de profeſſis Chriſti hoſtibus non loqui, vel qui ſanæ doctrinæ odio jam imbuti eſſent: ſed de vulgo hominum, ubi major integritas eſſe debuerat. Tres autem enumerat ſpecies. Primi Jeſum fatebantur vere Prophetam: unde colligimus non abhorruiſſe ab ejus doctrina. ſed rurſum quam levis & frivola fuerit hæc confeſſio, inde apparet, quod doctorem probantes, quidnam tamen ſibi velit & quid loquatur nec intelligunt nec guſtant. Chriſtum enim non poterant vere tanquam Prophetam amplecti, quin ſimul Filium Dei & ſalutis ſuæ auctorem agnoſcerent. Hoc tamen habent boni, quod aliquid in Chriſto divinum ſentiunt quod in ejus reverentiam ipſos inducit. nam ab hac docilitate facilis deinde eſſe poterat in fidem tranſitus. Rectius ſecundi, qui plane fatentur Chriſtum eſſe. Sed alii contra inſurgunt: unde naſcitur conflictus. Quo exemplo monemur non debere nobis hodie mirum videri ſi variis certaminibus inter ſe homines ſcindantur. Audimus ſchiſma ex Chriſti ſermone fuiſſe ortum: neque id inter gentes à fide alienas, ſed in media Chriſti Eccleſia, & quidem in prima Eccleſiæ ſede: an propterea Chriſti doctrina, acſi turbarum materia eſſet, in crimen trahetur? Imo, utcunque tumultuetur totus mundus, tam pretioſa eſt Dei veritas, ut optandum ſit ſaltem à paucis recipi. Quare non eſt quod labaſcant noſtræ conſcientiæ dum videmus etiam eos qui cenſeri volunt in Dei populo, inter ſe variis opinionibus certare. Quanquam ſimul notandum eſt diſſidia proprie originem non habere ex Euangelio: neque enim ſolidus hominum conſenſus eſſe poteſt niſi in certam veritatem. Quod ergo pacem inter ſe colunt qui Deum ignorant, id ex ſtupore magis quam ex vero conſenſu provenit. In ſumma, quæcunque diſſidia emergunt quum prædicatur Euangelium, eorum cauſa & ſemen prius in hominibus latebat: ſed tunc demum quaſi ex ſomno expergefacti ſe movere incipiunt. qualiter vapores aliunde quam à ſole procreantur, quamvis nonniſi exoriente ſole emergant.

41. *Numquid ex Galilæa.*] Ne temere Chriſtum rejicere viderentur, Scripturæ teſtimonio ſeſe armant: quod tametſi perperam torquent adverſus Chriſtum, habuit tamen aliquam veri ſpeciem. In eo tantum falluntur quod Chriſtum Galilæum faciunt. Sed unde hæc ignoratio niſi ex contemptu? niſi enim gravati fuiſſent inquirere, Chriſtus illis utroque titulo inſignis apparuiſſet, natus ex Bethlehem, & filius Davidis. Sed tale eſt noſtrum ingenium: in rebus minutis ignavos eſſe nos pudet, in regni cæleſtis myſteriis pluſquam ſecure ſtertimus. Notare etiam operæpretium eſt, iſtos ad quærendum prætextum, quo ſe à Chriſto avertant, ſedulos eſſe & induſtrios, qui alioqui ad capeſſendam ſanam doctrinam mire tardi erant & hebetes. En quomodo ſoleant homines ex Scripturis ipſis, quæ ad Chriſtum nos manu ducunt, ſibi obſtaculum ſtruere ne ad Chriſtum accedant.

43. *Quidam ex ipſis.*] His verbis ſignificat Euangeliſta non modo contemptum ab illis fuiſſe Chriſtum,

ſtum, ſed impiæ ejus rejectioni conjunctam fuiſſe ſævitiam & nocendi libidinem: ut ſemper crudelis eſt ſuperſtitio. Quod autem irriti fuerunt eorum conatus, Dei providentiæ acceptum referri debet. quia enim Chriſti hora nondum venerat (ut prius dictum eſt) Patris ſui fretus præſidio ac tectus, periculis omnibus fuit ſuperior.

45. Venerunt ergo miniſtri ad Pontifices & Phariſæos: atque hi dixerunt illis, Cur non adduxiſtis eum?
46. Reſponderunt miniſtri, Nunquam ſic loquutus eſt homo, ut hic homo.
47. Reſponderunt ergo eis Phariſæi, Numquid & vos ſeducti eſtis?
48. Num quiſpiam ex principibus credidit in eum, vel ex Phariſæis?
49. Atqui turba hæc quæ non novit Legem, ſunt maledicti.
50. Dixit illis Nicodemus, is qui nocte ad eum venerat, quum unus eſſet ex illis,
51. Numquid Lex noſtra judicat hominem, niſi audierit de ipſo prius, & cognoverit quid faciat?
52. Reſponderunt & dixerunt illi, Num tu quoque ex Galilæa es? ſcrutare & vide quod Propheta ex Galilæa non ſurrexerit.
53. Et profectus eſt quiſque in domum ſuam.

45. *Venerunt igitur.*] Hic cernere licet quam cæca ſit impiorum arrogantia: magnitudinem, qua excellunt in mundo, ſic mirantur & adorant ut jus & fas ſuperbe calcare non dubitent. ſiquid autem non ſuccedat ex voto, libenter cælum terræ miſcerent. Dum enim quærunt impii Sacerdotes cur non adductus ſibi fuerit Chriſtus, euſque potentiam ſuam extollunt ut nihil imperio obſtare debuerit.

46. *Nunquam ſic loquutus eſt.*] Fatentur iſti ſolo ſe Chriſti verbo fractos & domitos, nec tamen propterea reſipiſcunt, nec legitimum tribuunt verbo honorem. Si verum eſt nunquam ſic loquutum eſſe hominem, cur non divina vis quam ſentire coacti ſunt, eorum corda ſic affecit ut ſe totos Deo addicerent?
Jeſ. 11:4. Sed ita ſcilicet impleri oportuit illud Jeſaiæ, Proſternet impium Spiritu oris ſui. Quin etiam poſtea videbimus ut ſola Chriſti voce confuſi qui eum ad mortem quærebant, non ſecus ac malleis percuſſi ceciderint retrorſum. Diſcamus ergo tantam Chriſti doctrinæ vim ſubeſſe ut impios quoque terreat: ſed quum hoc illis cedat in exitium, danda opera eſt ut molliamur potius quam frangamur. Atqui plurimos hodie cernimus miniſtris iſtis nimium ſimiles, quos tametſi Euangelii doctrina in ſui admirationem invitos rapit, adeo tamen non ſe Chriſto ſubjiciunt, ut in hoſtium caſtris nihilominus maneant. Alii vero deteriores, qui in gratiam impiorum, doctrinam quam à Deo eſſe intus convicti ſunt, quibus poſſunt probris fœde infamant.

47. *Numquid & vos ſeducti.*] Sic miniſtros ſuos increpant ut tamen retineant in obſequio. Nam his verbis abſurdum ac indignum eſſe ſignificant, etiamſi totus populus deficiat, ipſos non ſtare. Videndum autem quo argumento fulti tam ſuperbe Chriſto inſultent. Plebeios tantum (inquiunt) & imperitos homines à parte ſua habet: primores & eximius quiſque ei ſunt adverſi. *Phariſæos* nominatim exprimunt. quia præ aliis tam ſcientiæ quam ſanctitatis famam obtinebant, ut eſſent quaſi principum principes. Videtur quidem hæc objectio aliquid habere coloris: niſi enim præfectis, & Eccleſiæ rectoribus ſua conſtet auctoritas, nihil unquam rite poterit conſtitui, nec ſtatus etiam bene compoſitus poterit diuturnus eſſe. Scimus quanta ſit vulgi intemperies: quare deformis confuſio mox ſequatur neceſſe eſt ubi cuique quod libet, licet. Eſt igitur ad moderandum Eccleſiæ ordinem neceſſarium frenum, eorum qui
Deut. 17. verſ. 8. præſunt auctoritas. Atque ita Dei Lege cautum erat, ut ſiqua excitata eſſet quæſtio vel controverſia, ejus cognitio penes ſummum Sacerdotem foret. Sed in eo peccant iſti quod ſummum jus ſibi arrogantes, Deo ſubeſſe nolunt. Detulit quidem Deus ſummo Sacerdoti judicium: ſed non niſi ex Lege ſua pronunciare eum voluit. Quicquid ergo auctoritatis habent Paſtores, ſub Dei verbo ſubſidit, ut omnibus in ordinem coactis, à ſummo uſque ad infimum ſolus Deus emineat. Si Paſtores officio ſuo probe & ſincere fungentes, auctoritatem ſibi vendicant, hæc erit ſancta & legitima gloriatio: ſed ubi abſque Dei verbo nuda hominum auctoritas effertur, evanida eſt ac futilis jactantia. ſæpe autem contingit impios in Eccleſia dominari: ita cavendum eſt nequid tribuatur hominibus ſimulatque à verbo Dei diſcedunt. Hac moleſtia videmus Prophetas fere omnes fuiſſe vexatos. nam ad obruendam eorum doctrinam ſubinde objiciebantur magnifici iſti tituli, Principum, Sacerdotum, & Eccleſiæ. Iiſdem hodie armis inſtructi Papiſtæ non ſecus ferociunt quam olim Chriſti & Prophetarum adverſarii. Eſt quidem horrenda hæc cæcitas, quod mortalis homo Deo ſe opponere non veretur. Sed huc inſaniæ adigit eos Satan quibus pluris eſt ſua ambitio quam Dei veritas. Noſtrum eſt interea eam verbo Dei reverentiam habere, quæ totum mundi ſplendorem extinguat, & diſcutiat inanes ejus fumos. Male enim nobiſcum ageretur ſi à Principum arbitrio penderet ſalus noſtra: & nimium inſtabilis eſſet fides quæ illorum nutu ſtaret vel caderet.

49. *Turba hæc.*] Prior pars ſuperbiæ erat, quod Sacerdotii titulo freti, omnes ſibi tyrannice ſubjicere volebant. Altera eſt, quod reliquos deſpiciunt quaſi nullius pretii: ut ſemper in alios contumelioſi ſunt quicunque ſibi plus juſto placent: & immodicum noſtri amorem ſequitur fratrum deſpectus. Totam plebem execrabilem eſſe pronunciant. qua de cauſa? Prætexunt quidem Legis ignorantiam: ſed aliud ſuberat, quod ſcilicet nullam putabant eſſe ſanctitatem niſi in ſuo ordine. quemadmodum hodie dum Papales ſacrifici ſe ſolos Eccleſiæ titulo venditantes, laicos (ut vocant) non ſecus ac profanos aſpernantur. Atqui ut inſanam hanc altitudinem dejiciat Deus, humiles & contemptos ſummis quibuſque & excellentiſſimis præfert. Ac notandum eſt Legis ſcientiam hic jactari, non quæ ad pietatem & timorem Dei homines erudiat: ſed qualem ipſi habebant, quum magiſtrali ſupercilio tanquam ſoli idonei Legis interpretes reſponſa darent. Eſt quidem hoc verum, maledictos eſſe quicunque in Lege Dei edocti non ſunt, cujus cognitio nos vere ſanctificat: ſed cognitio hæc non reſtringitur ad paucos, ut prava confidentia inflati, aliorum numero ſe eximant; verum communiter ad omnes Dei filios ſpectat, ut à minimo uſque ad maximum ſimul in eandem fidei obedientiam colligantur.

50. *Dixit illis Nicodemus.*] Euangeliſta Nicodemum nobis deſcribit quaſi hominem medium, qui neque ſerio piæ doctrinæ patrocinium ſuſcipere audeat, nec tamen ſuſtineat veritatem opprimi. Quum dicit eum eſſe *Qui nocte venerat*, partim hoc ad laudem ejus, partim ad dedecus facit. Niſi amaſſet

Chriſti doctrinam, nunquam ſe opponere anſus fuiſſet impiorum furori: ſciebat enim, ſiquis tantum hiſceret, protinus expoſitum iri invidiæ & periculo. Ergo quod vocem unam, licet infirmam, jactare audet, emicat ex ejus corde tenuis quædam pietatis ſcintilla. ſed quod non defendit liberius Chriſtum, in eo nimiam timiditatem prodit. Significat ergo Euangeliſta eum adhuc ſapere noctis latebras: nec verum Chriſti eſſe diſcipulum. Noctu ſemel ad Chriſtum veniſſe dicit, palam vero ſtetiſſe inter hoſtes, & locum retinuiſſe in eorum caſtris. Hoc eo diligentius notandum eſt, quod multi hodie dum obtendunt ſe Nicodemo eſſe ſimiles, hac larva induti, Deo ſe impune illudere confidunt. Ut demus quod poſtulant, nihil ipſos differre à Nicodemo, quid tamen obſecro tale eos exemplum juvat? Nicodemus damnandum eſſe Chriſtum negat donec auditus fuerit: nempe tantundem de latrone, de ſicario dici poſſet. Notum enim ac celebre eſt illud, Satius eſſe abſolvi nocentes, quam innocentes damnari. Deinde ut Chriſti perſonam levare ſtudeat, doctrinam ipſam relinquit ac deſerit. quid hic pio & fideli homine dignum reperiemus? Ergo ſemen Euangelii, quod poſtea fructum tulit, adhuc ſuffocatum in eo latebat. Longe utilius exemplum hoc aptabimus in alium finem, Dominum ſæpe efficere ut doctrina quæ periiſſe videbatur, paulatim occultam radicem agat, & tandem poſt longum tempus germen aliquod emittat, primum abortui ſimile, deinde vivum ac vegetum: ſicuti Nicodemi fides novum ex morte Chriſti & ſubitum vigorem traxit.

52. *Numquid tu quoque ex Galilæa es?*] Ex Galilæa eſſe dicunt quicunque favent Chriſti partibus: idque probroſe, quaſi neminem in ſecta ſua habere poſſit niſi ex ignobili Galilææ angulo. Quod autem tanta violentia feruntur in Nicodemum, inde apparet quam furioſo odio adverſus Chriſtum arderent. neque enim quaſi ex profeſſo defenſionem Chriſti ſuſceperat, ſed tantum negaverat damnandum eſſe priusquam auditus eſſet. Sic hodie apud Papiſtas ne minimum quidem æquitatis ſignum quiſpiam dare poteſt ne Euangelium opprimatur, quin hoſtes furiis perciti hæreticum eſſe exclament.

53. *Et profectus eſt quiſque in.*] Sequitur jam mirabilis actionis exitus. Siquis reputet quale tunc fuerit regnum Sacerdotum, quanta rabies, quantus apparatus: ab altera parte Chriſtum nudum & inermem nulloque hominum præſidio munitum cogitet: centies de ipſo actum erat. Quod ſponte diffluit tam valida conſpiratio, & omnes illi tanquam undæ maris proprio ſeipſos impetu frangunt, quis non agnoſcet manu Dei fuiſſe diſſipatos? Manet autem Deus ſemper ſui ſimilis. Itaque quoties volet, omnes hoſtium conatus diſcutiet, ut omnia habentes ad manum, ad conſilium ſuum exequendum parati & inſtructi, rebus tamen infectis diſcedant. Et nos ſæpius experti ſumus, quicquid machinati erant hoſtes ad Euangelium extinguendum, incredibili Dei gratia irritum mox cecidiſſe.

CAP. VIII.

JEſus autem profectus eſt in montem Olivarum.
2. Et mane rurſum adfuit in templo: & totus populus ad eum venit, & ſedens docebat eos.
3. Adducunt autem Scribæ & Phariſæi ad eum mulierem in adulterio deprehenſam, & ſiſtentes eam in medio,
4. Dicunt ei, Magiſter, hæc mulier in ipſo actu deprehenſa fuit quum adulterium committeret.
Lev. 20. verſ. 10. 5. In Lege autem Moſes nobis mandavit ut ejuſmodi lapidarentur: tu ergo quid dicis?
6. Porro hoc dicebant tentantes eum, ut materiam haberent ejus accuſandi. Jeſus autem conjectis deorſum oculis, digito ſcribebat in terram.
7. Quum autem perſtarent interrogando eum, ſublatis oculis dixit ad eos, Qui veſtrum immunis eſt à peccato, primus lapidem in eam jaciat.
8. Et rurſus deorſum aſpiciens, ſcribebat in terram.
9. Illi vero quum audiſſent, & à conſcientia arguerentur, exierunt ſinguli, initio facto à ſenioribus uſque ad ultimos: ita relictus eſt Jeſus ſolus, & mulier quæ in medio ſtabat.
10. Jeſus autem ſublatis oculis quum neminem vidiſſet præter mulierem, dixit ei, Mulier, ubi ſunt illi accuſatores tui? Nemo te condemnavit?
11. Dixit illa, Nemo Domine. Reſpondit ei Jeſus, Neque ego te condemnabo: vade, & ne amplius pecces.

3. *Adducunt autem Scribæ & Phariſæi.*] Satis conſtat hiſtoriam hanc olim Græcis fuiſſe ignotam: itaque nonnulli conjiciunt aliunde aſſutam eſſe. ſed quia ſemper à Latinis Eccleſiis recepta fuit, & in plurimis vetuſtis Græcorum codicibus reperitur, & nihil Apoſtolico Spiritu indignum continet, non eſt cur eam in uſum noſtrum accommodare recuſemus. Quod dicit Euangeliſta mulierem à Scribis adductam eſſe, ſignificat id actum fuiſſe inter eos ex compoſito, ut inſidias in Chriſtum tenderent. Phariſæos nominatim exprimit, quia in ordine Scribarum præcipui erant. Fuit autem in captando calumniæ prætextu nimia eorum improbitas, quam ipſi quoque ore ſuo produnt: neque enim diſſimulant clarum ſe habere Legis præceptum. unde ſequitur malitioſe eos facere quod adhuc interrogant veluti de re dubia. Sed hoc illis conſilium fuit, ut Chriſtum ab officio prædicandæ gratiæ diſcedere cogerent, ut videri poſſet varius & inconſtans. ideo diſerte commemorant damnari adulteras à Moſe, ut Chriſtum Legis præjudicio illigatum teneant: neque enim abſolvere fas erat quos Lex damnabat. Si Legi ſubſcriberet, videri poterat ſibi quodammodo diſſimilis.

6. *Jeſus autem conjectis deorſum oculis.*] Hoc geſtu eorum contemptum præ ſe tulit. Itaque inſcite meo judicio faciunt qui divinant hoc vel illud ſcripſiſſe. Nec mihi probatur Auguſtini argutia, qui putat notatum fuiſſe hoc modo Legis & Euangelii diſcrimen, quia non ſcriberet Chriſtus in tabulis lapideis, ſed in homine, qui pulvis & terra eſt. Potius enim voluit Chriſtus rem nihili agendo oſtendere quam ipſi audientia indigni eſſent. quemadmodum ſiquis alio loquente, digito ſuo lineas in pariete ducat, vel tergum obvertat, vel alio ſigno demonſtret ad id quod dicitur ſe minime attendere. Ita hodie quum Satan variis modis nos à recto docendi curſu abducere conetur, multa quæ nobis objicit, contemptim præterire nos decet. Multis frivolis cavillis, perinde ac

ſpar-

ſparſis in aërem nebulis, Papiſtæ quantum in ſe eſt nos exagitant. Si in ſingulis diſcutiendis anxie ſe occupent pii doctores, telam Penelopes ordientur. Tales ergo remoræ, quæ nihil quam Euangelii curſum impediunt, prudenter negliguntur.

7. *Qui veſtrum immunis eſt.*] Hoc dixit ex more
Deut. 17. verſ. 7. Legis. inſtituit enim Deus ut maleficos & ſceleratos ſuis manibus interficerent teſtes, ſecundum quos judicatum erat: quo major eſſet in teſtimoniis religio. Multi enim ad obruendum perjurio fratrem temere proſiliunt, quia non cogitant lethale ſua lingua vulnus ſe afferre. Atque hæc eadem ratio apud iſtos quamvis perditos calumniatores valuit: quia in rem præſentem adducti, feroces illos ſpiritus deponunt quibus inflati venerant. Quanquam hoc à Legis præſcripto diverſum habent Chriſti verba, quod illic ſimpliciter Deus monebat non eſſe lingua damnandum hominem, niſi quem propriis manibus occidere liceret: hic Chriſtus perfectam à teſtibus innocentiam exigit: ne quis niſi purus & integer omnique culpa vacuus crimen in altero vindicandum ſuſcipiat. Quod autem tunc paucis dixit, tanquam omnibus nobis dictum accipere oportet: nempe ut quiſquis alium accuſat, ſibi ipſe indicat innocentiæ legem: alioqui non malefacta perſequimur, ſed potius hominum perſonis ſumus infeſti. Verum interim videtur ex mundo tollere judicia, ut nemo ſcelerum vindicem ſe profiteri audeat. Quis enim reperietur judex qui non aliqua in re ſibi male conſcius ſit? quis teſtis prodibit nulli culpæ obnoxius? Videtur ergo teſtes omnes à foro, & judices à tribunali arcere. Reſpondeo, non eſſe hoc præciſum ac ſimplex interdictum, quo vetet Chriſtus peccatores in corrigendis aliorum peccatis officium ſuum facere: ſed tantum hac voce reprehendi hypocritas, qui plusquam ſeveri, imo truces aliorum cenſores, ſibi ſuiſque vitiis benigne indulgent. Nemini igitur obſtabunt ſua peccata quominus aliena corrigat, & quum opus fuerit, etiam puniat: modo tam in ſe quam in aliis quicquid damnandum eſt oderit. imo hinc fieri initium debet, ut ſuam quiſque conſcientiam interroget, & adverſum ſe teſtis ſit ac judex, priuſquam ad alios deſcendat. Ita fiet ut ſine hominum odio cum peccatis bellum geramus.

9. *Et à conſcientia arguerentur.*] Hic apparet quanta ſit vis malæ conſcientiæ. Quum impii iſti hypocritæ Chriſtum ſuis cavillis eludere in animo haberent, ſimul tamen ac eorum conſcientias una voce pungit, perculſi diffugiunt. Hoc malleo frangenda eſt hypocritarum ſuperbia, ut ſcilicet ad Dei judicium revocentur. quanquam fieri poteſt ut pudor illis apud homines incuſſus plus valuerit quam Dei timor. Eſt tamen hoc magnum quod ſe ultro reos fatentur, dum confuſi diffugiunt. Notanda etiam circumſtantia eſt quæ mox exprimitur, ut quiſque eorum honore alios antecedebat, reatu ſuo citius tactum fuiſſe. Atque utinam ſaltem in Scribis noſtris, qui hodie ſuam operam ad Chriſtum oppugnandum Papæ venditant, tantum eſſet verecundiæ: ſed adeo ipſos depuduit, ut flagitiis omnibus infames, eo ipſo glorientur quod probroſis impune eſſe liceat. Porro ſimul notandum eſt quantum à vera pœnitentia differat hic peccati ſenſus quo tacti fuerunt Scribæ. Sic enim affici nos Dei judicio oportet, ut tamen latebras non captemus ad fugiendum judicis conſpectum, ſed potius ad eum deprecandæ veniæ cauſa recta nos conferamus. *Relictus eſt Jeſus ſolus.* Hoc effecit Spiritus prudentiæ ut impii fruſtra tentato Chriſto ceſſerint. Nec vero dubium eſt quin futuri ſimus quibuſvis hoſtium machinis ſuperiores, ſi modo regi nos ab eodem Spiritu ſinamus. ſed ideo ſæpe opprimi nos contingit, quod neglectis eorum inſidiis, de capiendo conſilio parum ſumus ſolliciti; aut freti noſtra prudentia, minime reputamus quam neceſſarium ſit nobis Spiritus regimen. Solum Chriſtum manſiſſe dicit, non quod relictus fuerit à plebe quam prius docebat: ſed quia Scribæ omnes qui adulteram produxerant, non fuerunt illi amplius moleſti. Quum dicitur *Mulierem* manſiſſe apud Chriſtum, diſcamus hoc exemplo nihil nobis eſſe melius quam ad ejus tribunal reos adduci, modo nos ejus judicio placide & obedienter tradamus.

11. *Neque ego te condemno.*] Non refertur hic ſimplex Chriſti abſolutio, ſed quod mulierem liberam dimiſerit. neque mirum: nihil enim ſua perſona alienum ſuſcipere voluit. Miſſus erat à Patre ad colligendas oves perditas: ergo vocationis ſuæ memor, mulierem hortatur ad pœnitentiam, & gratiæ promiſſione illam ſublevat. Qui hinc colligunt non eſſe capitali ſupplicio vindicanda adulteria, eadem ratione concedant neceſſe eſt hæreditates non eſſe dividendas, quia Chriſtus ſe in eo negotio arbitrum inter duos fratres interponere noluit. Imo nullum non ſcelus eximetur legum pœnis, ſi adulteris pœna remittitur: tunc enim & cuivis perfidiæ & veneficiis & jugulationibus & furtis aperta erit janua. Adde quod adultera, quum falſum partum ſupponit, non tantum furatur nomen familiæ, ſed jus hæredum legitimæ ſoboli ereptum ad alienos transfert. Hoc vero malorum caput, quod uxor, quæ viro addicta erat, cum ejus dedecore ſeipſam ad flagitium proſtituit: & ſimul violat ſacrum Dei fœdus, ſine quo nulla in mundo ſanctitas ſalva manet. Atqui hæc Papalis eſt theologia, Chriſtum hoc loco legem gratiæ attuliſſe, qua detur adulteris impunitas. Et quum Chriſti gratiam, qualem ubique nobis commendat Euangelii doctrina, modis omnibus delere conentur ex animis hominum, hac ſola in parte gratiæ legem ſonore prædicant. Cur iſtud, niſi ut effreni libidine thoros fere omnes impune contaminent? Hoc ſcilicet profectum eſt à diabolico illo cœlibatu, ut promiſcue ſcortentur quibus legitimam uxorem habere non licet. Nos vero teneamus ſic remitti hominibus à Chriſto peccata, ut politicum tamen ordinem non ſubvertat, judicia & pœnas legibus conſtitutas non aboleat. *Amplius noli peccare.* Hinc colligimus quiſnam gratiæ Chriſti ſit finis, nempe ut Deo reconciliatus peccator, ſalutis ſuæ auctorem pie ſancteque vivendo colat. In ſumma, eodem Dei verbo, quum venia nobis offertur, ſimul vocamur ad pœnitentiam. Cæterum tametſi exhortatio hæc in poſterum tempus reſpicit, ſimul tamen peccatores ſuperioris vitæ memoria humiliat.

12. Rurſum ergo Jeſus illis loquutus eſt, dicens, Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulabit in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.

13. Dixerunt ergo ei Phariſæi, Tu de teipſo teſtaris: teſtimonium tuum non eſt verum.

14. Reſpondit Jeſus, & dixit illis, Etſi teſtificor de meipſo, verum eſt teſtimonium meum: quia novi unde venerim & quo iturus ſim: vos autem non noſtis unde venerim, & quo iturus ſim.

12. *Ego ſum lux mundi.*] Qui proximam hiſtoriam omittunt, hunc Chriſti ſermonem contexunt cum illa concione quam ultimo die conventus habuit. Eſt autem hoc pulcherrimum Chriſti elogium dum vocatur lux mundi. nam quum cæci omnes ſimus natura, remedium proponitur quo à tenebris eruti & libe-

liberati, veræ lucis ſimus compotes. Neque uni aut alteri offertur hoc beneficium, quia ſe totius mundi lucem Chriſtus prædicat. Neque enim hac generali ſententia diſcrimen ſolum inter Judæos & Gentes, ſed etiam inter doctos & idiotas, inter eximios & vulgares tollere voluit. Sed primo loco tenenda eſt hujus lucis quærendæ neceſſitas. neque enim unquam Chriſto ſe illuminandos offerent, niſi qui & hunc mundum tenebras eſſe, & ſe penitus cæcos ante agnoverint. Sciamus ergo, quum lucis obtinendæ ratio nobis in Chriſto oſtenditur, damnari nos omnes cæcitatis, & quicquid lucis alibi eſſe putamus, tenebris ac denſæ nocti conferri. Neque enim refert Chriſtus quid habeat cum aliis commune, ſed hoc ſibi proprium ac ſingulare vendicat. Unde ſequitur, extra ipſum ne ſcintillam quidem eſſe veræ lucis. Exit quidem aliqua ſplendoris ſpecies, ſed fulgetri ſimilis, quæ nihil quam oculos perſtringat. Notandum eſt præterea, vim & partes illuminandi non reſtringi ad Chriſti perſonam: quamvis enim procul à nobis abſit corporis aſpectu, lucem tamen ſuam quotidie Euangelii doctrina & arcana Spiritus ſui virtute erga nos exerit. Nondum tamen plena lucis hujus definitio nobis conſtat, niſi diſcamus Euangelio & Spiritu Chriſti nos illuminari, ut ſciamus in ipſo abſconditum eſſe omnis ſcientiæ & ſapientiæ fontem. *Qui ſequitur me.* Doctrinæ exhortatio ſubjicitur: quam promiſſio mox addita confirmat. nam quum audimus extra errandi periculum eſſe quicunque ſe Chriſto regendos permittunt, incitari nos ad ſequendum decet: & huc nos quaſi porrecta manu trahit ipſe. Plurimum quoque valere debet tam ampla ac magnifica promiſſio, quod ſibi per medias tenebras certam viam fore certi ſunt qui in Chriſtum oculos dirigent: neque id ad ſpatium aliquod duntaxat, ſed donec ad metam perventum ſit. Nam id ſibi volunt verba futuri temporis, quod *in tenebris non ambulabunt, ſed habebunt lumen vitæ.* Eodem pertinet hoc poſtremum, in quo diſerte exprimitur lucis perpetuitas. Quare timendum non eſt ne in medio nos itinere deficiat, quum perducat uſque ad vitam. Genitivus more Hebraico pro epitheto effectum notante capitur, acſi dixiſſet lumen vivificum. Porro non mirum eſt tam craſſam errorum ac ſuperſtitionum caliginem in mundo graſſari, ubi tam pauci qui in Chriſtum aſpiciant.

13. *Dixerunt ergo Phariſæi.*] Objiciunt quod vulgo dici ſolet, nemini in propria cauſa fidem eſſe habendam. nam *verum teſtimonium* pro legitimo & fide digno ponitur. In ſumma, ſignificant temere eum verba perdere, niſi aliunde probationem habeat.

14. *Etſi ego teſtificor.*] Reſpondet Chriſtus ſatis fidei & auctoritatis eſſe ſuo teſtimonio, quia non ſit privatus quiſpiam ex communi hominum grege, ſed longe aliam perſonam ſuſtineat. Nam quum dicit ſe ſcire unde venerit, & quo iturus ſit, ita ſe eximit communi hominum numero. Senſus ergo eſt, quod in propria cauſa quiſque ſuſpectus eſt, & legibus cautum eſt necui in rem ſuam loquenti credatur, id in Filio Dei, qui ſupra totum mundum eminet, locum non habere. non enim cenſeri in ordine hominum, ſed hoc privilegio ornatum eſſe à Patre ut ſolo verbo omnes homines in ordinem cogat. *Novi unde venerim.* His verbis pronunciat ſibi non eſſe originem ex mundo, ſed à Deo profectum eſſe: ideoque iniquum eſſe & abſurdum ſuam doctrinam, quæ divina eſt, ſubjici hominum legibus. Sed quia tunc forma ſervi indutus propter carnis humilitatem illis contemptui erat, ſimul revocat eos ad futuram reſurrectionis ſuæ gloriam, quæ divinitatis prius occultæ & incognitæ illuſtre ſpecimen fuit. Quare non debuit obſtare medius ille ſtatus quin ſe unico Dei legato pridem ſibi in Lege promiſſo ſubjicerent Judæi. Quum ſcire ſe dicit, illos vero neſcire, ſignificat ſuæ gloriæ nihil decedere per eorum incredulitatem. Porro quum nobis idem teſtatum fecerit, omnes impiorum obloquutiones & ſtrepitus deſpicere fides noſtra debet. neque enim poteſt in Deo fundata eſſe quin ſumma mundi altitudine longe ſit ſuperior. Verum ut ſua Euangelio majeſtas apud nos conſtet, nos in cæleſtem Chriſti gloriam ſemper intentos eſſe oportet, & ſic audire in mundo loquentem ut meminerimus unde prodierit, & quale nunc imperium legatione ſua perfunctus obtineat. Nam ſicuti ad tempus ſe humiliavit, ita nunc in dextera Patris reſidet, ut omne genu illi flectatur.

15. Vos ſecundum carnem judicatis: ego non judico quenquam.

16. Et ſi ego judico, judicium meum verum eſt: quia ſolus non ſum, ſed ego & Pater qui me miſit.

17. Porro in Lege veſtra ſcriptum eſt quod duorum hominum teſtimonium verum ſit.

18. Ego ſum qui teſtificor de meipſo, & teſtificatur de me Pater qui me miſit.

19. Dixerunt ergo illi, Ubi eſt Pater tuus? Reſpondit Jeſus, Neque me noſtis, neque Patrem meum. ſi me noſſetis, Patrem etiam meum utique noſſetis.

20. Hæc verba loquutus eſt Jeſus in gazophylacio, docens in templo. Et nemo apprehendit eum: quia nondum venerat hora ejus.

15. *Vos ſecundum carnem.*] Bifariam poteſt exponi, vel quod ex pravo carnis ſuæ ſenſu, vel quod ex perſonæ intuitu judicium faciant: nam *caro* interdum pro externa hominis ſpecie capitur: & ſenſus uterque huic loco probe conveniet, quia ſive dominentur affectus carnis, ſive perſonæ intuitus in judicio valeat, illic neque veritas neque æquitas locum habet. Senſus tamen mihi videtur fore certior, ſi carnem opponamus Spiritui, ut ideo legitimos ac idoneos eſſe neget judices quia Spiritum non habent ducem. *Ego non judico quenquam.* Hic quoque variant interpretes. Quidam ita diſtinguunt, quod non judicet quatenus homo. Alii ad tempus referunt, quod quum in terra eſſet, nondum ſuſciperet judicis munus. Auguſtinus utramque expoſitionem adducit judicium ſuum ſuſpendens. Atqui prior illa diſtinctio nullo modo quadrare poteſt. ſunt enim duo hujus ſententiæ membra, quod non judicet Chriſtus; & ſi judicet, firmum ſit & authenticum ejus judicium, quia divinum eſt. Itaque prius membrum, ubi ſe judicare negat, potius ad loci præſentis circumſtantiam reſtringo. Nam ut melius hoſtes ſuos ſuperbiæ convincat, hac comparatione utitur, quod ſibi licentiam uſurpent præpoſtere judicandi, & interea ipſum ſimpliciter docentem, & abſtinentem judicis partibus, ferre nequeant.

16. *Et ſi ego judico.*] Correctio eſt, ne videatur penitus jure ſuo cedere. Si judico, inquit, verum eſt judicium meum, hoc eſt, auctoritatem meretur. Inde vero auctoritas, quod nihil agit niſi ex Patris mandato. Loquutio hæc, *Non ſum ſolus*, perinde valet acſi negaret ſe unum quemlibet eſſe ex hominum numero, ſed conſiderandum cum perſona à Patre impoſita. Sed cur non potius diſerte ſibi divinitatem aſſerit, ut vere & merito poterat? Nempe quia ſub carnis velo latebat divinitas, Patrem, in quo magis conſpicua erat, in medium adducit. Huc tamen ſpectat oratio, ut divinum cenſeatur quicquid agit ac docet.

17. *Porro in Lege veſtra.*] Poſſet infirmum

prima

prima ſpecie videri argumentum, quod nemo in propria cauſa teſtis admittitur. Sed memoria tenendum eſt quod jam dixi, Chriſtum ſcilicet eximi debere à vulgo hominum: quia neque homo ſit privatus, nec privatum ſuum negotium tractet. Quod ſe diverſum à Patre facit, in eo ſe auditorum captui accommodat, idque pro officii ratione, quia tunc Patris erat miniſter: ideoque eum ſibi totius doctrinæ auctorem ſtatuit.

19. *Ubi eſt Pater tuus?*] Minime dubium eſt quin per ludibrium de Patre quæſierint. præterquam enim quod pro ſolito faſtu contemptim ab illis exceptum fuit quod de Patre dixerat, ſimul eum ſubſannant, quod magnifice extollat Patrem ſuum, acſi genus è cælo duxiſſet. Itaque his verbis Patrem Chriſti negant tanti ſibi eſſe ut ejus cauſa Filio quicquam tribuant. Atque hinc tam audax Chriſti contemptus paſſim hodie erumpit, quod pauci à Deo miſſum eſſe cogitant. *Neque me noſtis.* Non dignatur eos certo reſponſo: ſed præciſe illis ignorantiam exprobrat in qua ſibi placebant. Quærebant de Patre: interea quum Filium haberent oculis præſentem, videndo non videbant. Hæc igitur juſta ſuperbiæ & tam impiæ ingratitudinis pœna fuit, ut qui Filium Dei familiariter ſibi exhibitum ſpreverant, nunquam ad Patrem accederent. Quomodo enim ad Dei altitudinem quiſquam mortalium conſcendet, niſi ejus manu in ſublime tollatur? Porro Deus in Chriſto ſe ad hominum humilitatem demiſit, ut manum porrigeret. qui Deum hoc modo ſibi appropinquantem rejiciunt, nonne digni ſunt qui cælo arceantur? Hoc idem ſciamus & nobis omnibus dici. quiſquis enim ad Deum aſpirans exordium à Chriſto non facit, neceſſe eſt ut tanquam in labyrintho vagetur: neque enim fruſtra vocatur imago Patris, ut jam alibi dictum eſt. Cæterum ut omni recta Dei notitia privantur qui præterito Chriſto, gigantum inſtar, in cælum contendunt: ita quiſquis in Chriſtum mentem & ſenſus omnes diriget, is recta ad Patrem ducetur. neque enim falſo
Apoſtolus pronunciat, per Euangelii ſpeculum nos *2 Cor. 2.*
Deum clare intueri ſub Chriſti perſona. Hoc certe *verſ.* 18.
incomparabile eſt obedientiæ fidei præmium, quod qui ſe coram Chriſto humiliat, ſupra cælos omnes penetrat, uſque ad ea myſteria quæ Angeli ſuſpiciunt & adorant.

20. *Hæc verba loquutus eſt* &c.] Gazophylacium pars erat templi, ubi ſacræ oblationes reponebantur. Celebris ergo erat locus. Unde colligimus habitum fuiſſe hunc à Chriſto ſermonem in magna hominum frequentia, ut minus excuſationis populus haberet. Simul admirabilem Dei potentiam in eo nobis commendat Euangeliſta quod Chriſtum palam in templo docentem coacti fuerint ferre, quem nuper ad mortem trahendum quærebant. Nam quum pacatum illis in templo imperium eſſet, ut tyrannica libidine illic dominarentur, poterant ſolo nutu Chriſtum ejicere. Quod autem docendi officium ſibi ſumere auſus eſt, cur non violentam manum illi ſtatim injiciunt? Videmus ergo Deum illi audientiam feciſſe, & texiſſe ſuo præſidio, ne eum attingerent ſævæ belluæ, quum ad earum rictus expoſitus eſſet. *Horæ* iterum meminit, ut diſcamus Dei non hominum arbitrio nos vivere & mori.

21. Dixit ergo rurſum illis Jeſus, Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. Quo ego vado, vos non poteſtis venire.

22. Dixerunt ergo Judæi, Numquid occidet ſeipſum, quia dicit, Quo ego vado, vos non poteſtis venire?

23. Tunc dixit illis, Vos eſtis ab infernis, ego de ſupernis ſum: vos de mundo eſtis, ego non ſum de mundo hoc.

24. Itaque dixi vobis, quod in peccatis veſtris moriemini. niſi enim credideritis quod ego ſum, in peccatis veſtris moriemini.

21. *Ego vado.*] Poſtquam ſe nihil proficere videt apud obſtinatos, denunciat illis exitium. atque hic eſt eorum omnium finis qui Euangelium reſpuunt. Neque enim temere in aerem ſpargitur: ſed neceſſe eſt odorem ſpiret vitæ vel mortis. Summa autem verborum eſt, ſenſuros tandem impios quanto ſuo malo rejecerint Chriſtum ultro ſe ipſis offerentem: verum id ſero, quum amplius pœnitentiæ locus non erit. Atque ut magis pœnæ propinquitate eos terreat, primum ſe paulo poſt abiturum dicit: quo ſignificat, tantum ad breve tempus illis prædicari Euangelium: quod ſi hanc occaſionem prætereant, non ſemper acceptum fore tempus, & dies ſaluti deſtinatos. Sic etiam hodie quum ad januam noſtram pulſat Chriſtus, ſtatim obviam eundum eſt, ne ignaviam noſtram pertæſus ſe nobis auferat. Et certe multis omnium temporum experimentis cognitum fuit quantopere metuendus ſit hic Chriſti diſceſſus. Sed primo tenendum eſt quomodo Chriſtum quæſierint iſti de quibus nunc agitur. nam ſi vera fuiſſet converſio, non fruſtra eum quæſiiſſent: quia non falſo promiſit præſto ſe adfuturum quoties ingemuerit peccator. Non ergo intelligit Chriſtus ſe recta fidei via ab illis quæſitum iri, ſed qualiter homines extremis malis anxii liberationem undecunque appetunt. Nam increduli Deum ſibi propitium habere cuperent, ſed interea ipſum fugere non deſinunt. Deus ipſos vocat: acceſſus in fide & pœnitentia ſitus eſt. Atqui duritiem cordis opponunt Deo: & deſperatione fracti, adverſus eum fremunt. In ſumma, tantum abeſt ut ad Deum aſpirent, ut locum non concedant ejus auxilio, niſi ſeipſum abneget: quod nunquam facturus eſt. In hunc modum quantumvis impii eſſent Scribæ, redemptionem quæ per manum Meſſiæ promiſſa erat, libenter ſibi aptaſſent, modo ſeipſum transfiguraſſet Chriſtus ad illorum ingenium. Proinde his verbis minatur Chriſtus, ac denunciat omnibus incredulis, tantis anguſtiis, poſtquam contempſerint Euangelii doctrinam, conſtrictum iri, ut clamare ad Deum cogantur: ſed irritum hunc fore ululatum: quia (ſicuti dictum eſt) quærendo non quærunt. Idque ſatis clare proxima particula exprimitur, quum dicit, *Moriemini in peccato veſtro.* Cauſam enim interitus fore docet quod Deo ad extremum uſque immorigeri erunt ac rebelles. Quale autem hoc peccatum ſit, mox videbimus.

22. *Numquid occidet ſeipſum.*] Pergunt Scribæ non modo in ſecuro contemptu, ſed etiam in protervia. ſubſannant enim quod dixerat, non poſſe ipſos ſequi quo erat iturus. acſi dicerent, Si ſeipſum interficiat, fatemur non poſſe nos eſſe illi comites, quia non libet. Nam & Chriſti abſentiam pro nihilo ducebant, & putabant eo ſe fore in omnibus ſuperiores. Ideo jubent eum procul faceſſere quo volet. Horribilis ſane ſtupor: ſed ita reprobos faſcinat Satan ut pluſquam temulenta vecordia ſe in mediam flammam iræ Dei projiciant. Annon hodie eundem in multis furorem cernimus, qui obſtupefactis conſcientiis, quicquid audiunt de horribili Dei judicio, jocoſe & ſcurrili petulantia eludunt? Quanquam certum eſt hunc eſſe Sardonium riſum: quia intus fodiuntur cæcis punctionibus, ſed mox quaſi privati ſenſu in furioſos cachinnos erumpunt.

23. *Vos*

23. *Vos eſtis ab infernis.*] Quia indigni erant quos doceret, taotum præciſis objurgationibus eos percutere voluit: ut hoc loco pronunciat eos non capere ſuam doctrinam, quia prorſus abhorreant à regno Dei. Porro ſub *mundo* & *infernus* complectitur quicquid habent homines à natura: atque ita diſſidium ponit inter Euangelium ſuum, & acumen ac perſpicaciam humanæ mentis: quia Euangelium cæleſtis ſit ſapientia, mens autem noſtra in terra ſubſidat. Nemo itaque idoneus erit Chriſti diſcipulus, niſi quem Spiritu ſuo formaverit. Atque hinc fit ut tam rara ſit in mundo fides: quia naturaliter totum humanum genus alienum eſt à Chriſto & averſum, niſi quos ipſe ſurſum peculiari Spiritus ſui gratia erigit.

24. *In peccatis veſtris moriemini.*] Pluralem numerum nunc ponit, quum ante ſingulari uſus eſſet in eodem ſenſu: niſi quod priore loco notare voluit incredulitatem malorum omnium fontem ac cauſam eſſe: non quia incredulitas ſola peccatum ſit, vel ſola nos æternæ mortis reatu coram Deo obſtringat (ut quidam nimis hyperbolice loquuntur) ſed quia nos alienat à Chriſto, privatque ejus gratia unde petenda erat à peccatis omnibus liberatio. Quod ergo obſtinata malitia medicinam reſpuunt Judæi, hoc illis lethale eſt malum: & hinc fit ut Satanæ mancipati peccata peccatis cumulare non deſinant, novoſque ſibi reatus ſubinde accerſere. ideo mox ſubjicit, *Niſi credideritis quod ego ſim.* Neque enim perditis alia eſt ſalutis recuperandæ ratio niſi ut ad Chriſtum confugiant. Cæterum in hac loquutione, *Quod ego ſim*, ſubeſt emphaſis: quia ſubaudienda ſunt quæcunque Scriptura Meſſiæ tribuit, & ab ipſo ſperare jubet. Summa tamen eſt & caput, Eccleſiæ inſtauratio, cujus principium eſt lux fidei, unde naſcuntur juſtitia & nova vita. Quidam ex veteribus perperam hoc ad divinam Chriſti eſſentiam traxerunt, quum de officio erga nos ſuo differat. Hæc ſententia obſervatu digna: nam mala in quibus demerſi ſunt, nunquam ſatis reputant homines. deinde etiamſi interitum ſuum agnoſcere cogantur, neglecto tamen Chriſto ad vana remedia circumſpiciunt. Quare tenendum eſt, donec liberatrix Chriſti gratia ſe exerat, graſſari innumeram malorum omnium colluviem.

25. Dixerunt ergo illi, Tu quis es? Dixit eis Jeſus, A principio, quia & loquor vobis.
26. Multa habeo quæ de vobis loquar & judicem: ſed qui me miſit verax eſt: & ego, quæ audivi ab ipſo, hæc loquor apud mundum.
27. Non cognoverunt quod Patrem illis diceret. Dixit ergo illis Jeſus,
28. Quum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoſcetis quod ego ſum, & à meipſo nihil facio: ſed quemadmodum docuit me Pater, hæc loquor.
29. Et qui me miſit, mecum eſt. non me reliquit ſolum Pater, quia ego quæ illi placent ſemper facio.

25. *A principio.*] Longe falluntur qui Principium nominandi caſu accipiunt, acſi æternam ſuam divinitatem Chriſtus hic aſſereret. Græce nulla talis ambiguitas eſſe poteſt: ſed tamen Græci quoque interpretes inter ſe variant. Convenit hoc quidem inter omnes, ſubaudiendam eſſe præpoſitionem: ſed multi adverbialiter exponunt, quaſi diceret Chriſtus, in primis hoc tenendum eſſe. Nonnulli etiam, ut Chryſoſtomus, uno contextu legunt, Principium quod & loquor vobis, multa habeo quæ loquar de vobis & judicem. Quam ſententiam & Nonnus carmine reddidit. Diverſa tamen lectio magis recepta eſt, & genuina mihi videtur. Porro τὴν ἀρχὴν interpretor A principio: atque ita meo judicio ſenſus eſt, Non ſum derepente ortus, ſed quemadmodum jam olim promiſſus fueram, nunc in medium prodeo. Et addit, *Quia & loquor vobis*: quo ſignificat ſatis clare ſe teſtari quiſnam ſit, ſi modo aures ipſi haberent. Cauſalis particula ὅτι, non ſimpliciter ad reddendam cauſam poſita eſt, quaſi velit Chriſtus probare ſe ab initio fuiſſe, quia nunc loquitur: ſed talem cum illa cujus meminit æternitate doctrinæ ſuæ conſenſum affirmat, ut indubiæ confirmationis loco debeat haberi. Ita reſolvi poſſet, Secundum principium. hoc eſt, ille de quo jam olim ſicuti & nunc quaſi de integro confirmo: vel, & ſane quod nunc quoque loquor, conforme eſt cum ſeculorum omnium oraculis: ut ſit firma approbatio. In ſumma, duobus membris conſtat hoc reſponſum. nam *principii* nomine continuam ætatum ſeriem complectitur, ex quo Dei fœdus cum Patribus ſancitum fuerat. Quum ſe etiam *loqui* dicit, præſentem ſuam doctrinam antiquis vaticiniis conjungit, atque inde pendere docet. Unde ſequitur, non aliam fuiſſe ignorantiæ cauſam Judæis niſi quia & Prophetis & Euangelio eſſent increduli. nam ubique Chriſtus unus proponitur. Fingebant illi ſe Prophetarum eſſe diſcipulos, & in æternum Dei fœdus reſpicere: atqui interea Chriſtum reſpuebant, qui ab initio promiſſus fuerat, & coram ſe illis offerebat.

26. *Multa habeo.*] Quia ſurdis ſe canere videbat, non ultra proſequitur ſermonem, ſed tantum pronunciat Deum ejus doctrinæ quam contemnunt fore vindicem, quia ejus auctor ſit: Si vos accuſare velim (inquit), amplam materiam mihi ſuppeditat veſtra malitia & improbitas: ſed ego nunc ſuperſedeo. Pater autem, qui mihi docendi provinciam injunxit, non omittet partes ſuas: ſibi enim conſtabit, ut verbum ſuum aſſerat ab impio & ſacrilego hominum contemptu. Eodem fere pertinet Chriſti dictum quo & illud Pauli, Si abnegaverimus, ille fidelis manet, 2 Tim. 2
ſeipſum non poteſt abnegare. In ſumma, Dei judi- verſ. 13.
cium minatur incredulis qui fidem abrogant ejus verbo, quia neceſſe eſt ut ſuam veritatem defendat. Atque hæc vera eſt fidei noſtræ ſtabilitas, quum Deum unum ſufficere ſtatuimus ad ſtabiliendam doctrinæ ſuæ auctoritatem, quamvis eam totus mundus repudiet. Hoc præſidio freti quicunque fideliter Chriſto ſerviunt, ſecure poſſunt totum mundum mendacii reum peragere. *Et ego quæ audivi.* Nihil ſe proferre dicit quod non acceperit à Patre. Atque hæc unica eſt doctrinæ approbatio, quum miniſter à Deo profectum oſtendit quicquid loquitur. Porro ſcimus Chriſtum miniſtri perſonam tunc egiſſe: quare non mirum eſt ſi ideo audiri poſtulet quia ad homines perferat Dei mandata. Cæterum ſuo exemplo communem toti Eccleſiæ legem præſcribit, ut nemo niſi ex ore Dei loquens audiatur. Sed quemadmodum perverſam hominum arrogantiam dejicit qui ſe abſque Dei verbo ingerunt: ita pios doctores qui ſuæ vocationis probe ſibi conſcii ſunt, inſtruit & armat invicta conſtantia, ut Deo duce cunctis mortalibus audacter inſultent.

27. *Non cognoverunt*] Hinc apparet quam ſtupidi ſint quorum mentes poſſidet Satan. Nihil certe clarius eſſe poterat quam ipſos citari ad Dei tribunal: atqui prorſus cæcutiunt, quod & aliis Euangelii hoſtibus quotidie accidit. Porro talis eorum excæcatio nos ad timorem inſtituere debet.

28. *Quum exaltaveritis*] Stupore illo, quem notavit Euangeliſta, offenſus Chriſtus, indignos eſſe iterum pronunciat qui plura audiant ex ore ſuo. Vos

(in-

(inquit) nunc ſenſus omnes habetis quaſi faſcinatos, ideoque nihil eorum quæ dico iotelligitis: ſed erit aliquando tempus quum Dei Propbetam inter vos fuiſſe verſatum vobiſque loquutum ſcietis. Ita ſcilicet cum impiis agedum eſt: præciſe ad ſummi judicis tribuoal vocandi ſunt. Eſt autem ſera hæc cognitio cujus meminit Chriſtus, dum impö ad pœnam tracti, Deum, quem placide revereri debuerant, ſuum judicem inviti agnoſcunt. neque enim reſipiſcentiam illis promittit: ſed pronunciat, poſtquam novo & inopinato iræ Dei horrore perculſi fuerint, torporem, in quo nunc acquieſcunt, illis Gen. 3:7. excuſſum iri. Sic Adæ aperti fuerunt oculi, ut pudore confuſus, latebras fruſtra quæritando, ſe perditum eſſe tandem ſentiret. Quaoquam illa Adæ cognitio, quæ per ſe inutilis fuiſſet, Dei gratia in bonum ejus ceſſit: reprobi autem deſperatione obruti in hunc tantum finem apertos habent oculos ut ſuum exitium cernant. Cæterum ad hoc cognitionis genus ipſos variis modis Deus adducit. ſæpe eoim flagellis coacti Deum ſibi infeſtum eſſe diſcunt: interdum nullo adhibito tormento intus eos cruciat: nonnunquam dormire patitur, donec eos è mundo evocet. *Exaltandi* verbo mortem ſuam deſignat Chriſtus. Mortis autem ſuæ meminit, ut præmoneat, etiamſi ſecundum carnem eum extinguant, oihil profecturos. acſi diceret, Nunc me loquentem ſuperbe eluditis: mox ultra graſſabitur veſtra impietas, nempe ad cædem uſque: tunc quaſi voti compotes triumphum caneiis. ſed brevi peſſimo veſtro exitio ſentietis quantum ab interitu mors mea differat. Exaltaoonis nomine utitur ut magis eos pungat. Conſilium ipſorum erat Chriſtum in ultimos inferos demergere: hac ſua ſpe longe ipſos fruſtratum iri aſſerit, ac prorſus contrarium fore eventum. Fieri quidem poteſt ut alludere ad externam mortis ſuæ formam voluerit, nempe quia in crucem tolleodus erat: præcipue tamen glorioſum ejus ſucceſſum reſpexit, qui præter omnium opinionem paulo poſt ſequutus eſt. Jam quidem in cruce ipſa, deleto peccati chirographo, & abolito mortis reatu, de Satana magnifice triumphavit coram Deo & Angelis: ſed triumphus hic, prædicato Euaogelio, tandem hominibus quoque conſpicuus eſſe cœpit. Idem ſubinde poſtea accidit ot è ſepulchro Chriſtus in cælum emergeret. Quod nobis hodie ſperandum eſt: quicquid enim ad Chriſtum in doctrina ſua & Eccleſia opprimendum machinentur impii, non modo ipſis invitis emerget, ſed ſceleſtos eorum conatus convertet in majorem regni ſui progreſſum. *Quod ego ſum.* Jam admonui non ad divinam Chriſti eſſentiam hoc referri, ſed ad officium duntaxat. quod etiam ex contextu melius patet ubi negat ſe facere quicquam niſi ex Patris mandato. nam hoc perinde valet acſi diceret ſe divinitus eſſe miſſum, & fideliter partibus ſuis fuogi. *A meipſo nihil facio.* hoc eſt, non me ingero ad quicquam temere aggrediendum. *Loquendi* verbum eodem ſpectat, nempe ad docendi munus. nam quum probare vult Chriſtus oihil ſe facere Patris injuſſu, dicit ſe loqui quemadmodum ab ipſo edoctus eſt. Hæc itaque eſt verborum ſumma. In hac tota adminiſtratiooe quam damnatis, oihil eſt meum, ſed tantum exequor quod mihi Deus injunxit: illius verba ſunt quæ ex ore meo auditis: & vocationem meam, cujus auctor eſt ipſe, ſolus gubernat. Cæterum meminerimus (quod jam aliquoties attigi) ad captum auditorum attemperari hæc verba. Quia enim unum ex hominum vulgo Chriſtum cenſebant, ſuum eſſe negat quicquid divinum habet. quaſi diceret non eſſe hominis, neque ab homine, quia per ipſum Pater nos docet, ac unicum Eccleſiæ magiſtrum conſtituit: ideo ſe à Patre edoctum eſſe aſſerit.

29. *Et qui me miſit.*] Iterum gloriatur, Deum, cujus ductu & auſpiciis agit omnia, ſibi adſuturum, ne fruſtra & ſine profectu laborer: acſi diceret, virtutem Spiritus Dei cum ſuo miniſterio conjunctam eſſe. Eadem fiducia pios omoes doctores præditos eſſe convenit, ut noo dubiteot manum Dei fore ſibi propinquam dum pura cooſcientia ſe illi quales requirit miniſtros præſtant. Neque enim verbo ſuo eos inſtruit Deus, ut frigido ac ioani ſonitu aërem verberent: ſed arcana Spiritus ſui efficacia dat verbo ſucceſſum, & ſimul ſuo præſidio eos tegit, ut hoſtibus ſuis proſtratis, contra totum mundum invicti perſtent. Et ſane ſi ſeipſos ac proprias facultates æſtiment, ſingulis momentis concidere oeceſſe erit. Una igitur perſtandi ratio, ſi perſuaſi ſint ſe Dei manu ſuſtineri. Sed ootanda eſt cauſa cur profiteatur Chriſtus Deum à partibus ſuis ſtare, nec ſe ejus auxilio unquam deſtitutum iri: quia ſcilicet totus ab ejus nutu pendeat, & bona fide illi miniſtret. Hoc enim valet adverbium *Semper*, non aliqua tantum ex parte ipſum Deo obſequi, ſed penitus ac ſioe exceptione ejus obſequio eſſe addictum. Proinde ſi eandem Dei præſentiam experiri cupimus, ad ejus imperium tota noſtra ratio exigenda eſt. Nam ſiquam partem regiminis occupet ſenſus ooſter, quia abierit Dei benedictio, ſtudia noſtra omnia incaſſum cedeot. quod ſi ad tempus læta ſpecies proſperi ſucceſſus arrideat, exitus tamen demum infelix erit. Quum dicit Chriſtus *Se non fuiſſe relictum ſolum*, oblique de gentis ſuæ perfidia conqueritur, io qua oullos fere reperiebat qui manum darent. Interea oſtendit, onum hoc ſibi ſatis ſuperque eſſe, Quod Deum vindicem habeat. Sic & nos hodie aoimatos eſſe decet, ne fidelium paucitate frangamur. quamvis enim totus mundus doctrinæ ooſtræ adverſus ſit, noo ſoli tamen ſumus. Inde ſimul apparet quam ſtolida ſit Papiſtarum jactantia, qui præterito Deo, ſua multitudine ſuperbiunt.

30. Hæc eo loquente multi crediderunt in eum.

31. Dicebat ergo Jeſus ad Judæos qui illi crediderant, Si manſeritis in ſermone meo, vere diſcipuli mei eſtis:

32. Et cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.

33. Reſponderunt illi, Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſervivimus unquam: quomodo tu dicis, Liberi eritis?

34. Reſpondit illis Jeſus, Amen, amen dico vobis quod omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.

35. Servus autem non manet domi in perpetuum, ſed filius in perpetuum manet.

36. Si ergo Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.

37. Scio quod ſemen Abrahæ ſitis: ſed quæritis me interficere, quia ſermo meus non habitat in vobis.

38. Ego quod vidi apud Patrem meum loquor: & vos quod vidiſtis apud patrem veſtrum facitis.

30. *Hæc eo loquente.*] Quanquam Judæi tunc aridæ & ſterili terræ erant fere ſimiles, non tamen paſſus eſt Deus verbi ſui ſemen in totum perire. Ergo præter ſpem inter tot obſtacula fructus aliquis exurgit. Cæterum fidem Euangeliſta improprie nominat quæ ſolum erat quædam ad fidem præparatio. Nihil enim altius de illis prædicat quam quod propenſi fuerunt ad recipiendam Chriſti doctrinam: quo etiam ſpectat proxima admonitio.

31. *Si manſeritis in ſermone meo.*] Hic primum admonet Chriſtus non ſufficere ſiquis bene cœperit, niſi progreſſus ad finem uſque reſpondeant. Et hac ratione eos qui doctrinam ſuam guſtarunt, ad fidei perſeverantiam hortatur, quum vere diſcipulos ſuos fore pronunciat qui ſolidas in verbo ſuo radices egerint, ut in eo maneant. Significat multos profeſſione eſſe diſcipulos qui tamen reipſa non ſunt, nec cenſeri etiam merentur. Suos autem ab hypocritis hac nota diſcernit, quod qui falſo jactarunt fidem, ſtatim à carceribus, vel in medio ſtadii curſu deficiunt: fideles autem conſtanter pergunt uſque ad metam. Ergo ut nos pro diſcipulis habeat Chriſtus, conſtantiæ ſtudendum eſt.

32. *Cognoſcetis veritatem.*] Veritatem cognituros dicit qui ad aliquam ejus notitiam pervenerant. Valde quidem adhuc rudes erant & vix elementarii quos alloquitur Chriſtus: ideo non mirum eſt ſi ampliorem illis doctrinæ ſuæ intelligentiam promittat. verum generalis eſt ſententia. Proinde quantumvis quiſque noſtrum in Euangelio profecerit, novis incrementis ſe opus habere ſciat. Hoc autem præmio dignatur Chriſtus ſuorum conſtantiam, quod ſe illis magis familiarem reddit. quanquam hoc modo nihil aliud quam prius donum altero cumulat, ne quis putet hominis merito quicquam rependi. Ipſe enim eſt qui verbum ſuum cordibus noſtris per Spiritum ſuum infigit: idem quotidie ignorantiæ nebulas abſtergit in mentibus noſtris, quæ Euangelii claritatem obſcurant. Ergo ut nobis ad plenum patefiat veritas, ſerio conſtantique affectu ad eam eniti oportet. Porro eadem eſt, non diverſa veritas, quam ab initio ad finem uſque ſuos Chriſtus docet: ſed quos initio quaſi exiguis ſcintillis irradiat, tandem plena luce perfundit. Ita fideles, donec penitus confirmati fuerint, quodammodo id quod ſciunt ignorant. nulla tamen tam exigua eſt vel obſcura fidei cognitio, quæ non ſit in ſalutem efficax. *Veritas liberabit.*] Cognitionem Euangelii ſui à fructu quem inde percipimus, vel (quod idem eſt) ab effectu commendat: nempe quod nos in libertatem reſtituat. Hoc porro incomparabile bonum eſt. Unde ſequitur, nihil Euangelii cognitione eſſe præſtantius vel magis expetendum. Servitutem omnes ſentiunt ac fatentur rem eſſe miſerrimam. quum ab ea nos Euangelium liberet, ſequitur ab eo beatæ vitæ theſaurum eſſe. Jam tenendum eſt qualis hic à Chriſto libertas notetur, nempe quæ nos à Satanæ, peccati & mortis tyrannide manumittit. Quod ſi eam conſequimur Euangelii beneficio, hinc conſtat peccati nos omnes naturâ ſervos eſſe. Porro ſimul tenendus eſt liberationis modus. quamdiu enim ſenſu ac ingenio noſtro regimur, peccato ſumus mancipati: quum autem nos Dominus Spiritu ſuo regenerat, ſimul liberos efficit, ut miſeris Satanæ laqueis ſoluti, ſponte juſtitiæ obediamus. Atqui ex fide regeneratio: unde apparet ex Euangelio eſſe libertatem. Eant nunc Papiſtæ, & liberum arbitrium faſtuoſe extollant: nos autem ſervitutis propriæ nobis conſcii, nonniſi Chriſto liberatore gloriemur. Nam & hoc nomine Euangelium, quaſi manumiſſionis noſtræ vindicta cenſeri debet, quod nos Chriſto offert ac tradit à peccati jugo liberandos. Poſtremo & hoc notandum eſt, libertatem ſuos habere gradus pro fidei ſuæ modo. Quare Paulus jam manumiſſus, adhuc tamen gemit, ad plenam libertatem ſuſpirans.

33. *Semen Abrahæ.*] Incertum eſt eoſdemne hic Euangeliſta, an alios loquentes inducat. Ego ita ſentio, ut in promiſcua turba fieri ſolet, confuſe reſponſum fuiſſe Chriſto, & quidem à contemptoribus potius quam ab iis qui crediderant. Eſt autem hic mos Scripturæ valde uſitatus, quoties de corpore populi fit mentio, generaliter adſcribere omnibus quod in unam partem tantum competit. Porro qui ſe objiciunt eſſe ſemen Abrahæ, & ſemper fuiſſe liberos, facile colligebant ex Chriſti verbis, ſibi libertatem tanquam ſervis promitti. Hoc vero ferre nequeunt, ſe populum ſanctum & electum in ſervitutem addici. Quid enim proderat adoptio, & fœdus quo à reliquis gentibus ſegregati erant, niſi filii Dei cenſerentur? Ergo injuriam ſibi fieri putant, quum illis libertas quaſi adventitium bonum proponitur. Abſurdum tamen videri poſſet quod negant ſe unquam ſerviiſſe, quum toties oppreſſi fuiſſent ab aliis tyrannis, & tunc Romano imperio ſubjecti, ſub graviſſimo onere ſervitutis gemerent. Hinc quidem videre promptum eſt quam ridicula fuerit eorum gloriatio. erat tamen hic aliquis prætextus, quod iniqua hoſtium dominatio non obſtabat quia jure liberi manerent. Sed in eo primum errabant, quod non reputabant jus adoptionis ſuæ in ſolo Mediatore eſſe fundatum. unde enim liberum Abrahæ ſemen, niſi quod ſingulari Redemptoris gratia à communi generis humani ſervitute eximitur? Alter etiam error minus tolerabilis, quod quum prorſus eſſent degeneres, cenſeri tamen volebant inter Abrahæ filios: nec cogitabant ſolam eſſe Spiritus regenerationem quæ legitimos Abrahæ filios facit. Atque hoc omnibus fere ſeculis vitium fuit nimis commune, referre ad carnis originem extraordinaria Dei dona: & quæ ad corrigendam naturam remedia confert Deus, naturæ adſcribere. Interea videmus ut Chriſti gratiam à ſe arceant quicunque vana confidentia inflati ſibi in ſua ſorte placent. Atqui fere in totum mundum graſſatur hæc ſuperbia, ut vix centeſimus quiſque ſe Dei gratia indigere ſentiat.

34. *Qui facit peccatum*, &c.] Argumentum à contrariis. Liberos ſe jactabant: peccati ſervos eſſe probat quia carnis deſideriis mancipati, aſſidue peccent. Mirum eſt autem non convinci propria experientia homines, ut depoſito faſtu ſe humiliare diſcant. Atque hodie hoc pluſquam vulgare eſt, ut quo quiſque majori mole vitiorum obrutus eſt, eo ferocius liberum arbitrium verborum ampullis extollat. Cæterum nihil aliud in ſpeciem Chriſtus hic pronunciat quam quod olim à Philoſophis jactatum fuit, Qui ſuis cupiditatibus addicti ſunt, eos ſub deterrima ſervitute agere. Sed altior eſt ac magis reconditus ſenſus: neque enim tantum quid mali ſibi homines accerſant, ſed qualis ſit humanæ naturæ conditio diſputat. Philoſophi putabant ſuo quemque arbitrio ſervum fieri, & rurſus redire in libertatem. verum hic contendit Chriſtus, ſervituti obnoxios eſſe omnes quos ipſe non liberat: adeoque origine ſervos eſſe qui ex corrupta natura peccati contagionem trahunt. Tenenda eſt gratiæ & naturæ comparatio, in qua hic Chriſtus inſiſtit: unde facile conſtabit, libertate ſpoliari homines, niſi aliunde eam recuperent. Cæterum ita eſt voluntaria hæc ſervitus, ut qui neceſſario peccant, non tamen cogantur ad peccandum.

35. *Servus autem* &c.] Addit ſimilitudinem à legibus ſumptam & jure politico. ut, Servus, etiamſi ad tempus imperet, non tamen hæres eſt domus. unde concludit non eſſe ſolidam & perpetuam libertatem, niſi quæ per Filium obtinetur. Hoc modo vanitatis arguit Judæos, quia larvam pro re oſtentent. Nam quod carnalis erant Abrahæ progenies, nihil niſi larva erant: locum occupabant in Eccleſia Dei, ſed qualem Iſmaël ad breve tempus ſibi uſurpaverat, ſervus libero fratri inſultans. Summa eſt,

Qui-

Digitized by Google

Quicunque ſe Abrahæ filios eſſe glorianţur, nihil præter fallacem & evanidam ſpeciem habere.

36. *Si ergo vos Filius liberaverit.*] His verbis ſignificat in ſe unum competere jus libertatis: alios omnes, quum ſervi naſcantur, nonniſi ſua gratia liberari. Nam quod natura proprium habet, nobis adoptione communicat, dum fide inſerimur in ejus corpus, ac efficimur ejus membra. Ita memoria repetendum eſt quod prius dixi, nos Euangelii vindicta ab eo manumitti. Chriſti ergo beneficium eſt libertas noſtra. ſed eam fide conſequimur: quæ etiam facit ut nos Chriſtus Spiritu ſuo regeneret. Quum dicit *Vere fore liberos*, emphaſis eſt in adverbio *vere*: ſubaudiendum eſt enim antitheton ſtultæ perſuaſionis qua Judæi turgebant: ſicuti & nunc bona pars mundi regnum ſibi imaginatur in miſerrima ſubjectione.

37. *Scio quod ſemen Abrahæ ſitis.*] Hoc per conceſſionis formam dictum interpretor. Interea tamen eorum ſtultitiam ridet, quod frivolo titulo glorientur: acſi diceret, Ut vobis detur iſtud in quo tantopere vobis placetis, quid tamen juvat Abrahæ filios vocari qui adverſus Deum ejuſque miniſtros inſaniant? qui impio & ſcelerato veritatis odio perciti, ad innoxium ſanguinem fundendum præcipites ferantur? Unde ſequitur, nihil minus eſſe quam quod dici volunt, quia nihil ſimile habeant cum Abraham. *Quæritis me interf.* Quum dicit ſe ad mortem quæri, quia ſermo ſuus non habeat in ipſis locum: ſignificat non ſimpliciter eſſe homicidas, ſed Dei & veritatis ejus odio impelli ad talem inſaniam: quod longe atrocius eſt. Neque enim tunc intra homines ſe continet injuria, ſed Deum ſimul violat. *Sermonis ſui capaces eſſe ipſos* negat, quia malitia obſtructos habeant animos, ne quid ſani admittant.

38. *Quod vidi apud Patrem.*] Sæpius jam Patris ſui meminerat: nunc argumento à contrariis colligit, & Deo adverſos & diaboli filios eſſe qui ſuæ doctrinæ reſiſtunt. Ego, inquit, non profero niſi quod à Patre didici: qui fit ergo ut tantopere vos exaſperet ſermo Dei, niſi quia patrem habetis contrarium? Se *loqui* dicit, illos *facere*: quia doctoris munus ipſe obibat; ipſi autem furioſe ejus doctrinam extinguere moliebantur. Interea ſuum Euangelium à contemptu vindicat, quia nihil mirum ſit ſi à filiis diaboli oppugnetur. Quidam vertunt, Facite: acſi diceret Chriſtus, Agedum, monſtrate vos eſſe diaboli filios, mihi repugnando. nam ego nonniſi ex Dei præſcripto loquor.

39. Reſponderunt, & dixerunt ei, Pater noſter Abraham eſt. Dicit eis Jeſus, Si filii Abrahæ eſſetis, opera Abrahæ faceretis:

40. Nunc vero quæritis me interficere, hominem qui veritatem loquutus ſum vobis, quam audivi à Deo. hoc Abraham non fecit.

41. Vos facitis opera patris veſtri. Dixerunt ergo illi, Nos ex ſcortatione non ſumus geniti, unum patrem habemus Deum.

42. Dixit illis Jeſus, Si Deus pater veſter eſſet, me diligeretis: ego enim exivi à Deo, & veni. neque enim à meipſo profectus ſum, ſed ille me miſit.

39. *Pater noſter Abraham.*] Altercatio iſta nimis clare oſtendit quam ſuperbe & ferociter omnes Chriſti objurgationes contempſerint. Hoc ſibi perpetuo arrogant, ſe eſſe Abrahæ filios: nec tantum eo ſenſu quod geniti fuerint ex progenie Abrahæ, ſed quod ſint ſanctum genus, Dei hæreditas, & filii Dei. Interea tamen nonniſi carnis fiducia nituntur. Atqui carnale genus ſine fide nihil niſi mera eſt larva. Nunc intelligimus quid eos tantopere excæcaverit ut Chriſtum etiam lethali fulmine armatum ſuſque deque fecerint. Sic hodie Papiſtæ verbum Dei, quod lapides movere poſſet, tanquam fabuloſum rident, & audacter ferro & igni perſequuntur: tantum quia fallaci Eccleſiæ titulo freti, Deo ſe poſſe & hominibus illudere confidunt. In ſumma, hypocritæ, ſimulac ſpecioſum aliquod integumentum nacti ſunt, quaſi in eorum corda non penetret Deus, ferream ei contumaciam opponunt. *Si filii Abrahæ eſſetis.* Jam Chriſtus degeneres Abrahæ filios apertius à legitimis diſcernit: nam ipſum quoque nomen omnibus detrahit qui ſunt Abrahæ diſſimiles. Sæpe quidem contingit ut patres à quibus geniti ſunt, filii moribus non referant. verum hic Chriſtus de origine carnali non diſputat: ſed tantum inter Abrahæ filios coram Deo cenſeri negat qui fide non retinent gratiam adoptionis. Nam quum Dominus Abrahæ ſemini pollicitus eſſet ſe fore in Deum, increduli omnes hac promiſſione abjecta, ſe abdicabant ex genere Abrahæ. Status ergo quæſtionis eſt, an reputandi ſint Abrahæ filii, qui oblatam ſibi in verbo benedictionem abjiciunt, ut nihilominus ſint gens ſancta, peculium Dei, & regale ſacerdotium. Hoc negat Chriſtus, & merito: quia Spiritu renaſci oportet qui filii ſunt promiſſionis, & novas eſſe creaturas quicunque locum appetunt in regno Dei. Non erat quidem inutile ac nullius momenti carnale Abrahæ genus, ſi quidem accederet veritas. Reſidet enim Dei electio in ſemine Abrahæ: ſed libera, ut hæredes vitæ reputentur quos Deus Spiritu ſuo ſanctificat.

40. *Nunc vero quæritis.*] Demonſtrat ab effectu, minime eſſe Abrahæ filios, ut jactabant: quia reſiſtunt Deo. quid enim præcipue in Abraham laudatur niſi obedientia fidei? Hæc igitur diſcriminis nota eſt quoties ab extraneis diſcernere oportet ejus filios. Nam inanes tituli, qualecunque pretium coram mundo concilient, apud Deum nihili ſunt. Ergo iterum concludit Chriſtus filios eſſe diaboli, quia veræ & ſanæ doctrinæ tam infeſti ſint hoſtes.

41. *Nos ex ſcortatione.*] Non plus ſibi vendicant quam antea: idem enim apud eos pollebat, eſſe Abrahæ & Dei filium. ſed in eo graviter errabant, quod Deum fingebant univerſo Abrahæ ſemini obſtrictum. nam ita ratiocinantur, Deus ſibi Abrahæ genus adoptavit: ergo quum ſimus ex Abraham geniti, nos Dei filios eſſe oportet. Videmus nunc ut ſanctitatem ex utero ſe habere putaverint, quia orti eſſent ex radice ſancta. Denique Eccleſiam Dei ſe eſſe contendunt, quia originem ducant à ſanctis Patribus. Quemadmodum hodie continua à Patribus ſucceſſio Papiſtas inflat, & pluſquam turgidos reddit. talibus eos præſtigiis deludit Satan, ut Deum à verbo ſuo, Eccleſiam à fide, regnum cælorum à Spiritu ſeparent. Sciamus ergo, quamvis ſecundum carnem ſpurii non ſint, ſed plauſibili Eccleſiæ titulo ſe venditent, nihil minus eſſe quam Dei filios qui ſemen vitæ adulterarunt. Nam per quaſcunque circumeant ambages, nunquam tamen elabi poterunt quin hac ſola jactantia efferantur, Nos ſanctis Patribus ſucceſſimus: ergo ſumus Eccleſia. Quod ſi refellendis Judæis valuit Chriſti reſponſum, non minus hodie ad iſtos coarguendos ſufficit. Nunquam fiet quidem quin perperam nomen Dei improbiſſima audacia mentiantur hypocritæ: ſed nunquam efficient apud eos qui ſtabunt Chriſti judicio quin ridiculæ ſint mendaces iſtæ quas effutiunt gloriæ.

42. *Si Deus Pater veſter.*] Tale eſt Chriſti argu-

mentum, Quiſquis eſt Dei filius, primogenitum ejus Filium agnoſcet ac diliget: vos autem me odio habetis: noo eſt ergo quod vos eſſe gloriemini Dei filios. Locus hic diligenter notandus eſt, Nullam eſſe pietatem, nullum timorem Dei, ubi Chriſtus rejicitur. Ficta quidem religio Deum audacter obtendit: ſed quid conſenſus habere cum Patre poſſunt qui ab unico ejus Filio diſſident? Qualis eſt iſta Dei cognitio, ubi viva ejus imago reſpuitur? Atque hoc ſibi volunt Chriſti verba, quum ſe *à Patre veniſſe* teſtatur. ſignificat enim divinum eſſe quicquid habet: ideoque minime conſentaneum eſſe, ut veri Dei cultores ejus veritatem ac juſtitiam refugiant. Non veni (inquit) à meipſo: nihil objicere mihi poteſtis quod ſit à Deo alienum: nihil denique vel terreſtre vel humanum reperietis in mea doctrina totaque ejus adminiſtratione. Neque enim de ſua eſſentia, ſed de officin diſſerit.

43. Quare loquelam meam non agnoſcitis? quod non poteſtis audire ſermonem meum.
44. Vos ex patre diabolo eſtis, & cupiditates patris veſtri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quia veritas in ipſo non eſt. Quum loquitur mendacium, ex propriis loquitur: quia mendax eſt, atque ejus pater.
45. Quia autem veritatem ego dico, mihi non creditis.

43. *Quare loquelam*] Exprobrat hoc loco Judæis contumaciam, quæ tanta erat ut ne audire quidem loquentem ſuſtinerent. Hinc colligit diabolico furore agi ac rapi. Quid à ſermone differat loquela, non video: plus enim eſt dicere quam loqui. Atqui non quadraret, quod minus eſſet, priore loco poni. Multi ſic diſtinguunt ut finis interrogationis ſit in verbo *agnoſcitis*: quaſi interrogatio iſtis tantum verbis conſtaret, Cur loquelam meam non agnoſcitis? ut mox ſequatur cauſæ redditio, Quia non poteſtis audire ſermonem meum. Ego autem potius legendum uno contextu arbitror: acſi dixiſſet, Quid cauſæ eſt quod ſermo meus quaſi barbarus & ignotus vobis eſt, ut loqueodo vobiſcum nihil proficiam, adeoque ut ne auribus quidem admittere dignemini quod dico? Priore igitur membro ſtuporem eorum perſtringit: altero præfractum & impotens doctrinæ odium: poſtea utriuſque cauſam aſſignat, quum dicit ex diabolo eſſe genitos. Interrogando enim præcidere hoc illis voluit quod aſſidue illi jactabant, ſe ratione & judicio adduci ad reſiſtendum.

44. *Vos ex patre diabolo eſtis.*] Quod bis obſcurius dixerat, nunc plenius exprimit, ipſos eſſe diaboli filios. Cæterum antitheſis ſubaudienda eſt, quod non poſſint Filio Dei tam infeſti eſſe niſi patrem haberent perpetuum Dei hoſtem. Porro diaboli filios vocat, non tantum propterea quod eum imitantur: ſed quia ejus impulſu ad oppugnandum Chriſtum feruntur. Sicuti enim filii Dei nominamur non tantum quia ſumus illi ſimiles, ſed quia Spiritu nos ſuo gubernat, quia in nobis vivit ac viget Chriſtus, ut nos ad Patris ſui imaginem conformet: ita rurſum
2 Cor. 4. verſ. 4. Epheſ. 2. verſ. 2. & aliis in locis. diabolus eorum dicitur pater quorum mentes excæcat, quorum inſtigat corda ad omnem injuſtitiam: in quibus denique potenter agendo, tyrannidem ſuam exercet. Cæterum fruſtra & inſulſe Manichæi ad probandum ſuum delirium hoc loco abuſi ſunt. Sicuti enim quum Scriptura appellat nos Dei filios, hoc ad traducem vel ad originem ſubſtantiæ non refert, ſed ad Spiritus gratiam, quæ nos regenerat in vitæ novitatem: ita hoc Chriſti dictum ad ſubſtantiæ traducem nihil pertinet, ſed ad naturæ corruptelam, cujus cauſa & origo eſt hominis defectio. Quod ergo homines diaboli filii naſcuntur, non eſt creationi imputandum, ſed peccati vitio. Chriſtus autem ab effectu hoc probat, quia ſponte & ex animo ad diabolum ſequendum propenſi ſint. *Ille homicida.* Exprimit quænam ſint illæ cupiditates: ac duas ſpecies commemorat, crudelitatem & mendacium: in quibus Satanæ nimium erant ſimiles Judæi. Quod dicit *fuiſſe homicidam*, ſignificat homini machinatum fuiſſe exitium. ſimul enim atque creatus eſt homo, prava nocendi libidine impulſus Satan ad eum perdendum vires ſuas contulit. Cæterum Chriſtus non creationis initium intelligit, quaſi illi Deus nocendi ſtudium indiderit: ſed naturæ vitioſitatem in Satana damnat, quam ſibi ipſe contraxit. Quod melius patet ex ſecundo membro, ubi dicit *in veritate non ſtetiſſe*. Quamvis enim ſubterfugere conentur qui diabolum natura malum fuiſſe fingunt, verba tamen hæc mutationem in deterius clare exprimunt: & ideo mendacem eſſe Satanam quia à veritate deſciverit. Ergo quod mendax eſt, non ideo fit quod natura diſſidium ſemper habuerit à veritate: ſed quoniam voluntario lapſu ab ea excidit. Hæc Satanæ deſcriptio nobis perquam utilis eſt, ut pro ſe quiſque ab ejus inſidiis cavere ſtudeat, & ſimul vim atque impetum arcere. Circuit enim tanquam truculentus leo, quærens quem devoret: & mille ad fallendum artibus eſt inſtructus. *1 Pet. 5. verſ. 8.* quo magis fideles ſpiritualibus armis ad pugnandum munitos, & ad excubias agendas vigili ſobrietate intentos eſſe oportet. Jam ſi Satan hunc affectum exuere non poteſt, non eſt cur turbemur, quaſi re nova & inſolita, dum ſubinde emergunt varii errores: ſuos enim incitat Satan quaſi flabella, qui ſuis impoſturis mundum dementent. Nec mirum eſt tam valido conatu incumbere Satanam ad obruendam veritatis lucem: eſt enim unica animæ vita. Ergo mendacium ad extinguendam animam præcipuum & maxime lethale telum habet. Hanc Satanæ effigiem quum in Papatu hodie omnes oculati perſpiciant, primum reputare eos convenit quocum hoſte bellum gerant: deinde ad Chriſti ſui ducis (ſub cujus vexillo militant) præſidium confugere. Quod proxime ſequitur, *Quia veritas in ipſo non eſt*, confirmatin eſt ab effectu, vel à poſteriori (ut loquuntur) ſumpta. Quia enim veritatem odit Satan, nec eam ferre poteſt, quin potius totus eſt mendaciis delibutus, hinc colligit Chriſtus à veritate prorſus excidiſſe, & fuiſſe averſum. Ergo ne miremur ſi apoſtaſiæ ſuæ fructus quotidie profert. *Quum loquitur mendacium.* Vulgo ita exponunt quaſi mendacii culpam negaret Chriſtus competere in Deum naturæ auctorem, ac potius ex depravatione eſſe diceret. ſed ego ſimplicius interpretor: quod diabolo uſitatum ſit mentiri, nec aliud noverit quam fraudes, corruptelas & præſtigias fabricare. Neque tamen inepte ex his verbis colligimus, diabolum à ſeipſo hoc vitium habere, & ſic eſſe illi proprium ut ſimul accidentale ſit. Nam quum diabolum Chriſtus mentiendi artificem facit, manifeſte eum à Deo ſeparat, imo contrarium pronunciat. Eodem quoque pertinet *patris* nomen, quod mox ſubjicitur. nam ideo Satan mendacii pater dicitur quia à Deo alienatus eſt, in quo ſolo veritas reſidet, & ex quo, tanquam ab unico fonte, manat.

45. *Quia autem veritatem.*] Confirmat ſuperiorem ſententiam: quia quum nulla illis reſiſtendi cauſa ſit niſi quod illis exoſa eſt ac intolerabilis veritas, palam ſe filios Satanæ eſſe produnt.

46. Quis ex vobis arguit me de peccato? Si autem veritatem dico, quare non creditis mihi?

47. Qui eſt ex Deo, verba Dei audit: propterea non auditis, quia ex Deo non eſtis.

48. Reſponderunt ergo Judæi, & dixerunt illi, Nonne bene dicimus nos quod Samaritanus es tu, & dæmonium habes?

49. Reſpondit Jeſus, Ego dæmonium non habeo: ſed honoro Patrem meum, & vos contumelia me affeciſtis.

50. Ego vero non quæro gloriam meam: eſt qui quærat & judicet.

46. *Quis ex vobis.*] Hæc interrogatio ex fiducia eſt. nam quum nulli ſe probro obnoxium eſſe probe ſciret, hoſtibus ſuis quaſi victor inſultat. Nec tamen immunem ſe ab eorum calumniis eſſe dicit: nam quum nulla obloquendi materia illis eſſet, non tamen Chriſtum convitiis inceſſere deſinebant. ſed nullum in ſe crimen hærere intelligit. Atque hoc ſignificat verbum ἐλέγχειν: ſicut Latini dicunt coarguere, ubi quis re ipſa convictus tenetur. Falluntur tamen qui putant Chriſtum hic perfectam ſuam innocentiam aſſerere, quia ſolus inter homines excelluit quatenus erat Dei Filius. Nam hæc defenſio ad circumſtantiam loci reſtringi debet, acſi quicquam ſibi poſſe objici negaret quominus fidus eſſet Dei miniſter. 1 Cor. 4. verſ. 4. Quemadmodum & Paulus gloriatur ſe nulla in re ſibi eſſe conſcium. Neque enim ad totam vitam hoc extenditur, ſed eſt ſolius doctrinæ & Apoſtolatus defenſio. Hic ergo abs re quidam de perfectione juſtitiæ philoſophantur, quæ ſoli Dei Filio convenit: quum hoc unum propoſitum habeat, fidem miniſterio ſuo facere, ſicuti clarius patet ex conſequentibus. mox enim iterum ſubjicit, *Si veritatem dico*, &c. Unde colligimus doctrinæ ſuæ magis quam perſonæ cauſam agere Chriſtum.

47. *Qui eſt ex Deo.*] Quia jure ſuo ſumere hoc pro confeſſo poteſt ſe Patris cæleſtis legatum eſſe, & bona fide munus quod mandatum eſt exequi, vehementius in eos invehitur. neque enim jam obſcura erat eorum impietas, quum in reſpuendo Dei verbo tam eſſent contumaces. Oſtenderat nihil ſibi poſſe ab illis objici quin doceret tanquam ex ore Dei. Concludit ergo nihil ipſos cum Deo habere commune, quia non audiant: ac præterita ſui mentione, bellum illis cum Deo eſſe denunciat. Cæterum docemur hoc loco nullum eſſe clarius reprobæ mentis ſignum quam ubi quiſpiam Chriſti doctrinam ferre non poteſt, etiamſi alias in ſpeciem Angelica ſanctitate fulgeat: quemadmodum ſi eam libenter amplectimur, habemus quaſi viſibile electionis noſtræ ſigillum. Nam qui verbum habet, fruitur Deo ipſo: qui autem rejicit, juſtitia & vita ſe privat. Quare nihil nobis magis timendum quam ne in iſtud horribile judicium incidamus.

48. *Nonne bene dicimus.*] Magis ac magis produnt quantopere obſtupefacti ſint à Satana, qui pluſquam convicti, per mediam tamen deſperationem ruere non verentur. Porro quum duplex convitium ingerant Chriſto, nihil tamen aliud volunt in ſumma quam hominem eſſe deteſtabilem, & malo ſpiritu agi. Quia Samaritanos Judæi pro apoſtatis habebant & Legis corruptoribus, quoties infamia gravare aliquem volebant, Samaritanum vocabant. Nunc ergo quia nullum habent atrocius crimen quo Chriſtum infament, temere & ſine judicio triviale iſtud arripiunt. Ut paucis dicam, petulanter eos videmus maledicere. ſicuti ſolent qui canina rabie accenſi non reperiunt quod dicant.

49. *Ego dæmonium non habeo.*] Quod priore crimine omiſſo ſe tantum de ſecundo purgat, quidam ideo factum putant quod contumeliam perſonæ ſuæ factam neglexerit, tantum autem ſuſceperit doctrinæ patrocinium. ſed, meo judicio, falluntur: neque enim credibile eſt tam ſubtile vitæ & doctrinæ habitum fuiſſe à Judæis diſcrimen. Deinde nominis hujus odium (ut diximus) inde natum erat quod Samaritani perverſi ac degeneres Legis cultores eam multis ſuperſtitionibus & corruptelis vitiaverant, totumque Dei cultum polluerant extraneis figmentis. Auguſtinus ad allegoriam confugit, quod Chriſtus non abnuerit Samaritanus vocari, quia verus ſit gregis ſui cuſtos. Sed aliud mihi videtur fuiſſe Chriſti conſilium: quum enim eodem ſpectarent duo probra quibus impetitus fuerat, ſub uno utrumque refellit. imo, ſi quis rite expendat, magis eum gravabant Samaritanum vocando quam dæmoniacum. Sed (quemadmodum jam dixi) ſimplici refutatione contentus eſt Chriſtus, quam ſumit à contrario, dum ſe Patris ſui honori ſtudere affirmat. Neceſſe enim eſt Spiritu Dei regi, & fidelem eſſe Dei ſervum, qui rite & ſincere eum honorat. *Vos contumelia me affeciſtis.* Poteſt ita exponi hoc membrum, quaſi queratur Chriſtus non haberi ſibi honorem quo dignus eſt qui Dei gloriam promovet. ſed ego altius eum reſpicere puto: nempe quod Patris gloriam cum ſua conjungat. acſi diceret, Nihil mihi arrogo quod non cedat in Patris gloriam: nam in me relucet ejus majeſtas, ejus poteſtas & imperium in me reſidet. Quum ergo tam indigne à vobis excipior, in Deum ipſum eſtis contumelioſi. Ideo protinus ſubjicit Deum hujus fore injuriæ vindicem. Poterant enim ambitionem illi objicere, niſi teſtatus eſſet ſe non privato carnis affectu de ſuo honore eſſe ſollicitum vel contemptu: ſed quatenus honor vel contemptus Dei agitur. Cæterum etſi longe à Chriſto diſtamus, certo tamen quiſque ſtatuat, ſi ad quærendam Dei gloriam ex animo intentus ſit, ſatis amplam laudem apud ipſum eſſe ſibi repoſitam: ſemper enim experiemur verum eſſe illud, Qui me honorant, eos honorabiles reddam. 1 Sam. 2. verſ. 30. Si apud homines non modo contemptus eſt, ſed etiam probris obruitur: æquo animo expectet dum illuceat dies Domini.

51. Amen, amen dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſervabit, mortem non videbit in æternum.

52. Dixerunt ergo illi Judæi, Nunc cognovimus quod dæmonium habes. Abraham mortuus eſt, & Prophetæ; & tu dicis, Si quis ſermonem meum ſervaverit, non guſtabit mortem in æternum.

53. Num tu major es Patre noſtro Abraham, qui mortuus eſt? & Prophetæ mortui ſunt. quem teipſum tu facis?

54. Reſpondit Jeſus, Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt: eſt Pater meus qui me glorificat, quem vos dicitis Deum veſtrum eſſe.

55. Et non noviſtis eum. ego autem novi eum: & ſi dixero quod non novi eum, ero ſimilis vobis, mendax: ſed novi eum, & ſermonem ejus ſervo.

51. *Amen, amen dico vobis.*] Non dubium quin aliquos in turba illa Chriſtus ſanabiles cognoverit, alios etiam doctrinæ ſuæ minime adverſos. Sic ergo terrere voluit impios quorum deplorata erat malitia, ut tamen conſolationis materiam bonis relinqueret, vel ad ſe alliceret nondum perditos. Ergo utcunque major pars abhorreat à verbo Dei, nunquam tamen ſic totus ad coarguendos improbos intentus eſſe debet pius doctor quin filiis Dei ſimul ſalutis doctrinam impertiat, & conetur ad ſanam mentem reducere ſiqui ſunt non prorſus incurabiles. Hic ergo Chriſtus ſuis diſcipulis vitam æternam promittit: ſed diſcipulos requirit qui non tantum auribus annuant ut aſini, vel ore profiteantur ſe probare ejus doctrinam:. ſed qui ſervent non ſecus ac pretioſum theſaurum, *Viſuros mortem* negat: quia ubi animam hominis fides vivificat, jam mors, retuſo aculeo, & veneno abſterſo, lethale vulnus infligere non poteſt.

52. *Nunc cognovimus.*] Perſtant reprobi in ſuo ſtupore, nec magis promiſſionibus quam minis tanguntur. ita neque duci ad Chriſtum neque trahi poſſunt. Quod nonnulli calumnioſe torqueri ab ipſis verba putant, quia dicant *mortem guſtare*, quod ex Chriſto non audierant, mihi parum ſolidum videtur. Potius ſentio loquutiones Hebræis fuiſſe ſynonymas, *mortem guſtare* & *mortem videre*, pro Mori. Verum in eo ſunt ſiniſtri interpretes quod ſpiritualem Chriſti doctrinam ad corpus transferunt. Mortem nemo fidelium viſurus eſt, quia ex ſemine incorruptibili renati, etiam moriendo vivunt: quia Chriſto capiti ſuo conjuncti, morte extingui nequeunt: quia mors illis tranſitus eſt in regnum cæleſte: quia Spiritus in illis habitans vita eſt propter juſtitiam, donec quod reſiduum eſt mortis abſorbeat. Iſti vero, ut carnales ſunt, nullam agnoſcunt à morte liberationem niſi quæ palam in corpore appareat. Atque hic morbus nimis vulgaris eſt in mundo, ut plerique Chriſti gratiam pro nihilo fere ducant, quia eam æſtimant duntaxat carnis ſenſu. Ergo, ne idem nobis contingat, expergefaciendæ ſunt mentes, ut ſpiritualem vitam in media morte percipiant.

53. *Patre noſtro Abraham.*] Alterum vitium, quod ſplendore Abrahæ & ſanctorum, Chriſti gloriæ tenebras offundere conantur. Atqui non ſecus ac Solis fulgor ſtellas omnes obſcurat, ita præ immenſo Chriſti fulgore, quicquid gloriæ eſt in ſanctis omnibus evaneſcere oportet. Inique ergo & præpoſtere faciunt quod ſervos opponunt Domino. Quin etiam Abrahæ & Prophetis injurii ſunt dum illorum nomine abutuntur adverſus Chriſtum. Verum hæc quoque pravitas omnibus fere ſeculis graſſata eſt, & hodie adhuc graſſatur, ut impii, lacerando Dei opera, ipſum ſibi quaſi contrarium faciant. Illuſtravit Deus nomen ſuum per Apoſtolos & martyres: Papiſtæ idola ſibi ex Apoſtolis & martyribus confingunt quæ Dei locum occupent: annon hoc modo ſibi ex Dei gratiis fabricant machinas ad diruendam ejus virtutem? Quantulum enim reſtat Deo vel Chriſto, ſi habeant Sancti quod illis prodige largiuntur Papiſtæ? Proinde ſciendum eſt confundi totum regni Dei ordinem, niſi longe infra Chriſtum ſubſidant Prophetæ, Apoſtoli, & quicquid eſt Sanctorum, ut ſolus ipſe emineat. Nec ſane magis honorifice de Sanctis poſſumus loqui, quam quum ipſos Chriſto ſubmittimus: Papiſtæ autem utcunque fucum faciant imperitis, probos ſe jactando Sanctorum cultores, Deo & illis pariter injuriam faciunt, quod illis in ſublime evectis, Chriſtum cogunt in ordinem. Ac dupliciter quidem hic peccant, quod in doctrina Sanctos præferunt Chriſto: deinde quod illos veſtientes Chriſti ſpoliis, eum prope ſua virtute exinaniunt.

54. *Si ego glorifico.*] Antequam de iniqua illa comparatione reſpondeat, præfatur ſe non quærere propriam gloriam. atque ita occurrit eorum calumniæ. Siquis objiciat Chriſtum ſe quoque ipſum glorificaſſe, prompta eſt ſolutio, quod hoc humanitus non fecerit, ſed duce ac auctore Deo: nam hic (ut pluribus aliis locis) ſe per conceſſionem à Deo ſeparat. In ſumma, pronunciat nihil ſe gloriæ appetere niſi quod ſibi à Patre datum ſit. Docemur autem his verbis, quando Deus Filium ſuum glorificat, non paſſurum ut impune eum contemptui habeat mundus. Interea ad Chriſtum reverenter colendum non parum animi addere debent fidelibus voces illæ Dei è cælo ſonantes, Oſculamini Filium, Adorent eum omnes Angeli, Flectatur illi omne genu, Ipſum audite, Ipſum Gentes requirant, Humilietur omnis caro. Monemur præterea his verbis, quicquid gloriæ ſibi homines à ſeipſis conciliant, frivolum eſſe ac nihili. Quam igitur cæca eſt ambitio, dum tam anxie de nihilo laboramus? Ergo aſſidue nobis ante oculos verſetur illud Pauli dictum, Non qui *2 Cor. 10 verſ. 17.* ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat. Cæterum quia deſtituimur omnes Dei gloria, diſcamus in uno Chriſto gloriari, quatenus nos facit ſuæ gloriæ per gratiam conſortes. *Quem vos dicitis.* Falſum nominis Dei prætextum, quem arripere conſueverant, illis extorquet. Scio (inquit) quam audacter jactetis vos eſſe populum Dei: ſed mendax eſt titulus ille, quia Deum non agnoſcitis. Unde etiam diſcimus quænam ſit legitima fidei profeſſio, nempe quæ ex vera notitia oritur. unde autem notitia illa niſi ex verbo? Ergo quicunque Dei nomen abſque Dei verbo jactant, nihil quam mentiuntur. Interea Chriſtus conſcientiæ ſuæ fiduciam illorum proterviæ opponit. Atque ita omnes Dei ſervos animis compoſitos eſſe decet ut hoc uno contenti ſint, Deum à parte ſua ſtare, etiamſi totus mundus contra eum inſurgat. Ita Prophetis olim & Apoſtolis contra terribiles totius mundi inſultus ſtetit invicta animi magnitudo: quia ſciebant à quo miſſi eſſent. Cæterum ubi deeſt ſolida Dei notitia, nihil eſt quod nos ſuſtineat.

55. *Et ſi dixero.*] Hac particula teſtatur Chriſtus ſe officii neceſſitate cogi ad loquendum, quia ſilentium ejus perfida eſſet veritatis proditio. Inſignis ſententia, quod in hunc finem ſe nobis patefaciat Deus, ut fidem cordis apud homines ore profiteamur quum opus eſt. Neque enim parum terroris incutere nobis debet, quod qui diſſimulant in hominum gratiam, ac Dei veritatem vel abnegant, vel impiis commentis deformant, non leviter tantum carpuntur, ſed ablegantur ad diaboli filios.

56. Abraham pater veſter exultavit ut videret diem meum: & vidit, & gaviſus eſt.
57. Dixerunt ergo ei Judæi, Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?
58. Dixit illis Jeſus, Amen, amen dico vobis, priuſquam fieret Abraham, ego ſum.
59. Suſtulerunt ergo lapides ut jacerent in eum: Jeſus autem abſconditus eſt, & exivit è templo.

56. *Abraham pater veſter.*] Concedit illis verbotenus quod prius abſtulerat, Abraham ſcilicet eſſe illorum patrem. Oſtendit autem quam frivola illa fuerit objectio nominis Abrahæ. Ille (inquit) non alium tota vita finem habuit propoſitum quam ut regnum meum florere conſpiceret. Ille me abſentem deſideravit: vos præſentem aſpernamini. Quod de uno Abraham hic prædicat Chriſtus, in omnes ſanctos competit. ſed in Abrahæ perſona (quia totius Eccleſiæ pater eſt) hæc doctrina plus habet ponderis. Quiſquis

ergo

ergo in numero piorum cenſeri cupit, is Chriſti præſentiam qua decet lætitia excipiat, cujus deſiderio Abraham exarſit. nam *exultandi* verbo vehemens ardenſque affectus exprimitur. Nunc ſubaudienda eſt antitheſis, Quum adhue tam obſcura eſſet Chriſti cognitio, tanto ejus deſiderio accenſus fuit Abraham ut ejus fruitionem bonis omnibus præferret: quam fœda igitur eorum ingratitudo qui ſibi palam exhibitum ſpernunt, adeoque rejiciunt? *Dies* hoc loco æternitatem non ſignificat (ut putavit Auguſtinus) ſed tempus regni Chriſti, ex quo carne indutus mundo apparuit ut Redemptoris munus impleret. Sed nunc quæritur quomodo manifeſtationem Chriſti etiam oculis fidei Abraham viderit: nam hoc cum altera Chriſti ſententia videtur minime quadrare,
Luc. 10. Multi Reges & Prophetæ optarunt videre quæ vide-
verſ. 24. tis, nec tamen viderunt. Reſpondeo, fidem in Chriſti intuitu ſuos habere gradus: quo fit ut Prophetæ veteres Chriſtum procul conſpexerint, ſicuti promiſſus illis fuerat: nec tamen quaſi præſentem cernere licuerit, quemadmodum familiariter ac penitus ſe conſpicuum reddidit quum è cælo deſcendit ad homines. Porro docemur his verbis, ſicuti non fruſtratus eſt Deus Abrahæ votum, ita hodie non paſſurum ut quiſquam ſine profectu ad Chriſtum aſpiret, quin pio ejus deſiderio reſpondeat. Quod ergo non ſe pluribus dat fruendum, in cauſa eſt hominum malignitas, quia à paucis expetitur. *Gaudium* Abrahæ teſtatur notitiam regni Chriſti pro incomparabili theſauro fuiſſe ab ipſo habitum: & in hunc finem dicitur *gavisus eſſe* viſo die Chriſti, ut ſciamus nihil eum pluris feciſſe. Cæterum hunc fidei ſuæ fructum pii omnes percipiunt, quod Chriſto uno contenti, in quo plene & in ſolidum beati ſunt & felices, tranquillas & hilares conſcientias habent. Et certe nemo rite cognovit Chriſtum, niſi qui hoc illi tribuit honoris ut in eo prorſus acquieſcat. Alii exponunt Abraham morte jam defunctum ſenſiſſe Chriſti præſentiam quum mundo apparuit: atque ita deſiderii & viſionis tempora inter ſe diverſa faciunt. Et verum quidem eſt ſpiritibus ſanctis poſt mortem patefactum Chriſti adventum, cujus expectatione ſuſpenſi fuerant tota vita: ſed neſcio an expoſitio tam arguta Chriſti verbis conveniat.

57. *Quinquaginta annos.*] Chriſti dictum ab impoſſibili refellere conantur, quod ſe Abrahæ ante multa ſecula mortuo æqualem faciat, nondum ipſe quinquagenarius. Tametſi autem nondum annos triginta quatuor natus erat Chriſtus, plus tamen illi ætatis concedunt, ne videantur nimis exacte & præciſe cum illo agere. acſi dicerent, Tu certe non ita ſenem te facies ut te jactes annum quinquageſimum attigiſſe. Ideo qui conjiciunt facie magis attrita fuiſſe quam ætas ferebat, vel non fieri hoc loco mentionem de annis ſolaribus, utrique de nihilo laborant. Papiæ vero figmentum, qui Chriſtum ſupra annos quadraginta vixiſſe tradidit, nullo modo recipiendum eſt.

58. *Priuſquam fieret Abraham.*] Quia increduli nonniſi ex carnali aſpectu judicant, Chriſtus ſe majus quiddam & altius humana ſpecie habere admonet, quod ſenſibus carnis abſconditum, ſolis fidei oculis cernitur: ſecundum hanc rationem ſe potuiſſe à ſanctis Patribus videri, priuſquam in carne palam extaret. aliis tamen verbis utitur, *Priuſquam* (inquit) *Abraham naſceretur ego ſum.* Sed his verbis eximit ſe è vulgo hominum, ſibique cæleſtem virtutem ac divinam vendicat, cujus ſenſus ab initio uſque mundi in omnia ſecula diffuſus fuerit. Quanquam bifariam exponi verba hæc poſſunt. aliqui enim ſimpliciter hoc in æternam Chriſti Divinitatem competere putant, ac comparant cum illo Moſis loco, Ego ſum qui ſum. Ego vero longius extendo: *Exod.* 3.
quia virtus & gratia Chriſti, quatenus mundi Re- *verſ.* 14.
demptor eſt, omnium ætatum communis fuit. Convenit igitur cum illo Apoſtoli dicto, Chriſtus heri *Hebr.* 13.
& hodie & in ſecula. ſic enim videtur contextus exi- *verſ.* 8.
gere. Dixerat prius diem ſuum ardenti deſiderio expetitum fuiſſe ab Abraham. quia hoc Judæis incredibile erat, ſubjicit ſe tunc quoque fuiſſe. Porro non ſatis firma erit cauſæ redditio niſi intelligamus jam tum agnitum fuiſſe Mediatorem, à quo placandus eſſet Deus. Quod tamen ſeculis omnibus viguit Mediatoris gratia, hoc ab æterna ejus Divinitate pendebat. Itaque hoc dictum Chriſti, inſigne divinæ eſſentiæ elogium continet. Notanda etiam eſt ſolennis aſſeverandi formula, *Amen, amen*, Nec diſplicet quod Chryſoſtomus in præſenti verbi tempore pondus eſſe exiſtimat. Neque enim dicit, Eram, vel fui, ſed *ego ſum*: quo æquabilem & ab initio ad finem uſque mundi eundem ſtatum ſignificat. Nec dicit, Priuſquam eſſet Abraham: ſed, Priuſquam fieret, principium illi tribuens.

59. *Suſtulerunt ergo lapides.*] Credibile eſt hoc eſſe ab illis factum quaſi ex Legis præſcripto lapidandus eſſet Chriſtus. unde colligimus quanta ſit inconſiderati zeli veſania: nullæ enim ad cognitionem cauſæ aures ſuppetunt, manus autem ad cædem ſunt armatæ. Cæterum non dubito quin ſe arcana ſua virtute eripuerit Chriſtus, ſed tamen ſub humilitatis ſpecie: neque enim ad liquidum ſuam Divinitatem exerere voluit quin aliquid humanæ infirmitati relinqueret. Quod aliqui codices habent, *Tranſiiſſe ſic per medium illorum*, non temere conjicit Eraſmus ex quarto Lucæ capite huc tranſlatum eſſe. Hoc quoque obſervatu dignum eſt, quod impii Sacerdotes & Scribæ, fugato Chriſto, in quo habitat tota plenitudo Deitatis, externi templi poſſeſſionem retinent. Atqui longe falluntur quum templum ſe habere putant Deo vacuum. Sic hodie Papa cum ſuis quum profligato Chriſto Eccleſiam profanaverint, mendaci Eccleſiæ larva ſtulte gloriantur.

CAP. IX.

ET præteriens Jeſus vidit hominem cæcum à nativitate.
2. Et interrogaverunt eum diſcipuli ejus, dicentes, Rabbi, quis peccavit, hic,
an parentes ejus, ut cæcus naſceretur?
3 Reſpondit Jeſus, Neque hic peccavit, neque parentes ejus: ſed ut manifeſten-
tur opera Dei in illo.
4. Me oportet operari opera ejus qui miſit me, donec dies eſt: venit nox quando
nemo poteſt operari.
5. Quamdiu fuero in mundo, lux ſum mundi.

1. *Vidit hominem cæcum.*] Hoc capite illuminationem cæci Euangeliſta deſcribit, ſimul doctrinam admiſcens quæ miraculi fructum commendet. *A nativitate.* Hæc circumſtantia Chriſti virtutem amplificat. neque enim humanis remediis curabilis erat cæcitas quam allatam ex matris utero pertulerat ille ad virilem uſque ætatem. Inde autem diſcipulis oblata fuit movendæ quæſtionis occaſio, cujus peccati hæc eſſet pœna. Primo quum teſtetur Scriptura ærumnas omnes quibus obnoxium eſt genus humanum, ex peccato provenire: quoties aliquem miſerum cernimus, fieri non poteſt quin ſtatim veniat in

Digitized by Google

mentem hæc cogitatio, incommoda quibus premitur, pœnas eſſe manu Dei inflictas. Sed hic tribus modis errari ſolet: nam quum in alios quiſque acerrimus ſit cenſor, pauci ſunt qui eandem in ſe, ut par erat, ſeveritatem adhibeant. Si res fratri meo ſunt adverſæ, mox Dei judicium agnoſco: ſi me graviore ferula caſtigat Deus, connivèo ad mea peccata. Atqui in reputandis pœnis quiſque à ſeipſo exordium facere debebat, ut nemini minus quam ſibi parceret. Quare ſi æqui in hac parte judices eſſe volumus, in noſtris potius quam alienis malis diſcamus eſſe perſpicaces. Secundus error eſt in rigore immodico: quia ſimulac tangitur quiſpiam Dei manu, capitale hoc eſſe odium interpretamur, & ſcelera facimus ex delictis, ac prope deſperamus de ejus ſalute: contra autem, peccata noſtra extenuando, vix delicti nobis conſcii ſumus ubi graviſſimum ſcelus admiſſum eſt. Peccamus têrtio, quod promiſcue arripimus ad damnationem quoſcunque Deus cruce exercet. Certum quidem eſt quod nuper diximus, miſerias omnes originem trahere ex peccato: ſed Deus variis de cauſis ſuos affligit. Nam ſicuti quorundam crimina non ulciſcitur in hoc mundo, ſed pœnas differt in futuram vitam, ut eas duriores exigat: ita durius ſæpe tractat fideles ſuos, non quod magis peccarint, ſed ut in poſterum carnis vitia mortificet. Imo interdum peccata eorum non reſpiciens, tantum eorum obedientiam probat, vel ad patientiam erudit. Sicuti videmus ſanctum Job præ aliis calamitoſum, nec tamen peccatis ſuis urgeri: ſed aliud eſſe Dei conſilium, ut ſcilicet rebus etiam adverſis melius teſtata fiat ejus pietas. Præpoſteri igitur ſunt interpretes qui ærumnas omnes indifferenter peccatis aſſignant, acſi æqualis eſſet pœnarum modus, vel Deus aliud non reſpiceret in hominibus puniendis quam uniuſcujuſque merita. Quare duo hic obſervanda ſunt, ju-
1 Pet. 4. dicium incipere ut plurimum à domo Dei: ideoque
verſ. 17. ipſum præteritis impiis ſevere animadvertere in ſuos
quum quid peccarunt, & ejus flagella in corrigendis Eccleſiæ vitiis multo duriora eſſe. Deinde cur homines affligat, diverſos eſſe fines. nam Petrum & Paulum non minus quam ſceleratiſſimos latrones carnifici ſubjecit. Unde colligimus, non ſemper in hominum pœnis extare cauſas quæ digito poſſint monſtrari. Cæterum quod diſcipuli ex communi ſenſu interrogant quale Deus peccatum ultus fuerit in cæco ſimulac natus eſt, non tam id faciunt intempeſtive quam dum quærunt an peccaverit nondum natus. Quanquam hæc tam abſurda quæſtio ex vulgari commento quod tunc invaluerat, ſumpta fuit. Nam & ex aliis Scripturæ locis clare apparet, *μετεμψύχωσιν* quam Pythagoras ſomniavit, ab illis fuiſſe creditam. Hinc videmus quam profundus ſit labyrinthus hominum curioſitas, præſertim ubi acceſſit audacia. Alios naſci claudos, alios ſtrabones, alios prorſus cæcos, alios monſtroſo corpore videbant. quum abſcondita Dei judicia revereri deceret, voluerunt in ejus operibus cauſam habere conſpicuam: ita ſua temeritate in illas pueriles nugas prolapſi ſunt, ut putarent animam vita una defunctam, in novum corpus migrare, & ibi luere debitas anteactæ vitæ pœnas. Nec vero hodie Judæos pudet tam fœdum delirium pro cæleſti oraculo in ſuis ſynagogis jactare. Quo exemplo docemur, ſedulo eſſe cavendum, ne ſi in Dei judicia ultra ſobrietatis modum inquirimus, in horribiles abyſſos nos abripiat vagus mentis error ac præcipitet. Prodigii ſane inſtar hoc fuit, quod in electo Dei populo, in quo cæleſtis ſapientiæ per Legem & Prophetas lux accenſa fuerat, tam craſſo figmento fuerit datus locus. Quod ſi eorum audaciam tam ſevere ultus eſt Deus, nihil hac modeſtia in reputandis Dei operibus melius eſt, ut in admirationem erumpant mentes quoties illorum fugit ratio: ac linguæ protinus exclament, Juſtus es Domine, & recta judicia tua, licet comprehendi nequeant. Quod de parentum peccatis rogant diſcipuli, non abs re eſt. Etſi
enim ob patris noxam non plectitur innocens filius, *Ezech. 18.*
ſed anima quæ peccavit, ipſa morietur: non tamen *verſ. 20.*
irrita eſt illa denunciatio, quod Dominus parentum
ſcelera rejicit in ſinum filiorum, & vindex eſt in ter- *Exod. 20.*
tiam uſque & quartam generationem. Ergo ira Dei *verſ. 5.*
per multas ætates ſæpe in una domo reſidet: & quemadmodum fidelium poſteris in illorum gratiam benedicit, ſic & impiam progeniem abjicit, filios cum patribus in eundem interitum juſta vindicta deſtinans. Neque hoc modo conqueri poteſt quiſquam ſe alieni peccati immerito pœnam luere: quia ubi deeſt Spiritus gratia, ex malis corvis mala ova naſci neceſſe eſt. Hæc fuit Apoſtolis dubitandi occaſio an Dominus aliquod parentum ſcelus in filio ultus eſſet.

3. *Neque hic peccavit.*] Non ſimpliciter Chriſtus hominem cæcum ac ejus parentes omni culpa liberat, ſed tantum negat cauſam cæcitatis in peccato quærendam eſſe. Atque hoc eſt quod prius dixi, aliud interdum eſſe Deo propoſitum, quum ærumnas injungit hominibus, quam peccata eorum perſequi. Ideo quum latent afflictionum cauſæ, cohibenda eſt curioſitas, ne & Deo faciamus injuriam, & maligni erga fratres ſimus. Itaque aliam rationem adducit Chriſtus, hominem hunc cæcum fuiſſe natum *ut in eo manifeſtarentur opera Dei.* Non dicit opus unum, ſed plurali numero Opera: quamdiu enim captus fuit oculis, divinæ ſeveritatis exhibitum fuit in eo ſpecimen, unde timere ac ſe humiliare reliqui diſcerent. ſequutum eſt poſtea liberationis beneficium, in quo refulſit mira Dei bonitas. Quare his verbis Chriſtus diſcipulos erigere voluit in ſpem miraculi. ſed interea generaliter admonet, cauſam hanc ſatis ſuperque in mundi theatro debere juſtam ac legitimam videri, quum Deus nomen ſuum illuſtrat. Nec eſt quod cum Deo expoſtulent homines, quum gloriæ ſuæ organa eos conſtituit in utramque partem, ſive miſericors, ſive ſeverus appareat.

4. *Me oportet op.*] Jam ad hoc ſe miſſum teſtatur ut Dei gratiam in cæco illuminando patefaciat. Porro ſimilitudinem ex communi vitæ conſuetudine mutuatur. orto enim ſole ſurgit homo ad laborem, nox autem quieti deſtinata eſt, ut habetur Pſal. 104. v. 22. *Diem* ergo vocat tempus ſibi à Patre finitum, quo opus ſibi mandatum perageret. Ita ut quiſque ad publicum aliquod munus vocatus eſt, tanquam in operas diurnas incumbere debet ad exequendum quod muneris ratio flagitat. Inde porro colligenda eſt univerſalis regula, ſingulis vitæ ſuæ curſum quaſi diem eſſe. Quare ut operarios ad ſedulitatem & induſtriam ſtimulat lucis brevitas, ne ipſos noctis tenebræ inter primos conatus deprehendant: ita quum breve tempus vitæ nobis datum cernamus, pudeat nos torpere in otio. denique ſimulac Deus per vocationem illucet, minime cunctandum eſt, ne opportunitas effluat.

5. *Quamdiu fuero in mundo.*] Hoc per occupationem additum interpretor: videri enim abſurdum poterat, Chriſtum ſibi tempus operandi præfigere, quaſi periculum eſſet ne eum aliorum more nox opprimeret. Ergo ſe ab aliis ita ſegregat ut tamen ſibi quoque finitum eſſe dicat operandi tempus. Sic enim Soli comparat, qui quum fulgore ſuo illuſtret terram, tamen quum occidit, diem ſecum aufert. Itaque mortem ſuam ſignificat tanquam Solis occaſum fore: non quæ lucem ejus extinguat vel obſcuret, ſed ejus conſpectum eripiat mundo. Interea docet, quum in carne productus fuit, tunc vere lucidum mundi diem extitiſſe. Etſi enim omnibus ſeculis Deus illuxerat, novum tamen & inſolitum fulgorem Chriſtus adventu ſuo protulit. Unde infert illuſtrandæ Patris gloriæ hoc maxime idoneum aptumque eſſe tempus, quaſi diem ſereniſſimum, in quo mirificis operibus ſe magis conſpicuum exhibere Deus voluerit. Ve-

rum

rum hic exnritur quæſtin, quia poſt Chriſti mortem major Dei virtus tum in fructu doctrinæ, tum in miraculis enituit: & Paulus ad tempus ſuæ prædicationis proprie hoc accommodat, quod Deus qui à principio mundi juſſit è tenebris lucem ſplendeſcere, tunc per Euangelium in Cbriſti facie reſplenduerit. Et nunc non minus mundum Chriſtus irradiat, quam quum inter homines coram verſatus eſt. Reſpondeo, Chriſtum, completo functionis ſuæ curſu, non minus potenter operatum eſſe per ſuos miniſtros, quam per ſeipſum quum in mundo ageret. Id quidem verum eſſe fateor: ſed non obſtat primo quin per ſeipſum exequi debuerit quod à Patre mandatum erat, quo tempore in eum finem exhibitus fuit in carne. Non obſtat deinde quominus corporalis ejus præſentia verus & ſingularis fuerit dies mundi, cujus ſplendor in omnia ſecula diffuſus fuerit. Uode enim & olim ſanctis Patribus, & nobis bodie lux & dies, niſi quod Chriſti exhibitio ſemper radios ſuos longe emiſit, qui perpetuum diem texerent? Unde ſequitur, quicunque directorem non habent Chriſtum, tanquam cæcos in tenebris palpitando confuſe & ſine nrdine vagari. Interea tenendus eſt ſenſus ille, quod ſicuti ſol pulcberrimum terræ ac cæli tbeatrum totumque naturæ ordinem oculis aperit: ita præcipuam operum ſuorum gloriam Deus in Filio conſpicuam exhibuerit.

2 Cor. 4. verſ. 6.

6. Hoc quum dixiſſet, deſpuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & illevit lutum ſu-
per oculos cæci.
7. Et dixit ei, Vade, lava in piſcina Siloæ. quod eſt ſi interpreteris, miſſus. Abiit
ergo, & lavit, & venit videns.
8. Vicini itaque & qui viderant eum prius, eo quod mendicus eſſet, dicebant, Nonne
hic eſt qui ſedebat & mendicabat?
9. Alii dicebant, Certe hic eſt. Alii vero, Similis eſt illi. Ille autem dicebat, Ego ſum,
10. Dixerunt ergo illi, Quomodo aperti ſunt oculi tui?
11. Reſpondit ille, & dixit, Homo qui vocatur Jeſus lutum fecit, & illevit oculos
meos, & dixit mihi, Vade in piſcinam Siloæ, & lava. Poſtquam vero abii & lavi, vidi.
12. Dixerunt ergo ei, Ubi eſt ille? Dixit, Neſcio.

6. *Deſpuit in terram.*] Conſilium Cbriſti erat viſum cæco reſtituere. ſed rem aggreditur modn in ſpeciem valde abſurdo: nam luto oculos illinens, cæcitatem quodammodo duplicat. Quis non vel miſero homini eum illudere putaſſet, vel inſtar hominis deliri ridiculas ineptias agitare? Atqui boc modo cæci fidem & obedientiam probare voluit, ut nmnibus eſſet exemplo. Fuit certe hoc non vulgare fidei ſpecimen, quod cæcus nudum verbum amplexus, viſum ſibi redditum iri certo confidit: atque bac fiducia properat ire qun juſſus eſt. Præclara etiam nbedientiæ laus, quod ſimpliciter obſequitur Chriſto, etiamſi multa in contrarium partem avocent. Atque hoc veræ fidei experimentum eſt, quum pia mens ſimplici Dei verbo contenta ſibi promittit quod incredibile alias videtur. Fidem ſequitur mox nbſequii promptitudo, ut ſe Deo regendum placide tradat qui fidum ſibi ducem fore perſuaſus eſt. Minime dubium eſt quin ludibrii ſui ſuſpicio ac metus cæco in mentem venerit: ſed per omnia impedimenta perrumpere illi facile fuit, quum ſtatueret tutum eſſe Cbriſtum ſequi. Siquis objiciat, non agnitum fuiſſe Cbriſtum à cæco qualis erat, ut potuerit tanquam Dei Filio juſtum illi honorem habere: fateor id quidem: ſed quia à Deo miſſum eſſe credebat, illi ſe ſubjiciens, & eum veracem eſſe non dubitans, nibil in ipſo niſi divinum intuetur. imo quod in tam exigua notitia totum ſe Cbriſto addixit, eo plus laudis meretur ejus fides.

7. *Lava in piſcina Siloæ.*] Neque in lutn neque in aqua Siloæ quicquam ad ſanandos oculos fuiſſe virtutis certum eſt: ſed Chriſtus libere externis iſtis ſymbolis ſua miracula non ſemel nrnavit, ſive ut fideles aſſuefaceret ad ſignorum uſum, ſive ut oſtenderet ſuo arbitrio ſubeſſe omnia, ſive ut teſtatum faceret tantum eſſe potentiæ in ſingulis creaturis quantum ipſe dare velit. Quærunt tamen nonnnlli quid lutum ex pulvere & ſputo compoſitum ſignificet. & hanc fuiſſe Cbriſti figuram interpretantur: quia pulvis terrenam carnis naturam, ſputum autem ex ore profectum, divinam verbi eſſentiam notet. Ego autem allegoriam iſtam, quia plus argutiæ quam ſoliditatis habet, omitto, bac ſimplicitate contentus, quod ſicuti primum ex luto homn conditus eſt, ita in refingendis oculis lutum adhibuerit Chriſtus, in corporis parte eandem potentiam demonſtrans quam Pater in toto homine fingendo exeruit: vel forte hoc ſigno teſtatum voluit, ſibi non eſſe difficiliu diſcuſſo impedimento aperire cæci oculos, quam bominum cuivis lutum abſtergere: rurſum ſuæ eſſe poteſtatis tenere bominis viſum, perinde acſi quis oculos luto illinat. quod poſterius mibi magis arridet. *Lavare in piſcina Siloæ* ideo forte juſſit, ut Judæis exprobraret nonniſi per eos ſtare quominus ſentirent præſentem Dei virtutem: quemadmodum ſuæ ætatis homines Jeſaias objurgat quod contemptis aquis Siloæ tacite fluentibus, rapidos & violentos fluvios appetant. Jeſ. 8: 6.
Eadem quoque fuiſſe ratin mihi videtur cur Eliſæus Naaman Syrum in Jordane lavare juſſerit. Piſcinam hanc, ſi Hieronymo credimus, efficiebant aquæ certis boris ex monte Sion ebullientes. Interpretatio vocis *Siloa* conſulro ab Euangeliſta additur, quia fons ille templo vicinus quotidie Judæos venturi Cbriſti admonebat: quem tamen coram ſibi oblatum aſpernati ſunt. Gratiam ergo Chriſti Euangeliſta nobis commendat, quod ipſe unus tenebras noſtras illuminet, viſumque cæcis reſtituat. Nam in unius bominis perſona naturæ noſtræ conditio depingitur, quod ſcilicet luce & intelligentia omnes ab utero privati ſimus: deinde quod mali bujus remedium à ſoln Chriſto petendum ſit. Obſerva autem quod quum præſens illic eſſet Chriſtus, negligi tamen ſymbola noluit, ad coarguendum gentis ſtuporem, quæ inanem tantum ſignorum umbram retinebat, abolita ſubſtantia. Cæterum mirifica Cbriſti bonitas in eo refulget, quod ultro ad cæcum medicus accedit, nec ejus preces in ope ferenda expectat. Et ſane quum natura ab eo averſi ſimus, niſi occurrat priuſquam vocetur, ſuaque miſericordia in lucis & vitæ oblivione demerſos præveniat, actum de nobis eſt.

8. *Vicini itaque & qui vid.*] Non vicinis tantum notus erat cæcus, ſed paſſim etiam totius urbis incolis, quod mendicus ſedere ad portam templi ſolebat: tales autem vulgi oculos magis in ſe convertunt. Hæc notitia hominis ad plures miraculi famam vulgavit. Cæterum (ut ingenioſa eſt impietas in nbſcurandis Dei operibus) multi putarunt non eundem eſſe bnminem, quia in eo nova Dei virtus conſpicua erat. ita quo ſplendidior eſt operum Dei majeſtas, minus fidei apud bomines inveniunt. Sed illnrum dubitatin ad comprobaudum miraculum

culum valuit, quia hinc factum eſt ut ſuo præconio cæcus Chriſti gratiam magis celebraret. Proinde omnes iſtas circumſtantias non fruſtra colligit Euangeliſta, ex quibus miraculi veritas clarius emicuit.

11. *Poſtquam vero abii, & lavi.*] Tam felix obedientiæ ſucceſſus nos admonet ut ſuperatis omnibus obſtaculis ſtrenue pergamus quocunque Dominus vocat: nec vero dubitemus proſpere ceſſurum quicquid ejus ductu & auſpiciis fuerimus aggreſſi.

13. Adducunt eum qui aliquando cæcus fuerat ad Phariſæos.

14. Erat autem Sabbathum quum lutum fecerat Jeſus, & aperuerat ejus oculos.

15. Rurſum ergo interrogarunt eum etiam Phariſæi quomodo viſum recepiſſet. Ipſe autem dixit eis, Lutum impoſuit ſuper oculos meos, & lavi, & video.

16. Dixerunt ergo ex Phariſæis quidam, Hic homo non eſt à Deo, quia Sabbathum non ſervat. Alii dicebant, Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere? Et diſſidium erat inter ipſos.

17. Dicunt ei qui cæcus aliquando fuerat, Tu quid dicis de eo, quod aperuit oculos tuos? Ille vero dixit, Propheta eſt.

13. *Adducunt eum qui.*] Narratio quæ jam ſequetur oſtendit adeo non proficere impios in Dei operibus, ut quo magis urgentur eorum potentia, virus intus conceptum egerant. Mollire certe vel lapideas mentes debuerat viſus cæco redditus. ſaltem Phariſæi, rei novitate & magnitudine perculſi, tantiſper debebant hæſitare dum inquirerent an divinum eſſet opus: ſed eo vecordiæ illos præcipites impellit Chriſti odium, ut quod audiunt ab ipſo factum eſſe, protinus damnent. Phariſæos Euangeliſta nominat, non quod aliæ ſectæ Chriſto propitiæ eſſent, ſed quia hæc ad tuendum præſentem ſtatum reliquis erat animoſior. Semper hypocriſis crudelis eſt & ſuperba: quum ergo falſa opinione ſanctimoniæ turgerent, eos præcipue vulnerabat Euangelii doctrina, quæ damnabat fictitias omnes eorum juſtitias: præſertim vero aſſerendæ Legis prætextu pro ſua potentia & regno dimicabant. Quod Euangeliſta cæcum à turba ad Phariſæos adductum eſſe commemorat, incertum eſt quo affectu & conſilio factum id fuerit: vix quenquam tunc latebat quam hoſtiliter infenſi Chriſto eſſent Phariſæi. Fieri ergo poteſt ut multi adulàtores in eorum gratiam data opera miraculi gloriam obruere tentarint. Mihi tamen probabile eſt majorem partem plebis ſuſpenſo judicio (ut fieri ſolet) arbitros ac judices facere voluiſſe qui gubernacula tenebant. interea ultro cæcutientes in ſole tenebras ſibi accerſunt, quæ illius obſcurent lucem. Hæc præpoſtera eſt vulgi religio, ut impios Eccleſiæ tyrannos divinæ reverentiæ prætextu adoret: Deum vero ipſum tam in verbo ſuo quam operibus contemnat, vel ſaltem reſpicere non dignetur.

14. *Erat autem Sabb.*] Conſulto diem Sabbathi elegit Chriſtus, qui ſcandali materiam præbiturus erat Judæis. Jam ſatis in paralytico expertus erat hoc quoque opus calumniæ fore obnoxium. cur ergo offenſionem (quod illi facillimum erat) non præcavet, niſi quod maligne ſuſcepta ab hoſtibus defenſio ad illuſtrandam Dei virtutem factura erat? Dies Sabbathi ad illos acuendos inſtar cotis eſt, ut acrius de tota re inquirant. Quid vero tandem ex quæſtione ſedulo & anxie habita proficiunt, niſi quod miraculi veritas clarius refulget? Cæterum hoc exemplo docemur, ut Chriſtum ſequamur, exaſperandos eſſe Euangelii hoſtes: ac eos prorſus deſipere qui ſic conciliant mundum Chriſto ut quaſvis offenſiones damnent: quum potius Chriſtus ſciens ac volens impios irritaverit. Tenenda ergo quam alibi præ-
Mat. 15. ſcribit regula, Cæcos ac duces cæcorum negligen-
verſ. 14. dos eſſe.

15. *Interrogarunt eum etiam Ph.*] Hanc confeſſionem ex ore cæci jam ante populus audierat: nunc ejus teſtes Phariſæi quoque fiunt, qui objicere poterant rumorem ſine capite temere excitatum, ab hominibus plebeiis non minus temere fuiſſe exceptum. Ac primo quidem omiſſa facti quæſtione (ut loquuntur) de jure tantum diſputant: non enim negant quin viſum Chriſtus cæco reſtituerit, ſed crimen inveniunt in circumſtantia temporis: ac negant Dei eſſe opus quo violatum fuit Sabbathum. Sed primo quærendum erat an divinum opus eſſet Sabbathi violatio. Quid autem obſtat quominus hoc videant, niſi quia pravo affectu & malitia excæcati nihil vident? Adde quod jam prius ſatis ſuperque edocti fuerant à Chriſto, non magis cum Sabbatho pugnare quæ Deus hominibus largitur beneficia, quam Circumciſionem. & Legis verba homines à ſuis tantum, Exod. 22.
non Dei operibus, quieſcere jubent. Quod ergo verſ. 7.
errorem pro confeſſo ſumunt tam valide refutatum, obſtinatæ malitiæ imputandum eſt: ſaltem non alia de cauſa errant niſi quia errare libet. Ita Papiſtæ frivolas putidaſque calumnias, quibus centies reſponſum eſt, ſubinde tamen perfricta fronte ingerere non deſinunt. Quid ergo nobis agendum? Nempe quum locus datur, quantum in nobis eſt refellenda eſt eorum improbitas qui falſa invidia Euangelium gravant & infamant. ſi nulla quantumvis juſta defenſio os illis obturet, non eſt quod fatiſcamus: ſed magno & intrepido animo obſtinata hæc maledicendi libido, qua nos opprimere volunt, calcanda eſt. Axiomata ſumunt quæ libenter illis concedimus, Non audiendos eſſe qui ab Eccleſia diſceſſionem faciunt, & abrumpunt fidei unitatem. Sed quod præcipue diſcutiendum erat, & quod dilucide mille locis expoſuimus, diſſimulanter prætereunt, Papam cum ſua caterva nihil minus quam Eccleſiam eſſe, farraginem ex commentis adulterinis conflatam, & infectam tot ſuperſtitionum figmentis, multum à ſincera fide diſtare. Atqui furioſa ſua petulantia non efficient quin tandem prævaleat toties ac tam ſolide teſtata à nobis veritas. In eundem modum Phariſæi plauſibile adverſus Chriſtum axioma ſumebant, Non eſſe à Deo quiſquis Sabbathum non ſervabat. ſed inique & falſo opus Dei jactabant Sabbathi eſſe violationem.

16. *Quomodo poteſt homo peccator.*] Peccator hic, ſicut aliis pluribus locis, pro ſcelerato & Dei contemptore ſumitur. Quare cum Publicanis & pecca- Marc. 2.
toribus edit magiſter veſter? hoc eſt, impiis & flagi- verſ. 16.
tioſis hominibus quorum vulgo infamis eſt nequitia. Nam ex Sabbathi violatione colligebant hoſtes Chriſti profanum eſſe ipſum hominem, & omni religione vacuum. Iſti contra, qui medii ſunt & æquius judicant, pium & religioſum hominem eſſe ſtatuunt qui ad edenda miracula inſigni Dei virtute ſit inſtructus. Quanquam non ſatis firmum videtur argumentum. nam & pſeudoprophetis interdum Deus permittit ſigna quædam edere: & ſcimus Satanam inſtar ſimiæ, Dei opera imitari ut incautos fallat. Imo refert Tranquillus, quum Veſpaſianus in Alexandria Locus Sue-
eſſet, ac jus in medio foro ex tribunali diceret, roga- tonii.
tum à cæco fuiſſe ut ſputo ejus oculos illineret: hoc remedium à Serapide ſibi in ſomnis monſtratum eſſe. Veſpaſianum, quia temere ludibrio exponere ſe nollet, cunctanter & ægre eo adductum eſſe: quum tamen

meo undique amici inſtarent, cæco dediſſe quod petebat: atque ita repente apertos fuiſſe ejus oculos. Quis Veſpaſianum propterea inter Dei ſervos numeret, vel pietatis laude eum inſigniat? Reſpondeo, apud pios & Dei timentes miracula induhias eſſe potentiæ Spiritus ſancti teſſeras: ſed juſto Dei judicio fieri ut miraculis fallacibus incredulos noo ſecus ac præſtigiis deludat Satan. Quod ex Suetooio nuper retuli, non puto eſſe fabuloſum: ſed juſtæ potius Dei vindictæ hoc adſcribo, quod quum tot & tam præclara Chriſti miracula à Judæis contempta eſſent, tandem, ut meriti erant, ad Satanam fuerint ablegati. Dehuerant enim ex Chriſti miraculis in puro Dei cultu proficere, io Legis doctrina confirmari, & aſſurgere ad Meſſiam ipſum, qui finis erat Legis. Et certe Chriſtus cæcum illuminando ſe Meſſiam eſſe clare teſtatus fuerat. Qui Deum in ſuis operibus agnoſcere recuſant, quum non modo ſocordia, ſed malitioſo contemptu recuſent, annon digni ſunt quos Deus Satanæ fallaciis ſubjiciat? Meminerimus ergo Deum ſincero cordis affectu quærendum eſſe ut nobis Spiritus ſui virtute ſe patefaciat: obedienter ejus verbo præbendas eſſe aures, ut veros Prophetas miraculis non fallacibus diſtincte notet ac deſignet. Ita fiet ut ſua apud nos miraculis utilitas conſtet, oec Satanæ impoſturis ſimus obnoxii. Quod ad iſtos pertinet, tametſi hoc probe faciunt quod de miraculis (in quibus apparet Dei potentia) reverenter loquuotur, non tamen ſatis validam ratinnem opponuot cur cenſeodus ſit Chriſtus Dei Propheta. Neque etiam Euangeliſta pro oraculo haberi voluit eorum reſponſum: tantum impiam hoſtium Chriſti contumaciam in medium profert: qui malitioſe in conſpicuis Dei operibus quod carpant captantes, ne admoniti quidem pauliſper ſubſiſtunt. *Et diſſenſio erat inter eos.* Peſſimum in Eccleſia Dei & maxime noxium malum eſt ſchiſma: quis fit ergo ut Chriſtus diſcordiæ materiam inter ipſos Eccleſiæ doctores ſeminet? Reſponſio facilis eſt, non alium fuiſſe Chriſto finem niſi ut omnes quaſi porrecta manu ad Deum Patrem adduceret. diſſenſio autem ex eorum malitia orta eſt quibus animus oon erat ad Deum accedere. Schiſmate ergo ſcindunt Eccleſiam quicunque Dei veritati parere non ſuſtinent. Præſtat autem inter ſe diſſidere homines quam ſimul omnes uno conſenſu à pietate deficere. Proinde quoties emergunt diſſidia, ſemper conſideranda eſt origo.

17. *Dicunt ei qui cæcus fuerat.*] Quo magis ſedulo inquirunt, eo ſe potentius exerit Dei veritas: perinde enim faciunt acſi flammam quis extinguere flatu ſuo vellet. Ergo quoties videmus omnia impios moliri ad opprimendam Dei veritatem, non eſt cur terreamur vel oimium de eventu ſimus ſolliciti: quia nihil quam ejus lucem magis eo modo accendent. Porro quod ſciſcitantur à cæcu quid ſentiat, non ideo fit quod morentur ejus judicium vel pili æſtiment: ſed quia hominem metu perculſum ex animi ſui voto reſponſurum ſperent. Qua in parte Dominus ipſos fruſtratur. nam certe quod homo plebeius intrepide neglectis eorum minis Chriſtum aſſerit Prophetam eſſe, Dei gratiæ acceptum referre merito convenit, ut hæc fiducia ſit quaſi alterum miraculum. Quod ſi tam cordate & libere Chriſtum eſſe Prophetam confeſſus eſt, qui Dei Filium eſſe nondum tenebat: quam pudenda eſt eorum perfidia qui metu fracti vel eum abnegant, vel conticeſcunt, quum ſciant ad Patris dextram ſedere, atque inde venturum totius orbis judicem? Quum ergo exiguam notitiæ ſcintillam hic cæcus non ſuffocaverit, danda opera eſt ut ex pleno fulgore, qui cordibus noſtris illuxit, ingenua & iotegra confeſſio refulgeat.

18. Non crediderunt ergo Judæi de ipſo quod cæcus fuiſſet, ac viſum recepiſſet, donec vocarunt parentes ejus qui viſum receperat.

19. Et interrogaverunt eos, dicentes, Hic eſt filius veſter, quem vos dicitis cæcum natum eſſe? quomodo igitur nunc videt?

20. Reſponderunt illis parentes ejus, & dixerunt, Scimus quod hic eſt filius noſter, & quod cæcus natus eſt:

21. Quomodo autem nunc videat, neſcimus: aut quis ejus aperuerit oculos, nos neſcimus. ipſe ætatem habet, eum interrogate, ipſe de ſe loquetur.

22. Hæc dixerunt parentes ejus quod timerent Judæos. jam enim conſpiraverant Judæi ut ſiquis eum confiteretur eſſe Chriſtum, è ſynagoga ejiceretur.

23. Propterea parentes ejus dixerunt, Ætatem habet, ipſum interrogate.

18. *Non crediderunt.*] Duo hic obſervanda ſunt: quod noo credant factum eſſe miraculum, & quod ſponte pravo Chriſti odio excæcati, quod palam eſt non cernant. Ipſos Euangeliſta non crediddiſſe refert. ſi ratio quæritur, non dubium eſt quin voluntaria fuerit eorum cæcitas. Quid enim obſtat quominus luculentum Dei opus oculis ſuis ſubjectum non videant, imo quod pluſquam convicti, non tamen credant quod jam habent compertum, niſi quod interior cordis malitia clauſos tenet eorum oculos? idem io Euaogelii quoque doctrina impleri Paulus docet: velatam enim vel obſcuram eſſe negat, niſi reprobis, quorum mentes excæcavit Deus hujus ſeculi. Talibus exemplis moniti, diſcamus non accerſere nobis obſtacula quæ nos à fide arceant. *Judæos* per ſynecdochen Euangeliſta nominat qui populi gubernacula tenebant.

2 Cor. 4. verſ. 3.

19. *Hic eſt filius veſter.*] Quia priore via non ſucceſſit, novam aliam tentant: ſed Dominus hic quoque mirabili ratione non modo eorum conatus diſturbat, ſed in contrarium etiam finem vertit. Porro non uoum ſimpliciter quæruot, ſed aſtute plura involvunt, ut reſponſionis anſam præcidant. Sed parentes cæci ex multiplici & captioſa interrogatione dimidiam tantum partem excerpunt, ad quam reſpondent: filium ſuum eſſe teſtantur, & cæcum fuiſſe ab utero. Hinc ſequitur, non naturaliter eum videre, ſed miraculo apertos fuiſſe illi oculos. ſed hoc poſterius, quia odioſum erat, prætereunt: quo ſilentio produnt ſuam ingratitudinem. Nam certe tam illuſtri Dei beneficio affecti, ad celebrandum ejus nomen ardere toti debebant. Atqui metu conterriti gratiam Dei quantum in ſe eſt ſepeliunt: oiſi quod teſtem ſuo loco ſubſtituunt filium, qui & minore invidia & majori fide rem totam ut geſta eſt prædicet. Cæterum etſi prudenter, dum periculum declinant, mediam hanc excogitant rationem ut per os filii ſui oblique de Chriſto teſtentur: hoc tamen non obſtat quin per os Euangeliſtæ, Spiritus eorum mollitiem damoet, quia partes interim ſuas deſerunt. Quanto itaque minus habebunt excuſationis qui perfida abnegatione Chriſtum cum ſua doctrina, cum miraculis, cum virtute & gratia prorſus obruunt?

22. *Conſpiraverant Judæi ut ſiquis.*] Hic locus docet veterem & ſeculis omoibus uſitatum excommunicandi morem fuiſſe: neque enim tunc primum inventa excommunicatio fuit: ſed quæ jam olim adver-

verſus apoſtatas & contemptores Legis uſu recepta erat pœna, in Chriſti diſcipulos verſa fuit. Tenemus ergo ex vetuſtiſſima Eccleſiæ diſciplina ortum eſſe excommunicandi ritum: deinde non nuper cœpiſſe, neque unius tantum ſeculi eſſe hoc vitium ut ſancta Dei inſtituta ſuis ſacrilegiis impii homines corrumpant. Eſſe aliquam correctionis formam, qua rebelles cohiberentur, Deus ab initio voluit. hac poteſtate Pontifices & Scribæ non modo tyrannice abuſi ſunt ad vexandos innoxios, ſed Deum ipſum ejuſque doctrinam nefarie tandem oppugnarunt. Quum potentior eſſet Chriſti veritas quam ut jure & ordine ad reſiſtendum pares forent, excommunicationum fulmina vibrarunt ad eam opprimendam. Idem & in populo Chriſtiano factum eſt: vix enim exprimi poteſt quam barbaram tyrannidem exercuerint pſeudo-epiſcopi in plebe ſubigenda, ne quis mutire auderet. & nunc videmus quanta truculentia telum hoc excommunicationis in omnes Dei cultores torqueant. Sed ita ſtatuendum eſt, ubi hominum libidine in alienum finem rapitur excommunicatio, ſecure poſſe contemni. neque enim Deus, quum jus excommunicandi Eccleſiæ ſuæ mandavit, gladio armavit tyrannos vel carnifices ad jugulandas animas: ſed regulam præſcripſit populi ſui gubernandi: & quidem ea lege ut ſummum ipſe imperium teneret, homines vero haberet miniſtros. Fulminent ergo ut libuerit pſeudo-epiſcopi, non alios inanibus ſuis crepitaculis attonitos reddent quam qui voce ſummi Paſtoris nondum edocti quodnam ſit verum ovile, vagi & dubii errant. In ſumma, quos videmus non ſubeſſe Chriſto, certo certius eſt legitima excommunicandi poteſtate eſſe privatos. Nec vero timendum eſt ne à ſuo cœtu nos abdicent, unde Chriſtus, vita & ſalus noſtra exulat. Quin potius ſi Chriſto conjuncti eſſe cupimus, ſponte ex Papæ ſynagogis diſcedere nos oportet, tantum abeſt ut nobis obſtet ejectionis metus. Cæterum etſi ritus excommunicandi tam indigne in veteri Eccleſia corruptus fuerat, Chriſtus tamen adventu ſuo extingui noluit: ſed reſtituit ſuæ puritati, ut de integro apud nos vigeret. Ita hodie quantumvis fœda in Papatu graſſetur ſanctæ hujus diſciplinæ profanatio, potius ad priſtinam ſuam integritatem ſummo ſtudio à nobis revocanda eſt quam ut eam aboleamus. Nunquam adeo bene res in mundo compoſitæ ſunt quin ſanctiſſimæ quæque Dei leges hominum vitio in corruptelas degenerent. Nimium profecto licentiæ Satanæ daretur ſi in nihilum redigere poſſet quicquid adulterat. nullus jam Baptiſmus nobis reſtaret, nulla Cœna, nulla denique religio, cujus nullam partem à ſuis inquinamentis reliquit intactam.

24. Vocarunt ergo ſecundo hominem qui cæcus fuerat, ac dixerunt ei, Da gloriam Deo: nos ſcimus quod hic homo peccator eſt.

25. Reſpondit ergo ille, & dixit, An peccator ſit, neſcio: unum ſcio, quod quum cæcus eſſem, nunc video.

26. Dixerunt ergo ei rurſum, Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos?

27. Reſpondit illis, Dixi vobis jam ante, & non audiſtis: quid rurſum vultis audire? numquid vos etiam vultis ejus diſcipuli fieri?

28. Convitiati ſunt ergo illi, & dixerunt, Tu eſto ejus diſcipulus: nos Moſis ſumus diſcipuli.

29. Nos ſcimus quod Moſi loquutus ſit Deus: hic vero unde ſit neſcimus.

30. Reſpondit homo, & dixit illis, Certe in hoc mirum eſt quod vos neſcitis unde ſit, & aperuit oculos meos.

31. Scimus autem quod peccatores Deus non audit: ſed ſi quis ſit Dei cultor, & faciat ejus voluntatem, hunc audit.

32. A ſeculo non eſt auditum quod aperuerit quiſquam ejus oculos qui natus fuiſſet cæcus.

33. Niſi eſſet hic à Deo, non poſſet facere quicquam.

24. *Vocarunt ergo ſecundo.*] Non dubium eſt quin pudore coacti cæcum vocarint, quem nimis firmum & conſtantem prius experti fuerant. Ita quo vehementius luctantur adverſus Deum, ſubinde pluribus laqueis ſe induunt, & fortius ſe conſtringunt. Cæterum ita interrogant ut in ſua verba ipſum adigere conentur. Specioſa quidem præfatio eſt quum hortantur ad dandam Deo gloriam: ſed ſtatim imperioſe vetant ne ex animi ſui ſententia reſpondeat. Ergo ſub nominis Dei prætextu ſervile obſequium ab illo exigunt. *Da gloriam Deo.* Tametſi ad cauſæ circumſtantiam referri hæc obteſtatio poteſt, ne Dei gloriam obſcuret cæcus, beneficium quod accepit in hominem transferendo: potius tamen ſubſcribo eorum ſententiæ qui ſolennem fuiſſe formulam exiſtimant quæ adhiberi ſolebat quum jusjurandum ab aliquo exigerent. Nam & Joſue iiſdem verbis Achan adjurat quum veram ſubrepti anathematis confeſſionem exprimere vult. Monebant autem his verbis non levi contumelia Deum affici ſi quis per ejus nomen falleret. Et certe quoties jurandum eſt nobis, occurrere debet hæc præfatio, ut non minus pretioſa nobis ſit veritas quam Dei gloria. Id ſi fieret, longe alia conſtaret juramenti religio: nunc quia bona pars Deum abnegari non cogitans, quum ad mendacium aſſerendum invocatur ejus nomen, temere & contemptim ad jurandum proſilit: omnia perjuriis referta ſunt. Interea videmus ut hypocritæ, etiam dum maximam Dei reverentiam obtendunt, non modo fucum faciant, ſed impudenter quoque illudant. ſimul enim addunt ut in ſua verba impie cum manifeſto Dei probro cæcus juret. Ita ſcilicet ſcelerata eorum conſilia Deus in lucem protrahit, utcunque variis coloribus inducere & fictitiis umbris tegere conentur.

Joſue 7. verſ. 19.

25. *An peccator ſit, neſcio.*] Videtur cæcus ab ingenuo teſtimonio nonnihil metu deflectere. Neque enim credibile eſt de Chriſto ipſum dubitaſſe, ut verba ſonant: ſed ego potius ironice loquutum arbitror, quo ipſos acrius pungeret. Confeſſus paulo ante fuerat Prophetam: quum nihil proficere ſe videret, de perſona judicium ſuſpendens, rem ipſam proponit. Ergo iſta conceſſio ſubſannatione non caret.

26. *Dixerunt ergo ei rurſum.*] Quum impios videmus tantopere in pravis ſuis actionibus ſatagere, pudeat nos torporis noſtri, quod tam frigide in agendo Chriſti negotio verſamur. Quum autem undique calumniandi materiam venentur ut miraculum tenebris involvant, Dominus eorum conatus præclare diſcutit infracta cæci conſtantia. neque enim tantum in ſententia perſtat, ſed libere eos & ſevere objur-

jurgat, quod veritatem ſatis notam & compertam ſubinde quærendo obruere ſtudeant. Perverſum etiam Chriſti odium illis exprobrat, quum dicit, *Numquid vultis fieri ejus diſcipuli?* ſignificat enim, quamvis centies convicti fuerint, maligno hoſtilique affectu ſic eſſe occupatos, ut nunquam ceſſuri ſint. Mira ſane libertas, quod homo contemptibilis & obſcurus, imo propter mendicitatem fere probroſus, ſecure omnium Sacerdotum furorem in ſe provocat. Si exigua duntaxat fidei præparatio, quum ad pugnam ventum eſſet, illi tantum dedit fiduciæ, quid excuſationis prætexent, qui extra telorum jactum magni Euangelii præcones, in periculis obmuteſcunt? Porro hæc quoque interrogatio eſt ironica. Significat enim malevolentia eos, non ſincero veri ſtudio impelli ut hanc quæſtionem tam ſedulo urgeant.

28. *Convitiati ſunt ergo illi.*] Probabile eſt, quæcunque illis convitia furioſæ iracundiæ impetus dictavit, tumultuoſe in eum conjeciſſe: hoc autem unum ex multis fuit, quod Legis apoſtatam vocarunt. neque enim, eorum judicio, Chriſti poterat eſſe diſcipulus quin à Lege Moſis deficeret: ac diſerte hæc duo tanquam inter ſe pugnantia opponunt. Cæterum hic in ſpeciem pulcherrimus eſt color, quod diſcedere à Moſis doctrina metuunt. Eſt enim hæc vera pietatis regula, audiendos eſſe Prophetas, per quos loquutum eſſe Deum certo conſtat: ne quibuſlibet hominum doctrinis circumferatur fides. Ab hoc vero principio deducunt quam habent de Lege Moſis certitudinem: ſed mentiuntur Moſis ſe eſſe diſcipulos, qui à Legis fine averſi ſunt. Ita hypocritæ Deum lacerare ſolent, quum volunt ejus nomen
Rom. 10. verſ. 4. obtendere. Si Chriſtus anima Legis eſt, ut Paulus docet, quid erit Lex ab ipſo ſeparata niſi corpus mortuum? Hoc exemplo docemur non vere audiri Deum, niſi quum attentus eſt auditor ad ejus vocem, ut percipiat quidnam ſibi velit ac loquatur. Quum dicunt ſe *neſcire unde ſit* Chriſtus, hoc ad patriam vel locum natalem non refertur, ſed ad munus Propheticum. Cauſantur enim ſe nullam habere vocationis ejus notitiam, ut eum tanquam à Deo profectum recipiant.

30. *Certe in hoc mirum eſt.*] Oblique perſtringit eos quod tam inſigni miraculo nihil commoti, Chriſti vocationem ſibi eſſe ignotam fingant: acſi diceret minime eſſe conſentaneum ut tale divinæ virtutis ſpecimen pro nihilo ducatur, ac Chriſti vocatio ſic probata & teſtata, nihil tamen fidei apud eos obtineat. Et, quo magis eorum ſocordiam urgeat vel malitiam, miraculi excellentiam ex eo amplificat quod ab ultima hominum memoria nunquam fando auditum ſit tale quicquam fuiſſe ab homine factum. Unde ſequitur, malignos eſſe atque ingratos qui ad conſpicuum Dei opus ultro connivent. Colligit ergo à Deo eſſe miſſum qui tanta Spiritus Dei potentia inſtructus eſt ad comparandam ſibi ac doctrinæ ſuæ fidem.

31. *Scimus autem quod peccatores.*] Falluntur qui cæcum ex vulgi opinione ſic loquutum eſſe putant. Nam Peccator hic quoque, ut paulo ante, impium & ſceleratum ſignificat. Eſt autem hæc perpetua Scripturæ doctrina, quod Deus non exaudiat niſi à quibus vere & ſincero corde vocatur. Nam quum ſola fides januam nobis ad Deum aperiat, certum eſt impios omnes ab acceſſu ejus arceri: imo teſtatur ſe abominari eorum preces, ſicut ad eorum ſacrificia nauſeat. Singulari enim privilegio filios ad ſe invitat, & ſolus eſt Spiritus adoptionis qui in cordibus noſtris clamat, Abba Pater. In ſumma, nemo ad Rom. 8.
Deum orandum rite eſt comparatus niſi qui cor fide verſ. 15.
purgatum habet. Impii vero, ſicuti in ſuis precibus ſacrum Dei nomen profanant, ita potius hujus ſacrilegii pœnas dare merentur quam ut quicquam in ſalutem impetrent. Ideo non male ratiocinatur cæcus, Chriſtum à Deo profectum eſſe, quem ſuis votis ita propitium habet.

34. Reſponderunt, & dixerunt ei, Tu in peccatis natus es totus, & tu nos doces? Et ejecerunt eum foras.

35. Audivit Jeſus quod ejeciſſent eum foras: & quum inveniſſet eum, dixit ei, Credis tu in Filium Dei?

36. Reſpondit ille, & dixit, Quis eſt Domine, ut credam in eum?

37. Dixit autem ei Jeſus, Et vidiſti eum: & qui loquitur tecum, ille eſt.

38. Dixit autem, Credo Domine. Et adoravit eum.

39. Tunc dixit Jeſus, In judicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant.

40. Hæc audierunt quidam ex Phariſæis qui erant cum illo, & dixerunt ei, Numquid & nos cæci ſumus?

41. Dixit illis Jeſus, Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum. nunc autem dicitis, Videmus: peccatum igitur veſtrum manet.

34. *In peccatis natus es.*] Non dubito quin ad ejus cæcitatem alluſerint: ſicuti ſuperbis hominibus mos eſt miſeros & calamitoſos vexare. Ergo perinde illi inſultant acſi ab utero matris cum ſcelerum ſuorum nota prodiiſſet. Nam paſſim Scribarum animis inſidebat hæc perſuaſio, quod animæ una vita defunctæ in nova corpora migrarent, atque illic pœnas penderent priorum ſcelerum. Inde conſtituunt iſti, eum qui cæcus natus eſt, jam tunc peccatis delibutum fuiſſe ac fœdatum. Hæc præpoſtera cenſura nobis documento eſſe debet, ſedulo cavendum eſſe ne ſemper Dei flagellis cujuſque peccata metiamur. Habet enim (ut prius viſum eſt) Dominus varios fines cur ærumnas hominibus infligat. Præterquam vero quod iſti hypocritæ miſero homini inſultant, ſimul contumelioſe reſpuunt quamlibet ſanctas & probas ejus admonitiones: ut hoc pluſquam commune eſt nequis ab eo ſe doceri ſuſtineat quem contemnit. Porro quum ſemper audiendus ſit Deus, per quoſcunque tandem nobis loquatur: diſcamus neminem contemnere, ut Deus nos ſemper dociles ac manſuetos reperiat, etiamſi contemptiſſimo & nihili homine ad nos docendum utatur. Nulla enim eſt deterior peſtis quam quum aures faſtus nobis obſtruit, ne audire dignemur qui utiliter nos monent. Et Deus ſæpe conſulto viles & abjectos eligit ad nos docendos & monendos, quo altitudinem noſtram ſubigat. *Ejecerunt eum foras.* Quanquam fieri poteſt ut impetu facto eum extra templum ejecerint, mihi tamen videtur alius eſſe Euangeliſtæ ſenſus, quod eum excommunicaverint, atque ita fuerit ejectio juris ſpecie obtecta. Et hoc contextui melius quadrat: quia ſi per contumeliam tantum ejectus fuiſſet, non erat hoc tanti momenti ut fama ad Chriſtum perveniret. Nunc quod Chriſtus audivit, inde conjicio rem quaſi ſeriam ſolenni ritu ab illis actam eſſe. Cæterum hoc exemplo docemur quam frivola ſint & minime timenda hoſtium Chriſti anathemata. Si ab eo cœtu ejicimur in quo regnat Chriſtus, horrendum illud judi-

Digitized by Google

judicium in nos fertur, quod tradamur Satanæ, quia à regno Filii Dei exulamus. verum ab eo loco ubi Chriſtus per verbum & Spiritum ſuum non præſidet, ſponte fugiendum eſt, ſi nemo nos expellat: tantum abeſt ut metuendum ſit tyrannicum illud judicium quo impii ſervis Chriſti inſultant.

35. *Et quum inveniſſet eum.*] Si retentus fuiſſet in ſynagoga, periculum erat ne paulatim à Chriſto alienatus in idem cum impiis exitium mergeretur: nunc extra templum vaganti Chriſtus occurrit, ejectum à Sacerdotibus excipit & amplectitur, erigit proſtratum, vitam offert ad mortem addicto. Hoc idem & noſtro tempore experti ſumus. Nam quum Lutherus & alii ſimiles initio craſſiores Papæ abuſus reprehenderent, vix tenuem habebant puri Chriſtianiſmi guſtum: poſtquam in eos fulminavit Papa, ac terrificis bullis à Romana ſynagoga ejecti ſunt, manum illis porrexit Chriſtus, ac penitus illis innotuit. Ita nobis nihil melius quam ab Euangelii hoſtibus longiſſime abeſſe, ut ipſe propius ad nos accedat. *Credis in Filium Dei?* Judæum alloquitur, qui Legis doctrina à puero imbutus promiſſum fuiſſe à Deo Meſſiam didicerat. Perinde igitur valet iſta interrogatio acſi eum hortetur Chriſtus ut Meſſiam ſequatur, ſeque illi addicat. Quanquam magis honorifico nomine utitur quam tunc ſolebant: habebatur enim Meſſias tantum filius Davidis.

36. *Quis eſt, ut credam?*] Ex hoc cæci reſponſo apparet, quamvis de Chriſto nihil adhuc certi vel liquidi teneret, promptum tamen ac docilem fuiſſe. nam perinde ſonant hæc verba acſi dicat, Paratus ſum, ſimulac mihi oſtenſus fuerit, eum amplecti. Notandum autem quod à Chriſto Propheta cæcus doceri cupit: jam enim perſuaſus erat miſſum à Deo eſſe Chriſtum. Quare fidem ſuam non temere ejus doctrinæ ſubjicit.

37. *Et vidiſti eum.*] Non potuit cæcus his Chriſti verbis altius provehi quam ad frigidam jejunamque fidei particulam. nam de virtute ſua, & quorſum à Patre miſſus fuerit, & quidnam attulerit hominibus, Chriſtus nihil meminit. Atqui hoc in fide præcipuum eſt, ut ſciamus ſacrificio mortis ejus expiata eſſe peccata, & nos Deo reconciliatus eſſe: reſurrectionem devictæ mortis triumphum eſſe; nos Spiritu ejus renovari, ut carni & peccato mortui, juſtitiæ vivamus: ipſum eſſe unicum Mediatorem: Spiritum ejus adoptionis noſtræ arrham eſſe: in ipſo denique conſtare omnes vitæ æternæ partes. Verum Euangeliſta aut totum ſermonem quem habuit Chriſtus non recitat, aut tantum ſignificat cæcum dediſſe Chriſto nomen, ut poſthac unus ex ejus diſcipulis eſſe inciperet. Ego quidem non dubito quin Jeſus voluerit ab eo Chriſtus agnoſci, ut ab iſto fidei principio in pleniorem deinde ſui notitiam eum adduceret.

38. *Et adoravit eum.*] Quæri poteſt an divinum Chriſto honorem exhibuerit. Verbum quo utitur Euangeliſta nihil aliud ſignificat quam genuflexione vel aliis ſignis cultum & venerationem teſtari. Mihi certe probabile eſt hic rarum aliquid & inſolitum notari, nempe quod cæcus longe plus Chriſto honoris quam homini vel Prophetæ detulerit. Nec tamen euſque tunc profeciſſe puto ut Chriſtum ſciret Deum in carne manifeſtatum. Quid ergo ſibi vult adoratio? Quum perſuaſus eſſet cæcus Jeſum eſſe Dei Filium, quaſi in mentis exceſſum admiratione raptus, coram eo ſe proſtravit.

39. *In judicium veni in hunc mundum.*] Judicii nomen hoc loco pro pœna quæ impiis & Dei contemptoribus infligitur, ſimpliciter accipi non poteſt, quia ad illuminationis gratiam extenditur. Judicium ergo vocat Chriſtus quod res confuſas & diſſipatas in legitimum ordinem reſtituit: ſignificat tamen hoc admirabili Dei conſilio fieri, & præter communem hominum ſenſum. Et ſane nihil minus conſentaneum judicat humana ratio quam à luce mundi excæcari eos qui vident. Eſt igitur hoc unum ex arcanis Dei judiciis quibus hominum ſuperbiam dejicit. Porro notandum eſt, cæcitatem cujus hic ſit mentio, non tam à Chriſto quam ab hominum vitio eſſe. neque enim ſua natura quenquam proprie excæcat: ſed quum reprobi nihil quam ejus lucem extinguere cupiant, oculos mentis, quos habent malitia & pravitate infectos, oblata luce perſtringi neceſſe eſt. In ſumma, quum Chriſtus ſuapte natura lux ſit mundi, hoc accidentale eſt quod ejus adventu quidam cæci fiunt. Quæri tamen rurſum poteſt, quum omnes ad unum paſſim damnentur cæcitatis, quinam ſint iſti videntes. Reſpondeo id per conceſſionem ironice dictum eſſe, quia increduli quum oculis capti ſint, ſe tamen valde acutos ac perſpicaces putant. Atque hac fiducia elati, Deum audire non dignantur. & extra Chriſtum præclaram ſpeciem habet carnis ſapientia: quia mundus quid ſit vere ſapere non apprehendit. Videre ergo eos dicit Chriſtus qui ſub ſtulta ſapientiæ fiducia ſe & alios fallentes proprio ſenſu feruntur, vanaſque ſuas imaginationes pro ſapientia habent. Tales, ſimulatque apparet Chriſtus in Euangelii ſui ſplendore, cæci fiunt: non modo quia detegitur quæ prius in tenebris infidelitatis latebat eorum ſtultitia; ſed quia juſta Dei vindicta in altiores tenebras demerſi, exiguum illud neſcio quid lucis quod illis erat reſiduum, amittunt. Cæci quidem naſcimur omnes, ſed tamen in corruptæ vitioſæque naturæ tenebris aliquæ adhuc ſcintillæ emicant, ut differant homines à brutis pecudibus. Nunc ſiquis ſuperba ſenſus ſui confidentia inflatus ſubjicere ſe Deo recuſet, videbitur extra Chriſtum ſapiens; ſed claritas Chriſti eum infatuabit. quia tunc demum patere incipit humanæ mentis vanitas quum in medium prodit cæleſtis ſapientia. Cæterum plus quiddam (ſicuti jam attigi) exprimere his verbis Chriſtus voluit. nam hypocritæ priuſquam affulgeat Chriſtus non ita contumaciter reſiſtunt Deo: ſed ſimulatque lux propius admota eſt, aperto Marte & quaſi ex profeſſo adverſus Deum inſurgunt. Facit igitur iſta pravitas & ingratitudo ut duplicetur eorum cæcitas, & Deus juſta vindicta oculos prius vera luce privatos penitus configat vel confodiat. Tenemus nunc hujus loci ſummam, quod in mundum venerit Chriſtus ut cæcos illuminet, eos vero qui ſapere ſibi videntur ad inſaniam redigat. Priore autem loco illuminationis meminit, quoniam hæc propria eſt adventus ejus cauſa. neque enim venit ut judicet mundum, ſed potius ut ſervet quod perierat: ſicuti Paulus quum ſe 2 Cor. 10. verſ. 6.
vindictam in promptu habere prædicat contra omnes rebelles, ſimul addit huic pœnæ locum fore poſtquam impleta fuerit piorum obedientia. Neque vero hæc ultio ad Chriſti perſonam reſtringi debet, acſi non idem quotidie efficeret per Euangelii ſui miniſtros. Quo magis cavendum eſt nequis noſtrum inſana ſapientiæ opinione horribilem hanc pœnam accerſat. ſed experientia docet quam vere hanc ſententiam Chriſtus protulerit. Plurimos enim videmus ſpiritu vertiginis & furoris percuti, non alia de cauſa niſi quod exorientem juſtitiæ Solem ferre nequeunt. Vivebat tunc Adam, & vera intelligentiæ luce præditus erat, quum plus quam fas erat videre appetendo, divinum illud bonum perdidit. Nunc ſi in cæcitatem demerſi, & ita humiliati à Domino, nobis tamen adhuc in tenebris noſtris placemus, & phreneticum noſtrum ſenſum opponimus cæleſti ſapientiæ: non mirum eſt ſi ingraveſcat Dei ultio, ita ut bis cæci reddamur. Hæc quidem olim eadem pœna impiis ſub Lege inflicta fuit: (nam Jeſaias ad excæcandum populum veterem mittitur, ut videndo non videat, Excæca cor populi hujus, Jeſ. 6: 9.
& aures ejus aggrava, &c.) verum quo plenius ſe in Chriſto quam Prophetis exeruit divinæ lucis fulgor,

gor, eo illuſtrius extare & conſpici oportuit hoc excæcationis exemplum: ſicuti hodie meridiana lux Euangelii in extremam rabiem hypocritas præcipitat.

40. *Audierunt quidam ex Phariſæis.*] Senſerunt ſtatim illo Chriſti dicto ſe vulnerari: & tamen videntur non fuiſſe ex peſſimis. quia palam infeſti hoſtes magis à Chriſto abhorrebant quam ut ſe illi adjungerent: iſti autem ſuſtinebant Chriſtum audire, ſed abſque profectu: quia nemo idoneus Chriſti diſcipulus niſi qui ſeipſum exuerit, à quo procul iſti aberant. Porro hæc interrogatio ex indignatione nata eſt, quod ſibi putabant injuriam fieri ſi in cæcorum ordinem cogerentur: & ſimul faſtuoſum gratiæ Chriſti contemptum una cum ludibrio præ ſe fert. acſi dicerent, Tu igitur ſine probro noſtro inclareſcere non potes? hoccine ferendum eſt ut tibi honorem ex contumelia noſtra acquiras? Quod autem cæcis novam lucem promittis, abi hinc & faceſſe cum tuo beneficio: neque enim hac mercede illuminari abs te volumus, ut obtineas nos hactenus fuiſſe cæcos. Hinc perſpicimus ſuperbam & virulentam ſemper eſſe hypocriſin. Superbiæ eſt, quod ſeipſis contenti ſibi quicquam adimi nolunt: virulentiæ, quod oſtenſo morbo, tanquam graviter læſi exaſperantur, & cum Chriſto expoſtulant. hinc Chriſti & gratiæ quam offert contemptus. Emphaſis eſt in particula *etiam*: quia ſignificant, quamvis reliqui omnes cæci ſint, indignum tamen eſſe ut ipſi in communi ordine cenſeantur. Vitium iis qui ſupra alios eminent nimis familiare, ut faſtu ebrii, propemodum ſe obliviſcantur eſſe homines. *Si cæci eſſetis.* Duplex his verbis poteſt ineſſe ſenſus, vel quod ignorantia ſublevaret aliqua ex parte eorum culpam, niſi plane convicti cum veritate data opera pugnarent: vel quod medicabilis in ipſis eſſet ignorantiæ morbus, ſi modo eum agnoſcerent. Priorem ſententiam confirmant Chriſti verba quæ habebimus capite decimo quinto, Si non veniſſem, & loquutus fuiſſem eis, peccatum non haberent, &c. Sed quia hic in contextu ſequitur, *Quod ſe videre dicant*: ut inter ſe reſpondeant antitheta, videtur hoc melius congruere ſi exponas, cæcum eſſe qui propriæ cæcitatis conſcius remedium morbo quærit. Hoc modo ſumma erit, Si agnoſceretis malum veſtrum non eſſet prorſus incurabile: nunc autem, quia vos putatis ſanos, manetis deſperati. Quum peccatum eos non habere dicit qui cæci ſunt, non ita excuſat ignorantiam quaſi innoxia & extra culpæ reatum eſſet: tantum ſignificat promptum eſſe morbo remedium ubi ſerio ſentitur: quia dum cæcus ad liberationem aſpirat, Deus ad ferendam opem paratus eſt. Inſanabiles autem ſunt qui in malis ſuis ſtupidi gratiam Dei ſpernunt.

CAP. X.

Amen, amen dico vobis, qui non ingreditur per oſtium in ſtabulum ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro.

2. Qui autem ingreditur per oſtium, paſtor eſt ovium.

3. Huic oſtiarius aperit, & oves vocem ejus audiunt: & proprias oves vocat nomine, & educit eas.

4. Et quum proprias oves emiſerit, ante eas vadit: & oves eum ſequuntur, quia noverunt vocem ejus.

5. Alienum vero non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo: quia non noverunt alienorum vocem.

6. Hanc ſimilitudinem dixit illis Jeſus: illi autem non intellexerunt quænam eſſent quæ dicebat illis.

1. *Amen, amen dico vobis.*] Quia negotium Chriſto erat cum Scribis & Sacerdotibus, qui habebantur Eccleſiæ paſtores: ſi vellet doctrinam ſuam recipi, neceſſe erat ipſos ſpoliari hujus tituli honore. Poterat etiam multum fidei derogare ejus doctrinæ credentium paucitas. Contendit ergo non omnes in paſtorum vel ovium numero habendos qui externum in Eccleſia locum uſurpant: ſed hac demum nota legitimos paſtores à reprobis, genuinas oves ab adulterinis diſcerni, ſi ipſe unus omnium ſcopus ſit, & principium, & finis. Hæc admonitio cum omnibus ſeculis utilis fuit, tum hodie præſertim neceſſaria eſt. Nulla eſt nocentior Eccleſiæ peſtis quam dum lupi ſub paſtorum larva graſſantur. Scimus etiam quam durum offendiculum ſit quum ſpurii vel degeneres Iſraëlitæ ſe pro Eccleſiæ filiis venditant, & hoc prætextu inſultant fidelibus. Utrique malo per continuos fere ætatum ſucceſſus obnoxia ſemper fuit Eccleſia: ſed hodie rudes & infirmos nihil magis perturbat quam quum ſanctuarium Dei vident à ſummis Euangelii hoſtibus occupari. Neq; enim facile in animum inducunt Chriſti doctrinam eſſe cui tam acriter ab Eccleſiæ paſtoribus reſiſtitur. Deinde quia major pars falſis doctrinis circumducitur per varios errores, dum ſinguli alios reſpiciunt & expectant, nemo fere in rectam viam ſe patitur adduci. Ergo niſi lupis & furibus ſponte nos exponere libet, ne in larvatis paſtoribus vel ovibus fallamur in primis cavendum eſt. Magnificum eſt Eccleſiæ nomen, & merito: ſed quo plus reverentiæ meretur, eo magis ſollicite ad notandum veræ vel falſæ Eccleſiæ diſcrimen intentos eſſe nos decet. Aperte hic negat Chriſtus pro paſtoribus habendos qui tales ſe jactant, vel cenſendos eſſe in ovibus quicunque externis inſignibus gloriantur. De Judaica Eccleſia ſermonem habet: noſtræ in hac parte non diſſimilis eſt ratio. Spectandus eſt etiam conſilii ejus finis quem dixi, ne ſcilicet terreantur vel labaſcant infirmæ conſcientiæ, quum Euangelio infeſtos vel contrarios cernunt qui paſtorum loco regnant in Eccleſia: ne à fide propterea reſiliant quod paucos ex vulgo Chriſtianorum in audienda Chriſti doctrina condiſcipulos habent. *Qui non ingreditur.* Inepte faciunt, meo judicio, qui ſubtilius ſingulas partes hujus parabolæ excutiunt. Nobis ergo ſummam hanc tenere ſufficiat, quod quum Eccleſiam Chriſtus ſimilem faciat ovili, in quo Deus omnes ſuos aggregat, ſe comparat oſtio, quia non alius quam per ipſum in Eccleſiam pateat ingreſſus. Hinc ſequitur, eos demum probos eſſe paſtores qui recta ad Chriſtum ducunt: eos in Dei ovile vere colligi, ut cenſeantur in ejus grege, qui ſe uni Chriſto addicunt. Cæterum hoc totum ad doctrinam refertur. nam quum in Chriſto abſconditi ſint omnes Coloſſ. 2.
ſapientiæ & ſcientiæ theſauri, qui inde alio deflectit, verſ. 3.
neque viam tenet, neque per oſtium ingreditur. Nunc quiſquis monitorem Chriſtum non aſpernabitur, facile ſe ab ea dubitatione expediet (quæ tam multos perplexos tenet) quænam ſit Eccleſia, & quinam ſint paſtorum loco audiendi. Nam ſi nos à Chriſto abducere tentant qui paſtores vocantur, fugiendi ſunt Chriſti juſſu non ſecus ac lupi vel fures: nec cum alio grege ineunda vel colenda ſocietas quam qui in pura Euangelii fide conſpirat. Hac ratione hortatur Chriſtus ſuos diſcipulos ut ſe

ab incredula totius gentis multitudine ſeparent, ne impiis Sacerdotibus regendos ſe permittant, nec ſibi fucum ex vanis & ventoſis nominibus fieri ſinant.

3. *Huic oſtiarius aperit.*] Sicui Deum intelligere libeat, non repugno. imo videtur hic Chriſtus conſulto Dei judicium falſæ hominum opinioni opponere in approbandis, paſtoribus: acſi diceret, Aliis quidem plerumque mundus applaudit, eoſque libenter honore proſequitur: ſed Deus, penes quem imperium eſt, non alios agnoſcit ac probat quam qui oves hac via ducunt. Quod *nomine oves* dicit *vocari*, ad mutuum fidei conſenſum refero: quia uno Dei Spiritu inter ſe conjuncti ſunt diſcipulus & doctor, ut præeat hic, ſequatur ille. Quod quidam privatam notitiam exprimi putant, quam de ſingulis ovibus habere debeat paſtor, an ſatis firmum ſit neſcio.

4. *Quia noverunt vocem ejus.*] Tametſi hic de miniſtris loquitur, non tam ipſos tamen, quam Deum per ipſos loquentem vult audiri. Tenenda enim eſt quam poſuit exceptio, Quod ſolus fidelis ſit Eccleſiæ paſtor qui ſub Chriſti ductu & auſpiciis oves regit. Notanda autem ratio eſt cur dicantur *oves ſequi*: quia ſcilicet paſtores à lupis diſcernere noverunt ipſa voce. Hic eſt Spiritus diſcretionis, quo electi, Dei veritatem à falſis hominum figmentis dijudicant. Ergo in Chriſti ovibus præcedit veri notitia: deinde accedit ſerium obſequendi ſtudium, ut non modo intelligant quid verum ſit, ſed ex cordis affectu recipiant. Nec tantum in eo commendat obedientiam fidei quod oves ad paſtoris vocem placide conveniunt: ſed etiam quod extraneis vocibus non auſcultant, nec diſſipantur quum quis eas inclamat.

6. *Hanc ſimilitudinem.*] En cur ſapientiæ jactantia elati, Chriſti lucem reſpuerent: nam in re non adeo obſcura ſunt pluſquam hebetes. In his verbis, *Non intellexerunt quænam eſſent*, &c. varia eſt apud Græcos lectio. quidam codices habent ad verbum, *Non intellexerunt quæ loquebatur.* altera quam ſequutus ſum, plenior eſt, tametſi eodem redit ſenſus. Tertia eſt quod non agnoverint eſſe Dei Filium qui de ſeipſo loquebatur: ſed hæc minus recepta.

7. Dixit ergo rurſum illis Jeſus, Amen, amen dico vobis quod ego ſum oſtium
ovium.
8. Omnes qui ante me venerunt, fures ſunt & latrones: ſed non audierunt eos oves.
9. Ego ſum oſtium, per me ſiquis ingrediatur, ſervabitur: & ingredietur & egre-
dietur, & pabulum inveniet.
10. Fur non venit niſi ut furetur, & mactet, & perdat: ego veni ut vitam habeant,
& abundantius habeant.

7. *Ego ſum oſtium.*] Niſi addita fuiſſet hæc expoſitio, tota oratio allegorica erat. nunc quod præcipuum erat in ſimilitudine, clarius exponit, quum ſe oſtium eſſe affirmat. Summa autem eſt (ut diximus) totius ſpiritualis doctrinæ qua animæ paſcuntur, caput in ipſo contineri. Unde & Paulus unus Paſtorum, Nihil ſcire operæpretium duxit niſi Jeſum Chriſtum. *1 Cor. 2. verſ. 2.* Perinde autem valet hæc loquutio, acſi ſe unum eſſe teſtatus foret Chriſtus ad quem aggregari nos oportet. Itaque omnes qui ſalutem appetunt, invitat & hortatur ut ad ſe veniant. Quibus verbis ſignificat fruſtra circumire quicunque eo relicto ad Deum contendunt: quia nonniſi janua una pateat, aliunde vero obſtructi ſint omnes acceſſus.

8. *Omnes qui ante me.*] Ad verbum eſt, Omnes quotquot. Qui autem hoc ad Judam Galilæum & ſimiles reſtringunt, longe meo judicio diſcedunt à mente Chriſti. nam generaliter falſas omnes doctrinas Euangelio, & omnes pſeudoprophetas piis doctoribus opponit. Quin etiam uſque ad Gentes non abſurde extenditur hæc ſententia, quod quicunque ab initio mundi ſe profeſſi ſunt eſſe doctores, nec ſtuduerunt oves ad Chriſtum colligere, hoc titulo abuſi ſint ad perdendas animas. Cæterum hoc ad Moſen & Prophetas minime pertinet, quibus nihil aliud propoſitum fuit quam ut Chriſti regnum ſtabilirent. Notandum enim eſt, Chriſti verbis res oppoſitas inter ſe conferri. Atqui inter Legem & Euangelii doctrinam adeo nihil diſſidii reperietur, ut Lex nihil aliud ſit quam ad Euangelium præparatio. In ſumma, teſtatur Chriſtus doctrinas omnes quibus ab eo mundus abductus fuerat, totidem fuiſſe mortiferas peſtes: quia extra ipſum nonniſi exitialis & horrenda ſit diſſipatio. Interea, videmus quanti ſit apud Deum & quanti à nobis fieri debeat antiquitas, quoties veluti in certamen cum Chriſto committitur. Nequis enim moveatur quod ſeculis omnibus extiterunt doctores quibus nihil minus curæ fuit quam ad Chriſtum homines dirigere, nominatim Chriſtus ipſe exprimit nihil referre quam multi fuerint tales, vel quam pridem emergere cœperint; quia hoc conſiderandum ſit, unicam eſſe januam, qua relicta, qui parietes fodiunt, vel rimas perforant, fures eſſe. *Non audierunt eos oves.* Clarius nunc confirmat quod obſcurius jam dixerat ſub allegoriæ figura, non fuiſſe ſcilicet ex Eccleſia Dei qui extra viam ab impoſtoribus abducti ſunt. Hoc ideo primum dicitur, ne quum magnam errantium turbam cernimus, eorum exemplo nobis perire libeat: deinde ne titubemus, quum impoſtoribus ad plurimos fallendos Deus habenas laxat. Neque enim hæc levis eſt conſolatio, vel tenuis fiduciæ materia, quum ſcimus inter multiplices inſultus & inſidias luporum & latronum Chriſtum ſemper fido præſidio tutaturum eſſe ſuas oves, ne qua ab eo deſciſceret. Sed hic exoritur quæſtio, quando quis incipiat ex grege Chriſti eſſe. multos enim videmus magna vitæ parte palantes errare per deſerta, qui tandem ad Chriſti ovile aggregantur. Reſpondeo, nomen *ovium* hic duobus modis ſumi. quum paſthoc dicet Chriſtus ſe alias adhuc habere oves, omnes Dei electos comprehendit, qui tunc nihil habebant ovium ſimile: nunc oves intelligit jam paſtoris nota ſignatas. Natura certe nihil minus quam oves ſumus, quin potius omnes naſcimur urſi & leones, donec Spiritus Chriſti nos cicuret, & ex feris ac indomitis beſtiis manſuetas pecudes formet. Ita ſecundum arcanam Dei electionem in ejus corde jam oves ſumus nondum adhuc nati: vocatione qua nos in ovile ſuum colligit, oves in nobis eſſe incipimus. Jam qui in ordinem fidelium vocati ſunt, eos magis tenaciter ſibi hærere affirmat Chriſtus quam ut vagi & inſtabiles circumferantur qualibet novæ doctrinæ aura. Siquis excipiat, poſſe interdum etiam qui ſe Chriſto addixerant errare, idque frequenti experientia probari, nec fruſtra has partes apud Ezechielem bono paſtori tribui ut diſperſas oves congreget: *Ezec. 34. verſ. 12.* fateor equidem non raro hoc accidere ut qui fidei domeſtici fuerant, ad tempus alienentur, ſed non pugnat hoc cum Chriſti ſententia: quia quatenus errant, quodammodo oves eſſe deſinunt. Hoc ſimpliciter vult Chriſtus, omnes Dei electos, etiamſi innumeris erroribus tentati fuerint, in puræ fidei obedientia reten-

retentos eſſe, ne Satanæ ejuſque miniſtris in prædam forent expoſiti. Hoc autem non minus admirabile eſt opus Dei quum oves pauliſper evagatas iterum colligit, quam ſi in ovili perpetuo clauſæ manerent. Iſtud quidem ſemper & ſine exceptione verum
1 Joh. 2. vers. 19. eſt, non eſſe noſtros qui à nobis exeunt: ſed qui ex nobis ſunt, manere uſque in finem nobiſcum. Cæterum hic locus ſummum pudorem merito incutere nobis debet. Primum quod ad paſtoris noſtri vocem tam male ſumus aſſueti, ut vix eam pauci frigide auſcultent: deinde quod ad eum ſequendum tam deſides ac pigri ſimus. De bonis loquor, vel qui ſaltem ſunt tolerabiles: nam magna pars eorum qui ſe Chriſti diſcipulos jactant, proterve adverſus eum recalcitrat. Poſtremo quod ſimulatque vox aliqua extranei perſonuit, huc illuc inſtabiles rapimur: hæc inconſtantia & levitas ſatis prodit quam male adhuc in fide profecerimus. Quod ſi minor eſt credentium numerus quam optandum ſit, deinde ſi multi ex paucis ſubinde diffluunt: habent pii doctores conſolationem qua ſe ſuſtineant, quod ab electis Dei audiuntur, qui Chriſti oves ſunt. Noſtrum quidem eſt ſedulo dare operam, & modis omnibus ſatagere ut in fidei unitatem, ſi fieri poſſit, totus mundus coaleſcat: interim noſtro numero contenti ſimus.

9. *Per me ſiquis ingrediatur.*] Eximia piorum conſolatio, quod ubi ſemel Chriſtum amplexi fuerint, extra periculum ſe eſſe audiunt. nam ſalutem illis & proſperum ſtatum Chriſtus promittit. Deinde partes duas exprimit, quod tuto quocunque opus fuerit incedent: deinde quod ad ſatietatem uſque paſcentur. Per *ingreſſum & exitum* Scriptura ſæpe omnes vitæ actiones ſignificat: ſicuti Gallice dicimus *aller* & *venir* pro Verſari. Duplex ergo Euangelii utilitas nobis commendatur his verbis, quod in eo pabulum animæ noſtræ reperient, quæ alioqui famelicæ languent, nec niſi vento paſcuntur: deinde quod nobis fidelis cuſtodia & propugnaculum erit adverſus luporum & latronum incurſus.

10. *Fur non venit.*] Hoc dicto Chriſtus quaſi aurem nobis vellicat, ne torpentes & incautos miniſtri Satanæ nos circumveniant. facit enim nimia noſtra ſecuritas ut undique nudi falſis doctrinis pateamus. Unde enim tanta credulitas ut qui in Chriſto fixi quieſcere debebant, per multos errores circumvolitent, niſi quia à tot falſis doctoribus non ſatis ſibi metuunt nec cavent? Huc accedit quod inexplebilis noſtra curioſitas novis & extraneis hominum figmentis ſic delectatur, ut ſponte inſano curſu ad fures & lupos ruamus. Non abs re itaque Chriſtus falſos doctores, quamlibet blande ſe inſinuent, lethale ſemper venenum afferre teſtatur, quo magis ad eos arcendos intenti ſimus. Similis eſt Pauli admonitio ad Coloſſ. cap. 2. verſ. 8. Videte ne quis vos prædetur per inanem philoſophiam, &c. *Ego veni.* Altera ſimilitudo: nam quum hactenus Chriſtus januam ſe vocaverit, veros paſtores qui ad hanc januam oves congregant: nunc paſtoris induit perſonam, & quidem ſe unicum eſſe paſtorem prædicat: ut certe in neminem alium proprie hic honor & titulus competit. Quotquot enim fidi ſunt Eccleſiæ paſtores, quia eos ipſe excitat, neceſſariis dotibus inſtruit, gubernat ſuo Spiritu, in illis operatur: non faciunt quominus ipſe ſolus Eccleſiæ ſuæ præſit, & ſolus paſtor emineat. Tametſi enim eorum utitur miniſterio, paſtoris tamen munus ſua virtute obire & exequi non deſinit: ita etiam magiſtri ſunt & doctores, ut ejus magiſterio non derogent. Denique paſtoris nomen quum ad homines transfertur, ſubalternum eſt, ut dicunt. Et Chriſtus ita honorem ſuum cum miniſtris communicat, ut tam ipſorum quam gregis totius unicus tamen maneat paſtor. Nunc quum dicit *Se veniſſe ut vitam habeant oves*, ſignificat eos tantum luporum & furum rapinis eſſe expoſitos qui ſub ejus pedo ſe non continent. Et, quo plus addat fiduciæ, quicunque ab eo non deficiunt, in illis vitam aſſiduo profectu augeri & confirmari prædicat. Et certe prout quiſque in fide progreditur, eo propius ad vitæ plenitudinem accedit: quia in eo creſcit Spiritus, qui vita eſt.

11. Ego ſum paſtor bonus: paſtor bonus animam ſuam ponit pro ovibus.
12. Mercenarius autem & qui paſtor non eſt, cujus propriæ non ſunt oves, videt lupum venientem & relinquit oves, & fugit: & lupus rapit eas, & diſſipat oves.
13. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & non eſt illi cura de ovibus.
14. Ego ſum paſtor bonus: & cognoſco oves meas: & cognoſcor à meis.
15. Sicut cognoſcit me Pater, & ego cognoſco Patrem, & animam meam pono pro ovibus.

11. *Paſtor bonus animam ſuam.*] Ex ſingulari amoris affectu quo oves proſequitur, quam vere ſe illis paſtorem exhibeat oſtendit: quia de earum ſalute uſque adeo eſt ſollicitus ut ne propriæ quidem vitæ parcat. unde ſequitur pluſquam ingratos eſſe, & centies dignos qui pereant, & ad omne noxæ genus ſint expoſiti, qui tam benigni & amabilis paſtoris cuſtodiam reſpuunt. Porro veriſſimum eſt quod Auguſtinus monet, proponi hic quid in Eccleſiæ regimine expetendum, quid fugiendum, & quid tolerandum ſit. Nihil magis optabile quam ut à probis & ſtudioſis paſtoribus regatur Eccleſia. Se unum eſſe bonum paſtorem profitetur Chriſtus, qui per ſe in primis, & deinde per ſua inſtrumenta Eccleſiam ſanam & incolumem præſtat. Quoties ergo res bene ſunt compoſitæ, & præſunt homines idonei, illic Chriſtus reipſa paſtorem agit. Sed multi ſunt lupi & fures qui paſtorum larva tecti, Eccleſiam ſcelerate diſſipant. tales, quocunque nomine glorientur, fugiendos eſſe Chriſtus denunciat. Mercenariis ſi purgari poſſet Eccleſia, melius res haberet: ſed quia hoc modo fidelium ſuorum patientiam Dominus exercet, ſimul etiam illo ſingulari beneficio indigni ſumus ut Chriſtus in ſinceris paſtoribus nobis appareat: tolerandi ſunt, utcunque non probentur, ac merito etiam diſpliceant. Mercenarios intellige qui doctrinam puram retinent, & qui per occaſionem (ut Paulus loquitur) potius quam recto zelo veritatem annunciant. Philip. 1. vers. 15. Tales etſi non Chriſto fideliter ſerviant, audiendi ſunt. Nam ſicuti Phariſæos audiri Matt. 22. vers. 3. voluit Chriſtus, quia ſuper cathedram Moſis ſedebant: ita hoc honoris Euangelio nos habere convenit, ne ejus miniſtros, licet minus probos, faſtidiamus. Quoniam autem minima quæque offendicula inſipidum nobis Euangelium reddunt: ne tales deliciæ nos impediant, ſemper nobis in mentem veniat quod prius attigi, ſi non ita potenter in miniſtris viget Chriſti Spiritus ut palam in illis paſtorem ſe exhibeat, nos vitiorum noſtrorum pœnas dare; & interea obedientiam noſtram probari.

12. *Mercenarius autem, & qui paſtor non eſt.*] Tametſi paſtoris nomen Chriſtus uni ſibi vendicat, tacite tamen innuit organis ſuis in quibus agit, aliquo modo commune eſſe. Scimus enim quam multi poſt Chriſtum ſanguinem pro ſalute Eccleſiæ fundere non dubitaverint. nec Prophetæ ante ejus adventum vitæ ſuæ pepercerant. Sed in ſua perſona abſolutum exemplar proponit, ut miniſtris ſuis regulam præſcribat. Quam enim fœda & pudenda eſt noſtra ſegnities, ſi nobis vita noſtra pretioſior eſt Ec-

Digitized by Google

cleſiæ ſalute, cui ſuam Chriſtus poſthabuit? Cæterum quod de tradenda pro ovibus vita hic dicitur, tanquam certum & præcipuum paterni affectus ſignum eſt. Voluit primo Chriſtus teſtatum relinquere quam ſingulare amoris erga nos ſui ſpecimen in morte ſua ediderit: deinde ad imitationem exempli ſui provocare ſuos omnes miniſtros. Differentia tamen inter hos & illum notanda, quod vitam ſuam impendit in ſatisfactionis pretium: ſanguinem ſuum effudit ad purgandas animas noſtras: corpus ſuum in victimam expiatricem obtulit, qua Patrem nobis placaret. In Euangelii autem miniſtris nihil tale eſſe poteſt, qui omnes purgatione indigent, & unico illo ſacrificio expiantur, & Deo reconciliantur. Sed hic non diſputat Chriſtus de mortis ſuæ efficacia, aut fructu, ut ſe aliis comparet, ſed ut probet qualiter erga nos affectus fuerit: deinde ut alios invitet ad ſequendum ſuum exemplum. In ſumma, ſicut proprium Chriſti fuit, vitam nobis ſua morte acquirere, & præſtare quicquid Euangelium continet: ita commune paſtorum omnium officium eſt doctrinam quam annunciant vitæ ſuæ diſpendio tueri, & Euangelii doctrinam ſanguine ſuo obſignando, teſtari quam non fruſtra doceant ſalutem ſibi & aliis à Chriſto partam eſſe. Hic tamen moveri poteſt quæſtio, numquid mercenarius habendus ſit qui luporum occurſum quamlibet ob cauſam declinat. Hæc quæſtio olim quaſi in re præſenti agitata fuit, quum tyranni in Eccleſiam crudeliter ſævirent. Tertullianus & ſimiles nimis meo judicio in hac parte fuerunt auſteri. Auguſtini moderatio longe melior, qui ita paſtoribus fugere permittit ſi publicæ ſaluti ſua fuga magis conſulant, quam gregem ſibi commiſſum deſerendo prodant. Hoc autem fieri indicat quum Eccleſia non deſtituitur idoneis miniſtris, & paſtoris vita ſic privatim impetitur ab hoſtibus ut ſua abſentia eorum rabiem mitiget. Quod ſi commune periculum eſt, magiſque timendum ne fugere credatur paſtor non conſulendi voluntate ſed timore moriendi, nullo modo id licere contendit: quia fugæ exemplum magis nocebit quam in poſterum prodeſſe queat ejus vita. Legat qui volet epiſtolam ad Honoratum Epiſcopum centeſimam octogeſimam. Secundum hanc rationem Cypriano fugere licuit, qui mortem adeo non horrebat, ut oblatam vitam perfida negatione redimere fortiter abnuerit. Solum hoc tenendum eſt, ut gregem ſuum paſtor adeoque ſingulas oves vitæ ſuæ præferat. *Cujus propriæ non ſunt oves.* Videtur hic Chriſtus omnes ſine exceptione præter ſe unum facere mercenarios. Nam quum ipſe unus ſit paſtor, nemini noſtrum fas eſt oves quas paſcit, ſuas vocare. Sed meminerimus, qui Chriſti Spiritu aguntur, eos proprium ſibi ducere quod capitis eſt: neque id ut ſibi poteſtatem uſurpent, ſed ut fideliter ſervent quod ſibi commiſſum eſt. Nam qui vere Chriſto conjunctus eſt, nunquam alienum à ſe ducet quod illi tam charum fuit. Id eſt quod poſtea dicit, *Mercenarium fugere:* quia ovium curam non habet. acſi diceret gregis diſſipatione non tangi, quia nihil ad ſe pertinere putat. Nam qui mercedem ſpectat, non gregem, utcunque in tranquillo Eccleſiæ ſtatu fallat, tandem ubi cominus certandum fuerit, perfidiæ ſuæ documentum edet.

14. *Et cognoſco oves meas.*] Priore membro ſuum erga nos amorem rurſus commendat: cognitio enim ex amore naſcitur, & curam ſecum trahit. ſimul tamen ſignificat ſuſque deque ſibi eſſe omnes qui Euangelio non obtemperant: quemadmodum ſecundo membro repetit, & confirmat quod prius dixerat, ſe viciſſim ab ovibus agnoſci.

15. *Sicut cognoſcit me Pater.*] Nihil attinet, ac ne expedit quidem, in ſpinoſas illas ſpeculationes ingredi, quomodo ſuam ſapientiam Pater cognoſcat: quia Chriſtus ſimpliciter, quatenus vinculum eſt noſtræ cum Deo conjunctionis, ſe inter illum & nos medium ſtatuit. acſi diceret, Non magis fieri poſſe ut noſtri obliviſcatur quam ut Pater eum rejiciat vel negligat. Interea mutuum à nobis officium exigit: quia ſicuti ad nos tuendos confert quicquid à Patre accepit facultatis, ita vult nos habere obſequentes & ſibi addictos: quemadmodum totus ipſe eſt Patris, & omnia ad ipſum refert.

16. Et alias oves habeo quæ non ſunt ex hoc ovili: illas etiam me oportet adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, unus paſtor.
17. Propterea me Pater diligit, quia ego pono animam meam, ut rurſus ſumam eam.
18. Nemo tollit eam à me: ſed ego pono eam à meipſo. Poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. hoc mandatum accepi à Patre meo.

16. *Alias oves habeo.*] Quanquam nonnulli ad omnes promiſcue hoc referunt, tam ex Judæis quam ex Gentibus, qui nondum erant Chriſti diſcipuli: mihi tamen dubium non eſt quin ad Gentium vocationem reſpexerit. *Ovile* enim appellat veteris populi collectionem, qua à reliquis mundi populis diremptus, in Dei peculium & unum corpus coaluerat. Sic enim Judæos ſibi cooptaverat Deus, ut ritus & ceremonias velut quædam ſepta illis circumdaret, ne incredulis permiſti eſſent. quanquam oſtium ſtabuli gratuitum erat vitæ æternæ fœdus in Chriſto ſancitum. Ideo *alias oves* vocat quæ non ejuſdem erant notæ, ſed diverſi generis. Summa eſt, paſtorale Chriſti officium Judææ angulis non includi, ſed longius patere. Verum quidem eſt quod hic dicit Auguſtinus, ſicut intra Eccleſiam multi ſunt lupi, ita foris multas eſſe oves: ſed præſenti loco non per omnia convenit, ubi de externa Eccleſiæ facie agitur: propterea quod Gentes, quæ ad tempus extraneæ erant, poſtea in regnum Dei ſimul cum Judæis adſcitæ ſunt. Quadrare tamen hac in parte fateor quod oves nominat Chriſtus incredulos, qui nihil minus quam oves in ſe æſtimari poterant. Nec vero tantum hoc nomine quales futuri ſint docet, quin potius ad arcanam Patris electionem hoc refert: quia jam oves ſumus Deo antequam ipſum ſentiamus nobis eſſe paſtorem: quemadmodum alibi dicimur fuiſſe inimici *Rom. 5.*
quo tempore nos amabat. Qua ratione etiam Paulus *verſ. 10.*
dicit nos prius à Deo fuiſſe cognitos quam illum cognoſceremus, Galat. 4. verſ. 9. *Illas etiam oportet.* Significat ratam fore electionem Dei, ut nihil pereat quod ſalvum eſſe velit. Nam arcanum Dei conſilium quo ordinati ſunt ad vitam homines, tandem ſuo tempore patefacit vocatio: & quidem efficax, dum ſibi Spiritu in filios regenerat qui prius ex carne & ſanguine geniti erant. Quæritur tamen quomodo adducti fuerint Gentiles ut Judæis aggregarentur. neque enim Judæos fœdus quod cum Patribus Deus pepigerat, abjicere oportuit ut Chriſto nomen darent: nec rurſum Gentes Legis jugum ſubire oportuit, ut in Chriſtum inſiti Judæis aſſociarentur. Hic tenenda eſt diſtinctio inter fœderis ſubſtantiam & externas acceſſiones. Nam aliter in Chriſti fidem concedere non poterant Gentes, quam æternum illud fœdus amplexando, in quo fundata erat mundi ſalus. Hoc modo impleta fuerunt vaticinia, Loquentur alienigenæ lingua Cha- *Jeſa. 19.*
naan: Item, Apprehendent ſeptem ex Gentibus *verſ. 18.*
pallium unius Judæi, ac dicent, Ambulabimus vo- *Zach. 8.*
biſcum: Item, Venient ex longinquis partibus, & *verſ. 23.*
aſcendent in montem Sion. Ideo etiam multa- *Geneſ. 17.*
rum gentium pater Abraham fuit dictus, quia *verſ. 5.*
ab

Matth. 8. verſ. 11. ab Oriente & Occidente venturi erant qui cum eo accumberent in regno Dei. Quantum autem ad ceremonias attinet, ille eſt medius paries quem Paulus Epheſ. 2. verſ. 14. dirutum fuiſſe docet. Ita in fidei unitatem Judæis conjuncti fuimus, quo ad ſubſtantiam. ceremoniæ autem abolitæ fuerunt, nequid obſtaculi eſſet quominus illi manum nobis porrigerent. *Et fiet unus grex.* Hoc eſt, ut in corpus unum coaleſcant omnes Dei filii: ſicuti unam fatemur Catholicam Eccleſiam, & unius capitis unum eſſe corpus neceſſe eſt. Epheſ. 4. verſ. 4. Unus Deus (inquit Paulus) una fides, unum Baptiſma. Itaque nos unum eſſe oportet, ſicuti in unam ſpem vocati ſumus. Quanquam autem in diverſa ſtabula videtur hic grex diſtinctus, communibus tamen ſeptis incluſi ſunt qui paſſim per totum orbem ſparſi ſunt fideles: quia omnibus idem prædicatur verbum, eadem in uſu ſunt Sacramenta, idem precandi ordo, & quæ ad fidei profeſſionem requiruntur. Obſerva modum quo grex Dei colligitur: nempe quum unus eſt omnium paſtor, & vox ejus auditur. Quæ verba ſignificant, ubi ſubeſt uni Chriſto Eccleſia, ejus imperio paret, doctrinæque auſcultat, tunc demum rite compoſitum eſſe ejus ſtatum. Siquid tale apud ſe nobis Papiſtæ oſtendant, fruantur quo tantopere ſuperbiunt Eccleſiæ titulo: ſi vero illic ſilet Chriſtus, pedibus calcatur ejus majeſtas, ludibrio habeotur ſacra ejus inſtituta: quid aliud eſt eorum unitas quam diabolica conſpiratio, quæ omni diſſipatione pejor eſt ac magis execranda? Proinde meminerimus ſemper à capite ſumendum eſſe exordium. Unde & Prophetæ quum Eccleſiæ inſtaurationem deſcribunt, ſemper Davidem Regem adjungunt Deo: acſi dicerent neque Eccleſiam eſſe ubi non regnat Deus, neque extare regnum Dei niſi ubi paſtoris honos Chriſto defertur.

17. *Propterea me Pater diligit.*] Eſt quidem alia ſuperior cauſa cur Pater Filium diligat. neque enim Matth. 3. verſ. 17. fruſtra vox audita fuit è cælo, Filium eſſe dilectum in quo Dei beneplacitum reſidet. Sed quia & noſtra cauſa factus eſt homo, & in hunc finem eum Pater complexus eſt ut nos ſibi reconciliaret: non mirum eſt quod ſe ideo diligi affirmat quia ſalutem noſtram propria vita chariorem habet. Mira vero divinæ erga nos bonitatis commendatio, & quæ nos merito in admirationem ſui totos rapere debeat, quod oon modo amorem Unigenito debitum in nos uſque diffundit, ſed ad nos, veluti ad finalem cauſam refert. Et certe nihil opus fuit Chriſtum carnem noſtram induere in qua diligeretur, niſi ut nos redimendo, paternæ miſericordiæ pignus eſſet. *Ut rurſus ſumam eam.* Quia non parvo mœrore audita Chriſti mors diſcipulos afficere poterat, imo etiam graviter concutere eorum fidem, conſolatur eos ſpe reſurrectionis mox futuræ: acſi diceret non hac lege ſe moriturum ut abſorbeatur à morte, ſed ut victor mox reſurgat. Et nos hodie ita Chriſti mortem reputare convenit ut ſimul in mentem veniat reſurrectionis gloria. Ita eum vitam fuiſſe agnoſcimus, quia cum morte congreſſus, magnifice eam devicit, & nobilem egit triumphum.

18. *Nemo tollit eam à me.*] Altera conſolatio qua ſe diſcipuli in Chriſti morte ſuſtentent: quod non moritur coactus, ſed ſponte ſe pro ſalute gregis offert. Porro noo tantum homines necis poteſtatem in ſe habere negat, niſi quatenus permiſerit: ſed à qualibet vi neceſſitatis ſe eximit. Alia noſtri ratio, quibus propter peccata impoſita eſt moriendi neceſſitas. Natus quidem eſt & Chriſtus ipſe mortalis homo: ſed hæc voluntaria ſubmiſſio fuit, non ſervitus aliunde injuncta. Munire ergo diſcipulos ſuos voluit Chriſtus, ne ipſum paulo poſt ad mortem rapi videntes frangerentur animis, acſi oppreſſus eſſet ab hoſtibus: ſed mira Dei providentia fieri agnoſcerent ut mortem pro grege redimendo obiret. Et huic doctrinæ perpetua ineſt utilitas, quod ideo mors Chriſti piaculum eſt pro peccatis noſtris quia voluntarium fuit ſacrificium, juxta illud Pauli, Obedientia unius, Rom. 5.
juſti facti ſunt multi. Hæc verba, *Pono eam à meipſo*, verſ. 19.
bifariam exponi poſſunt; vel quod ſe vita exuat Chriſtus, manens ipſe integer, (acſi quis veſtem à corpore ſuo deponeret) vel quod ſuo arbitrio moriatur. *Hoc mandatum.* Revocat nos ad æternum Patris conſilium, ut ſciamus tantam illi fuiſſe curam ſalutis noſtræ ut Filium ſuum unigenitum, tantus quantus eſt, nobis dicavarit. Et Chriſtus ipſe qui in mundum venit ut Patri ſe obedientem præberet, confirmat ſe non alium habere in omnibus ſcopum quam ut nobis conſulat.

19. Diſſidium igitur rurſus extitit inter Judæos propter ſermones iſtos.

20. Dicebant autem multi ex illis, Dæmonium habet ac inſanit: quid eum auditis?

21. Alii dicebant, Hæc verba non ſunt dæmoniaci: numquid dæmonium poteſt cæcorum oculos aperire?

22. Facta ſunt autem Encæhia Hieroſolymis, & hyems erat.

23. Et ambulabat Jeſus in Templo, in porticu Solomonis.

24. Circumdederunt ergo eum Judæi, ac dixerunt ei, Quouſque animam noſtram ſuſpenſam tenes? ſi tu es Chriſtus, dic nobis libere.

25. Reſpondit eis Jeſus, Dixi vobis, & non creditis: opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtantur de me.

26. Sed vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis, quemadmodum dicebam vobis.

27. Oves quæ meæ ſunt, vocem meam audiunt: & ego cognoſco eas, & ſequuntur me.

28. Et ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum: nec rapiet eas quiſquam è manu mea.

29. Pater meus qui dedit mihi, major omnibus eſt: & nemo poteſt rapere è manu Patris mei.

30. Ego & Pater unum ſumus.

19. *Diſſidium igitur.*] Hic fuit fructus concionis Chriſti, quod aliquot ſibi diſcipulos acquiſierit: ſed quia multos etiam adverſarios ejus doctrina habet, inde exoritur diſſidium, ut ſcindantur inter ſe qui prius erant quaſi unum Eccleſiæ corpus. nam uno conſenſu omnes profitebantur ſe colere Deum Abrahæ, & Moſis legem ſequi: nunc ubi Chriſtus emergit, diſſidere ejus cauſa incipiunt. Si vera fuiſſet illa profeſſio, Chriſtus (qui ſummum eſt vinculum charitatis, & cujus officium eſt quæ diſſipata ſunt colligere) conſenſum eorum minime abrumperet. Sed Euangelii ſui luce multorum hypocriſin detegit, qui falſo tantum prætextu fucati, ſe populum Dei eſſe jactabant. Ita etiam nunc facit multorum pravitas ut diſſidiis turbetur Eccleſia, & contentiones ferveant. interim qui conturbant pacem, culpam in nos reji-

ciunt, ac ſchiſmaticos vocant: hoc enim præcipuo crimine gravamur à Papiſtis quod traoquillum Eccleſiæ ſtatum concuſſerit noſtra doctrina. Atqui ſi Chriſto placide ſe ipſi ſubmitterent, ac manum darent veritati, ſtatim ſedati eſſent omnes motus. ſed quum ipſi fremant ac tumultuentur adverſus Chriſtum, nec alia lege quieſcere nobis permittant niſi ut extincta jaceat Dei veritas, & Chriſtus à regno ſuo exulet: injuſte nobis objiciunt ſchiſmatis crimen quod ipſis imputandum eſſe nemo non cernit. Dolendum ſane eſt inteſtinis diſcordiis lacerari Eccleſiam: ſed præſtat eſſe aliquos qui ſe ab impiis disjungant, ut Chriſto capiti ſuo uniantur, quam omnes in contemptum Dei eſſe concordes. Itaque ſemper in ſchiſmatibus videndum quinam à Deo & pura ejus doctrina diſceſſionem faciunt.

20. *Dæmonium habet.*] Quam poſſunt odinſiſſimo probro infamant Chriſtum, ut eum audire omnes horreant. Nam impii, ne cedere Deo cogantur, furioſe & clauſis oculis in ſuperbum ejus contemptum prorumpunt, & alios incitant ad eandem rabiem, ne qua vox Chriſti cum ſilentio audiatur. Atqui ipſa Chriſti doctrina ſatis in ſe defenſionis habet adverſus calumnias. Atqoe hoc ſuo reſponſo intelligunt fideles quum *hæc verba* negant eſſe *dæmoniaci.* perinde enim eſt acſi judicium ex re ipſa fieri poſcerent: veritas enim (ut dictum eſt) ſeipſam ſatis aſſerit. Atque hoc eſt unicum fidei noſtræ præſidium, quod nunquam efficere poterunt impii quin Dei virtus & ſapientia in Euangelio refulgeat.

22. *Facta ſunt encænia.*] Acſi diceres Innovationes: quia templum, quod pollutum fuerat, de integro conſecratum fuit auſpiciis Judæ Machabæi: ac tunc inſtitutum fuit ut quotannis feſtus ac celebris eſſet dedicationis novæ dies: ut Dei gratiam, quæ finem Antiochi tyrannidi impoſuerat, memoria repeterent. Tunc autem in templo Chriſtus pro more apparuit, ut in frequenti hominum conventu uberior eſſet prædicationis ſuæ fructus. *Porticum Solomonis* templum vocat Euangeliſta: non quod Sanctuarium eſſet, ſed templi ſolum appendia. Nec porticum veterem intelligit à Solomone olim extructam (quæ à Chaldæis prorſus diruta fuerat) ſed quam Judæi, forte primum ab exilio Babylonico reverſi, ad exemplar veteris illius conditam, nomine etiam ornaverant, ut plus haberet dignitatis. deinde Herodes novi templi conditor.

24. *Circumdederunt ergo eum Judæi.*] Non dubium eſt quin aſtute Chriſtum aggreſſi fuerint, ſaltem qui primi erant hujus conſilii auctores: nam vulgus promiſcuum potuit ſine fraude expetere ut Jeſus palam manifeſtaret ſe miſſum eſſe à Deo liberatorem. ſed pauci captioſe & per inſidias vocem hanc in turba elicere volebant, ut per tumultum è medio tolleretur, vel Romani in eum manus injicerent. Quod ſe queruntur teneri *ſuſpenſos*, eo præ ſe ferunt ſe redemptionis promiſſæ tam ardenter eſſe cupidos ut Chriſti deſiderium aſſidue eorum animos ſollicitet. atque hic verus eſt pietatis affectus, nuſquam alibi invenire quam in ſolo Chriſto quod mentibus noſtris ſatisfaciat, eaſque vere tranquillet. quemadmodum
Mat. 11. verſ. 21. & ipſe loquitur, Venite ad me omnes qui anxii eſtis & onerati, & ego reficiam vos: & quietem invenient animæ veſtræ. Ergo qui ad Chriſtum veniunt, ſic comparatos eſſe decet ut ſe iſti fingunt eſſe. Sed immerito Chriſtum accuſant, quaſi hactenus non ſtabilierit ipſorum fidem: nam per eos tantum ſteterat quominus plenam & ſolidam haberent ejus notitiam. Sed hoc incredulis perpetuum eſt, fluctuari dubios malle quam fundari in certo Dei verbo. Ita hodie plurimos videmus, quum ultro oculos claudant, ſpargere ſuæ dubitationis nebulas, quibus obſcurent claram Euangelii lucem. Multos etiam videmus leves ſpiritus, qui per frivolas ſpeculationes volitando, fixam ſtationem tota vita non reperiunt. Quum poſtulant ut Chriſtus palam vel *Libere*, & cum fiducia ſe manifeſtet, ſenſus eorum eſt, ne oblique amplius & quaſi per ambages ſe inſinuet. Ita obſcuritatis inſimulant ejus doctrinam, quæ tamen ſatis aperta & ſonora fuerat, niſi in homines ſurdos incidiſſet. Admonet autem hæc hiſtoria non poſſe nos malorum inſidias & calumnias effugere ſi ad prædicandum Euangelium vocati ſumus. Quare in excubiis ſtare oportet, nec quaſi re nova percelli quum idem nobis quod magiſtro accidet.

25. *Dixi vobis.*] Non diſſimulat Dominus ſe eſſe Chriſtum, neque tamen docet eos quaſi ſint ad diſcendum idonei: quin potius malitiam in qua obſtinati erant, illis exprobrat, quia nihil hactenus profecerant, verbo & operibus Dei edocti. Quod ergo noo cognoſcitur ab illis, id eorum vitio imputat. acſi diceret, Doctrina mea ſatis per ſe ad intelligendum facilis eſt: culpa autem in vobis hæret, quia Deo maligne reſiſtitis. Poſtea de *Operibus* loquitur, ut duplicis contumaciæ ipſos convincat. nam præter doctrinam luculentum habebant in miraculis teſtimonium, niſi Deo fuiſſent ingrati. Bis ergo repetit eos *non credere*: ut coarguat ipſos ſponte ſurdos eſſe ad doctrinam, cæcos ad opera. quod ſignum eſt extremæ ac deſperatæ malitiæ. Dicit ſe *Opera feciſſe in nomine Patris*: quia hic erat ſcopus ut Dei virtutem in illis teſtatam faceret, unde palam fieret ipſum eſſe à Deo profectum.

26. *Quia non eſtis ex ovibus.*] Altiorem cauſam adducit cur neque miraculis neque doctrinæ fidem habeant: nempe quia ſint reprobi. Notandum autem eſt Chriſti conſilium. nam quia ſe Dei Eccleſiam eſſe jactabant, nequid eorum incredulitas Euangelio deroget, credendi donum ſpeciale eſſe pronunciat. Et certe ut Deum cognoſcant homines, prius neceſſe eſt ab ipſo eſſe cognitos, ut dicit Paulus. Galat. 4. verſ. 9. Rurſum quos Deus non reſpicit, ſemper ab eo manere averſos neceſſe eſt. Siquis obmurmuret, cauſam incredulitatis reſidere in Deo, quia penes eum ſolum ſit oves facere: reſpondeo ipſum omni culpa liberari, quando homines nonniſi voluntaria malitia gratiam rejiciunt. Conciliat Deus ſibi fidem quantum ſatis eſt: ſed feræ beſtiæ nunquam manſueſcunt, donec in oves Spiritu Dei mutatæ fuerint. Qui tales ſunt, fruſtra tentabunt feritatis ſuæ culpam in Deum rejicere, quæ ipſorum naturæ propria eſt. In ſumma, ſignificat Chriſtus nihil eſſe mirum ſi paucos habeat Euangelio ſuo obſequentes, quia feroces ſint ac indomitæ beſtiæ quicunque Spiritu Dei ad obſequium fidei ſubacti non ſunt. Quo magis indignum eſt atque abſurdum ut ab hominum fide pendeat Euangelii auctoritas: quin potius reputent fideles eo ſe magis Deo obſtrictos eſſe, quod quum alii in cæcitate maneant, Spiritus illuminatione ad Chriſtum tracti ſunt. Hic etiam habent Euangelii miniſtri quo ſe conſolentur, ſi non omnibus utilis ſit eorum labor.

27. *Oves meæ.*] Probat argumento à contrariis ipſos non eſſe oves, quia non obediant Euangelio: Deus enim quos elegit, efficaciter vocat. ita fide probantur Chriſti oves. Et certe Ovium nomen ideo Ovium nomen. ad fideles transfertur quia Deo ſe per manum ſummi Paſtoris regendos tradunt, & depoſita priore feritate, dociles ſe & morigeros præbent. Hæc etiam non parva eſt conſolatio piis doctoribus, quod utcunque major pars mundi Chriſtum non auſcultet, habet tamen ipſe ſuas oves quas cognoſcit, & à quibus viciſſim cognoſcitur. Quantum in ſe eſt ſtudeant totum mundum ad Chriſti ovile aggregare: ſed ubi non ſuccedit pro voto, contenti ſint hoc uno, quod ſua opera colligentur qui oves ſunt. Reliqua jam ſupra expoſui.

28. *Et non peribunt in æternum.*] Incomparabilis fructus hic fidei eſt quod certos ac ſecuros eſſe nos jubet Chriſtus, quum fide in ſuum ovile ſumus

aggre-

aggregati. Sed notandum eſt ſimul qua fultura nitatur hæc certitudo, nempe quia ipſe futurus ſit ſalutis noſtræ fidelis cuſtos: nam *in manu ſua* ipſam eſſe teſtatur. Quod ſi hoc nondum ſufficiat, Patris virtute tuto ſervatum iri dicit. Inſignis locus, quo docemur non minus certam eſſe electorum omnium ſalutem quam invicta eſt Dei potentia. Porro non voluit Chriſtus hanc vocem temere in aerem jactare, ſed promiſſionem dare ſuis quæ penitus infixa eorum animis inſideat. Ergo colligimus eo ſpectare ſententiam Chriſti ut electis firma conſtet ſalutis certitudo. Validis quidem hoſtibus ſumus circumdati, & tanta eſt noſtra imbecillitas ut ſingulis momentis parum diſtemus à præſenti morte: ſed quia *Major* (ſive potentior) *eſt omnibus* qui depoſitum noſtrum ſervat, non eſt quod trepidemus quaſi in periculo ſit vita noſtra. Hinc etiam colligimus quam inſana ſit Papiſtarum fiducia, quæ in liberum arbitrium, in virtutem propriam & operum merita recumbit. Longe aliter ſuos Chriſtus inſtituit, ut ſe in hoc mundo, tanquam in media ſylva, ioter innumeros latrones eſſe meminerint: ac præterquam quod ſunt inermes prædæque expoſiti, materiam mortis in ſe incluſam eſſe agnoſcant: ut una Dei cuſtodia freti, ſecure ambulent. Denique ideo certa nobis ſalus quia in manu Dei eſt, quia & fides noſtra infirma eſt, & nos ad vacillandum nimis proclives. Sed Deus, qui nos in manum ſuam recepit, ſatis robuſtus eſt ut ſolo flatu omnes hoſtium noſtrorum machinas diſcutiat. Huc convertere oculos operæpretium eſt, ne tentationum metus nos exanimet. Nam & Chriſtus modum oſtendere voluit quo inter lupos oves quiete verſentur. *Et nemo poteſt rapere è manu Patris.* Copula illativæ particulæ loco hic poſita eſt. nam ex invicta Dei potentia colligit Chriſtus hoſtium libidini non eſſe obnoxiam piorum ſalutem: quia neceſſe foret Deum vinci, qui nos ſub manus ſuæ tutela habet.

30. *Ego & Pater unum ſumus.*] Voluit impiorum ſannis occurrere. jactare enim poterant nihil ad ipſum pertinere Dei potentiam, ut diſcipulis ſuis promitteret certum ejus præſidium. Teſtatur ergo ſibi ita conjunctas eſſe cum Patre ratiooes, ut ejus auxilium ſibi ac ſuis ovibus nunquam defuturum ſit. Abuſi ſunt hoc loco veteres, ut probarent Chriſtum eſſe Patri ὁμοούσιον. Neque enim Chriſtus de unitate ſubſtantiæ diſputat, ſed conſenſu quem cum Patre habet: quicquid ſcilicet geritur à Chriſto, Patris virtute confirmatum iri.

31. Suſtulerunt ergo iterum lapides Judæi, ut lapidarent eum.
32. Reſpondit eis Jeſus, Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre meo; propter quod eorum operum lapidatis me?
33. Reſponderunt ei Judæi, dicentes, Non boni operis cauſa lapidamus te, ſed blaſphemiæ: & quod tu, quum homo ſis, facis teipſum Deum.
Pſal. 82. 34. Reſpondit eis Jeſus, Nonne eſt ſcriptum in Lege veſtra, Ego dixi, dii eſtis?
verſ. 6. 35. Si illos dixit deos ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi Scriptura:
36. Quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis blaſphemare quia dixi, Filius Dei ſum?

31. *Suſtulerunt ergo iterum lapides.*] Sicuti pietas in aſſerenda Dei gloria ſuo zelo ardet, quem Spiritus Dei moderatur: ita iofidelitas mater eſt furoris: & diabolus ita impios exagitat ut nihil quam cædes ſpirent. Hic exitus demonſtrat quo animo Chriſtum interrogaverint. nam aperta confeſſio, cujus cupidos ſe fingebant, illos ſtatim in rabiem adigit: & tamen quum ita violenter ferrentur ad opprimendum Chriſtum, non dubium eſt quin judicii colorem obtenderint, quaſi hoc agerent ex
Deut. 13. verſ. 5. Legis præſcripto, ubi Deus pſeudoprophetas lapidari jubet.

32. *Multa bona opera.*] Hic Chriſtus non tantum cauſam eſſe negat cur ita ſæviant, ſed eos ingratitudinis accuſat, quod Dei beneficiis tam iniquam mercedem rependant. Nec uno vel altero opere ſe de illis bene meritum eſſe commemorat, ſed plurimis in rebus ſe fuiſſe erga eos beneficum: deinde non erga ſe modo, ſed potius in Deum ingratos eſſe coarguit, quum ſe dicit Patris miniſtrum, qui ejus virtutem in medium protulerit, ut illis nota teſtataque foret. Nam quum dicit *Ex Patre*, ſignificat Deum fuiſſe auctorem. Summa eſt, Voluit Deus per me vobis innoteſcere, præclara beneficia vobis per manum meam largitus eſt: excutite me quantum voletis, nihil inter vos geſſi niſi laude & gratia dignum. neceſſe eſt igitur ut Dei dona in me nunc furioſe perſequi velitis. Interrogatio autem plus habet momenti ad pungendas eorum conſcientias quam ſi ſimpliciter aſſerendo loquutus eſſet.

33. *Non boni operis cauſa.*] Quamlibet aperte bellum cum Deo gerant impii, nunquam tamen ſine honeſto prætextu peccare volunt. Ergo dum inſaniunt adverſus Filium Dei, hac crudelitate nondum contenti ultro eum accuſant, ſeque Dei gloriæ patronos faciunt ac vindices. Quare neceſſe eſt ut bona conſcientia murus ſit nobis aheneus, quo probra & calumnias quibus impetimur, fortiter repellamus. Quocunque enim colore ſplendeat eorum malitia, & quicquid ignominiæ nobis ad rempus inurant, ſi pro cauſa Dei pugnamus, ille ſe minime abnegabit quin veritatem ſuam aſſerat. Sed quia nunquam impiis deſunt prætextus ad gravandos Dei ſervos, & ſimul accedit ferrea impudeotia, ut victi maledicere non deſinant: patientia & maoſuetudine opus eſt quæ nos in finem uſque ſuſtineat. *Blaſphemiæ* nomen, quod apud profanos ſcriptores generale eſt pro quovis convitio, Scriptura ad Deum refert, quum læditur ejus majeſtas & contumelia afficitur. *Quod tu, quum homo ſis.* Duæ ſunt blaſphemiæ *Duæ ſunt blaſphemiæ ſpecies.*
ſpecies: vel quum proprio honore ſpoliatur Deus, vel quum illi quippiam affingitur ejus natura indignum & alienum. Chriſtum ergo blaſphemum & ſacrilegum eſſe contendunt, quia mortalis homo divinum ſibi honorem uſurpet. Et vera erat hæc blaſphemiæ definitio, ſi nihil aliud quam homo fuiſſet Chriſtus: tantum in eo peccant quod divinitatem, quæ in miraculis conſpicua erat, cernere non dignantur.

34. *Nonne eſt ſcriptum.*] Objectum ſibi crimen diluit, non negando ſe Dei Filium, ſed tuendo recte hoc dictum eſſe. Quanquam reſponſum ſuum magis aptat perſonis quam rem ipſam penitus explicet. nam eorum malitiam refellere io præſentia ſatis habuit. Quo ſenſu vocaverit ſe Filium Dei, oblique inſinuat magis quam plane exprimat. Argumentum autem quo utitur, non à paribus ſumptum eſt, ſed à minori ad majus. Scriptura deos vocat quibus functionem honorificam Deus impoſuit: hoc ergo honoris titulo longe dignior eſt quem Deus ſegregavit ut ſupra alios omnes emineat. unde ſequitur, malignos & ſiniſtros eſſe interpretes qui prius illud admittunt,

in ſecundo autem arripiunt offenſionis cauſam. Teſtimonium quod citat Chriſtus, in Pſalmo 82. habetur, ubi expoſtulat Deus cum Regibus & Judicibus terræ qui imperio & potentia tyrannice ad ſuas libidines, ad opprimendos miſeros, & quodvis iniquum facinus abutuntur. Eaprobrat autem illis quod parum memores unde tantum dignitatis acceperint, nomen Dei profanent. Hoc Chriſtus ad præſentem cauſam accommodat, quod deorum nomine ornentur, quia ad regendum mundum Dei ſint miniſtri. Eadem ratione & Angelos Scriptura deos appellat, quia per illos Dei gloria mundum irradiat. Notanda eſt loquutio, *Ad quos ſermo Dei factus eſt.* intelligit enim Chriſtus certo Dei mandato eſſe inſtructos. Unde colligimus imperia non temere, neque hominum errore eſſe eaorta, ſed Dei arbitrio conſtituta eſſe: quia politicum ordinem vigere inter homines, jureque ac legibus nos gubernari velit. Qua ratione dicit Paulus, Deo rebelles eſſe quicunque poteſtati reſiſtunt: quia non ſit poteſtas niſi divinitus ordinata. Siquis objiciat, alias quoque vocationes eſſe à Deo, & illi probari, neque tamen propterea agricolas aut bubulcos aut ſutores vocari deos: reſpondeo non eſſe hoc generale, ut quicunque à Deo vocati ſunt ad certum aliquod vitæ genus, dii vocentur: ſed Chriſtum de Regibus loqui quos Deus in altiorem gradum eatulit, ut præſint atque excellant. In ſumma, ſciamus magiſtratus ideo eſſe deos quia imperium Deus illis mandavit. *Legis* nomine hoc loco Chriſtus totam doctrinam complectitur qua Deus veterem Eccleſiam gubernavit. Nam quia Prophetæ Legis duntaxat interpretes fuerunt, merito & Pſalmi cenſentur Legis acceſſio. *Scripturam non poſſe ſolvi*, perinde valet atque Scripturæ doctrinam eſſe inviolabilem.

Pſal. 82. verſ. 6.

Rom. 13. verſ. 1.

36. *Quem Pater ſanctificavit.*] Quædam eſt piis omnibus communis ſanctificatio. ſed hic Chriſtus aliquid longe præſtantius ſibi vendicat: nempe quod unus ab omnibus aliis ſegregatus fuerit in quo ſe virtus Spiritus, & Dei majeſtas eaereret: quemadmodum ſupra, ſe ab eodem Patre ſignatum eſſe dicebat. Cap. 6.
Proprie autem hoc ad Chriſti perſonam refertur, verſ. 27.
quatenus in carne manifeſtatus eſt. Itaque hæc duo conjuncta ſunt, quod ſanctificatus fuerit, & miſſus in mundum. ſed ſimul tenendum eſt quorſum & qua lege miſſus fuerit, ut ſcilicet ſalutem ex Deo afferret, atque omni ex parte probaret ſe ac præſtaret Dei Filium. *Vos dicitis blaſphemare.* Torquebant hunc locum olim Arriani, ut Chriſtum probarent non natura Deum eſſe, ſed quaſi precariam habere divinitatem. Sed facilis eſt hujus erroris refutatio: quia non diſputat hic Chriſtus quis in ſe ſit, ſed qualis ex miraculis in carne humana agnoſci debeat. Neque enim unquam apprehendi à nobis æterna ejus divinitas poterit niſi eum amplexi fuerimus quatenus à Patre exhibitus eſt Redemptor. Adhæc memoria tenendum eſt quod prius attigi, Chriſtum hoc loco non palam, neque diſerte (ut inter ſuos diſcipulos) teſtari quiſnam ſit: ſed magis inſiſtere in refellenda hoſtium ſuorum calumnia.

37. Si non facio opera Patris mei, ne mihi credatis.

38. Si autem facio, etiamſi mihi non credatis, operibus credite: ut cognoſcatis & credatis quod in me eſt Pater, & ego in eo.

39. Quærebant ergo eum rurſus apprehendere: & exivit ex manu eorum.

40. Et iterum abiit trans Jordanem in locum ubi Joannes primum baptizabat: & manſit illic.

41. Et multi venerunt ad eum, ac dicebant, Joannes quidem ſignum nullum fecit: quæcunque autem dixerat Joannes de eo, vera erant.

42. Et multi illic crediderunt in eum.

37. *Si non facio opera.*] Ne exciperent Judæi, fruſtra ab eo jactari ſanctificationem & quicquid inde pendebat, iterum inculcat ſua miracula, in quibus ſatis luculentum ediderat ſpecimen ſuæ divinitatis. Eſt autem conceſſionis ſpecies: acſi diceret, Nolo alia lege vos ad fidem mihi habendam obſtringi quam ſi res ipſa in medium prodeat: impune vobis liceat me rejicere niſi mihi Deus palam teſtimonium rediliderit. *Opera Patris* nominat, quæ vere divina erant, in quibus major potentia refulgebat quam ut poſſent homini aſcribi.

38. *Si autem facio opera Patris mei.*] Oſtendit eos impii & ſacrilegi contemptus teneri plane convictos, quia manifeſtis Dei operibus nihil honoris deferant. Eſt autem ſecunda conceſſio, quum dicit, Etiam ut de doctrina vobis dubitare permittam, ſaltem negare non licebit, quæ edidi miracula ex Deo eſſe: Deum itaque, non hominem ea profeſſo rejicitis. Cæterum quod fidem poſtponit ſcientiæ, quaſi ordine ſit inferior, ideo facit quod illi cum incredulis & præpoſteris hominibus negotium eſt, qui niſi experientia victi & coacti nunquam Deo cedunt. nam rebelles prius ſcire volunt quam credant. Et tamen nobis etiam eouſque indulget Deus ut operum ſuorum notitia ad fidem nos præparet. Verum cognitio Dei & arcanæ ejus ſapientiæ, fidem ordine ſequitur: quia fidei obedientia januam regni cælorum nobis reſerat. *In me eſt Pater.* Idem repetit quod ſupra aliis verbis diaerat, Ego & Pater unum ſumus. Huc tendunt omnia, quod in ſua adminiſtratione nihil à Patre diverſum habeat. *Pater* (inquit) *in me eſt.* hoc eſt, divina virtus ſe in me profert. *Et ego in Patre ſum.* hoc eſt, nihil ago niſi auſpiciis Dei, ita ut mutua ſit inter me & Patrem conjunctio. Neque enim hic de eſſentiæ unitate ſermo habetur: ſed de manifeſtatione divinæ potentiæ in Chriſti perſona unde conſtabat divinitus miſſum eſſe.

39. *Quærebant ergo eum apprehendere.*] Proculdubio ut eum ex templo extraherent ſtatim lapidandum: neque enim Chriſti verbis mitigatus erat eorum furor. Quod elapſum dicit *Ex eorum manu*, non aliter quam admirabili Dei virtute fieri potuit. quo monemur, nos malorum libidini minime eſſe eapoſitos, quam Deus, quoties ita viſum eſt, freno ſuo cohibet.

40. *Abiit trans Jord.*] Tranſiit Chriſtus ultra Jordanem, ne ſibi aſſidue non magno cum fructu pugnandum foret. Itaque exemplo ſuo docuit occaſione utendum eſſe. De loco receſſus vide capite 1. v. 28.

41. *Et multi venerunt ad eum.*] Concurſus hic oſtendit Chriſtum ſolitudinem minime quæſiiſſe ut ab officio deſiſteret: ſed ut ſacrarium Dei erigeret in deſerto, quum eum Hieroſolyma (quæ propria erat ejus ſedes) obſtinate repuliſſet. Et ſane hæc horribilis fuit Dei ultio, quod quum templum à Deo electum ſpelunca latronum eſſet, Eccleſia Dei in loco ignobili collecta fuit. *Joannes quidem.* Colligunt Chriſtum Joanne præſtantiorem eſſe, quia tot miraculis ſit inſignis, quum Joannes nullum miraculum edidiſſet. non quod ſemper judicium ex miraculis fieri debeat, ſed quod miracula doctrinæ adjuncta non leve pondus habeant: ſicuti jam aliquoties dictum eſt. Porro oratio hæc defectiva eſt: comparant enim Chriſtum cum Joanne, ſed tantum alterum membrum exprimunt. Deinde pro confeſſo ſumunt Joannem ſummum fuiſſe Dei Prophetam, & ſingu-

lari

lari Spiritus gratia prædítum. Scite ergo ratiocinantur, Chriſtum Joanoi præferendum eſſe, quia hoc nonniſi certa Dei providentia factum fuerit ut Joannes, maximus alioqui Propheta, nullo tamen miraculo commendatus eſſet: unde conficitur, rationem Chriſti in eo fuiſſe habitam, ut pluris fieret. *Quæcunqae autem dixerat.* Non videtur hoc ab illis dictum, ſed ab Euangeliſta additum eſſe, ut doceret duplici argumento eos fuiſſa adductos ut in Chriſtum crederent: quia reipſa videbant verum eſſe teſtimonium quod ei Joannes reddiderat, & plus illi dignitatis conciliabant miracula.

CAP. XI.

ÆGrotabat autem quidam nomine Lazarus, à Bethania caſtello Mariæ & Marthæ hujus ſororis.
Mat. 26. verſ. 7. Infra 12.2 2. Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, & abſterſit pedes ejus capillis ſuis: cujus frater Lazarus ægrotabat.
3. Miſerunt ergo ſorores ad ipſum, dicentes, Domine, ecce, quem amas, ægrotat.
4. Jeſus autem hoc audito, dixit, Hæc infirmitas non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per ipſam.
5. Diligebat autem Jeſus Martham, & ſororem ejus, & Lazarum.
6. Poſtquam ergo audivit eum ægrotare, tunc manſit in loco ubi erat, duos dies:
7. Deinde poſt hoc dicit diſcipulis, Eamus in Judæam iterum.
8. Dicunt ei diſcipuli, Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare, & rurſum vadis illue?
9. Reſpondit Jeſus, Nonne duodecim ſunt horæ diei? ſiquis interdiu ambulet, non offendit: quia lumen mundi hujus videt.
10. Siquis autem ambulet noctu, offendit: quia lumen non eſt illi.

1. *Ægrotabat autem quidam.*] Tranſit ad aliam hiſtoriam Euangeliſta, quæ miraculum continet in primis memorabile. Præterquam enim quod Chriſtus in ſuſcitando Lazaro ſingulare divinæ virtutis ſpecimen edidit, ſimul vivam imaginem aote oculos poſuit futuræ noſtræ reſurrectionis. & fuit hic quaſi poſtremus actus & clauſula: jam enim mortis tempus appropinquabat. Noo mirum igitur ſi præcipue gloriam ſuam in eo opere illuſtraverit, cujus memoriam ſuorum animis volebat maxime infixam eſſe, ut quædam eſſet ſuperiorum omnium obſignatio. Alios Chriſtus mortuos ſuſcitaverat: ſed nunc in putrido cadavere potentiam ſuam exerit. Verum circumſtantiæ, quæ ad celebrandam in hoc miraculo Dei gloriam faciont, ſuo loco & ordine notabuntur. Quod Lazarum Bethanienſem ex *caſtello Mariæ ac Marthæ* fuiſſe dicit, probabile eſt fuiſſe expreſſum quia obſcurior inter fideles Lazari fama erat quam ſororum. Nam ſanctæ iſtæ mulieres Chriſtum hoſpitio excipere ſolebant, quemadmodum ex Luca apparet. *Luc. 10. verſ. 38.* Nimis craſſa hallucinatio fuit quod Monachi & ſimiles rabulæ ſub Papatu ex *caſtello* (id eſt, oppidulo vel pago) arcem fecerunt. Ejuſdem etiam inſcitiæ eſt quod Mariam hanc Lazari ſororem, finguut infamem illam & probroſæ vitæ mulierem fuiſſe, cujus meminit Lucas cap. 7. *Luc. 7. verſ. 37.* Errori cauſam unctio præbuir: quaſi vero non ſatis conſtet ſæpius unctum fuiſſe Chriſtum, & quidem diverſis in locis. Mulier peccatrix de qua narrat Lucas, Hieroſolymis, ubi degebat, Chriſtum unxit: Maria autem Bethaniæ idem poſtea fecit in ſuo pago. Præteritum vero tempus quo uſus eſt Euangeliſta, *Unxit*, non ad tempus rei geſtæ de qua nunc agitur, referri debet, ſed ad tempus quo ſcribebat. acſi diceret, Hæc eſt Maria quæ poſtea unguentum effudit, cujus cauſa exortum eſt murmur inter diſcipulos.

3. *Ecce, quem amas, ægrotat.*] Brevis nuncius: ſed unde Chriſtus facile colligere poterat quidnam duæ ſorores vellent. nam ſub hac querimooia verecunde preces ſuas inſinuant, ut opem ferre velit. Non prohibemur quidem à longiore precandi forma: hæc tamen ſumma eſt, curas noſtras, & quicquid nos malorum angit, in Dei ſinum conjicere, ut remedium afferat. Sic & cum Chriſto agunt iſtæ mulieres: malum illi ſuum familiariter exponunt, ac inde levationem ſperant. Notandum etiam quod impetrandi auxilii fiduciam concipiunt ex Chriſti amore. atque hæc perpetua eſt rite orandi regula: ubi enim amor Dei, illic certa eſt & præſens ſalus: quia non amat, & deſerit.

4. *Jeſus autem hoc audito.*] Voluit hoc reſponſo curam diſcipulis eximere, ne ipſos male haberet quod tam ſecurum in amici periculo cetnerent. Ergo ne anxii ſint interea de vita Lazari, morbum negat lethalem eſſe: quin potius novam ſibi gloriæ materiam fore promittit. Porro tametſi mortuus eſt Lazarus, quia tamen paulo poſt vitæ eum reſtituit Chriſtus, hunc exitum reſpiciens, morbum dicit noo eſſe ad mortem. Alterum membrum *Pro gloria Dei*, non ira opponitur quaſi hoc perpetuum ſit argumentum. Scimus enim, etiam dum pereunt reprobi, non mious in eorum interitu conſpicuam refulgere Dei gloriam quam in piorum ſalute. Sed Chriſtus proprie hoc loco Dei gloriam notavit quæ cum officio ſuo conjuncta erat. Porro in Chriſti miraculis non formidoloſa Dei potentia, ſed benefica ſuaviſque apparuit. Ergo quum mortis periculum eſſe negat, ubi ſuam & Patris gloriam vult manifeſtare, reputandum eſt quorſum & in quem finem à Patre miſſus ſit: nempe ut ſervet, non ut perdat. Magnum etiam pondus habet hæc loquutio, *Pro Dei gloria, ut glorificetur Filius Dei.* Inde enim colligimus Deum in Filii ſui perſona ſic velle agnoſci, ut quicquid ſibi honoris haberi poſtulat, Filio tribuatur. Ideo habuimus ſupra capite 5. v. 23. Qui non honorat Filium, neque Patrem honorat. Quare fruſtra Turcæ & Judæi, quum ſint in Chriſtum contumelioſi, ſe Deum colere obtendunt: imo Deum à ſeipſo divellere hoc modo conantur.

5. *Diligebat autem Jeſus Martham.*] Videntur in ſpeciem hæc pugnare, quod biduum maneat Chriſtus trans Jordanem, quaſi Lazari vitam negligens: & tamen ipſum ac ſorores amare dicatur. Nam quum ſollicitudinem amor gignat, ſtatim accurrere debuit. Porro quum Chriſtus unicum ſit divinæ gratiæ ſpeculum, docemur hac ejus mora non æſtimandum eſſe nobis amorem Dei à præſenti rerum ſtatu. Rogatus, ſæpe auxilium ſuum differt, vel ut orandi ardorem magis acuat, vel ut patientiam noſtram exerceat, ſimulque aſſuefaciat ad obſequium. Sic ergo Dei opem fideles implorent ut ſimul diſcant vota ſua ſuſpendere, ſiquando tardius quam videtur neceſſitas poſtulare, manum ſuam ad ipſos juvandos proferat. Nam utcunque ceſſet, nunquam tamen dormit, nec ſuorum obliviſcitur. Interea certo ſimus perſuaſi, ipſum, quoſcunque diligit, velle ſalvos eſſe.

7. *Deinde poſt hoc dicit.*] Nunc tandem ſe curam Lazari habuiſſe demonſtrat, quum putarens diſcipuli ipſum eſſe oblitum, vel ſaltem Lazari vitam

aliis

aliis rebus poſthabere. Hortatur ergo eos ut trajecto Jordane Judæam petant.

8. *Rabbi, nunc quærebant.*] Quod eum abſterrent diſcipuli, non tam fortaſſe ejus cauſa faciunt quam ſui reſpectu, quod ſibi quiſque timeat: ſicuti commune erat omnibus periculum. Ergo quum crucem ſubterfugiant, idque fateri pudeat: quod magis eſt ſpecioſum, ſe pro magiſtro ſollicitos eſſe obtendunt. Idem quotidie permultis accidit: nam qui ab officio declinant crucis metu, multiplices hinc inde prætextus ſibi accerſunt ad obtegendam ſuam mollitiem, ne videantur abſque juſta cauſa Deum fraudare debito obſequio.

9. *Nonne duodecim ſunt.*] Varie expoſitus fuit hic locus. Quod putarunt nonnulli doceri his verbis mutabiles eſſe hominum animos, ut ſingulis interdum horis novum ac diverſum conſilium capiant, nimis remotum eſt à Chriſti mente: nec ſane referre dignatus eſſem niſi quia in vulgare proverbium ceſſit. Ergo genuino & ſimplici ſenſu contenti ſimus. Primum ſimilitudinem mutuatur Chriſtus à nocte & die. nam ſiquis in tenebris iter faciat, non mirum ſi ſubinde impingat, vel erret, vel labatur: at lux Solis interdiu viam monſtrat, nequid ſit periculi. Vocatio autem Dei inſtar lucis diurnæ eſt, quæ nos errare vel impingere non patitur. Quiſquis ergo Dei verbo obtemperat, nec quicquam aggreditur niſi ejus juſſu, illum quoque habet è cælo ducem ac directorem, & hac fiducia ſecure & intrepide viam ar-
Pſal. 91. ripere poteſt: nam (ut habetur Pſalmo 91.) Quiſ-
verſ. 11. quis in viis ſuis ambulat, Angelos habet cuſtodes, & eorum ductu tutus eſt, ne ad lapidem pes ejus offendat. Chriſtus ergo hoc præſidio fretus animoſe pergit in Judæam, lapidationem non metuens: quia nullum ſit errandi periculum ubi Deus Solis officium faciens nobis prælucet, curſumque noſtrum moderatur. His verbis docemur, quoties homo propriis conſiliis ſine Dei vocatione ſe permittit, totam ejus vitam nihil quam vanum & erroneum eſſe curſum: & qui maxime ſibi ſapere videntur, ubi os Dei non interrogant, ac Spiritum ejus non habent actionum omnium præſidem, cæcos eſſe in tenebris palantes: unam hanc eſſe rectam viam, ſi vocationis divinæ probe nobis conſcii, præeuntem ſemper habemus Deum. Hanc bene inſtituendæ vitæ regulam ſequitur certa fiducia proſperi ſucceſſus: quia fieri non poteſt quin feliciter gubernet Deus. Atque hæc cognitio pluſquam neceſſaria nobis eſt: vix enim pedem ad ſequendum eum movere poſſunt fideles, quin mille ſtatim obſtacula ingerat Satan, varia hinc inde diſcrimina oſtentet, modiſque omnibus viam obſtruere machinetur. Atqui ubi Dominus tanquam accenſa luce ſua nos ad pergendum invitat, magno animo pergendum eſt, etiamſi multæ mortes iter obſideant: quia nunquam nos progredi jubet, quin addita ſimul promiſſione animet, ut certo ſtatuamus bene & feliciter nobis ceſſurum quicquid ex ejus mandato ſuſcipimus. Hic currus eſt noſter, in quem quiſquis ſe recipiet, laſſitudine nunquam deficiet: imo ſi magis ardua ſint obſtacula quam ut per ipſa curru vehamur, his tamen alis inſtructi, ſemper reperiemus exitum, donec ad metam perventum fuerit: non quod fidelibus nihil adverſi accidat, ſed quia res adverſæ illis adjumenta ſunt in ſalutem. Summa eſt, intentos ſemper oculos Dei fore in eorum cuſtodiam qui ad ejus nutum intenti erunt. Hinc rurſum colligimus, quoties homines neglecto & præterito Dei verbo ſibi temere indulgent, & quod adlubeſcit ſuſcipiunt: totum vitæ eorum curſum maledictum eſſe à Domino, ſemperque eorum audaciæ cæcæque libidini paratam eſſe vindictam. Diem autem hic Chriſtus ex more antiquo in duodecim horas partitur. Quamvis enim æſtate ac hyeme dies varient, ſemper tamen diurnas horas duodecim, & totidem nocturnas habebant.

11. Hæc loquutus eſt. & poſt hoc dicit illis, Lazarus amicus noſter dormit: ſed vado ut expergefaciam eum.
12. Dixerunt ergo diſcipuli ejus, Domine, ſi dormit, ſalvus erit.
13. Dicebat autem Jeſus de morte ejus: illi autem putabant de dormitione ſomni eum dicere.
14. Tunc ergo palam dixit illis Jeſus, Lazarus mortuus eſt:
15. Et gaudeo propter vos, quod non fuerim illic, ut credatis. Sed eamus ad eum.
16. Tunc Thomas, cognomine Didymus, dixit condiſcipulis, Eamus & nos, ut moriamur cum illo.
17. Venit itaque Jeſus, & invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem.

11. *Amicus noſter dormit.*] Quia prius negaverat lethalem eſſe morbum, ne re inopinata nimis turbentur diſcipuli, nunc ſimul mortuum eſſe indicat, & ſpem reſurrectionis facit. Mira autem eorum ruditas, quod dictum Chriſti de ſomno accipiunt. Etſi enim metaphorica eſt loquutio, adeo tamen frequens ac trita eſt in Scripturis, ut Judæis omnibus familiariter nota eſſe debuerit.

12. *Si dormit, ſalvus eſt.*] Quum ſomnum Lazaro ſalubrem eſſe excipiunt, ita oblique ſtudent dehortari Chriſtum ne illuc ſe conferat. Neque tamen aſtute in ſuum commodum deflectunt Chriſti ſermonem: ſed quia de ſomno loquutum putabant, libenter hanc fugiendi periculi occaſionem arripiunt. Auguſtinus & multi poſt eum argute philoſophantur in verbo Dormiendi: nempe ideo transferri ad mortem quia Deo tam facile ſit excitare mortuos in vitam, quam facile ſolemus nos expergefacere qui dormiunt. Sed nihil tale veniſſe Chriſto in mentem, ex perpetuo Scripturæ uſu colligere licet. Imo quum hæc eadem translatio profanis quoque ſcriptoribus trita ſit, certum eſt non alia ratione veniſſe in uſum niſi quia ſine ſenſu jacet exanime cadaver, ſicuti & ſopitum hominis corpus: unde & ſomnus non inepte vocatur mortis imago, & apud Homerum κασίγνητος θανάτοιο. Porro quum hoc nomine corporum duntaxat notetur dormitio, nimis inſulſe fanatici quidam ad animas trahunt, acſi intelligentia privatæ, morti ſubjacerent. Porro Chriſtus ſuam potentiam in eo commendat quod ſe venturum dicit ut Lazarum excitet. Etſi enim, ut dictum eſt, in verbo Dormiendi non exprimitur reſurrectionis facilitas, Chriſtus tamen dominum ſe mortis oſtendit, quum ſe expergefacere dicit quos reſtituit in vitam.

14. *Tunc ergo dixit palam illis.*] Inſignis Chriſti bonitas, quod tantam in diſcipulis craſſitiem ferre potuit. Et certe ideo diſtulit ad tempus ampliore Spiritus gratia eos donare, ut momento renovati majus eſſet miraculum. Quum dicit, *Et gaudeo propter vos*, ſignificat ſuam abſentiam illis fuiſſe utilem, quod obſcurior fuiſſet ejus virtus ſi protinus opem Lazaro tuliſſet: nam quo propius ad ordinariam naturæ rationem accedunt Dei opera, eo magis vileſcunt, ac minus eſt illuſtris eorum gloria. idque quotidie experimur. Nam ſi ſtatim manum porrigit, opem ejus non apprehendimus. Ergo ut Lazari reſurrectionem vere divinum eſſe opus agnoſcerent

diſci-

diſcipuli, eam differri oportuit, ut longiſſime ab bumaoo remedio abeſſet. Cæterum memoria repetendum eſt quod prius attigi, paternam Dei erga nos indulgentiam bic repræſentari io Cbriſti perſona. Quum ergo nos Deus malis obrutos languere diu ſinit, ſciamus eum ita ſaluti noſtræ conſulere. Nos quidem tunc anxii triſteſque gemimus, ſed Dominus bono noſtro gaudet. ac duplex ejus bumanitas refulget in bac parte, quod noo tantum vitiis noſtris ignoſcit, ſed lætus rationes invenit quibus ea corrigit. *Ut credatis.* Non intelligit hoc primum in illis fuiſſe fidei rudimentum, ſed inchoatæ jam fidei confirmationem, quum adhuc perquam exigua eſſet ac debilis. Interea ſubindicat, niſi palam exerta fuiſſet Dei manus, ipſos non fuiſſe credituros.

16. *Tunc Thomas.*] Hactenus Chriſtum retrahero conati ſunt diſcipuli: nunc ſequi paratus eſt Thomas, ſed abſque fiducia: ſaltem promiſſione Cbriſti ſe non munit, ut bilaris ac tranquillus eum ſequatur. Hæc enim vox deſperationis eſt, *Eamus ut moriamur:* quum eos de vita certos deceret eſſe. Porro relativum *illo* tam de Lazaro quam de Chriſto poteſt exponi. verum ſi de Lazaro exponas, ironia erit: acſi dictum eſſet, Quid proderit illuc venire? niſi forte non poſſumus aliter amicorum officio defungi niſi ut mortem ſimul oppetamus. Magis tamen alter ſenſus mihi probatur, quod Tbomas non recuſet cum Chriſto mori. Sed hoc, quemadmodum dixi, ex inconſiderato zelo manat: quia animum potius ex fide promiſſionis colligere debuit.

18. Erat autem Bethania propinqua Hieroſolymæ, ſtadiis fere quindecim.
19. Et multi ex Judæis venerant ad Martham & Mariam, ut eas de fratre ſuo conſolarentur.
20. Martha igitur quum audiſſet quod Jeſus veniret, obviam illi venit: Maria autem domi ſedebat.
21. Dixit ergo Martha ad Jeſum, Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus.
22. Sed & nunc ſcio quod quæcunque petieris à Deo, dabit tibi Deus.
23. Dicit ei Jeſus, Reſurget frater tuus.
24. Dicit ei Martha, Scio quod reſurget in reſurrectione in noviſſimo die.
25. Dixit ei Jeſus, Ego ſum reſurrectio & vita: qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet.
26. Et omnis qui vivit, & credit in me, non morietur unquam. Credis hoc?
27. Dicit ei, Certe Domine: ego credo quod tu es Chriſtus Filius Dei, qui in mundum venturus erat.

18. *Erat autem Betbania.*] Sedulo perſequitur Euangeliſta quæ ad biſtoriæ certitudinem faciunt. quam vicina eſſet Hieroſolyma caſtello Bethaniæ refert, oecui mirum ſit multos illinc ex amicis ad conſolandas ſorores veniſſe, quos miraculi teſtes Deus eſſe voluit. Nam etſi humanitatis officio adducti fueraot, arcano tamen Dei conſilio in alium finem illuc fuerant collecti, ne obſcura eſſet Lazari reſurrectio, vel domeſticos tantum haberet teſtes. Hic autem maligna gentis ingratitudo convincitur, quod hoc tam luculentum divinæ virtutis ſpecimen io loco celebri, in multa bominum frequentia, & prope urbis portas (quaſi in theatro) editum, ſtatim ex omoium oculis evaneſcit. Imo Judæi oculos maligne claudendo, data opera non viderunt quod ſub oculis erat. Nec vero novum eſt vel rarum ut bomines qui nimis cupide ſemper miraculis iohiant, ad eorum conſiderationem prorſus ſint bebetes ac ſtupidi. Diſtantia locorum quæ ootatur, minor duobus paſſuum millibus fuit. Stadium enim pedes ſexcentos, boc eſt, centum & viginti quinque paſſus continet.

19. *Ut eas de fratre ſuo conſolarentur.*] Hoc quidem ſpectabant illi: at Deus aliud, quemadmodum dictum eſt. Porro inde apparet domum Lazari & ſororum plenam fuiſſe dignitatis, & honorifice cultam.. Cæterum quia naturale eſt ut luctum & mœrorem bominibus mors ſuorum afferat, non improbandum eſt boc officium cujus meminit Euangeliſta: niſi quod vitioſus exceſſus, ut in aliis vitæ partibus, bic quoque regnans, rem per ſe non vitioſam corrumpit.

20. *Martha igitur quum audiſſet.*] Egreditur Martha extra pagum, ut poſtea videbimus, non tantum fortaſſis reverentiæ cauſa, ſed ut ipſum occultius exciperet: quia recens erat memoria periculi, necdum bene quieverat hoſtium rabies, quæ Cbriſti in Galilæam tranſitu paululum ſedata, audito ejus adventu violentius de integro erumpere poterat.

21. *Domine ſi fuiſſes bic.*] Incipit à querimonia: quanquam hoc modo verecunde ſignificat quid velit. Perinde enim eſt acſi diceret, Poteras tua præſentia fratrem meum eripere à morte, imo nuoc etiam potes: quia nihil tibi negabit Deus. Sic autem loquendo, magis affectui ſuo indulget quam ſe contioeat ſub fidei regula. Hæc quidem verba partim ex fide profecta eſſe fateor: ſed dico permiſtos fuiſſe incompoſitos affectus, qui eam ultra metas abriperent. Nam quod fratrem ſuum non fuiſſe moriturum ſibi promittit ſi adfuiſſet Chriſtus, unde illi hæc fiducia? Certe non concepta erat ex aliqua Chriſti promiſſione. reſtat igitur ut temere ſuis votis potius obſequatur quam ſe Chriſto ſubjiciat. Fidei eſt quod Cbriſto potentiam tribuit, ſummamque bonitatem: quod autem ſibi plus perſuadet quam à Chriſto audierat, id eſt à fide alienum. Tenendus enim ſemper eſt mutuus inter verbum & fidem conſenſus, nequid ſibi temere præter Dei verbum bomo fabricet. Adde quod in præſentia Chriſti corporali nimis hærebat Martha. Ergo fides Marthæ immoderatis votis permiſta & implicita, ſuperſtitione etiam non omnino vacua, pleno fulgore elucere non potuit: ita tantum ejus ſcintillæ in bis verbis emicant.

23. *Reſurget frater tuus.*] Mira Cbriſti comitas, quod Marthæ in iis quæ diximus vitiis ignoſcens, plus illi ultro promittit quam præciſe & aperte petere auſa fuerat.

24. *Scio quod reſurget.*] Jam vero bic oimia Marthæ timiditas ſe prodir, quod Chriſti dictum extenuat. Diximus nuper, longius quam par erat fuiſſe progreſſam, quum ſibi ex proprio animi ſui ſenſu ſpem fingeret: nunc in contrarium vitium labitur, quod Chriſto maoum tendeote quaſi trepidans ſubſiſtit. Quare utrumque nobis cavendum eſt, ne Dei verbo deſtituti, ſpes evanidas bioc inde quaſi ventum hauriamus: rurſum oe Dominus os ſuum aperiens, corda noſtra vel occluſa vel nimis anguſte reſtricta inveniat. Cæterum boc reſpooſo amplius aliquid elicere Martba voluit quam ſperare audebat ex Chriſti verbis. acſi diceret, Si de ultima reſurrectiono intelligis, nibil dubito quin excitandus ſit frater meus extremo die, & hac fiducia me conſolor: ſed neſcio an majus aliquid mibi ſignifices.

25. *Ego ſum reſurrectio & vita.*] Primum affirmat

mat Chriſtus ſe reſurrectionem & vitam eſſe: deinde utrumque ejus ſententiæ membrum ſeorſum & diſtincte exponit. Reſurrectionem priore loco ſe nominat: quia ordine prior eſt reſtitutio à morte in vitam quam vitæ ſtatus. Atqui totum genus bumanum io morte demerſum eſt. Nemo itaque vitæ compos erit niſi qui prius reſurrexerit à morte. Ita Chriſtus ſe vitæ initium eſſe docet: poſtea autem ſubjicit vitæ quoque perpetuitatem ſuæ gratiæ opus eſſe. Porro de ſpirituali vita eum loqui, clare demonſtrat expoſitio quæ mox ſequitur, *Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet.* Quare ergo Cbriſtus reſurrectio eſt? Quia filios Adæ, qui à Deo alienati erant per peccatum, Spiritu ſuo regenerat, ut novam vitam vivere incipiant. qua de re fuſius diſſerui ſuprà, capite 5. v. 21. & 24. & Paulus ad Epbeſios optimus eſt bujus loci interpres. Eant nunc qui naturæ motu præparari homines garriunt ad recipiendam Dei gratiam. Perinde eſt acſi dicerent mortuos ambulare. Nam quod vivunt homines ac ſpirant, ſenſu, intelligentia & voluntate præditi ſunt, id totum ad interitum tendit: quia nulla animæ pars eſt vel facultas quæ non corrupta ſit, & à rectitudine averſa. Ita fit ut mors ubique regnum occupet. Nam mors animæ, alienatio eſt à Deo. Ergo qui in Chriſtum credunt, quum prius mortui eſſent, incipiunt vivere: quia fides ſpiritualis eſt animæ reſurrectio, & animam ipſam quodammodo animat, ut vivat
Supr. 5. 25. Deo, ſecundum illud, Mortui audient vocem Filii Dei: & qui audierint, vivent. Præclarum ſane fidei elogium, quod Chriſti vitam in nos transfundens à morte liberat.

26 *Et omnis qui vivit, & credit in me.*] Secundi membri expoſitio: nempe quomodo Chriſtus vita ſit: quia vitam, quam ſemel contulit, nunquam excidere patitur, ſed ad finem uſque conſervat. Quid enim in tanta carnis fragilitate bominibus fieret, ſi vitam ſemel adepti, poſtea ſibi relinquerentur? Ergo continuum vitæ ſtatum in ejuſdem Cbriſti virtute fundatum eſſe oportet, ut quod cœpit perficiat. Fideles autem ideo dicuntur nunquam mori quia eorum animæ incorruptibili ſemine renatæ, Spiritum Cbriſti in ſe manentem habent, quo aſſidue vegetantur. Nam etſi corpus morti obnoxium eſt propter peccatum, Spiritus tamen ille vita eſt propter juſtitiam, Rom. 8: 10. Quod autem exterior bomo quotidie in illis corrumpitur, adeò nihil inde veræ ipſorum vitæ decedit, ut ejus progreſſus adjuvet: quia interior bomo renovatur de die in diem. Imo 2.Cor. 4.
ipſa mors quædam illis à mortis ſervitute manumiſſio 16.
eſt. *Credis boc?* Videtur prima ſpecie Cbriſtus ideo de ſpirituali vita diſſerere ut à præſenti deſiderio Marthæ animum abducat. Optabat Martba reſtitui fratri ſuo vitam: excipit Cbriſtus, ſe vitæ præſtantioris eſſe auctorem: quia ſcilicet cæleſti virtute fidelium animas vivificet. Cæterum non dubito quin duplicem gratiam complecti voluerit. generaliter ergo ſpiritualem vitam commendat, quam ſuis omnibus confert: ſed inde guſtum præbere vult hujus virtutis quam mox in ſuſcitando Lazaro oſtenſurus erat.

27. *Certe Domine.*] Ut probet Martba ſe credere de Cbriſto quod audierat, ipſum eſſe reſurrectionem & vitam, reſpondet ſe credere ipſum eſſe Cbriſtum, & Filium Dei: ut certe bæc cognitio ſummam bonorum omnium in ſe comprehendit. Tenendum enim ſemper eſt quorſum promiſſus eſſet Meſſias, & quod illi officium tribuant Propbetæ. Quum autem eum eſſe Martha confitetur qui venturus erat, fidem ſuam confirmat Prophetarum vaticiniis. Unde ſequitur plenam rerum omnium inſtaurationem & ſolidam felicitatem ab eo ſperandam eſſe: denique miſſum eſſe ut verum & abſolutum regni Dei ſtatum erigat & componat.

28. Quum hæc dixiſſet, abiit, & vocavit Mariam ſororem ſuam ſecreto, dicens, Magiſter adeſt, & vocat te.

29. Illa ſimulatque audivit, ſurgit confeſtim, & venit ad eum.

30. Nondum autem venerat Jeſus in caſtellum: ſed erat in loco ubi occurrerat ei Martha.

31. Judæi ergo qui erant cum ea domi, & conſolabantur eam, videntes quod Maria ſubito ſurrexiſſet, & exiſſet, ſequuti ſunt eam dicentes, Vadit ad monumentum ut ploret illic.

32. Maria ergo poſtquam venit ubi erat Jeſus, quum vidiſſet eum, cecidit ad ejus pedes dicens ei, Domine, ſi fuiſſes hic, non fuiſſet mortuus frater meus.

33. Jeſus ergo ut vidit eam flentem, & Judæos qui convenerant cum ea flentes, infremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſum:

34. Et dixit, Ubi poſuiſtis eum? Dicunt ei, Domine, veni, & vide.

35. Lachrymatus eſt Jeſus.

36. Dicebant ergo Judæi, Ecce quomodo amabat eum.

37. Quidam autem ex illis dixerunt, Non poterat hic qui aperuit oculos cæci, facere ut etiam hic non moreretur?

38. Jeſus ergo rurſus fremens in ſeipſo, venit ad monumentum: erat autem ſpelunca, & lapis poſitus ſuper eam.

28. *Vocavit ſororem ſuam.*] Probabile eſt Cbriſtum Martbæ rogatu extra pagum ſubſtitiſſe, ne in tantam hominum frequentiam prodiret. timebat enim periculum, quod nuper è media morte vix elapſus eſſet Cbriſtus. Ideo, ne longius ſpargeretur fama de illius adventu, clam ſorori ſuæ indicat. *Magiſter adeſt.* Nomen *Magiſtri* oſtendit quo loco inter pias iſtas matronas habitus fuerit Cbriſtus. Quanquam autem minus adhuc profecerant quam decebat, boc tamen jam erat magnum quod ſe illi diſcipulas prorſus addixerant. Et ſubitus Mariæ diſceſſus ut in ejus occurſum veniat, non vulgaris reverentiæ teſtis eſt.

31. *Judæi ergo qui erant cum ea.*] Tametſi Chriſti permiſſu Martba domum reverſa erat ut ſubduceret è turba ſororem, aliud tamen conſilium Chriſti fuit, ut Judæos ſcilicet haberet miraculi teſtes. Hoc quidem illi minime cogitant: ſed novum non fuit bomines quaſi in tenebris, arcana Dei providentia, quo nequaquam tendebant deduci. Mariam ad ſepulchrum pergere eaiſtimant, ea eorum more qui luctus ſui irritamenta quærunt. Regnat enim vulgo hic morbus, ut mariti uaoribus vidui, parentes orbi liberis, & viciſſim maritis uxores, & liberi parentibus privati, vel cognatis vel amicis, dolorem ſuum ambitioſe quibus poſſunt modis augeant. & ſolenne

eſt varia artificia io bunc finem cooquiri. Ita ſcilicet quum jam inordinati ſint hominum affectus, novis ſtimulis eos excitant, quo vehementius ac majore impetu contra Deum ferantur. Porro iſtorum officium erat Mariam retrahete, ne ex ſepulchri aſpectu luctus materiam colligeret: verum tam acre remedium adbibere non audent, ſed fovent ipſi quoque intemperantiam doloris, comites ſe præbendo. Ita ſæpe accidit ut parum valeant eorum conſolationes qui ſuis amicis nimium blande indulgent.

32. *Accidit ad pedes ejus.*] Quod procidit ad ejus pedes, inde colligimus ultra communem hominum modum in illa domo cultum fuiſſe. Nam etſi coram regibus & principibus viris ſolebant ſe in terram proſternere: quia tamen nibil habebat ſecundum carnem Cbriſtus io ſe regale aut magnificum, alium in finem procidit Maria ad ejus pedes. Nec vero id erat factura niſi perſuaſa fuiſſet Dei eſſe Filium. *Domine, ſi fuiſſes bic.* Quanquam honorifice in ſpeciem videtur de Chriſto loqui, quid tamen in his verbis vitioſum ſit nuper oſtenſum eſt. Neque enim Cbriſti virtus, quæ cælum & terram replebat, reſtringi ad corporalem ejus præſentiam debuit.

33. *Infremuit ſpiritu.*] Niſi condoluiſſet Cbriſtus illorum lachrymis, ſtetiſſet potius vultu rigido: quum autem ſponte ſe illis conformat uſque ad fletum, συμπάθειαν teſtatur. Cauſam enim talis affectus, meo judicio, exprimit Euangeliſta, quum dicit vidiſſe Mariam & reliquos flentes. Quamvis non dubitem altius eum ſpectaſſe, nempe ad communem generis humani miſeriam. Tenebat enim quid ſibi mandatum eſſet à Patre, & quorſum in mundum miſſus eſſet: nempe ut nos eximeret malis omnibus. Hoc ut opere ipſo præſtitit, ſic oſtendere voluit ſerio animi affectu ſe præſtare. Ergo Lazarum ſuſcitaturus, aotequam remedium opemque afferat, fremitu ſpiritus, arcto doloris ſenſo & lachrymis teſtatur malis noſtris perinde ſe affici acſi ea in ſe pateretur. Sed quomodo fremitus & perturbatio in perſonam Filii Dei competunt? Quia videtur quibuſdam abſurdum eſſe ſi Cbriſtum dicamus tanquam unum aliquem ex hominum numero fuiſſe humanis paſſionibus ſubjectum, non aliter exiſtimant vel doluiſſe, vel gaviſum eſſe, niſi quia affectus iſtos quoties viſum eſt, arcana quadam diſpenſatione in ſe recipit. In hanc ſententiam Auguſtinus ab Euangeliſta dictum putat quod turbaverit ſeipſum: quum alios rapiant ſui affectus, regnumque vel potius tyrannidem ad turbandas eorum mentes exerceant. Senſum ergo eſſe putat, quod Chriſtus, alioqui ſedatus, & ab omni paſſione immunis, fremitum & dolorem ultro accerſiverit. Atqui, meo judicio, magis conſentanea erit Scripturæ hæc ſimplicitas, ſi dicamus Filium Dei, quum carnem noſtram induit, ſponte etiam bumanos ſimul affectus induiſſe, ut nibil à fratribus, excepto tantum peccato, differret. Hoc modo nihil derogatur Cbriſti gloriæ, quum voluntaria tantum dicitur fuiſſe ſubmiſſio, qua factum eſt ut in animæ affectibus nobis ſimilis eſſet. Cæterum poſtquam ab initio ſe ſubmiſit, non putandum eſt ab illis vacuum fuiſſe & immunem. atque in eo fratrem ſe noſtrum probavit, ut ſciamus Mediatorem nobis eſſe qui infirmitatibus noſtris facile ignoſcat, & ſuccurrere paratus ſit, quas ipſe in ſe expertus eſt. Siquis excipiat, quum vitioſæ ſint hominum paſſiones, non congruere ut Filio Dei communes ſint nobiſcum: reſpondeo, inter nos & Chriſtum longam eſſe diſtantiam. ideo enim vitioſi ſunt noſtri affectus quia intemperanter ruunt, nec modum ullum tenent: in Chriſto autem, quia compoſiti fuerunt in Dei obſequium & moderati, vitio prorſus carebant. Imo dupliciter vitioſi ſunt ac perverſi hominum affectus: primum quia turbulento motu feruntur, nec ad veram modeſtiæ regulam ordinati ſuot: deinde quia non ſemper oriuntur ex legitima cauſa, vel ſaltem non referuotur ad finem legitimum. Intemperiem eſſe dico: quia nemo gaudet vel triſtatur quantum ſatis eſt, & quaotum Deus permittit. Multi etiam frenum potius excutiunt. Facit etiam mentis noſtræ vanitas ut doleamus vel triſtemur ob res nihili, vel nulla de cauſa: quia mundo nimium addicti ſumus. In Chriſto nibil tale: nulla enim ejus paſſio ultra ſuum modum unquam erupit, nulla niſi juſta & ex ratione rectoque judicio ſuſcepta. Ut boc clarius pateat, inter primam hominis naturam, qualis à Deo condita fuit, & hanc degenerem, quæ per peccatum corrupta eſt, operæpretium eſt diſtinguere. Deus quum bominem crearet, affectus illi indidit, ſed morigeros & rationi obſequentes: quod autem nunc ſunt incompoſiti & rebelles, accidentale eſt vitium. Jam Cbriſtus humanos affectus ſuſcepit, ſed citra ἀταξίαν: qua fit ut qui paſſionibus carnis obſequitur, Deo non obtemperet. Turbavit quidem ſeipſum Chriſtus, & vehementer commotus fuit: ſed ita ut ſe contiouerit ſub Patris voluntate. In ſumma, ſi paſſiones ejus cum noſtris conferas, non minus inter ſe diſtabunt; quam aqua pura & illimis, tranquilloque tractu fluens, à turbidis lutoſiſque ſpumis differt. Porro ad ferream Stoicorum duritiem reſpuendam unum Chriſti exemplum ſufficere nobis debet: unde enim, niſi ab ipſo, petenda nobis eſt ſummæ perfectionis regula? Quin potius ſtudendum eſt ut correcta domitaque contumacia, qua propter Adæ peccatum impliciti ſunt noſtri affectus, Chriſtum ſequamur ducem, qui nos in ordinem redigat. Sic Paulus non *1 Theſſ. 4. verſ. 13.* ſaxeum à nobis ſtuporem requirit, ſed temperati luctum jubet, ne triſtitiæ nos dedamus ſicut increduli, qui ſpem non habent: nam & ideo in ſe recepit Chriſtus noſtros affectus ut ejus virtute ſubigere poſſimus quicquid in illis vitioſum eſt.

36. *Ecce quomodo amabat.*] Duplex hic de Chriſto judicium nobis deſcribit Joannes. nam priores iſti qui dicebant, Ecce quomodo amabat eum, quamvis minus bonorifice de Cbriſto ſentiant quam par erat, utpote nihil illi tribuentes niſi humanum, æquius tamen & modeſtius de ipſo loquuotur quam alii, qui maligne illi obtrectant quod Lazarum à morte non eripuerit. Etſi enim virtutem Chriſti commendant (de qua tacebant alii) boc tamen non faciunt ſine exprobratione quadam. Satis inde patet non incognita illis fuiſſe quæ Chriſtus miracula jam ediderat: ſed eo fœdior eſt ingratitudo quod obſtrepere non dnbitant, quia nunc in una parte ceſſaverit. In eundem modum ſemper ingrati Deo fuerunt homines, ac eſſe pergunt. niſi votis noſtris omnibus ſatisfaciat, ſtatim ad querimonias proſilimus, Quum hactenus juvare ſolitus ſit, cur nunc me deſtituit ac fruſtratur? Duplex autem morbus bic graſſatur: quia temere optamus quod non expedit, Deum tamen volumus perverſis carnis noſtræ votis ſubjicere: deinde quia importuni ſumus flagitatores, & impatientiæ fervore ante tempus ruimus.

38. *Jeſus ergo rurſum.*] Quia non accedit Chriſtus ad ſepulchrum tanquam otioſus ſpectator, ſed athleta qui ſe ad certamen inſtruit, oon, mirum eſt ſi iterum fremat: violenta enim mortis tyrannis, quæ illi vincenda erat, ante oculos verſatur. Sunt qui exponant ex indignatione natum eſſe hunc fremitum, quod eum offenderet iſta incredulitas de qua diximus. Verum altera ratio mihi videtur eſſe aptior: nempe quod rem ipſam magis quam bomines intuitus fuerit. Sequuntur variæ circumſtantiæ, quæ Cbriſti virtutem in Lazaro ſuſcirando magis illuſtrant: nempe tempus quatridui, quod ſepulchrum lapide obſtructum erat, quem io omnium conſpectu tolli jubet Chriſtus.

39. Dicit Jeſus, Tollite lapidem. Dicit ei ſoror ejus qui mortuus fuerat Martha, Domine, jam fœtet: quatriduanus enim eſt.
40. Dicit ei Jeſus, Nonne dixi tibi, quod ſi credas, videbis gloriam Dei?
41. Suſtulerunt ergo lapidem ubi poſitus erat is qui fuerat mortuus: Jeſus autem ſuſtulit oculos ſurſum, & dixit, Pater, gratias ago tibi quod me audiſti.
42. Ego autem ſciebam quod me ſemper audis: ſed propter turbam quæ circumſtat, dixi, ut credant quod tu me miſeris.
43. Quum hæc dixiſſet, voce magna clamavit, Lazare, veni foras.
44. Et exivit qui mortuus fuerat, faſciis vinctus pedes & manus: & facies ejus ſudario circumligata erat. Dicit eis Jeſus, Solvite eum, & ſinite abire.

39. *Domine, jam fætet.*] Hoc ſignum eſt diffidentiæ: quia minus quam deceat ſibi de Cbriſti virtute promittit. Radix mali eſt, quia immenſam & incomprehenſibilem Dei potentiam carnis ſuæ ſenſu metitur: quia enim vitæ oihil minus convenit quam putredo & fœtor, colligit Martha jam non eſſe remedio locum. Ita quum præpoſteræ cogitationes animos noſtros occupant, quodammodo arcetur à nobis Deus, ne opus ſuum in nobis impleat. Certe non ſtetit per Martham quin frater perpetuo jaceret in ſepulchto: quia ſpem vitæ ejus ſibi præcidens, viam ſimul ad eum ſuſcitandum obſtruere Cbriſto nititur: & tamen nibil minus habebat in animo. Hoc facit fidei imbecillitas, ut diſtracti buc & illuc nobiſcum ipſi pugnemus, & dum altera manu porrecta petimus à Deo auxilium, altera in promptu oblatum repellamus. non mentita quidem fuerat Martha quum diceret, *Scio quod quicquid petieris à Deo, dabit tibi*: ſed parum juvat confuſa fides & implicita, niſi, quum ad rem præſentem ventum eſt, in uſum applicetur. Cæterum in Martha perſpicere licet quam multiplices ſint fidei defectus etiam in optimis. Venerat prima in occurſum Cbriſti. boc non vulgare pietatis teſtimonium: & tamen impedimenta illi objicere non deſinit. Ergo ut aditus ad nos pateſiat Dei gratiæ, diſcamus longe majorem illi potentiam tribuere quam capiant ſenſus noſtri. quod ſi non ſatis apud nos viget prima & unica Dei promiſſio, ſaltem quum nos ſecundo & tertio confirmat, exemplo Marthæ acquieſcamus.

40. *Nonne tibi dixi.*] Objurgat Marthæ diffidentiam quod non ſatis ſpei ex audita promiſſione concipiat. Apparet autem ex boc loco plus aliquid Marthæ fuiſſe dictum quam ad verbum Joannes expreſſerit. quanquam (ut admonui) boc ipſum volebat ſibi Cbriſtus, quum ſe vocaret reſurrectionem & vitam. Damnatur ergo Martha quod non divinum aliquod opus expectet. *Si credas.* Hoc ideo dicitur, non ſolum quia fides oculos nobis aperit ut Dei gloriam in ſuis operibus fulgentem cernere nobis liceat: ſed quia fides noſtra Dei potentiæ & bonitati viam ſternit ut ſe
Pſal. 81. erga nos exerat, ſicuti Pſalmo 81. habetur, Di-
verſ. 11. lata os tuum, & implebo illud. Quemadmodum rurſus incredulitas obſtruit acceſſum Deo, & quaſi clauſas tenet ejus manus: qua ratione
Mat. 13. alibi dicitur, Non poterat illic Jeſus ſignum
verſ. 58. edere propter eorum incredulitatem. Non quod alligata ſit Dei virtus bominum arbitrio: ſed quia illam, quantum in ſe eſt, malitiæ ſuæ obſtaculo arcent, indigni ſuot quibus ſe patefaciat. Sæpe quidem fit ut ſuperet Deus ejuſmodi obſtacula: ſed tamen quoties manum ſuam retrahit ne incredulos juvet, boc ideo fit, quia illam oon admittunt, infidelitatis ſuæ anguſtiis concluſi. *Videbis gloriam Dei.* Nota miraculum vocari Dei gloriam, in quo Deus manus ſuæ virtutem exerens, nomen ſuum glorificat. Jam vero Martba ſecundo boc Chriſti dicto contenta, lapidem moveri patitur: nibildum videt, ſed quia audit non fruſtra boc à Filio Dei mandari, ex ſolo ejus imperio libenter pendet.

41. *Jeſus autem ſuſtulit oculos.*] Signum animi fuit ad precandum vere compoſiti: nam ut quis rite Deum invocet, cum ipſo oportet conjunctum eſſe. quod fieri nequit, niſi ſupra terram ſublatus cælos ipſos conſcendat. Non fit hoc quidem oculis; quando bypocritæ, qui in profundis carnis ſuæ ſordibus demerſi ſunt, videntur torvo aſpectu cælum ad ſe attrahere: ſed quod illi ſimulant, filiis Dei ſincere præſtandum eſt. neque tamen qui in cælum oculos attollit, Deum illic ſua cogitatione includere debet, qui ubique diffuſus, cælum & terram implet: ſed quia nunquam ſe expedire poſſunt bominum mentes à craſſis figmeotis quin humile aliquid & terrenum de Deo ſeotiant, niſi quum ſupra mundum erectæ ſunt; illuc nos revocat Scriptura, Jeſ. 66.
& teſtatur cælum Dei eſſe ſedem. Quantum ad ocu- verſ. 2.
los ſpectat, non eſt perpetua ceremonia, & ſine qua non conſtet legitima oratio. nam Publicanus qui dejecto in terram vultu precatur, cælum nihilominus fide ſua penetrat. Utile tamen eſt exercitium illud quo ſe expergefaciunt homines ad quærendum Deum. Imo precandi ardor corpus ſæpe ita afficit, ut præter meditationem ultro mentem ſequatur. Certe non dubium eſt quin Cbriſtus, quum oculos ſuſtulit in cælum, ſingulari vehementia illuc raptus fuerit. Adde quod ſicuti apud Patrem totus erat, ita alios quoque ad ipſum ſecum deducere voluit. *Gratias ago.* Orditur à gratiarum actione, quum nihil petierit: ſed quamvis Euangeliſta precatum eſſe conceptis verbis non referat, minime tameo dubium eſt quin præceſſerit votum. neque enim aliter audiri potuit. Et credibile eſt, inter illos fremitus, quorum meminit Euangeliſta, oraſſe: quia nihil minus conſentaneum eſt quam ſecum intus, ut ſtupidi homines ſolent, eſſe tumultuatum. Nunc impetrata Lazari vita, gratias Patri agit. Porro quod acceptam Patri refert hanc virtutem, nec ſibi arrogat, in eo ſe Patris duntaxat miniſtrum profitetur: nam prout ſe ad hominum captum attemperat, nunc palam divinitatem ſuam aſſerens, ſibi vendicat quicquid eſt Dei; nunc ſuſtinere bominis perſonam contentus, totam divinitatis gloriam Patri concedit. Utrumque uoo verbo Euangeliſta optime hic conciliat, quum dicit *audiri à Patre Cbriſtum: ſed eum gratias agere, ut ſciant bomines quod à Patre miſſus fuerit.* boc eſt, ut Dei Filium agnoſcant. Quia enim non poterat Cbriſti majeſtas in ſua altitudine apprehendi, Dei virtus, quæ in carne ejus apparuit, ad illam altitudinem gradatim ſubvexit rudes & tardos bominum ſenſus. Nam quum totus eſſe noſter voluerit, non mirum eſt ſi variis modis ſe nobis accommodet: imo qui propter nos exinaniri paſſus eſt, nihil abſurdi eſt ſi noſtra cauſa ſe demittat.

42. *Sciebam quod ſemper.*] Occupatio eſt, ne quis putaret non tanta gratia pollere apud Patrem ut promptum illi eſſet quæcunque vellet miracula edere. Significat ergo tantum eſſe ſibi cum Patre conſenſum ut ab eo nibil ſibi negetur: imo nulla precatione fuiſſe opus, quum ſolum exequeretur quod ſibi

à Patre

à Patre mandatum ſciebar: ſed quo melius teſtatum fiat hominibus hoc vere divinum opus eſſe, ideo ſe invocaſſe Patris nomen. Si quis excipiat, cur non igitur omnes mortuos ſuſcitaverit: facilis eſt reſponſio, certum modum Dei conſilio finitum eſſe miraculis, quatenus ſufficere noverat in Euangelii approbationem.

43. *Voce magna clamavit.*] Quod manu non attingit, ſed voce tantum inclamat, in eo melius ſe profert divina ejus potentia: ſimul arcanam & mirificam verbi ſui efficaciam nobis commendat. Quomodo enim vitam mortuis reſtituit Chriſtus niſi verbo? Proinde in ſuſcitando Lazaro viſibile ſymbolum exhibuit ſpiritualis gratiæ, quam fidei ſenſu quotidie experimur dum vocem ſuam vivificam eſſe oſtendit.

44. *Faſcüs vinctus.*] Diligenter recenſet Euangeliſta ſudarium & faſcias, ut ſciamus prodiiſſe Lazarum ex ſepulchro ſicuti poſitus illic fuerat. Hunc quoque ſepeliendi morem retinent hodie Judæi, ut corpus linteo tegentes, capur ſeorſum peplo involvaor. *Solvite.* Reſtabat hoc ad amplificandam miraculi gloriam, ut divinum opus quod aſpexeranr ſuis oculis Judæi, manibus etiam palparent. Facere enim poterat Chriſtus ut faſcias, quibus ligatus erat Lazarus, excuteret, vel ut ſponte diffluerenr: ſed voluit Chriſtus adſtantium manus ſibi adhibere teſtes. Ter autem ridiculi ſunt Papiſtæ, qui auricularem confeſſionem inde eliciunt. Chriſtus (inquiunt) poſtquam Lazarum vitæ reddiderat, à diſcipulis ſuis ſolvi voluit. Ergo non ſatis eſt reconciliari nos Deo, niſi Eccleſia quoque peccata nobis remittat. Sed unde ſolvendi Lazari injunctas diſcipulis fuiſſe partes divinant? Quin potius id Judæis mandaſſe colligimus, quo illis omnem dubitationis ſcrupulum eximeret.

45. Multi ergo ex Judæis qui venerant ad Mariam, & conſpexerant quæ fecerat Jeſus, crediderunt in eum.

46. Quidam autem ex illis abierunt ad Phariſæos, & dixerunt illis quæ fecerat Jeſus.

47. Collegerunt ergo Pontifices & Phariſæi concilium, & dixerunt, Quid facimus? quia hic homo multa ſigna facit.

48. Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent locum noſtrum & gentem.

49. Unus autem ex illis Caiaphas, qui Pontifex erat anni illius, dixit eis, Vos neſcitis quicquam:

50. Neque reputatis quod expedit nobis ut moriatur unus homo pro populo, & non pereat tota gens.

51. Hoc autem à ſeipſo non dixit: ſed quum eſſet Pontifex anni illius, prophetavit quod Jeſus moriturus eſſet pro gente:

52. Nec pro gente ſolum, ſed ut filios Dei qui diſperſi erant, congregaret in unum.

45. *Multi ergo.*] Non paſſus eſt Chriſtus fructu carere quod ediderat miraculum: quia hoc modo quoſdam ad fidem adduxit. Tenendus eſt enim duplex miraculorum uſus: nempe ut vel ad fidem nos præparent, vel in fide confirment. Priorem hic notat Euangeliſta: eos enim de quibus loquitur, divinam Chriſti potentiam miratos ac reveritos fuiſſe intelligit, ut ſe illi diſcipulos ſubjicerent: alioqui nudum miraculum ſufficere ad fidem non poterat. Ideo *credendi* verbo nihil aliud hic intelligi debet quam docilitas ad amplexandam Chriſti doctrinam. In aliis qui Chriſtum deferunt, deteſtabilis ingratitudo apparet, vel potius horribilis furor: unde colligimus quam cæca & veſana ſit impietas. Reſurrectio certe Lazari vel lapidea corda mollire debuerat: ſed nullum eſt Dei opus quod non impietas veneni ſui amaritudine inficiat & corrumpat. Ergo ut proficiant ex Dei miraculis homines, neceſſe eſt cor ipſos habere purgatum. Nam apud quos non viget Dei metus & reverentia, etiamſi cælum videant terræ miſceri, præfracta ingratitudine ſanam doctrinam reſpuere nunquam deſinent. Sic hodie multos Euangelii hoſtes phreneticis ſimiles, cum exerta & conſpicua Dei manu pugnare videas. Interim tamen miracula à nobis flagitanr: ſed non alium io finem niſi ut ſe hominum portenta, contumaciter reſiſtendo, eſſe oſtendant. Quod autem ad Phariſæos Chriſtus defertur, ideo fit quia pro ſua hypocriſi acriores ad Euangelium oppugnandum erant. Eadem ratione paulo poſt nominatim eos exprimit, quum narrat coactum fuiſſe concilium. Ipſi quidem pars erant Pontificum: ſed eos ſpecialiter nominat Euangeliſta, quia ad inflammandam collegii totius rabiem quaſi flabella erant.

47. *Collegerunt ergo Pontifices.*] Non minus prodigioſa cæcitas hic in Sacerdotibus deſcribitur. Niſi pluſquam ſtupidi eſſent ac bruti, aliqua ſaltem Chriſti reverentia poſt tam illuſtre divinæ ejus virtutis ſpecimen tangi decebat: nunc ad obruendam Dei gloriam (cujus intuitu obſtupeſcere coguntur) conſulto dataque opera conveniunt. Non hoc quidem diſerte jactant, velle ſe Deo bellum inferre: ſed quum extinguere Chriſtum nequeant niſi everſa Dei virtute, hanc certe ſacrilega audacia palam & indubie oppugnant. Semper quidem ſuperba eſt Deique contemptrix infidelitas, ſed non ſtatim eo prorumpit ut cornua ſua contra Deum attollat. Cæterum ubi diu reluctati Deo ſunt homines, hic tandem eſt extremus actus, ſine ullo divinitatis metu gigantum more aſcenſum ſupra cælos moliri. fatentur enim Chriſtum multa ſigna edere. Et unde illi tanta virtus? Ergo ex profeſſo ad opprimendam Dei virtutem, quæ in Chriſti miraculis relucet, ſe accingunt. Interim non ceſſat Deus: ſed quamvis diſſimulet ad tempus, ridet ſtolidam eorum arrogantiam, donec veniat proferendæ iræ tempus, ſicuti habetur in Pſalm. 2. verſ. 12. *Quid facimus?* His verbis ignaviam ſuam accuſant. quaſi dicerent ſua ceſſatione fieri ut Chriſtus longius ſerpat: quia poſſint ſtrenue agendo, curſum ejus abrumpere. Hæc eſt impiorum confidentia, qua ſibi nihil non vendicant: quaſi in eorum manu ſit agere prout libitum eſt: quaſi etiam operis ſucceſſus eorum votis ſubjaceat. Ac, ſi quis omnia rite expendat, hic ſuam induſtriam divinæ virtuti opponunt, quaſi ſatagendo poſſint Deo ſuperiores evadere.

48. *Si dimiſerimus eum.*] Quid ſi non dimittant? nempe (ut jam dictum eſt) in ſuo arbitrio poſitum eſſe non dubitant, Chriſto viam obſtruere ne ulterius pergat, modo ſedulo contra nitantur. Si fuiſſet Chriſtus impoſtor quiſpiam, officium quidem ipſorum erat ſe interponere, ne oves à grege Domini abduceret: verum miracula ejus confitendo, ſatis declarant Deum ſe minime curare, cujus virtutem tam ſecure faſtuoſeque contemnunt. *Venient Romani.* Sceleri obtenditur ſpecioſus color,

 boni

boni publici ſtudium. Hic præcipue metus eos angebat, ne concideret eorum tyrannis: verum ſe de templo & cultu Dei, de gentis nomine, de populi ſtatu ſollicitos eſſe ſimulant. Et quorſum hoc? neque enim videntur fallendi cauſa tales ſibi præteatus accerſeret non concionantur ad plebem: ſeorſum & in occulto inter ſe deliberant. Quum ſibi ſint omnes ejuſdem perfidiæ conſcii, cur non ingenue ſua conſilia ſenſuſque in medium proferunt? Nempe quantumvis craſſa ſit & convicta impietas, ſociam tamen hypocriſin fere habet. Ita obliquis ambagibus vel latebris ſe involvit, ut ſub virtutis ſpecie fallat. Præcipuum quidem illis conſilium fuit, aliquam gravitatis, moderationis & prudentiæ imaginem oſtentare, ut aliis fucum facerent: ſed credibile eſt eos quoque inani iſta larva fuiſſe deceptos, quum ſibi juſtam Chriſti perſequendi occaſionem eſſe fingerent. Ita hypocritæ, etiamſi intus coarguat eos conſcientia, poſtea tamen vanis figmentis ſe inebriant, ut videantur peccando innoaii: interea manifeſte ſecum ipſi diſſident. Initio enim confeſſi ſunt Chriſtum multa ſigna edere: nunc ſibi à Romanis metuunt: quaſi non ſatis ſuperque præſidii ſit in Dei virtute, quæ ſe præſentem io illis ſignis exhibebat. *Venient Romani.* Significat Euangeliſta hanc fuiſſe deliberationis ſummam, ut quod inſtabat periculum caverent. Siquid (inquiunt) in publico ſtatu novari Romani intellexerint, timendum eſt ne miſſo exercitu gentem noſtram perdant una cum templo & cultu Dei. Perverſa autem conſultatio eſt de cavendis periculis quæ effugere non licet niſi velimus à recto curſu deflectere. Primo loco quærendum eſt quid mandet Deus, ac fieri velit: qualiſcunque nos maneat eventus, fixum illud manere debet. Iſti vero tollendum Chriſtum ſtatuunt, nequid incommodi accidat ſi pergere ipſum qua cœpit paſſi fuerint. Quid aotem ſi divinitus fuerit miſſus? ao Dei Prophetam à ſe rejicient, ut pacem redimant cum Romanis? Hæc ſunt eorum conſilia qui vere & ex animo Deum non reverentur, quid fas & rectum ſit ſuſque deque habent: quia tantum pendent ex eventu. Atqui bæc una eſt pie ſancteque deliberandi ratio, primum ut quæramus quidnam Deo placeat, deinde ut intrepide ſequamur quicquid præſcribit, nec ullo metu frangamur, etiamſi nos mille mortes obſideant. Nam actiones noſtræ non ad quemlibet venti flatum, ſed ad voluntatem unius Dei perpetuo dirigendæ ſunt. Quiſquis ſecure diſcrimina contemnit, vel ſaltem ſuperato eorum metu ſimpliciter Deo paret, felicem tandem exitum habebit. Nam præter omnium ſpem, conſtantiam quæ in verbi ſui obedientia fundata eſt, benedicit Deus: incredulis vero adeo nihil proſunt ſuæ cautiones, ut quo magis ſunt meticuloſi, pluribus ſe laqueis implicent. Cæterum in hac hiſtoria ſeculi noſtri formam graphice depictam habemus. Qui providi & circumſpecti haberi appetunt, cantilenam banc identidem habent in ore, habendam eſſe publicæ tranquillitatis curam, novationem quam molimur, multis periculis non carere. Poſtquam hac falſa invidia nos gravarunt, nullum melius inveniunt compendium, quam ut Chriſtum ſepeliendo, turbis omnibus occurrant. Quaſi vero proſpere illis ceſſurus ſit tam impius gratiæ Dei contemptus, dum ſedandis turbis hoc excogitant remedium, ut aboleatur ſalutis doctrina. Quin potius eveniet impiis quod timent. quanquam ut conſequi poſſint quod ſperant, nimis tamen indigna eſt hæc merces, offenſo Deo mundum placare. *Locum noſtrum.* Incertum eſt templumne intelligant, an patriam ſuam. In utroque autem ſalutem ſuam verti putabant. Templo enim diruto ceſſabant ſacrificia, ſolennis Dei cultus, & nominis ejus invocatio. Ergo ſi qua erat religionis cura, de templo ſollicitos eſſe decebat. Jam vero boc magnopere intererat ad tuendum Eccleſiæ ſtatum ne rurſus è terra ſua abducerentur. Memores adbuc erant exilii Babylonici, quod in primis ſevera fuerat Dei ultio. Tritum etiam inſtar proverbii apud eos erat quod ſæpe in Lege occurrit, ſpeciem eſſe abdicationis, ſi Dominus ipſos è terra illa ejiceret. Colligunt ergo, niſi perdatur Chriſtus, incolumem non fore Eccleſiam.

49. *Unus ex illis Caiaphas.*] Brevis fuit conſultatio, quia paſſus non eſt Caiaphas diu eos hæſitare. Porro unum redimendæ ſalutis modum aſſignat, ut inſontem interficiant. En quo ſceleris erumpant qui ſine Dei timore conſilia ea ſenſu carnis ſuæ potius capiunt quam ex Dei verbo, & utile ſibi fore confidunt quod per bonorum omnium auctorem non licet. perinde eſt enim acſi Caiaphas diceret provocandam eſſe iram Dei ut bene & proſpere habeant. Quare diſcamus nunquam ſeparare utile à licito: quando nihil boni aut læti ſperandum eſt niſi ex Dei benedictione: quæ non impiis & rebellibus, qui ſubſidia ex diabolo petunt, ſed fidelibus, qui ſimpliciter ambulant in viis ſuis, promiſſa eſt. Et tamen aliquid coloris habebat bæc ratio: quia publica utilitas ſemper præponderare debet. Verum (ut jam dixi) non magis ſervatur populus ſcelerata inſontis morte, quam totum bominis corpus, dum petitur ſolum jugulum, vel pectus transfigitur gladio. *Qui Pontifex erat.* Non vocat anni illius Pontificem, quod annuum duntaaat eſſet munus: ſed, quum venale eſſet, transferretur ad varios homines præter Legis præſcriptum. Honorem Deus finiri noluerat niſi morte hominis: ſed rebus turbatis & confuſis factum erat ut Romani ſua libidine Sacerdotes ſubinde mutarent. Porro Euangeliſta Caiapham negat hoc *à ſeipſo dixiſſe.* non quod tanquam arreptitius & fanaticus vocem non intellectam emiſerit: (loquutus eſt enim ex proprio ſenſu) ſed Euangeliſta ſignificat ſuperiorem fuiſſe linguæ ejus impulſum: quia Deus aliquid altius quam ipſi in mentem veniret, ejus ore teſtatum eſſe voluit. Fuit ergo tunc quaſi bilinguis Caiaphas. impium enim & crudele necandi Chriſti conſilium, quod in animo conceptum habebat, evomuit: Deus vero linguam ejus alio fleait, ut ſub ambiguis verbis vaticinium ſimul proferret. Voluit autem Deus ea ſede Pontificia manare cæleſte oraculum, quo minus eacuſationis eſſet Judæis. Nam etſi ex toto illo cœtu nullius conſcientia tacta fuit, ſenſerunt tamen poſtea ſtupori ſuo veniam minime deberi. Nec obſtitit Caiaphæ impietas quin lingua ejus Spiritus ſancti eſſet organum: quia Deus Sacerdotium à ſe inſtitutum potius reſpeait quam bominis perſonam. & illa fuit ratio quam attigi, ut voa ſublimi loco emiſſa, clarius eaaudiretur, & plus haberet reverentiæ ac ponderis.
Eodem modo per os Balaam, quem Spiritu Prophe- *Num.* 23.
tiæ donaverat, populo ſuo benedicere voluit. Sed *verſ.* 8.
pluſquam ridiculi ſunt Papiſtæ, qui inde colligunt habendum eſſe pro oraculo quicquid Romano Pontifici effutire libuerit. Primum ut illis demus (quod vanum eſt) Prophetam ſemper eſſe quiſquis eſt ſummus Sacerdos; probare tamen neceſſe habebunt, Romanum Pontificem Dei mandato creari. Nam ſacerdotium hominis unius, Chriſti adventu abolitum fuit: neque uſquam legimus divinitus præſcriptum poſtea fuiſſe ut unus quiſpiam toti Eccleſiæ præeſſet. Ut boc quoque ſecundo illis demus, jus & honorem Pontificis ad Romanum Epiſcopum translatum eſſe, videndum quid Sacerdotibus profuerit quod Caiaphæ vaticinium amplexi ſunt. Ut ſubſcribant illius ſententiæ, conſpirant in mortem Chriſti. Procul vero à nobis faceſſat talis obedientia, quæ nos ad horribilem apoſtaſiam, Filium Dei abnegando, impellat. Eadem voce blaſphemat & ſimul prophetat Caiapbas: qui ejus dicto obſequuntur,

quuntur, contempta prophetia blaſphemiam arripiunt. Idem ne contingat nobis cavendum, ſi Romanum Caiapham audierimus: alioqui ſimilitudo claudicaret. Quæro præterea, an quia ſemel prophetavit Caiaphas, ſingula Pootificis verba totidem ſemper ſint prophetiæ. Atqui paulo poſt ſummum ac præcipuum fidei noſtræ caput blaſphemiæ damnavit. unde colligimus, quod nunc Euangeliſta refert, extraordinarium fuiſſe, ac præpoſtere in exemplum trahi.

51. *Quod Jeſus moriturus eſſet.*] Primo ſalutis noſtræ ſummam in eo conſiſtere Euangeliſta oſtendit ſi Chriſtus nos in unum aggreget. Nam hoc modo nos Patri reconciliat, penes quem eſt fons vitæ. Unde etiam colligimus diſſipatum eſſe genus humanum & à Deo alienatum, donec ſub Chriſto capite coaleſcant filii Dei. Ita ſanctorum communio, præparatio eſt ad vitam æternam: quia in morte manent omnes quos Chriſtus ad Patrem non colligit: ſicuti iterum 17. capite videbimus. Ideo & Paulus docet Epheſ. 1. verſ. 10.
miſſum eſſe Chriſtum ut quæcunque in cælo ſunt & terra, colligeret. Quare ut allata à Chriſto ſalute fruamur, ſublato diſſidio nos unum cum Deo, Angelis, & inter nos fieri oportet. Hujus unitatis cauſa & pignus fuit mors Chriſti, qua ad ſe omnia ſuſtulit: ſed quotidie per Euangelium in Chriſti ovile colligimur.

52. *Nec pro gente ſolum.*] Significat Euangeliſta reconciliationem à Chriſto factam ad Gentes quoque extendi. Sed quomodo *filii Dei* vocantur quos miſera diſſipatio, in qua errabant, hoſtes Dei reddebat? Reſpondeo, (ut jam alibi dictum eſt) fuiſſe in Dei pectore filios qui in ſeipſis vagæ erant ac perditæ oves: imo nihil minus quam oves, ſed potius lupi, & feræ beſtiæ. Filios ergo Dei, etiam antequam vocentur, ab electione æſtimat, qui fide tandem & ſibi & aliis manifeſtari incipiunt.

53. Ab illa igitur die conſultabant ut interficerent eum.

54. Itaque Jeſus non amplius palam ambulabat inter Judæos: ſed abiit illinc in regionem propinquam deſerto, in urbem quæ dicitur Ephraim: & illic verſatus eſt cum diſcipulis ſuis.

55. Inſtabat autem Paſcha Judæorum: & aſcenderunt multi Hieroſolymam ex regione, ante Paſcha, ut purificarent ſeipſos.

56. Quærebant ergo Jeſum, & dicebant inter ſe quum in templo ſtetiſſent, Quid videtur vobis quod non venerit ad diem feſtum?

57. Dederant autem Sacerdotes & Phariſæi mandatum, ut ſiquis ſciret ubinam eſſet, indicaret, ut caperent eum.

53. *Conſultabant ut interficerent.*] Narrat Euangeliſta Chriſtum iterum fugiſſe, quum tanto hoſtium furore ſe peti ſciret. Meminerimus tamen non ita fugiſſe quo ſe Patris vocationi ſubduceret. neque enim aliud habuit propoſitum niſi ut tempore divinitus præfixo, ad ſubeundam voluntariam mortem ſe ſiſteret. Porro conſilium, cujus Euangeliſta meminit, non tam de Chriſto occidendo erat, quam ut rationem aliquam invenirent illius opprimendi. Hoc jam apud eos decretum erat, eſſe tollendum è medio: altera tantum deliberatio reſtabat, quomodo exequi poſſent quod ſtatuerant.

54. *Quæ dicitur Ephraim.*] Nomen urbis quod hic poſitum legimus, vel corrupte fuiſſe tunc pronunciatum arbitror, vel certe novum. Scimus enim quanta poſt exilium Babylonicum facta linguæ mutatio fuerit, & ſimul quam diverſa terræ facies: ut non mirum ſit recenſeri quædam loca quorum nulla antiquitus notitia fuerat. Diſcipulos Chriſti nominat non quicunque receperant ejus doctrinam, ſed qui aſſidui erant ejus comites, & vivere ſolebant in eodem contubernio.

55. *Aſcenderunt multi, &c. ante Paſcha, ut purific.*] Non erat hoc præciſe mandatum ut ſe purificarent ante immolationem Paſchatis. Ideo non dicit Euangeliſta veniſſe omnes, ſed *multos*. Nemini quidem immundo licebat veſci: ſed iſtam ſanctificationem ſponte & privato affectu ſuſceptam fuiſſe dico, ut alii minime veſci prohiberentur, quamvis ante diem feſtum tali ritu præparati non eſſent. Cæterum Euangeliſtæ conſilium eſt oſtendere quam celebris fuerit per totam Judæam de Chriſto fama. nam qui undecunque in templum conveniunt, præcipue intenti ſunt ad quærendum Chriſtum, & ſermones inter ſe de eo agitant. Quærunt quidem ipſum humano more, ſed tamen quærendo detegunt obſtare Sacerdotum tyrannidem quominus palam appareat.

CAP. XII.

JEſus ergo ante ſex dies Paſchæ venit Bethaniam, ubi erat Lazarus qui mortuus fuerat, quem ſuſcitaverat ex mortuis.

2. Fecerunt ergo ei illic convivium, & Martha miniſtrabat: Lazarus autem unus erat ex diſcumbentibus cum eo.

3. Maria itaque accepta libra unguenti nardi piſticæ pretioſæ, unxit pedes Jeſu, & extersit capillis ſuis ejus pedes: domus autem impleta eſt odore unguenti.

4. Dicit ergo unus ex diſcipulis ejus Judas Simonis Iſcariotes, qui traditurus erat eum,

5. Quare unguentum hoc non væniit trecentis denariis, & datum eſt pauperibus?

6. Dicebat autem hoc, non quod pauperes illi curæ eſſent, ſed quia fur erat, & marſupium habebat, & portabat ea quæ mittebantur.

7. Dixit ergo Jeſus, Sine eam: in diem ſepulturæ meæ ſervavit iſtud.

8. Pauperes enim ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habetis.

1. *Jeſus, &c. venit Bethaniam.*] Videmus nimis præceps fuiſſe eorum judicium qui Chriſtum venturum non putabant. quo monemur non ita properandum eſſe, quin patienter & quietis animis expectemus dum opportunitas adveniat nobis incognita. Venit autem Chriſtus primo Bethaniam, ut inde Hieroſolymam triduo poſt ſe conferat. Interea opportunum tempus & locum ad ſe prodendum dare

Judæ

Judæ voluit, ut ipſe ad ſtatam horam adeſſet parata victima. Neque enim quid futurum ſit ignorat, ſed voluntarius ad immolationem occurrit. Quum autem ſex diebus ante Paſcha veniſſet Bethaniam, illic quatriduo ſubſtitiſſe ex Matthæo & Marco colligere licet. Quo die factum illi fuerit convivium in quo à Maria unctus eſt, Joannes non exprimit: ſed probabile videtur, non multo poſt quam appulerat id eſſe factum. Porro quod unctionem, cujus mentio fit apud Matthæum & Marcum, nonnulli ab hac diverſam eſſe putant, falluntur. Movet eos temporis ratio, quia priuſquam Euangeliſtæ duo Chriſtum fuiſſe unctum commemorent, deſignant tempus bidui. Verum ſolutio facilis eſt, & quidem duplex. neque enim Joannes dicit Chriſtum primo die adventus ſui in Bethaniam unctum eſſe. Ita potuit hoc fieri quum jam diſceſſum pararet. Quanquam (ut jam dixi) altera conjectura probabilior eſt, quod uno ſaltem vel altero die ante diſceſſum unctus fuerit. Certum enim eſt, Judam, antequam duos ex diſcipulis Chriſtus Paſchatis gratia miſiſſet, cum Sacerdotibus pepigiſſe: atqui ad minimum, diem unum intermedium fuiſſe oportet. Addunt Euangeliſtæ captaſſe commodum tempus tradendi Chriſti, ex quo pretium acceperat. Quod ergo facta bidui mentione, unctionis hiſtoriam ſubjiciunt, quod prius acciderat poſteriore loco narrant. Ratio autem eſt, quia quum retuliſſent Chriſti verba, Scitis quod Filius hominis poſt biduum tradetur: quod prius omiſſum fuerat, nunc attexunt, quomodo & qua occaſione proditus ſit à diſcipulo. Jam ſatis convenit Bethaniæ fuiſſe unctum. Matthæus & Marcus dicunt cœnaſſe tunc apud Simonem leproſum. domus à Joanne non exprimitur: verum ſatis indicat alibi quam apud Lazarum & Martham cœnatum eſſe, dum *Lazarum* facit *unum ex diſcumbentibus:* nempe qui una cum Chriſto invitatus eſſet. Nec vero quicquam in eo diſſidii eſt quod Matthæus & Marcus unctum fuiſſe caput recitant, hic autem noſter *pedes*. Ordinaria erat capitis unctio: unde & Plinius in nimia luxuria deputat quod talos quidam ungerent. Conſentiunt autem tres inter ſe, Chriſtum non parce à Maria fuiſſe unctum, ſed largam unguenti copiam effuſam. Quod ergo Joannes de pedibus loquitur, perinde valet acſi dixiſſet, totum Chriſti corpus uſque ad pedes fuiſſe delibutum. Eſt enim auxeſis in voce Pedum: quod melius ex ſequentibus patet, quum ſubjicit, Mariam abſterſiſſe capillis ſuis pedes. *Domus autem impleta eſt odore.* Non erat ſimplex liquor ex nardo elicitus, ſed varia erat confectio ex rebus odoriferis: itaque non mirum eſt odore perfuſam fuiſſe totam domum.

4. *Dicit ergo unus ex diſcipulis.*] Sequitur Judæ obmurmuratio, quam Matthæus promiſcue diſcipulis, Marcus quibuſdam eorum tribuit. Verum Scripturæ familiare eſt per ſynecdochen ad plures transferre quod unius eſt vel paucorum. Quanquam mihi veriſimile eſt, murmur à ſolo Juda ortum eſſe, reliquos autem fuiſſe commotos ut ei ſubſcriberent. ut facile eſt ſuſurris, quaſi flabellis, varios in nobis affectus accendi: præſertim vero (ut nimium ad ſiniſtra judicia propenſi ſumus) obtrectationes locum in nobis inveniunt. Verum credulitas quam Spiritus Dei in Apoſtolis reprehendit, nobis exemplo eſt ne audiendis malignis vocibus nimium ſimus faciles ac creduli.

5. *Quare unguentum hoc non.*] Vulgaris unguenti libra decem tantum denariis conſtabat, teſte Plinio: ſed ſummum pretium optimi unguenti idem ſtatuit trecentos & decem denarios. Conſentiunt autem Euangeliſtæ fuiſſe hoc pretioſiſſimum unguentum. quare non abs re Judas libram trecentis denariis æſtimat: quæ ſumma ad quinquaginta libras monetæ Gallicæ, ex ſupputatione Budæi, aſcendit. Porro quum omnes fere deliciæ luxum ſuperfluum implicitum habeant, quo major erat pecuniæ jactura, eo plus coloris ad murmurandum habuit Judas: acſi diceret, Si feciſſet Maria exiguum ſumptum, excuſationis aliquid haberet: nunc vero quum in re nihili immanem pecuniæ ſummam perdiderit, nonne injuriam fecit pauperibus, qui multum inde levationis ſentire poterant? Nullam ergo veniam meretur ejus factum.

6. *Quia fur erat.*] Reliqui Apoſtoli non malo quidem ſtudio, ſed inconſiderate, Mariam damnant: Judas autem ſceleri ſuo honeſtum prætextum captat, quum pauperes in medium adducit, quorum nulla illi erat cura. Docemur autem hoc exemplo quàm monſtroſa bellua ſit habendi cupiditas: damnum quod ſibi feciſſe Judas videtur, ablata furandi materia, ad tantam eum rabiem adigit ut Chriſtum prodere non dubitet. Et credibile eſt, non modo apud alios mentitum fuiſſe de pauperibus fraudatis: ſed ſibi quoque intus (ut hypocritæ ſolent) blanditum eſſe, quaſi leve delictum eſſet Chriſti proditio, qua penſare volebat acceptum damnum. Prodendi quidem Chriſti una fuit cauſa, ut prædam è manibus elapſam ad ſe quoquo modo retraheret. Nam concepta ob lucrum amiſſum indignatio eum ad prodendi Chriſti conſilium impulit. Mirum autem eſt cur talem œconomum delegerit Chriſtus quem ſciebat furem eſſe: quid enim hoc erat aliud quam laqueum porrigere quo ſe ſtrangularet? Non eſt quod hic reſpondeat mortalis homo, niſi Dei judicia profundam eſſe abyſſum. Interea Chriſti factum in communem regulam trahi non debet, ut pauperum curam vel aliud ſacrum munus mandemus homini nequam & ſcelerato. Legem enim impoſuit nobis Deus quinam ad Eccleſiæ regimen aliaque officia vocandi ſint: hanc transgredi fas non eſt. Alia fuit Chriſti ratio: qui quum æterna Dei eſſet ſapientia, arcanæ ejus prædeſtinationi in Judæ perſona locum dedit.

7. *Sine eam.*] Quum Mariam omitti jubet Chriſtus, perperam & injuſte facere docet qui proximis ſuis ſine cauſa moleſti ſunt, ac litem de nihilo intentant. Longior eſt apud alios Euangeliſtas Chriſti reſponſio, ſumma tamen eadem. Unctio quam Judas culpabat, hoc nomine defenditur quod ſit ſepulchralis. Ergo non probat Chriſtus quaſi ordinarium cultum, & cujus communis in Eccleſia eſſe debeat uſus. nam ſi quotidie tale ſibi officium præſtari vellet, quidvis potius dixiſſet quam hoc ſepulturæ ſuæ datum. Et certe Deus externas pompas non moratur: imo quum nimis proclive ad carnales ritus hominis ingenium eſſe videat, ſubinde nos in illis parcos & ſobrios eſſe jubet. Quare præpoſteri ſunt interpretes qui ex Chriſti reſponſo inferunt, placere Deo ſumptuoſos & magnificos cultus: quum potius Mariam excuſet, eo quod extraordinarium ſibi officium præſtiterit, quod ad perpetuam colendi Dei normam exigi non decebat. *In diem ſepulturæ* &c. Quum dicit ſervatum fuiſſe unguentum, ſignificat non intempeſtive profuſum eſſe, ſed pro temporis circumſtantia. Servari enim dicitur quod habetur quaſi ſub cuſtodia, ut commode & opportune promatur. Certum enim eſt, ſiquis ſumptuoſis deliciis eum ante oneraſſet, non fuiſſe paſſurum. Atqui negat ex more feciſſe Mariam, ſed ut ſibi extremum officium impenderet. Porro corporum unctio tunc non inanis ceremonia erat, ſed potius ſpirituale ſymbolum, quod ſpem reſurrectionis ante oculos poneret. Obſcuræ adhuc erant promiſſiones, nondum reſurrexerat Chriſtus, qui non immerito vocatur reſurgentium primitiæ. *1 Cor. 15. verſ. 20.* Ergo opus talibus adminiculis habebant fideles, quæ ad Chriſtum adhuc abſentem eos dirigerent. Ideo non ſuperflua tunc fuit Chriſti unctio, quum mox ſepeliendus foret. ungitur enim tanquam in ſepulchrum condendus. Id nondum ſciebant diſcipuli: & Maria proculdubio repente im-

pulſa

pulſa fuit ut Spiritu directore id faceret quod prius non fuerat meditata. Verum Chriſtus ad ſpem reſurrectionis ſuæ accommodat quod illi tantopere improbabant, ut ipſa utilitas eos à prava moroſitate revocet. Verum ut Deus veteris populi pueritiam talibus exercitiis regi voluit, ita hodie abſurdum eſſet idem tentare: nec ſine Chriſti injuria fieret, qui ſplendore adventus ſui tales umbras diſcuſſit. Sed quia nondum ejus reſurrectio figuris Legis complementum attulerat, externo ritu ornanda fuit ejus ſepultura: nunc odor reſurrectionis ejus ſatis per ſe efficaciæ habet, abſque nardo & aromatibus, ut totum orbem vivificet. Cæterum meminerimus in judicandis hominum factis ſtandum eſſe unius Chriſti ſententiæ, ad cujus tribunal ſemel nos ſtare oportet.

8. *Pauperes enim ſemper habetis.*] Tenendum eſt quod prius admonui, extraordinarium Mariæ factum diſerte hic à quotidiano Chriſti cultu diſcerni. Quare ſimiæ ſunt, non imitatores, qui pompis & ſumptuoſo apparatu Chriſtum colere affectant: acſi probaret Chriſtus quod ſemel factum erat, ac non potius in poſterum fieri vetaret. Quod ſe negat cum diſcipulis ſemper fore, ad genus præſentiæ referri debet cui carnalis cultus & ſumptuoſus honor conveniat. Nam quod Spiritus ſui gratia & virtute nobis adeſt, quod habitat in nobis, quod nos etiam carne ſua & ſanguine paſcit, nihil hoc ad corporeos cultus. Quare quicquid pomparum excogitarunt Papiſtæ ad Chriſtum colendum, fruſtra illi impenſum ferunt, quum palam repudiet. Quod pauperes dicit ſemper nobiſcum futuros, tametſi in eo Judæorum hypocriſin perſtringit, colligere tamen inde utilem doctrinam licet: nempe, ſacrificia quæ Deo grata ſunt & ſuaviter olent, eſſe eleemoſynas quibus inopia pauperum juvatur; nec rite alios fieri ſumptus in colendo Deo.

9. Cognovit ergo turba multa Judæorum quod illic eſſet: veneruntque non propter
Jeſum tantum, ſed ut Lazarum quoque viderent, quem ſuſcitaverat ex mortuis.
10. Conſultarunt autem principes Sacerdotum ut & Lazarum interficerent,
11. Quia multi Judæorum propter ipſum diſcedebant, & credebant in Jeſum.
12. Poſtridie turba multa quæ ad feſtum venerat, quum audiſſet venire Jeſum Hieroſolymam,
13. Accepit ramos palmarum, & exierunt illi obviam, & clamabant, Hoſanna, Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Iſraël.
14. Quum autem inveniſſet Jeſus aſellum, ſedit ſuper eum, quemadmodum ſcri-
Zach. 9. 9. ptum eſt, Ne timeas filia Sion, quia Rex tuus venit ſedens ſuper pullum aſini.

9. *Cognovit ergo turba multa.*] Quo propius erat mortis Chriſti tempus, eo magis celebrari omnium ſermone oportuit ejus nomen, ut hæc ad pleniorem fidem eſſet præparatio poſt mortem ejus. Præſertim Euangeliſta commemorat celeberrimum fuiſſe recens illud miraculum excitati Lazari. & quia ſingulare in eo divinitatis ſuæ ſpecimen Chriſtus ediderat, multos ejus teſtes Deus eſſe voluit. Quum dicit *non propter Jeſum tantum veniſſe, ſed Lazari etiam cauſa*, non intelligit in gratiam Lazari, quaſi hoc illi honoris ſeorſum detulerint, ſed ut mirabile virtutis Chriſti ſpecimen in Lazaro conſpicerent.

10. *Conſultarunt autem.*] Pluſquam phreneticus certe furor, quod extinguere moliuntur quem conſtabat divinitus à morte fuiſſe excitatum. Sed iſte eſt ſpiritus vertiginis quo Satan impios exagitat, ut nullum faciant inſaniendi finem, etiamſi cælum & terram & mare illis Deus opponat. Nam hæc tam nefaria conſultatio ideo deſcribitur ut ſciamus Chriſti hoſtes non errore vel ſtultitia fuiſſe inductos ad tantam pertinaciam, ſed rabioſa malitia, ut ne Deo quidem bellum inferre horrerent: deinde ut ſciamus non obſcuram fuiſſe Dei potentiam in Lazari reſurrectione, cujus delendæ non aliud remedium excogitare potuit impietas quam ut ſcelerata & execranda cæde è medio tolleretur homo innoxius. Cæterum quum in hoc totus ſit Satan ut penitus obruat, vel utcunque obſcuret Dei opera, noſtrum eſt ad continuam eorum meditationem ſedulo intentos eſſe.

12. *Poſtridie turba multa.*] Hunc Chriſti ingreſſum reliqui Euangeliſtæ fuſius enarrant: ſummam tamen omnium hic noſter complectitur. Primo autem loco tenendum eſt Chriſti conſilium, nempe quod Hieroſolymam ultro venit ut ſe morti offerat: nam mortem ejus voluntariam eſſe oportuit, quia nonniſi obedientiæ ſacrificio poterat ira Dei erga nos placari. neque enim eum latebat eventus. Priuſquam tamen ad crucem trahatur, ſolenni ritu vult ſe tanquam Regem à populo excipi: imo palam declarat ſe regnum ſuum auſpicari ad mortem pergendo. Etſi autem magna populi frequentia celebratur ejus adventus, hoſtibus tamen ignotus eſt, donec impletis vaticiniis (quæ poſtea ſuo loco videbimus) ſe verum eſſe Meſſiam comprobavit. Nihil enim omittere voluit quod ad ſolidam fidei noſtræ confirmationem faceret. *Turba multa quæ ad feſtum venerat.* Ergo advenæ ad præſtandum Filio Dei pietatis officium longe promptiores fuerunt quam cives Hieroſolymæ, quos tamen exemplo eſſe aliis omnibus decebat. Nam quotidie habebant ſacrificia: templum ſemper erat in conſpectu, quod eorum corda ad ſtudium quærendi Dei accendere debebat: illic erant primarii Eccleſiæ doctores: illic lucis divinæ ſacrarium. Nimis ergo fœda eorum ingratitudo, quod talibus exercitiis à pueritia imbuti, Redemptorem ſibi promiſſum vel reſpuunt vel negligunt. Sed hoc vitium ſeculis fere omnibus commune fuit, ut eo audacius Deum homines contemnant quo propius & magis familiariter ſe illis offert. In aliis autem, qui relictis domibus ad diem feſtum celebrandum convenerant, multo plus fervoris, ut ſollicite inquirant de Chriſto: & quum venire audiunt in urbem, illi obviam gratulandi cauſa prodeunt. Nec vero dubium eſt quin arcano Spiritus inſtinctu ad eum occurſum excitati fuerint. Hoc prius factum fuiſſe non legimus. ſed quemadmodum tubæ clangore aut voce præconis ſubditos ſuos advocant terreni Principes, quum imperii ſui poſſeſſionem adeunt: ita Spiritus ſui impulſu Chriſtus populum hunc collegit, à quo Rex ſalutaretur. Quum in deſerto ipſum turbæ creare vellent Regem, clam ſe in montem ſubduxit: tunc enim aliud regnum animo non agitabant quam ſub quo bene ſaginarentur, non ſecus ac pecudes. Stulto igitur ac præpoſtero eorum voto indulgere & obſequi non potuit Chriſtus quin ſeipſum abnegaret, munuſque abjiceret à Patre injunctum. At nunc regnum ſibi aſſerit quale à Patre acceperat. Fateor quidem naturam hujus regni ne plebi quidem quæ in ejus occurſum prodiit, probe fuiſſe cognitam: ſed in poſterum reſpexit Chriſtus. Interea nihil geri paſſus eſt quod non ſpirituali regno congrueret.

13. *Ramos palmarum, & exierunt illi obviam.*] Palma, victoriæ & pacis fuit ſymbolum apud veteres: ſed ramis palmarum uti ſolebant quum alicui imperium deferrent, vel ſuppliciter victorem deprecaren-

carentur. Videntur tamen iſti ramos palmarum ſumpſiſſe in manus, tanquam lætitiæ & feſtivitatis inſigne, quum novum Regem exciperent. *Clamabant Hoſanna.* Hac voce teſtati ſunt ſe in Jeſu Chriſto Meſſiam illum agnoſcere Patribus olim promiſſum, & à quo redemptio & ſalus ſperanda erat. Nam Pſalmus 118. unde ſumpta eſt iſta acclamatio, de Meſſia compoſitus fuit in hunc finem, ut ſancti omnes aſſiduis votis ardenter ejus adventum expeterent, & ſumma reverentia eum exciperent quum eſſet exhibitus. Probabile ergo eſt, imo certo poteſt colligi, paſſim tritam fuiſſe precationem hanc apud Judæos, adeoque in ore omnium verſatam. Ergo Spiritu Dei verba præeunte bene precati ſunt homines iſti Chriſto, & præcones ab eo delecti fuerunt qui teſtatum facerent Meſſiam veniſſe. Cæterum vox Hoſanna, ex duabus Hebræis conflata, tantundem valet atque Serva, vel Salvum fac, obſecro. Hebræi quidem aliter pronunciant, nempe *Hoſiah na*: ſed uſitatum eſt pronunciationem corrumpi quoties verba in alienam linguam transferuntur. Conſulto tamen Euangeliſtæ, quum Græce ſcriberent, retinuerunt vocem Hebraicam: quo melius exprimerent turbam ſolenni precandi formula uſam fuiſſe, quæ primum à Davide tradita, & continua ætatum ſerie in populo Dei recepta, peculiariter in uſum illum ſacrata erat ut regno Chriſti benedicerent. Eodem ſpectat quod mox ſequitur, *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Eſt enim hæc quoque fauſta precatio pro læto & proſpero regni illius ſucceſſu, unde pendebat Eccleſiæ Dei inſtauratio & felicitas. Quia tamen videtur in eo Pſalmo David de ſe potius quam de Chriſto loqui, nodus hic primum ſolvendus eſt. nec difficilis eſt ſolutio: ſcimus enim in quem finem regnum penes Davidem & ejus poſteros ſtabilitum fuerit: ut ſcilicet quoddam velut præludium eſſet æterni illius regni quod ſuo tempore manifeſtandum erat. Neque enim Davidem in ſe ſubſiſtere oportuit: & Dominus piorum omnium oculos alio ſubinde convertit per Prophetas. Quicquid ergo de ſe cecinit David, merito ad Regem illum refertur qui ſecundum promiſſionem exoriturus erat ex ejus ſemine Redemptor. Cæterum utilis hinc nobis colligenda eſt admonitio. Nam ſi membra ſumus Eccleſiæ, Dominus ad idem illud deſiderium quo fideles ſub Lege affectos eſſe voluit, nos hodie quoque ſollicitat: nempe ut toto corde optemus florere & proſpere habere Chriſti regnum. neque id modo, ſed ut precibus noſtris hoc teſtemur: & (quo plus ſit nobis animi ad precandum) notandum eſt verba ab eo nobis dictari. Væ igitur noſtræ ignaviæ, ſi fervorem illum quem Deus excitat, vel frigore noſtro extinguimus, vel tepore ſuffocamus. Interea ſciamus non irrita fore vota noſtra, quæ duce ac magiſtro Deo concipimus. tantum ne pigri ſimus, aut fatigemur rogando: ille fidus erit regni hujus præſes, ut ipſum invicta ſua virtute præſidioque tueatur. Manebit quidem, etiam nobis ceſſantibus, & ſtabit ejus majeſtas: ſed quod ſæpe non ita magnifice viget ut decebat, quin potius collabitur (quemadmodum hodie horrendam cernimus diſſipationem ejus ac vaſtitatem) id vitiis noſtris accidere certum eſt. Quod autem exigua & fere nulla apparet ejus reſtitutio, vel ſaltem lente procedit, torpori noſtro imputemus. Quotidie petimus à Deo ut regnum ejus adveniat: ſed vix centeſimus quiſque ſerio. Juſte ergo privamur Dei benedictione, quam expetere gravamur. Docemur etiam hoc verbo, unum eſſe Deum qui Eccleſiam ſervat & tuetur: neque enim ſibi vendicat aut tribui jubet niſi quod ſuum eſt. Quum igitur eo linguas noſtras formante petimus ut regnum Chriſti ſervet, fatemur, ut maneat regnum hoc in ſuo ſtatu, Deum ipſum unicum eſſe ſalutis auctorem. Utitur quidem ad id hominum opera, ſed quos manu ſua aptavit. Deinde ſic homines adhibet ad promovendum Chriſti regnum vel conſervandum, ut ſolus ipſe omnia Spiritus ſui virtute per eos inchoët ac perficiat. *Qui venit in nomine Domini.* Tenendum eſt primo quid ſibi velit hæc loquutio, Venire in Dei nomine. Nempe in nomine Dei venit qui non temere ſe ingerit, neque honorem falſo uſurpat: ſed rite vocatus Deum habet actionum ſuarum ducem & auctorem. Competit elogium hoc in omnes legitimos Dei miniſtros. Venit in nomine Dei Propheta, qui à Spiritu ſancto directus, ſincere quam è cælo accepit doctrinam hominibus tradit. Venit in eodem nomine Rex, per cujus manum Deus populum ſuum gubernat. Sed quia ſuper Chriſtum requievit Spiritus Domini, & idem eſt caput omnium, & quicunque ad regendam Eccleſiam unquam fuerunt ordinati, ejus imperio ſubjecti fuerunt, imo rivuli fuerunt ex fonte deducti: proprie dicitur in nomine Dei veniſſe. Nec tantum imperii gradu præ aliis excellit: ſed quia totum ſe nobis Deus in illo exhibet. Nam in eo habitat plenitudo deitatis corporaliter, ut Paulus inquit: & viva eſt Dei ima- *Coloſſ. 2. verſ. 9.*
go: denique verus eſt Immanuel. Quare ſingulari quodam jure veniſſe in nomine Domini dicitur: quia per eum non ex parte (ut antea per Prophetas) ſed in ſolidum Deus ſe patefecit. Ab ipſo igitur ſumendum eſt exordium, tanquam à capite, quum benedicere volumus Dei miniſtris. Jam quia pſeudoprophetæ ſuperbe jactant Dei nomen, & fallaci hoc prætextu ſe venditant (quum tamen diaboli impulſu ad perdendam Eccleſiam ferantur) ſubaudienda eſt antitheſis, ut Dominus eos diſſipet, ac in nihilum redigat. Ita benedicere Chriſto non poſſumus quin maledicamus Papæ, & ſacrilegæ tyrannidi quam adverſus Chriſtum erexit. Sua quidem anathemata, non ſecus ac fulmina, magno impetu in nos vibrat: ſed quæ ſecure contemnere velut inanes ampullas licet. Ex adverſo autem Spiritus ſanctus horribile anathema hic nobis dictat, quo uſque ad ultimos inferos cum toto ſuo ſplendore & pompa mergatur. Nec vero Pontifice aliquo opus eſt qui maledictionem in eum pronunciet, quando ſemel Chriſtus pueros hac poteſtate donavit, ubi ratum habuit eorum clamorem, ſicuti alii Euangeliſtæ narrant.

14. *Quum autem inveniſſet Jeſus aſellum.*] Hanc hiſtoriæ partem magis diſtincte alii Euangeliſtæ narrant: nempe quod duos miſerit Chriſtus ex ſuis diſcipulis qui aſinum adducerent. Joannes, qui ultimus omnium ſcripſit, ſatis habuit rerum quæ jam à reliquis tractatæ erant ſummas breviter notare. hinc fit ut multas circumſtantias omittat. Species autem repugnantiæ quæ pleroſque turbat, non magno negotio diſcutitur. Quod Matthæus dicit Chriſtum ſuper aſinam ſediſſe, & pullum ejus, ſynecdochice accipi debet. Quidam fingunt inſediſſe primum aſinæ, deinde ejus pullo. & ex ſuo figmento allegoriam eliciunt, quod primum inſederit Judaico populo, qui ferendo Legis jugo pridem aſſuetus erat: poſtea Gentes, tanquam rudem ac novitium aſellum ſibi ſubjecerit. Sed illud ſimpliciter verum eſt, Chriſtum ſuper aſinum equitaſſe, qui una cum matre adductus fuerat: & conveniunt Prophetæ verba, apud quem repetitio eſt Hebræis ſatis trita, quæ idem bis diverſis verbis exprimit: *Super aſinum*, inquit, *& ſuper filium ſubjugalis.* Euangeliſta noſter, qui brevitati ſtudet, omiſſo priore membro, poſterius tantum adducit. Porro Zachariæ vaticinium, quod tunc impletum fuit, Judæi quoque ipſi de Meſſia exponere coguntur: interea tamen nos ſubſannant, quod aſini umbra deluſi, filio Mariæ tribuamus Meſſiæ honorem. Atqui longe aliis teſtimoniis nititur fides noſtra. Nec vero quum dicimus Jeſum eſſe Chriſtum, hinc ordimur, quod aſino inſidens Hieroſolymam ſit ingreſſus. Conſpicua enim in eo fuit gloria, qualis decebat Filium Dei: ſicuti habuimus primo capite. Præcipua autem divina ejus virtus in reſurrectione effulſit. Verum hæc

non

non ſpernenda eſt confirmatio, quod Deus mirabili ſua providentia in iſto ingreſſu, quaſi io aliquo theatro, completum Zachariæ vaticinium propoſuit. *Ne timeas.* In hac Prophetæ ſententia, ut eam Euangeliſta recitat, notandum eſt primo non aliter tranquillam animis noſtris quietem conſtare, nec aliter nobis metum & trepidationem eximi, quam ubi Chriſtum inter nos regnare ſcimus. Alia quidem ſunt Prophetæ verba (nam ad lætitiam & jubilum fideles hortatur) ſed Euangeliſta noſter expreſſit quomodo animi noſtri ſolido gaudio exultent: nempe ubi ademptus eſt metus, quo torqueri omnes
Rom. 5: 1. neceſſe eſt, donec reconciliati Deo pacem illam habeant quæ ex fide naſcitur. Hoc ergo boni nobis per Chriſtum obtingit, quod liberati à Satanæ tyrannide, confracto peccati jugo, ſoluto reatu, morte abolita, ſecure gloriamur, Regis noſtri præſidio freti: ſub cujus tutela poſitis nihil periculi timendum eſt. Non quod vacui timore ſimus quamdiu degimus in mundo: ſed quia fiducia quæ in Chriſtum recumbir, omni timote ſuperior eſt. Quum adhuc procul abeſſet Chriſtus, jubebat tamen Propheta lætos eſſe atque hilares illius ſeculi pios homines, quia venturus eſſet. *Ecce* (dicebat) *Rex tuus veniet:* ergo ne timeas. nunc ex quo venit ut fruamur ejus præſentia, eo fortius nobis cum timore luctandum eſt, ot ab hoſtibus noſtris ſecuri, placide & alacriter Regem noſtrum colamus. Alloquebatur ſuo tempore Propheta Sionem: quia illic domicilium erat ac ſedes Eccleſiæ. nunc ex toto quidem mundo Deus ſibi Eccleſiam collegit: hæc tamen promiſſio peculiariter ad fideles dirigitur, qui ſe Chriſto ſubmittunt ut in ipſis regnet. Quod Chriſtum inducit in aſino equitantem, ſignificat regnum ejus à mundi pompa, ſplendore, opibus & potentia alienum fore: idque externa ſpecie monſtrari oportuit, ut ſpirituale eſſe omnes palam agnoſcerent.

16. Hæc vero non cognoverunt diſcipuli ejus primum: ſed quando glorificatus fuit Jeſus, tunc recordati ſunt quod hæc erant de eo ſcripta, & hæc fecerant illi.
17. Teſtimonium ergo reddidit turba quæ cum eo erat quum Lazarum vocaſſet ex ſepulchro, & ſuſcitaſſet eum ex mortuis.
18. Propterea occurrit illi turba, quia ipſum audierat hoc ſignum feciſſe.
19. Phariſæi porro dixerunt inter ſe, Videtis quod non proficitis quicquam? ecce mundus poſt eum abiit.

16. *Hæc non cognoverunt.*] Quemadmodum non germinat ſemen ſimulac in terram jactum eſt, ita nec ſtatim operum Dei fructus emergit. Miniſtri Dei, ſunt ad complendam prophetiam Apoſtoli: ſed quid agant non intelligunt. Audiunt turbæ clamorem, nec illum confuſum, ſed quod diſtincte Chriſtus Rex ſalutabatur: non tamen aſſequuntur quorſum hoc tendat, nec quid ſibi velit. Eſt ergo illis inane ſpectaculum, donec aperit Dominus oculos. Quum dicitur, *Recordatos eſſe tandem quod hæc de ipſo ſcripta eſſent*, cauſa notatur tam craſſæ ignorantiæ quæ ſcientiam præceſſit: nempe quia tunc ducem non habebant Scripturam ac magiſtram, quæ ipſorum mentes ad rectam puramque conſiderationem dirigeret. nos enim, niſi verbo Dei præeunte, cæci ſumus. Quanquam ne hoc quidem ſufficit, ut nobis verbum Dei luceat, niſi viciſſim illuminet oculos noſtros Spiritus, qui alioqui ad plenam lucem cæcutirent. Hac gratia ſuos diſcipulos Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem dignatus eſt: quia nondum advenerat maturum tempus quo Spiritus ſui divitias quaſi larga manu effunderet, donec receptus eſſet in gloriam cæleſtem, ut cap. 7. v. 39. habuimus. Nos vero hoc exemplo edocti, judicium de omnibus quæ ad Chriſtum pertinent, ex Scriptura, non proprio carnis noſtræ ſenſu facere diſcamus. Teneamus deinde hanc peculiarem eſſe Spiritus gratiam, ut temporis ſucceſſu nos erudiat, ne in reputandis Dei operibus ſtupidi ſimus. Membrum iſtud, *Quod hæc de eo erant ſcripta, & hæc fecerant illi*, ſic interpretor, quod tunc venit primum in mentem diſcipulis, non temere hæc facta fuiſſe Chriſto, neque homines iſtos inaniter luſiſſe, ſed totum hoc negotium Dei providentia fuiſſe gubernatum: quia impleri neceſſe erat quæcunque ſcripta fuerant. Proinde ita reſolve, Hæc ei fecerunt, ſicut de ipſo ſcripta erant.

17. *Teſtimonium reddidit turba.*] Iterum repetit quod dixerat, multos fama tanti miraculi excitatos veniſſe Chriſto obviam. Ideo enim turmatim exeunt quia paſſim ſparſus fuerat rumor de Lazaro in vitam reſtituto. Juſtam ergo materiam habebant iſti cur filio Mariæ tribuerent Chriſti honorem, quum tam inſignis ejus virtus illis nota eſſet.

19. *Videtis quod non proficitis quicquam?*] His verbis ad majorem ſe rabiem inſtigant. Eſt enim quædam ignaviæ exprobratio, acſi dicerent plebem ideo ad Chriſtum deficere quod nimis tardi eſſent ac molles. Hic loquendi mos eſt deſperatis hominibus, quum ſe ad extrema quæque tentanda parant. Quod ſi tanta eſt ad malum pertinacia Dei hoſtibus, longe conſtantiores in recto propoſito nos eſſe decet.

20. Erant autem quidam Græci ex iis qui aſcenderant ut adorarent die feſto.
21. Hi ergo acceſſerunt ad Philippum, qui erat ex Bethſaida Galilææ, & rogarunt eum, dicentes, Domine, volumus Jeſum videre.
22. Venit Philippus, & dicit Andreæ: rurſus Andreas & Philippus dicunt ipſi Jeſu.
23. Jeſus autem reſpondit illis, dicens, Venit hora ut glorificetur Filius hominis.
24. Amen, amen dico vobis, niſi granum tritici, quum cecidit in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.
25. Qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in mundo hoc, in vitam æternam cuſtodiet eam.
26. Siquis mihi miniſtrat, me ſequatur: & ubi ego ſum, illic etiam miniſter meus erit, quod ſi quis mihi miniſtraverit, honorem illi habebit Pater.

20. *Erant autem quidam Græci.*] Non exiſtimo Gentiles fuiſſe, vel incircumciſos: quia paulo poſt ſequitur, veniſſe ut adorarent. Atqui ſevere hoc prohibitum erat legibus Romanis, & acriter vindicabant Proconſules aliique magiſtratus, ſiquis patrio cultu relicto ad Judaiſmum tranſiiſſe compertus eſſet. Judæis vero qui per Aſiam & Græciam diſperſi erant, licebat mare trajicere ut ſacrificia offerrent in templo.

Dein-

Deinde nunquam paſſi fuiſſent Judæi miſceri ſibi in ſolenni Dei cultu Gentiles: quia putaſſent hoc modo ſe & templum & ſacrificia pollui. Tametſi autem progeniti erant ex Judæis, quia tamen procul trans mare habitabant, non mirum eſt ſi eos Euangeliſta inducat tanquam hoſpites, & eorum omnium ignaros quæ tunc Hieroſolymæ & in vicinis locis fiebant. Senſus ergo eſt, Chriſtum non modo ab incolis Judææ, qui ex pagis & urbibus ad diem feſtum venerant, fuiſſe pro Rege exceptum: ſed ad homines quoque transmarinos, qui ex longinquis terris venerant, famam ejus manaſſe. *Ut adorarent.* Poterant id quoque io patria: ſed Joannes ſolennem cultum deſignat, qui cum ſacrificiis erat conjunctus. Quamvis enim religio & pietas non eſſet templo affixa, non tamen alibi licebat ſacrificia Deo offerre, neque alibi habebant Arcam teſtimonii quæ divinæ præſentiæ ſymbolum eſſet. Spiritualiter quotidie domi ſuæ quiſque Deum colebat: ſimul tamen externa cultus profeſſio ſanctis ſub Lege præſtanda erat qualis præcepta erat à Moſe, ut ſe in templo ſiſterent coram facie Domini. in quem finem ordinati erant dies feſti. Quod ſi tam longa peregrinatio ab iſtis magno ſumptu, majore moleſtia, nec ſine periculo ſuſcepta fuit, ne externam pietatis ſuæ profeſſionem negligerent: qualis hodie excuſatio obtendi poteſt, niſi domi noſtræ verum Deum nos colere teſtamur? Ceſſavit quidem Legalis cultus: ſed Dominus Baptiſmum, & ſacram Cœnam, & publicum orandi ritum Eccleſiæ ſuæ reliquit, in quibus ſe exerceant fideles. Horom ergo neglectus nimis frigidum pietatis ſtudium in nobis eſſe prodit.

21. *Acceſſerunt ad Philippum.*] Hoc reverentiæ ſignum eſt quod Chriſtum non compellant, ſed per Philippum cupiunt pateſieri ſibi acceſſum. Reverentia enim modeſtiam ſemper ex ſe gignit. Quod autem hinc colligunt Papiſtæ invocandos eſſe mortuos ut nobis apud Chriſtum & Patrem ſint patroni, magis ridiculum eſt quam ut refutatione indigeat. Loquuntur Græci coram cum Philippo: qui mortuos inclamat, à quibus eſt ſeparatus, quid obſecro habet ſimile? Sed hi ſunt humanæ audaciæ fructus, poſtquam ſemel extra verbi Dei metas vagari ſibi permiſit. Sanctorum invocationem temere commenti ſunt Papiſtæ ex ſuo cerebro: nunc ut ſibi fallacem ex verbo Dei prætextum concilient, corrumpunt ac lacerant Scripturam, ac indignis eam ludibriis exponere oon dubitant.

23. *Venit hora.*] Multi hoc de morte exponunt, quia per eam illuſtrata fuit Chriſti gloria. itaque, ſecundum eos, Chriſtus jam inſtare mortis ſuæ tempus pronunciat. Sed ego potius ad Euangelii publicationem refero: acſi dixiſſet notitiam ſui mox ſpargendam fore per omnes mundi plagas. Ita voluit conſternationi occurrere, in quam diſcipulos conjicere mors ipſius poterat. Oſtendit enim non eſſe cur animis concidant, quia Euangelii doctrina nihilominus per totum orbem publicabitur. Porro ne iſta gloriæ cogitatio paulo poſt evaneſcat, ubi adjudicatus fuerit morti, ſuſpenſus in cruce, ac demum ſepultus: mature anticipat, & mortis ſuæ ignominiam gloriæ nihil obſtare admonet. Ad eam rem aptiſſima ſimilitudine utitur, *Niſi*, inquit, *granum frumenti mortuum fuerit*, ſive putreſcat, aridum manet ac ſterile. Mors autem ſeminis melius ipſum vivificat, ut inde prodeat fructus. In ſumma, Chriſtus mortem ſuam ſationi comparat, quæ dum videtur ad interitum tritici tendere, longe uberioris proventus cauſa eſt. Quanquam autem præſenti temporis articulo maxime admonitio hæc neceſſaria erat, perpetuum tamen uſum habet in Eccleſia. ac primum à capite incipere convenit. Terribilis illa ſpecies ignominiæ & maledictionis, quæ apparet in morte Chriſti, non modo obſcurat ejus gloriam, ſed è conſpectu noſtro prorſus tollit. Non eſt igitur in morte ſola hærendum: ſed fructus, quem protulit reſurrectio, ſimul reputandus eſt. Ita nihil impediet quominus undique refulgeat ejus gloria. Hinc deinde ad membra tranſeundum eſt. neque enim ſolum in morte interire nos putamus, ſed vita quoque noſtra inſtar eſt perpetuæ mortis, Coloſ. 3. verſ. 3. Actum ergo de nobis erit, niſi iſta conſolatio ſuccurrat qua nos erigit Paulus, Si exterior homo noſter corrumpitur, 2 Cor. 4.
interior renovatur de die in diem. Sit igitur hæc verſ. 16.
continua piorum meditatio, quum premuntur variis ærumnis, quum anguſtiis conſtricti tenentur, quum fame, aut nuditate, aut morbis laborant, quum injuriis vexantur, quum videntur ſingulis momentis propemodum à morte abſorbendi, hanc eſſe ſationem, quæ ſuo tempore fructum proferet.

25. *Qui amat animam ſuam.*] Doctrinæ exhortationem Chriſtus annectit: nam ſi mori nos oportet ut fructum feramus, patienter ferendum eſt ut Deus nos mortificet. Quia autem vitæ amorem & odium ioter ſe opponit, tenendum eſt quid ſit vitam amare & odiſſe. Qui immodico vitæ præſentis deſiderio implicitus non poteſt oiſi coactus mundum relinquere, vitam amare dicitur: qui autem per contemptum vitæ hujus alto aoimo ad mortem pergit, dicitur vitam odiſſe: non quod ſimpliciter vita odio habenda ſit (quæ merito cenſetur inter ſumma Dei beneficia) ſed quia eam libenter abjicere debent fideles quum eos à Chriſti acceſſu remoratur. quemadmodum ſiquis onus moleſtum & incommodum, quum vult alio properare, à ſuis humeris excutiat. In ſumma, vitam hanc amare non per ſe malum eſt, modo in ea tantum peregrinemur, ſemper ad ſcopum noſtrum intenti. Nam hic legitimus eſt amandæ vitæ modus, ſi in ea manemus quamdiu Domino viſum fuerit, & ejuſdem arbitrio ſubinde parati ſumus ab ea migrare: vel (ut uno verbo dicam) ſi eam quaſi manibus geſtantes offerimus Deo in ſacrificium. Quiſquis ultra addictus eſt præſenti vitæ, vitam ſuam perdit, hoc eſt, conjicit in perpetuum exitium. Perdere enim hic non ſignificat amittere, aut facere rei charæ jacturam, ſed exitio tradere. Satis vulgare eſt, *animæ* nomen pro vita accipi. Quidam pro ſede affectuum hoc loco accipiuot: acſi dixiſſet Chriſtus, qui carnis ſuæ votis nimium indulget, ille animam ſuam perdit. Sed hoc nimis coactum eſt: illud alterum ſimplicius, quod is demum optimam habet vitæ perpetuo fruendæ rationem qui eam negligit. Porro ut clarior ſit ſenſus, particula *in mundo*, quæ ſemel tantum exprimitur, bis repetenda eſt: ut ſenſus ſit, peſſime eos vitæ ſuæ conſulere qui eam in mundo amant: rurſum eos vere ſcire quomodo ſervanda ſit vita, qui eam in mundo contemnunt. Et certe quiſquis mundo affixus eſt, cæleſti vita ultro ſe privat, cujus non aliter futuri ſumus hæredes, niſi inquilini ſimus & hoſpites in mundo. Ideo belluinus eſt ille affectus, qui regnat in omnibus incredulis, dum eſſe appetentes, ſuum illud eſſe in mundo includunt. hinc fit ut quo quiſque magis ſollicite intentus eſt in ſuam ſalutem, à regno Dei, hoc eſt, à vera vita) ſe alienet. *Qui odit animam ſuam.* Jam admonui hoc comparative eſſe dictum: quia ſpernenda ſit vita quoties nobis impedimento eſt ne Deo vivamus. Nam ſi præponderet cæleſtis vitæ meditatio in cordibus noſtris, oullius momenti erit mundus ut nos retineat. Hinc etiam ſolvitur quæ hic poſſet objici quæſtio, Multi per deſperationem, aut aliis de cauſis (ac vitæ præſertim tædio) mortem ſibi conſciſcunt: quos tamen non dicemus ſaluti ſuæ proſpicere. alios ad mortem rapit ambitio, qui ſimul in æternum exitium ſe præcipitant. Sed hic Chriſtus diſertis verbis odium aut contemptum caducæ vitæ commendat, quem ex ſenſu vitæ melioris concipiunt fideles. Proinde quiſquis in cælum non reſpicit, nondum didicit quomodo ſervanda ſit vita. Porro hoc poſterius membrum addidit Chriſtus ut ter-

rotem

rorem incuteret terrenæ vltæ nimium cupidis: quia ſi demerſi ſumus in amorem mundi, ut non facile ſit ejus oblivіſci, fieri non poteſt ut in cælum pergamus. Sed quum tam violenter Chriſtus nos expergefaciat, nimis abſurdum eſſet exitialem ſomnum dormire.

26. *Si quis mihi miniſtraverit.*] Quo mors minus nobis acerba ſit ac moleſta, Chriſtus ad eam libenter ſubeundam exemplo ſuo nos invitat. Pudebit certe boc bonoris recuſare ut ſimus ejus diſcipuli. atqui non alia lege nos in ſuorum numerum admittit, niſi quam ipſe præmonſtrat viam ſequamur. Eſt autem nobis dux itineris ad obeundam mortem. Miteſcit ergo & quodammodo ſuavis redditur mortis acerbitas, dum nobis ejus ſubeundæ conditio cum Filio Dei communis eſt. Ergo tantum abeſt ut nos propter crucem abborrere à Chriſto conveniat, ut potius in ejus gratiam mors oppetenda ſit. Eodem pertinet quod ſequitur, *Et ubi ego ſum, illic miniſter meus erit.* Exigit enim ne recuſent ſui miniſtri ſe morti ſubjicere, ad quam præire ipſum vident. Neque enim æquum eſt ut quicquam habeat ſeparatum miniſter à domino ſuo. Futurum tempus in verbo *erit* poſitum eſt vice imperativi, more Hebraico. Aliis videtur eſſe conſolatio, quaſi promitteret Chriſtus conſortes ſuæ reſurrectionis fore quibus grave non fuerit ſimul mori: ſed illud quod dixi probabilius eſt. Poſtea enim additur conſolatio, quod Pater mercede non fruſtrabitur Chriſti miniſtros, qui individui fuerint illi comites tam in vita quam in morte.

27. Nunc anima mea turbata eſt: & quid dicam? Pater, ſerva me ex hac hora: ſed propterea veni in horam hanc.

28. Pater glorifica nomen tuum. Venit ergo vox è cælo, Et glorificavi, & iterum glorificabo.

29. Turba ergo quæ ſtabat, & audierat, dicebat tonitru factum eſſe: alii dicebant, Angelus ei loquutus eſt.

30. Reſpondit Jeſus, & dixit, Non propter me hæc vox facta eſt, ſed propter vos.

31. Nunc judicium eſt mundi hujus, nunc princeps mundi hujus ejicietur foras.

32. Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnes traham ad meipſum.

33. Hoc autem dicebat, ſignificans qua morte eſſet moriturus.

27. *Nunc anima mea.*] Videtur initio ſententia hæc multum diſcrepare à proximo ſermone. Illud pluſquam heroici pectoris ſignum erat, hortari ſuos non modo ad ſubeundam mortem, ſed libenter & cupide oppetendam ubi res ita poſtulat: nunc mortem refugiendo, mollitiem ſuam fatetur. nihil tamen hic legimus quod non optime conveniat, quemadmodum quemque fidelium propria experientia docet. Si rideant naſuti homines, nihil mirum: neque enim poteſt boc intelligi niſi praxis accedat. Cæterum ſaluti noſtræ utile fuit, imo neceſſarium, ſic affici Filium Dei. In morte ejus præcipue expiatio conſideranda eſt, qua iram & maledictionem Dei placavit. Id porro fieri non poterat quin reatum noſtrum in ſe transferret. Mortem igitur quam ſobibat, borroris plenam eſſe oportuit: quia ſatisfactione pro nobis defungi non poterat quin horribile Dei judicium ſenſu ſuo apprehenderet. Unde melius cognoſcitur peccati atrocitas, cujus tam diram pœnam ab unigenito Filio exegit cæleſtis Pater. Sciamus ergo mortem non fuiſſe delicias aut luſum Chriſto, ſed in extremos uſque cruciatus dejectum fuiſſe noſtra cauſa. Nec vero abſurdum fuit, Dei Filium ſic turbari: divinitas enim occulta neque vim ſuam exerens, quodammodo quievit, ut locum expiationi faceret. Ipſe autem Chriſtus non modo carnem noſtram, ſed bumanos affectus induerat. Fuerunt quidem voluntarii iſti in eo affectus (quia non coactus timuit, ſed quia timori ſponte ſe ſubjecerat): ſtatuendum eſt tamen, vere non ficte timuiſſe. Quanquam in hoc reliquis hominibus fuit diſſimilis, quod affectus ſuos babuit temperatos in obedientiam juſtitiæ Dei: ſicuti alibi dictum eſt. Altera etiam utilitas binc ad nos redit. Si nulla in Chriſto fuiſſet turbatio ex mortis timore, quis noſtrum putaret ad ſe ſpectare ejus exemplum? neque enim mortem ſine doloris ſenſu oppetere nobis datum eſt: ſed quum audimus non fuiſſe in eo ferreum robur, colligimus animos ad eum ſequendum. neque obſtat nobis carnis infirmitas, quæ mortem expaveſcit, quin duci noſtro comites nos addamus ad luctandum. *Et quid dicam?* Hic tanquam ſub oculis cernimus quanti conſtiterit ſalus noſtra Dei Filio, dum in ultimas anguſtias redactus, neque verba invenit quibus exprimat doloris vehementiam, nec conſilium ſecundum hominem. Quod autem unum reſtat, confugit ad preces, & ſe liberari à morte poſtulat. Rurſum quia ſimul videt ſe æterno Dei conſilio deſtinatum eſſe victimam pro peccatis, votum illud quod ingens mœſtitia expreſſerat, mox corrigit, & quaſi injecta manu ſeipſum retrahit, ut totus acquieſcat Patris arbitrio. Notandi ſunt hoc loco quinque gradus. nam primum locum tenet querimonia, quæ erumpit ex immenſo dolore: ſecundo, ſentit ſe opus babere remedio, & ne metu obruatur, ſecum quærit quidnam ſit agendum: tertio, ad Patrem ſe recipit, eumque liberatorem implorat: quarto, votum quod agnoſcit vocationi ſuæ adverſum, retractat, & quidvis pati præoptat quam ut non impleat quod ſibi à Patre injunctum eſt: poſtremo, una Dei gloria contentus, reliqua omnia obliviſcitur, ac pro nihilo ducit. Sed videtur hoc parum decere Filium Dei, quod votum illi inconſiderate effluit cui ſtatim renunciandum eſt ut Patri obediat. Fateor certe hanc eſſe crucis ſtultitiam, quæ ſcandalo eſt ſuperbis hominibus. Sed quo ſe magis exinanivit gloriæ Dominus, eo luculentius habemus immenſi ejus amoris erga nos ſpecimen. Cæterum memoria tenendum eſt quod prius admonui, bumanos affectus, à quibus Chriſtus immunis non fuit, puros in eo fuiſſe, & à peccato immunes. ratio eſt, quia compoſiti erant, & temperati ad Dei obſequium. Neque enim obſtat quin mortem naturaliter horreat Chriſtus, & tamen cupiat parere Deo: nempe ſecundum diverſos reſpectus. Hinc illa correctio, quum dicit, *Propterea veni in hanc horam.* Utcunque enim mortem per ſe timere licet, quia tamen reputat quorſum miſſus ſit, & quid exigat Redemptoris officium, conceptum ex naturæ ſenſu horrorem Patri domandum offert: vel potius eo domito, liber & ſolutus ad exequendum Dei imperium ſe accingit. Quod ſi Chriſti affectus omni vitio puros ita ſubigi oportuit ut Patri obſequens eſſet, quanto ſtudio in hoc incumbere nos oportet, quando totidem Dei ſunt inimici in nobis quot ex carne noſtra affectus ſcaturiunt? Sit bæc igitur piorum meditatio, vim ſibi facere donec ſeipſos abnegaverint. Simul notandum eſt, non tantum affectus eos eſſe frenandos qui ex diametro pugnant cum Dei voluntate, ſed qui vocationis noſtræ curſum impediunt, etiamſi alias pravi non ſint nec vitioſi. Hoc ut clarius pateat, in primo gradu locanda eſt Dei voluntas: in ſecundo voluntas bominis ſincera & inte-

Digitized by Google

integra, qualem Deus Adæ indiderat, & qualis in Chriſto fuit: in poſtremo noſtra, quæ peccati contagione infecta eſt. Voluntas Dei regula eſt cui ſubjici oportet quicquid eſt inferius. Jam pura naturæ voluntas Deo per ſe rebellis non erit: homini tamen, etiamſi totus ad rectitudinem formatus ſit, multa impedimenta occurrent, niſi ſuos affectus Deo ſubigat. Chriſto igitur unum & ſimplex certamen fuit, ut quod naturaliter timebat, timere deſineret, quum agnoſcit aliter Deo placere. Nobis autem duplex eſt, quia cum carnis noſtræ contumacia luctandum eſt. Hinc fit ut fortiſſimi quique athletæ nunquam tamen abſque vulnere ſuperent. *Pater ſerva me.* Hic ordo nobis ſervandus eſt quoties vel metu angimur, vel urimur dolore, ut ſtatim corda noſtra ſe ad Deum efferant. Nihil enim deterius eſt vel magis noxium quam intus alere quod nos cruciat. ſicuti videmus bonam mundi partem ſe arrodere cæcis tormentis: atque in omnibus qui ad Deum non aſſurgunt, hæc juſta eſt ſocordiæ pœna, ne quicquam levationis ſentiant.

28. *Pater glorifica nomen.*] His verbis, Patris gloriam ſe aliis omnibus præferre teſtatur, etiam poſthabita & neglecta vitæ ratione. Atque hæc vera demum eſt votorum omnium moderatio, ſi Dei gloriam ita expetimus ut reliqua omnia locum ei cedant. Hæc enim compenſatio abunde nobis ſufficere debet, ut quæcunque gravia & moleſta ſunt, æquo animo feramus. *Et glorificavi.* Tantundem valet acſi dixiſſet, Perficiam quod cœpi: neque enim Deus opus manuum ſuarum mutilum deſerit, ut habetur Pſ. 138:8. Cæterum quia Dei conſilium fuit crucis ſcandalo occurrere, non modo promittit glorioſam fore Chriſti mortem, ſed ſimul tot decora commendat, quibus eam jam prius ornaverat.

29. *Tonitru factum eſſe.*] Hoc certe prodigio ſimile, quod ad tam apertum miraculum ſtupida fuerit turba quæ adſtabat. Quidam ſurdis auribus quaſi confuſum ſonum accipiunt quod diſtincte protulerat Deus: Alii minus hebetes, multum tamen diminuunt ex majeſtate divinæ vocis, quum Angelum fingunt auctorem. Sed idem hodie quoque uſu venit. nam ſatis articulate loquitur Deus in Euangelio, & illic vis & energia Spiritus ſe profert, quæ cælum & terram concutere debeat: ſed tam frigida eſt apud multos doctrina, quaſi motum ab homine mortali prodiret: aliis vero balbus eſt Dei ſermo ac barbarus, non ſecus ac tonitru. Quæritur tamen an fruſtra & ſine ullo profectu vox illa de cælo inſonuerit? Reſpondeo, quod hic turbæ Euangeliſta tribuit, nonniſi in partem competere. Fuerunt enim præter Apoſtolos etiam aliqui minus ſiniſtri interpretes. ſed Euangeliſta breviter notare voluit quid promiſcue in mundo fieri ſoleat: nempe quod major pars Deum audiens clare & ſonore loquentem, non audit.

30. *Non propter me.*] Annon confirmatione opus habuit Chriſtus, vel minorem ejus curam quam noſtri habuit Pater? Sed tenendum eſt illud principium: ſicuti Chriſtus noſtra cauſa carnem induit, ita quicquid bonorum accepit à Patre, noſtra cauſa fuiſſe illi collatum. Deinde hoc quoque verum eſt, vocem è cælo fuiſſe editam populi reſpectu. neque enim externo miraculo opus ipſe habebat. Porro hic tacita eſt exprobratio quod Judæi quaſi lapidum inſtar, ſurdi ſint ad Dei vocem: nam quum eorum cauſa loquatur Deus, nihil excuſationis habet eorum ingratitudo, dum aures non accommodant.

31. *Nunc judicium eſt mundi.*] Jam Dominus, quaſi certamine defunctus, & jam non timoris ſolum, ſed mortis quoque victor exultat. Magnifice enim fructum mortis ſuæ prædicat, quæ diſcipulis conſternationis poterat cauſa eſſe. *Judicii* nomen aliis reformationem, aliis damnationem ſignificat. Ego prioribus magis aſſentior, qui ita exponunt, quod mundus in legitimum ordinem reſtituendus ſit. nam vox Hebraica *Miſpbat*, quæ per *Judicium* redditur, rectam conſtitutionem ſignificat. Scimus autem extra Chriſtum nihil in mundo niſi confuſum eſſe. Etſi autem jam regnum Dei erigere cœperat Chriſtus, mors tamen ejus verum demum ſtatus rite compoſiti exordium, & plena mundi inſtauratio fuit. Notandum tamen ſimul quod hæc in mundo rectitudo conſtitui nequeat quin regnum Satanæ prius aboleatur, quin redigatur in nihilum caro, & quicquid Dei juſtitiæ adverſum eſt. Denique neceſſum eſt ut mundi novitatem mortificatio præcedat. Quare pronunciat Chriſtus ejiciendum eſſe mundi principem: quia hinc diſſipatio & deformitas, quod dum tyrannidem uſurpat Satan, graſſetur iniquitas. Ejecto itaque Satana, mundus à defectione revocatur ſub Dei imperium. Siquis roget quomodo dejectus in morte Chriſti fuerit Satan, qui aſſidue bellare non deſinit: reſpondeo ejectionem hanc non reſtringi ad exiguum aliquod tempus, ſed deſcribi inſignem illum mortis Chriſti effectum qui quotidie apparet.

32. *Quum exaltatus fuero.*] Sequitur modus ſtatuendi judicii, quod ſcilicet Chriſtus in crucem ſublatus omnes ad ſe colliget, ut è terra in cælum ipſos attollat. Dicit Euangeliſta Chriſtum ſpeciem mortis ſuæ indicaſſe. Non dubium ergo eſt quin ſenſus ſit, crucem inſtar vehiculi fore, quo ſecum ad Patrem omnes attollat. Videri tunc poterat evectus è terra, nequid amplius illi cum hominibus commune foret. ſed longe aliter ceſſurum pronunciat: ut ſcilicet trahat ſurſum ad ſe qui in terra defixi erant. Quanquam autem alludit ad formam mortis, generaliter tamen intelligit, mortem ſuam non fore diſſidium quo ſeparetur ab hominibus, ſed novam terræ in cælum attrahendæ rationem. Quod *omnes* dicit, referendum eſt ad Dei filios, qui ex grege ſunt. Aſſentior tamen Chryſoſtomo, qui particula univerſali uſum eſſe Chriſtum tradit: quia ex Gentibus pariter & Judæis colligenda eſſet Eccleſia, ſecundum illud, Erit paſtor unus & unum ovile. Vetus interpretatio Latina habet, Omnia traham ad me: & Auguſtinus ita legendum contendit. ſed conſenſus Græcorum omnium codicum pluris apud nos valere debet.

Supra 10. 16.

34. Reſpondit ei turba, Nos audivimus ex Lege quod Chriſtus in æternum manet: & quomodo tu dicis, Oportet exaltari Filium hominis? Quis eſt iſte Filius hominis?

35. Dixit ergo illis Jeſus, Adhuc ad breve tempus lumen vobiſcum eſt: ambulate donec lumen habetis, ne tenebræ vos comprehendant: & qui ambulat in tenebris, non novit quo vadat.

36. Donec lumen habetis, credite in lumen, ut filii luminis ſitis. Hæc loquutus eſt Jeſus, & abiens abſconditus eſt ab illis.

34. *Nos audivimus ex Lege.*] Non dubium eſt quin maligne verba Chriſti cavillari propoſitum illis fuerit: ideo ſua eos malitia excæcat, ut in clara luce nihil cernant. Negant Jeſum ſibi habendum pro Chriſto, quia ſe moriturum dixerit, quum Lex Meſſiæ perpetuitatem tribuit. Quaſi vero non habeatur utrumque diſerte in Lege expreſſum, quod ubi mortuus fuerit Chriſtus, florebit ejus regnum uſque in finem mundi. Iſti vero ex ſecundo membro calumniæ anſam arripiunt. Principium autem erroris

fuit

fuit quod ex ſenſu carnis ſplendorem regni Meſſiæ æſtimabant. Hinc fit ut Chriſtum reſpuant, quia non reſpondet eorum figmento. Sub *Legis* nomine Prophetas etiam comprehendunt: & tempus præſens in verbo *manendi* pro futuro ponitur, ſecundum phraſin Hebraicam. Interrogatio iſta, *Quis eſt iſte Filius hominis?* ludibrium in ſe continet, acſi Chriſtus brevi illa refutatione victus jaceret. Unde apparet quam arrogans ſit inſcitia: perinde enim eſt acſi dixiſſent, I nunc, ac te Chriſtum eſſe jacta, quum tua ipſius confeſſio te nihil affine habere coarguat.

35. *Adhuc ad breve tempus.*] Tametſi hoc reſponſo Dominus benigne eos admonet, ſimul tamen acriter eos pungit: objurgat enim eos quod in luce cæcutiant, & ſimul denunciat brevi lucem ablatum iri. Quum dicit *exiguum adhuc tempus* reſtare lucis, confirmat quod jam dixerat de morte ſua. Quamvis enim lucem non corporalis ſuæ præſentiæ, ſed Euangelii intelligat, tamen ad diſceſſum ſuum alludit. acſi diceret, Quum tunc abiero, non deſinam lux eſſe: ita nihil mihi per tenebras veſtras decedet. Quum dicit *lumen* illis adeſſe, oblique eos perſtringit, quod oculis clauſis lumen prætereant: ideoque indignos eſſe ſignificat quorum ſolvatur objectio, quia ſponte ſibi errandi materiam accerſant. Quod dicit, *Lumen illis nonniſi ad breve tempus fulgere*, incredulis omnibus commune eſt: nam Dei filiis Scriptura Solem juſtitiæ promittit oriturum qui nunquam occidat, Jeſaiæ 60. verſ. 19. Non fulgebit vobis poſthac ſol interdiu, neque luna per noctem: ſed Dominus erit vobis in lucem æternam. Omnibus tamen ſollicite ambulandum eſt: quia lucis contemptum tenebræ ſequuntur. Quæ & cauſa eſt cur tam denſa nox & caliginoſa antehac pluribus ſeculis mundo incubuerit, qood pauci dignati ſunt ad cæleſtis ſapientiæ fulgorem incedere. Nobis enim illucet Chriſtus per Euangelium, ut quam monſtrat ſalutis viam ſequamur. Ergo qui Dei gratia non utuntur, oblatum lumen quantum in ſe eſt extinguunt. Et (quo plus terroris incutiat) admonet quam miſera ſit eorum conditio qui luce deſtituti toto vitæ curſu errant. Nam pedem movere nequeunt ſine lapſus vel etiam ruinæ periculo. Jam vero in tenebris nos eſſe pronunciat Chriſtus, niſi ipſe nobis præluceat. Hinc collige quid valeat humanæ mentis perſpicacia ubi ipſa ſibi eſt dux & magiſtra extra Chriſtum.

36. *Credite in lumen.*] Hortatur ut fide poſſeſſionem lucis retineant. *Filios* enim *lucis* appellat, qui tanquam veri hæredes, ea in finem uſque fruuntur. *Hæc loquutus eſt Jeſus.* Mirum videri poſſet cur ſe ab illis ſubduxerit qui tam cupide eum exceperunt: ſed ex aliis Euangeliſtis colligere promptum eſt de hoſtibus haberi hic ſermonem, quos pium bonorum & ſimplicium ſtudium peſſime urebat. Nam advenæ qui obviam Chriſto progreſſi erant, eum proſequuti ſunt in templum uſque, ubi in Scribas & urbanam turbam incidit.

37. Porro quum * tanta ſigna feciſſet coram ipſis, non crediderunt in eum: * vel, tam multa.
38. Ut ſermo Jeſaiæ Prophetæ compleretur quem dixit, Domine, quis credidit audi- *Jeſa.* 53.
tui noſtro? & brachium Domini cui revelatum eſt? *Rom.* 10.
39. Propterea non poterant credere, quia rurſum dicit Jeſaias, *verſ.* 16.
40. Excæcavit eorum oculos, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & *Jeſa.* 6.
corde intelligant, & convertantur, & ſanem eos. *verſ* 9. *Mat.* 13.
41. Hæc dixit Jeſaias quum vidit gloriam ejus, & loqnutus eſt de ipſo. *verſ.* 14.

37. *Quum tanta ſigna.*] Nequem impediat vel turbet quod Chriſtus a Judæis deſpectus fuerit, ſcandalum hoc Euangeliſta removet, oſtendens præclaris & minime ambiguis teſtimoniis fuiſſe inſtructum, quæ fidem illi & doctrinæ ejus facerent: ſed Dei gloriam & virtutem, quæ in miraculis palam ſulgebat, non fuiſſe à cæcis conſpectam. Principio itaque tenendum eſt, per Chriſtum non ſteriſſe quin fidem ſibi conciliaret apud Judæos: quia pluribus miraculis abunde teſtatus eſt quiſnam eſſet; ideo iniquum eſſe ac rationi minime conſentaneum ut eorum incredulitas quicquam illi detrahat. Sed quia hoc ipſum multos tenere anxios & perplexos poterat, unde tantus Judæis ſtupor ut viſibilis Dei potentia nihil eos moveret: ultra Joannes progreditur, fidem ſcilicet non ex communi hominum ſenſu naſci, ſed ſingulare rarumque Dei eſſe donum: atque hoc de Chriſto fuiſſe olim prædictum, quod vix pauci Euangelio credituri eſſent.

38. *Ut ſermo Jeſaiæ.*] Non ſignificat Joannes neceſſitatem ex vaticinio Judæis fuiſſe impoſitam; neque aliud protulit Jeſaias quam quod illi Dominus ex arcanis conſilii ſui theſauris patefecit. Tacente quidem Propheta id accidere oportuit: ſed quia neſciebatur quid futurum eſſet niſi teſtatum Deus feciſſet per os Prophetæ; rem alioqui hominibus obſcuram & fere incredibilem Euangeliſta in vaticinio, quaſi in ſpeculo, ante oculos ponit. *Domine, quis credidit.* Duo ſunt hujus ſententiæ membra: in priore Jeſaias de Chriſto verba facere jam exorſus, quum prævideat, quicquid de Chriſto promulgat ipſe, & deinde per Apoſtolos publicandum erat, paſſim à Judæis rejectum iri, quaſi ad immane prodigium ſtupens, exclamat, *Domine, quis credet auditui noſtro?* In ſecundo autem membro cauſam paucitatis agnoſcit, quod ſcilicet homines ſuo Marte huc minime perveniant: Deus autem non omnes vulgo illuminet, ſed paucos Spiritus ſui gratia dignetur. Quod ſi inter Judæos non debuit obſtinata multorum incredulitas obſtare fidelibus, quantumvis numero pauci eſſent: eadem hodie quoque apud nos valeat ratio, ne Euangelii nos pudeat, quamvis paucos habeat diſcipulos. In primis tamen notanda eſt ea ratio quæ ſubjicitur, quod ſcilicet fideles non proprium acumen, ſed Dei revelatio faciat. *Brachii* nomine potentiam intelligi ſatis notum eſt. Dei brachium, quod in Euangelii doctrina incluſum eſt, Propheta latere admonet donec patefiat: ac ſimul teſtatur, non omnes promiſcue hujus revelationis eſſe participes. unde ſequitur, multos cæcitati ſuæ relinqui interioris lucis expertes, qui audiendo non audiant.

39. *Propterea non poterant credere.*] Hoc eſt aliquanto durius: quia (ut verba ſonant) obſtructa Judæis via, & præciſa credendi facultas fuit eo quod Prophetæ vaticinium cæcitati eos addixerat, priuſquam utrumvis ipſi eligerent. Reſpondeo, nihil eſſe abſurdi ſi accidere ſecus non potuit quam Deus prævideràt. Sed notandum, ſimplicem nudamque Dei præſcientiam rerum cauſam non eſſe. Quanquam hic non tam præſcientiæ Dei quam judicii & vindictæ nobis habenda eſt ratio. Neque enim Deus quid è cælo ſpeculetur facturos eſſe homines, ſed quid ipſe facturus ſit pronunciat:

L nem-

nempe quod ſtupore & vertigine percutiet impios, ut de ipſorum malitia ultionem ſumat. nam hic notatur cauſa propinqua & inferior, cur verbum ſuum, quod natura ſalutare eſt, Deus exitiale Judæis ac mortiferum eſſe velit: nempe quod ſua malitia ita meriti eſſent. Hanc pœnam ipſis impoſſibile fuit effugere, quum ſemel Deo ſtatutum eſſet ipſos in reprobum ſenſum conjicere, & verbi ſui lucem illis vertere in tenebras. Nam poſterius hoc vaticinium in eo diſſimile eſt priori, quod illic Propheta non alios credere teſtatur quam quos Deus gratuito ſuo beneplacito illuminat, cujus cauſa non apparet. Nam quum ex æquo perditi ſint omnes, Deus mera ſua bonitate quos viſum eſt à reliquis diſcernit. Hic autem obdurationem commemorat, qua ingrati populi malitiam ultus eſt Deus. Hos gradus qui non obſervant, perperam diverſos Scripturæ locos confundunt.

40. *Excæcavit cor.*] Locus eſt ex ſexto capite Jeſaiæ ſumptus, ubi Dominus mature Prophetam admonet, non alium operæ ejus quam docendo inſumet profectum fore, niſi ut deterior reddatur populus. Primum ergo dicit, Vade, & dic populo huic, Audiendo audite, & ne audiatis. acſi diceret, Mitto te ut verba facias apud ſurdos. Poſtea ſubjicit, Excæca cor populi &c. quibus verbis ſignificat, verbum ſuum reprobis in pœnam ſe deſtinare, ut inde craſſior reddatur eorum cæcitas, atque in altiores tenebras mergatur. Formidabile ſane Dei judicium, quum humanas mentes doctrinæ luce ita obruit ut omni intelligentia priventur: imo quum ex unica eorum luce caliginem illis obducit. Porro notandum eſt, id accidentale eſſe verbo Dei quod homines excæcat. nihil enim minus conſentaneum quam ut nihil à mendacio differat veritas, panis vitæ mortiferum fiat venenum, & medicina augeatur morbus. Verum id hominum malitiæ imputandum eſt, quæ vitam convertit in mortem. Notandum præterea eſt, Dominum aliquando per ſeipſum excæcare hominum mentes, quum judicio & ſenſu eas privat: aliquando per Satanam & pſeudoprophetas, quum eorum fallaciis illas dementat: aliquando etiam per ſuos miniſtros, quum illis noxia ac lethalis eſt ſalutis doctrina. Cæterum modo fideliter incumbant Prophetæ in munus docendi, & laboris ſui fructum Domino commendent, etiamſi minus ex voto ſuccedat, eos deficere vel labaſcere non oportet. ſufficiat potius quod laborem ſuum Deo probari norunt, quamvis hominibus ſit inutilis: imo odorem illum doctrinæ, quem ſibi mortiferum reddunt impii, bonum & ſuavem eſſe Deo, quemadmodum teſtatur Paulus. *Cor* aliquando pro ſede affectuum ponitur in Scriptura: ſed hic (ut in pluribus aliis locis) pars animæ intellectiva (quam vocant) notatur hac voce. In eundem modum loquitur Moſes, Deut. 29: 4. Non dedit tibi Dominus cor ad intelligendum. *Ut non videant oculis.* Meminerimus ſermonem haberi à Propheta de incredulis qui jam ante Dei gratiam reſpuerant. Certum quidem eſt tales fore omnes natura, niſi Dominus quos elegit, ad obſequium ſuum formaret. itaque ab initio par eſt & indifferens hominum conditio: ſed poſtquam reprobi ultro & propria malitia Deo rebelles fuerunt, huic vindictæ locus eſt, ut in reprobum ſenſum conjecti, ruere magis ac magis in ſuum exitium non deſinant. Proinde quod Dominus eos converti non vult, ex eorum culpa manat, quia ipſi ſibi deſperationis fuerunt auctores. Breviter etiam his Prophetæ verbis docemur quale ſit noſtræ ad Deum converſionis initium: nempe ubi corda illuminat, quæ ab ipſo tamdiu averſa eſſe neceſſe eſt dum Satanæ tenebris occupantur. Contra autem, ea eſt vis divinæ lucis ut nos ad ſe rapiat, & in imaginem Dei transformet. Fructus converſionis additur, *ſanatio.* quo nomine intelligit Propheta Dei benedictionem, ac proſpetum ſtatum, adeoque liberationem ex omnibus miſeriis quæ ex ira Dei proveniunt. Jam ſi hoc reprobis contingit præter verbi naturam, tenenda eſt antitheſis contrarii uſus: nempe in eum finem prædicari nobis verbum ut nos illuminet in veram Dei notitiam, ut ad Deum convertat, noſque illi reconciliet, quo beati ac felices ſimus.

2 Cor. 2. verſ. 15.

41. *Hæc dixit Jeſaias.*] Ne putarent lectores intempeſtive citari hoc vaticinium, diſerte admonet Joannes, Prophetam non uni ſeculo doctorem fuiſſe miſſum: quin potius oſtenſam illi fuiſſe Chriſti gloriam, ut eorum quæ ſub regno ejus futura erant, teſtis eſſet. Quorſum enim tendebant propheticæ revelationes, niſi ut quod acceperant illi à Deo, reliquis quaſi per manus traderent? Cæterum pro confeſſo ſumit Euangeliſta quod viderit Jeſaias gloriam Chriſti. unde colligit, doctrinam ſuam ad futurum regni illius ſtatum accommodaſſe.

42. Veruntamen etiam ex principibus multi crediderunt in eum: ſed propter Phariſæos non confitebantur, ne ejicerentur extra Synagogam.

43. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei.

44. Jeſus autem clamavit, & dixit, Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum qui miſit me.

45. Et qui videt me, videt eum qui miſit me.

46. Ego lux in mundum veni, ut quicunque credit in me, in tenebris non maneat.

42. *Veruntamen etiam*] Quum Judæi confuſo ſtrepitu & ferocia Chriſtum tam proterve rejicerent, videri poterant ad unum omnes conſpiraſſe. dicit tamen Euangeliſta, in illa communi inſania gentis multos ſanæ mentis fuiſſe. Memorabile ſane exemplum gratiæ Dei: nam impietas ubi ſemel prævaluit, quædam eſt univerſalis lues, quæ ſua contagione ſingulas corporis partes inficit. Singulare ergo Dei donum eſt quum in populo ita corrupto ſinceri aliqui manent. Quanquam eadem Dei gratia hodie quoque perſpicitur in mundo: nam quantumvis paſſim graſſetur impietas & Dei contemptus, ac furioſe conentur innumeri exterminare prorſus Euangelii doctrinam, ſubinde tamen aliquos invenit receſſus: ita fit ut ſuas quaſdam ſtationes habeat fides, ne prorſus exulet à mundo. Particula *etiam* eſt emphatica: nam in ordine principum tam infeſtum & capitale Euangelii odium erat, ut incredibile eſſet unum aliquem illic poſſe fidelem inveniri. eo magis admiranda Spiritus Dei virtus fuit, quæ eo penetravit quo nullus acceſſus patebat. Quanquam non fuit illud unius ætatis vitium, quod præfracti & immorigeri Chriſto fuerint principes: honor enim & opes & dignitas comitem fere habent ſuperbiam. Quare difficile eſt ſpontanea humilitate domari qui arrogantia inflati vix ſe homines eſſe agnoſcunt. Quiſquis ergo in mundo excellit, ſuam magnitudinem, ſi ſapiat, habebit ſuſpectam, ne illi ſit obſtaculo. Quod *multos* fuiſſe dicit, non ita accipias quaſi aut major aut dimidia pars fuerit: nam aliis comparati, quorum ingens erat turba, pauci erant: ſed iidem erant multi, ſi in ſe reputarentur. *Propter Phariſæos.* Improprie loqui videtur, dum fidem à confeſſione ſeparat. Corde enim creditur ad juſtitiam; ore confeſſio fit ad

ſalutem:

Digitized by Google

ſalutem: nec fieri poteſt quin fides in corde accenſa flammam ſuam proferat. Reſpondeo, hic notari quanta fuerit in illis fidei imbecillitas, qui adeo tepebant, vel potius frigebant. In ſumma, ſignificat Joannes Chriſti doctrinam amplexos eſſe quia à Deo profectam cognoſcerent. ſed non fuiſſe vivam in illis fidem, nec qua decet virtute præditam; quia non dat ſuis Chriſtus Spiritum timoris, ſed conſtantiæ, ut libere & intrepide confiteri audeant quod ab ipſo didicerunt. Etſi non arbitror iſtos prorſus obmutuiſſe: ſed quia non ſatis ingenua erat eorum confeſſio, Euangeliſta, meo judicio, ſimpliciter negat ſuam fidem profeſſos eſſe. Iſta enim legitima erat profeſſio ut palam Chriſto nomen darent. Quare nemo ſibi blandiatur qui ulla in parte tegit ac diſſimulat fidem ſuam, ne incurrat in hominum odia. Nam quantumvis odioſum ſit Chriſti nomen, non eſt excuſabilis timiditas quæ ab ejus confeſſione vel minimum deflectere nos cogit. Obſerva etiam minus eſſe in principibus fortitudinis & conſtantiæ: quia fere in illis regnat ambitio, qua nihil magis ſervile eſt. Atque (ut uno verbo dicam) terreni honores quaſi aureis compedibus hominem ligant, ne libere officium ſuum faciat. Quo æquius obſcuris & tenuibus ſors ſua ferenda eſt: quia multis (ſaltem peſſimis) laqueis ſoluti ſunt. Magnos interea & nobiles cum ſua luctari fortuna decet, ne ipſos impediat quominus ſe Chriſto ſubmittant. Phariſæos terrori fuiſſe commemorat Joannes: non quod per alios Scribas & Sacerdotes cuiquam impune liceret Chriſti ſe vocare diſcipulum; ſed quia ſub zeli ſpecie impotentior in iſtis ſervebat ſævitia. Eximia quidem virtus eſt tuendæ religionis zelus: ſed ubi ſubeſt hypocriſis, nulla poteſt fingi peſtis nocentior. Quo magis rogandus eſt Dominus ut nos moderetur certa Spiritus ſui regula. *Ne ejicerentur extra Synagogam.*] En quid illis obſtiterit, nempe infamiæ metus: quia ejecti fuiſſent è Synagoga. Porro hinc apparet quanta ſit hominum pravitas, quæ optima quæque Dei inſtituta non modo corrumpit & adulterat, ſed in exitialem tyrannidem vertit. Excommunicatio nervus eſſe debuerat ſanctæ diſciplinæ, ut pœna eſſet in promptu ſiquis Eccleſiam contemneret: atqui eo traducta fuerat, ut quiſquis fateretur ſe eſſe Chriſti, à ſocietate fidelium exularet. quemadmodum hodie Papa ad eandem tyrannidem exercendam jus excommunicationis falſo prætexit: cæca rabie non modo fulminat contra omnes pios, ſed Chriſtum è cœleſti ſolio dejicere conatur. Et tamen titulum ſacræ juriſdictionis, qua Eccleſiam ſuam ornavit Chriſtus, impudenter obtendere non dubitat.

43. *Dilexerunt enim gloriam.*] Quod nulla iſtis injecta fuerit ſuperſtitio, ſed ſolum apud homines probrum fugitarint, diſerte exprimit Euangeliſta. Nam ſi plus apud eos valuit ambitio quam timor Dei, ſequitur inani conſcientiæ metu fuiſſe liberatos. Jam obſervent lectores quantæ ignominiæ damnetur apud Deum eorum timiditas qui fidem ſuam apud homines invidiæ metu diſſimulant. Quid magis præpoſterum, imo quid magis belluinum eſt, quam Dei judicio frivolos hominum applauſus præferre? Atqui tali inſania occupari omnes pronunciat qui hominum invidiam declinant ubi confitenda eſt pura fides. & merito: nam Apoſtolus quum *Hebr. 11. verſ. 27.* invictam Moſis conſtantiam laudat, illum obduruiſſe dicit, acſi inviſibilem vidiſſet. Quibus verbis ſignificat, ubi quis oculos in Deum defixit, infractum & pluſquam adamantinum fore ejus pectus. Hinc ergo mollities quæ nos ad perfidam ſimulationem diffluere facit, quod in mundi aſpectu ſenſus omnes noſtri hebeſcunt; nam ſincerus Dei aſpectus ſtatim omnes opum & honorum fumos diſcuteret. Eant nunc quibus leve aliquod & quaſi veniale delictum videtur eſſe obliqua Chriſti abnegatio, quum ex adverſo pronunciet Spiritus, fœdius hoc portentum eſſe quam ſi cœlum terræ miſceatur. *Gloriam hominum amare* hoc loco ſignificat velle apud homines in pretio haberi. Ergo intelligit Euangeliſta, ita mundo addictos fuiſſe iſtos ut hominibus quam Deo placere mallent. Adde quod dum Chriſti abnegatores hoc crimine accuſat, ſimul oſtendit vanam & nihili excommunicationem fuiſſe qua Pontifices præter jus & fas abutebantur. Quare inane eſſe terriculamentum ſciamus quicquid hodie anathematum crepat Papa, ubi nobis certo conſcii ſumus nihil eum aliud moliti quam ut nos à Chriſto abducat.

44. *Jeſus autem clamavit.*] Huc ſpectat ſententia ut ſuos animet Chriſtus ad juſtam & inflexibilem fidei conſtantiam: ſubeſt tamen increpatio, qua corrigere voluit perverſum illum metum. Clamor ad vehementiam facit, quia non ſimplex eſt doctrina, ſed exhortatio ad ipſos acrius ſtimulandos. Summa eſt, quod fides in Chriſto non in hominem quempiam mortalem, ſed in Deum recumbit: quia nihil in CHRISTO niſi divinum invenit, imo in ejus facie Deum intuetur. Inde abſurdum eſſe colligit & indignum, eam quaſi dubiam nutare. Major enim fieri Deo injuria non poteſt quam ſi nobis ejus veritas non ſufficiat. Is ergo demum in Euangelio rite profecit, qui fiducia hac ſubnixus, non ſe hominibus ſed Deo credere, contra omnes Satanæ machinas firmus ac quietus perſiſtit. Ergo ut Deo tribuamus ſuum honorem, non ſolum mundo vacillante, ſed Satana etiam turbante & labefactante quicquid ſub cœlo eſt, ſtandum in fide eſſe diſcamus. Dicuntur fideles in Chriſtum non credere quando in humano ejus aſpectu non ſubſiſtunt. Nam hic cum Patre ſe comparans, Dei virtutem reſpicere nos jubet, quia carnis infirmitas nihil per ſe firmitatis habet. Poſtea quum diſcipulos hortabitur ut in ſe credant, alius erit ſenſus. neque enim illic opponitur Deus homini, ſed Chriſtus in medium cum ſuis omnibus donis ſtatuitur, quæ ad retinendam fidem noſtram ſatis valere debent.

45. *Et qui videt me.*] Videre iſtud pro cognitione accipe: nam ut conſcientias, quæ variis ſubinde agitationibus alioqui forent obnoxiæ, bene ac penitus tranquillet, ad Patrem nos revocat. Ideo enim certa eſt firmaque fidei ſtabilitas, quia mundo eſt ſuperior. Ubi autem vere Chriſtus cognoſcitur, in eo refulget Dei gloria, ut certo ſciamus non pendere ab homine quam in ipſum habemus fidem, ſed in Deo æterno fundatam eſſe: quia à Chriſti carne ad divinitatem aſſurgit. Quod ſi ita eſt, non tantum perpetuo in corde fixa eſſe debet, ſed etiam intrepide ſe in lingua, ubi opus eſt, proferre.

46. *Ego lux veni.*] Quo diſcipulos ſuos fortiores & magis ſtrenuos reddat, pergit adhuc in prædicanda fidei certitudine. Ac primo ſe in mundum veniſſe teſtatur ut lux eſſet, qua eruantur homines à tenebris & erroribus: & ſimul potiundi tanti boni modum adſcribit, dicens, *Ut quicunque credit in me*, &c. Porro ingratitudinis eos omnes inſimulat qui ſuo Euangelio edocti, ſe ab incredulis non ſeparant. Nam quo præſtantius eſt hoc bonum, à tenebris vocari in lucem, eo minus excuſationis habent qui lucem in ſe accenſam ignavia ſua vel neglectu ſuffocant. Multum ponderis ineſt his verbis, *Veni lux in mundum.* Nam etſi ab initio lux fuit Chriſtus, non tamen fruſtra hoc ſe titulo inſignit, quod venerit ad præſtandum lucis munus. Atque (ut habeamus gradus diſtinctos) aliis ſe lucem eſſe magis docet quam ſibi: deinde non tantum Angelis, ſed etiam hominibus: tertio ſe exhibitum in carne, ut plenum fulgorem emitteret. Univerſalis particula conſulto addita eſſe videtur, partim ut cunctis fidelibus ſine exceptione bonum hoc commune faceret, partim ut incredulos oſtenderet ideo perire in tenebris quia

ſponte lucem fugiunt. Jam ſi in onum coacervetur tota mundi ſapientia, ne ſcintilla quidem veræ lucis in illa congerie reperietur, ſed potius erit ioſorme ebaos: quando unius Chriſti proprium eſt nos à tenebris liberare.

47. Et ſi quis audierit verba mea, neque crediderit, ego non judico eum: non enim veni ut judicem mundum, ſed ut ſervem mundum.

48. Qui rejicit me, & non accipit verba mea, habet qui ipſum judicet: ſermo quem loquutus ſum, ille judicabit eum in noviſſimo die.

49. Quia ego à meipſo non loquutus ſum: ſed qui me miſit Pater, ipſe mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar.

50. Et novi quod mandatum ejus vita æterna ſit. Quæ itaque ego loquor, ſicuti mihi dixit Pater, ita loquor.

47. *Si quis audierit verba mea.*] Poſtquam de gratia ſua diſſeruit, ſuoſque hortatus eſt ad fidei conſtantiam, nunc pungere incipit rebelles. Quanquam hic quoque ſeveritatem mitigat, qua digna eſt eorum impietas qui veluti ex animi propoſito Deom rejiciunt. Judicium enim de his ferre ſuperſedet quia potius venerit in omnium ſalutem. Primo loco tenendum eſt, bic non de quibuslibet ineredulis loqui, ſed qui ſcientes & volentes doctrinam Euangelii ſibi monſtratam rejiciunt. Cur ergo damnare eos Chriſtus non vult? nempe bic depoſita ad tempus judicis perſona, quo plus animi omnes habeant ad reſipiſcentiam, ſalutem promiſcue omoibus offert, & brachia ſua ad omnes amplexandos extendit. Quanquam interea crimen non levi circumſtantia amplificat, ſi tam benignam & ſuavem invitatiooem repudient. perinde enim eſt acſi dixiſſet, Ecce ego adſto ad omnes vocandos, & oblitus perſonæ judicis, boc unum habeo propoſitum ut alliciam omnes: & qui jam bis perditi videntur, ab interitu eripiam. Nemo igitur ob Euangelii contemptum damnatur, niſi qui amabile ſalutis nuncium aſpernatus, ultro ſibi exitium accerſere voluit. *Judicandi* verbum (ut patet ex antitheto *ſervare*) pro damnare hic accipitur. Hoc autem ad proprium & geouinum Chriſti munus referri debet. Nom quod Euangelii cauſa gravius damnantur increduli, accidentale eſt, non ex ejus natura: ut aliquoties diximus.

48. *Qui rejicit me.*] Ne ſibi indulgeant impii, quaſi impuoe adverſus Cbriſtum laſciviant, hic horrendam denunciationem addit, quod etiamſi quieſcat ipſe, ſola tamen doctrina ſufficiat ad eos damnandos, quemadmodum alibi alio judice opus fore ne- ſupra 5. verſ. 45. gat quam Moſe in quo gloriabantur. Senſus eſt igitur, Ego quidem, ingenti ſalutis veſtræ deſiderio flagrans, jure meo abſtineo in vobis damnandis, & totus ad ſervandum incumbo quod periit: ſed non propterea putetis vos è manu Dei elapſos. Nam, ut maxime taceam, ſolus ſermo qui à vobis contemptos fuerit, idonéus eſt judex. *Et non accipit verba.* Poſterius membrum exegeſis eſt prioris: quia enim ingenita eſt bominibus hypocriſis, nihil illis facilius eſt quam verbo tenus jactare ſe paratos eſſe ad recipiendum Cbriſtum. Et videmus quam vulgaris ſit etiam ioter peſſimos quoſque hæc jactantia. Quare tenenda eſt iſta definitio, Chriſtum rejici ubi non amplectimur puram Euangelii doctrinam. Papiſtæ plano quidem ore Cbriſti nomen perſonant: ſimulatque profertur ſincera ejus varitas, nihil illis odioſius. tales non ſecus ac Judas Cbriſtum oſculantur. Ideo diſcamus eum in verbo ſuo includere, & illi præſtare quem unice exigit obedientiæ cultum. *Sermo quem loquor.* Non potuit magis ſplendido elogio extolli Euangelii auctoritas quam dum illi judicii poteſtas defertur. Nam ſecundum hæc verba, nihil aliud erit extremum judicium, quam Euangelicæ doctrinæ approbatio. Conſceodet quidem ipſe Chriſtus tribunal, ſed ſententiam ex verbo quod nunc prædicatur laturum ſe aſſerit. Hæc denunciatio extremum impiis terrorem incutere debet, quando ejus doctrinæ judicium effugere non poterunt cui nune tam ſuperbe inſultaot. ſignificat tamen Chriſtus nune eos ſenſu carere, quando extremi judicii mentionem facit: tune enim palam fore admonet quæ nunc illis ludibrio eſt pœna. Rurſum inæſtimabilis ad pios conſolatio hinc redit, quod utcunque nune à mundo damnentur, ſe tamen jam in cælo abſolutos eſſe non dubitant. quia ubicunque ſedem habet Euangelii fides, erectum eſt Dei tribunal ad ſervandum. Hoc jure freti, non eſt quod Papiſtas moremur cum præpoſteris eorum judiciis: quia fides noſtra etiam ſupra Angelos eminet.

49. *Quia à meipſo non loquor.*] Nequid externa homiois ſpecies de majeſtate Dei detrahat, ſubinde nos revocat Cbriſtus ad Patrem. bac de cauſa toties Patris meminit. Et certe quum nefas ſit alio transferre ullam divinæ gloriæ micam, neceſſe eſt profectum à Deo eſſe ſermonem cui judicium defertur. Hic autem ſe à Patre Cbriſtus diſcernit, non ſecundum divioam perſonam ſimpliciter, ſed potius ſecundum carnem: ne ſcil. doctrina, bumanitus æſtimata, minus haberet ponderis. Cæterum ſi bominum legibus ac doctrinæ ſubeſſent conſcientiæ, non congrueret hæc Cbriſti ratio, *Sermo* (inquit) *meus judicabit*, quia non prodiit ab bomine: juxta illud, Unus eſt legiſlator, &c. Quin Jac. 4. verſ. 12. etiam binc colligere licet quam immane ſit ſacrilegium quod animas auſus eſt Papa ſuis commentis obſtringere: plus enim ſibi hoc modo arrogat quam Dei Filius, qui ſe loqui negat niſi ex Patris ſui præſcripto.

50. *Mandatum ejus vita æterna eſt.*] alterum doctrinæ ſuæ fructum commendat, quo libentius ſe omnes illi ſubmittaot. Jam vero æquum eſt ut Dei ultionem ſentiant impii, quem vitæ auctorem habere nunc recuſant.

CAP. XIII.

ANte diem feſtum Paſchæ, ſciens Jeſus veniſſe horam ſuam ut tranſiret ex hoc mundo ad Patrem, quum dilexiſſet ſuos qui in mundo erant, in finem dilexit eos.

2. Et cœna facta, quum diabolus jam immiſiſſet in cor Judæ Simonis Iſcariotæ ut eum traderet,

3. Sciens Jeſus quod omnia dediſſet illi Pater in manus, & quod à Deo exiiſſet, & ad Deum iret,

4. Surgit à cœna, & ponit veſtes: & accepto linteo præcingit ſeipſum.

5. Deinde jacit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes diſcipulorum, & abſtergere linteo quo præcinctus erat.

6. Venit

6. Venit ergo ad Simonem Petrum: qui dicit ei, Domine, tu mihi lavas pedes?
7. Reſpondit Jeſus & dixit ei, Quod ego facio, tu nunc non cognoſcis, ſcies autem poſtea.

1. *Ante diem feſtum.*] Multa conſulto præterit Joannes quæ à Matthæo & reliquis ſciebat narrata eſſe: ipſe vero tractandum ſumit quod ab illis fuerat omiſſum. quo in numero eſt hiſtoria de pedum lotione. Tametſi vero poſtea clarius exponet quem in finem pedes laverit Chriſtus diſcipulis ſuis, uno tamen verbo hic præfatur, teſtatum ejuſmodi ſymbolo fuiſſe conſtantem ac perpetuum amorem quo ſemel illos complexus erat, ut ejus conſpectu privati, certo tamen ſtatuerent ne morte quidem fuiſſe extinctum. quæ perſuaſio etiam in cordibus noſtris hærere nunc debet. Verba ſunt, *Chriſtum uſque in finem amaſſe ſuos qui in mundo erant.* Cur hac periphraſi Apoſtolos deſignat, niſi ut ſciamus illos eo majori curæ fuiſſe Chriſto quia in periculoſa & difficili militia, ut nos, laborabant? Quare etſi procul videamur à Chriſto abeſſe, ſciendum tamen eſt nos ab eo reſpici, quia ſuos diligit qui in mundo verſantur. Neque enim dubium eſt quin eundem nunc quoque affectum gerat quem in ipſo mortis articulo retinuit. *Ut tranſiret ex hoc mundo ad Patrem.* Loquutio notatu digna: refertur enim ad Chriſti notitiam, quod mortem ſuam noverit tranſitum eſſe ad cæleſte Dei regnum. Quod ſi illuc properans ſolito amore non deſtitit ſuos proſequi, non eſt cur nunc putemus mutatum eſſe ejus affectum. Jam quum primogenitus ſit ex mortuis, pertinet iſta mortis definitio ad totum Eccleſiæ corpus: quod ſit ad Deum tranſitus, à quo nunc peregrinantur fideles.

2. *Cœna facta.*] Totum Chriſti conſilium in lavandis ſuorum pedibus, & fructum hujus hiſtoriæ fuſius mox tractabimus ſuo loco: nunc ſequamur verborum contextum. Dicit hoc fuiſſe factum quum jam in animo haberet Judas Chriſtum prodere: non tantum ut oſtenderet miram Chriſti patientiam, qui tam ſcelerato & perfido defectori pedes lavare ſuſtinuit; ſed etiam tempus illud data opera ſumpſiſſe, quo velut extremum vitæ ſuæ actum morti vicinus perageret. Quod diaboli impulſu conceptum à Juda proditionis conſilium fuiſſe dicit, hoc ad exprimendam ſceleris atrocitatem valet. fuit enim horribile iſtud & pluſquam tragicum facinus, in quo ſe protulit Satanæ efficacia. Verum quidem eſt, nihil ab hominibus mali perpetrari quo non eos incitet Satan: ſed ut quodque magis tetrum & execrandum eſt ſcelus, ita in eo magis conſiderandus eſt diaboli furor, qui homines à Deo relictos ſurſum ac deorſum rapit. Cæterum etſi hominis concupiſcentia Satanæ flabello accenditur, ipſa tamen fornax eſſe non deſinit, ipſa ignem intus conceptum habet, ipſa flabelli agitationem cupide recipit, ut impiis ſublata ſit omnis excuſatio.

3. *Sciens Jeſus quod omnia dediſſet.*] Hoc ideo additum fuiſſe interpretor, ut ſciamus unde Chriſto tam compoſita animi quies: nempe quod jam mortis victor, animum ad triumphum, qui mox ſequuturus erat, extulit. Solent homines metu perculſi multa agitare. nullum talem in Chriſto fuiſſe motum Euangeliſta ſignificat: quia tametſi à Juda mox tradendus eſſet, omnia tamen ſciebat à Patre ſibi eſſe tradita. Siquis roget quomodo igitur poſtea eouſque mœroris redactus fuerit ut ſanguinem ſudaret: reſpondeo utrumque fuiſſe neceſſarium, ut mortem horreret, ac nihilominus intrepide perageret omnes Mediatoris partes.

4. *Poſuit veſtes.*] Superiorem tantum veſtem ab eo depoſitam fuiſſe intellige, non tunicam. ſcimus enim Orientales oblongis veſtibus fuiſſe uſos. Quæ paulo poſt ſequuntur verba, *Cœpit lavare pedes* &c. conſilium potius Chriſti quam externum actum exprimunt. nam ſubjicit Euangeliſta eum à Petro exorſum eſſe.

6. *Domine, tu mihi lavas pedes?*] Oratio eſt abominantis rem abſurdam & indignam: nam interrogando quidnam faciat Chriſtus, quaſi manum illi injicit. Laudabilis quidem modeſtia, niſi quovis cultu atque honore potior obedientia eſſet apud Deum: imo niſi hæc vera & unica humilitatis regula eſſet, ſubjicere nos in obſequium Dei, & ſenſus omnes noſtros habere ejus arbitrio devinctos; ut quicquid ſibi placere pronunciat, nobis quoque abſque ulla controverſia probetur. In primis ergo lex iſta rite colendi Dei tenenda eſt, ut parati ſimus abſque mora ſubſcribere ſimulatque aliquid mandat.

7. *Quod ego facio.*] His verbis docemur, ſimpliciter obſequendum eſſe Chriſto, etiam ſi non appareat ratio cur hoc vel illud fieri velit. In domo bene morata conſilium eſt penes unum patremfamilias: illi ſervos decet manus ac pedes impendere. Nimis ergo faſtuoſus eſt qui Dei imperium detrectat, cujus ratio ei nota non fuerit. Quin etiam latius patet iſta admonitio; ne ſcil. neſcire nobis moleſtum ſit quæ Deus vult nobis eſſe ad tempus abſcondita. Nam quavis ſcientia doctior eſt hæc ignorantiæ ſpecies, quum Domino concedimus ut ſupra nos ſapiat.

8. Dicit ei Petrus, Non lavabis pedes meos in æternum. Reſpondit ei Jeſus, Si non lavero te, non habebis partem mecum.
9. Dicit ei Simon Petrus, Domine, non pedes meos ſolum, ſed & manus & caput.
10. Dicit ei Jeſus, Qui lotus eſt, non opus habet lavari niſi pedes, ſed mundus eſt totus: & vos mundi eſtis, ſed non omnes.
11. Noverat enim proditorem ſuum. propterea dixit, Non omnes mundi eſtis.

8. *Non lavabis.*] Hactenus excuſabilis fuit Petri modeſtia, quanquam ne illa quidem vitio carebat: nunc tamen gravius peccat, quod correptus nondum cedit. Atque hoc commune vitium eſt ut ad errorem pertinacia accedat. Specioſus quidem color, quod ex reverentia oritur detrectatio: ſed quia dicto ſimpliciter obſequens non eſt, ipſum quoque aſſerendi Chriſto ſui honoris ſtudium gratiam perdit. Hæc igitur vera eſt fidei ſapientia, quicquid à Domino proficiſcitur, tanquam rite & ordine factum probare & reverenter amplecti. Nec certe aliter nomen ejus ſanctificari à nobis poterit. quia niſi ſtatuamus, optima ratione fieri quicquid facit, ſubinde obſtrepet caro noſtra, ut proterva eſt, nec ſuum illi honorem niſi coacta cedet. In ſumma, donec ſe in Dei operibus judicandi licentia homo abdicaverit, etiamſi Deum ipſum honore proſequi ſtudeat, ſub ſpecie humilitatis ſemper latebit ſuperbia. *Si non lavero te.* Hæc Chriſti reſponſio nondum exprimit quo conſilio lavare inſtituerit diſcipulis pedes: tantum ſimilitudine ab anima ad corpus deducta admonet nihil ſe novum facere, aut perſona ſua alienum, diſcipulis lavando pedes. Interim oſtendit quam ſtulte ſapiat Petrus. Idem & nobis accidet ſimulac nobiſcum litigare cœperit Dominus. quamdiu tacet, non temere ab eo ſe diſſentire putant homines: ve-

rum

Digitized by Google

rum nihil illi facilius quam uno verbo refutare quicquid colorum obtendunt. Quia Dominus ac Magiſter eſt Chriſtus, abſurdum videtur Petro pedes ab eo ſuos lavari: atqui tale officium repellens, quod præcipuum eſt in ſalute ſua repudiat. Continet etiam hæc ſententia generalem doctrinam, nos omnes fœtidos eſſe & inquinatos coram Deo, donec ſordes noſtras Chriſtus abſtergat. Jam quum ipſe ſibi uni vendicet abluendi munus, ſuam quiſque immunditiem illi purgandam offerat, ut locum obtineat inter Dei filios. Sed antequam ultra progredimur, tenendum eſt quid hic ſignificet *lavandi* verbum. Sunt qui ad gratuitam peccatorum veniam, ſunt etiam alii qui ad vitæ novitatem referant: tertii ad utrumque extendunt. quod poſtremum ego libenter admitto. Lavat enim nos Chriſtus quum peccata noſtra ſacrificii ſui expiatione delet, ne in Dei judicium veniant: lavat rurſum quum pravas & vitioſas carnis cupiditates Spiritu ſuo abolet. Sed quia paulo poſt in contextu patebit de regenerationis gratia eum loqui; in illa ſententia præciſe non inſiſto, quod hic ablutionem veniæ complexus ſit.

9. *Domine, non tantum pedes.*] Quum audiret Petrus ſe eſſe perditum niſi purgationem à Chriſto oblatam admitteret, hæc neceſſitas ad eum domandum apta demum magiſtra fuit. Ergo depoſita contentione cedit, ſed vult lavari totus: & vere quidem agnoſcit, ſe totum, quantus quantus eſt, natura ſordibus refertum eſſe: ideoque nihil agi ſi una tantum in parte abluatur. Sed hic quoque per incogitantiam errat, quod acceptum jam beneficium pro nihilo ducit. perinde enim loquitur acſi nulla adhuc peccatorum remiſſione, nulla Spiritus ſanctificatione donatus eſſet. Itaque merito hic quoque à Chriſto reprehenditur. Quid enim illi antea contulerit, in memoriam revocat: quanquam ſimul omnes ſuos admonet ſub unius hominis perſona, ut acceptæ gratiæ memores, quid adhuc ſibi in poſterum opus ſit reputent. Primo dicit fideles totos eſſe *mundos*: non quod omni ex parte puri ſint, ut nulla in illis macula amplius hæreat: ſed quoniam præcipua ſui parte mundati ſunt, dum ſcilicet ablatum eſt regnum peccato, ut juſtitia Dei ſuperior ſit. quemadmodum ſiquis totum corpus ſanum dicat quod nullo univerſali morbo infectum eſt. Ergo vitæ novitate nos Chriſti diſcipulos teſtemur oportet, quando ſe puritatis auctorem in ſuis omnibus eſſe prædicat. Cæterum hæc etiam altera ſimilitudo ad rem præſentem adducta eſt, na lotio pedum quaſi abſurda rejiceretur à Petro. Quemadmodum enim Chriſtus à capite uſque ad pedes abluit quos ſibi diſcipulos initiat; ita in iis quos purgavit, inferior pars quotidie purganda reſtat. Neque enim primo ſtatim die toti regenerantur filii Dei, ut nihil quam cæleſtem vitam ſpirent: quin potius manent in illis carnis reliquiæ, quibuſcum tota vita certamen habent. Ergo *pedes* metaphorice vocantur omnes affectus & curæ quibus mundum contingimus. nam ſi omnes noſtri partes occuparet Spiritus, nihil cum mundi ſordibus nobis amplius eſſet: nunc vero qua parte ſumus carnales, humi reptando, vel ſaltem pedes in lutum figendo, tantundem immundi ſumus. Ita ſemper invenit Chriſtus quod in nobis purget. Porro hic de remiſſione peccatorum non agitur, ſed de renovatione, qua paulatim & per continuos ſucceſſus Chriſtus ſuos prorſus à carnis cupiditatibus eximit.

10. *Et vos mundi eſtis.*] Hæc propoſitio eſt quaſi minor in ſyllogiſmo, unde ſequitur pedum lotionem proprie eos decere. Exceptio tamen additur, ut ſe quiſque excutiat, ſi forte tangatur Judas reſipiſcendi affectu: quanquam in tempore voluit reliquos diſcipulos munire, ne ſceleris quod mox patefaciendum erat atrocitas eos turbaret, acſi in corde cæleſti gratia imbuto conceptum eſſet. conſulto tamen nomine abſtinet, ne illi reſipiſcentiæ januam præcludat. Verum quum ille deploratus eſſet, nonniſi ad augendam ejus culpam valuit admonitio: diſcipulis autem valde profuit, qood inde melius illis innotuit Chriſti divinitas: deinde ſenſerunt puritatem non eſſe vulgare Spiritus donum.

12. Poſtquam ergo pedes eorum lavit, & recepit veſtimenta ſua, diſcumbens rurſum, dicit illis, Scitis quid fecerim vobis?

13. Vos me vocatis, Magiſter & Domine. & bene dicitis: ſum etenim.

14. Proinde ſi ego, qui Dominus ſum & Magiſter, lavi pedes veſtros: vos etiam debetis alii aliorum lavare pedes.

15. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita faciatis & vos.

16. Amen, amen dico vobis, non eſt ſervus major domino ſuo, neque Apoſtolus major eo qui ipſum mittit. *Mat.* 10. *verſ.* 24. *Luc.* 6. *verſ.* 40. *infra* 15. *verſ.* 20.

17. Si hæc noveritis, beati eſtis, ſi feceritis ea.

12. *Poſtquam ergo* &c.] Nunc tandem quo conſilio laverit Chriſtus diſcipulis pedes, exponit. Nam quod inſeruit de ſpirituali lotione, quaſi digreſſio fuit à propoſito. niſi mora à Petro injecta eſſet, Chriſtus de illa re verbum facturus non erat. Nunc ergo facti ſui rationem aperit: nempe ſe, qui magiſter eſt omnium & dominus, exemplum tradidiſſe quod ſequantur pii omnes: nequis ad officium quantumvis abjectum & vile, fratribus ſuis & æqualibus præſtandum deſcendere gravetur. Nam hinc charitatis neglectus, quod ſe quiſque pluris faciens quam par ſit, reliquos fere omnes deſpicit. Nec ſimpliciter modeſtiam docere voluit: ſed ſimul præſcribere hanc charitatis regulam, ut alii viciſſim aliis ſerviant. Nulla enim eſt charitas ubi non eſt voluntaria in juvando proximo ſervitus. *Scitis quid fecerim.* Videmus Chriſtum ſic ad exiguum tempus celaſſe diſcipulos, ut probata eorum obedientia, tempeſtive illis patefecerit quod prius oportuerat ipſos neſcire. Nec vero jam expectat dum interrogent, ſed ultro prævenit. Idem & nobis uſu veniet, ſi modo paſſi fuerimus etiam per ignotas vias nos ipſius manu regi.

14. *Si ego, qui Dominus ſum*] Argumentum à majori ad minus. Impedit ſuperbia ne ea quæ inter nos vigere debebat colatur æqualitas: Chriſtus vero, qui longe ſuper omnes eminet, ſe demittit, ut pudorem ſuperbis incutiat, qui ordinis ſui & gradus obliti, à fraterna communicatione ſeſe eximunt. Quem enim ſe putat mortalis homo, ſi fratrum onera ferre, ſi ſe accommodare aliorum moribus, ſi denique ſuſcipere officia recuſat quibus continetur Eccleſiæ unitas? Summa eſt, nimium ſibi hominem arrogare, qui non cogitat ea lege ſe inter infirmos fratres verſari, ut officiis etiam in ſpeciem ſordidis benigne & comiter ſe ſubjiciat. Notandum eſt etiam quod Chriſtus ſe exemplum dediſſe admonet. neque enim omnia ejus facta promiſcue ad imitationem trahi convenit. Papiſtæ ſe Chriſti exemplo quadrageſimale jejunium ſervare jactant.

atqui

atqui videndum in primis erat, an exemplum prodere voluerit, ad cujus normam ſe diſcipuli formarent. Nibil vero legitur tale: quare non minus perverſa eſt æmulatio quam ſi in cælum volare tentarent. Adde quod ubi Chriſtum ſequi decebat, ſimiæ fuerunt magis quam imitatores. Quotannis theatricam pedum lotionem inſtituunt: ita inani nudaque ceremonia ſe pulchre defunctos eſſe putant: defuncti, ſibi permittunt fratres contemnere. neque id modo: ſed poſtquam duodecim hominibus laverunt pedes, omnia Chriſti membra crudeliter lacerant, adeoque in faciem Chriſti ipſius conſpuunt. Quare nihil quam fœdum Chriſti ludibrium eſt comica illa pompa. Nec certe Chriſtus hic anniverſarium ritum commendat: ſed nos tota vita paratos eſſe jubet ad lavandos fratrum pedes.

16. *Amen, amen dico vobis.*] Sunt quidem proverbiales ſententiæ, quarum uſus longius patet: quæ tamen ad præſentem circumſtantiam aptandæ ſunt. Quare falluntur, meo judicio, qui generaliter eas aceipiunt, quaſi hic diſcipulos Chriſtus hottetur ad crucis tolerantiam. verius enim eſt illis pro ſuo inſtituto uſum eſſe. Poſtea ſubjicit, *Beatos eſſe ſi hæc cognoſcant & faciant.* neque enim vera cognitio dici meretur niſi quæ fideles euſque adducit ut ſe capiti ſuo conforment. Vana potius imagioatio eſt, dum Chriſtum & quæ Chriſti ſunt, extra nos conſpicimus. Hinc collige, donec ſe quis fratribus ſuis ſubjicere didicerit, eum neſcire ſitne Chriſtus magiſter. Quum autem nemo ſe omni ex parte fratribus impendat, multi etiam lente & frigide ſe in charitatis officiis exerceant, hine apparet quantum à plena fidei luce adhuc diſtemus.

18. Non de omnibus vobis loquor: ego ſcio quos elegerim: ſed ut impleatur Scri-
Pſal. 41. *verſ.* 11. ptura, Qui edit panem mecum, ſuſtulit contra me calcaneum ſuum.
19. Jam nunc dico vobis priuſquam fiat, ut quum factum fuerit, credatis quod
ego ſim.
Mat. 10. *verſ.* 40. 20. Amen, amen dico vobis, qui recipit ſiquem miſero, me recipit: qui autem me
recipit, recipit eum qui miſit me.

18. *Non de omnibus vobis loquor.*] Iterum ſignificat eſſe aliquem inter diſcipulos qui nihil minus ſit reipſa quam diſcipulus. idque facit partim cauſa Judæ, quo magis eum inexcuſabilem reddat: partim reliqui cœtus, nequem labefactet Judæ ruina. Neque tantum eos animat, ut cadente Juda ipſi nihilominus in ſua vocatione perſtent: ſed quia non omnium communis ſit felicitas cujus meminit, eo majore ſtudio expetendam eſſe docet, & conſtantius in ea manendum. Jam hoc ipſum quod perſtabunt, electioni ſuæ tribuit. Nam ut caduca eſt hominum virtus, ad quamlibet auram nutaret, leviſſimoque impulſu rueret, niſi ſuſtineret eam Dominus manu ſua: ſed quia gubernat quos elegit, quaſcunque machinas admoveat Satan, nihil proficiet quin firma conſtantia ad finem uſque perſeverent. Nec tantum perſeverantia hic electioni accepta fertur, ſed etiam pietatis initium. Unde fit ut unus magis quam alter ſe Dei verbo addicat? nempe quia electus eſt. Unde fit rurſum ut pergat idem in recto piæ vitæ curſu, niſi quia propoſitum Dei ſtabile eſt, ut inchoatum manu ſua opus abſolvat? Denique hic fons eſt diſcriminis inter filios Dei & incredulos, quod priores adoptionis Spiritu trahuntur ad ſalutem, alios caro ſua nullo freno cohibita in exitium rapit. Poterat alioqui dicere Chriſtus, Scio qualis unuſquiſque veſtrum futurus ſit; ſed nequid ſibi arrogent, quin potius ſola gratia non propria virtute à Juda ſe differre agnoſcant, electionem illis gratuitam ſtatuit, in qua ſint fundati. Quare diſcamus inde pendere omnes ſalutis noſtræ partes. Quod autem alibi Judam inter electos numerat, diverſus eſt loquendi modus, non contrarius. nam illic notatur temporalis electio, qua Deus ad certum aliquod opus nos deſtinat: ſicuti Saul, qui in Regem electus erat, reprobus tamen fuit. nunc autem de æterna electione diſſerit Chriſtus, qua efficimur filii Dei, & qua Deus ante mundum conditum nos prædeſtinavit ad vitam. Et reprobos quidem interdum ornat Deus Spiritus donis, ad exequendum quod illis injungit munus. Sic regiæ in Saule virtutes ad tempus refulgent: ſic & Judas egregiis dotibus pollebat, quales Apoſtolum Chriſti decebant. Sed alia longe eſt Spiritus ſanctificatio, qua Dominus nonniſi filios ſuos dignatur: nam eos mente & corde renovat, ut in ejus conſpectu ſancti ſint & irreprehenſibiles. Deinde vivam in illis radicem habet, quæ evelli nunquam poteſt: quia pœnitentia caret Dei adoptio. Hoc interea fixum manet, divinæ eſſe electionis munus quod Chriſti doctrinam fide amplexi, vita etiam ſequimur. atque hanc unicam eſſe beatitudinis noſtræ cauſam qua diſcernimur à reprobis, quod illi deſtituti gratia Spiritus, male pereunt: nos Chriſtum habemus cuſtodem, qui manu ſua nos regit, virtuteque ſua tuetur. Hic præterea clarum divinitatis ſuæ teſtimonium Chriſtus reddit: primum quum ſe pronunciat non judicare humano more; deinde quum ſe electionis facit auctorem. Nam iſtud *ſcire*, de quo loquitur, proprium eſt Dei: ſed alterum hoc efficacius, quum à ſe teſtatur fuiſſe electos qui ante mundi creationem electi ſunt. Nam hoc tam inſigne divinæ ejus potentiæ ſpecimen magis afficere nos debet quam ſi centies ipſum Scriptura vocaret Deum.
Ut impleatur Scriptura. Videri abſurdum poterat, qui ad ordinem tam honorificum electus fuerat, non ſimul vera pietate fuiſſe imbutum: prompta enim erat exceptio, cur non elegiſſet Chriſtus quem inter Apoſtolos aſciſcere volebat: imo cur Apoſtolum creaſſet quem noverat adeo ſceleſtum fore. Sic ergo fieri oportuiſſe admonet, quia prædictum fuerat: vel ſaltem nihil novum accidere, quia idem expertus fuerit David. Quidam enim vaticinium citari exiſtimant quod proprie in Chriſtum competat. Aliis videtur eſſe ſimplex comparatio, quod ſicuti David ab hoſte domeſtico indigne proditus fuit, ita ſimilis Dei filios maneat conditio. Secundum hos ſenſus eſſet, Quod unus ex meis diſcipulis nefarius eſt proditor magiſtri, non incipit nunc primum hæc perfidia graſſari in mundo: quin potius hodie uſu venit quod Scriptura teſtatur fuiſſe jam olim factum. Sed quum in Davide adumbratum fuerit quod plenius in Chriſto poſtea ſpectandum erat, prioribus libenter aſſentior, qui impletum proprie fuiſſe exponunt quod Spiritu Prophetico prædixerat David. Videtur præterea nonnullis abrupta eſſe oratio, in qua ſubaudiendum ſit principale verbum. Verum ſi uno contextu legas, Ut impleatur Scriptura, Qui mecum edit panem, elevat contra me calcaneum: nihil deficiet. Porro *tollere calcaneum* metaphorice ſignificat prætextu amicitiæ aliquem per inſidias adoriri, ut opprimatur incautus. Jam quod paſſus eſt Chriſtus, qui caput noſtrum eſt & exemplar, patienter quoque nobis ferendum eſt, qui ſumus ejus membra. Et certe ordinarium hoc ſeculis fere omnibus in Eccleſia fuit, ut nullos haberet hoſtes magis infenſos quam domeſticos. Quare ne fideles perturbet talis indignitas, mature ſe ad tolerandos proditores aſſueſaciant.

19. *Jam nunc dico vobis.*] Hac ſenteotia ſuos admonet, adeo cauſam non eſſe cur labaſcant quum ex eorum cœtu prodierit unus reprobus, ut eorum fidem melius confirmari deceat. Niſi enim oculis cerneremus in Eccleſia quod de ejus ærumnis & certaminibus prædictum eſt, merito ſubiret animos noſtrós dubitatio ubinam vaticinia: quum autem Scripturæ veritas cum experientia noſtra congruit, tunc melius ſentimus nos curæ eſſe Deo, ejuſque providentia gubernari. Cæterum hac loquutione, *Credatis quod ego ſum*, ſignificat ſe Meſſiam illum eſſe qui promiſſus fuerat. non quod Judæ proditio ad fidem adducere cœperit diſcipulos: ſed quia majores progreſſus fides ipſorum fecit, quum ad earum rerum experientiam deſcenderent quas audierant prius ex ore Chriſti. Jam vero duplex poteſt eſſe ſenſus: ut poſt rei eventum credituros dicat, quia eum nihil latuerit; vel nihil eorum defuerit illi quæ de Chriſto teſtatur Scriptura. Quoniam autem uterque non male quadrat, liberum ſit per me lectoribus hunc vel illum eligere.

20. *Amen, amen dico vobis.*] Vel novus hic ſermo deſcribitur, & quidem abruptus ac mutilus, vel ſcandalo Chriſtus occurrit quod exoriturum erat ex Judæ ſcelere. Nam Euangeliſtæ oon ſemper contexunt perpetuas conciones Chriſti, ſed ioterdum diverſas ſenteotias truncatim congerunt. quanquam magis probabile eſt, voluiſſe Chriſtum offendiculo mederi. Plus ſatis apparet quam teneri ſimus ad recipienda ex malis exemplis vulnera. ita fit ut unius hominis defectio ducentis aliis lethalo infligat vulnus ad extinguendam eorum fidem: decem aut viginti piorum hominum conſtantia vix unum ædificet. Ergo quum tale monſtrum poneret Chriſtus ante oculos, ſimul neceſſe fuit diſcipulis manum porrigere, ne perculſi oovitate retrocederent. Nec illorum modo habuit rationem, ſed poſteris etiam conſuluit; nam alias poſſet hodie quoque Judæ memoria oobis graviter nocere. Quum enim diabolus non poteſt nos à Chriſto ipſius doctrinæ odio alienare, vel tædium vel contemptum ex miniſtris ipſis ingerit. Hæc autem Chriſti admonitio oſtendit injuſtum eſſe ut quicquam ex dignitate Apoſtolica minuat quorundam impietas qui in officio perperam & ſcelerate verſantur. Ratio eſt, quia conſiderandus ſit Deus miniſterii auctor: in quo certe nihil reperiemus contemptu dignum: deinde etiam Chriſtus ipſe, qui conſtitutus à Patre unicus doctor, per Apoſtolos ſuos loquitur. Ergo quiſquis Euangelii miniſtros recipere non dignatur, Chriſtum in illis, & Deum in Chriſto rejicit. Inepti autem & abſurdi ſunt Papiſtæ, dum ad ſtabiliendam ſuam tyrannidem hoc ad ſe encomium trahunt. Nam primum ſe alienis & emendicatis plumis ornant, quum nihil habeant Chriſti Apoſtolis affine: deinde, ut Apoſtolos eſſe demus, nihil minus voluit Chriſtus hoc loco quam jus ſuum ad homines transferre. Quid enim aliud eſt recipere quos mittit Chriſtus, niſi locum illis dare ut iojunctum ſibi munus impleant.

21. Hæc quum dixiſſet Jeſus, turbatus eſt ſpiritu, & teſtificatus eſt, ac dixit, Amen, amen dico vobis quod unus ex vobis me tradet.
22. Aſpiciebant itaque ſe mutuo diſcipuli, dubitantes de quo diceret.
23. Porro unus ex diſcipulis Jeſu, quem Jeſus diligebat, diſcumbebat in ejus ſinu.
24. Annuit ergo illi Simon Petrus ut interrogaret quiſnam eſſet de quo diceret.
25. Quum ergo diſcubuiſſet ille ſuper pectus Jeſu, dicit illi, Domine, quis eſt?
26. Reſpondet Jeſus, Ille eſt cui ego intinctam buccellam dedero. Et quum buccellam intinxiſſet, dat Judæ, Simonis filio Iſcariotæ.
27. Et poſt buccellam intravit in eum Satanas. Dicit ergo ei Jeſus, Quod facis, fac citius.
28. Hoc autem quorſum dixiſſet illi, nemo diſcumbentium ſcivit.
29. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quod diceret illi Jeſus, Eme quibus opus habemus ad diem feſtum: vel ut pauperibus aliquid daret.

21. *Hæc quum dixiſſet Jeſus.*] Quo ſanctius eſt munus Apoſtolicum, majorque ejus excellentia, eo fœdior magiſque deteſtanda fuit Judæ proditio. Tale igitur tamque immane portentum Chriſto ipſi horrorem incuſſit, dum videt incredibili unius hominis ſcelere fœdari ſacrum illum ordinem in quo Dei majeſtas relucere debuerat. Eodem pertinet quod ſubjicit Euangeliſta, eum *teſtificatum eſſe*. nempe quia res magis prodigioſa erat quam ut ſimpliciter dicta ſtatim credi poſſet. *Turbatum ſpiritu* Chriſtum dicit, ut ſciamus non vultu modo & verbis ſpeciem turbati hominis dediſſe, ſed penitus ita fuiſſe in animo ſuo affectum. & *ſpiritus* pro mente capitur vel anima. Neque enim quorundam opinioni ſubſcribo, qui Chriſtum expoouot quaſi violento Spiritus motu fuiſſe impulſum ut in hæc verba prorumperet. Fateor quidem Spiritum omoes Chriſti affectus fuiſſe moderatum: ſed alia eſt mens Euangeliſtæ, quod interior nec ſimulata fuerit hæc Chriſti paſſio. Idque noſtra ſcire magni intereſt, quia ipſius zelus nobis ad imitationem proponitur, ut ſerio exhorreamus monſtra iſta quæ ſacrum Dei & Eccleſiæ ordinem evertunt.

22. *Aſpiciebant itaque ſe mutuo.*] Qui ſibi non male conſcii ſuot, anxii redduntur Chriſti dicto: unus Judas ſic obſtupuit in ſua malitia ut non tangatur. Taati apud diſcipulos erat Chriſti auctoritas, ut certo perſuaſi eſſent nihil temere ab ipſo dici. Satan vero ex corde Judæ omnem reverentiam excuſſerat, ut ad repellendas omnes admonitiones ſaxea rupe eſſet durior. Tametſi autem parum humaniter videtur facere Chriſtus, qui innoxios ad tempus torquet: quia tamen illis profuit ejuſmodi anxietas, nihil illis injuriæ fecit Chriſtus. Expedit enim ut audito impiorum judicio filii Dei torqueantur etiam ipſi, quo ſeipſos excutiant, caveantque hypocriſin: inde enim illis datur occaſio ſe & ſuam vitam examinandi. Docet autem hic locus, ſic interdum taxandos eſſe impios ut non ſtatim oſteodantur digito, donec eos maou ſua Deus traxerit in lucem. Occulti enim ſæpe ſunt in Eccleſia morbi, quos diſſimulare noo licet: interim nondum ita matura eſt hominum ipſorum nequitia ut detegi poſſit. tunc igitur hæc tenenda eſt media ratio.

23. *Quem Jeſus diligebat.*] Peculiaris amor qoo Chriſtus Joannem complexus eſt, clare teſtatur non pugnare ſemper cum charitate ſiquos aliis magis amamus: ſed totum in eo poſitum eſt ut amor noſter Deum reſpiciat, & quo quiſque Dei donis magis excellit, in eum feratur. Ab eo ſcopo nunquam vel minimum Chriſtus deflexit. Nos vero longe aliter: nam (quæ eſt ingenii noſtri vanitas) pauci ſunt qui homines amando, propius ad Deum accedant. Atqui nunquam recte compoſita erit hominum inter ſe dilectio, niſi quæ ad Deum referetur. Quod narrat Joannes *ſe diſcubuiſſe in ſinu Chriſti*, poſſet hodie

id

Digitized by Google

id videri parum decorum: ſed talis erat tunc diſcumbendi ratio. neque enim ſedebant, ut nos, ad menſam: ſed calceis exuti, & pulvinis innixi, in lectulis ſemiſupioi jacebant.

26. *Cui ego intinctam buccellam.*] Siquis quærat quorſum attinuerit porrecta offula notari proditorem, quum poſſet Chriſtus palam eum nomine deſignare, ſi notum eſſe vellet: reſpondeo tale fuiſſe hoc indicium quo uni tantum innoteſceret Judas, neque ſtatim produceretur in omnium conſpectum. Cæterum utile fuit Joannem hujus rei teſtem eſſe, qoı aliis poſtea ſuo tempore patefaceret. Conſulto autem Chriſtus manifeſtationem Judæ diſtulit, quo æquius feramus latere hypocritas donec trahantur in lucem. Videmus Judam inter alios ſedentem, judicis tamen ore damnatum. Nihilo melior eſt eorum conditio qui inter Dei filios locum occupant.

27. *Intravit in eum Satanas.*] Quum certum ſit nonniſi Satanæ inſtinctu tantum à Juda conceptum fuiſſe nefas, cur nunc primum dicitur in eum ingreſſus Satan, qui regnum in ejus corde jam occupaverat? Verum ut ſæpe credere dicuntur qui in fide quam pridem habebant, magis confirmantur, atque ita fidei acceſſio vocatur fides: ita nunc quum Judas prorſus Satanæ addicitur, ut furioſo impetu rapiatur ad extrema quæque, dicitur in eum ingreſſus Satan. Nam ut gradatim proficiunt ſancti, & quatenus novis ſubinde donis augentur, Spiritu ſancto dicuntur impleri: ita quatenus ſua ingratitudine iram Dei in ſe impii provocant, Dominus Spiritu ſuo, omni rationis luce, adeoque humano ſenſu nudatos, Satanæ mancipat. Hæc horribilis eſt Dei vindicta, dum homines in ſenſum reprobum traduntur, ut nihil fere à pecudibus differant: imo in flagitia ruant à quibus abhorrent ipſæ pecudes. Ergo in timore Domini ſollicite ambulandum eſt, ne, ſi ejus bonitatem malitia noſtra vicerimus, tandem nos tradat Satanæ libidini. Cæterum porrecta à Chriſto offula Satanæ locum mioime dedit: ſed potius Judas accepta offula ſe totum Satanæ tradidit. Fuit hæc quidem occaſio, ſed non cauſa. Debebat etiam pluſquam ferreum pectus tanta Chriſti indulgentia molliri: nunc deſperata & inſanabilis ejus obſtinatio hoc meretur ut ſuo juſto judicio Deus cor illius per Satanam magis induret. Sic dum benefaciendo hoſtibus carbones ignis congerimus io eorum capita, ſi prorſus ſunt inſanabiles, magis uruntur in ſuum exitium. neque tamen hæc beneficentiæ noſtræ culpa eſt, qua ipſorum corda ad nos amandos inflammari decuerat. Falſo putavit Auguſtinus offulam hanc ſymbolum eſſe corporis Chriſti: quandoquidem extra Cœnæ actionem porrecta fuit. Nimis vero inſulſe delirant qui diabolum fingunt eſſentialiter (ut loquuntur) Judam intraſſe. nam Euangeliſta nonniſi de vi & efficacia loquitur. Monemur autem hoc exemplo quam formidabilis pœna eos omnes maneat qui Domini beneficia abuſu ſuo profanant. *Quod facis fac citius.* Non ita Judam hortatur Chriſtus ut cenſeri poſſit impulſor: potius vox eſt deteſtantis. Hactenus illum variis modis revocare ſtuduerat, ſed nullo profectu. nunc ut hominem deploratum alloquitur, Pereas, quando tibi decretum eſt perire. Atque in ea re judicis officio fungitur, qui morti adjudicat non quos ſponte perditos cupit, ſed qui jam ſua culpa ſeipſos perdiderunt. In ſumma, non imponit Judæ Chriſtus pereundi neceſſitatem, ſed talem eſſe pronunciat qualis jam prius erat.

28. *Nemo diſcumbentium.*] Vel nondum aliis locis retulerat Joannes quid à Chriſto audiſſet, vel ita perculſi fuerunt ut non eſſent præſenti ſenſu: imo Joannem ipſum veriſimile eſt fuiſſe quaſi extra ſe raptum. Cæterum quod tunc accidit diſcipulis, ſæpe in Eccleſia fieri cernimus, ut pauci fidelium diſcernant hypocritas, quos Dominus clara voce damnat.

29. *Ut pauperibus aliquid daret.*] Satis notum eſt ex aliis locis quanta fuerit Chriſti tenuitas: tamen aliquid ex tantillo quod habebat pauperibus erogavit, ut nobis regulam præſcriberet. Non enim divinaſſent Apoſtoli de pauperibus loquutum eſſe niſi ex more ordinario juvandi pauperes.

30. Quum ergo buccellam ſumpſiſſet ille, continuo exivit. erat autem nox.

31. Quando ergo exivit, dicit Jeſus, Nunc glorificatus eſt Filius hominis, & Deus glorificatus eſt in eo.

32. Si Deus glorificatus eſt in eo, etiam Deus glorificabit eum in ſeipſo: & continuo glorificabit eum.

ſupra 7. verſ. 34. 33. Filioli, adhuc ad exiguum tempus vobiſcum ſum: quæretis me, & quemadmodum dixi Judæis, quod quo vado ego, vos non poteſtis venire: etiam nunc dico vobis.

infra 15. verſ. 12. 34. Præceptum novum do vobis, ut diligatis invicem: quemadmodum dilexi vos, ut etiam vos diligatis invicem.

35. In hoc cognoſcent omnes quod diſcipuli mei ſitis, ſi dilectionem habueritis inter vos mutuam.

31. *Nunc glorificatus eſt.*] Inſtabat ultima hora: ſciebat Chriſtus quam debiles eſſent ſuorum animi. quibus ergo fieri potuit modis eos voluit fulcire, ne conciderent. Nos hodie ſola crucis Chriſti memoria ad trepidationem impellit, niſi mox occurrat conſolatio, ipſum Satanæ, peccati & mortis victorem in cruce triumphaſſe. Quid ergo diſcipulis accidere potuit, quum mox Dominum viſuri eſſent omni probrorum genere oneratum ad crucem rapi? annon adeo triſte & deforme ſpectaculum centies eos obruere potuit? Quare huic periculo medetur Chriſtus, & eos ab externo mortis aſpectu ad ſpiritualem fructum revocat. Ergo utcunque in cruce appareat ignominia, quæ per ſe confundere fideles poſſet, teſtatur tamen Chriſtus eandem crucem ſibi eſſe glorioſam. Membrum quod proxime ſequitur, *Et Deus glorificatus eſt in eo*, confirmationis vice additum eſt. Erat enim illud paradoxon, quod gloria Filii hominis ex morte apud homines probroſa, & coram Deo etiam maledicta, emergeret. Oſtendit igitur quomodo ſibi gloriam pariturus ſit ex tali morte: quia ſcilicet Deum Patrem glorificet. nam in Chriſti cruce, quaſi in ſplendidiſſimo theatro, incomparabilis Dei bonitas toti mundo ſpectata fuit. Surſum quidem & deorſum in omnibus creaturis relucet Dei gloria: ſed nunquam illuſtrior alibi fuit quam in cruce, in qua admirabilis facta eſt rerum converſio, oſtenſa omnium hominum damnatio fuit, abolitum peccatum, reddita hominibus ſalus: toto denique mundo reparato omnia in ordinem reſtituta. Quanquam autem particula *in* ſæpe accipitur pro Hebraico Beth, ac tunc idem valet atque *per*: malui tamen ſimpliciter vertere Deum in Filio hominis glorificatum, quia loquutio videbatur magis emphatica. Quum dicit, *Et glorificatus eſt Deus*, copula *&* in cauſalem particulam, meo judicio, reſolvi debet.

32. *Si Deus glorificatus eſt.*] Colligit Chriſtus, ſe glorioſum triumphum relaturum eſſe ex morte,

in

in qua hoc unnm propoſitum habet, ut glorificet Patrem ſuum. Neque enim Pater gloriam ſuam ita quæſivit ex morte Filii, quin ipſum faceret ejuſdem gloriæ participem. Mox igitur fore promittit ut deleta igoominia, quam ad breve momentum ſubiturus erat, magnificum eniteat in morte ſua decus. quod etiam impletum eſt. Adeo enim non obſcurat Chriſti dignitatem mors crucis quam perpeſſus eſt, ut illic maxime refulgeat: quatenus ſcilicet illic incredibilis ejus amor erga humanum genus, immenſa ejus juſtitia in expiando peccato & ira Dei placanda, mirifica ejus virtus in vincenda morte, Satana ſubigendn, cælis denique aperiendis plenum fulgorem emiſit. Jam ad nos etiam omnes extenditur hæc dnctrina: quia etſi totus mundus in noſtram infamiam conſpiret, ſi tamen ſincere & ex animo ſervire Dei gloriæ ſtuduerimus, dubitandum non eſt quin ipſe viciſſim nos glorificet. Conſolationem auget Chriſtus à temporis brevitate, quum hoc *continuo* fore promittit. Porro tametſi gloria hæc à die reſurrectionis cœpit, hic tamen maxime notatur quæ continuo poſt ſequuta eſt ejus propagatio, quum mortuos ſuſcitans Euangelii & Spiritus ſui virtute, novum ſibi populum creavit. Proprium enim mortis Chriſti decus eſt fructus qui inde manavit in ſalutem hominum.

33. *Filioli, adhuc paululum.*] Quia fieri non poterat quin graviſſimo mœrore diſcipulos afficeret magiſtri diſceſſus, ideo mature præmonet ſe non futurum cum illis diutius, ſimulque hortatur ad patientiam: poſtremo, ut tollat intempeſtivum deſiderii ardorem, eos negat ſtatim poſſe ſequi. *Filiolos* vocando, blanda iſta appellatione non ideo ſe ab illis migrare docet, quia minus curet eorum ſalutem, quum teneriime ipſos amet. Induit quidem carnem noſtram in hunc finem ut frater noſter ſit: ſed in illo altero nomine major amoris vehemeotia exprimitur. *ſupra 7. verſ. 34.* Quod ſe apud eos repetere dicir quod ante Judæis dixerat, eſt quidem id verum quoad verba, ſed in ſenſu diſcrimen eſt. Negat eoim eos ſequi poſſe, ut temporalem ſui abſentiam æquo animo ferant: & quaſi frenum illis injicit, ut ſe contineant in ſtatione ſua donec militiam ſuam in terra compleverint. Non igitur eos in perpetuum arcet à regno Dei, ut Judæos: ſed tantum jubet ut placide expectent dum eos ſecum in regnum cæleſte colligat.

34. *Præceptum novum do vobis.*] Conſolationi addit exhortationem, ut ſe mutuo diligant. acſi diceret, Interea dum corpore à vobis abſum, mutua charitate teſtamini noo fruſtra vos fuiſſe à me edoctos: ſit hoc continuum veſtrum ſtudium, ſit præcipua meditatio. Cur *præceptum novum* appellet non convenit inter omnes. quibuſdam videtur eſſe hæc ratio, qund qoum literale & externum eſſet qnicquid de charitate olim in Lege præſcriptum erat, Chriſtus Spiritu ſuo cordibus fidelium inſcripſerit. Ita lex, ſecundum eos, nova eſt, quam novo modn promulgat ut habeat plenum vigorem. Sed illud, meo judicio, nimis coactum eſt, atque alienum à Chriſti mente. Alii novum ideo præceptum dici exponunt quod tametſi Lex ad dilectionem nos revocet, quia tamen multis ceremoniis & appendicibus eſt implicita, illic doctrina charitatis non tam clare emineat: contra autem, in Euangelio ſine ullis umbris ſtatuatur in charitate perfectio. Ego ut hanc interpretationem non prorſus repudio, ita Chriſtum ſimplicius loquutum eſſe arbitror. Scimus enim leges initio diligentius ſervari, ſenſim vero labi ex hominum memoria, donec tandem obſoleſcant. Ergo Chriſtus quo melius infigat ſuorum animis charitatis doctrinam, à novitate eam commendat. quaſi diceret, Volo hujus mandati vos perpetuo eſſe memores acſi lex eſſet recens nata. Videmus in ſumma, conſilium Chriſti fuiſſe hoc loco ad charitatem ſuos hortari, ne unquam ab ejus ſtudio ſe abduci, aut ejus doctrinam ſibi effluere ſinerent. Porro quam neceſſaria fuerit hæc admonitio, quotidianis experimentis diſcimus. Quia enim difficile eſt retinere charitatem, homines ea poſthabita novos ſibi colendi Dei modos fingunt, & Satan multa ſuggerit in quibus ſe occupent. Ita accidit ut fruſtra ſatagendo, illudere Deo conentur, ſe autem decipiant. Ergo elogium hoc novitatis ſubinde nos ad colendam charitatem excitet. Interea ſciamus vocari novum, non quod cœperit nunc primum placere Deo, quando alibi vocatur Legis complementum. *Diligatis vos mutuo.* Extenditur quidem etiam ad extraneos uſque chariss: quia ſumus omnes ex eadem carne, omneſque ad imaginem Dei creati. ſed quia in regeneratis clarius elucet Dei imago, vinculum amoris inter Chriſti diſcipulos multo arctius eſſe par eſt. Charitas in Deo cauſam quærit, inde habet ſuam radicem, & illuc refertur. ita ut quemque vere agnoſcit eſſe Dei filium, magis ſtudioſe & ardenter complectitur. Deinde non poteſt mutuus eſſe amoris affectus niſi in iis qui eodem reguntur Spiritu. Primum ergo charitatis gradum hic notat Chriſtus: ſed rurſum tenendum eſt, ſicuti Dei bonitas ſe ad totum mundum extendit & diffuodit, ita nobis omnes eſſe amandos, etiam qui nos odio habent. Suum exemplum proponit, non quia aſſequi ipſum poſſimus, qui immenſo ſpatio nos præcedit: ſed ut ad eundem ſaltem tendamus ſcopum.

35. *In hoc cognoſcent omnes.*] Confirmat iterum Chriſtus quod prius dixerat, non fruſtra fuiſſe in ſchola ſua inſtituros qui mutuo inter ſe diligent. quaſi diceret, Non ipſi tantum ſcietis vos eſſe meos diſcipulos, ſed profeſſio veſtra apud alios quoque vera probabitur. Quum autem hac nota diſcernat ſuos Chriſtus ab alienis, fruſtra ſe fatigant qui relicta charitate novos & commentitios cultus ſuſcipiunt: qualis hodie vanitas in Papatu regnat. Nec vero ſupervacuum eſt quod in hanc partem Chriſtus tantopere inſiſtit. Nihilo melius inter amorem noſtri & proximi convenit quam inter ignem & aquam. Atqui amor noſtri ſic omnes ſenſus noſtros devinctos tenet ut charitas prorſus exulet. Putamus nos interea rite defungi: quia Satan multas illecebras habet, quibus fucum nobis faciat. Quiſquis ergo vere Chriſti eſſe, & à Deo agooſci cupit, totam vitam componat & dirigat ad amandos fratres, & huc ſe aſſidue ſollicitet.

36. Dicit illi Simon Petrus, Domine, quo vadis? Reſpondit illi Jeſus, Quo vado non potes nunc me ſequi: poſtea autem me ſequeris.

37. Dicit illi Petrus, Domine, quare non poſſum te ſequi nunc? animam meam pro te ponam.

Mat. 26. verſ. 34. 38. Reſpondit illi Jeſus, Animam tuam pro me pones? amen, amen dico tibi, non canet gallus donec me ter negaveris.

36. *Domine, quo vadis?*] Hæc interrogatio pendet ex dicto illo Chriſti, Sicuti dixi Jodæis, &c. Hinc autem apparet quanta fuerit Petri ruditas, qui toties admonitus de Chriſti diſceſſu, perinde turbatur acſi nnvum aliquid audiret. Quanquam in eo nos illi nimium ſimiles ſumus. quotidie enim audimus ex ore Chriſti quæcunque ad uſum vitæ apta & cognitu neceſſaria ſunt: ubi ad rem venitur, non ſecus percellimur ac novitii quibus nihil unquam dictum fuit. Oſtendit deinde Petrus ſa immodico carnalis Chriſti

præ-

præſentiæ deſiderio teneri. Nam pro abſurdo boc ducit, ſe manente Chriſtum alio migrare. *Quo ego vado.* Coërcet his verbis Chriſtus importunum Petri deſiderium. Præciſe autem loquitur, ut magiſtrum decet: mox tamen dicti ſui acerbitatem temperat. Docet non fore hoc niſi ad tempus, quod disjunctus erit à ſuis. Cæterum docemur hoc loco ſubjicere Deo vota noſtra, ne fines ſuos tranſiliant: quod ſiquando laſciviant, patiamur ſaltem hoc freno retrahi. Cæterum, ne animis frangamur, ſuccurrat quæ mox addita eſt conſolatio, dum fore promittit Chriſtus ut aliquando ad ipſum colligamur. Significat enim Petrum nondum cruci ferendæ maturum eſſe, ſed velut ſegetem adhuc in herba: formandum tamen & firmandum temporis ſucceſſu, ut ſequatur. Quare rogandus Deus ut quod inchoavit in nobis, in melius augeat. reptandum interea eſt donec celerius currere datum fuerit. Jam ut nos tolerat Cbriſtus dum adhuc molles ſumus & teneri: ita diſcamus non abjicere infirmos fratres, qui longe adhuc abſunt à meta. Optandum quidem eſt ut currant omnes ſummo ardore, addenda eſt etiam omnibus alacritas: ſed ſiqui tardius incedunt, modo viam teneant, bene ſperandum eſt.

37. *Quare non poſſum te ſequi nunc?*] Declarat Petrus his verbis ſe ægre tuliſſe Chriſti reſponſum. Intelligit ſe ptopriæ infirmitatis commonefactum eſſe: unde colligit, ſuum vitium ſibi obſtare quominus ſtatim Chriſtum ſequatur. ſed hoc illi minime perſuaſum eſt. Natura enim inflatum eſt humanum genus propriæ virtutis fiducia. Ergo vox iſta Petri, qualis nobiſcum opinio naſcatur, demonſtrat: nempe quod plus ſatis viribus noſtris tribuimus. Hinc fit ut quidvis aggredi audeant, non invocato Dei auxilio, qui tamen nihil poſſunt.

38. *Animam tuam pro me pones?*] Noluit Chriſtus cum Petro contendere: ſed eum voluit proprio experimento ſapere, ſtultotum inſtar, qui nunquam ſapiunt niſi accepta plaga. Invictam conſtantiam promittit Petrus, & ex ſincero quidem animi ſui ſenſu loquitur: ſed plena temeritatis fiducia eſt, quia oon reputat quid ſibi datum ſit. Quia autem ad nos pertinet exemplum, diſcant ſinguli excutere ſuos defectus, ne ſe inani confidentia efferant. Non poſſumus quidem nimium nobis de gratia Dei polliceri: ſed hic reprehenditur ſecura carnis præſumptio, quum fides timorem ac ſollicitudinem potius gignat. *Non canet gallus.* Quia ex ignoratione noſtri prodit audacia & temeritas, raxatur Petrus, quod extra telorum jactum ſtrenuus ſit miles: quia vires ſuas nondum expertus putet ſe aliquid poſſe. Pœnam ille ſuæ arrogantiæ dedit qualem meritus erat: ut nos fulciat Dominus virtute ſua, viribus noſtris diffiſi mature ad ipſum confugere diſcamus.

CAP. XIV.

NE turbetur cor veſtrum. creditis in Deum, & in me credite.
2. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt: quod ſi non, dixiſſem vobis.
vado ad parandum vobis locum.
3. Et ſi abiero, & paravero vobis locum, iterum revertar, & ſuſcipiam vos ad
me: ut ubi ego ſum, vos quoque ſitis.
4. Et quo ego vado noſtis, & viam noſtis.
5. Dicit ei Thomas, Domine, neſcimus quo vadas: & quomodo poſſumus viam
ſcire?
6. Dicit ei Jeſus, Ego ſum via, & veritas, & vita: nemo venit ad Patrem niſi
per me.
7. Si cognoviſſetis me, Patrem meum etiam cognoviſſetis: & ab hoc tempore cogno-
ſcitis eum, & vidiſtis eum.

1. *Ne turbetur cor veſtrum.*] Non abs re tam multis verbis confirmat Chriſtus diſcipulos ſuos, quibus tam arduum & formidoloſum certamen erat. Neque enim iſta mediocris erat tentatio, quod paulo poſt ipſum viſuri erant in cruce pendeotem: in qno ſpectaculo nihil quam extremæ deſperationis materia erat. Quum ergo tantæ perturbationis bora inſtaret, remedium oſtendit, ne victi ſuccumberent. Neque enim ſimpliciter hortando ad conſtantiam ipſos animat: ſed unde petenda ſit fortitudo ſimul docet, nempe ex fide, quum ipſe agnoſcitur Dei Filius, qui ſatis in ſe habet præſidii ad tuendam ſuorum ſalutem. Tenenda ſemper eſt temporis circumſtantia, quod diſcipulos Chriſtus fortes & intrepidos ſtare voluit, quum omnia videri plnſquam confuſa poſſent. Ergo hic clypeus nobis quoque ad tales impetus ſuſtinendos aptandus eſt. Fieri quidem nequit quin ſeotiamus varios motus: ſed ita concuti oos decet ut non concidamus. Dicuntur ergo non tutbari fideles: quia verbo Dei innixi, etiamſi ſummis difficultatibus premantur, recti tamen & firmo gradu conſiſtunt. *Creditis in Deum.* Poſſet etiam imperativo modo legi, Credite in Deum, & in me credite: prior tamen lectio melius quadrat, & magis recepta eſt. Cæterum hic oſtenditur ſtandi ratio, quemadmodum dictum eſt: nempe ſi in Chriſtum recumbit fides noſtra, & eum non ſecus ac præſentem manuque porrecta nos juvantem reſpicit. Sed mirum eſt cur hic priore loco ſtatuatur fides in Patrem. Potius enim dicendum erat diſcipulis, credendum eſſe in Deum ex quo in Chriſtum crediderant. quia ut Chriſtus eſt expreſſa Patris effigies, ita primum oculos in eum conjicere oportet: & hac etiam cauſa ad nos deſcendit ut fides noſtra ab ipſo incipiens, ad Patrem conſcendat. Verum aliud ſpectavit Chriſtus. nemo enim non fatetur Deo credendum eſſe: atque hoc fixum eſt axioma, cui ſine controverſia omnes ſubſcribunt: & tamen reipſa vix centeſimus quiſque credit, tum qoia nimis procul à nobis diſtat nuda Dei majeſtas, tum quia omne genus nebulas opponit Saran, quæ Dei conſpectum nobis abrumpant. ita fit ut fides noſtra Deum in cæleſti ſua gloria & inacceſſa luce quærens, evaneſcat. Sponte etiam caro mille imaginationes ſuggerit, quæ nos à recto Dei intuitu avertant. Se ergo Chriſtus quaſi ſcopum proponit, ad quem fides noſtra ſi dirigatur, reperiet in promptu ubi quieſcat. Eſt enim verus Immanuel, qui ſimulac fide quæritur, intus nobis reſponder. Eſt unum hoc ex præcipuis fidei noſtræ capitibus, debere fidem noſtram, ne vagetur per longos circuitus, ad Chriſtum unum dirigi: ne in tentationibus vacillet, ſiſtendam in eo eſſe. Atque hæc vera eſt fidei probatio, ubi nunquam à Chriſto & promiſſionibus io ipſo datis patimur nos divelli. Theologi Papales quum de objecto fidei diſputant, vel garriuot potius, nudam ſolum faciunt Dei mentionem: Chriſti nulla ratio. Qui ex eorum commentis ſapiunt, neceſſe eſt ut ad tenuem quemlibet levis auræ flatum vacillent. Pudet ſuperbos homines humilitatis Cbriſti: ideo ad incomprehenſibile Dei numen evolant.

Atqui

Atqui nunquam in cælum perveniet fides, niſi quæ Chriſto, qui humilis in ſpeciem Deus apparet, ſe ſubmittat: neque unquam ſtabilis erit, niſi fulturam quærat in Chriſti infirmitate.

2. *In domo Patris mei.*] Quoniam abſentia Chriſti mœroris cauſa erat, ſe non ideo abire teſtatur ut ab illis ſeparatus maneat: quoniam ipſis quoque in regno cæleſti ſit locus. Hæc enim eximenda ſuſpicio fuit, Chriſtum ad Patrem aſcendere ut ſuos in terra neglectos relinqueret. Perperam tractus fuit hic locus in alium ſenſum: quaſi doceret Chriſtus diſtinctos eſſe honoris gradus in regno cæleſti. *Multas* enim *manſiones* dicit, non varias, aut diſpares, ſed quæ pluribus ſufficiant: acſi diceret, non ſibi uni, ſed omnibus etiam diſcipulis locum illic eſſe. *Quod ſi non, dixiſſem vobis.* Hic variant interpretes: nam uno contextu ita legunt quidam, Si non eſſent vobis jam paratæ manſiones, dixiſſem me præire ad eas parandas. Ego autem aliorum ſententiæ potius accedo, qui ſic diſtinguunt, Si me unum maneret cæleſtis gloria, nollem vos fruſtrari: dixiſſem ergo vobis, nemini præterquam mihi locum eſſe apud Patrem. ſed res aliter habet: ego enim præcedo ut parem vobis locum. Ut ita legamus, contextus (meo judicio) exigit: ſequitur enim continuo poſt, *Et ſi abiero, & paravero vobis locum.* Quibus verbis ſignificat Chriſtus hunc ſui diſceſſus finem eſſe ut locum ſuis paret. Summa eſt, quod non privatim ſibi cælum conſcenderit Dei Filius, ut illic ſeorſum habitet: ſed potius ut communis ſit piorum omnium hæreditas, atque ita conjunctum ſit membris caput. Exoritur tamen quæſtio, Qualis fuerit Patrum conditio poſt mortem, antequam Chriſtus in cælum aſcenderet. vulgo enim colligunt, fideles animas in Limbo fuiſſe incluſas, quia dicat Chriſtus ſuo in cælum aſcenſu paratum iri locum. Sed reſponſio facilis eſt, quod locus hic parari dicatur in diem reſurrectionis. Natura enim exulat humanum genus à regno Dei: Filius autem, qui unicus eſt hæres cæli poſſeſſionem noſtro nomine adiit, ut per ipſum nobis acceſſus pateat. Nam in ejus perſona jam ſpe cælum poſſidemus, ut Paulus docet ad Epheſ. 1: 3. non tamen plene fruemur tanto bono quouſque rurſus idem in cælo appareat. Non ergo hic Patrum ſtatus poſt mortem à noſtro diſcernitur: quia utriſque pariter locum paravit Chriſtus, in quem extremo die omnes recipiet. Ante reconciliationem peractam fideles animæ, velut in ſpecula, erant intentæ ad redemptionem promiſſam, & nunc beata quiete fruuntur uſquedum compleatur redemptio.

3. *Et ſi abiero.*] Conditionalis particula reſolvi debet in adverbium temporis: acſi dictum eſſet, Poſtquam abiero, iterum revertar ad vos. Cæterum reditus hic non debet de Spiritu ſancto intelligi, quaſi novam ſui præſentiam exhibuerit Chriſtus diſcipulis in Spiritu. Eſt quidem illud verum quod nobiſcum & in nobis Chriſtus per Spiritum habitat: ſed hic de extremo judicii die loquitur, quo tandem veniet ad ſuos colligendos. Et certe quotidie locum nobis parat, ſi totum Eccleſiæ corpus reſpicimus. Unde ſequitur, noſtri in cælum ingreſſus nondum maturum adeſſe diem.

4. *Et quo ego vado ſcitis.*] Quoniam non vulgari fortitudine opus eſt ut tamdiu noſtram à Chriſto ſeparationem patienter feramus, additur altera confirmatio, quod ſciunt diſcipuli mortem ejus non eſſe interitum, ſed tranſitum ad Patrem. deinde quod viam tenent qua ſequantur, ut in ejuſdem gloriæ ſocietatem perveniant. Utrumque membrum ſedulo notandum eſt, ut Chriſtum in cæleſti gloria & beata immortalitate fidei oculis cernamus: deinde ut ſciamus ipſum eſſe vitæ noſtræ primitias; & viam, quæ præcluſa erat, nobis ab eo patefactam eſſe.

5. *Dicit ei Thomas.*] Tametſi prima facie videtur cum dicto Chriſti pugnare Thomæ reſponſum, non tamen illi propoſitum fuit abrogare magiſtro fidem. Quæritur tamen quomodo neget quod aſſeruit Chriſtus. Reſpondeo, interdum in ſanctis confuſas eſſe notitias, quia rei certæ & ſibi expoſitæ modum & rationem non tenent. Sic à Prophetis prædicta fuit Gentium vocatio ex vero fidei ſenſu, quam tamen Paulus teſtatur fuiſſe arcanum illis abſconditum. *Epheſ. 3.*
Quum ergo crederent Apoſtoli Chriſtum ad Patrem *verſ. 5.* migrare, neſcirent tamen quomodo regnum adepturus eſſet, merito excipit Thomas, ipſos neſcire quo vadat. Inde colligit magis obſcuram eſſe viam: priuſquam enim curſum ingredimur, ſciendum eſt quo tendamus.

6. *Ego ſum via.*] Quanquam non diſerte reſpondet Chriſtus ad rogatum, nihil tamen omittit quod ſit utile cognitu. Frenanda erat Thomæ curioſitas: ideo Chriſtus non diſſerit qualis futura ſit ſua conditio apud Patrem, ſed in re magis neceſſaria inſiſtit. Libenter audiſſet Thomas quid acturus eſſet in cælo Chriſtus: ſicuti nos argutis illis ſpeculationibus nonnunquam fatigamur. Atqui ſtudium & operam alibi locare magis convenit: quomodo ſcilicet beatæ reſurrectionis futuri ſimus conſortes. Summa porro hujus ſententiæ eſt, Quiſquis potitur Chriſto, nihil illi deeſſe: ideoque ultra ultimam perfectionem eniti quiſquis eo uno contentus non eſt. Ponit autem tres gradus: acſi principium ſe eſſe diceret, ac medium, & finem. unde ſequitur ab ipſo incipiendum eſſe, in eodem pergendum, & deſinendum. Non eſt certe expetenda altior ſapientia quam quæ nos ad vitam æternam ducat: hanc in ſe inveniri teſtatur. Jam vitæ obtinendæ ratio eſt, ut ſimus novæ creaturæ. hoc quoque non alibi quærendum eſſe pronunciat: & ſimul viam ſe eſſe admonet qua ſola illuc pervenire liceat. Ergo ne qua in parte nobis deſit, manum errantibus præbet: ac eouſque ſe demittit ut lactentes quoque pueros dirigat: ducem ſe profeſſus non relinquit ſuos in medio ſtadio, ſed veritatis compotes facit. Demum efficit ut ejus fructum percipiant, quo nihil melius vel præſtantius fingi poteſt. Quum via ſit Chriſtus, non eſt quod ſe infirmi & rudes ab eo querantur deſtitui: quum veritas ſit & vita, habet ſimul in ſe quo perfectiſſimis quibuſque ſatisfaciat. Denique de beatitudine nunc prædicat Chriſtus quod nuper dixi de fidei objecto. Beatitudinem hominis in ſolo Deo ſitam eſſe recte omnes judicant & fatentur: ſed in eo poſtea falluntur quod Deum alibi quam in Chriſto quærentes, eum à vera ſua & ſolida divinitate quodammodo avellunt. *Veritas* quibuſdam hic ſalvificam cæleſtis ſapientiæ lucem ſignificat: aliis vero ſubſtantiam vitæ bonorumque omnium ſpiritualium, quæ opponatur umbris & figuris: ſicuti capite primo, Gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt. Mihi *veritas* pro fidei perfectione accipi videtur, ſicuti *via* pro initio & rudimentis. Hæc ſumma eſt, quod ſiquis à Chriſto deflectat, nihil poterit quam errare: ſiquis in eo non acquieſcat, nihil quam vento & vanitate alibi paſcetur: ſiquis ultra eum tendat, mortem vitæ loco inveniet. *Nemo venit ad Patrem.* Expoſitio proximæ ſententiæ: ideo enim via eſt quia nos ad Patrem ducit: ideo veritas & vita quia in eo Patrem apprehendimus. De invocatione quidem hoc vere dici poteſt, quod nullæ preces niſi Chriſti patrocinio exaudiantur: ſed quia hic non de oratione diſſerit Chriſtus, ſimpliciter intellige, homines meros ſibi fingere labyrinthos quoties relicto Chriſto ad Deum venire contendunt. Probat enim Chriſtus ſe vitam eſſe, quia non alibi quam in ipſo Deus, apud quem eſt fons vitæ, poſſidetur. Quare omnis extra Chriſtum theologia non modo confuſa eſt ac inanis, ſed etiam delira, fallax, & adulterina. Nam etſi Philoſophis præclaræ interdum voces effluant, nihil tamen habent niſi evanidum, & perverſis etiam erroribus implicitum.

7. *Si cognoviſſetis me.*] Confirmat quod jam diximus,

mus,

mus, ſtultam & noxis m eſſe curioſitatem, quum homines eo non contenti, obliquis ſemitis ad Deum aſpirant. Fatentur nihil eſſe Dei notitia melius: quum vero prope illis adeſt, & ſe familiariter inſinuat, vagantur per ſuas ſpeculationes, & ſupra nubes quærunt quem præſentem intueri non dignantur. Reprehendit ergo diſcipulos Chriſtus quod plenitudinem Deitatis non agnoſcant ſibi fuiſſe in ipſo exhibitam. Video, inquit, non rite nec legitime hactenus fuiſſe me à vobis cognitum: quia vivam Patris effigiem, quæ in me expreſſa eſt, nondum cognoſcitis. *Et ab hoc tempore.* Hoc addit non ſolum ut acerbitatem reprehenſionis mitiget, ſed etiam ut eos accuſet ingratitudinis ac ſocordiæ, niſi reputent & expendant quid ſibi datum ſit. Nam hoc in ſuæ potius doctrinæ commendationem dixit quam ut fidem eorum extolleret. Senſus ergo eſt, Deum illis jam nunc conſpicuum patere, ſi modo aperiant oculos. In verbo *videndi* exprimitur fidei certitudo.

8. Dicit ei Philippus, Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.

9. Dicit ei Jeſus, Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſtis me? Philippe, qui vidit me, vidit Patrem: & quomodo tu dicis, Oſtende nobis Patrem?

10. Non credis quod ego in Patre, & Pater in me eſt? verba quæ ego loquor vobis, à meipſo non loquor: Pater autem qui in me manet, ipſe facit opera.

11. Credite mihi quod ego in Patre, & Pater in me: ſin minus, propter opera ipſa credite mihi.

12. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, etiam ipſe faciet, & majora his faciet: quia ego ad Patrem meum vado.

13. Et quod petieritis in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio.

14. Siquid petieritis in nomine meo, ego faciam.

8. *Oſtende nobis Patrem.*] Videtur eſſe valde abſurdum quod Domino ita ſubinde obſtrepunt Apoſtoli. quorſum enim loquutus erat, niſi ut hoc ipſum doceret de quo interrogat Philippus? Nihil tamen vitiorum in illis hic deſcribitur quod nobis non ſit cum illis commune. Teſtamur cupide nos Deum quærere: dum ſe oculis noſtris ingerit, cæcutimus.

9. *Tanto tempore vobiſcum ſum.*] Jure Philippum objurgat Chriſtus quod puros fidei oculos non habuerit. Deum habebat præſentem in Chriſto: eum tamen non intuebatur. Quid illi obſtitit niſi ſua ingratitudo? Ita & hodie male in Euangelio proficiunt qui non contenti ſolo Chriſto, in erraticas ſpeculationes feruntur ut Deum quærant. Stulta hæc cupiditas ex contemptu humilitatis Chriſti naſcitur. quod eſt valde indignum, quum hac in parte immenſam Patris bonitatem repræſentet.

10. *Quod ego in Patre.*] Hæc verba non ad divinam Chriſti eſſentiam refero, ſed ad modum revelationis. Chriſtus enim, quo ad arcanam ſuam deitatem, nihilo nobis notior eſt quam Pater: verum dicitur eſſe expreſſa Dei imago, quia ſe totum in illo patefecit Deus, quatenus illic immenſa ejus bonitas, ſapientia & virtus in ſolidum apparet. Neque tamen perperam veteres, qui hinc teſtimonium ſumunt pro aſſerenda Chriſti divinitate. Sed quia non ſimpliciter diſputat Chriſtus quis ſit in ſe, ſed qualis debeat agnoſci à nobis: virtutis potius quam eſſentiæ elogium eſt. Pater ergo in Chriſto eſſe dicitur, quia in eo habitat plena divinitas, & virtutem ſuam exerit: Chriſtus viciſſim dicitur eſſe in Patre, quia divina virtute ſeſe unum cum illo eſſe oſtendit. *Verba quæ ego loquor.* Probat ab effectu non alibi quam in ſe quærendum eſſe Deum: doctrinam enim ſuam, quum cæleſtis ſit ac vere divina, teſtimonium eſſe contendit ac illuſtre ſpeculum præſentiæ Dei. Siquis contra objiciat, Prophetas omnes pro Dei filiis habendos eſſe, quia divinitus loquuti ſint ex Spiritus afflatu, Deumque habuerint doctrinæ ſuæ auctorem: ſolutio in promptu eſt, videndum ſcilicet eſſe quid contineat doctrina. Prophetæ enim alio diſcipulos ſuos ablegant: Chriſtus autem in ſe retinet. Tenendum eſt etiam quod tradit Apoſtolus primo ad Hebræos capite, loqui nunc è cælo Deum per os Filii ſui, qui velut ex terra per Moſen loquutus eſt. *Non loquor*, inquit, *à meipſo*, hoc eſt, ut homo duntaxat, vel humanitus: quia Pater vim Spiritus ſui in doctrina proferens, ſuum in eo numen vult agnoſci. Quum dicit *Patrem facere opera*, non debet hoc ad miracula reſtringi: potius enim priorem ſententiam continuat, quod Dei majeſtas conſpicuam ſe in doctrina præbeat. acſi diceret hoc eſſe vere Dei opus, unde ſtatui certo poſſit Deum in ipſo manere. Ergo per opera divinæ potentiæ ſpecimen intelligo.

11. *Credite mihi quod ego.*] Primum à diſcipulis poſtulat ut fidem habeant ſuo teſtimonio, dum ſe aſſerit Dei eſſe Filium. Quia autem hactenus nimis tardi fuerant, oblique eorum ignaviam perſtringit. Si mea, inquit, affirmatio non facit fidem, & tam parvi æſtimor à vobis ut non putetis verbis meis credendum; ſaltem perſpicite iſtam virtutem, quæ Dei præſentiæ viſibilis eſt imago. Eſt quidem illud valde abſurdum, non pendere prorſus ex ore Chriſti, quum amplecti ſine ulla hæſitatione oporteat quicquid vel uno verbo indicavit. Sed hic Chriſtus diſcipulos objurgat quod toties eadem de re admoniti tam parum profecerint. Non docet quænam ſit fidei natura, ſed ſe habere teſtatur quod etiam ad coarguendos incredulos ſufficiat. Quod iterum inculcat, *Ego in Patre, & Pater in me*, non eſt ſupervacuum. nam plus ſatis experimur ut nos ad vanam curioſitatem natura noſtra ſollicitet. Nam extra Chriſtum egreſſi, tantum idola à nobis conficta habebimus: in Chriſto autem nihil eſt niſi divinum & quod nos in Deo retineat.

12. *Amen, amen dico vobis.*] Quicquid hactenus de ſe prædicavit diſcipulis, quo ad ipſorum aſpectum, erat temporale. ergo niſi addita hoc membro, conſolatio plena non fuiſſet, præſertim quum in reputandis Dei beneficiis tam evanida ſit noſtra memoria. Qua in re non opus eſt alienis exemplis. nam ubi nos Deus omni bonorum genere cumulaverit, ſi quieſcat dimidium menſem, putabimus non amplius eum vivere. Hac ratione Chriſtus non præſentem modo virtutem ſuam, quam tunc oculis cernebant Apoſtoli, commemorat, ſed perpetuum ejus ſenſum in futurum tempus promittit. Et certe non ſolum quamdiu in terris verſatus eſt, teſtata fuit ejus divinitas, ſed poſtquam ad Patrem diſceſſit, luculenta ejus documenta experti ſunt fideles. Sed nos vel ſtupor noſter impedit, vel malignitas, quod neque Deum in ſuis operibus conſideramus, neque Chriſtum in operibus Dei. Multos tamen conturbat quod Apoſtolos dicit *majora quam ipſe fecerit, opera facturos*. Reſponſiones alias quæ huc afferri ſolent omitto, hac una contentus. Principio tenendum eſt quid velit Chriſtus: adeo ſcilicet non alligatam eſſe corporis ſui præſentiæ virtutem illam, qua ſe Filium Dei eſſe probat, ut pluribus ſe abſente ac majoribus experimentis illuſtranda ſit. Atqui aſcenſum

Chriſti paulo poſt ſequuta eſt admirabilis mundi converſio, in qua potentius ſe exeruit Chriſti divinitas quam quum inter bomioes ageret. Ita videmus oon fuiſſe in Chriſti perſona incluſam divinitatis ejus approbationem, ſed diffuſam per totum Eccleſiæ corpus. Cæterum hoc *facere* de quo loquitur, neque ſolis Apoſtolis proprium eſt, neque ſingulis piis commune, ſed ad totum Eccleſiæ corpus ſpectat. *Quia vado ad Patrem.* Ratio cur facturi ſint diſcipuli majora quam Chriſtus ipſe, quoniam adita regni ſui poſſeſſione ſuam potentiam plenius è cælo demonſtraturus ſit. Unde apparet nihil de ejus gloria minui quod poſt ejus diſceſſum excellentius operati ſint Apoſtoli, qui tantum fuerunt ejus organa. Imo hoc modo apparuit ipſum ad dextram Patris ſedere, ut omoe genu coram ipſo flectatur. Et ipſe paulo poſt clare affirmat, ſe omnium quæ per manus Apoſtolorum edentur, fore auctnrem.

13. *Et quod petieritis.*] Sed quæritur annon Mediator jam tunc erat, cujus nomine rogandus eſſet Pater. Reſpondeo, Mediatoris officio clarius defunctum eſſe ex quo cæleſte Sanctuarium iogreſſus eſt, ut rurſus ſuo loco dicendum erit. *Ut glorificetur.*
Philip. 2. verſ. 11. Congruit hic locus cum Pauli dicto, Ut omnis lingua confiteatur quod Jeſus Cbriſtus eſt, in gloriam Dei Patris. Finis omnium eſt oominis Dei ſanctificatio: ſed legitimus ſanctificaodi ejus modus hic exprimitur, nempe in Filio, & per Filium. Nam quum nobis per ſe abſcondita ſit Dei majeſtas, io Chriſto refulget: quum occulta ſit ejus manus, eam habemua in Chriſto viſibilem. Ergo in beoeficiis quæ oobis largitur Pater, Filium ab eo ſeparare fas non eſt, juxta illud, Qui non hnnnrat Filium, neque Patrem bonorat.

14. *Siquid petieritis* &c.] Non eſt inanis repetitin. vident omnes ac ſentiunt ſe iodignos eſſe qui ad Deum accedant: prorumpit tamen major pars, quaſi lymphatica, & Deum temere ſuperbeque compellat. Poſtea quum ſubit in mentem illa quam dixi indignitas, varia ſibi quiſque media fabricat. Deus autem nos ad ſe iovitans, Mediatorem unum, per quem exorabilis ſit ac propitius, nobis proponit. Sed hic rurſum exultat humani iogenii pravitas: quia major pars noo deſinit, relicta via, per flexunſas ambages circumire. Hoc ideo fit quia nonniſi tenuiter & maligne apprebenditur io Chriſto Dei poteotia & bonitas. Accedit & ſecundus error, quod non reputamus à Dei acceſſu nos omnes meritn arceri, donec ab eo vocemur: vocari autem nonniſi per Filium. Quod ſi unum teſtimonium noo ſatis apud nos habet ponderis, ſciamus tamen, quum Chriſtus ſecundo iterat rogaodum in ſuò oomine eſſe Patrem, quaſi maoum nobis injicere, ne fruſtra quærendis aliis patronis operam perdamus.

15. Si diligitis me, præcepta mea ſervate.
16. .Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut apud vos maneat in æternum:
17. Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, neque cognoſcit eum: vos autem cognoſcitis eum, quia apud vos manet, ac in vobis erit.
18. Non relinquam vos orphanos: venio ad vos.

15. *Si diligitis me.*] Erat verus amor & ſincerus quo diſcipuli proſequebantur Chriſtum, qui tamen aliquid habebat ſuperſtitionis admiſtum, ut ſæpe nobis quoque accidit. Præpoſterum eoim erat quod eum nptabant in mundo retinere. Hoc vitium ut corrigat, amorem ipſos jubet alio intendere, nempe ut ſervaodis quæ dederat præceptis ſtudium impendant. Utilis certe doctrina: quia ex iis qui ſibi Chriſtum amare videntur, pauciſſimi ſunt qui rite eum colant: quin potius frivolis nugis defuncti, ſecure ſibi indulgent. Hic autem contra, verus Chriſti amor ad obſervantiam doctrinæ ejus, quaſi ad unicam regulam, exigitur. Cæterum etiam monemur quam vitioſi ſint alii noſtri affectus, quum ne amnr quidem noſter in Chriſtum vitio careat, niſi ad puram obedientiam ſit compoſitus.

16. *Et ego rogabo Patrem.*] Hoc quidem ſedando quem ex Chriſti abſentia concipere poterant dolori datum fuit remedium: ſimul tamen promittit Chriſtus ſe præceptis ſervandis vires daturum. nam alioqui parum efficax fuiſſet exhortatio. Ergo in tempore occurrit, docetque ut ut abſit ab illis corpore, oon tamen ſe paſſurum ut auxilio deſtituti jaceant: quia per Spiritum ſuum illis aderit. Spiritum bic vocat donum Patris, ſed quod ipſe precibus ſuis impetra-
infra 16. verſ. 7. bit. Alibi à ſeipſo dari promittet. Utrumque vere & apte dicitur: nam quatenus Mediator & Patronus noſter eſt Chriſtus, à Patre impetrat Spiritus gratiam: quatenus Deus eſt, eam à ſeipſo largitur. Senſus hujus loci eſt, Ego vobis à Patre Paracletus datus fui, ſed ad tempus: nunc defunctus curſu meo, alium petam vobis dari, qui temporalis non ſit, ſed perpetuo apud vos maoeat. *Parecleti* nomen tam Chriſto quam Spiritui hic tribuitur. & jure: otrique enim commune munus eſt nos conſolari & exhortari, & nos tueri ſuo patrocinio. Fuit ſuorum patronus Chriſtus quamdiu in muodo vixit: deinde Spiritus tutelæ & præſidio eos commiſit. Si quærat quiſpiam annoo ſub Chriſti clientela etiam hodie ſimus, reſponſio facilis eſt, Chriſtum eſſe perpetuum patronum, ſed non viſibili modo. Quamdiu verſatus eſt io mundo, palam ſe illis patronum exhibuit: nunc vero per Spiritum ſuum nos tutatur. *Alium* à ſe vocat propter bonorum quæ ab utroque percipimus diſcrimen. Chriſti proprium fuit, expiando peccata mundi iram Dei placare, redimere à morte homines, juſtitiam ac vitam acquirere: Spiritus proprium eſt, nos tam ipſius Chriſti quam omnium ejus bonorum facere participes. Quanquam non male hinc perſonarum diſtinctio colligitur: proprietate enim differre Spiritum à Filio neceſſe eſt, ut alius ſit.

17. *Spiritum veritatis.*] Ornat Spiritum Chriſtus altero ritulo, quod ſit magiſter veritatis. Unde ſequitur, donec ab eo intus ſimus edocti, vanitate & mendacin captas eſſe ooſtras omnium meotes. *Quem mundus non poteſt accipere.* Antitheſis iſta gratiæ excelleotiam amplificat, qua Deus nonniſi electos ſuos dignatur. Significat enim noo vulgare eſſe donum quo privatur mundus. Quo ſenſu etiam Jeſaias, *Jeſa. 60.*
Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: *verſ. 2.*
ſuper te autem orietur Dominus. Eo eoim plus meretur laudis Dei miſericordia erga Eccleſiam, dum ſingulari privilegio eam ſupra totum mundum extollit. Simul tamen diſcipulos hortatur Chriſtus ne ſenſu carnis inflati, ut ſolet mundus, Spiritus gratiam à ſe repellant. Somnium eſt terrenis hnmioibus quicquid de Spiritu ſancto prædicat Scriptura: quia ratione ſua freti, cæleſtem illuminationem deſpiciuot. Tametſi paſſim graſſatur hæc ſuperbia, quæ Spiritus ſancti lucem, quantum in ſe eſt, extinguit: nos tamen propriæ ioopiæ conſcii, ſciamua noo ex alio fonte manare quicquid ſanæ intelligentiæ eſt. Interea oſtendunt Cbriſti verba nibil bumano ſenſu poſſe de Spiritu ſancto percipi, ſed eum cognnſci ſola fidei experientia. *Mundus*, inquit, *capax non eſt Spiritus, quia eum non cognoſcit: vos autem cognoſcitis eum, quia apud vos manet.*

Solus

Solus ergo Spiritus eſt qui in nobis habitando, cognoſcendum ſe præbet, alias ignotus & incomprehenſibilis.

18. *Non relinquam vos orphanos.*] Docet hic locus quid ſint & valeant homines Spiritus præſidio nudati: pupilli nempe ſunt, expoſiti quibuslibet fraudibus & injuriis, impares ad ſe regendos: denique ad nullam rem agendam per ſe idonei. Unicum tanti defectus remedium eſt, ſi nos per Spiritum ſuum Chriſtus regat. quod ſe facturum promittit. Primum ergo ſuæ imbecillitatis monentur diſcipuli, ut ſibi diffiſi ab uno Chriſti præſidio pendeant: deinde promiſſo remedio eos in bonam ſpem erigit, quia ſe illis non defuturum affirmat. Quum dicit, *Veniam ad vos*, oſtendit quomodo in ſuis habitet, atque impleat omnia: nempe Spiritus ſui virtute. Unde etiam conſtat Spiritus gratiam inſigne eſſe divinitatis ejus teſtimonium.

19. Adhuc paululum, & mundus me non amplius videbit: vos autem videtis me, quia ego vivo, & vos vivetis.

20. In illa die cognoſcetis quod ego in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.

19. *Adhuc paululum.*] Proſequitur commendationem peculiaris gratiæ quæ diſcipulis ad levandum, imo tollendum mœrorem ſufficere debebat. Quum ſubductus (inquit) ero à mundi conſpectu, vobis nihilominus adero. Cæterum ut hoc arcano Chriſti intuitu fruamur, non æſtimanda eſt carnis ſenſu præſentia ejus vel abſentia, ſed fidei oculis ad perſpiciendam ejus virtutem intentos eſſe nos decet. Ita fit ut Chriſtum Spiritu præſentem ſemper habeant & aſpiciant fideles, quantumvis corpore ab eo diſtent. *Quia ego vivo.* Poteſt eſſe duplex ſenſus: vel ut hæc ſententia proximi membri confirmatio ſit; vel ut ſeorſum legatur, Ideo victuros fideles quia vivit Chriſtus. Priorem ſenſum libenter amplector: ex quo tamen elicitur hæc altera doctrina, vitam Chriſti noſtræ cauſam eſſe. Initio cauſam diſcriminis notat, cur videndus ſit à ſuis, non à mundo: quia videri nequeat Chriſtus niſi ſecundum vitam ſpiritualem, qua mundus orbatus eſt. Non videt Chriſtum mundus: nihil mirum: mors enim cæcitatis cauſa eſt. verum ſimulac Spiritu vivere quis cœpit, oculis etiam ad Chriſtum videndum præditus eſt. Hoc autem ideo fit quia cum Chriſti vita etiam noſtra conjuncta eſt, atque ex ea non ſecus ac ex fonte ſuo manat. Mortui enim ſumus in nobis, & vita qua nobis blandimur, mors peſſima eſt. Ergo quum de adipiſcenda vita agitur, vertendi ſunt in Chriſtum oculi, & vita ejus fide ad nos transferenda, ut certo ſtatuant conſcientiæ noſtræ, quamdiu vivit Chriſtus, nos à periculo interitus eſſe tutos. Stat enim illud fixum, nullam fore ejus vitam membris mortuis.

20. *In illa die.*] Multi ad diem Pentecoſtes referunt: ſed potius notatur continuus tanquam unius diei tenor, ex quo virtutem Spiritus ſui exeruit Chriſtus uſque ad reſurrectionem ultimam. Jam tunc cognoſcere cœperant, ſed erat tenue quoddam rudimentum; quia nondum tam efficaciter operatus in illis fuerat Spiritus. Nam huc verba tendunt, non poſſe otioſa ſpeculatione cognoſci qualis ſit ſacra & myſtica inter nos & ipſum unio, qualis rurſum inter ipſum & Patrem: ſed hunc unum ejus noſcendæ modum eſſe, quum vitam ſuam arcana Spiritus efficacia in nos diffundit. atque illud eſt fidei experimentum cujus paulo ante memini. Quod autem olim abuſi ſunt hoc teſtimonio Arriani, ut Chriſtum probarent participatione tantum & gratia Deum eſſe, facile diluitur eorum cavillum. Neque enim Chriſtus de æterna ſua eſſentia ſimpliciter diſſerit: ſed divinam illam virtutem quæ in eo fuit patefacta, commendat. Quemadmodum enim Pater omnem bonorum plenitudinem in Filio depoſuit, ita viciſſim ſe totum in nos effudit Filius. Dicimur *in ipſo eſſe*, quia in ejus corpus inſiti, juſtitiæ bonorumque ejus omnium ſumus conſortes: ipſe *in nobis eſſe dicitur*, quia Spiritus ſui efficacia clare demonſtrat ſe nobis eſſe vitæ auctorem & cauſam.

21. Qui habet præcepta mea, & ſervat ea, is eſt qui diligit me: & qui diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum & manifeſtabo meipſum ei.

22. Dicit illi Judas, non ille Iſcariotes, Domine, quid factum eſt quod te nobis manifeſtaturus ſis & non mundo?

23. Reſpondit Jeſus, & dixit illi, Siquis diligit me, ſermonem meum ſervabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.

24. Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat: & ſermo quem audiſtis non eſt meus, ſed ejus qui miſit me, Patris.

21. *Qui habet præcepta mea.*] Iterum repetit ſuperiorem ſententiam, quod certa amoris erga ipſum noſtri approbatio in eo ſita ſit, ſi præcepta ejus ſervemus. Cujus rei toties admonet diſcipulos, ne à ſcopo aberrent: quia nihil proclivius eſt nobis quam ad carnalem affectum delabi, ita ut ſub Chriſti nomine aliud quam Chriſtum amemus. Quo ſpectat
2 Cor. 5. vers. 16. etiam illud Pauli, Etiamſi noverimus ſecundum carnem Chriſtum, non tamen amplius ſic eum cognoſcimus. Simus igitur nova creatura. *Habere præcepta* ſignificat in illis eſſe recte inſtitutum: *ſervare* autem, ſe & vitam formare ad eorum regulam. *Qui diligit me.* Perinde loquitur Chriſtus acſi Deum ſuo amore prævenirent homines. quod abſurdum eſt: nam quo tempore inimici eramus, reconciliavit nos ſibi,
1 Joan. 4. vers. 10. Rom. 5:10. Et nota ſunt Joannis verba, Non quod priores dilexerimus eum, ſed ipſe nos prior dilexit. Verum hic non eſt diſputatio de cauſa vel effectu. Ideo perperam colligitur, amorem quo Chriſtum complectimur, Dei erga nos amore eſſe ordine priorem. Tantum enim hoc voluit Chriſtus, beatos fore omnes qui ipſum diligent, quia viciſſim ab ipſo & Patre diligentur: non quod tunc incipiat Deus ipſos diligere, ſed quia ipſi inſculptum in cordibus habent paterni ejus amoris teſtimonium. Eodem ſpectat quod proxime ſequitur membrum, *Manifeſtabo me illi.* Cognitio certe amorem præcedit: ſed hoc voluit Chriſtus ſe puris doctrinæ ſuæ cultoribus daturum ut in dies in fide proficiant: hoc eſt, Faciam ut propius & familiarius ad me accedant. Hinc colligе, fructum pietatis eſſe progreſſum in Chriſti notitia. Nam is qui ſe habenti daturum promiſit, rejectis hypocritis proficere facit omnes in fide, qui Euangelii doctrinam ex animo amplexi, ſe totos in ejus obſequium formant. Atque hinc fit ut multis retro abeuntibus, vix decimum quemque videamus in recto curſu progredi: quia major pars indigna eſt cui ſe manifeſtet Chriſtus. Notandum autem eſt, quod hic amplior Chriſti cognitio tanquam ſingulare noſtri in Chriſtum amoris præmium proponitur: unde ſequitur incomparabilem eſſe theſaurum.

22. *Dicit illi Judas.*] Non abs re interrogat cur inter paucos lucem ſuam contineat Chriſtus, qui

Sol eſt juſtitiæ, à quo totum mundum illuminari decet: itaque minus conſentaneum eſſe videtur ut paucis irradiet, ac non ubique diffundat abſque diſcrimine fulgorem. Reſponſio Chriſti ooo explicat totam quæſtionem: quia nulla illic fit meotio primæ cauſæ, cur ſe paucis manifeſtans Chriſtus, majorem hominum numerum celet. nam certe omnes initio pares invenit, hoc eſt, à ſe prorſus alienos. quare neminem eligere poteſt qui ipſum amet: ſed ex hoſtibus ſuis eligit quorum flectat corda in amorem ſui. Verum diſcrimen illud quod à propoſito remotum erat, in præſentia attingere noluit. conſilium ejus erat, diſcipulos ad ſerium pietatis ſtudium hortari, ut majores in fide facereot progreſſus. Ergo contentus fuit hac nota diſcernere eos à mundo, quod Euangelii doctrinam ſervent. Hæc autem nota poſterior eſt fidei principio, quia vocationis eſt effectus. Alibi diſcipulos admonuerat Chriſtus gratuiræ ſuæ vocationis, atque idem in memoriam illis poſtea reducet: nunc tantum jubet in doctrinæ ſuæ obſervantiam & pietatem incumbere. Oſtendit porro Chriſtus his verbis, quomodò rite obediatur Euangelio: nempe quum officia noſtra & externæ actiones ex illius amore naſcuntur. Fruſtra enim laborant brachia & pedes totumque corpus, niſi in corde regnet amor Dei, qui gubernet externa membra. Jam quum certum ſit nos ſervare Chriſti præcepta quatenus ipſum amamus, ſequitur nullibi poſſe reperiri in mundo perfectum ejus amorem: quia nemo eſt qui perfecte ſervet ejus mandata. Gratum tamen Deo eſt eorum obſequium qui ad hunc ſcopum vero conatu aſpirant.

23. *Pater meus diliget eum.*] Jam prius expoſuimus non ſtatui in ſecundo ordine Dei amorem, quaſi pietatem noſtram ſequatur ut amoris cauſam: ſed ut certo perſuaſi ſint fideles, obedientiam quam Euangelio præſtant, Deo gratam eſſe: & oova ſubinde donorum incrementa ab eo expectent. *Veniemus ad eum* qui me diligit: hoc eſt, ſentiet io ſe reſidere Dei gratiam, & magis magiſque in dies Dei donis augebitur. Ergo dilectionem nominat, non illam æternam qua nondum natos etiam ante creatum mundum complexus eſt: ſed ex quo eam cordibus noſtris obſignat, quum nos facit adoptionis ſuæ participes. Ac ne primam quidem illuminationem intelligit: ſed eos fidei gradus per quos aſſidue fideles pergere oportet, juxta illud, Habenti ila- *Mat. 13. verſ. 12.*
bitur. Perperam ergo ex hoc loco eliciunt Papiſtæ duplicem amorem quo Deum proſeqoimur. Finguot Deum naturaliter à nobis diligi priuſquam nos Spiritu ſuo regeoeret: & hac etiam præparatione nos mereri regenerationis gratiam. Quaſi vero non paſſim doceat Scriptura, & ipſa etiam experientia clamet, nos prorſus à Deo averſos eſſe, ejuſque odio infectos & refertos, donec corda noſtra mutet. Tenendum eſt ergo illud Chriſti conſilium, quod venturi ſint ipſe & Pater, ut fideles in perpetua gratiæ fiducia confirment.

24. *Qui non diligit me.*] Quia incredulis permiſti ſuot fideles in mundo, & eos tanquam in mari turbulento variis procellis agitari neceſſe eſt: hac rurſum admonitione confirmat eos Chriſtus, ne abſtrahantur malis exemplis. acſi diceret, Ne reſpicite in mundum ut ab eo pendeatis; quia ſemper erunt qui me & meam doctrinam contemnant: vos autem gratiam, quam ſemel amplexi eſtis, conſtanter ad finem retinete. Interea ſignificat mundum juſtas ſuæ ingratitudinis pœnas dare quum in ſua cæcitate perit, quando veræ juſtitiæ contemptu impium adverſus Chriſtum odium prodit. *Et ſermo quem auditis.* Ne propter mundi pervicaciam labaſcant aut vacillent diſcipuli, auctoritatem ruſſus doctrinæ ſuæ conciliat, quum teſtatur ipſam à Deo eſſe, non humanitus in terra confictam. Atque in hoc fidei noſtræ conſiſtit firmitas, ſi Deum nobis ducem eſſe ſcimus, nec alibi quam io æterna ejus veritate eſſe fundatos. Quantumvis ergo cum ſua protervia inſaniat mundus, ſequamur Chriſti doctrinam, quæ ſupra cælum & terram longe eminet. Quum ſermonem negat eſſe ſuum, accommodat ſe diſcipulis: acſi diceret, Non humanum eſſe, quia fideliter tradat quod illi à Patre injunctum eſt. Interea ſcimus, quatenus æterna eſt Dei ſapientia, ipſum eſſe unicum omnis doctrinæ fontem, & ejus Spiritu loquutos eſſe quicunque ab initio fuerunt Prophetas.

25. Hæc loquutus ſum vobis apud vos manen s.
26. Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæ vobis dixi.
27. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quemadmodum mundus dat, ego do vobis. ne turbetur cor veſtrum, neque formidet.
28. Audiſtis quod dixerim vobis, Vado, & venio ad vos. ſi diligeretis me, gauderetis. utique quod dixerim, Vado ad Patrem: quia Pater major me eſt.

25. *Hæc loquutus ſum.*] Hoc ideo addit ne deſpondeaot animum etſi minus profecerint quam par erat. Spargebat enim tunc doctrinæ ſemen quod aliquandiu ſuffocatum latuit in diſcipulis. Ergo eos ad bene ſperandum bortatur, donec fructum proferat doctrina quæ oune videri poſſet inutilis. Io ſumma, teſtatur illis, in doctrina quam audierant ſuppetere uberem conſolatioois materiam, oec alibi quærendam eſſe. Quod ſi non illis ſtatim appareat, jubet eſſe bono animo, donec Spiritus interior magiſter, idem in ipſorum cordibus loquatur. Valde utilis omnibus admonitio. oiſi ſtatim cooſequimur quicquid docet Chriſtus, obrepit faſtidium, & irritum in rebus obſcuris laborem inſumere nos piget. Atqui afferenda eſt prómpta docilitas, præbendæ aures, & retinenda attentio, ſi rite in Dei ſchola proficere cupimus: præſertim vero tolerantia opus eſt, donec patefaciat Spiritus quod fruſtra viſi ſumus ſæpius legiſſe vel audiſſe. Quare, ne langueſcat in nobis diſcendi ſtudium, vel in deſperationem labamur ubi non ſtatim aſſequimur loquentis Chriſti mentem; ſciamus hoc nobis omnibus dici, *Spiritus* tandem *ſuggeret* quæ loquutus ſum. Hanc quidem pœnam denunciat incredulis Jeſaias ut ſermo Dei ſit illis *Jeſa. 29.*
tanquam liber clauſus: ſed Dominus hoc etiam modo *verſ. 11.*
plerumque ſuos humiliat. Ideo patienter ac placide expectandum revelationis tempus, nec verbum propterea reſpuere decet. Cæterum quum teſtetur Chriſtus proprium eſſe Spiritus ſancti munus docere Apoſtolos quod jam ex ipſius ore didicerant, ſequitur irritam & nihili fore externam prædicationem niſi accedat Spiritus magiſterium. Duplicem ergo habet Deus docendi modum. nam & hominum ore inſonat noſtris auribus, & intus Spiritu ſuo nos compellat: idque facit nunc eodem momeoto, nunc diverſis temporibus, prout illi viſum eſt. Obſerva autem quænam ſint illa omnia quorum doctorem fore Spiritum promittit: Suggeret, ioquit, vel reducet in memoriam *quæcunque dixi.* Unde ſequitur oon fore novarum revelationum architectum. Hoc uno verbo refutare licet quæcunque ſub prætextu Spiritus in Eccleſiam figmenta ab initio hucuſque Satan invexit. Mahometes & Papa commune habent religionis principium,

Non

Digitized by Google

Non contineri in Scriptura perfectionem doctrinæ, ſed quiddam altius revelatum eſſe à Spiritu. Ex eadem lacuna noſtro tempore Anabaptiſtæ & Libertini ſua deliria hauſerunt. Atqui impoſtor eſt ſpiritus, non Chriſti, qui extraneum aliquod ab Euangelio commentum ingerit. Spiritum enim Chriſtus promittit qui Euangelii doctrinam quaſi ſubſcriptor confirmet. Quid ſit mitti Spiritum à Patre in Chriſti nomine, ſupra expoſui.

27. *Pacem relinquo vobis.*] Pacis nomine intelligit proſperum ſucceſſum, quem ſibi mutuo precari ſolent homines dum ſimul conveniunt, vel alius ab alio digreditur. Hoc enim valet Pacis nomen in lingua Hebraica. Alludit ergo ad vulgatum ſuæ gentis morem: acſi diceret, Relinquo vobis meum valete. Sed mox ſubjicit, longe pluris eſſe hanc Pacem quam ſoleat eſſe inter homines, qui plerumque frigidæ tantum ceremoniæ cauſa pacem in ore habent: vel ſi pacem alicui ſerio precantur, non tamen eam reipſa dare poſſunt. Chriſtus autem pacem ſuam non in nudo & inani voto ſitam eſſe admonet, ſed cum effectu conjunctam. Summa eſt, diſcedere quidem ipſum corpore, ſed pacem ejus manere penes diſcipulos. hoc eſt, fore ejus benedictione ſemper felices. *Ne turbetur cor veſtrum.* Iterum trepidationem corrigit quam ex ſuo diſceſſu conceperant diſcipuli. Cauſam trepidandi eſſe negat: quia corporali tantum ejus aſpectu careant, vera autem ejus præſentia fruantur per Spiritum. Hoc præſentiæ genere nos quoque contenti eſſe diſcamus: nec carni indulgeamus quæ Deum ſemper externis ſuis figmentis alligat.

28. *Si diligeretis me.*] Amabant haud dubie Chriſtum diſcipuli, ſed aliter quam decebat. fuit enim aliquid carnale admiſtum, ut ab eo divelli non ſuſtinerent. Quod ſi ſpiritualiter eum amaſſent, nihil magis illis fuiſſet cordi quam ejus ad Patrem reditus. *Quia Pater major me eſt.* Varie detortus fuit hic locus. Ariani, ut Chriſtum probarent quendam ſecundarium eſſe Deum, objiciebant minorem eſſe Patre. Patres orthodoxi, ut tali calumniæ anſam præciderent, dicebant hoc debere ad naturam humanam referri. Atqui ut impie hoc teſtimonio abuſi ſunt Ariani, ita nec recta nec conſentanea fuit Patrum ſolutio. hic enim neque de humana Chriſti natura, neque de æterna ejus divinitate ſermo habetur: ſed pro infirmitatis noſtræ captu ſe medium inter nos & Deum conſtituit. Et certe quia ad Dei altitudinem pertingere nobis datum non eſt, deſcendit ad nos Chriſtus, ut nos eouſque attolleret. Gaudendum, inquit, erat, quod redeam ad Patrem: quia hæc ultima eſt meta ad quam tendere vos oportet. Non oſtendit his verbis quid à Patre in ſe differat: ſed quorſum ad nos deſcenderit, nempe ut Deo nos uniret. donec eo perventum fuerit, ſtamus velut in medio ſtadio. Nos quoque Chriſtum nonniſi dimidium & lacerum imaginamur, niſi ad Deum nos perducat. Similis eſt locus Pauli, 1 Corinthior. 15. ubi dicit Chriſtum traditurum eſſe regnum Deo & Patri, ut ſit Deus omnia in omnibus. Regnat certe Chriſtus non in humana tantum natura, ſed quatenus Deus eſt manifeſtatus in carne. Quomodo igitur regnum exuet? Nempe quia divinitas, quæ nunc in ſola Chriſti facie cernitur, tunc palam in ſe conſpicua erit. Hoc ſolum diſſimile eſt, quod Paulus illic perfectionem ultimam deſcribit divini fulgoris, cujus radii fulgere cœperunt ex quo aſcendit Chriſtus in cælum. Ut res clarius pateat, craſſius adhuc loquendum eſt. Non confert hic Chriſtus Patris divinitatem cum ſua, nec humanam ſuam naturam divinæ Patris eſſentiæ comparat: ſed potius ſtatum præſentem cæleſti gloriæ ad quam mox recipiendus erat. acſi diceret, Cupitis me retinere in mundo: atqui præſtat in cælum aſcendere. Sic ergo diſcamus Chriſtum aſpicere in carne exinanitum, ut nos ad beatæ immortalitatis fontem ducat. Neque enim dux nobis conſtitutus eſt ut tantum in ſphæram Lunæ vel Solis nos evehat, ſed ut nos unum efficiat cum Deo Patre.

29. Et nunc dixi vobis priuſquam fiat, ut quum factum fuerit, credatis.

30. Non amplius multa loquar vobiſcum: venit enim mundi hujus princeps, & in me non habet quicquam.

31. Sed ut cognoſcat mundus quod diligo Patrem, & quemadmodum mihi præcepit Pater, ſic facio: ſurgite, eamus hinc.

29. *Et nunc dixi vobis.*] Oportuit hac de re ſæpius moneri diſcipulos: quia arcanum erat omni humano captu longe altius. Se autem prædicere teſtatur quod futurum eſt, ut poſt eventum credant. Fuit enim hæc utilis fidei ipſorum confirmatio, quum memoria repeterent vaticinia Chriſti, & oculis completum cernerent quod ex ore illius ante audierant. Videtur tamen ſpecies eſſe conceſſionis: acſi diceret Chriſtus, Quia nondum tam reconditi myſterii capax eſt modulus veſter, ego vobis ignoſco uſque ad rei eventum, qui vobis interpretis vice erit ad hanc doctrinam explicandam. Ergo tametſi ad tempus viſus ſit ſurdis canere, poſtea apparuit non fruſtra quaſi in aërem ſparſa fuiſſe verba, ſed jactum fuiſſe in terram ſemen. Quemadmodum autem hic de ſermone ſuo & rerum eventu loquitur Chriſtus, ita mors ejus & reſurrectio & in cælum aſcenſus in unum cum doctrina coaleſcunt, ut fidem in nobis generent.

30. *Non amplius multa loquar vobiſcum.*] Hoc verbo attentos ſibi diſcipulos reddere voluit, & eorum animis ſuam doctrinam altius infigere. Satietas enim faſtidium ut plurimum affert: ardentius autem expetitur quod non habetur ad manum, & excipitur majori ſtudio quod ſtatim è medio tollendum eſt. Denunciat ergo ſe brevi abiturum, quo magis cupidi ſint audiendæ doctrinæ. Quanquam autem toto vitæ curſu docere nos non ceſſat Chriſtus, poteſt tamen etiam ad uſum noſtrum aptari hæc ſententia: quia quum breve ſit vitæ noſtræ curriculum, occaſione utendum eſt. *Venit enim mundi hujus princeps, & in me.* Poterat ſimpliciter dicere brevi ſe moriturum, ac jam inſtare horam mortis: ſed circumloquitur, ut præmuniat eorum animos, ne tam deformi & abominando mortis genere territi deficiant. Nam credere in ipſum crucifixum, nihil aliud eſt quam vitam quærere apud inferos. Primum dicit hanc Satanæ poteſtatem datum iri: deinde addit, ſe ideo ceſſurum, non quod neceſſitate cogatur, ſed ut Patri obediat. Vocatur diabolus, mundi princeps, non quod ſeparatum aliquod regnum à Deo habeat, quemadmodum finxerunt Manichæi: ſed quia Dei permiſſu ſuam in mundo tyrannidem exercet. Quoties itaque hoc diabolo epitheton tribui audimus, pudeat nos miſeræ noſtræ ſortis. Quantumvis enim ſuperbiant homines, diaboli mancipia ſunt, donec regeniti ſint Chriſti Spiritu. Nam *mundi* nomine hic comprehenditur totum humanum genus. Unus eſt enim liberator qui nos ab hac horrenda ſervitute eripit ac vindicat. Cæterum quum hæc primi hominis peccato inflicta fuerit pœna, ſicuti quotidie in deterius ob nova peccata augeſcit, diſcamus & nos & peccata noſtra odiſſe. Sic autem captivi tenemur ſub Satanæ imperio ut tamen non excuſet nos à culpa hæc ſervitus quæ voluntaria eſt. Notandum eſt præterea tribui hic diabolo quod ab impiis hominibus geſtum eſt. Nam quum ferantur Satanæ impulſu,

Manichæi

meri-

Digitized by Google

merito opus ejus cenſetur quicquid agunt. *In me non habet quicquam.* Quia factum eſt Adæ peccato ut mortis imperium habeat Satan, Chriſtum, qui ab omni noxa immunis eſt, attingere non poterat, niſi ſe ultro ſubjeciſſet. Quanquam hæc verba latius patere arbitror quam exponi ſoleant. ſic enim loquuntur interpretes, Nihil in Chriſto reperit Satan, quia nulla in eo mortis materia eſt, quum purus ſit ab omni peccati labe. Atqui, meo judicio, non ſuam tantum munditiem hic prædicat Chriſtus, ſed divinam quoque poteſtatem, quæ morti non erat obnoxia. Teſtatum enim eſſe diſcipulis oportuit, non infirmitate ipſum ſuccumbere: ne minus honorifice de virtute ejus ſentirent. Verum in hac generali ſententia etiam illa prior includitur, quod Satanæ in ſubeunda morte obſtrictus non ſit. Unde colligitur, vicem noſtram, quum ſe morti ſubmitteret, obiiſſe.

31. *Ut cognoſcat mundus.*] Aliqui uno contextu legunt, Ut cognoſcat &c. ſurgite, eamus hinc: ut plena ſit oratio. alii ſeorſum legunt verba illa, & hic defectum eſſe putant. Quia non magni intereſt quo ad ſenſum utrumvis eligas, in medio relinquo. Hoc præcipue notandum eſt, hic Dei decretum ſtatui ſummo loco, ne Chriſtum putemus Satanæ violentia raptum ita fuiſſe ad mortem ut quicquam illi præter Dei conſilium acciderit. Deus enim eſt qui Filium ſuum ordinavit propitiatorem, & qui ejus morte expiari mundi peccata voluit. Hoc ut fieret, Satanæ ad breve tempus permiſit quaſi victorem illi inſultare. Satanæ ergo non reſiſtit Chriſtus, ut Patris decreto obtemperet, atque ita ſuam obedientiam in pretium juſtitiæ noſtræ offerat. *Surgite, eamus hinc.* Nonnulli exiſtimant Chriſtum his dictis locum mutaſſe, & quæ ſequuntur, inter ambulandum fuiſſe ab eo dicta: ſed quum poſtea ſubjiciat Joannes egreſſum fuiſſe Chriſtum, magis conſentaneum videtur quod diſcipulos hortari Chriſtus voluerit ad idem obſequium Deo præſtandum cujus tam præclarum ſpecimen in ipſo cernebant: non autem quod eodem momento ipſos eduxerit.

CAP. XV.

EGo ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt.

2. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet: & quicunque fructum affert, purgabit eum, ut abundantiorem fructum afferat.

3. Jam vos mundi eſtis propter ſermonem quem loquutus ſum vobis.

4. Manete in me, & ego in vobis. quemadmodum palmes non poteſt ferre fructum à ſeipſo, niſi manſerit in vite: ſic neque vos, niſi in me manſeritis.

5. Ego ſum vitis, vos palmites. qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia ſine me non poteſtis quicquam facere.

6. Siquis non manſerit in me, ubi ejectus fuerit foras tanquam palmes, & exaruerit, colligent ipſum, & in ignem conjicient, & ardebit.

1. *Ego ſum vitis.*] Summa hujus ſimilitudinis eſt, nos ſteriles eſſe atque aridos natura, niſi quatenus Chriſto inſiti, novam vim & adventitiam ab eo haurimus. ἄμπελον, alios ſequutus, vitem tranſtuli: κλήματα, palmites. Eſt autem vitis proprie planta ipſa, non ager vitibus conſitus, quem vineam appellant. Quanquam interdum pro vinea capitur: ſicuti quum Cicero pauperum agellos & viticulas conjungit. Palmites autem brachia ſunt quæ vitis ſupra terram emittit. Quum autem κλῆμα Græcis vitem quoque ſignificet, & ἄμπελον vineam, magis in eam ſententiam inclino, quod ſe Chriſtus terræ vitibus conſitæ, & nos plantis ipſis comparet. Quanquam ea de re cum nemine rixabor: tantum monitos volui lectores ut ſequantur quod magis probabile ex contextu viſum fuerit. Initio hic ſuccurrat quæ in omnibus parabolis tenenda eſt regula, non excutiendas eſſe ſingulas proprietates vitis: ſed tantum ſummatim ſpectandum eſſe quem in finem Chriſtus ſimile iſtud accommodet. Tres autem præcipuæ ſunt partes: quod nulla nobis bene agendi facultas niſi ab ipſo ſuppetat: quod nos in ipſo radicem habentes Pater purgando excolit: quod infructuoſos palmites tollit, ut in ignem projecti ardeant. Omnes fere pudet negare, quicquid habent boni, ſibi eſſe à Deo: ſed poſtea gratiam univerſalem ſibi datam eſſe fingunt, quaſi naturaliter ingenita eſſet. Chriſtus vero præcipue in hoc inſiſtit, vitalem ſuccum à ſe uno manare. unde ſequitur, infructuoſam eſſe omniſque boni vacuam hominum naturam: quia vitis naturam nemo ſapit donec in eum fuerit inſitus. Atqui hoc ſpeciali gratia datur ſolis electis. Primus ergo bonorum omnium auctor Pater, qui nos manu ſua plantat: vitæ autem principium eſt in Chriſto, ex quo radicem in eo agere incipimus. Quum ſe veram vitem appellat, perinde eſt acſi dixiſſet, Ego vere ſum vitis. itaque fruſtra ſe homines in quærendo alibi vigore fatigant: quia non aliunde proveniet utilis fructus quam à palmitibus ex me progenitis.

2. *Omnem palmitem.*] Quia Dei gratiam alii corrumpunt, alii maligne ſupprimunt, alii ignavia ſuffocant: ſollicitudinem his verbis incutit, quum ex vite tollendos pronunciat quicunque erunt infructuoſi palmites. Sed quæritur an fructu poſſit carere qui inſitus eſt in Chriſto. Reſpondeo, multos in vite cenſeri opinione hominum, qui reipſa radicem in vite non habent. Ita Dominus vineam ſuam nominat apud Prophetas populum Iſraël, qui externa profeſſione nomen Eccleſiæ habebat. *Et quicunque fructum affert.* Docet his verbis, fideles, ne degenerent, opus habere aſſidua cultura: nec boni quicquam proferre niſi Deus manum ſubinde admoveat. Neque enim ſufficiet nos ſemel factos fuiſſe adoptionis participes, niſi Deus gratiæ ſuæ curſum in nobis proſequatur. Putationis meminit: quia ſuperfluis & noxiis vitiis abundat caro noſtra, eorumque nimis fœcunda eſt, quæ ſine fine excreſcunt & pullulant, niſi Dei manu purgemur. Quum dicit putari vites ut fructum uberiorem afferant, docet quales debeant eſſe piorum in pietatis curſu progreſſus.

3. *Jam vos mundi eſtis.*] Admonet jam in ſeipſis expertos eſſe quod dixerat, quia ſcilicet in ipſo plantati, ſimul etiam purgati fuerint. Modum purgationis oſtendit, nempe doctrinam. Nec dubium eſt de externa prædicatione eum loqui, quum diſerte exprimat ſermonem quem ex ore ejus audierant. Non quod in ſe tantum efficaciæ habeat vox hominis ore prolata, ſed quatenus in corde operatur Chriſtus per Spiritum: vox ipſa, purgationis organum eſt. Interea non intelligit Chriſtus omni vitio puros eſſe Apoſtolos: ſed experimentum illis proponit, unde diſcant quam neceſſaria ſit gratiæ continuatio. Præterea Evangelii doctrinam illis à fructu commendat, quo magis acuantur ad continuam ejus meditationem, quum ſit tanquam vinitoris cultellus ad ſordes purgandas.

4. *Manete in me.*] Iterum ad ſtudium & curam retinendæ gratiæ qua præditi ſunt, ipſos hortatur:

nun-

nunquam enim ſatis expergefieri poteſt carnis ſecuritas. Nec certe alio ſpectat Chriſtus niſi ut nos, quaſi gallina pullos ſuos, ſub alis contineat: ne levitate noſtra abrepti, inde avolemus in noſtrum exitium. Ergo ut probet ſe non cœpiſſe ſalutis noſtræ opus ut abrumpat in medio curſu, Spiritum ſuum promittit ſemper fore io nobis efficacem, ſi modo per nos non ſteterit. Manete in me, inquit, quia io vobis manere paratus ſum. Item, Qui in me manet, hic fert fructum multum. Quibus verbis declarat eos omnes qui vivam in ſe radicem habent, fructiferos eſſe palmites.

5. *Sine me nihil poteſtis.*] Clauſula eſt atque applicatio totius parabolæ, Quamdiu extra ipſum ſumus, nihil boni fructus & Deo grati proferre: quia ad bene agendum minime ſumus idonei. Hanc ſententiam Papiſtæ non extenuant modo, ſed enervant: imo prorſus eludunt. Etſi enim verbo tenus fatentur oos ſine Chriſto nihil poſſe, aliquid tameo facultatis ſuppetere nobis ſomniant, quod per ſe quidem non ſufficiat, Dei tameo gratia adjutum cooperetur. Neque enim hominem ita exinaniri ſuſtinent, quin aliquid ex ſe conferat. Verum tam clara Chriſti verba eludere non ita promptum eſt. Tale eſt Papiſtarum commentum, Nos ſine Chriſto nihil poſſe: ab eo tamen adjutos, habere aliquid ex nobis præter ejus gratiam. Chriſtus vero contra pronunciat, nos nihil poſſe ex nobis. Palmes, inquit, fructum non fert à ſeipſo. Ergo non tantum cooperantis ſuæ gratiæ auxilium hic commendat, ſed nos penitus privat omni virtute, niſi quam ſuppeditat ipſe nobis. Ergo hæc particula *ſine me*, ſic reſolvi debet, Nonniſi ex me. Sequitur aliud cavillum: palmitem enim obtendunt aliquid habere à natura: quia ſi alius ſurculus non frugifer io vineam inſeratur, nihil producet. Verum hoc facile diluitur: quia non diſſerit Chriſtus quid genuinum habeat palmes antequam viti adhæreat: ſed intelligit potius, tunc nos demum incipere palmites fieri dum nos in ipſum coaluimus. Et certe Scriptura alibi oſtendit, nos, antequam in ipſo ſimus, ioutile & aridum eſſe lignum.

6. *Siquis in me non manſerit.*] Iterum propoſita ingratitudinis pœna, eos ad perſeverantiam acuit & ſollicitat. Eſt quidem hoc Dei donum, ſed non eſt ſupervacua ad timorem exhortatio, ne caro noſtra exultans nos eradicet. *Areſcere* dicuntur inſtar emortui ſarmenti qui à Chriſto reſecti ſuot, quia ſicut initium vigoris ab ipſo eſt, ita & continuus tenor. Non quod ex electis aliquem contingat unquam exſecari; ſed quia multi hypocritæ in ſpeciem ad tempus florent & virent, qui poſtea in reddendo fructu ſpem Domini fruſtrantur.

7. Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quod volueritis petetis, & fiet vobis.

8. In hoc glorificatus eſt Pater meus, ut fructum multum feratis, & ſitis mei diſcipuli.

9. Quemadmodum dilexit me Pater, ego etiam dilexi vos: manete in dilectione mea.

10. Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea: ſicut & ego præcepta Patris mei ſervavi, & maneo in ejus dilectione.

11. Hæc loquutus ſum vobis, ut gaudium meum in vobis maneat, & gaudium veſtrum completum ſit.

7. *Si manſeritis in me.*] Quia ſæpe ſentiunt fideles ſe famelicos eſſe, & procul abeſſe ab illa opima pinguedine quæ ad uberem fructum reddendum ſufficiat, ideo nominatim hoc additum eſt, quibuſcunque rebus indigeant qui io Chriſto ſunt, paratum eſſe eorum inopiæ ſubſidium ſimulatque à Deo petieriot. Valde utilis admonitio. nam ut nos in ſtudio precandi exerceat Dominus, ſæpe eſurire patitur: verum ſi ad eum coofugimus, nunquam votis noſtris deerit quin ſuppeditet ex ſua inexhauſta copia quicquid fuerit nobis opus. Quum dicit, *Si verba mea in vobis manſerint*, ſignificat nos fide in ipſo radicem agere. Nam ſimulac diſceſſum eſt ab Euangelii doctrina, Chriſtus extra ſe quæritur. Dum nobis conceſſum iri promittit ſi quid voluerimus, quidvis optandi licentiam minime indulget. male enim coosuleret Deus ſaluti ooſtræ, ſi ita facilem ſe oobis adeoque morigerum præberet: ſatis enim ſcitur quam præpoſteris votis ut plurimum laſciviant homines. Sed hic vota ſuorum reſtringit ad legem rite precandi, quæ Dei arbitrio ſubjicit noſtros omnium affectus: idque circumſtantia loci coofirmat. *Velle* enim ſuos intelligit noo divitias, vel honores, vel aliquid ſimile, quod ſtulte expetit caro: ſed vitalem Spiritus ſancti ſuccum quo fructificent.

8. *In hoc glorificatus eſt.*] Confirmatio proximæ ſeoteotiæ. Nam mioime dubitandum eſſe oſtendit quin exaudiat Deus ſuorum preces, dum ſe fructuoſos reddi cupient: quia hoc maxime facit ad ejus gloriam. Simul tamen ab hoc fine vel effectu bene agendi ſtudium io illis accendit. quia nihil pluris oobis eſſe debet quam ut per nos illuſtretur Dei oomen. Eodem etiam pertinet poſterius membrum, *& ſitis mei diſcipuli*: quia pronunciat neminem ſe habere io grege ſuo niſi qui in Dei gloriam fructificat.

9. *Quemadmodum dilexit me Pater.*] Longe aliquid majus voluit exprimere quam vulgo putent. nam qui eum hic de arcano Dei Patris amore quo ſemper affectus fuit erga Filium, loqui putant, extra rem philoſophantur: quum potius Chriſti cooſilium fuerit quaſi in ſinum noſtrum deponere certum divini amoris erga nos pignus. Illa igitur argutia nihil ad præſentem locum, Quomodo ſe Pater in Filio ſemper amaverit: ſed amor cujus hic fit mentio, ad oos referendus eſt: quia ſe diligi à Patre teſtatur Chriſtus quatenus eſt Eccleſiæ caput. ſicuti pluſquam neceſſe nobis eſt: nam qui ſine Mediatore quærit quomodo à Deo ametur, labyriotho ſe implicat, in quo neque viam oeque exitum inveniet. Ergo in Chriſtum conjiciendi ſunt oculi, io quo reperietur expoſitum divini amoris pignus. Nam in illum prorſus effuſus fuit Dei amor, ut ab ipſo in membra deflueret. Hoc titulo ioſignitus fuit quod eſſet Filius dilectus in quo acquieſcat Patris voluntas. Sed finis notandus eſt: ut Deus in ipſo nos gratos habeat. Itaque paternum erga nos omnes Dei amorem in ipſo, non ſecus ac io ſpeculo, cootemplari licet: quia noo ſeorſum nec ſua privatim cauſa diligitur, ſed ut nos ſecum Patri conjungat. *Manete in dilectione mea.* Quidam ita exponunt quod Chriſtus mutuum à diſcipulis amorem exigat. Melius alii, qui active accipiunt dilectionem Chriſti. Nam amore quo nos ſemel complexus eſt, vult nos perpetuo frui: ac propterea cavendum eſſe admonet ne eo nos privemus. Multi enim oblatam ſibi gratiam repudiant: multi abjiciunt quod in manibus habebant. Ex quo itaque ſemel recepti ſumus in Chriſti gratiam, videndum eſt oe inde culpa noſtra excidamus. Quod ex his verbis quidam inferunt, nihil efficaciæ eſſe in gratia Dei, niſi adjuvetur noſtra conſtantia,

 frivo-

Digitized by Google

frivolum eſt. oeque enim concedo, Spiritum à nobis tantum exigere quæ facultatis ooſtræ ſunt, ſed oſtendere quid fieri oporteat: ut ſi nobis deſunt vires, aliunde petamns. Sicuti quum hic ad perſeverantiam oos hortatur Chriſtus, minime noſtro Marte & induſtria niteodum eſt: ſed rogaodus ipſe qui præcipit, ut nos in ſua dilectione confirmet.

10. *Si præcepta mea.*] Modum perſeverantiæ oſtendit: ſi ſequamur quo ipſe vocat. nam, ut dicit
Rom. 8:1. Paulus, Qui in Chriſto ſunt, ooo ambulant ſecundum carnem, ſed ſecundum Spiritum. Hæc enim inter ſe perpetuo ſunt conjuncta, fides, quæ apprebendit gratuitum Chriſti amorem, & bona conſcientia vitæque novitas. Et certe non reconciliat Chriſtus Patri fideles ut impune laſciviant, ſed ut Spiritu ipſos ſuo gubernans, ſub Patris manu & imperio contineat. unde ſequitur, abjicere Chriſti amorem niſi qui vera obedientia probant ſe ejus eſſe diſcipulos. Si quis objiciat, pendere igitur à nobis ſalutis noſtræ firmitatem: reſpondeo, perperam trahi in illam partem Chriſti verba: quia obedientia quam illi præſtant fideles, non tam cauſa eſt cur ſuum erga eos amorem continuet, quam amoris effectus. Unde enim fit ut vocationi ſuæ reſpondeant niſi quia Spiritu gratuitæ adoptionis aguntur? Sed videtur nimis ardua conditio nobis imponi, ut Chriſti præcepra ſervemus, quibus continetur exacta juſtitiæ perfectio, quæ modum noſtrum longe ſuperat: nam inde conficitur, irritum fore amorem Chriſti niſi Angelica puritate præditi ſimus. Solutio facilis eſt. nam quum de ſtudio recte ſancteque viveodi agit Chriſtus, quod io ſua doctrina præcipuum eſt caput minime excludit, nempe de gratuita juſtitiæ imputatione, qua fit ut per indulgentiam veniæ Deo placeant noſtra officia, quæ mutila per ſe & impura rejici merebantur. Cenſentur itaque fideles ſervare Chriſti præcepta quum huc ſuum ſtudium applicant, etiamſi longe à meta diſtent: quia ſoluti ſunt ab illo rigore
Deut. 27. Legis, Maledictus omnis qui oon impleverit
verſ. 26. omnia, &c. *Sicut & ego præcepta.* Sicut in Chriſto electi ſumus, ita in eo nobis ad vivum expreſſa eſt vocationis noſtræ effigies. Itaque merito ſe hic exemplar proponit ad cujus imitationem ſe pii omnes conforment. In me, inquit, relucet eorum ſimilitudo quæ à vobis poſtulo. videtis enim ut vere Patri meo addictus ſim in obſequium, atque in hoc curſu pergam. Ipſe viciſſim non me ad momentum aut breve tempus dilexit, ſed perpetuus eſt ejus amoris erga me tenor. Hæc conformitas capitis & membrorum ſemper ante oculos habenda eſt, non tantum ut ſe ad Chriſti exemplum formare ſtudeant fideles: ſed ut confidant Spiritu ejus ſe quotidie in melius reformatum iri, ut ad fioem uſque ambulent in novitate vitæ.

11. *Hæc loquutus ſum vobis.*] Subjicit, amorem ſuum minime ignotum eſſe piis, ſed fidei ſeuſu percipi, ut beata pace fruantur conſcientiæ. Nam gaudium cujus meminit, ex pace illa naſcitur quam habent cum Deo quicunque gratis juſtificati ſuot. Quoties ergo paternus erga nos prædicatur Dei amor, ſciamus veri gaudii materiam nobis dari, ut tranquillis conſcientiis de ſalute noſtra certi ſimus. Porro *gaudium* vocatur Chriſti & noſtrum, diverſo reſpectu. Chriſti eſt, quia nnbis ab eo datur: ipſe enim & auctor eſt & cauſa. Cauſam eſſe dico, quia exempti ſumus à reatu, dum correctio pacis noſtræ illi impoſita fuit. Auctorem ſimul voco, quia Spiritu ſuo metum & anxietatem in cordibus noſtris abolet: unde emergit ſerena iſta hilaritas. Noſtrum alia ratione dicitur, quia ipſo fruimur ex quo oobis donatum eſt. Jam quum pronunciet Chriſtus ſe hæc ideo loquutum ut gaudium habeant diſcipuli: ex his verbis ſtatuimus, quicunque in hac concinne rite profecerint, habere in quo acquieſcant. *Manendi* verbo ſignificat non caducum aut temporale eſſe gaudium de quo loquitur: ſed quod nunquam excidat vel effluat. Quare diſcamus quærendam in Chriſti doctrina ſalutis fiduciam, quæ tam in vita quam in morte vigeat. *Gaudium veſtrum completum ſit.* Addit ſolidum hoc & plenum gaudium fore: non quod omni prorſus triſtitia vacui ſint fideles, ſed quod exuperet gaudii materia, ut nullus uoquam metus, nulla anxietas, nullus mœror eos abſorbeat. Nam quibus in Chriſto gloriari datum eſt, illis neque vita, neque mors, neque ullæ miſeriæ obſtabuot quomious triſtitiæ ioſultent.

12. Hoc eſt præceptum meum, Ut diligatis invicem ſicut dilexi vos.

13. Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut quis animam ſuam ponat pro amicis ſuis.

14. Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.

15. Poſthac non dicam vos ſervos, quia ſervus neſcit quid faciat dominus ejus: vos autem dixi amicos, quia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.

12. *Hoc eſt præceptum meum.*] Quum vitam ooſtram dirigere ad Chriſti præceptum conveniat, tenendum in primis eſt quid ipſe velit ac mandet. Jam itaque repetit quod prius dixerat, ſibi ante omnia placere ut fideles charitatem inter ſe mutuam colant. Præcedit quidem ordine amor ac reverentia Dei: ſed quia legitima ejus probatio eſt charitas erga proximos, hujus potiſſimum fit mentio. Porro ſicuti nuper in generali doctrinæ obſervantia, ita ounc in ſpecie exemplar nobis proponit quod ſequamur: complexus eſt enim ſuos omnes, ut ſe mutuo foveant. Cur de amandis incredulis nihil hoc loco diſerte præcipiat, proximo capite dictum eſt.

13. *Majorem hac charitatem.*] Amoris erga nos ſui magnitudinem interdum commendat Chriſtus, quo melius ſalutis noſtræ fiduciam ſtabiliat: nunc vero longius progreditur, ut nos ſuo exemplo ad fratres amandos inflammet. Utrumque tamen ſimul conjungit. nam immenſam ſuæ bonitatis dulcedinem vult à nobis fide percipi: deinde hac ratione ad charitatis ſtudium nos allicit. Ita Paulus ad Epheſios 5:2. Ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo, in odorem ſuavitatis. Poterat nos Deus verbo aut nutu redimere, niſi aliter noſtra cauſa viſum eſſet, ut proprio & unigenito Filio non parcens, teſtatum faceret in ejus perſona quantam habeat ſalutis noſtræ curam. Jam vero pluſquam ferrea aut lapidea corda eſſe oportet quæ non emolliet tam incomparabilis divini amoris ſuavitas. Quæritur tamen quomodo pro amicis mortuus fuerit Chriſtus, quum hoſtes eſſemus antequam nos reconciliaret. Nam expiatis ſacrificio mortis ſuæ peccatis, inimicitias quæ inter Deum & oos erant delevit. Hujus quæſtionis ſolutio ex tertio capite petatur: ubi diximus, reſpectu quidem noſtri diſſidium eſſe inter nos & Deum, donec morte Chriſti abolita ſint peccata; cæterum hujus gratiæ quæ in Chriſto exhibita eſt, cauſam fuiſſe perpetuum Dei amorem, quo etiam hoſtes ſuos proſequebatur. In hunc quoque modum Chriſtus vitam ſuam pro alienis expoſuit, ſed quos jam tunc ipſe amabat, mortem alias pro ipſis non ſubiturus.

14. *Vos amici mei eſtis.*] Non intelligit, tantum nos honoris proprio aliquo meriro conſequi: ſed tantum admonet, qua lege nos in gratiam recipiat, & cenſere inter amicos ſuos dignetur. quemadmodum ouper dixit, *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis*

in

Tit. 2:11. *in dilectione mea.* Apparuit enim gratia Servatoris Dei, erudiens nos ut abnegata impietate & mundanis deſideriis, caſte & juſte & pie vivamus in hoc ſeculo. Profani autem homines, qui impio Euangelii contemptu adverſus Chriſtum laſciviunt, ejus amicitiæ renunciant.

15. *Poſthac non dicam vos ſervos.*] Altero argumento ſuum erga diſcipulos amorem demonſtrat, quod ſcilicet penitus ſe illis patefecerit, quemadmodum familiaris inter amicos communicatio locum habet. Ego, inquit, longe plus vobis detuli quam mortalis homo ſervis ſuis ſoleat. Hoc ergo pignus ſit vobis meæ erga vos charitatis, quod comiter & amice cæleſtis ſapientiæ arcana, quæ ex Patre audieram, vobis expoſui. Præclarum certe Euangelii encomium eſt, quod illic Chriſti cor habemus quodammodo apertum, ne dubius ſit nobis vel obſcurus ejus amor. Non eſt quod ſupra nubes tranſcendere, vel abyſſos penetrare optemus ad petendam ſalutis noſtræ certitudinem: ſufficiat nobis hoc amoris teſtimonium quod in Euangelio continetur: quia nun-
Deut. 4:7. quam fallet. Dicebat Moſes veteri populo, Quæ tam inclyta ſub cælo gens eſt quæ Deum habeat appropinquantem ſibi, ſicuti tecum hodie communicat Deus? Atqui magis excellit noſtra nobilitas, ex quo Deus totum ſe in Filio effudit. Quo major eſt eorum ingratitudo & perverſitas, qui admirabili Euangelii ſapientia non contenti, ſuperba libidine ad novas ſpeculationes transvolant. *Quæcunque audivi.* Certum eſt non omnia quæ ſcivit Chriſtus nota fuiſſe diſcipulis: nec vero fieri poterat ut ad tantam altitudinem pertingerent: & quum ſit incomprehenſibilis Dei ſapientia, unicuique ad certam menſuram partitus eſt quantum ſatis erat ſcientiæ. Cur ergo ſe omnia patefeciſſe dicit? Reſpondeo, hoc ad Mediatoris perſonam & officium reſtringi. Medium ſe inter Deum & nos conſtituit, qui ex arcano Dei ſanctuario acceperit quæ nobis de manu (quod aiunt) in manum traderet. Nihil ergo eorum quæ in ſalutem noſtram erant, & quæ ſcire noſtra referebat, omiſit Chriſtus apud ſuos diſcipulos. Ita quatenus ordinatus eſt Eccleſiæ magiſter ac doctor unicus, nihil audivit à Patre quod non fideliter ſuos docuerit. Tantum adſit humile diſcendi ſtudium ac docilitas, & ſentiemus non fruſtra Euangelium à Paulo vocari Col. 1:28.
ſapientiam quæ perfectos reddat homines.

16. Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos: & conſtitui vos, ut eatis & fructum afferatis, & fructus veſter maneat: ut quod petieritis à Patre in nomine meo, det vobis.

17. Hæc præcipio vobis, ut diligatis vos mutuo.

18. Si mundus vos odit, ſcitis quod me priorem vobis odio habuit.

19. Si ex mundo eſſetis, mundus quod ſuum eſſet diligeret: quia autem ex mundo non eſtis, ſed ego elegi vos ex mundo, propter id vos odit mundus.

20. Mementote ſermonis quem ego dixi vobis, Non eſt ſervus major domino ſuo: ſi me perſequuti ſunt, & vos perſequentur: ſi ſermonem meum ſervaverunt, & veſtrum ſervabunt.

21. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia non noverunt eum qui miſit me.

16. *Non vos me elegiſtis.*] Clarius adhuc exprimit, non ipſorum merito, ſed gratiæ ſuæ debere ferri acceptum quod in tantum honorem pervenerint. Nam quum ſe electum fuiſſe ab illis negat, perinde hoc valet acſi diceret, quicquid habent, minime ſibi propria arte vel induſtria comparaſſe. Vulgo mutuum quendam concurſum fingunt divinæ gratiæ & humanæ voluntatis: ſed iſta antitheſis, Ego vos elegi, non ſum à vobis electus, in ſolidum uni Chriſto vendicat quod inter ipſum & hominem partiri ſolent: acſi dictum eſſet, non ſponte moveri hominem ad quærendum Chriſtum, donec quæſitus fuerit. Non agitur hic quidem de communi piorum electione qua in filios Dei adoptantur, ſed de particulari qua diſcipulos ſuos ad munus prædicandi Euangelii deſtinaverat. Verum ſi gratis nullo ſuo merito electi fuerunt illi ad munus Apoſtolicum, certum eſt multo magis gratuitam eſſe electionem qua ex filiis iræ & ſemine maledicto efficimur vitæ æternæ hæredes. Adde quod gratiam ſuam Chriſtus, qua electi fuerant in Apoſtolos, ſic commendat in hoc loco ut priorem illam, qua inſiti fuerant in Eccleſiæ corpus, ſimul conjungat. imo generaliter quicquid in ipſos contulerat dignitatis, his verbis complectitur. Interim fateor de Apoſtolatu diſerte tractari. Conſilium enim Chriſti eſt incitare diſcipulos ad munus ſuum ſtrenue obeundum. Materiam exhortationis ſumit ex gratuito favore, quo ipſos dignatus fuerat. Nam quo magis obſtricti ſumus Domino, ad præſtanda quæ requirit officia ferventiores eſſe decet: alioqui fœdæ ingratitudinis crimen effugere non licebit. Unde apparet nihil eſſe quod nos acrius ad ſancte pieque vivendi ſtudium accendere debeat, quam dum agnoſcimus Deo nos omnia debere, nihil nos habere proprium, tam initium ſalutis noſtræ quam omnes quæ inde ſequuntur partes fluere ex gratuita ejus miſericordia. Porro quam vera ſit hæc Chriſti ſententia, inde clare perſpicitur quod eos ſibi Chriſtus Apoſtolos delegit qui omnium ineptiſſimi videri poterant. Quanquam in eorum perſona perpetuum gratiæ ſuæ monumentum extare voluit. Nam (quemadmodum admonet Paulus) quis hominum reperietur ad obeundam legationem idoneus 1 Cor. 4. verſ. 2.
qua ſibi Deus humanum genus reconciliat? Imo quiſnam eſt mortalis homo, ut ſuſtineat Dei perſonam? Solus ergo Chriſtus eſt qui ſua electione idoneos efficit. Ideo Paulus Apoſtolatum ſuum ex gratia deducit, Rom. 1. v. 5. item ad Galat. 1. v. 15. ſe ab utero matris ſegregatum fuiſſe commemorat. Imo quum ſervi ſimus prorſus inutiles, qui omnium præſtantiſſimi videntur, ne minimæ quidem vocationi pares erunt, donec electi fuerint. Interea quo quiſque ad altiorem honoris gradum evectus eſt, meminerit ſe magis Domino eſſe devinctum. *Conſtitui vos.* Electio occulta eſt donec reipſa pateſiat, quum munus homini injungitur cui deſtinatus fuit: quemadmodum Paulus, eo quem nuper citavi loco, poſtquam retulit ſe ab utero matris fuiſſe ſegregatum, poſtea ſubjicit Apoſtolum ſe creatum eſſe quum ita viſum eſt Deo. Sic & Dominus teſtatur Jeremiam ſibi notum fuiſſe antequam Jer. 1: 5.
eſſet in utero matris, quem tamen ad munus Propheticum ſuo demum tempore vocat. Fieri tamen poterit ut quis rite formatus ad docendi munus accedat: imo hoc in Eccleſia ordinarium eſt ne quis vocetur niſi qui jam comparatus eſt ac inſtructus neceſſariis dotibus. Quod Chriſtus ſe utriuſque facit auctorem, nihil mirum: quandoquidem nonniſi per ipſum agit Pater, & ipſe cum Patre agit. Ergo ambobus communis eſt tam electio quam ordinatio. *Ut eatis.* Nunc oſtendit quorſum meminerit ſuæ gratiæ, ut eos ſcilicet alacriores ad opus redderet. Non otioſa erat dignitas Apoſtolatus, ſed cum ſummis difficultatibus certare ipſos decebat. Stimulum ergo addit

Chri-

Chriſtus, ne labores, moleſtias & diſcrimina refugiant. Hoc argumentum à fine ſumptum eſt. Deinde ab effectu ratiocinatur Chriſtus, quum dicit, *Et fructum afferatis*. Via enim fieri poteſt ut ſerio quiſquam & gnaviter operi incumbat niſi fructuoſum laborem ſperet fore. Ideo pronunciat Chriſtus conatus ipſorum non irritos fore nec inutiles, ſi modo prompti ſint ad obſequendum. Neque enim hic tantum præſcribit Apoſtolis quid ferat ac poſtulet eorum vocatio: ſed ne languidi ſint vel frigeant, proſperum illis ſucceſſum promittit. Vix dici poteſt quantum habeat momenti hæc conſolatio adverſus tot tentationes quæ quotidie occurrunt Chriſti miniſtris. Ergo quoties nobis videmur operam ludere, in memoriam hoc veniat, facturum tandem eſſe Chriſtum ne ludicrum ſit & inane quod conamur. nam tunc maxime locum habet promiſſio quum nihil fructus apparet. Hodie naſuti homines, & quicunque ſapere mundo videntur, conatus noſtros tanquam inconſideratos ſubſannant, quia fruſtra tentemus cælum terræ miſcere: nam interea fructus votis noſtris non reſpondet. Sed quum Chriſtus ex adverſo pollicitus fuerit ſequuturum operæpretium, quod ad tempus latet, ſedulo inter mundi ludibria in officio præſtando laboremus. Quæritur jam quare fructum hunc perpetuum fore Chriſtus dicat, quum dicit, *Et fructus veſter maneat*. Quoniam Euangelii doctrina animas Chriſto acquirit in æternam ſalutem, multis videtur hæc eſſe fructus perpetuitas: ſed ego ſententiam longius extendo, nempe quod ad finem uſque mundi ſtatura ſit Eccleſia. Nam labor Apoſtolorum hodie quoque fructificat: & prædicatio noſtra non unius eſt ſeculi, ſed Eccleſiam propagabit, ut poſt mortem noſtram novus proventus emergat. Quum dicit, *Fructus veſter*, perinde loquitur acſi partus eſſet eorum induſtria: quum tamen
1 Cor. 3. verſ. 7. doceat Paulus, eos qui rigant vel plantant nihil eſſe. Et certe excellentius Dei eſt opus Eccleſiæ creatio quam ut ejus gloria hominibus adſcribi debeat: ſed quia virtutem ſuam exerit Dominus per manum hominum ne fruſtra laborent, ſolet etiam in ipſos transferre quod ſibi proprium eſt. Meminerimus interea tam benigne eum ornare ſuos diſcipulos ut eos animet, non inflet. *Ut quicquid petieritis*. Hoc membrum non additum fuit ex abrupto, ut multis videri poſſet. Nam quum docendi provincia longe ſuperet hominum vires, accedunt innumeri Satanæ inſultus, qui nunquam ſuſtineri poſſent niſi Dei virtute. Ergo ne deficiant animis Apoſtoli, Chriſtus cum optimo ſubſidio occurrit. acſi diceret, Si vobis plus erit negotii quam ut pares ſitis ad explendum munus veſtrum, non deerit vobis Pater meus. Nam hac lege conſtitui vos Euangelii miniſtros, ut manum ſuam ad vos juvandos extentam habeat Pater, quoties in nomine meo petetis ut vobis opem ferat. Et certe quod plerique doctores vel per ignaviam flacceſcunt, vel prorſus concidunt deſperatione, non aliunde contingit niſi quod in officio precandi torpent. Proinde hæc Chriſti promiſſio nos ad Deum invocandum ſollicitat. Nam quiſquis agnoſcet à ſolo Deo eſſe ſucceſſum operis, cum timore & tremore ſuum ei laborem offeret: contra vero, ſiquis induſtria ſua confiſus, Dei auxilium negligat, vel haſtam & clypeum abjiciet ubi ad rem ventum fuerit, vel multum ſatagendo, nihil tamen proficiet. Porro hic duo vitia cavenda ſunt, arrogantiæ ſcilicet ac diffidentiæ: quia ſicuti Dei auxilium ſecure prætereunt qui putant ſe jam rem habere in manu; ſic multi difficultatibus ſuccumbunt, quia non reputant ſe Dei virtute & præſidio pugnare, ſub cujus auſpiciis militant.

17. *Hæc præcipio vobis*.] Hoc quoque tempeſtive additum eſt ut ſcirent Apoſtoli in primis requiri mutuam inter miniſtros dilectionem, quo Eccleſiam Dei concordiæ ſtudio ædificent. Nullum enim majus impedimentum quam dum ſeorſum quiſque laborat, nec in commune ſinguli operas ſuas conferunt. Niſi ergo fraternam inter ſe ſocietatem colant miniſtri, fieri poterit ut aliquas erigant moles, ſed diſſipatas: nullum interea erit Eccleſiæ ædificium.

18. *Si mundus vos odit*.] Poſtquam Apoſtolos armavit Chriſtus ad pugnam, ſimul etiam ad patientiam hortatur: neque enim promulgari poteſt Euangelium quin protinus mundus inſaniat. quare nunquam fieri poterit ut mundi odia effugiant pii doctores. Hoc mature prædicit Chriſtus, ne illis contingat quod tironibus ſolet, qui propter imperitiam hoſtibus nondum viſis audaces, ubi ad pugnam ventum eſt, expaveſcunt. Nec tantum ideo præmonet ſuos Chriſtus, nequid illis novum vel inexſpectatum accidat, ſed eos ſimul confirmat ſuo exemplo. Neque enim æquum eſt, quum ipſe exoſus mundo fuerit, nos, qui ejus ſuſtinemus perſonam, mundum (qui ſemper ſui ſimilis eſt) habere propitium. Verbum γινώσκετε in modo indicativo vertere malui. quanquam ſiquis imperativum malit, non repugno: quia ſenſus non mutatur. Plus eſt difficultatis in voce quæ proxime ſequitur. nam quum ſe *priorem* diſcipulis vocat, tam ad tempus quam ad dignitatem referri hoc poteſt. Prior expoſitio magis recepta eſt, nempe quod Chriſtus ante Apoſtolos odio habitus fuerit à mundo. verum ſecunda mihi magis probatur, quod quum Chriſtus, qui longe præcellit, non tamen immunis fuerit ab odiis mundi, eadem conditio à miniſtris non recuſanda ſit. Eadem enim loquutio eſt cum ea quam primo capite bis habuimus, Qui poſt me venit, mihi prælatus eſt, quia Joan. 1. v.27, 30.
prior me erat.

19. *Si ex mundo eſſetis*.] Alia conſolatio, quod ideo mundo ſint exoſi quia ab eo ſegregati ſunt. Hæc autem vera eſt eorum felicitas & gloria: quia hoc modo ab exitio erepti ſunt. *Eligere* hic ſegregare ſignificat. Jam ſi electi fuerunt ex mundo, ſequitur eos fuiſſe mundi partem, ſolaque Dei miſericordia diſcerni à reliquis qui pereunt. Cæterum *mundi* nomine omnes qui Spiritu Dei regeniti non ſunt hoc loco Chriſtus deſignat. nam Eccleſiam mundo opponit, ut plenius videbimus cap. 17. Neque tamen cum hac doctrina pugnat illa Pauli exhortatio, Pa- Rom. 12. verſ. 18.
cem habete cum omnibus quantum in vobis eſt. Nam quæ additur exceptio tantundem valet acſi diceret, Videndum eſſe quid nobis liceat & fas ſit: ne quis placendi ſtudio mundi corruptelis indulgeat. Verum poteſt adhuc alia objici quæſtio. nam ſceleratos qui ex mundo ſunt, vulgo non odio tantum haberi cernimus, ſed execrationi eſſe. hic certe mundus non diligit quod ſuum eſt. Reſpondeo, terrenis hominibus qui aguntur pro ſenſu carnis ſuæ, nunquam vere odio eſſe peccatum: ſed tantum quatenus proprii commodi vel damni cura eos afficit. Quanquam Chriſti conſilium non fuit negare quin mundus inteſtinis diſcordiis ferveat, & intra ſe tumultuetur: tantum oſtendere voluit, mundum nonniſi quod Dei eſt in fidelibus odio habere. Atque hinc quoque liquet quam ſtulte delirent Anabaptiſtæ, qui hoc uno argumento colligunt ſe Dei eſſe ſervos, quia majori hominum parti diſpliceant. Prompta eſt enim exceptio, quod multi qui ex mundo ſunt, quos ſcilicet delectat fœda rerum omnium confuſio, eorum doctrinæ faveant: multi item ex mundo eam oderint, quia politicum ordinem cupiunt manere ſalvum.

20. *Mementote ſermonis*.] Poſſet etiam indicativo modo legi, Memores eſtis: ſed ſenſu non admodum diverſo. Imperativus tamen modus, meo judicio, melius congruit. Eſt autem confirmatio proximæ ſententiæ, ubi dicebat Chriſtus ſe mundo exoſum fuiſſe, qui tamen diſcipulis erat præſtantior: neque enim æquum eſt ut potior ſit ſervi conditio quam domini. Porro ubi de perſonis loquutus eſt, mentionem etiam doctrinæ facit: nihil enim pios

magis

magis conturbat quam dum doctrinam quæ Dei eſt, ſuperbe ab homioibus contemni vident. Eſt enim portentum horribile, cujus aſpectus fortiſſimum quodque pectus labefactare poſſet. Sed dum ex alia parte ſuccurrit ipſum Dei Filium non minus contumaciæ expertum eſſe, non eſt quod miremur doctrinam Dei tam parum habere inter homines reverentiæ. Quod *ſuam & illorum doctrinam* dicit, ad miniſterium refertur. Unicus eſt Eccleſiæ magiſter Chriſtus: ſed doctrinam ſuam, cujus magiſter primus fuerat, voluit deinde per Apoſtolos ſuos prædicari.

21. *Sed hæc omnia.*] Quia prodigioſus eſt mundi furor, dnm ita in ſalutis ſuæ doctrinam inſanit, cauſam affert Chriſtus quod cæca ignorantia feratur in ſuam perniciem: nemo enim ex profeſſo contra Deum in bellum inſurgeret. cæcitas ergo eſt ac ignoratio Dei quæ mundum rapit ut bellum inferre Chriſto non dubitet. Semper ergo habenda eſt cauſæ ratio: nec alibi vera conſolatio eſt quam in teſtimonio bonæ conſcientiæ. Hinc etiam ad gratitudinem erigendi ſunt animi: quod dum in cæcitate ſua mundus perit, Deus nos ſua luce dignatus eſt. Interea tenendum eſt, Chriſti odium ex ſtupore mentis provenire, quum Deus non cognoſcitur. Nam (ut ſæpe dico) cæca eſt incredulitas: non quod nihil intelligant vel ſentiant impii, ſed quia confuſum eſt quicquid habent notitiæ, & ſtatim evaneſcit. Qua de re alibi copinſius tractavi.

22. Si non veniſſem, & loquutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: nunc autem
excuſationem non habent de peccato ſuo.
23. Qui me odit, Patrem quoque meum odit.
24. Si opera non feciſſem inter eos quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent:
nunc autem & viderunt, & oderunt tam me quam Patrem meum.
Pſal. 35. 25. Sed ut impleatur ſermo ſcriptus in Lege eorum, Quod oderunt me gratis.
verſ. 19. 26. Quum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus veri-
tatis, qui à Patre procedit, ille teſtificabitur de me.
Vel, teſtes eſtis. 27. Et vos etiam teſtimonium redditis, quia ab initio eſtis mecum.

22. *Si non veniſſem.*] Quod Judæos dixerat odio proſequi Evangelium, quia Deum non cognoſcerent: nequis hoc valere putaret ad levandam eorum culpam, ſubjicit eos maligne cæcutire: quemadmodum ſiquis claudat oculos ne lucem aſpicere cogatur. Nam alioqui objectum fuiſſet Chriſto, Si Patrem tuum ignorant, qui fit ut eorum errori non ſuccurras? cur non ſaltem tentaſti an prorſus eſſent indociles, nec ne? Reſpondet ſe boni ac fidi doctoris officin perfunctum eſſe, ſed ſine profectu: quia eos malitia ad ſanam mentem redire paſſa noo fuerit. Porro ſub illorum perſona terrorem incutere omnibus voluit, qui Dei veritatem vel ſibi oblatam reſpuunt, vel cognitam volentes oppugnant. Etſi antem illos terribilis manet Dei vindicta, Chriſtus tamen ſuos diſcipulos bic magis reſpicit, ut certa victoriæ fiducia eos animet, nequando ſuccumbant impiorum malitiæ. nam ubi talem audimus fore exitum, jam quaſi in media pugna triumphum agere licet. *Peccatum non haberent.* Videtur innuere Chriſtus his verbis, ſolam incredulitatem peccatum eſſe: & ſunt quibus ita videtur. Auguſtinus quidem magis ſobrie, ſed tamen ad eum ſenſum accedit. nam quia fides remittit & delet omnia peccata, dicit unum eſſe incredulitatis peccatum quod damnet. Vere hoc dicitur: quandoquidem non modo obſtat incredulitas ne eximantur homines à mortis reatu: ſed fons & cauſa eſt malorum omnium. Cæterum tota illa diſputatio nibil ad præſentem locum facit. neque enim generaliter accipitur Peccati nomen, ſed pro circumſtantia cauſæ quæ tractatur: acſi diceret Chriſtus nullo modo excuſabilem eſſe eorum ignorantiam, eo quod in ſua perſona maligne Deum reſpuiſſent. quemadmodum ſi inſontem, juſtum ac purum vocemus quem nonniſi ab uno crimine abſolvere volumus, cujus reus erat. Ad unam ergo peccati ſpeciem reſtringitur iſta Chriſti abſolutio: quia in Euangelii cootemptu & odio Judæis ignorantiæ prætextum tollit. Exoritur tamen adbuc nova quæſtio, Aonon ante Chriſti adventum ſatis fuerit incredulitas ad damnandos homines. Et ſunt fanatici homines qui ex hoc loco perperam colligunt, quicunque ante Chriſti adventum mortui ſuot extra fidem, dubio ſuſpenſoque in ſtatu fuiſſe, donec illis ſe Chriſtus manifeſtavit. Quaſi vero non extent complures Scripturæ loci qui ſolam conſcientiam illis ad reatum ſatis fuiſſe teſtantur.

Rom. 5. verſ. 14. ibid. 2:12.

Mors (inquit Paulus) uſque ad Moſen regnavit in mundo. Et alibi perituros ſine Lege tradit qui ſine Lege peccaverint. Quid igitur ſibi vult Chriſtus? Certe conceſſio eſt in iſtis verbis, qua ſignificat nibil amplius reſtare Judæis quod obtendant ad levandam culpam, ex quo ſcientes & volentes oblatam ſibi vitam repulerunt. Ita excuſatio quam concedit illis, non abſolvit penitus, ſed tantum ſceleris gravitatem extenuat: juxta illud, Servus ſciens voluntatem domini ſui, & ſpernens, gravius vapulabit.

Luc. 12. verſ. 47.

Neque enim Chriſti conſilium fuit, veniam aliis promittere; ſed hoſtes ſuos, qui contumaciter Dei gratiam rejecerant, tenere convictos: quo palam conſtaret omni venia & miſericordia indignos eſſe. Nntandum autem quod non loquitur de nudo ſuo adventu, ſed qui cum doctrina conjunctus fuit. Neque enim ob ſolam corporis præſentiam tanto crimine obſtricti fuiſſent: ſed doctrinæ contemptus eos prorſus inexcuſabiles reddidit.

23. *Qui me odit.*] Inſignis locus, quo docemur neminem odio habere Euangelii doctrinam quin ſuam adverſus Deum impietatem prodat. Aliud quidem multi ore præ ſe ferunt: nam quum ab Euangelio abhorreant, volunt tamen videri optimi Dei cultores. ſed nugæ ſunt: intus enim latet Dei contemptus. Ita fit ut doctrinæ ſuæ luce Chriſtus multorum hypocriſin detegat. Qua de re plura cap. 3: 20. diximus, in illum locum, Qui male agit, odit lucem. Item cap. 5: 23. Qui non honorat Filium, neque Patrem honorat.

24. *Si opera non feciſſem.*] Operum nomine complectitur, meo judicio, quæcunque divinæ ſuæ gloriæ ſpecimina edidit. Nam & miraculis, & Spiritus ſancti potentia, & aliis documentis clare probavit ſe eſſe Dei Filium: ut in eo coospicua eſſet Uoigeniti majeſtas, ſicuti capite primo habuimus. De miraculis objici ſolet, nec plura nec majora ab eo facta eſſe quam à Moſe & Prophetis. Nota eſt ſolutio, hac ratione excellere Chriſtum in miraculis quia non miniſter duntaxat, ut reliqui, ſed proprie auctor fuerit. ſuo enim nomine, ſuo imperio, ſua virtute uſus eſt ad edenda miracula. Cæterum, ut dixi, in genere comprehendit omnia cæleſtis & ſpiritualis potentiæ teſtimonia, quibus illuſtrata fuit ejus divinitas. *Viderunt & oderunt.* Concludit non poſſe tergiverſando effugere hoſtes ſuos, quandoquidem virtutem ſpreverint quam prorſus divinam eſſe conſtabat: ſuum enim numen palam Deus protulerat in Filio. quare fruſtra dicturi erant ſibi duntaxat cum homine mortali fuiſſe negotium. Locus bic admonet ot ad con-

fide-

Digitized by Google

ſideranda Dei opera attenti ſimus: in quibus dum exerit virtutem ſuam, debitum ſibi honorem haberi vult ac deferri. Unde ſequitur, ingratos adverſus Deum eſſe & malignos quicunque ejus dona obſcurant vel contemptim prætereunt.

25. *Sed ut compleatur.*] Quod præter naturam eſt, videtur incredibile. atqui nihil minus rationi conſentaneum quam Deum odiſſe: ideo dicit Chriſtus, tanta malitia infectos eſſe eorum animos, ut gratis oderint. quo ipſorum ſcelus amplificat. Citat autem Chriſtus locum ex Pſal. 35: 19. quem dicit nunc compleri: non quod jam idem prius Davidi non accidiſſet; ſed ut obſtinatam gentis malitiam perſtringat, quæ per continuas ætatum ſeries ab atavis ad abnepotes transmiſſa, ſine fine regnabat. acſi diceret nihilo ipſos meliores eſſe patribus qui Davidi ſine cauſa infeſti fuerant. *Legis* nomine Pſalmos deſignat: quia tota Prophetarum doctrina nihil aliud erat quam Legis appendix. & ſcimus Moſis miniſterium ad tempus uſque Chriſti duraſſe. Ipſorum porro Legem vocat, non honoris cauſa, ſed ut acrius pungantur familiari elogio: acſi diceret, Legem habent quaſi hæreditario jure ſibi traditam, in qua mores ſuos graphice depictos vident.

26. *Quum autem.*] Poſtquam oſtendit Chriſtus Apoſtolis, non minoris debere eſſe Euangelium, quia multos habeat adverſarios etiam in Eccleſia ipſa: nunc impio illorum furori Spiritus teſtimonium opponit, quo ſuffultæ eorum conſcientiæ nuoquam labaſcant. acſi diceret, Sæviet quidem mundus contra vos: aliis ludibrio erit veſtra doctrina, alii eam execrabuntur: ſed nulli erunt tam violenti motus qui fidei veſtræ firmitatem labefactent, ubi Spiritus ſanctus vobis datus fuerit, qui ſuo teſtimonio vos ſtabiliat. Et certe hoc unum eſt noſtrum præſidium, quum mundus undique tumultuatur, quod Dei veritas per Spiritum ſanctum in cordibus noſtris obſignata, quicquid in mundo eſt, infra ſe deſpicit. Nam ſi obnoxia eſſet hominum judiciis, centies quotidie fidem noſtram obrui contingeret. Ergo diligenter notandum eſt ubinam inter tot ac tam varias agitationes conſiſtere nos oporteat, nempe quia non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ à Deo nobis donata ſunt. Unus ille teſtis potenter diſcutit, diſſipat, evertit quicquid ab hoc mundo in altum attollitur ad obſcurandam aut peſſundandam Dei veritatem. Quicunque hoc Spiritu præditi erunt, adeo periculum non eſt ut propter mundi odia vel contemptum animum deſpondeant, ut unus quilibet eorum futurus ſit totius mundi victor. Interea cavendum eſt ne ab hominum reſpectu pendeamus. Quamdiu enim ita vagabitur fides, imo ſimulac ex Dei ſanctuario egreſſa fuerit, miſere fluctuari neceſſe eſt. Ergo ad interius & arcanum Spiritus teſtimonium revocanda eſt, quod ſibi è cælo datum eſſe norunt fideles. Teſtari autem dicitur Spiritus de Chriſto, quia fidem noſtram in eo ſolo retinet ac ſiſtit, ne ullam ſalutis partem alibi quæramus. Vocat rurſum Paracletum, ut ejus patrocinio freti, nunquam trepidemus. voluit enim Chriſtus hoc elogio fidem noſtram munire, ne ullis tentationibus ſuccumbat. Præſenti etiam circumſtantiæ aptandum eſt quod vocat Spiritum veritatis. ſubaudienda eſt enim antitheſis, quod extra hunc teſtem varie circumferantur homines, nec uſquam ſolide reſideant: ubicunque autem loquitur, omni dubitatione & fallaciæ metu liberet hominum mentes. Quod dicit *ſe à Patre miſſurum*, & rurſum *à Patre procedere*, ad augendum auctoritatis pondus facit. neque enim contra tam validos inſultus, contra tot ac tam impetuoſas machinas ſufficeret Spiritus teſtimonium, niſi perſuaſi eſſemus à Deo profectum eſſe. Chriſtus ergo eſt qui Spiritum mittit, ſed ex cæleſti gloria: ut ſciamus non humanum eſſe donum, ſed certum divinæ gratiæ pignus. Unde apparet quam frivola fuerit Græcorum argutia, quando horum verborum prætextu Spiritum à Filio procedere negarunt. Patrem enim ſuo more Chriſtus hic nominat, ut ad divinitatis ſuæ intuitum attollat noſtros oculos.

27. *Et vos teſtimonium redditis.*] Significat Chriſtus non fore ejuſmodi Spiritus teſtimonium, quod privatim ſibi habeant Apoſtoli, & quo ſoli fruantur: ſed quod latius ſe per ipſos diffundat: quia futuri erant Spiritus organa. ſicuti loquutus eſt ipſorum ore. Videmus nunc quomodo ex auditu ſit fides, & tamen ſuam certitudinem habeat à ſigillo & arrha Spiritus. Quibus noo ſatis nota eſt humanæ mentis caligo, hi fidem naturaliter ex ſola prædicatione concipi exiſtimant: contra vero pleriſque fanaticis ſordet externa prædicatio, dum magnifice arcanas revelationes & ἐνθουσιασμοὺς ſpirant. atqui videmus ut duo hæc ſimul Chriſtus conjungat. Tametſi igitur nulla eſt fides donec mentes noſtras illuſtret Dei Spiritus, & corda obſignet: non tamen ex nubibus petendæ ſunt viſiones vel oracula: ſed verbum quod prope *Deut. 30.*
nos eſt, in ore noſtro & corde, ſenſus omnes noſtros *verſ.14.*
ſibi devinctos & in ſe defixos habere debet. ſicuti pulchre Jeſaias, Hoc fœdus meum, inquit Domi- *Jeſa. 59.*
nus, Spiritus meus quem poſui ſuper te, & verba *verſ.21.*
mea quæ poſui in ore tuo: non deficient &c. Particula iſta, *ab initio fuiſtis mecum*, ideo addita eſt ut ſciamus plus fidei mereri Apoſtolos, quia oculati fuerunt eorum teſtes quæ annunciant: ſicuti dicit Joan- *1 Joan. 1.*
nes, Quod audivimus, quod vidimus, quod manus *verſ.1.*
noſtræ palparunt. Ita enim modis omnibus conſultum nobis eſſe Dominus voluit, ne quid ad ſolidam Euangelii approbationem deeſſet.

CAP. XVI.

HÆc loquutus ſum vobis ut ne ſcandalizemini.

2. Alienos à Synagoga facient vos: ſed venit hora ut quiſquis vos interfecerit, arbitretur ſe cultum præſtare Deo.

3. Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem neque me. *ſupra 15. verſ.21.*

4. Sed hæc loquutus ſum vobis, ut quum venerit hora, eorum reminiſcamini quod dixerim vobis. Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiſcum eram.

5. Et nunc vado ad eum qui miſit me, & nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis?

6. Sed quia hæc loquutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum.

7. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam: ſi enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos.

1. *Hæc loquutus ſum vobis.*] Rurſus commemorat nihil eorum quæ dixit ſupervacuum eſſe: nam quum pugnæ & certamina eos maneant, legitimis armis ante tempus fuiſſe inſtruendos. Interea vero ſignificat, ſi hanc doctrinam probe meditatam habeant, ad reſiſtendum pares fore. Cæterum quod tunc Apoſtolis dixit, nobis quoque dictum eſſe meminerimus. Ac primo tenendum eſt, Chriſtum non mittere in arenam ſuos inermes: ideoque neminem in hac militia deficere niſi ignaviæ ſuæ culpa. Nec vero expectandum

ctandum eſt dum in rem præſentem ventum fuerit: ſed potius danda opera ut aſſuefacti his Chriſti ſermonibus ac familiariter imbuti, pugnam quum opus erit capeſſamus. Neque enim dubitandum eſt quin victoria in manu ſit quamdiu iſtæ Chriſti admonitiones penitus animis noſtris infixæ erunt. Nam quum dicit, *Ne ſcandalizemini*, ſignificat minime eſſe periculum nequid nos à recto curſu avertat. Sed hinc apparet quam pauci rite hanc doctrinam diſcant, quod qui ſibi videntur eam extra teli jactum memoriter tenere, ubi conſerere manus oportet, tanquam ejus prorſus ignari & rudes deficiunt. Sic ergo arma hæc nobis aptemus ne unquam effluant.

2. *Alienos à Synagoga.*] Erat hoc non leve ſcandalum turbandis eorum animis, quod tanquam ſcelerati homines ex piorum cœtu profligandi erant, ſaltem qui ſe populum Dei eſſe jactabant, ac gloriabantur Eccleſiæ ritulo. Neque enim perſequutionibus tantum, ſed probris & ignominiæ obnoxii ſunt fideles, quemadmodum dicit Paulus. Jubet tamen
1 Cor. 4 vers. 11. Chriſtus etiam contra hunc inſultum firmos ſtare: quia privati Synagogis, nihilominus in regno Dei maneant. Summa eſt, non debere nos frangi perverſis hominum judiciis qoin fortiter ſubeamus crucis Chriſti opprobrium: hoc uno contenti, quod cauſa noſtra, quam indigne & perperam damnant homines, Deo probetur. Porro hinc colligimus Euangelii miniſtros non tantum à profeſſis fidei hoſtibus male tractari, ſed etiam ſumma ignominia interdum affici apud eos qui domeſtici Eccleſiæ videntur, imo etiam columnæ. Scribæ & Sacerdotes, à quibus damnati fuerunt Apoſtoli, divinitus ſe conſtitutos eſſe Eccleſiæ judices jactabant. & certe penes ipſos erat ordinarium Eccleſiæ regimen, & functio judicandi à Deo erat, non ab hominibus: verum ſua tyrannide totum ordinem à Deo inſtitutum corruperant. Ita fiebat ut poteſtas quæ in ædificationem illis conceſſa fuerat, nihil aliud eſſet quam immanis ſervorum Dei oppreſſio: excommunicatio, quæ medicina eſſe debuerat purgandæ Eccleſiæ, ad pietatem inde exterminandam converſa foret. Id quum jam ſuo ſeculo experti fuerint Apoſtoli, non eſt quod nos hodie magnopere terreant Papæ anathemata, quibus in nos propter Euangelii teſtimonium fulminat. neque enim timendum eſt ne plus nobis noceant quam vetera illa Apoſtolis. imo nihil magis optandum quam ut alieni ſimus ab eo cœtu à quo Chriſtus exulat. Interea notemus, tam craſſo excommunicationis abuſu non fuiſſe tamen factum ut abolita fuerit diſciplina quam ab initio Deus in Eccleſia ſua ſtatuerat. Nam quum in hoc totus ſit Satan ut omnia Dei inſtituta adulteret, minime illi cedendum eſt ut propter corruptelas è medio tollatur quod Deus in perpetuum ſancivit. Ergo excommunicatio non minus quam Baptiſmus & Cœna Domini, correctis vitiis in purum ac legitimum uſum revocanda eſt. *Sed venit hora.* In ſcandalo illo adhuc inſiſtit Chriſtus, quod hoc ſibi juris arrogant Euangelii hoſtes ut ſe putent Deo ſacras victimas offerre quum fideles occidunt. Jam per ſe durum eſt innoxios crudeliter vexari: ſed longe acerbius ac moleſtius eſt, injurias quibus Dei filios afficiunt impii, juſtas cenſeri pœnas & debitas eorum ſceleribus. ſed tantum nos præſidii in recta conſcientia ſtatuere decet ut patienter ita nos ad tempus opprimi feramus, donec appareat è cælo Chriſtus cauſæ noſtræ & ſuæ vindex. Sed mirum eſt, hoſtes veritatis, quum ſibi male conſcii ſint, non modo fucum facere hominibus, ſed etiam coram Deo laudem ex injuſta ſævitia ſibi vendicare. Reſpondeo, hypocritas, quantumvis eos coarguat conſcientia, ſemper tamen blanditias accerſere quibus ſe fallant. Ambitioſi ſunt, crudeles, ſuperbi: ſed prætextu zeli omnia hæc vitia tegunt, quo ſibi impune indulgeant. Accedit etiam furioſa quædam ebrietas, poſtquam ſanguine martyrum fuerunt imbuti.

3. *Et hæc facient.*] Non fruſtra ad iſtam conſiderationem ſubinde Apoſtolos revocat Chriſtus, unam eſſe cauſam cur ita in eos inſaniant increduli, quia Deum ignorant. Neque tamen hoc levandæ eorum culpæ cauſa dicitur, ſed ut cæcum eorum furorem altis animis deſpiciant Apoſtoli. Sæpe enim fit ut auctoritas qua pollent impii, & ſplendor qui in illis refulget, modeſtas concutiant ac pias mentes. Contra vero Chriſtus ſancta magnanimitate inſurgere ſuos jubet, ut adverſarios contemnant, quos error duntaxat & cæcitas impellit. Hic enim murus noſter aheneus, quum certo perſuaſi ſumus Deum à parte noſtra ſtare: qui autem nos oppugnant, ratione deſtitui. Cæterum his verbis monemur quam grave ſit malum Dei ignoratio, quæ facit ut ipſi quoque parricidæ laudem & plauſum ſceleri ſuo captent.

4. *Ut quum venerit hora eorum, reminiſcamini.*] Repetit quod jam dixerat, non eſſe hanc umbratilem philoſophiam, ſed quæ ad praxin & uſum aptanda ſit: ac ſe nunc de his rebus concionari ut reipſa oſtendant non fruſtra ſe fuiſſe edoctos. Quum dicit, *Ut recordemini*, primo jubet repoſita eſſe in animis quæ audierunt: deinde quum uſus poſtulabit, eorum eſſe memores. tandem ſignificat non parum in eo eſſe momenti quod vaticinia profert de rebus futuris. *Non dixi ab initio.* Quum teneri adhuc & imbecilles eſſent Apoſtoli, quamdiu cum illis verſatus eſt Chriſtus in carne, ipſis optimus & indulgentiſſimus magiſter pepercit, neque paſſus eſt ultra vires premi. Ergo non magnopere tunc confirmatione opus habebant, quum otium illis & immunitas à perſequutionibus daretur: nunc mutandam illis eſſe rationem denunciat, &, quoniam nova eos manet conditio, ſimul hortatur ut ſe ad luctandum comparent.

5. *Nunc vado ad eum.*] Temperat optima conſolatione quem ex ſuo diſceſſu concipere poterant dolorem: quod valde neceſſarium erat. Qui hactenus molliter habiti fuerant, vocabantur in poſterum tempus ad graves & arduas pugnas. Quid ergo futurum erat niſi Chriſtum ſcirent in cælo eſſe ſalutis ſuæ præſidem? nam *ad Patrem ire* nihil aliud eſt quam recipi in cæleſtem gloriam, ut ſummo imperio potiatur. Hoc igitur illis triſtitiæ ſolatium ac remedium proponitur, quod Chriſtus corpore abſens, ſedebit tamen ad Patris dexteram, ut ſua virtute fideles tueatur. Cæterum duo hic vitia in Apoſtolis reprehendit, quod viſibili carnis ſuæ præſentiæ nimis addicti erant: deinde quod ea ſublata, mœrore occupati non attollebant altius oculos. Idem & nobis contingere ſolet. Chriſtum enim ſenſibus noſtris ſemper affigimus. deinde ſi pro voto non apparet, fingimus nobis deſperationis materiam. Videtur quidem falſo Apoſtolis hoc objici, eos *non rogare quo abeat magiſter*, quum prius ea de re anxie ſciſcitati eſſent. ſed facilis eſt ſolutio, ſic ipſos quæſiiſſe ut animos ad fiduciam non attollerent, quod in primis fieri decebat. Senſus ergo eſt, Audito meo diſceſſu expaveſcitis: neque enim reputatis quo diſcedam, vel in quem finem.

7. *Sed ego veritatem.*] Utilem fore abſentiam ſuam teſtatur, ut deſinant velle ipſum habere oculis præſentem. & ſpeciem jurisjurandi adhibet. Quia enim carnales ſumus, nihil difficilius eſt quam præpoſterum hunc affectum ex animis noſtris revellere, quo Chriſtum è cælo ad nos detrahimus. Hanc vero utilitatis ſpeciem exprimit quod non aliter Spiritu ſancto donandi erant, niſi ipſe mundum relinqueret. Longe autem utilior ac magis expetenda Chriſti præſentia qua per Spiritus ſui gratiam & virtutem ſe fruendum nobis præbet, quam ſi nobis ante oculos adeſſet. Neque hic movenda eſt quæſtio, annon potuerit Spiritum Chriſtus elicere quum in terris ageret. nam pro confeſſo ſumit Chriſtus quic-

quid à Patre decretum eſt. Et certe ubi ſemel oſtendit Dominus quid fieri velit, ſtulta eſt ac noxia de poſſibilitate diſputatio.

8. Et quum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de juſtitia, & de judicio.
9. De peccato quidem, eo quod non credunt in me:
10. De juſtitia autem, quia ad Patrem meum vado, & amplius non videbitis me:
11. De judicio autem, quia princeps mundi hujus judicatus eſt.
12. Adhuc multa habeo vobis dicenda, ſed non poteſtis nunc portare.
13. Quum autem venerit ille, *nempe* Spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem. Neque enim loquetur à ſeipſo, ſed quæcunque audierit, loquetur: & quæ eventura ſunt, annunciabit vobis.
14. Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.
15. Omnia quæ habet Pater, mea ſunt: propterea dixi vobis, De meo accipiet, & annunciabit vobis.

8. *Quum venerit ille.*] Omiſſa expoſitionum varietate quam nobis peperit loci obſcuritas, tantum afferam quod mihi videtur ex genuino eſſe Chriſti ſenſu. Promiſerat Spiritum ſuum diſcipulis. nunc doni præſtantiam ab effectu commendat, quia Spiritus hic non eos modo privatim reget, ſuſtinebit, ac tuebitur: ſed vim ſuam & efficaciam latius diffundet. *Arguet mundum*, inquit. hoc eſt, non manebit incluſus in vobis: ſed potentia ejus ſe à vobis proferet in totum mundum. Spiritum ergo illis promittit qui futurus ſit judex mundi, & per quem eorum prædicatio adeo viva efficaxque futura ſit, ut in ordinem cogat qui prius effreni licentia exultantes, nullo metu nec reverentia tenebantur. Notandum autem eſt, Chriſtum non de arcanis revelationibus hic loqui, ſed de Spiritus virtute quæ in externa Euangelii doctrina & hominum voce apparet. Unde enim fit ut in animos penetret vox hominis, radicem illic agat, fructificet denique, ex lapideis cordibus carnea faciens, & innovans ipſos homines, niſi quia Spiritus Chriſti eam vivificat? Alioqui eſſet mortua litera & inanis ſonitus: quem-
2 Cor. 3. verſ. 6. admodum pulchre docet Paulus, 2 Corinth. 3. ubi ſe miniſtrum Spiritus eſſe jactat, quia Deus potenter in ejus doctrina operabatur. Senſus ergo eſt, quum Spiritu donati fuerint Apoſtoli, cæleſti ac divina virtute inſtructos fore, qua juriſdictionem in toto mundo exerceant. Cæterum hoc Spiritui potius quam ipſis tribuitur, quia nihil habebunt propriæ poteſtatis, utpote qui miniſtri tantum erunt & organa: ſolus autem Spiritus in illis præſidebit. Sub *mundi* nomine tam eos qui vere convertendi erant ad Chriſtum, quam hypocritas & reprobos comprehendi exiſtimo. Duobus enim modis homines arguit Spiritus in Euangelii prædicatione. quidam enim ſerio tanguntur ut ſponte ſe humilient, ſponte judicio ſubſcribant quo damnantur. Alii etſi convicti reatum non poſſunt effugere, non tamen ex animo cedunt, nec ſe ſubmittunt in jus ac ditionem Spiritus ſancti: quin potius ſubacti intus fremunt, & confuſi non deſinunt tamen intus contumaciam alere. Nunc tenemus quomodo Spiritus mundum arguere debuerit per Apoſtolos: nempe quia judicium ſuum Deus in Euangelio patefecit, quo perculſæ conſcientiæ mala ſua & Dei ipſius gratiam ſentire cœperunt. Nam verbum ἐλέγχειν pro Convincere hic accipitur. Atque ad hujus loci intelligentiam non
1 Cor. 14. verſ. 24. parum lucis afferet quod habetur 1 Corinth. 14. ubi ſic Paulus, Si prophetent omnes, ingrediatur autem incredulus vel idiota, arguitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus: & ſic occulta cordis ejus manifeſta fiunt. Proprie illic Paulus de una arguendi ſpecie agit, quum ſcilicet Dominus electos ſuos ad pœnitentiam adducit per Euangelium: ſed hinc dilucide patet quomodo Spiritus Dei in ſonitu vocis humanæ homines prius jugo non aſſuetos imperium ſuum agnoſcere & ſubire cogat. Quæritur nunc in quem finem hoc Chriſtus dixerit. Nonnulli cauſam odii cujus meminerat notari putant: acſi diceret, ideo fore infenſos mundo quia Spiritus viciſſim per illos mundum urgebit. Sed ego aliis potius ſubſcribo, qui diverſum fuiſſe Chriſti conſilium tradunt: ſicuti jam initio attigi. Magni enim interfuit ut ſcirent Apoſtoli non vulgare fore Spiritus donum quod illis promiſſum fuerat. Singularis ergo ejus excellentia deſcribitur, quod Deus hoc modo tribunal ſuum eriget ad judicandum totum orbem.

9. *De peccato quidem.*] Nunc videndum reſtat quid ſit *de peccato arguere*. Videtur Chriſtus infidelitatem facere ſolam peccati cauſam: idque varie ab interpretibus torquetur. ſed (quemadmodum præfatus ſum) non referam quid ſinguli doceant vel ſentiant. Primo notandum eſt, judicium Spiritus à demonſtratione peccati incipere, hoc enim ſpiritualis doctrinæ exordium eſt, Homines in peccato genitos nihil in ſe habere niſi peccati materiam. Porro infidelitatis meminit Chriſtus, ut oſtenderet qualis in ſe ſit hominum natura. Nam quia vinculum quo ſe nobis unit, eſt fides: donec in *ipſum* credamus, extra eum ſumus, & ab eo diviſi. Tantundem igitur valent hæc verba acſi dixiſſet, Spiritus quum venerit, oſtendet ac convincet, extra me regnare in mundo peccatum. Proinde hic nominatur infidelitas, quia nos ſeparat à Chriſto, atque ita facit ut nihil præter peccatum nobis relinquatur. In ſumma, damnatur his verbis naturæ humanæ corruptio & pravitas, ne putemus vel guttam unam rectitudinis ſine Chriſto nobis ineſſe.

10. *De juſtitia.*] Tenenda eſt graduum ſeries quam ponit Chriſtus. Mundum nunc dicit arguendum de juſtitia. neque enim juſtitiam eſurient ac ſitient homines: imo cum faſtidio reſpuent quicquid de ea dicetur, niſi tacti fuerint ſenſu peccati. Præſertim de fidelibus ſic habendum eſt, non poſſe eos in Euangelio proficere, niſi primum humiliati fuerint: quod fieri non poteſt niſi peccatis agnitis. Proprium quidem eſt Legis munus conſcientias vocare ad Dei judicium, & terrore vulnerare: ſed rite Euangelium prædicari nequit quin à peccato in juſtitiam, & à morte in vitam deducat. Proinde neceſſe eſt ut à Lege mutuetur primum iſtud membrum de quo loquutus eſt Chriſtus. Cæterum juſtitiam hic intellige quæ nobis per Chriſti gratiam communicatur. Eam Chriſtus ſtatuit in ſuo ad Patrem aſcenſu: nec immerito. quemadmodum enim (teſte Paulo) reſurrexit propter juſtificationem no- Rom. 4.
ſtram, ita nunc ad dexteram Patris ſedet, ut quicquid verſ. 25.
illi datum eſt poteſtatis exerceat, & ſic impleat omnia. Denique è gloria cæleſti, juſtitiæ ſuæ odore mundum perfundit. Spiritus autem per Euangelium pronunciat hunc unum eſſe modum quo juſti cenſeamur. Ideo à convictione peccati ſecundus hic gradus eſt, ut convincat Spiritus mundum quænam vera ſit juſtitia: nempe quod Chriſtus ſuo in cælum aſcenſu vitæ

vitæ regnum conſtituit, & nunc ſedet ad Patris dexteram ut veram juſtitiam ſtabiliat.

11. *De judicio autem.*] Qui *Judicii* nomen pro damnatione accipiunt, ratione non carent: quia mox ſubjicit Chriſtus, *Mundi principem eſſe judicatum.* Mihi tamen videtur diverſus ſenſus magis congruere, nempe quod accenſa Euangelii luce patefaciat Spiritus, Chriſti victoria, qua Satanæ imperium dejecit, ſtatum mundi rite & ordine fuiſſe compoſitum. acſi diceret veram eſſe iſtam inſtaurationem qua reformantur omnia, quum ipſe Chriſtus ſubacto & triumphato Satana, ſolus regnum obtinet. Judicium ergo rebus confuſis & diſſipatis opponitur, vel (ut brevius dicam) antitheton eſt τῆς ἀταξίας, acſi rectitudinem quis diceret: quo ſenſu frequenter ſumitur in Scriptura. Senſus ergo eſt, Satanam, quamdiu imperio potitur, miſcere omnia & turbare, ut fœda ſit ac deformis operum Dei confuſio: ſed ubi tyrannide ſua exuitur per Chriſtum, tunc mundo reparatum ordinem bene temperatum lucere. Ita mundum Spiritus de judicio convincit: hoc eſt, quod Chriſtus devicto iniquitatis principe, quæ prius collapſa erant & divulſa, in ordinem reſtituit.

12. *Adhuc multa habeo.*] Non potuit tantum apud diſcipulos valere Chriſti concio quin ſua eos ruditas adhuc perplexos in multis teneret: imo vix tenui guſtu libabant quæ ipſos penitus reficere debebant niſi obſtitiſſet carnis imbecillitas. Fieri ergo non poterat quin ſuæ inopiæ conſcii, metu & anxietate laborarent. Chriſtus autem cum hac conſolatione occurrit, quod accepto Spiritu novi & longe alii homines futuri ſint. Quod igitur pares ferendo eſſe negat ſi plura & altiora illis dixerit, huc pertinet, ut ſpe melioris profectus erecti non deſpondeant animos. Metiri enim gratiam qua donandi erant, ex præſenti ſenſu non oportuit, quum tam procul à cælo abeſſent. In ſumma, bono & forti animo eſſe jubet, quantumvis nunc ſint debiles. Cæterum quia nulla præter doctrinam fultura erat in quam recumberent, admonet Chriſtus ſe illam temperaſſe pro eorum modulo: ſic tamen ut altior & uberior brevi ſperanda ſit. acſi diceret, Si nondum ad vos ſtabiliendos ſufficit quod ex me audiſtis, tolerate pauliſper: nam paulo poſt Spiritus magiſterio edoctis nihil amplius deerit. abſolvet ille quod rude adhuc in vobis eſt. Nunc quæritur quænam iſta fuerint quibus diſcendis nondum idonei erant Apoſtoli. Papiſtæ, ut ſua figmenta pro Dei oraculis obtrudant, hoc loco improbe abutuntur. Chriſtus, inquiunt, novas Apoſtolis revelationes promiſit. ergo in Scriptura ſubſiſtere non convenit, ſupra quam ille ſuos vocat. Primum, ſi cum Auguſtino loqui placeat, ſolutio ad manum erit. verba ejus ſunt, Quum tacuerit Chriſtus, quis noſtrum dicat iſta vel illa eſſe? aut, ſi dicere audeat, unde probabit? quis tam vanus, aut temerarius, qui, etiamſi vera dicat, ſine ullo divino teſtimonio affirmet ea eſſe quæ dicere tunc Dominus noluit? Verum certior nobis ad eos refellendos ex Chriſti verbis ſuppetit ratio. Perfectus veritatis magiſter dicitur Spiritus quem pollicitus eſt Apoſtolis Chriſtus. quorſum autem promiſſus eſt, niſi ut acceptam ab eo ſapientiam per manus traderent? Datus eſt illis Spiritus, quo duce & directore injuncto ſibi officio defuncti ſunt. Eos idem ille Spiritus *in omnem veritatem* perduxerat, quum doctrinæ ſuæ ſummam ſcriptis complexi ſunt. Huic doctrinæ quiſquis aliquid addendum putat, acſi mutila eſſet & ſemiplena, non modo Apoſtolos inſimulat malæ fidei, ſed in Spiritum blaſphemus eſt. Si doctrina quam literis conſignarunt, à tironibus adhuc & novitiis profecta eſſet, non ſupervacua eſſet acceſſio: nunc vero quum eorum ſcripta quaſi perpetuæ ſint ejus revelationis tabulæ quæ illis promiſſa & præſtita fuit, non poteſt ſine atroci Spiritus injuria quicquam illis addi. Porro quum ad res ipſas ventum eſt, pluſquam ridiculi ſunt Papiſtæ. Illa enim arcana quibus portandis impares erant Apoſtoli, pueriles eſſe nænias definiunt, quibus nihil inanius vel magis fatuum. Deſcendere ſcilicet è cælo Spiritum oportuit ut diſcerent Apoſtoli quo ritu ſacrandi eſſent calices cum ſuis altaribus, baptizandæ campanæ, benedicenda aqua luſtralis, & Miſſa celebranda. Unde igitur diſcunt moriones & pueri, qui ad unguem tenent hæc omnia? Nihil itaque apertius eſt quam Deo illudere Papiſtas, quum è cælo produiſſe fingunt quæ tam Cereris aut Proſerpinæ myſteria ſapiunt quam abhorrent à ſincera Spiritus ſapientia. Nos vero, niſi velimus ingrati eſſe Deo, acquieſcamus in ea doctrina cujus auctores eſſe Apoſtolos ſcripta eorum teſtantur: quando ſumma illic cæleſtis ſapientiæ perfectio nobis prodita eſt, quæ hominem Dei perfectum reddat. *Col. 1. verſ. 28.* ultra eam progredi fas eſſe non putemus. Nam altitudo noſtra & latitudo & profunditas in eo poſita eſt, ut ſciamus charitatem Dei quæ nobis exhibita eſt in Chriſto. *Epheſ. 3. verſ. 18.* Hæc cognitio omnem ſcientiam ſupereminet, ut inquit Paulus. Ut quum tradit in Chriſto abſconditos eſſe omnes ſapientiæ & ſcientiæ theſauros, *Coloſ. 2. verſ. 3.* non aliquem ignotum Chriſtum fabricat, ſed quem ſua prædicatione ad vivum depinxit, ut cernatur quaſi ante oculos noſtros crucifixus, quemadmodum dicit ad Galatas. *Galat. 3. verſ. 1.* Cæterum, nequa maneat ambiguitas, Chriſtus ipſe poſtea ſuis verbis explicat quænam illa ſint quæ nondum ferre poterant Apoſtoli. *Quæ ventura ſunt, annunciabit vobis*, inquit. Hoc quidem nonnulli ad Spiritum prophetiæ reſtringunt: ſed, meo judicio, potius futurum regni ſui ſpiritualis ſtatum deſignat, qualem paulo poſt reſurrectionem ejus Apoſtoli viderunt, ſed tunc comprehendere nullo modo poterant. Non ergo vaticinia illis promittit de rebus poſt eorum mortem futuris: ſed tantum ſignificat aliam fore regni ſui naturam, & gloriam longe majorem quam nunc animis concipere poſſint. Cujus arcanæ ſapientiæ (quam per Eccleſiam cæleſtes quoque Angeli cum admiratione diſcunt) theſauros Paulus explicat in Epiſtola ad Epheſios, à primo capite uſque ad finem quarti. Quare non eſt quod à Papæ archivis vel ſcriniis petatur. *Non enim loquetur à ſemetipſo.* Confirmatio eſt illius particulæ, *Ducet vos in omnem veritatem.* Scimus fontem veritatis Deum eſſe, atque extra eum nihil eſſe certi vel ſolidi. quare ut Spiritus oraculis plenam tuto adhibeant fidem Apoſtoli, Chriſtus divina fore pronunciat: quaſi diceret manare à Deo ipſo quicquid Spiritus attulerit. Neque tamen his verbis minuitur Spiritus majeſtas, quaſi vel Deus non ſit, vel Patre ſit inferior: ſed referuntur ad mentis noſtræ captum. Quia enim propter velum interpoſitum non ſatis aſſequimur quanta reverentia excipere deceat quæ nobis revelat Spiritus, ideo expreſſa fit divinitatis mentio: quemadmodum alibi vocatur arrha qua nobis ratam facit Deus ſalutem noſtram, *Epheſ. 1. verſ. 14.* & ſigillum quo ejus certitudinem nobis obſignat. In ſumma, docere Chriſtus voluit, doctrinam Spiritus non fore mundi hujus, acſi in aëre naſceretur, ſed ex cæleſtis Sanctuarii adytis prodituram.

14. *Ipſe me glorificabit.*] Jam admonet Chriſtus non venturum Spiritum qui novum aliquod regnum erigat, ſed potius qui ſtabiliat gloriam illi à Patre datam. Multi enim Chriſtum docuiſſe ſomniant, tantum ut rudimenta traderet, poſtea diſcipulos tranſmitteret in altiorem ſcholam. Hoc modo Euangelium pluris non faciunt quam Legem, quæ pædagogus fuiſſe veteris populi dicitur. *Gal. 3 verſ. 24.* Hunc errorem alter nihilo tolerabilior ſequitur, quod Chriſto valere juſſo, acſi regno perfunctus nihil nunc eſſet, Spiritum in ejus locum ſubrogant. Ab hoc fonte Papatus & Mahometis ſacrilegia fluxerunt. nam etſi inter ſe

N 2 multis

multis in rebus ſunt diſſimiles iſti Antichriſti, commune tamen principium habent, Evangelio quidem nos initiari in rectam fidem, ſed aliunde petendam eſſe doctrinæ perfectionem quæ nos penitus expoliat. Si Papæ objicitur Scriptura, illic hærendum eſſe negat, quia Spiritus ſuperveniens multis additamentis ſupra illam nos evexit. Mahometes prædicat ſine ſuo Alcorano homines ſemper manere pueros. Falſo itaque Spiritus prætextu faſcinatus fuit mundus, ut à ſimplici Chriſti puritate diſcederet. nam ſimulac Spiritus à Chriſti ſermone divellitur, quibuslibet deliriis & impoſturis aperta eſt janua. Similem fallendi viam tentarunt hoc ſeculo multi fanatici. Doctrina quæ ſcripta eſt, illis viſa eſt literalis. novam ergo theologiam excudere placuit quæ ex revelationibus conſtaret. Nunc videmus quam non ſupervacua fuerit Chriſti admonitio, quod per Spiritum quem miſſurus erat, glorificandus eſſet: ut ſciremus non alias eſſe partes Spiritus ſancti quam ut regnum Chriſti ſtabiliat, & quicquid illi à Patre datum eſt aſſerat ſanciatque in perpetuum. Quorſum igitur Spiritus doctrina? non ut nos abducat à ſchola Chriſti, ſed potius ut rata ſit vox illa qua jubemur ipſum audire. alioqui Chriſti gloriæ detraheret. Additur ratio: *De meo accipiet*, inquit Chriſtus. quibus verbis ſignificat, nos in hunc finem Spiritum recipere ut beneficiis ſuis fruamur. Quid enim nobis confert? Ut abluamur Chriſti ſanguine, ut aboleatur per ejus mortem in nobis peccatum, ut vetus homo noſter crucifigatur, ut valeat ejus reſurrectio ad nos in vitæ novitatem reformandos, denique ut bonorum ejus ſimus participes. Ergo nihil ſeorſum à Chriſto Spiritus nobis confert, ſed à Chriſto ſumit quod in nos transfundat. Idem & de doctrina ſentiendum: neque enim nos illuminat ut abducat vel tantillum à Chriſto, ſed ut compleat quod dicit Paulus, Chriſtum eſſe nobis factum ſapientiam: item 1 Cor. 1.
theſauros illos qui in Chriſto ſunt abſconditi, reſerat. verſ. 30.
In ſumma, non aliis quam Chriſti divitiis nos locupletat Spiritus, ut ejus gloriam per omnia illuſtret.

15. *Quæcunque Pater habet, mea ſunt.*] Quia videri poterat Chriſtus Patri eripere quod ſibi vendicabat, fatetur habere ſe à Patre quicquid per Spiritum nobis communicat. Cæterum quum dicit, *Omnia Patris ſua eſſe*, in perſona Mediatoris loquitur: quia de plenitudine ejus haurire nos oportet. Semper ad nos reſpicit, ut dictum eſt. Atqui videmus ut ſe major pars hominum fallat, quæ præterito Chriſto Deum per vagos circuitus quærit. Alii exponunt commune eſſe Filio quicquid habet Pater, quatenus idem eſt Deus. Sed hic non tam de arcana & intrinſeca (ut ſic loquar) potentia diſſerit quam de injuncto ſibi erga nos officio. Denique ſuas divitias prædicat ut nos ad fruendum invitet: atque inter dona quæ per ejus manum à Patre accipimus, Spiritum recenſet.

16. Pauliſper, & non videtis me: & iterum pauliſper, & videbitis me, quia ego vado ad Patrem.

17. Dixerunt ergo quidam ex diſcipulis ejus inter ſe, Quid eſt hoc quod dicit nobis, Pauliſper, & non videtis me: & iterum pauliſper, & videbitis me? Et, Quod ego vado ad Patrem?

18. Dicebant ergo, Hoc quid eſt quod dicit, Pauliſper? neſcimus quid loquatur.

19. Cognovit ergo Jeſus quod vellent eum interrogare, & dixit eis, De hoc quæritis inter vos quod dixi, Pauliſper, & non videtis me: & iterum pauliſper, & videbitis me.

20. Amen, amen dico vobis, quod plorabitis vos & lugebitis, mundus autem gaudebit: vos autem triſtabimini, ſed triſtitia veſtra in gaudium vertetur.

16. *Pauliſper, & non videtis me.*] Sæpius de ſuo diſceſſu Apoſtolos Chriſtus præmonuit, partim ut eum fortiori animo ferrent, partim ut ardentius expeterent Spiritus gratiam, cujus non magnum deſiderium eos tenebat quamdiu habebant Chriſtum corpore præſentem. Cavendum ergo ne faſtidioſe legamus quod non fruſtra Chriſtus inculcat. Primo dicit ſe illis paulo poſt ereptum iri, ut conſpectu ejus privati in quo ſolo acquieſcebant, non tamen deſinant præſenti eſſe animo. Deinde abſentiæ ſuæ ſubſidium illis promittit: imo teſtatur ſe brevi reſtitutum iri poſtquam ablatus fuerit: ſed alio modo, nempe per Spiritus ſancti præſentiam. Quanquam hoc ſecundum membrum alii ſecus exponunt, Videbitis me quum à mortuis reſurrexero: ſed non niſi ad exiguum tempus: quia mox in cælum recipiar. Sed mihi verba eum ſenſum admittere non videntur, *Pauliſper, & videbitis me.* Quin potius hac conſolatione ſublevat ac mitigat ſuæ abſentiæ mœrorem, quod non diuturna futura ſit: ac ita Spiritus gratiam commendat, per quam illis perpetuo adfuturus ſit. acſi promitteret ſe non multo poſt rediturum, nec longum fore tempus quo ejus conſpectu carebunt. Neque abſurdum exiſtimari debet quod ſe videri dicit dum Spiritu in diſcipulis habitat: nam etſi oculis non cernitur, certo tamen fidei experimento cognoſcitur ejus præſentia. Verum eſt quidem quod docet
2 Cor. 5. Paulus, peregrinari fideles à Domino quamdiu in terverſ. 6. ra verſantur, quia per fidem ambulant, non per aſpectum: ſed æque verum eſt, merito interea gloriari poſſe quod Chriſtum fide habeant in ſe manentem: quod illi adhæreant, ut capiti membra: quod ſpe cælum cum eo poſſideant. Ergo gratia Spiritus nobis ſpeculum eſt in quo aſpici vult Chriſtus: ſecundum illud Pauli, Etiamſi cognoverimus Chriſtum ſecun- 2 Cor. 5.
dum carnem, non tamen amplius cognoſcimus. Si- verſ. 16.
quis in Chriſto, nova creatura. *Quia ego vado ad Patrem.* Alii exponunt non videndum amplius à diſcipulis Chriſtum, quia in cælo futurus ſit, illi autem in terra. ego potius ad ſecundum membrum refero, Videbitis me brevi: quia mors mea non eſt interitus qui me à vobis ſeparet, ſed tranſitus in cæleſtem gloriam, unde ſe divina mea virtus ad vos uſque diffundet. Docere itaque, meo judicio, voluit qualis futura ſit ſua poſt mortem conditio, ut ſpirituali ejus præſentia contenti eſſent, neque putarent quicquam ſibi obeſſe quod non amplius cum ipſis ageret ut mortalis homo.

19. *Cognovit Jeſus.*] Quanquam videtur interdum Dominus ſurdis loqui, ſuorum ruditati ſic tandem ſuccurrit ut non ſit inutilis ejus doctrina. Noſtrum eſt vero dare operam ne ad tarditatem accedat vel ſuperbia vel ignavia, ſed potius humiles nos præbeamus ac diſcendi cupidos.

20. *Plorabitis vos & lugebitis.*] Oſtendit qua de cauſa ſuum diſceſſum inſtare prædixerit, & ſimul promiſſionem addiderit de maturo reditu: nempe ut melius ſcirent quam neceſſarium eſſet Spiritus ſubſidium. Dura, inquit, & ardua tentatio vos manet. nam ubi morte ablatus fuero, mundus ſuos triumphos aget, vos in graviſſimo mœrore eritis: mundus ſe beatum, & vos miſeros judicabit. Volui igitur vos armis neceſſariis ad hanc pugnam inſtruere. Tempus autem medium deſignat inter mortem ſuam & miſſionem Spiritus, quia tunc oppreſſa jacuit quodammodo eorum fides. *Triſtitia veſtra*

in

in gaudium vert. Gaudium intelligit quo præditi fuerunt accepto Spiritu: non quod immunes poſtea fuerant à triſtitia, ſed quod ſpirituali gaudio abſorptum fuerit quicquid ferendum erat triſtitiæ. Scimus Apoſtolos, quamdiu vixerunt, certaſſe duram militiam, indignis probris fuiſſe tractatos, multas habuiſſe luctus cauſas: ſed Spiritu renovati, priorem infirmitatis ſenſum exuerant, ut heroica altitudine facile calcarent quicquid malorum ingerebatur. hic ergo præſens infirmitas cum Spiritus virtute confertur qua mox donandi erant. Nam ad tempus fere obruti, poſtea non modo alacriter pugnarunt, ſed ſplendidum egerunt triumphum in mediis pugnis. Quanquam ſimul notandum eſt, non modo innui tempus medium inter Chriſti reſurrectionem & mortem Apoſtolorum, ſed quod poſtea etiam ſequutum eſt. acſi diceret Chriſtus, Jacebitis ad tempus exiguum tanquam proſtrati: ſed ubi vos erexerit Spiritus, incipiet novum gaudium, quod per continuos progreſſus augebitur, donec recepti in cæleſtem gloriam ſolide gaudeatis.

21. Mulier quum parit, triſtitiam habet, quia venit hora ejus: quum autem peperit filium, non amplius reminiſcitur afflictionis propter gaudium quod natus ſit homo in mundum.

22. Et vos igitur triſtitiam quidem nunc habetis: rurſum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.

23. Et in illa hora me non interrogabitis quicquam. Amen, amen dico vobis, quod quæcunque petieritis à Patre in nomine meo, dabit vobis.

24. Hactenus non petiiſtis quicquam in nomine meo: petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum plenum ſit.

21. *Mulier quum parit, triſtitiam.*] Similitudine proximam ſententiam confirmat, imo clarius ſententiam ſuam exprimit: quod ſcilicet non tantum gaudio mutandus ſit eorum mœror, ſed materiam quoque ac ſegetem gaudii in ſe contineat. Fit ſæpenumero, ubi rebus adverſis ſucceſſit proſperitas, ut homines priſtini doloris obliti, totos ſe in lætitiam effundant: dolor tamen qui præceſſit, non eſt lætitiæ cauſa. Chriſtus autem fructuoſam ſuorum triſtitiam fore ſignificat quam Euangelii cauſa pertulerint. Et certe non alius dolorum omnium quam infelix exitus eſſe poteſt, niſi quum in Chriſto benedicuntur. Sed quia crux Chriſti ſemper incluſam habet in ſe victoriam, merito dolorem qui inde concipitur, Chriſtus ipſe ſimilem facit dolori parturientis fœminæ: qui mercede ſua penſatur dum fœtus in lucem editus puerperam exhilarat. Non quadraret autem ſimilitudo niſi gaudium pareret dolor in Chriſti membris, dum ejus paſſionibus communicant: ſicuti parturitio in muliere cauſa eſt partus. Huc etiam aptanda eſt ſimilitudo, quod quum acerrimus ſit mulieris dolor, cito evaneſcit. Non parva igitur hæc levatio erat diſcipulis, quum dolorem ſuum audirent minime diuturnum fore. Jam ad nos accommodandus eſt hujus doctrinæ uſus. Ex quo Spiritu Chriſti regeniti ſumus, debebat in nobis vigere gaudium quod omnem malorum ſenſum abſtergeret: decebat, inquam, nos puerperis eſſe ſimiles, quæ ſolo fœtus ſui conſpectu ſic moventur ut illis ſuus dolor non doleat. Sed quia primitias tantum accepimus, & quidem valde tenues, vix modicas ſentimus ſpiritualis lætitiæ guttas, quæ dolori noſtro aſperſæ ejus acerbitatem leniant. Et tamen exigua iſta portio clare oſtendit adeo nunquam obrui mœrore qui Chriſtum fide intuentur, ut in extremis malis glorioſe tamen exultent. Interea vero quoniam hæc omnibus creaturis impoſita eſt conditio ut parturiant uſque ad ultimum redemptionis diem, ſciamus nobis quoque gemendum eſſe, donec ex continuis præſentis vitæ miſeriis liberati, fidei noſtræ fructum palam cernamus. In ſumma, puerperis ſimiles ſunt fideles, quatenus in Chriſto renati, jam in cæleſte Dei regnum & beatam vitam ingreſſi ſunt: ſimiles autem gravidis & parturientibus fœminis, quatenus adhuc captivi in carnis ergaſtulo ad felicem illum ſtatum ſuſpirant, qui ſub ſpe latet abſconditus.

22. *Gaudium veſtrum nemo tollet.*] Gaudii pretium non parum auget perpetuitas. nam hinc ſequitur leves eſſe ærumnas & æquo animo tolerandas, quæ momentaneæ ſunt. Porro his verbis admonet Chriſtus quodnam ſit verum gaudium. Neceſſe eſt ut ſuis gaudiis cito privetur mundus, quæ nonniſi in rebus caducis quærit. Ergo ad Chriſti reſurrectionem veniendum, in qua æterna eſt ſtabilitas. *Viſurum* ſe diſcipulos intelligit, quum rurſus eos viſitabit Spiritus ſui gratia, ut perpetuo ejus conſpectu fruantur.

23. *Non interrogabitis quicquam.*] Poſtquam diſcipulis lætitiam promiſit Chriſtus ex invicta fortitudine & conſtantia, nunc alteram Spiritus gratiam qua donandi erant prædicat, nempe tantam intelligentiæ lucem quæ ipſos ad cæleſtia uſque arcana eveheret. Tanta erat tunc in illis tarditas, ut ad minimum quemque ſcrupulum hæſitarent. nam ut pueri alphabetarii verſum unum ſine pluribus remoris non continuant, ita in ſingulis fere Chriſti verbis quædam erat offenſio quæ illorum profectum impediret. Paulo poſt vero Spiritu ſancto illuminati, non amplius remoras ullas paſſi ſunt quin familiaris ac nota illis eſſet Dei ſapientia, ut inoffenſo curſu inter Dei arcana pergerent. Non deſierunt quidem Apoſtoli, etiam quum in ſummum ſapientiæ gradum evecti eſſent, os Chriſti interrogare: ſed hic tantum fit duplicis ſtatus comparatio: acſi diceret Chriſtus eorum ruditatem correctum iri, ut qui in minimis quibuſque nunc ſubſiſtunt, facile ad ſumma uſque myſteria nullo negotio penetrarent. Talis eſt locus Jeremiæ 31:34. Non docebit quiſque proximum ſuum, dicens, Cognoſce Dominum: quia omnes à minimo uſque ad maximum (dicit Dominus) me cognoſcent. Non tollit certe Propheta neque abolet doctrinam, quæ in regno Chriſti maxime vigere debet: ſed ubi divinitus edocti fuerint omnes, craſſæ inſcitiæ negat amplius fore locum, quæ hominum mentes occupat donec illis Sol juſtitiæ Chriſtus per Spiritus ſui radios illuxerit. Porro quum nihil à pueris differrent Apoſtoli, imo truncis magis ſimiles eſſent quam hominibus, quales repente extiterint Spiritus magiſterio edocti, ſatis notum eſt. *Quæcunque petieritis à Patre meo.* Declarat unde illis nova hæc facultas: quia ſcil. ex Deo ſapientiæ fonte quantum opus erit pleno ore haurire illis licebit. acſi diceret, Timendum non eſt ne deſtituamini intelligentiæ dono: quia Pater cum omni bonorum affluentia ad vos large ditandos paratus erit. Cæterum his verbis admonet, non ideo Spiritum promitti, ut quibus promiſſus eſt, illum ignavi ac ſtertentes expectent: ſed potius ut ſedulo intenti ſint ad petendam gratiam quæ offertur. In ſumma, pronunciat ſe tunc ita functurum eſſe Mediatoris officio, ut liberaliter & ſupra votum illis impetret à Patre quicquid petierint. Sed hic exoritur difficilis quæſtio, An tunc primum cœperit invocari Deus Chriſti nomine, qui nunquam aliter hominibus propitius eſſe potuit quam in Mediatoris

gratiam. Tempus futurum deſignat Chriſtus, quo daturus ſit cæleſtis Pater diſcipulis quicquid nomine ſuo petierint. Si hæc nova eſt ac inſolita gratia; colligi poſſe videtur, quamdiu in terris verſatus eſt, nondum egiſſe Advocati partes, ut per ipſum gratæ eſſent Deo fidelium preces. quod etiam mox clarius exprimit: *Hactenus*, inquit, *non petiiſtis quicquam in nomine meo.* Atqui probabile eſt, Apoſtolos orandi regulam quæ in Lege præſcripta erat ſervaſſe. Scimus autem Patres non ſine Mediatore orare ſolitos, quum tot exercitiis ipſos Deus ad talem orandi formam aſſuefaceret. Videbant ſummum Pontificem in Sanctuarium ingredi totius populi nomine: videbant quotidie ſacrificia immolari, ut ratæ eſſent coram Deo Eccleſiæ preces. Erat igitur hoc unum ex fidei principiis, temere & fruſtra Deum invocari niſi Mediatore interpoſito. Jam vero Chriſtus eum ſe eſſe ſatis teſtatus fuerat diſcipulis: ſed tam obſcura erat cognitio ut preces ſuas nondum rite ad ejus nomen formare poſſent. Nec vero quicquam in eo eſt abſurdi quod Deum precati ſint ſub Mediatoris fiducia ex Legis præſcripto, nec tamen plane & liquido intellexerint quidnam hoc ſibi vellet. Adhuc extentum erat templi velum, Dei majeſtas ſub umbra Cherubim abſcondita erat, nondum cæli Sanctuarium ingreſſus erat verus Sacerdos ut pro ſuis intercederet, nondum ſanguine ſuo viam dedicaverat. non igitur mirum ſi Mediator non fuit agnitus, ſicuti nunc, ex quo in cælo pro nobis apud Patrem apparet, ſacrificio ſuo eum nobis reconcilians, ut audeamus nos miſeri homunciones illuc cum fiducia prodire. Nam certe Chriſtus peracta expiatione in cælum receptus, Mediatorem ſe palam oſtendit. Cæterum notanda eſt tam frequens repetitio hujus particulæ, quod nos in Chriſti nomine orare deceat: ut ſciamus impiam eſſe profanationem nominis Dei quum quis ipſo præterito ſiſtere ſe audet ad Dei tribunal. Quod ſi animis noſtris probe infixa erit hæc perſuaſio, Deum nobis libenter & large daturum eſſe quicquid Filii nomine petierimus, non advocabimus hinc inde diverſos patronos in ſubſidium, ſed uno illo contenti erimus qui toties ac tam benigne ſuam operam nobis defert. Porro dicimur *orare in Chriſti nomine* quum illum nobis Advocatum ſtatuimus, qui gratiam apud Patrem conciliet, etiamſi nomen ejus labiis diſerte non exprimimus.

24. *Petite.*] Hoc ad tempus manifeſtationis refertur quæ paulo poſt futura erat. Quo minus excuſabiles hodie ſunt qui fictis Sanctorum patrociniis hanc doctrinæ partem obſcurant. Veterem populum oportuit oculos ad umbratilem ſuum Pontificem & pecudum victimas convertere quoties precari vellet. Nos igitur pluſquam ingrati, niſi ſenſus omnes in verum Sacerdotem defixos tenemus, qui propitiator nobis eſt exhibitus, per quem nobis facilis & pervius ſit aditus ad thronum gloriæ Dei. Addit poſtremo, *Ut gaudium veſtrum plenum ſit*; quo ſignificat nihil ad perfectam bonorum omnium copiam, nihil ad ſummam votorum, nihil ad tranquillam ſatietatem defore, ſi modo in ſuo nomine à Deo poſtulemus quicquid nobis opus eſt.

25. Hæc in proverbiis loquutus ſum vobis: ſed venit hora quando non amplius in parabolis vobiſcum loquar, ſed palam de Patre annunciabo vobis.

26. In illa hora in nomine meo petetis. & non dico vobis quod ego rogabo Patrem pro vobis:

27. Ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis quod ego à Deo exivi.

28. Exivi à Patre, & veni in mundum: rurſus relinquo mundum, & proficiſcor ad Patrem.

25. *Hæc in proverbiis.*] Conſilium Chriſti eſt animos addere diſcipulis, ut de meliore profectu bene ſperantes non putent inutilem eſſe quam audiunt doctrinam, quamvis in ea non multum aſſequantur. Poterat enim illis obrepere ſuſpicio, Chriſtum nolle intelligi, ac de induſtria ipſos tenere ſuſpenſos. Brevi igitur fore denunciat ut doctrinæ fructum ſentiant, quæ ſua obſcuritate faſtidium in eorum animis creare poterat. משל Hebræis proverbium interdum ſignificat: quia autem proverbia ut plurimum figuras & tropos continent, inde fit ut Hebræi משלים appellent ænigmata, vel inſignes ſententias, quæ Græcis ἀποφθέγματα vocantur, quæ aliquid ambiguum vel obſcurum fere habent. Senſus ergo eſt, Nunc figurate vobiſcum, & non ſimplici planaque oratione loqui videor: ſed brevi loquar vobiſcum familiarius, ut nihil ſit vobis in mea doctrina perplexum aut difficile. Nunc videmus quod jam attigi, animari diſcipulos majoris profectus fiducia, ne doctrinam abjiciant, quia nondum intelligunt quid ſibi velit. Niſi enim ſpes proficiendi nos accendat, diſcendi ſtudium frigere neceſſe eſt. Cæterum res clare oſtendit, Chriſtum non ænigmatice loquutum eſſe, ſed facili adeoque craſſo dicendi genere uſum apud diſcipulos. ſed tanta erat eorum ruditas ut attoniti ex ore ejus penderent. Quare iſta obſcuritas non tam in doctrina fuit quam in eorum mentibus. Et certe idem nobis hodie accidit: nam ſermo Dei non fruſtra hoc elogio ornatur quod ſit lux noſtra: ſed ejus fulgorem tenebræ noſtræ ſic obnubilant, ut putemus nos meras allegorias audire.
Jeſ. 28. verſ. 11. Nam ſicuti minatur per Prophetam ſe barbarum fore incredulis & reprobis, acſi blæſis eſſet labiis: & Paulus Euangelium dicit abſconditum eſſe talibus, quia *2 Cor 4. verſ. 3.*
eorum mentes excæcavit Satan: ita infirmis & rudibus magna ex parte confuſum aliquid ſonat, ut non poſſit intelligi. Nam etſi non prorſus tenebricoſæ ſunt eorum mentes, ſicut infidelium: ſunt tamen velut nebulis implicitæ. Et Dominus, ut nos propriæ inopiæ ſenſu humiliet, ita ad tempus ſtupere patitur: ſed quos Spiritu ſuo illuminat, ita proficere facit ut illis familiaris ac notus ſit ille ſermo. Atque huc ſpectat poſterius membrum, *Venit hora* (hoc eſt, mox ventura eſt) quando non loquar vobiſcum amplius figurate. Certe non alia docuit Spiritus Apoſtolos quam quæ audierant ex ore ipſius Chriſti: ſed irradians eorum corda, tenebras eorum diſcuſſit, ut Chriſtum quaſi novo & diverſo modo loquentem audientes, mentem ejus facile caperent. Quum dicit *annunciaturum ſe de Patre*, ſcopum hunc ſuæ doctrinæ eſſe admonet ut nos ad Deum adducat, in quo poſita eſt ſolida felicitas. Sed reſtat una quæſtio, quomodo alibi dicat datum eſſe diſcipulis noſſe myſteria regni Dei, quibus hic fatetur ſe ænigmatice loquutum. nam illic (hoc eſt, Mat. 13: 11.) diſcrimen ſtatuit inter eos & reliquum vulgus, quod in parabolis apud vulgus loquatur. Reſpondeo, non fuiſſe tantam in Apoſtolis ruditatem quin tenuiter ſaltem guſtarent quid vellet magiſter. Ita non ſine cauſa eos è grege cæcorum eximit. Nunc ſermonem ſuum illis hactenus allegoricum fuiſſe dicit, præ illa conſpicua intelligentiæ luce quam mox per Spiritus ſui gratiam illis daturus erat. Utrumque igitur verum, quod longe excellerent ſuper eos quibus inſipidus erat Euangelii ſermo: & tamen adhuc alphabetarii eſſent reſpectu novæ ſapientiæ quam illis Spiritus attulit.

26. *In*

26. *In illa hora.*] Iterum cauſam repetit cur tam liberaliter tunc aperiendi ſint cæleſtes theſauri, quia ſcilicet in nomine Chriſti petens quicquid ſibi opus erit: Deus autem nihil quod Filii ſui nomine petetur negabit. Sed videtur eſſe in verbis diſſidium: ſubjicit enim continuo poſt Chriſtus, ſupervacuum fore ut Patrem ipſe roget. Quorſum autem attinet ipſius nomine precari, niſi ſuſcipiat patroni munus? Et Joannes alibi eum nominat Advocatum noſtrum. Paulus etiam teſtatur eum nunc pro nobis intercedere. Idem confirmat auctor Epiſtolæ ad Hebræos. *1 Joan. 2. verſ. 1. Rom. 8. verſ. 34. Heb. 7. verſ. 25.* Reſpondeo, non ſimpliciter hoc loco negare Chriſtum ſe interceſſorem fore: ſed hoc tantum velle, tam propenſum fore erga diſcipulos Patrem ut ſine ulla difficultate ſponte daturus ſit quicquid precati fuerint. Occurret Pater, inquit, ac pro immenſo erga vos ſuo amore patronum, qui alioqui pro vobis verba eſſet facturus, præveniet. Cæterum quum dicitur intercedere Chriſtus pro nobis apud Patrem, nihil de ipſo carnale imaginemur, acſi ad Patris genua procumbens preces ſuppliciter conciperet: ſed virtus ſacrificii quo ſemel Deum nobis placavit, ſemper vigens & efficax; ſanguis quo expiavit peccata noſtra, obedientia quam præſtitit, continua eſt pro nobis interceſſio. Inſignis eſt hic locus, quo docemur cor Dei nos tenere ſimulac Filii nomen illi oppoſuimus.

27. *Quia vos me amaſtis.*] Monemur his verbis, unicum eſſe vinculum noſtræ cum Deo conjunctionis, ſi Chriſto conjuncti ſimus. conjungimur autem fide non ficta, ſed quæ ex ſincero affectu naſcitur, quem *amoris* nomine deſignat. neque enim pure in Chriſtum credit niſi qui illum ex animo amplectitur: quare hoc verbo vim & naturam fidei bene expreſſit. Verum ſi tunc demum amare nos Deus incipit ex quo Chriſtum dileximus, ſequitur à nobis eſſe initium ſalutis: quia Dei gratiam prævenimus. Atqui huic ſententiæ reclamant plurima Scripturæ teſtimonia. Promiſſio Dei eſt, Faciam ut me diligant. Et Joannes dicit, Non quod priores dilexerimus eum. *1 Joan. 4. verſ. 10.* Supervacuum eſſet plures locos colligere: quia nihil hac doctrina certius, Dominum vocare quæ non ſunt, ſuſcitare mortuos, alienis ſe adjungere, formare corda carnea ex lapideis, apparere iis à quibus non quæritur. Reſpondeo, homines ante vocationem, ſi ſunt ex electis, arcano modo à Deo amari, qui ſuos omnes diligit antequam creati ſint: ſed quia nondum reconciliati ſunt, merito cenſeri Dei inimicos, ſicut & Paulus loquitur. *Rom. 5. verſ. 10.* Secundum hanc rationem hic dicimur amari à Deo dum Chriſtum diligimus: quia pignus habemus paternæ ejus dilectionis, quem ante horruimus ut judicem nobis infeſtum.

28. *Exivi à Patre.*] Hæc loquutio divinam in Chriſto virtutem nobis commendat. neque enim firma in illum conſtaret fides niſi divinam ejus potentiam apprehenderet. Parum enim aut nihil mors ejus & reſurrectio, duæ fidei columnæ, nos juvarent, niſi cæleſtis virtus illis annexa eſſet. Nunc tenemus qualiter nos deceat Chriſtum amplecti: ita ſcilicet ut conſilium & virtutem Dei, cujus manu nobis offertur, fides noſtra reputet. Neque enim frigide accipiendum eſt quod exierit à Deo: ſed ſimul tenendum eſt quorſum vel in quem finem exierit, nempe ut eſſet nobis ſapientia, ſanctificatio, juſtitia & redemptio. Secundo membro, quod mox ſubjicit, notatur virtutis perpetuitas. Poterant enim cogitare diſcipuli, temporale illud eſſe beneficium quod Redemptor mundo eſſet miſſus. Dixit ergo ſe redire ad Patrem, ut certo ſtatuant nihil eorum bonorum quæ attulit, ſuo diſceſſu excidere: quia ex cæleſti ſua gloria mortis & reſurrectionis ſuæ vim & effectum in mundum effundat. Mundum ergo reliquit quum infirmitates noſtras exuens in cælum receptus eſt: ſed viget nihilominus erga nos ejus gratia: quia ſedet ad Patris dextram, ut potiatur totius mundi imperio.

29. Dicunt ei diſcipuli ejus, Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis.

30. Nunc novimus quod noveris omnia, & non habes opus ut quis te interroget: in hoc credimus quod à Deo exiſti.

31. Reſpondit illis Jeſus, Nunc creditis?

32. Ecce ventura eſt hora, & nunc venit qua diſpergamini quiſque in ſua, & me relinquatis ſolum. quanquam non ſum ſolus: quia Pater mecum eſt.

33. Hæc loquutus ſum vobis, ut in me habeatis pacem. in mundo tribulationem habebitis: ſed confidite, ego vici mundum.

29. *Dicunt ei diſcipuli.*] Hinc apparet quam efficax fuerit conſolatio, quia dejectos prius & fractos animos ſubito in magnam alacritatem erexit: & tamen certum eſt, minime adhuc aſſequutos eſſe diſcipulos quid valeret Chriſti ſermo. Sed quamvis ejus nondum capaces eſſent, ſolus odor eos recreavit. Quod exclamant Magiſtrum *palam loqui & abſque figura*, in eo quidem modum excedunt: ex animi tamen ſenſu teſtantur quod res eſt. Quod nos quoque hodie experimur. nam qui pauxillum tantum guſtavit ex Euangelii doctrina, magis accenditur, & plus longe ſentit energiæ in exiguo fidei modulo, quam ſi totus Plato illi cognitus eſſet. Imo gemitus quos Spiritus Dei excitat in cordibus piorum, luculenti ſunt teſtes Deum arcano modo ſupra eorum captum operari. Nam alioqui Paulus non vocaret ipſos inenarrabiles. *Rom. 8. verſ. 26.* Sic habendum eſt, Apoſtolos ſenſiſſe aliquid profectus, ut vere teſtari poſſent non prorſus ænigmatica jam ſibi eſſe Chriſti verba: ſed in eo fuiſſe deceptos, quod ſibi plus æquo ſapere videbantur. Inde autem error, quod neſciebant quale futurum eſſet Spiritus donum. Exultant ergo ante tempus, perinde acſi quis nummo uno aureo divitem ſe putaret. Colligunt ex quibuſdam ſignis, Chriſtum à Deo prodiiſſe: perinde gloriantur acſi nihil amplius deeſſet. Atqui ab ea notitia longe adhuc aberant, quamdiu non tenebant qualis ſibi futurus in poſterum eſſet Chriſtus.

31. *Nunc creditis?*] Quia ſibi nimium placebant diſcipuli, eos admonet Chriſtus, ut infirmitatis ſuæ memores, potius ſe intra modulum ſuum contineant. Nunquam autem ſatis probe agnoſcimus quid nobis deſit, & quantum à fidei plenitudine diſtemus, quouſque ad ſerium aliquod experimentum ventum eſt. Nam res ipſa tunc oſtendit quam debilis fuerit fides quam putabamus plenam eſſe. Huc revocat Chriſtus diſcipulos, ac brevi fore pronunciat ut ipſum relinquant. Eſt enim perſequutio inſtar Lydii lapidis ad probandam fidem: cujus parvitas dum apparet, trepidare incipiunt & ſe contrahere qui prius inflati erant. Ergo interrogatio Chriſti eſt ironica: acſi dixiſſet, Itane vos jactatis quaſi fide referti? Atqui inſtat examen quod vacuitatem veſtram prodet. Sic coërcenda eſt noſtra ſecuritas dum nimis exultat. Sed videri poſſet, vel nullam prorſus fuiſſe fidem in diſcipulis, vel tunc fuiſſe extinctam quum relicto Chriſto huc illuc diſperſi ſunt. Reſpondeo, utcunque dejecta fuerit ac veluti ſuccubuerit fides, tamen fuiſſe aliquid reſiduum unde poſtea novi ſurculi pullularent.

32. *Non ſum ſolus.*] Hæc correctio addita eſt, ut ſciamus Chriſto nihil derogari dum ab hominibus

Digitized by Google

relinquitur. Nam quum in ipſo fundata ſit ejus veritas & gloria, neque à mundi fide pendeat: ſi contingat ipſum à toto mundo deſeri, manet nihilominus integer: quia Deus eſt, non alieno ſubſidio indigens. Quod dicit *Patrem ſecum fore*, perinde valet atque Deum ab ejus parte ſtaturum, ut minime opus habeat quicquam ab hominibus mutuari. Hoc quiſquis probe meditatum habebit, vel toto mundo nutante firmus conſiſtet, nec ejus fidem evertet aliorum omnium defectio. Nec enim Deo tribuimus juſtum honorem niſi ſolus ipſe nobis ſufficiat.

33. *Hæc loquutus ſum vobis.*] Rurſus inculcat quam neceſſariæ ſint conſolationes quibus fuerat apud ipſos uſus. Probat autem hac ratione, quod eos in mundo plurimæ ærumnæ & tribulationes maneant. Notanda igitur primum hæc admonitio, ut ſtatuant omnes pii multis miſeriis vitam ſuam ſubjectam fore, ut ſe ad tolerantiam comparent. Quum ergo inſtar maris tumultuoſi nobis ſit mundus, non alibi quam in Chriſto reperietur vera pax. Jam ejus fruendæ modus quem hic definit, notandus eſt. Dicit *pacem habituros* ſi in hac doctrina profecerint. Volumus ergo in mediis afflictionibus tranquillas habere & ſolutas mentes? attenti ſimus ad hanc Chriſti concionem quæ nobis pacem in ipſo conferet. *Confidite.* Sicuti variis afflictionibus torporem noſtrum corrigi decet, ac nos expergefieri ad quærendum malorum remedium: ita non vult Dominus nos animis frangi, ſed potius alacriter pugnare. quod fieri non poteſt niſi de ſucceſſu certi ſimus: nam ſi dubio eventu pugnandum ſit, totum ſtudium noſtrum mox concidet. Ergo Chriſtus ad certamen nos vocans, certa victoriæ fiducia inſtruit: quamvis adhuc nobis ſudandum ſit. Porro quia ſemper in nobis multa eſt trepidandi materia, hac ratione fidendum eſſe docet: quia ipſe non ſibi privatim, ſed noſtra cauſa mundi fuerit victor. Ita fiet ut in nobis fere oppreſſi, magnificæ illius gloriæ intuitu, ad quam caput noſtrum emerſit, tuto poſſimus quicquid malorum nobis incumbit deſpicere. Proinde ſi Chriſtiani eſſe cupimus, minime nobis à cruce quærenda eſt immunitas: ſed hoc uno contenti ſimus, quod ſub Chriſti auſpiciis militantes, etiam in ipſo conflictu, ſumus tamen extra periculum. *Mundi* nomine complectitur hic Chriſtus quicquid adverſum eſt piorum ſaluti: præſertim vero corruptelas omnes quibus ad ſtruendas nobis inſidias abutitur Satan.

CAP. XVII.

HÆc loquutus eſt Jeſus, ac ſuſtulit oculos ſuos in cælum, & dixit, Pater, venit hora, glorifica Filium tuum, ut & Filius tuus glorificet te.

2. Quemadmodum dediſti illi poteſtatem omnis carnis: ut omnibus quos dediſti ei, det vitam æternam.

3. Hæc autem eſt æterna vita, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.

4. Ego te glorificavi ſuper terram, opus conſummavi quod dederas mihi ut facerem.

5. Et nunc glorifica me tu Pater apud teipſum gloria quam habui apud te priuſquam mundus eſſet.

1. *Hæc loquutus eſt Jeſus.*] Poſtquam de tolerantia crucis concionatus eſt Dominus ad diſcipulos, conſolationes propoſuit quibus innixi perſiſterent. Promiſſo Spiritus adventu illos in ſpem meliorem invexit: ac de regni ſui gloria & ſplendore diſſeruit. Jam convertit ſe ad preces, idque merito: friget enim doctrina niſi divinitus efficax reddatur. Proinde exemplum doctoribus proponit, ne tantum ſpargendo verbo impendant operam, ſed precibus quoque admiſtis, Dei opem implorent, ut ejus benedictio fructuoſum reddat eorum laborem. In ſumma, hæc Chriſti precatio quaſi obſignatio fuit ſuperioris doctrinæ: tum ut in ſe rata eſſet, tum ut certam haberet fidem apud diſcipulos. Quod Joannes narrat *ſublatis in cælum oculis* Chriſtum oraſſe, id ardoris & vehementiæ non vulgaris ſignum fuit. vere enim hoc geſtu Chriſtus teſtatus eſt animi affectu ſe in cælo eſſe potius quam in terra, ut relictis hominibus familiare haberet cum Deo colloquium. Cælum autem reſpexit, non quod illic incluſus ſit Deus, qui terram quoque implet: ſed quia illic præcipue apparet ejus majeſtas. Deinde quia cælorum conſpectus nos admonet ſupra omnes creaturas longe eminere Dei numen. Eodem pertinet manuum elevatio in precibus. nam quum pigri ſint natura homines ac tardi, terreſtreque ingenium eos deorſum inclinet, opus habent talibus excitamentis, imo vehiculis, quæ ad Deum ipſos extollant. Cæterum ſi vere Chriſtum imitari cupimus, cavendum eſt ne plus exprimant ceremoniæ quam ſit in animo: ſed interior affectus oculos, manus, linguam, & quic-
Luc. 18. *verſ.* 13. quid eſt, impellat. Quod Publicanus dejectis oculis rite Deum oravit, non eſt huic ſententiæ contrarium. Nam etſi peccatis ſuis confuſus ſe dejecit, non obſtitit tamen illa humilitas quin veniam peteret cum fiducia. Chriſtum precari aliter decuit, qui nihil habebat pudore dignum. Deinde certum eſt Davidem ipſum aliter atque aliter diverſis temporibus precatum eſſe prout res ferebat. *Pater venit hora.* Petit Chriſtus illuſtrari ſuum regnum, ut viciſſim ipſe Patris gloriam illuſtret. Dicit horam veniſſe, quia tametſi patefactus miraculis & omni virtutum genere Filius Dei fuerat, adbuc tamen obſcurum erat ſpirituale ejus regnum, quod paulo poſt effulſit. Siquis objiciat, nihil minus glorioſum fuiſſe Chriſti morte, quæ tunc inſtabat: reſpondeo, in morte illa nobis conſpicuum eſſe immenſum decus quod impiis eſt abſconditum: quia illic agnoſcimus expiatis peccatis mundum Deo reconciliatum eſſe, abolitam maledictionem, Satanam devictum. Atque huc ſpectat votum Chriſti, ut cæleſtis Spiritus potentia mors ſua fructum proferat qualis æterno Dei conſilio fuerat decretus. Horam enim veniſſe dicit, non quæ hominum arbitrio ſit præfixa, ſed quam Deus ſtatuerat. Nec tamen ſupervacua eſt precatio: quia ſic pendet Chriſtus à Dei voluntate, ut tamen ſibi optandum eſſe noverit quod ille certo futurum pollicitus eſt. Facturus quidem eſt Deus quicquid decrevit, non modo ſtertente toto mundo, ſed etiam repugnante: verum interea noſtrum eſt, quæcunque promiſit ab eo petere: quia hic promiſſionum eſt uſus ut nos ad precandum ſollicitent. *Ut & Filius tuus glorificet te.* Significat mutuam eſſe illuſtrationem gloriæ ſuæ & Patris. quorſum enim apparet Chriſtus niſi ut nos ad Patrem ducat? Unde ſequitur, quicquid honoris defertur Chriſto, Patris honorem adeo non minuere ut magis ſtabiliat. Tenendum ſemper memoria eſt quam perſonam hoc loco ſuſtineat Chriſtus: neque enim ſola ejus æterna divinitas nobis conſideranda eſt: quia loquitur quatenus Deus erat manifeſtatus in carne, & pro Mediatoris officio.

2. *Quem-*

2. *Quemadmodum dediſti illi.*] Iterum confirmat nihil ſe niſi Patris voluntati conſentaneum petere: ſicuti hæc perpetua eſt orandi regula, non plus petere quam quod ultro daturus eſſet Deus. quia nihil magis præpoſterum quam proferre coram ipſo quicquid nobis libuit. *Poteſtas omnis carnis*, imperium ſignificat quod Chriſto datum eſt quum Parer illum Regem & caput conſtituit: ſed finis norandus eſt, nempe ut *vitam æternam* ſuis omnibus conferat. Imperium ergo accepir Chriſtus non tam ſibi quam ſalutis noſtræ cauſa. Sponte ergo nos ſubjicere Chriſto convenit, non tantum ut pareamus Deo, ſed quoniam hac ſubjectione nihil magis amabile, quum nobis vitæ æternæ ſit cauſa. Cæterum non dicit Chriſtus ſe toti mundo præfectum eſſe ut vitam omnibus promiſcue conferat: ſed gratiam hanc reſtringit ad eos *qui ſibi dati ſunt*. Quomodo autem dati? nam & reprobos Pater illi ſubjecit. Reſpondeo, ſolos electos ex peculiari eſſe ejus grege, cujus cuſtodiam tanquam paſtor ſuſcepit. Ergo regnum Chriſti ad omnes quidem homines extenditur, ſed nonniſi ſolis electis eſt ſalvificum, qui voluntario obſequio ſequuntur vocem Paſtoris: alios enim parere ſibi violenter cogit, donec tandem ſceptro ferreo penitus eos conterat.

3. *Hæc autem eſt æterna vita*] Nunc modum donandæ vitæ definit, quum ſcilicet electos illuminat in veram Dei notitiam. neque enim de fruitione vitæ quam ſperamus hic tractat, ſed tantum quomodo perveniunt homines ad vitam. Atque ut hæc ſententia probe intelligatur, primo tenendum eſt, nos omnes in morte eſſe donec illuceat nobis Deus, qui ſolus vita eſt: ubi autem illuxit, quia fide eum poſſidemus, ſimul ingredimur in vitæ poſſeſſionem. Hinc fir ut ejus cognitio vere & merito dicatur eſſe ſalvifica. Porro ſingulis fere verbis ſuum ineſt pondus: neque enim quælibet hic notatur Dei cognitio, ſed quæ nos in imaginem Dei transformat ex fide in fidem: imo eadem eſt cum fide qua inſiti in Chriſti corpus, divinæ adoptionis conſortes & cælorum hæredes efficimur. Quia autem nonniſi in Chriſti facie cognoſcitur Deus, qui viva eſt atque expreſſa ejus imago, ideo dicitur, *Ut cognoſcant te, & Chriſtum quem miſiſti.* Nam quod priore loco ſtatuitur Pater, non refertur ad ordinem fidei, quaſi mens noſtra Deo cognito ad Chriſtum poſtea deſcendat: ſed ſenſus eſt, Deum Mediatore demum interpoſito cognoſci. Adduntur duo epitheta *veri* & *ſolius*: quia neceſſe eſt primum ut Deum fides ab hominum vanis figmentis diſcernat, ac firma certitudine eum amplexa, nuſquam flectatur aut vacillet; deinde ut ſtatuens nihil eſſe in Deo mutilum nec imperfectum, unico ipſo contenta ſit. Quod nonnulli ita reſolvunt, Cognoſcant te, qui ſolus es Deus: frigidum eſt. ſenſus ergo eſt, Solum te agnoſcant pro vero Deo. Sed videtur hoc modo Chriſtus ſibi abdicare divinitatis jus & nomen. Siquis reſpondeat, Dei nomen Chriſto ſimiliter ut Patri aptandum eſſe, eadem de Spiritu ſancto quæſtio movebitur. Nam ſi Pater tantum & Filius unus ſunt Deus, ab hoc gradu depellitur Spiritus; quod peræque abſurdum eſt. Solutio facilis eſt, ſiquis ad rationem loquendi attendat quam paſſim in Euangelio Joannis tenet Chriſtus, de qua jam ſupra toties admonui lectores ut aſſueſcere debuerint. Chriſtus in hominis forma apparens, ſub Patris perſona Dei potentiam, eſſentiam & numen deſignat. Unus ergo verus eſt Deus Chriſti Pater: hoc eſt, Deus ille qui pridem mundo Redemptorem promiſerat, unus eſt. Sed in Chriſto reperietur Deitatis unitas & veritas: quia ideo humiliatus fuir Chriſtus ut nos in altum eveheret. Ubi eo perventum eſt, tunc divina ejus majeſtas ſe profert: tunc ipſe totus in Patre, & totus in eo Pater agnoſcitur. In ſumma, qui Chriſtum à Patris divinitate ſeparat, eum nondum agnoſcit qui ſolus eſt verus Deus: ſed potius alienum ſibi Deum fabricat. Ideo jubemur Deum cognoſcere, & Chriſtum quem miſit, per quem velut porrecta manu nos ad ſe invitat. Quod videtur quibuſdam iniquum eſſe ſi ob ſolam Dei ignorantiam pereant homines, inde fit quia non reputant penes ſolum Deum eſſe vitæ fontem, & quicunque ab eo alieni ſunt vita privari. Jam ſi ad Deum non acceditur niſi fide, infidelitas neceſſario in morte nos detinet. Siquis objiciat, juſtis alioqui & innocentibus fieri injuriam ſi damnantur: reſponſio in promptu eſt, nihil in hominibus eſſe recti vel ſinceri quamdiu in natura ſua manent. Renovamur autem, teſte Paulo, in imaginem Dei, per cognirionem. *Coloſ. 3. verſ. 10.* Nunc tria capita ſimul colligere operæpretium eſt, quod Chriſti regnum, vitam, & ſalutem afferat. Secundo, quod non omnes inde vitam percipiant; neque etiam Chriſti officium ſit vitam omnibus dare, ſed tantum electis quos ejus tutelæ commiſit Pater. Tertio, quod hæc vita in fide poſita ſit, & ea dignetur Chriſtus quos in fidem Euangelii illuminat. Unde colligimus, non omnium commune eſſe illuminationis & cæleſtis ſapientiæ donum, ſed peculiare electis. Verum quidem eſt offerri Euangelium omnibus, ſed hic Chriſtus arcanum & efficacem docendi modum commendat, quo ſoli filii Dei trahuntur ad fidem.

4. *Ego te glorificavi.*] Hoc ideo dicit quia tum in ejus doctrina, tum in miraculis innotuerat Deus mundo. Hæc autem eſt Dei gloria, ſi agnoſcimus qualis ſit. Quum addit *ſe perfeciſſe opus* quod injunctum erat, intelligit ſe defunctum eſſe toto vocationis ſuæ curſu: illud enim maturum fuit tempus quo ipſum recipi deceret in cæleſtem gloriam. Nec tantum de munere docendi loquitur, ſed alias etiam miniſterii ſui partes comprehendit. Nam etſi præcipuum caput adhuc reſtabat, nempe ſacrificium mortis, quo expiaret omnium peccata: quia tamen jam aderat hora mortis, perinde loquitur acſi illam quoque ſubiiſſet. Hæc igitur ſumma eſt, ut à Patre mittatur in poſſeſſionem regni, quandoquidem confecto ſtadio nihil amplius illi reſiduum eſſet niſi ut Spiritus virtute fructum & effectum omnium proferret quæ ex Patris mandato in terra geſſerat: juxta illud Pauli, Exinanivit ſeipſum, forma ſervi accepta. *Philip. 2. verſ. 7.* Propterea extulit illum Pater, & dedit illi nomen &c.

5. *Gloriam quam habui apud te.*] Glorificari apud Patrem optat, non ut Pater intus eum glorificet ſine teſte; ſed ut receptus in cælum, magnifice illic amplitudinem ſuam ac potentiam exerat, ut illi omne genu flectatur, &c. Itaque particula *apud Patrem*, in priore membro, terreſtri & caducæ gloriæ opponitur: quemadmodum Paulus, quum dicit ſemel mortuum peccato, nunc Deo vivere, beatam immortalitatem exprimit. *Rom. 6. verſ. 10.* Poſtea declarat ſe nihil adventitium cupere, ſed tantum ut appareat talis in carne qualis fuit ante conditum mundum: vel (ſi clarius malis) ut divina majeſtas, quam ſemper habuerat, nunc refulgeat in Mediatoris perſona & in carne hominis quam induerat. Inſignis locus, quo docemur Chriſtum minime eſſe novitium vel temporalem Deum. Nam ſi æterna fuit ejus gloria, ipſe quoque ſemper fuit. Adde quod inter ejus & Patris perſonam manifeſta hic diſtinctio ſtatuitur. unde colligimus non modo æternum eſſe Deum, ſed æternum quoque Dei Sermonem, ex Patre ante ſecula genitum.

6. Manifeſtavi nomen tuum hominibus quos dediſti mihi ex mundo. tui erant, & mihi eos dediſti, & ſermonem tuum ſervaverunt.

7. Nunc noverunt quod omnia quæ dediſti mihi, abs te ſunt.

8. Quia

8. Quia verba quæ dediſti mihi, dedi eis, & ipſi receperunt: & noverunt vere quod abs te exivi, & crediderunt quod me miſeris.

9. Ego pro ipſis rogo: non pro mundo rogo, ſed pro iis quos dediſti mihi: quia tui ſunt.

10. Et mea omnia, tua ſunt: & tua, mea: & glorificatus ſum in ipſis.

11. Et non amplius ſum in mundo: ipſi autem in mundo ſunt, & ego ad te venio. Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo quos dediſti mihi, ut ſint unum ſicuti nos.

6. *Manifeſtavi nomen tuum.*] Hic incipit Chriſtus pro diſcipulis ſuis Patrem orare: & quo amoris affectu ſtatim mortem pro ipſis obiturus erat, nunc commendat eorum ſalutem. Prima autem ratio commendandi eſt quod doctrinam amplexi ſunt quæ homines efficit vere Dei filios. Non defuit quidem Chriſto fides & diligentia qua omnes ad Deum vocaret: ſed in electis tantum utilis & efficax fuit ejus labor. Communis omnibus fuit ejus prædicatio quæ Dei nomen manifeſtabat: nec deſtitit etiam apud obſtinatos gloriam ejus aſſerere. Cur ergo ſe paucis tantum manifeſtaſſe dicit, niſi quia ſoli electi Spiritu intus docente proficiunt? Collige ergo, non omnes quibus proponitur doctrina, vere & efficaciter doceri: ſed quorum mentes illuminantur. Cauſam electioni Dei Chriſtus aſſignat: quia non aliud diſcrimen ponit cur aliis præteritis manifeſtaverit quibuſdam Patris nomen, niſi quia ſibi dati erant. Unde ſequitur fidem ex æterna Dei prædeſtinatione manare, & ideo non omnibus promiſcue dari: quia non omnes ad Chriſtum pertinent. Quum addit, *Tui erant, & eos mihi dediſti*, primum his verbis notatur electionis æternitas: deinde quomodo à nobis conſideranda ſit. Declarat Chriſtus, Dei ſemper fuiſſe electos. Eos ergo Deus à reprobis diſcernit non fide aut ullo merito, ſed mera gratia: quia dum maxime ab ipſo alieni ſunt, pro ſuis tamen in arcano conſilio reputat. Certitudo in eo conſiſtit quod Filio tradit in cuſtodiam quoſcunque elegit, ne pereant. Et huc conjicere oculos oportet, ut certo teneamus nos eſſe ex ordine filiorum Dei. nam in ſe abſcondita eſt Dei prædeſtinatio: in ſolo autem Chriſto nobis patefit. *Sermonem tuum ſervaverunt.* Hic tertius eſt gradus. Primus enim eſt electio gratuita: ſecundus autem, donatio illa qua tranſimus in Chriſti tutelam. Recepti à Chriſto, per fidem in ovile aggregamur. Reprobis effluit ſermo Dei, ſed apud electos radicem agit: unde ſervare eum dicuntur.

7. *Nunc noverunt.*] Hic exprimitur quod in fide præcipuum eſt, dum ita in Chriſtum creditur ut fides non ſubſiſtat in carnis aſpectu, ſed divinam ejus virtutem concipiat. Quum enim dicit, *Noverunt abs te eſſe quæcunque mihi dediſti*: intelligit, fideles quicquid habent, ſentire cæleſte eſſe ac divinum. Et certe niſi Deum apprehendimus in Chriſto, perpetuo nos vacillare neceſſe erit.

8. *Et ipſi acceperunt.*] Exprimit modum hujus notitiæ: quia traditam ab ipſo doctrinam receperint. Sed nequis doctrinam ejus putaret humanam eſſe, vel in terra natam, Deum ejus auctorem eſſe profitetur, quum dicit, *Verba quæ dediſti mihi, dedi eis*. Loquitur autem, ſuo more, in Mediatoris vel miniſtri perſona, quum dicit ſe tantum docuiſſe quod à Patre acceperat. Nam quia humilis adhuc erat ipſius in carne conditio, & ſub forma ſervi divina ejus latebat majeſtas, Deum potius ſub Patris perſona deſignat. Interea tenendum eſt quod initio teſtatus eſt Joannes, quatenus Chriſtus æternus erat Dei Sermo, unum fuiſſe ſemper cum Patre Deum. Senſus eſt igitur, Chriſtum fidelem fuiſſe Dei teſtem apud diſcipulos, ut eorum fides nonniſi in una Dei veritate fundata eſſet, quum Pater ipſe in Filio loquutus fuerit. Cæterum inde receptio de qua loquitur, quia efficaciter per Spiritum manifeſtavit illis Patris nomen. *Et cognoverunt vere.* Idem quod prius attigerat, aliis verbis repetit. nam Chriſtum exiiſſe à Patre, & fuiſſe miſſum, tantundem valet atque illud quod præceſſit, à Patre eſſe quæcunque habet. Summa eſt, fidem recta debere Chriſtum intueri: ſed ita ut nihil terrenum vel contemptibile de ipſo ſapiat, ſed ſurſum feratur ad divinam ejus potentiam: ut certo ſtatuat Deum & quicquid Dei eſt, perfecte in ipſo ſe habere. Notandum etiam quod in priore membro *cognoſcendi* verbo utitur: deinde *credendi* verbum uſurpat. nam ita admonet, nihil rite de Deo poſſe cognoſci niſi per fidem: ſed in ipſa fide tantum ſubeſſe certitudinis ut merito ſcientia vocetur.

9. *Ego pro ipſis rogo.*] Hactenus retulit Chriſtus quod gratiam conciliare poterat diſcipulis apud Patrem: nunc precationem ipſam format, in qua oſtendit nihil ſe petere niſi Patris voluntati conſentaneum, quia Patri commendet duntaxat quos ipſe ultro amat. Aperte enim ſe pro mundo orare negat, quia ſollicitus non ſit niſi de proprio grege, quem ex manu Patris accepit. Poſſet tamen videri hoc abſurdum. neque enim melior precandi regula inveniri poteſt quam ſi Chriſtum ducem & magiſtrum ſequamur. Atqui jubemur pro omnibus orare: deinde Chriſtus ipſe indifferenter poſtea pro omnibus oravit, Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Reſpondeo, preces quas pro omnibus concipimus, reſtringi tamen ad Dei electos. Hunc, & illum, & ſingulos optare debemus ſalvos eſſe, atque ita complecti totum humanum genus: quia nondum diſtinguere licet electos à reprobis: interea tamen adventum regni Dei optando, ſimul precamur ut hoſtes ſuos perdat. Hoc tantum intereſt, quod pro omnium ſalute oramus quos cognoſcimus ad imaginem Dei eſſe creatos, & quibus nobiſcum eadem eſt natura: eorum interitum Dei judicio permittimus quos ipſe reprobos eſſe novit. Precationis autem quæ hic refertur, alia fuit quædam ſpecialis ratio, quæ in exemplum trahi non debet. Neque enim ex nudo tantum fidei & charitatis ſenſu Chriſtus orat: ſed adyta cælorum ingreſſus, ante oculos habet arcana Patris judicia, quæ nos latent quamdiu per fidem ambulamus. Porro ex his verbis colligimus, Deum quos viſum eſt ſibi ex mundo deligere vitæ hæredes futuros: ac diſcrimen hoc non haberi ex hominum merito, ſed ex mero illius beneplacito pendere. Nam qui in hominibus ſtatuunt electionis cauſam, à fide incipiant oportet. Diſerte autem pronunciat Chriſtus, Patris fuiſſe qui ſibi dantur. Certum autem eſt ideo dari ut credant, & fidem ex hac donatione fluere. Si fidei origo eſt donatio iſta, & eam ordine ac tempore præcedit electio: quid aliud reſtat niſi ut fateamur gratis eligi quos Deus è mundo vult ſervatos? Jam quum Chriſtus pro ſolis electis oret, neceſſaria eſt nobis electionis fides, ſi ſalutem noſtram Patri velimus ab ipſo commendari. Gravem ergo fidelibus injuriam faciunt, qui electionis notitiam delere conantur ex eorum animis, quod eos Chriſti ſuffragio privant. Refellitur præterea his verbis perverſus eorum ſtupor qui electionis prætextu ſeſe ignaviæ dedunt, quum potius acuere in nobis precandi ſtudium debeat, quemadmodum docet Chriſtus ſuo exemplo.

10. *Et mea omnia, tua ſunt.*] Huc pertinet prius membrum, quod certo exaudiendus ſit à Patre. Non alios, inquit, tibi commendo niſi quos pro tuis agnoſcis;

agnoſcis: quia nihil habeo abs te ſeparatum: repulſam igitur non patiar. Secundo membro oſtendit juſtam ſibi eſſe cauſam cur electos curæ habeat: quia ſui ſint, ex quo ſunt Patris. Omnia hæc ad fidei noſtræ confirmationem dicta ſunt. Salus non alibi quam in Chriſto nobis eſt quærenda. Chriſto non erimus contenti niſi ſciamus nos in illo Deum poſſidere. Tenenda eſt igitur unitas iſta Patris cum Filio, quæ facit ut nihil inter ſe diviſum habeant. Secundo membro cohæret quod ſubjicit, *Se glorificatum eſſe* in diſcipulis: ſequitur enim, æquum eſſe ut viciſſim eorum ſalutem promoveat. atque hoc confirmandæ fidei noſtræ optimum eſt ſymbolum, quod ſalutem noſtram nunquam negliget Chriſtus ſi in nobis glorificatus fuerit.

11. *Nunc non ſum in mundo.*] Alteram cauſam adducit cur tam ſedulo pro diſcipulis oret: quia ſcilicet mox deſtituendi ſint corporali ejus præſentia, ſub qua hactenus quieverant. Quamdiu cum ipſis verſatus erat, non ſecus ac gallina fovebat eos ſub alis ſuis: nunc diſcedens petit à Patre ut eos præſidio ſuo tegat. idque facit eorum reſpectu. Nam eorum trepidationi remedium affert, ut recumbant in Deum ipſum, cui nunc eos quaſi de manu in manum tradit. Hinc autem non parva nobis conſolatio, quum audimus Filium Dei eo magis de ſuorum ſalute ſollicitum eſſe, dum eos relinquit ſecundum corpus. nam inde colligendum eſt, nos hodie quoque, dum in mundo laboramus, ab eo reſpici, ut ex cæleſti ſua gloria noſtris ærumnis ſuccurrat. *Pater ſancte.* In eum finem tendit tota precatio ne animis concidant diſcipuli, quaſi deterior ſit ſua conditio propter corporalem magiſtri abſentiam. Nam quum illis Chriſtus ad tempus datus eſſet cuſtos à Patre, nunc quaſi provincia ſua defunctus, reſtituit eos in Patris manum, ut poſthac ejus auſpiciis ac virtute ſerventur. Summa igitur eſt, quum diſcipulis auferatur carnis Chriſti conſpectus, nihil eos jacturæ facere: quia Deus in ſuam tutelam ipſos recipit, cujus virtus perpetua eſt. Modum ſervandi adſcribit, *Ut ſint unum.* Nam quos ſervare decrevit cæleſtis Pater, eos in ſanctam fidei & Spiritus unitatem colligit. Sed quia non ſatis eſt ſi quovis modo inter ſe homines conſpirent, additur particula, *ſicuti & nos.* Tunc igitur demum felix erit noſtra unitas ſi Dei Patris & Chriſti imaginem referat, quemadmodum cera cui impreſſus eſt annulus, formam ab eo accipit. Cæterum quomodo Pater & Chriſtus unum ſint, paulo poſt exponam.

12. Dum eram cum ipſis in mundo, ego ſervavi eos in nomine tuo. Quos dediſti mihi, cuſtodivi; & nemo ex illis periit, niſi filius perditionis: ut Scriptura impleretur.

13. Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in ſeipſis.

12. *Dum eram in mundo.*] Dicit ſe Chriſtus ſervaſſe eos Patris nomine, quia ſe miniſtrum duntaxat ſtatuit, qui nihil niſi Dei virtute geſſerit atque auſpiciis. Significat ergo, minime eſſe conſentaneum ut nunc pereant, quaſi ſuo diſceſſu extincta ſit Dei virtus, aut emortua. Sed valde hoc abſurdum videtur, quod ſervandi partes Chriſtus Deo reſignat: acſi confecto vitæ curſu deſineret ſuorum eſſe cuſtos. Solutio in promptu eſt, ſermonem hic tantum haberi de viſibili cuſtodia, quæ in Chriſti morte finem accepit: nam ſane quamdiu in terra verſatus eſt, non aliunde virtutem mutuari neceſſe habuit qua diſcipulos ſervaret. ſed totum hoc ad perſonam Mediatoris refertur, qui ſub forma ſervi ad tempus apparuit. Jam vero diſcipulos jubet, ex quo deſtitui externo adminiculo cœperint, recta in cælum ſenſus ſuos attollere. Unde colligimus, Chriſtum hodie non minus ſervare fideles quam olim: ſed diverſo modo: quia divina in eo majeſtas palam refulget. *Quos dediſti mihi.* Rurſum eodem argumento utitur, minime decere ut Pater unquam abjiciat quos Filius ejus mandato uſque ad finem miniſterii ſui ſervavit. acſi diceret, Ego quod mihi injunctum abs te erat, fideliter exequutus ſum ac præſtiti, nequid in manu mea periret: nunc quando tuum depoſitum recipis, tuum eſt proſpicere ut ſalvum maneat. Quod *Judam* excipit, non caret ratione. Nam etſi non erat ex electis & ex germano Dei grege, officii tamen dignitas illam ſpeciem præbebat. nec ſane quiſquam aliter de eo ſenſiſſet quamdiu in tam eximio ordine ſtetit. Eſt igitur quod ad Grammaticam attinet, impropria exceptio: verum ſi rem expendimus, Chriſtum ex communi hominum ſenſu ita loqui oportuit. Cæterum nequis putaret labefactatam fuiſſe in Judæ exitio æternam Dei electionem, ſimul adjecit illum eſſe *perditionis filium.* Quibus verbis ſignificat ruinam ejus (quæ repente coram hominum oculis accidit) fuiſſe divinitus pridem cognitam. nam filium perditionis Hebræi vocant hominem perditum vel exitio devotum. *Ut Scriptura impleretur.* Refertur ad proximum membrum, Excidit Judas, ut impleretur Scriptura. Cæterum perperam quiſpiam inde colligeret, defectionem Judæ Deo potius quam illi eſſe imputandam, quia neceſſitas ei ex vaticinio impoſita fuerit. Neque enim rerum eventus ideo vaticiniis adſcribi debet quia illic prædictus fuerit. Nec ſane aliud denunciant Prophetæ quam quod ipſis quoque tacentibus futurum erat. Non eſt igitur inde petenda rerum cauſa. Fateor quidem nihil accidere niſi divinitus ordinatum: ſed nunc tantum de Scriptura quæſtio eſt, an ejus prædictiones & vaticinia hominibus neceſſitatem afferant. quod jam falſum eſſe monſtravi. Nec vero Chriſti conſilium eſt cauſam exitii Judæ in Scripturam transferre: ſed tantum offendiculi materiam tollere voluit, quod infirmas animas concutere poterat. Tollendi autem ratio eſt, quia jam olim Spiritus Dei ſic fore teſtatus eſſet. nam fere ad res novas & ſubitas expaveſcimus. Valde utilis admonitio, & quæ late patet. Unde enim fit ut hodie major pars hominum ſcandalis ſuccumbat, niſi quia Scripturæ teſtimonia non occurrunt quibus probe Deus ſuos munivit, dum mature prædixit quicquid malorum ac perturbationum viſuri erant?

13. *Hæc loquor in mundo.*] Hic oſtendit Chriſtus non ideo ſe tam ſedulo Patrem oraſſe pro diſcipulis quaſi anxius eſſet de futuro eorum ſtatu, ſed potius ut eorum anxietati remedium afferret. Scimus quantopere propendeant animi noſtri ad externa ſubſidia: ſiqua ſe offerunt, mordicus apprehendimus, nec facile patimur ab illis divelli. Patrem ergo coram diſcipulis precatur Chriſtus; non quia ullis verbis opus ſit, ſed ut illis dubitationem eximat. *Loquor*, inquit, *in mundo*, hoc eſt, ipſis audientibus, ut tranquilla ſint eorum corda. Jam enim in tuto erat eorum ſalus, quum à Chriſto depoſita eſſet in manum Dei. *Gaudium* ſuum nominat, quod diſcipulos oportebat ab ipſo concipere: aut (ſi brevius mavis) cujus ipſe auctor eſt, cauſa & pignus. Nam in nobis nihil niſi terror & inquietudo: in Chriſto autem ſolo pax & hilaritas.

14. Ego

14. Ego dedi illis ſermonem tuum, & mundus eos odio habuit: quia non ſunt ex mundo, ſicuti ego non ſum ex mundo.

15. Non rogo ut tollas eos è mundo, ſed ut ſerves eos à malo.

16. Ex mundo non ſunt, quemadmodum ego non ſum ex mundo.

17. Sanctifica eos in veritate tua: ſermo tuus veritas eſt.

18. Quemadmodum miſiſti me in mundum, ego etiam miſi eos in mundum.

19. Et pro eis ſanctifico meipſum, ut ipſi quoque ſint ſanctificati in veritate.

14. *Ego dedi illis ſermonem tuum.*] Alio nomine commendat Patri diſcipulos, quia propter mundi odium opus babeant ipſius auxilio. Simul cauſam odii aſſignat, quod Dei ſermonem amplexi ſint, quem mundus ferre nequit. acſi diceret, Tuum eſt eos protegere qui propter ſermonem tuum mundo exoſi ſunt. Jam tenendum eſt memoria quod nuper audivimus, finem hujus precationis eſſe ut impleatur Chriſti gaudium in nobis. Quoties ergo ſic accenſus eſt in nos mundi furor ut videamur parum ab interitu abeſſe, ſtatim hunc clypeum opponere diſcamus, quod Deus eos nunquam deſeret qui pro Euangelio laborant. Dicit *non eſſe ex mundo* diſcipulos, quia à mundo ſeparantur quoſcunque Spiritu ſuo regenerat. Non ſinet ergo Deus oves ſuas vagari inter lupos, quin ſe illis paſtorem exbibeat.

15. *Non rogo ut tollas eos.*] Docet in quo piorum conſiſtat ſalus: noo ut omni moleſtia liberati, otium & delicias colant, ſed ut inter media pericula ſalvi tamen maneant Dei auxilio. Neque enim Patrem admonet quidnam expediat, ſed conſulit potius infirmitati ſuorum, ut vota ſua, quæ ut plurimum metas tranſiliunt, hoc quem præſcribit modo temperent. In ſumma, non promittit diſcipulis Patris gratiam quæ eos ſubducat ab omni cura & labore, ſed quæ invictum robur adverſus hoſtes ſuppeditet, neque obrui ſinat ingenti mole certaminum quæ ſuſtinenda illis erunt. Ergo ſi cupimus ſecundum traditam à Chriſto regulam ſervari, non optanda eſt à malis immunitas, nec rogandus Deus ut ſtatim nos in beatam quietem transferat: ſed cootenti ſimus certa victoriæ fiducia, & fortiter malis omnibus interim reſiſtamus, à quibus felicem exitum Chriſtus nobis precatus eſt à Patre. In ſumma, non tollit ſuos Deus è mundo: quia non vult molles eſſe & ignavos: liberat tamen à malo, ne obruantur. Vult enim eos certare, ſed non patitur lethaliter vulnerari.

16. *De mundo non ſunt.*] Iterum ait totum mundum illis infenſum eſſe, quo benignius eos juvet cæleſtis Pater: & ſimul indicat non provenire odium ex eorum culpa, ſed quia Deo & Chriſto infenſus ſit mundus.

17. *Sanctifica eos.*] Sanctificatio iſta regnum Dei ejuſque juſtitiam complectitur, quum ſcilicet nos Spiritu ſuo Deus renovat, & renovationis gratiam confirmat in nobis ac proſequitur uſque ad extremum. Rogat ergo primum ut diſcipulos ſanctificet Pater, hoc eſt, totos ſibi addicat & vendicet tanquam ſacrum peculium. Deinde modum ſanctificationis deſignat: neque id ſine cauſa. phrenetici enim bomines multa quidem de ſanctificatione futiliter garriunt, ſed præterita Dei veritate, per quam ipſe nos ſibi conſecrat. Rurſum quia alii non minus deliri nugantur de veritate, & verbum interea negligunt, diſerte exprimit Cbriſtus non alibi quam in verbo extare veritatem qua filios ſuos Deus ſanctificat. Nam *ſermo* pro Euangelii doctrina capitur, quam ex Magiſtri ore Apoſtoli jam audierant, & cujus mox futuri erant apud alios præcones. In bunc ſenſum tradit Paulus Epheſ. 5:26. mundatam eſſe Eccleſiam lavacro aquæ in verbo vitæ. Deus quidem unus eſt qui ſanctificat: ſed quia Euangelium eſt ejus Rom. 1. potentia in ſalutem omni credenti, quiſquis ab eo verſ. 16. medio recedit, neceſſe eſt ut magis ac magis ſordeſcat. *Veritas* hic per excellentiam pro luce cæleſtis ſapientiæ accipitur, in qua ſe Deus nobis patefacit, ut ad imaginem ſuam nos conformet. Hoc quidem per ſe non efficit externa verbi prædicatio, quam ipſam reprobi impie profanant: ſed meminerimus Chriſtum de electis loqui, quos Spiritus efficaciter per verbum regenerat. Quum autem Apoſtoli non prorſus expertes eſſent bujus gratiæ, colligendum eſt ex Chriſti verbis non primo ſtatim die perfici in nobis ſanctificationem: ſed continuo vitæ curſu nos in ea proficere, donec Deus tandem carne exutos, juſtitia ſua impleat.

18. *Quemadmodum tu me miſiſti.*] Alio argumento precationem ſuam confirmat: quia ſcilicet communis ſecum & eadem ſit Apoſtolis vocatio. Ego, inquit, nunc perſonam illis impono quam hactenus juſſu tuo ſuſtinui. Ergo Spiritus tui virtute inſtrui neceſſe eſt, ut tanto oneri ferendo pares ſint.

19. *Et pro eis ſanctifico meipſum.*] His verbis clarius explicat ex quo fonte fluat illa ſanctificatio quæ per Euangelii doctrinam in nobis peragitur: nempe quia ipſe Patri ſe conſecravit, ut ejus ſanctitas ad nos perveniret. Sicuti enim à primitiis benedictio diffunditur in totum proventum, ita Spiritus Dei nos Cbriſti ſanctitate aſpergit, facitque ejus participes. neque id imputatione ſolum (nam hac ratione dicitur factus nobis eſſe juſtitia) ſed dicitur etiam factus 1 Cor. 1. eſſe nobis ſanctificatio, quia nos in ſua perſona quo- verſ. 30. dammodo Patri obtulit, ut Spiritu ejus renovemur in veram ſanctitatem. Porro ſanctificatio bæc quamvis ad totam Cbriſti vitam pertineat, in ſacrificio tamen mortis ejus maxime illuſtris fuit: quia tunc apparuit verus Sacerdos, qui templum, altare, vaſa omnia, & populum per Spiritus virtutem conſecraret.

20. Non pro ipſis autem rogo tantum, ſed & pro iis qui credituri ſunt per ſermonem eorum in me.

21. Ut omnes unum ſint: quemadmodum tu Pater in me, & ego in te, ut ipſi quoque in nobis unum ſint: ut mundus credat quod tu me miſeris.

22. Et ego gloriam quam dediſti mihi, dedi eis: ut unum ſint, quemadmodum nos unum ſumus.

23. Ego in ipſis, & tu in me: ut ipſi perfecti ſint in unum, & ut cognoſcat mundus quod tu me miſeris, & dilexeris eos ſicut tu me dilexiſti.

20. *Non pro ipſis autem rogo tantum.*] Nunc precationem qua ſolos Apoſtolos hactenus complexus fuerat, longius extendit, nempe ad omnes Euangelii diſcipulos qui futuri erant uſque ad finem mundi. Inſignis certe fiduciæ materia: nam ſi per Euangelii doctrinam credimus in Chriſtum, minime ambigendum eſt quin jam cum Apoſtolis collecti ſimus in fidelem cuſtodiam, nequis noſtrum pereat. Hæc Chriſti precatio tranquillus eſt portus, in quem quiſquis ſe recipit, ſecurus eſt ab omni naufragii periculo.

periculo. Perinde enim valet acſi conceptis ſolennibus verbis juraſſet Chriſtus curæ ſibi ac ſtudio eſſe ſalutem noſtram. Initium autem fecit à ſuis Apoſtolis, ut eorum ſalus, quæ nobis certa eſt, nobis certiorem propriæ ſalutis fidem faceret. Ergo quoties nos aggreditur Satan, opponere hunc clypeum diſcamus, nos Apoſtolis ſacro Filii Dei ore non fruſtra conjunctos eſſe: ut omnium ſalus in eodem quaſi faſciculo incluſa eſſet. Proinde nihil eſt quod nos acrius ad Euangelium amplexandum ſtimulare debeat. Nam ut incomparabile bonum eſt Chriſti manu nos offerri Deo, ut ab interitu ſervemur incolumes: ita merito ejus amorem & curam aliis omnibus præferri decet. Hac in parte prodigioſa eſt mundi vecordia. ſalutem expetunt omnes: indubium ejus obtinendæ modum tradit Chriſtus, à quo ſiquis deflectat, nihil illi bonæ ſpei fit reſiduum. vix tamen centeſimus quiſque recipere dignatur quod tam benigne oblatum erat. Notanda eſt autem loquendi forma. *Pro omnibus* rogat Chriſtus *qui in ipſum credituri ſint.* quibus verbis admonet quod jam aliquoties diximus, fidem noſtram debere in eum aſpicere. Quod proxime ſequitur membrum, *Per eorum ſermonem*, vim ac naturam fidei optime exprimit: & ſimul familiariter nos confirmat, qui ſcimus fidem noſtram io Euangelio per Apoſtolos tradito fundatam eſſe. Ergo ut millies à mundo damnemur, ſufficiat hoc unum, quod Chriſtus in ſuo peculio nos agnoſcit, & Patri commendat. Væ autem Papiſtis, quorum tam longe ab hac regula aberrat fides, ut eos non pudeat execrabilem blaſphemiam vomere, nihil niſi ambiguum & flexiloquum haberi in Scriptura. itaque ſola Eccleſiæ traditio illis credendi magiſtra eſt. Sed nos meminerimus, ſolam à Filio Dei unico judice probari fidem quæ ex Apoſtolorum doctrina concipitur. Porro certum ejus teſtimonium non alibi reperietur quam in ipſorum ſcriptis. Notanda eſt etiam loquutio, *Credere per ſermonem*, quæ ſignificat fidem ex auditu naſci: quia organum quo nos ad fidem trahit Deus, externa eſt hominum prædicatio. Quare Deus proprie fidei auctor eſt: homines autem ipſi, miniſtri per quos creditur. quemadmodum & Paulus docet, 1 Corinth. 3. verſ. 5.

21. *Ut omnes unum ſint*: &c.] Iterum felicitatis noſtræ ſcopum in unitate præfigit: ac merito. Hic enim humani generis eſt interitus, quod à Deo alienatum, in ſe quoque mutilum ac diſſipatum eſt. Contraria ergo eſt ejus inſtauratio, ſi in corpus unum
Epheſ. 4. rite coaleſcat: ſicuti in eo Paulus Eccleſiæ perfectio-
v. 3, 12. nem ſtatuit, ſi inter ſe cohæreant fideles uno Spiritu: & ideo datos fuiſſe Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas & Paſtores dicit, ut corpus Chriſti ædificando inſtaurent, donec perveniatur in unitatem fidei. Ideoque fideles exhortatur ut creſcant in Chriſtum, qui caput eſt: ex quo totum corpus compactum & connexum, per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundum efficaciam, in menſura cujuſque membri, augmentum ſui facit in ædificationem. Proinde quoties de unitate verba facit Chriſtus, veniat nobis in mentem quæ extra ipſum eſt fœda mundi & horribilis diſſipatio. Deinde ſciamus hoc beatæ vitæ eſſe initium, ſi uno Chriſti Spiritu gubernemur omnes ac vivamus. Cæterum tenendum eſt, quoties unum ſe cum Patre eſſe in hoc capite pronunciat Chriſtus, ſermonem non haberi ſimpliciter de divina ejus eſſentia; ſed unum vocari in perſona Mediatoris, & quatenus caput noſtrum eſt. Sic quidem præciſe multi ex Patribus interpretati ſunt, Chriſtum unum eſſe cum Patre, quia æternus ſit Deus: ſed huc eos abripuit contentio cum Arianis ut conciſas ſententias in alienum ſenſum torquerent. Longe autem aliud Chriſti conſilium fuit, quam ad nudam arcanæ ſuæ divinitatis ſpeculationem nos evehere. ſiquidem à fine ratiocinatur, ideo nos debere unum eſſe quia alioqui inanis & infructuoſa eſſet quam habet cum Patre unitas. Ergo ut rite comprehendas quo pertineat iſtud, Chriſtum & Patrem, unum eſſe, cave ne Chriſtum exuas Mediatoris perſona: ſed eum potius conſidera ut eſt Eccleſiæ caput, & membris ſuis conjunge. ita optime ſtabit contextus, ne irrita ſit vel inutilis Filii cum Patre unitas, ejus virtutem oportere in totum piorum corpus diffundi. Unde etiam colligimus, nos unum cum Chriſto eſſe: non quia ſuam in nos ſubſtantiam transfundat, ſed quia Spiritus ſui virtute nobiſcum vitam ſuam & quicquid accepit à Patre bonorum communicet. *Ut credat mundus.* Quidam *mundum* exponunt electos qui tunc adhuc erant diſperſi: ſed quia toto hoc capite Mundi nomen pro reprobis accipitur, magis in diverſam ſententiam inclino. Accedit quod continuo poſt eundem mundum cujus nunc meminit, ab omnibus ſuis ſeparat. *Credendi* autem verbum improprie poſuit Euangeliſta, pro agnoſcere: dum ſcilicet increduli experientia ipſa convicti, cæleſtem ac divinam Chriſti gloriam percipiunt. ita fit ut credendo non credant, quia hic ſenſus uſque ad interiorem animi affectum non penetrat. Atque hæc juſta Dei ultio eſt, ut oculos reprobis perſtringat divinæ gloriæ fulgor, quia ſincero & liquido ejus aſpectu digni non ſunt. Poſtea utitur *cognoſcendi* verbo in eundem ſenſum.

22. *Et ego gloriam quam.*] Obſerva ſic in Chriſto expreſſum fuiſſe perfectæ beatitudinis exemplar ut nihil ſibi proprium habuerit, ſed potius dives fuerit ad locupletandos ſuos fideles. Hæc noſtra beatitudo eſt, ut in nobis reparetur ac de integro formetur Dei imago, quæ per peccatum deleta eſt. Chriſtus non tantum quatenus eſt æternus Dei Sermo, viva eſt imago ipſius: ſed humanæ quoque naturæ quam nobiſcum habet communem, inſculpta fuit paternæ gloriæ effigies, ut membra ſua in eam transfiguret. Idem etiam Paulus docet, 2 Cor. 3. verſ. 18. Nos retecta facie Dei gloriam intuendo in eandem imaginem transformari, tanquam ex gloria in gloriam. Unde ſequitur, neminem in Chriſti diſcipulis habendum niſi in quo gloria Dei à Chriſti effigie, tanquam ab annulo ſignatorio, impreſſa conſpicitur. Eodem ſpectant quæ paulo poſt ſequuntur verba.

23. *Ego in ipſis, & tu in me*] Docere enim vult in ſe reſidere omnem bonorum plenitudinem, & quod in Deo occultum erat, nunc io ſe palam extare, ut in ſuos communicatione transfundat; ſicuti aqua ex fonte huc illuc per canales defluens, agros paſſim irrigat. *Et dilexeris eos.* Significat divini erga pios amoris iſtud maxime illuſtre eſſe ſymbolum & optimum pignus, quod mundus quoque, velit nolit, ſentire cogitur, dum in illis habitans Spiritus cæleſtis juſtitiæ & ſanctitatis radios emittit. Innumeris quidem aliis modis quotidie teſtatum nobis facit Deus quam nos paterne diligat: ſed jure præ omnibus eminet adoptionis nota. Subjicit præterea, *Et dilexiſti eos ſicut tu me dil.* quibus verbis cauſam & originem amoris notare voluit. Nam ſimilitudinis particula in cauſalem reſolvi debet, perinde acſi dixiſſet, Eo quod me dilexeris: unus enim Chriſtus eſt in quem competit elogium dilecti. Deinde cæleſtis Pater eodem quo Eccleſiæ caput amore complexus eſt, membra quoque omnia proſequitur, ut neminem diligat niſi in Chriſto. Quanquam ſpecies quædam repugnantiæ hic exoritur. nam Chriſtus (ut alibi *ſupra,* 3.
viſum eſt) immenſum Dei erga mundum amorem *verſ.* 16.
in cauſa fuiſſe prædicat ut Filium ſuum unigenitum dederit. Si cauſam effectu ſuo priorem eſſe oportet, colligimus extra Chriſtum homines à Deo Patre fuiſſe dilectos, hoc eſt, antequam ordinatus fuiſſet Redemptor.. Reſpondeo, amorem illic & in ſimilibus locis vocari miſericordiam qua Deus erga indignos, imo hoſtes quoque ſuos, affectus fuit,

antequam eos ſibi reconciliaret. Mirifica certe & humanu ingenio incomprehenſibilis Dei bonitas, quod in homines, quos non poterat non odiſſe, benevolus, cauſam odii ſuſtulerit, nequid amori ſuo obſtaret. Et dupliciter quidem docet Paulus nos in
Epheſ. 1. verſ. 4. Chriſto fuiſſe dilectos: primum, quia nos in ipſo elegit Pater ante mundi creationem: deinde quia in
Rom. 5. verſ. 10. eodem nos ſibi reconciliavit, ſeque propitium exhibuit nobis. En quomodo & hoſtes ſimul ſimus & amici, donec expiatis peccatis redierimus cum Deo in gratiam: fide vera juſtificati proprie à Deo, tanquam filii à patre, demum amari incipimus. Ille vero amor quo factum eſt ut ordinatus ſit Chriſtus, in quo gratis nondum nati, & jam tamen in Adam perditi eligeremur, in Dei pectore abſconditus, humanæ mentis captum longe ſuperat. Deum quidem nunquam propitium quiſquam ſentiet niſi qui in Chriſto placatum apprehenderit. Cæterum ſicuti Chriſto ſublato evaneſcit omnis divini amoris guſtus, ita ſtatuere tuto licet, ex quo fide inſiti ſumus in ejus corpus, non eſſe periculum ne à Dei amore excidamus. Neque enim everti poteſt fundamentum hoc, Diligi nos, quia Pater eum dilexerit.

24. Pater, quos dediſti mihi, volo ut ubi ego ſum, illi quoque mecum ſint: ut videant gloriam meam quam dediſti mihi: quia dilexiſti me ante creationem mundi.

25. Pater juſte, & mundus te non cognovit: ego vero te cognovi: & hi cognoverunt quod tu me miſeris.

26. Et manifeſtavi eis nomen tuum, & manifeſtabo: ut dilectio qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis.

24. *Volo ut ubi ego ſum.*] Velle pro optare poſitum eſt. neque enim præcipientis, ſed rogantis eſt oratio. Poteſt tamen duplex eſſe ſenſus: vel quod externa ſui præſentia diſcipulos potiri velit; vel ut in regnum cæleſte, quo præcedit ipſe, Deus tandem eos adducat. Sic *videre gloriam* quidam exponunt frui gloriæ participatione quam habet Chriſtus: alii autem, fidei experimento ſentire quid ſit Chriſtus, & quanta ſit ejus majeſtas. Ego omnibus probe expenſis, de perfecta piorum beatitudine Chriſtum loqui exiſtimo: acſi diceret, non ante voto ſuo fore ſatisfactum quam illi in cælum recepti ſint. Eodem gloriæ conſpectum refero. Gloriam Chriſti jam tunc cernebant, ut ſcilicet per tenues rimas exiguum & obſcurum lumen ad hominem in tenebris clauſum pervenit: nunc optat Chriſtus ut proficiant eouſque dum palam ſolido fulgore in cælo fruantur. Petit in ſumma ut Pater eos per continuos progreſſus ad plenum gloriæ ſuæ conſpectum deducat. *Quia dilexiſti me.* Hoc quoque longe melius perſonæ Mediatoris quam nudæ Chriſti divinitati convenit. Durum eſt quod Pater ſapientiam ſuam dilexerit: verum, ut illud recipiamus, contextus alio nos ducit. Non dubium eſt, quum optavit prius Chriſtus ut conjuncti ſecum eſſent Apoſtoli, & gloriam regni ſui viderent, quin loquutus ſit ut erat caput Eccleſiæ: nunc amorem Patris cauſam eſſe dicit. quare ſequitur fuiſſe dilectum quatenus deſtinatus erat mundo Redemptor. Hoc amore complexus eſt eum Pater ante mundum conditum, ut eſſet in quo amaret ſuos electos.

25. *Pater juſte.*] Mundo comparat diſcipulos ſuos, ut inde eorum commendationem & gratiam apud Patrem amplificet. Jure enim eximios eſſe oportet qui ſoli Deum cognoſcunt, quem totus mundus rejicit. Jure eos ſingulari affectu commendat Chriſtus quibus non obſtitit mundi incredulitas quominus Deum agnoſcerent. Patrem juſtum nominans, mundo & ejus malitiæ inſultat. acſi diceret, quantumvis ſuperbe mundus contemnat Deum, vel reſpuat, nihil tamen propterea illi decedere: nec poſſe fieri quin illi integer maneat juſtitiæ ſuæ honor. Quibus verbis admonet, ſic in Deo fundatam eſſe debere piorum fidem, ut ruente toto mundo nunquam labaſcat. Sicuti hodie Papatus injuſtitiæ nobis damnandus eſt, ut ſuam afferamus laudem Deo. Cæterum non dicit ſimpliciter Chriſtus cognitum fuiſſe Deum à diſcipulis, ſed duos ponit gradus: quod ipſe cognoverit Patrem, & diſcipuli cognoverint quod ipſe à Patre miſſus eſſet. Sed quia continuo poſt ſubjicit ſe illis manifeſtaſſe Patris nomen, commendat eos (ſicuti dixi) à Dei notitia, quæ à reliquo mundo eos ſeparat. Interea notandus eſt fidei ordo qualis hic deſcribitur. Filius qui prodiit è ſinu Patris, ſolus eum proprie cognoſcit. Ergo quicunque accedere ad Deum cupiunt, neceſſe eſt ut Chriſtum obviam venientem recipiant, ſeque illi addicant. Ille tandem poſtquam agnitus fuerit, ad Deum Patrem diſcipulos ſuos attollet.

26. *Manifeſtavi, & manifeſtabo.*] Functus eſt quidem Chriſtus officio doctoris: ſed ad Patrem manifeſtandum arcana Spiritus revelatione, non autem ſolo vocis ſonitu, uſus eſt. Intelligit ergo ſe efficaciter docuiſſe Apoſtolos. Cæterum quia debilis adhuc erat eorum fides, majores progreſſus in futurum tempus promittit: atque ita eos ad ſperandam ampliorem Spiritus gratiam præparat. Quanquam autem de Apoſtolis loquitur, communis inde exhortatio nobis colligenda eſt, ut ſtudeamus aſſidue proficere, nec putemus tam bene nos cucurriſſe quin multum viæ adhuc reſtet quamdiu ſumus carne circumdati. *Ut dilectio qua* &c. Hoc eſt, ut eos in me diligas: vel, ut amor quo me complexus es, ad eos uſque ſe diffundat. Nam dilectio qua nos proſequitur Deus, proprie loquendo non alia eſt quam qua Filium ſuum ab initio dilexit, ut in eo nos quoque gratos ſibi & amabiles redderet. Et certe (ut paulo ante dictum eſt) quantum ad nos ſpectat, ſumus extra Chriſtum Deo exoſi: tunc autem demum amare nos incipit dum in corpus Filii dilecti coaleſcimus. Inæſtimabile fidei privilegium, quod ſcimus dilectum fuiſſe Chriſtum à Patre noſtra cauſa, ut ejuſdem amoris eſſemus conſortes, ac perpetuo ſimus. Sed notanda eſt particula, *Ego in ipſis*: qua docemur, non aliter nos comprehendi in illo amore cujus meminit, niſi in nobis habitet Chriſtus. Quemadmodum enim Filium aſpicere non poteſt Pater quin totum ejus corpus ſimul ante oculos habeat: ita ſi volumus in eo aſpici, vere ejus membra eſſe oportet.

Cap. XVIII.

HÆc quum dixiſſet Jeſus, egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipſe & diſcipuli ejus.

2. Noverat autem & Judas, qui tradebat eum, locum: quia ſæpe convenerat illuc Jeſus cum diſcipulis ſuis.

3. Judas ergo quum accepiſſet cohortem, & à Sacerdotibus & Phariſæis miniſtros, venit illuc cum laternis, & lampadibus, & armis.

4. Jeſus autem quum noviſſet quæcunque ventura erant ſuper eum, exivit, ac dixit eis, Quem quæritis?

5. Reſponderunt ei, Jeſum Nazarenum. Dixit illis Jeſus, Ego ſum. Stabat autem & Judas qui tradebat eum, cum illis.

6. Ut ergo dixit illis, Ego ſum, abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.

1. *Hæc quum dixiſſet Jeſus.*] In hac hiſtoria multa præterit Joannes quæ apud alios tres Euangeliſtas leguntur. idque facit conſulto: ſicuti multa memoratu digna colligere illi propoſitum fuit de quibus alii tacent. Ergo quæ hic deſunt, ab aliis mutuentur lectores. *Trans torrentem Cedron.* Additur Græce articulus, acſi à Cedris nomen haberet torrens: probabile tamen eſt errore obrepſiſſe. nam vallis vel torrentis Kidron ſæpius in Scriptura fit mentio. Ab obſcuritate ſic vocatus eſt locus, quod vallis concava, ideoque umbroſa foret. Quanquam de eâ re non contendo: tantum affero quid ſit veriſimilius. Conſilium Euangeliſtæ præcipue ſpectandum eſt in loci indicatione: nam oſtendere voluit Chriſtum ſponte ad mortem prodiiſſe. Venit in locum quem Judæ familiariter notum ſciebat. quorſum id, niſi ut ſponte ſe offerat proditori & hoſtibus? Nec eum fallebat incogitantia, quum omnium quæ inſtabant præſcius eſſet. Poſtea etiam ſubjicit Joannes, eum obviam progreſſum eſſe. Mortem ergo non coactus ſed ultro ſubiit, ut voluntarium eſſet ſacrificium. nam ſine obedientia nobis expiatio parta non eſſet. Hortum porro ingreditur, non quærendi latibuli cauſa, ſed ut liberius haberet orandi ſpatium. Quod vero ter mortem deprecatus eſt, propenſo quod diximus obſequio non repugnat. luctari enim cum difficultatibus eum oportuit, ut tandem vinceret: nunc ſubacto mortis horrore, libere & alacriter ad mortem properat.

3. *Judas ergo.*] Quod militibus & tanto ſatellitio inſtructus venit Judas, malæ conſcientiæ ſignum eſt, quæ ſemper trepidat nulla de cauſa. Cohortem à Præſide precario ſumptam fuiſſe certum eſt, qui etiam tribunum miſit ducem mille peditum. Nam & propter ſubitos motus conſtitutum erat in urbe præſidium, & Præſes ipſe, quocunque veniret, cohortem ducebat prætoriam: reliqui erant Sacerdotum miniſtri. Sed ſeorſum Phariſæos nominat Joannes, quorum in primis fervebat rabies; acſi majori illis curæ eſſet religio.

4. *Jeſus autem quum.*] Clarius exprimit Euangeliſta quam prompto animo Chriſtus ad mortem deſcenderit: ſimul tamen narrat quantam virtutem efflaverit in voce una: ut ſciamus nihil in eum licuiſſe impiis niſi quantum permiſit. Blande reſpondet ſe eum eſſe quem quærunt: nec ſecus ac violento turbinis impetu, imo ictu fulminis, eos proſternit in terram. Non ergo defuit ei poteſtas ad cohibendas eorum manus, ſi ita viſum eſſet: verum Patri obſequi voluit, cujus decreto ſe ad mortem vocari noverat. Cæterum hinc colligere oportet quam horrenda & formidabilis futura ſit impiis vox Chriſti, quum tribunal ad judicandum orbem conſcenderit. Stabat tunc agnus paratus ad victimam: exinanita erat, quoad externam ſpeciem, ejus majeſtas: uno verbo repente hoſtes ſuos armatos & intrepidos dejicit, & quo verbo non dirum aliquod anathema in eos vibrat, ſed tantum reſpondet, *Ego ſum.* Quid ergo futurum eſt quum advenerit, non judicandus ab homine, ſed judex vivorum & mortuorum: non in illo abjecto & contemptibili habitu, ſed in cæleſti gloria cum Angelis ſuis? Cæterum ejus efficaciæ quam illius voci tribuit Jeſaias, ſpecimen edere tunc voluit. Inter alias Chriſti virtutes hanc commemorat Propheta, capite undecimo, quod terram *Jeſa. 11.*
percutiet virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum *verſ. 4.*
interficiet impium. Hujus quidem prophetiæ complementum Paulus in finem uſque ſuſpendit, 2 ad Theſſalon. 2. verſ. 8. videmus tamen quotidie, ad Chriſti vocem concidere impios cum ſuo furore & ſuperbia. Tunc autem quum ceciderunt qui ad Chriſtum ligandum venerant, viſibile ſymbolum ejus pavoris exhibitum fuit, quem, velint nolint, intus ſentiunt omnes impii, Chriſto per ſuos miniſtros loquente. Cæterum quum hoc velut accidentale fuerit voci Chriſti (cujus proprium eſt miſeros homines qui in morte jacebant erigere) vim iſtam proculdubio erga nos proferet, ut in cælum uſque nos attollat.

7. Rurſum ergo eos interrogavit, Quem quæritis? Illi autem dixerunt, Jeſum Nazarenum.

8. Reſpondit Jeſus, Dixi vobis quod ego ſum. ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire.

ſupra, 17. verſ. 12. 9. Ut impleretur ſermo quem dixerat, Ex iis quos dediſti mihi, non perdidi quenquam.

7. *Rurſum ergo eos interrogavit.*] Hinc apparet quid valeat excæcatio qua percutit Deus impiorum mentes, & quam horribilis ſit eorum ſtupor poſtquam juſto Dei judicio faſcinati ſunt à Satana. Boves & aſini ſi cadant, ſenſu aliquo tanguntur: iſti divinam Chriſti potentiam manifeſte experti, non minus ſecure pergunt quam ſi ne hominis quidem umbram in eo vidiſſent: imo Judas ipſe non movetur. Diſcamus igitur metuere Dei judicium quo, reprobi in manum Satanæ permiſſi, magis obſtupefiunt quam brutæ pecudes. Nec dubium eſt quin Satan veſano eos impetu rapuerit ad tam ſupinam audaciam. nulla enim phreneſis eſt quæ tam violenter hominem præcipiret ut talis excæcatio. Nam perinde adverſus Deum ruunt impii, poſtquam conjecti ſunt in ſenſum reprobum, acſi cum muſca tantum negotium eſſet. Sentiunt quidem ejus potentiam, ſed non ut flectantur. centies enim potius frangi contingет quam ut cedant. Denique ſua illis malitia velum eſt ne ad Dei lumen attendant: obſtinatio pluſquam lapideos reddit ne unquam patiantur ſe domari.

8. *Dixi vobis quod ego ſum.*] Hic videmus ut non tantum ſponte mortem ſubeat Filius Dei, ut ſua obedientia transgreſſiones noſtras deleat, ſed etiam ut boni paſtoris officio ad gregem ſuum protegendum fungatur. Videt luporum inſultum, non exſpectat donec perveniant uſque ad oves quibus datus eſt cuſtos: ſed mature ſe opponit. Quare non dubitemus, quoties in nos inſilient vel impii homines vel diaboli, quin præſto nobis ſit idem auxilium. Interea ſuo exemplo paſtoribus regulam Chriſtus præſcripſit quam ſequantur, ſi munus ſuum rite implere volunt.

9. *Non perdidi quenquam.*] Videtur hæc ſententia intempeſtive adduci, quæ ad animas pertinet potius quam ad corpora. Neque enim Chriſtus incolumes uſque ad extremum ſervavit Apoſtolos: ſed hoc præſtitit ut inter aſſidua pericula, & demum in media morte, tamen in tuto eſſet æterna eorum ſalus. Reſpondeo, Euangeliſtam non ſimpliciter de corporali eorum vita loqui: ſed hoc potius velle, quod Chriſtus illis ad tempus parcens, æternæ eorum ſaluti conſuluerit. Conſideremus quanta adhuc fuerit illorum imbecillitas: quid facturos putamus fuiſſe ſi ad vivum examinati eſſent? Quum ergo noluit eos Chriſtus ſupra vires quas dederat ipſis tentari, ab æterno exitio eripuit. Atque hinc colligere generalem doctrinam licet: quamvis multis tentationibus fidem noſtram probet, nunquam tamen nos in ultima diſcrimina venturos, quin robur ſimul ad vincendum ſuppeditet. Et ſane videmus ut ſubinde noſtræ infirmitati indulgeat, quando tot Satanæ & impiorum conatus occurſu ſuo procul repellit: quia nos impares & nondum maturos videt. Denique ſuos nunquam producit ad certamen niſi bene inſtructos, ut etiam pereundo non pereant: quia lucrum illis paratum eſt tam in morte quam in vita.

10. Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, & percuſſit Pontificis ſervum, & abſcidit auriculam ejus dextram. Erat autem nomen ſervo Malchus.

11. Dixit itaque Jeſus Petro, Mitte gladium tuum in vaginam: calicem quem dedit mihi Pater non vis ut bibam ipſum?

12. Tunc cohors, & tribunus, & miniſtri Judæorum comprehenderunt Jeſum, & ligaverunt eum.

13. Et abduxerunt eum ad Annam primum. erat enim ſocer Caiaphæ, qui erat Pontifex anni illius.

14. Erat autem Caiaphas qui conſilium dederat Judæis quod expediret unum hominem mori pro populo.

10. *Simon ergo Petrus.*] Nunc ſtultus Petri zelus deſcribitur, qui Magiſtrum aliter quam licebat defendere conatus eſt. Animoſe quidem & fortiter magnum diſcrimen pro Chriſto ſubit: ſed quia non reſpicit quid ferat ſua vocatio, & quid Deus permittat, adeo nihil laudis meretur ejus factum ut graviter à Chriſto reprehendatur. Cæterum in perſona Petri ſciamus damnari à Chriſto quicquid ſuo arbitrio tentare audent homines. Quæ doctrina in primis notatu digna eſt. nihil enim magis vulgare quam zeli prætextu tueri quicquid facimus. Quaſi vero nihil interſit probetur Deo nec ne quod homines rectum putant, quorum tota prudentia mera eſt vanitas. In Petri zelo ſi nihil vitioſum cerneremus, hoc tamen uno contentos eſſe deceret quod Chriſtus ſibi non placere pronunciat. Atqui videmus per eum non ſtetiſſe quin Chriſtus à morte revocaretur, & ejus nomen perpetuæ infamiæ obnoxium foret. Quod enim vim infert tribuno & militibus, in eo latronis more graſſatur: quia poteſtati reſiſtit à Deo ordinatæ. Quum jam plus ſatis exoſus eſſet Chriſtus mundo, potuit unum hoc facinus colorem omnibus calumniis dare quibus eum hoſtes falſo gravabant. Deinde hoc nimis præpoſterum eſt quod fidem ſuam vult probare gladio, & non poteſt lingua. Quum vocatur ad confeſſionem, negat: nunc Magiſtri injuſſu tumultuatur. Quare nos tam inſigni exemplo moniti, zelum noſtrum moderari diſcamus. Et quoniam ad audendum plus quam Deus mandat, ſemper prurit carnis noſtræ laſcivia, ſciamus zelum noſtrum male ceſſurum quoties ultra Dei verbum quicquam audemus. Fiet interdum ut nobis arrideant principia: ſed tandem dabimus temeritatis noſtræ pœnas. Sit igitur fundamentum omnium quæ aggredimur obedientia. Monemur etiam, quibus cauſam Chriſti agere propoſitum eſt, non ſemper ita dextre ſe gerere quin aliquid vitii obrepat: quo magis ſollicite rogandus eſt nobis Dominus ut nos in ſingulis actionibus gubernet Spiritu prudentiæ.

11. *Mitte gladium tuum.*] Hoc præcepto improbat Chriſtus factum Petri. Notanda autem ratio eſt: quia privato homini non licuit contra eos inſurgere qui publica auctoritate inſtructi erant. Nam id ex reliquis tribus colligi poteſt, à quibus refertur generalis Chriſti ſententia, Qui gladio percuſſerit, gladio peribit. Cavendum ergo ne vi & armis repellere conemur hoſtes noſtros, etiam qui injuſte nos laceſſunt, niſi quantum permittunt leges ac jus publicum. Nam quiſquis ſe ultra vocationis ſuæ metas ingerit, etiamſi plauſum reportet à toto mundo, factum ſuum Deo nunquam probabit. *Calicem quem dedit.* Videtur ſpecialis hæc eſſe ratio, quod Chriſtum obmuteſcere oportuit, ut inſtar agni duceretur ad victimam. Pertinet tamen ad exemplum: quoniam eadem à nobis omnibus tolerantia exigitur. Afflictiones potionibus comparat Scriptura: perinde enim ac paterfamilias cibum & potum filiis ac domeſticis ſuis diſtribuit, ita hoc juris in nos habet Deus, ut ſingulos tractet prout viſum eſt. Sive autem proſperis rebus nos exhilarat, ſive adverſis humiliat, propinare dicitur ſuavem vel amarum potum. Chriſto hæc deſtinata erat potio, ut mortem crucis pro mundi reconciliatione obiret. Dicit ergo bibendum ſibi eſſe calicem quem Pater admenſus eſt ac porrexit. eodem modo & nos ad crucis tolerantiam compoſitos eſſe oportet. Neque tamen audiendi ſunt fanatici homines, qui morbis & aliis quibuslibet malis quærenda eſſe remedia negant, ne reſpuamus porrectum à Deo calicem. Quia ſemel nobis moriendum eſſe ſcimus, paratos ad mortem eſſe convenit: quia autem mortis tempus nobis eſt incognitum, ordinatis à ſeipſo ſubſidiis Dominus vitam noſtram tueri nobis permittit. Ferendi patienter morbi, quamlibet carni noſtræ graves ſint: quamdiu tamen nondum conſtat lethales eſſe, quærenda eſt levatio: tantum cavandum eſt nequid tentemus niſi quod per verbum Dei licet. Denique modo ſemper fixum iſtud in cordibus noſtris maneat, ut Domini voluntas fiat, calicem ab eo datum bibere non deſinimus, liberationem à malis quibus urgemur, quærendo.

12. *Tunc cohors & trib.*] Poſſet videri abſurdum quod Chriſtus, qui voce ſua milites proſtravit, nunc capi ſe patitur. Nam ſi volebat tandem hoſtibus ſe permittere, quorſum opus fuit edere tale miraculum? Verum oſtenſio divinæ potentiæ dupliciter profuit. valet enim ad tollendum offendiculum, ne Chriſtum putemus infirmitate victum ceſſiſſe: deinde comprobat quam voluntarius ad obeundam mortem fuerit. Quatenus ergo utile erat, ſuam contra hoſtes virtutem aſſeruit: ſed ubi obediendum fuit Patri, continuit ſe ut victima fieret. Cæterum meminerimus ligatum Filii Dei fuiſſe corpus, ut ſolverentur animæ noſtræ à peccati & Satanæ laqueis.

13. *Et abduxerunt ad Annam.*] Hoc prætereunt reliqui Euangeliſtæ, quia ad ſummam hiſtoriæ non multum faciat: nihil enim illic memorabile geſtum eſt. Loci forte commoditas eos induxit ut in ædibus Annæ Chriſtum deponerent, quouſque Pontifex

Sacer-

Sacerdotum concilium vocaret. *Pontifex anni illius.* Non intelligit annuum fuiſſe ſummi Sacerdotii munus (quod multi falſo putarunt) ſed tunc temporis Caiapham fuiſſe Pontificem: quod ex Joſepho aperte conſtat. Erat perpetuus honor ex præſcripto Legis, nec finiebatur niſi morte: ſed ambitio & inteſtinæ diſcordiæ fecerant ut Romani Præſides, dejecto uno Sacerdote, pro ſuo arbitrio alium, qui pecunia aut favore pollebat, ſubrogarent. Ita Vitellius dejecit Caiapham, cui Jonathas Annæ filius datus eſt ſucceſſor.

14. *Qui conſilium dederat.*] Repetit Euangeliſta ſententiam Caiaphæ quam prius habuimus, quod Deus impuro perfidi & ſcelerati Pontificis ore uſus eſſet ad vaticinium edendum: ſicuti linguam Balaam præter animi ejus votum direxit ut populum cogeretur benedicere, cui mala imprecari optabat in gratiam regis Balaac.

ſupra, 11. verſ. 30.
Num. 24. verſ. 5.

15. Sequebatur autem Jeſum Simon Petrus, & alius diſcipulus. Erat autem diſcipulus ille notus Pontifici: itaque ingreſſus eſt cum Jeſu in aulam Pontificis.

16. Petrus autem ſtabat foris ad januam. Exivit ergo alter diſcipulus qui notus erat Pontifici, & dixit oſtiariæ, & introduxit Petrum.

17. Dixit ergo ancilla oſtiaria Petro, Num & tu ex diſcipulis es hominis iſtius? Dicit ille, Non ſum.

18. Stabant autem ſervi & miniſtri qui prunas accenderant, eo quod frigus eſſet: & calefaciebant ſe. Erat autem & Simon Petrus cum illis ſtans, & calefaciens ſe.

15. *Alius diſcipulus.*] Quoſdam fefellit levis conjectura, ut hunc diſcipulum putarent eſſe Joannem: nempe quia ſuppreſſo nomine de ſe loqui ſolet. Sed unde cum ſuperbo Pontifice familiaris notitia Joanni, qui ignobilis erat piſcator? Et quomodo fieri potuit ut Pontificis domum frequentaret, quum eſſet in Chriſti contubernio? Magis probabile eſt hunc non fuiſſe unum ex duodecim: ſed vocari diſcipulum quia doctrinam Filii Dei amplexus eſſet. Non eſt autem curioſus Joannes in digerenda hiſtoria: quia ſatis habet brevem ſummam colligere. Nam poſtquam retulit Petrum ſemel Chriſtum negaſſe, quædam alia permiſcet, deinde redit ad alias duas negationes. Hinc factum eſt ut minus attenti lectores colligerent primam negationem fuiſſe in Annæ ædibus: ſed nihil tale ſonant verba, quin potius clare exprimunt fuiſſe Pontificis ancillam quæ Petrum compulit ad Chriſtum negandum. Tenendum ergo eſt, quum adductus eſſet Chriſtus ad Pontificem non fuiſſe quoslibet admiſſos, ſed diſcipulum qui notus erat, ſua gratia impetraſſe aditum Petro. Jam minime dubium eſt quin uterque pio ſtudio Chriſtum ſequutus ſit: ſed quum teſtatus eſſet voce ſua Chriſtus ſe Petro & aliis parcere, longe utilius fuiſſet gemere & precari in obſcuro aliquo angulo quam prodire in oculos hominum, quum tam male firmus eſſet. Nunc officium quod remiſit illi Chriſtus, cupide uſurpat: in fidei autem confeſſione, in qua ad mortem uſque perſtandum erat, deficit. Semper ergo videndum quid à nobis requirat Dominus: ne ſe, qui infirmi ſunt, ingerant in res non neceſſarias.

17. *Dixit ergo ancilla.*] Introducitur Petrus in atrium Pontificis: ſed nimis iniquo pretio, quod Chriſtum in ipſo ingreſſu abnegare cogitur. Quum in primo limine adeo turpiter impingat, detegitur jactantiæ ejus vanitas. Gloriatus fuerat ſe invictum fore athletam, & parem vincendæ morti: nunc unius ancillæ voce, & ea quidem non admodum minaci, confuſus arma projicit. En humani roboris ſpecimen. fumus certe eſt quicquid virium in hominibus apparet, quod flatu mox diſcutitur. Extra prælium ſumus plus juſto animoſi: ſed experientia oſtendit quam ſtulte ac de nihilo ſuperbiamus. imo quum nullas Satan machinas adhibet, ipſi nobis fingimus vanos terrores qui nos ante tempus conturbent. Voce mulierculæ territus fuit Petrus: quid nos? annon ſubinde trepidamus ad ſtrepitum folii cadentis? Vana periculi ſpecies eminus Petrum perculit: annon puerilibus ludicris quotidie à Chriſto abducimur? Denique ea eſt noſtra fortitudo quæ ſine hoſte ultro ipſa concidat: ita ſcilicet humanam arrogantiam ulciſcitur Deus, dum feroces animos effœminat. Homo non virtute, ſed flatu tantum refertus, ſibi facilem contra totum mundum victoriam promittit: atqui viſa cardui umbra, protinus expaveſcit. Quare diſcamus non alibi quam in Domino fortes eſſe. *Non ſum.* Non videtur quidem præciſa eſſe Chriſti abnegatio: ſed quum Petrus fateri timet ſe ex ejus diſcipulis, perinde eſt acſi negaret quicquam ſibi cum illo eſſe. quod notandum eſt: nequis ſophiſtice agendo, ſe elapſum putet ubi oblique tantum recedit à fidei confeſſione.

18. *Simon Petrus cum illis ſtans.*] Quod addit Euangeliſta Petrum ſtetiſſe cum miniſtris & ſervis ad prunas, id facit ad contextum hiſtoriæ, ſicuti poſtea videbimus. Cæterum hinc apparet quantus fuerit Petri ſtupor, qui ſecure cum turba impiorum hominum ſe calefecit, quum magiſtrum negaſſet. Quanquam fieri poteſt ut metu retentus fuerit, ne egrediens è domo Pontificis, in alterum ſimile diſcrimen veniret.

19. Pontifex ergo interrogavit Jeſum de diſcipulis ſuis & doctrina ipſius.

20. Reſpondit illi Jeſus, Ego palam loquutus ſum mundo: ego ſemper docui in Synagoga & in Templo, quo omnes Judæi conveniunt, & in occulto loquutus ſum nihil.

21. Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid loquutus ſim illis: ecce, hi ſciunt quæ ego dixerim.

22. Hæc quum ipſe dixiſſet, unus ex miniſtris qui adſtabat, dedit ei alapam, dicens, Sic reſpondes Pontifici?

23. Reſpondit ei Jeſus, Si male loquutus ſum, teſtificare de malo: ſi autem bene, quid me cædis?

24. (Miſerat autem eum Annas ligatum ad Caiapham Pontificem.)

19. *Interrogavit Jeſum.*] Interrogat Pontifex Chriſtum perinde ac factioſum aliquem, qui diſcipulos ſibi cogendo Eccleſiam ſcidiſſet: interrogat quaſi pſeudoprophetam qui novis & perverſis dogmatibus conatus eſſet fidei puritatem corrumpere. Chriſtus perfunctus doctoris munere, novam defen-

ſionem non aggreditur: ne tamen veritatis patrocinium deſerat, oſtendit ſe paratum eſſe ad tuenda omnia quæ docuerat. Interea ſimul coarguit Pontificis impudentiam, qui de re notiſſima tanquam dubia inquirat. Non ſatis eſt quod Redemptorem ſibi oblatum reſpuerunt una cum promiſſa ſibi ſalute, niſi totam Legis expoſitionem ſimul damnent.

20. *Ego palam loquutus ſum.*] Puerilis eſt quorundam error, qui hoc Chriſti reſponſo damnari exiſtimant qui clam & in cubiculis tractant verbum Dei, quum publice per impiorum tyrannidem non licet. Neque enim diſputat Chriſtus quid liceat nec ne: ſed illi propoſitum eſt refutare Caiaphæ impudentem malitiam. Videtur tamen hic locus pugnare
Mat. 10. cum altera Chriſti ſententia, ubi Apoſtolos jubet
verſ. 27. publicare ſuper tecta quæ illis in aurem dixerat.
Mat. 13. Item, quum pronunciat non omnibus datum eſſe ut
verſ. 11. audiant arcana regni Dei: ac ideo ſe dignari hac gratia ſolos duodecim. Reſpondeo quum hoc loco negat ſe quicquam loquutum eſſe in occulto, id referri ad ipſam ſubſtantiam, quæ ſemper eadem fuit, quamvis diverſa eſſet docendi forma. Neque enim aliter loquutus eſt inter diſcipulos ut aliud traderet: neque id fecit aſtute, quaſi data opera celare vellet populum quæ inter parietes paucis dicebat. Quare bona conſcientia teſtari potuit ſe libere profeſſum eſſe, & ſincere publicaſſe doctrinæ ſuæ ſummam.

22. *Hæc quum ipſe dixiſſet.*] Hoc ideo additum eſt, primum ut ſciamus quanta fuerit hoſtium Chriſti rabies & quam tyrannicum Imperium: deinde qualis inter Sacerdotes illos diſciplina. Sedent quaſi judices: interea ſæviunt ut truculentæ belluæ. Coactum eſt concilium, in quo ſumma vigere gravitas debebat: miniſter unus tantum licentiæ ſibi ſumit ut in media cauſæ actione, in conſpectu judicum, reum, qui nulla in re noxius repertus eſt, cædat. Quare non mirum ſi in tam barbaro conſeſſu damnatur Chriſti doctrina, à quo non modo omnis æquitas exulat, ſed omnis quoque humanitas & pudor.

23. *Si male loquutus ſum.*] Hoc eſt, ſi peccavi, accuſa: ut cauſa dicta, pro modo delicti plectar. neque enim hæc eſt legitima agendi ratio: ſed longe alius ordo & alia modeſtia judiciis convenit. Conqueritur ergo Chriſtus gravem ſibi factam eſſe injuriam, ſi nihil peccaverit: quod ſi peccaverit, legitime tamen & non violento impetu agendum eſſe. Sed videtur hic Chriſtus minime ſervare quod alibi ſuis præcipit. Neque enim dextram maxillam ei Mat. 5.
porrigit à quo in ſiniſtra percuſſus fuerat. Reſpon- verſ. 39.
deo, non requiri ſemper in Chriſtiana patientia, ut qui cæſus eſt, tacitus devoret injuriam: ſed primum ut æquo animo eam perferat: deinde ut de ultione non cogitans, potius ſtudeat vincere malum bono. Improbos jam plus æquo ſpiritus Satanæ ad nocendum impellit, ut ut nemo illos irritet. Abſurde igitur exponunt Chriſti verba qui trahunt in eam partem, acſi juberet nocendi plus ſatis cupidos novis ſtimulis incitari. Neque enim aliud ſibi vult, quam ut ad ſecundam injuriam ferendam quiſque noſtrum potius paratus ſit quam ut primam retaliet. Quare nihil obſtat quin expoſtulet homo Chriſtianus indigne læſus, modo animus ab iracundia vacuus ſit, & manus à vindicta puræ.

24. *Miſerat autem Annas.*] Sententia hæc per parentheſin legenda. Quia enim dixerat Chriſtum deductum fuiſſe ad Annæ ædes, & ita narrationem ſuam proſequutus fuerat, quaſi illic habitus eſſet Sacerdotum conventus: nunc admonet traductum fuiſſe in ædes Pontificis. Quia autem verbi tempus multos decepit, reddere malui in tempore pluſquamperfecto, Miſerat.

25. Erat autem Simon Petrus ſtans & calefaciens. dixerunt ergo ei, Numquid & tu ex diſcipulis ejus es? Negavit ille, & dixit, Non ſum.

26. Dixit unus ex ſervis Pontificis qui cognatus ejus erat cui Petrus abſciderat auriculam, Nonne ego te vidi in horto cum illo?

27. Rurſum ergo negavit Petrus: & confeſtim gallus cecinit.

25. *Negavit ille.*] Horrendus Petri ſtupor, qui Magiſtro negato non modo nulla pœnitentia tangitur, ſed ipſa peccandi licentia ſe indurat. Si ſinguli ordine eum rogaſſent, millies negare non dubitaſſet. En quorſum præcipitet Satan miſeros homines, poſtquam eos è gradu dejecit. Notanda etiam eſt circumſtantia quam alii Euangeliſtæ exprimunt, nempe quod execratione interpoſita teſtatus ſit Chriſtum ſibi eſſe incognitum. Ita quotidie multis accidit. initio non tam gravis erit lapſus: accedet deinde conſuetudo, poſtquam ſopita fuerit conſcientia: tandem qui ſe aſſueſecerit ad Dei contemptum, nihil ſibi illicitum ducet, ſed extrema quæque audebit. Quare nihil melius quam ſibi in tempore cavere, ne vel minimum quicquam ſibi indulgeat qui tentatur à Satana, dum adhuc eſt integer.

27. *Confeſtim gallus cecinit.*] Galli cantum memorat Euangeliſta, ut ſciamus Petrum divinitus in ipſo articulo admonitum fuiſſe. Ideo alii dicunt tunc recordatum fuiſſe verborum Domini. Quanquam narrat Lucas non ſimplici gallicinio commotum fuiſſe Petrum, donec eum Chriſtus aſpexit. Ita quiſquis ſemel Satanæ impulſu ruere cœpit, nulla voce, nullo ſigno; nulla admonitione revocabitur, donec oculos in eum Dominus ipſe conjiciat.

28. Adducunt ergo Jeſum à Caiapha in prætorium. Erat autem mane: & ipſi non introierunt in prætorium, ut ne contaminarentur, ſed ut ederent Paſcha.

29. Exivit ergo Pilatus ad eos, & dixit, Quam accuſationem affertis contra hominem hunc?

30. Reſponderunt & dixerunt ei, Si non eſſet hic maleficus, non tibi tradidiſſemus eum.

31. Dixit ergo illis Pilatus, Accipite eum vos, & ſecundum Legem veſtram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi, Nobis non licet interficere quenquam.

Mat. 20. verſ. 19. 32. Ut ſermo Jeſu impleretur, quem dixerat, ſignificans qua morte eſſet moriturus.

28. *Adducunt ergo Jeſum.*] Ante diluculum examen illud, cujus meminit Euangeliſta, habitum fuit. interea non dubium eſt quin ſua flabella paſſim habuerint in urbe, quibus plebem accenderent. Ita repente exarſit populi furor, quaſi uno omnium conſenſu depoſceretur Chriſtus ad mortem. Examen vero habitum fuit à Sacerdotibus: non quod penes ipſos ferendæ ſententiæ poteſtas eſſet; ſed ut præju-

dicio

dicio ſuo oppreſſum judici traderent, quaſi jam ſatis de eo cognitum eſſet. *Prætorium* vocabant Romani tam domum Præſidis quam tribunal ubi exerceri ſolebant judicia. *Ut ne contaminarentur.* Quod ab omni inquinamento obſtinent, ut puri ſecundum Legis præſcriptum, Paſcha Domini edant, in eo quidem probenda eſt religio: ſed duplex vitium eſt, ac utrumque nimis craſſum: quod non cogitant plus ſe intus pollutionis ferre quam contrahere poſſint ex ingreſſu quantumvis profani loci: deinde quod in rebus minutis ſeduli plusquam oportet, quod præcipuum eſt negligunt. Coinquinatis & infidelibus,
Tit. 1:15. inquit Paulus, nihil mundum: quia pollutæ ſunt eorum mentes. Iſti vero hypocritæ, quum malitia, ambitione, dolis, crudelitate, avaritia ſcatentes, fœtore ſuo cælum & terram prope inficerent, ſibi tantum ab externis inquinamentis metuunt. Ergo ludibrium minime ferendum eſt, quod Deum placare volunt, modo ne ex contactu rei immundæ ſordes contrahant, veræ puritatis obliti. Altero vitio laborat hypocriſis, qood ceremonias anxie colendo, res maximas ſecure omittit. Neque enim in alium finem Judæis mandabat Dominus ritus illos qui habentur in Lege, niſi ut ad veræ ſanctitatis amorem ac ſtudium aſſueſcerent. Adde quod nuſquam in Lege prohibitum erat domum hominis Gentilis ingredi: ſed cautio erat à patribus tradita, nequis per imprudentiam ex domo immunda aliquid contagii
Mat. 23. accerſeret. Boni autem iſti Legis interpretes in co-
verſ. 24. lando culice attenti, ſtrenue camelum devorant. Atque hoc hypocritis ordinarium eſt, ut majus nefas eſſe ducant pulicem quam hominem occidere. Cui vitio affine eſt illud alterum, humanas traditiones ſacris Dei mandatis longe præferre. Ergo ut rite Paſcha edant, puros ſe ſervare volunt. cæterum immunditiem includunt prætorii parietibus: interea cælo & terra teſtibus innoxium ad mortem flagitare non dubitant. Denique Paſcha umbratile ficta & fallaci reverentia colunt: ipſum autem verum Paſcha non modo ſecrilegis manibus violant, ſed æterno interitu, quantum in ſe eſt, obruere conantur.

29. *Exivit ergo Pilatus ad eos.*] Profanus homo ſuperſtitioni, quam ridet ac contemnit, non ægre indulget. Cæterum in ipſo cauſæ cardine boni judicis officio fungitur, quum proferre jubet ſiquid accuſationis habeaot. At Sacerdotes, quaſi ſatis auctoritatis habeant ad damnendum quem reum faciunt, nihil aliud reſpondent quam ſuo præjudicio ſtandum eſſe. Oblique enim de Pilato queruntur, quia non ſatis confidat eorum probitati. Cur non, inqoiunt, ultro perſuaſum habes morte dignum eſſe quem nos perſequimur? En quomodo impii, quos Deus in ſublimem honoris gradum extulit, ſplendore ſuo quaſi excæcati, quidvis ſibi permittant. En etiam quam temulenta ſit ſuperbia. Chriſtum volunt cenſeri maleficum, quia eum accuſant. Atqui, ſi ad rem ventum fuerit, quænam ejus reperientur maleficia, niſi quod ægros omne genus ſanavit, dæmonia fugavit ex hominibus, paralyticos & claudos erexit, cæſis viſum, ſurdis auditum, mortuis vitam reſtituit? Res quidem ita habebat, & ipſi plus ſatis convicti erant: verum, ut nuper dixi, nihil difficilius eſt quam expergefieri homines ſuperbia ebrios, ut ſana & compoſita mente judicent.

31. *Secundum Legem veſtram.*] Non dubium eſt quin Pilatus eorum barbarie & violentia offenſus, illis exprobret, illam damnandi formam quam urgebant, à communi gentium omnium jure & humano ſenſu abhorrere. Interea ſimul eos perſtringit, quod gloriarentur ſe Legem habere à Deo traditam. Ironice dicit, *Accipite eum vos:* neque enim paſſus eſſet judicium ab illis de capite hominis fieri: ſed perinde eſt acſi dixiſſet, Si veſtra eſſet poteſtas, traheretur ſubito ad ſupplicium indicta cauſa. Hæccine eſt igitur Legis veſtræ æquitas, hominem nullo crimine damnare? Ita impii dum falſo nomen Dei obtendunt, ſanctam ejus doctrinam hoſtium calumniis ſubjiciunt: & maledicendi occaſio cupide à mundo eripitur. *Nobis non licet.* Falluntur qui putant Judæos recuſare quod illis delatum erat à Pilato: quin potius quum ſcirent ſibi per ludibrium dictum eſſe, *Accipite eum vos*, excipiunt, Tu hoc non permitteres. ergo quum ſis judex, munus tuum exequere.

32. *Ut ſermo Jeſu &c.*] Tandem ſubjicit Euangeliſta ita oportuiſſe fieri, ut impleretur quod prædictum à Chriſto fuerat, Tradetur Filius hominis Mat. 20.
in manus Gentium. Et certe hoc præcipuum caput verſ. 19.
eſt, ſi cupimus mortis Chriſti hiſtoriam cum fructu Scopus hi-
legere, ut æternum Dei conſilium ſpectemus. Siſti- ſtoriæ paſ-
tur Filius Dei ad tribunal mortalis hominis. Si hoc ſionis Chriſti.
putemus geri hominum libidine, oculos autem non attollamus ad Deum, fidem noſtram pudefieri ee confundi neceſſe erit. verum ubi agnoſcimus illo Chriſti reatu noſtrum coram Deo abolitum eſſe, quia cæleſti Patri ita placuit reconciliare ſibi humanum genus: hac ſola cogitatione in ſublime elati, intrepide & ſine pudore in ipſa Chriſti ignominia gloriamur. Diſcamus ergo in ſingulis hujus hiſtoriæ partibus ſenſus noſtros in Deum redemptionis noſtræ auctorem convertere.

33. Ingreſſus eſt ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocavit Jeſum, & dixit ei, Tu es Rex Judæorum?

34. Reſpondit ei Jeſus, A teipſo hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?

35. Reſpondit Pilatus, Num ego Judæus ſum? gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi: quid feciſti?

36. Reſpondit Jeſus, Regnum meum non eſt ex hoc mundo: ſi ex mundo hoc eſſet regnum meum, miniſtri mei utique decertarent ne traderer Judæis. nunc autem regnum meum non eſt hinc.

33. *Ingreſſus eſt ergo.*] Probabile eſt multe ultro citroque fuiſſe dicta, quæ Euangeliſta ſubticet: quod etiam promptum eſt ex aliis colligere. Sed hic noſter in uno capite maxime inſiſtit, Pilatum ſedulo percontatum eſſe juſtene an injuſte tractus eſſet Chriſtus in judicium. Coram populo, ubi ſeditio fervebat, nihil potuit agi niſi tumultuoſe: prætorium ergo ingreditur: & quidem conſilium ejus eſt Chriſtum abſolvere: Chriſtus autem ipſe, ut obediat Patri, damnandum ſe offert. Atque hæc ratio eſt cur tam parce reſpondeat. Quum judicem haberet propitium, & qui aures libenter accommodaſſet, non difficile illi erat cauſam ſuam agere: ſed cogitat ad quid deſcenderit in mundum, & quorſum nunc à Patre vocetur. ideo ſponte obmuteſcit, ne mortem effugiat. *Tu es Rex Judæorum?* Quæſtio de regno nunquam à Pilato ſponte mota eſſet, niſi hoc crimine gravaſſent Chriſtum Judæi. Quod autem præ aliis omnibus odioſum erat ſumit Pilatus, ut eo tranſacto abſolvat reum. Reſponſum Chriſti huc tendit, in ea accuſatione nihil eſſe coloris. Ita obliquam refutationem continet: acſi diceret, Mihi ridicule crimen objicitur cujus ne minima quidem ſuſpicio in me cadit. Inique vero tuliſſe

Digitized by Google

Pilatus videtur quod quæſierat Chriſtus cur ſe haberet ſuſpectum. itaque per indignationem exprobrat, quicquid mali eſt, eſſe à propria gente. Ego, inquit, ſedeo judex: non alieni, ſed gentiles tui, te accuſant: non eſt igitur cur me involvas diſcordiis veſtris. Per me & Romanos vobis agere quietis liceret: ſed ipſi vobis moleſtiam faceſſitis, cujus partem ſubire invitus cogor.

36. *Regnum meum.*] Fatetus his verbis ſe Regem eſſe: ſed quantum ad probandam innocentiam ſatis erat, diluit & purgat calumniam. Negat enim quicquam diſſidii eſſe regno ſuo cum politico ordine. acſi diceret, Falſo accuſor acſi tentaſſem aliquid turbare aut novare in publico ſtatu. Concionatus ſum de regno Dei: ſed illud ſpirituale eſt. ideo non eſt cur me regni affectati ſuſpectum habeas. Cæterum iſta Chriſti defenſio fuit apud Pilatum: ſed eadem utilis piis omnibus eſt doctriua uſque ad finem mundi. Nam ſi terrenum eſſet Chriſti regnum; quia præterit figura hujus mundi, inſtabile & caducum eſſet: nunc quia cæleſte vocatur, hinc ſimul aſſeritur ejus perpetuitas. Ita ſi totum orbem terræ labefactari contingat, non modo inter motus & concuſſiones, ſed etiam inter horribiles ruinas & interitus, ſtabiles nihilominus manent noſtræ conſcientiæ, modo ad Chriſti regnum attendant. Si tyrannice vexamur ab impiis, ſalus tamen nobis integra conſtat in Chriſti regno: quod hominum libidini minime obnoxium eſt. Denique quum innumeris procellis aſſidue æſtuet mundus, ſeparatur inde regnum Chriſti in quo nobis quærenda eſt tranquillitas. Docemur præterea qualis ſit natura hujus regni. nam ſi nos ſecundum carnem beatos redderet, nobiſque afferret opes, delicias & quicquid optabile eſt ad uſus præſentis vitæ, ſaperet terram & mundum: nunc autem, quantumvis in ſpeciem miſera ſit noſtra conditio, ſalva tamen manet nobis ſolida felicitas. Hinc quoque diſcimus quinam pertineant ad hoc regnum, nempe qui Spiritu Dei renovati, cæleſtem vitam in ſanctitate & juſtitia meditantur. Quanquam ſimul notandum eſt non negari quin ſit in hoc mundo Chriſti regnum. Scimus enim ſedem ſuam in animis noſtris habere: quemadmodum alibi etiam dicit Chriſtus, Regnum Dei intra vos eſt. Sed proprie loquendo regnum Dei in nobis habitans, in mundo peregrinatur: quia prorſus diverſa eſt ejus conditio. *Miniſtri mei utique decertarent.* Probat ſe terrenum regnum non affectaſſe, quia nemo ſe moveat, nemo arma capiat. nam ſi privatus quiſpiam regnum ſibi uſurpet, neceſſe eſt ut per factioſos homines vires acquirat. In Chriſto nihil apparet tale: ſequitur ergo non eſſe terrenum regem. Sed quæritur hoc loco an regnum Chriſti non liceat armis defendere: nam quum jubentur Principes oſculari Dei Filium, non tantum illis mandatur ut ſe privatim ſubjiciant ejus imperio, ſed etiam ut conferant quicquid habent poteſtatis ad tuendam Eccleſiam & aſſerendam pietatem. Primum reſpondeo, perperam & inſcite facere qui hanc conſequentiam deducunt, non debere Euangelii doctrinam & purum Dei cultum armis defendi, quia non eſt tunc defenſus Chriſtus in ſua perſona. Tantum enim ex præſenti facto ratiocinatur Chriſtus quam frivolum ſit quod calumnioſe detulerant Judæi. Deinde etiamſi Chriſti regnum gladio propugnent pii Reges, fieri tamen hoc alio modo quam defendi ſoleant regna mundana. Regnum enim Chriſti, ut ſpirituale eſt, in doctrina & virtute Spiritus fundari oportet. Eodem etiam modo perficitur ejus ædificatio. neque enim leges & edicta hominum, neque pœnæ ad conſcientias uſque perveniunt: *hoc* tamen non obſtat quominus per accidens regnum Chriſti tueantur Principes, partim dum externam diſciplinam conſtituunt, partim dum ſuum patrocinium commodant Eccleſiæ contra impios. Cæterum facit mundi pravitas ut magis ſanguine martyrum ſtabiliatur regnum Chriſti quam armorum præſidiis.

Luc. 17. verſ. 21.

Pſal. 2. verſ. 12.

Natura regni Chriſti.

Ad quos ſpectat.

37. Dixit ergo ei Pilatus, Numquid ergo Rex es tu? Reſpondit Jeſus, Tu dicis quod Rex ſim ego. in hoc ego natus ſum, & in hoc veni in mundum, ut teſtimonium reddam veritati. Quiſquis eſt ex veritate, audit vocem meam.

38. Dicit ei Pilatus, Quid eſt veritas? Et quum hoc dixiſſet, rurſum exivit ad Judæos, & dixit illis, Ego nullum crimen invenio in eo.

39. Eſt autem vobis conſuetudo ut unum vobis dimittam in Paſchate: vultis ergo vobis dimittam Regem Judæorum?

40. Clamaverunt ergo rurſus omnes, dicentes, Non hunc, ſed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.

37. *Tu dicis quod Rex ſim ego.*] Tametſi jam ex priore reſponſo intellexerat Pilatus Chriſtum aliquod ſibi regnum vendicare, Chriſtus tamen hoc idem nunc certius affirmat: nec eo contentus, alteram ſententiam ſubjicit, quæ ſit veluti illius dicti obſignatio. Unde colligimus, doctrinam de regno Chriſti non vulgarem eſſe, quum tanta aſſeveratione dignam ipſe duxerit. Eſt quidem generalis ſententia, *Ego in hoc natus ſum ut teſtimonium reddam veritati:* præſertim tamen ad loci hujus circumſtantiam aptanda eſt. Cæterum hoc ſonant verba, Chriſto eſſe naturale ut ſit verax: deinde in hoc à Patre eſſe miſſum: ideoque proprium eſſe ejus munus. Quare non eſt periculum ne illi credendo fallamur: quandoquidem impoſſibile eſt eum aliud quam verum tradere cui munus aſſerendæ veritatis divinitus attributum eſt, & ſtudium natura ingenitum. *Quiſquis eſt ex veritate.* Hoc addidit Chriſtus non tam hortandi Pilati cauſa (quod ſe nullo profectu facturum eſſe ſciebat) quam ut ſuam doctrinam ab indignis contumeliis, quibus ſubjecta erat, vindicaret. acſi dixiſſet, Crimini hoc mihi ducitur quod me profeſſus ſim eſſe Regem. atqui hæc indubia eſt veritas, quam reverenter & ſine controverſia excipiunt quicunque ſunt recto judicio ſanaque intelligentia præditi. Quanquam ex veritate eos eſſe dicit non qui naturaliter verum perſpiciunt, ſed quatenus Spiritu Dei reguntur.

38. *Quid eſt veritas.*] Quibuſdam videtur Pilatus curioſe inquirere, ut ſolent interdum profani homines cupide appetere ignotæ rei ſcientiam, interea neſcientes cur hoc velint: illis enim tantum propoſitum eſt aures ſuas paſcere. Ego vero potius vocem eſſe faſtidientis interpretor: putabat enim ſibi non parum injuriæ fieri Pilatus quod eum Chriſtus omni veritatis notitia privaret. Jam in Pilato agnoſcimus communem hominum morbum. quamvis ignorantiæ conſcii nobis ſimus omnes, pauci tamen ſunt qui fateri ſuſtineant: hinc fit ut veram doctrinam major pars reſpuat. Poſtea Dominus, qui doctor eſt humilium, ſuperbos excæcando, quam merentur pœnam ipſis infligit. Ex eadem ſuperbia naſcitur faſtidium illud, quod ſe ad diſcendum ſubmittere non dignantur: quia ſibi perſpicaciam & acumen ingenii omnes arrogant. Res creditur trita eſſe veritas: Deus autem contra teſtatur captu humanæ mentis longe altiorem. Idem in aliis quoque accidit. Præcipua theologiæ capita ſunt, De maledictione gene-

Communis hominum morbus.

generis humani, De corrupta natura, De mortificatione carnis, De renovatione vitæ, De reconciliatione gratuita per unicum ſacrificium, De juſtitiæ imputatione, qua acceptus eſt Deo peccator, De illuminatione Spiritus. Hæc quia ſunt paradoxa, communis hominum ſenſus contemptim repudiat. Pauci ergo in Dei ſchola proficiunt, quia vix decimus quiſque reperitur qui ad prima rudimenta attendat. Cur autem, niſi quia proprio ſenſu metiuntur arcanam Dei ſapientiam? Quod autem irriſorie loquutus ſit Pilatus, hinc apparet, quod ſtatim egreditur. In ſumma, Chriſto ſuccenſet, quia veritatem ſe proferre jactet quæ prius in tenebris latuerit. Hæc tamen ejus indignatio demonſtrat impios nunquam adeo moroſe rejicere Euangelii doctrinam quin aliqua ejus efficacia tangantur. Nam etſi non euſque progreſſus eſt Pilatus ut docilem ſe præbeat, cogitur tamen intus punctionem aliquam ſentire.

39. *Eſt autem vobis conſuetudo.*] Hoc Pilatus ſemper in animo volvebat, qualiter eriperet Chriſtum à morte. quum autem tantopere arderet populi furor, mediam viam tenebat qua iratos animos placaret: putabat enim hoc ſatis fore, ſi Chriſtus pro malefico dimiſſus, perpetua ignominia notatus eſſet. Ideoque Barabbam præcipue deligit, ut ejus comparatione Chriſti odium mitiget. erat enim ob ſcelerum atrocitatem omnibus maxime infenſus. Quid enim deteſtabilius eſt latrone? Et Lucas commemorat aliis etiam criminibus fuiſſe reum. Quod autem eum Chriſto præferunt Judæi, non abſque ſingulari Dei providentia accidit. minime enim decuit tam indigno pretio à morte liberari Dei Filium. Interea in extremam ignominiam morte dejectus eſt, ut Barabba dimiſſo medius inter duos latrones crucifigeretur: quia omnium ſcelera in ſe ſuſceperat, quorum non aliter peragi poterat expiatio. Ergloria reſurrectionis quæ mox ſequuta eſt, effecit ut mors quoque ipſa magnificus eſſet triumphus. Porro in iſta conſuetudine turpe & craſſum fuit vitium, quod Romanus Præſes Judæis unum aliquem ex ſceleratis in Paſchate donabat. Hoc quidem fiebat ad celebrandam diei ſanctitatem: ſed reipſa nihil aliud erat quam fœda ejus profanatio. Nam, teſte Scriptu- *Prov. 17.*
ra, abominatio eſt coram Deo qui nocentem abſolvit. *verſ. 15.*
Multum ergo abeſt quin eum delectet præpoſtera ejuſmodi venia. Hoc ergo exemplo diſcamus nihil magis eſſe præpoſterum quam velle Deum noſtris figmentis colere. Nam ſimulac proprias imaginationes ſequi homines cœperint, nullus eſt modus, donec in extrema quæque deliria prolapſi, palam Deo illudant. Lex ergo divini cultus non aliunde quam ex ejus præſcripto petenda eſt.

CAP. XIX.

TUnc ergo apprehendit Pilatus Jeſum, & flagellavit.

2. Et milites plectentes coronam ex ſpinis, impoſuerunt capiti ejus: & veſtem purpuream circumdederunt ei.

3. Ac dicebant, Salve Rex Judæorum. Et dabant ei alapas.

4. Exivit ergo iterum foras Pilatus, & dixit eis, Ecce adduco eum vobis foras, ut ſciatis quod in eo nullum crimen invenio.

5. Exivit itaque Jeſus foras, portans ſpineam coronam, & purpuream veſtem. Tunc dixit eis, Ecce homo.

6. Quum ergo vidiſſent eum Sacerdotes & miniſtri, clamarunt, dicentes, Crucifige, crucifige. Dicit eis Pilatus, Accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non invenio in eo crimen.

1. *Apprehendit Pilatus Jeſum.*] Perſtat in ſuo conſilio Pilatus. priori tamen ignominiæ ſecundam addit: quia Judæos ſperat mediocri iſta caſtigatione contentos fore, ubi cæſus flagellis fuerit Chriſtus. Quod autem tam ſollicite laborat, & nihil proficit, in eo cæleſte decretum nobis reputandum eſt, quo deſtinatus erat Chriſtus ad mortem. Interea ejus innocentia ſæpius teſtimonio judicis aſſeritur, ut ſciamus eum ab omni culpa immunem pro aliis reum ſubſtitui, & pœnam alienis peccatis debitam ſubire. In Pilato vero notabile exemplar trepidæ conſcientiæ cernimus. Chriſtum ore ſuo abſolvit, & fatetur nullum in eo eſſe crimen: pœnam tamen infligit tanquam noxio. Ita huc illuc transferri, & in contrarias pugnanteſque ſententias diſtrahi neceſſe eſt, quibus non eſt tantum animi ut quod rectum eſt, inflexibili conſtantia defendant. Damnamus Pilatum omnes: interea dictu pudendum eſt quam multos ſimiles habeat mundus, qui Chriſtum non modo in ejus membris, ſed in doctrina etiam flagellant. Multi, ut ſervent à morte qui pro Euangelio laborant, eos cogunt ad impiam Chriſti abnegationem. quid hoc aliud eſt quam Chriſtum ludibrio exponere, ut infamem vitam degat? Alii dum pauca quædam excerpunt ex Euangelio quæ probent, totum Euangelium lacerant. Præclarum aliquid effectum putant ſi pauci craſſi abuſus correcti fuerint. atqui præſtaret ſepultam eſſe doctrinam ad tempus quam ſic flagellari. Nam diabolo & tyrannis omnibus invitis renaſceretur: nihil autem difficilius quam ſuæ puritati reſtitui ubi ſemel corrupta fuit.

2. *Milites plectentes.*] Hoc proculdubio juſſu Pilati factum eſt, ut notam criminis inureret Filio Dei, quod ſe Regem feciſſet: atque id ad explendam Judæorum rabiem, quaſi perſuaſus eſſet Chriſtum jure ab illis fuiſſe accuſatum. Militum tamen improbitas & laſcivia ultra judicis imperium exultat; ſicuti impii ſimulac male agendi oblata eſt occaſio, eam cupide arripiunt. Mira autem gentis ſævitia, cujus animos tam triſte ſpectaculum ad miſericordiam non flectit. ſed Deus hoc totum gubernat, ut mundum ſibi reconciliet Filii ſui morte.

6. *Accipite eum vos, & crucifigite.*] Noluit Chriſtum tradere in eorum manus, neque libidini permittere: tantum ſe fore negat eorum carnificem. quod ex ratione mox addita patet, ubi dicit, Se nullum invenire in eo crimen. acſi diceret, ſe nunquam adductum iri ut ſanguinem innoxium fundat in eorum gratiam. Quod ſoli Sacerdotes & miniſtri eum ad crucem depoſcunt, inde apparet non fuiſſe tantam in populo rabiem, niſi quatenus iſtis flabellis accenſa deinde fuit.

7. Reſponderunt ei Judæi, Nos legem habemus, & ſecundum legem noſtram debet mori, quia Filium Dei ſe fecit.

8. Quum ergo audiſſet Pilatus hunc ſermonem, magis timuit.

9. Et

9. Et ingreſſus eſt rurſus in prætorium, ac dixit Jeſu, Unde es tu? Jeſus autem reſponſum non dedit ei.

10. Dixit ergo ei Pilatus, Mihi non loqueris? neſcis quod poteſtatem habeam crucifigendi te, & poteſtatem habeam dimittendi te?

11. Reſpondit Jeſus, Non haberes poteſtatem ullam contra me, niſi tibi data eſſet deſuper: propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.

7. *Nos legem habemus.*] Significant ſe jure Chriſtum perſequi, non libidine aut odio. ſentiebant enim ſe oblique perſtrictos eſſe à Pilato. Loquuntur autem ut apud hominem Legis ignarum. acſi dicerent, Nobis permiſſum eſt more noſtro vivere: religio autem noſtra non patitur ut quis ſe pro Filio Dei venditet. Porro hæc accuſatio non prorſus carebat prætextu: ſed in hypotheſi graviter errabant. Generalis quidem doctrina vera erat, fas non eſſe hominibus quicquam ſibi divini bonoris ſumere, ac morte eſſe dignos quicunque ad ſe traherent quod unius Dei proprium erat: cauſa autem erroris in Chriſti perſona fuit, quod neque reputarunt quibus elogiis Meſſiam prædicet Scriptura: quia inde colligere promptum erat eſſe Filium Dei: nec etiam inquirere dignati ſunt eſſetne Jeſus ille Meſſias olim à Deo promiſſus. Videmus ergo ut ex vero principio falſam conſequentiam deducant, quia male ſubſumunt. Quo exemplo monemur inter doctrinam generalem & hypotheſes ſedulo diſtinguere. Multi enim imperiti & leves homines, ſi ſemel decepti fuerint veri prætextu, ipſa quoque Scripturæ principia rejiciunt. quæ licentia hodie plus juſto in mundo graſſatur. Meminerimus ergo ſic cavendum eſſe à fallaciis, ut principia quæ vera ſunt, integra maneant, nec labefactetur Scripturæ fides. Rurſus hoc modo facile refutare impios licebit, qui Scripturæ teſtimonium, & quæ inde ſumunt principia, malis cauſis falſo & perperam obtendunt. Sicuti quum hodie Papiſtæ Eccleſiæ auctoritatem magnifice extollunt, nihil afferunt in quo non conſentiant omnes filii Dei. Eccleſiam eſſe fidelium matrem, eſſe columnam veritatis, eſſe audiendam, regi à Spiritu ſancto contendunt. nihil horum negandum eſt: ſed quum trahere ad ſe volunt quicquid juris Eccleſiæ debetur, improbe & ſacrilega audacia rapiunt quod nihil ad ſe pertinet: nam hypotheſin expendere convenit, an ipſi Eccleſiæ titulum mereantur. hic autem prorſus deficiunt. Similiter quum furioſe in omnes pios ſæviunt, hoc ſe colore excuſant quod ordinati ſint ad tuendam fidem & pacem Eccleſiæ: ſed ubi propius ad rem ventum eſt, clare perſpicitur nihil minus eos habere in animo quam veræ doctrinæ patrocinium, nulla minus quam pacis & concordiæ cura tangi, ſed pro ſua tyrannide duntaxat pugnare. Qui generalibus principiis contenti ad circumſtantias non attendunt, nos merito putant à Papiſtis oppugnari: ſed cauſæ cognitio fumos illos quibus illudunt, facile diſcutit.

8. *Magis timuit.*] Duplex poteſt elici ſenſus. prior eſt, quod veritus fuerit Pilatus ne ſuſtineret aliquam culpam ſi exortus eſſet tumultus, quia Chriſtum non damnaſſet: alter, quod audito Filii Dei nomine, mens ejus religione tacta fuerit. Hunc ſecundum ſenſum confirmat quod ſequitur in contextu, nempe quod prætorium iterum ingreſſus, Chriſtum interrogat unde ſit. Inde enim apparet perplexum fuiſſe & anxium: quia ſacrilegii pœnam metueret ſi manum injiceret in Filium Dei. Notandum autem eſt, quum rogat unde ſit Chriſtus, non ſciſcitari de ejus patria: ſed hoc perinde valere acſi dixiſſet, Esne homo natus in terris, an deus quiſpiam? Sic ergo hunc locum interpretor, quod metu numinis perculſus Pilatus, inter ſacrum (ut aiunt) & ſaxum hæſerit. Videbat enim ab una parte tumultum fervere, ab altera tenebat eum conſtrictum religio, ne vitandi periculi cauſa in Dei offenſam incurreret. Exemplum hoc in primis notatu dignum eſt: quum tam deformis eſſet Chriſti conſpectus, ſimul tamen ac Dei nomen audit Pilatus, eum invadit timor ne divinum numen in homine pluſquam abjecto & contempto violet. Si tantum in homine profano valuit Dei reverentia, nonne ter reprobos eſſe oportet qui hodie de rebus divinis per luſum & jocum ſecure & abſque ullo metu judicant? Nam certe documento eſt Pilatus, religionis ſenſum hominibus ingenitum eſſe à natura, qui non patitur eos audacter quovis ruere quum de rebus divinis agitur. Ideò dixi in ſenſum reprobum conjectos eſſe quos in tractanda Scripturæ doctrina non magis afficit Dei majeſtas quam ſi de umbra aſini eſſet diſceptatio. Sentiant tamen olim in ſuum exitium quam venerandum ſit Dei nomen, cui hodie tam contemptim, imo contumelioſe illudunt. Dictu horrendum eſt quam ſuperbe & ferociter à Papiſtis damnetur clara & teſtata Dei veritas, & innoxius ſanguis funditur. Unde obſecro tam ebrius ſtupor, niſi quia in mentem illis non venit quicquam ſibi negotii cum Deo eſſe?

9. *Jeſus autem reſponſum non dedit*] Quod non reſpondet Chriſtus, videri abſurdum non debet, ſi quidem memoria tenemus quod prius monui, non ſtetiſſe eum coram Pilato ad cauſam ſuam agendam (ut rei ſolent qui abſolvi cupiunt) ſed potius ad ſubeundum judicium. nam eum ſuſcepta noſtra perſona damnari oportuit. Hæc ratio eſt cur defenſione abſtineat. Nec tamen pugnat Chriſti ſilentium cum Pauli ſententia, ubi dicit, Memento Chriſtum ſub Pilato edidiſſe bonam confeſſionem. *1 Tim 6. verſ.13.* Quantum enim ſatis erat Euangelii fidem illic aſſeruit, neque aliud fuit mors ejus quam doctrinæ ab ipſo traditæ obſignatio. Non defuit ergo legitimæ confeſſioni Chriſtus, ſed tacuit quoad petendam abſolutionem. Adde quod periculum erat ne Chriſtum abſolveret Pilatus tanquam unum ex diis fictitiis: quemadmodum voluit eum Tiberius referre inter Romanos deos. Merito itaque Chriſtus ſtultam hanc ſuperſtitionem ſilendo repudiat.

10. *Neſcis quod poteſtatem.*] Hinc apparet, terrorem illum quo repente commotus fuit Pilatus, evanidum fuiſſe, nec habuiſſe vivas radices. Nunc enim timoris oblitus proſilit in ſuperbum & immanem Dei contemptum. perinde enim Chriſto minatur acſi nullus eſſet in cælo judex. Sed hoc profanis hominibus ſemper accidere neceſſe eſt, ut excuſſo Dei metu mox ad ingenium ſuum redeant. Unde etiam colligimus, non abs re vocari cor hominis fraudulentum. *Jer. 17. verſ.9.* nam quum illic inſideat aliquis Dei metus, ſimul ebullit mera impietas. Quiſquis ergo non regenitus eſt Dei Spiritu, quamvis ejus numen ad momentum revereri ſe oſtendat, contrariis factis mox ſimulatum fuiſſe hunc timorem prodet. Jam in Pilato imaginem cernimus ſuperbi hominis, quem ſua ambitio ad inſaniam adigit. Nam dum potentiam ſuam vult efferre, juſtitiæ laude & fama ſe privat. Chriſtum fatetur innoxium: parem ergo latroni ſe facit dum gloriatur ſe poſſe illum jugulare. Sic tumultuari impias conſcientias neceſſe eſt in quibus non regnat fides & vera Dei cognitio, & illic varios carnis affectus inter ſe confligere. Et Deus hoc modo præclare ſe de hominum ſuperbia ulciſcitur dum fines ſuos tranſiliunt ut ſibi immenſam potentiam uſurpent: injuſtitiæ ultro ſe damnantes, ſummo probro & infamia ſe afficiunt. Quare nulla

major

major quam ſuperbiæ cæcitas : nec mirum, utpote quæ manum Dei, contra quam impingit, ſentiat ultricem. Quare meminerimus non eſſe temere exultandum in futilibus jactantiis, ne ridiculi fiamus. præſertim qui in ſublimi gradu locati ſunt modeſte ſe contineant: nec eos pudeat Deo ſubjici, & legibus eſſe obnoxios.

11. *Non haberes poteſtatem.*] Aliqui generaliter exponunt quod nihil niſi Dei permiſſu geratur in mundo. acſi diceret Chriſtus, Pilatum, qui omnia ſe poſſe exiſtimat, non plus tamen facturum quam Deus concedet. Vera quidem eſt ſententia, regi hunc mundum Dei arbitrio: atque ut omnia moliantur impii, non poſſe tamen vel digitum movere niſi moderante arcana Dei potentia : ſed rectius (meo judicio) ſentiunt qui locum hunc reſtringunt ad Magiſtratus officium. Stultam enim Pilati arrogantiam caſtigat Chriſtus his verbis, quia periode ſe extollat tanquam poteſtas ejus non à Deo eſſet. acſi dixiſſet, Tu omnia perinde tibi ſumis acſi non ſemel Deo reddenda eſſet ratio: atqui non ſine ejus providentia factus es judex. cogita ergo cæleſte ejus tribunal tuo eſſe ſuperius. Nulla aptior admonitio inveniri poteſt ad reprimendam eorum intemperiem qui aliis præſunt, ne jure ſuo abutantur. Pater omnia ſibi licere in filios putat, maritus in uxorem, dominus in ſervos, Princeps in populum: niſi quum in Deum reſpiciunt, qui certa lege eos dominari voluit. *Propterea qui me tradidit.* Putant Judæos majoris culpæ reos fieri quam Pilatum, quia ſcelerato odio & perfida malitia contra juſtum graſſentur, & quidem privati homines, nec legitimo imperio præditi. Ego vero aliter, hac circumſtantia gravius & minus excuſabile eſſe eorum crimen exiſtimo, quia imperium divinitus conſtitutum ſuæ libidini ſervire cogunt. magnum enim ſacrilegium eſt ſancta Dei ordinatione ad quodvis nefas abuti. Jure deteſtabilis eſt latro qui miſerum viatorem jugulat manu ſua: ſed qui prætextu judicii inſontem occidit, magis ſceleratus. Cæterum non amplificat illorum crimen ut Pilatum ſublevet: neque enim hunc cum illis comparat: quin potius eodem reatu ſimul omnes conſtringit, quia ſanctam poteſtatem pariter contaminant. Hoc tantum eſt diſcrimen, quod directe petit Judæos: Pilatum vero, qui obſequitur eorum libidini, oblique taxat.

12. Ex eo quærebat Pilatus dimittere eum. Judæi autem clamabant, dicentes, Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. quiſquis ſe Regem facit, contradicit Cæſari.

13. Pilatus ergo quum audiſſet hunc ſermonem, adduxit foras Jeſum, & ſedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lapidibus ſtratus, Hebraice autem Gabbatha.

14. Erat autem paraſceve Paſchæ, hora fere ſexta. Et dicit Judæis, Ecce Rex veſter.

15. Illi autem clamarunt, Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus, Regem veſtrum crucifigam? Reſponderunt Sacerdotes, Non habemus Regem niſi Cæſarem.

16. Tunc ergo tradidit eum illis ut crucifigeretur. Acceperunt autem Jeſum, & abduxerunt.

12. *Ex eo quærebat Pilatus.*] Quamvis nec cordate ſe gerat Pilatus, & ambitione magis quam juſtitiæ ſtudio regatur, ideoque miſere vacillet : laudanda tamen ejus modeſtia, quod ſevere à Chriſto reprehenſus non ſuccenſet, imo ad eum liberandum magis inclinat. Judex eſt, & tamen manſueto animo reum patitur eſſe cenſorem ſuum. Vix certe centeſimus quiſque reperietur qui objurgationem tam placide ab aliquo æquali ſuo ferat. *Non es amicus Cæſaris.* Minaciter extorquent à Pilato ut Chriſtum damnet. nihil enim magis odioſum objicere poterant, & quod plus terroris poſſet incutere, quam dum ſuſpectum reddunt malæ in Cæſarem fidei. Tu (inquiunt) oſtendis tibi curæ non eſſe Cæſaris imperium, ſi eum abſolvis qui omnia turbare conatus eſt. Hæc tandem improbitas fregit animum Pilati, qui ante concuſſus tantum fuerat violentis clamoribus. Nec vero fruſtra iſtas circumſtantias Euangeliſta tam ſedulo perſequitur & inculcat : quia noſtra magnopere intereſt, Chriſtum ſcire non prius fuiſſe damnatum à Pilato quam ter & quater jam abſolutus eſſet ejuſdem ore: ut inde colligamus, non ſuo ipſum nomine fuiſſe damnatum, ſed pro noſtris peccatis. Inde etiam colligere licet quam voluntarius ad ſubeundam mortem fuerit, qui uti neglexit propenſo illo in ſe judicis affectu. Et certe hæc obedientia effecit ut mors ejus boni odoris ſacrificium eſſet expiandis omnibus peccatis.

13. *Sedit pro tribunali.*] Hinc apparet quam varie diſtractus fuerit Pilatus, acſi hiſtrio unus duas ageret perſonas. Conſcendit tribunal ut Chriſtum ſolenni more ſupplicio addicat : interea palam declarat ſe hoc invitum facere, & repugnante conſcientia. Ironice Chriſtum vocat Regem, ſignificans frivolam eſſe calumniam qua gravabant illum Judæi : vel certe, ut compeſcat eorum furorem, probroſum hoc toti genti fore admonet, ſi rumor vulgatus fuerit fuiſſe ex ea damnatum aliquem regni affectati crimine. Quum Euangeliſta nomen Hebraicum loci *Gabbatha* fuiſſe refert, linguam Chaldæam intelligit vel Syriacam, quæ tunc in communi uſu erat. *Gabba* enim Hebræis excelſum ſignificat. E ſublimi itaque loco damnari Chriſtum oportuit, ut ipſe ſummus Judex è cælo adveniens nos extremo die abſolvat.

14. *Hora fere ſexta.*] Videntur Euangeliſtæ in tempore notando varii eſſe & parum inter ſe conſentientes. Dicunt tres alii tenebras ab hora ſexta factas eſſe, quum jam in cruce penderet Chriſtus. Marcus etiam diſerte exprimit horam fuiſſe tertiam quum de eo lata fuit ſententia. Solutio tamen non eſt difficilis. Satis patet ex aliis locis, diem tunc in quatuor partes fuiſſe diviſum : ſicuti nox viciſſim quatuor habebat vigilias. Hinc factum eſt ut ſingulis diebus quaternas tantum horas interdum aſſignent Euangeliſtæ, & ſingulas horas in tres extendant. interea ſpatium unius horæ quod ad finem inclinat, ſequenti annumerant. Secundum hanc ſupputationem Joannes hora ſexta damnatum fuiſſe Chriſtum narrat : quia tempus diei ad horam ſextam vel ad ſecundam partem vergebat. Hinc colligimus, hora ſexta vel circiter Chriſtum fuiſſe crucifixum: locus enim (ut paulo poſt dicet) erat urbi vicinus. Inter ſextam & nonam cœperunt tenebræ, quæ ad nonam uſque durarunt, qua mortuus eſt Chriſtus.

15. *Non habemus Regem.*] Hic vero ſe prodit horribilis furor, quod Sacerdotes, qui exercitati in Lege eſſe debebant, Meſſiam rejiciunt, in quo tota populi ſalus incluſa erat, à quo pendebant omnes promiſſiones, in quo fundata erat tota religio. Certe gratia Dei & bonis omnibus ſe abdicant Chriſtum repudiando. videmus ergo quanta vecordia correpti fuerint. Fingamus Chriſtum non fuiſſe Chriſtum; nulla tamen illis excuſatio eſt quod Regem præter Cæſarem nullum agnoſcunt. Primum enim deficiunt à ſpirituali regno Dei. Secundo tyrannidem Romani Imperii, quam maxime execrabantur, juſtæ gubernationi præferunt, qualis à Deo promiſſa erat.

erat. Ita impii ut Chriſtum fugiant, non modo ſe privant vita æterna, ſed omne miſeriarum genus ſibi accerſunt: contra vero unica eſt piorum felicitas ſubeſſe Chriſti regno, ſive juſto & legitimo dominio ſubjecti ſint; quoad carnem, ſive à tyrannis premantur.

16. *Tradidit eum illis.*] Coëgit quidem Pilatum illorum importunitas ut Chriſtum traderet: neque tamen id factum eſt tanquam in tumultu, ſed more ſolenni damnatus fuit: quia & duo latrones cauſa cognita ad crucem ſimul damnati ſunt. Sed hoc verbo utitur Joannes quo melius confirmet implacabili populi ſævitiæ datum fuiſſe Chriſtum, qui nullius delicti convictus erat.

17. Et geſtans crucem ſuam exivit in locum qui dicitur Cranii, Hebraice Golgotha.

18. Ubi eum crucifixerunt, & cum eo duos alios, hinc & inde, medium autem Jeſum.

19. Scripſit autem & titulum Pilatus, & poſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptum, JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM.

20. Hunc ergo titulum multi ex Judæis legerunt: quia urbi propinquus erat locus ubi Jeſus crucifixus fuit. Et ſcriptum erat Hebraice, Græce, & Latine.

21. Dixerunt autem Pilato Sacerdotes Judæorum, Ne ſcribas, Rex Judæorum: ſed quod ipſe dixerit, Rex ſum Judæorum.

22. Reſpondit Pilatus, Quod ſcripſi, ſcripſi.

17. *Exivit in locum* &c.] Circumſtantiæ quæ hic notantur, non modo ad hiſtoriæ certitudinem, ſed fidei quoque noſtræ ædificationem plurimum valent. Quærenda nobis juſtitia eſt in expiatione à Chriſto peracta. Ergo ut ſe piaculum pro peccatis noſtris eſſe probaret, tum educi extra urbem, tum ſuſpendi in ligno voluit. *Lev. 6. verſ. 30. & 16. verſ. 23. Deut. 21. verſ. 23.* Hoſtiæ enim quarum ſanguis pro peccato fundebatur, ſolebant extra caſtra efferri, ex Legis mandato: & eadem Lex maledictum pronunciat quicunque in ligno pendet. Utrumque in Chriſto impletum eſt, ut certo nobis perſuaſum ſit peccata noſtra ſacrificio mortis ejus expiata eſſe: ipſum fuiſſe execrationi ſubjectum, ut nos à maledictione Legis redimeret, Galat. 3: 13. factum eſſe peccatum, ut in eo ſimus juſtitia Dei, 2 Corinth. 5: 21. eductum eſſe extra urbem, ut ſordes noſtras, quæ illi impoſitæ erant, ſecum è medio tolleret, Hebr. 13: 12. Eodem pertinet quod poſtea de latronibus ſequitur. quaſi enim per ſe non ſufficeret ſupplicii atrocitas, medius ſuſpenditur inter duos latrones, quaſi non unus quilibet eſſet ex aliorum numero, ſed omnium ſceleratiſſimus, & maxime deteſtabilis. Semper enim memoria repetendum eſt illud, Nihil feciſſe impios Chriſti carnifices niſi quod Dei manu & conſilio decretum eſſet. neque enim Filium ſuum expoſuit Deus illorum libidini: ſed ex ſuo arbitrio & animi ſententia ſibi tanquam victimam immolari voluit. Quod ſi optima ratione non caruit Dei conſilium in omnibus iis quæ pati Filium ſuum voluit, tum horribilis iræ illius gravitas adverſus peccatum, tum immenſa erga nos bonitatis ejus magnitudo nobis reputanda eſt. Non aliter aboleri potuit noſter omnium reatus niſi Filius Dei κάθαρμα pro nobis fieret. Videmus eum quaſi omni ſcelerum congerie pollutum in locum execrabilem cogi, ut illic coram Deo & hominibus maledictus appareat. Nimis certe ſtupidi ſumus, niſi in hoc ſpeculo clare cernimus quantopere abominetur Deus peccata: pluſquam vero ſaxei, niſi expaveſcimus ad tale ejus judicium. Dum autem altera ex parte teſtatur Deus ſibi tam charam fuiſſe noſtram ſalutem ut Filio unigenito non pepercerit: quam effuſam bonitatis & gratiæ magnitudinem illic conſpicimus? Quiſquis ergo mortis Chriſti cauſas rite expendet una cum fructu qui inde ad nos redit, illi neque ſtultitia, *1 Cor. 1. verſ. 23.* ut Græcis, neque ſcandalum, ut Judæis, erit crucis doctrina; ſed potius inæſtimabile divinæ tum virtutis, tum ſapientiæ, tum juſtitiæ, tum bonitatis ſpecimen ac pignus. Quum dicit Joannes loco nomen fuiſſe *Golgotha*, de lingua vel Chaldæa vel Syriaca accipit. Eſt autem nomen deductum à *Galgal*, hoc eſt, à volvendo: quia in cranio eſt velut pilæ aut globi rotunditas.

19. *Scripſit autem & titulum.*] Inſerit Euangeliſta memorabile Pilati factum poſt latam ſententiam. Uſitatum quidem forte fuit titulos apponere quum plecterentur malefici, ut pœnæ cauſa in exemplum omnibus nota eſſet: atqui in Chriſto hoc extraordinarium eſt quod ſine ignominia titulus apponitur. Pilati enim conſilium fuit, quo ſe oblique ulciſceretur de Judæis, qui ſua pervicacia injuſtum de homine innoxio ſupplicium extorſerant, totam gentem in Chriſti perſona damnare. Ita Chriſto nullam proprii ſceleris notam inurit. Verum longe altius proſpexit Dei providentia, quæ Pilati ſtylum gubernavit. Non venit quidem Pilato in mentem celebrare Chriſtum ut ſalutis auctorem, & Dei Nazaræum, & Regem electi populi: Deus tamen hoc Euangelii præconium neſcienti quid ſcriberet dictavit. Eodem arcano Spiritus impulſu factum eſt ut titulum publicaret triplici lingua. neque enim credibile eſt fuiſſe hoc ex communi uſu: ſed Dominus hoc præludio monſtravit jam tempus inſtare quo Filii ſui nomen ubique innoteſceret.

21. *Dixerunt ergo Pilato Sacerdotes.*] Sentiunt ſe odioſe perſtringi: atque ideo cuperent mutari titulum, qui ſine gentis infamia Chriſtum ſolum gravaret. Cæterum interea non diſſimulant quanto veritatis odio ſint infecti, qui ne minimam quidem ejus ſcintillam ferre queunt. Ita ſemper miniſtros ſuos inſtigat Satan, qui, ſimulac minimum aliquid emicat divinæ lucis, ſuis tenebris extinguere vel ſaltem ſuffocare conentur. Conſtantia vero Pilati divinæ providentiæ tribuenda eſt. neque enim dubium quin ejus animum variis modis tentaverint. Sciamus ergo divinitus fuiſſe retentum ut inflexibilis maneret. Non ceſſit Pilatus Sacerdotum precibus, nec ſe ab illis corrumpi ſuſtinuit: at Deus per os ejus teſtatus eſt quam ſtabile ſit Filii ſui regnum. Quod ſi in Pilati ſcriptura major oſtenſa fuit regni Chriſti firmitas quam ut hoſtium machinis concuti poſſet, quid de Prophetarum teſtimoniis ſentiendum, quorum ora & manus ſibi Deus ſacravit? Pilati quoque exemplum officii noſtri nos admonet, ut conſtantes ſimus in tuenda veritate. Non retractat homo profanus quod vere, licet ſine mente & conſilio, de Chriſto ſcripſit: quantum ergo dedecus, ſi minis vel periculis territi diſcedimus ab ejus doctrinæ profeſſione quam Deus cordibus noſtris per Spiritum ſuum obſignavit? Notandum præterea eſt quam execranda ſit tyrannis Papiſtica quæ plebem ab Euangelio & totius Scripturæ lectione arcet. Pilatus, homo reprobus, & alioqui Satanæ organum, arcano tamen inſtinctu deſtinatus fuit Euangelii præco, ut brevem ejus ſummam tribus linguis vulgaret. Qui ergo ejus notitiam quantum in ſe eſt ſuppreſſam curant, quo loco nobis habendi ſunt, quum ſe prodant Pilato nequiores?

23. Milites

Digitized by Google

23. Milites ergo, quum crucifixiſſent Jeſum, acceperunt veſtimenta ejus (& fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconſutilis, à ſummo contexta per totum.

24. Dixerunt ergo inter ſe, Ne ſcindamus eam: ſed ſortiamur de ea cujus ſit. Ut
Pſal. 22. Scriptura impleretur, dicens, Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, & ſuper veſtitu meo mi-
verſ. 19. ſerunt ſortem. Et milites quidem hæc fecerunt.

23. *Milites ergo.*] De veſtibus Chriſti inter milites diviſis apud alios quoque Euangeliſtas fit mentio. Quatuor erant milites qui reliquum veſtitum ioter ſe partiti ſuot. reſtabat tunica inconſutilis, quæ quum dividi non poſſet, ſuper eam ſors jacta eſt. Ut mentes noſtras in conſiderando Dei conſilio retineant Euangeliſtæ, in bac etiam parte impletam fuiſſe Scripturam admonent. Locus tamen quem adducunt ex Pſalmo 22. videtur intempeſtive ad præſentem cauſam trahi. Nam quum illic queratur David ſe boſtibus prædæ fuiſſe, metaphorice ſub nomine veſtium ſua omnia deſignat: acſi uno verbo diceret, Spoliatum ſe & oudatum ab improbis fuiſſe. quam figuram dum negligunt Euangeliſtæ, à nativo ſenſu diſceduot. Sed tenendum eſt primo loco, Pſalmum ad Davidem reſtringi non debere: quemadmodum ex pluribus ſeotentiis patet, præſertim vero ex clauſula, ubi habetur, Celebrabo nomen tuum in Gentibus. quod de Chriſto exponere neceſſe eſt. Jam vero non mirum ſi obſcure in Davide adumbratum fuerit quod io Cbriſto expreſſius cernitur: quanto ſcilicet veritas ſuo typo clarior eſſe debet. Sciamus porro nudatum fuiſſe Chriſtum ſuis veſtibus, ut nos juſtitia ſua indueret: nudum ejus corpus hominum probris fuiſſe expoſitum, ut nos cum gloria appareamus ad Dei tribunal. Quod allegorico ſenſu quidam hunc locum ad Scripturam torquent, quæ laceratur ab hæreticis, nimis coactum eſt. Non diſplicet quidem comparatio, quod ſicuti ſemel à profanis militibus diviſæ ſuot Chriſti veſtes, ita hodie perverſi homines totam Scripturam (qua Cbriſtus, ut ſe nobis conſpicuum præbeat, veſtitur) alienis commeotis diſcerpuot. Sed minime ferenda eſt Papiſtarum improbitas cum horribili Dei blaſphemia conjuncta. Scripturam dicunt ab hæreticis lacerari: tunicam vero, hoc eſt, Eccleſiam, integram maoere: ut rejecta Scripturæ auctoritate, fidei unitatem in ſolo Eccleſiæ titulo conſiſtere evincant. Quaſi vero ipſa Eccleſiæ unitas alibi fundata ſit quam in Scripturæ fide. Quum ergo fidem à Scriptura divellunt ut uni Eccleſiæ addicta ſubjaceat, tali divortio non jam Chriſtum deſpoliant, ſed crudeli ſacrilegio diſcerpunt ejus corpus. Quanquam, ut illis demus Eccleſiæ ſymbolum eſſe inconſutilem tunicam, minime obtinebuot quod captant: quia probandum reſtabit penes ipſos eſſe Eccleſiam, cujus nullum prorſus ſignum oſtendunt.

25. Stabant autem juxta crucem Jeſu, mater ejus & ſoror matris ejus Maria Cleopæ, & Maria Magdalene.
26. Quum vidiſſet ergo Jeſus matrem ac diſcipulum aſtantem quem diligebat, dicit matri ſuæ, Mulier, ecce filius tuus.

27. Deindè dicit diſcipulo, Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua.

25. *Stabant autem.*] Hic obiter narrat Euangeliſta, Cbriſtum ita paruiſſe Deo Patri ut oon neglexerit officium humanæ erga matrem pietatis. Seipſum qoidem oblitus eſt, ac omnia, quatenus neceſſe fuit ad præſtandam Patri obedientiam: ſed hac defunctus, officium quod matri debebat, noluit prætermittere. Atque hinc diſcimus quomodo pietas io Deum & io homines colenda ſit. Sæpe accidit quum nos aliquo vocat Deus, nt in diverſam partem revocent parentes, uxor, liberi: ut ooo poſſimus omnibus pariter ſatisfacere. ſi homines æquamus Deo, perverſa ratio eſt. Præferendum ergo Dei maodatum, præferendus cultus & honor: poſtea, quoad licebit, jus ſuum hominibus quoque reddendum. Nec vero unquam ioter ſe confligunt prioris & ſecundæ Legis tabulæ præcepta, ut prima ſpecie apparet: ſed incipieodum à Dei cultu, poſtea hominibus inferior dandus eſt locus. Quo pertinent iſtæ
Mat. 10. ſententiæ, Qui non oderit patrem & matrem propter
verſ. 37. me, non eſt me dignus. Sic ergo impendere nos
Luc. 24. bominibus decet ut à Dei cultu & obedientia nos mi-
verſ. 26. nime impediant: ubi Deo erimus obſequuti, tunc rite & ordine de parentibus, uxore & liberis cogitabimus. ſicut Cbriſtus matris curam babet, ſed ex cruce, ad quam vocatus erat Patris decreto. Cæterum ſi loci & temporis circumſtantiam expendimus, admirabilis fuit Cbriſti erga matrem pietas. Omitto extremos cruciatus corporis, omitto probra: ſed quum atroces in Deum blaſphemiæ animum ejus incredibili mœrore conficerent, & ſuſtineret horribile cum morte æterna & diabolo certameo, nihil borum tamen obſtat quomious ſit de matre ſollicitus. Colligere etiam ex hoc loco licet quiſnam ſit bonor ille quem Deus in Lege parentibus deferri jubet. Diſcipulo vices ſuas delegans Chriſtus, alendam illi & curandam tradit matrem. Sequitur ergo, honorem qui parentibus debetur, non in ceremonia, ſed in omnibus neceſſariis officiis poſitum eſſe. Jam ex altera parte conſideranda eſt nobis mulierum fides. Fuit quidem non vulgaris amoris affectus quod Chriſtum ad crucem uſque ſequutæ ſunt: verum niſi fide inſtructæ nunquam adeſſe potuiſſent tali ſpectaculo. Quantum ad Joannem ipſum ſpectat, colligimus ſic ſuffocatam fuiſſe ejus fidem ad breve tempus, ut tameo non prorſus fuerit extincta. Nunc pudeat nos ſi crucis horror nos à ſequendo Chriſto moratur, quum oobis ante oculos etiam verſetur reſurrectionis gloria: quum præter ignominiam & maledictionem mulieres nibil cernerent. *Mariam* Cleopæ vocat, vel uxorem, vel filiam. boc poſterius mihi magis placet. Eam dicit fuiſſe matris Jeſu ſororem, ſecundum linguæ Hebraicæ phraſin, qoæ omnes conſanguineos fratrum nomine deſignat. Mariam Magdalenam videmus non fruſtra liberatam fuiſſe à ſeptem dæmoniis, quæ tam fidelem ſe Cbriſto diſcipulam ad extremum uſque præbuit.

26. *Mulier, ecce filius tuus.*] Quaſi diceret, Poſthac non verſabor in terris, ut poſſim tibi filii officia præſtare. Hunc igitur in meum locum ſubrogo, qui partes meas ſuſcipiat. Idem ſibi vult quum Joanni dicit, *Ecce mater tua.* Mandat enim his verbis ut eam matris loco habeat, nec ſecus curet ac matrem. Quod dicit, *Mulier*, & matris nomine abſtinet, quidam ideo factom putant ne gravius doloris vulnus animo ejus infligeret. quod ego non rejicio. Verum altera conjectura oon mious probabilis eſt,

quod oſtendere voluerit Chriſtus, peracto humanæ vitæ ſtadio jam ſe conditionem illam exuere ſub qua vixerat, ac cæleſte regnum ingredi, ubi Angelis & hominibus imperet. Scimus enim Chriſtum ſemper fideles à carnis intuitu revocare ſolitum. id autem in morte præſertim fieri oportuit.

27. *Accepit eam diſcipulus.*] Signum obſervantiæ eſt diſcipuli erga magiſtrum, quod Chriſti mandatu paret Joannes. Hinc etiam patet, Apoſtolos habuiſſe ſuas familias: quia hoſpitio excipere non poterat Joannes Chriſti matrem, nec eam apud ſe habere, niſi fuiſſet illi domus & certa vivendi ratio. Quare ineptiunt qui putant Apoſtolos relictis facultatibus, nudos & inanes ad Chriſtum veniſſe. Pluſquam vero ſtulte delirant quibus ſita eſſe videtur in mendicitate perfectio.

28. Poſt hoc ſciens Jeſus quod omnia jam impleta eſſent, ut impleretur Scriptura,
dicit, Sitio.
Pſal. 69. 29. Porro vas poſitum erat aceto plenum. Illi autem ſpongiam aceto impletam, hyſ-
verſ. 22. ſopo circumdederunt, & obtulerunt ori ejus.
30. Quum ergo ſumpſiſſet Jeſus acetum, dixit, Conſummatum eſt. Et inclinato ca-
pite tradidit ſpiritum.

28. *Sciens Jeſus.*] Multa conſulto præterit Joannes ab aliis tribus narrata: nunc poſtremum actum, in quo multum inerat ponderis, deſcribit. Quum dicit Joannes vas illic fuiſſe poſitum, loquitur tanquam de re uſitata: ac mihi probatur, genus potionis fuiſſe confectum ad mortem accelerandam, quum miſeri homines ſatis diu torti eſſent Potum vero non petit Chriſtus donec omnia fuerint impleta: quo immenſum erga nos amorem & inæſtimabile ſalutis noſtræ ſtudium teſtatus eſt. Nullis verbis exprimi ſatis poteſt quam acerbos dolores perferret: non tamen eximere ſe cupit donec fuerit Dei judicio ſatisfactum, ſuiſque omnibus numeris conſtet expiatio. Sed quomodo dicit omnia fuiſſe impleta, quum adhuc præcipuum caput deeſſet, mors ipſa ſcilicet? deinde annon reſurrectio ad ſalutis noſtræ complementum facit? Reſpondeo Joannem complecti quæ mox ſequutura erant. nondum mortuus erat Chriſtus: nondum reſurrexerat: ſed videbat nihil amplius obſtare quin ad mortem & reſurrectionem pergeret. Atque ita ſuo nos exemplo ad ſolidam obedientiam inſtituit: ne grave ſit nobis ſuo arbitrio vivere, etiamſi inter maximos dolores languendum ſit. *Ut impleretur Scriptura.* Ex aliis Euangeliſtis colligere promptum eſt, notari locum ex Pſalmo 69. Dederunt in eſcam meam ſel, & in ſiti mea potarunt me aceto. Hæc quidem loquutio metaphorica eſt, qua ſignificat David non modo ſibi negatam fuiſſe opem qua egebat, ſed mala crudeliter fuiſſe duplicata. ſed nihil abſurdi eſt, ſi in Chriſto clarius exhibitum fuerit quod tenuiter adumbratum fuerat in Davide. Nam hinc melius perſpicimus quantum differat à figuris veritas, quum palam & quaſi in ſolidum apparent in Chriſto quæ tantum figurate paſſus eſt David. Ergo ut oſtenderet Chriſtus ſe eum eſſe cujus David ſuſtinuerat perſonam, voluit aceto potari, idque in fidei noſtræ confirmationem. Qui ſenſum allegoricum fabricant in verbo *ſitiendi*, argutiæ magis quam veræ ædificationi ſtudent. Et palam refellit eos Euangeliſta, qui petitum à Chriſto acetum fuiſſe dicit, quum ad mortem properaret. Quum dicit *ſpongiam hyſſopo fuiſſe circumdatam*, intellige in arbuſti baculo fuiſſe defixam, ut poſſet ad os Chriſti admoveri.

30. *Conſummatum eſt.*] Idem verbum repetit quo nuper uſus fuerat. Cæterum hæc Chriſti vox memoratu in primis digna eſt: qua docet in ejus morte totum ſalutis noſtræ complementum & ſingulas partes contineri. Jam ante monuimus non disjungi à morte reſurrectionem: tantum Chriſti conſilium eſt fidem noſtram retinere in ſe uno, ne huc vel illuc deflectat. Senſus ergo eſt, quicquid ad ſalutem hominum facit, in Chriſto conſtare, nec alibi quærendum: vel (quod idem eſt) ſalutis perfectionem in eo eſſe incluſam. Subeſt autem tacita antitheſis: quia mortem ſuam veteribus ſacrificiis & figuris omnibus opponit Chriſtus. acſi diceret, Quicquid ſub Lege in uſu fuit, nihil ad expianda peccata, ad iram Dei placandam, ad comparandam juſtitiam per ſe valebat: nunc demum vera mundo oſtenſa & exhibita eſt ſalus. Huic doctrinæ annexa eſt omnium *Le*gis rituum abrogatio. umbras enim jam ſectari, ex quo habemus in Chriſto corpus, præpoſterum eſſet. Quod ſi in hac Chriſti voce acquieſcimus, una ejus morte ad ſalutem contentos eſſe nos decet: nec ulla aliunde ſubſidia accerſere fas eſt. Atqui huc ſpectat tota Papatus religio, ut homines ſibi innumeros quærendæ ſalutis modos excogitent. unde colligimus abominandis ſacrilegiis ſcatere. Præcipue hac Chriſti voce damnatur Miſſæ abominatio. Ceſſare omnia Legis ſacrificia oportuit, quia unico mortis Chriſti ſacrificio perfecta fuit hominum ſalus. quo igitur jure vel prætextu ſibi licuiſſe Papiſtæ dicent ſacrificium novum erigere quod Deum hominibus reconciliet? Excipiunt non eſſe novum, ſed illud idem quod Chriſtus obtulit. atqui facilis eſt refutatio, quod nullum offerendi mandatum ipſi habeant: deinde quod Chriſtus ſemel una oblatione defunctus pronunciet ex cruce totum eſſe perfectum. Ergo pluſquam falſarii ſunt, qui teſtamentum ſacro Filii Dei ſanguine obſignatum, perfide corrumpunt ac violant. *Emiſit ſpiritum.* Omnes Euangeliſtæ diligenter mortem Chriſti exprimunt: nec immerito. nam hinc nobis vitæ fiducia: hinc etiam ſecura adverſus mortem gloriatio, quod eam vice noſtra obiit Dei Filius, & cum ea luctando ſuperior evaſit. Notanda autem eſt loquutio quam uſurpat Joannes: qua docemur pios omnes qui cum Chriſto moriuntur, ſecure animas ſuas deponere in Dei cuſtodiam, qui fidelis eſt, nec perire ſinet quod ſervandum ſuſceperit. Hoc inter filios Dei & reprobos diſcrimen eſt moriendi, quod hi animas temere exhalant: illi autem Dei tutelæ committunt quaſi pretioſum depoſitum, cujus fidus erit cuſtos uſque in diem reſurrectionis. Nomen *ſpiritus* hic pro anima immortali accipitur, quemadmodum ſatis patet.

31. Judæi ergo, ut non manerent Sabbatho corpora in cruce, quia paraſceve erat, (&
erat magnus dies illius Sabbathi) rogarunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, & tolle-
rentur.
32. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus
erat cum eo:
33. Quum autem ad Jeſum veniſſent, poſtquam viderunt eum jam mortuum, non fre-
gerunt ejus crura.
34. Sed unus militum lancea ejus latus aperuit, & continuo exivit ſanguis & aqua.

35. Et

35. Et qui vidit, teſtimonium reddidit, & verum eſt ejus teſtimonium, & ille novit quod vera dicit, ut vos credatis.

Exod. 12. *verſ.* 46. 36. Hæc autem facta ſunt ut Scriptura impleretur, Os non comminuetis ejus.

Num. 9. *verſ.* 12. 37. Et iterum alia Scriptura dicit, Videbunt in quem transfixerunt.

Zach. 12. *verſ.* 10. 31. *Quia paraſceve erat.*] Hæc quoque narratio ad fidem ædificandam valet. Primum quia oſtendit impletum fuiſſe in Chriſti perſona quod in Scripturis prædictum erat: deinde quia myſterium continet non vulgaris momenti. Dicit Euangeliſta Judæos rogaſſe ut corpora tollerentur è crucibus. Mandatum id quidem fuerat Lege Dei: ſed Judæi (ut ſolent hypocritæ) rebus minutis tantum intenti, ſine ullo ſcrupulo maxima ſcelera prætereunt. nam ut Sabbathum ſuum religioſe celebrent, de externa pollutione anxii ſunt: interea non reputant quam nefandum fuerit ſcelus vita privare hominem innoxium. Sic paulo ante vidimus non ingreſſos fuiſſe prætorium ne ſe polluerent, quum totam regionem pollueret eorum impietas. Interea per eos exequitur Dominus quod ſalutis noſtræ plurimum interreat, ut mirabiliter intactum maneat Chriſti corpus, & ex ejus latere fluant ſanguis & aqua. *Erat magnus dies illius Sabbathi.* Magis recepta lectio eſt, Erat magnus ille dies: hæc tamen quam poſui, in multis vetuſtis & probatis exemplaribus habetur. eligant lectores utram maluerint. Si legas *illius* in genitivo, Sabbathum pro ipſa hebdomade ſumendum erit: acſi dixiſſet Euangeliſta fuiſſe illius ſeptimanæ diem feſtum Paſchatis reſpectu celeberrimum. Loquitur autem Euangeliſta de proximo die, cujus initium erat ab occaſu Solis: quo major erat religio cadavera ſuſpenſa relinquere. Sin vero magis placeat in nominativo caſu legere, Erat ille magnus dies, eodem fere recidet ſenſus, quantum ad ſummam rei: in verbis tantum erit varietas, nempe quod Sabbathum illud ſanctius faceret Paſchæ acceſſio.

33. *Quum autem ad Jeſum veniſſent.*] Quod fractis duorum latronum cruribus Chriſtum mortuum inveniunt, atque ideo non attingunt ejus corpus, in eo extraordinarium divinæ providentiæ opus apparet. Dicent quidem profani homines, naturaliter fieri ut alius alio citius moriatur: verum qui totam hiſtoriæ ſeriem expendet, arcano Dei conſilio adſcribere cogetur quod mors omnium opinione celerior Chriſtum à fractione crurum exemit.

34. *Sed unus militum lancea.*] Quod lancea confoſſum fuit ejus latus à milite, factum eſt ad mortem comprobandam: ſed Deus longe altius reſpexit, ut mox videbimus. Puerile vero Papiſtarum commentum, qui ex lanceario, Longinum fecerunt, proprium viri nomen eſſe fingentes: ac nequid fabulæ deeſſet, cæcum prius fuiſſe militem nugati ſunt, & recepto viſu ad fidem converſum. Itaque ab illis in ſanctorum catalogum relatus eſt. Talibus patronis quum ſoffultæ ſint eorum preces quoties Deum invocant, quid obſecro impetrare unquam poterunt? Sed digni ſunt quicunque ſpreto Chriſto ſuffragia mortuorum captant, quos diabolus ad larvas & lemures abripiat. *Exivit ſanguis & aqua.* Hallucinati ſunt quidam, miraculum hic fingentes. Naturale enim eſt dum congulatur ſanguis, amiſſo rubore fieri aquæ ſimilem. notum etiam eſt in membrana præcordiis vicina aquam contineri. Decepti ſunt autem illi, quod tam ſedulo Euangeliſta inculcat aquam fluxiſſe cum ſanguine, acſi aliquid inſolitum & præter naturæ ordinem referret. Sed aliud ei fuit conſilium, nempe ut narrationem ſuam aptaret Scripturæ teſtimoniis quæ mox ſubjicit: præſertim vero ut inde elicerent fideles quod ipſe alibi admonet, Chriſtum ſcilicet veniſſe cum aqua & ſanguine: quibus verbis ſignificat ſecum attuliſſe veram expiationem & verum lavacrum. Nam peccatorum remiſſio & juſtitia animæque puritas duobus illis ſymbolis in Lege figurabantur, ſacrificiis & ablutionibus. In ſacrificiis ſanguis peccata expiabat, ac pretium erat iræ Dei placandæ: lavacra teſtimonia erant veræ puritatis, & remedia ad purgandam immunditiem ac delendas carnis ſordes. Ne amplius in illis elementis ſubſiſtat fides, Joannes quinto Epiſtolæ ſuæ capite teſtatur utriuſque gratiæ complementum eſſe in Chriſto: hic autem viſibile ejus rei ſymbolum profert. Eodem ſpectant quæ Chriſtus Eccleſiæ reliquit Sacramenta. nam in Baptiſmo purgatio & animæ puritas, quæ vitæ novitate conſtat, nobis oſtenditur: Cœna autem peractæ expiationis eſt pignus. ſed longe à veteribus Legis figuris differunt: quia Chriſtum offerunt veluti præſentem, quem adhuc procul abeſſe Legis figuræ indicabant. Quare non diſplicet quod ſcribit Auguſtinus, ex Chriſti latere fluxiſſe noſtra Sacramenta: tunc enim vere demum à ſordibus noſtris abluimur, & renovamur in ſanctam vitam: tunc redempti à morte, & ſoluti à reatu, coram Deo vivimus, quum Baptiſmus & ſacra Cœna ad latus Chriſti nos deducunt, ut inde tanquam ex fonte, quod figurant, fide hauriamus.

36. *Os non comminuetis.*] Teſtimonium hoc ſumptum eſt ex duodecimo Exodi, ubi Moſes de agno Paſchali tractat. Sumit autem Joannes pro confeſſo, agnum illum ſymbolum veri & unici ſacrificii eſſe, quo redimenda erat Eccleſia. Nec obſtat quod in memoriam redemptionis jam factæ immolabatur. ſic enim volebat Deus illud beneficium celebrari, ut in futurum tempus ſpiritualem Eccleſiæ liberationem promitteret. Quare Paulus quoque *1 Cor.* 5.
ſine controverſia ad Chriſtum aptat quam agni com- *verſ.* 7.
edendi formam præſcribit Moſes. Ex hac analogia & ſimilitudine fructum non vulgarem colligit fides: quia ſalutem in Chriſto exhibitam, in omnibus Legis ceremoniis intuetur. Et huc ſpectat Joannis conſilium, Chriſtum verum fuiſſe redemptionis noſtræ non tantum pignus, ſed etiam pretium: quia in eo impletum cernitur quod olim ſub figura Paſchæ oſtenſum fuit veteri populo. Quo etiam monentur Judæi, in Chriſto quærendam eſſe omnium ſubſtantiam quæ Lex figuravit, non re ipſa præſtitit.

37. *Videbunt in quem transfixerunt.*] Locum hunc qui ſecundum literam de Chriſto exponere conantur, nimis violenter torquent. Nec vero in hunc finem ab Euangeliſta citatur: ſed potius ut oſtendat Chriſtum eſſe Deum illum qui olim conqueſtus fuit per Zachariam, ſibi pectus à Judæis transfodi. Illic autem Deus hominum more loquitur, ſignificans perinde ſe vulnerari populi ſceleribus, ac præſertim obſtinato verbi ſui contemptu, ut lethale eſt in homine mortali vulnus cui cor eſt transfixum. ſicut
alibi dicit ſpiritum ſuum mœrore affectum eſſe. Jam *Mat.* 26.
quia Chriſtus Deus eſt in carne manifeſtatus, dicit *verſ.* 38.
Joannes in viſibili ejus carne palam fuiſſe impletum quod divina ejus majeſtas, ſecundum rationem qua pati poterat, paſſa fuerat à Judæis. non quod injuriis hominum obnoxius ſit Deus, vel ad eum uſque perveniant quæ illi ex terra probra ingeruntur: ſed quia hac loquutione exprimere voluit quanti ſacrilegii rea ſit hominum impietas, dum ſe contumaciter in cælum attollit. Merito autem Joannes Judæis adſcribit quod militis Romani manu peractum eſt: quemadmodum alibi dicuntur Filium Dei crucifixiſſe, quamvis digito non attigerint ejus corpus. Nunc quæritur promittatne Deus pœnitentiam Judæis in ſalutem, an ſe venturum ultorem minetur.

Ego dum locum diligentius expendo, utrumque complecti arbitror: quod ſcilicet reliquias tandem ex perdita & deſperata gente in ſalutem colliget Deus; & contemptoribus horribili ſua vindicta oſtendet cum quo negotium habuerint. Scimus enim Propheris non minus audacter ſolitos fuiſſe illudere quam ſi abſque ullo Dei mandato ſabulati eſſent. Hoc illis impune ceſſurum negat Deus: quia tandem cauſam ſuam aſſeret.

38. Poſt hæc autem rogavit Pilatum Joſeph Arimathienſis (qui diſcipulus erat Jeſu, occultus tamen propter metum Judæorum) ut tolleret corpus Jeſu: & permiſit Pilatus. Venit ergo, & ſuſtulit corpus Jeſu.

39. Venit autem & Nicodemus (qui venerat ad Jeſum nocte primum) ferens miſturam myrrhæ & aloës, circiter libras centum.

40. Sumpſerunt ergo corpus Jeſu, & ligarunt illud linteis cum aromatibus, ut mos eſt Judæis ſepelire.

41. Erat autem in loco ubi crucifixus fuit, hortus: & in horto monumentum novum, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat.

42. Illic ergo propter paraſceven Judæorum, quia monumentum prope erat, poſuerunt Jeſum.

38. *Rogavit Pilatum Joſeph.*] Jam recitat Joannes à quibus, & quo in loco, & quam honorifice ſepultus fuerit Chriſtus. Duos nominat Joannes qui Chriſtum ſepulturæ mandarunt, Joſeph & Nicodemum: quorum prior à Pilato ſibi mortui corpus dari petiit, quod alioqui expoſitum fuiſſet militum libidini. Illum Matthæus divitem fuiſſe, Lucas vero decurionem, hoc eſt, Senatorii ordinis, teſtatur. Nicodemum vero capite tertio vidimus dignitate inter ſuos fuiſſe præditum: fuiſſe vero etiam divitem, colligere promptum eſt ex tanto ſumptu quem fecit in afferenda miſtura. Ergo illis hactenus obſtiterant divitiæ ne Chriſto nomen darent, & in poſterum non minus obſtare poterant ne profeſſionem ſuſciperent tantopere odioſam & infamem. Et nominatim Euangeliſta commemorat Joſeph antehac metu fuiſſe retentum ne auderet ſe Chriſti diſcipulum profiteri. de Nicodemo autem repetit quod antea habuimus, clam & noctu ad Jeſum veniſſe. Unde igitur repente heroica illis animi fortitudo, ut in extrema deſperatione intrepide in lucem prodeant? Omitto manifeſtum diſcrimen quod ſubire neceſſe fuit. ſed hoc magnum eſt, quod æternum cum gente ſua bellum ſuſcipere non dubitarunt. Certum ergo eſt cæleſti impulſu factum eſſe ut qui vivo debitum honorem propter metum non detulerant, quaſi mutati in novos homines, accurrant ad cadaver mortui. Afferunt ipſi ſua aromata ad condiendum Chriſti corpus: ſed hoc nunquam feciſſent niſi odore mortis ejus perfuſi & imbuti. Unde apparet

Joan. 12. verſ. 24.

quam vere dictum eſſet ab ipſo Chriſto, Niſi granum frumenti mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: poſtquam autem mortuum eſt, abunde fructificat. nam mortem præ vita ipſa fuiſſe vivificam, illuſtre hic habemus documentum. Et tantum valuit odoris ſuavitas quem ſpiravit mors Chriſti in iſtorum duorum hominum animos, ut omnes carnis affectus facile extinxerit. Quum in illis regnaret opum amor & ambitio, inſipida erat Chriſti gratia: nunc vero totus mundus illis ſapere deſinit. Cæterum ſciamus, eorum exemplo nobis præſcribi quidnam Chriſto debeamus. Illi duo, ut fidei ſuæ ſpecimen ederent, Chriſtum è cruce ſublatum non ſine ingenti periculo, conſtanter tamen in ſepulchrum tulerunt. turpis ergo & pudenda ignavia eſt, ſi regnantem in cæleſti gloria fidei confeſſione fraudamus. Quo etiam minus excuſabilis eſt eorum improbitas qui quum hodie perfida ſimulatione Chriſtum abnegent, Nicodemi tamen exemplum prætexunt. Ac una quidem in re ſimiles eſſe fateor, quod Chriſtum quantum in ſe

Non eſt nunc ſepeliendus Chriſtus. Philip. 2. verſ. 9.

eſt ſepultum curant: ſed nunc non eſt ſepeliendi tempus, ex quo aſcendit ad Patris dexteram, ut ſupra homines & Angelos conſpicuus emineat, & omnis lingua ſummum ejus imperium prædicet. *Occultus propter metum Judæorum.* Quia metus hic ſanctæ conſtantiæ opponitur quam operatus eſt Spiritus Domini in corde Joſeph, probabile eſt non caruiſſe vitio. Non quod omnis metus, quo ſibi fideles à tyrannis & Euangelii hoſtibus cavent, vitioſus ſit: ſed quia ſeſe prodit fidei imbecillitas quoties metu ſupprimitur fidei confeſſio. Semper videndum quid mandet Dominus, & quouſque nos progredi jubeat. Qui ceſſat in medio curſu, Deo ſe non fidere oſtendit: & nihil excuſationis habet qui pluris vitam ſuam facit quam Dei mandatum. Quod Euangeliſta titulo & honore diſcipuli Joſeph dignatur quo tempore nimis timidus erat, nec teſtari audebat fidem ſuam coram mundo: hinc agnoſcimus quam clementer agat Dominus cum ſuis, & quam paterne eorum vitiis ignoſcat. Neque tamen eſt cur ſibi blandiantur falſi Nicodemitæ, qui non tantum occultam intus fidem retinent, ſed dum conſenſum ſimulant cum impiis ſuperſtitionibus, quantum in ſe eſt Chriſti ſe negant eſſe diſcipulos.

40. *Sicut mos eſt Judæis.*] Poſtquam extrema ignominia defunctus erat Chriſtus in cruce, honorificam ejus ſepulturam eſſe Deus voluit, ut eſſet gloriæ reſurrectionis præludium. Sumptum non mediocrem faciunt Nicodemus & Joſeph, ut ſupervacuus videri poſſit: ſed conſilium Dei ſpectandum eſt, qui etiam Spiritu eos ſuo impulit ad præſtandum hunc Filio ſuo honorem ut crucis horrorem nobis tolleret ſepulchri odore. Cæterum quæ extraordinaria ſunt, in exemplum trahi non debent. deinde nominatim exprimit Euangeliſta ſepultum fuiſſe quemadmodum Judæis mos erat: quibus verbis ſignificat, hanc fuiſſe unam ex Legis ceremoniis. Nam veterem populum, cui non ita clare teſtata erat reſurrectio, & qui ſpecimen ejus ac pignus in Chriſto non habebat, talibus adminiculis fulciri oportuit, ut conſtanti fide Mediatoris adventum expectaret. Quare notandum eſt diſcrimen inter nos, quibus illuxit Euangelii claritas, & inter Patres, quibus figuræ Chriſti abſentiam ſupplebant. Hæc ratio eſt cur tunc fuerit tolerabilis major rituum pompa, quæ hodie vitio non careret. Nam qui hodie tam ſumptuoſe mortuos ſepeliunt, non tam mortuos homines quam Chriſtum ipſum Regem vitæ è cælo detractum ſepulchro quantum in ſe eſt recondunt: quia ejus reſurrectio veteres illas ceremonias abrogavit. Fuit etiam magna inter Gentes ſepeliendi cura & religio, quæ originem proculdubio à Patribus habuit, ſicuti ſacrificia. Sed quum nulla apud eos vigeret ſpes reſurrectionis, non fuerunt Patrum imitatores, ſed ſimiæ. Promiſſio enim & verbum Dei tanquam anima eſt quæ ceremonias vivificat. ſublato verbo, quicquid rituum uſurpant homines, etiamſi externa ſpecie piorum obſervationi conveniat, nihil aliud eſt quam putida vel fatua ſuperſtitio. Nobis vero (ut dictum eſt) hodie colenda eſt hac in parte ſobrietas ac parſimonia: quia immodici ſumptus odorem reſurrectionis Chriſti extinguunt.

41. *Era:*

41. *Erat autem in loco.*] Hoc tertium eſt caput quod obſervandum eſſe dixi in hiſtoria ſepulturæ. Locum exprimis Euangeliſta pluribus de cauſis: primum non temere nec ſine certa Dei providentia accidit quod in ſepulchro novo conditum fuit Chriſti corpus. Tametſi enim communem obiit mortem cum aliis omnibus, quia tamen primogenitus ex mortuis futurus erat & primitiæ reſurgentium, novum illi ſepulchrum datum eſt. Aliud quidem fuit Nicodemi & Joſephi conſilium. nam quia pauxillum temporis reſtabat uſque ad occaſum Solis, (quod erat initium Sabbathi) quæſita fuit ab illis loci commoditas. Deus interea præter eorum mentem Filio ſuo ſepulchrum adhuc intactum delegit. Ergo ſanctis hominibus tantum placet loci propinquitas, ne Sabbathum violent: Deus autem quod minime quærebant, illis offert, ut Filii ſui ſepulturam ſymbolo aliquo à communi ordine diſcerneret. Huc etiam valebat circumſtantia loci, ut illuſtrior eſſet reſurrectio, & hiſtoriæ quæ proximo capite ſequitur non parum lucis afferret.

CAP. XX.

PRima autem die Sabbathorum Maria Magdalena venit mane quum adhue tenebræ eſſent, ad monumentum, & videt lapidem ſublatum è monumento.
2. Currit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alterum diſcipulum quem diligebat Jeſus, & dicit eis, Tulerunt Dominum è monumento, & neſcimus ubi poſuerunt eum.
3. Exivit ergo Petrus & alter diſcipulus, & venerunt ad monumentum.
4. Currebant autem duo ſimul, & alter diſcipulus præcurrit celerius Petro; & venit prior ad monumentum.
5. Et capite inclinato, videt poſita linteamina, non tamen ingreſſus eſt.
6. Venit ergo Simon Petrus ſequens eum, & ingreſſus eſt in monumentum, & videt poſita linteamina:
7. Et ſudarium quod fuerat ſuper caput ejus, non ſimul cum linteis poſitum, ſed ſeorſum involutum in unum locum.
8. Tunc ergo ingreſſus eſt etiam alter diſcipulus qui venerat prior ad monumentum, & vidit & credidit.
9. Nondum enim noverant Scripturam, quod oporteret illum à mortuis reſurgere.

1. *Prima autem die Sabbathorum.*] Quoniam reſurrectio Chriſti præcipuum eſt fidei noſtræ caput, & ſine quo ſpes vitæ æternæ jacet: ideo in ea probanda magis inſiſtunt Euangeliſtæ: quemadmodum hic noſter multa teſtimonia colligit, quibus certi ſimus Chriſtum ex mortuis reſurrexiſſe. Poſſet tamen videri abſurdum quod non proferat teſtes magis claſſicos: nam à muliere initium facit. ſed ita ſcilicet
1 Cor. 1. verſ. 27. impletum fuit illud, eligi à Deo quod infirmum eſt in mundo & ſtultum & contemptibile, ut ſapientiam & virtutem & gloriam carnis confundat. In diſcipulis certe nihilo plus fuit terrenæ dignitatis quam in mulieribus quæ Chriſtum ſequutæ erant: ſed quia Chriſto placuit eos habere primarios reſurrectionis ſuæ teſtes, uno hoc nomine ſatis ſunt authentici, omnique exceptione majores. Sacerdotibus & Scribis totique populo, & Pilato etiam nihil aliud obſtitit quominus Chriſtum reſurrexiſſe certo ſcirent, niſi craſſa & voluntaria cæcitas. Fuerunt igitur omnes digni qui videndo non viderent. interea parvulo gregi ſe Chriſtus patefecit. Cæterum antequam ultra progredimur, operæpretium eſt monſtrare quomodo inter ſe Euangeliſtæ conſentiant, in quorum verbis apparet prima ſpecie aliquid diſſidii. Joannes nonniſi unam Magdalenam nominat, Matthæus duas, Marcus tres, Lucas certum numerum non definit, ſed tantum commemorat veniſſe mulieres quæ Chriſtum à Galilæa ſequutæ erant. Verum hic nodus facile ita ſolvitur, quod ſicuti Matthæus ponit duarum nomina, quæ magis notæ erant ac celebres inter diſcipulos, ita Joannes contentus eſt unius tantum Magdalenæ nomine: interea tamen alias non excludit. imo ex verborum ejus contextu colligere promptum eſt illam non fuiſſe ſolam: nam paulo poſt dicit Maria plurali numero, Neſcimus ubi poſuerunt eum. Ergo quamvis de comitibus ſileat Joannes, nihil tamen narrat ab aliis diverſum, qui plures fuiſſe commemorant. De temporis varietate non difficilis eſt ſolutio. Quum dicit Joannes *veniſſe ante lucem*, intellige ſuperantibus adhuc noctis tenebris ingreſſas fuiſſe iter: antequam vero ad ſepulchrum ventum foret, lux diei exorta fuit. veſpere autem poſt Solis occaſum jam finito Sabbatho, emerant aromata. Atque huc referri debet aliorum narratio. Alia videtur eſſe repugnantiæ ſpecies, quod Joannes dicit ſibi & Petro duntaxat loquutam eſſe Mariam: Lucas autem narrat ipſam ad undecim Apoſtolos veniſſe, & ejus ſermonem habitum pro delirio. Sed facile diſcutitur: quia Joannes collegas ſuos reliquos conſulto præteriit: ipſe enim & Petrus ſoli ad ſepulchrum venerunt. Quod Lucas ſolius Petri meminit, ejuſdem eſt rationis cum eo quod nuper diximus de Maria Magdalena & reliquis mulieribus. Porro credibile eſt alios novem diſcipulos metu retentos eſſe, ne ſi turmatim prodiiſſent, nimis fuiſſent conſpicui. Nec obſtat quod videtur innuere Lucas, ſpretum ab aliis fuiſſe Mariæ ſermonem: quia continuo poſt ſubjicit *Petrum cucurriſſe*. Quare ſimpliciter intelligit, primo auditu fuiſſe quaſi attonitos: ſed tandem collecto animo Petrum illam ſequutum eſſe viſendi cauſa. Quod autem recitat Lucas Chriſtum apparuiſſe Mariæ antequam diſcipulis nuntiaſſet ſepulchrum eſſe vacuum, inverſa eſt narrationis ſeries. quod planum fit ex contextu: ſubjicit enim quod Joannes teſtatur accidiſſe priuſquam illa Jeſum videret. Nec vero quicquam in eo eſt abſurdi, quum Hebræis tritum ſit priore loco referre quod ordine temporis eſt poſterius. *Prima Sabbathorum.* Non referunt Euangeliſtæ quando vel qualiter reſurrexerit Chriſtus: quia illis ſatis fuit exponere quando & quibus innotuerit ejus reſurrectio. Dicit ergo Joannes *Mariam veniſſe prima die Sabbathorum.* Ad verbum quidem eſt *una*: ſed Hebræis tritum eſt unum ponere loco primi: quia in numeris principium incipit ab unitate. Quum autem ſeptimus quiſque dies quieti eſſet dicatus, totam hebdomadam Sabbathum vocarunt: hoc honoris dantes diei ſanctitati ut reliquum tempus denominationem ab eo ſumeret. Venerunt ergo mulieres poſtridie Sabbathi ad ſepulchrum, quum eodem die, ſed poſt occaſum Solis emiſſent aromata; deinde clanculum ſub noctis tenebris (ut in rebus trepidis fieri ſolet) urbe egreſſæ eſſent. Prima autem dies Sabbathorum fuit reſpectu proximi Sabbathi: quia initium erat ſeptimanæ, cujus Sabbathum erat clauſula.

3. *Exivit ergo Simon Petrus.*] Mirum eſt, quum

Digitized by Google

tam puſilla ac fere nulla tam in diſcipulis quam in mulieribus eſſet fides, tantum fuiſſe ardoris. Et certe fieri non poteſt quin pietas eos impulerit ad quærendum Chriſtum. Manebat igitur ſemen aliquod fidei in eorum cordibus, ſed ad tempus ſuffocatum, ut neſcirent ſe habere quod habebant. Sic Dei Spiritus in electis ſæpe arcano modo operatur. In ſumma, tenendum eſt fuiſſe aliquam occultam radicem ex qua fructum emergere cernimus. Quamvis autem fuerit confuſus & multa ſuperſtitione implicitus hic pietatis ſenſus quem habebant, ego tamen fidei nomen illi impropric tribuo: quia nonniſi ex Evangelii doctrina conceptus erat, nec alio tendebat quam ad Chriſtum. Ex hoc tandem ſemine ſe protulit vera & ſincera fides, quæ relicto ſepulchro ad cæleſtem Chriſti gloriam conſcenderet. Scriptura quum de fidei rudimentis loquitur, Chriſtum dicit innaſci in nobis, & nos viciſſim in ipſo. Atqui diſcipuli fere infra infantiam locandi ſunt, dum Chriſti reſurrectionem ignorant: ſed Dominus tamen ipſos, quaſi fœtus in utero clauſos, fovet. Prius fuerant ſimiles pueris, & aliquouſque progreſſi erant: ſed tanta ex Chriſti morte debilitas ſupervenerat, ut iterum gignendi eſſent ac formandi, quemadmodum Paulus
Galat. 4. de Galatis loquitur. Quod Petrus, qui minus feſtina-
verſ.19. verat, prior tamen ingreditur ſepulchrum, hinc diſcamus multis in receſſu plus dari quam in fronte appareat. Et certe multos interdum, qui toti principio fervebant, deficere videmus ubi ventum eſt ad conflictum: alios autem qui lenti & ignavi putabantur, imminente periculo novos animos induere.

5. *Videt poſita linteamina.*] Erant linteamina velut exuviæ quæ fidem reſurrectionis Chriſti facerent. Neque enim probabile erat nudatum fuiſſe corpus, ut alio transferretur. hoc neque amicus neque hoſtis facturus erat. Quod *ſudario* caput obtectum fuiſſe dicit, inde refellitur Papiſtarum vanitas, qui fingunt totum corpus linteo uno fuiſſe inſutum, quod adorandum miſeræ plebeculæ oſtentant. Omitto Latinæ linguæ inſcitiam, qua factum eſt ut totius corporis tegumento imponerent linteoli nomen quo ſudor è facie abſtergitur. Omitto impudentiam quod quinque aut ſex in locis diverſis idem ſe habere ſudarium jactant. Sed hoc tam craſſum mendacium minime tolerabile eſt, quod Evangelicæ hiſtoriæ palam repugnat. Huc accedit fabuloſum miraculum quod finxerunt de exarata in linteum corporis Chriſti effigie. Obſecro, ſi tale miraculum editum fuiſſet, an ſilentio ſuppprimeret Evangeliſta, qui tam ſedulo commemorat quæ minus habebant momenti? Sufficiat ergo nobis illa ſimplicitas, quod Chriſtus abjectis mortis inſignibus, teſtari voluit ſe beatam & immortalem vitam induiſſe.

8. *Vidit & credidit.*) Frigida eſt illa expoſitio quam nonnulli afferunt, Joannem credidiſſe quod ex Maria audierat, ſublatum ſcilicet fuiſſe Chriſti corpus. Nuſquam enim Credendi verbum (præſertim ubi ſimpliciter & ſine adjectione poſitum eſt) in hoc ſenſu reperies. Nec obſtat quod domum ſuſpenſi adhuc & perplexi redeunt Petrus & Joannes: nam aliquot ſupra in locis hac loquutione uſus eſt Joannes, quum fidei profectum notare vellet. Jam vero narrat Lucas miratum eſſe Petrum viſa tali ſepulchri Luc. 24.
ſpecie: quo ſignificat veniſſe illi majus aliquid & verſ. 12.
altius in mentem quam quod retulerat Maria. Sæpius audierant ex ore Chriſti quod tunc cernebant oculis: ſed hoc ex eorum animis effluxerat. nunc vero novæ rei conſpectu admoniti, divinitus de Chriſto ſentire incipiunt: quamvis adhuc longe abſint à pura & liquida fidei notitia. Ergo ſeipſum accuſat Joannes, dum hoc ſibi fuiſſe credendi principium fatetur, ubi ſigna reſurrectionis Chriſti conſpexit. Adhæc ſuum & fratrum vitium amplificat: quod non tantum obliti eſſent verborum Chriſti, ſed Scripturas non tenerent. Fidei enim defectum huic ignorantiæ adſcribit. Unde etiam colligi poteſt utilis admonitio, ſocordiæ noſtræ imputandum eſſe quum nos latent quæ de Chriſto cognoſcenda erant: quia in Scripturis non profecimus quantum decebat, quæ Chriſti virtutem ad liquidum patefaciunt. Ne longius petamus exemplum, videtur quidem obſcure & tantum ſub involucris illic indicari Chriſti reſurrectio: verum attentis lectoribus ſatis clara extant teſtimonia. Probat Paulus in Actis Act. 13.
Chriſtum debuiſſe reſurgere, quia Deus per Jeſaiam verſ. 34.
pronunciat, ſub ejus regno miſericordiam Davidi Jeſ. 55:3.
promiſſam fore ſtabilem. Putaret imperitus quiſpiam nihil ad rem facere quod Paulus adducit. verum quicunque tenent fidei principia, & rite ſunt in Scriptura exercitati, facile agnoſcunt quam apta ſit ratiocinatio. Nam ut Chriſtus gratiam Dei in perpetuum nobis ſtabiliat, eum perpetuo vivere neceſſe eſt. Plurimi ſunt ſimiles loci quos nunc colligere neceſſe non eſt. Tribus ergo ſimus contenti: *Pſal.16. verſ. 10.* habetur, Non permittes ut ſanctus tuus videat corruptionem. Vaticinium hoc Petrus & Paulus de Chriſto exponunt. & merito: quando nullus eſt ex filiis Adam qui non ſit per ſe corruptioni obnoxius. Ergo illic aſſeritur Chriſti immortalitas. Minime etiam dubium eſt ad Chriſtum ſpectare ſententiam illam, Dixit Dominus Domino meo, Sede Pſal. 110.
à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum verſ. 1.
pedum tuorum. Mors autem non deſtruetur niſi ultimo die. Ergo tribuitur Chriſto regnum uſque ad finem mundi, quod ſtare non poteſt ſine ejus vita.
Omnium vero clariſſime loquitur Jeſaias, qui poſt- Jeſ. 53:8.
quam mortem Chriſti prædixit, continuo poſt ſubjicit, ætatem ejus fore inenarrabilem. In ſumma, tenendum eſt adeo plenam & omni ex parte abſolutam eſſe Scripturæ doctrinam, ut ejus ignoratio jure cenſeri debeat quicquid fidei noſtræ deeſt.

10. Abierunt ergo rurſus diſcipuli in ſua.

11. Maria autem ſtabat foris ad monumentum, plorans. porro quum fleret, inclinavit ſe in monumentum,

12. Et videt duos Angelos in veſtibus albis ſedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi poſitum erat corpus Jeſu.

13. Et dicunt ei illi, Mulier, quid ploras? Dicit illis, Quia tulerunt Dominum meum, & neſcio ubi poſuerint eum.

14. Quum hæc dixiſſet, converſa eſt retrorſum, & videt Jeſum ſtantem, & neſciebat quod eſſet Jeſus.

15. Dicit ei Jeſus, Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa exiſtimans quod hortulanus eſſet, dicit ei, Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dic mihi ubi eum poſueris, & ego tollam eum.

10. *Abierunt ergo.*] Dubiis adhuc & ſuſpenſis animis domum reverſos eſſe credibile eſt. quamvis enim ſe Joannes credidiſſe dicat, non fuit tamen firma illa fides, ſed confuſus quidam miraculi ſenſus, & ecſtaſi ſimilis, donec melior accederet confirmatio. Et certe ex nudo aſpectu ſolida fides concipi non potuit. Adde quod illis ſe videndum non exhibuit Chriſtus donec melius à carnali ſuo ſtupore expergefacti eſſent. Laudabile quidem ediderant zeli ſui ſpecimen ad ſepulchrum properando: Chriſtus tamen

Digitized by Google

men abſconditus illis fuit, quoniam nimis ſuperſtitioſe illum quærebant.

11. *Maria autem ſtabat*] Nunc incipit narrare Euangeliſta quomodo Chriſtus ad teſtandam ſuam reſurrectionem, tam mulieribus quam diſcipulis apparuerit. Tametſi autem hic nonniſi unius Mariæ ſit mentio, mihi tamen probabile videtur alias quoque mulieres ſimul cum ea fuiſſe. Nam quod alii putant metu fuiſſe dilapſas, rationi non eſt conſentaneum. Volunt illi fugere repugnantiam, quæ tamen nulla eſt, ut prius oſtendi. Jam quod diſcipulis in urbem redeuntibus manent ad ſepulchrum mulieres, non eſt quod magnopere præ illis laudentur. conſolationem enim & gaudium illi ſecum referunt: hæ vero in fletu inani & ſupervacuo ſe occupant. Denique ſola eas ſuperſtitio cum affectu carnali ad ſepulchrum detinet.

12. *Videt duos Angelos.*] Mira Domini indulgentia, qui Mariæ ejuſque comitibus tot vitia condonat. neque enim vulgari eas honore dignatur, Angelos ſuos mittendo, & tandem ſeipſum manifeſtando: quod Apoſtolis negatum fuerat. Tametſi autem eodem morbo laborabant Apoſtoli & mulieres, illorum tamen ſtupor minus erat excuſabilis, qui tam probe & exacte edocti tam male profecerant. Certe non ſine eorum pudore mulieres elegit Chriſtus quibus ſe primum patefaceret. Porro incertum eſt Angelosne cognoverit Maria, an homines eſſe putaverit. Albas veſtes ſcimus gloriæ cæleſtis fuiſſe ſymbo-
Mat. 17. *verſ.* 2. lum. Sic albis veſtibus indutus fuit Chriſtus quum in monte tribus Apoſtolis conſpicua fuit ejus maje-
Act. 10. *verſ.* 30. ſtas. Idem refert Lucas de Angelo qui Cornelio apparuit. Nec inficior lineas veſtes in uſu fuiſſe Orientalibus. ſed Deus in ornatu Angelorum ſingulare aliquid & inſolitum oſtendit, & quaſi notas impreſſit quibus diſcerni poſſent ab hominibus. Adde quod Matthæus aſpectum Angeli qui loquutus eſt cum mulieribus, fulguri comparat. Poteſt tamen fieri ut timorem ſolum ex admiratione earum mentibus incuſſerit. nam attonitas ſtetiſſe apparet. Cæterum quoties viſibili hominum ſpecie & veſtibus indutos apparuiſſe Angelos legimus, hoc hominum ruditati datum fuit. Veris etiam corporibus interdum fuiſſe indutos non dubito. verum an ſola fuerit corporum ſpecies in duobus iſtis Angelis, quia ſupervacuum eſt inquirere, in medio relinquam. Mihi ſufficit datam fuiſſe illis à Domino humanam formam, ut conſpici & audiri poſſent à mulieribus: ornatu autem non vulgari & inuſitato fuiſſe præditos, qui eos ab hominum ordine diſcernens, divinum aliquid & cæleſte oſtenderet. *Unum ad caput, & unum ad pedes.* Quod apud Matthæum nonniſi unius Angeli ſit mentio, à Joannis narratione non diſcrepat: neque enim ambo ſimul Mariam allôquuti ſunt, ſed alter eorum, cui commiſſa erat legatio. Allegoria Auguſtini non ſatis firma eſt, quod ille Angelorum ſitus indicaverit prædicandum Euangelium ab ortu ad occaſum uſque Solis. Hoc potius notatu dignum eſt, talibus auſpiciis inchoaſſe Chriſtum regni ſui gloriam. Nam quod Angeli ſepulchrum ejus honorant, eo non tantum aboletur crucis ignominia, ſed cæleſtis Chriſti majeſtas affulget.

13. *Mulier, quid ploras?*] Plura dixiſſe Angelum, ex aliis Euangeliſtis colligere promptum eſt: ſed Joannes ſummam breviter delibat, quia hoc ſatis erat teſtandæ Chriſti reſurrectioni. Eſt autem objurgatione & conſolatione miſta oratio: objurgat Angelus importunum Mariæ fletum, ſimul tamen lætitiam miſcet dum flendi cauſam eſſe negat, quia reſurrexerit Chriſtus.

14. *Videt Jeſum ſtantem.*] Quæri poteſt unde hallucinatio hæc, quod Jeſum Maria non agnoſcit, qui pluſquam familiariter notus illi eſſe debebat. Putant quidam ipſum aliena forma apparuiſſe. Sed ego in mulierum oculis potius vitium fuiſſe exiſtimo: quemadmodum de duobus diſcipulis habetur apud
Lucam. Non ergo dicemus Chriſtum novas ſubinde *Luc.* 24.
facies inſtar Protei cujuſdam induiſſe: ſed eſſe in Dei *verſ.* 16.
arbitrio, qui oculos dedit hominibus, aciem eorum (quoties ita viſum eſt) hebetare, ut videndo non videant. Imo in Maria habemus commune errorum humanæ mentis exemplar. Quamvis enim ſe offerat Chriſtus in conſpectum, varias tamen formas illi affingimus, ut quidvis potius concipiat ſenſus noſter quam verum Chriſtum. Nam quum per ſe fallax ſit mentis noſtræ aſpectus, faſcinatur etiam à mundo & Satana nequid veri diſcernat.

15. *Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum.*] Dominum appellat communi gentis ſuæ uſu. nam agricolas quoque & alios ignobiles homines Hebræi Dominos ſalutant. Videmus autem Mariam nihil adhuc niſi terreſtre ſapere. Chriſti tantum cadaver nanciſci cupit, ut ſepulchro reconditum teneat: quod vero præcipuum eſt omittit, ut aſpiret ad divinam reſurrectionis ejus virtutem. Quare non mirum eſt ſi tam craſſus affectus velum opponat ejus oculis.

16. Dicit ei Jeſus, Maria. Converſa illa dicit ei, Rabboni, quod dicitur, Magiſter.

17. Dicit ei Jeſus, Ne me tangas: nondum enim aſcendi ad Patrem meum: ſed vade ad fratres meos, & dic eis, Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, & Deum meum, & Deum veſtrum.

18. Venit Maria Magdalena annuncians diſcipulis quod vidiſſet Dominum, & hæc dixiſſet ei.

16. *Maria.*] Quod Mariam ad breve tempus errare paſſus eſt Chriſtus, utile nobis fuit ad fidei certitudinem: nunc autem ab errore ipſam verbulo uno revocat. Prius eam alloquutus fuerat; ſed ille erat quaſi ignoti hominis ſermo: nunc recepta magiſtri perſona, compellat nomine diſcipulam: quemadmo-
ſupra, 10. *verſ.* 9. dum habuimus decimo capite, quod bonus paſtor nominatim ad ſe vocet ſingulas gregis ſui oves. Vox ergo iſta paſtoris penetrat in animum Mariæ, oculos illi aperit, ſenſus omnes excitat & afficit, ut protinus ſe Chriſto tradat. Ita in Maria depictam habemus vocationis noſtræ imaginem. Nam hic unus in veram Chriſti notitiam ingreſſus eſt, ſi nos ipſe prior cognoſcat: deinde familiariter ad ſe invitet, non illa communi voce quæ promiſcue inſonat omnium auribus, ſed qua peculiariter oves ſibi à Patre datas vocat. Ideo
Gal. 4: 9. Paulus, Poſtquam, inquit, cognoviſtis Deum, imo cogniti eſtis ab eo. Porro efficacia ſermonis inde apparet, quod ſtatim Maria debitum Chriſto honorem tribuit. Nomen enim *Rabboni* non modo honorificum eſt, ſed profeſſionem continet obedientiæ. Teſtatur ergo Maria ſe Chriſti diſcipulam, & illi tanquam magiſtro ſe addicit. Hæc mirabilis eſt atque arcana humanæ mentis converſio, quum Deus ſuo eam Spiritu illuſtrans, ex obtuſa, vel etiam penitus cæca, ſubito perſpicacem reddit. Præterea exemplum Mariæ exhortationis vice eſſe debet, ut quotquot Chriſtus ad ſe invitat, viciſſim illi ſine mora reſpondeant. Vox ipſa *Rabboni* Chaldaica eſt: quanquam illi Ribboni pronunciant. ſed uſitatum eſt verba mutari dum in alienam linguam vertuntur. Perinde autem valet ac Dominus meus, ſive Magiſter. Sed invaluerat Chriſti tempore ratio loquendi, ut Rabbi & Rabboni ſumerent pro magiſtro.

17. *Ne me tangas.*] Videtur hoc cum Matthæi narratione parum eſſe conſentaneum. Nam ille

Mat. 28. verſ. 9. diſerta ſcribit mulieres amplexas eſſe pedes Chriſti. Jam quum palpari à diſcipulis voluerit, quid cauſæ fuit cur Mariam à tactu prohiberet? Facilis ſolutio eſt, ſi modo teneamus non ante repulſas fuiſſe mulieres à tactu Chriſti quam quum in eo tangendo jam nimiæ fuiſſent. Quatenus enim ad eximendam dubitationem opus erat, ſe proculdubio tangi non vetuit: ſed quum videret in pedum complexu nimis defixas eſſe, zelum illum inconſideratum moderatus eſt ac correxit. Hærebant enim in corporali præſentia, nec alium ejus fruendi modum tenebant quam ſi una in terris ageret. Quare ſtatuendum eſt, non ante prohibitas fuiſſe à tactu quam vidiſſet Chriſtus ſtulto earum & intempeſtivo deſiderio ſe in mundo retineri. Notanda eſt etiam ratio quam ſubjicit, *Quia nondum aſcendi ad Patrem.* Jubet enim his verbis mulieres affectum ſuum ſuſpendere, donec in gloriam cæleſtem ipſe eſſet receptus. Denique finem reſurrectionis ſuæ oſtendit, non qualem ſibi illæ fingebant, ut redivivus in mundo triumpharet: ſed potius ut ſuo in cælum aſcenſu poſſeſſionem adiret regni ſibi promiſſi, & è Patris dextera Spiritus ſui virtute Eccleſiam regeret. Hic ergo eſt verborum ſenſus, ſtatum reſurrectionis non fore plenum & numeris omnibus abſolutum, donec cælitus ad Patris dexteram ſederet: perperam ergo facere mulieres, quæ dimidia tantum reſurrectionis parte contentæ, illum in mundo præſentem habere cuperent. Duplex autem eſt hujus doctrinæ utilitas: prior eſt ut ſurſum mentes attollant quicunque errare nolunt in quærendo Chriſto: ſecunda autem, ut terrenis carnis affectibus ſeſe expediant quicunque ad eum tendunt, quemadmodum Paulus admonet. *Coloſ. 3. verſ. 1, 8* *Vade ad fratres meos.* Quidam *fratrum* nomen ad Chriſti cognatos reſtringunt. ſed male, meo judicio: cur enim ad illos potius quam diſcipulos miſiſſet? Reſpondent illi, Quia alibi teſtatur Joannes illos fuiſſe incredulos. *ſupra, 7. verſ. 5.* Sed eos quorum illic fit mentio, Chriſtum tanto honore dignatum eſſe probabile mihi non eſt. Jam vero concedant oportet Mariam obedienter feciſſe quod à Chriſto juſſa erat. Atqui ſequitur continuo poſt, eam ad diſcipulos veniſſe. Unde colligimus de illis loquutum fuiſſe Chriſtum. Adhæc ſciebat Chriſtus uno in loco congregatos eſſe diſcipulos, quos iſti opinione ſua ſeparant. Et valde abſurdum foret, habita neſcio quorum ratione, neglectos eſſe diſcipulos, qui in unum locum aggregati, anxie inter ſpem & metum æſtuabant. Adde quod loquutionem iſtam mutuatus eſſe videtur Chriſtus ex Pſalmo 22. *Pſal. 22. verſ. 23.* Nunciabo nomen tuum fratribus meis. Nam ejus vaticinii complementum hoc loco referri, extra controverſiam eſt. Statuo igitur ad diſcipulos in commune miſſam eſſe Mariam: idque factum interpretor exprobrandi cauſa quod ad credendum adeo tardi ſocordeſque fuiſſent. Et certe non mulieribus tantum, ſed bobus quoque & aſinis magiſtris digni erant, apud quos tam ſedula docendi opera & aſſiduitate Filius Dei tam parum aut fere nihil profecerat. Eſt tamen hæc mitis & placida caſtigatio, dum Chriſtus ita diſcipulos ad mulierum ſcholam ablegat, ut per eas ad ſe revocet. Inæſtimabilis etiam ejus bonitas in eo relucet quod mulieres deſtinat ac conſtituit Apoſtolis teſtes reſurrectionis ſuæ. Nam quæ illis mandatur legatio, unicum eſt ſalutis noſtræ fundamentum, & præcipuum cæleſtis ſapientiæ caput continet. Quanquam ſimul notandum eſt, hoc fuiſſe extraordinarium & quaſi accidentale. Jubentur nunciare Apoſtolis, quod illi poſtea pro injuncto ſibi munere toti mundo publicarunt: ſed hoc non faciunt ut Apoſtolæ. Quare perperam ex hoc Chriſti mandato legem eliciunt qui mulieribus permittunt baptizandi partes. Nobis ſufficiat quod in illis Chriſtus immenſos gratiæ ſuæ theſauros explicuit, dum illas ſemel præfecit Apoſtolis magiſtras: ſic tamen ut noller in exemplum trahi, quod ſingulari privilegio factum eſt. Præſertim id in Maria Magdalena cernere licet, quæ ſeptem dæmonum prius captiva fuerat: perinde enim hoc fuit acſi Chriſtus ab ultimis inferis eductam ſupra cælos attolleret. Siquis objiciat non fuiſſe cur Apoſtolis Chriſtus mulieres præferret, quæ non minus carnales erant ac ſtupidæ: reſpondeo, diſcrimen inter has & illos non in noſtro, ſed judicis arbitrio eſſe poſitum. Deinde acrius objurgandos fuiſſe dico qui non modo præ aliis edocti fuerant, ſed ordinati totius orbis doctores, vocati lux hominum & ſal terræ, *Matth. 5. v. 23. 24.* adeo turpiter defecerant. Interim placuit Domino in iſtis contemptis infirmiſque organis virtutis ſuæ ſpecimen exerere. *Aſcendo ad Patrem meum.* Aſcenſus nomine illam quam nuper expoſui doctrinam confirmat: nempe ideo ſe reſurrexiſſe non ut moram traheret in terra, ſed ut cæleſtem vitam ingreſſus, ſecum eo fideles traheret. In ſumma, hoc verbo Apoſtolos vetat in ſimplici & nuda reſurrectione ſubſiſtere, ſed ulterius jubet progredi, uſquedum ad ſpirituale regnum, ad cæleſtem gloriam, ad Deum ipſum perveniant. Magna igitur emphaſis eſt in verbo hoc *aſcendo*, quia manum Chriſtus ſuis porrigit, ne alibi quam in cælo felicitatem quærant. Nam ubi theſaurus noſter, ibi & cor noſtrum eſſe decet. *Matth. 6. verſ. 21.* Chriſtus autem ſurſum ſe aſcendere prædicat: ergo aſcendere nos oportet, niſi velimus ab eo ſeparari. Cæterum ubi addit ſe ad Deum aſcendere, quicquid ex ejus diſceſſu triſtitiæ & anxietatis concipere poterant Apoſtoli, facile diſcutit. ſignificat enim ſe divina virtute fore ſemper ſuis præſentem. Aſcenſu quidem notatur locorum diſtantia: ſed quamvis corpore abſit Chriſtus, quia tamen apud Deum eſt, virtus ejus ubique diffuſa, ſpiritualem ejus præſentiam clare demonſtrat. Quorſum enim aſcendit ad Deum, niſi ut ſedens ad ejus dexteram in cælo & terra regnaret? Denique hac loquutione divinam regni ſui potentiam commendare voluit, ne carnis abſentiam moleſte ferrent diſcipuli. Jam vero illius fraternæ conjunctionis, cujus nuper facta eſt mentio, fructus & effectus exprimitur, dum Chriſtus Deum & Patrem nobis communem ſecum facit. Ego (inquit) ad Patrem aſcendo, qui etiam veſter eſt. Alibi audimus nos omnium Chriſti bonorum factos eſſe conſortes: ſed hoc fundamentum eſt, quod fontem ipſum bonorum nobiſcum communicat. Hoc certe inæſtimabile bonum eſt, quod ſtatuere tuto & ſecure poſſunt fideles ſuum eſſe Deum qui Deus eſt Chriſti, ſuum eſſe Patrem qui Pater eſt Chriſti. Nec vero timendum eſt ne temeritatis arguatur hæc fiducia, ubi in Chriſto fundata eſt: vel ſuperba ſit jactantia quam Chriſtus ipſe nobis ore ſuo dictavit. Porro Chriſtus *Deum* ſuum appellat quatenus ſumpta ſervi figura ſeipſum exinanivit. Eſt igitur hoc humanæ ejus naturæ proprium: ſed in totam perſonam confertur unitatis reſpectu: quia idem eſt homo & Deus. Quod ad ſecundum membrum ſpectat, diverſa eſt etiam inter nos & illum ratio: ipſe enim natura Dei Filius, nos adoptione duntaxat: ſed gratiæ quam per ipſum conſequimur ea eſt ſtabilitas ut nullis diaboli machinis concuti queat quin ſemper vocemus Patrem noſtrum qui nos in Filio ſuo unigenito adoptavit.

19. Quum ergo veſper eſſet diei illius qui primus erat Sabbathorum, & clauſæ eſſent januæ ubi congregati erant diſcipuli propter metum Judæorum, venit Jeſus, & ſtetit in medio, & dicit eis, Pax vobis.

20. Et quum hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & latus ſuum. Gaviſi ergo ſunt diſcipuli viſo Domino.

21. Dixit itaque illis Jeſus rurſum, Pax vobis: quemadmodum miſit me Pater, etiam
ego mitto vos.
22. Quum hoc dixiſſet, inſufflavit, & dixit eis, Accipite Spiritum ſanctum.
23. Quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt illis: & quorum retinueritis, retenta erunt.

19. *Quum ergo veſper eſſet.*] Jam narrat Euangeliſta Chriſti conſpectu diſcipulis probatam fuiſſe ejus reſurrectionem. Non ſine Dei providentia contigit quod in unum locum omnes convenerant, ut certior ac luculentior eſſet rei fides. Notandum eſt quam clementer egerit cum illis Chriſtus, qui nonniſi ad veſperum ſuſpenſos tenuit. Adde quod eis illuxit, novæ vitæ pignus afferens quum ſe mundo tenebræ offunderent. Quod ſimul convenerant, fidei vel ſaltem pii affectus ſignum fuit: quod ſe clauſis januis tenebant occultos, in eo aliquid infirmitatis agnoſcimus. Nam etſi in fortiſſimos & invictæ conſtantiæ homines interdum cadit aliquis metus, ſic tamen trepidaſſe tunc Apoſtolos colligere promptum eſt ut fidei defectum proderent. Exemplum notatu dignum. nam etſi minus fortiter ſe gerunt quam deceat, non tamen infirmitati ſuæ indulgent. Latebras quidem ſibi quærunt fugiendi periculi cauſa: colligunt tamen animos ut ſimul maneant: alioqui dilapſi eſſent huc & illuc, nec quiſquam auſus fuiſſet alium aſpicere. Hoc modo nobis cum infirmitate carnis noſtræ luctandum eſt, nec frenum timori laxandum qui nos ad defectionem ſollicitat. Et Chriſtus zelum eorum benedicit dum ita congregatis apparet: & Thomas merito privatur communi fratrum ſuorum gratia, quod tanquam vagus aut erraticus miles ab unitatis vexillo diſceſſerat. Diſcant ergo qui nimium timidi ſunt, ſeſe acuere & hortari ad corrigendum carnis ſuæ timorem. In primis vero cavendum ne metus eos diſpergat. *Et clauſæ eſſent januæ.* Circumſtantia hæc diſerte addita fuit, quia divinæ in Chriſto potentiæ illuſtre ſpecimen continet. Nam quod putant quidam reſeratas illi fuiſſe fores per aliquem, & humano more ingreſſum, prorſus à mente Euangeliſtæ diſcrepat. Sic igitur habendum eſt, Chriſtum non ſine miraculo ingreſſum eſſe, ut documentum ederet ſuæ divinitatis, quo ſuos diſcipulos magis attentos redderet. interea tamen verum eſſe minime concedo quod aſſerunt Papiſtæ, Chriſti corpus penetraſſe per januas clauſas. Hoc ideo contendunt ut corpus glorioſum non modo reddant ſimile ſpiritui, ſed immenſum eſſe, nulloque loco contineri obtineant. Verum nihil tale ſonant verba: quia non dicit Euangeliſta intraſſe per januas clauſas; ſed repente ſtetiſſe inter diſcipulos, quum tamen clauſæ eſſent januæ, nec aditus illi eſſet patefactus manu hominis. Scimus Petrum è carcere obſerato egreſſum eſſe: an ideo dicendum erit per medium ferrum & aſſeres penetraſſe? Faceſſant ergo pueriles iſtæ argutiæ, quæ nihil prorſus habent ſolidi, & ſecum trahunt multa deliria. Nobis ſufficiat quod Chriſtus inſigni miraculo reſurrectionis ſuæ fidem ſancire voluit apud diſcipulos. *Pax vobis.* Vulgaris eſt ſalutandi forma apud Hebræos, qui Pacis nomine fauſta omnia & proſpera, quæ expeti ſolent ad beatam vitam, deſignant. Tantundem ergo valet loquutio acſi dicas, Bene & feliciter ſit vobis. Quod ideo moneo quia nonnulli fruſtra de pace & concordia hic philoſophantur: quum nihil aliud Chriſto propoſitum fuerit quam diſcipulis bene precari.

20. *Oſtendit eis manus.*] Hanc confirmationem addi oportuit, ut modis omnibus illis compertum eſſet Chriſtum reſurrexiſſe. Sicui indignum & alienum eſſe videtur Chriſti gloria quod vulnera adhuc à reſurrectione geſtet, primum cogitet Chriſtum non tam ſibi quam nobis reſurrexiſſe: deinde quicquid in ſalutem noſtram eſt, eſſe illi glorioſum. Nam quod ſeipſum ad tempus exinanivit, in eo nihil deceſſit ejus majeſtati: jam quum vulnera iſta, de quibus nunc agitur, ad illuſtrandam reſurrectionis fidem valeant, minime derogant ejus gloriæ. Siquis autem hinc colligat Chriſtum adhuc habere confoſſum latus, & manus perforatas, ridiculus erit: quum certum ſit temporalem fuiſſe vulnerum uſum, donec certo perſuaſi eſſent Apoſtoli ipſum à morte reſurrexiſſe. Quum dicit Joannes *gaviſos* eſſe diſcipulos Domini conſpectu, ſignificat, quicquid mœroris mors Chriſti illis attulerat, nova vita fuiſſe diſcuſſum.

21. *Dixit iterum, Pax vobis.* Secunda hæc ſalutatio non alio mihi videtur ſpectare niſi ut ſibi audientiam faciat Dominus, qualem merebatur rerum de quibus acturus erat magnitudo & gravitas.

Quemadmodum miſit me.] His verbis ſuos Apoſtolos quodammodo inaugurat Chriſtus in officium cui prius eos deſtinaverat. Dimiſſi quidem ante fuerant per Judæam, ſed tantum ut præcones qui juberent audiri ſummum doctorem, non autem ut Apoſtoli qui perpetuum obirent docendi munus. nunc autem eos Dominus legatos ſibi ordinat, qui regnum ejus in mundo conſtituant. Maneat igitur hoc fixum, Apoſtolos nunc primum inſtitui ordinarios Euangelii miniſtros. Perinde autem valent ejus verba acſi diceret ſe doctoris officio hactenus defunctum eſſe: completo igitur curſus ſui ſtadio, ſe nunc eaſdem illis mandare vices. Nam intelligit hac lege ſe creatum fuiſſe à Patre Eccleſiæ doctorem ut præiret reliquis ad tempus, deinde ſubrogaret in ſuum locum qui abſentis vices ſupplerent. Qua etiam ratione Paulus dicit eum dediſſe alios Apoſtolos, alios *Epheſ. 4.* Euangeliſtas, alios Paſtores, qui Eccleſiam uſque *verſ. 11.* ad finem mundi gubernent. Primum itaque teſtatur Chriſtus, quamvis ipſe temporale habuerit docendi munus, Euangelii tamen prædicationem non exigui eſſe temporis, ſed æternam fore. Deinde, ne minor ſit doctrinæ auctoritas in ore Apoſtolorum, jubet in eandem quam à Patre accepit functionem ipſos ſuccedere, eandem illis imponit perſonam, ac idem juris aſſignat. atque ita sanciri eorum miniſterium oportuit: erant enim obſcuri & gregarii homines. Deinde, ut in illis eſſet ſummus ſplendor ac dignitas, ſcimus tamen, quicquid eſt hominum, fide eſſe longe inferius. Quare non abs re Chriſtus cum Apoſtolis ſuis communicat quam à Patre auctoritatem accepit: ut hoc modo declaret, non humanitus, ſed Dei juſſu illis injungi Euangelii prædicationem. Cæterum non ita ſubſtituit in locum ſuum ut ſummo magiſterio cedat, quod penes eum unum reſidere voluit Pater. Manet igitur ipſe æternumque manebit unicus Eccleſiæ doctor: ſed hoc tantum intereſt, quod loquutus ore ſuo quamdiu in terris verſatus eſt, nunc per Apoſtolos loquitur. Talis ergo eſt ſucceſſio qua nihil Chriſto decedat, ſed illi jus ſuum ſalvum & intactum maneat, honorque integer. eſt enim inviolabile illud decretum quo jubemur ipſum audire, non alios. In ſumma, Chriſtus non homines hic ornare voluit, ſed Euangelii doctrinam. Notandum præterea eſt, hic non tractari niſi de Euangelio prædicando. neque enim mittit Chriſtus Apoſtolos ad expianda mundi peccata, ad juſtitiam comparandam: ſicuti à Patre miſſus fuerat. Quicquid ergo peculiare habebat, hoc loco non attingit: ſed miniſtros tantum inſtituit ac paſtores ad regendam Eccleſiam, & ea quidem lege ut ſolus ipſe poteſtatem in ſolidum retineat: hi vero nihil ſibi vendicent præter miniſterium.

22. *Inſufflavit.*] Quia ad tam arduum munus nemo penitus mortalium idoneus eſt, ideo Chriſtus Spiritus ſui gratia inſtruit Apoſtolos. Et ſane res

humana

humana facultate longe ſuperior eſt, regere Eccleſiam Dei, perferre legationem æternæ ſalutis, erigere regnum Dei in terra, & homines ad cælos attollere. Quare nihil mirum eſt idoneum neminem inveniri niſi Spiritu ſancto afflatum. Nemo enim poteſt de Chriſto verbum unum facere niſi Spiritus linguam ejus gubernet: tantum abeſt ut ſufficiat quiſquam ad omnes tam præclari officii partes fideliter & ex animo implendas. Cæterum hæc unius Chriſti gloria eſt, formare quos Eccleſiæ ſuæ doctores præficit. Nam ideo in eum effuſa eſt plenitudo Spiritus, ut ſingulis ad certam menſuram conferat. Deinde quum unicus maneat Eccleſiæ paſtor, neceſſe eſt ut in miniſtris quorum opera utitur, Spiritus ſui virtutem proferat. quod etiam externo ſymbolo teſtatus eſt quum in Apoſtolos ſufflavit: neque enim hoc quadraret, niſi ab eo prodiret Spiritus. Quo magis deteſtabile eſt Papiſtarum ſacrilegium, qui honorem Filii Dei proprium ad ſe rapiunt. nam cornuti eorum Epiſcopi in creandis ſacrificis Spiritum tuctando ſe efflare jactant. Sed res ipſa clare demonſtrat quantum à divino Chriſti flatu differet putidus eorum anhelitus: quia nihil aliud quam ex equis aſinos faciunt. Adde quod non modo Spiritum Chriſtus quem accepit, communicat cum ſuis diſcipulis, ſed tanquam ſuum largitur, nempe quem habet cum Patre communem. Quare divinitatis gloriam ſibi uſurpant quicunque Spiritum ſe flatu dare profitentur. Jam vero notandum eſt, quos ad munus paſtorale vocat Chriſtus, neceſſariis etiam donis ornare, ut pares ſint exequendo muneri, vel ſaltem non inanes nudique accedant. Quod ſi verum eſt, nullo negotio refellitur ſtulta Papiſtarum jactantia, qui dum ſuam hierarchiam magnificis præconiis extollunt, ne minimam quidem ſcintillam Spiritus ſancti poſſunt in ſuis Epiſcopis oſtendere. Volunt ut legitimos credamus eſſe Eccleſiæ paſtores, adeoque Apoſtolos & vicarios Chriſti, quos apparet omni Spiritus gratia prorſus eſſe vacuos. Atqui hic nobis certa regula præſcribitur æſtimandæ eorum vocationis qui Eccleſiæ Dei præſunt, ſi videmus Spiritu ſancto donatos. Præcipue tamen voluit Chriſtus ordinis Apoſtolici dignitatem aſſerere. Æquum enim erat ut ſingularis eſſet eorum auctoritas qui primi & præcipui ad prædicandum Euangelium electi erant. Verum ſi tunc flatu Spiritum Chriſtus contulit Apoſtolis, videtur ſupervacua fuiſſe Spiritus ſancti miſſio quæ poſtea ſequuta eſt. Reſpondeo, ſic datum fuiſſe Apoſtolis Spiritum hoc loco, ut aſperſi duntaxat fuerint ejus gratia, non autem plena virtute imbuti. Nam quum apparuit in linguis igneis Spiritus ſuper eos, prorſus fuerunt renovati. Et ſane non ita eos nunc conſtituit Euangelii ſui præcones

Act. 1. verſ. 4.

ut ſtatim ad opus emittat: ſed potius (ut alibi habetur) quieſcere eos juſſit. Et, ſi rite omnia expendimus, non tam in præſentia neceſſariis eos dotibus inſtruit quam in futurum tempus Spiritus ſui organa deſtinat. Quare hic flatus ad magnificam illam Spiritus miſſionem, quam toties pollicitus fuerat, magna ex parte referri ac extendi debet. Porro quum arcana inſpiratione poſſet Chriſtus gratiam conferre Apoſtolis, viſibilem flatum addere voluit ad eos melius confirmandos. Symbolum autem hoc ſumpſit Chriſtus à vulgari Scripturæ more, cui tritum eſt Spiritum conferre vento. cujus ſimilitudinis ratio breviter expoſita fuit ſupra capite tertio. Sed obſervent lectores externo & viſibili ſymbolo ſimul verbum conjungi. nam & hinc Sacramenta vim ſuam mutuantur. non quod in voce quæ auribus perſonat, incluſa ſit Spiritus efficacia: ſed quia à teſtimonio verbi pendet eorum omnium effectus quæ ex Sacramentis percipiunt fideles. Flat Chriſtus in Apoſtolos: hi non flatum modo, ſed Spiritum quoque recipiunt. Cur, niſi quia illis Chriſtus promittit? Similiter in Baptiſmo Chriſtum induimus, abluimur ejus ſanguine, crucifigitur vetus homo noſter ut regnet in nobis Dei juſtitia. In ſacra Cœna ſpiritualiter Chriſti carne & ſanguine paſcimur. Unde tanta vis, niſi ex Chriſti promiſſione, qui Spiritu ſuo efficit ac præſtat quod verbo teſtatur? Sciamus ergo quæcunque commenti ſunt homines ſacramenta, nihil aliud quam mera ludibria eſſe, aut frivolos luſus: quia nulla ſignis poteſt conſtare veritas niſi ubi adeſt verbum Domini. Quoniam autem nunquam ita in ſacris luditur ſine impia Dei contumelia & animarum interitu, ſummo ſtudio cavendæ ſunt tales Satanæ præſtigiæ. Siquis objiciat, non eſſe culpandum quod faciunt Epiſcopi Papales, dum flatu inaugurant ſuos ſacrificos, quia illic verbum Chriſti annexum eſt ſigno: reſponſio in promptu eſt, Chriſtum non loquutum eſſe Apoſtolis ut perpetuum Sacramentum in Eccleſia inſtitueret: ſed ſemel teſtari voluiſſe quod nuper diximus, non aliunde quam à ſe ſolo prodire Spiritum: deinde ſe nunquam munus injungere quin ſimul virtutem ſuppeditet miniſtris ſuis, eoſque facultate inſtruat. Omitto quod in Papatu in finem longe diverſum, vel potius contrarium, ſacrifici creantur, nempe ad mactandum quotidie Chriſtum: quum ad homines Euangelii gladio immolandos creati fuerint Apoſtoli. Interea tenendum eſt illud quoque, Chriſtum ſolum dare quicquid bonorum in ſignis externis figuret ac promittit: non enim ab externo flatu, ſed à ſeipſo Apoſtolos jubet Spiritum accipere.

23. *Quorum remiſeritis peccata.*] Non dubium eſt quin hic breviter complexus ſit Dominus *Euangelii* ſummam. Neque enim ſeparanda eſt hæc poteſtas remittendi peccata à docendi officio, cui uno contextu annexa eſt. Dixerat paulo ante Chriſtus, Sicut miſit me vivens Pater, ita & ego mitto vos: nunc quorſum ſpectet, ac quid ſibi velit iſta legatio, declarat. tantum interpoſuit quod neceſſe erat, ſe illis Spiritum ſanctum dare, nequid ex ſeipſis agerent. Hic ergo præcipuus eſt Euangelii prædicandi finis, ut Deo reconcilientur homines. quod fit gratuita peccatorum venia: quemadmodum & Paulus docet 2 Corinth. 5: 18. ubi Euangelium hac ratione appellat miniſterium reconciliationis. Multa quidem alia continet Euangelium, ſed hoc in primis agit illic Deus ut recipiat homines in gratiam, peccata non imputando. Quare ſi fideles Euangelii miniſtros præſtare volumus, ſummo ſtudio in hanc partem incumbere decet. nam in hoc maxime differt à profana philoſophia Euangelium, quia hominis ſalutem in gratuita peccatorum remiſſione conſtituit. Nam & hinc fluunt alia Dei beneficia, ut nos illuminet Deus, ac regeneret ſuo Spiritu, ut reformet ad imaginem ſuam, ut invicta fortitudine contra mundum & Satanam nos armet. Itaque tota pietatis doctrina & ſpirituale Eccleſiæ ædificium fundamento illo nititur, quod Deus nos à peccatis omnibus abſolutos gratis ſibi adoptat. Cæterum ita mandatum Chriſtus injungit Apoſtolis remittendi peccata, ut minime quod ſuum eſt in ipſos transferat. Proprium ejus eſt peccata remittere. hunc honorem, quatenus in ipſum competit, Apoſtolis non reſignat: ſed jubet ſuo nomine remiſſionem peccatorum teſtari, ut per eos Deo homines reconciliet. denique ſolus ipſe, proprie loquendo, per Apoſtolos ſuos peccata remittit. Poteſt tamen quæri, quum teſtes ſolum vel præcones hujus beneficii, non auctores eos conſtituat, cur tam magnifice extollat eorum poteſtatem. Reſpondeo, hoc ſtabiliendæ fidei noſtræ fuiſſe datum. Nihil noſtra magis intereſt quam ut ſecure ſtatuere nobis liceat, non venire in memoriam peccata noſtra coram Deo. Zacharias in ſuo Cantico hanc vocat *Luc 1. verſ. 77.* ſcientiam ſalutis. Ad eam probandam quum Deus utatur hominum teſtimonio, nunquam acquieſcent conſcientiæ, niſi in eorum perſona Deum ipſum loquentem agnoſcant. Ideo dicit Paulus, Hortamur *2 Cor. 5. verſ. 20.*

vos ut

vos ut reconciliemini Deo: tanquam Chriſto per nos obſecrante. Videmus nunc cur tam ſplendido elogio commendet Chriſtus ac ornet miniſterium quod Apoſtolis injungit, nempe ut tuto ſibi perſuadeant fideles ratum eſſe quod audiunt de remiſſis peccatis: nec minoris faciant reconciliationem quæ voce hominum offertur, quam ſi Deus ipſe manum è cælo porrigeret. Ac uberrimum hujus doctrinæ fructum quotidie percipit Eccleſia, dum Paſtores ſuos intelligit divinitus ordinatos eſſe æternæ ſalutis ſponſores: nec peccatorum remiſſionem, quæ apud illos eſt depoſita, procul eſſe quærendam. Nec vero propterea vileſcere nobis debet incomparabilis hic theſaurus, quia in vaſis fictilibus exponitur: ſed eſt cur agamus gratias Deo, qui tanto honore dignatus eſt homines ut in teſtanda peccatorum remiſſione ſuam ac Filii ſui perſonam ſuſtineant. Fanaticos autem homines ſciamus, dum hanc legationem ſpernunt, Chriſti ſanguinem pedibus calcare. Rurſum pluſquam inſulſi ſunt Papiſtæ, qui locum hunc ad magicas ſuas abſolutiones detorquent. Niſi quis peccata ſua confeſſus ſit in aurem ſacerdotis, nulla, ſecundum eos, ſperanda eſt remiſſio. Chriſtus enim peccata voluit per Apoſtolos remitti: abſolvere autem nequeunt niſi cauſa cognita. ergo confiteri neceſſe eſt. Sed ridicula eſt eorum hallucinatio, dum ſummum cauſæ cardinem prætereunt: nempe hoc juris conceſſum eſſe Apoſtolis ad aſſerendam Euangelii auctoritatem, cujus illis commiſſa erat prædicatio. Neque enim confeſſionarios hic inſtituit Chriſtus, qui occultis ſuſurris examen de ſingulis peccatis habeant: ſed vocales Euangelii ſui præcones, qui gratiam expiationis per Chriſtum partæ piorum cordibus obſignent. Quare tenendus eſt modus remittendi peccata, ut ſciamus quænam ſit iſta quæ Apoſtolis data eſt poteſtas. *Quorum retinueritis.* Hoc ſecundum membrum addit Chriſtus ad terrendos Euangelii ſui contemptores, ut ſciant non impune ceſſuram ſibi eſſe hanc ſuperbiam. Ergo ſicuti Apoſtolis injuncta eſt ſalutis & vitæ æternæ legatio, ita rurſum armati fuerunt vindicta adverſus omnes impios qui oblatam ſibi ſalutem reſpuunt, ut docet Paulus 2 Cor. 10: 6. Cæterum ordine poſterius eſt: quia priore loco oſtendi oportuit verum & genuinum Euangelii prædicandi finem. Quod Deo reconciliamur, hoc Euangelii proprium eſt: accidentale vero, quod morti æternæ addicuntur increduli. Qua ratione Paulus, dum illam cujus nuper memini vindictam denunciat incredulis, mox ſubjicit, Poſtquam impleta fuerit veſtra obedientia. Significat enim proprium eſſe Euangelii ut invitet omnes ad ſalutem: adventitium autem eſſe ut interitum quibuſdam afferat. Notandum tamen eſt, quiſquis Euangelii vocem audit, niſi peccatorum remiſſionem illic ſibi promiſſam amplectitur, reatu & æterna damnatione obſtringi. Nam ſicut Dei filiis odor eſt vivificus, ita iis qui pereunt odor eſt mortis in mortem. Non quod neceſſaria ſit damnandis reprobis Euangelii prædicatio, quum natura perditi ſimus omnes, & præter hæreditariam maledictionem novas mortis cauſas ſibi quiſque accerſat: ſed quia multo graviorem pœnam meretur eorum contumacia qui ſcientes & volentes Filium Dei ſpernunt.

24. Thomas autem unus ex duodecim, qui vocabatur Didymus, non erat cum illis quando venit Jeſus.

25. Dixerunt ergo ei alii diſcipuli, Vidimus Dominum. Ipſe autem dixit eis, Niſi videro in manibus ejus veſtigium clavorum, & miſero digitum meum in veſtigium clavorum, manumque meam miſero in latus ejus, non credam.

26. Poſt dies autem octo rurſus erant intus diſcipuli ejus, & Thomas cum ipſis. Venit ergo Jeſus quum januæ eſſent clauſæ, & ſtetit in medio, & dixit, Pax vobis.

27. Deinde dicit Thomæ, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas: & infer manum tuam, & mitte in latus meum: & ne ſis infidelis, ſed fidelis.

28. Reſpondit Thomas, & dixit ei, Dominus meus, & Deus meus.

29. Dicit ei Jeſus, Quia vidiſti me Thoma, credidiſti: beati qui non viderunt, & crediderunt.

24. *Thomas autem.*] Hic Thomæ incredulitas refertur, ut inde melius confirmetur piorum fides. Non modo tardus ille & difficilis ad credendum fuit. ſed etiam contumax. Fecit ejus durities ut ſe rurſus eadem ſpecie videndum atque etiam palpandum Chriſtus præberet. Hoc modo non illi ſolum, ſed nobis quoque novum adjumentum acceſſit teſtandæ Chriſti reſurrectioni. Cæterum nobis exemplo eſt Thomæ pervicacia, pravitatem hanc fere omnibus eſſe ingenitam, ut ſponte ſeipſos impediant dum patefactus eſt ad fidem ingreſſus.

25. *Niſi videro* &c.] Hic notatur fons vitii, quia ſapere quiſque vult ex proprio ſenſu, nimiumque ſibi indulget. Hæc vero verba nihil habent affine fidei, ſed ſenſuale eſt (ut ita loquar) judicium. Idem omnibus accidit qui ſibi addicti ſunt, ut verbo Dei locum non relinquant. Nihil intereſt locumne clavorum, an figuram aut veſtigium legas. fieri enim poteſt ut librarii τύπον verterint in τόπον, vel econverſo: ſenſus tamen propterea non variat. Ideo liberum ſit lectoribus utrum magis placuerit eligere.

27. *Infer digitum tuum.*] De Chriſti ingreſſu & ſalutandi forma qua uſus eſt, jam ſemel diximus. Porro quod tam facile Chriſtus Thomæ concedit quod improbe petierat, adeoque ad manus ſuas palpandas, & contrectandum vulnus lateris ultro eum invitat: hinc colligimus quam ſedulo noſtræ pariter & illius fidei conſuluerit. Nec enim unius Thomæ, ſed noſtri quoque habita fuit ratio: nequid ad ſtabiliendam fidem noſtram deeſſet. Mirus autem ac prodigioſus Thomæ ſtupor: ſimplici Chriſti aſpectu non contentus, manus quoque habere volebat reſurrectionis teſtes. ita non pertinax ſolum, ſed ſuperbus etiam, & in Chriſtum contumelioſus erat. Nunc ſaltem viſo Chriſto pudore confundi & expaveſcere debuerat. atqui perinde acſi nullius culpæ eſſet ſibi conſcius, audacter & intrepide manum ſuam ingerit. Colligere enim promptum eſt ex verbis Euangeliſtæ non prius reſipuiſſe quam tactu ipſo convictus eſſet. Ita ſcilicet dum minus honoris quam par ſit tribuimus verbo Domini, ſenſim non cogitantibus obrepit deterior pervicacia quæ illius contemptum ſecum affert, omnemque ejus reverentiam nobis excutit. Quo magis laborandum eſt in cohibenda ingenii noſtri laſcivia, ne ſibi quiſque plus quam fas eſt in repugnando promittens, quaſi extincto pietatis ſenſu, fidei januam ſibi præcludat.

28. *Dominus meus, & Deus meus.*] Sero tandem expergiſcitur Thomas: & quemadmodum ſolent qui ex alienatione mentis ad ſeipſos redeunt, præ admiratione exclamat, Dominus meus, & Deus meus. nam abrupta oratio plus habet vehementiæ. Nec dubium eſt quin pudore compulſus eruperit in hanc vocem, qua ſuam ſocordiam damnaret. Adhæc tam ſubita

accla-

acclamatio fidem non prorſus in eo fuiſſe extinctam demonſtrat, quamvis ſuffocata eſſet. Non enim Chriſti divinitatem in ejus latere vel manibus attrectat: ſed ex ſignis illis multo plus colligit quam oſtendant. Unde hoc, niſi quia repente ex oblivione & veterno ad ſeipſum redit? Ergo verum eſſe apparet quod jam dixi, fidem quæ abolita videbatur, latuiſſe velut obrutam in ejus corde. Idem & multis interdum contingit. nam ad tempus quaſi abjecto Dei timore laſciviunt, ut nulla jam appareat in illis fides: ſimulac vero aliqua Dei ferula caſtigati ſunt, ſubacta carnis ferocia redeunt ad ſanam mentem. Certe morbus per ſe ad docendam pietatem non ſufficeret. unde colligimus, purgatis impedimentis emergere bonum ſemen quod jacebat oppreſſum. Cujus rei inſigne extitit exemplum in Davide. nam libidinis ſuæ compos videmus quam ſecure exultet: nemo non putaſſet deletam eo tempore fidem ex ejus animo fuiſſe. Atqui brevi Prophetæ admonitione tam ſubito in viam revocatur, ut colligere promptum ſit igniculum aliquem, licet demerſus eſſet, ſtetiſſe tamen in ejus animo, qui mox in flammam erumperet. Quantum ad homines ſpectat, perinde rei ſunt acſi & fide & omni Spiritus ſancti gratia ſe abdicaſſent. ſed fit immenſa Dei bonitate ne electi in tantum alienationis præcipitium ruant. quare ſollicite cavendum eſt ne à fide excidamus. Statuendum tamen eſt Deum occulto freno electos ſuos retinere ne exitialiter cadant, & miraculo fovere ſemper in eorum cordibus qualeſcunque fidei ſcintillas, quas novo Spiritus ſui afflatu ſuo poſtea tempore accendat. Cæterum duo ſunt hujus confeſſionis membra. Fatetur Thomas Chriſtum eſſe Dominum ſuum: deinde altius conſcendit, ac Deum quoque nominat. Scimus quo ſenſu tribuat Chriſto Scriptura *Domini* nomen: quia ſcilicet conſtitutus eſt à Patre ſummus moderator qui imperio ſuo omnia contineat, coram quo flectatur omne genu, qui denique ſit Patris vicarius in mundo gubernando. Ita proprie Domini nomen in eum competit quatenus Mediator eſt in carne manifeſtatus & caput Eccleſiæ. Sed Thomas ex quo Dominum agnovit, ſtatim evehitur ad æternam ejus divinitatem. & merito: nam ideo deſcendit ad nos Chriſtus, & primum quidem exinanitus eſt, deinde collocatus ad Patris dexteram, cæli terræque dominium obtinuit, ut nos ad divinam ſuam & Patris gloriam attolleret. Quare ut fides noſtra ad æternam Chriſti divinitatem perveniat, initium fieri oportet ab ea notitia quæ propior eſt & magis facilis. Ita vere à quibuſdam dictum eſt, à Chriſto homine nos deduci ad Chriſtum Deum: quia ſic gradatim proficit fides noſtra ut Chriſtum in terra apprehendens, natum in ſtabulo, ſuſpenſum in cruce, ad gloriam reſurrectionis tranſeat: ac inde tandem ad æternam ejus vitam & potentiam, in qua refulget divina ejus majeſtas. Interea ſic habendum eſt, non poſſe Chriſtum rite à nobis Dominum cognoſci quin mox ſuccedat divinitatis ejus cognitio. Nec vero dubium eſt quin hæc communis piorum omnium debeat eſſe confeſſio, quam videmus à Chriſto probari. Nunquam certe paſſus fuiſſet honorem Patri ereptum falſo & temere in ſe transferri. atqui manifeſte ratum habet quod dictum fuit à Thoma. Quare unus hic locus ad refellendam Arii inſaniam abunde ſufficit. Neque enim duos imaginari Deos fas eſt. Adde quod ſimul hic exprimitur perſonæ unitas in Chriſto quum idem & Deus & Dominus vocatur. Emphatice etiam *ſuum* bis appellat, ut declaret ex vivo & ſerio fidei ſenſo ſe loqui.

29. *Quia vidiſti me, Thoma.*] Nihil in Thoma reprehendit Chriſtus niſi quod adeo fuerit tardus ad credendum, ut violenter trahi ad fidem neceſſe fuerit ſenſuum experimentis. quod prorſus abhorret à fidei natura. Siquis objiciat, nihil minus congruere quam ut fides dicatur concepta ex tactu & aſpectu perſuaſio: ſolutio facilis eſt ex his quæ jam prius dixi. neque enim ſolo tactu vel aſpectu ſimpliciter adductus eſt Thomas ut Chriſtum eſſe Deum ſuum crederet: ſed expergefactus in memoriam revocavit quæ prius fere effluxerat doctrinam. Neque enim ex nudis rerum experimentis manare fides poteſt, ſed neceſſe eſt ut originem habeat à verbo Dei. Thomam ergo ideo objurgat Chriſtus quod verbo ſuo minus habuerit honoris quam debebat, & fidem, quæ naſcitur ex auditu, & prorſus in verbum intenta eſſe debet, ad alios ſenſus alligaverit. *Beati qui non viderunt & crediderunt.* Hic fidem eo nomine commendat Chriſtus quod in ſimplici verbo acquieſcens à ſenſu & ratione carnis minime pendet. Brevi ergo definitione vim & naturam fidei complectitur, nempe quod non ſubſiſtit in præſenti aſpectu, ſed penetrat uſque ad cælos, ut credat quæ ſunt abſcondita ab humano ſenſu. Et certe hoc dandum eſt honoris Deo, ut nobis αὐτόπιστος ſit ejus veritas. Habet quidem ſuum aſpectum fides, ſed qui in mundo & terrenis objectis minime ſubſiſtit. qua ratione dicitur *Hebr. 11. verſ. 1.* rerum inviſibilium vel non apparentium demonſtratio. Paulus autem eam aſpectui opponens, ſignificat *2 Cor. 5. verſ. 7.* non hærere in conſiderando præſentium rerum ſtatu, nec circumſpicere ad ea quæ in mundo apparent: ſed ab ore Dei pendere, & verbo Dei fretam ſuperare totum mundum, ut ſuam anchoram in cælo figat. Summa eſt, non eſſe rectam fidem niſi quæ in verbo Dei fundata, ad inviſibile Dei regnum conſurgit, ut ſuperior ſit omni humana apprehenſione. Siquis objiciat hanc Chriſti ſententiam cum altera pugnare, ubi pronunciat beatos eſſe oculos qui *Mat. 13. verſ. 16.* ipſum præſentem cernunt: reſpondeo, non de corporali tantum aſpectu Chriſtum illic loqui, ut hoc loco; ſed de revelatione quæ piis omnibus communis eſt, ex quo ipſe mundo Redemptor apparuit. Apoſtolos cum ſanctis Regibus & Prophetis comparat, qui ſub obſcuris Legis Moſaicæ umbris detenti fuerant. Nunc potiorem fidelium ſortem eſſe dicit, quia plenior lux illis affulgeat: imo quia exhibita ſit illis figurarum ſubſtantia & veritas. Chriſtum tunc oculis carnis cernebant multi impii, qui tamen nihilo propterea beatiores erant: nos vero qui Chriſtum nunquam oculis aſpeximus, beatitudine iſta fruimur quam Chriſtus commendat. Unde ſequitur, beatos vocari oculos qui ſpiritualiter quod in eo cæleſte eſt ac divinum conſiderant. Nam hodie non ſecus intuemur Chriſtum in Euangelio acſi præſentem ſe nobis ſiſteret. Quo ſenſu dicit Paulus ad Galatas, *Gal. 3. verſ. 1.* Crucifigi eum ante oculos noſtros. Quare ſi cupimus in Chriſto videre quod nos felices ac beatos reddat, diſcamus credere non videndo. His Chriſti verbis reſpondet quod habetur 1 Pet. 1: 8. ubi laudantur fideles qui Chriſtum diligunt, quem non viderunt: & exultant gaudio inenarrabili, quamvis eum non aſpiciant. Quod autem Papiſtæ hæc verba torquent ad ſuam tranſſubſtantiationem probandam, pluſquam frivolum eſt: Ut beati ſimus, credere nos jubet Chriſtum eſſe in ſpecie panis. ſed nihil minus fuiſſe Chriſto propoſitum ſcimus quam ut fidem ſubjiceret hominum commentis: quæ ſi minimum tranſiliat ultra verbi metas, deſinit jam eſſe fides. Si credere promiſcue oportet quæ non videntur, quicquid prodigiorum fingere hominibus placuerit, quicquid fabularum effutire, fidem noſtram habebit obſtrictam. Ergo ut locum habeat hæc Chriſti ſententia, in primis probandum eſt ex verbo Dei id de quo ambigitur. Verbum quidem pro ſua tranſſubſtantiatione afferunt, ſed quod probe expoſitum nihil eorum delirio ſuffragatur.

30. Multa

30. Multa quidem etiam alia ſigna fecit Jeſus coram diſcipulis ſuis, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc.

31. Hæc autem ſcripta ſunt ut credatis quod Jeſus eſt Chriſtus Filius Dei: & ut credentes vitam habeatis in nomine ipſius.

30. *Multa quidem.*] Niſi addita fuiſſet iſta occupatio, putaſſent lectores nullum ex miraculis quæ Chriſtus edidit, à Joanne fuiſſe omiſſum, ſeque hic plenam habere & integram omnium hiſtoriam. Primum ergo teſtatur Joannes quædam tantum ex multis ſe ſcripſiſſe: non quod alia memoratu indigna fuerint; ſed quia hæc ad fidem ædificandam ſatis erant. Neque tamen inde ſequitur fruſtra fuiſſe edita: quia illi ſeculo proderant. Deinde etiamſi hodie nobis ignotæ ſint eorum ſpecies, pro nihilo tamen minime ducendum eſt quod tenemus ingenti miraculorum copia obſignatum fuiſſe Euangelium.

31. *Hæc autem ſcripta ſunt.*] His verbis ſignificat, ſcriptis ſe mandaſſe quod nobis ſatisfacere deberet: quia abunde ſufficiat ad fidei noſtræ confirmationem. Vanæ enim hominum curioſitati occurrere voluit, quæ inexplebilis eſt, & nimis licenter ſibi indulget. Porro Joannem non latebat quid alii etiam Euangeliſtæ ſcripſiſſent, Quum autem nihil minus illi fuiſſet propoſitum quam abolere eorum ſcripta, proculdubio eorum narrationem à ſua non ſeparat. Videtur tamen abſurdum eſſe fidem in miraculis fundari, quam Dei promiſſionibus & verbo penitus addictam eſſe oportet. Reſpondeo, non alium hic uſum dari miraculis quam ut fidei adminicola ſint ac fulturæ. Valent enim ad præparandas hominum mentes, quo plus reverentiæ deferant verbo Dei. Scimus enim quam frigida ſit & tarda noſtra attentio, niſi aliunde ſtimulemur. Deinde non parum authoritatis accedit receptæ jam doctrinæ, quum ejus fulciendæ cauſa potentem manum ſuam è cælo exerit:
Marc. 16. verſ. 20. quemadmodum dicit Marcus docuiſſe Apoſtolos, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Ergo quamvis proprie fides in verbum Dei recumbat, & ad verbum reſpiciat, tanquam ad unicum ſuum ſcopum: non tamen vana eſt acceſſio ex miraculis, modo ipſa quoque ad verbum referantur, eoque fidem dirigant. Cur miracula vocentur ſigna, alibi diximus: nempe quod illis Dominus ad conſiderandam ſuam virtutem excitat, dum aliquid novum & inſolitum oſtendit. *Quod Jeſus eſt Chriſtus.* Chriſtum intelligit qualis in Lege & Prophetis fuerat promiſſus, nempe Mediator Dei & hominum, ſummus Patris legatus, unicus mundi inſtaurator, & author perfectæ felicitatis. Neque enim nudum & inanem titulum arripuit Joannes quo Filium Dei ornaret: ſed complexus eſt ſub Chriſti nomine quæcunque illi officia Prophetæ aſſignant. Ideo conſiderandus eſt nobis qualis illic deſcribitur. Quo melius patet quod nuper dictum fuit, Fidem in miraculis non hærere, ſed recta deduci ad Verbum. Perinde eſt enim ac ſi dixiſſet Joannes, miraculis comprobatum eſſe quod olim Prophetæ verbo docuerant. Et ſane videmus Euangeliſtas ipſos non ſimpliciter inſiſtere recitandis miraculis, ſed magis in doctrina occupari: quia per ſe miracula nihil niſi confuſam admirationem parerent. Quare ſenſus verborum eſt, ſcripta hæc eſſe ut credamus, quatenus ſignis adjuvari poteſt fides. Addit, *Filius Dei:* quia ex communi hominum ordine nemo repertus fuiſſet ad res tantas peragendas idoneus, nempe ad Patrem nobis placandum, ad expianda mundi peccata, ad mortem abolendam, ad diruendum Satanæ regnum, ad veram juſtitiam & ſalutem nobis afferendam. Cæterum quum *Filii* nomen unice in Chriſtum competat, ſequitur non adoptione eſſe Filium, ſed natura. quare in hoc nomine continetur æterna Chriſti divinitas. Et certe qui Chriſtum in tam luculentis documentis quæ in Euangelio extant, Deum non agnoſcit, quia cæcutit in plena luce, ne Solis quidem ac terræ intuitu dignus eſt. *Ut credentes vitam habeatis.* Hic quoque fidei effectus additus eſt ad cohibendam hominum cupiditatem, ne plura ſcire appetant quam quæ ſufficiunt ad vitam obtinendam. Quænam enim iſta eſſet improbitas, non contentum eſſe æterna ſalute, ac velle tranſilire regni cæleſtis metas? Cæterum hic præcipuum doctrinæ ſuæ caput repetit Joannes, Fide nos vitam æternam conſequi: quia extra Chriſtum mortui, ſola ejus gratia in vitam reſtituimur. Qua de re ſatis multa diximus ſupra capite tertio & quinto. Quod *Chriſti nomen* potius dixit quam *Chriſtum*, hujus loquutionis ratio expoſita fuit primo capite, verſ. 12. eo ſe referat lector, ſi videbitur, ne ſæpius eadem iterando moleſtus ſim.

CAP. XXI.

POſtea manifeſtavit ſe iterum Jeſus diſcipulis ad mare Tiberiadis. manifeſtavit autem ſic,

2. Erant ſimul Simon Petrus & Thomas qui dicitur Didymus, & Nathanaël, qui erat à Cana Galilææ, & filii Zebedæi, & alii ex diſcipulis ejus duo.

3. Dicit eis Simon Petrus, Vado piſcatum. Dicunt ei, Venimus & nos tecum. Exierunt & aſcenderunt in navem ſtatim, & illa nocte nihil ceperunt.

4. Mane autem jam facto ſtetit Jeſus in littore: non tamen cognoverunt diſcipuli quod Jeſus eſſet.

5. Dicit eis Jeſus, Pueri, num quid obſonii habetis? Reſponderunt ei, Non.

6. At ille dixit eis, Mittite in dextram navigii partem rete, & invenietis. Miſerunt ergo, & jam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium.

7. Dicit ergo diſcipulus ille quem diligebat Jeſus, Petro, Dominus eſt. Simon ergo Petrus quum audiſſet, tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare.

8. Alii autem diſcipuli navigiolo venerunt (non enim longe aberant à terra, ſed circiter cubitis ducentis) trahentes rete piſcium.

9. Ut ergo deſcenderunt in terram, viderunt prunas poſitas, & piſcem ſuperpoſitum, & panem.

10. Dicit eis Jeſus, Afferte de piſcibus quos prendidiſtis nunc.

11. Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus. & quum tot eſſent, non eſt ſciſſum rete.

12. Dicit eis Jeſus, Venite, prandete. Et nemo diſcipulorum audebat interrogare eum, Tu quis es? quum ſcirent quod Dominus eſſet.

13. Venit itaque Jeſus, & accipit panem, & dat eis, & piſcem ſimiliter.
14. Hac jam tertia vice manifeſtatus eſt Jeſus diſcipulis ſuis, poſtquam reſurrexerat à mortuis.

1. *Poſtea manifeſtavit.*] Incumbit adhuc Euangeliſta in Chriſti reſurrectionem probandam, ac narrat ſeptem eum diſcipulis apparuiſſe: inter quos Thomam numerat, non tam honoris cauſa quam quod ejus teſtimonio citius credendum eſt, quo magis obſtinata fuit ejus incredulitas. Eſt autem ſatis prolixus Euangeliſta: quia circumſtantias omnes diligenter colligit quæ ad certitudinem hiſtoriæ faciunt. Lacum Tiberiadis more Hebraico mare vocari alibi diximus.

3 *Vado piſcatum.*] Quod operam piſcationi dabat Petrus, non debet videri alienum ejus officio. Flatu ordinatus fuerat Apoſtolus, ut nuper viſum eſt: ſed tantiſper ceſſabat dum indueretur nova virtute. Nondum enim ad exercendum docendi munus prodire juſſus fuerat: ſed tantum admonitus de futura vocatione, ut ipſe & reliqui intelligerent non fruſtra ſe ab initio fuiſſe electos. Interea agunt quod ſolebant, & quod privatos homines decebat. Paulus quidem in medio prædicationis curſu victum manibus quærebat: ſed diverſa fuit illa ratio. ſic enim partiebatur tempus ne labores manuarii eum à docendo abſtraherent: Petrus autem & ejus comites, quia ab omni publica functione otium eſt, libere ſe totos piſcationi impendunt. *Illa nocte nihil ceperunt.* Tota nocte paſſus eſt Deus fruſtra eos ſatagere, ad illuſtrandam miraculi fidem. Nam ſi quid cepiſſent, non ita clare in continuo ſucceſſu innotuiſſet Chriſti virtus: ſed dum tota nocte fruſtrati, ſubito ingenti captura potiuntur, juſta illis datur occaſio agnoſcendæ Domini gratiæ. Eodem etiam modo fideles ſæpe exercet Deus, quo ſuam illis benedictionem commendet. Si proſpere ſemper ſuccederet quoties labori manum admovemus, nemo fere Dei benedictioni acceptum ferret quod haberet operæ ſuæ pretium: jactarent omnes ſuam induſtriam, & manus ſuas oſcularentur: ſed ubi interdum nullo profectu ſe fatigant ac macerant, ſiquis poſtea melior fructus contingit, coguntur aliquid extraordinarium agnoſcere. Ita fit ut laudem proſperi ſucceſſus Dei gratiæ tribuere incipiant.

6. *Mitte in dextram partem*] Non imperat Chriſtus pro jure ac poteſtate Magiſtri ac Domini: ſed conſulit ut unus quiſpiam è populo. Diſcipuli autem conſilii inopes, homini quamvis ignoto facile obtemperant. ſi ante primum jactum tale aliquid audiſſent, non fuiſſent tam prompti ad parendum. Quod ideo moneo, nequis miretur ita fuiſſe morigeros, quum jam longa & irrita fatigatione eſſent domiti. Quanquam non vulgare hoc fuit tolerantiæ documentum, quod laborem, in quo ſe infeliciter exercuerant tota nocte, poſt exortam diei lucem continuant. Et certe ut Dei benedictioni locus detur, conſtanter expectanda eſt. nihil enim magis præpoſterum quam manum ſtatim ab opera retrahere, niſi fructuoſa appareat. Serio laboraſſe diſcipulos teſtis Petri nuditas. Atqui non detrectant periculum facere novi jactus, ne quam occaſionem negligant. Quod tamen obſequuntur Chriſti præcepto, fidei adſcribi non poteſt. audiunt enim tanquam ignotum hominem. Nunc ſi nobis moleſta eſt noſtra vocatio, quia videtur eſſe ſterilis labor quem ſuſcipimus: ubi tamen nos Dominus ad pergendi conſtantiam hortatur, colligere animos decet: non deerit tandem felix eventus, ſed opportuno tempore.

7. *Dicit ergo diſcipulus ille.*] Suo exemplo docet Euangeliſta, quoties nobis præter ſpem bene ſuccedit, tollendas eſſe ad Deum mentes. quia venire protinus in mentem debet, ex ejus fluxiſſe gratia beneficium hoc, qui bonorum omnium author eſt. Pia iſta Divinæ gratiæ agnitio, quæ Joannis animo inſidebat, eum ad Chriſti quoque notitiam deduxit. neque enim Chriſtum oculis cognoſcit: ſed quia perſuaſus eſt divinitus oblatam eſſe piſcium copiam, colligit Chriſtum eſſe à quo directæ fuerant ipſorum manus. Sed quemadmodum in Joanne prior eſt fides, ita mox Petrus eum ardore ſuperat, quando poſthabita ratione periculi, in lacum ſe projicit, ſequuntur alii navigio. Perveniunt quidem omnes tandem ad Chriſtum: ſed Petrum ſingularis ardor præ aliis rapit. Cæterum ambulandóne an natando trajecerit ad ripam, dubium eſt. Hoc tenere ſufficiat, quod relicto navigio iter arripuerit, non fuiſſe præcipitem temeritatis impetum: ſed pro zeli ſui menſura ante alios progreſſum eſſe. *Non valebant illud trahere.* Primum in tam copioſa piſcium captura Chriſtus ſuæ virtutis ſpecimen edidit: alterum vero, dum occulta ſua virtute integrum rete ſervavit, quod alias ſcindi ac diſrumpi neceſſe erat. Jam accedunt aliæ circumſtantiæ, quod carbones in ripa accenſos reperiunt diſcipuli, quod adſunt piſces, quod expoſitus eſt illic etiam panis. Quantum ad piſcium numerum ſpectat, non eſt ſublime aliquod in eo quærendum myſterium. Argute Auguſtinus ex repetitis numeris Legem inde & Euangelium conflat: verum ſi quis propius expendat, reperiet puerilem eſſe luſum.

10. *Afferte de piſcibus.*] Tametſi momento impletum fuerat rete citra magnum eorum laborem, capturam tamen illis Chriſtus aſſignat. Sic panem vocamus noſtrum, quem petentes nobis dari, fatemur ex Dei benedictione provenire.

12. *Nemo diſcipulorum audebat.*] Quæri poteſt quid illis obſtiterit, pudorne ex reverentia, an aliud quippiam. Atqui ſi videbat Chriſtus eos ambigere, debuit (ut ſæpe alias) occurrere eorum dubitationi. Reſpondeo, non aliam fuiſſe pudoris cauſam niſi quia ſatis conſtabat eſſe Chriſtum. ſciſcitari enim ſolemus de rebus dubiis & obſcuris. Significat ergo Euangeliſta non interrogaſſe diſcipulos Chriſtum, quod veriti fuerint illi injuriam facere: adeo ſe clare conſpicuis ſignis patefecerat.

14. *Hac jam tertia vice.*] Numerus ternarius ad temporis diſtantiam refertur. Plus ſepties apparuerat Chriſtus: ſed quicquid uno die geſtum fuerat, ſub manifeſtatione una complectitur. Significat ergo per intervalla viſum eſſe Chriſtum diſcipulis, ut fidem ſuæ reſurrectionis faceret.

15. Quum ergo pranſi eſſent, dicit Simoni Petro Jeſus, Simon Joannis, diligis me plus quam hi? Dicit ei, etiam Domine. tu ſcis quod amem te. Dicit ei, Paſce agnos meos.
16. Dicit ei rurſus ſecundo, Simon Joannis, diligis me? Ait illi, Etiam Domine: tu ſcis quod amem te. Dicit ei, Paſce oves meas.
17. Dicit ei tertio, Simon Joannis, amas me? Indoluit Petrus quod dixiſſet ſibi tertio, Amas me? dixitque ei, Domine, tu omnia noſti: tu ſcis quod amem te. Dicit ei Jeſus, Paſce oves meas.
18. Amen amen dico tibi, quum eſſes junior, cingebas te, & ambulabas quo volebas: quum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo non vis.
2 Petr. 1. verſ. 14. 19. Hoc autem dixit, ſignificans qua morte glorificaturus eſſet Deum: Et quum hoc dixiſſet, dicit ei, Sequere me.

Digitized by Google

15. *Quum ergo pranſi eſſent.*] Jam narrat Euangeliſta quomodo Petrus in eum honoris gradum unde exciderat, reſtiruims fuerit. Perfida certe illa Chriſti abnegatio, de qua audivimus, illum Apoſtolatu indignum reddiderat. Quomodo enim eſſer idoneus fidei magiſter, qui turpiter ab ea defecerat? Creatus fuerat Apoſtolus, nempe cum Juda. Ex quo autem loci ſui deſertor fuerat, ſimul etiam privatus erat honore Apoſtolatus. Ergo nunc illi tam libertas docendi quam authoritas reſtituitur, quarum utramque amiſerat ſua culpa. Ac nequid illi obſtaret defectionis infamia, ejus memoriam abſtergit Chriſtus ac delet. Talis in integrum reſtitutio & Petro & ejus auditoribus neceſſaria fuit: illi quidem, quo magis ſtrenue munus ſunm obirer, vocationis iterum ſibi injunctæ certus: his vero, ne macula io homine hærens, occaſio eſſet ſpernendi Euangelii. Hodie quoqne noſtra plurimum intereſt Petrum ad nos prodire tanquam novum hominem, cujus abolitum ſit dedecus quod obſtare poſſer ejus dignitati. ***Simon Joannis, amas me?*** His verbis ſignificat Chriſtus neminem poſſe fideliter ſervire Eccleſiæ, & operam impendere gregi paſcendo, oiſi altius reſpiciat quam ad homines. Principio munus paſcendi per ſe laborioſum eſt ac moleſtum: quando ſcilicet nihil difficilius eſt quam homines continere ſub Dei jugo: quorum multi infirmi ſunt, alii leves & protervi, alii tardi & ſegnes, alii duri & parum dociles. Jam Satan quaſcunque poteſt offenſiones ingerit quibus frangat boni paſtoris animum vel debiliter. Huc accedit multorum ingratitudo & aliæ tædii cauſæ. Nunquam ergo in hoc officio conſtanter perget, niſi in cujus corde ſic regnabit amor Chriſti, ut ſui oblitus, totumque ſe illi addicens, impedimenta omnia ſuperet. Ita ſe affectum fuiſſe declarat Paulus quum

2 Cor. 5. verſ. 14. dicit, Charitas Chriſti conſtringit nos, hoc reputantes quod ſi nnus mortuus eſt pro omnibus, omnes ſimul convenit eſſe mortuos. Quamvis enim amorem intelligat quo nos complexus eſt Chriſtus, & cujus morte ſua ſpecimen præbuit, adjungit tamen mutuum affectum qui ex tanti beneficii ſenſu naſcitur. Rurſum vero alibi improbos & falſos doctores qui Eccleſiam turbant, hac nota inſignit, quod non

1 Cor. 16. verſ. 22. diligant Dominum Jeſum. Meminerint ergo qui ad regendam Eccleſiam vocantur, ſi munus ſuum rite probeque exequi cupiunt, initium ſibi eſſe faciendum à Chriſti amore. Interim luculente teſtatur Chriſtus quanti faciat ſalutem noſtram, dum ita ſingulariter paſtoribus eam commendat: atque hoc ſibi documentum fore aſſerit quantopere ab illis ametur, ſi eam ſolicite curent. Nihil certe efficacius potuit dici ad animandos Euangelii miniſtros, quam dum audiunt nullum Chriſto gratius officium eſſe quam quod paſcendo ejus gregi impenditur. Piis autem omnibus non vulgaris inde haurienda eſt conſolatio, dum ſe Filio Dei tam charos eſſe ac pretioſos audiunt ut eos quaſi in locum ſuum ſubroget. Sed eadem doctrina non parum terroris incutere debet falſis doctoribus qui Eccleſiæ regimen pervertunt: quia non leves Chriſto pœnas daturi ſunt, qui ſe ab illis violari pronuntiat. *Paſce agnos.* Verbum Paſcendi Scriptura metaphorice ad quodvis regimen accommodat. hic autem quia de ſpirituali Eccleſiæ gubernatione agitur, operæ pretium eſt notare quibus partibus conſtet officium Paſtoris. Neque enim hic nobis otioſa aliqua pingimr dignitas: nec Chriſtus homini mortali imperium aliquod defert quod confuſe exerceat pro ſna libidine. Vidimus autem ſupra capite 10. Chriſtum proprie unicum eſſe Eccleſiæ paſtorem. vidimus etiam cur nomen hoc ſibi ſumat: nempe quia ſalutis doctrina regat oves ſuas, adeoque paſcat, qnia ille demum verus eſt animæ cibus: Jam vero quia hominum opera utitnr ad prædicandam doctrinam, nomen quoque ſuum ad eos transfert, vel ſaltem cum illis communicat. Legitimi ergo demum paſtores coram Deo cenſentur qui ſub Chriſto capite Eccleſiæ præſunt per verbi miniſterium: unde colligere promptum eſt quid oneris imponat Chriſtus Petro, & qua lege eum gregi ſuo præficiat. Quo ſatis dilucide refellitur Romanenſium improbitas, qui locum hunc detorquent ad ſtabiliendam Papatus ſui tyrannidem. Petro, inqniunt, præ aliis dictum eſt, Paſce oves meas. Cnr illi potius dictum ſit quam reliquis jam ante expoſuimus, nempe ut purus omni ſiniſtra nota, liber eſſet ad prædicandum Euangelium: & ideo ter eum Paſtorem conſtituit Chriſtus, nt tres abnegationes, qnibus ſibi Petrus æternum probrum contraxerat, abolitæ ejus Apoſtolatum onn impediant: quemadmodum prudenter obſervant Chryſoſtomus, Auguſtinus & Cyrillus, & plerique alii. Cæterum nihil Petro datum eſt his verbis quod non omnibus Euangelii miniſtris perinde ſit commune. Fruſtra ergo Papiſtæ ideo contendunt eſſe primarium quia ſpecialiter unus vocetur. Atque, ut demus fuiſſe privatim illi aliquid honoris delatum, unde quæſo evincent locatum fuiſſe in primatu? Fuerit ſane præcipuus inter Apoſtolos, an inde protinus ſequetur fuiſſe univerſalem totius orbis Epiſcopum? Adde quod quicquid accepit Petrus, nihilo ad Papam magis pertiner quam ad Mahometum. Quo enim jure pro hærede Petri ſe venditat? Deinde quis illi ſanus conceder, hic jus aliquod hæreditarium à Chriſto poſitum eſſe? ſucceſſor tamen vult haberi. utinam quidem eſſet. Nemo noſtrum illi repugnat quin & diligat Chriſtum, & curam ſuſcipiat paſcendi ejus gregis. ſed neglecto Chriſti amore, & rejecto paſcendi officio, ſucceſſionem jactare nimis abſurdum eſt, nec minus ſtultum. Quemadmodum autem Chriſtus docendi provinciam Petro mandans, ſolium idolo vel animarum carnifici erigere noluit, ex quo Eccleſiam miſere opprimeret: ita breviter admonuit quale prober Eccleſiæ ſuæ regimen. Sic larva detrahitur cornutis omnibus Epiſcopis, qui ſola theatrica pompa & inani titulo contenti, jus Epiſcopale ſibi arrogant.

16. *Paſce oves meas.*] Non omnes promiſcue Chriſtus paſcendos tam Petro quam aliis committit, ſed tantum agnos ſuos vel oves. Alibi autem defi- *ſupr. 10.*
nit quoſnam repirer in ſuo grege. Oves, inquit, *verſ. 8.*
meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me, vocem *& 27.*
alieni non audiunt. Danda quidem eſt opera probis doctoribus nt omnes colligant ad Chriſtum, &c. quia diſcernere nequeunt inter oves ac feras beſtias, tentandum eſt modis omnibus an manſuefacere poſſint qui lupis ſimiles ſunt magis quam ovibus. Sed poſtquam omnia conati fuerint, nonniſi electis ovibus proderir labor. Inde enim docilitas & fides, quod Pater cæleſtis Filio tradit in obſequium quos ante conditum mundum elegit. Cæterum admonet hic locus, nullos poſſe in ſalutem, Enangelii doctrina paſci, niſi manſuetos ac dociles. neque enim fruſtra Chriſtus diſcipulos ſuos agnis & ovibus comparat. Sed ſimul notandum eſt, Dei Spiritu cicurari qui natura urſi aut leones erant.

17. *Indoluit Petrus.*] Proculdubio oon ſenſit Petrus quorſum tenderet Chriſtus idem toties rogando. Putat igitur oblique ſe inſimulari, quaſi non reſponderit ex animo. Sed jam oſtendimus non fuiſſe ſupervacuam repetitionem. Deinde nondum ſatis expertus erat Petrus quam penitus oporteat Chriſti amorem eorum animis infixum eſſe quibus vincendæ ſunt innumeræ difficultates. poſtea longo uſu didicit non fruſtra tale examen eſſe habitum. Porro in ejus perſona docentur qui ſubituri ſunt regendæ Eccleſiæ curam non leviter tantum ſe excutere, ſed attinet examinare quo zelo præditi ſint, ne in medio curſu reſiliant aut deficiant. Docemur etiam omnes, placide & æquis aoimis ferendum eſſe ſiquando nos Dominus rigidius examinet: quia juſtas habet ejus rei cauſas, quæ nobis plerumque ſunt ignotæ.

18. *Amen*

I N D E X

Eorum quæ his in

EUANGELIUM SECUNDUM JOANNEM

COMMENTARIIS continentur, aut etiam explicantur.

Prior numerus caput, poſterior verſum deſignat.

ABraham totius Eccleſiæ pater, 8. 56
Abraham cur pater multarum gentium dictus, 10. 16
Abraham pater Judæorum, 6. 39
Abrahæ ſemen, 8. 33
Abrahæ filii coram Deo qui, 6. 39
Abrahæ filium, 8. 37. 39
Abraham vidit diem Chriſti, 8. 56
Abſcondit ſe Chriſtus, 8. 9. & 12. 37
Acetum datur Chriſto, 19. 29
in Adam totum genus humanum corruptum, 3. 6
Adoratores veri, 4. 23. 24
Adultera capite punienda, 8. 11
Adulteria quantum malorum ſecum afferant, *ibid.*
Affectus verus pietatis quis, 10. 24
Affectus pedum nomine deſignantur, 13. 9
Affectus in Chriſto fuerunt voluntarii, 12. 27
Affectus humanos quomodo ſuſceperit Chriſtus, 11. 13
Affectus qui frænandi, 12. 27
Afflictiones Scriptura cur potionibus comparet, 16. 12
Afflictiones propter Chriſtum. 15. 21. & 16. 1. 2. 20
Agnus paſchalis ſymbolum ſacrificii Chriſti fuit, 19. 36
Agnus Dei Chriſtus, 7. 29. 36
Agnus quare dictus Chriſtus, 1. 29
Agricola, Pater Chriſti, 5. 11
Ambulat Chriſtus ſuper mare, 6. 29
Amici Chriſti, 13. 14. 15
Amoris nomine fidem deſignat Chriſtus, 16. 27
Amor Dei per Chriſtum in membra Eccleſiæ defluit, 15. 9
Amor quo Chriſtum complectimur, an Dei erga nos amore prior, 14. 21
Amoris divini erga pios ſymbolum & pignus, 7. 28
Amor Dei à præſenti rerum ſtatu non eſt æſtimandus, 11. 5
Amorem noſtri ſequitur fratrum deſpectus, 7. 49
Anabaptiſtæ qualem fingunt Chriſtum, 1. 14
Angeli albis veſtibus induti cur appareant, 20. 12
Angeli aſcendere & deſcendere ſuper Chriſtum quomodo dicantur, 2. 51
Angeli cur vocentur potentiæ aut virtutes, 5. 4
Animam tradere pro fratribus, 3. 16
Animam ponit Chriſtus pro ovibus, 10. 13. 17. Pro amicis fuit, *ibid.* & 15. 13. A ſeipſo, *ibid.*
Antiquitas quanti facienda, 10. 6
Apollinaris error, 1. 14
Apoſtolorum pietas quæ, 20. 22
Apoſtolis quam à patre accepit authoritatem communicat Chriſtus, 20. 22
Apoſtolos non major mittente, 13. 16
Apoſtoli domos & familias habuerunt, 16. 27
Apoſtolorum labor hodie quoque fructificat, 13. 16
Apoſtolos cum ſanctis Regibus & Prophetis quomodo comparet Chriſtus, 20. 29
Apoſtolis proſperum ſucceſſum Chriſtus promittis, 15. 16
Apoſtolorum triſtitia quomodo in gaudium converſa, 16. 20
Apprehendere Chriſtum quærunt Judæi, 7. 30. 32. & 10. 39 & 11. 57
Aqua viva, 4. 10. Saliens in vitam æternam, 4. 14
Aquas de ventre credentium fluere quomodo intelligendum, 7. 38
Aquam ex Chriſti latere fluxiſſe cur tam diligenter inculcat Euangeliſta, 19. 34
Arii improbitas, 5. 1
Aromatibus ungitur corpus Chriſti, 19. 41
Aſcendere in cælum quid ſignificet, 1 13
Audire à patre & diſcere, 6. 45
Audiendus eſt Deus per quoſcunque nobis loquatur, 9. 34. & 12. 11
Audire verbum Dei, & credere, 5 24
mortuos Audire vocem Filii Dei quid ſignificet, 5. 25

B.

BAptizandi partes quam recte mulieribus tribuantur, 20. 17
Baptiſmus Joannis, 1. 26
Baptiſmus ex miniſtri perſona non eſt æſtimandus, 4. 2
Baptizant diſcipuli Chriſti, 3. 21. 42
Barrabas à Judæis poſtulatus, 18. 40
Benedictio Dei in laboribus manuum noſtrarum expectanda, 21 6
in Beneficiis Dei reputandis quam evanida ſit hominum memoria, 14. 12
Beneficiis Dei abuti quam periculoſum, 13. 27
Bethlehem civitas David, 7. 42
Betheſda piſcina unde dicta, 5. 2
Blaſphemiæ ſpecies duæ, 10. 33
Bohemi taxati, 6. 58
Bonorum omnium quo habet pater per Chriſtum participes ſumus, 16 15
Bonorum omnium affluentia Chriſto cur in manum data, 6. 12
Bonorum quæ à Chriſto & Spiritu percipimus, diſcrimen, 14. 17
Boni quid per Chriſtum nobis obtigit, 12. 14
Buccella, 13. 27

C.

CÆcitas qua percutiuntur reprobi, non tam à Chriſto quam ab hominum vitio eſt, 12. 39
Cæcitatis quæ pluribus ſeculis mundo incubuit, cauſa, 12. 35
Cæco à nativitate aperiuntur oculi Sabbatho, 6. 4. & 9. 1
Cæli aperti, 1. 52
in Cælum nemo aſcendit niſi Filius hominis, 3. 13
Cajaphas pontifex prophetat, 11. 49. ad eum ducitur Chriſtus, 18. 19. 14
Calicem Chriſti bibere, 18. 11
Calicem à Deo datum non reſpuunt qui morbis quærunt remedia, *ibid.*
Caro non prodeſt quicquam, 6. 63
non ex Carnis & viri voluntate natus, 1. 13
Caro quod ex carne natum, 9. 6
Caro pro externa hominis ſpecie, 8. 15
Caro Chriſti quo ſenſu dicatur vivifica, 6. 51. 63
Carnis & ſpiritus diſſidium in ſe ſentiunt fideles, 21. 18
Carnalis propinquitas quanti facienda, 7. 3
Caſtigationum Dei profectus in nobis tardus, 6. 24
Cephas qui & Simon, 1. 42
Ceremoniæ abſque Dei verbo mortuæ, 19. 40
Charitatis præceptum cur novum appellet Chriſtus, 13. 34
Charitatis neglectus unde naſcatur, 13. 12
Charitatis regulam qualem præſcripſerit Chriſtus, *ibid.*
Chriſtianiſmi definitio, 1. 47
Chriſtum terreſtria loqui, quo ſenſu dicatur, 3. 12
Chriſti præcipuum officium, 1. 29
Chriſtus manet in æternum, 12. 34
Chriſtus ex ſemine David, 7. 42
Chriſti recipiendi modus, 1. 12
Cibus permanens in vitam æternam, 6. 27
Cibus Chriſti, 4. 32. 34
Circumciſio ex patribus, 7 22
Claritatem ab hominibus accipere, 5. 41
Clarificatus filius hominis, 13. 32
Clarificatur Deus, 15. 6
Cingendi verbo quid ſignificet Chriſtus, 21. 16
in Cœna cur calicem adjunxit Chriſtus, 6. 53
Cœnat Chriſtus cum Lazaro, 12. 2
Cognitio Dei, 1. 17
Colaphis cæditur Chriſtus, 18. 22. & 19. 3
Colere Deum noſtris figmentis quam præpoſterum, 19 16
Confidite quid, 16. 30
Confeſſio à fide non ſeparanda, 12. 42
Conjunctionis quam cum Chriſto habemus fructus & effectus, 10. 17
Conſcientiarum tranquillitas unde naſcatur, 13. 11
Conſcientiæ trepidæ exemplar notabile in Pilato, 19. 8
Conſilium ex ſenſu carnis quam periculoſum, 11 49
Conſtantiam ſuorum quo præmio dignetur Chriſtus, 8. 32
à Conſtitutione mundi, 27 24
Contaminari, 28. 16
Contriſtatum iri diſcipulos prædicit Chriſtus, 16. 20
Cor hominis non abs re fraudulentum vocatur, 19. 10
in Cor Judæ miſit diabolum ut, &c. 13. 2
Corona de ſpinis, 19. 2
Corpus Chriſti involvitur ſindone, 19. 40
Judæos non poſſe credere quomodo dictum, 12. 39
Credere in Chriſtum quomodo dicamus, 7. 36
Credendi verbum pro agnoſcere ab Euangeliſta poſitum, 17. 21
Credere in Chriſtum, vel in filium Dei, aut in nomine ejus, 3. 18. & 6. 49. & 9 36. & 11. 42. & 12. 44. & 17. 8
Credere in Chriſtum, opus Dei, 6. 29
Credere quare non poterant Judæi, 10. 25. & 12. 39
Credens in Chriſtum non perit, 3 15. ſed habet vitam æternam, 3. 37. & 6. 47. & 22. 41 non morietur in æternum, 11. 26. opera Chriſti faciet & majora, 14. 12
Crucis humilitas multis offendiculo eſt, 1. 46
Crucis horror ſi nos à ſequendo Chriſto deterreat, quam pudendum, 19. 25
Cultus quem Deus à nobis requirit regula, 5 24
Cultus divini lex unde petenda, 16. 39
Cura de fratribus non ſemper ſupervacua, 11. 22
Curioſitatis noxiæ exemplum in Petro, 21. 20

D.

DAvid perſonam Chriſti ſuſtinuit, 19. 28
Deliberandi pie & ſancte ratio, 11. 48
Deorſum ſive de mundo, & è ſupernis quid, 8. 13
Deum veracem quo ſenſu appellet Chriſtus, 7. 28
Deus inviſibilis, 1. 13 pater Jeſu Chriſti, 5. 27
Deum de filio ſuo teſtatum fuiſſe quo modo intelligendum, 5. 37
Dei notitia ante regenerationem qualis, 3. 6
Dei agnitio extra Chriſtum quæ, 6. 46
Deus eſt ſpiritus, quomodo intelligendum, 4. 24
Diabolus an natura mendax, 6. 44
Diem Chriſti vidit Abraham, 8. 56
quomodo Dilexerit Deus mundum, 3. 16
Diligit nos Chriſtus, 15. 4
Diligit pater filium, 3. 36. & 10. 17. & 17. 24
Diligere Chriſtum & mandata ejus ſervare, 14. 15
Diligere proximum, invicem, alterutrum, 13. 34
Dilectio inter verbi miniſtros neceſſaria, 15. 17
Dilectione mutua cognoſcuntur Chriſti diſcipuli, 13. 35
Dilectio, præceptum Chriſti, 13. 22. 17
Dilectio maxima quæ, 15. 13
Dilectio qua nos proſequitur Deus, non alia quam qua Chriſtum diligit, 17. 26
Diſcere à patre, 6. 43
Diſcipulos quo nota à mundo diſcernat Chriſtus, 14. 22. & 17. 22
veri Diſcipuli Chriſti, 8. 31
Diſcipulus non eſt ſupra magiſtrum, 19. 26
Diſcipuli Chriſti abeuntes retro, 6. 66
Diſcipuli Chriſto credunt, 2. 11. In medio eorum ſtat Jeſus, 20. 19
Diſperſi in propria, 16. 32
Diſperſi filii Dei, 11. 52
Diſperſio gentium, 7. 35
Diſſenſio propter Chriſtum, 7. 43 & 10. 19
Divinitas Chriſti poſt ejus aſcenſum potentius ſe exeruit, 14. 12
Divinitas Chriſti æterna, 1 1
ad Divitias ſpirituales obtinendas quinam à Chriſto vocentur, 7. 17
niſi Datum de cælo, nemo poteſt accipere quicquam, 3 13
Datum à patre venire ad Chriſtum, 6. 65
Docuit Chriſtus in ſynagoga & in templo, 18. 20
Docebit Spiritus veritatis omnem veritatem, 16 13
Docti à Deo, 6. 45
Docet ſedens Chriſtus, 3 2
Docendi modus Deo duplex, 14 25
Doctor unicus Eccleſiæ Chriſtus, 20. 22
Doctores Eccleſiæ formare, unius Chriſti eſt, 20. 22
Doctores Eccleſiæ quâ animi magnitudine præditos eſſe conveniat, 7. 28. & 8. 29. & 16. 8
Doctorum authoritas unde pendeat, 8. 2
in Doctrina quid præcipuum, 1. 45
Doctrinam ſuam Chriſtus quomodo patris eſſe dicat, 7. 16
de Doctrina interrogatur à Cajapha Chriſtus, 18. 19
Doctrinæ Chriſti cultores in dies proficiunt, 14. 21
Doctrina Chriſti, lapis offenſionis incredulis, 6 66
Doctrinæ Apoſtolorum qui aliquid addendum putant, in Spiritum blaſphemi ſunt, 16. 13
in Doctrina Apoſtolorum nobis acquieſcendum, *ibid.*
Doctrinam amplecti peculiare Dei donum eſt, 6. 44
Doctrina ſpiritualis authoritas unde petenda, 7. 16
Doctrinæ examinandæ ratio, 7. 18
Doctrinæ contemptus pios conturbat, 15. 20
Doctrina Chriſti malleus erit incredulis, 6. 62
inter Doctrinam generalem & hypotheſes ſedulo diſtinguendum, 19. 7
Doctrina Chriſti ſcopus quis, 16. 15
Dolus quid ſignificet apud Joannem, 2. 47
Dominus & magiſter, Chriſtus, 13. 12
Domini nomen quo ſenſu Scriptura Deo tribuat, 20. 26
Domus orationis, 2. 6
Donum Dei, 4. 10
Dormitio ſomni, 11. 13
Dormire, pro mortuum eſſe, 11. 12. 13. 14
Duodecim elegit Chriſtus, 6. 7
Durus ſermo, 6. 60

E.

ECcleſiæ unitas nuſquam quam in Scripturæ fide fundata, 19. 23
Eccleſia quomodo reſtitui poſſit, 6. 45
in Eccleſiæ regimine quid maxime expetendum, 10. 11
Eccleſiæ nulli hoſtes magis infenſi quam domeſtici, 13. 12
Eccleſiæ legem ſuo exemplo Chriſtus præſcribit, 8. 26
tum cognoſcetis quod Ego ſum, 2. 28
Egenis dat Chriſtus, 13. 29
Elegit duodecim Chriſtus, ex quibus unus diabolus eſt, 6. 70
ſcio quos Elegerim, 13. 18
Elegi vos ut fructum afferatis, 15. 16
Elegi vos de mundo, 15. 19
Elegit Deus ex hoſtibus ſuis qui ipſum ament, 14. 22
Electi cur Deo curæ ſint, 17. 10
Electi à reprobis quomodo diſcernantur, 17. 6
qui nota diſcernantur, 1. 29. & 6. 37
Electos Deus occulto fræno retinet, 20. 26
ſolis Electis vitam det Chriſtus, 17. 3
in Electis Dei Spiritus arcano modo operatur, 20 8

Electis

Electis quam firme conſtet ſalutis ſuæ certitudo, 10. 29
Electio ſine fide mortua, 6. 46
Electionis notitia peccandi ſtudium in nobis acuere debet, 17. 5
Electionis ſpecies duæ, 15. 16
Elias cur Joannes dictus ſit, 1. 21
Encænia Hieroſolymis, 10. 22
Errandi finis nullus, niſi verbo Dei adhæreamus, 10. 23
Evanuiſſe diſcipulos ex verbis Chriſti male intellectis, ibid.
non Eſurire & ſitire in æternum, 6. 35
Evangeliſtæ quæ ſcripta complexi ſunt, ad ſalutem ſufficiunt, 21. 24
Evangelium in quo maxime à profana philoſophia differat, ibid.
Evangelii fructus quis, 18. 32
Evangelium cur meſſis vocetur, 4. 28
ad Evangelii doctrinam capiendam homines quomodo comparandi, 9. 40
Evangelii miniſtri non tantum à profeſſis fidei hoſtibus male tractantur, 16. 2
Evangelii miniſtris ligandi poteſtas quare ſit data, 8. 36
Evangelium cur à pleriſque contemnatur, 3. 12
Evangelio cur tam pauci credant, 6. 65. & 7. 17
Evangelii prædicatio nunquam inutilis, 7. 30
Evangelii prædicatio vocatur Chriſti ad nos deſcenſus, 7. 33
Evangelium reſpuentium finis quis, 8. 2
Evangelii utilitas triplex, 10. 9
Evangelii doctrina nonniſi reprobis obſcura, 12 18
Evangelii prædicandi finis quis, 16. 23
Evangelio quid proprium, quid item accidentale, ibid.
Evangelii prædicatione exaltari dicitur Chriſtus, 3. 14
Eutyches hæreticus, 1. 14
Exaltari quomodo dicatur Chriſtus, 3. 14. & 8. 28 & 12 32
Excæcare hominum corda Deus quomodo dicatur, 12. 40
Excæcatio qua Deus impios percutit quid valeat, 15. 7
Excommunicandi ritus ex vetuſtiſſima Eccleſiæ conſuetudine ortus, 9. 22
Excommunicatio in legitimum uſum revocanda, 16. 2
Excommunicatio, nervus diſciplinæ Eccleſiaſticæ, 12. 42
Excuſationem non habent Judæi, 15. 22
Exemplum dedit nobis Chriſtus, 13. 15
Exemplum Chriſti pro lege habendum, 8. 12
Exivit à Patre Chriſtus, 16. 28. & 17. 8
Exultavit Abraham videre diem Chriſti, 8. 56

F.

Facere ſine me nihil poteſtis, 15. 5
Facta Chriſti non omnia ad imitationem trahenda, 13. 14
Felicitatis noſtræ ſcopum tum in unitate præfigat Chriſtus, 17. 2
Feſtus dies Hieroſolymis, 4. 46. & 5. 1
Fides mortua, quæ, 2. 23
Fides unde certitudinem habeat, 15. 27
Fides ex nobis non provenit, 7. 13
Fide Chriſtum amplectimur ut noſter fiat, 6. 35
Fides in Chriſtum proprie reſpicere debet, 3. 16. & 17. 8
Fides non omnium communis eſt, 9. 16
Fidei effectus qualis, ibid. & 5. 25
Fides in Chriſtum, unica vivendi regula, 6. 29
Fides cur vocetur unicum Dei opus, ibid.
Fides quomodo opus dicatur, ibid.
Fides nihil ad Deum afferre, ibid.
Fides non in ſola Chriſti eſſentia hærere debet, 7. 49
Fides noſtra quomodo ad æternam Chriſti divinitatem perveniat, 20. 28
Fides unicum effugiendæ mortis remedium, 3. 18
Fides animæ vita, 5. 27
Fides Deum ab hominum figmentis diſcernit, 17. 3
Fides, mentis oculus, 6. 65
Fides noſtra an ſit plena, nonniſi experimento cognoſcitur, 10. 32
Fides prædeſtinationis teſtis, 6. 40
Fides in Thoma non prorſus extincta, ſed ſuffocata fuit, 20 28
Fides ex nudis rerum experimentis manare non poteſt, 20. 29
Fides cur dicatur rerum inviſibilium demonſtratio, ibid.
Fidei defectus etiam in optimis multiplices, 11. 39
veræ Fidei experimentum, 9 6
Fidei noſtræ firmitas in quo conſiſtat, 14. 24
Fidei fructus incomparabilis, 20. 28
Fidei janua quibus præcludatur, 5 44
Fidei natura, quæ, 4. 28
Fidei ordo qualis à Chriſto deſcribitur, 17. 21
Fidei profeſſio legitima, quæ, 6. 54
Fidei ſcopus & objectum Chriſtus, 14. 1
Fidei ſedes in corde, 5. 24
Fides noſtræ vera ſtabilitas, 8. 26
Fidei annexa eſt agnitio, 17. 3
Fidem cur ſcientiæ Chriſtus poſtponat, 10. 38
Fidem invidiæ metu diſſimulare quam ignominioſum apud Deum, 12. 43
Fide nullus Deo cultus acceptior, 3. 31
in Fide duo potiſſimum requiri, 4. 42
In Fide quid præcipuum, 9. 37. & 17. 7
Fidelis & incredulus, 3. 27
Fideles cur aliquando durius à Deo tractentur, 8. 2
Fideles in quem finem Patri reconciliarit Chriſtus, 13. 10
Fideles totos eſſe mundos quomodo intelligendum, 13. 9
Fideles nunquam mori quomodo intelligendum, 11. 29
Fideles ab hypocritis qua nota diſcernantur, 3. 31
Fideles hodie non minus quam olim ſervat Chriſtus, 17. 12
Fiducia propriæ ſcientiæ nulla deterior peſtis, 7 28
Fiducia qua in Chriſtum recumbit, omni timore ſuperior, 11. 14
Fiduciæ certitudo neceſſaria, 9. 18
Filius Dei Chriſtus, 1. 49
Filius hominis Chriſtus quare dicatur, 1. 51
Filii nomen unice in Chriſtum competit, 10. 31
in Filii perſona Deus vult agnoſci, 20. 4
Filii Dei vitiates duæ diſtinctio, 1. 7
Filium à ſeipſo non facere quicquam, quomodo intelligendum, 5. 19. 30
Dei Filius non ſibi privatim cælum aſcendit, 14. 2
Filii Dei cur cenſeamur, 1. 13
Filii Dei & filii Diaboli quomodo nominentur, 8. 44
Filii Dei per fidem, 1. 12
Filii diſperſi inter gentes, 11. 52
Filiorum Dei & reproborum moriendi diſcrimen, 19. 30 Filius perditionis, 17. 12
Filii Abrahæ, 8. 37
Flagellis Dei non ſemper metienda hominum peccata, 9. 34
Flagellatum Jeſum tradit Pilatus voluntati Judæorum, 19. 2
Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, 7. 38
Fons Jacob, 4. 6. & 11. 52
Fons aquæ ſalientis in vitam æternam, 4. 14
Fratres Chriſti non credentes, 7. 5. 4
Fructum in vitam æternam congregare, 4. 36
or Fructum plurimum afferent Apoſtoli miſſi, 15. 16
Fructum fert qui manet in Chriſto, 15. 4. 5
Functio Chriſti, quæ, 4. 34
Fur & latro, 10. 1. 8

G.

à Galilæa propheta non ſurgit, 7. 52
Galilæi Chriſtum excipiunt, 4. 44
templum in monte Garizim à Manaſſe extructum, 4. 20
in Gazophylacio docet Chriſtus, 8. 20
Gentiles volunt videre Jeſum, 12. 20
Gentiles quomodo Judæis aggregati, 10. 16
Generis humani inſtauratio per Chriſtum, 1. 4
Gloria Chriſti, 1. 14. & 2. 11
Gloria à ſolo Deo quærenda, 5. 44
Gloriam ſuam non quærit Chriſtus, 8. 13. Sed ejus qui miſit illum, 7. 18
Gloriam Dei vidit Jeſaias, 12. 41
da Gloriam Deo, jusjurandum exigendi formula, 9. 24
Gloriam Dei videre, 11. 40
ad Gloriam Dei infirmitas, 11. 4
Gloriam hominum magis quam Dei diligere, 12. 43. & eam ab invicem quærere, 5. 44
Gloriam mittentis ſe quærere, 7. 18
Glorificatus Jeſus, 12. 16
Gradus quinque in verbis Chriſti conſiderandi, 12 27
Granum frumenti cadens in terram, 12. 24
Gratia & veritas per Chriſtum, 1. 14. 17
Gratiæ Chriſti finis quis, 8. 12
Gratiæ & bonitatis Dei erga nos magnitudo, 13. 17
Gratia plenus Chriſtus, 1. 17
Gratias agere, 11. 6. 3
Gregis Dei in unum colligendi ratio, 10. 16

H

Homines in quem finem conditi, 1 4
Hominum in rebus divinis temeritas, 7. 18
Hominum in æſtimandis Dei operibus ingratitudo, 7. 15
Homines quatenus honore proſequendi, 4 12
communis Hominum morbus in Pilato, 18. 38
Hominum pravitas quanta, 3. 24
Hominum conditio poſt Adæ lapſum, 1. 3
quid ſit in homine novit Chriſtus, 2 25
Honor quem Deus in lege parentibus deferri jubet, quis, 19. 25
Honorificat Chriſtus patrem, 8 49
Honorificandus filius, 5 23
Hora Chriſti, 2 4, & 7. 30. & 8 20
Hora Chriſti ut tranſiret ad patrem, 13. 1
Horæ diei duodecim, 11. 9
Hoſanna, 12. 13
Humilitatis vera atque unica regula, 13 6
Hydriæ lapideæ, 2 6
Hyperbole in ſacris literis non prorſus abſurda, 21. 24
Hypocriſis exemplum memorabile in Judæis, 18 8 & 19 31
Hypocriſi nihil eſt periculoſius, 2. 24
Hypocriſin ſuperbia ſemper ſequitur, 9. 40
Hypocriſis impietatem ſemper ſequitur, 11. 48
Hypocritæ variis figmentis ſe inebriant, ibid.
Hypocritarum mores, 6. 71
Hypocritæ quomodo Evangelio aſſentiuntur, 2. 23

I.

Jeroſolymam ingrediens Chriſtus inſidet aſinæ, 12. 12
Jeſaiæ locus explicatus, 1. 23. & 12 38
JESUS filius Dei, 20. 31
Ignoratio Dei quam grave malum, 16 3
Imago Dei Chriſtus, 1. 18. & 5. 22 & 14. 10
Imperia non temere neque hominum errore exorta, 10. 35
Impii ad Dei tribunal vocandi, 5 29
Impii non ſtatim deregendi, 13. 22 28
Incredulitas, malorum omnium fons & cauſa quomodo dicatur, 8. 24 & 15. 28
Incredulitas acceſſum ad Deum nobis obſtruit, 11 34
Incredulus filio non videbit vitam, 3. 38
Infinitas Chriſti fidem fulcire debet, 14 7
Infirmitas ob peccata, 5. 14. & 9. 2. 3
Infirmitas ad gloriam Dei, 11. 4
Infirmitates noſtras cur in ſe ſuſcipere voluerit Chriſtus, 4 6
Infirmus qui jam decubuerat triginta & octo annis, ſanatur à Chriſto, 5 9
Infremuit ſpiritu Jeſus, 11. 33 38
Injuſtitia in Deo non eſt, 7. 28
Innocentia Chriſti quorſum tam ſæpe teſtimonio Judicis aſſeratur, 19. 6
Inſufflavit in Apoſtolos Chriſtus, 20. 22
Joannes cur ſic dictus, 1. 6
Joannis de Chriſto præconium, ibid.
Joannes baptizat in Ænon, 3. 23
teſtimonium perhibet de luce, 1 7
docet ſe non eſſe Chriſtum, 1. 19 & 3. 26
nullum ſignum fecit, 10. 41
Ira Dei ſæpe diu in una domo reſidet, 9. 3
Iræ Dei gravitas adverſus peccatum, 19. 17
ex Itinere fatigatus Chriſtus, 4. 6
Judæi in Dei familiam cooptati, 1. 11
Judæis an pœnitentiam Deus in ſalutem promittat, 19 17
Judæi cur ſigna quærere dicti, 4 47
Judæorum cum Samaritanis diſſidium unde ortum, 4 9
Judæi quid commune nobiſcum habuerint, & quid diverſum, 4. 23
Judæi Chriſtum Regem creare volunt, 6 15
Judas diabolus, 6. 70. 71
fur, 12. 6
immundus, 13. 11
declaratur futurus proditor, & 13 21 26
Judicari mundum à Chriſto quomodo intelligendum ſit, 3. 17
non ut Judicet Chriſtus, 12 47
non Judicandum ſecundum faciem, 7. 24
ſecundum carnem, 8. 15
Judicium Spiritus à peccati demonſtratione incipit, 16 9
Judicium Chriſti juſtum, 5. 30
Judicium Dei quantum à noſtro diſtet, 8. 24
Judicis nomine quid ſignificat Chriſtus, 16 15
Judicii prætextu inſontem occidere, quovis latrocinio deteſtabilius, 19 12
in Judicium venire quomodo dicatur Chriſtus, 9. 39
Judicium de iis quæ ad Chriſtum pertinent, ex Scriptura faciendum, 12. 16
Judicium pro imperio & poteſtate, 5. 22. 27
Judicii poteſtatem Evangelio defert Chriſtus, 12 48
Judicium præceps fugiendum, 3. 19
in Judicium non venire quomodo dicantur fideles, 5. 24
in Judicium venit Chriſtus, 9. 39
de Judicio arguet mundum Spiritus ſanctus, 16 8
nunc Judicium eſt mundi, 12. 31
Judicium datum filio, 5. 22. 27
Juſtitiam Chriſtus cur in ſuo ad Patrem aſcenſu ſtatuat, 16 10
Juſtitia in expiatione à Chriſto peracta, nobis quærenda, 19. 17

L.

Lachrymatus eſt Jeſus, 11. 35
Lapidare volunt Chriſtum Judæi, 8 59 & 10 31
Lapis ſuperpoſitus monumento, 11. 38
Latro & fur, 10 1. 8
Latrones crucifiguntur cum Jeſu, 19. 18
Latus Chriſti aperitur, 19. 34
Lavat diſcipulorum pedes Chriſtus, 13 5
Lavare nos Chriſtus quomodo dicatur, 13 8
Lazarum ſuſcitat Chriſtus, 11. 46
cum Lazaro reſuſcitato cœnat Chriſtus, 12. 2
Lex per Moſen data eſt, 1. 17. & 7. 9
Lex non judicat quemquam niſi, &c 7. 51
Legis nomine cur Pſalmos deſignet Chriſtus, 15. 25
Legis & Evangelii conſenſus, 10. 8
Legis anima, Chriſtus, 1. 17. & 5. 46
Legis ceremoniæ in quem finem Judæis à Deo mandatæ, 18 28
Legis cultus partim ſpiritualis, partim carnalis, 4. 23
Legis doctrina imperfecta, 4. 25
Legis munus proprium quod, 12. 50
Liberi vere qui, 8. 35
Libertas qualis à Chriſto promittitur, 8. 32
ob Libertatem quam ſtulte glorientur Judæi, 8. 33
Liberi arbitrii impugnatio, 6. 45
Linteamina Chriſti, 20 7
Literas ſcire, 7. 15
Loculos habebat Judas, 12. 6. & 13. 29
Locum paravit nobis Chriſtus, 14 2
Locus ex Pſal. 22 expoſitus, 19 23
Locus ex Zacharia in quem finem ab Evangeliſta adductus, 19 37
Loqui à ſeipſo, 7. 18
Loquitur Chriſtus ut audierit à Patre, 8. 26. 28. & 12. 50 & 14. 10
Lucerna ardens, Joannes, 5. 35
Lumen vitæ, 8. 12
Luminis quod in corrupta hominum natura reſidet, partes duæ, 1. 5
de Lumine teſtificatur Joannes, 1. 7

Lutum

I N D E X

Eorum quæ his in

EUANGELIUM SECUNDUM JOANNEM

COMMENTARIIS continentur, aut etiam explicantur.

Prior numerus caput, poſterior verſum deſignat.

A

Abraham totius Eccleſiæ pater, 8. 56
Abraham cur pater multarum gentium dictus, 10. 16
Abraham pater Judæorum, 8. 39
Abrahæ ſemen, 8. 33
Abrahæ filii coram Deo qui, 8. 39
Abrahæ filius, 8. 37. 39
Abraham vidit diem Chriſti, 8. 56
Abſcondit ſe Chriſtus, 8. 59. & 12. 37
Acetum datur Chriſto, 19. 29
in Adam totum genus humanum corruptum, 3. 6
Adoratores veri, 4. 23. 24
Adulteria capite punienda, 8. 11
Adulteria quantum malorum ſecum afferant, ibid.
Affectus verus pietatis quis, 20. 14
Affectus pedum nomine deſignantur, 13. 9
Affectus in Chriſto fuerunt voluntarii, 11. 27
Affectus humanos quomodo ſuſceperit Chriſtus, 11. 33
Affectus qui frænandi, 11. 27
Afflictiones Scriptura cur potionibus comparet, 18. 11
Afflictiones propter Chriſtum, 15. 21. & 16. 1. 2. 20
Agnus paſchalis ſymbolum ſacrificii Chriſti fuit, 19. 36
Agnus Dei Chriſtus, 1. 29. 36
Agnus quare dictus Chriſtus, 1. 29
Agricola, Pater Chriſti, 15. 1
Ambulat Chriſtus ſuper mare, 6. 19
Amici Chriſti, 15. 14. 15
Amoris nomine fidem deſignat Chriſtus, 16. 27
Amor Dei per Chriſtum in membra Eccleſiæ deſluit, 15. 9
Amor quo Chriſtum complectimur, an Dei erga nos amore prior, 14. 21
Amoris divini erga pios ſymbolum & pignus, 7. 23
Amor Dei à præſenti rerum ſtatu non eſt æſtimandus, 11. 5
Amorem noſtri ſequitur fratrum deſpectus, 7. 49
Anabaptiſtæ qualem fingunt Chriſtum, 1. 14
Angeli albis veſtibus induti cur appareant, 20. 12
Angeli aſcendere & deſcendere ſuper Chriſtum quomodo dicantur, 1. 51
Angeli cur vocentur potentiæ aut virtutes, 1. 4
Animam tradere pro fratribus, 1. 16
Animam ponit Chriſtus pro ovibus, 10. 15. 17. Pro amicis ſuis, ibid. & 15. 13. A ſeipſo, ibid.
Antiquitas quanti facienda, 10. 8
Apollinaris error, 1. 14
Apoſtolorum pietas quæ, 20. 22
Apoſtolis quam à patre accepit authoritatem communicat Chriſtus, 20. 23
Apoſtolus non major mittente, 13. 16
Apoſtoli domos & familias habuerunt, 16. 32
Apoſtolorum labor hodie quoque fructificat, 13. 16
Apoſtolos cum ſanctis Regibus & Prophetis quomodo comparet Chriſtus, 20. 29
Apoſtolis proſperum ſucceſſum Chriſtus promittit, 13. 16
Apoſtolorum triſtitia quomodo in gaudium converſa, 16. 20
Apprehendere Chriſtum quærunt Judæi, 7. 30. 32. & 10. 39. & 11. 57
Aqua viva, 4. 10. Saliens in vitam æternam, 4. 14
Aquas de ventre credentium fluere quomodo intelligendum, 7. 38
Aquam ex Chriſti latere fluxiſſe cur tam diligenter inculcat Euangeliſta, 19. 34
Arii improbitas, 1. 1
Aromatibus ungitur corpus Chriſti, 19. 40
Aſcendere in cœlum quid ſignificet, 3. 13
Audire à patre & diſcere, 6. 45
Audiendus eſt Deus per quoſcunque nobis loquatur, 9. 34. & 10. 11
Audire verbum Dei, & credere, 5. 24
mortuos Audire vocem Filii Dei quid ſignificet, 5. 25

B.

Baptizandi partes quam recte mulieribus tribuantur, 20. 17
Baptiſmus Joannis, 3. 26
Baptiſmus ex miniſtri perſona non eſt æſtimandus, 4. 2
Baptizant diſcipuli Chriſti, 3. 22. 43
Barrabas à Judæis poſtulatur, 18. 40
Benedictio Dei in laboribus manuum noſtrarum expectanda, 21. 6
in Beneficiis Dei reputandis quam evanida ſit hominum memoria, 14. 12
Beneficiis Dei abuti quam periculoſum, 18. 37
Bethlehem civitas David, 7. 42
Betheſda piſcina unde dicta, 5. 2
Blaſphemiæ ſpecies duæ, 10. 33
Bohemi taxati, 6. 53
Bonorum omnium quæ habet pater per Chriſtum participes ſumus, 16. 15
Bonorum omnium affluentia Chriſto cur in manum data, 6. 11
Bonorum quæ à Chriſto & Spiritu percipimus, diſcrimen, 14. 17
Boni quid per Chriſtum nobis obtigit, 12. 14
Buccella, 13. 27

C.

Cæcitas qua percutiuntur reprobi, non tam à Chriſto quam ab hominum vitio eſt, 12. 40
Cæcitatis quæ pluribus ſeculis mundo incubuit, cauſa, 12. 35
Cæco à nativitate aperiuntur oculi Sabbatho, 9. 4. & 9. 1
Cœli aperti, 1. 51
in Cœlum nemo aſcendit niſi Filius hominis, 3. 13
Cajaphas pontifex prophetat, 11. 49. ad eum ducitur Chriſtus, 18. 19. 24
Calicem Chriſti bibere, 18. 11
Calicem à Deo datum non reſpuunt qui morbis quærunt remedia, ibid.
Caro non prodeſt quicquam, 6. 63
non ex Carnis & viri voluntate natus, 1. 13
Caro quod ex carne natum, 3. 6
Caro pro externa hominis ſpecie, 6. 15
Caro Chriſti quo ſenſu dicatur vivifica, 6. 51. 63
Carnis & ſpiritus diſſidium in ſe ſentiunt fideles, 21. 18
Carnalis propinquitas quanti facienda, 2. 3
Caſtigationum Dei profectus in nobis tardus, 6. 14
Cephas qui & Simon, 1. 42
Ceremoniæ abſque Dei verbo mortuæ, 19. 40
Charitatis præceptum cur novum appellet Chriſtus, 13. 34
Charitatis neglectus unde naſcatur, 13. 12
Charitatis regulam qualem præſcripſerit Chriſtus, ibid.
Chriſtianiſmi definitio, 1. 47
Chriſtum terreſtria loqui, quo ſenſu dicatur, 3. 12
Chriſti præcipuum officium, 1. 29
Chriſtus manet in æternum, 12. 34
Chriſtus ex ſemine David, 7. 42
Chriſti recipiendi modus, 1. 12
Cibus permanens in vitam æternam, 6. 27
Cibus Chriſti, 4. 32. 34
Circumciſio ex patribus, 7. 22
Claritatem ab hominibus accipere, 5. 41
Clarificatus filius hominis, 13. 31
Clarificatus Deus, 13. 31
Cingendi verbo quid ſignificet Chriſtus, 21. 18
in Cœna cur calicem adjunxit Chriſtus, 6. 55
Cœnat Chriſtus cum Lazaro, 12. 2
Cognitio Dei, 1. 17
Colaphis cæditur Chriſtus, 18. 22. & 19. 3
Colere Deum noſtris figmentis quam præpoſterum, 19. 19
Confidite quid, 16. 33
Confeſſio à fide non ſeparanda, 12. 42
Conjunctionis quam cum Chriſto habemus fructus & effectus, 12. 17
Conſcientiarum tranquillitas unde naſcatur, 14. 12
Conſcientiæ trepidæ exemplar notabile in Pilato, 19. 1
Conſilium ex ſenſu carnis quam periculoſum, 11 49
Conſtantiam ſuorum quo præmio dignetur Chriſtus, 1. 12
à Conſtitutione mundi, 17. 24
Contaminari, 18. 28
Contriſtatum iri diſcipulos prædicit Chriſtus, 16. 20
Cor hominis non abs re fraudulentum vocatur, 19. 10
in Cor Judæ miſit diabolus ut, &c. 13. 2
Corona de ſpinis, 19. 2
Corpus Chriſti involvitur ſindone, 19. 40
Judæos non poſſe credere quomodo dictum, 12. 39
Credere in Chriſtum quomodo dicantur, 7. 31
Credendi verbum pro agnoſcere ab Euangeliſta poſitum, 17. 21
Credere in Chriſtum, vel in filium Dei, aut in nomine ejus, 1. 12. & 6. 69. & 9. 36. & 11. 42. & 12. 44. & 17. 8
Credere in Chriſtum, opus Dei, 6. 29
Credere quare non poterant Judæi, 10. 26. & 12. 39
Credens in Chriſtum non perit, 3. 15. ſed habet vitam æternam, 3. 15. & 4. 47. & 20. 41 non morietur in æternum, 11. 26. opera Chriſti faciet & majora, 14. 12
Crucis humilitas multis offendiculo eſt, 1. 46
Crucis horror ſi nos à ſequendo Chriſto detineat, quam pudendum, 19. 25
Cultus quem Deus à nobis requirit regula, 5. 24
Cultus divini lex unde petenda, 18. 19
Cura de fratribus non ſemper ſupervacua, 21. 22
Curioſitatis noxiæ exemplum in Petro, 21. 20

D.

David perſonam Chriſti ſuſtinuit, 19. 28
Deliberandi pie & ſancte ratio, 11. 43
Deorſum ſive de mundo, & è ſupernis quid, 8. 23
Deum veracem quo ſenſu appellet Chriſtus, 7. 28
Deus inviſibilis, 1. 18. pater Jeſu Chriſti, 5. 17
Deum de filio ſuo teſtatum fuiſſe quo modo intelligendum, 5. 37
Dei notitia ante regenerationem qualis, 1. 6
Dei agnitio extra Chriſtum quæ, 6. 46
Deus eſt ſpiritus, quomodo intelligendum, 4. 24
Diabolus an natura mendax, 8. 44
Diem Chriſti vidit Abraham, 8. 56
quomodo Dilexerit Deus mundum, 3. 16
Diligit nos Chriſtus, 15. 9
Diligit pater filium, 3. 35. & 10. 17. & 17. 24
Diligere Chriſtum & mandata ejus ſervare, 14. 15
Diligere proximum, invicem, alterutrum, 13. 34
Dilectio inter verbi miniſtros neceſſaria, 15. 17
Dilectione mutua cognoſcuntur Chriſti diſcipuli, 13. 35
Dilectio, præceptum Chriſti, 15. 12. 17
Dilectio maxima quæ, 15. 13
Dilectio qua nos proſequitur Deus, non alia quam qua Chriſtum diligit, 17. 26
Diſcere à patre, 6. 45
Diſcipulos qua nota à mundo diſcernat Chriſtus, 14. 22. & 17. 22
veri Diſcipuli Chriſti, 8. 31
Diſcipulus non eſt ſupra magiſtrum, 13. 16
Diſcipuli Chriſti abeuntes retro, 6. 66
Diſcipuli Chriſto credunt, 2. 11. In medio eorum ſtat Jeſus, 20. 19
Diſperſi in propria, 16. 32
Diſperſi filii Dei, 11. 52
Diſperſio gentium, 7. 35
Diſſenſio propter Chriſtum, 7. 43. & 10 19
Divinitas Chriſti poſt ejus aſcenſum potentius ſe exeruit, 14. 12
Divinitas Chriſti æterna, 1. 1
ad Divitias ſpiritus obtinendas quinam à Chriſto vocentur, 7. 37
niſi Datum de cœlo, nemo poteſt accipere quicquam, 3. 27
Datum à patre venire ad Chriſtum, 6. 65
Docuit Chriſtus in ſynagoga & in templo, 18. 20
Docebit Spiritus veritatis omnem veritatem, 16. 13
Docti à Deo, 6. 45
Docet ſedens Chriſtus, 8. 2
Docendi modus Deo duplex, 14. 11
Doctor unicus Eccleſiæ Chriſtus, 20. 21
Doctores Eccleſiæ formare, unius Chriſti eſt, 14. 12
Doctores Eccleſiæ quâ animi magnitudine præditos eſſe conveniat, 7. 28. & 8. 29. & 16. 3
Doctorum authoritas unde pendeat, 3. 2
in Doctrina quid præcipuum, 1. 45
Doctrinam ſuam Chriſtus quomodo patris eſſe dicat, 7. 16
de Doctrina interrogatur à Cajapha Chriſtus, 18. 19
Doctrinæ Chriſti cultores in dies proficiunt, 14. 12
Doctrina Chriſti, lapis offenſionis incredulis, 6. 66
Doctrinæ Apoſtolorum qui aliquid addendum putant, in Spiritum blaſphemi ſunt, 16. 13
in Doctrina Apoſtolorum nobis acquieſcendum, ibid.
Doctrinam amplecti peculiare Dei donum eſt, 6. 44
Doctrinæ ſpiritualis authoritas unde petenda, 7. 16
Doctrinæ examinandæ ratio, 7. 18
Doctrinæ contemptus pius conturbat, 11. 39
Doctrina Chriſti malleus erit incredulis, 6. 60
inter Doctrinam generalem & hypotheſes ſedulo diſtinguendum, 19. 7
Doctrinæ Chriſti ſcopus quis, 16. 25
Dolus quid ſignificet apud Joannem, 1. 47
Dominus & magiſter, Chriſtus, 13. 13
Domini nomen quo ſenſu Scriptura Deo tribuat, 20. 28
Domus orationis, 2. 16
Domum Dei, 4. 10
Dormitio ſomni, 11. 13
Dormire, pro mortuum eſſe, 11. 11. 13. 14
Duodecim elegit Chriſtus, 6. 70
Durus ſermo, 6. 60

E.

Eccleſiæ unitas nuſquam quam in Scripturæ fide fundata, 19. 23
Eccleſia quomodo reſtitui poſſit, 6. 45
in Eccleſiæ regimine quid maxime expetendum, 10. 18
Eccleſiæ nulli hoſtes magis infenſi quam domeſtici, 13. 18
Eccleſiæ legem ſuo exemplo Chriſtus præſcribit, 8. 26
tum cognoſcetis quod Ego ſum, 8. 28
Egenis dat Chriſtus, 13. 29
Elegit duodecim Chriſtus, ex quibus unus diabolus eſt, 6. 70
ſcio quos Elegerim, 13. 18
Elegi vos ut fructum afferatis, 15. 16
Elegi vos de mundo, 15. 19
Elegit Deus ex hoſtibus ſuis qui ipſum ament, 14. 22
Electi cur Deo curæ ſint, 17. 10
Electi à reprobis quomodo diſcernantur, 17. 6
qua nota diſcernantur, 1. 19. & 6. 37
Electos Deus occulto fræno retinet, 20. 28
ſolis Electis vitam dat Chriſtus, 17. 3
in Electis Dei Spiritus arcano modo operatur, 20 2

Electis

Digitized by Google

Electis quam ſomæ conſtet ſalutis ſue certitudo, 10.28
Electio ſine fide mutila, 6.40
Electionis notitia peccandi ſtudium in nobis generare debet, 17.6
Electionis ſpecies duæ, 15.16
Elias cur Joannes dictus ſit, 1.21
Encænia Hieroſolymis, 10.22
Errandi finis nullus, niſi verbo Dei adhæreamus, 16.13
Evocantur diſcipulos ex verbis Chriſti male inſtructos, ibid.
Eſurire & ſitire in æternum, 6.35
Evangeliſtæ quæ ſcripta complexi ſunt, ad ſalutem ſufficiunt, 21.24
Evangelium in quo dominetur à profanis philoſophis differat, ibid.
Evangelii fructus quis, 8.32
Evangelium cur meſſis vocetur, 4.36
ad Evangelii doctrinam capiendam homines quomodo comparentur, 5.44
Evangelii miniſtri non raro à profeſſis fidei hoſtibus male tractantur, 16.2
Evangelii miniſtris ligandi poteſtas quatenus data, 3.16
Evangelium cur à pluriſque contemnatur, 9.40
Evangelio cur tam pauci credant, 6.65. & 7.17
Evangelii prædicatio nunquam inutilis, 9.39
Evangelii prædicatione vocatur Chriſtus ad nos deſcenſus, 7.9
Evangelium reſpuentium finis quis, 8.1
Evangelio adverſus, 10.9
Evangelii doctrina nonniſi reprobis obſcura, 9.39
Evangelii prædicandi finis quis, 16.29
Evangelio quid proprium, quid item accidentale, ibid.
Evangelii prædicatione exaltatus dicitur Chriſtus, 3.14
Eutyches hæreticus, 1.14
Exaltatus quomodo dicatur Chriſtus, 3.14. & 8.28 & 12.32
Excæcare hominum corda Deus quomodo dicatur, 12.40
Excæcatio qua Deus impios percutit quid valeat, 16.9
Excommunicandi ritus ex vetuſtiſſima Eccleſiæ conſuetudine ortus, 9.22
Excommunicatio in legitimum uſum revocanda, 16.2
Excommunicatio, nervus diſciplinæ Eccleſiaſticæ, 12.42
Excuſationem non habent Judæi, 15.22
Exemplum dedit nobis Chriſtus, 13.15
Exemplum Chriſti pro lege habendum, 8.12
Exivit à Patre Chriſtus, 16.28. & 17.8
Exultavit Abraham videre diem Chriſti, 8.56

F.

Facere ſine me nihil poteſtis, 15.5
Facta Chriſti non omnia ad imitationem trahenda, 13.14
Felicitatis noſtræ ſcopum cur in unitate poſtulat Chriſtus, 17.21
Feſtus dies Hieroſolymis, 4.45. & 5.1
Fides nomina, quæ, 1.12
Fides unde certitudinem habeat, 15.27
Fides ex nobis non provenit, 3.13
Fides Chriſtum amplectitur ut noſter fiat, 6.35
Fides in Chriſtum propriè reſpicere debet, 6.16. & 17.6
Fides non omnium communis eſt, 5.26
Fidei effectus qualis, ibid. & 5.25
Fides in Chriſtum, unica vivendi regula, 6.29
Fides cur vocetur unicum Dei opus, ibid.
Fides quomodo opus dicatur, ibid.
Fides nihil ad Deum affert, ibid.
Fides non in ſola Chriſti eſſentia hærere debet, 1.49
Fides noſtra quomodo ad æternam Chriſti divinitatem perveniat, 10.21
Fides unicum effugiendæ mortis remedium, 3.18
Fides animæ vita, 3.27
Fides Deum ab hominum figmentis diſcernit, 17.3
Fides, mentis oculus, 6.69
Fides noſtra an ſit plena, nonniſi experimento cognoſcitur, 16.32
Fides prædeſtinationis teſtis, 6.40
Fides in Thoma non prorſus extincta, ſed ſuffocata fuit, 20.28
Fides ex nudis rerum experimentis manare non poteſt, 20.29
Fides cur dicatur rerum inviſibilium demonſtratio, ibid.
Fidei defectus etiam in optimis multiplices, 11.39
vera Fidei experimentum, 9.6
Fidei noſtræ firmitas in quo conſiſtat, 24.24
Fidei fructus incomparabilis, 10.56
Fidei januam quibus præcludunt, 5.44
Fidei natura, quæ, 4.21
Fidei ordo qualis à Chriſto deſcribitur, 27.25
Fidei profeſſio legitima, quæ, 6.34
Fidei ſcopus & objectum Chriſtus, 14.1
Fidei ſedes in corde, 5.24
Fidei noſtræ vera ſtabilitas, 3.16
Fidei annexa eſt agnitio, 17.3
Fidem cur ſcientiæ Chriſtus poſtponat, 20.31
Fidem invidiæ metu diſſimulare quam ignominioſum apud Deum, 12.43
Fide nullus Deo cultus acceptior, 9.33
in Fide duo potiſſimum requiri, 4.42
in Fide quid præcipuum, 9.17. & 17.7
Fidelis & incredulus, 8.27
Fideles cur aliquando durius à Deo tractentur, 8.2
Fideles in quem finem Patri reconciliarit Chriſtus, 15.10
Fideles totos eſſe mundos quomodo intelligendum, 13.7
Fideles nunquam mori quomodo intelligendum, 11.26
Fideles ab hypocritis qua nota diſcernantur, 8.31
Fideles hodie non minus quam olim ſervat Chriſtus, 17.12
Fiducia propriæ ſcientiæ nulla deterior peſtis, 9.18
Fiducia quæ in Chriſtum recumbit, omni timore ſuperior, 12.14
Fiduciæ certitudo neceſſaria, 8.18
Filius Dei Chriſtus, 1.49
Filius hominis Chriſtus quare dicatur, 1.51
Filii nomen unice in Chriſtum competit, 20.31
in Filii perſona Deus vult agnoſci, 1.18
Filii Dei viſibiles duæ diſtinctio, 9.5
Filium à ſeipſo non facere quicquam quomodo intelligendum, 5.19.30
Dei Filius non ſibi privatim cœlum acquiſivit, 14.2
Filii Dei cur cenſeamur, 1.12
Filii Dei & filii Diaboli quomodo nominentur, 8.44
Filii Dei per fidem, 1.12
Filii diſperſi inter gentes, 11.52
Filiorum Dei & reproborum moriendi diſcrimen, 19.30
Filius perditionis, 17.12
Filii Abrahæ, 8.37
Flagellis Dei non ſemper metienda hominum peccata, 9.34
Flagellatum Jeſum tradit Pilatus voluntati Judæorum, 19.2
Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, 7.38
Fons Jacob, 4.5. & 13.32
Fons aquæ ſalientis in vitam æternam, 4.14
Fratres Chriſti non credentes, 7.5
Fructum in vitam æternam congregare, 4.36
ut Fructum plurimum afferrent Apoſtoli miſſi, 15.16
Fructum fert qui manet in Chriſto, 15.5
Functio Chriſti, quæ, 4.34
Fur & latro, 10.1

G.

à Galilæa propheta non ſurgit, 7.52
Galilæi Chriſtum excipiunt, 4.45
templum in monte Garizim à Manaſſe extructum, 4.20
in Gazophylacio docet Chriſtus, 8.20
Græci volunt videre Jeſum, 12.20
Gentiles quomodo Judæis aggregati, 10.16
Generis humani inſtauratio per Chriſtum, 1.4
Gloria Chriſti, 1.14. & 2.11
Gloria à ſolo Deo quærenda, 5.44
Gloriam ſuam non quærit Chriſtus, 8.15. Sed ejus qui miſit illum, 7.18
Gloriam Dei vidit Jeſaias, 12.41
da Gloriam Deo, jusjurandum exigendi formula, 9.24
Gloriam Dei videre, 11.40
ad Gloriam Dei infirmitas, 11.4
Gloriam hominum magis quam Dei diligere, 12.43. & eam ab invicem quærere, 5.44
Gloriam mittentis ſe quærere, 7.18
Glorificatus Jeſus, 12.16
Gradus quinque in verbis Chriſti conſiderandi, 13.27
Granum frumenti cadens in terram, 12.24
Gratia & veritas per Chriſtum, 1.14.17
Gratiæ Chriſti finis quis, 1.12
Gratiæ & bonitatis Dei erga nos magnitudo, 15.17
Gratia plenus Chriſtus, 1.17
Gratias agere, 11.41
Gregis Dei in unum colligendi ratio, 10.16

H.

Homines in quem finem conditi, 1.4
Hominum in rebus divinis temeritas, 7.12
Hominum in æſtimandis Dei operibus ingratitudo, 7.15
Homines quatenus honore proſequendi, 4.11
communis Hominum morbus in Pilato, 18.38
Hominum pravitas quanta, 5.24
Hominum conditio poſt Adæ lapſum, 2.5
quid ſit in homine novit Chriſtus, 2.25
Honor quem Deus in lege parentibus deferri jubet, quis, 19.25
Honorificat Chriſtus patrem, 8.49
Honorificandus filius, 5.23
Hora Chriſti, 2.4. & 7.30. & 8.20
Hora Chriſti ut tranſiret ad patrem, 13.1
Horæ diei duodecim, 11.9
Hoſanna, 12.13
Humilitatis vera atque unica regula, 13.6
Hydria lapideæ, 2.6
Hyperbole in ſacris literis non prorſus abſurda, 21.24
Hypocriſis exemplum memorabile in Judæis, 13.8 & 19.31
Hypocriſi nihil eſt periculoſius, 2.24
Hypocriſim ſuperbia ſemper ſequitur, 9.40
Hypocriſis impietatem ſemper ſequitur, 11.48
Hypocritæ variis figmentis ſe inebriant, ibid.
Hypocritarum mores, 6.71
Hypocritæ quomodo Evangelio aſſentiuntur, 2.23

I.

Jeroſolymam ingrediens Chriſtus inſidet aſino, 12.12
Jeſaiæ locus explicatus, 1.23. & 12.38
Jesus filius Dei, 20.31
Ignoratio Dei quam grave malum, 16.3
Imago Dei Chriſtus, 1.18 & 5.22 & 14.10
Imperia non temere neque hominum errore exorta, 10.35
Impii ad Dei tribunal vocandi, 5.29
Impii non ſtatim detegendi, 13.22.26
Incredulitas, malorum omnium fons & cauſa quomodo dicatur, 8.24 & 15.22
Incredulitas acceſſum ad Deum nobis obſtruit, 12.34
Incredulos filius non videbit vitam, 3.36
Infirmitas Chriſti fidem fulcire debet, 14.1
Infirmitas ob peccata, 5.14 & 9.2.3
Infirmitas ad gloriam Dei, 11.4
Infirmitates noſtras cur in ſe ſuſcipere voluerit Chriſtus, 4.6
Infirmus qui jam decubuerat triginta & octo annis, ſanatur à Chriſto, 5.5
Infremuit ſpiritu Jeſus, 11.33.38
Injuſtitia in Deo non eſt, 7.18
Innocentia Chriſti quorſum tam ſæpe teſtimonio judicis aſſeratur, 19.5
Inſufflavit in Apoſtolos Chriſtus, 20.22
Joannes cur ſic dictus, 1.6
Joannis de Chriſto præconium, ibid.
Joannes baptizat in Ænon, 3.23
teſtimonium perhibet de luce, 1.7
docet ſe non eſſe Chriſtum, 1.19. & 3.28
nullum ſignum fecit, 10.41
Ira Dei ſæpe diu in una domo reſidet, 9.2
Iræ Dei gravitas adverſus peccatum, 18.17
ex Itinere fatigatus Chriſtus, 4.6
Judæi in Dei familiam cooptati, 2.15
Judæis an pœnitentibus Deus in ſalutem promittat, 19.37
Judæi cur ſigna quærere dicti, 4.47
Judæorum cum Samaritanis diſſidium unde ortum, 4.9
Judæi quid commune nobiſcum habuerint, & quid diverſum, 4.22
Judæi Chriſtum Regem creare volunt, 6.15
Judas diabolus, 6.70.71
fur, 12.6
immundus, 13.11
declaratur futurus proditor, & 25 21.26
Judicari mundum à Chriſto quomodo intelligendum ſit, 3.17
non ut judicet Chriſtus, 12.47
non Judicandum ſecundum faciem, 7.24
ſecundum carnem, 8.15
Judicium Spiritus à peccati demonſtratione incipit, 16.9
Judicium Chriſti juſtum, 5.30
Judicium Dei quantum à noſtro diſtet, 2.24
Judicii nomine quid ſignificat Chriſtus, 16.11
Judicii prætextu inſontem occidere, quovis latrocinio deteſtabilius, 19.11
in Judicium venire quomodo dicatur Chriſtus, 9.39
Judicium de iis quæ ad Chriſtum pertinent, ex Scriptura faciendum, 12.16
Judicium pro imperio & poteſtate, 5.22.27
Judicii poteſtatem Evangelio defert Chriſtus, 12.48
Judicium præceps fugiendum, 5.14
in Judicium non venire quomodo dicantur fideles, 5.24
in Judicium venit Chriſtus, 9.39
de Judicio arguet mundum Spiritus ſanctus, 16.8
nunc Judicium eſt mundi, 12.31
Judicium datum filio, 5.22.27
Juſtitiam Chriſtus cur in ſuo ad Patrem aſcenſu ſtatuat, 16.10
Juſtitia in expiatione à Chriſto peracta, nobis quærenda, 19.17

L.

Lachrymatus eſt Jeſus, 11.35
Lapidare volunt Chriſtum Judæi, 6.59. & 10.31
Lapis ſuperpoſitus monumento, 20.1
Latro & fur, 10.1.8
Latrones crucifiguntur cum Jeſu, 19.18
Latus Chriſto aperitur, 19.34
Lavat diſcipulorum pedes Chriſtus, 13.5
Lavare nos Chriſtus quomodo dicatur, 13.6
Lazarum ſuſcitat Chriſtus, 11.44
cum Lazaro reſuſcitato cœnat Chriſtus, 12.2
Lex per Moſen data eſt, 1.17. & 7.9
Lex non judicat quemquam niſi, &c. 7.51
Legis nomine cur Pſalmos deſignet Chriſtus, 15.25
Legis & Evangelii conſenſus, 10.8
Legis anima, Chriſtus, 1.17. & 5.46
Legis ceremoniæ in quem finem Judæis à Deo mandatæ, 16.26
Legis cultus partim ſpiritualis, partim carnalis, 4.23
Legis doctrina imperfecta, 4.23
Legis motus proprium quod, 16.10
Liberi vere qui, 8.35
Libertas qualis à Chriſto promittitur, 8.32
ob Libertatem quam ſtulte glorientur Judæi, 8.33
Liberi arbitrii impugnatio, 6.45
Linteamina Chriſti, 20.7
Literas ſcire, 7.15
Loculos habebat Judas, 12.6. & 13.29
Locum paravit nobis Chriſtus, 14.2
Locus ex Pſal. 22. expoſitus, 19.23
Locus ex Zacharia in quem finem ab Evangeliſta adductus, 19.37
Loqui à ſeipſo, 7.18
Loquitur Chriſtus ut audivit à Patre, 8.26.28. & 12.50. & 14.10
Lucerna ardens, Joannes, 5.35
Lumen vitæ, 8.12
Luminis quod in corrupta hominum natura reſidet, partes duæ, 1.5
de Lumine teſtificatur Joannes, 1.7

I N D E X

Eorum quæ his in

EUANGELIUM SECUNDUM JOANNEM

COMMENTARIIS continentur, aut etiam explicantur.

Prior numerus caput, poſterior verſum deſignat.

Abraham totius Eccleſiæ pater, 8. 56
Abraham cur pater multarum gentium dictus, 10. 16
Abraham pater Judæorum, 8. 36
Abrahæ ſemen, 8. 33
Abrahæ filii coram Deo qui, 8. 39
Abrahæ filius, 8. 37. 39
Abraham vidit diem Chriſti, 8. 56
Abſcondit ſe Chriſtus, 8. 59. & 12. 37
Acetum datur Chriſto, 19. 29
in Adam totum genus humanum corruptum, 8. 6
Adoratores veri, 4. 23. 24
Adulteria capite punienda, 8. 11
Adulteria quantum malorum ſecum afferant, ibid.
Affectus verus pietatis quis, 10. 24
Affectus pedum nomine deſignantur, 13. 9
Affectus in Chriſto fuerunt voluntarii, 12. 27
Affectus humanos quomodo ſuſceperit Chriſtus, 11. 33
Affectus qui frænandi, 12. 27
Afflictiones Scriptura cur potionibus comparet, 18. 11
Afflictiones propter Chriſtum, 15. 21. & 16 1. 2. 20
Agnus paſchalis ſymbolum ſacrificii Chriſti fuit, 19. 36
Agnus Dei Chriſtus, 7. 29. 36
Agnus quare dictus Chriſtus, 1. 29
Agricola, Pater Chriſti, 5. 22
Ambulat Chriſtus ſuper mare, 6. 19
Amici Chriſti, 15. 14. 15
Amoris nomine fidem deſignat Chriſtus, 16. 27
Amor Dei per Chriſtum in membra Eccleſiæ defluit, 15. 9
Amor quo Chriſtum complectimur, an Dei erga nos amore prior, 14. 21
Amoris divini erga pios ſymbolum & pignus, 7. 23
Amor Dei à præſenti rerum ſtatu non eſt æſtimandus, 11. 3
Amorem noſtri ſequitur fratrum deſpectus, 7. 49
Anabaptiſtæ qualem fingunt Chriſtum, 1. 14
Angeli albis veſtibus induti cur appareant, 20. 12
Angeli aſcendere & deſcendere ſuper Chriſtum quomodo dicantur, 1. 51
Angeli cur vocentur potentiæ aut virtutes, 5. 4
Animam tradere pro fratribus, 8. 16
Animam ponit Chriſtus pro ovibus, 10. 15. 17. Pro amicis ſuis, ibid. & 15. 13. A ſeipſo, ibid.
Antiquitas quanti facienda, 10. 8
Apollinaris error, 1. 14
Apoſtolorum pietas quæ, 20. 26
Apoſtolis quam à patre accepit authoritatem communicat Chriſtus, 20. 21
Apoſtolus non major mittente, 13. 16
Apoſtoli domos & familias habuerunt, 16. 17
Apoſtolorum labor hodie quoque fructificat, 13. 16
Apoſtolos cum ſanctis Regibus & Prophetis quomodo comparet Chriſtus, 20. 29
Apoſtolis proſperum ſucceſſum Chriſtus promittit, 15. 16
Apoſtolorum triſtitia quomodo in gaudium converſa, 16. 20
Apprehendere Chriſtum quærunt Judæi, 7. 30. 32. & 10. 39. & 11. 57
Aqua viva, 4. 10. Saliens in vitam æternam, 4. 14
Aquas de ventre credentium fluere quomodo intelligendum, 7. 38
Aquam ex Chriſti latere fluxiſſe cur tam diligenter inculcat Euangeliſta, 19. 34
Arii improbitas, 1. 1
Aromatibus ungitur corpus Chriſti, 19. 41
Aſcendere in cælum quid ſignificet, 3. 13
Audire à patre & diſcere, 6. 45
Audiendus eſt Deus per quoſcunque nobis loquatur, 9. 24. & 10. 13
Audire verbum Dei, & credere, 5. 24
mortuos Audire vocem Filii Dei quid ſignificet, 5. 25

B.

Baptizandi partes quam recte mulieribus tribuantur, 20. 17
Baptiſmus Joannis, 1. 26
Baptiſmus ex miniſtri perſona non eſt æſtimandus, 4. 2
Baptizant diſcipuli Chriſti, 3. 22. 42
Barrabas à Judæis poſtulatur, 18. 40
Benedictio Dei in laboribus manuum noſtrarum expectanda, 21. 6
in Beneficiis Dei reputandis quam evanida ſit hominum memoria, 14. 12
Beneficiis Dei abuti quam periculoſum, 13. 27
Bethlehem civitas David, 7. 42
Betheſda piſcina unde dicta, 5. 2
Blaſphemiæ ſpecies duæ, 10. 33
Bohemi taxati, 6. 53
Bonorum omnium quæ habet pater per Chriſtum participes ſumus, 16. 15
Bonorum omnium affluentia Chriſto cur in manum data, 6. 11
Bonorum quæ à Chriſto & Spiritu percipimus, diſcrimen, 14. 17
Boni quid per Chriſtum nobis obtigit, 12. 14
Buccella, 13. 27

C.

Cæcitas qua percutiuntur reprobi, non tam à Chriſto quam ab hominum vitio eſt, 12. 39
Cæcitatis quæ pluribus ſeculis mundo incubuit, cauſa, 12. 35
Cæco à nativitate aperiuntur oculi Sabbatho, 6. 4. & 9. 1
Cæli aperti, 1. 51
in Cælum nemo aſcendit niſi Filius hominis, 3. 13
Cajaphas pontifex propheta, 11. 49. ad eum ducitur Chriſtus, 18. 19. 24
Calicem Chriſti bibere, 18. 11
Calicem à Deo datum non reſpuunt qui morbis quærunt remedia, ibid.
Caro non prodeſt quicquam, 6. 63
non ex Carnis & viri voluntate natus, 1. 13
Caro quod ex carne natum, 3. 6
Caro pro externa hominis ſpecie, 8. 15
Caro Chriſti quo ſenſu dicatur vivifica, 6. 51. 63
Carnis & ſpiritus diſſidium in ſe ſentiunt fideles, 21. 18
Carnalis propinquitas quanti facienda, 7. 5
Caſtigationum Dei profectus in nobis tardus, 6. 14
Cephas qui & Simon, 1. 42
Ceremoniæ abſque Dei verbo mortuæ, 19. 40
Charitatis præceptum cur novum appellet Chriſtus, 13. 34
Charitatis neglectus unde naſcatur, 23. 12
Charitatis regulam qualem præſcripſerit Chriſtus, ibid.
Chriſtianiſmi definitio, 1. 47
Chriſtum terreſtria loqui, quo ſenſu dicatur, 3. 12
Chriſti præcipuum officium, 2. 29
Chriſtus manet in æternum, 12. 34
Chriſtus ex ſemine David, 7. 41
Chriſti recipiendi modus, 2. 12
Cibus permanens in vitam æternam, 6. 27
Cibus Chriſti, 4. 16. 34
Circumciſio ex patribus, 7. 26
Claritatem ab hominibus accipere, 5. 41
Clarificatus filius hominis, 13. 31
Clarificatus Deus, 13. 8
Cingendi verbo quid ſignificet Chriſtus, 21. 18
in Cœna cur calicem adjunxit Chriſtus, 6. 53
Cœnat Chriſtus cum Lazaro, 12. 2
Cognitio Dei, 1. 17
Colaphis cæditur Chriſtus, 18. 22. & 19. 3
Colere Deum noſtris figmentis quam præpoſterum, 19. 39
Confidite quid, 16. 36
Confeſſio à fide non ſeparanda, 12. 42
Conjunctionis quam cum Chriſto habemus fructus & effectus, 20. 17
Conſcientiarum tranquillitas unde naſcatur, 15. 11
Conſcientiæ trepidæ exemplar notabile in Pilato, 19. 1
Conſilium ex ſenſu carnis quam periculoſum, 11. 49
Conſtantiam ſuorum quo præmio dignetur Chriſtus, 8. 32
à Conſtitutione mundi, 17. 24
Contaminari, 18. 28
Contriſtatum iri diſcipulos prædicit Chriſtus, 16. 20
Cor hominis non abs re fraudulentum vocatur, 19. 10
in Cor Judæ miſit diabolus ut, &c. 13. 2
Corona de ſpinis, 19. 2
Corpus Chriſti involvitur ſindone, 19. 40
Judæos non poſſe credere quomodo dictum, 12. 39
Credere in Chriſtum quomodo dicamur, 7. 38
Credendi verbum pro agnoſcere ab Euangeliſta poſitum, 17. 21
Credere in Chriſtum, vel in filium Dei, aut in nomine ejus, 3. 18. & 6. 69. & 9. 36. & 11 42. & 12. 44. & 17. 8
Credere in Chriſtum, opus Dei, 6. 29
Credere quare non poterant Judæi, 10. 25. & 12 39
Credens in Chriſtum non perit, 3. 15. ſed habet vitam æternam, 3. 37. & 6. 47. & 20. 41 non morietur in æternum, 11. 26. opera Chriſti faciet & majora, 14. 12
Crucis humilitas multis offendiculo eſt, 1. 46
Crucis horror ſi nos à ſequendo Chriſto deterreat, quam pudendum, 19. 25
Cultus quem Deus à nobis requirit regula, 5. 14
Cultus divini lex unde petenda, 18. 39
Cura de fratribus non ſemper ſupervacua, 21. 21
Curioſitatis noxiæ exemplum in Petro, 21. 20

D.

David perſonam Chriſti ſuſtinuit, 19. 28
Deliberandi pia & ſancta ratio, 11. 48
Deorſum ſive de mundo, & è ſupernis quid, 8. 23
Deum veracem quo ſenſu appellet Chriſtus, 7. 28
Deus inviſibilis, 1. 18. pater Jeſu Chriſti, 3. 17
Deum de filio ſuo teſtatum fuiſſe quo modo intelligendum, 5. 37
Dei notitia ante regenerationem qualis, 3. 6
Dei agnitio extra Chriſtum quæ, 6. 46
Deus eſt ſpiritus, quomodo intelligendum, 4. 24
Diabolus an natura mendax, 8. 44
Diem Chriſti vidit Abraham, 8. 56
quomodo Dilexerit Deus mundum, 3. 16
Diligit nos Chriſtus, 15. 9
Diligit pater filium, 3. 36. & 10. 17. & 17. 24
Diligere Chriſtum & mandata ejus ſervare, 14. 15
Diligere proximum, invicem, alterutrum, 13. 34
Dilectio inter verbi miniſtros neceſſaria, 15. 17
Dilectione mutua cognoſcuntur Chriſti diſcipuli, 13. 35
Dilectio, præceptum Chriſti, 15. 12. 17
Dilectio maxima quæ, 15. 13
Dilectio qua nos proſequitur Deus, non alia quam qua Chriſtum diligit, 17. 26
Diſcere à patre, 6. 45
Diſcipulos qua nota à mundo diſcernat Chriſtus, 14. 22. & 17. 26
veri Diſcipuli Chriſti, 8. 31
Diſcipulus non eſt ſupra magiſtrum, 13. 16
Diſcipuli Chriſti abeuntes retro, 6. 66
Diſcipuli Chriſto credunt, 2. 11. In medio eorum ſtat Jeſus, 20. 19
Diſperſi in propria, 16. 32
Diſperſi filii Dei, 11. 52
Diſperſio gentium, 7. 35
Diſſenſio propter Chriſtum, 7. 43. & 10. 19
Divinitas Chriſti poſt ejus aſcenſum potentius ſe exeruit, 14. 12
Divinitas Chriſti æterna, 1. 1
ad Divitias ſpiritus obtinendas quinam à Chriſto vocentur, 7. 37
niſi Datum de cælo, nemo poteſt accipere quicquam, 3. 27
Datum à patre venire ad Chriſtum, 6. 65
Docuit Chriſtus in ſynagoga & in templo, 18. 20
Docebit Spiritus veritatis omnem veritatem, 16. 13
Docti à Deo, 6. 45
Docet ſedens Chriſtus, 8. 2
Docendi modus Deo duplex, 14. 23
Doctor unicus Eccleſiæ Chriſtus, 20. 21
Doctores Eccleſiæ formare, unius Chriſti eſt, 10. 12
Doctores Eccleſiæ qua animi magnitudine præditos eſſe conveniat, 7. 26. & 6. 29. & 13. 3
Doctorum authoritas unde pendeat, 8. 2
in Doctrina quid præcipuum, 1. 45
Doctrinam ſuam Chriſtus quomodo patris eſſe dicat, 7. 18
de Doctrina interrogatur à Cajapha Chriſtus, 18. 19
Doctrinæ Chriſti cultores in dies proficiunt, 14. 12
Doctrina Chriſti, lapis offenſionis incredulis, 6. 66
Doctrinæ Apoſtolorum qui aliquid addendum putant, in Spiritum blaſphemi ſunt, 16. 13
in Doctrina Apoſtolorum nobis acquieſcendum, ibid.
Doctrinam amplecti peculiare Dei donum eſt, 6. 44
Doctrinæ ſpiritualis authoritas unde petenda, 7. 16
Doctrinæ examinandæ ratio, 7. 18
Doctrinæ contemptus pios conturbat, 15. 20
Doctrina Chriſti malleus eſt incredulis, 6. 60
inter Doctrinam generalem & hypotheſes ſedulo diſtinguendum, 19. 7
Doctrinæ Chriſti ſcopus quis, 16. 23
Dolus quid ſignificet apud Joannem, 1. 47
Dominus & magiſter, Chriſtus, 13. 13
Domini nomen quo ſenſu Scriptura Deo tribuat, 20. 28
Domus orationis, 2. 6
Donum Dei, 4. 10
Dormitio ſomni, 11. 16
Dormire, pro mortuum eſſe, 11. 12. 13. 14
Duodecim elegit Chriſtus, 6. 7
Durus ſermo, 6. 60

E.

Eccleſiæ unitas nullibi quam in Scripturæ fide fundata, 19. 23
Eccleſia quomodo reſtitui poſſit, 6. 48
in Eccleſiæ regimine quid maxime expetendum, 10. 11
Eccleſiæ nulli hoſtes magis infenſi quam domeſtici, 13. 18
Eccleſiæ legem ſuo exemplo Chriſtus præſcribit, 8. 26
tum cognoſcetis quod Ego ſum, 8. 28
Egenis dat Chriſtus, 13. 29
Elegit duodecim Chriſtus, ex quibus unus diabolus eſt, 6. 70
ſcio quos Elegerim, 13. 18
Elegi vos ut fructum afferatis, 15. 16
Elegi vos de mundo, 15. 19
Elegit Deus ex hoſtibus ſuis qui ipſum ament, 14. 22
Electi cur Deo curæ ſint, 17. 20
Electi à reprobis quomodo diſcernantur, 17. 6
qua nota diſcernantur, 5. 29. & 6. 37
Electos Deus occulto fræno retinet, 20. 28
ſolis Electis vitam dat Chriſtus, 17. 3
in Electis Dei Spiritus arcano modo operatur, 20. 8

Electis

Digitized by Google

Electis quam firma conſtet ſalutis ſuæ certitudo, 10. 28
Electio ſine fide mortua, 6. 40
Electionis notitia peccandi ſtudium in nobis acuere debet, 17. 6
Electionis ſpecies duæ, 13. 18
Elias cur Joannes dictus ſit, 1. 21
Encænia Hieroſolymis, 10. 22
Errandi finis nullus, niſi verbo Dei adhæreamus, 18. 23
Error inter diſcipulos ex verbis Chriſti male intellectis, ibid.
non Eſurire & ſitire in æternum, 6. 35
Evangeliſtæ quæ ſcripta compleximus, ad ſalutem ſufficiunt, 21. 24
Evangelium in quo maxime à profana philoſophia differat, ibid.
Evangelii fructus quis, 18. 32
Evangelium cur meſſis vocetur, 4. 36
ad Evangelii doctrinam capiendam homines quomodo comparentur, 5. 44
Evangelii miniſtri non tantum à profeſſis fidei hoſtibus male tractantur, 16. 2
Evangelii miniſtris ligandi poteſtas quam ſit data, 3. 36
Evangelium cur à pleriſque contemnatur, 9. 12
Evangelio cur tam pauci credant, 6. 65. & 7. 17
Evangelii prædicatio nunquam inutilis, 7. 40
Evangelii prædicatio vocatur Chriſti ad nos deſcenſus, 7. 44
Evangelium reſpuentium finis quis, 8. 2
Evangelii utilitas triplex, 10. 9
Evangelii doctrina nonniſi reprobis obſcura, 9. 18
Evangelii prædicandi finis quis, 18. 37
Evangelio quid proprium, quid item accidentale, ibid.
Evangelii prædicatione exaltari dicitur Chriſtus, 3. 14
Eutyches hæreticus, 1. 14
Exaltari quomodo dicatur Chriſtus, 3. 14. & 8. 28 & 12. 32
Excæcare hominum corda Deus quomodo dicatur, 12. 40
Excæcatio qua Deus impios percutit quid valeat, 12. 7
Excommunicandi ritus ex vetuſtiſſima Eccleſiæ conſuetudine ortus, 9. 22
Excommunicatio in legitimum uſum revocanda, 16. 2
Excommunicatio, nervus diſciplinæ Eccleſiaſticæ, 12. 42
Excuſationem non habent Judæi, 15. 22
Exemplum dedit nobis Chriſtus, 13. 15
Exemplum Chriſti pro lege habendum, 2. 18
Exivit à Patre Chriſtus, 16. 28. & 27. 8
Exultavit Abraham videre diem Chriſti, 8. 56

F.

Facere ſine me nihil poteſtis, 15. 5
Facta Chriſti non omnia ad imitationem trahenda, 13. 14
Felicitatis noſtræ ſcopum cur in uno ponere Chriſtus, 17. 2
Feſtus dies Hieroſolymis, 4. 46. & 5. 1
Fides initium, quæ, 2. 23
Fides unde certitudinem habeat, 15. 27
Fides ex nobis non provenit, 7. 13
Fides Chriſtum amplectitur ut noſter fiat, 6. 35
Fides in Chriſtum proprie reſpicere debet, 3. 16. & 17. 8
Fides non omnium communis eſt, 6. 36
Fidei effectus qualis, ibid. & 5. 23
Fides in Chriſtum, unica vivendi regula, 6. 29
Fides cur vocetur unicum Dei opus, ibid.
Fides quomodo opus dicatur, ibid.
Fides nihil ad Deum affert, ibid.
Fides non in ſola Chriſti eſſentia hærere debet, 7. 49
Fides noſtra quomodo ad æternam Chriſti divinitatem perveniat, 20. 28
Fides unicum effugiendæ mortis remedium, 3. 18
Fidei anima vita, 3. 27
Fides Deum ab hominum figmentis diſcernit, 17. 3
Fides, mentis oculus, 6. 68
Fides noſtra an ſit plena, nonniſi experimento cognoſcitur, 16. 31
Fides prædeſtinationis teſtis, 6. 40
Fides in Thoma non prorſus extincta, ſed ſuffocata fuit, 20. 28
Fides ex nudis rerum experimentis manare non poteſt, 20. 29
Fides cur dicatur rerum inviſibilium demonſtratio, ibid.
Fidei defectus etiam in optimis multiplices, 11. 38
veræ Fidei experimentum, 9. 6
Fidei noſtræ firmitas in quo conſiſtat, 14. 24
Fidei fructus incomparabilis, 10. 28
Fidei janua quibus præcludatur, 5. 44
Fidei natura, quæ, 4. 28
Fidei ordo qualis à Chriſto deſcribitur, 17. 25
Fidei profeſſio legitima, quæ, 8. 54
Fidei ſcopus & objectum Chriſtus, 14. 1
Fidei ſedes in corde, 5. 24
Fidei noſtræ vera ſtabilitas, 8. 26
Fidei annexa eſt agnitio, 17. 3
Fidem cur ſcientiæ Chriſtus poſtponat, 10. 38
Fidem invadia metu diſſimulare quam ignominioſum apud Deum, 12. 41
Fide nullus Deo cultus acceptior, 1. 31
in Fide duo potiſſimum requiri, 4. 42
in Fide quid præcipuum, 9. 37. & 17. 7
Fidelis & incredulus, 2. 27
Fideles cur aliquando durius à Deo tractentur, 8. 2
Fideles in quem finem Patri reconciliarit Chriſtus, 15. 10
Fideles totos eſſe mundos quomodo intelligendum, 13. 9
Fideles nunquam mori quomodo intelligendum, 11. 29
Fideles ab hypocritis quæ nota diſcernantur, 8. 31
Fideles hodie non minus quam olim ſervat Chriſtus, 17. 12
Fiducia propriæ ſcientiæ nulla deterior peſtis, 7. 28
Fiducia quæ in Chriſtum recumbit, omni timore ſuperior, 12. 14
Fiduciæ certitudo neceſſaria, 3. 18
Filius Dei Chriſtus, 1. 49
Filius hominis Chriſtus quare dicatur, 8. 13
Filii nomen unica in Chriſtum competit, 20. 31
in Filii perſona Deus vult agnoſci, 12. 4
Filii Dei viſibiles duæ diſtinctæ, 1. 5
Filium à ſeipſo non facere quicquam, quomodo intelligendum, 5. 19. 30
Dei Filius non ſibi privatim cultum aſcribit, 14. 8
Filii Dei cur cenſeamur, 1. 14
Filii Dei & filii Diaboli quomodo nominentur, 8. 44
Filii Dei per fidem, 1. 12
Filii diſperſi inter gentes, 11. 52
Filiorum Dei & reproborum moriendi diſcrimen, 19. 30
Filius perditionis, 17. 12
Filii Abrahæ, 8. 37
Flagellis Dei non ſemper metienda hominum peccata, 9. 14
Flagellatum Jeſum tradit Pilatus voluntati Judæorum, 19. 1
Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, 7. 38
Fons Jacob, 4. 6. & 11. 12
Fons aquæ ſalientis in vitam æternam, 4. 14
Fratres Chriſti non credentes, 7. 4. 4
Fructum in vitam æternam congregare, 4. 36
ut Fructum plurimum afferrent Apoſtoli miſſi, 15. 16
Fructum fert qui manet in Chriſto, 15. 4. 5
Functio Chriſti, quæ, 4 34
Fur & latro, 10. 1. 8

G.

à Galilæa propheta non ſurgit, 7. 52
Galilæi Chriſtum excipiunt, 4. 45
Templum in monte Garizim à Manaſſe extructum, 4. 20
in Gazophylacio docet Chriſtus, 8. 20
Gentiles volunt videre Jeſum, 12. 20
Gentiles quomodo Judæis aggregati, 10. 16
Generis humani inſtauratio per Chriſtum, 1. 4
Gloria Chriſti, 1. 14. & 2. 11
Gloria à ſolo Deo quærenda, 5. 44
Gloriam ſuam non quærit Chriſtus, 8. 15. Sed ejus qui miſit illum, 7. 18
Gloriam Dei vidit Jeſaias, 12. 41
da Gloriam Deo, juſjurandum exigendi formula, 9. 24
Gloriam Dei videre, 11. 40
ad Gloriam Dei infirmitas, 11. 4
Gloriam hominum magis quam Dei diligere, 12. 43. & eam ab invicem quærere, 5. 44
Gloriam mittentis ſe quærere, 7. 18
Glorificatus Jeſus, 12. 16
Gradus quinque in verbis Chriſti conſiderandi, 10. 17
Granum frumenti cadens in terram, 12. 24
Gratia & veritas per Chriſtum, 1. 14. 17
Gratiæ Chriſti finis quis, 8. 12
Gratiæ & bonitatis Dei erga nos magnitudo, 19. 17
Gratia plenus Chriſtus, 1. 17
Gratias agere, 11. 2. 3
Gregis Dei in unum colligendi ratio, 10. 16

H.

Homines in quem finem conditi, 1. 4
Hominum in rebus divinis temeritas, 7. 18
Hominum in æſtimandis Dei operibus ingratitudo, 7. 15
Homines quatenus honore proſequendi, 4. 12
communis Hominum morbus in Pilato, 18. 38
Hominum pravitas quanta, 5. 24
Hominum conditio poſt Adæ lapſum, 1. 3
quid ſit in homine novit Chriſtus, 2. 25
Honor quem Deus in lege parentibus deferri jubet, quis, 19. 25
Honorificat Chriſtus patrem, 8. 49
Honorificandus filius, 5. 23
Hora Chriſti, 2. 4. & 7. 30. & 8. 20
Hora Chriſti ut tranſiret ad patrem, 13. 1
Horæ diei duodecim, 11. 9
Hoſanna, 12. 13
Humilitatis vera atque unica regula, 13. 6
Hydriæ lapideæ, 2. 6
Hyperbole in ſacris literis non prorſus abſurda, 21. 24
Hypocriſis exemplum memorabile in Judæis, 18. 8 & 19. 31
Hypocriſi nihil eſt periculoſius, 2. 24
Hypocriſin ſuperbia ſemper ſequitur, 8. 40
Hypocriſis impietatem ſemper ſequitur, 11. 48
Hypocritæ vanis figmentis ſe inebriant, ibid.
Hypocritarum mores, 6. 71
Hypocritæ quomodo Evangelio aſſentiuntur, 3. 23

I.

Jeroſolymam ingrediens Chriſtus inſidet aſinæ, 12. 12
Jeſaiæ locus explicatus, 1. 23. & 12 38
JESUS filius Dei, 20. 31
Ignoratio Dei quam grave malum, 16. 3
Imago Dei Chriſtus, 1. 18. & 5. 22 & 14. 10
Imperia non temere neque hominum errore exorta, 10. 35
Impii ad Dei tribunal vocandi, 5. 29
Impii non ſtatim deregendi, 13. 22. 26
Incredulitas, malorum omnium fons & cauſa quomodo dicatur, 8. 24 & 15. 22
Incredulitas acceſſum ad Deum nobis obſtruit, 11. 16
Incredulus filio non videbit vitam, 3. 36
Infirmitas Chriſti fidem fulcire debet, 14. 1
Infirmitas ob peccata, 5. 14 & 9 2. 3
Infirmitas ad gloriam Dei, 11. 6
Infirmitates noſtras cur in ſe ſuſcipere voluerit Chriſtus, 4. 6
Infirmus qui jam decubuerat triginta & octo annis, ſanatur à Chriſto, 5 9
Infremuit ſpiritu Jeſus, 11. 33. 38
Injuſtitia in Deo non eſt, 7. 18
Innocentia Chriſti quorſum tam ſæpe teſtimonio judicis aſſeratur, 19. 6
Inſufflavit in Apoſtolos Chriſtus, 20. 22
Joannes cur ſic dictus, 1. 6
Joannis de Chriſto præconium, ibid.
Joannes baptizat in Ænon, 3. 23
teſtimonium perhibet de luce, 1. 7
docet ſe non eſſe Chriſtum, 1. 19. & 3. 28
nullum ſignum fecit, 10. 41
Ira Dei ſæpe diu in una domo reſidet, 9. 2
Iræ Dei gravitas adverſus peccatum, 19. 17
ex Itinere fatigatus Chriſtus, 4. 6
Judæi in Dei familiam cooptati, 1. 11
Judæis an pœnitentiam Deus in ſalutem promittat, 19. 37
Judæi cur ſigna quærere dicti, 4. 47
Judæorum cum Samaritanis diſſidium unde ortum, 4. 9
Judæi quid commune nobiſcum habuerint, & quid diverſum, 4. 22
Judæi Chriſtum Regem creare volunt, 6. 15
Judas diabolus, 6. 70. 71
fur, 12. 6
immundus, 13. 11
declaratur futurus proditor, & 13. 21. 26
Judicari mundum à Chriſto quomodo intelligendum ſit, 3. 17
non ut judicet Chriſtus, 12. 47
non judicandum ſecundum faciem, 7. 24
ſecundum carnem, 8. 15
Judicium Spiritus à peccati demonſtratione incipit, 16. 9
Judicium Chriſti juſtum, 5. 30
Judicium Dei quantum à noſtro diſtet, 2. 24
Judicis nomine quid ſignificat Chriſtus, 16. 11
Judicii prætextu inſontem occidere, quovis latrocinio deteſtabilius, 18. 28
in Judicium venire quomodo dicatur Chriſtus, 9. 39
Judicium de iis quæ ad Chriſtum pertinent, ex Scriptura faciendum, 12. 16
Judicium pro imperio & poteſtate, 5. 22. 27
Judicii poteſtatem Evangelio defert Chriſtus, 12 48
Judicii tamen præceps fugiendum, 5. 10
in Judicium non venire quomodo dicantur fideles, 5. 24
in Judicium venit Chriſtus, 9. 39
de Judicio arguet mundum Spiritus ſanctus, 16. 8.
nunc Judicium eſt mundi, 12. 31
Judicium datum filio, 5. 22. 27
Juſtitiam Chriſtus cur in ſuo ad Patrem aſcenſu ſtatuat, 16 10
Juſtitia in expiatione à Chriſto peracta, nobis quærenda, 19. 37

L.

Lachrymatus eſt Jeſus, 11. 33
Lapidare volunt Chriſtum Judæi, 8. 59. & 10. 31
Lapis ſuperpoſitus monumento, 11. 38
Latro & fur, 10. 1. 8
Latrones crucifiguntur cum Jeſu, 19. 18
Latus Chriſto aperitur, 19. 34
Lavat diſcipulorum pedes Chriſtus, 13. 5
Lavare nos Chriſtus quomodo dicatur, 13. 8
Lazarum ſuſcitat Chriſtus, 11. 44
cum Lazaro reſuſcitato cœnat Chriſtus, 12. 2
Lex per Moſen data eſt, 1. 17. & 7. 9
Lex non judicat quemquam niſi. &c. 7. 51
Legis nomine cur Pſalmos deſignet Chriſtus, 15. 25
Legis & Evangelii conſenſus, 10. 8.
Legis anima Chriſtus, 1. 17. & 5. 46
Legis ceremoniæ in quem finem Judæis à Deo mandatæ, 18. 28
Legis cultus partim ſpiritualis, partim carnalis, 4 23
Legis doctrina imperfecta, 4. 25
Legis munus proprium quod, 38. 10
Liberi vere qui, 8. 35
Libertas qualis à Chriſto promittitur, 8. 32
ob Libertatem quam ſtulte glorientur Judæi, 8. 33
Liberi arbitrii impugnatio, 6. 45
Linteamina Chriſti, 20. 7
Literas ſcire, 7. 15
Loculos habebat Judas, 12. 6. & 13. 29
Locum paravit nobis Chriſtus, 14. 2
Locus ex Pſal. 22. expoſitus, 19. 23
Locus ex Zacharia in quem finem ab Evangeliſta adductus, 19. 37
Loqui à ſeipſo, 7. 18
Loquitur Chriſtus ut audivit à Patre, 8. 26. 28. & 12. 50. & 14. 10
Lucerna ardens, Joannes, 5. 35
Lumen vitæ, 8. 12
Luminis quod in corrupta hominum natura reſidet, partes duæ, 9. 3
de Lumine teſtificatur Joannes, 1. 17

Lutum

I N D E X

Eorum quæ his in

EUANGELIUM SECUNDUM JOANNEM

COMMENTARIIS continentur, aut etiam explicantur.

Prior numerus caput, poſterior verſum deſignat.

ABraham totius Eccleſiæ pater, 8. 56
Abraham cur pater multarum gentium dictus, 10. 16
Abraham pater Judæorum, 8. 39
Abrahæ ſemen, 8. 33
Abrahæ filii coram Deo qui, 8. 39
Abrahæ filius, 8. 37. 39
Abraham vidit diem Chriſti, 8. 56
Abſcondit ſe Chriſtus, 8. 9. & 12. 17
Acetum datur Chriſto, 19. 29
in Adam totum genus humanum corruptum, 3. 6
Adoratores veri, 4. 23. 24
Adulteria capite punienda, 8. 11
Adulteria quantum malorum ſecum afferant, *ibid.*
Affectus verus pietatis quis, 20. 24
Affectus pedum nomine deſignantur, 13. 9
Affectus in Chriſto fuerunt voluntarii, 12. 27
Affectus humanos quomodo ſuſceperit Chriſtus, 11. 33
Affectus qui frænandi, 12. 27
Afflictiones Scriptura cur potionibus comparet, 18. 11
Afflictiones propter Chriſtum. 15. 21. & 16 1. 2. 20
Agnus paſchalis ſymbolum ſacrificii Chriſti fuit, 19. 36
Agnus Dei Chriſtus, 7. 29. 36
Agnus quare dictus Chriſtus, 1. 29
Agricola, Pater Chriſti, 5. 12
Ambulat Chriſtus ſuper mare, 6. 19
Amici Chriſti, 15. 14. 15
Amoris nomine fidem deſignat Chriſtus, 16. 27
Amor Dei per Chriſtum in membra Eccleſiæ defluit, 13. 9
Amor quo Chriſtum complectimur, an Dei erga nos amore prior, 14. 21
Amoris divini erga pios ſymbolum & pignus, 7. 23
Amor Dei à præſenti rerum ſtatu non eſt æſtimandus, 11. 5
Amorem noſtri ſequitur fratrum deſpectus, 7. 49
Anabaptiſtæ qualem fingunt Chriſtum, 1. 14
Angeli albis veſtibus induti cur apparent, 20. 12
Angeli aſcendere & deſcendere ſuper Chriſtum quomodo dicantur, 1. 51
Angeli cur vocentur potentiæ aut virtutes, 5. 4
Animam tradere pro fratribus, 3. 16
Animam ponit Chriſtus pro ovibus, 10. 15. 17. Pro amicis ſuis, *ibid.* & 13. 11. A ſeipſo, *ibid.*
Antiquitas quanti facienda, 10. 8
Apollinaris error, 1. 14
Apoſtolorum pietas quæ, 20. 12
Apoſtolis quam à patre accepit authoritatem communicat Chriſtus, 20. 21
Apoſtolus non major mittente, 13. 16
Apoſtoli domos & familias habuerunt, 16. 17
Apoſtolorum labor hodie quoque fructificat, 15. 16
Apoſtolos cum ſanctis Regibus & Prophetis quomodo comparet Chriſtus, 20. 29
Apoſtolis proſperum ſucceſſum Chriſtus promittit, 13. 16
Apoſtolorum triſtitia quomodo in gaudium converſa, 16. 20
Apprehendere Chriſtum quærunt Judæi, 7. 30. 32. & 10. 39. & 11. 57
Aqua viva, 4. 10. Saliens in vitam æternam, 4. 14
Aquas de ventre credentium fluere quomodo intelligendum, 7. 38
Aquam ex Chriſti latere fluxiſſe cur tam diligenter inculcat Euangeliſta, 19. 34
Arii improbitas, 1. 1
Aromatibus ungitur corpus Chriſti, 19. 41
Aſcendere in cœlum quid ſignificet, 3. 13
Audire à patre & diſcere, 6. 45
Audiendus eſt Deus per quoſcunque nobis loquatur, 8. 34. & 10. 11
Audire verbum Dei, & credere, 5. 24
mortuos Audire vocem Filii Dei quid ſignificet, 5. 25

B.

BAptizandi partes quam recte mulieribus tribuantur, 20. 17
Baptiſmus Joannis, 1. 16
Baptiſmus ex miniſtri perſona non eſt æſtimandus, 4. 2
Baptizant diſcipuli Chriſti, 8. 12. 42
Barrabas à Judæis poſtulatur, 18. 40
Benedictio Dei in laboribus manuum noſtrarum expectanda, 21. 8
in Beneficiis Dei reputandis quam evanida ſit hominum memoria, 14. 12
Beneficiis Dei abuti quam periculoſum, 13. 27
Bethlehem civitas David, 7. 42
Betheſda piſcina unde dicta, 5. 2
Blaſphemiæ ſpecies duæ, 10. 33
Bohemi taxati, 6. 53
Bonorum omnium quæ habet pater per Chriſtum participes ſumus, 16. 13
Bonorum omnium affluentis Chriſto cur in manum data, 6. 11
Bonorum quæ à Chriſto & Spiritu percipimus, diſcrimen, 14. 17
Boni quid per Chriſtum nobis obtigit, 12. 14
Buccella, 13. 27

C.

CÆcitas qua percutiuntur reprobi, non tam à Chriſto quam ab hominum vitio eſt, 12. 39
Cæcitatis quæ pluribus ſeculis mundo incubuit, cauſa, 11. 35
Cæco à nativitate aperiuntur oculi Sabbatho, 6. 4. & 9. 1
Cæli aperti, 1. 51
in Cœlum nemo aſcendit niſi Filius hominis, 3. 13
Cajaphas pontifex prophetat, 11. 49. ad eum ducitur Chriſtus, 18. 19 24
Calicem Chriſti bibere, 18. 11
Calicem à Deo datum non reſpuunt qui morbis quærunt remedia, *ibid.*
Caro non prodeſt quicquam, 6. 63
non ex Carnis & viri voluntate natus, 1. 13
Caro quod ex carne natum, 3. 6
Caro pro externa hominis ſpecie, 8. 15
Caro Chriſti quo ſenſu dicatur vivifica, 6. 51. 63
Carnis & ſpiritus diſſidium in ſe ſentiunt fideles, 21. 18
Carnalis propinquitas quanti facienda, 7. 5
Caſtigationum Dei profectus in nobis tardus, 6. 14
Cephas qui & Simon, 1. 42
Ceremoniæ abſque Dei verbo mortuæ, 19. 40
Charitatis præceptum cur novum appellet Chriſtus, 13. 34
Charitatis neglectus unde naſcatur, 13. 18
Charitatis regulam qualem præſcripſerit Chriſtus, *ibid.*
Chriſtianiſmi definitio, 1. 47
Chriſtum terreſtria loqui. quo ſenſu dicatur, 3. 12
Chriſti præcipuum officium, 1. 29
Chriſtus manet in æternum, 12. 34
Chriſtus ex ſemine David, 7. 42
Chriſti recipiendi modus, 1. 12
Cibus permanens in vitam æternam, 6. 27
Cibus Chriſti, 4. 36. 34
Circumciſio ex patribus, 7. 22
Claritatem ab hominibus accipere, 5. 41
Clarificatus filius hominis, 13. 31
Clarificatus Deus, 13. 8
Cingendi verbo quid ſignificet Chriſtus, 21. 18
in Cœna cur calicem adjunxit Chriſtus, 6. 53
Cœnat Chriſtus cum Lazaro, 12. 2
Cognitio Dei, 1. 17
Colaphis cæditur Chriſtus, 18. 22. & 19. 3
Colere Deum noſtris figmentis quam præpoſterum, 19 39
Confidite quid, 16. 32
Confeſſio à fide non ſeparanda, 12. 42
Conjunctionis quam cum Chriſto habemus fructus & effectus, 20. 17
Conſcientiarum tranquillitas unde naſcatur, 15. 12
Conſcientia trepidæ exemplar notabile in Pilato, 19. 8
Conſilium ex ſenſu carnis quam periculoſum, 11 49
Conſtantiam ſuorum quo præmio dignetur Chriſtus, 8. 32
à Conſtitutione mundi, 17 24
Contaminari, 18. 28
Contriſtatum iri diſcipulos prædicit Chriſtus, 16. 20
Cor hominis non abs re fraudulentum vocatur, 19. 10
in Cor Judæ miſit diabolus ut. &c. 13. 2
Corona de ſpinis, 19. 2
Corpus Chriſti involvitur ſindone, 19. 40
Judæos non poſſe credere quomodo dictum, 12. 39
Credere in Chriſtum quomodo dicamur, 7. 38
Credendi verbum pro agnoſcere ab Euangeliſta poſitum, 17. 21
Credere in Chriſtum, vel in filium Dei, aut in nomine ejus, 3. 18. & 6. 69. & 9. 36 & 11. 42. & 12. 44. & 17. 8
Credere in Chriſtum, opus Dei, 6. 29
Credere quare non poterant Judæi, 10. 23. & 12 39
Credens in Chriſtum non perit, 3. 15. ſed habet vitam æternam, 1. 37. & 6. 47. & 10. 41 non morietur in æternum, 11. 26. opera Chriſti faciet & majora, 14. 12
Crucis humilitas multis offendiculo eſt, 1. 46
Crucis horror ſi nos à ſequendo Chriſto deterreat, quam pudendum, 19. 25
Cultus quem Deus à nobis requirit regula, 5. 24
Cultus divini lex unde petenda, 18. 39
Cura de fratribus non ſemper ſupervacua, 11. 12
Curioſitatis noxiæ exemplum in Petro, 21. 20

D.

DAvid perſonam Chriſti ſuſtinuit, 19. 28
Deliberandi pie & ſancte ratio, 11. 41
Deorſum ſive de mundo, & è ſupernis quid, 8. 23
Deum veracem quo ſenſu appellet Chriſtus, 7. 28
Deus inviſibilis, 1. 13. pater Jeſu Chriſti, 5. 17
Deum de filio ſuo teſtatum fuiſſe quo modo intelligendum, 5. 37
Dei notitia ante regenerationem qualis, 3. 6
Dei agnitio extra Chriſtum quæ, 6. 46
Deus eſt ſpiritus, quomodo intelligendum, 4. 24
Diabolus an natura mendax, 8. 44
Diem Chriſti vidit Abraham, 8. 56
quomodo Dilexerit Deus mundum, 3. 16
Diligit nos Chriſtus, 15 4
Diligit pater filium, 3. 16. & 10. 17. & 17. 24
Diligere Chriſtum & mandata ejus ſervare, 14. 13
Diligere proximum, invicem, alterutrum, 13. 34
Dilectio inter verbi miniſtros neceſſaria, 15. 17
Dilectione mutua cognoſcuntur Chriſti diſcipuli, 13. 35
Dilectio, præceptum Chriſti, 15. 12. 17
Dilectio maxima quæ, 15. 13
Dilectio qua nos proſequitur Deus, non alia quam qua Chriſtum diligit, 17. 26
Diſcere à patre, 6. 45
Diſcipulos qua nota à mundo diſcernat Chriſtus, 14. 22. & 17. 22
veri Diſcipuli Chriſti, 8. 31
Diſcipulus non eſt ſupra magiſtrum, 13. 26
Diſcipuli Chriſti abeuntes retro, 6. 66
Diſcipuli Chriſto credunt, 2. 11. In medio eorum ſtat Jeſus, 20. 19
Diſperſi in propria, 16. 32
Diſperſi filii Dei, 11. 52
Diſperſio gentium, 7. 35
Diſſenſio propter Chriſtum, 7. 43. & 10. 19
Divinitas Chriſti poſt ejus aſcenſum potentius ſe exeruit, 14. 12
Divinitas Chriſti æterna, 1. 1
ad Divitias ſpiritus obtinendas quinam à Chriſto vocentur, 7. 37
niſi Datum de cælo, nemo poteſt accipere quicquam, 3. 27
Datum à patre venire ad Chriſtum, 6 65
Docuit Chriſtus in ſynagoga & in templo, 18. 20
Docebit Spiritus veritatis omnem veritatem, 16 13
Docti à Deo, 6. 45
Docet ſedens Chriſtus, 8. 2
Docendi modus Deo duplex, 14 25
Doctor unicus Eccleſiæ Chriſtus, 20. 16
Doctores Eccleſiæ formare, unius Chriſti eſt, 20. 22
Doctores Eccleſiæ qua animi magnitudine præditos eſſe conveniat, 7. 28. & 8. 29. & 16 3
Doctorum authoritas unde pendeat, 3. 2
in Doctrina quid præcipuum, 7. 45
Doctrinam ſuam Chriſtus quomodo patris eſſe dicat, 7. 16
de Doctrina interrogatur à Cajapha Chriſtus, 18. 19
Doctrina Chriſti cultores in dies proficiunt, 14. 12
Doctrina Chriſti, lapis offenſionis incredulis, 6 66
Doctrinæ Apoſtolorum qui aliquid addendum putant, in Spiritum blaſphemi ſunt, 16. 13
In Doctrina Apoſtolorum nobis acquieſcendum, *ibid.*
Doctrinam amplecti peculiare Dei donum eſt, 6. 44
Doctrinæ ſpiritualis authoritas unde petenda, 7. 16
Doctrinæ examinandæ ratio, 7. 18
Doctrinæ contemptus pios conturbat, 15 20
Doctrina Chriſti malleus erit incredulis, 6 60
inter Doctrinam generalem & hypotheſes ſedulo diſtinguendum, 19. 7
Doctrinæ Chriſti ſcopus quis, 16. 15
Dolus quid ſignificet apud Joannem, 1. 47
Dominus & magiſter, Chriſtus, 13. 12
Domini nomen quo ſenſu Scriptura Deo tribuat, 20. 28
Domus orationis, 2. 6
Domum Dei, 4. 20
Dormitio ſomni, 11. 13
Dormire, pro mortuum eſſe, 11. 12. 13. 14
Duodecim elegit Chriſtus, 6 7
Durus ſermo, 6. 60

E.

ECcleſiæ unitas nuſquam quam in Scriptura fide fundata, 19. 23
Eccleſia quomodo reſtitui poſſit, 6 43
in Eccleſiæ regimine quid maxime expetendum, 10. 11
Eccleſiæ nulli hoſtes magis infenſi quam domeſtici, 13. 18
Eccleſiæ legem ſuo exemplo Chriſtus præſcribit, 8. 26
tum cognoſcetis quod Ego ſum, 8. 28
Egenis dat Chriſtus, 13. 29
Elegit duodecim Chriſtus, ex quibus unus diabolus eſt, 6. 70
ſcio quos Elegerim, 13. 18
Elegi vos ut fructum afferatis, 15. 16
Elegi vos de mundo, 15. 19
Elegit Deus ex hoſtibus ſuis qui ipſum ament, 14. 22
Electi cur Deo curæ ſint, 17. 10
Electi à reprobis quomodo diſcernantur, 17. 6
qua nota diſcernantur, 5. 29. & 6. 37
Electos Deus occulto fræno retinet, 20. 28
ſolis Electis vitam dat Chriſtus, 17. 3
in Electis Dei Spiritus arcano modo operatur, 20 9

Electis quam firma conſtet ſalutis ſuæ certitudo, 10. 29
Electio ſine fide mutila, 6. 40
Electionis notitia peccandi ſtudium in nobis acuere non debet, 17. 9
Electionis ſpecies duæ, 15. 16
Elias cur Joannes dictus ſit, 1. 21
Encænia Hieroſolymis, 10. 22
Errandi finis nullus, niſi verbo Dei adhæreamus, 11. 35
Errores inter diſcipulos ex verbis Chriſti male intellectis, ibid.
non Eſurire & ſitire in æternum, 6. 35
Evangeliſtæ quæ ſcripta complexi ſunt, ad ſalutem ſufficiunt, 21. 24
Evangelium in quo maxime à profana philoſophia differat, ibid.
Evangelii fructus quis, 8. 32
Evangelium cur meſſis vocetur, 4. 36
ad Evangelii doctrinam capiendam homines quomodo comparentur, 5. 44
Evangelii miniſtri non tantum à profeſſis fidei hoſtibus male tractantur, 16. 2
Evangelii miniſtris ligandi poteſtas quatenus data, 3. 36
Evangelium cur à pleriſque contemnatur, 9. 22
Evangelio cur tam pauci credant, 6. 65 & 7. 17
Evangelii prædicatio nunquam inutilis, 7. 46
Evangelii prædicatio vocatur Chriſti ad nos deſcenſus, 7. 33
Evangelium reſpuentium finis quis, 8. 21
Evangelii miniſterium triplex, 20. 9
Evangelii doctrina nonniſi reprobis obſcura, 9. 18
Evangelii prædicandi finis quis, 16. 29
Evangelio quid proprium, quid item accidentale, ibid.
Evangelii prædicatione damnari dicitur Chriſtus, 3. 19
Eutyches hæreticus, 1. 14
Exaltari quomodo dicatur Chriſtus, 3. 14. & 8. 28 & 12 32
Excæcare hominum corda Deus quomodo dicatur, 12. 40
Excæcatio qua Deus impios percutit quid valeat, 18. 7
Excommunicandi ritus ex vetuſtiſſima Eccleſiæ conſuetudine ortus, 9. 22
Excommunicatio in legitimum uſum revocanda, 16. 2
Excommunicatio, nervus diſciplinæ Eccleſiaſticæ, 12. 42
Excuſationem non habent Judæi, 15. 22
Exemplum dedit nobis Chriſtus, 13. 15
Exemplum Chriſti pro lege habendum, 2. 18
Exivit à Patre Chriſtus, 16. 28. & 17. 8
Exultavit Abraham videre diem Chriſti, 8. 56

F.

Facere ſine me nihil poteſtis, 15. 5
Facta Chriſti non omnia ad imitationem trahenda, 13. 14
Felicitatis noſtræ ſcopum cur in unitate poſuit Chriſtus, 17. 2
Feſtus dies Hieroſolymis, 4. 45. & 5. 1
Fides mortua, quæ, 2. 23
Fides unde certitudinem habeat, 15. 27
Fides ex nobis non provenit, 8. 33
Fides Chriſtum amplectitur ut noſter ſiat, 6. 35
Fides in Chriſtum proprie reſpicere debes, 3. 14. & 17. 8
Fides non omnium communis eſt, 9. 36
Fidei effectus qualis, ibid. & 3. 21
Fides in Chriſtum, unica vivendi regula, 6. 29
Fides cur vocetur unicum Dei opus, ibid.
Fides quomodo opus dicatur, ibid.
Fides nihil ad Deum affert, ibid.
Fides non in ſola Chriſti eſſentia hærere debet, 1. 49
Fides noſtra quomodo ad æternam Chriſti divinitatem perveniat, 20. 18
Fides unicum effugiendæ mortis remedium, 3. 18
Fides animæ vita, 5. 27
Fides Deum ab hominum figmentis diſcernit, 17. 3
Fides, mentis oculus, 6. 69
Fides noſtra an ſit plena, nonniſi experimento cognoſcitur, 16. 31
Fides prædeſtinationis teſtis, 6. 40
Fides in Thoma non prorſus extincta, ſed ſuffocata fuit, 20. 28
Fides ex nudis rerum experimentis manare non poteſt, 20. 29
Fides cur dicatur rerum inviſibilium demonſtratio, ibid.
Fidei defectus etiam in optimis multiplices, 11. 39
veræ Fidei experimentum, 9. 6
Fidei noſtræ firmitas in quo conſiſtat, 14. 24
Fidei fructus incomparabilis, 10. 28
Fidei janua quibus præcludatur, 5. 44
Fidei natura, quæ, 4. 28
Fidei ordo qualis à Chriſto deſcribitur, 17. 23
Fidei profeſſio legitima, quæ, 8. 54
Fidei ſcopus & objectum Chriſtus, 14. 1
Fidei ſedes in corde, 5. 24
Fidei noſtræ vera ſtabilitas, 8. 16
Fidei annexa eſt agnitio, 17. 3
Fidem cur ſerentis Chriſtus poſtponat, 10. 38
Fidem invidiæ metu diſſimulare quam ignominioſum apud Deum, 12. 43
Fide nullus Deo cultus acceptior, 3. 33
in Fide duo potiſſimum requiri, 4. 42
in Fide quid præcipuum, 9. 17. & 17. 7
Fidelis & incredulus, 3. 27
Fideles cur aliquando durius à Deo tractentur, 2. 2
Fideles in quem finem Patri reconciliarit Chriſtus, 15. 10
Fideles totos eſſe mundos quomodo intelligendum, 13. 9
Fideles nunquam mori quomodo intelligendum, 11. 25
Fideles ab hypocritis quæ nota diſcernantur, 8. 31
Fideles hodie non minus quam olim ſervat Chriſtus, 17. 12
Fiducia propriæ ſcientiæ nulla deterior peſtis, 7. 28
Fiducia quæ in Chriſtum recumbit, omni timore ſuperior, 12. 14
Fiduciæ certitudo neceſſaria, 3. 18
Filius Dei Chriſtus, 1. 49
Filius hominis Chriſtus quare dicatur, 3. 13
Filii nomen unice in Chriſtum competit, 20. 31
in Filii perſona Deus vult agnoſci, 12. 45
Filii Dei [illegible] diſtinctio, 1. 1
Filium à ſeipſo non facere quicquam, quomodo intelligendum, 5. 19. 30
Dei Filius non ſibi privatim cælum poſſidet, 14. 2
Filii Dei cur cenſeamur, 1. 12
Filii Dei & filii Diaboli quomodo nominentur, 8. 44
Filii Dei per fidem, 1. 12
Filii diſperſi inter gentes, 11. 52
Filiorum Dei & reproborum moriendi diſcrimen, 19. 30 Filius perditionis, 17. 12
Filii Abrahæ, 8. 37
Flagellis Dei non ſemper metienda hominum peccata, 9. 3
Flagellatum Jeſum tradit Pilatus voluntati Judæorum, 19. 1
Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, 7. 38
Fons Jacob, 4. 6. & 11. 38
Fons aquæ ſalientis in vitam æternam, 4. 14
Fratres Chriſti non credentes, 7. 3. 4
Fructum in vitam æternam congregare, 4. 36
ut Fructum plurimum afferrent Apoſtoli miſſi, 15 16
Fructum fert qui manet in Chriſto, 15. 5
Functio Chriſti, quæ, 4. 34
Fur & latro, 10. 1. 8

G.

à Galilæa propheta non ſurgit, 7. 52
Galilæi Chriſtum excipiunt, 4. 45
templum in monte Garizim à Manaſſe extructum, 4. 20
in Gazophylacio docet Chriſtus, 8. 20
Gentiles volunt videre Jeſum, 12. 20
Gentiles quomodo Judæis aggregati, 10. 16
Generis humani inſtauratio per Chriſtum, 1. 4
Gloria Chriſti, 1. 14. & 2. 11
Gloria à ſolo Deo quærenda, 5. 44
Gloriam ſuam non quærit Chriſtus, 8. 50. Sed ejus qui miſit illum, 7. 18
Gloriam Dei vidit Jeſaias, 12. 41
da Gloriam Deo, juſjurandum exigendi formula, 9. 24
Gloriam Dei videre, 11. 40
ad Gloriam Dei infirmitas, 11. 4
Gloriam hominum magis quam Dei diligere, 12. 43. & eam ab invicem quærere, 5. 44
Gloriam mittentis ſe quærere, 7. 18
Glorificatus Jeſus, 12. 16
Gradus quinque in verbis Chriſti conſiderandi, 12. 47
Granum frumenti cadens in terram, 12. 24
Gratia & veritas per Chriſtum, 1. 14. 17
Gratiæ Chriſti finis quis, 8. 12
Gratiæ & bonitatis Dei erga nos magnitudo, 15. 17
Gratia plenus Chriſtus, 1. 17
Gratias agere, 11. 41
Gregis Dei in unum colligendi ratio, 10. 16

H.

HOmines in quem finem conditi, 1. 4
Hominum in rebus divinis temeritas, 7. 12
Hominum in æſtimandis Dei operibus ingratitudo, 7. 15
Homines quatenus honore proſequendi, 4. 13
communis Hominum morbus in Pilato, 18. 38
Hominum pravitas quanta, 3. 24
Hominum conditio poſt Adæ lapſum, 3. 5
quid ſit in homine novo Chriſtus, 2. 25
Honor quem Deus in lege parentibus deferri jubet, quis, 19. 25
Honorificat Chriſtus patrem, 8. 49
Honorificandus filius, 5. 23
Hora Chriſti, 2. 4. & 7. 30. & 8 20
Hora Chriſti ut tranſiret ad patrem, 13. 1
Horæ diei duodecim, 11. 9
Hoſanna, 12. 13
Humilitatis vera atque unica regula, 13. 6
Hydriæ lapideæ, 2. 6
Hyperbole in ſacris literis non prorſus abſurda, 21. 24
Hypocriſis exemplum memorabile in Judæis, 18. 8 & 19. 33
Hypocriſi nihil eſt periculoſius, 2. 24
Hypocriſin ſuperbia ſemper ſequitur, 9. 40
Hypocriſis impietatem ſemper ſequitur, 12. 42
Hypocritæ variis figmentis ſe inebriant, ibid.
Hypocritarum mores, 6. 73
Hypocritæ quomodo Evangelio aſſentiuntur, 2. 23

I.

JEroſolymam ingrediens Chriſtus inſidet aſino, 12. 12
Jeſaiæ locus explicatus, 1. 23. & 12 38
JESUS filius Dei, 20. 31
Ignoratio Dei quam grave malum, 16. 3
Imago Dei Chriſtus, 1. 18 & 3. 21 & 14 10
Imperia non temere neque hominum errore exorta, 10. 35
Impii ad Dei tribunal vocandi, 5. 29
Impii non ſtatim deregendi, 13. 28. 28
Incredulitas, malorum omnium fons & cauſa quomodo dicatur, 8. 24 & 15. 18
Incredulitas acceſſum ad Deum nobis obſtruit, 11 14
Incredulus filio non videbit vitam, 3. 36
Infirmitas Chriſti fidem fulcire debet, 14 1
Infirmitas ob peccata, 5. 14. & 9. 2. 3
Infirmitas ad gloriam Dei, 11. 4
Infirmitates noſtras cur in ſe ſuſcipere voluerit Chriſtus, 4. 6
Infirmus qui jam decubuerat triginta & octo annis, ſanatur à Chriſto, 5. 9
Infremuit ſpiritu Jeſus, 11. 33 38
Injuſtitia in Deo non eſt, 7. 18
Innocentia Chriſti quorſum tam ſæpe teſtimonio judicis aſſeratur, 19. 6
Inſufflavit in Apoſtolos Chriſtus, 20. 22
Joannes cur ſic dictus, 1. 6
Joannis de Chriſto præconium, ibid.
Joannes baptizat in Ænon, 3. 23
teſtimonium perhibet de luce, 1. 7
docet ſe non eſſe Chriſtum, 1. 19. & 3. 28
nullum ſignum fecit, 10. 41
Ira Dei ſæpe diu in una domo reſidet, 9. 2
Iræ Dei gravitas adverſus peccatum, 19 17
ex Itinere fatigatus Chriſtus, 4. 6
Judæi in Dei familiam cooptati, 1 12
Judæis an pœnitentiam Deus in ſalutem promittat, 19 37
Judæi cur ſigna quærere dicti, 4. 47
Judæorum cum Samaritanis diſſidium unde ortum, 4. 9
Judæi quid commune nobiſcum habuerint, & quid diverſum, 4 22
Judæi Chriſtum Regem creare volunt, 6 15
Judas diabolus, 6 70. 71
fur, 12. 6
[illegible], 13. 27
declaratur futurus proditor, & 13 21 26
Judicari mundum à Chriſto quomodo intelligendum ſit, 3 17
non ut Judicet Chriſtus, 12 47
non Judicandum ſecundum faciem, 7. 24
ſecundum carnem, 8. 15
Judicium Spiritus à peccati demonſtratione incipit, 16 9
Judicium Chriſti juſtum, 5. 30
Judicium Dei quantum à noſtro diſtet, 8. 24
Judicii nomine quid ſignificat Chriſtus, 16. 11
Judicii prætextu inſontem occidere, quovis latrocinio deteſtabilius, 19 15
in Judicium venire quomodo dicatur Chriſtus, 9. 39
Judicium de iis quæ ad Chriſtum pertinent, ex Scriptura faciendum, 12. 16
Judicium pro imperio & poteſtate, 5. 22. 27
Judicii poteſtatem Evangelio defert Chriſtus, 12 48
Judicium præceps fugiendum, 3 19
in Judicium non venire quomodo dicantur fideles, 5. 24
in Judicium venit Chriſtus, 9. 39
de Judicio arguet mundum Spiritus ſanctus, 16. 8
nunc Judicium eſt mundi, 12. 31
Judicium datum filio, 5. 22. 27
Juſtitiam Chriſtus cur in ſuo ad Patrem aſcenſu ſtatuat, 16. 10
Juſtitia in expiatione à Chriſto peracta, nobis quærenda, 19. 27

L.

LAcrymatus eſt Jeſus, 11. 35
Lapidare volunt Chriſtum Judæi, 8. 59. & 10 31
Lapis ſuperpoſitus monumento, 11. 38
Latro & fur, 10. 1. 8
Latrones crucifiguntur cum Jeſu, 19. 18
Latus Chriſto aperitur, 19. 34
Lavat diſcipulorum pedes Chriſtus, 13. 5
Lavare nos Chriſtus quomodo dicatur, 13. 8
Lazarum ſuſcitat Chriſtus, 11. 44
cum Lazaro reſuſcitato cœnat Chriſtus, 12. 2
Lex per Moſen data eſt, 1. 17. & 7. 19
Lex non judicat quemquam niſi, &c 7. 51
Legis nomine cur Pſalmos deſignet Chriſtus, 15. 25
Legis & Evangelii conſenſus, 10. 8
Legis anima, Chriſtus, 1. 17 & 5 46
Legis ceremoniæ in quem finem Judæis à Deo mandatæ, 18. 28
Legis cultus partim ſpiritualis, partim carnalis, 4 23
Legis doctrina imperfecta, 4. 25
Legis munus proprium quod, 15. 10
Liberi vere qui, 8. 36
Libertas qualis à Chriſto promittitur, 8. 32
ob Libertatem quam ſtulte glorientur Judæi, 8. 33
Liberi arbitrii impugnatio, 6. 45
Linteamina Chriſti, 20. 7
Literas ſcire, 7. 15
Loculos habebat Judas, 12. 6. & 13. 29
Locum paravit nobis Chriſtus, 14. 2
Locus ex Pſal 22. expoſitus, 19. 23
Locus ex Zacharia in quem finem ab Evangeliſta adductus, 19 37
Loqui à ſeipſo, 7. 18
Loquitur Chriſtus ut audivit à Patre, 8. 26. 28. & 12. 50. & 14. 10
Lucerna ardens, Joannes, 5. 35
Lumen vitæ, 8. 12
Luminis quod in corrupta hominum natura reſidet, partes duæ, 1. 5
de Lumine teſtificatur Joannes, 1. 7

Lutum

Digitized by Google

18. *Amen amen dico tibi.*] Poſtquam hortatus eſt Chriſtus Petrum ad paſcendas oves, eundem quoque armat ad obeundam quæ inſtabat militiam. Ita non modo exigit ab eo fidem ac diligentiam, ſed invictum animum in periculis & conſtantiam in toleranda cruce: deinde ad mortem obeundam, ubi opus fuerit, paratum eſſe jubet. Etſi autem non æqualis eſt Paſtorum omnium conditio, convenit tamen admonitio hæc omnibus aliqua ex parte. Parcit Dominus multis, & ab eorum ſanguine abſtinet, hoc uno contentus quod dum vivunt, bona fide ſe totos illi conſecrant. Sed quia novas ſubinde pugnas & multiplices movet Satan, neceſſe eſt ad mortem paratos eſſe quicunque paſcendi munus ſuſcipiunt: ut certe illis negotium eſt non ſolum cum ovibus, ſed etiam cum lupis. Quod ad Petrum ſpectat, voluit eum Chriſtus de exitu ſuo præmonitum, ut aſſidue meditaretur ſanciendam eſſe demum proprio ſanguine doctrinam cujus erat miniſter. Quanquam videtur Chriſtus in his verbis non ejus tantum habuiſſe reſpectum, ſed martyris elogio apud alios ornaſſe, acſi dixiſſet fore longe alium athletam quam ſe præſtiterat. *Quum eſſes junior.* Videtur ſenectus quieti & otio eſſe deſtinata: quare vacatio ſenibus dari ſolet ab oneribus publicis, & milites fiunt emeriti. Poterat ergo Petrus ſibi in illa ætate promittere tranquillum vitæ ſtatum: contra pronuntiat Chriſtus inverſum iri naturæ ordinem, ut qui ſuo arbitrio juvenis vixerat, ſenex alieno regatur, & quidem violentum imperium ferat. Cæterum in Petro inſigne habemus communis noſtræ ſortis ſpeculum. Multis commoda eſt ac jucunda vitæ ratio antequam à Chriſto vocentur: ſimulac nomen illi dederunt, ac recepti ſunt in diſcipulos, vel ſaltem aliquanto poſt tempore, trahuntur ad graves pugnas, ad tumultuoſam vitam, ad ingentia pericula, interdum ad ipſam quoque mortem. Hæc conditio tametſi dura eſt, non tamen ægre ferenda. Interea ſic temperat Dominus crucem qua vult ſervos ſuos experiri, ut illis tantiſper indulgeat dum maturuerit eorum virtus. neque enim ignota eſt illi eorum infirmitas ultra cujus modum eos non urget. Sic Petro ignovit quamdiu tenerum adhuc atque imbellem eſſe ipſum videbat. Diſcamus ergo nos illi ad extremum uſque ſpiritum offerre, modo robur ſuppeditet. Qua in re fœda multorum ingratitudo apparet. Nam quo mitius nobiſcum agit Dominus, eo magis aſſueſcimus ad perpetuam mollitiem. Ita vix centeſimus quiſque reperitur qui non obſtrepat, ſi poſt longam indulgentiam durius tractetur. Atqui potius reputanda erat Dei humanitas, quod nobis ad tempus parcit. Ita dicit
Matth. 9. verſ. 15. Chriſtus ſe, quamdiu in terris verſatus eſt, diſcipulos ſuos hilariter habuiſſe, acſi nuptiis intereſſent, quos poſtea manebant jejunia & lachrymæ. *Alius te cinget.* Multi genus mortis notari putant, quod extenſis brachiis ſuſpenſus fuerit: verum ego ſimpliciter cingendi verbo comprehendi interpretor externas omnes actiones quibus ſe & vitam ſuam homo componit. *Cingebas te.* hoc eſt, induebas prout libitum erat: poſthac autem tolletur hæc formandi habitus libertas. Porro quo ſupplicii genere affectus fuerit Petrus, neſcire præſtat, quam dubiis fabulis habere fidem. *Ducet quo non vis.* Senſus eſt, Petrum non ſuo fato, ſed vi & gladio moriturum. Sed videtur abſurdum quod Chriſtus mortem ejus voluntariam fore negat. nam ut nulla conſtantia, ſic nulla martyrii laus ubi quis ad mortem invitus rapitur. Verum hoc ad diſſidium carnis & ſpiritus, quod ſentiunt in ſe fideles, referri debet. nunquam enim tam libero ſolutoque affectu obſequimur Deo, quin mundus & caro velut funiculis quibuſdam in contrarium nos retrahant. Unde illa Pauli querimonia, Rom. 7.
Non quod volo bonum, hoc facio, &c. Præterea verſ. 19.
notandum eſt, naturaliter omnibus inſitum eſſe mortis horrorem: quia naturæ repugnat velle diſſolvi. Itaque Chriſtus, etſi toto corde compoſitus erat ad parendum Deo, mortem tamen deprecatur. Adde quod Petro formidabiles erant cruciatus ex hominum ſævitia. quare nihil mirum ſi mortem aliquatenus refugerit. Sed in eo clarius probabit quam Deo obedientiam præſtabat, quod mortem, quam per ſe libenter fugiſſet, ſponte tamen obiit: quia ſciebat ita placere Deo, neque enim ulla fuiſſet patientia abſque animi paſſione. Atque hæc cognitu valde utilis eſt doctrina. Nam & nos ad preces ſolicitat: quia nunquam abſque ſingulari Dei auxilio vincere poſſemus mortis timorem: ideoque nihil reſtat niſi ut ſuppliciter nos offeramus illi regendos. Deinde valet ad ſublevandas mentes noſtras, ne prorſus concidant ſi quando trepidare in perſequutionibus contigerit. Qui martyres nullo fuiſſe tactos metu fingunt, deſperationis materiam ſumunt ex proprio metu. Atqui non eſt quod à ſequendo illorum exemplo nos deterreat noſtra infirmitas, cui ſimilem experti ſunt, ut non poſſent niſi ſecum pugnando, de hoſtibus veritatis triumphum agere.

19. *Significans qua morte.*] Magnum habet pondus hæc periphraſis. Etſi enim ſcopum hunc piis omnibus propoſitum eſſe decet ut Deum tam vita quam morte ſua glorificent, voluit tamen Joannes peculiari elogio ornare eorum mortem qui ſanguine ſuo Evangelium Chriſti obſignant nomenque illuſtrant: ſicuti Paulus docet, Philipp. 1. verſ. 19. Jam vero noſtrum eſt quem mors Petri fructum protulit colligere. nam ignaviæ noſtræ culpa eſt niſi inde confirmatur fides noſtra, & eodem etiam tendimus, ut per nos illuſtretur Dei gloria. Hunc finem ſi conſideraſſent Papiſtæ in morte martyrum, nunquam illis ſacrilegum illud & deteſtabile commentum veniſſet in mentem, valere ad iram Dei placandam, pretiumque pro peccatis ſolvendum.

Et quum hoc dixiſſet.] Hic exponit Chriſtus quorſum illa violentæ mortis prædictio ſpectaret, nempe ut ſe Petrus ad tolerantiam compararet. Quando, inquit, mors tibi ſubeunda eſt meo exemplo, ſequere ducem tuum. Cæterum quo libentius Deo ad crucem vocanti Petrus obtemperet, ducem ſe Chriſtus proponit. Neque enim generalis eſt exhortatio qua eum ad ſui imitationem invitet, ſed tantum agit de ſpecie mortis. Hoc autem unum quicquid acerbitatis in morte eſt non parum mitigat, dum ſe ante oculos noſtros offert Filius Dei cum beata ſua reſurrectione, quæ triumphus eſt noſter contra mortem.

20. Converſus autem Petrus videt diſcipulum quem diligebat Jeſus, ſequentem: qui
& recubuit in Cœna ſuper pectus ejus, & dixit, Domine quis eſt ille qui tradit te? ſupr. 13. verſ. 23.
21. Hunc ergo quum vidiſſet Petrus, dixit Jeſu, Domine, hic autem quid?
22. Dicit ei Jeſus, Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me ſequere.
23. Exiit ergo ſermo inter fratres quod diſcipulus ille non moreretur: & non dixerat ei Jeſus quod non moreretur: ſed, Si volo eum manere donec veniam, quid ad te?
24. Hic eſt diſcipulus ille qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc: & ſcimus quod verum eſt teſtimonium ejus.
25. Sunt autem & alia multa quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcribantur ſingulatim, ne ipſum quidem mundum capturum arbitror eos qui ſcriberentur libros.

20. *Converſus Petrus.*] Habemus in Petro noſtræ non modo ſupervacuæ, ſed etiam noxiæ curioſitatis exemplum, quod aliorum intuitu ab officio noſtro abſtrahimur. Eſt enim nobis fere innatum, ut alienæ potius quam vitæ noſtræ rationem exigendo, vana inde captemus effugia. Hoc enim excuſationis colore ultro nos decipimus, quod non ſint alii meliores: quaſi vero nos eorum ignavia abſolvat. Vix autem centeſimus quiſque reputat quid valeat illud
Gal. 6: 5. Pauli, Unuſquiſque onus ſuum portabit. Quare in unius hominis perſona communis eſt omnium reprehenſio, qui huc & illuc circumſpiciunt qualiter ſe gerant homines: quid autem ſibi à Deo injunctum ſit negligunt. In eo præſertim nimis craſſe hallucinantur, dum ſecure prætereunt quid poſtulet privata cujuſque & ſingularis vocatio Ex decem unum Deus eliget, quem vel graviſſimis ærumnis vel immenſis laboribus exerceat: alios novem quietos ſinet, vel ſaltem leviter tantum exercebit. Deinde non eodem omnes modo tractat, ſed de ſingulis prout viſum eſt, experimentum capit. Quum ergo variæ ſint Chriſtianæ militiæ ſpecies, ſuum quiſque ordinem tenere diſcat: nec tanquam otioſi de hoc vel illo quæramus, dum ſingulos noſtrum cæleſtis dux compellat: eujus imperio ſic intentos nos eſſe decet ut alia omnia obliviſcamur. *Quem diligebat Jeſus.* Ideo inſerta hæc periphraſis fuit ut ſciamus qua de cauſa compulſus fuit Petrus ad movendam quæſtionem quæ hic refertur. abſurdum enim putabat, ſolum ſe vocari, omiſſo Joanne, quem ſemper tantopere Chriſtus dilexerat. Itaque prætextu non carebat iſta Petri interrogatio, cur nulla fieret Joannis mentio: acſi mutatus eſſet erga eum Chriſti animus. Ejus tamen curioſitati anſam Chriſtus præcidit, reſpondens ejus non referre quid alii acturi ſint, dum obtemperandum eſt Dei vocationi.

22. *Si eum volo manere.*] Quod vulgo truncata fuit hæc ſententia, & prius membrum affirmative legerunt, Sic eum volo manere donec veniam: librariorum inſcitia factum eſt, non interpretis errore. Neque enim in Græca dictione falli potuit: ſed apud Latinos facile potuit obrepere una litera, quæ totum ſenſum inverteret. Tota igitur oratio interrogativa eſt, ac legi debet uno contextu. voluit enim Chriſtus manum injicere diſcipulo, ut eum intra vocationis ſuæ metas contineret. Nihil tua refert, inquit, nec te ſciſcitari decet quid de collega tuo agatur: hoc meo arbitrio permitte: ſolum de te cogita, & te ad ſequendum accinge quò vocaris. Non quod ſupervacua ſit omnis cura de fratribus: ſed modum habere debet, ut cura ſit, non curioſitas quæ nos impediat. Reſpiciat igitur quiſque ad ſuos proximos, ſi quo modo valeat ipſos ſecum ad Chriſtum trahere, non autem ut ſe illorum offendiculis remoretur.

23. *Exiit ſermo.*] Narrat Euangeliſta, ex Chriſti verbis perperam acceptis manaſſe inter diſcipulos errorem quod nunquam moriturus eſſet Joannes. Porro eos intelligit qui ſermoni interfuerant, hoc eſt Apoſtolos: non quod ad eos ſolos pertineat nomen fraternum, ſed quod fuerint quaſi ſanctæ unitatis primitiæ. Poteſt etiam fieri ut præter undecim, notentur etiam alii qui tunc cum illis agebant. ac *Exeundi* verbo ſignificat ſparſum ultro citroque fuiſſe hunc errorem: quem tamen probabile eſt non fuiſſe diuturnum, ſed tamdiu inter eos obtinuiſſe donec Spiritu illuſtrati rectius & purius de Chriſti regno, abolitis craſſis figmentis, ſentirent. Cæterum quod de Apoſtolis narrat Joannes, quotidie accidit: nec mirum. nam ſi domeſtici & interiores Chriſti diſcipuli ita deluſi fuerunt, quanto proclivior erit eorum lapſus qui non tam familiariter edocti ſunt in Chriſti ſchola? Sed notemus ſimul unde proveniat hoc vitium. Utiliter nos docet Chriſtus in ædificationem, & quidem perſpicue: ſed nos luci tenebras inferimus pravis noſtris commentis quæ ex proprio ſenſu acceerſimus. Nihil certi de Joanne pronuntiare voluerat Chriſtus, ſed tantum ſibi aſſerere plenam in eum vitæ & mortis poteſtatem. ita ſimplex ac utilis per ſe erat doctrina: ſed plus ſibi fabricant ac imaginantur diſcipuli quam dictum fuerat. Quare ut tuti ſimus ab eodem periculo, ſobrie ſapere diſcamus. Sed ea eſt humani ingenii laſcivia, ut toto impetu in vanitatem ruat. Quo factum eſt ut hic quoque error, à quo diſerte Euangeliſta cavendum monuerat, nihilominus in mundo graſſatus ſit. Nam fabulati ſunt, quum ſibi effodi ſepulchrum juſſiſſet, atque illuc deſcendiſſet, vacuum poſtridie repertum eſſe. Quare videmus nullum fore errandi finem niſi ſimpliciter amplexi quod à Domino traditum eſt, aliena omnia commenta repudiemus.

24. *Hic eſt diſcipulus ille.*] Quia hactenus ſui mentionem ſub tertia perſona fecerat Joannes, nunc exprimit ſe illum eſſe: quo ſcilicet plus ponderis habeat teſtis oculatus, & cui penitus comperta fuerunt omnia de quibus ſermonem facit. At vero, nequis ejus ſermonem ſuſpectum habeat, acſi ad gratiam eſſet compoſitus, propterea quod à Chriſto diligebatur, hanc objectionem anticipat, plura à ſe prætерita fuiſſe dicens quam ſcripta, nec de quibuſvis Chriſti actionibus loquitur, ſed quæ ad publicum ejus minus ſpectabant. Nec videri debet abſurda hyperbole, quum ferantur quæ paſſim in profanis ſcriptoribus occurrunt. Non tantum numerus operum Chriſti conſiderandus eſt, ſed pondus quoque & magnitudinem expendere convenit. Divina illic Chriſti majeſtas, quæ ſua infinitate non modo ſenſus hominum, ſed cælum & terram, ut ita loquar, exhaurit, ſuum illic fulgorem mirabiliter proferebat. In eum ſi Euangeliſta oculos conjiciens, attonitus exclamat, juſtam narrationem ne à toto quidem mundo capi poſſe, quis miretur? Deinde minime reprehendendus eſt ſi trita receptaque figura ad commendandam operum Chriſti excellentiam utitur. Scimus enim ut ſe ad communem loquendi modum accommodet Deus ruditatis noſtræ cauſa, imo interdum quodammodo balbutiat. Interea tenendum memoria eſt quod prius habuimus, quam Euangeliſtæ ſummam literis complexi ſunt, tum ad inſtituendam fidem, tum ad ſalutem conferendam ſufficere. Satis ergo ſuperque ſapiet quiſque rite ſub iis magiſtris profecerit. Et certe quum Divinitus nobis ordinati fuerint teſtes, ſicuti fideliter defuncti ſunt ſuis partibus, ita noſtrum eſt viciſſim ab eorum teſtimonio totos pendere, nec plus appetere quam ab illis proditum eſt: præſertim quum eorum calami certa Dei providentia gubernati fuerint, ne immodica rerum congerie nos onerarent, & tamen delectu habito traderent quantum expedire noverat qui ſolus ſapiens eſt & fons unicus ſapientiæ Deus: cui laus & gloria in perpetuum. Amen.

FINIS.

I N D E X

Eorum quæ his in

EUANGELIUM SECUNDUM JOANNEM

COMMENTARIIS continentur, aut etiam explicantur.

Prior numerus caput, poſterior verſum deſignat.

Abraham totius Eccleſiæ pater, 8. 56
Abraham cur pater multarum gentium dictus, 10. 16
Abraham pater Judæorum, 8. 39
Abrahæ ſemen, 8. 33
Abrahæ filii coram Deo qui, 8. 39
Abrahæ filius, 8. 37. 39
Abraham vidit diem Chriſti, 8. 56
Abſcondit ſe Chriſtus, 9. 9. & 12. 27
Acetum datur Chriſto, 19. 29
in Adam totum genus humanum corruptum, 1 6
Adoratores veri, 4. 23. 24
Adulteria capite punienda, 8. 11
Adulteria quantum malorum ſecum afferant, ibid.
Affectus verus pietatis quis, 10. 24
Affectus pedum nomine deſignantur, 13. 9
Affectus in Chriſto fuerunt voluntarii, 12. 27
Affectus humanos quomodo ſuſceperit Chriſtus, 11. 13
Affectus qui frænandi, 12. 27
Afflictiones Scriptura cur potionibus comparet, 18. 11
Afflictiones propter Chriſtum, 15. 21. & 16. 1. 2. 20
Agnus paſchalis ſymbolum ſacrificii Chriſti fuit, 19. 36
Agnus Dei Chriſtus, 7. 29. 36
Agnus quare dictus Chriſtus, 1. 29
Agricola, Pater Chriſti, 3. 11
Ambulat Chriſtus ſuper mare, 6. 19
Amici Chriſti, 15. 14. 15
Amoris nomine fidem deſignat Chriſtus, 16. 27
Amor Dei per Chriſtum in membra Eccleſiæ deſluit, 13. 9
Amor quo Chriſtum complectimur, an Dei erga nos amore prior, 14. 21
Amoris divini erga pios ſymbolum & pignus, 7. 23
Amor Dei à præſenti rerum ſtatu non eſt æſtimandus, 11. 5
Amorem noſtri ſequitur fratrum deſpectus, 7. 49
Anabaptiſtæ qualem fingunt Chriſtum, 1. 14
Angeli albis veſtibus induti cur apparent, 20. 12
Angeli aſcendere & deſcendere ſuper Chriſtum quomodo dicantur, 1. 51
Angeli cur vocentur potentiæ aut virtutes, 5. 4
Animam tradere pro fratribus, 3. 16
Animam ponit Chriſtus pro ovibus, 10. 15. 17. Pro amicis ſuis, ibid. & 15. 13. A ſeipſo, ibid.
Antiquitas quanti facienda, 10. 8
Apollinaris error, 1. 14
Apoſtolorum pietas quæ, 20 22
Apoſtolis quam à patre accepit authoritatem communicat Chriſtus, 20. 21
Apoſtolus non major mittente, 15. 16
Apoſtoli domos & familias habuerunt, 16. 17
Apoſtolorum labor hodie quoque fructificat, 13. 16
Apoſtolos cum ſanctis Regibus & Prophetis quomodo comparet Chriſtus, 20 29
Apoſtolis proſperum ſucceſſum Chriſtus promittit, 15. 16
Apoſtolorum triſtitia quomodo in gaudium converſa, 16. 20
Apprehendere Chriſtum quærunt Judæi, 7. 30. 32. & 10. 39. & 11. 57
Aqua viva, 4. 10. Saliens in vitam æternam, 4. 14
Aquas de ventre credentium fluere quomodo intelligendum, 7. 38
Aquam ex Chriſti latere fluxiſſe cur tam diligenter memorat Euangeliſta, 19. 34
Arii improbitas, 1. 1
Aromatibus ungitur corpus Chriſti, 19. 42
Aſcendere in cælum quid ſignificet, 3. 13
Audire à patre & diſcere, 6. 45
Audiendus eſt Deus per quoſcunque nobis loquatur, 9. 14. & 10. 11
Audire verbum Dei, & credere, 5. 24
mortuos Audire vocem Filii Dei quid ſignificet, 5. 25

B.

Baptizandi partes quam recte mulieribus tribuantur, 20. 17
Baptiſmus Joannis, 1. 26
Baptiſmus ex miniſtri perſona non eſt æſtimandus, 4. 2
Baptizant diſcipuli Chriſti, 3. 22. 42
Barrabas à Judæis poſtulatur, 18. 40
Benedictio Dei in laboribus manuum noſtrarum expectanda, 21. 6
In Beneficiis Dei reputandis quam evanida ſit hominum memoria, 14. 22
Beneficiis Dei abuti quam periculoſum, 13. 27
Bethlehem civitas David, 7 42
Betheſda piſcina unde dicta, 5 2
Blaſphemiæ ſpecies duæ, 10. 33
Bohemi taxati, 6. 53
Bonorum omnium quæ habet pater per Chriſtum participes ſumus, 16 15
Bonorum omnium affluentia Chriſto cur in manum data, 6 11
Bonorum quæ à Chriſto & Spiritu percipimus, diſcrimen, 14. 17
Boni quid per Chriſtum nobis obtigit, 12. 14
Buccella, 13. 27

C.

Cæcitas qua percutiuntur reprobi, non tam à Chriſto quam ab hominum vitio eſt, 12. 39
Cæcitatis quæ pluribus ſeculis mundo incubuit, cauſa, 12. 35
Cæco à nativitate aperiuntur oculi Sabbatho, 6. 4. & 9. 1
Cœli aperti, 1. 32
in Cœlum nemo aſcendit niſi Filius hominis, 3. 13
Cajaphas pontifex prophetat, 11. 49. ad eum ducitur Chriſtus, 18. 19. 24
Calicem Chriſti bibere, 16. 11
Calicem à Deo datum non reſpuunt qui morbis quærunt remedia, ibid.
Caro non prodeſt quicquam, 6. 63
non ex Carnis & viri voluntate natus, 1. 13
Caro quod ex carne natum, 3. 6
Caro pro externa hominis ſpecie, 8. 15
Caro Chriſti quo ſenſu dicatur vivifica, 6. 51. 63
Carnis & ſpiritus diſſidium in ſe ſentiunt fideles, 21. 18
Carnalis propinquitas quanti facienda, 7. 5
Caſtigationum Dei profectus in nobis tardus, 6. 14
Cephas qui & Simon, 1 42
Ceremoniæ abſque Dei verbo mortuæ, 19. 40
Charitatis præceptum cur novum appellet Chriſtus, 13. 34
Charitatis neglectus unde naſcatur, 15. 12
Charitatis regulam qualem præſcripſerit Chriſtus, ibid.
Chriſtianiſmi definitio, 1. 47
Chriſtum terreſtria loqui, quo ſenſu dicatur, 3. 12
Chriſti præcipuum officium, 1. 29
Chriſtus manet in æternum, 12. 34
Chriſtus ex ſemine David, 7. 42
Chriſti recipiendi modus, 1. 12
Cibus permanens in vitam æternam, 6. 27
Cibus Chriſti, 4. 32. 34
Circumciſio ex patribus, 7. 22
Claritatem ab hominibus accipere, 5. 41
Clarificatus filius hominis, 13. 31
Clarificatus Deus, 13. 8
Cingendi verbo quid ſignificet Chriſtus, 21. 18
in Cœna cur calicem adjunxit Chriſtus, 6. 53
Cœnat Chriſtus cum Lazaro, 12. 2
Cognitio Dei, 1. 17
Colaphis cæditur Chriſtus, 18. 22. & 19. 3
Colere Deum noſtris figmentis quam præpoſterum, 19. 39
Confidite quid, 16. 33
Confeſſio à fide non ſeparanda, 12. 42
Conjunctionis quam cum Chriſto habemus fructus & effectus, 20. 17
Conſcientiarum tranquillitas unde naſcatur, 15. 11
Conſcientiæ trepidæ exemplar notabile in Pilato, 19. 1
Conſilium ex ſenſu carnis quam periculoſum, 11 49
Conſtantiam ſuorum quo præmio dignetur Chriſtus, 8. 32
à Conſtitutione mundi, 17. 24
Contaminari, 18. 28
Contriſtatum iri diſcipulos prædicit Chriſtus, 16. 20
Cor hominis non abs re fraudulentum vocatur, 19. 10
in Cor Judæ miſit diabolus ut. &c. 13. 2
Corona de ſpinis, 19. 2
Corpus Chriſti involvitur ſindone, 19 40
Judæos non poſſe credere quomodo dictum, 12. 39
Credere in Chriſtum quomodo dicamus, 7. 38
Credendi verbum pro agnoſcere ab Euangeliſta poſitum, 17 21
Credere in Chriſtum, vel in filium Dei, aut in nomine ejus, 3. 19. & 6. 69. & 9 36. & 11. 42. & 12. 44. & 17. 6
Credere in Chriſtum, opus Dei, 6. 29
Credere quare non poterant Judæi, 10 25. & 12 39
Credens in Chriſtum non perit, 3. 15. ſed habet vitam æternam, 3. 37. & 6. 47. & 10. 41 non morietur in æternum, 11. 26. opera Chriſti faciet & majora, 14. 12
Crucis humilitas multis offendiculo eſt, 1. 46
Crucis horror ſi nos à ſequendo Chriſto deterreat, quam pudendum, 19. 25
Cultus quem Deus à nobis requirit regula, 3. 24
Cultus divini lex unde petenda, 18. 39
Cura de fratribus non ſemper ſupervacua, 11. 22
Curioſitatis noxiæ exemplum in Petro, 21. 20

D.

David perſonam Chriſti ſuſtinuit, 19. 28
Deliberandi pie & ſancte ratio, 11 48
Deorſum ſive de mundo, & è ſupernis quid, 8. 15
Deum veracem quo ſenſu appellet Chriſtus, 7. 26
Deus inviſibilis, 1. 13. pater Jeſu Chriſti, 5. 17
Deum de filio ſuo teſtatum fuiſſe quo modo intelligendum, 3. 37
Dei notitia ante regenerationem qualis, 3 6
Dei agnitio extra Chriſtum quæ, 6. 46
Deus eſt ſpiritus, quomodo intelligendum, 4. 24
Diabolus an natura mendax, 8. 44
Diem Chriſti vidit Abraham, 9. 56
quomodo Dilexerit Deus mundum, 3 16
Diligit nos Chriſtus, 15. 4
Diligit pater filium, 9. 36. & 10. 17. & 17. 24
Diligere Chriſtum & mandata ejus ſervare, 14. 15
Diligere proximum, invicem, alterutrum, 13. 34
Dilectio inter verbi miniſtros neceſſaria, 25. 17
Dilectione mutua cognoſcuntur Chriſti diſcipuli, 13. 35
Dilectio, præceptum Chriſti, 15. 12. 17
Dilectio maxima quæ, 15. 13
Dilectio qua nos proſequitur Deus, non alia quam qua Chriſtum diligit, 17. 26
Diſcere à patre, 6. 45
Diſcipulos qua nota à mundo diſcernat Chriſtus, 14. 22. & 17. 12
veri Diſcipuli Chriſti, 8. 31
Diſcipulos non eſt ſupra magiſtrum, 19. 26
Diſcipuli Chriſti abeuntes retro, 6 66
Diſcipuli Chriſto credunt, 2. 11. In medio eorum ſtat Jeſus, 20. 19
Diſperſi in propria, 16. 32
Diſperſi filii Dei, 11 52
Diſperſio gentium, 7. 35
Diſſenſio propter Chriſtum, 7. 43. & 10. 19
Divinitas Chriſti poſt ejus aſcenſum potentius ſe exeruit, 14. 12
Divinitas Chriſti æterna, 1 1
ad Divitias ſpiritus obtinendas quinam à Chriſto vocentur, 7. 37
niſi Datum de cælo, nemo poteſt accipere quicquam, 3. 27
Datum à patre venire ad Chriſtum, 6. 65
Docuit Chriſtus in ſynagoga & in templo, 18. 20
Docebit Spiritus veritatis omnem veritatem, 16. 13
Docti à Deo, 6. 45
Docet ſedens Chriſtus, 8. 2
Docendi modus Deo duplex, 14 25
Doctor unicus Eccleſiæ Chriſtus, 20. 28
Doctores Eccleſiæ formare, unius Chriſti eſt, 20. 20
Doctores Eccleſiæ qua animi magnitudine præditos eſſe conveniat, 7. 28. & 8. 29. & 16. 8
Doctorum authoritas unde pendeat, 8. 2
in Doctrina quid præcipuum, 1. 45
Doctrinam ſuam Chriſtus quomodo patris eſſe dicat, 7. 16
de Doctrina interrogatur à Cajapha Chriſtus, 18. 19
Doctrinæ Chriſti cultores in dies proficiunt, 14. 21
Doctrina Chriſti, lapis offenſionis incredulis, 6 66
Doctrinæ Apoſtolorum qui aliquid addendum putant, in Spiritum blaſphemi ſunt, 16. 13
in Doctrina Apoſtolorum nobis acquieſcendum, ibid.
Doctrinam amplecti peculiare Dei donum eſt, 6 44
Doctrinæ ſpiritualis authoritas unde petenda, 7. 16
Doctrinæ examinandæ ratio, 7. 18
Doctrinæ contemptus pios conturbat, 13. 20
Doctrina Chriſti malleus erit incredulis, 6. 60
inter Doctrinam generalem & hypotheſes ſedulo diſtinguendum, 19. 7
Doctrinæ Chriſti ſcopus quis, 16. 25
Dolus quid ſignificet apud Joannem, 1. 47
Dominus & magiſter, Chriſtus, 13. 10
Domini nomen quo ſenſu Scriptura Deo tribuat, 20. 28
Domus orationis, 2. 6
Donum Dei, 4. 10
Dormitio ſomni, 11. 13
Dormire, pro mortuum eſſe, 11. 22. 15. 14
Duodecim elegit Chriſtus, 6. 7
Durus ſermo, 6 60

E.

Eccleſiæ unitas nullibi quam in Scripturæ fide fundata, 19. 23
Eccleſia quomodo reſtitui poſſit, 6 45
in Eccleſiæ regimine quid maxime expetendum, 10. 12
Eccleſiæ nulli hoſtes magis infenſi quam domeſtici, 13 18
Eccleſiæ legem ſuo exemplo Chriſtus præſcribit, 8. 16
tum cognoſcetis quod Ego ſum, 8. 26
Egenis dat Chriſtus, 13. 29
Elegit duodecim Chriſtus, ex quibus unus diabolus eſt, 6. 70
ſcio quos Elegerim, 13. 16
Elegi vos ut fructum afferatis, 15. 16
Elegi vos de mundo, 15. 19
Elegit Deus ex hoſtibus ſuis qui ipſum ament, 14. 22
Electi cur Deo curæ ſint, 17. 10
Electi à reprobis quomodo diſcernantur, 17. 6
qua notæ diſcernantur, 5. 29. & 6. 37
Electos Deus occulto fræno retinet, 20. 26
ſolis Electis vitam dat Chriſtus, 17. 8
10 Electis Dei Spiritus arcano modo operatur, 20 9

Electis

Electis quam firmæ conſtet ſalutis ſuæ certitudo, 10. 19
Electio ſine fide mutila, 6. 40
Electionis notitia peccandi ſtudium in nobis acuere debet, 17. 5
Electionis ſpecies duæ, 15. 16
Elias cur Joannes dictus ſit, 1. 21
Encænia Hieroſolymis, 10. 22
Errandi finis nullus, niſi verbo Dei adhæreamus, 19. 23
Errant inter diſcipulos ex verbis Chriſti male intellectis, ibid.
non Eſurire & ſitire in æternum, 6. 35
Evangeliſtæ quæ ſcriptis complexi ſunt, ad ſalutem ſufficiunt, 21. 24
Evangelium in quo diſcrimine à profana philoſophia differat, ibid.
Evangelii fructus quis, 18. 31
Evangelium cur meſſis vocetur, 4. 36
ad Evangelii doctrinam capeſſendam homines quomodo comparentur, 5. 44
Evangelii miniſtri non raro à profeſſis fidei hoſtibus male tractantur, 16. 2
Evangelii miniſtris ligandi poteſtas quem in finem data, 1. 38
Evangelium cur à pluriſque contemnatur, 5. 39
Evangelio cur tam pauci credant, 6. 85. & 7. 17
Evangelii prædicatio nunquam inutilis, 7. 30
Evangelii prædicatio vocatur Chriſti ad nos deſcenſus, 7. 33
Evangelium reſpuentium finis quis, 8. 2
Evangelium utilitas triplex, 20. 9
Evangelii doctrina nonniſi reprobis obſcura, 9. 18
Evangelii prædicandi finis quis, 20. 29
Evangelio quid propoſitum, quid item ex diſcendo, ibid.
Evangelii prædicatione exaltari dicitur Chriſtus, 3. 14
Eutyches hæreticus, 1. 14
Exaltari quomodo dicatur Chriſtus, 3. 14. & 8. 28 & 12. 32
Excæcare hominum corda Deus quomodo dicatur, 12. 40
Excæcatio qua Deus impios percutit quid valeat, 16. 9
Excommunicandi ritus ex vetuſtiſſima Eccleſiæ conſuetudine ortus, 9. 22
Excommunicatio in legitimum uſum revocanda, 18. 2
Excommunicatio, nervus diſciplinæ Eccleſiaſticæ, 12. 42
Excuſationem non habent Judæi, 15. 22
Exemplum dedit nobis Chriſtus, 13. 15
Exemplum Chriſti pro lege habendum, 2. 12
Exivit à Patre Chriſtus, 16. 28. & 17. 8
Exultavit Abraham videre diem Chriſti, 8. 56

F.

Facere ſine me nihil poteſtis, 15. 5
Facta Chriſti non omnia ad imitationem trahenda, 13. 14
Felicitatis noſtræ ſcopum cur in oratione præfigat Chriſtus, 17. 3
Feſtus dies Hieroſolymis, 4. 46. & 5. 1
Fides mortua, quæ, 2. 23
Fides unde certitudinem habeat, 15. 27
Fides ex nobis non provenit, 7. 13
Fide Chriſtum amplectimur ut noſter ſiat, 6. 35
Fides in Chriſtum propriè reſpicere debet, 3. 16. & 17. 8
Fides non omnium communis eſt, 5. 26
Fidei effectus qualis, ibid. & 5. 25
Fides in Chriſtum, unica vivendi regula, 4. 29
Fides cur vocetur unicum Dei opus, ibid.
Fides quomodo opus dicatur, ibid.
Fides nihil ad Deum affert, ibid.
Fides non in ſola Chriſti eſſentia hærere debet, 1. 49
Fides noſtra quomodo ad æternam Chriſti divinitatem perveniat, 10. 28
Fides unicum effugiendæ mortis remedium, 3. 18
Fides animæ vita, 5. 27
Fides Deum ab hominum figmentis diſcernit, 17. 3
Fides, mentis oculus, 6. 69
Fides noſtra an ſit plena, nonniſi experimento cognoſcitur, 16. 31
Fides prædeſtinationis teſtis, 6. 40
Fides in Thoma non prorſus extincta, ſed ſuffocata fuit, 20. 28
Fides ex nudis rerum experimentis manare non poteſt, 20. 29
Fides cur dicatur rerum inviſibilium demonſtratio, ibid.
Fidei defectus etiam in optimis multiplices, 11. 39
veræ Fidei experimentum, 9. 6
Fidei noſtræ firmitas in quo conſiſtat, 14. 24
Fidei fructus incomparabilis, 10. 28
Fidei janua quibus præcludatur, 5. 44
Fidei natura, quæ, 4. 18
Fidei ordo qualis à Chriſto deſcribitur, 17. 25
Fidei profeſſio legitima, quæ, 1. 54
Fidei ſcopus & objectum Chriſtus, 14. 1
Fidei ſedes in corde, 3. 24
Fidei noſtræ vera ſtabilitas, 8. 18
Fides ſincera eſt agnitio, 17. 3
Fidem cur ſcientiæ Chriſtus poſtponat, 10. 38
Fidem invidiæ metu diſſimulare quam ignominioſum apud Deum, 12. 43
Fide nullus Deo cultus acceptior, 3. 33
in Fide duo potiſſimum requiri, 4. 42
in Fide quid præcipuum, 9. 37 & 17. 7
Fidelis & incredulus, 2. 27
Fideles cur aliquando durius à Deo tractentur, 9. 2
Fideles in quem finem Patri reconciliarit Chriſtus, 13. 10
Fideles totos eſſe mundos quomodo intelligendum, 13. 9
Fideles nunquam mori quomodo intelligendum, 11. 25
Fideles ab hypocritis quatenus diſcernantur, 6. 31
Fideles hodie non minus quam olim ſervat Chriſtus, 17. 12
Fiducia propriæ ſcientiæ nulla deterior peſtis, 7. 28
Fiducia quæ in Chriſtum recumbit, omni timore ſuperior, 12. 14
Fiduciæ certitudo neceſſaria, 3. 19
Filius Dei Chriſtus, 1. 49
Filius hominis Chriſtus quare dicatur, 2. 13
Filii nomen unice in Chriſtum competere, 20. 31
in Filii perſona Deus vult agnoſci, 14. 4
Filii Dei virtutes duo diſtinctæ, 1. 3
Filium à ſeipſo non facere quicquam, quomodo intelligendum, 5. 19 30
Dei Filius non ſibi privatim cujuſque ſeipſum, 14 2
Filii Dei cur cenſeamur, 1. 13
Filii Dei & filii Diaboli quomodo nominentur, 8. 44
Filii Dei per fidem, 1. 12
Filii diſperſi inter gentes, 11. 52
Filiorum Dei & reproborum moriendi diſcrimen, 19. 30 Filius perditionis, 17. 12
Filii Abrahæ, 8. 37
Flagellis Dei non ſemper metienda hominum peccata, 9. 34
Flagellatum Jeſum tradit Pilatus voluntati Judæorum, 19. 1
Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, 7. 38
Fons Jacob, 4. 6. & 11. 12
Fons aquæ ſalientis in vitam æternam, 4. 14
Fratres Chriſti non credentes, 7. 4
Fructum in vitam æternam congregare, 4. 36
ut Fructum plurimum afferrent Apoſtoli miſſi, 15. 18
Fructum fert qui manet in Chriſto, 15. 5
Functio Chriſti, quæ, 4. 34
Fur & latro, 10. 1

G.

à Galilæa propheta non ſurgit, 7. 52
Galilæi Chriſtum excipiunt, 4. 45
templum in monte Garizim à Manaſſe extructum, 4. 20
in Gazophylacio docet Chriſtus, 8. 20
Gentiles volunt videre Jeſum, 12. 20
Gentiles quomodo Judæis aggregari, 10. 16
Generis humani inſtauratio per Chriſtum, 6. 2
Gloria Chriſti, 1. 14. & 2. 11
Gloria à ſolo Deo quærenda, 5. 44
Gloriam ſuam non quærit Chriſtus, 8. 15. Sed ejus qui miſit illum, 7. 18
Gloriam Dei vidit Jeſaias, 12 41
da Gloriam Deo, juſjurandum exigendi formula, 9. 24
Gloriam Dei videre, 11. 40
ad Gloriam Dei infirmitas, 11. 4
Gloriam hominum magis quam Dei diligere, 12. 43. & eam ab invicem quærere, 5. 44
Gloriam mittentis ſe quærere, 7. 18
Glorificatus Jeſus, 13. 16
Gradus quinque in verbis Chriſti conſiderandi, 12. 17
Granum frumenti cadens in terram, 12. 24
Gratia & veritas per Chriſtum, 1. 17
Gratia Chriſti omni quid, 1. 12
Gratiæ & bonitatis Dei erga nos magnitudo, 15. 17
Gratia plenus Chriſtus, 1. 17
Gratias agere, 11. 2. 1
Gregis Dei in unum colligendi ratio, 10. 16

H.

Homines in quem finem conditi, 1. 4
Hominum in rebus divinis temeritas, 7. 12
Hominum in æſtimandis Dei operibus ingratitudo, 7. 15
Homines quatenus honore proſequendi, 4. 21
communis Hominum morbus in Pilato, 18. 38
Hominum pravitas quanta, 5. 14
Hominum conditio poſt Adæ lapſum, 1. 5
quid ſit in homine novit Chriſtus, 2. 25
Honor quem Deus in lege parentibus deferri jubet, quis, 19. 25
Honorificat Chriſtus patrem, 8. 49
Honorificandus filius, 5. 23
Hora Chriſti, 2. 4. & 7. 30. & 8. 20
Hora Chriſti ut tranſiret ad patrem, 13. 1
Horæ diei duodecim, 11. 9
Hoſanna, 12. 13
Humilitatis vera atque unica regula, 13. 6
Hydriæ lapideæ, 2 6
Hyperbole in ſacris literis non prorſus abſurda, 21. 24
Hypocriſis exemplum memorabile in Judæis, 18. 8 & 19. 31
Hypocriſi nihil eſt periculoſius, 2. 24
Hypocriſin ſuperbia ſemper ſequitur, 9. 40
Hypocriſis impietatem ſemper ſequitur, 11. 42
Hypocritæ variis figmentis ſe inebriant, ibid.
Hypocritarum mores, 6. 71
Hypocritæ quomodo Evangelio aſſentiuntur, 2. 23

I.

Jeroſolymam ingrediens Chriſtus inſidet aſinæ, 12. 12
Jeſaiæ locus explicatus, 1. 23. & 12. 38
JESUS filius Dei, 20. 31
Ignoratio Dei quam grave malum, 16. 3
Imago Dei Chriſtus, 1. 18. & 5. 22. & 14. 10
Imperia non temere neque hominum errore exorta, 10. 35
Impii ad Dei tribunal vocandi, 5. 29
Impii non ſtatim detegendi, 13. 22. 28
Incredulitas, malorum omnium fons & cauſa quomodo dicatur, 8. 24. & 15. 26
Incredulitas acceſſum ad Deum nobis obſtruit, 11. 34
Incredulus filio non videbit vitam, 3. 38
Infirmitas Chriſti fidem fulcire debet, 14 1
Infirmitas ob peccata, 5. 14. & 9. 2. 3
Infirmitas ad gloriam Dei, 11. 4
Infirmitates noſtras cur in ſe ſuſcipere voluerit Chriſtus, 4. 6
Infirmus qui jam decubuerat triginta & octo annis, ſanatur à Chriſto, 5 9
Infremuit ſpiritu Jeſus, 11. 33. 36
Injuſtitia in Deo non eſt, 7. 23
Innocentia Chriſti quorſum tam ſæpe teſtimonio Judicis aſſeratur, 19. 5
Inſufflavit in apoſtolos Chriſtus, 20. 22
Joannes cur ſic dictus, 1. 6
Joannis de Chriſto præconium, ibid.
Joannes baptizat in Ænon, 3. 23
teſtimonium perhibet de luce, 1. 7
docet ſe non eſſe Chriſtum, 1. 19. & 3. 28
nullum ſignum fecit, 10. 41
Ira Dei ſæpe diu in una domo reſidet, 9. 2
Iræ Dei gravitas adverſus peccatum, 19. 17
ex itinere fatigatus Chriſtus, 4. 6
Judæi in Dei familiam cooptati, 1. 11
Judæis an pœnitentiam Deus in ſalutem promittat, 19 37
Judæi cur ſigna quærere dicti, 4. 47
Judæorum cum Samaritanis diſſidium unde ortum, 4 9
Judæi quid commune nobiſcum habuerint, & quid diverſum, 4 22
Judæi Chriſtum Regem creare volunt, 6 15
Judas diabolus, 6. 70. 71
fur, 12. 6
immundus, 13. 11
declaratur futurus proditor, & 13 21. 26
Judicari mundum à Chriſto quomodo intelligendum ſit, 3. 17
non ut Judicet Chriſtus, 12 47
non Judicandum ſecundum faciem, 7. 24
ſecundum carnem, 8. 15
Judicium Spiritus à peccati demonſtratione incipit, 16. 9
Judicium Chriſti juſtum, 5. 30
Judicium Dei quantum à noſtro differt, 2. 24
Judicii nomine quid ſignificet Chriſtus, 16 11
Judicii prætextu inſontem occidere, quovis latrocinio deteſtabilius, 19. 15
in Judicium venire quomodo dicatur Chriſtus, 9. 39
Judicium de iis quæ ad Chriſtum pertinent, ex Scriptura faciendum, 12. 16
Judicium pro imperio & poteſtate, 5. 22. 27
Judicii poteſtatem Evangelio defert Chriſtus, 12. 48
Judicium præceps fugiendum, 5. 10
in Judicium non venire quomodo dicantur fideles, 5 24
in Judicium venit Chriſtus, 9. 39
de Judicio arguet mundum Spiritus ſanctus, 16. 8.
nunc Judicium eſt mundi, 12. 31
Judicium datum filio, 5. 22. 27
Juſtitiam Chriſtus cur in ſuo ad Patrem aſcenſu ſtatuat, 16 10
Juſtitia in expiatione à Chriſto peracta, nobis quærenda, 19. 37

L.

Lachrymatus eſt Jeſus, 11. 35
Lapidare volunt Chriſtum Judæi, 6. 59. & 10. 31
Lapis ſuperpoſitus monumento, 11. 39
Latro & fur, 10. 1. 8
Latrones crucifiguntur cum Jeſu, 19. 18
Latus Chriſto aperitur, 19. 34
Lavat diſcipulorum pedes Chriſtus, 13. 5
Lavare nos Chriſtus quomodo dicatur, 13. 8
Lazarum ſuſcitat Chriſtus, 11. 44
cum Lazaro reſuſcitato cœnat Chriſtus, 12. 2
Lex per Moſen data eſt, 1. 17. & 7. 9
Lex non judicat quemquam niſi, &c. 7. 51
Legis nomine cur Pſalmos deſignet Chriſtus, 15. 25
Legis & Evangelii conſenſus, 10. 8
Legis anima, Chriſtus, 1. 17. & 5. 46
Legis ceremoniæ in quem finem Judæis à Deo mandatæ, 18 28
Legis cultus partim ſpiritualis, partim carnalis, 4 23
Legis doctrina imperfecta, 4. 25
Legis munus proprium quod, 16. 10
Liberi vere qui, 8. 35
Libertas qualis à Chriſto promittitur, 8. 32
ob Libertatem quam ſtulte glorientur Judæi, 8. 33
Liberi arbitrii impugnatio, 6. 45
Linteamina Chriſti, 20. 7
Literas ſcire, 7. 15
Loculos habebat Judas, 12. 6. & 13. 29
Locum paravit nobis Chriſtus, 14. 2
Locus ex Pſal. 22. expoſitus, 19. 23
Locus ex Zacharia in quem finem ab Evangeliſta adductus, 19 37
Loqui à ſeipſo, 7. 18
Loquitur Chriſtus ut audivit à Patre, 8. 26 28. & 12. 50. & 14. 10
Lucerna ardens, Joannes, 5. 35
Lumen vitæ, 8. 12
Luminis quod in corrupta hominum natura reſidet, partes duæ, 1. 5
de Lumine teſtificatur Joannes, 1. 7

Lumen

Lutum ſuper oculos linit Chriſtus, 9. 6. 11
Lux ex ſeipſa refulgens Chriſtus, 8. 9
Lucis nomen propriè Chriſto convenit, ibid.
Lux ſunt pii omnes in Domino, 1. 7
Lux extra Chriſtum nulla, ibid.
Lux hominum Chriſtus, 1. 4. 9
in mundum venit, 8. 19
in Luce Joannis exultarunt Phariſæi, 5. 35
Lux mundi, Chriſtus, 8. 12. & 9. 5. & 12. 46
dum Lucem habemus, ambulandum, 12. 35

M.

MAgiſter Chriſtus, 3. 2. & 13. 13
Magiſter in Iſraël, Nicodemus, 3. 10
Mahometes & Papa commune habent religionis principium, 14. 25. & 16. 14
Malefactor à Judæis Chriſtus dicitur, 18. 30
à Malo conſervari ſuos orat Chriſtus, 17. 15
Mala quæ patimur, peccatis noſtris imputanda, 5. 14
Mandatum Chriſti dilectio, 15. 17
Mandatum novum, 13. 34
Manichæorum delirium, 8. 44
Manna & Chriſti antitheſis, 6. 32
Manus Dei nos percutientis intuenda, 5. 14
de Manibus Judæorum exivit Chriſtus, 10. 39
Manus & latus oſtendit Chriſtus diſcipulis, 20. 20
Maria ſoror Lazari, 11. 1. 2
ungit pedes Jeſu, 12. 3
Maria Magdalene inviſit monumentum, 20. 15
Martha credit Chriſtum veniſſe, 11. 27
miniſtrat in cœna, 12. 2
Mediatoris officio quomodo fungitur Chriſtus, 16. 27
Mediatoris gratia ſeculis omnibus communis, 8. 5
ſine Mediatore patres ſub lege non orarunt, 16. 23
Mediatorem quando ſe palam oſtendit Chriſtus, ibid.
Mendacii pater diabolus, 8. 44
Mercedis in quem finem Scriptura mentionem faciat, 4. 36
Mercenarios quos vocet Chriſtus, 10. 12
Meſſiæ nomen, ordinarius erat Regum titulus, 1. 41
Meſſias venit, 4. 25
Meſſiam ſe eſſe fatetur Chriſtus, 4. 26
Meſſis ſimilitudo quorſum à Chriſto adducta, 4. 35
Meſſis multa, ibid.
Meſſores Apoſtoli, 4. 37
Metens & ſeminans, 4. 36
Metus in fidelibus quando vitioſus, 12. 18
propter Metum Judæorum diſcipuli congregati, 20. 19
Metu Judæorum nemo palam de Chriſto loquitur, 7. 13
Miniſterium Apoſtolorum cur tam ſplendido elogio commendet Chriſtus, 20. 23
Miniſtros verbi ſuo exemplo adhortatur Chriſtus ad tolerantiam, 15. 18
Miniſtrorum partes quæ, ibid.
Miniſtrorum Eccleſiæ dignitas, 3. 29
Miniſtrorum vera felicitas, 13. 19
Minui Joannem, Chriſtum creſcere oportuit, 3. 30
Miraculum fabuloſum à Papiſtis confictum, 20. 3
Miracula divinitatis Chriſti teſtimonia, 2. 11. & 6. 11
Miraculorum finis, ibid.
Miracula doctrinæ ſigilla, 3. 2
Miraculorum fructus duplex, ibid.
Miraculorum uſus duplex, 11. 45
Miracula cur flagitent Evangelii hoſtes, ibid.
Miracula ſua Chriſtus cur externis ſymbolis ornaverit, 9. 7
in Miraculis Chriſti quid ſpectemus, multum intereſt, 8. 26
Miraculis, Dei conſilio certus modus ſtatutus, 11. 42
Mittuntur diſcipuli, 17. 18. & 20. 21
quem Miſit Deus verba Dei loquitur, 3. 35
in Monte ſedet cum diſcipulis Chriſtus, 6. 3
in Monumento novo ponitur Chriſtus, 19. 42
qui in Monumentis ſunt, audiunt vocem filii Dei, 5. 28
ut unus Moriatur pro populo, expedit, 11. 50. & 18. 14
Moritur Chriſtus, 16. 19. 30
Mors Chriſti quare piaculum ſit pro peccatis noſtris, 10. 18
Mors Chriſti ſationi comparatur, 12. 25
Mortem Chriſti cur voluntariam eſſe oportuit, 12. 12
Mors Chriſti, plena mundi reſtauratio fuit, 12. 31
ex Morte Chriſti vitæ fiducia nobis naſcitur, 19. 30
in Morte Chriſti quid præcipue conſiderandum, 12. 27
in Morte Chriſti æternum Dei conſilium ſpectandum, 16. 32
in Morte Chriſti nihil actum niſi quod Dei manu & conſilio decretum erat, 19. 17
in Morte Chriſti totum ſalutis noſtræ complementum & ſingulæ partes continentur, 19. 30
Mors fidelium ad Deum eſt tranſitus, 8. 2
Mortis acerbitas quomodò nobis miteſcat, 12. 26
Mortis hora cuique conſtituta, 7. 30
Mortis horror naturaliter omnibus inſitus, 11. 28
Mortis timorem abſque Dei auxilio vincere non poſſumus, ibid.
Morte martyrum Deus glorificatur, ibid.
a Morte in vitam tranſire quomodo dicantur qui credunt, 5. 24
Mortem nemo fidelium viſurus eſt, 8. 51
Mortui audiens vocem filii Dei, 5. 25
Mortuos ſuſcitat Chriſtus ut patet, 5. 21
Moſis miniſterium, 1. 17
Moſi qui credit, credit & Chriſto, 5. 45
Moſi loquutus eſt Deus, 9. 29
Mulieris parientis comparatio, 16. 21
Mundus cur Chriſtum odio habeat, 7. 7
Mundus dicuntur qui Spiritu Dei non ſunt regeniti, ibid. & 15. 18
Mundi nomine totum genus humanum deſignat Chriſtus, ibid.
Mundus cur Chriſtum non videt, 14. 19
Mundi Princeps diabolus cur dicatur, 14. 30
Mundus gaudebit, 16. 20
in Mundum cur venerit Chriſtus, 3. 17
ex hoc Mundo tranſire, 13. 1
Mundus Deum non cognovit, 1. 10. & 17. 24
imo odio habet, 7. 7
Mundum vicit Chriſtus, 16. 33
in Mundo preſſuram habebitis, ibid.
Mundi hujus Princeps, 14. 30
non pro Mundo rogat Chriſtus, 17. 9
non in Mundo Chriſtus, 17. 11
in nec Apoſtoli de Mundo, 15. 19. & 17. 14. 16
diſcipuli ſunt Mundi, 15. 11
propter ſermonem Chriſti, 15. 3
Murmur in turba propter Chriſtum, 7. 12
Murmurant diſcipuli Chriſti, 6. 63
Judæi, ibid.
Myrrha, 19. 40

N.

NAſci denuo, 3. 3. 5
Natatoria Siloë, 7. 7. 11
Nathanaël, 1. 45. 48
Naturâ nihil minus quam fideles ſumus, 1. 45. 47. 48
Naturæ miracula uſu nobis viteſcunt, 6. 11
Naturæ noſtræ conditio in cœco graphicè depicta, 9. 7
Negotiatores è templo ejicit Chriſtus, 2. 15
Neſtorius hæreticus, 1. 14
Nicodemus venit ad Chriſtum nocte, 3. 1
tuetur partes Chriſti, ibid. & 7. 50
ſepelit corpus Jeſu cum Joſeph, 20. 40
Nicodemi exemplum quam falſo multi obtendunt, 7. 50
Nicodemi exemplum in quem finem aptari debeat, ibid.
Nicodemum in quo multi hodie imitantur, ibid.
Nicodemi & Joſeph exemplum nobis præſcribit quid Chriſto debeamus, 19. 38
Nomen Dei à Chriſto hominibus manifeſtatum, 17. 6. 28
Nominis Dei ſanctificandi modus legitimus, 14. 13
propter Nomen Chriſti odia & afflictiones, 15. 21. & 16. 2. & 20. 2
Nomine Chriſti petere, 14. 13. 14
in Nomine Chriſti vitam habere, 20. 31
Noviſſimus dies, 6. 39. 40. 44. & 11. 24. & 12. 48
Nuptias quanti fecerit Chriſtus, 2. 11

O.

OBedientia, recti cultus fundamentum, 6. 25
Obedientiæ præclarum exemplum in cæco, 9. 6
Obedientiæ fructus, 5. 24
Obedientiæ ſpecimen in matre Chriſti, 2. 5
ad Obedientiam ſuo nos exemplo Chriſtus inſtituit, 19. 28
Obedientiam ſuam Chriſtus in redemptionis noſtræ pretium obtulit, 14. 31
Obedientia quovis cultu & honore potior apud Deum, 13. 6
Obſequium præſtare Deo, 16. 2
in Occulto nihil loquutus eſt Chriſtus, 18. 20
ſuper Oculos cæci lutum linivit Chriſtus, 9. 6. & 11. 15
Odit patrem qui filium odit, 15. 23. 24
ſi Odit nos mundus, non mirandum, 15. 18
Operari cibum qui non perit, quid vocet Chriſtus, 6. 27
ſicut Operatur pater, ita & filius, 5. 17
Opus patris, 4. 34
eſt Chriſto credere, 6. 29
Opera Dei, hominum judicio non ſubjiciuntur, 5. 4
Opera Dei à nobis expendenda, 7. 83
Operum Dei fructus non ſtatim emergit, 12. 16
Operum Dei nondum apud omnes profectus, 2. 23
in Operibus Dei reputandis quanta ſit hominum ſocordia, 7. 4
in Operibus Dei reputandis modeſtia nihil melius, 9. 2
Operibus Deum ſuis finem feciſſe quomodo dixerit Moſes, 5. 17
Opera in Deo facta quæ, 3. 21
Opera teſtantur de Chriſto, 5. 36
propter Opera credere, 10. 38. & 14. 11
ritè Orandi regula, 11. 3
Oſtiarius, 10. 2
Oſtium Chriſtus, 10. 1 7. 9
Oves quo ſenſu à Chriſto vocentur qui nondum credunt, 10. 16
Ovium nomen duobus modis ſumitur, 10. 8
Oves Chriſti, 10. 23
Ovile ovium, 10. 1. 28

P.

PAlam loquutus Chriſtus, 18. 20
Palmes non faciens fructum, 15. 2
Panem vivum qui manducaverit, vivet in æternum, 6. 50. 58
de quinque Panibus & duobus piſcibus, 6. 6. 10
Panem verum de cælo dedit Pater, 6. 32
Panem cur corpus ſuum appellat Chriſtus, 3. 32
Papæ figmentum, 8. 57
Paracleti nomen tam Chriſto quam Spiritui convenit, 14. 16
Paracletus non venturus niſi Chriſtus abiiſſet, 16. 7
docturus Apoſtolos omnia, 14. 26
Paraſceve Paſchæ, 19. 14. & 3. 41
Paſcendi munus per ſe laborioſum ac moleſtum, 21. 15
Paſtoribus unde initium faciendum ſi munus ſuum probe exequi velint, ibid.
Paſtoris officium quibus partibus conſtet, ibid.
Paſtorum authoritas, 7. 47
Paſtorum labor ſolis electis prodeſt, 21. 16
veri Paſtores à reprobis qua nota diſcernuntur, 10. 2. 4
Paſtores Eccleſiæ legitimi quinam habendi, 20. 12
unicus Paſtor Chriſtus, 10. 10
Paſtoris nomen hominibus quomodo communicetur, ibid.
Paſtores quomodo dicuntur animas ſuas pro ovibus ponere, 10. 12
Paſtoribus an aliquando fugere liceat, ibid.
Paſtoribus ſuo exemplo qualem regulam præſcripſerit Chriſtus, 18. 9
Pater noſter Deus, 20. 17
Pater Judæorum quis, 8. 42
Patris gloriam Chriſtus cum ſua conjungit, 8. 49
Patrem ſe majorem quomodo dixerit Chriſtus, 14. 18
Patrem in Chriſto, & Chriſtum in Patre eſſe quomodo intelligendum, 14. 11
Patrem Chriſtum ſignaſſe quomodo intelligendum, 6. 27
Patrem cum Chriſto habere, 11. 8
Patres ſub lege an Deum ſpiritualiter coluerint, 4. 23
Patrum exemplum fictitio Dei cultui prætexitur, 4. 20
Patrum exempla, neglecto Dei verbo, quot modis pernicioſa, ibid.
in Patrum numero qui cenſendi, ibid.
Patres ad Chriſtum promiſſum ſemper reſpexerunt, 1. 13
in Patientia Chriſtiana quid requiratur, 18. 23
Pax vera ubi reperiatur, & quis ejus faciendæ modus, 16. 33
Pacis nomine quid ſignificet Chriſtus, 14. 27
Pacem in Chriſto habere, 16. 33
noli amplius Peccare, 5. 14. & 8. 11
Peccati ſenſu vulnerandi qui nimium ſecuri ſunt, 4. 16
in Peccato mori, 8. 21 24
de Peccato arguet mundum Paracletus, 16. 8
ob Peccata infirmitas, 9. 2
Peccatores à Deo non exaudiri quomodo intelligendum, 9. 31
ſupra Pectus Chriſti recubuit Joannes, 13. 23. & 21. 20
Pedes diſcipulorum lavat Chriſtus, 13. 4. 5
Perire in æternum, 3. 1. 16. & 10. 28
in Periculis ſubeundis quæ ſint noſtræ partes, 7. 1
Perſecutio lapis Lydius eſt ad probandam fidem, 16. 33
ſi me Perſequuti ſunt, & vos perſequentur, 15. 20
Perſeverantiæ fidelium cauſa, electio, 13. 18
Petere Patrem nomine Chriſti, 14. 13. & 15. 16. & 16. 28
quæcunque Petieritis credentes, accipietis, 16. 24
Petrus non vult ſibi lavari pedes, 13. 6
negaturus Chriſtum prædicitur, 13. 38
à longe Chriſtum ſequitur, 18. 26
negat Chriſtum, 18. 17. & 25. 27
Petri mortem prædicit Chriſtus, 21. 18
Petrus cur ter à Deo paſtor conſtitutus, 21. 15
Phariſæi unde dicti, 3. 1
Philippus unde, & ejus vocatio, 1. 43. & 12. 21
Pietas Chriſti in matrem admirabilis, 19. 25
Pietas in Deum & in homines quomodo colenda, ibid.
vera Pietatis regula, 9. 31
Pilatus inſciens, Evangelii præco factus, 19. 19. 21
Pilati ſtultam arrogantiam quomodo caſtiget Chriſtus, 19. 18
Pilati exemplum officii noſtri nos admonet, 19. 11
in Pilato imago ſuperbi hominis cernitur, 19. 10
Pilatos multos hodie habet mundus, 19. 8
Piſcina in Jeruſalem, 5. 2
Piſcium multitudo capta, 21. 7. 11
Piorum quum ærumnis premuntur, meditatio, 2. 28
Piorum in pietatis curſu progreſſus quales eſſe debeant, 13. 2
Placandi Dei modus unicus, Chriſtus, 1. 29
ex Plenitudine Chriſti quomodo accipimus, 1. 16
Plorant Maria & Judæi ob mortem Lazari, 11. 33
Plorantem Magdalenam Jeſus alloquitur, 20. 15
Plorabitis, & flebitis, 16. 20
Pœnarum uſus quis, 5. 14
ad Pœnitentiam ferulis nos erudit Deus, ibid.
Poteſtas omnis carnis, 17. 2
Præcepta Chriſti, dilectio, 15. 12
Præcepta Chriſti ſervantes, diliguntur ab eo, 15. 10
in Prætorium non ingrediuntur Phariſæi, 18. 28
ritè Precandi lex quæ, 15. 7
Precatio doctrinæ jungenda, quo reddatur efficax, 17. 1
in Precatione oculorum elevatio quid deſignet, ibid.
Preces quas pro omnibus concipimus, ad ſolos electos reſtringantur, 17. 9
à Precibus auſpicandum quoties cibum ſumimus, 6. 11
Preſſura in mundo, 16. 33
Princeps mundi venit, 14. 30
ejicietur foras, 12. 32
jam judicatus eſt, 16. 11
Principes cur ſe minus morigeros & obſequentes Chriſto præſtent, 12. 42
ex Principibus num quis credidit in eum, 7. 48
Principes multi credentes timent excommunicari, 12. 42

Princeps

Principium principio carens Chriſtus, 8. 8
Principium qui & loquor vobis, 8. 25
Propheta Chriſtus, 4. 19. & 6. 14. & 7. 40
in Prophetis dictum, 6. 45
Prophetiæ rerum eventus aſcribi non debet, 27. 12
Promiſſionum uſus quis, 17. 3
Proverbium, 16. 8
in Proverbiis loqui, 16. 25. 29
Pullo inſidet Chriſtus, 12. 14. 15
de Purificatione contendunt Phariſæi cum diſcipulis Joannis, 3. 25
Pythagoricam μετεμψύχωσιν Judæi ad hunc uſque diem credunt, 9. 2

Q.

QUæretis me, & non invenietis, 7. 34. & 13. 33
Quies & tranquillitas animis noſtris unde conſtet, 23. 14

R.

RAtionis ſuæ ductu homines ad Deum non perveniunt, 1. 5
Regeneratio, 1. 13. & 3. 3
Regeneratio primus in Dei regnum ingreſſus, 3. 1
Regnum Chriſti vitam & ſalutem affert, 17. 3
Regni Chriſti ortus, 18. 36
ad Regnum Chriſti quinam pertineant, ibid.
Regnum Chriſti an armis defendere liceat, ibid.
Regnum Chriſti nonniſi electis ſalvificum, 17. 2
Regni Chriſti proſperitatem toto corde optare debent fideles, 12. 14
Regnum penes Davidem & ejus poſteros in quem finem ſtabiliri oportuit, 12. 14
Regnum Dei omnibus corporis commodis præferendum, 6. 26
Regno Dei quinam apti ſint, 6. 2
Regnum Dei videre, 3. 3. 5
Reguli filius ſanatur, 4. 47
Religionis ſenſum hominibus à natura ingenitum eſſe, documento eſt Pilatus, 18. 8
quorum Remiſeritis peccata, &c. 20. 23
Remiſſio peccatorum ſolius Chriſti eſt, ibid.
Remiſſio peccatorum, ſcientia ſalutis vocatur, ibid.
Renaſci, 3. 3
Reprobæ mentis ſignum certiſſimum, 8. 47
Reprobi interdum à Deo ornantur Spiritus donis, 15. 28
in Reprobis gratiæ ſuæ contemptum quomodo ulciſcatur Deus, 7. 14
Reſurrectio Chriſti præcipuum fidei noſtræ caput, 20. 2
Reſurrectionis ſuæ teſtes cur Chriſtus mulieres eſſe voluerit, ibid.
in Reſurrectione Chriſti enarranda, Evangeliſtarum inter ſe conſenſus, ibid.
Reſurrectionis Chriſti finis quis, 20. 17
Reſurrectio Chriſti triumphus noſter contra mortem, 21. 12
cur Reſurrectio dicatur Chriſtus, 11. 25
cur Reſurrectio animæ fides, ibid.
Reſurrectio vitæ & judicii, 5. 28
Reſurrectionis Chriſti teſtimonia, 20. 27
Retinere peccata, 20. 23
Rogat Chriſtus pro Apoſtolis, non pro mundo, 17. 8
Rex Iſraël Chriſtus, 1. 46. & 12. 13
Regem volunt turbæ Chriſtum conſtituere, 6. 15
Regem alium præter Cæſarem nolunt Judæi, 19. 15

S.

SAbbathum Dei quid, 5. 17
Sabellii error, 1. 1
Sacerdotum horribilis furor, 19. 15
Sacerdotes bonis omnibus ſe abdicant Chriſtum rejiciendo, ibid.
Sacramenta ab hominibus conficta, nihil aliud quam mera ludibria ſunt, 20. 22
Sacramenta vim ſuam unde mutuentur, ibid.
in Sacramentis ſpectanda ſignorum analogia cum veritate, 1. 32
de Sacramentis duobus modis loquitur Scriptura, 1. 26
Sacramenta inſtituere non eſt in hominis arbitrio, 1. 31
in Sacramentis Deus ſe nobis conſpiciendum præbet, 5. 37
Sacrificia Deo grata, eleemoſynæ, 12. 8
Sacrifici Papiſtici in quem finem creentur, 20. 23
Salvare venit Chriſtus, 12. 4
Salvator mundi, 4. 42
Salus noſtra Dei Filio quanti conſtiterit, 12. 27
Salutis noſtræ cauſa & fons, 8. 16
Salutis noſtræ curam quantam habeat Deus, 11. 13
Salutem ex Judæis eſſe quomodo intelligi debeat, 4. 22
Salus piorum in quo conſiſtat, 17. 14
Salus noſtra cum Apoſtolorum ſalute conjuncta eſt, 17. 20
Salutis noſtræ ſumma in quo conſiſtat, 11. 51
Salus ex Judæis, 4. 22
à Samaritana potum petit Chriſtus, 4. 7
Samaritanus Chriſtus dictus, 8. 48
Samaritanis cum Judæis nullum commercium, 4. 9
Sanationis nomine quid ſignificet Jeſaias, 12. 40
Sanctificaſſe Filium Pater quomodo dicatur, 10. 36
ut Sanctificet Apoſtolos, Patrem orat Chriſtus, 17. 17
Sanctificati in veritate, 17. 19
Sanctificare ſeipſos more Judæorum, 11. 55
Sanctificatio quæ per Evangelii doctrinam fit, eſt quo fonte fluat, 17. 19
Sanctificatio in electis primo die non perficitur, 17. 17
Sanctificatio quam Chriſtus diſcipulis optat, quid complectatur, [illegible]
Sanguis Chriſti vere eſt potus, 6. 55
Sanguis & aqua è latere Chriſti, 19. 34
è Sanguinibus natus, 1. 13
Sanum ſe curaſſe totum hominem, 7. 23
Sanus factus es, noli peccare, 5. 14
Satan in Judam, [illegible] quomodo dicatur, 13. 27
Satanæ mancipia ſpiritum obnoxii ſunt, 8. 43
Satanas intrat in Judam, 13. 27
ut Saturentur quærunt turbæ Chriſtum, 6. 26
Scandalum quomodo ſit, 16. 32
Scandala ſi deſint, homines ſibiipſis fingunt, 7. 27
Scandalis cur multi hodie ſuccumbant, 17. 13
Scenopeia dies feſtus Judæorum, 7. 2
Schiſma ex Chriſti ſermone ortum, 7. 40
Scire quis ſit Chriſtus, quomodo dicamus, 4. 10
Scriptura non poteſt ſolvi, 10. 35
Scriptura impleta, 17. 12. & 19. 28. 36
Scripturæ credunt Apoſtoli, 2. 22
ex Scripturis petenda Chriſti notitia, 5. 39
Scripturæ quo animo legendæ, ibid.
Scripturæ nomine quid deſignet Joannes, ibid.
Scripturis non fruſtra gloriandum, 5. 45
Scripturas lacerare quam periculoſum, 7. 27
Scripturæ teſtantur de Chriſto, 5. 39
quare Scripſit Evangeliſta, 20. 31
Sedens docet Chriſtus, 8. 2
in Sepulchro novo cur Deus Filium ſuum condi voluerit, 19. 41
Sepulturam Chriſti cur externo ritu ornandam ſibi, 12. 7
Sepulturam Chriſti cur Deus tam honorificam eſſe voluerit, 19. 40
Sepeliendi mos Judæis una erat ex Legis ceremoniis, ibid.
Sepeliendi ritum & religionem Gentes à patribus acceperunt, ibid.
Sepelit Chriſti corpus Joſeph, ibid.
Sermo cur vocetur Dei Filius, 1. 1
Sermo Chriſti quo ſenſu vita dicatur, 6. 63
Sermo Chriſti judicabit rejicientem verba ſua, 12. 42
in Sermone Chriſti manere, 8. 31
Sermonem Chriſti ſervare, 8. 51. & 14. 23. 24. & 15. 20. & 17. 6
Sermo Dei cur nobis ſit obſcurus, 16. 25
Sermo Dei veritas, 17. 17
Serpens æneus an Judæis ſacramentum fuerit, 3. 14
Serveti impium dogma, 1. 1. 14
Servus non eſt major Domino ſuo, 13. 16. & 15. 20
Servus & filius, 8. 35
non Servi, ſed amici Chriſti, Apoſtoli, 15. 15
Servos peccati eſſe qui peccatum faciunt, quo ſenſu dicat Chriſtus, 8. 34
Sichar, 4. 5
Signavit quod Deus verax eſt, 3. 34
Signum primum Chriſti, 2. 11
ſecundum, 4. 54
Signa & prodigia quærunt Judæi, alioqui non credunt, 4. 48. & 6. 30
Signa facere, 7. 31
propter Signa ſequuntur turbæ Chriſtum, 6. 2
Signa Chriſti non omnia ſcripta ſunt, 20. 30. & 21. 25
Siloæ piſcina, 9. 7
cur in Siloa cæcum lavari Chriſtus juſſerit, ibid.
Similitudo parturientis fœminæ quomodo nobis aptanda, 16. 21
in Simonis Phariſæi domo diſcubuit Chriſtus, 12. 3
in Sinu Jeſu recumbens diſcipulus, 13. 23. 25
in Sinu Patris, Filius, 1. 18
qui Sitit, Chriſtum adeat, 7. 37
Sitire in æternum, & non ſitire, 4. 13. 14
Species Dei non videtur, 5. 7
Spiritus nomen apud Joannem bifariam capitur, 3. 6
Spiritum & aquam pro eodem accipi, 3. 15
Spiritus eſt Deus, 4. 14
Spiritus ſanctus deſcendit ſuper Chriſtum in ſpecie columbæ, 1. 32. à Patre procedit, 15. 26. datur Apoſtolis, ibid. & 20. 22
Spiritus, quod ex Spiritu natum, 3. 6
Spiritus ſanctus, unicus ſanæ intelligentiæ fons, 14. 17
Spiritus, cur per aquam deſignetur in Scriptura, 4. 10. & 7. 38
Spiritus perfectus veritatis magiſter, 16. 13
Spiritum accepit Chriſtus non tam ſibi quam ſuis, 13. 5
in Spiritu & veritate adorare quid, 4. 23
Spiritu turbatum fuiſſe Chriſtum quomodo accipiendum, 13. 21
Spiritus teſtimonium, unicum nobis adverſus mundi inſultus præſidium, 15. 26
Spiritus de Chriſto teſtificari quomodo dicatur, ibid.
Spiritus ſui veritate & gratia nobis adeſt Chriſtus, 12. 8
Spiritum in quem finem recipiant fideles, ibid.
Spiritum à ſeipſo non loqui quomodo intelligendum, 16. 13
Spiritus ſancti partes quæ, 16. 14
Spiritum non ex menſura Chriſto datum quomodo intelligendum, 3. 34
Spiritus duobus modis homines arguit, 16. 8
Spiritum Apoſtolis conferendo cur exſufflando flatum addidit Chriſtus, 20. 22
Spiritus ſancti præſidio nudati homines quid poſſint, 14. 12
Spiritum emiſit Jeſus, 19. 30
Spiritu conſtare Dei cultus quomodo dicatur, 4. 23
Spiritum quo vult ſpirare, quomodo intelligendum, 3. 8
Spiritus vertiginis quo impios exagitat Satan, 12. 10
Sponſus & ſponſa, 3. 29
ex Sputo lutum fecit Jeſus, 9. 6
Sudarium Chriſti, 20. 7
e Supernis eſſe, & non è mundo, 8. 23
de Surſum eſſe, vel veniſſe, 8. 31. 30
in Synagogis prædicat Chriſtus, 6. 59
extra Synagogam fieri, 9. 22. & 12. 42. & 16. 2

T.

TEmplum Hieroſolymis ab Herode extructum, 2. 20
Templum in quem finem extructum, 2. 16
Templum Eccleſiæ typus, ibid.
Templum cur domus Dei vocabatur, 2. 16
in Templo docet Chriſtus, 7. 14. 28. & 8. 2. & 18. 20
Templum corporis Chriſti à Judæis ſolvendum, 2. 19. 21
Templa Dei quare dicta corpora noſtra, 2. 19
Tempus ſuum nondum adveniſſe dicit Chriſtus, 7. 6. 8
in Tenebris ambulare, 8. 12. & 12. 35. non manere, 12. 46
Tentari nos ſupra vires non patietur Deus, 18. 9
ex Terra loqui quid ſignificet, 3. 31
Teſtimonium Chriſti non omnes recipiunt, 3. 11
Teſtimonium de ſeipſo per hibet Chriſtus, 8. 13. & 14. 12
Teſtimonium Patris de Filio, 5. 32. 36. & 8. 16. Joannis Baptiſtæ de Chriſto, 1. 26
Thomas didymus, 11. 16. corripitur à Chriſto ob incredulitatem, 20. 24
nolite Timere inquit Chriſtus, 6. 20
Titulus crucis Chriſti, 19. 19
Tradet me unus ex vobis, 13. 21
Trahi à Deo homines quomodo dicantur, 6. 44
Trahit Pater ad Chriſtum, ibid.
Triſtitia implevit cor veſtrum, 16. 6
Triſtitia vertenda in gaudium, 16. 20
Tunica Chriſti, 19. 23
Turba vult conſtituere Chriſtum Regem, 6. 15. ut ſaturetur quærit Chriſtum, 6. 26. teſtimonium perhibet Chriſto, 12. 17
Turbat ſeipſum Chriſtus, 11. 33
non Turbetur cor veſtrum, 14. 1. 27

V.

VAdo & venio ad vos, 14. 28
quo Vado non poteſtis venire, 8. 21. & 13. 33. 36
Vendentes & ementes ejecit Jeſus è templo, 2. 14
Venire in nomine Domini quid, 12. 14
Venire ad Chriſtum quid, 6. 44. & 7. 38
Vento agitantur diſcipuli in mari, 6. 18
Ventura annunciabit Spiritus veritatis, 16. 13
Verax Deus, 3. 34. Chriſtus, 7. 18
Verbum in principio, 1. 1. caro factum eſt, 1. 14
Verbum Dei unicus fidei ſcopus, 20. 31
Verbum vitæ, 6. 68
abſque Verbo qualis à nobis concipi poſſit Chriſti notitia, 6. 19
Verbo Dei relicto periculoſum quicquam in rebus divinis comminiſci, 6. 13
inter Verbum & fidem mutuus ſemper conſenſus tenendus, 11. 22
Verbi Dei neglectus quo remedio curandus, 4. 16
Verbo Dei non præeunte cæci ſumus, 12. 16
Verbi prædicatio externa per ſe infructuoſa, 1. 43. & 14. 23. & 15. 3
Verba Chriſti, ſpiritus & vita, 6. 63
Veritas Chriſtus, 14. 6
Veritas Dei etiam toto mundo reclamante aſſerenda, 3. 18
Veritas quantum à figuris differat in Chriſto cognoſcitur, 18. 18
Veritas pro fidei perfectione accipitur, 14. 6
Veritas liberabit vos, inquit Chriſtus, 8. 32
Veritatis fons Deus, 16. 13
Veritate plenus Chriſtus, 1. 17
Veritatem Dei corrumpere hominibus familiare eſt, 6. 14
ex Veritate eſſe qui dicantur, 18. 37
facere Veritatem quid, 3. 21
ut Veritati teſtimonium perhibeat venit Chriſtus, 18. 37
in Veritate non ſtetit diabolus, 8. 44
Veritatem dicit Chriſtus, 8. 45. quam audivit à Patre, 8. 40
Veſtimenta Chriſti dividunt milites, 19. 23
Via, veritas & vita quomodo dicatur Chriſtus, 14. 6
Via ad Patrem Chriſtus, ibid.
Videre regnum Dei quid, 3. 3
Videri quomodo dicatur Chriſtus dum Spiritu in diſcipulis habitat, 16. 16. 22
Deum nemo Vidit unquam quomodo intelligendum, 1. 18
Vidiſſe Deum quomodo dicantur Patres, ibid.
qui Videt Chriſtum, videt Patrem, 14. 9
Videre Filium, & credere in eum, 6. 40
qui non Viderunt & crediderunt, beati, 20. 9
ut Videntes cæci fiant, 9. 36
Vicit mundum Chriſtus, 16. 33
è Vinctis unus dimittebatur Judæis in die feſto, 18. 39
Vinum in aquam converſum, 2. 8
Vita quomodo dicatur Chriſtus, 11. 26. & 14. 6
Vita extra Deum non quærenda, 1. 8

R

Vitam

Digitized by Google

INDEX

Vitam qualiter Chriſtus nobis conferat, 5. 26
Vitæ nomine quid ſignificet Joannes, 1. 14
Vitæ materia in Chriſti carne quærenda, 6. 51
Vitam amare & odiſſe quid, 12. 25
Vitam amare, non per ſe malum, ibid.
Deum Vitam in ſe habere quo ſenſu dicatur, 5. 26
Vitæ gradus tres, 6. 57
Vitam in ſemetipſo habet Filius, 5. 26
Vita in Chriſto, 1. 4
Vita æterna per Jeſum, 10. 28. datur credentibus, 6. 46
Vita æterna Patrem & Filium cognoſcere, 17. 3
Vita æterna mandatum Patris, 12. 50
Vitam habere in nomine Chriſti, 20. 31
In Vitis ſimilitudine tria potiſſimum obſervanda, 1. 15
Vitis vera Chriſtus, 15. 1
Vivificat mortuos filius ſicut pater, 6. 22
Vivere propter Chriſtum, 5. 57
Unigenitus filius, Chriſtus, 1. 18
Unionis quæ eſt inter nos & Chriſtum agnoſcendæ modus, 14. 20
Unum eſſe Chriſtum & Patrem quomodo intelligendum, 10. 22
Vocatio Dei inſtar lucis diurnæ nobis eſt, 11. 9
Sua cuique Vocatio ſpectanda, 21. 20
Vocationem noſtram ſi ſequamur, omnia proſpere ceſſura, ibid.
Vocatio Dei in ſolis electis utilis eſt & efficax, 17. 6
Vocationis noſtræ effigies in Chriſto expreſſa, 13. 10
Vocatio in Eccleſiæ doctoribus neceſſaria, 3. 6
Vocationis fines non ſunt tranſiliendi, 2. 17
Vocationis noſtræ imago depicta in Maria, 20. 16
Voluntas patris, 6. 39. 40
Voluntatem Patris facit Chriſtus, & ad hoc venit, 3. 30. & 4. 38
Vota noſtra Deo ſubjicienda, 13. 36
Vox clamantis in deſerto, 1. 23
Vox Chriſti quam horrenda impiis in extremo judicio futura, 18. 4
Vocem Chriſti audiunt oves, 10. 16
Unctio corporum non inanis ceremonia patribus fuit, 12. 7
Utile à licito nunquam ſeparandum, 11. 48

Z.

Zelotypia ſancta, 5. 42
Zelus domus Dei, 2. 17
Zeli inconſiderati inſigne exemplum in Petro, 18. 10
Zeli prætextus nihil juvat, 6. 15

F I N I S.

CONSCIENTIA OPERIS

PER

Correctorem Typographicum non primum JASPERUM KÖNEKENIUM Exulem Unctochorum atque pacificum Danum.

Certat doctrinâ CALVINUS, *ut ante* LUTHERUS,
Non ſine criminibus; MAGNUS *uterque cluit:*
Tu vero, Lector pie, ſic lege tutus utrumque,
Ut CHRISTUM *flentem, ſit tibi vita, ſequi.*

Amſtelodami, 15 April, 1667.

AMSTELODAMI,
Ex Typographia BORRITII JANSONII SMIT.
M. DC. LXVII.

JOANNIS CALVINI,

MAGNI THEOLOGI,

COMMENTARII


IN

ACTA APOSTOLORUM,

Ab ipſo Authore recogniti, & magna acceſſione locupletati.

Horum Commentariorum utilitatem commonſtrabunt duo Indices ad calcem operis adjecti. Prior rerum & verborum: Poſterior locorum utriuſque Teſtamenti, quos Author appoſite ad ſenſum ſuæ interpretationis accommodat.

Editio ut poſterior ita prioribus multo emendatior.



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JACOBI SCHIPPER.
M. DC. LXVII.

Illuſtriſſimo Principi

D. NICOLAO RADZIWIL,

Duci Inolika, Palatino Vilnenſi, Magni Ducatus Lithuaniæ ſupremo Marſalco & Archicancellario, &c.

D. apprime obſervando,

JOANNES CALVINUS.

QUod Regum nomina, quibus hos Commentarios dicaveram, induxi: ne in crimen levitatis apud quoſdam imperitos mutatio incurrat, breviter reddenda mihi ratio eſt. Nam quum & patris mortui memoria venerationem quam meretur apud me retineat, & filium qua decet obſervantia colam: eorum tamen nomina in hac ſecunda editione expungere me coëgit quorundam importunitas, qui dum veſano in me odio perciti metuunt ne quid meis ſcriptis gratiæ conciliet Regum majeſtas, illis vehementer diſplicuiſſe jactant, nomen ſuum doctrinæ de Sacramentis quam improbant fuiſſe admixtum. Id verum ſit, nec ne, in medio relinquo. neque vero mea intereſt: quando neque privatum lucrum, neque favorem mihi captavi. Sed quia indecorum ac turpe mihi eſſet, ſcripta quæ ſatis multos reperiunt voluntarios Lectores, invitis obtrudere, palam nunc facere operæ pretium fuit, nihil unquam minus mihi fuiſſe in animo: ſed plus ſperaſſe humanitatis quam expertus ſum. In eo certe nihil eſſe offenſionis poteſt, ſi ab eorum, qui mea officia faſtidiunt, contemptu me ſubducens, ſuis quas appetunt, & quibus ſe oblectant deliciis, frui patior. Te vero Illuſtriſſime Princeps, non abs re delegi, quem duobus ſubrogarem: quia & te digniſſimum exiſtimo, cujus nomen in ſpirituali templi Chriſti ædificio appareat; neque metuo quin eadem benevolentia, quam erga me humaniſſimis literis declarare gravatus non es, librum quoque meum proſequaris. Sed omiſſo nunc privatæ benevolentiæ reſpectu, in altero immorabor. Adde quod ſermonem cum altero prius habitum, jure optimo ad te accommodare licet. Nec vero præclaras virtutes, quibus ſumma tibi authoritas & ſingularis gratia apud ſereniſſimum Poloniæ Regem parta eſt, celebrare hoc loco propoſitum eſt. magis inclinat animus ad exhortationem, cujus huc ſpectabit ſumma, ut qua alacritate initio amplexus es puram Euangelii doctrinam, quàm ſtrenua animi magnitudine hactenus verum Dei cultum aſſerere conatus es, eadem ad extremum uſque conſtantia hunc curſum proſequaris. Raræ quidem virtutis fuit, quum ſcires apud multos nihil magis eſſe exoſum ingenua profeſſione, liberoque ſtudio pietatis, ſimul tamen ac tibi illuxit Euangelii Chriſti veritas, nomen dando non dubitaſti illorum in te odia provocare. Nec parum laudis merentur quæ fovendis augendiſque Eccleſiæ primordiis officia impendere non deſiiſti: licet paſſim minime plauſibilis apud nonnullos proceres plurimum invidiæ tibi hæc ſedulitas conflaret. Sed quia non minus arduæ difficultates tibi reſtant: animum ad eas ſuperandas, donec extremum actum compleveris, ſubinde colligere operæ pretium eſt. & eo quidem attentius, quod multi Principes, quum videant fœde corruptum Eccleſiæ ſtatum, remedia tamen nulla tentare audent: quia in malis ex vetuſta & tranquilla poſſeſſione pellendis, quod metuunt ex novitate periculum, eos ab officio retardat & impedit. Alii abſurdum & ſtultum eſſe exiſtimant, morbos inſanabiles attingere. alii neſcio qua pravitate omnem correctionem refugiunt & exhorrent. Verum de obſtaculis quæ te circunſtant, apud te, cui plus ſatis cognita ſunt, differere ſupervacaneum foret. Quoſcunque tamen inſultus tibi ingerat Satan, & quibuſcunque te pugnis ac certaminibus exerceat, nefas eſt in hac ſacra militia, quam ſub Chriſti vexillo profeſſus es, unquam fatigari. Porro quamlibet ſis per te voluntarius: felicem propenſi ſtudii curſum ſubſidio hoc, quod tibi per manum meam Deus offert, juvari ac provehi, neque grave ut ſpero, neque inutile tibi erit. Quoties ſurſum ac deorſum volvi res in mundo videntur, nulla ſtabiliendis conſcientiis aptior aut ſolidior fultura inveniri poteſt, quam ubi Chriſti regnum, quale nunc cernitur, ante oculos nobis ponentes, quænam ab initio ratio ejus & natura, qualis ſtatus ejus & conditio fuerit, reputamus. Quum de Chriſti regno ſermo habetur, duo præcipue ſpectanda nobis ſunt: Euangelii doctrina, qua ſibi Chriſtus Eccleſiam colligit, & qua eandem collectam gubernat; deinde ipſa piorum ſocietas, qui ſincera Euangelii fide inter ſe conjuncti, vere Chriſti populus cenſentur. Vivam utriuſque effigiem in Actis Apoſtolorum quam expreſſe depingat Lucas, præſtat ex lectione totius libri cognoſcere, quam credere vel meo vel alterius cujuſpiam elogio. Nam etſi à prima uſque mundi origine ſemper regnavit Dei Filius: ex quo tamen in carne patefactus, Euangelium ſuum publicavit, tunc illuſtrius ſolito erigere cœpit tribunal, unde nunc quoque maxime conſpicuus apparet. Huc ſi ſe oculi noſtri convertant, non inani pictura (quod de Ænea ſuo prædicat Virgilius) ſed ſolida earum rerum, unde vita petenda eſt, notitia paſcentur. Atque ut ad propoſitum ſermonem revertar: hic optimus eſt conſcientiis receptus, ubi inter tumultuoſas iſtas quibus mundus concutitur procellas, tranquillæ reſideant. Hæc denique meditatio ſola efficiet, ne unquam nobis accidat quod de majori

homi-

hominum parte olim ab Ennio vere eſſe dictum nimis multa experimenta probant: Pelli è medio ſapientiam, quoties vi res geritur. Nam ſi in ſummo & acerrimo præliorum fervore tantum apud Lacedæmonios potuit tibiarum concentus, ut ingenitam bellicoſo populo ferociam leniret, impetumque, qui vel immitibus alioqui ingeniis tunc ſupra modum exultat, temperaret: quanto id melius & efficacius cæleſti Spiritus ſancti modulatione præſtabit Chriſti regnum, quod non modo truculentas beſtias cicurat, ſed ex lupis, leonibus & urſis agnos facit, quod lanceas in falces convertit, & gladios in vomeres format? Quum ergo temperamenti genus tibi offeram, Princeps Illuſtriſſime, quale temporum flagitat neceſſitas, officium hoc Excellentiæ tuæ, quæ ejus eſt æquitas, non ingratum fore confido, ut certe hoc confirmationis genus in primis utile eſſe ac idoneum ſenties, in Eccleſiæ originem, qualis à Luca deſcribitur, oculos convertere, in qua & admirabilis ſub crucis ignominia Dei virtus, & indefeſſa ſub ingenti moleſtiarum onere ſervorum Dei tolerantia refulget, & ſucceſſus ipſe mundi judicio incredibilis uberrimum utriuſque fructum profert. Cæterum ut reliqua omittam quæ ex Lucæ ipſius lectione petere ſatius eſt, quod proprie terrenis Principibus, ac primariis Regnorum ac gentium ducibus convenit, unum attingam. Nempe cum reluctante totius mundi potentia, omnibus qui tunc rerum potiebantur ad opprimendum Euangelium armatis, pauci homines, obſcuri, inermes & contempti, ſolo veritatis & Spiritus præſidio freti, in propaganda Chriſti fide tam ſtrenue laboraverint, nihil refugerint laboris vel diſcriminum, contra omnes pugnas ſteterint infracti, donec tandem victores emergerent: nihil reſtare excuſationis Chriſtianis Proceribus qui dignitate aliqua excellunt, quando eos Deus ad tuendum Filii ſui regnum gladio inſtruxit, niſi ad obeundum tam honorificum munus æque ſaltem animoſi ſint ac conſtantes. Porro quam fidelis ac dexter fuerim interpres, prædicare non eſt meum. Certe fructuoſus in commune, ut ſpero, erit labor. Tu vero, Illuſtriſſime Princeps, mihi iterum rogandus eſt, atque etiam obſecrandus, ut & privatim Chriſti imperio totum te addicas, quemadmodum pridem feliciter cœpiſti: & tot nobilibus viris, quos & generis ſplendor, & virtutum præſtantia commendat, in promovendo Chriſti regno fidelis ſis ac indefeſſus non modo adjutor, ſed etiam ſignifer. Singulari honoris privilegio Deus regnum Poloniæ dignatus eſt, ut nobilitatis melior pars impiis ſuperſtitionibus, quæ totidem ſunt cultus Dei corruptelæ & inquinamenta, valere juſſis, legitimam pietatis formam & rite compoſitum Eccleſiæ ordinem uno conſenſu appeteret. Atque his non parum fuiſſe in tua authoritate præſidii, ſatis notum eſt. Sed tibi & illis plus reſtat certaminum, quam ut otio & quieti, quaſi emeriti milites, indulgeatis. Primum, ut nemo extraneus hoſtis moleſtiam vobis exhibeat, ſatis ſuperque adverſus mala inteſtina erit negotii. Jam eſtis experti quam variis artibus inſtructus ſit Satan ad inſidias ſtruendas, quo labefactetur ſancta inter fratres concordia, in qua conſiſtit Eccleſiæ ſalus. Contingit ſcilicet apud vos, quod ubique ſolet, ut rebus incompoſitis ſeſe ingerant homines turbulenti: qui dum vident paucos, & quidem debiles, ab immenſa multitudine vexari, & veritatem, quæ craſſis calumniarum nebulis obruitur, ægre ab ipſis defendi, facilius quaſi per cuniculos obrepunt. Hac vero aſtutia Eccleſiæ ruinam molitur ille fraudum omnium artifex, non tantum ſcindendo & lacerando fidei unitatem, ſed nomen Chriſti falſa invidia gravando: quia videntur piorum cœtus, quibus ſe improbi iſti nebulones permiſcent, quædam eſſe ſordium omnium receptacula ac ſentinæ. Sic dum Stancarus homo tumultuoſi ingenii, pro ſua ambitione, qua totus flagrat, deliria ſua apud vos ſpargit, hinc erupit contentio quæ diſſipationem aliquam minatur: & expoſiti fuiſtis multorum probris, quia creditum fuit ſectam ejus latius graſſari. Ecce ex altera parte Medicus quidam Georgius Brandata, Stancaro deterior, quo magis deteſtabili errore imbutus eſt, & plus occultæ virulentiæ in animo alit. Quo etiam plus reprehenſionis meretur eorum facilitas, apud quos Servetica impietas tantum favoris ſubito adepta eſt. Quanquam enim perſuaſus ſum à perverſis illis & ſacrilegis dogmatibus remotos eſſe: cautiores tamen eſſe oportuit, ne ſe in eorum conſuetudinem inſinuaret hæc vulpes. Quia nunquam deerunt hujuſmodi peſtes, nec unquam deſinet Satan hos ſibi devotos athletas ad turbanda Euangelii principia in aciem producere, vobis perſeveranter in procinctu ſtandum eſt: atque ut gravioribus malis obviam eatur, conſtituenda vobis eſt recta probaque gubernationis ratio, quæ fidelis eſt ſanctæ pacis cuſtodia. Nam ut animam Eccleſiæ conſtat eſſe doctrinæ puritatem: ita diſciplinam nervis conferre merito licet, quibus devinctum & connexum corpus firmitatem ſuam tuetur. Jam altera ex parte ſtudium veſtrum acuere debet aliorum hoſtium improbitas: Romani Antichriſti præcones dico, qui ut fucum rudibus faciant, nomen Eccleſiæ ſonora voce aſſidue ebuccinant. De Eccleſia nihil inter nos eſt controverſiæ, quin veneranda omnibus Dei filiis eſſe debeat ejus authoritas: niſi quod illi ſub fallaci honoris prætextu, ſuæ libidini umbratile Eccleſiæ nomen ſubjiciunt; nos ita Eccleſiam ex animo reveremur, ut ſacrum ejus nomen profanare, ſummum apud nos ſit nefas. Ut alios omittam pios ſanæ puræque doctrinæ miniſtros; à me jam antehac compluribus in locis prope ad faſtidium agitata fuit hæc quæſtio, quum de Eccleſia ſermo habetur, cujus caput eſt Filius Dei, & quam idem, qui fons eſt vitæ æternæ, Spiritu ſuo ſemper vegetat: quam ridiculum ſit mutilum capite ſuo corpus, deinde mortuum cadaver proferre. Clamitant mercenarii Papæ adulatores, ſe Eccleſiam habere. Verum ſit necne quod jactant, non aliunde melius poteſt cognoſci, quam dum caput inſpicitur. Id vero ſacrilega eorum violentia abſciſſum eſſe conſtat & truncatum. Quomodo enim capitis locum retinebit Chriſtus, ſua omni virtute ſpoliatus, dejectus imperio, nudatus dignitate? Hac lege caput cum Eccleſiæ conſtituit cæleſtis Pater, ut Euangelii ſui doctrina omnes à ſummo uſque ad infimum

regat:

Digitized by Google

regat: ut nnicus ſit Sacerdos, qui Patrem ipſum aſſidue nobis propitiet, quemadmodum ſemel-
iram ejus mortis ſuæ ſacrificio placavit: ut ejuſdem mors perpetua ſit pro peccatis expiatio, ſanguis
unicum lavacrum, obedientia ſolida ſatisfactio: ut ſolus ſit interceſſor, cujus patrocinio exaudian-
tur preces noſtræ: ut fidus ſit defenſor ac tutor, qui ſuo nos præſidio tegat; ut domitis carnis noſtræ
vitiis, in juſtitiam & ſanctitatem nos reformet: ut ſolus beatam in nobis vitam inchoet ac perficiat.
Horum omnium ſi quid illi reſiduum fecerunt Papiſtæ, habeant ſane à parte ſua Eccleſiam. Quod ſi
Papa ſæva & plus quam crudeli tyrannide conſcientias opprimens, Chriſto imperium abrogavit; ſi
regiminis formam invexit ab Euangelii doctrina prorſus alienam; ſi novum & exoticum Sacerdo-
tium commentus eſt, ut ſe mortalis homo reconciliatorem inter Deum & mundum ingerat; ſi quo-
tidiana ſacrificia fabricavit, quæ in mortis Chriſti vicem ſubeant; ſi mille piacula redimendis pec-
catis invenit; ſi fictitia lavacra ex lacu Averni eduxit, quæ ſanguinem Filii Dei ſiccarent; ſi in ejus
locum innumeros patronos ſubſtituit; ſi juſtitiam, quæ in ſolidum ab eo petenda erat, in mille
fruſta laceravit; ſi liberum hominis arbitrium Spiritus ſancti loco erexit: non eſt quod ambigat
quiſpiam verum Chriſtum procul à Papatu exulare. Mortuum cadaver pro vivo Chriſti corpore à
Papiſtis oſtentari ideo dixi, quod extincta Euangelii doctrina (quæ vera Eccleſiæ anima eſt, eam-
que ſola vivificat) umbratilem tamen neſcio quam Eccleſiam magnifice prædicant. Quam cor-
rupta ſit apud eos doctrinæ puritas, imò quam prodigioſis erroribus fœdata, palam facimus.
Illi non modo tegendis omnibus corruptelis Eccleſiæ umbram obtendunt: ſed quiritantur præ-
terea gravem à nobis & indignam Eccleſiæ injuriam fieri, quod eam dicamus errare. Atqui primo
examen doctrinæ habendum erat, ut inde Eccleſia agnoſceretur. Æqui iſti probique æſtimato-
res, fucoſum titulum doctrinæ obruendo diſcrimini vim præjudicii habere volunt. Neque vero
id fallendi cauſa. nam quibus præſtigiis vel luſcioſos oculos in tanta luce deludere tentarent? Sed
quia hanc mentiendi licentiam in tyrannidis ſuæ parte deputant, ſibi non videntur pro voto domi-
nari, niſi contumelioſe miſeras animas ſubſannent. Ne longius petatur exemplum, noſtra ætate
vidimus nunc Patres Tridentinos, nunc Bononienſes, quum hoſtiliter inter ſe digladiarentur, utrin-
que tamen ventoſos ſuos Canones deſpumare. Et ſane ſi acquieſcitur eorum principiis, utrinque
triumphus paratus erit. Sedent illic Epiſcopi neſcio quot, & Abbates centum forſan cornutæ be-
ſtiæ. Si flos ſelectiſſimus totius gentis illic niteret, nihil tamen eſſet alind quam ſcelerata in Deum
conſpiratio. Nunc vero poſtquam furfur & quiſquilias impuri putidique ſui gregis in unam lacu-
nam congeſſit Papa, inde ſubito repræſentativa Eccleſia emerget? Et adhuc nihil eos pudet Sa-
crum, Generale, & Legitimum Concilium vocitare, quod ne inanis quidem & comica Concilii
larva dici meretur? Nos vero, quibus data eſt promiſſio, Antichriſtum qui in templo Dei ſedet,
ſpiritu oris Domini oportere deſtrui; fœdam hanc & meretriciam impudentiam, ſacroſancto illo
verbo, cui tam audacter inſultant, refellere non deſinamus: ut palam omnibus fiat, quid inter
caſtam Chriſti ſponſam, & fœtidum Belial ſcortum; quid inter ſanctuarium Dei & Satanæ lupa-
nar; quid inter ſpirituale piorum domicilium & porcorum haram; quid denique inter veram Eccle-
ſiam & Romanam curiam interſit. Hujus rei nulla certior, vel magis dilucida neque ab Euclide,
neque ab Archimede afferri demonſtratio poteſt, quam ſi Eccleſiæ, qualis à Luca deſcribitur,
cum ſynagoga Papali fiat comparatio. Neque vero uſque adeo ſum rigidus, ut ad normam Apo-
ſtolorum, quæ Angelica eſt ac cæleſtis, confuſum iſtud chaos, à quo naturæ ordo & humanitatis
ratio penitus abhorret, exigere velim. Si modo oſtendant quicquam ſibi eſſe affine, per me ſane
illis triumphare liceat. Sed cum ſint omnia contraria, etiamſi major pars hominum ſponte cæcutiat:
toto ſaltem plandente cælo, vecordem eorum ſuperbiam non modo intrepide contemnere, ſed
libere etiam traducere nobis licebit. Interea non levis conſolatio nos ſuſtentat: quod quum Ec-
cleſiæ titulum nobis ſupercilioſe opponunt Papiſtæ, nobis tamen non niſi cum profeſſis Chriſti
hoſtibus bellum eſſe ſcimus. Optandum quidem eſt in primis, ut ſereniſſimus Rex, qui pridem
Romanæ curiæ fallacias pro ſua prudentia cognovit, tandem inanibus bullis, quibus Concilium
procul oſtentat, evaneſcere juſſis, liberius ad ſeriam integramque Eccleſiæ reſtitutionem animum
applicet. nulla tamen cunctatio remoram vobis afferre debet, quominus enitatur quiſque veſtrum
pro ſua virili, ad propaganda quæ tam feliciter ſurgere cœperunt initia.

Vale Præſtantiſſime Domine, & Illuſtriſſime Princeps. Dominus te ſemper Spiritu ſuo regat,
dignitatem tuam modis omnibus amplificet: pioſque tuos conatus benedicat uſque in finem. Ge-
nevæ, Calendis Auguſti, M. D. LX.

ARGUMENTUM
IN
ACTA APOSTOLORUM.

QUo magis ad hujus hiſtoriæ lectionem attenti ſint pii omnes, pluſque ſtudii afferant, breviter notare operæ pretium eſt, quantum inde utilitatis colligere liceat. Hæc prima hiſtoriæ laus eſt apud profanos Scriptores, quod Magiſtra vitæ nominatur. Si tam præclarum elogium meretur rerum geſtarum narratio, quæ tantum in factis hominum, quid fugiendum, aut ſequendum ſit, admonet: quo titulo dignæ erunt ſacræ hiſtoriæ, quæ non tantum externam hominis vitam formant, ut laudem ex virtute conſequatur; ſed quod pluris eſſe nobis debet, Deum oſtendunt Eccleſiæ ſuæ curam ab initio habuiſſe; ſemper adfuiſſe juſtum vindicem iis qui in ejus opem ac tutelam ſe contulerunt; propitium ac exorabilem miſeris peccatoribus fuiſſe; atque ita fidem docendo, ſupra cælum nos attollunt? Taceo quod Dei providentiam in univerſum commendant: verum Dei cultum à fictitiis diſcernunt: in vitiorum ac virtutum diſcrimine nuſquam aberrant. Quanquam ab his quoque elogiis, quæ communiter in ſacras hiſtorias competunt, recitandis nunc ſuperſedeo. Tantum quæ hujus libri, quem tractandum ſuſcepimus, propria ſunt, attingam. Magnæ ſunt ac raræ utilitatis quæ diſcenda hic proponit Lucas. Principio, dum refert Spiritum ſanctum miſſum fuiſſe Apoſtolis: non modo veracem in ſuo promiſſo Chriſtum fuiſſe confirmat: ſed ſuorum quoque eſſe memorem ac perpetuum Eccleſiæ ſuæ gubernatorem eſſe docet: quia in hunc finem Spiritus ſanctus deſcendit. Unde diſcimus, non obſtare Chriſto locorum diſtantiam, quo minus ſemper adſit ſuis, ut pollicitus eſt. Jam regni Chriſti initium, & quaſi mundi renovatio hic depingitur. Tametſi enim Filius Dei, priuſquam è mundo migraret jam ſua prædicatione aliquam Eccleſiam collegerat: vere tamen demum tunc extare cœpit legitima Chriſtianæ Eccleſiæ forma, quum Apoſtoli nova virtute inſtructi, illum unicum paſtorem & mortuum à morte excitatum prædicarunt, ut ejus auſpiciis in unum ovile coaleſcerent omnes, qui prius vagi & diſſipati fuerant. Ergo à Chriſti aſcenſu, quo ſummus Rex cæli & terræ declaratus eſt, nobis Eccleſiæ & origo & progreſſus hic recenſetur. Porro, in eo elucet tam admirabilis Chriſti potentia, quam Euangelii ipſius efficacia & vis. Nam quod per homines nullius pretii, nulla præditos facultate, totum ſibi orbem tam facile ſola Euangelii voce ſubjecit; quum tamen contra tot obſtacula Satan inſurgeret: in eo luculentum divinæ ſuæ virtutis ſpecimen Chriſtus præbuit. Incredibilem quoque Euangelii vim in eo conſpicimus, quod toto mundo reluctante, non modo emerſit, ſed cum ſumma gloria, quicquid indomitum videbatur, ſubegit in obſequium Chriſti. Itaque per illos paucos & contemptos homunciones plus contra turbulentiſſimas quaſque mundi procellas effectum eſt humili oris ſonitu, quam ſi palam Deus è cælo fulminaſſet. Cæterum, ex adverſo nos Spiritus ſanctus admonet, nunquam ſurgere Chriſti regnum, quin ſe contra furioſe opponat Satan, omneſque admoveat machinas, ut illud vel evertat vel concutiat. Nec vero tantum docemur, Satanam hoſtiliter Chriſto reſiſtere: ſed totum fere mundum eadem percitum rabie omnia moliri, ut Chriſti regnum perimat. Imo ſtatuendum eſt, impios homines, dum adverſus Euangelii doctrinam tumultuantur, & Satanæ militare, & ejus artificio inſtigari in tam cæcum furorem. Hinc tot graves motus, tot infeſtæ conſpirationes, tot ſcelerati improborum conatus ad impediendum Euangelii curſum, quos paſſim refert Lucas. Denique ſicuti re ipſa experti ſunt Apoſtoli, ignem & gladium eſſe Euangelii doctrinam: ita ab eorum experientia diſcendum eſt, & obſtinata Satanæ malitia, & fatali hominum contumacia ſemper fore, ut magnis certaminibus Euangelium impetatur; eaque res horribiles motus concitat. Verum ex adverſo refert Lucas, Apoſtolos invicta animi fortitudine & conſtantia nihilominus executos eſſe quod divinitus ſibi mandatum eſſe noverant: ſimul quanta tolerantia innumeras moleſtias, tædia, indignitates devoraverint, quam patienter ſævos perſecutionum fluctus ſuſtinuerint, quam denique in probris & omne genus ærumnis perferendis æqui fuerint, commemorat. Talibus vero exemplis inſtituimur ad patientiam. nam quum pronuntiaverit Filius Dei, Crucem Euangelii ſui comitem ſemper fore: non eſt quod nos vana ſpe lactemus, quaſi tranquilla florenſque Eccleſiæ conditio hic futura eſſet. Simus ergo & nos ad ſimilia perferenda comparati. Additur autem illa non levis conſolatio, quod ſicuti Eccleſiam ſuam Deus olim tot modis afflictam & oppreſſam mirabiliter ſervavit, ita nobis hodie quoque ſit adfuturus. Nam certe quum totus hic liber Eccleſiam inter continuas mortes verſantem ſola Dei manu protegi doceat, ipſe Deus hoc modo ſingularem in procuranda illius ſalute ſuam providentiam nobis ante oculos ponit. Præterea hic recitantur inſignes Apoſtolorum conciones, quæ ſic de miſericordia illius, de Chriſti gratia, de ſpe beatæ immortalitatis, de invocatione Dei, de pœnitentia Deique timore & aliis præcipuis cæleſtis doctrinæ capitibus diſſerunt, ut non aliunde tota pietatis ſumma petenda ſit. Cæterum, ut doctrinæ ſanæ & puræ explicationem nunc omittam: Si res ſunt cognitu in primis dignæ ac utiles, tenere quale fuerit Chriſtianæ Eccleſiæ exordium, qualiter auſpicati ſint Euangelii prædicationem Apoſtoli, quos habuerint progreſſus, & quibus interea pugnis exercitati fuerint; quam ſtrenue & fortiter perrexerint inter tot obſtacula, quam magnifice de tota mundi ſuperbia ſub crucis ignominia triumpharint, quam mirifice illis Deus adfuerit: nobis hunc librum imprimis commendatum eſſe decet; qui niſi extaret, ſanctarum rerum vel ſepulta eſſet, vel multis tenebris involuta, vel dubitatione implicita cognitio. Videmus enim Satanam, quicquid artificii habuit huc contuliſſe, ut nihil de rebus geſtis Apoſtolorum extaret, niſi mendaciis aſperſum, quo ſuſpectum redderet quicquid de illis diceretur, ac demum totam ſeculi illius memoriam ex piorum animis deleret. Nam vel deliros homines, vel aſtutos ſubſannatores excitavit, qui ſuppoſititiis nominibus putidas fabulas ſpargerent, quarum inſulſitas fidem etiam veris hiſtoriis abrogavit. Sic libelli qui de Petro & Paulo ſub Lini nomine circumferuntur, tam putidas nenias continent, ut nihil quam riſum profanis, ſtomachum bonis movere queant. Sic fictitia diſputatio Petri cum Simone mago tam ridicula eſt, ut dedecus inferat nomini Chriſtiano. Idem de tota illa farragine ſentiendum, quæ Clementis recognitionibus & conciliis præfixa, & citata in Gratiani Rhapſodiis, veterum nominum prætextu imperitos fallunt, ab improbis tanquam oracula, ſupercilioſe non minus quam impudenter jactantur, quum pudendæ ſint næniæ. Hac mentiendi licentia abuſus eſt Satan, ut poſt Chriſti in cælos aſcenſum nihil certi teneremus. Ita niſi hoc Lucæ monumentum extaret, videri poſſet Chriſtus in cælum ſublatus, nullum in terris ſuæ mortis aut reſurrectionis fructum reliquiſſe. Nam omnia cum ejus corpore evanuiſſent. Neſciremus ſic receptum fuiſſe in cæleſtem gloriam, ut in toto mundo Principatum obtineat. Neſciremus Euangelii doctrinam Apoſtolorum miniſterio fuiſſe promulgatam, ut ab ipſis ad nos, tametſi per varias manus perveniret. Neſciremus Spiritu ſancto afflatos, ne quid niſi divinum traderent: quo fides noſtra firma Dei veritate niteretur. Neſciremus denique impletum fuiſſe illud Jeſaiæ vaticinium, quo prædixerat, Legem è Zion prodituram & verbum Domini è Jeruſalem. Harum rerum dubitationem quum hic liber ab ipſo Spiritu ſine controverſia profectus, nobis eximat: ingentis theſauri loco nobis habendum, & antea merito præfatus ſum, & nunc iterum confirmo.

JOAN-

JOANNIS CALVINI COMMENTARII IN ACTA APOSTOLORUM.

CAP. I.

PRiorem quidem ſermonem habuimus, ô Theophile, de omnibus quæ cœpit Jeſus facere & docere,

2. Ad eum uſque diem, quo poſtquam mandata per Spiritum ſanctum dediſſet Apoſtolis, quos elegerat, ſurſum aſſumptus eſt.

1. UT ſibi ad ea quæ Chriſti aſcenſum ſequuta ſunt, tranſitum faciat, ſummam eorum quæ prinre libro tractaverat, colligit, ut hunc cum illo contexat. Hæc autam brevis Euangelicæ hiſtoriæ deſcriptin ab eo ponitur, quod ſit eorum narratio, quæ fecit ac dixit Chriſtus, quamdiu in terra verſatus eſt. Porro quod communiter interpretantur, vitæ ſanctimoniam præceſſiſſe in Chriſtn, ſequutas deinde docendi partes, hoc nibil ad mentem Lucæ. Verum quidem eſt, ſic compoſitos debere eſſe boni & probi doctoris mores, ut vita prius loquatur quam lingua: alioqui nihil à theatrico actore differret. at Lucas potius ad illud reſpexit, quod circa hiſtoriæ Euangelicæ finem dixe- *Luc. 24. verſ. 19.* rat, Chriſtum Prophetam fuiſſe opere & ſermnne potentem: hoc eſt, qui factis non minus quam verbis excelleret. Quanquam inter hunc locum & illum, paulum eſt diſcriminis. Operum enim potentia, quæ illic laudatur, ad miracula ſpectat: hoc vero *facere*, latius patet, meo judicio: nempe, ut omnia comprehendat inſignia ejus facta, quæ propria erant ejus miniſterii: in quibus mors & reſurrectio primas tenent. Officium enim Meſſiæ nnn ſola doctrina conſtabat: ſed pacificatorem eſſe oportebat inter Deum & homines, populi redemptorem, regni inſtauratorem, auctorem æternæ felicitatis. Hæc, inquam, omnia, ut de Meſſia promiſſa erant, ſic ab ipſn expectabantur. Nunc videmus Euangelii ſummam duabus his partibus contineri, Doctrina Chriſti & Factis: quatenus non tantum legationem à Patre ſibi mandatam pertulit ad homines, ſed reipſa præſtitit quæcunqne à Meſſia requiri poterant. Regnum ſuum auſpicatus eſt, ſacrificio ſun Deum placavit, ſanguine proprio expiavit hominum peccata, diabolum mortemque ſubegit, reſtituit nos in veram libertatem, juſtitiam nobis vitamque acquiſivit. Atque ut ratum eſſet quicquid geſſit ac dixit, miraculis ſe comprnbavit Dei Filium. Ita hoc *facere*, ad miracula qunque extenditur: verum ad ea ſola reſtringi non debet. Hinc notandum eſt, qui nudam duntaxat hiſtoriæ notitiam habent, Euangelium minime tenere, niſi accedat doctrinæ cognitio, quæ fructum geſtorum Chriſti patefaciat. Sacer enim eſt hic nexus, quem abrumpere fas non eſt. Proinde, quoties de Chriſti doctrina ſit mentio, diſcamus tanquam ſigilla, adjungere npera, quibus illius veritas ſancita fuit, & effectus exhibitus. Rurſum, ut fructuoſa nobis ſit mors Chriſti & reſurrectio, ut etiam uſum ſuum babeant miracula, intenti ſimus pariter in os loquentis. Hæc vera eſt Chriſtianiſmi regula.

De omnibus quæ cæpit.] Non diſplicet quod de omnibus quidam potius quam omnia Lucam dixiſſe interpretantur, quia de operibus quidem & doctrina Chriſti liceat aliquo uſque diſſerere: totam vero ſeriem pertexere, ut plena ſit narratio, nimiæ ſit molis. Quemadmodum Joannes admonet, mun- *Joan. 21.* dum libros non capturum. Notandum quoque eſt, *verſ. 25.* quod ſe ab initio operum Chriſti hiſtoriam exorſum dicit. Atqui expoſita Chriſti nativitate, mox ad *Luc. 2.* annum duodecimum tranſilit: ac poſtquam brevi- *verſ. 42.* ter narravit, illum diſputaſſe in templo, annis octodecim ſilentio tranſmiſſis, juſtam demum narrationem de Chriſti geſtis ingreditur. Conſtat igitur, facta tantum & dicta hic notari quæ ad ſalutis noſtræ ſummam faciunt. Ex quo enim Chriſtus carne noſtra indutus prodiit in mundum, veluti privatus domi vixit, uſque ad triceſimum ætatis annum, quo nnva illi perſona impoſita fuit à Patre. Priorem illam vitæ partem in nbſcuro latere voluit Deus, quo illuſtrior eſſet eorum notitia, quæ fidem noſtram ædificant.

Priorem ſermonem.] Ita vertere placuit: quia λόγον ποιεῖσθαι Græcis idem valet, quod Latinis Verba facere, vel Habere ſermonem: ſicuti Budæus annotavit. ſubaudienda autem eſt antitheſis hujus partis ſecundæ quam aggreditur, ut ſciamus novum ſcribendi conſilium ex novo argumento ab Euangeliſta ſumptum eſſe.

2. *Uſque ad eum diem.*] Ergo aſcenſus Chriſti in cælum, Euangelicæ hiſtoriæ finis eſt. Aſcendit enim *Epheſ. 4.* ut impleret omnia, inquit Paulus. Alios quidem ex *verſ. 10.* eo fructus fides noſtra colligit: ſed hoc loco ſatis fuerit nbſervare, tunc omnes redemptionis noſtræ partes completas fuiſſe & abſolutas, quum aſcendit Chriſtus ad Patrem: ideoque hac narratione Lucam officio ſuo fuiſſe perfunctum, quod ad Chriſti doctrinam & facta ſpectat. Ex *ſurſum* dicitur ſublatus, ut ſciamus, vere ex mundo hoc migraſſe: ne aſſentiamur eorum deliriis, qui nullam in aſcenſu mutationem loci factam eſſe putant.

Mandata per Spiritum.] Admonet his verbis Lucas, non ita receſſiſſe Chriſtum à mundo, ut nnſtri curam abjecerit: nam quod perpetuum in Eccleſia regimen conſtituit, hoc documento oſtendit, ſe velle ſaluti noſtræ conſultum. Imo teſtutus *Mat. 28.* eſt, ſe præeſſe & adeſſe ſuis velle uſque in finem: *verſ. 20.* ſicuti revera adeſt per ſuos miniſtros. Significat ergo Lucas, non prius abiiſſe Chriſtum quam Eccleſiæ ſuæ gubernationi proſpexerit. Unde ſollicitum eſſe de ſalute noſtra colligimus. Atque hanc providentiam diſerte notavit Paulus loco nuper citato, quod impleverit omnia, conſtituens Apoſtolos, Euangeliſtas, Paſtores, &c. Cæterum, Mandata hæc, quæ dediſſe Apoſtolis Chriſtum narrat, interpretor de prædicando Euangelio: quemadmodum legati, ne quicquam temere, præter ejus à quo mit-

tuntur voluntatem, tentent, certis præceptis inſtrui ſolent. Atque hoc totum poſitum eſt in ejus doctrinæ commendationem, quam Apoſtoli pertulerunt. Quod ut clarius pateat, ſingula ordine obſervanda ſunt. Primum Electos à Chriſto fuiſſe dicit: ut eorum vocatio nobis certa ſit ac comprobata. Neque enim hoc loco meritis hominum Dei electionem opponit: ſed tantum aſſerit, divinitus fuiſſe excitatos, nec temere ad hoc munus irrupiſſe. Verum quidem eſt illud, gratia eſſe electas: ſed nunc agitur de Lucæ conſilio, quorſum ſpectet. Dico autem non alio ſpectare quam ut certa nobis ſit Apoſtolorum vocatio, ut diſcamus non in homines reſpicere, ſed in Filium Dei auctorem: quia ſemper hoc in Eccleſia vigere debet; ne quis ſibi uſurpet honorem. Secundo dicit, Chriſti præceptis fuiſſe edoctos quidnam agere deberent. Acſi diceret, non protuliſſe ſua commenta: ſed quod à cœleſti Magiſtro illis erat injunctum, bona fide tradidiſſe. Et quo plus reverentiæ habeat quod illis præcepit Chriſtus, addit, hoc Spiritus directione factum. Non quod aliunde regi opus habuerit Filius Dei, qui æterna eſt ſapientia: ſed quia homo quoque erat, ne quis putaret humano ingenio tradidiſſe Apoſtolis quod tradidit, nominatim ad divinam auctoritatem nos revocat, ſicuti toties Dominus ipſe nihil ſe tradere affirmat niſi quod à Patre accepit: ac proinde negat doctrinam ſuam eſſe ſuam. Significat itaque in Euangelii prædicatione nihil eſſe humanum: ſed divinam eſſe Spiritus ordinationem, cui ſubjici totum mundum oporteat.

3. Quibus & ſeipſum exhibuit viventem, poſtquam paſſus erat, in multis probationibus, dum per quadraginta dies ab illis conſpicitur, & diſſerit de regno Dei.

4. Et congregans eos, præcepit ne diſcederent Jeroſolymis, ſed expectarent promiſſum Patris, de quo, *inquit*, audiſtis ex me:

5. Quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto poſt dies hos non multos.

3. *Quibus ſeipſum.*] Hoc ad faciendam reſurrectionis fidem addidit, ut eſt res in primis cognitu neceſſaria, & ſine qua totum Euangelium corruit, nec ulla reliqua eſt fides. Atque ut reliqua omittam, labaſcit tota Euangelii majeſtas, niſi ſciamus Chriſtum viventem è cœlis loqui: quo maxime Lucas reſpexit. Ergo ne dubia eſſet hujus rei veritas, dicit comprobatam fuiſſe multis ſignis. Quæ Eraſmus, poſt veterem interpretem, vocavit Argumenta, ego Probationes tranſtuli. Nam in ſignis quod eſt ἀνέλεγκτον, Ariſtoteli τεκμήριον dicitur, libro Rhetor. 1. Hoc eſt quod dixi, Chriſtum, ne ſua reſurrectio Apoſtolis incerta eſſet, multis evidentibus ſignis, & quæ vim neceſſariæ probationis haberent, teſtatam eam feciſſe. Porro, ſigna illa vel demonſtrationes non enumerat: niſi quod dicit, fere per ſeſquimenſem fuiſſe ab illis ſæpius viſum. Unus forte aſpectus ſuſpicionis aliquid haberet: ſed quum toties videndum ſe obtulerit, dubitationi nullum relinquit locum. Hoc etiam modo probrum ruditatis, quam fuiſſe in Apoſtolis narravit, delet, ne fidem deroget eorum prædicationi.

Diſſeris de regno Dei.] Iterum admonet, probe ab unico Magiſtro edoctos ante fuiſſe Apoſtolos quam orbis docendi provinciam ſuſceperint. Ergo quæcunque de regno Dei tam ore quam ſcriptis prodiderunt, illi ſunt ſermones à Chriſto habiti. Cæterum, hoc nomine breviter indicat quorſum tendat Euangelii doctrina: nempe, ut in nobis regnet Deus. Hujus regni initium eſt regeneratio: finis ac complementum, beata immortalitas: medii progreſſus ſunt in ampliore regenerationis profectu & augmento. Quo tamen res clarius pateat, primo notandum eſt, nos à regno Dei extraneos naſci & vivere, donec in novam vitam nos Deus refingat. Ergo proprie mundum, carnem noſtram, & quicquid eſt in hominis natura, regno Dei opponere licet. Nam animalis homo ſub mundi hujus elementis ſenſus omnes ſuos continet. hic felicitas quæritur, & ultimum bonum. Interea exulamus à regno Dei; & Deus quodammodo à nobis exulat: at Chriſtus Euangelii prædicatione nos ad futuræ vitæ meditationem evehit. Quod ut fiat, corrigit ac reformat in nobis terrenos affectus, adeoque carnis noſtræ vitiis exutos, à mundo nos ſegregat. Sicuti autem mors æterna omnes manet, qui ſecundum carnem vivunt: ita quatenus renovatur interior homo noſter in ſpiritualis vitæ profectum, ad perfectionem regni Dei magis accedimus: quæ eſt divinæ gloriæ ſocietas. Regnare ergo Deus nunc vult in nobis, ut tandem nos regni ſui participes faciat. Hinc colligimus, ſummam Chriſti ſermonum fuiſſe de humani generis corruptione, de tyrannide peccati cui mancipati ſumus, de maledictione & æternæ mortis reatu cui ſubjacemus omnes: item de modo recuperandæ ſalutis, de peccatorum remiſſione, de carnis abnegatione, de ſpirituali juſtitia, de ſpe vitæ cœleſtis, & ſimilibus. Et nos, ſi velimus in Chriſtianiſmo rite inſtitui, huc ſtudia noſtra applicare decet.

4. *Congregans eos, præcepit.*] Jam prius Apoſtolatu functi erant: ſed non niſi ad exiguum tempus, deinde eatenus ut ſuo præconio expergefacerent Judæos ad Magiſtrum audiendum. Adeoque prius illud mandatum docendi, quod illis Chriſtus *Mat. 10.*
in terris vivens injunxerat, quaſi præludium quod- *verſ. 7.*
dam erat futuri Apoſtolatus, cui nondum maturi erant. Non ergo ante Chriſti reſurrectionem ordinarium munus illis impoſitum fuit: ſed præconum inſtar, ut dixi, gentem ſuam excitarunt, ut Chriſto audientia fieret. A reſurrectione demum creati ſunt Apoſtoli, qui commiſſam ſibi doctrinam per totum mundum publicarent. Quod autem creatos, adhuc tamen abſtinere à munere jubet Chriſtus, id non fit ſine legitima cauſa. Imo plures cauſæ recenſeri poſſunt, cur ſic oportuerit fieri. Recens adhuc erat fœda illa magiſtri deſertio: recentes multæ incredulitatis notæ. Quum tam abſolute fuiſſent edocti, omnium ſubito obliti, ſpecimen ediderant nimis craſſæ ruditatis. Neque ab his vitiis aberat culpa ignaviæ: quæ non aliter commode purgari poterat quam promiſſam gratiam differendo: ut magis eorum deſiderium acueretur. Sed hæc cauſa in primis notanda eſt, quod Dominus tempus certum mittendo Spiritui præfixit, quo magis conſpicuum nobis eſſet miraculum. Deinde, eos tenuit aliquandiu otioſos, ut melius negotii, quod illis daturus erat, magnitudinem commendaret. Atque inde nobis confirmatur Euangelii veritas, quod ſe ad ejus promulgandi munus accingere vetiti ſunt Apoſtoli, donec temporis ſucceſſu rite præparati eſſent. Simul autem manere juſſi ſunt, quoniam uno omnes Spiritu donandi erant. Si fuiſſent diſperſi, unitas minus cognita fuiſſet. Poſtea, tametſi in varias partes fuerunt diſperſi, quia tamen attulerunt quod hauſerant ex eodem fonte, perinde id fuit acſi unum ſemper omnibus os fuiſſet. Præterea Jeroſolymis auſpicati eos Euangelii prædicationem oportuit, ut impleretur prophetia, E Sion prodibit Lex, *Eſa. 2.*
& ſermo Domini ex Jeruſalem. Quanquam partici- *verſ. 3.*

pium

pium συναλιζόμενος, varie transferri poteſt: mihi verſio Eraſmi placuit, quia Congregandi ſignificatio contextui melius quadrabat.

Expectarent promiſſum.] Qui Chriſti jugum paulo poſt impoſituri erant mundo, prius ad obedientiam aſſuefaciendi erant. Et ſane exemplo ſuo nobis monſtrarunt, non niſi Domini arbitrio quieſcendum vel operandum eſſe. Nam ſi tota vita ſub ejus vexillo & auſpiciis militamus, ſaltem non minus inter nos auctoritatis habere debet, quam habet quivis dux terrenus in ſuo exercitu. Ergo, quemadmodum hoc fert diſciplina militaris, ne quis imperatoris injuſſu ſe moveat: ita nos neque egredi, aut quicquam tentare fas eſt, quoad ſignum dederit Dominus: & ſimulatque receptui canit, quieſcere decet. Monemur etiam, ſpe fieri nos donorum Dei compotes. Verum ſpei natura, qualiter hic deſcribitur, obſervanda eſt. Neque enim ſpes eſt, quam ſibi temere quiſque fingit, ſed quæ in Dei promiſſione fundata eſt. Ideo non permittit Apoſtolis Chriſtus expectare quod ipſis libuerit: ſed nominatim addit, Patris promiſſionem. Ejus præterea ſe teſtem facit: quia nobis conſtare debet ea certitudo, ut etiamſi contra inſurgant omnes inferorum machinæ, maneat iſtud in animis noſtris fixum, Deo nos
2 Tim. 1. credidiſſe. Scio, inquit Paulus, cui crediderim.
verſ. 12. Cæterum, hic in memoriam revocat quæ habentur
Joan. 14. tur Joan. 14. & 15. & 16. Rogabo Patrem, & alium
verſ. 16. Paracletum dabit vobis, qui vobiſcum maneat:
Joan. 14. Spiritum, inquam, veritatis, &c. Item, Hæc lo-
verſ. 25. quutus ſum vobis, dum vobiſcum ſum. Spiritus au-
tem quem mittet Pater nomine meo, docebit vos
Joan. 15. omnia, &c. Item, Quum venerit Spiritus veritatis,
verſ. 26. quem vobis mittam à Patre meo, teſtimonium de me
Joan. 16. perhibebit. Item, Si abiero, mittam vobis Paracle-
verſ. 7. tum, qui mundum arguet. Dixerat etiam multo an-
Joan. 7. te, Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent
verſ. 38. aquæ vivæ, Joan. 7.

5. *Quia Joannes quidem.*] Hoc Chriſtus ex Joannis ipſius ſermone Apoſtolis repetit. Nam pars eorum ex ore Joannis audierant quod referunt Euangeliſtæ, Ego quidem baptizo vos aqua: qui autem poſt me venit, baptizabit Spiritu ſancto & igni. Nunc Chriſtus pronunciat ſenſuros re ipſa verum eſſe quod ille dixit. Porro, hoc non parum ad confirmationem proximæ ſententiæ valuit. Eſt enim argumentum ab officio Chriſti. Joannes miſſus eſt, ut baptizaret aqua. implevit ſuas partes, ut decuit Dei ſervum. Filio mandatus eſt baptiſmus Spiritus. Reſtat ergo, ut ipſe peragat munus ſuum. Neque enim fieri poteſt, quin exequatur quod illi Pater injunxit, & cujus cauſa deſcendit in terram. Sed abſurdum videtur, reſtringi ad viſibilem Spiritus miſſionem, quod generaliter de gratia regenerationis dictum erat. Reſpondeo, Chriſtum non tunc ſolum baptizaſſe Spiritu, quum illum miſit ſub linguis igneis. Jam enim hunc baptiſmum prius Apoſtolis contulerat: & quotidie electos omnes ſic baptizat. Sed quoniam inſignis illa Spiritus ſancti miſſio, ſymbolum fuit occultæ gratiæ quam aſſidue ſuis inſpirat Dominus, congruenter ad eam accommodat Joannis teſtimonium. Et certe fuit ille quaſi totius Eccleſiæ communis baptiſmus. Præterquam enim quod non ſibi privatim, ſed in uſum omnium fidelium Spiritum receperunt Apoſtoli, illic quaſi in ſpeculo oſtenſa fuit univerſalis Chriſti erga ſuam Eccleſiam gratia, dum pleno cornu, ut aiunt, Spiritus ſui dona effudit. Tametſi igitur quotidie electos Patris ſui baptizat Chriſtus, non tamen hoc obſtat, quominus rite hoc præ aliis memorabile ſpecimen protulerit: ut ſcirent Apoſtoli, tantum ſe inchoatos fuiſſe à Joanne: neque id fruſtra, quum perfectio inſtaret. Quod autem ex hoc loco & ſimilibus vulgo colligunt, diverſum fuiſſe Joannis baptiſmum à Chriſti baptiſmo, frivolum eſt. Neque enim hic de baptiſmo diſputatur: ſed comparatio fit duntaxat utriuſque perſonæ. Quum dicebat Joannes, ſe aqua baptizare, non tractabat qualis ſuus baptiſmus eſſet: ſed quiſnam eſſet ipſe: ne quod proprium erat Chriſti, ſibi arrogaret. Quemadmodum hodie Miniſtris non aliter loqui de ſe fas eſſet, quam ut Chriſto laudem omnium concedant quæ in Baptiſmo figurantur: ſibi nihil reliquum faciant, præter externam adminiſtrationem. Nam
quum Baptiſmo tribuuntur hæc elogia, quod ſit la- Tit. 3.
vacrum regenerationis, à peccatis ablutio, ſocietas verſ. 5.
mortis & ſepulturæ cum Chriſto, & inſitio in ejus Rom. 6.
corpus, iis non prædicatur quid homo externi ſigni verſ. 4.
miniſter efficiat, ſed potius quid ipſe Chriſtus, qui ſolus dat ſignis efficaciam. Hæc diſtinctio ſemper retinenda eſt, ne homines nimium ornando, Chriſtum ſpoliemus. Quæritur tamen cur Joannem potius quam alium quempiam hic nominet. Primum, ſatis liquet, quod Joannes ſe aquæ miniſtrum profeſſus fuerit, Chriſtum vero ſpiritualis baptiſmi au-
ctorem. Nempe quia ipſum minui, Chriſtum vero Joan. 3.
creſcere oportebat. Atqui inter Apoſtolos tanta ad- verſ. 30.
huc vigebat reverentia Joannis, ut poſſet Chriſti gloriam nonnihil obſcurare. Ergo Chriſtus, ut ad ſe unum revocet, tantum externo Baptiſmo à Joanne initiatos fuiſſe commemorat: ſimul tamen eos confirmat, ne de promiſſione dubitent. Multum enim Joanni deferebant: ideo perſuaſi erant non inanem eſſe baptiſmum, quem receperant ex ejus manu. jam ſi ejus efficacia & veritas à Chriſto expectanda eſt, certo debent ſperare Apoſtoli, completum iri quod Joannes figuravit. Sic nos ſtatuere debemus, non fruſtra hominis manu nos fuiſſe aqua baptizatos, quia Chriſtus, qui id fieri mandavit, partes ſuas peraget, ut nos baptizet Spiritu. Sic fides ab externo ſigno conſequentiam ducit ad interiorem effectum: neque tamen interea vel ſigno, vel miniſtro pluſquam par eſt, tribuit: quia in ſigno promiſſionem intuetur quæ Chriſti eſt, & eundem ſolum agnoſcit gratiæ auctorem. Tale ergo temperamentum ſervemus, ut nulla ex parte minuatur Chriſti honor: & tamen fructum qui hic notatur, ſperemus ex Baptiſmo noſtro. Temporis brevitate eos ad bene ſperandum alacriores reddit. Unde ſequitur, non pœnitendam fuiſſe mortem, quæ mox tam pretioſum fructum attulit. Cæterum, hoc quoque obſervemus, Baptiſmi nomen improprie hic uſurpatum, ut plena eſſet an-
titheſis. Eadem ratione Paulus, poſtquam Legem Rom. 3.
operum poſuit, ut antitheton ex adverſo reſponderet, verſ. 27.
Legem fidei uſurpat pro fide.

6. Illi vero quum eſſent congregati, interrogarunt eum, dicentes, Domine, an in tempore hoc reſtituis regnum Iſraëli?

7. Dixit autem illis, Non eſt veſtrum noſſe tempora & opportunitates, quas Pater in ſua ipſius poteſtate conſtituit.

8. Sed accipietis virtutem, quum ſupervenerit in vos Spiritus: & eritis mihi teſtes tam Jeroſolymæ, quam in tota Judæa & Samaria, & uſque ad extremum terræ.

6. Congregatos fuiſſe Apoſtolos refert, quum mota fuit hæc quæſtio: ut ſciamus non unius aut alterius ſtultitia eſſe motam, ſed ſimul omnium. Mira vero illorum fuit ruditas, quod tam abſolute, tantaque cura per triennium edocti, non minorem inſcitiam produnt, quam ſi nullum unquam ver-

bum audiſſent. Totidem in hac interrogatione ſunt errores, quot verba. Quærunt de regno: ſed regnum ſomniant terreſtre, quod opulentia, deliciis, externa pace, & ſimilibus bonis conſtet. Ejus reſtitutioni dum præſens tempus aſſignant, triumphare cupiunt ante militiam. Priuſquam enim operi cui deſtinati ſunt, manum admoveant, fructu laboris volunt potiri. Falluntur etiam in eo, quod ad carnalem Iſraëlem reſtringunt Chriſti regnum, quod ad ultimos uſque mundi fines propagandum erat. In tota porro quæſtione hoc vitii eſt, quod ſapere appetunt ultra juſtam menſuram. Non ignota proculdubio illis erant Prophetarum vaticinia de inſtaurando Davidis regno: Chriſtum ſæpius hac de re concionantem audierant: res denique vulgo trita erat, ut in miſerrima populi ſervitute, tamen futuri regni expectatione erecti omnium animi eſſent. Jam vero inſtaurationem hanc ſperabant adventu Meſſiæ. Inde factum eſt ut Apoſtoli, quum viderent Chriſtum excitatum, protinus ad illam mente transvolarent. Sed interea oſtendunt quam male profecerint ſub optimo magiſtro. Itaque Chriſtus brevi reſponſo ſingulos errores ſcite perſtringit: ut mox dicam. *Reſtituere*, hic, Rurſum vel de integro ſtatuere ſignificat, quod collapſum & multis ruinis deforme erat. Nam ex arido trunco Iſai naſci ſurculum oportuit, & tabernaculum Davidis miſere diſſipatum erigi.

7. *Non eſt veſtrum.*] Generalis eſt totius quæſtionis reprehenſio. Curioſa enim erat, quum ſcire appeterent Apoſtoli quod Dominus volebat abſconditum. Eſt autem hic ſapiendi modus, ut quantum ille progreditur docendo, ad diſcendum parati ſimus: libenter autem ignoremus quicquid ipſe nos celat. Quando autem nobis fere omnibus ingenita eſt ſtulta & inanis curioſitas, cui mox accedit audacia, diligenter obſervanda eſt hæc Chriſti admonitio, qua utrumque vitium corrigit. Verum, ut intelligamus ejus mentem, ſimul tenenda ſunt duo membra quæ conjungit. *Non* eſt, inquit, veſtrum ſcire, quæ Pater in ſua poteſtate poſuit. Loquitur quidem de temporibus: ſed quum aliarum rerum eadem ſit ratio, univerſale præceptum ſtatui debet: ut contenti Dei revelatione, nefas eſſe putemus de aliis inquirere. Hoc verum eſt temperamentum inter duo extrema. Papiſtæ, ut habeant craſſæ inſcitiæ prætextum, ſe Dei arcana omittere cauſantur. Quaſi vero tota fides ac religio noſtra aliunde conſtet, quam ex Dei arcanis. Faceſſat ergo Chriſtus cum ſuo Euangelio, ſi penitus à Dei arcanis abſtinendum eſt. Verum tenenda eſt, ut dixi, mediocritas. Cupidi enim ad diſcendum eſſe debemus, quatenus nos docet cæleſtis Magiſter: quæ autem latere vult, ea ne quis attingere audeat: ut nonniſi ad ſobrietatem ſapiamus. Itaque, quoties ſtulta plus ſciendi quam oportet, cupiditas nos ſollicitat, in memoriam revocemus hoc Chriſti dictum, Non eſt veſtrum noſſe. Niſi enim invito ipſo & vetante perrumpere libeat, ſatis ad laſciviam ingenii noſtri cohibendam habebit ponderis. Nunc, quod ad temporum præſcientiam attinet, eam modo inveſtigationem damnat Chriſtus, quæ ultra divinæ revelationis menſuram penetrat. Idque ſecundo membro, quemadmodum dixi, notatur, *Quæ* Pater in ſua poteſtate poſuit. Certe hyemem & æſtatem, & reliquas anni partes, frigus ac calorem, ſerenum aut pluvium tempus, in ſua
Gen. 1, verſ. 41. poteſtate Deus habet. Sed quia perpetuam fore annorum ſeriem teſtatus eſt, non dicitur in ſua poteſtate locaſſe quod hominibus communicavit. Quicquid arte, doctrina, judicio, uſu, comprehendunt philoſophi aut agricolæ, hoc Deus non dicitur retinuiſſe ſibi, quia apud eos quodammodo depoſuit. Idem & de Prophetis ſentiendum. Nam illorum officium fuit, ſcire quæ Dominus manifeſtabat. Verum cæcutire nos oportet in abſcondito rerum ſucceſſu, quoad futurum tempus. Nihil enim eſt quod nos magis ab officio retardet, quam nimis anxia hac in parte inquiſitio. Semper enim ex futuro eventu conſilium capere volumus: atqui Dominus eventum occultans, nobis præſcribit quid facto ſit opus. Hic conflictus exoritur, quia non libenter Deo ſinimus quod ſuum eſt, ut eventus ipſe ſolus gubernet: ſed ingerimus nos in alienam & importunam ſollicitudinem. In ſumma, prohibet Chriſtus ne ad nos transferamus quod Deus ſibi vendicat. In eo genere eſt eorum præſcientia, quæ ſibi ipſe ſuo arbitrio, præter noſtram opinionem & ſupra ingenii noſtri captum moderanda ſumpſit.

8. *Accipietis virtutem.*] Quod optimum frenandæ curioſitati remedium erat, Chriſtus eos revocat tam ad Dei promiſſionem, quam ad mandatum. Curioſitas fere ex otio & diffidentia naſcitur: diffidentiæ medetur promiſſionum meditatio. Mandata, ubi nos & noſtra ſtudia deceat occupari oſtendunt. Jubet ergo diſcipulos patienter expectare quod Deus promiſit, & intentos eſſe ad munus quod Deus injunxit, exequendum. Interea nimiam eorum feſtinationem perſtringit, quod nondum Spiritu ſancto donati, quæ propria ſunt ejus dona, præpoſtere anticipant. Neque enim id eſt recta via ingredi, quum ad militandum vocati eſſent, velle omiſſis laboribus molliter quieſcere. Quum ergo dicit, Accipietis virtutem, eos ſuæ imbecillitatis admonet, ne ante tempus ſectentur ea, quæ conſequi nequeunt. Utrumque legi poteſt: Accipietis virtutem Spiritus: aut, Veniente in vos Spiritu. Secundum tamen *melius* convenit: quia plenius eorum defectum exprimit, Donec Spiritus ſuperveniat.

Eritis mihi teſtes.] Duos hac una voce errores corrigit. Nam & prius eſſe pugnandum ſignificat, quam aſpirent ad triumphum: & aliam regni Chriſti naturam eſſe docet, quam putarent. Eritis ergo mihi teſtes: hoc eſt, Agricolam laborare oportet, antequam fructum percipiat. Hinc colligamus, in viam qua pervenitur ad regnum Dei, conjiciendos nunc eſſe oculos potius, quam ut de ſtatu futuræ vitæ ſubtiliter philoſophemur. Inquirunt multi, qualis olim futura ſit ſua beatitudo, quum in cælum recepti fuerint: quomodo autem illuc ſaltem accedant, nulla illis cura eſt. Atqui in primis renunciandum erat mundo. Diſputant de qualitate futuræ vitæ, quam habituri ſunt cum Chriſto: interim non cogitant mortis ejus oportere nos eſſe participes ut *2 Tim. 2,*
poſtea cum eo vivamus. Inſiſtat igitur quiſque in *verſ. 11.*
opere præſenti: militemus omnes ſtrenue ſub Chriſto: conſtanter & indefeſſis animis in curſu vocationis noſtræ pergamus: fructum Deus in tempore proferet. Sequitur altera correctio, ubi *teſtes* ſibi fore aſſerit. Hac enim voce falſam de regno terreno imaginationem excutere voluit diſcipulis: quia breviter ſignificat in Euangelii prædicatione conſiſtere. Non eſt igitur cur opes, delicias, externam potentiam, aut quicquam terrenum ſomnient, dum audiunt tunc regnare Chriſtum, ubi per Euangelii doctrinam ſibi mundum ſubjugat. Unde ſequitur, ſpiritualiter ipſum, non juxta rationem mundi imperare. Quod autem de carnali regno animis præſumpſerant Apoſtoli, ex communi totius gentis errore fluxit. Nec vero mirum eſt, hac in parte omnes fuiſſe hallucinatos. Primum enim quum illud metimur ſenſu noſtro, quid poſſumus niſi craſſum & terreſtre concipere? Huc accedit, quod pecudum inſtar toto ſenſu ad id quod carni noſtræ commodum eſt, ferimur. Ideo magis arripimus quod præſens eſt. Quare & Chiliaſtas eodem videmus fuiſſe delapſos. Hinc quoque factum eſt, ut vaticinia omnia quæ figurate Chriſti regnum ſub imagine terreſtrium regnorum deſcribunt, ad carnis commodum traherent; quum tamen Dei conſilium eſſet altius eorum mentes evehere. Nos vero ne iiſdem

impli-

implicemur erroribus, diſcamus animos noſtros ad Euangelii præconium referre, quod ſedem Chriſti regni in cordibus noſtris ſtatuit.

In tota Judæa.] Primum, non unius diei laborem fore ſignificat, dum totum illis orbem aſſignat Euangelii doctrina luſtrandum. Præterea falſam quam de Iſraële conceperant opinionem oblique refutat. Solos in eo ordine cenſebant, qui ex Abraham geniti erant ſecundum carnem. Teſtatur Chriſtus, Samariam aggregandam eſſe: quæ tametſi loco vicina, animis tamen maxime disjuncta erat. Teſtatur alias omnes regiones & remotas & profanas, ſancto populo uniendas eſſe, ut ejuſdem ſint gratiæ participes. Quantopere abhorruerint Judæi (*Joan. 4. verſ. 9.*) à Samaritanis, notum eſt. Nunc quaſi rupta maceria, unum ex utriſque fieri corpus jubet Chriſtus, (*Epheſ. 2. verſ. 14.*) ut regnum ſuum ubique erigatur. Jeroſolymam & Judæam nominans, quas experti fuerant diſcipuli infeſtiſſimis hoſtibus refertas eſſe, ſatis negotii ac moleſtiarum eos manere admonet: ut de propinquo triumpho cogitare deſinant. Neque enim parum horroris incutere illis debuit, prodire coram tot ſæviſſimis hoſtibus ad inflammandam eorum rabiem. Ac Judæis quidem priorem locum tribuit, quia veluti primogeniti erant. (*Exod. 4. verſ. 22.*) Gentes tamen omnes, quæ prius alienæ à ſpe ſalutis fuerant, promiſcue vocat. (*Epheſ. 2. verſ. 7.*) Hinc enim diſcimus, diſerto Chriſti mandato Euangelium ubique fuiſſe prædicatum, ut ad nos manaret.

9. Atque hæc loquutus, videntibus illis in altum ſublatus eſt, & nubes ſubduxit illum ab oculis eorum.

10. Quum autem eſſent defixis in cælum oculis, eunte illo, ecce viri duo aſtiterunt illis amicti veſtibus albis:

11. Qui & dixerunt, Viri Galilæi, quid ſtatis intuentes in cælum? Hic Jeſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet quemadmodum euntem ipſum vidiſtis in cælum.

9. Quid nobis proſit Chriſti aſcenſio, ex Inſtitutione noſtra diſcant lectores. Quia tamen unum eſt ex primis fidei noſtræ capitibus, ſedulo ad faciendam ejus fidem incumbit Lucas. Imo potius eam omni dubitatione eximere Dominus ipſe voluit, quum ita palam in cælum aſcendit & aliis circumſtantiis teſtatam fecit aſcenſus ſui certitudinem. Si enim clam evanuiſſet, hæſiſſent attoniti diſcipuli: nunc quum in edito & undique aperto ac patente loco conſtituti, eundem quocum verſati erant, quem nunc quoque loquentem audiunt, vident ſurſum attolli, oculis ſuis proſequuntur, nube ſubduci vident, non eſt cur dubitent quorſum abierit. Adſunt præterea Angeli, qui ſuo teſtimonio id confirmant. Hiſtoriam vero ita diligenter noſtra cauſa præſcribi oportuit, ut Filium Dei, tametſi nuſquam in mundo compareat, in cælis tamen vivere ſciamus. Quod autem nubes ejus conſpectum prius abſtulit quam in cæleſtem gloriam intraret, ideo factum videtur, ut ſuo modulo contenti, altius inquirere deſinerent. Nos quoque docemur ſub eorum perſona, non eſſe tantam mentis noſtræ perſpicaciam, ut ad gloriæ Chriſti altitudinem conſcendat. Nubes igitur iſta ſit coërcendæ noſtræ audaciæ obſtaculum: non ſecus ac fumus tabernaculi atrium occupans ſub Lege.

10. *Duo viri.*] A forma ſic denominat Angelos. Quanquam enim fieri poteſt, ut vere humanis corporibus induti fuerint (qua de re neutram in partem pugnare volo) non tamen homines certe erant: ſed quia frequenter in Scripturis occurrit hujus metonymiæ uſus, præſertim 5. lib. Moſ. longius non immoror. *Veſtes albæ*, ſymbolum fuerunt raræ & obſervandæ dignitatis. Nam hoc quaſi inſigni diſcernere eos voluit Deus à vulgo hominum, quo eſſent diſcipuli ad eorum dicta attentiores: atque ut nos quoque hodie ſciamus, oblatam divinitus illis fuiſſe hanc viſionem.

11. *Viri Galilæi.*] Ego iis nequaquam aſſentior qui probroſe nomen hoc fuiſſe Apoſtolis inditum putant, quaſi Angeli tarditatem ac hebetudinem eorum increparent. Meo judicio hoc quoque ad excitandam attentionem valuit, quod eos, ignoti & nunquam prius viſi, tanquam notos compellant. Videntur tamen immerito reprehendi quod in cælum ſuſpiciant. Ubi enim potius quærendus eſt Chriſtus? annon Scriptura ſubinde nos illuc invitat? Reſpondeo, non ideo reprehendi quia ſurſum oculos attollant: ſed quia oculis requirant Chriſtum, quum nuper interpoſita nubes corporeos omnes ſenſus ab eo inveſtigando arceret. Deinde, quod mox ſperabant rediturum, ut ejus conſpectu iterum fruerentur: quum aſcenderit ut in cælo maneat, donec ſecundo appareat judex mundi. Quare, diſcamus primum ex hoc loco, Chriſtum neque in cælo neque in terra aliter quam fide quærendum eſſe: deinde, non expetendam eſſe corpoream ejus præſentiam, ut nobiſcum in mundo verſetur. Nam qui in alterutro iſtorum hærebit, longius ſubinde ab eo abſcedet. Ita admiratio reprehenditur, non ſimpliciter, ſed quatenus eos obſtupefaciebat rei novitas: quemadmodum ſæpe ad magnitudinem operum Dei inconſiderate rapimur, ſtudium vero non applicamus ad finem reputandum.

Jeſus qui aſſumptus eſt.] Duo ſunt hujus ſententiæ membra. Prius eſt Jeſum cælo receptum eſſe, ne amplius ipſum ſtulto voto in terram retrahant. Alterum vero conſolationis vice mox additur, de ſecundo ejus adventu. Ex his duobus ſimul conjunctis, & ex utrovis ſeorſum firmum argumentum ducitur ad refutandos Papiſtas, & quoſvis alios, qui carnalem in panis & vini ſymbolis Chriſti præſentiam imaginatione ſua ſtatuunt. Nam quum aſſumptus in cælum dicitur Chriſtus, certe aperte notatur locorum diſtantia. Fateor quidem *cæli* nomen variis modis accipi: nunc pro aëre, nunc pro toto ſphærarum complexu, nunc pro glorioſo Dei regno, ubi Dei majeſtas propriam habet ſedem, utcunque totum mundum impleat. Qua ratione Paulus Chriſtum ſupra cælos omnes collocat, (*Epheſ. 4. verſ. 10.*) quia mundo ſit ſuperior, & in illo quoque beatæ immortalitatis domicilio ſupremum gradum obtineat: quia ſupra omnes Angelos emineat, quorum eſt caput. Sed hoc non obſtat quominus abſit à nobis, & Cælorum nomine ſeparatio à mundo ſignetur. Quantumlibet cavillentur, cælum quo ſublatus eſt Chriſtus univerſæ mundi machinæ opponi, planum eſt. Ergo ut in cælo ſit, extra mundum eſſe oportet. Verum in primis, quo intendant Angeli, ſpectandum eſt: nam inde certius de verborum ſenſu fiet judicium. Revocare volunt Angeli diſcipulos à carnalis præſentiæ deſiderio. In hunc finem non niſi ſecundo venturum denunciant. Nam huc pertinet temporis illius deſignatio, ne fruſtra ante venturum expectent. Quis non videt iiſdem verbis, corporis ejus abſentiam è mundo exprimi? Quis non videt prohiberi, ne in terra habere expetamus? Arguto ſophiſmate elabi ſe putant, quum dicunt tunc viſibili forma venturum: nunc autem quotidie inviſibilem venire. Sed hic de forma non eſt diſputatio, tantum admonentur Apoſtoli, ſinendum eſſe in cælo Chriſtum, donec extremo die appareat. Votum enim corporeæ præſentiæ, tanquam abſurdum & perverſum damnatur. Negant carnalem eſſe carnis præ-

Digitized by Google

ſentiam, dum glorioſum corpus ſupernaturali modo & per miraculum nobis adeſt: ſed eorum commenta de corpore glorioſo, tanquam ludicra & puerilia, reſpuere licet. Miraculum ſibi fingunt ipſi, nullo Scripturæ teſtimonio. Jam glorioſum erat Chriſti corpus, dum à reſurrectione verſatus eſt cum ſuis diſcipulis. Id extraordinaria & arcana Dei virtute factum eſt. Eo tamen modo Angeli poſthac deſiderari vetant, & negant ad homines venturum eſſe. Ergo, juxta eorum præceptum, ne eum è cælo figmentis noſtris detrahamus: nec manibus aut reliquis ſenſibus magis quam oculis, putemus fore nobis præſentem. De corpore ſemper loquor. Nam quod infinitum eſſe dicunt, ut abſurdum ſomnium eſt, ita ſecure repudiandum. Interea libenter fateor, Chriſtum aſcendiſſe, ut impleat omnia: ſed diffuſum ubique eſſe dico, Spiritus ſui virtute, non carnis eſſentia. Fateor præterea, & verbo & ſacramentis eum nobis adeſſe. Neque vero dubitandum eſt, quin vere participes fiant carnis & ſanguinis ipſius qui illorum ſymbola fide recipiunt. Sed hæc communicatio nihil commune habet cum Papiſtarum deliriis. Perinde enim Chriſtum ſibi ad altare fingunt, ut Numa Pompilius Jovem ſuum Elicium devocabat: aut ſagæ Lunam ſuis incantationibus è cælo detrahunt. Chriſtus autem, panem in Cœna porrigendo, in cælum nos invitat, ut fide vitam ex ſua carne & ſanguine hauriamus. Ita caro ejus, ut nobis vivifica ſit, nequaquam in nos trajicitur, ſed arcana Spiritus ſancti virtute ſuam in nos vim transfundit.

Sic veniet.] Dixi hac conſolatione mitigari, imo prorſus tolli abſentiæ triſtitiam, quum rediturum Chriſtum audimus. Nam finis ſimul notandus eſt: quod ſcilicet adveniet Redemptor, qui ſecum nos in beatam immortalitatem colligat. Nam ut nunc non ſedet in cælo otioſus (quemadmodum dii Homerici finguntur deliciis ſuis vacare) ita nec ſine fructu iterum videbitur. Ergo ſola Chriſti expectatio, & importuna carnis noſtræ deſideria compeſcere, & noſtram in adverſis omnibus patientiam ſuſtentare, & tædium noſtrum ſolari debet. Atque id efficit apud fideles, qui eum ſibi redemptorem ſtatuunt. nam impiis non alium quam formidinis & horroris ſenſum affert. Atque ut nunc ſubſannent, quum de ejus adventu fit mentio, aſpicere cogentur pro tribunali ſedentem, quem nunc loquentem audire non dignantur. Porro, quæſtionem de veſtibus movere, quibus credibile eſt ipſum fuiſſe tunc amictum, an cum illis venturus ſit, nugatorium eſt. Quod Auguſtinus ad Conſentium attingit, epiſtola 146. refellere animus non eſt: quod tamen explicare nequeo, præſtat intactum relinquere.

12. Tunc reverſi ſunt Jeroſolymam, à monte qui vocatur Oliveti, qui vicinus eſt Jeroſolymæ, diſtans Sabbathi iter.

13. Et ingreſſi aſcenderunt in cœnaculum, ubi manſerunt Petrus & Jacobus, Joannes & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Jacobus Alphæi, *& Simon* Zelotes, & Judas Jacobi.

** vel, mulieribus.*
14. Hi omnes perſeverabant unanimiter in oratione & precatione, cum * uxoribus, & Maria matre Jeſu, & cum fratribus illius.

12. Ut tranſitum ſibi ad aliam hiſtoriam faciat, refert diſcipulos, quum Jeroſolymam reverſi eſſent, ſimul habitaſſe in uno cœnaculo. Erat autem pars ſuperior domus, quæ locari ſolebat inquilinis: pars enim quæ commodior erat, retinebatur à dominis. Quare, hac voce ſignificat Lucas, quaſi in anguſtum locum fuiſſe conſtrictos: neque tamen compulſos fuiſſe hoc incommodo, ut alii ab aliis diſcederent. Poterant quidem ſeorſum agere paulo commodius, ſed diſtrahi fas non erat ante acceptum Spiritum. Quod notat loci diſtantiam, ad fidem hiſtoriæ facit: niſi forte hoc quoque exprimere voluit, non fuiſſe periculi metu territos, quin ſimul redirent & coirent in unas ædes, eaſque non adeo amplas, quin turba major quam ferebat loci ſpatium, aliquid rumoris creare poſſet. *Iter* Sabbathi duo millia paſſuum habuit: eaque ſupputatio congruit cum loco Joannis, ubi dicit Jeroſolymam diſtare à Bethania quindecim fere ſtadiis, quæ mille & nongentos circiter paſſus continent. *Joan. 11. verſ. 18.* Mons autem Oliveti ad latus erat Bethaniæ. Iter Sabbathi à Lege præſcriptum non erat: ſimpliciter enim quietem Dominus in Lege præcipit: ſed quia non facile continebantur Judæi, quin Sabbatho ad ſua negotia excurrerent (quemadmodum videmus Dominum conqueri quod onera efferant extra portas) *Jer. 17. verſ. 24.* ideo credibile eſt ad cohibendam ejuſmodi laſciviam, communi Sacerdotum concilio edictum fuiſſe, ne ultra duo millia Sabbatho conficere liceret. Tametſi Hieronymus in reſponſis ad Algaſiam, hanc traditionem à duobus Rabbinis fluxiſſe commemorat, Attriba ſcilicet, & Simone Heli.

13. *Ubi manſerunt.*] Alii vertunt, Manebant: quaſi habitare illic ſoliti eſſent. Ego autem conductitio loco potius uſos tunc primum ad cohabitandum fuiſſe arbitror, donec adveniret Spiritus. Pluſquam ridiculi ſunt Papiſtæ, dum Petri primatum ex eo deducunt, quod hic primus nominatur inter Apoſtolos. Quanquam, ut fateamur primum fuiſſe inter duodecim, non tamen propterea conſequens eſt, toti mundo præfuiſſe. Verum, ſi ideo Apoſtolorum eſt princeps, quia nomen ejus in catalogo primum ponitur: ego viciſſim inferam matrem Chriſti, mulierum omnium poſtremam fuiſſe, quia in ultimum locum hic rejecta eſt. Quod nullo modo admittent: ut certe nimis abſurdum foret. Quare niſi Papatum ſuum velint exponere omnium ludibrio, ut hactenus fecerunt, deſinant talibus ipſum ineptiis ornare. Sed quid facerent? probare volunt ex Scripturis ſecundarium aliquod à Chriſto fuiſſe Eccleſiæ caput. Nulla prorſus ſyllaba extat, quæ eorum commento ſuffragetur. Non mirum igitur ſi hinc inde temere locos arripiant, quos, etiamſi nemo illis excutiat, ſponte tamen è manibus amitteot. Verum, illis omiſſis, potius obſervemus Lucæ conſilium, Quoniam turpiter diffugerant à Chriſto diſcipuli, & dilapſi fuerant quo ſuus quemque timor expulerat, *Mat. 26. verſ. 56.* merebantur tanquam deſertores aut perfugæ honore abdicari. Ergo, ut ſciamus iterum auſpiciis Domini de integro collectos ac reſtitutos in ſuum gradum, Lucas ſingulorum nomina exprimit.

14. *Cum uxoribus.*] Alii Mulieres vertunt, & putant eas deſignari quæ fuerant Chriſti comites. Ego, ut nolim cum quoquam de hac re rixari, ita præferre non dubitavi quod probabilius eſſe judicabam. Fateor utroque modo poſſe accipi verbum quod uſurpat Lucas. Verum, cur de uxoribus loqui putem, hæc ratio eſt, quod quum uxores ſuas circumducere poſtea ſoliti fuerint, teſte Paulo, *1 Cor. 9. verſ. 5.* non eſt veriſimile fuiſſe tunc diviſos. Multo enim facilius erat uno in loco quieſcere, quam peregrinando ſubinde mutare locum. Deinde, cur propinquum Spiritus adventum expectantes, tanti boni ſocietate uxores privaſſent? Petro uxor futura erat paulo poſt adjutrix. Idem & de reliquis ſentiendum. Heroica fortitudine & conſtantia opus habebant mulieres illæ, ne deficerent. Quis ergo credat fuiſſe à maritis excluſas, dum Spiritus virtutem expectant? Quod

ſi no-

ſi nomen generale retinere placeat: ſaltem conjuges in numero cenſeri, rationi conſentaneum eſt. Utcunque ſit, voluit Lucas obiter nos monere quantum mutati eſſent in melius animi. Nam quum viri ante metu perculſi fugiſſent, nunc ſimul cum ipſis collectæ ſunt mulieres, nec periculum ullum formidant. Matrem Chriſti adjungit aliis mulieribus, quam tamen domi ſuæ Joannes aluiſſe dicitur. Verum omnes, ut dixi, nonniſi ad tempus convenerant. Poſtea non dubium eſt quin alii alio migraverint. Sub *fratrum* nomine quoslibet cognatos ab Hebræis comprehendi, ſatis notum eſt.

Hi omnes perſeverabant.] Hic oſtendit animis intentos fuiſſe in Spiritus expectationem. Hæc enim illis eſt precandi cauſa, ut Chriſtus Spiritum mittat ſicuti promiſit. Unde colligimus eam demum eſſe veram fidem, quæ nos ad Deum invocandum ſollicitat. Multum enim differt à ſocordia, fidei ſecuritas. Nec ſane ideo Dominus nos gratiæ ſuæ certiores reddit, ut ſe in torporem mentes noſtræ abjiciant: ſed potius ut precandi ſtudium acuat. Neque vero dubitationis ſignum eſt precatio, ſed potius fiduciæ teſtimonium: quia petimus à Domino, quæ pollicitum eſſe ſcimus, ut precibus noſtris concedat. Ita nos quoque eorum exemplo precibus inſtare convenit, ut quotidiana Spiritus augmenta impetremus. Augmenta dico: quia priuſquam orationem concipere liceat, primitiis nos donatos eſſe neceſſe eſt. Quandoquidem unus eſt idoneus rite orandi magiſter, qui non modo verba nobis dictat, ſed interiores affectus regit. (*Rom. 8. verſ. 26.*) Duo præterea exprimit Lucas, quæ ſunt veræ orationi propria: nempe quod perſtiterint, & fuerint unanimes. Fuit hoc patientiæ ipſorum exercitium, quod aliquandiu eos Chriſtus ſuſpenſos tenuit, quum ſtatim poſſet Spiritum mittere. Ita Deus ſæpe differt, ac quodammodo nos languere patitur, ut ad perſeverantiam aſſuefaciat. Vitioſa eſt, imo noxia peſtis, votorum feſtinatio: quare non mirum eſt ſi eam Dominus caſtiget. Interea, ut dixi, ad precandi conſtantiam nos exercet. Ergo ſi volumus non fruſtra orare, ne mora temporis fatigemur. Quantum ad animorum concordiam ſpectat, diſſipationi quam attulerat pavor, opponitur. Simul tamen in genere, quam ſit in orando neceſſaria, vel hinc colligere promptum eſt, quod Chriſtus ſingulos pro toto corpore, & in commune, quaſi ſub omnium perſona orare jubet, Pater noſter, Da nobis, &c. (*Matth. 6. verſ. 9.*) Unde hæc linguarum unitas, niſi ab uno Spiritu? Quare Paulus 15. ad Rom. quum vult Judæis & Gentibus bene orandi regulam tradere, omnem procul ſimultatem amovet: (*Rom. 15. verſ. 6.*) Ut unanimes, inquit, uno ore glorificemus Deum. Et certe ut Deus invocetur à nobis Pater, fratres nos eſſe, & fraterne conſentire oportet.

15. In diebus illis exurgens Petrus in medio diſcipulorum, dixit, (erat autem turba
nominum ſimul fere centum viginti)
16. Viri fratres, oportuit impleri Scripturam hanc, quam prædixit Spiritus ſanctus
per os Davidis, de Juda, qui fuit dux iis qui comprehenderunt Jeſum:
17. Qui cooptatus fuerat in numerum noſtrum, & ſortitus erat partem miniſterii
hujus.
18. Et hic quidem * poſſedit agrum ex mercede iniquitatis, ſuſpenſuſque crepuit me-
dius, & effuſa ſunt omnia ejus viſcera.
19. Et innotuit omnibus habitantibus Jeroſolymæ: ita ut vocatus ſit ager ille lingua
eorum, Haceldema, hoc eſt, ager ſanguinis.
20. Scriptum eſt enim in libro Pſalmorum, Fiat habitatio ejus deſerta, & non ſit qui
inhabitet, & Epiſcopatum ejus accipiat alius.
21. Oportet igitur ex iis qui nobiſcum fuerunt congregati toto tempore quo intravit
& exivit inter nos Dominus Jeſus,
22. Incipiens à baptiſmate Joannis uſque in diem qua aſſumptus eſt à nobis, unum
fieri teſtem nobiſcum reſurrectionis ejus.

* *vel, paravit.*

15. Subrogari in locum Judæ Matthiam oportuit, ne unius hominis perfidia concidiſſe vel abruptum eſſe videretur quod ſemel Chriſtus ſtatuerat. Non temere initio duodecim elegit primarios Euangelii ſui præcones. (*Mat. 19. verſ. 24.*) Nam quum judices duodecim tribuum Iſraël fore denunciat, conſulto hoc factum fuiſſe docet, ut Tribus Iſraël per totum orbem diſperſas in unam fidem colligerent. Poſtquam autem Judæi oblatam ſibi gratiam reſpuerunt, Iſraëlem Dei etiam ex Gentibus univerſis colligi oportuit. Erat ergo hic veluti ſacer numerus: qui ſi imminutus fuiſſet Judæ ſcelere, minus fidei habuiſſet, atque hodie haberet Euangelii prædicatio, cujus exordium, ut ita loquar, claudicaret. Quamvis ergo Judas Chriſti inſtitutum, quantum in ſe fuit, violaſſet, ſtetit nihilominus firmum ac inviolabile. Periit ille, ut dignus erat: Apoſtolorum tamen ordo integer manſit.

Turba nominum.] Incertum eſt an viros hac loquutione deſignet, qui ſoli proprie nomen habent, quum mulieres ſub virorum nomine cenſeantur: an vero ſimpliciter Nomina pro ſingulis capitibus accipiat, ut Hebræi animas dicunt. Dubitari etiam poteſt, ſintne ſoliti quotidie frequentare cœnaculum illud in quo degebant Apoſtoli, an ſimul perpetuo habitarint. Vix enim tantæ multitudinis capax fuiſſet locus ad omnes vitæ neceſſitates. Et certe mihi eſt veriſimilius, Lucam hic exprimere numerum, ut ſciamus tunc fuiſſe congregatos omnes quum habuit Petrus concionem. unde conjici poſſet non ſemper adfuiſſe. Ego quanquam nihil affirmare audeo, probabili tamen conjectura adductus potius huc inclino, tunc accitam fuiſſe totam Eccleſiam, quia de re ſeria agendum erat. atque huc tendit Surgendi verbum.

16. *Oportuit impleri Scripturam.*] Quia Petrus verba facit, Papiſtæ eum univerſæ Eccleſiæ faciunt caput. Quaſi nemo in cœtu piorum loqui poſſit, quin Papa extemplo fiat. Fatemur ſane, ut neceſſe eſt unum aliquem in quovis cœtu primas tenere, ita Apoſtolos detuliſſe Petro hunc honorem. Sed quid hoc ad Papatum? Quare, illis valere juſſis, expendamus quid per os ejus Spiritus pronunciet. Præfatur oportuiſſe impleri Scripturam: ne quem turbaret horribilis Judæ caſus. Minime enim conſentaneum videbatur, ut qui ſelectus fuerat à Chriſto ad munus tam præclarum, initio ſui curſus ita fœde corrueret. Ejuſmodi ſcandalum tollit Petrus, quum Scripturis fuiſſe prædictum recitat. hinc elicitur admonitio ad quotidianam praxin valde appoſita, hunc Scripturæ prædictionibus dandum eſſe honorem, ut ad ſedandas in rebus inopinatis conſternationes valeant. Nihil enim magis nos conturbat quam dum ſubſidimus in proprio ſenſu, & nobis ipſi creamus offendicula, quibus mederi

paratus eſſet Deus; ſi hoc nobis fixum eſſet, nihil eſſe abſurdum quod ille prævidit, ſtatuit, atque etiam prædixit ut nos redderet fortiores. Neque tamen ideo excuſabilis fuit Judas, quia prædictum fuerat quod illi accidit, quando non prophetiæ impulſu, ſed cordis ſui malitia deſcivit. Eſt autem bimembris Petri oratio. Priore enim loco offenſionem diluit, quam ex Judæ ruina piæ mentes concipere poterant. imo inde exhortationem colligit, ut diſcant reliqui Deum timere. Deinde, reſtare admonet, ut alius in ejus locum ſubrogetur. Utrumque probat Scripturæ teſtimonio.

Quam prædixit Spiritus ſanctus.] Tales loquendi formulæ majorem Scripturis reverentiam conciliant, dum admonemur Davidem omneſque Prophetas ſola Spiritus directione loquutos eſſe, ut non ipſi prophetiarum ſint auctores, ſed Spiritus, qui eorum lingua tanquam organo uſus eſt. Quum igitur ea ſit noſtra ſocordia, ut Scripturis longe minus deferamus quam decebat, diligenter notandæ ſunt formulæ iſtæ, atque ipſis etiam aſſueſcendum, ut Dei auctoritas ad confirmandam noſtram fidem ſubinde memoriæ noſtræ recurrat.

17. *Cooptatus.*] Ad verbum eſt Adnumeratus. Dicit autem unum ex numero fuiſſe, ut innuat, locum vacuum oportere impleri, quo numerus integer maneat. Eodem pertinet quod ſequitur, Eum miniſterii partem ſortitum eſſe. Inde enim ſequitur, mutilum quodammodo fore corpus, ſi pars illa deſit. Fuit quidem ſtupenda res, cum qui in tam excelſum honoris gradum evectus à Chriſto fuerat, præcipitari in tale exitium. Quæ circumſtantia atrocitatem ſceleris auget: atque reliquos admonet, ut ſibi caveant & metuant. Nec dubium quin valde triſtis & acerba ejus commemoratio fuerit inter diſcipulos. Sed nominatim exprimit Petrus functionis excellentiam, quo magis attenti ſint ac ſolliciti ad quærendum remedium.

18. *Et hic quidem.*] Mihi veriſimile eſt, narrationem hanc de Judæ exitu interpoſitam fuiſſe à Luca: ideoque parentheſi includere placuit, ut à Petri concione ſeparetur. Quorſum enim attinebat, diſcipulis rem notam recenſeri? Deinde abſurdum fuiſſet, ita loqui apud eos, Agrum ea proditionis mercede emptum, à Judæis ſua lingua vocari Haceldema. Nam quod reſpondent quidam, Petrum hoc dicere Galilæis, qui diſtinctam à Judæis linguam habebant, frivolum eſt. Pronunciatio quidem erat aliquantum diſſimilis: ſed ita, ut ſe mutuo familiariter intelligerent: ut Pariſienſes, & Rotomagi. Præterea qui conveniret nomen Jeroſolymæ, ubi Petrus ſermonem habebat? Quorſum inter Hebræos vernaculæ linguæ Græca interpretatio? Ergo Lucas, ne lectoribus obſcura eſſent Petri verba propter ignorantiam hiſtoriæ, ſententiam de morte Judæ in ſua perſona interpoſuit.

Poſſedit agrum.] Media eſt verbi ſignificatio. Sed hic potius, meo judicio, poſſidere ſignificat, quam parare. Quia tamen parum refert utrumvis legas, in medio relinquo. Sic autem loquitur, non quod uſum agri habuerit Judas, vel quod agrum emerit ipſe, qui emptus fuit eo jam mortuo. Sed Lucas dicere voluit, ſepulturam cum perpetua ignominiæ nota, perfidiæ & ſceleris illi fuiſſe præmium. Neque enim tam Chriſtum triginta denariis, quam ſuum Apoſtolatum vendidit. Argento potitus non eſt: agrum duntaxat retinuit. Porro admirabili Dei providentia factum eſt, ut vulgare agri nomen publica infamia notaret Sacerdotes, qui ſanguinem innoxium à proditore emerant. Dicit Hebræos ſua lingua ſic vocaſſe, quia natione Græcus erat. Et linguam Hebraicam vocat, qualis poſt exilium Babylonicum in uſu erat Judæis, mixta ſcilicet ex Syriaca & Chaldaica.

20. *Scriptum eſt in libro Pſalm.*] Scandalum quod alioqui paritura erat Judæ abdicatio, Scripturæ auctoritate tollit. Videri tamen poſſet locus hic violenter detortus: primum, hæc David non uni tantum homini, ſed hoſtibus ſuis plurali numero imprecatur. Deinde quæ de hoſtibus Davidis dicta ſunt, videtur Petrus male ad Judam trahere. Reſpondeo, ſic loqui illic de ſe Davidem, ut conditionem regni Chriſti deſcribat. Pſalmus, inquam, ille communem totius Eccleſiæ, quæ corpus eſt Filii Dei, imaginem continet. Proinde in capite ipſo, quæ illic habentur, impleri oportuit, ſicuti impleta Euangeliſtæ referunt. Nunc ſi quis objiciat, non competere in Judam, quæ in hoſtes Davidis fuerant dicta: promptum erit excipere, eo ipſo competere potius, quia David non ſe illic ſolum reſpiciat, quaſi ab Eccleſiæ corpore ſeparatum: ſed potius tanquam unum ex Chriſti membris, adeoque ejus imaginem geſtans prodeat in medium illius nomine. Hanc ſingularem perſonam Davidi fuiſſe impoſitam quiſquis tenebit, ut Chriſtum figuraret: non mirabitur huic aptari, quod in illo fuit adumbratum. Quare etſi totam Eccleſiam comprehendat, à capite ſumit initium, ac præcipue deſcribit quæ paſſurus eſſet Chriſtus ab impiorum manu. Scimus enim ex Pauli doctrina, quicquid malorum patiuntur ſancti, afflictionum Chriſti eſſe partes, & ad complementum earum ſpectare. Illa certe connexio ac ſeries à Davide fuit obſervata, vel potius à Spiritu Dei, qui per os Davidis totam Eccleſiam docere voluit. Quod autem de Chriſti perſequutoribus communiter dictum eſt, jure in anteſignanum confertur. cujus ut impietas & ſcelus eminet, ſic pœna conſpicua & memorabilis eſſe debet. Si quis rurſum objiciat, imprecationes referri in Pſalmo, non vaticinia: ideoque improprie Petrum colligere, hoc oportuiſſe fieri: facilis eſt ſolutio. Neque enim David perverſo aut vitioſo carnis affectu ad vindictam expetendam incitatus fuit, ſed Spiritum habuit ducem ac directorem. Vim ergo prædictionum habent, quæcunque inſtinctu Spiritus precatus eſt: quia non alia Spiritus expoſcit, quam quæ præſtare Deus apud ſe decrevit, & nobis quoque vult polliceri. Quum autem duo ex Pſalmis diverſa teſtimonia citet Petrus, prius huc tendit, Judam cum nomine & familia fuiſſe delendum, ut vacuus eſſet locus: alterum vero, quod ex Pſalmo centeſimo nono adducitur, fuiſſe alium ſubrogandum, qui in ejus vicem ſubiret. Pugnare quidem in ſpeciem videntur, Habitatio deſerta, & Succeſſio: ſed quia priore loco Spiritus tantum è medio tollendos Eccleſiæ adverſarios pronunciat, ut locum vacuum & ſine habitatore relinquant quantum ad ipſos pertinet: hoc non impedit, quin alienus poſtea ſucceſſor locum deſertum occupet. Imo hoc pœnæ gravitatem auget, quod honos, poſtquam ablatus eſt indigno, transfertur ad alienum.

Et Epiſcopatum ejus.] Non potuit magis proprie Hebraica vox transferri: *Pecudah* Præfecturam enim ſignificat, ab inſpectione ſic dictam. Nam qui Uxorem interpretantur, eos contextus refellit. De uxore enim ſequitur proximo verſu, Ut fiat vidua. Ergo poſtquam vita optavit privari impium, ſimul etiam addit, ut honore ſpolietur: neque id modo, ſed ut illi alius ſuccedat. quo pœna, ut prius memini, duplicatur. Oblique interea notat, fœdifragum & ſceleratum de quo loquitur, non fore ex vulgo quemlibet: ſed præditum dignitate, à qua tamen excidet. Cæterum diſcendum eſt ex hoc loco, non impune ceſſurum impiis, quod Eccleſiam Dei perſequuti fuerint. Hic enim infelix exitus omnes manet.

21. *Oportet igitur.*] Videri primo intuitu poſſet longe petita illatio. Neque enim ſi de Epiſcopatu Judæ transferendo loquutus eſt David, ideo protinus ſequitur eligendum eſſe ſucceſſorem à diſcipulis:

ſed quia ſciebant injunctam conſtituendæ Eccleſiæ curam ſibi eſſe, ſimulatque oſtendit hoc placere Domino fieri, merito inde colligit, debere ipſos exequi. Nam quum opera noſtra uti velit Deus ad tuendum Eccleſiæ regimen, ſimulac de ejus voluntate redditi ſumus certiores, ceſſare fas non eſt, quin ſtrenue præſtemus quicquid miniſterii noſtri ratio poſtulat. Id extra controverſiam erat, quænam eſſent Eccleſiæ partes. Sicuti hodie, quum audimus abdicandos eſſe officio, qui ſe perperam & flagitioſe gerunt, & alios ſubrogandos, hanc curam ſuſcipere Eccleſia debet. Quare, ſupervacuum fuit de re indubia movere quæſtionem. Ergo meminerimus ſemper reputare, quid officii noſtri ſit, ut præſto ſint Domino noſtra obſequia. Quum autem de creando Apoſtolo diſſerat, teſtem reſurrectionis dicit oportere fieri. Qua ſignificat, non eſſe Apoſtolatum ſine Euangelii præconio. Unde etiam apparet, quam frivoli ſint Epiſcopi Papales, qui mutis tantum larvis induti, tamen Apoſtolorum ſucceſſione gloriantur. Verum quid ſimile? fateor quidem requiri hic à Petro teſtem oculatum, qualem ſe Joannes prædicat, quum dicit, Qui vidit, teſtimonium

Joan. 1. verſ. 35. perhibet. Nam hoc ad fidem adſtruendam non mediocriter valebat. Sed interea docendi neceſſitate ſe & collegas adſtringit Petrus dum facit reſurrectionis Chriſti præcones. Reſurrectionem nominat, non quod de ea ſola teſtari conveniat: ſed quia primum ſub hac comprehenditur mortis prædicatio: deinde quoniam in ea finem redemptionis noſtræ & complementum habemus, & ſecum trahit cœleſte Chriſti imperium & Spiritus potentiam in ſuis tuendis, in ſtabilienda juſtitia & rectitudine, in ordine inſtaurando: rurſum in abolenda peccati tyrannide & omnibus Eccleſiæ hoſtibus profligandis. Sciamus itaque hoc nomine nequaquam excludi quæ neceſſario cohærent. Interea notemus reſurrectionem præ aliis commemorari, quaſi primarium Euangelii caput, quemadmodum etiam Paulus docet 1 Cor. 15. *1 Cor. 15. verſ. 17.* Sed an ſoli Apoſtoli reſurrectionis teſtes fuerunt? Annon hoc reliquis etiam diſcipulis fuit commune? Videtur enim Petrus has partes ſolis Apoſtolis vendicare. Reſpondeo, ipſis ideo tribui ejuſmodi elogium, quia peculiariter ad id delecti erant, & principem habebant locum in perferenda hac legatione. Non ergo ſoli erant, tametſi præcipui.

Toto tempore.] Initium temporis ſumit ex quo cœpit Chriſtus innoteſcere mundo. Quod diligenter obſervandum eſt, ſicut prius admonui. Nam fere uſque ad annum triceſimum, quaſi privatus *Luc 3. verſ. 23.* homo latuit. Cognoſci enim noluit, niſi quatenus ſalutis noſtræ referebat. Ergo quum adeſſet tempus obeundi muneris, quod illi à Patre erat injunctum, quaſi novus homo & nuper natus prodiit. Hoc quantum ad frenandam noſtram curioſitatem valeat, cuivis animadvertere promptum eſt. Tota ſane Chriſti vita admirabile ſpeculum pluſquam abſolutæ perfectionis eſſe potuit: & tamen, ut nos in eorum ſtudio & conſideratione retineret quæ erant cognitu maxime neceſſaria, majorem vitæ ſuæ partem obſcuram & quaſi ſepultam eſſe voluit. Quis jam audeat extra Chriſtum evagari, quum ipſe ſui notitiam ad fidei ædificationem attemperet? Intrare & exire Hebræi accipiunt pro verſari inter homines, & habere communem vitæ conſuetudinem. Quo ſenſu dicuntur incolæ urbis ingredi & egredi per ejus portas. Sic Joannis 10. Siquis per me in- *Joan. 10. verſ. 9.* troierit, ingredietur & exibit, & paſcua inveniet. Quanquam 2 Chronic. 1. videtur eſſe nota imperii *2 Paral. 1. verſ. 10.* aut præfecturæ.

23. Tunc ſtatuerunt duos, Joſeph cognomine Barſabam, qui vocabatur Juſtus, & Matthiam:

24. Et precando dixerunt, Tu Domine, qui cognoſcis corda hominum, oſtende utrum ex his duobus elegeris,

25. Qui accipiat ſortem miniſterii hujus & Apoſtolatus, ex quo Judas excidit, ut abiret in locum ſuum.

26. Et dederunt ſortes eorum, & cecidit ſors ſuper Matthiam, & conſcriptus fuit undecim Apoſtolis.

23. Unus ſufficiendus erat in locum Judæ: duos ſiſtunt in medio. Quæri poteſt, cur non uno contenti fuerint. An quia tanta erat paritas, ut diſcernere non potuerint, uter magis eſſet idoneus? Certe non fuiſſet hæc ſatis valida ratio, cur judicium ſorti permitterent. Et videtur alioqui Joſeph pluris fuiſſe habitus. An quia in diverſa trahebantur ſtudia? Hoc vero minime probabile eſt: neque id patitur præclarum conſenſus teſtimonium quod nuper illis dedit Lucas. denique abſurdum fuiſſet tali diſſidio fœdari Apoſtoli electionem: ſed ideo potius ſors fuit interpoſita, ut ſciretur ac teſtatum fieret non tam electum hominum ſuffragiis Matthiam, quam divino judicio creatum. Hoc enim habebant Apoſtoli diverſum à Paſtoribus, quod quum hi ſimpliciter eligerentur ab Eccleſia, illos divinitus vocari

Galat. 1. verſ. 1. oportuit. Qua ratione Paulus in præfatione Epiſt. ad Galatas, Apoſtolum ſe neque ab hominibus neque per homines factum prædicat. Ergo, ſicut hujus muneris ſingularis erat dignitas, ita æquum fuit in Matthiæ electione relinqui Deo ſummum judicium, utcunque ſuis partibus fungerentur homines. Chriſtus reliquos ſua voce deſignaverat. Si hominum tantum electione in eorum ordinem cooptatus eſſet Matthias, minus habuiſſet auctoritatis. Medium fuit temperamentum, ut Deo offerrent diſcipuli quos habebant præſtantiſſimos, ipſe vero ſibi aſſumeret quem ſciret fore maxime idoneum. Ita Deus ſortis eventu ratum ſibi eſſe Matthiæ Apoſtolatum pronunciat. Sed videntur temere & præpoſtere facere diſcipuli, qui ſorti rem tantam committunt. Qualis enim inde certitudo colligi potuit? Reſpondeo, omniſi Spiritus inſtinctu eos ad ſortem confugiſſe. Tametſi enim hoc Lucas non exprimit, quia tamen diſcipulos temeritatis damnare non vult, quin potius electionem legitimam & Deo probatam refert, hinc conſtituo, præeunte Spiritu ſancto hanc viam fuiſſe ingreſſos. Quemadmodum & totam actionem à Spiritu illis fuiſſe dictatam, non dubium eſt. Cur non enim precantur, ut Deus quem velit ex tota multitudine eligat? Cur ejus judicium ad duos reſtringunt? Annon hoc eſt eripere Deo ſuam libertatem, quum eum ſuis ſuffragiis alligant, & quodammodo ſubjiciunt? At quiſquis placide rem expendere volet, clare agnoſcet ex Lucæ conſilio, nihil auſos fuiſſe diſcipulos, niſi quod ſcirent officii ſui eſſe, ſibique à Domino mandatum. Contentioſos autem valere ſinamus.

24. *Precando dixerunt.*] Ad verbum, Precati dixerunt. Verum in ſenſu nulla obſcuritas: quia tantum dicere voluit, in hanc formam, quæ ſequitur, precatos fuiſſe. Neque tamen verba omnia enumerat, contentus ſummam breviter indicare. Quum itaque ambo probatæ vitæ eſſent, imo ſanctitate & aliis virtutibus excellerent: quia tamen cordis integritas, cujus unicus cognitor & judex eſt Deus, primas tenet,

diſcipulis

diſcipuli precantur, ut quod hominibus eſt abſconditum, in lucem proferat. Idem & hodie in eligendis Paſtoribus petendum eſt. Nam utcunque non ſtatuendi ſint duo pro uno: quia tamen falli ut plurimum poſſumus, & diſcretio ſpirituum à Domino eſt, ſemper rogandus eſt Deus, ut nobis oſtendat quos habere velit Miniſtros, ut conſiliis noſtris præſideat. Hinc etiam colligere licet, quanta in eligendis Paſtoribus habenda ſit integritatis ratio, ſine qua in fumum abeunt & eruditio, & facundia, & quicquid præſtantiæ fingi poteſt.

25. *Miniſterii & Apoſtolatus.*] Quia humile erat verbum Miniſterii, Apoſtolatum addidit, in quo plus dignitatis ineſt. Quanquam ſenſus erit clarior, ſi exponas, Miniſterium Apoſtolatus. Sunt enim frequentes Scripturis ſanctis hypallagæ. Certe Lucas cum onere conjungere voluit muneris præſtantiam, reverentiæ & auctoritatis conciliandæ gratia: ſimul tamen monere, ad laborioſam provinciam vocari Apoſtolos.

26. *Dederunt ſortes eorum.*] Hic de ſortibus texenda non eſt longa diſputatio. Qui ſortiri in totum nefas eſſe putant, partim imperitia labuntur, partim non capiunt quid valeat hoc nomen. Nihil eſt quod non vanitate & audacia ſua corrumpant homines. Ita factum eſt, ut ſortes in abuſum & ſuperſtitionem traxerint. Divinatio enim quæ ſortibus fit, prorſus eſt diabolica. Sed quum Magiſtratus inter ſe Provincias ſortiuntur, & fratres hæreditatem,
Prov. 16. verſ. 33. res eſt licita. Idque clare teſtatur Solomo, quum Deum facit eventus moderatorem. In ſinum conjiciuntur ſortes, inquit: & judicium illarum exit à Domino. Hoc inſtitutum non magis vitiat corruptela, quam genuinam Aſtrologiam adulterina Chaldæorum vanitas. Chaldæi, dum pravæ curioſitati prætextum captant ex Aſtrologiæ nomine, ſcientiam utilem & laude dignam infamant. Idem faciunt ſortilegi, quos vocant: ſed noſtrum eſt, inter legitimum uſum & corruptelam diſcernere. Cæterum datas fuiſſe ſortes dicit, ut in urnam vel ſinum conjectæ, poſtea extraherentur. Notandum quoque eſt varie hoc loco accipi *ſortis* nomen. Nam quum prius diceret, Judam obtinuiſſe ſortem miniſterii, ex communi Scripturæ uſu intelligebat, portionem illi attributam à Domino. Poſtea de ſorte proprie & citra figuram loquitur. Veriſimile tamen eſt, quum nomen *Goral* utrique rei commune ſit apud Hebræos, Petrum alludere ad id voluiſſe quod facturi erant: & Lucam eodem ſimiliter reſpexiſſe.

Sors ſuper Matthiam.] Ita accidit quod nemo ſperaſſet: hunc enim alteri fuiſſe poſthabitum, ex ſuperioribus colligere licet. Præterquam enim quod priorem illi locum dederat Lucas, duo cognomina quibus fuit inſignitus, raræ cujuſdam exiſtimationis fuiſſe indicant. Barſaba, hoc eſt, filius juriſjurandi vel quietis, à re ipſa fuit dictus, quaſi ſpeculum quoddam eſſet vel fidelitatis ac innocentiæ, vel placidi modeſtique ingenii: Alterum cognomen eximiam probitatem notabat. Ille ergo hominum judicio prior: at Deus illi Matthiam prætulit. Unde admonemur non gloriandum eſſe ſi in cælum uſque inferamur opinione hominum, & eorum ſuffragiis præſtantiſſimi cenſeamur: ſed hoc potius curandum, ut nos approbemus Deo, qui unicus eſt legitimus judex, cujus ſententia ſtamus & cadimus. Cæterum, hoc quoque ſæpe animadvertere licet, Deum præterire qui maxime eminent in hominum conſpectu, ut omnem carnis ſuperbiam proſternat. Quod addit conſcriptum fuiſſe reliquis, ſiniſtram omnem temeritatis notam abſtergit à ſortitione: quia tanquam divinitus electum amplexa eſt Eccleſia ſuper quem ſors ceciderat.

Cap. II.

ET dum compleretur dies Pentecoſtes, erant omnes unanimiter congregati ſimul.

2. Et factus eſt repente è cælo ſonitus, quaſi violento flatu irruente, & implevit totam domum ubi ſedebant.

3. Et viſæ ſunt illis diſſectæ linguæ, tanquam igneæ, ſeditque ſuper unumquemque illorum.

4. Et impleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui alienis linguis, quemadmodum Spiritus dabat illis eloqui.

1. *Dum compleretur.*] Compleri pro Advenire capitur. Nam illorum perſeverantiæ iterum Lucas teſtimonium reddit, quum dicit, Stetiſſe omnes eodem loco, uſque ad conſtitutum illis tempus. Huc pertinet adverbium *unanimiter*. Porro cur Dominus adventum Spiritus totum ſeſquimenſem diſtulerit, ſupra attigimus. Cur autem illo potiſſimum die miſerit, quæritur. Ego illam Auguſtini anagogen refutare nolo: quod ſicuti quinquageſimo poſt Paſcha die Lex veteri populo data fuit, manu Dei ſcripta in tabulis lapideis: ita Spiritus, cujus officium eſt eam cordibus noſtris inſcribere, totidem diebus
2 Cor. 5. verſ. 7. poſt reſurrectionem Chriſti, qui verum eſt Paſcha, implevit quod in Legis promulgatione figuratum fuerat. Quod tamen hanc argutiam quaſi neceſſariam urget, lib. quæſt. in Exod. & epiſt. ad Januarium 2. in eo cuperem magis ſobrium & modeſtum eſſe. Fruatur tamen ipſe ſuo ſenſu. Ego interea quod magis ſolidum eſt amplector, Feſto die quo Jeroſolymam confluere ſolebat ingens hominum multitudo, editum fuiſſe miraculum, ut illuſtrius redderetur. Et certe hac occaſione in ultimos uſque terræ fines ſparſum fuit: ut mox videbimus. Eodem conſilio ſæpe Chriſtus Jeroſolymam aſcendit diebus feſtis, quo pluribus innoteſcerent virtu- Joan. 2. 5. 7. 10. 12.
tes quas edebat, atque ut in majore hominum frequentia uberior eſſet doctrinæ fructus. Sic enim poſtea referet Lucas, Paulum feſtinaſſe, ut ante Actor. 20. verſ. 16.
diem Pentecoſtes Jeroſolymam perveniret, non religione aliqua, ſed propter frequentiorem conventum, quo pluribus prodeſſet. Ergo in diei electione miraculi utilitas ſpectata fuit: primum ut Jeroſolymæ magis celebraretur; quia tunc ad conſideranda Dei opera magis attenti erant Judæi: deinde ut in regiones procul diſſitas perveniret ejus fama. Diem vero quinquageſimum vocabant, facta à primitiis ſupputatione.

2. *Factus eſt repente.*] Donum viſibile eſſe oportuit, ut ſenſus corporalis diſcipulos magis excitaret. Nam, quæ noſtra eſt ſegnities ad æſtimanda Dei dona, niſi ſenſus omnes noſtros prius expergefaciat, virtus ejus incognita præteribit ac effluet. Hæc igitur præparatio fuit, quo melius agnoſcerent jam adeſſe promiſſum à Chriſto Spiritum. Quanquam non tam eorum cauſa id factum eſt, quam noſtra: ſicuti quod diſſectæ & igneæ linguæ apparuerunt, in eo noſtri potius & univerſæ Eccleſiæ habita ratio fuit, quam illorum. poterat enim

Deus

Deus inſtruere eos facultate ad Euangelium publicandum neceſſaria, etiamſi nullum ſymbolum adjungeret. Sciviſſent ipſi non fortuito, neque ſua induſtria ſe fuiſſe tam repente mutatos: verum quæ hic referuntur ſigna, omnibus ſeculis profutura erant: ut prodeſſe hodie nobis ſentimus. Cæterum breviter obſervanda eſt ſignorum analogia. Vehementia flatus, ad terrorem incutiendum ſpectabat. Nunquam enim ad recipiendam Dei gratiam rite ſumus comparati, niſi domita carnis confidentia. Quemadmodum enim fide nobis patet ad eum acceſſus, ita humilitas & timor facit, ut aperta ſit illi ad nos janua. Cum ſuperbis & ſecuris ſibique placentibus nihil illi negotii. *Flatu* deſignari Spiritum, vulgare eſt. *Joan. 20. verſ. 22.* Nam & Chriſtus, quum Apoſtolis Spiritum daturus eſſet, in eos ſufflavit. Et in Ezechielis *Ezech. 1. verſ. 4.* viſione turbo, & ventus. Imo nomen ipſum Spiritus translatitium eſt. Nam quia illa divinæ eſſentiæ hypoſtaſis, quæ Spiritus vocatur, per ſe incomprehenſibilis eſt, Scriptura nomen à flatu mutuatur: quia virtus Dei eſt, quam Deus veluti ſpirando, in omnes creaturas diffundit. *Linguarum* ſpecies ad præſentem circumſtantiam reſtringitur. Nam ſicuti co- *Joan. 1. verſ. 32.* lumbæ figura, quæ ſuper Chriſtum deſcendit, ſignificationem habebat aptam Chriſti naturæ & officio; ita nunc Deus ſignum elegit quod rei ſignatæ congrueret: nempe, ut effectum Spiritus ſancti in Apoſtolis oſtenderet, qualis poſtea ſequutus eſt. Linguarum diverſitas quoddam veluti obſtaculum erat, ne Euangelium latius manaret. Ita ſi una tantum lingua fuiſſet ejus præconibus, omnes Chriſtum putaſſent in angulo Judææ incluſum: Deus autem viam invenit, qua perrumperet, dum linguas Apoſtolorum ſecuit, ut per omnes populos diſpergerent quod ipſis traditum fuerat. In quo refulget mirabilis Dei bonitas: quia pœna humanæ ſuperbiæ in materiam benedictionis verſa eſt. Unde enim diverſi- *Gen. 11. verſ. 7.* tas linguarum, niſi ut impia & ſcelerata hominum conſilia diſſiparentur? Nunc Deus Apoſtolos inſtruit linguarum varietate, ut in beatam unitatem homines huc & illuc palantes revocet. Linguæ iſtæ diſſectæ fecerunt ut omnes loquantur lingua Chanaan, quemadmodum Iſaias prædixerat. Nam quo- *Iſa. 19. verſ. 18.* cunque loquantur idiomate, omnes tamen uno ore *Rom. 15. verſ. 6.* & uno Spiritu eundem invocant Patrem in cælis. Noſtra id cauſa factum eſſe dixi, non tantum quia fructus ad nos pervenit: verum etiam quia agnoſcimus non temere volitaſſe ad nos Euangelium, ſed Deo ordinante, qui linguas Apoſtolis in hunc finem diſſectas contulit, ne qua natio doctrinæ illis commiſſæ expers foret. Quo Gentium vocatio comprobatur: deinde fides aſſeritur eorum doctrinæ, quam ſcimus non humanitus eſſe fabricatam, quum in eorum linguis Spiritum habitaſſe audiamus. Nunc dicendum reſtat, quid ſibi *ignis* velit. Procul dubio efficaciæ fuit ſymbolum, quæ exerenda erat in Apoſtolorum voce. Alioqui etiamſi perſonuiſſent ad extremos uſque mundi fines, nihil aliud quam aërem ſine profectu verberaſſent. Demonſtrat itaque Dominus igneam fore eorum vocem, ut hominum corda accendat: ut exuſta conſumptaque mundi vanitate, purget ac renovet omnia. Alioqui nunquam tam arduum munus aggredi fuiſſent auſi, niſi Dominus de prædicationis virtute certiores illos feciſſet. Hinc factum eſt, ut non reſonuerit tantum in aëre Apoſtolorum doctrina, ſed in hominum mentes penetrarit, ac eas cæleſti ardore impleverit. Neque hæc vis tantum in ore Apoſtolorum fuit oſtenſa, ſed quotidie oſtenditur. Atqui eo magis cavendum eſt, ne quum ignis ardet, inſtar ſtipulæ ſimus. Porro Spiritum ſanctum Dominus ſemel diſcipulis ſuis contulit ſub viſibili ſpecie, ut certo ſtatuamus, nunquam Eccleſiæ defuturam inviſibilem & occultam ejus gratiam.

Seditque.] Quoniam ſubita eſt numeri mutatio, dubium eſt an de igni loquatur. Dixerat linguas tanquam ex igni apparuiſſe: ſequitur mox, Seditque ſuper eos. Ego tamen ad Spiritum refero. Hebræis enim familiare eſt, ſubſtantivum verbi, quod priore membro omiſerant, in ſecundo exprimere. quale hic exemplum eſt: *Sedit* ſuper eos, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto. Scimus autem Lucam, tametſi Græce ſcripſerit, Hebraiſmis tamen abundare. Jam quod Spiritum ſanctum *linguas* vocat, ex uſu Scripturæ eſt. nam & columbam Joannes eodem *Joan. 1. verſ. 32.* nomine appellat: quia ejuſmodi ſymbolo Spiritus ſui præſentiam teſtari Dominus volebat. Si inane eſſet ſignum, abſurda eſſet appellatio: ſed ubi res eſt annexa, congruenter ejus nomen ſigno tribuitur, quod ipſam ſenſibus noſtris percipiendam offert. Plenitudo Spiritus, qua ſingulos fuiſſe donatos aſſerit, non exprimit æqualem donorum menſuram in unoquoque, ſed excellentiam quæ obeundo muneri par futura eſſet.

4. *Cæperunt loqui.*] Præſentem effectum extitiſſe admonet, ac ſimul in quem uſum aptandæ fuerint linguæ. Cæterum, quia paulo poſt ſubjicit Lucas, advenas ex diverſis regionibus miratos eſſe, quod ſinguli audirent ſua lingua Apoſtolos loquentes; probabile nonnullis videtur, non loquutos eſſe variis linguis, ſed quod lingua una pronunciatum erat, ſic fuiſſe à ſingulis perceptum, quaſi nativam linguam audirent. Eundem ergo ſonitum vocis putant varie fuiſſe diſtributum inter auditores. Alteram conjecturam habent, quod Petrus unam concionem apud multos ex variis gentibus collectos habuerit: qui ejus ſermonem intelligere non poterant, niſi alia vox ad eorum aures perveniret, quam ore ipſius prolata erat. Verum primo loco notandum eſt, vere loquutos fuiſſe extraneis linguis diſcipulos: alioqui non in ipſis, ſed in auditoribus fuiſſet miraculum. Ita falſa fuiſſet ſimilitudo, cujus ante meminit: nec tam ipſis datus eſſet Spiritus quam aliis. Audimus etiam ut Paulus Deo gratias agat, quod diverſis lin- *1 Cor. 14. verſ. 18.* guis loquatur. Certe earum & intelligentiam & uſum ſibi vendicat. Neque vero hanc facultatem conſequutus fuerat ſuo ſtudio vel induſtria, ſed habebat ex dono Spiritus. Eodem loco, ſpeciale donum eſſe affirmat, quo non omnes ſint præditi. Ex his planum eſſe arbitror, varietate intelligentiaque linguarum donatos fuiſſe Apoſtolos, ut Græcis Græce, Italis Latine loquerentur, haberentque veram cum auditoribus communicationem. An tamen acceſſerit ſecundum miraculum, ut Ægyptii & Elamitæ Chaldaice loquentem Petrum intellexerint, acſi diverſas voces ederet, in medio relinquo. Sunt enim conjecturæ quæ huc ducunt, & tamen non ita firmæ quin refelli queant. Fieri enim poteſt ut loquuti ſint diverſis linguis, prout incidebant in hunc vel illum, & ſe dabat occaſio: & quidem alius alia lingua uſus fuerit. Clarum ergo miraculum erat, quum in promptu illis viderent eſſe diverſa idiomata. Quod ad Petri concionem ſpectat, potuit à majore parte intelligi, undecunque nati eſſent: quia plurimos eorum qui Jeroſolymam confluxerant, veriſimile eſt linguæ Chaldaicæ fuiſſe peritos. Deinde nihil erit abſurdi ſi dicamus & aliis linguis loquutum eſſe. Quanquam de hac re multum litigare nolo: modo hoc extra controverſiam ponatur, Apoſtolos vere ſermonem mutaſſe.

5 Erant autem Jeroſolymæ commorantes Judæi, viri pii ex omni gente earum quæ ſub cælo ſunt.

6. Vulgato hoc rumore, convenit multitudo, & confuſa eſt: quia audiebat quiſque ſua lingua eos loquentes.

7. Stupebant

7. Stupebant autem omnes & mirabantur, dicentes inter ſe, Nonne, en, omnes iſti qui loquuntur, Galilæi ſunt?

8. Et quomodo nos audimus quiſque eos ſuo idiomate loquentes, in quo nati ſumus?

9. Parthi, & Medi, & Elamitæ, & incolæ Meſopotamiæ, Judææ & Cappadociæ, Ponti & Aſiæ,

10. Phrygiæ & Pamphiliæ, Ægypti, & partium Lybies verſus Cyrenem, & advenæ Romani,

11. Judæi & proſelyti, Cretes & Arabes, audimus loquentes ipſos noſtris linguis magnifica Dei.

12. Stupebant ergo omnes & mirabantur, dicentes alii aliis, Quid ſibi vult hoc?

13. Alii ſubſannantes, dicebant, Muſto pleni ſunt.

5. *Erant autem commorantes.*] Quum *viros religioſos* nominat, innuere videtur eos Jeroſolymam cultus Dei cauſa veniſſe: ſicuti Deus omnibus poſt diſſipationem ſeculis quaſi erecto vexillo reſiduum aliquod ſemen in urbem illam collegit, quia adhuc vigebat templi utilitas: interea tamen obiter admonet apud quos proficiant, & quibus proſint miracula, quibus Dominus potentiam ſuam declarat. Nam impii & profani homines vel rident vel non curant, quemadmodum ſtatim videbimus. Præterea, eos voluit citare teſtes, quibus ob ſuam religionem habeatur plus fidei. Quum dicit *ex omni gente*, intelligit ex diverſis regionibus & longe inter ſe diſſitis. Nam & poſtea terras commemorat quæ ingenti ſpatio diſtabant, cujuſmodi ſunt Lybie & Pontus, Roma & Parthia, atque Arabia, & ſimiles. Hoc ad augendam rei magnitudinem valet. Nam Cretenſes & Aſiatici propter viciniam poterant habere aliquod linguæ commercium: at non eadem ratio inter Italos & Cappadoces, inter Arabes & Ponticos. Fuit autem memorabile hoc Dei opus, & ſumma admiratione dignum, quod in tam vaſta & horrenda populi diſſipatione, nonnullas tamen reliquias ubique ſervavit, imo fecit ut populo tam afflicto, & quaſi perdito quidam alieni ſe adjungerent. Tametſi enim huc & illuc in longinquum exilium diſpulſi, diverſi diverſos quodammodo mundos incolebant, inter ſe nihilominus tenebant fidei unitatem. Neque enim eos temere pios & Dei timentes nominat.

6. *Vulgato hoc rumore.*] Græce quidem ita Lucas dicit, Facta hac voce: ſed intelligit ſparſam fuiſſe famam, qua factum eſt ut multi ſimul confluerent. Nam ſi alius poſt alium diverſo loco & tempore loquentes audiſſet diverſis linguis Apoſtolos, non ita illuſtre fuiſſet miraculum, Conveniunt ergo in unum locum omnes, ut linguarum diverſitas ex præſenti comparatione melius appareat. Accedit & altera circumſtantia, quod vulgo nota eſt patria Apoſtolorum: & vulgo hoc notum eſt, nunquam fuiſſe ex patria egreſſos, ut peregrinas linguas diſcere potuerint. Quum ergo indiſcriminatim, prout tulit occaſio, alius Latine, alius Græce, alius Arabice loquitur, & ſinguli etiam linguas variant, hinc magis conſpicuum redditur opus Dei.

11. *Magnifica Dei.*] Duo notat Lucas, quæ auditoribus admirationem fecerunt: quod Apoſtoli rudes prius, idiotæ, nati in contempto angulo, magnifice tamen de rebus divinis & cæleſti ſapientia diſſererent. Alterum quod novis linguis ſubito eſſent donati. Utrumque notatu dignum, quia temere & futiliter verba fundere, non tam valuiſſet ad permovendos animos: rerum vero majeſtas magis afficere debuit ad miraculum conſiderandum. Etſi autem in eo tribuunt debitum Deo honorem, ubi attoniti hærent: præcipuus tamen exprimitur miraculi fructus, quod inquirunt. atque ita oſtendunt, ſe ad diſcendum paratos eſſe: nam ſtupor alioqui non multum profuiſſet. Et ſane ita cum ſtupore admirari Dei opera convenit, ut ſimul accedat conſideratio, & intelligendi ſtudium.

13. *Alii ſubſannantes.*] Hinc apparet quam prodigioſa ſit hominum tam ſocordia quam improbitas, quum illis Satan mentem abſtulit. Si palam è *cælo* deſcendat Deus, vix clarius conſpici poſſet ejus majeſtas, quam in hoc miraculo. Quiſquis guttam integri ſenſus habet, eum ſolo auditu percelli neceſſe eſt. Quam igitur belluini illi, qui oculis cernunt, & tamen ſubſannant, ſuiſque facetiis Dei potentiam eludere conantur? Verum ita res habet. Nihil tam admirabile eſſe poteſt, quod non in ludibrium vertant qui nulla Dei cura tanguntur: quoniam data opera callum inſcitiæ in rebus maxime dilucidis ſibi obducunt. Et juſta eſt Dei ultio adverſus talem ſuperbiam, ut Satanæ in cæcum furorem præcipitandos tradat. Quare non eſt quod miremur, ſi hodie plerique ad tantam lucem cæcutiunt, ſi ſurdi ſunt ad tam apertam doctrinam, imo petulanter reſpuunt oblatam ſibi ſalutem. Nam ſi inſolita Dei opera, quibus magnifice potentiam ſuam illuſtrat, obnoxia ſunt hominum ludibriis, quid de doctrina fiet, quæ nihil apud eos reſipit niſi vulgare? Quanquam Lucas non peſſimos fuiſſe aut penitus deploratos ſignificat, qui riſerunt: ſed exponere potius voluit, qualiter affectum fuerit hominum vulgus hoc miraculo. Et ſane ita ſemper res habuit in mundo, ut pauci vero Dei ſenſu tacti fuerint, quoties ſe patefecit. Nec mirum: rara enim & paucorum hominum virtus eſt religio: quæ ſanæ intelligentiæ initium eſt. Cæterum, ut major pars ferrea quadam pervicacia operum Dei conſiderationem repellat, nunquam tamen fructu carent. quemadmodum videre in hac hiſtoria licet.

14. Stans autem Petrus cum undecim, extulit vocem ſuam, & loquutus eſt illis, Viri Judæi, & omnes qui habitatis Jeroſolymæ, notum hoc ſit vobis, & auribus percipite verba mea.

15. Non enim, quemadmodum exiſtimatis, iſti ebrii ſunt: eſt enim hora diei tertia.

16. Sed hoc eſt quod dictum eſt per Prophetam Joël,

17. Et erit in ultimis diebus, dicit Deus, effundam ex Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ, & juvenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt:

18. Utique ſuper ſervos meos, & ſuper ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt.

19. Et dabo prodigia in cælo ſuperne, & ſigna ſuper terram inferne, ſanguinem & ignem, & vaporem fumi:

20. Sol

20. Sol vertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, priuſquam veniat dies Domini magnus & illuſtris.

21. Et erit, quiſquis invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.

14. *Stans autem Petrus.*] Standi verbo gravem in cœtu concionem fuiſſe habitam ſignificat. Surgebant enim verba ad populum facturi, quo facilius audiri poſſent. Summa autem hujus concionis eſt, quod ex dono Spiritus ſancti quod cernebant, colligit exhibitum jam eſſe Chriſtum. Prius tamen falſam illam opinionem refellit, quod putarent ebrios eſſe diſcipulos. Refutatio autem probabili argumento conſtat: quia non ſoleant mane homines inebriari. Nam ut inquit Paulus, Qui ebrii ſunt, nocte ſunt ebrii. *1 Theſſ. 5. verſ. 6.* Pudore enim lucem fugiunt. Et ſane tanta eſt hujus vitii fœditas, ut merito lucem horreat. Neque tamen hoc argumentum perpetuo valeret. Jam enim ſuo tempore invehebatur Iſaias in eos qui ad ſectandam ebrietatem mane ſurgebant. Et hodie non pauci ſunt, qui porcis ſimiles, ſtatim à ſomno ad pocula tranſiliunt. Sed quoniam hoc abhorret à communi hominum more, veriſimile eſſe Petrus negat: Qui mediocriter antiquitatis ſunt periti, diem civilem ab ortu Solis ad occaſum uſque in duodecim horas diſtributum fuiſſe ſciunt. Ita horæ æſtate longiores, hyeme breviores erant. Ergo quæ nuoc hyeme nona eſſet ante meridiem, æſtate vero octava, veteribus tertia fuit. Quod autem leviter tantum opinionem ebrietatis diluit Petrus, iden fit, quia ſupervacua fuiſſet magis anxia excuſatio. Ergo, ut in re indubia, eos qui ridebant magis compeſcit quam docere laborat. Cæterum, non tam eos ex temporis circumſtantia refellit, quam Joelis teſtimonio. Nam quum dicit, *Exhiberi* quod prædictum fuerat, eorum ingratitudioem perſtringit, quod tam inſigna beneficium, jam ſibi olim promiſſum, nunc, dum ante oculos eſt, non agnoſcant. Quod autem omnibus exprobrat paucorum vitium, non ideo facit, ut omnes eadem involvat culpa: ſed quoniam ex illorum ſubſaonatione opportuna occaſio ſe dabat omnes ſimul docendi, eam non negligit.

17. *Erit in noviſſimis diebus.*] Ab hoc effectu probat exhibitum jam eſſe Meſſiam. Joël quidem noviſſimos dies non exprimit: ſed quum de plena *Joël. 2. verſ. 29.* Eccleſiæ reſtitutione diſſerat, non dubium quin prophetia illa in ſolam competat ultimam ætatem. Quare, nihil à Joëlis mente alienum attulit Petrus: ſed tantum explicandi cauſa hoc verbum addidit, ut ſcirent Judæi non aliter poſſe inſtaurari Eccleſiam quæ tunc collapſa erat, quam ſi Dei Spiritu renovarentur. Porro quia Eccleſiæ reparatio quaſi novum ſeculum futura erat, ideo Petrus in dies noviſſimos eam confert. Et ſane hoc tritum ac familiare Judæis erat, magnificas omnes promiſſiones de beato & bene compoſito Eccleſiæ ſtatu, non aote completum iri, quam dum Chriſtus adventu ſuo omnia in integrum reſtitueret. Proinde extra controverſiam inter ipſos erat, pertinere ad ultimum tempus quod adducitur ex Joële. Jam per dies ultimos, vel plenitudinem temporis, notatur ſtabilis Eccleſiæ conditio in Chriſti manifeſtatione.

Effundam de Spiritu meo.] Vult probare (ut jam dictum eſt) non aliter reparari poſſe Eccleſiam, quam dato Spiritu ſancto. Quum ergo ſpem omnes haberent propinquæ reſtitutionis, ſocordiæ eos inſimulat, quod de illius ratione ac modo non cogitent. Cæterum, quum Propheta dicit, Effundam: minime dubium eſt, quin largam affluentiam hoc verbo notare voluerit. Eodem vero ſenſu accipere convenit, *Effundam* de Spiritu, vel ex Spiritu, acſi dictum eſſet ſimpliciter, Effundam Spiritum. Nam hoc poſterius apud Prophetam habetur. Petrus autem Græcos ſequutus eſt, qui vocem Hebraicam *Eth*, verterunt *ἀπὸ*. Fruſtra ergo quidam ſubtilius hic philoſophantur: quia utcunque mutentur verba, retinenda tamen eſt mens Prophetæ. Interea quum Deus effundere Spiritum dicitur, ſic accipi debere fateor, quod ex Spiritu ſuo tanquam ex unico & inexhauſto fonte, multiplicem donorum varietatem profluere in homines faciat. Nam, teſte Paulo, diverſa quidem *1 Cor. 12. verſ. 4.* ſunt dona, ſed unus Spiritus. Hinc vero colligimus utilem doctrinam, Nihil nobis præſtantius à Deo poſſe dari, quam Spiritus gratiam: imo ſine hac, nihili reliqua omnia eſſe. Nam quum in ſumma Deus populo ſuo vult ſalutem promittere, Spiritum ſe daturum affirmat. Hinc ſequitur, nihil nos bonorum poſſe adipiſci donec Spiritu ſancto donemur. Et certe tanquam clavis eſt quæ oſtium nobis reſerat, ut penetremus in omnes ſpiritualium bonorum theſauros, atque etiam ingrediamur in regnum Dei.

Super omnem carnem.] Quid hæc univerſitas valeat, ex ſequentibus patet. Nam primum in genere ponitur, Omnis caro: deinde partitio additur, qua Propheta ſignificat, nullum fore ætatis vel ſexus diſcrimen, quin Deus omnes promiſcue in gratiæ ſuæ communionem admittat. *Omnis* igitur caro: quia adoleſcentes ſimul ac ſenes, maſculi ac fœminæ. Quæri tameo poteſt, cur tanquam novum & prius inauditum bonum polliceatur Deus populo ſuo, quod ab initio ſeculis omnibus præſtare ſolitus fuerat. Nullum enim ſeculum gratiæ Spiritus expers fuit. Hujus quæſtionis ſolutio in his duobus verbis poſita eſt, Effundam, &, Super omnem carnem. Duplex enim hic antitheſis notanda eſt inter veteris & novi Teſtamenti tempus. Effuſio enim, ut dixi, uberem plenamque copiam ſignificat: quum ſub Lege parcior fuiſſet diſtributio. Unde etiam Joannes Spiritum ſanctum datum fuiſſe negat, donec in cælum aſcenderet Chriſtus. *Omnis caro* ſignificat immenſam multitudinem: quum Dominus antea paucos tam ampla Spiritus ſui participatione dignatus eſſet. Porro, in utraque comparatione minime negatur, quin Patres ſub Lege, ejuſdem gratiæ nobiſcum participes fuerint: ſed Dominus nos illis ſuperiores eſſe, ſicuti ſumus, oſtendit. Eodem, inquam, & intelligentiæ, & juſtitiæ, & ſanctificationis Spiritu præditi fuerunt pii omnes à primo mundi exordio, quo nos hodie Dominus illuminat & regenerat: verum pauci tunc cognitionis luce donati fuerunt, ſi cum ingenti fidelium multitudine conferantur, quos repente Chriſtus adventu ſuo collegit. Deinde, obſcura & tenuis fuit illorum cognitio, & quaſi velo obtecta, ſi conferatur cum ea quam hodie ex Euangelio habemus: ubi Chriſtus, Sol juſtitiæ, pleno fulgore, velut in meridie lucet. Nec obſtat, quod pauci quidam tanta fide excelluerunt ut neminem forſan hodie parem habeant. Nam eorum intelligentia nihilominus pædagogiam Legis reſipiebat. Eſt enim illud ſemper verum, pios Reges & Prophetas non vidiſſe nec audiſſe quæ Chriſtus adventu *Mat. 13.* ſuo patefecit. *verſ. 17.* Ergo ut novi Teſtamenti præſtantiam commendet Joël, uberiorem ſub ipſo fore Spiritus *Luc. 10.* gratiam denunciat: deinde ad plures homines perventuram. *verſ. 24.*

Et prophetabunt.] Prophetiæ verbo rarum & ſingulare intelligentiæ donum notare voluit. Ac eodem ſpectat quæ mox ſequitur partitio, *Juvenes* veſtri viſiones videbunt, & ſenes ſomniabunt ſomnia. Fuiſſe enim duas iſtas ordinarias rationes, quibus ſe Dominus Prophetis manifeſtare ſolitus ſit, ex duodecimo Numerorum capite colligitur. Nam *Num. 12.* illic Dominus Moſen eximens à communi Prophetarum ordine, *verſ. 6.* dicit, Ego ſervis meis per viſionem vel per ſomnium apparen: cum Moſa vero facie ad

faciem loquor. Videmus ergo generi ſubjici duas ſpecies, confirmationis vice. Summa tamen huc redit, fore omnes Prophetas ſimulac effuſus è cælo Spiritus fuerit. Verum hic objicitur, nihil tale extitiſſe, etiam in ipſis Apoſtolis, nedum in univerſo fidelium grege. Reſpondeo, hunc Prophetis uſitatum fuiſſe morem, ut regnum Chriſti ſub tropis ſeculo ſuo congruentibus adumbrent. Dum loquuntur de cultu Dei, nominant altare, ſacrificia, auri, argenti, thuris oblationem. Scimus tamen altaria nunc ceſſare, abolita eſſe ſacrificia, quorum ſub Lege uſus fuit: & Dominum altius quiddam requirere à nobis, quam opes terrenas. Verum id quidem eſt, ſed Prophetæ, dum ſtylum attemperant ad captum ſui temporis, figuris quæ tum familiares populo erant, involvunt ea quæ nunc aliter exhibita videmus: quemadmodum alibi dum ex Levitis ſe fa-
Iſa. 66. verſ. 21. cturum Sacerdotes promittit & ex plebe Levitas, non alio tendit, niſi infimum quemque ſub regno Chriſti honorifico fore in gradu. Ergo ſi verum & genuinum hujus loci ſenſum habere cupimus, non urgenda ſunt verba quæ ex veteri Legis œconomia ſumpta ſunt, ſed tantum quærenda ſine figuris veritas. Ea autem eſt, quod Apoſtoli ſubito Spiritus afflatu, de cæleſtibus myſteriis prophetice, hoc eſt, divine, & ſupra vulgarem modum differebant. *Prophetiæ* itaque nomen nihil aliud deſignat quam rarum & inſigne intelligentiæ donum: acſi diceret Joël, Sub Chriſti regno non paucos tantum fore Prophetas quibus arcana ſua Deus revelet, ſed omnes ad Propheticam uſque excellentiam ſpirituali ſapientia donandos eſſe. Quemadmodum & apud Je-
Jer. 31. verſ. 34. remiam habetur, Non docebit quiſque proximum ſuum amplius, qoia omnes me cognoſcent à minimo uſque ad maximum. Cæterum, his verbis Petrus Judæos quos alloquitur, ad ejuſdem gratiæ communicationem invitat. Acſi diceret, Spiritum, quem in nos effudit, paratus eſt Dominus longe lateque effundere. Ergo, niſi per vos ſteterit, haurietis ex hac plenitudine nobiſcum. Quod autem Judæis tunc dictum fuit, ſciamus & nobis hodie dici. Tametſi enim ceſſarunt illæ viſibiles Spiritus gratiæ, non tamen Spiritum ſuum ab Eccleſia ſua Deus ſubduxit. Quare hac promiſſione eum nobis indiſcriminatim omnibus quotidie offert. Unde nos non niſi noſtra ignavia egeni ſumus ac inopes: & ſimul clare patet, impios & ſacrilegos eſſe Spiritus hoſtes, qui plebem Chriſtianam arcent à Dei notitia, quum ipſe fœminas ſimul ac viros, juvenes ac ſenes, non admittat modo, ſed nominatim advocet.

18. *Super ſervos meos.*] His verbis reſtringitur promiſſio ad Dei cultores. Neque enim Spiritum ſuum profanat Deus: quod fieret ſi proſtitueret incredulis ac contemptoribus. Certum quidem eſt, nos Spiritu fieri Dei ſervos: ideoque non eſſe, donec eum receperimus: ſed primum quos Deus in familiam ſuam cooptavit, & quos Spiritu ſuo formavit in ſuum obſequium, novis poſtea donis cumulat. Deinde, non reſpexit Propheta ad illum temporis ordinem, ſed tantom hanc gratiam Eccleſiæ propriam facere voluit. Quum autem Eccleſia non niſi apud Judæos eſſet, eos honorifice appellat Servos & ancillas Dei. Verum ex quo Deus, diruta maceria, Eccleſiam undique ſibi collegit, quotquot in fœderis ſocietatem recepti ſunt, eodem nomine cenſentur. Tantum meminerimus peculiariter Eccleſiæ Spiritum deſtinari.

19 *Et dabo prodigia.*] Primo loco videndum eſt quiſnam ſit iſte dies magnus Domini. Alii de priore Chriſti adventu in carne exponunt: alii vero referunt ad ultimum reſurrectionis diem. Neutra mihi opinio probatur. Propheta enim, meo judicio, totum Chriſti regnum comprehendit. Atque ita *Diem* magnum vocat, ex quo manifeſtari in carne cœpit Filius Dei, ut nos ad complementum regni ejus ducat. Non ergo certum unum diem præfigit, ſed à prima Euangelii promulgatione diem iſtum inchoat, & uſque ad ultimam reſurrectionem extendit. Qui ad ætatem Apoſtolorum reſtringunt, moventur hac ratione, quod Propheta hoc membrum cum proximo connectit. Sed in eo nihil abſurdi, quod Propheta tempus ſignat quo hæc fieri cœpta ſunt, utcunque aſſiduos habeant progreſſus uſque ad finem mundi. Porro, quod dicit *ſolem* converſum iri in tenebras, & *lunam* in ſanguinem, metaphoricæ ſunt loquutiones: quibus ſignificat, Dominum ſigna per totam orbis machinam daturum iræ ſuæ, quæ homines terrore exaniment, acſi horrenda fieret totius naturæ converſio. Sicuti enim ſol & luna paterni erga nos favoris Dei teſtes ſunt, dum lucem vicibus ſuis terræ miniſtrant; ita ex adverſo dicit Propheta, irati & offenſi Dei fore nuncios. Atque hoc ſecundum eſt membrum prophetiæ. Poſtquam enim de ſpiritualis gratiæ affluentia differuit ſupra omnem carnem: ne quis omnia ſimul proſpera & tranquilla imaginaretur, ſubjicit turbulentum multoque horrore plenum fore ſtatum mundi ſub Chriſto. Quemadmodum & Chriſtus ipſe plenius admonet Matthæi 24. & Lucæ 21. Sed hoc ad gratiæ commendationem plurimum valet, quod ubi omnia minantur exitium, quiſquis tamen nomen Dei invocat, ſalutis ſuæ ſecurus eſt. Per Caliginem ſolis, per Sanguinolentum lunæ defluxum, per Atrum vaporem fumi, exprimere voluit Propheta, quocunque homines vertant oculos, ubique *ſurſum* & deorſum multa apparitura quæ terrorem *incutiant*: quemadmodum jam attigi. Perinde ergo hoc valet acſi dixiſſet, nunquam tam miſere habuiſſe res in mundo, nunquam tot & tam atrocia iræ Dei ſigna extitiſſe. Hinc colligitur quam inæſtimabilis ſit Dei bonitas qui præſens remedium tantis malis offert: & rurſus quam ingrati ſint Deo ac perverſi qui ad propinquum & obvium ſalutis aſylum non confugiunt. Neque eoim dubium eſt, quin hac tam triſti deſcriptione pios omnes excitare Deus velit, ut ardentiore deſiderio ſalutem expetant. Et Petrus in eundem finem citat: ut ſciant Judæi ſe pluſquam calamitoſos fore, niſi oblatam ſibi Spiritus gratiam ſuſcipiant. Quæritur tamen, qui conveniat, Chriſto manifeſtato, tantum ſimul mare malorum exundare. Abſurdum enim videri poteſt, ipſum divini erga genus humanum amoris unicum eſſe pignus, in quo cæleſtis Pater omnes bonitatis ſuæ theſauros explicat: imo viſcera miſericordiæ ſuæ in nos effundit: & tamen ejuſdem adventu iram Dei ſolito violentius ardere, ut cælum & terram uno quaſi incendio corripiat. Sed primo obſervandum eſt, quia nimium pigri ſunt homines ad recipiendum Chriſtum, variis afflictionibus quaſi flagellis urgendos eſſe. Deinde, quum laborantes *Mat. 11.*
& malis gravatos ad ſe Chriſtus vocet, multis prius *verſ. 28.*
malis domari nos neceſſe eſt, ut humilitatem diſcamus. Nam ex ſecundo rerum ſuarum ſtatu cornua ſuperbiæ induunt homines. Nec fieri aliter poteſt quin ferociter Chriſtum contemnat, qui ſibi felix videtur. Tertio, quia plus æquo propenſi ſumus ad quærendam carnis pacem: unde etiam fit, ut Chriſti gratiam multi alligent præſenti vitæ: ad diverſam cogitationem nos aſſuefieri expedit, ut ſciamus ſpirituale eſſe Chriſti regnum. Ergo Deus ut cæleſtia Chriſti bona eſſe doceat, moltis ærumnis ſecundum carnem nos exercet. Ita fit, ut noſtram felicitatem extra mundum quæramus. Miſerias etiam cumulat hominum ingratitudo. Servus enim qui voluntatem *Luc. 12.*
domini ſui tenet, nec obſequitur, dignus eſt gra- *verſ. 47.*
vioribus plagis. Quo familiarius nobiſcum Deus in Chriſto communicat, magis creſcit noſtra impietas, & in apertam contumaciam erumpit: ita nihil mirum, ſi Chriſto manifeſtato, multa ultionis divinæ ſigna ex adverſo appareant, quum homines

nes impio contemptu hinc gravius in ſe provocent Deum, iramque ejus inflamment. Certe quod formidabilis eſt Chriſti dies, accidentale eſt, ſive noſtram ſegnitiem corrigere velit Deus, nos adhuc indociles ſubigere: ſive ingratitudinem punire. per ſe enim nihil affert niſi jucundum. Sed Deum merito provocat gratiæ ſuæ contemptus ad horribilem excandeſcentiam.

21. *Quiſquis invocaverit.*] Inſignis locus. Nam ſicuti Deus minis ac terroribus nos tanquam ignavos aſinos ad quærendam ſalutem inſtigat: ita, poſtquam cælum & terram tenebris involvit, modum tamen oſtendit, quo ſalus ante oculos noſtros affulgeat: nempe ſi ipſum invocabimus. Eſt enim diligenter notanda hæc circumſtantia. Si Deus ſalutem ſimpliciter promitteret, hoc jam quidem eſſet magnum: ſed longe majus eſt, dum inter multiplices mortis abyſſos eam promittit. Dum omnia, inquit, confuſa fuerint, & exitii formido omnia occupaverit, tantum invocate me, & ſalvi eritis. Ergo, utcunque malorum gurgite abſorptus ſit homo, proponitur illi tamen remedium, quo effugiat. Notanda etiam univerſalis particula, *Quicunque*. Nam ſine exceptione omnes Deus ad ſe admittit, & hoc modo ad ſalutem invitat: quemadmodum Paulus colligit decimo ad Romanos capite. & ante à Propheta traditum fuerat, To Deus exaudiens precationem, ad te omnis caro veniet. Quando itaque nemo excluditur ab invocatione Dei, omnibus aperta eſt ſalutis janua. Nec aliud eſt quod nos ab ingreſſu arceat, quam propria infidelitas. Omnes dico, quibus ſe per Euangelium Deus patefacit. Verum, ſicuti in Dei invocatione, certa eſt ſalus: ita ſtatuendum eſt, ſine ipſa ter miſeros eſſe nos ac perditos. Cæterum quum ſalus noſtra locatur in Dei invocatione, nihil interea adimitur fidei: quando hæc invocatio non niſi in fide fundata eſt. Eſt alia quoque circumſtantia non minus notatu digna, quod Propheta ultimis diebus proprie congruere ſignificat Dei invocationem. Nam etſi omnibus ſeculis invocari voluit, ex quo tamen in Chriſto ſe exhibuit Patrem, facilius nobis ad eum acceſſus patet. Quod & majorem nobis fiduciam addere, & torporem excutere debet. Ut etiam ratiocinatur ipſe hoc privilegio alacritatem ad precandum nobis duplicari, Hactenus non petiiſtis quidquam in nomine meo: petite, & impetrabitis. quaſi diceret, Antehac quamvis nondum apparuerim Mediator in carne & Advocatus, precati tamen eſtis: nunc ubi patrocinium meum accedet, quanto animoſius id facere conveniet?

22. Viri Iſraëlitæ, audite hos ſermones: Jeſum Nazarenum, virum à Deo oſtenſum erga vos, virtutibus, & prodigiis, & ſignis, quæ fecit per ipſum Deus in medio veſtri, quemadmodum & ipſi noſtis:

23. Hunc, inquam, definito conſilio, & præſcientia Dei traditum per manus impiorum accepiſtis, & cruci affixum interemiſtis.

24. Quem Deus ſuſcitavit, ſolutis doloribus mortis, quandoquidem impoſſibile erat ipſum teneri ab ea.

22. *Jeſum Nazarenum.*] Nunc Petrus ad ſuum inſtitutum prophetiam Joëlis accommodat: nempe ut inde agnoſcant Judæi adeſſe inſtaurationis tempus; & ideo Chriſtum ſibi eſſe datum. Neque enim aliter quam adventu Mediatoris complenda erat hæc promiſſio. Atque hic demum rectus eſt uſus donorum omnium quæ per Chriſtum percipimus, dum nos ad Chriſtum ipſum veluti ad fontem deducunt. Verum huc ſenſim progreditur. Neque enim ſtatim à principio, Jeſum fuiſſe Chriſtum affirmat: ſed tantum dicit, *hominem* fuiſſe divinitus miſſum. idque probat ex miraculis. Poſtea addit, *à morte* reſurrexiſſe, quum eſſet occiſus. Unde certius & plenius apparet non fuiſſe unum aliquem ex Prophetis, ſed ipſum Dei Filium, qui promiſſus fuerat omnium reparator. Sit ergo hoc primum membrum, Jeſum Nazarenum hominem fuiſſe luculentis teſtimoniis approbatum à Deo, ut ſperni quaſi vulgaris aut obſcurus non deberet. Ἀποδεδειγμένον, vetus interpres non male reddidit Approbatum. Ac fallitur Eraſmus, qui putat eum ſecus legiſſe Ipſe vero Lucæ mentem minime expreſſit, quum vertit Exhibitum. Nam quum verbum illud Græcis ſignificet Demonſtrare: unde & Mathematici ἀποδείξεις vocant argumenta, quibus oculis rem perſpicue ſubjiciunt: voluit dicere Lucas, Jeſum non veniſſe incognitum, ac ſine ullo teſtimonio vel approbatione: ſed in hoc valuiſſe quæ Deus per illum edidit miracula, ut illuſtris & eximius eſſet. Ideo dicit *oſtenſum* erga Judæos: quia Deus inter illos Filium ſuum inſignem & magnum haberi voluit. Acſi diceret, miracula non aliis gentibus fuiſſe deſtinata, ſed Judæis: ut Jeſum divinitus ſibi miſſum agnoſcerent.

Virtutibus.] Miracula tribus iſtis nominibus deſignat. Et ſane quoniam Deus potentiam in illis ſuam novo & inuſitato modo exerit, vel ſaltem plus admirationis excitat, merito dicuntur Virtutes. Solemus enim, quum aliquid extraordinarium accidit, magis commoveri. Qua ratione etiam dicuntur Prodigia: quoniam obſtupeſcere nos cogunt. Signa autem ideo vocantur, quia Dominus mentes hominum ibi fixas hærere non vult, ſed altius attolli: ſicuti in alium finem referuntur. Tres autem voces poſuit, ut magis extolleret Chriſti miracula, & hac congerie ad eorum conſiderationem vehementius populum impelleret. Porro, Chriſtum non facit primarium auctorem, ſed miniſtrum duntaxat: quia gradatim, ut dictum eſt, procedere inſtituit. Quæri tamen poſſet, an miracula ad juſtam approbationem ſufficiant: quia hoc modo ſuis impoſturis fidem facerent Magi. Reſpondeo, multum à Dei virtute differre Satanæ præſtigias. Denunciat quidem alibi
Chriſtus, regnum Antichriſti fore in prodigiis: ſed 2 Theſſ. 2.
mox addit, mendacibus. Siquis excipiat, non eſſe verſ. 9.
promptum diſcernere, quia dicit tantum coloris ha- Mat. 24.
bitura, ut etiam electos, ſi fieri poſſet, in errorem verſ. 24.
abducant: reſpondeo iterum, hallucinationem non niſi ex defectu noſtro (quia ſcilicet obtuſi ſumus ac hebetes) provenire. Deus enim virtutem ſuam ſatis clare oſtendit. Ergo in miraculis quæ edit Deus, ſatis firma eſt vel doctrinæ vel miniſterii approbatio, modo ne deſint nobis oculi. Quod autem invalida eſt apud impios, quia falſis Satanæ miraculis poſſunt ſubinde decipi, hoc eorum cæcitati imputandum eſt: ſed quiſquis eſt mundo corde, puris quoque mentis oculis Deum agnoſcit, quoties ſe demonſtrat. Nec aliter illudere poteſt Satan, niſi ubi cordis noſtri malitia vitiatum eſt judicium, & quaſi tenebræ oculis noſtris offuſæ ſunt, vel ſegnitie contracta lippitudo.

23. *Hunc interemiſtis.*] Mortis Chriſti hac maxime de cauſa meminit, ut plenior conſtaret reſurrectioni fides. Res nota erat apud Judæos, Chriſtum fuiſſe cruci affixum. Ergo quod reſurrexit, ingens eſt atque admirabile ſpecimen divinæ virtutis. Interea, ut pungat eorum conſcientias peccati ſenſu, dicit ab illis fuiſſe occiſum. Non quod ſuis eum manibus crucifixerint, ſed quod una totius populi voce poſtulatus fuerit ad necem. Et quanquam

multi ex auditoribus quos alloquitur, non conſenſerant ſceleſtæ crudelitati & impiæ, juſte tamen eam genti imputat: quia ſilentio vel incuria omnes ſe polluerant. Nec ignorantiæ prætextus locum habet, quum prius fuiſſet à Deo oſtenſus. Hic ergo reatus cui eos ſubjicit, præparatio eſt ad pœnitentiam.

Definito conſilio.] Occurrit offendiculo, quoniam abſurdum prima ſpecie videtur, quod is homo quem Deus tantopere ornaverat, poſtea ad omne ludibrium proſtitutus, mortem adeo probroſam ſubeat. Quoniam ergo crux Chriſti primo aſpectu nos turbare ſolet, ideo Petrus admonet nihil fortuito paſſum eſſe, vel quia illi ad ſe liberandum facultas defuerit: ſed quia ſic à Deo conſtitutum fuerat. Hæc enim ſola cognitio, quod mors Chriſti æterno Dei conſilio ordinata fuerit, anſam præcidit ſtultis ac pravis cogitationibus, & offenſiones prævertit, quæ concipi alioqui poterant. Sic enim habendum eſt, Deum nihil fruſtra vel temere decernere. Unde ſequitur, juſtam fuiſſe cauſam cur voluerit Chriſtum pati. Eadem divinæ providentiæ cognitio, gradus eſt ad conſiderandum mortis Chriſti finem ac fructum. Protinus enim in Dei conſilio hoc nobis occurrit, Juſtum fuiſſe morti addictum pro peccatis noſtris: atque ejus ſanguinem fuiſſe mortis noſtræ pretium. Hic autem inſignis eſt locus de providentia Dei, ut ſciamus ab ea gubernari tam vitam noſtram quam mortem. Tractat quidem Lucas de Chriſto: ſed in ejus perſona ſpeculum habemus, quod nobis univerſalem Dei providentiam repræſentat, quæ per totum mundum ſe extendit: ſpecialiter tamen relucet nobis, qui ſumus Chriſti membra. Hic duo ponit Lucas, Præſcientiam, & Dei decretum. Quanquam autem ordine prior eſt præſcientia, (quia Deus quid ſtatuere velit, antea videt quam reipſa ſtatuat) conſilio tamen vel decreto eam ſubjicit, ut ſciamus Deum nihil voluiſſe aut ſtatuiſſe, niſi quod longe ante direxerat in ſuum finem. Multa enim ſæpe temere decernunt homines, quia ſubito. Ergo ut Dei conſilium ratione non carere doceat Petrus, præſcientiam illi ſociam adjungit. Nunc iſta duo nos diſtinguere oportet: atque eo diligentius, quod multi hac in parte falluntur. Præterito enim conſilio Dei, quo moderatur totum orbem, nudam præſcientiam arripiunt. Inde vulgaris illa diſtinctio, quod tametſi prævidet Deus omnia, nullam tamen creaturis neceſſitatem imponit. Et certe verum eſt Deum hoc vel illud ideo præſcire, quia futurum eſt: ſed quemadmodum videmus, non tantum Deo prævifum Petrus docet quicquid Chriſto accidit, ſed ab eo fuiſſe decretum. Hinc autem colligi debet generalis doctrina: quia Deus non minus in totius mundi gubernatione, quam in ordinanda morte Chriſti ſuam providentiam oſtendit. Dei ergo eſt, non futura modo præſcire, ſed ſuo arbitrio ſtatuere quod fieri vult. Hoc ſecundum indicavit Petrus, quum dixit, Certo aut definito Dei conſilio fuiſſe traditum. Quare aliud eſt præſcientia, quam voluntas Dei qua regit ac temperat omnia. Nonnulli qui acutius cernunt, Deum non modo præſcire, ſed nutu etiam quæcunque fiunt in mundo moderari fatentur. Interea tamen confuſum regimen imaginantur: quaſi Deus frena laxaret creaturis, ut ſingulæ ſequantur naturæ ſuæ ordinem. Dicunt ſolem arbitrio Dei regi, quoniam nobis lucendo officium peragit quod illi ſemel à Deo injunctum eſt. Hoc modo liberum homini arbitrium relinqui putant quoniam ad liberam boni & mali electionem diſpoſita eſt ejus natura. Sed qui ita ſentiunt, Deum fingunt ſedere in cælo otioſum. Longe aliter Scriptura, quæ ſpeciale Deo regimen in rebus ſingulis & in hominum actionibus vendicat. Noſtrum tamen eſt expendere, in quem finem hoc doceat. Cavendæ enim ſunt deliræ ſpeculationes, quibus multos abripi videmus. Scriptura vult fidem noſtram exercere, ut ſciamus nos protegi Dei manu, ne ſimus Satanæ & impiorum injuriis obnoxii. Hoc unum amplecti utile eſt: neque enim aliud ſibi voluit Petrus hoc loco. Imo in Chriſto ſobrie ſapiendi exemplum nobis proponitur. Non enim dubium eſt, quin obnoxia fuerit corruptioni ejus caro ſecundum naturam. Atqui immunem fecerat Dei providentia. Siquis roget annon fragilia fuerint oſſa Chriſti: non erit negandum, fuiſſe quidem naturaliter; ſed tamen nullum os potuiſſe minui, quoniam ſic Deus ſta- *Joan. 19.*
tuerat. Hoc, inquam, exemplo admonemur, ſic *verſ. 36.*
dandum eſſe principatum Dei providentiæ, ut intra limites noſtros ſtemus: neque nos temere ingeramus in Dei arcana, quo minime penetrat oculi noſtra acies.

Per manus impiorum.] Quia videtur innuere Petrus, impios paruiſſe Deo, hinc ſequitur ex duobus abſurdis alterutrum: vel Deum eſſe malorum auctorem: vel homines quodvis ſcelus perpetrando, non peccare. Reſpondeo de ſecundo, impios, utcunque exequantur quod apud ſe Deus ſtatuit, nihil tamen minus quam Deo obedire. Nam obedientia ex voluntario affectu naſcitur. ſcimus autem impiis longe aliud eſſe propoſitum. Deinde nemo obedit Deo niſi cui comperta eſt ejus voluntas. Obedientia igitur ex notitia pendet divinæ voluntatis. Porro, Deus in Lege ſuam nobis voluntatem patefecit. Quare illi demum obediunt Deo, qui opera ſua exigunt ad Legis regulam: deinde ejus imperio ſe voluntarie ſubjiciunt. Nihil tale in omnibus impiis cernimus, quos Deus huc vel illuc neſcientes impellit. Nemo igitur excuſabiles hoc prætextu eſſe dicet, quia paruerint Deo: quum & Dei voluntas in Lege nobis quærenda ſit; & illi, quantum in ſe eſt, repugnare Deo cupiant. Quantum ad alterum pertinet, nego Deum mali eſſe auctorem: quia in hac voce certa eſt notatio pravi affectus. Maleficium enim æſtimatur ex fine quo quiſque tendit. Homines quum vel furtum vel homicidium perpetrant, ideo peccant, quia fures ſunt aut homicidæ. In furto autem & homicidio, ſceleratum conſilium. Deus qui illorum malitia utitur, in ſuperiore gradu locandus eſt. Longe enim aliud ſpectat, quia alterum vult caſtigare, alterius exercere patientiam: atque ita nunquam à ſua natura, hoc eſt, à perfecta rectitudine deflectit. Ita, quod traditus fuit Chriſtus per manus impiorum, quod crucifixus, factum eſt Dei nutu & ordinatione. Proditio autem, quæ per ſe nefaria eſt, & cædes quæ tantum ſcelus in ſe continet, Dei opus non debet cenſeri.

24. *Solutis doloribus.*] Per mortis dolores plus quiddam intelligo quam corporeum ſenſum. Nam qui vere expendunt mortis naturam, quia audiunt eſſe Dei maledictionem, ipſos Deum iratum in morte concipere neceſſe eſt. Hinc mirus horror, in quo plus mali eſt quam in morte ipſa. Hac porro conditione mortem obiit Chriſtus, ut reatum noſtrum ſubiret. Illa interior conſcientiæ metus, qui illum ad ſudorem uſque ſanguineum expaveſcere coëgit, quum ſe ſiſteret ad Dei tribunal, multo plus illi anxietatis & horroris attulit quam omnes carnis cruciatus. Cæterum, quod luctatum cum hujuſmodi doloribus Chriſtum fuiſſe Petrus docet, & victorem ſimul prædicat: hoc facit, ut nunc mortem horrere non debeant fideles. Neque enim eadem eſt nunc mortis qualitas quæ fuit in Adam: quoniam per Chriſti victoriam abſorpta eſt Dei maledictio. Sen- *1 Cor. 15.*
timus quidem adhuc dolorum punctiones, ſed quæ *verſ. 54.*
nos totaliter non vulnerant, dum fidei clypeus opponitur. Rationem addit, Quia poſſibile non erat Chriſtum morte opprimi: utpote qui vitæ auctor eſt.

25. David enim dicit de ipſo, Providebam Dominum coram me ſemper: quoniam à dextris eſt mihi, ne commovear.

26. Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea: quin & caro mea requieſcet in ſpe.

27. Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec permittes ut Sanctus tuus videat corruptionem.

28. Notas mihi feciſti vias vitæ: replebis me lætitia cum facie tua.

29. Viri fratres, quando licet mihi cum fiducia dicere apud vos de Patriarcha David, quod & mortuus eſt, & ſepultus, & ſepulchrum ejus apud nos uſque in hunc diem.

30. Propheta ergo quum eſſet, & ſciret quod jurejurando juraſſet ſibi Deus, futurum ut de fructu lumbi ejus, quo ad carnem, exoriretur Chriſtus, qui ſederet ſuper thronum ejus,

31. Præſcius loquutus eſt de reſurrectione Chriſti, quod non derelicta ſit in inferno anima ejus, nec caro ejus viderit corruptionem.

25. Reſurrectio Chriſti, quæ tam certis clariſque vaticiniis teſtata erat, tum colligi poterat ex perpetua Prophetarum doctrina, quaſi res nova & inaudita Judæis probanda fuit. Nec mirum. videmus enim, quum ſæpius eam diſcipulis inculcaſſet Chriſtus, parum tamen profeciſſe. Et tamen retinebant certa veræ doctrinæ principia, quæ aditum illis patefacerent ad Chriſti notitiam: ut mox videbimus. Quoniam ergo fructus reſurrectionis Chriſti erat donum Spiritus, confirmat Davidis teſtimonio, Chriſtum oportuiſſe reſurgere: ut inde agnoſcant Judæi eum doni auctorem. Sumit enim pro confeſſo, fuiſſe excitatum à morte, non ut ſibi, ſed ut ſuis vivat. Nunc videmus quo tendat conſilium Petri, Non debere videri novum, quod ita multo aote prædictum fuerat: Jeſum quoque eſſe Chriſtum quia de eo, tanquam Eccleſiæ capite, vaticinatus fuerit David. Principio videndum eſt, an omnino de Chriſto intelligi debeat hic locus, quemadmodum Petrus contendit: deinde, ſiquid erit in verbis notatu dignum, excutiemus ſuo ordine. Negat Petrus com-

Pſal. 16. verſ. 8. petere in Davidem, quod hic dicitur, Non permittes ut Sanctus tuus corruptionem videat: quia Davidis cadaver in ſepulchro corruptum fuerit. Videtur in ſpeciem leve eſſe argumentum. Promptum enim eſſet excipere, Non urgendum eſſe verbum, quum nihil aliud voluerit David, quam ſe ab interitu eximere. Ergo utcunque eum attigerit corruptio, id tamen non obſtat, quominus tutum ſe ab ejus periculo jure prædicet: quia noverat ſe à Domioo liberandum. Imo videtur repetitio eſſe proximi membri, ex familiari linguæ Hebraicæ uſu. Quod ſi ita eſt, ſimplex erit ſenſus, Non paſſurum eſſe Deum ut opprimatur mortis imperio, vel ut eum mors abſumat. Atque hanc interpretationem confirmat, quod ubi Infernum legimus, Hebraice habetur, *Seol*: ubi legimus Corruptionem, illic eſt, *Schachat*. Utraque autem vox Sepulchrum ſignificat. Hoc modo bis diceret David, ſe à morte ereptum iri per Dei gratiam.

Pſal. 49. verſ. 16. Denique, idem hic dicit, quod Pſal. 49. Redimet Deus aoimam meam è manu inferni. Sicut è converſo, quum de reprobis agit, Deſcenſum in ſepulchrum, pro Exitio capere ſolet. Reſpondeo breviter, majus hic quiddam exprimi, quam communem piorum redemptionem. David quidem æternum ſibi tam in vita quam in morte Deum liberatorem fore promittit. Neque vero multum profuiſſet, ereptum ſemel eſſe ab uno periculo, niſi confiſus eſſet Dei protectione ſe uſque in finem fore ſalvum: ſed incolumitatem deſignat ſuperiorem communi ſorte. Et certe verba ſonant de novo & ſingulari privilegio eum gloriari. Ut concedam repetitionem eſſe, atque iſtis duobus membris unum dici, Non deſeres animam meam in inferno: &, Non permittes, ut videam corruptionem: nego tamen ſimpliciter intelligi, quod Deus Sanctum ſuum vindicare ab æterno interitu velit. Siquidem nominatim immunitas à corruptione promittitur. Nec moror quod *Schachat* ſepulchrum ſignificat, ſicuti *Seol* quod priore membro poſitum eſt. Nam ut de verbis non contendam, etymologia tamen ſpectanda eſt. Quum ergo *Schachat* ideo ſepulchrum vocetur, quia corpus hominis putredine corrumpit, non dubium eſt, quin illam qualitatem notare voluerit David. Ergo non tam locus hoc nomine exprimitur, quam putreſcendi conditio. Ita ſenſus eſt, Non paſſurum Deum, ut in ſepulchro putreſcat ille de quo Pſalmus loquitur. Quum autem ab hac neceſſitate immunis non fuerit David, ſequitur vaticinium non ſolide nec perfecte fuiſſe in eo impletum. Quod autem omnino de Chriſto exponi Pſalmus debeat, res ipſa convincit. Nam quum David unus eſſet de filiis Adæ, illam univerſalem generis humani ſortem effugere non poterat, Pulvis es, Geneſ. 3. verſ. 19.
& in pulverem redibis: apertum eſt, inquam, omnibus Adæ filiis ſepulchrum, quod ipſos omnes degluttiat & abſumat: ut nemo ſe eximere à corruptione poſſit. Ita quum nos intuemur ſeorſum à Chriſto, paratum nobis ſepolchrum cernimus, quod nobis putredinem minatur. Quare, ſi à Chriſto ſeparetur David, minime in eum competet quod hic dicitur, Servandum eſſe à ſepulchro. Quum ergo gloriatur ſe expertem ſepulchri fore, quod ad putredinem attinet, proculdubio ſe in Chriſti corpore conſtituit: in quo mors devicta eſt, atque abolitum ejus regnum. Quod ſi David non alia ſibi ratione exemptionem à ſepulchro promittit, niſi quatenus eſt Chriſti membrum, hinc apparet, à Chriſto tanquam à capite faciendum eſſe exordium. Quiſquis ſani erit judicii, facile agnoſcet valere hoc argumentum, Totum humanum genus corruptioni Deus ſubjecit: Ergo David, quatenus unus erat ex hominum numero, inde eximi non potuit. Nec vero dubium eſt, quin Judæi, apud quos habebatur hæc concio, quum extra controverſiam axioma iſtud inter eos valeret, A ſolo Chriſto ſperandam eſſe reſtitutionem, ideo facilius acquieverint Petri dictis: quia videbant non aliter conſtare quod verba ſonant, quam ſi ad Meſſiam ventum eſſet. Neque enim eo impudentiæ proruperant, ſaltem iſti quorum fit mentio, ut auderent in rebus apertis cavillari. Deus enim pios & dociles auditores ſuis diſcipulis tunc obtulerat. Quærebant in veteri Teſtamento Meſſiam. Ejus typum ſciebant delineatum fuiſſe in Davide. Erat religio, & Scripturæ reverentia. At hodie totius fere gentis deſperate eſt impudentia. Utcunque urgeantur, eludunt. Ubi nullum eſt effugium, tamen perrumpunt. Victi nunquam cedunt. Nec dubium quin hæc illiberalis protervia, impietatis eorum pœna ſit. ſed redeamus ad Petri concionem. Quando non tantum prædicat David liberatorem ſibi fore Deum, ſed modum quoque ſingularem exprimit: nempe, quod ſepulchri corruptioni non erit obnoxius: merito colligit Petrus, id non in ipſum proprie competere, quum ejus cadaver in ſepulchro corruptum fuerit. Quia autem hoc dictu aſperum fuiſſet apud Judæos, verborum circuitu duritiem præmollit. Non enim præciſe uno

verbo negat, vere id fuiſſe in Davide impletum, ſed
oblique tantum ſignificat, quia vulgari aliorum more
in ſepulchro conſumptus jaceat. Cæterum ita de
Chriſto vaticinatus eſt David, ut & ſibi privatim
aptarit hanc conſolationem, & extenderit ad univer-
ſum Eccleſiæ corpus. Nam quod in capite ſolidum
eſt ac perfectum, diffuſum poſtea in ſingula membra
diſtribuitur. Neque vero negandum eſt, de ſeipſo
Davidem hic loquutum: ſed quatenus in Chriſto,
quaſi vitæ ſpeculo, ſe intuebatur. Primus ergo re-
ſpectus in Chriſtum: inde ad ſe & alios fideles oculos
convertit. Ita nobis hic præſcribitur generalis do-
ctrina, de natura fidei, de ſpirituali conſcientiæ gau-
dio, de ſpe æternæ liberationis.

Providebam.] Hoc principium tenendum eſt, ſi
Deum velimus nobis adeſſe, ut illum ſtatuamus no-
bis ante oculos: & quidem antequam appareat. Fi-
dei enim proſpectus multo longius quam ad præſen-
tem experientiam penetrat. Ergo hoc habet pro-
prium fides, ut in rebus confuſis & periculis omnibus
Deum ſemper ducem ſibi proponat. Nihil enim eſt
quod nos ſuſtineat quam præſentiæ Dei agnitio:
ſicut abſentiæ opinio nos ſubinde conſternat & tan-
dem penitus exanimat. Subjicit David, non fruſtra
ſe ad directionem illam Dei fuiſſe intentum. *Mihi*,
inquit, *à dextris* eſt: quo ſignificat, non eſſe pericu-
lum, ne unquam nos ac fidem noſtram fruſtretur,
quum illum proponimus nobis præſentem: ſemper
enim præſentiſſimum ejus auxilium ſenſuros. Fides
quidem in ſperando Dei auxilio omne experimen-
tum & quicquid ſenſu percipitur, antevertere de-
bet: verum ubi hanc Deo gloriam tribuerit, ut eum,
licet abſentem, adeoque inviſibilem, in verbo aſpi-
ciat, ipſo tandem rei effectu ſuperabitur. Eſt enim
anguſtior fidei menſura, quam ut immenſam divinæ
potentiæ & bonitatis amplitudinem capiat. Simili-
tudine autem utitur ab ús ſumpta, qui ús debiles ful-
ciant, vel timidos confirment, ad latus ſe conjun-
gunt. Non commoveri, eſt non dejici è gradu, ſed
Pſal. 46. firmum in ſtatu manere: quemadmodum & Pſal. 46.
verſ. 6. Deus in medio ejus, itaque non commovebitur. Etſi
enim duriter pios quateſieri ſæpe contingit, tamen
quia ad ſeipſos redeunt, dicuntur firmi manere. Non
eſt igitur cur ſibi à lapſu timeant qui Dei auxilio ſuſ-
tinentur. Sicut è converſo qui alibi quam in Deo
robur ſuum ſtatuunt, ad minimum quemlibet auræ
flatum nutabunt, ad mediocrem autem tentationis
ventum corruent.

26. *Propter hoc lætatum.*] Fiduciam ſequitur gau-
dium animæ, linguæ exultatio, & corporis totius ſe-
curitas. Niſi enim ſtupeant homines, anaios & triſtes
eſſe oportet, adeoque miſere cruciari, quamdiu ſe
deſtitutos ope Dei ſentiunt. At fiducia quæ in Deo
collocatur, non anxietate modo nos liberat, ſed
miro gaudio animos noſtros perfundit. Iſtud eſt gau-
Joan. 16. dium, quod ſuis diſcipulis plenum Chriſtus promi-
verſ. 22. ſit, & quod non poſſe illis eripi teſtatus eſt, Joan. 16.
& 17. 13. & 17. Magnitudinem gaudii exprimit, quum negat
poſſe intus contineri quin erumpat in linguæ exul-
tationem. *Cabod*, gloriam quidem ſignificat: ſed
hic, ut aliis pluribus locis, pro Lingua capitur. At-
que ita recte verterunt Græci. *Carnis* autem quies
totius hominis ſecuritatem ſignificat, quam nobis
affert Dei tutela. Nec obſtat, quod perpetuo inquieti
ſunt ac trepidant fideles: nam ſicuti in media triſtitia
nihilominus lætantur, ita nullæ ſunt tantæ agitatio-
nes, quæ illorum quietem abrumpant. Si quis obji-
ciat, in ſpiritu conſiſtere pacem fidelium, non autem
eſſe carnis: reſpondeo, corpore quieſcere fideles:
non quia ſint immunes à moleſtiis, ſed quia totos ſe
Deo curæ eſſe confidant, neque animam modo ejus
protectione fore ſalvam, ſed corpus etiam tutum.

27. *Quia non relinques.*] Animam relinquere in
inferno, eſt permittere ut interitu opprimatur. Duæ
voces ponuntur, quarum utraque ſepulchrum He-
bræis ſignificat. Quia Schaal petere ſignificat, Seol
puto dictum eſſe, quia mors inſatiabilis eſt: unde &
illa translatio, Dilatavit infernus animam ſuam.
Item, Dilatant quaſi infernus os ſuum. Quia vero po-
ſterior Schachath à corruptione vel à conſumptione
ducta eſt, qualitas iſta conſideranda eſt, ſicuti tam
notare voluit David. Quæ hic à quibuſdam de
Chriſti ad inferos deſcenſu diſputantur, meo judicio
ſupervacua ſunt: quia remota à Prophetæ mente &
conſilio. Neque enim *anima* tam ſpiritum immor-
talis eſſentiæ ſignificat, quam vitam ipſam. Nam
quum homo extinctus in ſepulchro jacet, ſepul-
chrum dicitur ejus vitæ dominari. Ubi Græci ver-
terunt *Sanctum*, Hebraice eſt *Chaſſith*, quod proprie
manſuetum ſonat. ſed hoc, quia nihil ad præſens
inſtitutum faciebat, Lucas neglexit. Porro in fide-
libus toties laudatur humanitas, quia eos Patris ſui
naturam imitari convenit ac referre.

28. *Notas mihi feciſti.*] Significat ſe Dei gratia
receptum eſſe à morte in vitam. Nam quod tan-
quam redivivus emerſit, ſingulari Dei beneficio fert
acceptum. Hoc in Chriſto ſic fuit impletum, ut nihil
deeſſet ad perfectionem. Membra vero ſuam habent
menſuram. Itaque Chriſtus ea pers fuit corruptio-
nis, ut ſit primitiæ reſurgentium. Nos eum tandem *1 Cor 15.*
ſequemur noſtro ordine, ſed in pulverem prius re- *verſ. 20.*
dacti. Quod addit, *ſe lætitia* repletum cum vultu *1 Cor. 15.*
Dei, convenit cum illo, Oſtende nobis faciem tuam, *verſ. 42.*
& ſalvi erimus. Item, Signatum eſt ſuper nos lumen *Pſal. 16.*
vultus tui: dediſti lætitiam in corde meo. Sola enim *verſ. 11.*
eſt divini vultus ſerenitas, quæ nos non exhilarat *Pſal. 80.*
modo, ſed vivificat: rurſum, eo averſo vel turbato, *verſ. 4.*
nos deficere neceſſe eſt.

30. *Propheta igitur quum eſſet.*] Duabus rationi-
bus admonet, non eſſe mirum ſi David longe ultra
ſuam ætatem loquendo evehatur. Prior eſt, quod
Propheta erat. Scimus autem Prophetis res futuras
& procul ab hominum notitia remotas patefieri.
Ergo eorum ſermones vulgari aliorum modo ini-
quum eſt metiri, quum Spiritu directore longos an-
norum circuitus tranſcendant. Unde & Videntes di-
cuntur: quod tanquam in alta ſpecula collocati, vi-
deant quæ propter longinquam diſtantiam aliis ſunt
abſcondita. Altera ratio eſt, quod peculiariter illi
promiſſus fuerat Chriſtus. Hoc autem axioma paſſim
ita receptum erat apud Judæos, ut filium Davidis
ſubinde in ore haberent, quoties de Chriſto fiebat
mentio. Non ſunt quidem ejuſmodi argumenta,
quæ neceſſario evincant, de Chriſto exponendum
eſſe hoc vaticinium: neque etiam fuit iſtud Petri
conſilium: ſed primo contrariam objectionem præ-
venire voluit, unde talis Davidi rei incognitæ divi-
natio. Dicit ergo, & revelatione Prophetica & ſin-
gulari promiſſione notum illi fuiſſe Chriſtum. Dein-
de, apud ſanos & integros valebat hoc principium
quod Paulus tradit, Chriſtum eſſe finem Legis. Ne- *Rom. 10.*
mini ergo tunc dubium erat, quin Prophetis omni- *verſ. 4.*
bus hic fuiſſet ſcopus, ad Chriſtum pios manu duce-
re. Ideo quicquid inſigne & quaſi extraordinarium
loquuti erant, vulgo perſuaſum erat in Chriſtum
vere competere. Proinde notandum eſt, ſolide ratio-
cinari Petrum quum Davidi non fuiſſe obſcurum
colligit, quod ſummum erat revelationum omnium
caput.

Jurejurando juraſſet.] Juravit Deus, non tantum
ut fidem ſuæ promiſſioni apud Davidem faceret, ſed
etiam ut pluris æſtimaretur res promiſſa. Et in hunc
finem, meo judicio, hic repetitur, ut cogitent Ju-
dæi quantum habuerit momenti promiſſio, quam
Deus ita inſignierat. Et nobis quoque utilis eſt eadem
admonitio. neque enim dubium eſt quin pacti excel-
lentiam commendare Dominus voluerit ſolenni in-
terpoſito jurejurando. Interea & fidei noſtræ infir-
mitati hoc aptum eſt remedium, ſacrum Dei nomen
pignoris inſtar nobis objici, quod ejus dictis fidem
arro-

Digitized by Google

arroget. Particula, *ſecundum carnem*, aliquid in Chriſto fuiſſe carne nobilius ſubindicat. Sic ergo ex ſemine Davidis Chriſtus progenitus eſt homo, ut ſuam interea divinitatem retineat. atque ita diſerte exprimitur inter duas naturas diſtinctio: quando eadem ratione dicitur Chriſtus Filius Dei ſecundum æternam ſuam eſſentiam, qua ſemen Davidis ſecundum carnem.

32. Hunc Jeſum excitavit Deus: cujus omnes nos ſumus teſtes.

33. Dextera ergo Dei exaltatus, & promiſſione Spiritus ſancti accepta à Patre, effudit hoc quod vos nunc videtis & auditis.

34. Neque enim David aſcendit in cælos. Atqui dicit ipſe, Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis,

35. Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.

36. Certo igitur cognoſcat tota domus Iſraël, quod Dominum & eundem Chriſtum Deus fecit hunc Jeſum, quem vos crucifixiſtis.

32. *Hunc Jeſum.*] Poſtquam Davidis teſtimonio probavit oportuiſſe Chriſtum reſurgere, dicit ſe & reliquos collegas hujus reſurrectionis oculatos eſſe teſtes. Neque enim patitur contextus alio trahi Excitandi verbum. Unde ſequitur in Jeſu Nazareno impletum fuiſſe quod David de Chriſto prædixerat. Poſtea de fructu vel effectu diſſerit. Illud enim priore loco demonſtrandum fuit, Chriſtum vivere: alioqui abſurdum & incredibile fuiſſet eum tanti miraculi eſſe auctorem. Simul tamen admonet, illum non ſibi privatim reſurrexiſſe, ſed ut effoſo Spiritu, totam Eccleſiam vitæ ſuæ participem faceret.

33. *Dextera igitur Dei.*] Dextera hic pro manu aut virtute capitur, ut paſſim in Scriptura. Vult enim dicere, hoc fuiſſe memorabile Dei facinus, quod Chriſtum ſuum, quem homines morte extinctum putabant, in tantam gloriæ celſitudinem extulit. *Promiſſio* Spiritus, pro Spiritu promiſſo. Jam enim Spiritum prius Apoſtolis ſæpius promiſerat. Significat ergo Petrus Chriſtum præſtandi facultatem à Deo Patre impetraſſe. Et promiſſionem diſerte exprimit, ut ſciant Judæi hoc non ſubito contigiſſe, ſed nunc fidem conſtitiſſe Prophetæ verbis, quæ rem ipſam multo ante præceſſerant. Porro quod dicitur *à Patre* impetraſſe, in Mediatoris perſonam competit. Utrumque enim recte dicitur, quod à ſeipſo miſerit Chriſtus Spiritum, & à Patre. A ſeipſo miſit: quia æternus eſt Deus. A Patre: quia quatenus homo eſt, à Patre accipit quod in nos transfundat. Prudenter autem pro captu rudium loquitur Petrus, ne quis intempeſtivam de Chriſti virtute quæſtionem moveat. Et certe quum officium Chriſti ſit nos ad Patrem dirigere, hæc ad uſum pietatis aptiſſima eſt loquendi forma, quod Chriſtus quaſi inter Deum & nos medius, accepta ex Patris manu dona, manu ſua nobis tradat. Præterea hic ordo notandus eſt, quod miſſum à Chriſto Spiritum fuiſſe dicit, poſtquam exaltatus
Joan. 7. eſt. Convenit hoc cum illis ſententiis: Nondum Spi-
verſ. 39. ritus datus erat, quia nondum glorificatus erat Chri-
Joan. 16. ſtus. Item, Niſi abiero, Spiritus non veniet. Non
verſ. 7. quod tunc primum cœperit tradi Spiritus, quo præditi fuerunt ſancti Patres ab initio mundi: ſed quia luculentiorem hanc gratiæ abundantiam diſtulit eouſque Deus, dum Chriſtum in regia ſede collocaſſet. quod ſignificat Effuſio, ut paulo ante vidimus. Nam hoc modo vis ac fructus mortis & reſurrectionis obſignatur: & ſimul inde agnoſcimus nihil nos jacturæ feciſſe quum è mundo migravit: quoniam abſens corpore, Spiritus ſui gratia nobis melius adeſt.

34. *Neque enim David.*] Tametſi ab ipſo effectu quem oculis cernebant, colligere promptum erat, datum Chriſto fuiſſe principatum: quo tamen plus fidei habeat ejus gloria, probat Davidis teſtimonio, ſic jam olim fuiſſe à Deo conſtitutum, ut Chriſtus in ſummum honoris gradum extolleretur. Tantundem enim valet iſta loquutio, *Sedere* ad dextram Dei, ac ſummum imperium obtinere, quemadmodum poſtea fuſius dicetur. Priuſquam tamen vaticinium recitet, præfatur, non competere niſi in Chriſtum. Ideo ut ſenſus ſit clarior, ſic texenda eſt oratio: Pronunciat David decretum eſſe à Deo, ut Rex ad dextram ejus ſedeat. Atqui hoc ad Davidem non pertinet, qui in tantam altitudinem nunquam evectus fuit. Ergo hoc de Chriſto prædicat. Porro quod Spiritus ſancti oraculo prædictum fuerat, Judæis non debebat novum videri. Hinc liquet quo ſenſu neget Petrus Davidem in cælum aſcendiſſe. Non agitur hic de anima Davidis, an recepta in beatam quietem ac cæleſte domicilium fuerit: ſed aſcenſus in
cælum ſub ſe comprehendit quæ Paulus docet 4. ad *Epheſ. 4.*
Epheſios capite: ubi Chriſtum ſupra omnes cælos *verſ. 9.*
collocat, ut impleat omnia. Quare, penitus ſupervacua hoc loco eſt de ſtatu mortuorum diſputatio. Non enim aliud contendit Petrus, quam vaticinium de ſeſſione ad Dei dexteram non fuiſſe in Davide completum: ideoque alibi quærendam eſſe ejus veritatem. Quum autem inveniri niſi in Chriſto nequeat: ſupereſt ut Judæi prophetia admoniti, agnoſcant ſibi in Chriſto monſtrari, quod tanto ante prædictum fuerat. Verum quidem eſt, Davidem auctore Deo regnaſſe & aliquatenus fuiſſe ejus vicarium: non tamen ut ſuperior eſſet omnibus creaturis. Quare ſeſſio hæc nemini convenit, niſi ſupra totum mundum emineat.

Dixit Dominus Domino meo.] Quoniam hæc legitima eſt imperandi ratio, ubi Rex (aut quocunque alio vocetur nomine qui præeſt) divinitus ſe ordina-
tum eſſe novit: ideo David nominatim Chriſto da- *Pſal. 110.*
tum eſſe regnandi mandatum pronunciat. acſi dice- *verſ. 1.*
ret, non ſibi temere ſumpſiſſe honorem, ſed tantum *Hebr. 5.*
paruiſſe Deo jubenti. Nunc videndum eſt, an ſatis *verſ. 5.*
firma ſit Petri ratio. Colligit ſermonem haberi de Chriſto, quia Davidi ſeſſio ad Dei dexteram non conveniat. Videtur hoc refelli poſſe: quoniam peculiari Dei juſſu, nomine, & auſpiciis regnavit David. quod eſt ad dextram Dei ſedere. Atqui Petrus pro confeſſo ſumit quod verum eſt, ac jam breviter attigi: amplius hic & magis auguſtum imperium notari quam quo potitus eſt David. Utcunque enim vices Dei obierit, & quaſi ejus perſonam ſuſtinuerit regnando, hæc tamen longe inferior eſt poteſtas quam ut ad dextrum uſque Dei latus emineat.
Hoc enim Chriſto tribuitur, quia conſtitutus eſt ſu- *Epheſ. 1.*
pra omnem principatum, & omne nomen quod no- *verſ. 21.*
minatur, non tantum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro. Quum longe infra Angelos ſubſidat David, non adeo celſam ſedem occupat, ut ſecundus à Deo cenſeatur. Omnes enim cælos tranſcendere oportet, ut veniatur ad Dei dextram. Quare, nemo in ea vere & proprie ſedere dicitur, niſi qui creaturas omnes honoris gradu ſuperat. Qui autem inter creaturas reſidet, etiamſi in ordine Angelorum cenſeatur, infra illam altitudinem manet. Denique, inter creaturas non eſt quærenda Dei dextera, ſed omnes etiam cæleſtes principatus ſupereminet. In ipſo præterea orationis complexo ineſt magnum pondus. Jubetur hic Rex tenere ſummum imperium, donec inimicos ejus omnes Deus proſtraverit. Certe, etiamſi concedam terreno domino nomen tam honorificæ ſeſſionis poſſe aptari, nego tamen tamdiu regnaſſe Davidem, donec ſubacti eſſent omnes ejus hoſtes. Nam hinc merito colligimus

 æter-

æternum eſſe Chriſti regnum. Regnum autem Davidis non modo fuit temporale, ſed caducum & exiguæ durationis. Ad hoc, ipſe moriens multos hinc inde ſuperſtites adverſarios reliquit. Multas quidem inſignes victorias obtinuerat: ſed multum abeſt quin omnes ſuos hoſtes domuerit. Quoſdam ex vicinis populis ſibi fecit tributarios, quoſdam profligavit aut delevit: ſed quid hoc ad univerſitatem? Ex toto denique Pſalmi contextu evincere licet, non aliud quam Chriſti regnum poſſe intelligi. Ut alia taceam, quod illic habetur de æterno Sacerdotio, à Davidis perſona nimis eſt alienum. Scio quid Judæi obganniant: alibi quoque Regios filios *Cohenim* nominari. Verum hic de Sacerdotio agitur, quale Moſes Regi Melchiſedec adſcribit. Et ſancitur ſolenni jurejurando novum quoddam Sacerdotium. Ideoque nihil hic vulgare aut ordinarium cogitandum eſt. Atqui Davidi nefas fuiſſet ſe ingerere in aliquam partem muneris ſacerdotalis. Quomodo igitur diceretur *Cohen* Aarone major, & in perpetuum à Deo conſecratus? Cæterum quia præſentis inſtituti non eſt totum Pſalmum exponere, ſufficiat hæc ratio quam Petrus adducit, præfici terræ & cælis Dominum, qui in dextera Dei ſedem habet. Quantum ad ſecundum
1 Cor. 15. membrum verſus, de ſternendis ſub pedes hoſtibus,
verſ. 25. lege quæ annotavi in caput prioris ad Corinth. 15.

36. *Certo igitur cognoſcat.*] Confitebatur domus Iſraël venturum eſſe Chriſtum, qui promiſſus fuerat: quiſnam vero hic eſſet, non tenebat. Itaque concludit Petrus, Jeſum, qui tam contumelioſe habitus fuerat, imo cujus nomen tantopere execrabantur, eum eſſe quem agnoſcere pro Domino & revereri debeant. Fecit eum Deus, inquit, Dominum & Chriſtum: hoc eſt, non alius vobis ſperandus eſt, quam hic creatus & datus à Deo. Porro dicit *factum*, quia Deus Pater hunc illi honorem contulerit. *Domini* titulum conjungit cum *Chriſti* nomine, quia vulgo tritum erat apud Judæos, hac lege ungendum eſſe Redemptorem, ut caput eſſet Eccleſiæ, atque illi gubernandi poteſtas ſummaque rerum omnium daretur. Et totam Iſraëlis domum compellat: acſi diceret, Quicunque inter filios Jacob conſeri volunt, ac promiſſum etiam ſpectant, certo ſciant hunc eſſe, non alium. *Domus* nomine utitur, quia nomen illud & familiam Deus à reliquis omnibus populis ſegregaverat. Et dicit, ἀσφαλῶς, vel *ſecure*, non modo ut eorum mentes ſolida fiducia ſiſtat in Chriſto, ſed ut omnes hæſitandi anſas præcidat multis qui de certis quoque rebus ſæpe libenter ambigunt. In clauſula orationis iterum illis exprobrat quod eum crucifixerint, ut majori conſcientiæ dolore tacti, ad remedium aſpirent. Quum autem jam Chriſtum Domini Eccleſiæ præſidem, & Spiritus ſancti datorem Jeſum eſſe ſciant, eo plus vehementiæ habet accuſatio. Nam ejus cædes non crudelitatis modo & ſceleris plena erat; ſed etiam immanis adverſus Deum perfidiæ, ſacrilegii & ingratitudinis, denique apoſtaſiæ teſtimonium. Verum ita vulnerari oportuit, ne ad quærendam medicinam tardi eſſent. Neque tamen propriis manibus eum crucifixerant: ſed hoc ad reatum plus ſatis ſufficit, quod eum poſtulaverant ad mortem. Nos quoque hac voce rei peragimur, ſi jam in cælo
glorificatum, crucifigimus in nobis, oſtentui eum Hebr. 6.
habentes, ut ait Apoſtolus Hebr. 6. verſ. 6.

37. His vero auditis, compuncti ſunt corde, & dixerunt Petro & reliquis Apoſtolis, Quid faciemus viri fratres?

38. Petrus dixit illis, Pœnitentiam agite, & baptizetur quiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum: & accipietis donum Spiritus ſancti.

39. Ad vos enim pertinet promiſſio, & filios veſtros, & omnes qui procul ſunt, quoſcunque advocaverit Dominus Deus noſter.

37. *Compuncti ſunt.*] Nunc concionis fructum Lucas refert, ut ſciamus non modo in linguarum varietate exertam fuiſſe Spiritus ſancti virtutem, ſed in eorum etiam cordibus qui audiebant. Duplicem vero profectum notat: primum, quod tacti fuerunt doloris ſenſu: deinde, quod obſequentes ſe Petri conſilio præbuerunt. Hoc pœnitentiæ initium eſt, hic ad pietatem ingreſſus, triſtitiam ex peccatis noſtris concipere, ac malorum noſtrorum ſenſu vulnerari. Quamdiu enim ſecuri ſunt homines, fieri non poteſt ut ſerio animum attendant ad doctrinam. Ideo ver-
Hebr. 4. bum Dei gladio comparatur: quia carnem noſtram
verſ. 12. mortificat, ut Deo in ſacrificium offeramur. Sed compunctioni accedere debet promptitudo ad pa-
Geneſ. 4. rendum. Compuncti fuerunt Cain & Judas, ſed ob-
verſ. 13. ſtitit deſperatio quominus ſe Deo ſubjicerent. Nam
Mat. 27. mens horrore occupata, nihil aliud quam fugere
verſ. 3. Deum poteſt. Et certe David ſpiritum contritum & cor humiliatum afferens ſacrificium eſſe gratum Deo, de compunctione voluntaria loquitur: quum impiorum compunctionibus permixti ſint fremitus. Bene ergo ſperandum eſt, & hac ſalutis fiducia erigendus animus, ut parati ſimus addicere nos Deo, ac ſequi quicquid juſſerit. Multos quotidie pungi videmus, qui tamen fremunt ac obmurmurant, vel etiam proterve reluctantur, adeoque furioſe inſaniunt. imo hæc illis inſaniendi cauſa, quod punctiones inviti ſentiunt. Utiliter ergo hi ſoli punguntur, qui voluntarium dolorem ſuſcipiunt, ac ſimul petunt à Deo remedium.

38. *Petrus dixit.*] Hinc perſpicimus nunquam irritos diſcedere, qui os Domini interrogant, ac ſe illi regendos docendoſque offerunt: neque enim fal-
Mat. 7:7. lere poteſt illa promiſſio, Pulſate & aperietur vobis. Ergo quiſquis vere ad diſcendum erit compoſitus, pium ejus deſiderium Dominus non fruſtrabitur: eſt enim optimus ac fideliſſimus magiſter, modo diſcipulos habeat dociles ac ſtudioſos. Quare, non eſt cur metuamus ne deſtituat nos ſano conſilio, ſi tantum attenti ſimus ad eum audiendum: nec recuſemus, quicquid præceperit, amplecti. Cæterum eorum nos conſilio & auctoritate regi ſinamus, quos nobis offert doctores. Inde enim tam prompta repente obedientia in his qui ſe permittunt atque addicunt Apoſtolis, quia perſuaſi ſunt divinitus ſibi eſſe miſſos ad monſtrandam ſalutis viam.

Pœnitentiam agite.] Major verbo Græco ſubeſt emphaſis: nam Converſionem mentis ſonat, ut totus homo innovetur, & alius fiat. Quod diligenter notandum eſt: quia miſere corrupta fuit hæc doctrina ſub Papatu. Nam Pœnitentiæ nomen fere ad externos neſcio quos ritus tranſtulerunt. Balbutiunt quidem nonnihil de ficta contritione cordis, ſed eam partem quaſi defunctorie attingunt. præcipue autem inſiſtunt in externa corporis exercitia, quæ, etiamſi nihil ineſſet vitii, parum momenti haberent. Atqui, nihil propemodum inculcant præter commentitias nugas, quibus inutiliter homines fatigantur. Quare, ſciamus hanc eſſe veram pœnitentiam,
dum ſpiritu mentis ſuæ innovatur homo, quemad- Rom. 12.
modum Paulus docet duodecimo ad Romanos. Nec verſ. 2.
dubium eſt, quin Petrus de vi & natura reſipiſcentiæ diſerte concionatus fuerit: ſed Lucas capita tantum perſtringit, non autem verba orationis ab ipſo habitæ recenſet. Sic ergo habendum eſt, quod Petrus primo hortatus fuerit Judæos ad pœnitentiam: deinde erexerit eos veniæ fiducia. Nam peccatorum remiſſionem illis promiſit. Ac duæ quidem illæ ſunt Euangelii partes, quemadmodum ſatis notum eſt. Ideoque, quum Chriſtus ſummatim tradere vult quid

Luc. 24. verſ. 47. quid contineat Euangelii doctrina, dicit oportuiſſe prædicari in nomine ſuo pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum. Porro, quia non reconciliamur Deo, niſi intercedente Chriſti morte, nec aliter quam ejus ſanguine peccata noſtra expiantur & delentur, ideo nominatim Petrus ad ipſum nos revocat. Quarto loco Baptiſmum ponit, tanquam ſigillum quo gratiæ promiſſio confirmatur. Quare, in his paucis verbis totam fere habemus Chriſtianiſmi ſummam: nempe, ut homo ſibi renuncians & mundo, totum ſe Deo addicat. deinde, ut gratuita peccatorum remiſſione à reatu mortis liberetur, adeoque adoptetur inter Dei filios. Quando autem nihil horum conſequi ſine Chriſto poteſt, ſimul Chriſti nomen in medium proponitur, tanquam unicum fidei ac pœnitentiæ fundamentum. Cæterum, & hoc notandum aſt, ſic inchoari à nobis pœnitentiam ubi primum ad Deum convertimur, ut tota vita eam proſequi oporteat. Proinde reſonare in Eccleſia *Marc. 1. verſ. 15.* quotidie debet hæc concio, Pœnitentiam agite: non ut eam ordiantur qui cenſeri volunt fideles, ac jam in Eccleſia locum habent: ſed ut in ea proficiant. quanquam multi nomen uſurpant fidelium, qui nullum unquam pœnitentiæ initium habuerunt. Quare, hic docendi ordo tenendus eſt, ut qui adhuc mundo & carni vivunt, veterem hominem crucifigere incipiant, ut reſurgant in vitæ novitatem: qui autem jam ingreſſi ſunt in pœnitentiæ ſtadium, ad metam aſſidue contendant. Porro, quoniam interior animi converſio producere fructus in vita debet, doceri rite pœnitentia non poteſt, quin opera exigantur: non illa frivola, quæ ſola in pretio ſunt apud Papiſtas, ſed quæ ſolida ſint innocentiæ & ſanctitatis teſtimonia.

Baptizetur unuſquiſque veſtrum.] Tametſi in contextu verborum Baptiſmus remiſſionem peccatorum hic præcedit, ordine tamen ſequitur: quia nihil aliud eſt, quam bonorum, quæ per Chriſtum conſequimur, obſignatio, ut in conſcientiis noſtris rata ſint. Ergo poſtquam de pœnitentia diſſeruit Petrus, Judæos ad gratiæ fiduciam, & ſpem ſalutis invitat. Ideo poſtea Lucas in concione Pauli, fidem pœnitentiæ conjunget eodem ſenſu quo hic remiſſionem peccatorum ponit. Et merito. neque enim alibi quam in gratuita juſtitiæ imputatione conſiſtit ſalutis fiducia. Juſti autem gratis reputamur coram Deo, dum peccata nobis remittit. Quemadmodum autem prius admonui, doctrinam pœnitentiæ quotidianum habere in Eccleſia uſum; ita & de peccatorum remiſſione ſtatuendum eſt, quod nobis aſſidue offeratur. Et ſane toto vitæ curriculo non minus neceſſaria nobis eſt, quam primo in Eccleſiam ingreſſu. Ita nihil nobis prodeſſet à Deo ſemel in gratiam receptos eſſe, niſi hæc legatio continuum haberet curſum, Reconciliamini Deo. quia is qui pec- *2 Cor. 5. verſ. 20.* catum non noverat, pro nobis factus eſt peccatum, ut juſtitia Dei eſſemus in eo. Hanc quoque alteram Euangelii partem ſic depravant & adulterant Papiſtæ, ut peccatorum remiſſionem, quæ per Chriſtum obtinenda erat, prorſus exterminent. Fatentur in Baptiſmo gratis remitti peccata, ſed poſt Baptiſmum ſatisfactionibus redimi volunt: & quamvis Chriſti gratiam ſimul admiſceant, quia tamen eam involvunt hominum meritis, totam Euangelii doctrinam hoc modo evertunt. Nam primum excutiunt conſcientiis fidei certitudinem: deinde, quum inter mortem Chriſti & ſatisfactiones noſtras dimidiant, omnino nos privant Chriſti beneficio. Neque enim Chriſtus ex parte, ſed in ſolidum Deo nos reconciliat: nec per eum peccatorum venia obtineri, niſi tota & integra poteſt. Sed in eo vehementer errant Papiſtæ, quod Baptiſmum ad nativitatem & ſuperiorem vitam reſtringunt, quaſi ejus ſignificatio & vis non pateret ad mortem uſque. Sciamus ergo in ſolo Chriſto fundatam eſſe remiſſionem peccatorum, nec de alia expiatione cogitandum eſſe, niſi quam præſtitit mortis ſuæ ſacrificio. Atque hac ratione, ut dictum eſt, ejus nomen exprimitur à Petro: quo ſignificat nihil iſtorum rite doceri poſſe, niſi ſtatuatur Chriſtus in medio, ut in eo quæratur ipſius doctrinæ affectus. Cæterum, longa expoſitione non indiget, quod baptizari jubet in remiſſionem peccatorum. Tametſi enim ſemel homines ſibi reconciliavit Deus *2 Cor. 5. verſ. 19.* in Chriſto, non imputando illis peccata; & nunc hujus reconciliationis fidem cordibus noſtris per Spiritum ſuum imprimit: quia tamen Baptiſmus ſigillum eſt quo hoc beneficium nobis confirmat, adeoque arrha & pignus adoptionis noſtræ, merito dari nobis in remiſſionem peccatorum dicitur. Nam quia fide percipimus Chriſti dona, fidei autem confirmandæ & augendæ Baptiſmus adminiculum eſt: illi, tanquam inferiori medio, remiſſio peccatorum, quæ fidei eſt effectus, annectitur. Porro non eſt ſumenda ex hoc loco definitio Baptiſmi, quia ejus partem duntaxat Petrus attingit. Per Baptiſmum, ut Paulus do- *Rom. 6. verſ. 4, 6.* cet, crucifigitur vetus homo noſter, ut in vitæ novi- *Galat. 3. verſ. 27.* tatem reſurgamus, Rom. 6. Item, Induimus Chriſtum ipſum, 1 Cor. 12. & paſſim docet Scriptura eſſe pœnitentiæ quoque ſymbolum. Sed quia Petrus hic non differit ex profeſſo de tota Baptiſmi natura; ſed de peccatorum remiſſione verba faciens, obiter oſtendit ejus confirmationem eſſe in Baptiſmo: nihil abſurdi eſt ſi partem alteram prætereat.

In nomine Chriſti.] Quanquam Baptiſmus non inanis eſt figura, ſed verum & efficax teſtimonium: ne quis tamen elemento aquæ tribuat quod illic offertur, diſerte expreſſum eſt *Chriſti* nomen. ut ſciamus tunc demum utile nobis ſignum fore, ſi in Chriſto vim & effectum ejus quæramus: ſciamuſque ideo nos in Baptiſmo ablui, quia ſanguis Chriſti ablutio noſtra eſt. Et hinc ſimul colligimus, Chriſtum eſſe ſcopum quo nos dirigit Baptiſmus. Quare, tantum quiſque proficit in Baptiſmo, quantum didicit in Chriſtum reſpicere. Sed hic exoritur quæſtio, An Petro licuerit mutare formam à Chriſto præſcriptam? Sic quidem putant vel fingunt Papiſtæ, & inde prætextum licentiæ arripiunt in mutandis vel abrogandis Chriſti inſtitutis. Fatentur quoad ſubſtantiam nihil eſſe mutandum, ſed in forma liberum Eccleſiæ eſſe volunt novare quicquid viſum fuerit. Verum nullo negotio refellitur hoc argumentum quod obtendunt. Nam primo tenendum eſt, Chriſtum non dictaſſe Apoſtolis verba magica ad incantationem, ſicuti Papiſtæ ſomniant: ſed myſterii ſummam paucis verbis comprehendiſſe. Deinde nego Petrum hic de forma Baptiſmi loqui: ſed ſimpliciter indicare, totam Baptiſmi virtutem contineri in Chriſto. Quanquam nec Chriſtus fide poteſt concipi ſine Patre, à quo nobis datus eſt, & Spiritu, per quem nos renovat & ſanctificat. In eo tantum poſita eſt ſolutio, quod hic non agitur de certa baptizandi formula: ſed revocantur fideles ad Chriſtum, in quo ſolo nobis confertur quicquid Baptiſmus figurat. Nam & mundamur ejus ſanguine, & mortis ac reſurrectionis ejus beneficio novam vitam ingredimur.

Accipietis donum Spiritus.] Quoniam admiratione tacti fuerant, quum viderent Apoſtolos alienis linguis repente cœpiſſe loqui: Petrus ejuſdem doni ipſos fore compotes dicit, ſi ad Chriſtum tranſierint. Præcipua quidem erant remiſſio peccatorum, & vitæ novitas: ſed hæc erat velut acceſſio, ut Chriſtus aliquo dono viſibili ſuam illis virtutem exereat. neque enim de ſanctificationis gratia, quæ generaliter piis omnibus confertur, debet hic locus intelligi. Donum ergo Spiritus illis promittit, cujus ſpecimen in linguarum diverſitate cernebant. Ideo hoc proprie ad nos non ſpectat. Nam quia illis miraculis illuſtrare voluit Chriſtus regni ſui exordium, nonniſi ad tempus extiterunt: ſed quoniam viſibiles gratiæ, quas ſuis diſtribuebat Dominus,

quaſi

Digitized by Google

quaſi in ſpeculo monſtrabant *Chriſtum* Spiritus ſancti eſſe datorem, ideo aliquatenus ad totam Eccleſiam pertinet quod dicit Petrus, Accipietis Spiritus donum. Tametſi enim non accipimus ut linguis loquamur, ut ſimus Prophetæ, ut ſanemus ægrotos, ut miracula edamus: nobis tamen in præſtantiorem
Rom. 10. *verſ.* 10. uſum datur, ut corde credamus ad juſtitiam, & linguæ noſtræ in veram confeſſionem formentur: ut
Joan. 5. *verſ.* 24. tranſeamus à morte in vitam: ut qui inopes ſumus & vacui, locupletemur: ut adverſus Satanam & mundum invicti ſtemus. Baptiſmo itaque ſemper annexa erit Spiritus gratia, niſi à nobis impedimentum occurrat.

39. *Ad vos enim pertinet promiſſio.*] Hoc nominatim addi oportuit, ut certo ſtatuerent Judæi ſibi communem eſſe cum Apoſtolis Chriſti gratiam. Inde autem probat Petrus, quia illis deſtinata ſit Dei promiſſio. Nam huc ſemper conjiciendi ſunt oculi: quia non aliter nobis nota eſſe poteſt Dei voluntas, quam per verbum: Sed non ſatis eſt habere verbum generale, niſi ſciamus nobis deſtinari. Dicit ergo Petrus, Judæis, quæ in ſe & collegis cernunt Dei beneficia, olim promiſſa eſſe: quia hoc ad fidei certitudinem neceſſario requiritur, ut ſinguli animo infixum habeant, ſe comprehendi in eorum numero quos alloquitur Deus. Denique, hæc vere credendi eſt regula, quum ita perſuaſus ſum, meam eſſe ſalutem, quia ad me pertinet promiſſio quæ illam offert. Hinc etiam major confirmatio accedit, quum ad eos promiſſio extenditur qui prius remoti erant. Fœdus enim cum Judæis Deus pepigerat. Si ejus vis & fructus pervenit uſque ad Gentes, non eſt quod de ſe Judæi dubitent, quin ſenſuri ſint firmam ac ratam Dei fidem. Notandi autem ſunt tres iſti gradus, quod primum Judæis, deinde filiis ipſorum facta ſit promiſſio: poſtremo quod Gentibus quoque communicanda ſit. Nota eſt ratio, cur Judæi aliis præ-
Exod. 4. *verſ.* 22. ferantur. ſunt enim velut primogeniti in Dei familia: imo ſingulari privilegio ſegregati tunc erant à reliquis omnibus. Ergo legitimum ordinem Petrus obſervat, quum Judæis aſſignat priores honoris partes. Quod illis filios adjungit, pendet ex verbis promiſſionis, Ero Deus tuus, & ſeminis tui poſt te. *Gen.* 17.
ubi Deus filios patribus accenſet in adoptionis gra- *verſ.* 7.
tia. Hic ergo locus abunde refellit Anabaptiſtas, qui infantes ex fidelibus genitos, à Baptiſmo arcent, quaſi non ſint Eccleſiæ membra. Effugium in allegorico ſenſu captant, ac filios interpretantur qui ſpiritualiter geniti ſunt. Sed nihil proficiunt tam craſſa impudentia. Palam eſt, hoc dictum fuiſſe à Petro, quia Deus gentem unam peculiariter adoptaverit. Quod autem jus adoptionis etiam infantibus commune eſſet, teſtis fuit Circumciſio. Quemadmodum ergo fœdus ſuum Deus cum Iſaac nondum nato percuſſerat quia ſemen erat Abrahæ: ſic Petrus omnes Judæorum filios in eodem fœdere contineri docet, quia ſemper vigeat illud, Ero Deus ſeminis veſtri.

Et iis qui ſunt procul.] Ultimo loco nominantur Gentes, quæ prius fuerant extraneæ. nam qui ad Judæos referunt qui procul in longinquas regiones expulſi fuerant, multum falluntur. Neque enim hic agitur de locorum diſtantia: ſed diſcrimen Petrus notat inter Judæos & Gentes, quod priores Deo conjuncti erant ratione fœderis, adeoque ejus domeſtici, Gentes autem exulabant ab ejus regno. Eadem loquutione utitur Paulus 2. ad Epheſ. Quod quum *Epheſ.* 2.
Gentes alienæ eſſent à promiſſionibus, nunc per *verſ.* 11.
Chriſtum Deo appropinquaverint. Quia Chriſtus diruta maceria, utroſque reconciliavit Patri, *& veniens annunciavit pacem his qui prope erant, & his qui procul.* Nunc tenemus Petri mentem. Nam ut Chriſti gratiam amplificet, eam Judæis ſic proponit, ut Gentes quoque fore conſortes dicat. Ideo utitur verbo Advocandi: acſi diceret, Quemadmodum vos prius in unum populum ſua voce collegit Deus, ita vox eadem ubique perſonabit, ut qui remoti ſunt, ad vos accedant, ubi novo Dei edicto fuerint accerſiti.

40. Pluribus etiam aliis ſermonibus teſtificatus eſt atque hortatus, dicens, Servamini à generatione hac prava.

41. Qui ergo libenter amplexi ſunt ſermonem ejus, baptizati ſunt: & addita ſunt die illa animæ circiter ad tria millia.

42. Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione, & fractione panis, & precibus.

40. *Pluribus etiam aliis.*] Quanquam in his quæ hactenus habuimus, non retulit Lucas Petri verba, ſed tantum capita breviter attigit: rurſum tamen hic admonet, Petrum non ſimplici nudaque doctrina uſum eſſe, ſed addidiſſe exhortationum ſtimulos. Et nominatim exprimit, multum inſtitiſſe in hanc partem. Quod dicit, *hortatum* & obteſtatum, in eo vehementiam notat. Nam erroribus protinus valedicere quibus pridem fuerant imbuti, & Sacerdotum imperium abjicere cui aſſueverant, non tam facile erat. Violenter ergo ab hoc luto eripi oportuit. Summa autem fuit, ut ſibi caverent à generatione prava. Neque enim Chriſti eſſe poterant, niſi diſcederent à profeſſis ejus hoſtibus. Sacerdotes & Scribæ ſumma auctoritate tum pollebant: & quum prætexerent Eccleſiæ larvam, faciebant fucum ſimplicibus. Hoc magnum erat impedimentum pleriſque, ne ad Chriſtum accederent. Poterant etiam alii vacillare, alii à recta fide deficere. Petrus itaque ipſos generationem pravam eſſe aperte declarat, utcunque ſe Eccleſiæ titulo venditent. Ideo præcipit auditoribus, ut ſe ab illis ſeparent, ne ſe impia & peſtifera illorum ſocietate illigent. Quod dicit, *Servamini*, ſignificat illis fore exitiale, ſi ſe cum tali peſte commiſceant. Et ſane experientia docet quam miſere ſurſum & deorſum agantur, qui vocem paſtoris à voce alienorum non diſcernunt: deinde quantum remoræ afferat mollities & ignavia pleriſque, dum medii ſtare appetunt. Diſceſſionem ergo ab impiis facere jubet, ſi velint ſalvi eſſe. Atque hæc doctrinæ pars minime negligenda eſt. Neque enim ſufficeret, nobis proponi Chriſtum, niſi fugere doceremur quæ ab ipſo nos abducunt. Et boni paſtoris eſt oves à luporum acceſſu prohibere. Ita hodie ut retineamus in ſincera Euangelii doctrina populum, oſtendere & ſubinde teſtificari cogimur, quantum à Chriſtianiſmo differat Papatus, & quam noxia ſit peſtis implicari cum perfidis Chriſti hoſtibus. Nec maledicentiæ tribui debet, quod venerandos Patres, penes quos tunc erat ordinarium Eccleſiæ regimen, Petrus nominat *generationem* pravam. Pericula enim quæ animæ interitum afferre poſſunt, indicanda ſunt ſuis nominibus. neque enim à veneno ſibi cavebunt homines, niſi venenum eſſe intellexerint.

41. *Qui ergo libenter.*] Clarius ergo refert Lucas, quantum fructum retulerit una Petri concio: nempe quod circiter tria hominum millia Chriſto lucrifecit. Simul vim ac naturam fidei indicat, quum dicit, prompto vel hilari animo ſermonem amplexos. Ab hac ergo promptitudine & alacri obediendi ſtudio incipere debet fides. Sed quoniam multi initio ſe admodum voluntarios oſtendunt, qui deinde nihil habent

Digitized by Google

habent conſtantiæ aut tenoris: ne putemus ſubitum fuiſſe impetum, qui mox conciderit, paulo poſt commendat Lucas ſimul eorum perſeverantiam, quos dixerat *libenter* amplexos eorum ſermonem, adjunctos Chriſti diſcipulis fuiſſe narrans, vel in idem corpus inſitos, & perſeveraſſe in doctrina. Ergo nec tardos ad obediendum nos eſſe oportet, nec ad reſiliendum celeres: ſed doctrinæ quam protinus fuerimus amplexi, tenaciter fixoque pede inhærendum. Porro, hoc exemplum non parvum nobis pudorem debet excutere. Nam quum una concione ad Chriſtum tanta multitudo converſa fuerit, vix centum conciones paucos noſtrum afficiunt: quum illos perſeveraſſe narret Lucas, vix decimus quiſque mediocre proficiendi ſtudium oſtendit, quin potius major pars cito faſtidit doctrinam. Væ ergo mundi ignaviæ & levitati.

42. *In doctrina.*] Lucas non tantum fidei aut pietatis conſtantiam in illis laudat: ſed dicit conſtanter incubuiſſe exercitiis quæ ad confirmationem fidei valent: nempe quod aſſidue proficere ſtuduerint Apoſtolos audiendo, quod frequentes fuerint in precibus, quod communicationem & fractionem panis ſedulo coluerint. Quantum ad doctrinam & preces, non obſcurus eſt ſenſus. *Communicatio & fractio panis* varie accipi poſſunt. Quibuſdam Fractio panis, Cœnam ſignificat: aliis eleemoſynas: aliis quod inter ſe communiter epulabantur fideles. Κοινωνίαν nonnulli ſacræ Cœnæ celebrationem eſſe putant: ſed ego potius aliis aſſentior, qui eam notari putant per Fractionem panis. Nam κοινωνία ſine adjecto nuſquam hoc ſenſu invenitur. Ego igitur ad mutuam conjunctionem, eleemoſynas, aliaque fraternæ conjunctionis officia potius refero. Cur Fractionem panis hoc loco de Cœna Dominica interpretari malim, hæc ratio eſt, quod Lucas ea commemorat quibus publicus Eccleſiæ ſtatus continetur. Imo, hic quatuor notas exprimit ex quibus vera & genuina Eccleſiæ facies dijudicari queat. Quærimus ergo veram Chriſti Eccleſiam? Hic nobis ad vivum depicta eſt ejus imago. Ac initium quidem facit à doctrina, quæ veluti Eccleſiæ anima eſt. Nec quamlibet doctrinam nominat, ſed Apoſtolorum, hoc eſt, quam per ipſorum manus Filius Dei tradiderat. Ergo ubicunque perſonat pura vox Euangelii, ubi in ejus profeſſione manent homines, ubi in ordinario ejus auditu ad profectum ſe exercent, illic indubie eſt Eccleſia. Hinc ſtatuere promptum eſt, quam frivola ſit Papiſtarum jactantia, dum inflatis buccis ſecure detonant Eccleſiæ nomen: quum tamen totam Apoſtolorum doctrinam fœdiſſime corruperint. Nam ſi juſtum fiat examen, nulla omnino reperietur pars integra: in pleriſque vero non minus eſt diſſidium quam luci cum tenebris. Regula colendi Dei, quæ ex uno ejus verbo peti debuerat, tantum ex ſuperſtitioſis hominum inventis illic conflata eſt. Salutis fiduciam, quæ in ſolo Chriſto reſidere debuerat, ad operum merita tranſtulerunt. Dei invocatio innumeris profanis deliriis prorſus eſt obruta. Denique quicquid illic auditur, vel deformatio eſt Apoſtolicæ doctrinæ, vel everſio. Proinde, quam facile eſt Papiſtis obtendere Eccleſiæ titulum, tam nobis promptum erit ſtultam eorum arrogantiam refellere. Hic enim erit ſtatus, An doctrinæ puritatem retinuerint, à qua non minus procul abſunt quam inferi à cælo. Verum in eo ſcilicet ſunt prudentes, quod de doctrina moveri controverſiam nolunt. Nobis tamen, ut dixi, inanem iſtam larvam impune contemnere licebit: quandoquidem Spiritus ſanctus pronunciat, ab hac nota præcipue æſtimandam eſſe Eccleſiam, ſi doctrinæ per Apoſtolos traditæ ſimplicitas in ea vigeat.

In communicatione.] Hoc membrum & poſtremum, ex primo tanquam fructus vel effectus manant. Doctrina enim vinculum eſt fraternæ inter nos communicationis, & ſimul januam nobis aperit ad Deum, ut à nobis invocetur: Cœna autem ad doctrinam vice confirmationis accedit. Quare non temere hæc quatuor recenſet Lucas, quum deſcribere vult nobis rite conſtitutum Eccleſiæ ſtatum. Et nos ad hunc ordinem eniti convenit, ſi cupimus vere cenſeri Eccleſia coram Deo & Angelis, non inane tantum ejus nomen apud homines jactare. Certum eſt, ipſum de publicis precibus loqui. Itaque non ſatis eſt ſingulos privatim ſuas preces domi concipere, niſi omnes ad precandum conveniant: in quo etiam ſita eſt fidei profeſſio.

43. Accidit autem omni animæ timor: multaque prodigia & ſigna per Apoſtolos edebantur.

44. Omnes autem credentes erant conjuncti, & habebant omnia communia:

45. Ac poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant, dividebantque ea omnibus, prout quiſque opus habebat.

43. *Accidit autem.*] Significat talem fuiſſe Eccleſiæ conſpectum, ut attonitos redderet alios qui in doctrinam non conſentiebant. Id autem factum fuit conſervandæ & promovendæ Eccleſiæ cauſa. Ubi ſecta aliqua exoritur, omnes ſeſe acriter opponunt: atque, ut odioſa eſt novitas, nunquam paſſi fuiſſent Judæi ad momentum ſtare Chriſti Eccleſiam, niſi Dominus ipſos timore, quaſi freno, cohibuiſſet. Porro *timoris* ſpeciem notat Lucas, non qui ad Chriſti obedientiam homines adducat, ſed qui ſuſpenſos tenet adeoque conſtrictos, ne opus Domini impedire audeant. Quemadmodum hodie multi ſunt qui ſponte neſcire volunt quid ſit Euangelium: vel certe mundi curis tenentur implicitì, ne ſe penitus Chriſto conjungant: non tamen adeo ſunt ferrei, quin agnoſcant à nobis ſtare Dei veritatem. ideo quaſi medii quieſcunt, nec favent impiorum ſævitiæ: quia in Deum impingere metuunt. Cæterum, quod dicit, *omnem animam*, eſt ſynecdoche. Certum enim eſt, à multis contemptam fuiſſe Dei manum: alios nullo metu fuiſſe deterritos, quin furioſe adverſus Eccleſiam ſævirent. Sed hoc voluit Lucas, talem Dei virtutem fulſiſſe in Eccleſia, ut populus magna ex parte obmureſceret.

Multaque prodigia.] Hoc etiam membrum ad cauſæ redditionem pertinet. Nam una cum aliis Dei operibus, ad terrorem incutiendum valebant miracula: quanquam hæc non ſola fuit ratio, ſed una ex multis, quod Deo adverſari metuerant, quem ex miraculis colligebant ſtare ab illa parte. unde colligimus, non in hoc modo prodeſſe, ut homines ſubjiciant in obſequium Dei, ſed ut manſuefaciant aliquatenus impios, ac doment eorum ferociam. Inſignis præ aliis deſperatæ contumaciæ fuit Pharao: & *Exod. 8.*
tamen videmus ut miracula interdum obſtinatum *v. 8, 19.*
pectus percellant. Mox quidem obliviſcitur: ſed quum ipſum urget Dei manus, formidine cedere cogitur. In ſumma, retentos hoc modo Judæos Lucas docet, ut Eccleſia quæ facile deſtrui poterat, emergeret. Idque noſtra etiam ætate ſubinde ſumus experti. Nec tantum metu cohibitos fuiſſe docet, ne ad nocendum auderent quantum ferebat libido: ſed reverentia quoq; fuiſſe humiliatos in Euangelii gloriam.

44. *Omnes autem.*] Ubi ego verti *conjunctos*, ad verbum apud Lucam legitur, In idem, vel In unum. quod de loco poſſet exponi: acſi dixiſſet, Simul eodem in loco habitare ſolitos. Ego tamen de conſenſu malo accipere: ſicuti cap. 4. dicet, Fuiſſe illis *Actor. 4.*
cor unum. Atque ita optimo ordine progreditur, *verſ. 32.*
dum ab animis incipit. Poſtea beneficentiam ſubjicit, tanquam fructum inde prodeuntem. Significat ergo, fraterno amore vere inter ſe fuiſſe conjunctos: idque re ipſa teſtatum feciſſe, quod divites ſua vendebant, ut ſubvenirent pauperibus. Eſt autem hoc ſingulare exemplum charitatis: atque ideo

refertur

refertur à Luca, ut ſciamus noſtra abundantia ſublevandam eſſe fratrum inopiam. Verum, ſana expoſitione indiget hic locus propter ſpiritus fanaticos, qui bonorum κοινωνίαν fingunt, qua omnis politia evertatur: quemadmodum hoc ſeculo tumultuati ſunt Anabaptiſtæ, quia nullam putabant eſſe Eccleſiam, niſi in communem acervum congeſta eſſent ſingulorum bona, ut inde promiſcue omnes ſumerent. Quare, hic duo extrema cavenda ſunt. Nam multi politiæ prætextu intus ſupprimunt quicquid habent, pauperes defraudant: ſeque bis juſtos eſſe exiſtimant, modo non rapiant alienum. Alii feruntur in diverſum errorem, quia vellent omnia confuſa. Quid autem Lucas? Certe diſtinctum ordinem notat, quum dicit, in diſtributione habitum fuiſſe delectum. Siquis objiciat, nihil fuiſſe proprium, quum omnia eſſent communia: ſolutio eſt facilis. nam iſta communitas ad circumſtantiam, quæ mox additur, reſtringi debet: nempe ut juvarentur pauperes prout quiſque indigebat. Notum eſt vetus illud proverbium, Omnia amicorum communia. Quum ita loquebantur Pythagorici, non negabant quin ſuam quiſque domum privatim regeret: neque illis conſilium erat proprias uxores vulgare. Ita communitas iſta quam Lucas commendat, non tollit œconomiam. idque melius conſtabit ex quarto capite, ubi ex tot millibus duos tantum nominat qui vendebant poſſeſſiones. Unde colligimus quod jam dixi, non aliter collata in medium bona fuiſſe, niſi ut præſenti inopiæ ſuccurrerent. Ridicula autem fuit monachorum impudentia, qui regulam Apoſtolicam ſe tenere profeſſi ſunt, quia nihil nominent proprium: atque interea nec vendunt quicquam, nec ſolliciti ſunt ſi quiſquam egeat: ſed ventrem otioſum farciunt pauperum ſanguine, nec aliud in communitate ſua ſpectant niſi ut bene ſaturi ſint ac lauti, etiam ſi totus mundus eſuriat. Quid ergo cum primis diſcipulis habent ſimile, quorum æmuli haberi volunt?

46. Quotidie autem perſeverantes unanimiter in templo, & frangentes per domos panem, ſumebant cibum in exultatione & ſimplicitate cordis,

47. Laudantes Deum, & habentes gratiam apud totum populum. Dominus autem quotidie addebat congregationi qui ſalvi fierent.

46. *Perſeverantes in templo.*] Notandum eſt, ideo templum frequentaſſe, quod illic major promovendi Euangelii commoditas & occaſio ſe offerebat. Neque enim eos trahebat loci ſanctitas, quum ſcirent ceſſaſſe Legis umbras: neque alios ſuo exemplo ad templi cultum inducere volebant: ſed quia multus illuc erat piorum concurſus, qui depoſitis privatis curis, quibus alibi magis diſtracti fuiſſent, Dominum quærebant; ut tales lucrifacerent Chriſto, in templo erant aſſidui. Potuit etiam alia ratio apud ipſos valere, ut mutuam haberent inter ſe doctrinæ communicationem: quod in privatis ædibus minus fuiſſet commodum, præſertim ex quo in tantum numerum creverant.

Frangentes panem per domos.] Significat Lucas, non tantum in publico ipſos veræ pietatis ſignum dediſſe, ſed eundem fuiſſe privatæ vitæ curſum ac tenorem. Nam quod hic Fractionem panis nonnulli interpretantur ſacram Cœnam, alienum mihi videtur à mente Lucæ. Significat igitur, ſimul veſci ſolitos, & quidem frugaliter. nam qui ſumptuoſa convivia agitant, non ita familiariter inter ſe veſcuntur. Deinde addit Lucas, *in ſimplicitate cordis.* quod etiam temperantiæ ſignum eſt. In ſumma, dicere vult, rationem vivendi inter eos fraternam & ſobriam fuiſſe. Quidam exultationem & ſimplicitatem cordis conjungunt Dei laudi: & probabilis eſt uterque contextus. Sed quia in laudando Deo non poteſt eſſe cordis ſimplicitas, niſi conſtet in omnibus vitæ partibus; ideo certum eſt ejus fieri mentionem hoc ſenſu, quod fideles eam ubique coluerint. Notanda eſt autem circumſtantia temporis, quod variis periculis circumdati, læti eſſent ac hilares. Hoc boni nobis affert divini erga nos amoris agnitio, & tutelæ fiducia, ut ſecuris animis laudemus Deum, quicquid mundus minetur. Sicuti autem Lucas de publico Eccleſiæ ſtatu paulo ante loquutus eſt: ita nunc qualis fuerit inter fideles vivendi forma, recitat: ut eorum exemplo diſcamus & nos frugalem in victu ſodalitatem, & in tota vita ſimplicitatem colere, frui ſpirituali gaudio, & nos exercere in Dei laudibus. Porro, Simplicitas cordis late patet: verum, ſi hic conjungas cum fractione panis, tantundem valebit ac ſincerus amor, ubi alii aliis ſunt expoſiti, nec aſtute quiſque commodum ſuum captat. Ego tamen anxietati opponere malo, qua ſe torquent nimium providi homines. Nam ubi non rejicimus curas noſtras in Deum, hæc juſta impendet merces, ut in quiete trepidemus.

47. *Habentes gratiam.*] Hic vitæ innoxiæ fructus eſt, gratiam habere, etiam apud extraneos. Nec tamen dubium eſt, quin exoſi fuerint multis. Sed Lucas quamvis univerſaliter loquatur de populo, eam ſolam partem intelligit quæ integra erat, nec infecta ullo odii veneno. Breviter, ſignificat, fideles ita ſe geſſiſſe, ut propter vitæ innocentiam populo grati ac probati eſſent.

Dominus quotidie addebat.] Oſtendit his verbis eorum ſedulitatem profectu non caruiſſe. Studebant quantum in ſe erat, vagos & errantes colligere in ovile Domini. Non fruſtra neque inutiliter eos in hac parte laboraſſe dicit: quia Dominus in dies Eccleſiam augebat. Et certe, quod Eccleſia minuitur potius quam creſcat, id noſtræ ignaviæ vel etiam pravitati imputandum eſt. Cæterum, quamvis ſtrenue omnes incumberent ad augendum Chriſti regnum, Lucas tamen hunc ſoli Deo honorem vendicat, quod adduxerit extraneos in Eccleſiam. Et ſane hoc proprium eſt ejus opus. Plantando enim & rigando nihil proficiunt miniſtri, niſi Spiritus ſui virtute eorum laborem efficacem reddat. Notandum præterea quod dicit, Aggregatos fuiſſe ad Eccleſiam qui ſervandi erant. Hunc enim obtinendæ ſalutis modum eſſe docet, ſi in Eccleſiam cooptamur. Nam ſicuti extra eam non eſt remiſſio peccatorum, ita nec ſpes vitæ æternæ. Hæc porro eximia eſt piis omnibus conſolatio, quod in Eccleſiam recepti ſunt, ut ſalvi fierent: ſicuti Euangelium vocatur Dei potentia in ſalutem omni credenti. Jam quum partem duntaxat vel certum numerum aggreget Deus, reſtringitur hæc gratia ad electionem: ut prima ſit noſtræ ſalutis cauſa.

1 Cor. 3. verſ. 6.

Rom. 1. verſ. 16.

Cap. III.

CAP. III.

* *Vel, illo ſere tempore.*

Simul * autem Petrus & Joannes aſcendebant in templum circiter horam precationis nonam.

2. Porro vir quidam qui claudus erat ab utero matris ſuæ, ferebatur: quem ponebant quotidie ad portam templi quæ dicitur Specioſa, ut eleemoſynam peteret ab his qui ingrediebantur in templum.

3. Is quum vidiſſet Petrum & Joannem appropinquare templo, petiit eleemoſynam.

4. Intuitus autem in eum Petrus cum Joanne, dixit, Reſpice in nos.

5. Ille autem attendit ad eos, putans ſe ab ipſis aliquid accepturum.

6. Petrus vero dixit, Argentum & aurum non eſt mihi: ſed quod habeo, hoc tibi do: In nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula.

7. Et apprehenſa manu ejus dextera, erexit eum: & continuo ſtabilitæ ſunt ejus plantæ & crura.

8. Et exiliens ſtetit, & ambulavit: & ingreſſus eſt cum ipſis in templum, ambulans & ſaliens, & laudans Deum.

9. Et vidit populus ambulantem, & laudantem Deum.

10. Noverant autem eum, quod is eſſet qui ſolitus erat ſedere ad eleemoſynam juxta Specioſam portam templi. Et impleti ſunt admiratione & ſtupore ſuper eo quod illi acciderat.

11. Porro, quum teneret claudus, qui ſanatus fuerat, Petrum & Joannem, cucurrit ad eos totus populus in porticum quæ dicitur Solomonis, obſtupefactus.

1. Prius vidimus multa ſigna per manus Apoſtolorum edita fuiſſe: nunc ſuo more Lucas unum ex multis exempli cauſa recitat: nempe quod claudus, qui ab utero matris captus pedibus fuerat, plenam ſanitatem receperit. Sedulo autem circumſtantias omnes colligit quæ ad miraculum illuſtrandum pertinent. Si fuiſſet luxatio aliqua crurum, vel morbus accidentalis, facilior curatio fuiſſet. Naturæ autem vitium non ita facile corrigi potuit. Quum dicit fuiſſe *portatum*, ex eo colligimus, non levem fuiſſe claudicationem, ſed hunc hominem jacuiſſe quaſi mortuis cruribus. Quum ſolitus eſſet quotidie eleemoſynam petere, hinc toti populo notior eſſe potuit. Quod hora precationis in templo ſanus ambulat, hoc ad vulgandam miraculi famam multum valuit. Hoc quoque non parvam addit commendationem, quod ſubito in pedes erectus, ſimul exilit, & alacriter ambulat.

Simul aſcendebant.] Quum particula ἐπὶ τὸ αὐτὸ, non magis locum quam tempus notet, videtur hic poſterior ſenſus ad Petri contextum melius quadrare: quia tamen hoc non multum habet momenti, in medio relinquam. Cæterum, Hora nona precationis vocatur, quum jam vergere inciperet dies ad veſperum. Nam quum dies ab ortu uſque ad occaſum Solis, horas duodecim haberet, ut alibi diximus, totum illud tempus in quatuor partes dividebatur. Sic per horam nonam ultima diei portio intelligitur: ſicuti hora prima uſque ad tertiam, tertia uſque ad ſextam, ſexta uſque ad nonam durabat. Hinc probabili conjectura poteſt colligi, horam illam ſacrificio veſpertino deſtinatam fuiſſe. Porro, ſiquis roget, An Apoſtoli in templum aſcenderint, ut ſecundum Legis ritum precarentur: id non tam mihi eſt veriſimile, quam ut melior daretur occaſio propagandi Euangelii. Siquis autem abuti hoc loco velit, quaſi ſuperſtitioſos cultus ſuſcipere liceat dum inter rudes ac infirmos verſamur, frivola erit ratio.
Exod. 29. verſ. 41. Num. 28. verſ. 4. Inſtituerat Dominus, ut ſacrificium veſperi & mane Judæi afferrent. Hoc exercitio docebantur, ab invocatione & cultu Dei incipere diem & claudere. Petro itaque & Joanni liberum fuit venire in templum Deo conſecratum: nec vero ſe polluebant, quum Deum Iſraël, teſtandæ pietatis cauſa, invocarent. Primum quod ſtatas horas Deus veteri populo eſſe voluit: inde colligimus, non poſſe carere Eccleſiam certa diſciplina. Ac hodie, niſi obſtaret nimius torpor, utile eſſet quotidie habere tales conventus. Quod autem Apoſtoli illa hora aſcendunt, hinc colligimus, nullam occaſionem promovendi Euangelii à nobis negligendam eſſe.

3. *Petiit eleemoſynam.*] Videmus qualiter Deus præter ſpem huic claudo ſanitatem contulerit. Quia morbum incurabilem eſſe putabat, tantum ſollicitus erat de victu. Datur illi quod petere nunquam auſus fuiſſet. Eodem modo ſæpe nos prævenit Deus, neque expectat dum à nobis provocetur. Cæterum, hinc captanda non eſt deſidiæ occaſio, quaſi ſponte ideo nobis Dominus occurrat, ut otioſi & reſides ſinamus ipſum nobis benefacere. Habemus enim precandi mandatum. Ergo partes noſtras non omittamus. Sed primum ſub claudi perſona nobis exemplum proponitur hominis nondum fide illuminati, ut rite precandi rationem teneat. Tales ultro Deus prævenit, ut neceſſe eſt. Itaque quum animas noſtras reſtituit non modo in ſanitatem, ſed etiam in vitam, ad hoc ipſe ſibi cauſa eſt. Nam hoc vocationis noſtræ initium eſt, ut faciat *Rom. 4. verſ. 17.*
eſſe quæ non ſunt: ut iis ſe oſtendat à quibus non quæritur. Præterea, utcunque ad Deum precan- *Jeſ. 65. verſ. 1.*
dum fide jam edocti ſimus, quia tamen non ſemper ſentimus mala noſtra, non venit in mentem remedium petere. itaque Dominus gratuitum & minime ſperatum affert. Denique quantumvis intenti ſimus ad precandum, ſpem tamen & vota noſtra bonitate ſua ſuperat.

4. *Reſpice in nos.*] Non ita loquitur Petrus, quin de conſilio Dei certus ſit. Et certe his verbis ſingulare aliquod & inſolitum beneficium ſperare jubet. Quæri tamen poteſt, An facultatem habuerint edendi miracula, quoties liberet. Reſpondeo, ſic miniſtros fuiſſe divinæ virtutis, ut nihil ſuo arbitrio vel proprio motu tentarint, ſed Dominus per ipſos egerit, quum ita expedire noverat. Hinc factum eſt, ut unum ſanarint, non autem promiſcue omnes. Ergo, quemadmodum in aliis rebus ducem ac directorem habebant Dei Spiritum, ita etiam in hac parte. Ideo, priuſquam claudum ſurgere jubeat Petrus, conjecit in eum ac defixit oculos. Talis intuitus non caruit peculiari Spiritus motu. Hinc fit ut tam ſecure de miraculo pronunciet. Porro, excitare hoc verbo claudum voluit ad recipiendam

Dei gratiam: ille tamen nihil quam eleemoſynam expectat.

6. *Argentum & aurum.*] Vere excuſat Petrus ſe eo auxilio deſtitui quod claudus petebat. Itaque teſtatur, ſi poſſet ejus inopiæ ſuccurrere, libenter ſe facturum: ſicuti expendere unuſquiſque noſtrum debet quid ſibi à Domino datum ſit, ut inde proximos juvet. Quicquid enim facultatis Deus ſingulis diſtribuit, charitatis exercendæ vult eſſe organum vel adminiculum. Ideo dicit ſe dare quod habet. Principio quidem erat hoc luſorium, poſtquam ad raram ſpem attraxerat Petrus claudi animum, de inopia ſua præfari, quaſi vellet biantem corvum deludere: ſed mox ſolatium adjecit, ut creſceret ipſa comparatione miraculi pretium. Horrenda eſt impietas, quod Papa dum creatur, in comicum vel potius ſcurrilem luſum, hoc loco impudenter abutitur. Duæ ſunt lapideæ cellæ, quarum in altera dum ſedet, & à populo eleemoſynam poſcitur, his Petri verbis reſpondens, cruces digitis in aërem ſpargit. In vicinam cellam traductus, ſacculos habet pecunia refertos. Tum illi ſui angeli acclamant, Di-
Pſal. 122. *verſ.* 9. ſperſit, dedit pauperibus. Hoc ideo retuli, quo melius omnes perſpiciant Satanam illic plane regnare, ubi tam aperto ludibrio ſacrum Dei verbum habetur. Ut autem ad priorem ſententiam revertar, ſatis liquet, Petrum certa revelatione inſtructum fuiſſe, quum ſe donum ſanitatis habere prædicat.

In nomine Jeſu.] Præfatur hoc opus ac beneficium Chriſti eſſe, quod claudo pedum uſum reſtituit: *nomen* enim pro imperio ac virtute accipitur. Neque enim in vocis ſonitu ſomnianda eſt vis magica: quo modo Judæi in nomine Jehovah delirant. In ſumma, teſtatum voluit Petrus nihil quam miniſtrum ſe eſſe, Chriſtum vero miraculi auctorem. Hoc enim curæ habere debuit, ut Chriſtus mundo innoteſceret, ac ſanctificaretur ejus nomen. Cur autem Chriſto epitheton Nazaræi adſcribit? Aliis relinquo ſuum judicium: ſed ego ita ſentio, Quum ita per contemptum Chriſtus vocaretur, Petrum data opera voluiſſe exprimere, Jeſum illum qui crucifixus fuerat, & cujus nomen contemptibile ac inglorium erat Judæis, pleriſque etiam deteſtabile, eſſe tamen Meſſiam à Deo promiſſum, & illi datam eſſe omnem
1 Cor. 2. *verſ.* 2. à Patre poteſtatem: quemadmodum dicit Paulus, Chriſtum ſe prædicare, & hunc crucifixum.

Surge & ambula.] Videri poterat hoc perquam ridiculum. Claudo enim promptum erat excipere, Cur non mihi prius crura & pedes dediſti? Hoc enim illudere eſt, quum hominem pedibus orbum jubes incedere. Sed fidem habuit Petri verbis: & qui initio ſic tardus erat, nunc erecto & alacri animo, Dei donum amplectitur. unde & verbi efficacia, & fructus fidei apparet. Efficacia autem verbi duplex: & quod claudus ſic afficitur, ut protinus ſine difficultate obtemperet: & quod vigorem membris emortuis infundit, ac quodammodo hominem renovat. Fidei autem conſtat ſua merces, quod non fruſtra ſurgere jubenti paret. Videmus ergo, qualiter Deus per verbum operetur: nempe, quum ejus prædicationi dat ſucceſſum, ut in hominum animos penetret: deinde quum manu ſua exhibet quæ illic promittit: adhæc fidem eſſe irritam non patitur, quin vere potiatur bonis omnibus quæ ſibi per verbum oblata exſpectat. Tenendum autem memoria quod jam dixi, in hac hiſtoria nos habere quaſi univerſalem ſpiritualis noſtræ reſtitutionis typum: nempe, quod ſicuti verbum fide apprehenſum ſanitatem claudo præſtitit, ita Dominus per verbum penetrat in animas, ut eas inſtauret. Ac primum quidem hominum ore loquitur, & nos ad fidei obedientiam exſtimulat: deinde intus corda movet ſuo Spiritu, ut verbum in nobis vivas radices agat: denique manum porrigit, & modis omnibus ſuum in nobis opus implet. Sic tractanda eſſe miracula, ex Matthæo colligimus.

9. *Et vidit omnis populus.*] Jam fructum incipit miraculi narrare, quod ſcilicet claudus gratitudinem ſuam teſtatus ſit laudando Deum, & totus populus in admirationem raptus fuerit. Hic vero eſt duplex fructus. Nam qui ſanatus eſt, Dei beneficium agnoſcit & celebrat: populus ex altera parte commovetur, & fama longius ſparſa, accurrunt multi ad ſpectaculum. Cæterum, quod dicit Lucas, *ſtupore* repletos fuiſſe, præparationem tantum indicat, quam plenior tandem ſequutus eſt profectus. Ultra enim progredi oportuit: quia per ſe non multum valuiſſet admiratio, quæ attonitos magis reddebat, quam ad Deum adduceret. Fuit ergo quaſi fundamentum futuri ædificii, quod populus ſtupore tactus fuit. Nam ſi contemptim præterimus Dei opera, nihil unquam poterimus ex illis proficere. Porro, hic locus documento eſt quid per ſe in hominibus efficiant miracula: nempe, quod ſtuporem confuſum gignunt. Tametſi enim Dominus ſuam illic potentiam & bonitatem conſpicue monſtrando, recta nos ad ſe vocat: quæ tamen eſt ingenii noſtri imbecillitas, impingimus vel deficimus in medio curſu, donec accedat ſubſidium doctrinæ. Diſcamus ergo reverenter conſiderare Dei opera, ut eorum admiratio, doctrinæ aditum patefaciat. Nam quum apud nos friget ac inutilis eſt doctrina, Deus ingratitudinem noſtram hoc modo juſte ulciſcitur, quia operum ſuorum gloriam contempſerimus. Rurſum, quia non tam ſumus perſpicaces, ut in ſolis Dei operibus cernamus quantum ſatis eſt: ſi volumus ad ſcopum pervenire, diſcamus adjungere doctrinæ admiraculum. In ſumma, alterum ab altero ſeparari non debet. Cujus rei locuples teſtis eſt experientia. Hinc enim factum eſt, ut mundus adeo perperam abuſus ſit miraculis. Papiſtæ identidem miracula objiciunt. Fingamus vera eſſe quæcunque jactant: magnopere tamen errant in eo, quod in alienum finem illa detorquent: nempe, ut obſcurent Dei nomen, & puram Euangelii veritatem ſuis commentis inficiant. Unde enim tot ſuperſtitioſi & impii Sanctorum cultus, niſi ex miraculorum abuſu? Nam quum miraculum aliquod editur, commoveri homines neceſſe eſt. Quia autem ſurdi ſunt ad verbum, nec attendunt quid ſibi Deus velit, aſtute Satan ex ſtupore noſtro ſuperſtitionis anſam captat. Exempli gratia, Agnoſcam Dei potentiam in miraculo. Si à Petro editum fuit, extemplo ſuggeret mihi Satan, Videſne hunc divinum eſſe hominem? Divinum ergo illi cultum debes. Idem contigiſſet Judæis, niſi attonitos in viam revocaſſet Petri concio. In Papatu vero, ubi nullus coarguebat ſuperſtitionem, facile obtinuit præpoſtera hominum admiratio. Quo magis ſollicite à verbo petenda eſt medicina, ut miraculis erectos, doctrina in rectum finem dirigat.

11. *In porticu.*] Veriſimile eſt extructam eo loco fuiſſe porticum, ubi aliquando Solomonis porticus fuerat, indeque nomen ſumpſiſſe. Nam vetus templum dirutum fuerat: ſed ejus formam, quantum in ſe erat, Zerubabel & Eſdra imitati fuerant. Poſtea Herodes renovaverat, majore quidem ſplendore: ſed inanes quos fecerat ſumptus, Solomonis memoriam non extinxerant in populi cordibus. Nominat autem Lucas tanquam locum maxime celebrem, ad quem concurſus populi factus fuerit.

12. Videns autem Petrus, reſpondit ad populum, Viri Iſraëlitæ, quid miramini ſuper hoc, vel intuemini in nos, quaſi propria potentia vel pietate hunc fecerimus ambulare?

13. Deus Abraham, Iſaac, & Jacob, Deus Patrum noſtrorum glorificavit Filium ſuum

Jeſum,

Jeſum, quem vos tradidiſtis, & quem negaſtis coram facie Pilati, quum ille judicaſſet abſolvendum.

14. Vos autem ſanctum & juſtum negaſtis, & petiiſtis virum homicidam vobis dari.

15. Vitæ autem principem interemiſtis: quem Deus ſuſcitavit ex mortuis: cujus nos teſtes ſumus.

16. Et in fide nominis ejus hunc, quem conſpexiſtis & noviſtis, ſtabilivit nomen ejus: & fides quæ per ipſum eſt, dedit illi integram hanc ſanitatem coram omnibus vobis.

12. *Viri Iſraëlitæ.*] Concionem ſuam à reprehenſione populi orditur. Neque tamen ſimpliciter reprehendit eos quod mirentur: id enim omnino utile erat ac laude dignum: ſed quod divini operis laudem perperam ad homines transſcribant. Acſi diceret, Perperam facitis, in nobis hærentes: quum oculos potius in Deum & Chriſtum conjicere deceat. Ergo hoc eſt perperam obſtupeſcere, quum in hominibus mentes noſtræ ſubſiſtunt. Notandum eſt autem, quod damnet hominum reſpectum. Quaſi noſtra, inquit, potentia ac virtute. In eo itaque error ac vitium eſt, ſi hominum pietati aut virtuti, quod Dei & Chriſti proprium eſt, tribuimus. Ac de virtute quidem concedent omnes non niſi à Deo manare: ſed quum hoc uno verbo confeſſi ſunt, non deſinunt tamen jus ſuum Deo præripere, ut ejus ſpoliis creaturas ornent. Qualiter videmus Papiſtas Dei virtutem locare in Sanctis: imo ejus numen in lapide vel ligni trunco includere, ſimulatque ſtatua Barbaræ vel Chryſogono conſecrata eſt. Sed tamen fingamus in illo priore membro non peccare. At ſtulte ſe defunctos erga Deum putant, quum illi relinquunt potentiam: miracula vero pietati Sanctorum aſſignant. Cur enim ad ipſos confugiunt dum volunt aut pluviam impetrare, aut ſerenum, aut liberationem à morbo, niſi quod ſua pietate id promeritos eſſe imaginantur, ut hoc juris ac privilegii Deus illis concederet? Puerile ergo effugium eſt, quum Deum fatentur auctorem eſſe potentiæ: beneficia autem quæ illis confert, Sanctorum pietati accepta ferunt. Quoſcunque obtendant prætextus, hoc ſemper tenendum eſt, damnari generaliter à Petro qui in miraculis ſic homines intuentur, ut eorum ſanctitatem cauſam eſſe putent. Hæc prima pars concionis, qua ſuperſtitio corrigitur. Ac obſervanda eſt hæc docendi ratio & ſeries. Quia enim nihil pro[clivius] eſt quam à Deo ad creaturas delabi, operæpretium eſt mature huic vitio occurrere. Quod ſi in Apoſtolos reſpicere vetitus fuit populus, multo magis ab invocatione cujuslibet Sanctuli nos Spiritus abſtrahit.

13. 14. *Deus Abraham.*] Nunc remedium ſubjicit, eos ad Chriſtum revocans. Summa autem eſt, Deo hoc propoſitum eſſe in miraculis quæ per Apoſtolos edit, ut Chriſti ſui gloriam illuſtret. Unde ſequitur, perverſe facere omnes qui Petrum vel *Ioan. 3. verſ. 30.* alium quempiam extollant, quum omnes minui oporteat, Chriſtum vero ſolum eminere. Hic jam clare diſcrimen inter Chriſtum & Apoſtolos elucet. Primum, ille auctor: hi duntaxat miniſtri. Deinde legitimus finis eſt, ut ſolus ille gloriam in ſolidum obtineat: horum vero, quantum ad gloriam attinet, nullus reſpectus. Nam certe qui alios quam Chriſtum in miraculis glorificant, palam repugnant Dei conſilio. *Deum* Abraham, Iſaac & Jacob nominat, ut teſtatum faciat populo, ſibi nihil minus in animo eſſe, quam eos abducere à priſco veri Dei cultu qualem à Patribus acceperant. Hunc porro ſibi titulum indiderat Deus, ut nota aliqua ſe diſcerneret ab idolis. Neque enim Deum in ſua eſſentia, quæ inviſibilis & infinita eſt, comprehendimus. Rationem ergo nobis congruam attemperat, qua nos deducat in ſui notitiam. Turcæ autem Deum ſe colere jactant creatorem cæli & terræ: ſed priuſquam accedant ad cælum, evaneſcunt. Ergo ut populum ſuum arceret Deus à vagis & erroneis commentis, illum in fœdere ſuo continebat. Quare, ſe Deum Abrahæ vocans, breviter docebat quod fuſius Moſes *Deut. 30. verſ. 12.* exponit: Ne dicas, Quis aſcendet in cælum? quis deſcendet in abyſſum? vel, quis transfretabit mare? Prope eſt verbum, &c. Porro ſicuti apud Judæos favorabile erat ſanctorum Patrum nomen: ita Petrus tacite admonet, ſine unigenito Dei Filio non eſſe aliis præſtantiores. Hodie autem clariore adhuc nota vult cognoſci, quum ſe Patrem Jeſu Chriſti nominat. Nunc redeamus ad Petrum. Negat ſe religionem novam inducere, ut populum à Lege & Prophetis abſtrahat. Nam ſi quis hoc tentaret, illi Deus vetuerat audientiam fieri, Deut. 13. Sicuti *Deut. 13. verſ. 3.* Paulus in ſpirituali ædificio retinendum eſſe unicum *1 Cor. 3. verſ. 11.* fundamentum admonet: quia ubi vel minimum à Chriſto diſceditur, nihil qoam ruina ſequi poteſt. Hinc etiam diſcernere promptum eſt, quo ſenſu vocet Deum Patrem. neque enim hoc pro generali axiomate ſumit, qualemcunque Dei cultum habuerint Patres, in eo manendum eſſe: qualiter Papiſtæ ſtolida hac jactantia ſe efferunt, quod paternos cultus ſequantur. Nominatim ſiquidem Petrus Abraham, Iſaac, & Jacob recenſet, à quibus profecta erat vera religio, & divinitus tradita: quo ſignificat, non quoslibet Patres nobis eſſe imitandos: ex quibus multi fuerunt à primis degeneres. ſolis Dei filiis deberi hunc honorem, alios eſſe repudiandos. Quod Prophetæ qooque paſſim inculcant: In viis patrum ve- *Eze. 20.* ſtrorum ne ambuletis, &c. *verſ. 18.*

Quem vos tradidiſtis.] Doctrinæ miſcet ſeveram objurgationem: ut res poſtulabat. Neque enim vere adduci poterant Deo, niſi peccatum ſuum agnoſcerent. Nec vero leviter eos tantum perſtringit, ſed admiſſi criminis atrocitatem graviter demonſtrat. Huc pertinet illa comparatio, quod morti tradiderint quem Pilatus volebat abſolvere. Item, quod homicidæ parcentes, vitæ principem interfecerint: quod abjecerint juſtum & ſanctum. Sic feriendi ſunt homines, ut agnito reatu, ad veniæ remedium ſerio confugiant. Talem quoque vehementiam Petrus in prima concione adhibuit. Poſtea dicit, *Excitatum* à Deo fuiſſe. Unde agnoſcere debent, Chriſtum interficiendo, ſe geſſiſſe cum Deo bellum. Quanquam Petrus altius reſpexit: nempe quod Chriſti gloriæ nihil detraxerit eorum crudelitas: quia Deus eum nihilominus in vitam aſſeruit. Quum ſe & collegas reſurrectionis teſtes dicit, oculatos ſignificat. Itaque non ad Apoſtolicum duntaxat munus hoc refertur: ſed quia Chriſtum à morte redivivum oculis ſuis conſpexerant. Quanquam & hoc ſecundum comprehendi aſſentior. quia probabile eſt, ut ſibi auctoritatem conciliet Petrus, injunctum ſibi munus prædicare.

16. *Et in fide nominis ejus.*] Quum dicit, In fide nominis, & Nomen: & rurſum, Fides quæ per eum eſt: ejuſmodi repetitio, ardentis affectus indicium eſt. Nam quia ad vindicandam Chriſto ſuam gloriam peoitus intentus eſt, idem ſæpius inculcat. Videmus etiam Paulum, quoties in prædicanda Chriſti gratia verſatur, nunquam ſibi ſatisfacere. Et certe, ut maligna eſt hominum natura, non poteſt tam magnifice prædicari Chriſtus, ut ſuus illi honor integer maneat. Meminerimus ergo hac copia Petrum

exun-

exundaſſe, ut nos in Chriſto ſiſteret. Quantum ad loquutionem attinet, quum dicit, *nomen ejus in fide nominis ſtabilivit*, cauſam & modum notat: Virtus Chriſti claudum ſanaverat, ſed per fidem. Quum dicit, *fides* quæ per eum eſt, hoc verbo ſignificat, fidem noſtram non aliter ad Deum aſſurgere, niſi in Chriſto fundata ſit: adeoque fidem noſtram Chriſtum reſpicere, & eo ſubniti. atque ita ſubindicat, hoc medio præterito nullam eſſe in Deum rectam fidem. Porro, ut ſe prius & reliquos Apoſtolos teſtes vitæ Chriſti conſtituit: ita nunc admonet, Judæis vitam hanc ſigno vel effectu fuiſſe comprobatam: quia videant ſanatum claudum, in quo illuſtre habebant divinæ Chriſti potentiæ ſpecimen. atque hoc poſtremo membro, fidem cauſam ſanitatis faciens, oblique eos coarguit ingratitudinis, niſi fidei aſſignent debitam laudem. Etſi autem fides tam ad hominem ſanatum quam ad Apoſtolos referri poteſt, non eſt tamen anxie de hac re laborandum: quia per ſynecdochen Euangelii virtus commendatur.

17. Et nunc, fratres, ſcio quod per ignorantiam feciſtis: quemadmodum & principes veſtri.
18. Deus autem quæ pronunciaverat per os omnium Prophetarum ſuorum, Chriſtum paſſurum eſſe, ſic implevit.
19. Pœnitentiam ergo agite, & convertimini, ut remittantur peccata veſtra:
20. Quum venerint tempora refrigerii à conſpectu Domini, & miſerit eum qui ante
* *Vel, ante oculos poſitus, ac repræſentatus.* prædicatus * fuit, Jeſum Chriſtum.
21. Quem oportet cælum capere uſque ad tempora reſtitutionis omnium, quæ loquutus eſt per os omnium ſanctorum Prophetarum à ſeculo.

17. Quoniam periculum erat ne deſperatione fracti, doctrinam reſpuerent, eos aliquantulum ſublevat. Sic temperandæ ſunt noſtræ conciones, ut auditoribus proſint. Niſi enim ſpes veniæ relinquitur, terror pœnæ animos contumacia obdurat. Verum enim eſt illud Davidis, timeri à nobis Deum, ubi nobis propitium ac placabilem ſentimus. *Pſal. 130. verſ. 4.* Hac ratione peccatum ſuæ gentis propter ignorantiam extenuat Petrus. Neque enim ſuſtinere hanc conſcientiam poterant, ſi Filium Dei ſcientes ac volentes negaſſent, ac in mortem tradidiſſent. Blandiri tamen illis non vult, quum ignorantia feciſſe commemorat: ſed eouſque mitigat ſermonem, ne deſperatione ipſos obruat & abſorbeat. Porro, non ſic debemus verba accipere, quaſi populus ſimpliciter ignorantia peccaverit: nam ſub hac latebat hypocriſis: ſed prout malitia vel ignorantia exuperat, ab hac vel illa denominatur actus. Hoc ergo intelligit Petrus, errore eos & cæco zelo potius feciſſe quam deſtinata malitia. Verum, hic quæri poteſt, Si quis ſciens ac volens peccavit, an eum maneat deſperatio? Reſpondeo, non de quolibet peccato hic fieri mentionem, ſed de Chriſti abnegatione, & extincta, quantum in ipſis erat, Dei gratia. Sicui plura ſcire libeat, ex 1. capite prioris ad Tim. petere licebit. *1 Tim. 1. verſ. 13.*

Sicut & principes.] Primum videtur impropria comparatio. Scribæ enim & Sacerdotes mira rabie ferebantur, & pleni erant ſcelerata perfidia: populum vero perverſum Legis ſtudium incitabat. Deinde populus in Chriſtum exarſit, quatenus eum principes incitabant. Reſpondeo, non omnibus eundem fuiſſe animum: multi enim proculdubio fuerunt Paulo ſimiles, ad quos vere ſpectat quod alibi de principibus hujus mundi ſcribit, Si cognoviſſent Dei ſapientiam, Dominum gloriæ non fuiſſe crucifixuros. Ergo non in univerſum de principibus loquitur: ſed ſiqui ſunt ſanabiles, eos ad reſipiſcentiam invitat.

18. *Deus autem.*] Hinc clarius patet, quorſum ignorantiæ meminerit. Nam quum refert, Deum exequutum eſſe quæ prædixerat, ſic culpam eorum taxat in morte Chriſti, ut ſit tamen ipſis in ſalutem. Vos, inquit, ignorantia in reatum conjecit: Deus tamen peregit quod ſtatuerat, ut Chriſtus vobis morte ſua eſſet liberator. Eſt pulcherrima iſta conſideratio, dum reputamus, admirabili Dei conſilio mala noſtra in alium finem nobis converti. Cæterum, hoc nihil ad excuſationis colorem. Nam quantum in nobis eſt, peccando nos perdimus: illa autem converſio, quam dixi, inſigne eſt divinæ miſericordiæ opus, quod cum humilitate prædicare nos decet. Non ſteterat per Judæos quominus ſpes vitæ extingueretur in Chriſti perſona. Interea mors illa tam illis quam toti mundo vivifica fuit. Memoria etiam repetere convenit quod alibi viſum eſt: ne obreperet falſa & abſurda opinio Chriſtum fuiſſe expoſitum impiorum libidini, Deum ſtatui ſummum auctorem cujus arbitrio paſſus fuerit unigenitus Filius.

19. *Pœnitentiam agite.*] Notandum eſt, quod quum ad pœnitentiam hortatur, ſimul declarat paratam illis eſſe coram Deo peccatorum remiſſionem. Nam, ut nuper attigi, excitari ad pœnitentiam nemo poteſt, niſi ſalute propoſita. Qui autem de venia diffidit, quaſi exitio jam devotus, adverſus Deum obſtinate ruere non dubitat. Hinc fit, ut Papiſtæ pœnitentiæ doctrinam tradere nequeant. Multum quidem de ea garriunt: ſed quia evertunt gratiæ fiduciam, fieri non poteſt, ut reſipiſcendi ſtudium ſuis diſcipulis perſuadeant. Aliqui etiam, fateor, balbutiunt de peccatorum remiſſione: ſed quia ſuſpenſas & trepidas animas relinquunt, præterea variis commentis conjiciunt in labyrinthum, hac doctrinæ parte corrupta, alteram pariter confundunt.

20. *Ut quum venerint.*] Si Eraſmum & vetuſtum interpretem ſequimur, erit ecliptica oratio: quæ ſic plena fiet, Quum venerint tempora refrigerii, vos quoque hoc refrigerio fruamini: quum venerit Chriſtus ad judicandum orbem, ipſum redemptorem, non judicem ſentiatis. Sed quoniam commode vertit Beza, Poſtquam venerit: ſatius eſt amplecti quod minus coactum eſt. modo ita reſolvas, remitti peccata in diem ultimi judicii: quia niſi ad ſolium Dei citemur, non admodum ſumus de propitiando Deo ſolliciti. Primo loco notandum eſt, illis in medium proponi judicii diem, quo plus efficaciæ habeat ſuperior exhortatio. Nihil enim acrius nos pungit, quam dum monemur reddendam aliquando eſſe rationem. Quamdiu enim in hoc mundo detinentur ſenſus noſtri, quodam, ut ita loquar, veterno obruti ſunt. Quare, nuncium ultimi judicii quaſi tubam inſonare neceſſe eſt, quæ nos ad tribunal Dei citet. Tunc enim demum vere expergefacti, cogitare de nova vita incipimus. Eodem modo Paulus dum Athenis concionatur: Deus, inquit, nunc omnes *Act. 17.*
admonet ut reſipiſcant: quia diem conſtituit, quo *verſ. 16.*
judicaturus eſt mundum. Summa eſt, Chriſtum, qui nunc apud nos magiſtri officio fungitur quum per Euangelium nos docet, conſtitutum eſſe à Patre judicem, & ſuo tempore venturum: itaque mature parendum eſſe ejus doctrinæ, ut fidei noſtræ tunc fructum colligamus. Atqui, objiciet quiſpiam, Petrum aliter loqui de die extremo. Hoc enim ad incutiendum timorem non ſpectat, quum dicit,

Tem-

Tempus refrigerii. Reſpondeo, duplicem eſſe ſtimulum quo incitantur fideles, quum illis de extremo judicio fit ſermo: Nam in hoc mundo fidei utilitas non apparet, quin potius bene & proſpere videtur eſſe Dei contemptoribus: piorum autem vita innumeris miſeriis referta eſt. Ergo nos ſubinde animi deficerent, niſi in mentem veniret, venturum quietis diem qui omnes moleſtiarum noſtrarum æſtus componat, finemque afferat miſeriis. Alter ſtimulus eſt quem dixi, quum formidabile Dei judicium delicias nobis & ſomnum excutit. Ita Petrus hoc loco minas promiſſionibus miſcet, ut partim alliciat Judæos ad Chriſtum, partim metu ſtimulet. Porro hic familiaris eſt Scripturæ uſus, prout vel reprobos compellat, vel ad electos ſermonem dirigit, nunc triſtem & formidoloſum diem Domini, nunc lætum & optabilem facere. Apte ergo Petrus, qui dum in ſpem veniæ erigit Judæos, jucundum illis facit Chriſti diem, ut ad eum aſpirent.

Et miſerit eum.] Nominatim Chriſtum fore judicem pronunciat, ut ſciant non impunitum fore Euangelii contemptum. Quomodo enim non ultor ejus Chriſtus foret? Interea hoc eximiam affert conſolationem fidelibus, dum ſciunt in ejus manu fore ſalutis arbitrium qui nunc eam promittit atque offert. Addit præterea, *venturum* eum qui nunc illis prædicatur. Quo tollit omnem excuſationem ignorantiæ. Acſi diceret, Nunc prædicatur vobis Chriſtus, antequam mundi judex adveniat: ut qui eum amplexi fuerint, fidei ſuæ fructum tunc colligant: alii vero qui eum reſpuerint, luant incredulitatis ſuæ pœnas. Quanquam apud Græcos hic duplex eſt lectio. quidam enim codices habent, προκεκηρυγμένον, id eſt, ante prædicatum: alii vero, προκεχειρισμένον, id eſt, oſtenſum, vel ante oculos poſitum. Sed utraque in eundem ſenſum redit: quod ſcilicet non fruſtra illis nunc Chriſtus offertur per Euangelii doctrinam: quia ſecundo à Patre judex mittetur armatus ad vindictam, niſi redemptorem nunc ſuſcipiant.

21. *Quem oportet cælum capere.*] Quoniam ad craſſum terrenumque Dei & Chriſti aſpectum ſemper propendent hominum ſenſus, poterat in mentem Judæis venire, Chriſtum quidem prædicari à mortuis excitatum, ſed ubinam eſſet, non oſtendi. Prævenit ergo Petrus, quum in cælo eſſe docet. Unde ſequitur, tollendas in altum eſſe mentes, ut Chriſtum fidei oculis requirant, quamvis immenſa locorum diſtantia ſit remotus, quamvis in cæleſti gloria extra mundum habitet. Cæterum, loquutio eſt ambigua: quia tam intelligere poſſumus Chriſtum cælo capi vel contineri, quam cælum capere. Ne ergo verbum dubiæ ſignificationis urgeamus: ſed eo contenti ſimus quod certum eſt, Chriſtum, interea dum ſperatur ultima rerum omnium inſtauratio, non alibi quam in cælo quærendum eſſe: quia remotus à nobis erit, donec mentes noſtræ mundum tranſcendant.

Uſque ad tempora reſtitutionis.] Quantum ad vim & cauſam pertinet, Chriſtus jam morte ſua omnia reſtituit: ſed effectus nondum plene extat: quoniam reſtitutio illa adhuc in curſu eſt, adeoque redemptio, quando adhuc ſub onere ſervitutis gemimus. Sicuti enim duntaxat inchoatum eſt Chriſti regnum, & in diem ultimum differtur ejus perfectio: ita & quæ illi annnexa ſunt, tantum dimidia ex parte nunc apparent. Ergo, ſi multa hodie in mundo confuſa cernimus, erigat nos ac recreet fiducia iſta, quod aliquando adveniet Chriſtus, ut in integrum omnia reſtituat. Interim ſi videmus hærere in nobis peccati reliquias, ſi undique obſeſſi ſumus variis miſeriis, ſi mundus diſſipatione plenus eſt, defleamus quidem mala iſta, ſic tamen ut ſpes inſtaurationis nos ſuſtineat. Atque hæc ratio eſt, cur non ſtatim appareat Chriſtus, quia nondum completa eſt Eccleſiæ militia: cui præfixum à Deo tempus antevertere noſtrum non eſt.

Quæ loquutus eſt.] Non de temporibus ſolum interpretor, ſed ad totum complexum refero: ut ſenſus ſit, Quicquid de regno Chriſti prius diſſeruerat, teſtimonium à Prophetis omnibus habere. Hinc certe non parum fidei accedit Euangelio, quod ex quo ſe manifeſtare cœpit Deus mundo, Chriſtum ſemper propoſuit: ex quo cœpit Patribus loqui, ſemper hoc poſuit doctrinæ fundamentum. Eodem argumento Paulus tam initio Epiſtolæ ad Romanos, Rom. 1:1. quam in clauſula, Euangelium commendat, quod & 16:25. ſcilicet novum non ſit, ſed ab ultima ætate promiſſum. Hæc vera antiquitas eſt quæ doctrinæ fidem conciliet: ubi Deus ipſe auctor: ſancti Prophetæ ſunt teſtes: & continua temporum ſeries teſtimonium confirmat. Hæc confirmatio præſertim apud Judæos neceſſaria erat, qui in Legis doctrina educati, nihil niſi illi conſentaneum admittere debebant. Itaque recognoſcere tantum eos jubet Petrus quæ de Chriſto teſtati ſunt Prophetæ.

22. Moſes quidem ad Patres dixit, Prophetam vobis ſuſcitabit Dominus Deus veſter ex fratribus veſtris, ſicut me: eum audietis ſecundum omnia quæ loquetur vobis.

23. Erit autem ut omnis anima quæ non audierit Prophetam illum, deleatur è populo.

24. Et omnes quidem Prophetæ à Samuele & deinceps, quicunque loquuti ſunt, etiam prænunciarunt dies iſtos.

22. Hoc argumento probat, ſe defectionem à Moſe non ingerere, quia pars Legis ſit docilem ſe & morigerum præbere huic ſummo doctori. Dubitari poſſet, cur hoc Moſis teſtimonium præ aliis citandum Petrus cenſuerit, quum multa alia in promptu forent magis illuſtria: ſed hoc ideo fecit, quia hic de auctoritate doctrinæ agitur. Hic autem legitimus ordo erat, ut Judæos adduceret Chriſto diſcipulos. Nam fruſtra de aliis omnibus concionatus eſſet, niſi perſuaſum habuiſſent, reverenter excipiendam eſſe ejus doctrinam. Hoc ergo efficere vult Petrus, ut Chriſtum libenter, tanquam ordinatum ſibi à Deo magiſtrum, audiant. Sed altera quæſtio hic occurrit multo difficilior, Quod ſcilicet Petrus ad Chriſti perſonam accommodat quod in genere dixerat Moſes de Prophetis. Tametſi enim Prophetam nominat ſingulari numero, contextus tamen clare indicat, non de uno tantum haberi ſermonem, ſed indefinite nomen hoc poni. Poſtquam enim vetuit Moſes, ne populus, Gentium ſuperſtitionibus ſe dedat, declinando ad magos & ariolos, ſimul remedium oſtendit quo ſibi ab omni vanitate caveat: nempe, ſi totus pendeat ab unico Dei verbo. Hac ratione promittit Deo curæ futurum, ut Prophetas ſemper habeat, qui rite eum doceant. Acſi diceret, Deus nunquam vos Prophetis deſtituet, à quibus diſcatis quicquid erit vobis utile cognitu. Et nominatim dicit Moſes, *Ex fratribus* tuis: ut ſciant Judæi non aliunde petenda eſſe Dei oracula, quum Deus ex genere Abrahæ doctores illis deſtinaſſet. Addit præterea, *ſicut me*: ut ſciant non uno duntaxat tempore, nec per os unius hominis audiendum eſſe Deum: ſed quemadmodum continua ætatum ſerie per varios miniſtros Deus nos docere pergit, ita in obedientia verbi pergendum nobis eſſe. Jam ad Moſis reverentiam aſſueti erant Judæi: itaque Prophetis eundem honorem conciliat. Scio quoſdam multum laborare ut ad Chriſtum reſtringant. Arripiunt verbum iſtud, Quod Moſes Prophetam ſimilem ſibi fore teſtatur: quum tamen ſcriptum ſit, nullum

talem reſurrexiſſe. Fateor eandem ſimilitudinis no-
tam utroque loco poni: ſed diverſo ſenſu. Nam ſe-
cundo loco paritas vel æqualitas exprimitur, quem-
admodum clare apparet. Arripiuot etiam aliud,
Deut. 18. Quod Moſe futurus ſit excellentior Propheta, cui
verſ. 15. ille teſtimonium tanquam præco reddit. Sed hoc ni-
bilo magis eſt validum: quia ſimpliciter fidem verbo
Dei aſſerere vult Moſes, per quoſcunque aſſeratur.
Non eſt ergo cur nos Judæis ridendos propinemus,
violenter torquentes Moſis verba, quaſi ſolum
Cbriſtum bic deſigoet. Videndum eſt tameo, an
apte adductum ſit teſtimonium à Petro, cujus aucto-
ritas pro ſolida ratione nobis eſſe debet. Dico, in
Petri ſermone nihil eſſe quod non optime conveniat.
Vidit enim quod inter omnes confeſſum eſſe decet,
ſic pertioere hoc elogium ad alios Prophetas, ut ta-
men præcipue Cbriſtum commendet: non modo
quia Prophetarum omoium eſt princeps, ſed quod
in ipſum dirigebantur omnes ſuperiores prophetiæ,
& quod tandem Deus per os ejus abſolute loquutus
Hebr. 1. eſt. Nam Deus multifariam & variis modis loquu-
v. 1. 2. tus olim Patribus per Prophetas, tandem ultimis
diebus in Filio unigenito clauſulam appoſuit. Ideo
factum eſt, ut aliquot ante adveotum ejus ſecula
Mal. 4. Propbetis carerent. quod perſpicue ex Malacbiæ
verſ. 4. verbis colligitur: qui poſtquam juſſit populum eſſe
memorem Legis, ſtatim ad Joannem Baptiſtam &
Chriſtum traoſit: acſi diceret, finem jam impoſitum
eſſe propbetiis, donec veniat ultima revelatio: ſe-
Mat. 11. cundum illud, Lex & Propbetæ uſque ad Joannem:
verſ. 13. ex eo euaogelizatur regnum Dei. Idque adeo tritum
erat io populo, ut mulier Samaritana ex fama & opi-
Joan. 4. nione communi diceret, Scimus Meſſiam ventu-
verſ. 25. rum, qui nos docebit omnia. Itaque videmus à
rediru populi ceſſaſſe omnes Propbetas, ut attentior,
eo ſilentio vel revelationum intermiſſione, ad au-
diendum Cbriſtum redderetur. Non ergo locum
bunc detorſit Petrus, vel eo per inſcitiam abuſus eſt,
ſed receptam apud omnes doctrinam loco principii
ſumpſit: quod Deus ſe populi ſui doctorem pollici-
tus eſſet, initio per Prophetas velut intermedios,
ſed præcipue tandem per Chriſtum, à quo plena &
ſolida omnium manifeſtatio ſperanda erat. Quo per-
tinet ioſigne illud elogium quo Pater eum commen- Mat. 17.
dat, dicens, Ipſum audite. verſ. 5.

23. *Omnis anima.*] Hic graviſſima adverſus rebel-
les pœna ſancitur Prophetarum quidem omnium,
ſed maxime Cbriſti auctoritas. Et merito: nam
quum Deus verbo ſuo nihil pretioſius habeat,
fieri noo poteſt, ut id patiatur impune coote-
mni. Itaque, ſi quis Legem Moſis abjiceret, edicta
erat capitalis pœna. Atque huc reſpexit Moſes,
quum dixit, Exterminabitur è populo. Nam ſibi
Deus hac lege adoptaverat Abrahæ geous, ut hoc ad
ſummam felicitatem ſufficeret, reputari in illo nu-
mero: ſicuti in Pſalmo dicitur, Beatus populus cui
Jehova eſt Deus. Et alibi, Beata gens quam ſibi in
hæreditatem elegit. Quare minime dubium eſt,
quin pronunciet deletum iri ex libro vitæ, quiſquis
Cbriſtum audire recuſaverit. Cenſeri enim in Eccle-
ſia non meretur, qui eum magiſtrum repudiat, per
quem ſolum Deus nos docet, vultque à nobis audiri:
& ſe à corpore abſcindit, qui ſubeſſe capiti recuſat.

24. *Et omnes quidem.*] Quum dicit, Omnes uno
conſenſu Prophetas ſuos diſcipulos ad Chriſtum
mittere, hinc melius conſtat quod dixi, contineri
ſub illo Moſis teſtimonio Euangelii commendatio-
nem, adeoque præcipue ooari ultimam prophetia-
rum clauſulam. Deinde, hoc ad Euangelii certitu-
dinem non parum valet, quod Prophetæ omnes lon-
ga temporum ſucceſſione, uno tamen conſenſu do-
cendi formam ſic temperant, ut ſimul teſtentur me-
lius quiddam & perfectius ſperandum eſſe. Proinde,
quiſquis Moſi & Prophetis credet, neceſſe eſt ut Joan. 5.
Chriſti doctrinæ ſe ſubjiciat, ſine qua mutilum eſt verſ. 47.
quicquid ab illis fuit proditum.

25. Vos eſtis filii Prophetarum, & teſtamenti quod ſtatuit Deus ad Patres noſtros, dicens ad Abraham, Et in ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.

26. Vobis primum Deus excitavit Filium ſuum Jeſum, ac miſit eum benedicentem vobis, dum unumquemque convertit ab iniquitatibus ſuis.

25. *Vos eſtis filii.*] Significat illis proprie deſti-
nari fœderis gratiam quod cum Patribus Deus pepi-
git. Atque ita, ſicuti incuſſo pœnæ terrore eos ad
parendum Euaogelio ſtimulavit, nunc rurſum eos
allicit, ut propoſitam in Cbriſto Dei gratiam reci-
piant. Ita videmus Deum oihil omittere, ut nos ad
ſe adducat. Et prudentis miniſtri eſt, ſic pigros ac
reſides acriter pungere, ut dociles blande ducat.
Notanda eſt etiam ſedulo bæc docendi ſeries, ubi Pe-
trus Judæis deſtinatum eſſe Euangelium oſtendit.
Neque enim ſufficit Dei miſericordiam nobis in ge-
nere prædicari, niſi nobis quoque certa Dei ordina-
tione offerri ſciamus. Ideo tantopere laborat Paulus
Rom. 15. in aſſerenda Gentium vocatione: quia ſiquis puta-
verſ. 8. ret, Euangelium fortuito ſparſum ad ſe veniſſe, va-
Epheſ. 3. cillaret fides: imo, loco fidei, dubia tantum eſſet
v. 3, 4. opinio. Ergo ot ſolidam apud nos fidem inveniat
ſalutis promiſſio, hæc applicatio, ut ita loquar, neceſ-
ſaria eſt: Deum non jactare incertas voces quæ in
aëre ſuſpenſæ maneant, ſed ad nos certo conſilio di-
rigere. Secundum hanc rationem ut libentius Chri-
ſtum ſuſcipiant Judæi, Petrus illis promiſſum eſſe
admonet. Unde autem hoc probat? quia filii ſuot
Prophetarum & teſtamenti. *Filios Prophetarum* vo-
cat, qui ex eadem gente ducebant originem: ideo-
que fœderis hæredes erant, quod ad totum populi
corpus ſpectabat. Sic eoim argumentatur, Percuſſit
Deus fœdus ſuum cum Patribus noſtris. Ergo nos
qui ſumus eorum poſteri, in fœdere comprehendi-
mur. Quo refellitur delira Anabaptiſtarum argutia,
qui filios Abrahæ tantum allegorice exponunt: acſi
nulla generis ratio habita eſſet à Domino, quum di-
xit, Ero Deus ſemiois tui. Certe non de Legis um- Geneſ. 17.
bris ſermonem hic habet Petrus: ſed boc ſub Cbri- verſ. 7.
ſti regno valere affirmat, quod Deus una cum patri-
bus etiam filios adoptet: atque ita ſalutis gratia ad
eos qui nondum nati ſunt, extendatur. Fateor qui-
dem multos qui ex fidelibus ſecundum carnem na- Rom 9.
ſcuntur, ſpurios cenſeri, non legitimos, quoniam verſ. 7.
ſua infidelitate à ſancta progenie ſe abdicant. Sed
boc oon obſtat quomious ſemen piorum Dominus in
ſocietatem gratiæ ſuæ vocet ac admittat, atque ita
commuois electio quamvis non ſit in omnibus effi-
cax, januam ſpeciali aperiat: quemadmodum Pau- Rom. 11.
lus diſſerit 11. ad Rom. cap. unde hujus quæſtionis verſ. 23.
ſolutio petenda eſt.

Et in ſemine tuo.] Fœdus cum Patribus initum
fuiſſe confirmat, quia dictum fuerit Abrahæ, In ſe- Geneſ. 22.
mine tuo benedicentur omnes gentes. Atqui, ſi re- verſ. 18.
cipitur Pauli interpretatio, nihil ad præſentem cau- Galat. 3.
ſam faciet boc teſtimonium. Paulus ſemen hoc verſ. 16.
Cbriſtum eſſe tradit. Si benedictio univerſo generi
humano per Chriſtum promittitur, quid boc ad ſpe-
ciale gentis unius privilegium? Deinde videtur Pe-
trus ipſe paulo poſt ſubſcribere Paulinæ expoſitioni,
quum dicit, Miſſum eſſe Cbriſtum, io quo Judæi
benedicantur. Neque enim boc ſtaret, niſi Chriſtus
benedictum eſſet illud ſemen. Reſpondeo, Quum
Paulus ad Chriſtum refert, non inſiſtere ipſum in
voce Seminis, ſed altius reſpicere; quod ſcilicet non
poſſit

poſſit unum eſſe ſemen, niſi in Chriſto, tanquam capite, uniatur. Iſmaël enim & Iſaac tametſi ambo ſunt filii Abrahæ, non faciunt unum ſemen: quia ſunt in duos populos diviſi. Itaque, quum multi alienati ſint à familia Abrahæ, qui ex hujus carne progeniti erant, unum tamen certum corpus deſignat Moſes, quum benedictionem promittit ſemini Abrahæ. Unde autem unitas, niſi à capite Chriſto? Hoc ſenſu Paulus, quamvis collectivum ſit Seminis nomen, de Chriſto tamen accipit: quoniam ſi ab eo diſcedas, poſteri Abrahæ veluti lacera membra erunt, nec aliud in ipſis extabit quam mera diſſipatio. Cum illa doctrina conſentit Petrus: quia benedictionem ſic ad totum populum extendit, ut fontem nihilominus in Chriſto quærat. Porro, quoniam Judæi nullum non movent lapidem ut nobis hoc teſtimonium extorqueant, munire ſe debent pii lectores adverſus eorum cavilla: & eo quidem magis, quod nimium ſecuri in hac parte fuerunt Chriſtiani ſcriptores:
Gal. 3: 16. ſicuti admonui in Epiſtola ad Galat. Primum quod ad vocem Seminis attinet, non eſt quod obganniant, perperam à Paulo ad Chriſtum reſtringi. Neque enim ſimpliciter hoc facit, ſed eo quem dixi reſpectu. In quo interpretes noſtros tam Græcos quam Latinos erraſſe fateor. Nunc videndum quid loquutio illa valeat, *Benedici* gentes in ſemine Abrahæ. Noſtri cauſam notari ſentiunt: nempe, quod per ſemen illud benedicendæ ſint gentes. Hoc Judæi valde exagitant: quia paſſim in Scripturis hæc loquutio exemplar vel ſimilitudinem ſignificat: quemadmodum è converſo, Maledici in Sodoma, vel Iſraële, vel in aliis populis, eſt illos ſumere tanquam memorabile execrationis exemplar. Reſpondeo, ambiguam eſſe loquutionem, & varie accipi pro locorum circumſtantia. quod maligne Judæi, & aſtute diſſimulant. Colligunt enim plures locos, ex quibus probant fieri comparationem: acſi diceretur, Cupient gentes benedici inſtar ſeminis Abrahæ. Sed quum alibi Scriptura di-
Jer. 4: 2. cit, Benedicent ſe in Deo vivo, ut Jerem. 4. Jeſ. 65.
Jeſ. 65. Item, Benedicere in nomine Domini, ut Deuter. 10.
verſ. 16. & aliis locis ſimilibus: quis non videt cauſam expri-
Deut. 10. mi? Dico igitur, hanc loquendi formam pro loco-
verſ. 8. rum circumſtantiis debere accipi. Jam vero quum demonſtraverim ſemen Abrahæ non niſi in Chriſto poſſe inveniri, reſtat ut conſideremus quale ſit Chriſti officium. Ita indubie liquebit, ipſum non ſtatui quaſi nudum exemplar, ſed vere in ipſo promitti benedictionem: quia extra ipſum maledicti ſumus omnes. Supereſt tamen adhuc una difficultas. Nam certe utrumque eodem ſenſu dicitur, Benedicentur in te, & In ſemine tuo. Abraham vero nihil quam benedictionis typus fuit vel ſpeculum. Reſpondeo, in perſona quoque Abrahæ deſignari corpus illud quod ab uno capite pendet, & in ipſo eſt colligatum.

Omnes familiæ.] Judæi craſſe exponunt, quod gentes omnes ſibi bene eſſe cupient inſtar ſeminis Abrahæ. Nos vero aliter, Quod in ſocietatem inſerentur. Nam & huc ſpectavit nomen Abraham, quia futurum erat ut Deus populos omnes ad eum colligeret. Prophetæ quoque dum exponere volunt quid hoc valeat, paſſim Gentibus communem fore ſalutis hæreditatem prædicunt. Atque hinc perſpicimus, ut fœdus Dei, quod tunc Judæis peculiare erat, non modo promiſcuum ſit omnibus, ſed nominatim feriatur nobiſcum. Alioqui non ſatis firmam ex Euangelio ſalutis fiduciam poſſemus concipere. Ergo ne patiamur nobis hanc promiſſionem excuti, quæ veluti ſolennis nuncupatio eſt, qua Dominus nos hæredes ſuos una cum Patribus conſtituit. Quo etiam reſpexit Petrus, quum paulo poſt dicit, Chriſtum Judæis primo fuiſſe miſſum. Significat enim & Gentibus ſuum eſſe, licet ſecundarium ordinem.

26. *Excitavit Filium.*] Colligit ex verbis Moſis, exhibitum nunc eſſe Chriſtum. atqui, nihil tale videntur ſonare: ſic tamen apte ratiocinatur, quia non aliter conſtaret benedictio, niſi ejus initium à Meſſia flueret. Semper enim memoria tenendum eſt, maledictum eſſe totum humanum genus: ideoque ſingulare remedium nobis promitti, quod non niſi per Chriſtum præſtatur. Quare, ſolus ipſe fons & origo benedictionis. Quod ſi in hunc finem advenit Chriſtus, ut Judæis primum, deinde & nobis benedicat, implevit proculdubio ſuas partes: ac nos hujus officii vim & effectum in nobis ſentiemus, niſi per noſtram
incredulitatem ſteterit. Hæc, ſub Lege, Sacerdotalis Num. 6.
officii pars erat, benedicere populo: ac ne inanis hæc verſ. 27.
eſſet ceremonia, addita erat promiſſio: ut habetur Hebr. 7.
Num. 6. capite. Quod autem in veteri Sacerdotio verſ. 26.
adumbratum fuit, vere in Chriſto præſtitum eſt. Qua de re plura diximus in ſeptimo capite ad Hebræos. Eraſmi verſio mihi non placet. ponit enim, Quum ſuſcitaſſet: quaſi verba fierent de re pridem tranſacta. Petrus autem potius intelligit, excitatum fuiſſe Chriſtum, ubi oſtenſus fuit benedictionis auctor: quod nuper & repente factum animos magis afficere debebat. Sic enim Scriptura loqui ſolet: quemadmodum in proximo loco Moſis, ad quem alludit Petrus. Excitare Prophetam, eſt inſtruere neceſſariis donis ad munus ſuum exequendum, & quaſi in gradu ipſo Prophetici honoris collocare. Ac tunc quidem excitatus eſt Chriſtus, quum munus peregit ſibi à Patre injunctum: ſed quotidie idem fit quum per Euangelium offertur, ut inter nos emineat. In adverbio ordinis, *primum*, diximus notari jus primogenituræ, quia à Judæis incipere Chriſtum oportuit, ut poſtea tranſiret ad Gentes.

Dum unumquemque.] Doctrinam pœnitentiæ iterum commendat, ut diſcamus, ſub Chriſti benedictione includere vitæ novitatem: ſicut & Iſaias venturum Zioni redemptorem promittens, reſtrictionem attexit, Qui in Jacob converſi fuerint ab iniquitatibus ſuis. Neque enim fidelium peccata delet Chriſtus, ut ſibi hoc prætextu ad peccandum indulgeant: verum ſimul reddit novos homines. Quanquam hæc duo quæ cohærent beneficia, prudenter diſtinguere convenit, ut maneat hoc fundamentum, nos reconciliari Deo gratuita venia. Scio ab aliis ſecus verti: ſed hic germanus eſt ſenſus Lucæ. Ad verbum enim ſic loquitur, In convertendo unumquemque à ſuis malitiis.

Cap. IV.

Loquentibus autem illis ad populum, ſupervenerunt illis Sacerdotes, & præfectus templi, & Sadducæi,

2. Ægre ferentes quod ipſi docerent populum, & annunciarent in Jeſu reſurrectionem ex mortuis.

3. Et injecerunt in eos manus, & poſuerunt in cuſtodiam uſque in craſtinum. erat enim jam veſpera.

4. Multi autem eorum qui audierant ſermonem, crediderunt: & factus eſt numerus virorum circiter quinque millia.

Tria in hac narratione præcipue nobis conſideranda ſunt. Quod ſimulatque emergit Euangelii veritas, ex adverſo quibuſcunque poteſt modis ſe opponit Satan, & omnia molitur ut ipſam opprimat

in ipſis principiis. Secundo, quod invicta fortitudine Dominus inſtruit ſuos, ut firmi ac immoti perſtent adverſus omnes Satanæ machinas, nec impiorum violentiæ cedant. Poſtremo, obſervandus eſt eventus, quod utcunque penes adverſarios imperium & ſumma rerum eſſe videatur, & ipſi ad delendum Chriſti nomen nihil omittant: contra autem ſanæ doctrinæ miniſtri velut oves ſint in faucibus luporum: Deus tamen Filii ſui regnum propagat, accenſam Euangelii ſui lucem fovet, ſalutemque ſuorum tuetur. Proinde, quoties exoriente Euangelii doctrina, varii contra motus inſurgunt, multiſque obſtaculis turbatur ejus curſus, non eſt quod labaſcant aut trepident piæ mentes, veluti ad rem inſolitam: quin porius meminerint hos eſſe ordinarios Satanæ conatus: adeoque hoc nos, priuſquam accidat, bene meditatum habere oportet, fieri aliter non poſſe quin ſuos impetus evomat Satan, quoties in medium Chriſtus cum ſua doctrina prodit. Interea, reputemus Apoſtolorum conſtantiam nobis in exemplum proponi, ne ullis vel periculis, vel minis, vel terroribus victi, reſiliamus ab ea fidei profeſſione quam à nobis Dominus exigit. Huc accedat conſolatio, non metuendum eſſe quin Dominus proſperum eventum daturus ſit, ubi fideliter officio noſtro defuncti erimus.

1. *Loquentibus illis.*] Hinc apparet quam ſedulo vigilent impii: quoniam in ipſo articulo adſunt ut os obſtruant Chriſti ſervis. Neque enim dubium eſt, quin tanquam ad incendium extinguendum accurrerint. Idque ſignificat Lucas, quum narrat cuſtodem templi adfuiſſe, & addit eos moleſte tuliſſe quod Apoſtoli docerent. Non ergo fortuito ſupervenerunt, ſed conſulto: ut Apoſtolos pro imperio cohiberent. Habent interea aliquam juris & recti ſpeciem. Nam ſiquis temere ſe ingerebat, officium Sacerdotum erat talem audaciam reprimere: ſimiliter etiam populum retinere in Legis & Prophetarum obedientia, & viam præcludere novis doctrinis. Quum itaque ignotos homines & nulla publica auctoritate præditos in templo ad populum concionari audiunt, videntur pro muneris ſui ratione atque ex Dei mandato ſe accingere ad remedium adhibendum. Et certe in actione ipſa nihil primo intuitu reprehenſione dignum apparet: ſed exitus tandem ſceleratum fuiſſe eorum conſilium, & improbum affectum, oſtendit. Rurſus ſiniſtram notam & probrum effugere Apoſtolis difficile fuit, quod contempti idiotæ jus publicum ſibi perperam arrogarent. Nempe quia in rebus confuſis multa præter receptum morem tentare neceſſe eſt: ac præſertim ubi aſſerenda eſt religio, & Dei cultus. præſules autem ipſi vias omnes obſtruunt, ac munere ſibi divinitus injuncto contra Deum inſultant. Hæc ignominia fidelibus Chriſti athletis in Papatu devoranda eſt. Nam mille æſtates ante præteribunt, quam matureſcat apud eos ulla correctio in melius. Ideo in hac parte inſiſtit Lucas, quum eos triſtes & anxios fuiſſe dicit, quod reſurrectio prædicaretur in Chriſti nomine. Nam hinc ſequitur odio doctrinæ prius fuiſſe imbutos, quam ad cognitionem ventum eſſet. *Sadducæos* nominatim exprimit, tanquam in hac cauſa animoſiores. Erant enim & ipſi fere pars Sacerdotum: ſed quia de reſurrectione quæſtio vertitur, acrius ſe reliquis opponunt. Porro hæc prodigioſa confuſio fuit inter Judæos, quod hæc tam profana ſecta auctoritate præſtabat. Quid enim pietatis reliquum eſſe potuit, quum animorum immortalitas impune pro fabula haberetur? Verum ita in præceps homines ruere neceſſe eſt, ubi puram Dei doctrinam apud ſe collabi paſſi ſunt. Quo diligentius nobis cavendum eſt ab omni pravo deflexu, ne tale præcipitium mox ſequatur. *Præfectum* templi quidam ex Sacerdotibus delectum fuiſſe putant: ſed ego Tribunum potius aliquem Romani exercitus fuiſſe exiſtimo. Erat enim locus tum natura, tum artificio munitus. Deinde Herodes arcem illic conſtruxerat nomine Antoniam. Ita probabile eſt, collocatum illic fuiſſe præſidium, & præfuiſſe templo Romanum cuſtodem: ne receptaculum eſſet Judæis, ſi motum aliquem excitaſſent. quod etiam ex Joſepho colligere licet. Atque hoc optime convenit, quod brachium ſeculare imploraverint hoſtes Chriſti, cohibendi tumultus prætextu. Interea favorem captant apud Romanos, quaſi de ſervando Imperii jure ſint ſolliciti.

4. *Multi autem eorum.*] Incluſi quidem ſunt Apoſtoli in carcerem: ſed eorum prædicatio vim ſuam longe propagat, ac liber eſt ejus curſus. Qua de rē magnifice gloriatur Paulus, ſermonem Dei non 2 Tim.2.
eſſe ſecum alligatum. Atque hinc perſpicimus, Satanæ & impiis laxari quidem frenum, ut in filios Dei ſæviant: non tamen eos efficere omnia machinando, quin Deus regnum Filii ſui promoveat, quin Chriſtus colligat oves ſuas, quin plus exerant potentiæ in ſola voce pauci ac imbelles homines, nulliſque præſidiis inſtructi, quam totus mundus contra inſaniendo. Eſt quidem hoc non vulgare Dei opus, quod una concio tam copioſum & uberem fructum produxit: ſed hoc majori admiratione dignum, quod præſenti periculo non terrentur fideles, quominus Chriſti crucem una cum fide ſuſcipiant. Fuit enim durum hoc novitiis rudimentum. Hac doctrinæ efficacia melius ſe Chriſtus vivere oſtendit, quam ſi corpus ſuum palpandum manibus, & oculis ſpectandum præberet. Cæterum, quod *numerus* credentium circiter ad quinque millia creviſſe dicitur, non de nova acceſſione intelligo, ſed de tota Eccleſia.

5. Factum eſt autem ut poſtridie congregarentur eorum Principes, & Presbyteri, & Scribæ Jeroſolymis,

6. Et Annas ſummus Sacerdos, & Caiaphas, & Joannes, & Alexander, & quicunque erant ex genere Sacerdotali.

7. Et ſiſtentes illos in medio, interrogarunt, In qua potentia, vel in quo nomine id feciſtis?

8. Tunc Petrus repletus Spiritu ſancto, dixit illis, Principes populi, & Presbyteri Iſraël,

9. Si nos hodie judicamur de ſanitate hominis qui infirmus erat, quomodo incolumis factus ſit:

10. Notum ſit vobis omnibus, & toti populo Iſraël, quod in nomine Jeſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitavit ex mortuis, hic ſtat coram vobis ſanus.

11. Hic eſt lapis qui rejectus à vobis ædificantibus, locatus eſt in caput anguli.

12. Neque eſt in ullo alio ſalus. neque enim nomen eſt aliud ſub cælo datum hominibus, in quo nos oporteat ſalvos fieri.

5. Hic notare operæpretium eſt, impios, ut Euangelium & Chriſti nomen deleant, nihil aſtutiæ omittere, & tamen minime conſequi quod ſperabant: quoniam Deus eorum conſilia fruſtratur. Conventum enim habent, in quo ſic tyranoice agunt omoia, ut tameo lihido juris ſpeciem habeat, libertas autem procul arceatur, ac tandem jure videri poſſit damnata veritas. Verum Dominus ſubitum illis terrorem incutit, ut quod poſſunt & maxime volunt, efficere tamen non audeant. Quicquid pro defenſione cauſæ ſuæ attulerint Apoſtoli, intra parietes clauſum ac ſepultum manebit, ubi nullus eſt qui faveat. Itaque oullus veritati locus. Videmus tamen ut Dominus eorum conſilium diſſipet, dum populi metu reteoti, ſubſiſtunt, frenumque injiciunt ſuo furori declinandæ iovidiæ cauſa. Mirum eſt autem quod Lucas hic Annam faciat ſummum Pontificem, quum ex Joſepho pateat, hunc honorem Caiaphæ noo fuiſſe ereptum, donec Vitellius, Pilato Romam ire juſſo, Jeroſolymam cum imperio iogreſſus eſt. Dominum anno Tiberii 18. fuiſſe crucifixum inter omnes convenit. Uſque ad finem imperii illius numerantur adbuc anni quatuor. Noo minus quam trieonium à morte Chriſti fluxiſſe oportet, uſque dum Proconſulis officio abdicatus fuit Pilatus. Mortuo enim Tiberio, Romam demum pervenit. Ita tribus poſt mortem Chriſti annis adhuc Pontifex erat Caiaphas. Quare probabile eſt, quod hic narrat Lucas, non ſtatim poſt Chriſti reſurrectionem contigiſſe. Quanquam nec ſic quidem ſoluta erit tota difficultas. Joſephus enim in locum Caiaphæ ſubrogatum fuiſſe tradit Jonathan. ſed quia bic Jonathas Annæ erat filius, à veriſimilitudine non abhorret, nomen patris ſimul illi fuiſſe inditum: quemadmodum & Caiaphas binominis fuit: nam Joſepbum ſimul vocabant.

7. *In qua potentia.*] Adbuc prætexunt Dei zelum. Sibi enim curæ eſſe ſimulant ne alio transferatur Dei honor. *Nomen* hic pro auctoritate capitur. In ſumma, non ſecus agunt acſi optimi eſſent gloriæ Dei vindices. Mira interim eorum importunitas, quod de re indubia ſciſcitando ſæpius, ad abnegationem adigere voluot Apoſtolos, & metu extorquere aliud quam confeſſi fuerant. Deus autem eorum aſtutiam deludens, facit ut audiant quod nolunt.

8. *Petrus repletus Spiritu ſancto.*] Non abs re eſt quod nominatim hoc addit Lucas, ut ſciamus Petrum non à ſeipſo tam magnifice loquutum eſſe. Et (*Mat. 26. verſ. 70.*) ſane qui ad vocem muliérculæ expavefactus, Chriſtum negaverat: coram tali conſeſſu ad ſolum pompæ coospectum exanimis concidiſſet, niſi Spiritus virtute eſſet erectus. Opus habuit fortitudine & prudentia. In utraque ſic excellit, ut vere divina ſit reſponſio. Hic longe alius eſt, quam prius fuerat. Hoc porro dupliciter nobis prodeſt. Nam & hoc elogium ad commendationem doctrinæ, quæ mox ſequetur, non parum valet, quum dicitur à Spiritu ſancto profecta. Et nos monemur, in fide oostra profitenda petendum eſſe à Domino Spiritum prudentiæ & fortitudinis, qui mentes, animos & corda noſtra gubernet. Plenitudo Spiritus, pro ampla & non vulgari menſura capitur.

9. *Si nos hodie.*] Non dubium quin hic Sacerdotes & Scribas tyrannidis inſimulet Petrus, quod injuſtum de beneficio laude digno examen habeant, acſi facinus aliquod ſceleſtum perpetraſſet ipſe cum collega. Si nos, inquit, ideo rei agimur, quia ſanitatem contulerimus homini ægroto. Hic Petrus pravum animi affectum magis reſpicit, quam ipſum quæſtionis ordinem. Nam ſi miraculi prætextu voluiſſent abducere Apoſtoli populum à recto ſinceroque Dei cultu, merito ad cauſam dicendam vocati eſſent: quia religio longe omnibus præſentis vitæ bonis præſtat. Sed quum illi nihil habentes cauſæ, in crimen maligne raperent quod honore proſequi debuerant, ſuffultus hac fiducia Petrus eos ioitio falſe ironica præfatione perſtringit, quod ad damnanda benefacta ſedeaot judices. Levirer tamen hanc partem attingit, ut ſibi traoſitum ad cauſam faciat.

10. *Notum ſit vobis.*] Poterat, ſicut jam dixi, Petrus ad multa ſubterfugia deflectere, ſi noluiſſet in cauſam ingredi: ſed quia in hunc finem editum fuerat miraculum, ut illuſtraretur Chriſti nomen, huc ſtatim deſcendit. Sciebat enim ſe tam præclaræ Dei virtutis fuiſſe miniſtrum, ut ſigillum haberet confirmandæ ſuæ doctrinæ. Interea coguntur audire impii, quod penitus ſepultum volebant. Proficiunt una in re ſolum, omnia machinando, ut illis in faciem objiciat & aſſerat Petrus, quod tam iodigne ferebant aliis eſſe dictum. Primo autem Chriſtum miraculi auctorem facit. deinde, quia abſurdum & incredibile videbatur, mortuum hominem divina poteotia eſſe præditum, teſtatur Chriſtum vivere, quia Deus illum à morte excitaverit, utcunque eum crucifixiſſent. Ita miraculum prædicandæ Chriſti reſurrectionis illi occaſio eſt. Hoc autem teſtimonio probare voluit Petrus, ipſum eſſe verum Meſſiam. *Crucifixum* ab illis commemorat, non tantum exprobrandi cauſa, ut culpam agnoſcant: ſed ut intelligant ſe fruſtra pugnaſſe adverſus Deum: atque ita infeliciter & exitiali eventu furere deſinant.

11. *Hic eſt lapis.*] Confirmat Scripturæ teſtimonio non eſſe novum quod Eccleſiæ præſules, qui ſplendidis titulis ſuperbiunt, & primam ſedem occupant in templo Dei, impie tamen Chriſtum rejecerint. Citat ergo locum ex Pſalmo 118. ubi conque- (*Pſal. 118. verſ. 12.*) ritur David ſe à populi ducibus rejectum eſſe: & tamen à Deo ſe fuiſſe electum gloriatur, qui primas teneret. Porro uſitata metaphora Eccleſiam vel regni ſtatum ædificio comparat. Qui gubernacula tenent, eos vocat architectos: ſe vero primarium lapidem facit, quo nitatur tota ædificii moles. Id enim ſibi vult *caput* anguli. Hæc igitur eſt Davidis conſolatio, quod utcunque damnatus fuerit à primoribus, ut oe extremum quidem locum illi relinquerent, non tameo obſtiterint pravi & iniqui eorum conatus, quin evectus in primum honoris gradum à Deo fuerit. Atqui, adumbratum in Davide fuit qood Deus abſolute in Meſſia exprimi volebat. Apte itaque Petrus, dum apud Judæos verba facit, hoc adducit taoquam de Chriſto prædictum: ſicuti io eum proprie competere noverant. Tenemus nunc quorſum citatus fuerit à Petro Pſalmus: ne Presbyteri ſcilicet & Sacerdotes honore ſuo temere elati, jus & arbitrium probandi quidvis vel improbandi ſibi arrogarent. Conſtat enim lapidem qui ab architectis repudiatus fuit, Dei manu ſtatui io primo loco, ut totam domum ſuſtineat. Porro, hoc non ſemel tantum accidit, ſed quotidie impleri oportet: ſaltem novum & abſurdum cenſeri non debet, ſi nunc quoque architecti Chriſtum rejiciant. Unde palam refellitur frivola Papæ jactantia, qui nudum titulum objectat, ut ſibi uſurpet quicquid eſt Chriſti. Ut Papæ & cornutis ejus beſtiis demus quod poſtulaot, nempe ordinarios eſſe Eccleſiæ paſtores, non ultra progredi taodem poterunt, quam ut vocentur architecti cum Anna & Caiapha. Planum autem eſt quid valeat hic titulus, quem illi ad cælum terræ miſcendum ſufficere putant. Jam ex hoc loco ſummatim quædam ootatu digna colligamus. Quod *architecti* vocantur qui Eccleſiæ præſunt, nomen ipſum eos officii ſui admonet. Se ergo totos ædificando Dei templo impendant. Et quoniam non omnes fideliter munus ſuum obeunt, videant quænam ſit legitima rite ædificandi ratio: nempe Chriſtum pro fundamento retineant. deinde ne fœnum admiſceant vel ſtipulam, ſed totum ædificium ex pura doctrina abſolvant: quemadmodum Paulus docet prioris ad Corinth. 3. capite. (*1 Cor. 3. verſ. 12.*)

Quod

Digitized by Google

Quod Deus Chriſtum extuliſſe dicitur, qui rejectus ab architectis fuerat, hoc erigere animos noſtros debet, ſiquando ipſos quoque Eccleſiæ paſtores, vel qui ſaltem honore pollent, videmus impie adverſus Chriſtum inſurgere, ut eum exterminent. Secure enim, quas nobis opponunt larvas, contemnere licet: ne dubitemus honorem deferre Chriſto, quem illi Deus vendicat. Quod ſi ad tempus quieſcendo conniveat, è ſublimi tamen hoſtium audaciam ridet, dum in terra fremunt ac tumultuantur. Præterea, ſi validæ ſint ac præſidiis omnibus inſtructæ eorum conſpirationes, ſtatuere tamen debemus ſalvum ſemper Chriſto honorem ſuum fore. Hujus etiam fiduciæ ſequatur fructus, ut fortes ſimus & intrepidi in aſſerendo Chriſti regno, cujus Deus invictum ſe fore vindicem pronunciat. De Petri conſtantia jam dictum eſt, quod unus homuncio judices habens tam infeſtos, ſolum tamen habens periculi ſocium, nullum timoris ſignum oſtendit, quin libere profiteatur in rabioſo illo cœtu, quod tam adverſis animis exceptum iri ſciebat. Quod autem illis ſevere exprobrat admiſſum ab ipſis ſcelus, hinc petenda eſt nobis loquendi regula, ubi cum profeſſis veritatis hoſtibus nobis negotium eſt. Duo enim vitia hinc nobis cavenda ſunt: ne tacendo aut connivendo videamur blandiri. perfidum enim eſſet illud ſilentium, quo proderetur veritas. Rurſum, ne efferamur petulantia, aut immodico calore, quemadmodum ſæpe animi plus quam par ſit in contentione ebulliunt. Hic ergo vigeat gravitas, ſed moderata: ſit libera objurgatio, ſed citra maledicendi fervorem. Hanc rationem videmus à Petro ſervari. Initio ſiquidem honorifice ipſos compellat: ubi ad rem ventum eſt, graviter in ipſos invehitur. nec vero tam ſcelerata ipſorum impietas ſileri poterat. Hoc exemplum qui ſequentur, non tam Petrum, quam Dei Spiritum ducem habebunt.

12. *Nec eſt in ullo alio ſalus.*] A ſpecie tranſit ad genus: & à beneficio corporali conſcendit ad integram ſalutem. Et ſane Chriſtus unum hoc gratiæ ſuæ ſpecimen ediderat, ut agnoſceretur unicus vitæ auctor. Hoc in ſingulis Dei beneficiis conſiderandum eſt, eum ſcilicet eſſe ſalutis fontem. Cæterum, hac ſententia pungere voluit Sacerdotes, quum negat alibi ſalutem eſſe quam in Chriſto, quem extinguere moliebantur. Acſi diceret, his damnatos eſſe, qui ſalutem à Deo ſibi oblatam non modo reſpuerent, ſed in nihilum redigere ſtuderent, ejuſque fructum & uſum eriperent toti populo. Tametſi autem videtur ſurdis verba facere, concionatur tamen de Chriſti gratia, ſi forte quidam audire ſuſtineant: ſin minus, hoc ſaltem teſtimonio reddantur magis inexcuſabiles.

Neque enim aliud eſt nomen.] Explicat proximam ſententiam, addita explicatione. In ſolo Chriſto eſt ſalus, inquit, quoniam Deus ita decrevit. Nam per *nomen* intelligit cauſam vel medium. acſi dixiſſet, Quum penes ſolum Deum ſit ſalus, non vult alio modo eam nobis eſſe communem, quam ſi à Chriſto ſolo petatur. Quod dicit, *ſub cælo*, vulgo ad creaturas referunt: acſi diceret, ſoli Chriſto inter creaturas, vim & potentiam ſervandi datam eſſe. ego tamen potius exiſtimo hoc fuiſſe additum, quoniam in cælum uſque conſcendere nequeant homines, ut ad Deum uſque perveniant. Quum ergo tam procul diſtemus à regno Dei, neceſſe eſt ut non modo nos ad ſe invitet, ſed ut longe porrecta manu, ſalutem nobis fruendam exhibeat. id feciſſe in Chriſto, nunc Petrus docet, quia ideo in terram deſcendit, ut ſalutem ſecum adferret. Nec vero repugnat huic doctrinæ, quod Chriſtus ſupra omnes cælos aſcendit. *Epheſ. 4. verſ. 10.* Nam ideo carnem noſtram ſemel induit, ut perpetuum eſſet adoptionis noſtræ pignus. Sacrificio mortis ſuæ, Patrem nobis in æternum placavit: reſurgendo, vitam æternam nobis acquiſivit. Nunc quoque nobis adeſt, ut fructum æternæ redemptionis percipere nos faciat. ſed hic de ſalutis revelatione agitur. Scimus autem in Chriſto ita fuiſſe manifeſtatam, ut non amplius dicendum ſit, Quis aſcendet in cælum? Rom. 10. *Rom. 10. verſ. 6.* Quod ſi probe omnium animis inſideret hæc doctrina, ſedatæ eſſent tot de ſalutis cauſis controverſiæ, quibus hodie vexatur Eccleſia. Fatentur Papiſtæ nobiſcum, ſalutem nonniſi in Deo eſſe, ſed mox innumeras ejus quærendæ rationes ſibi fabricant. Petrus autem ad ſolum Chriſtum nos revocat. Negare quidem prorſus non audent illi, ſalutem nobis conferri per Chriſtum: ſed dum tot adminicula confingunt, vix centeſimam ſalutis partem illi faciunt reſiduam. Atqui ſalus in ſolidum ab eo petenda erat: alia enim omnia media dum palam excludit Petrus, perfectam integramque ſalutem, non aliquam duntaxat partem, in ſolo Chriſto ſtatuit. Ita multum abeſt quin hanc doctrinam teneant.

13. Videntes autem Petri fiduciam & Joannis, & reputantes quod homines eſſent illiterati & idiotæ, mirabantur, agnoſcebantque eos quod cum Jeſu fuiſſent.

14. Hominem vero videntes cum ipſis ſtantem qui ſanatus fuerat, nihil habebant quod contradicerent.

15. Juſſis autem ipſis excedere ex concilio, conſultabant inter ſe,

16. Dicentes, Quid faciemus hominibus iſtis? Signum enim notum editum eſt per eos, omnibus incolis Jeroſolymæ manifeſtum: nec poſſumus negare.

17. Sed ne amplius divulgetur ad populum, minando minemur illis, ne cui hominum poſthac loquantur in hoc nomine.

18. Tunc vocatis ipſis denunciarunt ne omnino loquerentur neve docerent in nomine Jeſu.

13. Hic emergit mala conſcientia: nam jure & ratione deſtituti, proſiliunt ad manifeſtam tyrannidem, cujus odium effugere tentaverant. Primum ergo eos fuiſſe convictos narrat, ut appareat ſcientes & volentes inſtar Gigantum cum Deo belligerari. Nam in homine ſanato vident præclarum ejus opus, cui tamen ſcelerate inſultant. In *fiducia* Petri & Joannis, quod ſciunt indoctos & rudes fuiſſe homines, aliquid pluſquam humanum agnoſcunt: ergo velint nolint rapiuntur in ſtuporem. Eo tamen impudentiæ prorumpunt, ut non dubitent tyrannicam rationem quærere opprimendæ veritatis. Quum fatentur illuſtre eſſe *ſignum*, jam malæ conſcientiæ in eo ſe damnant. Quum dicunt eſſe *notum* omnibus, oſtendunt ſe præterito Deo, ſolos homines reſpicere. Nam ferream frontem eo produnt, quod tergiverſari non dubitaſſent, ſiquis fuiſſet negandi color. Quum vero interrogant quid facturi ſint, obſtinatam malitiam produnt. Deo enim cedendum erat, niſi eos diabolicus furor alio abriperet. Hic ſpiritus vertiginis & inſaniæ, quo Deus hoſtes ſuos inebriat. Sic quum paulo poſt minis ſe poſſe adipiſci confidunt ne longius ſerpat fama, quid magis fatuum? Nam ubi compeſcuerint duos homunciones, an fractum erit Dei brachium?

17. *Minando minemur.*] Hinc apparet quam exi-

tiale

Digitized by Google

tiale malum ſit poteſtas ſine Dei timore. Nam ubi non regnat ea quæ debet religio, quo ſanctiorem quiſque locum occupat, eo audacius inſanit. Quo magis ſemper cavendum eſt, ne evehantur improbi ad Eccleſiæ regimen. Qui vero hoc munere funguntur, reverenter & modeſte ſibi temperare debent, ne armati videantur ad nocendum. quod ſi honore ſuo abuti eos contingat, ibi vero tanquam in ſpeculo demonſtrat Spiritus, quam pro nihilo ducendum ſit quicquid decernunt & jubent. Certis præſertim finibus continetur Paſtorum auctoritas, ultra quos progredi illis fas non eſt. Quod ſi audeant, nobis fas eſt obſequium illis negare, quod præſtare ſummum eſſet nefas: quemadmodum nunc ſequitur.

19. Petrus autem & Joannes reſpondentes illis, dixerunt, An juſtum ſit coram Deo,
vos potius audire quam Deum, judicate.
20. Nos enim non poſſumus quæ vidimus & audiimus, non loqui.
21. Illi autem additis minis dimiſerunt eos, nihil invenientes cur punirent eos, pro-
pter populum: quia omnes glorificabant Deum ſuper eo quod acciderat.
22. Annorum enim pluſquam quadraginta erat homo, in quo editum fuerat ſignum
ſanationis.
23. Porro illi dimiſſi venerunt ad ſuos, & annunciarunt quæcunque illis Sacerdotes
& Presbyteri dixerant.

19. *An juſtum ſit.*] Meminerimus quibus hoc reſpondeant. Nam conſeſſus quidem ille Eccleſiam repræſentabat: quia tamen jure ſuo abutuntur, illis obediendum eſſe negant Apoſtoli. Atque ut in cauſa minime dubia fieri ſolet, parti adverſæ judicium exprobrandi cauſa permittunt. Porro hoc operæpretium eſt notare, quod Dei auctoritatem eorum decretis opponunt. Quod intempeſtive fieret, niſi Deo adverſi eſſent, qui tamen alias ordinarii erant Eccleſiæ paſtores. Plus etiam exprimunt Apoſtoli: nempe obedientiam quæ malis & infidis Paſtoribus defertur, utcunque legitimum Eccleſiæ regimen obtineant, eſſe Deo contrariam. Hanc quæſtionem lepide dirimit Papa: quia quæcunque illi effutire libuit, divina oracula eſſe pronunciat. Hoc modo ſublatum eſt repugnantiæ periculum. Atqui nihil amplius ſibi hodie ſumere poſſunt Epiſcopi, quam tunc Deus ordini Sacerdotum detulerat. nimis ergo puerile nugamentum eſt, Non poſſe eos niſi ex Dei mandato præcipere. Quin potius res ipſa clare oſtendit, tunc nullum fore conflictum, ſi proſtrata abjectaque Chriſti doctrina, vagam & effrenem eorum libidinem impune vagari ſinant. Quocunque ergo titulo præditi ſint homines, nonniſi ſub hac exceptione audiendi ſunt, Ne à Dei obedientia nos abducant. Ita quicquid tradent, ad verbi Dei regulam exigendum erit. Principibus & aliis qui ſunt in poteſtate conſtituti, parendum eſt: ſed ita, ut Deo, ſummo Regi, Patri, ac Domino, jus ſuum minime abrogent. Si in politicis imperiis tenenda eſt hæc moderatio, in ſpirituali Eccleſiæ regimine multo magis valere debet. Ne autem pro ſolito faſtu putent jus ſuum minui ubi ſupra eos extollitur Deus, ab his blanditiis abſtrahit eos Petrus, hanc cauſam admonens ad Dei tribunal definiendam eſſe. diſerte enim Coram Deo exprimit: quia utcunque cæcutiant homines, Deus tamen nunquam præferri ſibi quenquam patietur. Et ſane hoc reſponſum Spiritus in os Apoſtolis ſubjecit, non tantum ut hoſtium ferociam reprimeret: ſed ut nos etiam moneret officii noſtri, quoties eo ſuperbiæ efferuntur homines, ut velint excuſſo Dei jugo, ſuum nobis imponere. Tunc ergo nobis in mentem veniat ſacroſancta Dei auctoritas, quæ inanem cujuſvis humanæ præſtantiæ fumum diſpellat.

20. *Non enim poſſumus.*] Multa quidem auditu & viſu comperta ſileri poſſunt, imo debent, ubi de redimenda pace agitur. Eſt enim hoc inhumanum, & pravæ contumaciæ, tumultum movere ob res non neceſſarias: ſed generaliter non loquuntur Apoſtoli, quum loquendi neceſſitatem obtendunt. Agitur enim de Chriſti Euangelio, in quo & Dei gloria & hominum ſalus conſiſtit. Eam ſupprimi hominum interdictis, indignum & ſacrilegum eſt nefas: jubet enim Deus Euangelium ſuum prædicari: præſertim quum ſcirent ſe electos eſſe teſtes ac præcones Chriſti, & os ſibi divinitus apertum. Quiſquis ergo ſilentium imperat, Dei gratiam, quantum in ſe eſt, & ſalutem hominum abolere nititur. Quod ſi tam impia prohibitio os nobis obſtruit, væ noſtræ ignaviæ. Nunc videant ſinguli quam ab ipſis confeſſionem Deus poſtulet: ne ubi tacuerint in hominum gratiam, horribilem ex ore Chriſti vocem audiant, qua damnetur eorum perfidia. Præſertim vero qui ad docendi munus vocati ſunt, nullis hominum minis, nullo imperii colore terreantur, quin libere exequantur quod ſibi à Domino injunctum eſſe norunt. Væ mihi, inquit Paulus, niſi 1 Cor. 9.
euangelizem: quia munus mihi creditum eſt. Nec verſ. 16.
tyrannicis modo hominum imperiis hoc Dei mandatum opponere oportet: ſed obſtaculis omnibus, quæ ſubinde ingerit Satan ad frangendum vel prohibendum Euangelii curſum. Duro enim clypeo opus eſt ad ſuſtinendos tam graves inſultus. hos ſentiunt omnes Chriſti miniſtri: verum quicquid accidat, hic eſt murus aheneus, Deo placere Euangelii prædicationem: ideo nulla de cauſa poſſe eam ſupprimi.

21. *Illi vero additis minis.*] Hic eſt vero factionis exitus, quod impii ſuam rabiem efflare non deſinunt, frenantur tamen arcana Dei virtute, ut illis nocendi via non pateat. Qui fit ut minis contenti, non ſæviant etiam in corpora, niſi quod Dei virtus tanquam catena illos conſtringit? Non quod apud eos valeat timor Dei: nam ſolus populi reſpectus eos impedit: ſed Dominus eos neſcientes, ſuis vinculis ligat. Nobis vero Lucas Dei providentiam commendat in cuſtodienda ſuorum ſalute: & quamvis impios lateat, fidei oculis intuenda nobis eſt. Præterea, mirabile Dei conſilium hic ſe oſtendit, quod per infenſiſſimos hoſtes promovetur Chriſti gloria. Nam quod Sacerdotes ſimul coëunt, non fit ſine magno rumore. Pendent omnium animi expectatione rari & ſingularis cujuſdam eventus: diſcedunt Apoſtoli à reatu ſoluti. Non tantum ergo victi hoſtes jacent: ſed inviti Euangelium confirmant. Rurſus tamen obſervare convenit, ſic victoriam concedi fidelibus, ut ſemper humilientur ſub cruce. Minæ enim repetuntur, ne poſthac in Chriſti nomine doceant. Sic ergo vincunt, ut minime tamen triumphent, niſi ſub crucis opprobrio. Quod dicit Lucas, *Omnes gloriam* dediſſe Deo, fructum miraculi iterum notat: quanquam fieri poteſt, ut non omnes ad juſtum finem perducti fuerint. Nam qui divinæ virtutis ſenſu tactus, ad Chriſtum non venit, nec miraculum habet pro fidei ſigillo, hic quaſi ſubſiſtit in medio curſu. Fuit tamen hoc aliquid, licet non totum, quod agnita fuit Dei virtus in ſanatione hominis, ut hoſtes pudore confuſi à rabie ſua deſiſterent, vel pauliſper retrocederent.

23. *Porro illi dimiſſi*] Quorſum retulerint aliis diſcipulis quæ ſecum acta erant, mox patebit: nempe, ut plus animi ac fiduciæ in poſterum ex Dei gratia ſumerent: deinde ut adverſus feroces hoſtium minas precibus ſe munirent. Atque ita agendum eſt, ut alii alios exſtimulent, & pium ſyncretiſmum inter ſe agant filii Dei, ut ſub Chriſti vexillo communem hoſtem ſimul debellent. Quæ impendent pericula ſecum reputent, quo ſint illis obeundis paratiores: quamvis hoſtes acriter inſtare videant, ne pigeat ſubinde certamen novum repetere: confidant eadem, qua ante vicerunt, Dei virtute ſe fore ſemper inexpugnabiles. Quod autem à Luca non exprimitur, probabile eſt Apoſtolos ſuo priore reſponſo contentos, non litigaſſe cum illis furiis: neque tamen ita fuiſſe prioris conſtantiæ oblitos, ut ſerviliter exciperent impium decretum.

24. Illi autem quum audiſſent, unanimiter extulerunt vocem ad Deum, ac dixerunt, Domine, tu es Deus qui feciſti cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt:

25. Qui per os Davidis ſervi tui dixiſti, Ut quid fremuerunt Gentes, & populi meditati ſunt inania?

26. Adſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum, adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus.

27. Vere enim convenerunt in hac urbe adverſus ſanctum Filium tuum Jeſum, quem unxiſti, Herodes & Pontius Pilatus, cum Gentibus & populis Iſraël,

28. Ut facerent quæcunque manus tua & conſilium tuum prius decreverat fieri.

29. Et nunc, Domine, reſpice in minas iſtorum, & da ſervis tuis ut cum omni fiducia loquantur ſermonem tuum:

30. Manum tuum porrigendo in hoc, ut ſanatio, & ſigna, & prodigia fiant per nomen ſancti Filii tui Jeſu.

31. Et quum illi precati eſſent, motus eſt locus in quo erant congregati. Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & loquebantur ſermonem Dei cum fiducia.

Docemur hoc exemplo, quænam ſint noſtræ partes, dum imperioſe nobis minantur adverſarii. Neque enim in periculis ſecuros ridere decet, ſed timor periculi ſtimulus nobis eſſe debet ad poſtulandum Dei auxilium: atque hoc remedium eſt ad nos erigendos, ne minis territi, officium noſtrum deſeramus. Hic duplex eſt præſentis hiſtoriæ fructus: diſcipulos Chriſti, quum minaciter hoſtes ſibi inſtare audiunt, non jocari ut ſocordes ac ſtupidi homines ſolent, ſed metu ſollicitos ad opem Dei confugere: rurſum, non expaveſieri, vel immodicum terrorem concipere qui eos ab officio abducat, ſed piis votis ad invictam conſtantiam eniti.

24. *Tu es Deus qui creaſti.*] Hoc divinæ potentiæ elogium tametſi generale eſt, tamen ad hypotheſin referri debet. Sic enim Dei potentiam in mundi totius opificio agnoſcunt, ut ſimul accommodent ad præſentem uſum. Qualiter ſæpe à Prophetis celebratur ad corrigendos qui ex hoſtium potentia nos conturbant metus. Promiſſionem deinde adjungunt: atque hæc duo veluti fundamenta jaciunt fiduciæ ad precandum. Et ſane tunc demum legitimæ ſunt & Deo acceptæ noſtræ preces, quum ejus promiſſionibus & ſimul virtuti innixi, cum certa ſpe impetrandi oramus. Neque enim aliter vera concipi fiducia poteſt, quam quum ad ſe nos Deus invitat, ſeque ad juvandum paratum pollicetur: deinde, quum agnoſcimus ſatis ad præſtandum habere virtutis. Quare in hac duplici meditatione ſe exerceant fideles, quoties ad orandum ſe accingunt. Hinc præterea colligimus qualiter nobis conſideranda ſit mundi creatio: nempe, ut ſciamus Deo omnia ſubeſſe, ejuſque arbitrio regi: & quicquid ſatagat & conetur totus mundus, non aliud eventurum quam quod decreverit: imo petulantiam impiorum prodigioſam eſſe, acſi lutum contra figulum inſurgeret. Generaliter enim hoc volunt fideles, quæcunque immineant diſcrimina, Deum poſſe innumeris modis occurrere, quando in manu habet omnia: & ſingulas terræ ac cæli partes, quarum eſt opifex, ad obſequium trahere.

25. *Qui per os Davidis.*] Jam deſcendunt ad ſecundum membrum, nihil ſe petere niſi quod ſe facturum teſtatus eſt Deus. Ita ejus potentiæ adjungitur voluntas, ut plena ſit impetrandi fiducia. Quia autem de regno Chriſti agitur, Dei promiſſionem adducunt in medium, qua ſe teſtatur illius fore vindicem: ut fruſtra ejus ruinam totus mundus machinetur. In eo autem ſe oſtendit eorum pietas & ſincerus zelus, quod non tam de privata ſua ſalute, quam de regni Chriſti augmentis ſunt ſolliciti.

Quare fremuerunt.] Non negandum eſt quia de ſeipſo loquatur David: qui quum Rex electus eſſet à Domino, & per manum Samuelis unctus, per ſummas difficultates regno potitus eſt, quod undique obſiſterent adverſarii. Scimus qualis fuerit Principum & totius populi conſpiratio cum Rege Saul ejuſque familia: Philiſtæi deinde, & alii externi hoſtes ſpreta ejus novitate, certatim bella moverunt. Quare non abs re conqueritur Reges tumultuari & conſilia capere, & populos varia moliti. Quia tamen regnum ſuum Dei manu ſuſtineri noverat, deridet ſtultos eorum conatus, ac irritos fore pronunciat. Cæterum, quia in hoc inſtitutum erat ejus regnum, ut regni Chriſti imago foret, non hæret David in umbra ipſa, ſed ſolidum corpus apprehendit: imo Spiritus ſanctus, ut vere hic repetunt Apoſtoli, ridiculam mundi inſaniam exagitat, quod audeat regnum Chriſti à Deo ſtabilitum invadere, tam in perſona Davidis, quam Chriſti ipſius. Eſt autem hæc eximia conſolatio, quod dum militamus ſub regno Chriſti, Deum ſtare à parte noſtra audimus. Hinc ſtatuendum eſt, utcunque omnes homines, ſummi & infimi, impia & nefaria conſpiratione regnum hoc oppugnent, nihil tamen profecturos. Quid enim totus mundus ad Deum? Sed hoc primo loco habendum eſt, Deum Filii ſui regnum, cujus eſt auctor, tueri perpetuo velle, ut poſſimus inviolabile ejus decretum opponere hominum temeritati: ut manus ejus præſidio freti, non dubitemus omnes quamvis terrificos hominum apparatus ſpernere. Et ſedulo exprimit quantæ ſint hoſtium copiæ: eos omnia machinari dicit, conſilia etiam recenſet, ne quid horum omnium nos terreat. Porro, quum docet Pſalmus ſtaturum invitis hoſtibus eſſe Chriſti regnum, ſimul indicat fore multos adverſarios, qui evertere ipſum conentur. Hinc Reges frementes inducit, inde tumultuantes populos. quo ſignificat omnes ordines infenſos illi fore. Nec mirum: quia nihil magis carni adverſum eſt, quam ſpiritualis Euangelii gladius, quo nos Chriſtus mactat, ut ſubigat in ſuum obſequium. *Rom. 15. verſ. 16.* Monendi ergo ſumus, nunquam in mundo tranquillum fore Chriſti regnum: ne ubi pugnandum erit, quaſi ad rem inſolitam trepidemus.

26. *Ad-*

26. *Adverſus Dominum & Chriſtum ejus.*] Hoc verbo docet Spiritus, eos omnes qui Chriſto ſubjici recuſant, bellum adverſus Deum ſuſcipere. Hoc quidem ipſi ſæpe non cogitaot: ſic tamen res habet, quia Deus nonniſi in Filii ſui perſona regnare vult, ejus imperium à nobis excuti, quoties ſumus Chriſto rebelles. quemadmodum pronunciat Dominus ipſe apud Joannem, Quiſquis non bonorat Filium, neque Patrem honorat. Quare & millies profiteantur hypocritæ ſibi nihil minus eſſe in animo, quam Deo bellum inferre, ſentient Deum ſibi profeſſum hoſtem, niſi Chriſtum cum ſuo Euangelio amplectantur. Duplex eſt hujus doctrinæ uſus. Nos enim adverſus omnes carnis terrores munit, quia minime timendum eſt, ut Deo ſint ſuperiores qui Euangelium oppugnant. Rurſus cavendum eſt, ne piæ doctrinæ contemptu, adverſus Deum efferamur in noſtram perniciem.

27. *Convenerunt in hac urbe.*] Hoc vaticinium eventu fuiſſe comprobatum referunt, quo certius in ejus fidem recumbant. Senſus enim eſt, Domine, tu dixiſti, & nos reipſa experti ſumus verum eſſe. Revocant autem in memoriam quod quadriennio ante vel circiter geſtum fuerat. Sic rerum, quæ prædictæ ſunt, eventus ad fidei noſtræ confirmationem applicare convenit. ſed quia tunc longe aliter videri poterat res ceſſiſſe, quam Pſalmus pronunciet, quando non fruſtra tumultuati erant hoſtes, nec irriti fuerant eorum impetus occiſo Chriſto, & eorum violentia formidabili modo deinde graſſata erat: hoc ſcandalum avertunt fideles: ac hoſtes nihilo plus potuiſſe dicunt, quam Deus ſtatuerat. Ergo utcunque Chriſtum morte extinctum putarent impii, ac jam inanes ſibi triumphos canerent, fideles tamen agnoſcunt fruſtra tumultuatos eſſe. Cæterum, quæri poteſt, cur Gentes & populos Iſraël nominet, quum unum eſſet corpus. Puto hic notari regionum varietatem, ex quibus ad diem feſtum Judæi confluxerant: acſi dictum eſſet, Judæos ex diverſis locis oriundos, quaſi concurſu facto, aggreſſos eſſe Chriſti regnum, effectu tamen caruiſſe eorum furorem.

Sanctum filium tuum.] Idem eſt nomen apud Græcos, quod nuper Servum reddidi, quum fiebat Davidis mentio: παῖδα enim illi nunc Servum appellant, nunc Filium. David autem ideo ſic vocatur, quia tam in regendo populo, quam in Prophetæ officio, fuit Dei miniſter. In Chriſti autem perſona melius quadrat Filii nomen: niſi forte cui magis placeat, Lucam in ſignificatione ambigua vocis, voluiſſe ad ſimilitudinem alludere quam habuit David cum Chriſto. Nominatim dicitur Deus Filium ſuum unxiſſe, ut in ipſum vere competat quod in Pſalmo habetur: ungendo enim eum, conſecravit Deus in Regem. Simul tamen notandum eſt quale fuerit unctionis genus: ſcimus enim non viſibili oleo, ſed Spiritu ſancto fuiſſe unctum.

28. *Ut facerent.*] Quorſum hoc dicatur, jam expoſui: adeo ſcilicet illa conſpiratione non everſum fuiſſe Chriſti regnum, ut tunc vere effloruerit. Hic tamen continetur inſignis doctrina, Deum arcano ſuo conſilio ſic moderari omnia, ut per impios etiam exequatur quod ſtatuit. Non quod ſponte illi manus ad tale miniſterium præbeant, ſed quod eorum conſilia & conatus retrorſum agit: ut diſtincte hinc æquitas & ſumma rectitudo, inde ſcelus & iniquitas appareat. Qua de re plenius tractavimus capite ſecundo. Obiter hic diſcamus ſic conſiderandam eſſe nobis Dei providentiam, ut ſciamus ſummam & unicam eſſe moderatricem omnium quæ in mundo aguntur: freno ejus diabolum & omnes impios cohiberi, ne quid nobis noceant: quum maxime inſultant, non tamen ſolutos eſſe, ut faciant quicquid libuerit: ſed aliquatenus modo laxari illis frenum, quoad expedit ad nos exercendos. Qui ſolam Dei præſcientiam agnoſcunt, non autem fatentur omnia geri ejus arbitrio, facile coarguuntur his verbis, Quod Deus prordinaverit fieri quod factum eſt. Imo Lucas non contentus *conſilii* nomine, *manum* quoque expreſſit: improprie id quidem, ſed ut clarius oſtenderet, non tantum gubernari Dei conſilio rerum eventus, ſed virtute etiam manuque ipſius temperari.

29. *Et nunc, Domine.*] Recte ad ſe extendunt quod de Chriſto citarunt: quia non vult ab Euangelio ſeparari: imo quicquid moleſtiæ infertur ſuis membris, in perſonam ſuam transfert. Petunt autem ut Dominus hoſtium ſævitiam reprimat: ſed non tam id ſua cauſa, ut quiete & ſine moleſtia vivant, quam Euangelii propagandi ſtudio. Neque enim optabilis fuit illis vita, quam deſerta vocatione in otio conſumerent. Adduot enim, *Da ſervis tuis, Domine, ut confidenter loquantur.* Cæterum, notanda eſt hæc loquutio, ut Dominus minas reſpiciat. Nam quum ejus proprium ſit munus ſuperbis reſiſtere, & eorum dejicere ſupercilia: quo inſolentius ſe jactant, non dubium quin magis provocent in ſe iram Dei, & quin Deus ipſe tanta indignitate offenſus, remedium afferre velit. Sic Ezechias ut opem *Jeſa. 37.* in rebus extremis impetret, arrogantiam Sennacherib & atroces minas in medium profert. *v. 14, 17.* Quare, hoſtium crudelitas & contumeliæ, ſtudium precandi in nobis potius excitent, quam debilitent nobis animos, quominus in officii noſtri curſu pergamus.

Da ſervis tuis.] Quum tantopere hoſtes irritaſſet miraculum unum, quomodo ſancti homines nova quotidie fieri optant? Hinc ergo colligimus quod jam attigi, tanti eſſe illis Dei gloriam, ut præ hac ſuſque deque reliqua omnia habeant. Unum hoc ſpectant, illuſtrari miraculis Dei virtutem, quod piis ſemper eſt optabile, etiamſi rumpantur adverſarii, & toti inferi rabiem ebulliant. Idem & de loquendi fiducia ſentiendum eſt. Sciebant nihil minus ferre impios poſſe, quam liberum Euangelii curſum: ſed quia vitæ doctrinam eſſe norunt, quam Deus vult publicari, quicquid accidat: ejus prædicationem, quia Deo grata eſt, aliis omnibus indubie præferunt. Cæterum docemur tunc rite ut decet à nobis agnoſci Dei beneficia, ſi hac occaſione ad precandum ſtimulamur, ut confirmet quod cœpit. Specimen heroicæ fortitudinis ediderant Apoſtoli: nunc rurſum orant ut inſtruantur fiducia. Sic Paulus fide- *Epheſ. 6.* les rogat, ut ſibi apertionem oris à Domino petant, *verſ. 19.* quum tamen ubique vox ejus perſonaret. Proinde, quo magis nos à Domino adjutos eſſe ſentimus, diſcamus novos in poſterum progreſſus petere: præſertim quum libera Euangelii confeſſio ſingulare ſit ejus donum, aſſidue rogandus eſt, ut in ea nos retineat.

31. *Et quum precati eſſent.*] Jam narrat Lucas non modo exauditam fuiſſe hanc precationem à Deo, ſed viſibile ſignum è cælo datum eſſe, quo id teſtatum fieret. *Loci* enim concuſſio per ſe nihil profuiſſet: verum in alium finem tendit, ut fideles Deum ſibi adeſſe ſciant. Denique, nihil quam divinæ præſentiæ ſymbolum eſt. Fructus autem ſequitur, quod omnes Spiritu ſancto repleti ſunt, ac majore donati fiducia. In hoc ſecundo membro magis inſiſtere convenit. Nam quod tunc concuſſione loci virtutem ſuam teſtatus eſt Deus, rarum fuit & extraordinarium: quod autem ex effectu apparuit impetraſſe diſcipulos quod petierant, hæc perpetua eſt orationis utilitas, quæ etiam nobis in exemplum ſtatuitur.

32. Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una: & nemo quicquam eorum quæ poſſidebat, dicebat eſſe ſuum: ſed erant illis omnia communia.

33. Et magna virtute reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Domini Jeſu: magnaque gratia erat ſuper omnes ipſos.

34. Nemo enim inter ipſos egens erat. Nam quotquot erant poſſeſſores agrorum vel domorum, vendentes afferebant eorum quæ vendita erant, pretia:

35. Et ponebant ad pedes Apoſtolorum. Diſtribuebatur autem ſingulis quantum cuique opus erat.

36. Joſes autem cognominatus Barnabas ab Apoſtolis (quod eſt filius conſolationis) Levita, Cyprius genere,

37. Quum illi eſſet ager, vendidit, & attulit pecuniam, poſuitque ad pedes Apoſtolorum.

32. *Multitudinis.*] Hic tria laudantur: quod animis inter ſe conjuncti fuerint fideles: quod mutua fuerit inter eos bonorum communicatio: quod Apoſtoli in aſſerenda Chriſti reſurrectione fortes & ſtrenui fuerint. Dicit *cor unum* fuiſſe in multitudine: quia hoc longe præſtantius fuit, quam ſi pauci homines mutuum conſenſum haberent. Antehac autem narravit creviſſe Eccleſiam uſque ad quinque millia. Quod ergo non parum eſt difficile, concordiam in tanto numero regnaſſe dicit. Et ſane ubi regnum habet fides, animos ita conciliat, ut idem omnes velint & nolint. hinc etenim diſcordiæ, quod non regimur eodem Chriſti Spiritu. *Cordis & animæ* nominibus, ſatis notum eſt voluntatem indicari. Quia vero ſæpe improbi in malum conſpirant: ideo ſancta fuit & laudabilis hæc concordia, quia viguit inter credentes.

Nemo quicquam eorum.] Hoc ſecundum eſt membrum: quod charitatem externis officiis coluerint. Qualis porro fuerit bonorum communicatio, mox videbimus. Hoc nunc in contextu Lucæ notare operæpretium eſt, quod præcedit interior animorum unitas tanquam radix, ſequitur deinde fructus. Et ſane hic ordo inter nos valere debet, ut ſincero cordis affectu nos viciſſim amemus, deinde ut charitas noſtra in externos effectus ſe proferat. Nam & externa beneficentia niſi oriatur ex corde, nihili eſt coram Deo. Et fruſtra de recto affectu gloriamur, niſi in externis officiis appareat ejus teſtimonium. Subindicat etiam Lucas non fuiſſe concordes propriæ utilitatis reſpectu: quum divites liberaliter ſua erogando, nihil minus quam lucrum captarent.

33. *Et magna virtute.*] Hoc tertium membrum ad doctrinam ſpectat. Significat enim Lucas, adeo non imminutum fuiſſe zeli fervorem in Apoſtolis ad prædicandum Euangelium, ut nova potius illis virtus acceſſerit. Quod ſolam Chriſti Reſurrectionem nominat, eſt ſynecdoche: hæc enim pars pro toto Euangelio ponitur. Sed de ſola reſurrectione ideo meminit Lucas, quia eſt veluti Euangelii complementum: deinde quod ejus cauſa nuper ſuſtinuerant grave certamen, & eam ægerrime ferebant Sadducæi, qui tunc rerum potiebantur.

Magnaque gratia.] Significat non parum hoc valuiſſe ad doctrinæ propagationem, quod benigne pauperes juvando, apud alienos quoque gratiam acquirerent. Amabiles enim fuiſſe dicit, eo quod benefici eſſent. Itaque in his verbis, *Non erat quiſquam egens inter eos*, eſt cauſæ redditio. Quanquam dubium non eſt quin probitas etiam & temperantia & modeſtia & tolerantia & aliæ virtutes, multorum flexerint animos ad benevolentiam. Poſtea qualis fuerit illa bonorum communicatio quam attigerat, latius exponit: quod ſcilicet agros ſuos ac domos vendiderant divites, ut pauperum inopiæ ſuccurrerent.

34. *Nam quotquot erant.*] Quanquam univerſalis eſt loqutio, non tamen plus valet quam indefinita. Et certe probabile eſt fuiſſe multos qui poſſeſſiones ſuas non attigerint. idque ex contextu poteſt colligi. Nam mox quum de Joſe loquitur, non dubium eſt quin memorabile præ aliis exemplum notare voluerit. Ergo omnes feciſſe dicit, quod paſſim à multis fiebat. Neque hoc abhorret à communi Scripturæ uſu. Deinde non intelligit fideles vendidiſſe quicquid habuerint, ſed quantum exigebat neceſſitas. Amplificandi enim cauſa hoc dictum eſt, quod divites non ex annuo tantum agrorum proventu levarint fratrum inopiam, ſed eouſque fuiſſe liberales, ut ne agris quidem pepercerint. Hoc autem fieri potuit, etiamſi ſe non ſpoliarent in totum, ſed aliqua ex parte reditus ſuos minuerent. Quod rurſum ex verbis Lucæ colligere licet: nam finem hunc exprimit, Ut nemo egeret. Simul oſtendit, adhibitam fuiſſe prudentiam: quia diſtribuebatur quantum cuique opus erat. Non ergo æqualis fuit bonorum partitio, ſed moderata diſpenſatio, ne quis egeſtate ultra modum premeretur. Atque hoc forte titulo nominatim laudatur Joſes, quod agrum vendiderit quem ſolum habebat. nam ita alios omnes vicit. Hinc apparet quid valeat illud, quod nemo ſibi quicquam proprium eſſe duxerit, ſed habuerint omnia communia. Neque enim ſibi quiſque privatim ſuum habebat, ut eo ſolus frueretur, aliis neglectis: ſed prout neceſſe eſſet, parati erant in commune conferre. Jam vero pluſquam ferrea nobis viſcera eſſe oportet, quod non aliter hujus hiſtoriæ lectione afficimur. Tunc fideles de ſuo abunde largiebantur: nos hodie non contenti maligne ſupprimere quod in manu noſtra eſt, aliena crudeliter rapimus. Illi ſimpliciter & bona fide ſuum proferebant: nos mille excogitamus obliquas artes, quibus omnia hinc inde fraudulenter ad nos trahamus. Illi ad pedes Apoſtolorum offerebant: nos ſacrilega audacia, quod Deo oblatum erat prædari non veremur. Vendebant olim ſuas poſſeſſiones: nunc inſatiabilis regnat emendi cupiditas. Tunc quod proprium erat ſingulis, commune egenis faciebat charitas: nunc tanta eſt quorundam inhumanitas, ut communem terræ habitationem, communem aquæ, aëris, & cœli uſum pauperibus invideant. Quare hæc in pudorem ac dedecus noſtrum ſcripta ſunt. Quanquam pars hujus mali in ipſis pauperibus reſidet. Nam quum talis bonorum communicatio eſſe nequeat, niſi ubi viget pius conſenſus, regnatque cor unum & anima una; tantum in multis reperitur ſuperbiæ, vel ingratitudinis, vel ignaviæ, vel rapacitatis, vel hypocriſeos, ut benefaciendi ſtudium non modo extinguant quantum in ſe eſt, ſed facultatem prohibeant. Et tamen memoria tenenda eſt illa Pauli admonitio, ne benefaciendo fatigemur. Cæ- *Gal. 6. verſ. 9.*
terum quod hoc prætextu noſtro tempore tumultuati ſunt Anabaptiſtæ & fanatici homines, quaſi nulla civilis debeat eſſe bonorum proprietas inter Chriſtianos, hoc delirium breviter jam refutavi 2. cap. Nam neque hic univerſis legem præſcribit Lucas, quam neceſſe habeant ſequi, dum recitat quid egerint illi, in quibus ſingularis quædam Spiritus Dei efficacia ſe exeruit: nec ſine exceptione de omnibus loquitur, ut poſſit colligi non fuiſſe pro Chriſtianis habitos niſi qui ſua omnia venderent.

CAP. V.

CAP. V.

VIr autem quidam, Ananias nomine, cum Sapphira uxore ſua, vendidit poſſeſſionem.

2. Et ſubduxit de pretio, conſcia etiam uxore ſua: & partem offerens, ad pedes Apoſtolorum poſuit.

* Vel, Spiritum ſanctum. 3. Dixit autem Petrus, Anania, cur implevit Satan cor tuum, ut mentireris * Spiritui ſancto, & ſubduceres ex pretio agri?

4. Annon manens tibi manebat, & venditus in tua erat poteſtate? Qui factum eſt ut in corde tuo hanc rem poſueris? Non mentitus es hominibus, ſed Deo.

5. Ananias auditis his ſermonibus, cadens expiravit. Et factus eſt timor magnus ſuper omnes qui hæc audierant.

6. Porro juvenes qui aderant, collegerunt eum, & efferentes ſepelierunt.

1. Quæ hactenus retulit Lucas, cœtum illum qui ſub Chriſti nomen collectus fuerat, Angelorum magis quam hominum eſſe oſtendebant. Illa quoque incredibilis erat virtus, quod ſe ultro ſpoliabant divites non pecunia tantum, ſed etiam fundis, ut pauperibus ſuccurrerent. Nunc vero oſtendit, Satanam fraudem excogitaſſe qua penetraret in ſanctum illum cœtum: idque tam præclaræ virtutis prætextu. Miros enim habet flexus hypocriſis, quibus ſe inſinuet. Hac autem adoritur Satanas Eccleſiam Dei, ubi aperto Marte nihil proficit. Sed conſilium Spiritus ſancti hic maxime ſpectandum eſt. Teſtatum enim hac hiſtoria voluit, primo quam grata ſit Deo cordis ſinceritas, & quantæ abominationi fucum & pravam ſimulationem habeat: deinde quantopere illi probetur ſancta puraque Eccleſiæ ſuæ politia. Nam præcipuum caput eſt pœna quam Deus Ananiæ uxorique ejus inflixit. Ejus gravitas ut horrorem tunc omnibus incuſſit, ita nobis teſtimonio eſt, perfidiam hanc non poſſe ferri à Deo ubi mentiendo ſanctitatem, quæ nulla eſt, cum eo contemptim ludimus. Nam ſi poſt expenſas omnes circumſtantias, ſummam quærimus: non aliud crimen in Anania damnat Lucas, quam quod ficta oblatione Deum & Eccleſiam fallere voluit. Sed in hac fictione plura mala ſuberant: contemptus Dei, quem ſuæ pravitatis conſcium non reveretur: ſacrilega fraudatio, quia partem ex eo ſubducit quod ſacrum eſſe Deo profitebatur: perverſa vanitas & ambitio, quia poſthabito Dei judicio, hominibus ſe venditat: infidelitas, quia hanc viam illicitam non aggreſſus eſſet, niſi Deo diffiſus: pii ſanctique inſtituti corruptio. ipſa porro hypocriſis magnum per ſe erat malum. Acceſſit huc quoque obſtinata mentiendi audacia. Præclarum in ſpeciem & memorabile erat factum Ananiæ, etiamſi dimidiam tantum partem agri ſui dediſſet. Neque hæc parva eſt virtus, hominem divitem ex æquo ſua cum pauperibus
Prov. 15. verſ. 8. partiri. ſed abominabiles ſunt Deo impiorum victimæ: nec quicquam illi gratum eſſe poteſt, ubi abeſt
Luc. 21. verſ. 2. cordis ſimplicitas. Hinc fit ut duos aſſes à vidua oblatos pluris æſtimet Chriſtus, quam ingentes aliorum ſummas, qui ex magnis acervis erogant. Hæc cauſa eſt cur tam ſeveræ ultionis exemplum Deus in Anania ediderit. Nunc ſingula perſequamur.

2. *Poſuit ad pedes Apoſtolorum.*] Vide quid ambitio facit. Pudet Ananiam non haberi unum ex optimis. quamvis ergo pecuniæ ſit cupidus; ut famam acquirat inter homines, facultatum ſuarum parte ſe privat. Interea non cogitat ſe in Dei conſpectu mentiri ac fallere, & Deum hujus mendacii fore ultorem. Ita fit ut pedes Apoſtolorum magis honoret, quam Dei oculos. Quo magis cavendum eſt, ne in recte agendo theatri plauſum appetamus: nec vero fruſtra admonet Chriſtus, utile eſſe, quum damus eleemoſynam, neſcire manum ſiniſtram quid faciat dextera.

3. *Dixit autem Petrus.*] Unde Petro comperta erat fraus Ananiæ? Proculdubio ex revelatione Spiritus. Significat ergo Lucas, Apoſtolos ſuſtinuiſſe quodammodo Dei perſonam, ejuſque vices functos eſſe. Quod ſi Dei Spiritus per os hominis mortalis ita præciſe urget hypocritam, ſpecioſo alioqui virtutum colore fucatum; quomodo vocem ipſius Dei cum tubæ clangore reprobi ſuſtinebunt, quum ad ejus tribunal ventum fuerit? Porro, ſua interrogatione Petrus criminis atrocitatem deſignat, ubi dicit, *Cor* Ananiæ fuiſſe impletum à Satana. Nemo enim eſt cujus cor non pungatur ſtimulis Satanæ: obrepunt etiam ſingulis multæ tentationes, & in eorum animos penetrant: ſed ubi Satan cor occupat, regnum, veluti expulſo Deo, obtinet in toto homine. Hoc reprobi hominis ſignum, Satanæ ſic addici, ut Dei Spiritus nihil loci habeat. Quod de mendacio ſequitur, duplicem habere ſenſum poteſt: vel quod falſo præ ſe tulerit Spiritum, vel quod in Spiritum mentitus ſit. Et certe ad verbum eſt, *Spiritum mentiri*: ſed quum Græcum verbum ψεύσασθαι duplici accuſativo jungatur, idque contextui melius conveniat; ego quoque huc magis inclino, reprehendi Ananiam, quod Spiritui ſancto perfide illuſerit. quod paulo poſt confirmat, exprobrans quod Deo non hominibus mentitus ſit. Quo magis cavendum eſt, ne dominetur in nobis hypocriſis: cujus propria eſt iſta improbitas, velle Deum fallere, & veluti cornici, ut proverbio dicitur, configere oculos. quod ſine indigno ludibrio fieri non poteſt. Quare non immerito dicit Petrus, ubi hoc fit, cor à Satana eſſe poſſeſſum. Quis enim niſi omnis ſanæ rationis expers, tam contumelioſus in Deum eſſe auderet? Ideo Petrus quaſi de prodigio interrogat: quoniam horrenda eſt ejuſmodi cæcitas.

4. *Annon manens.*] Culpam exaggerat, eo quod nulla neceſſitate impulſus peccaverit. Nam quum nec hæc quidem ſatis juſta ſit excuſatio, aliunde fuiſſe incitatum; quanto deterius eſt ſponte ad malum ruere, & quaſi data opera ſibi accerſere Dei vindictam? Cæterum, hinc colligimus, nulli fuiſſe impoſitam legem ſua alienandi. Petrus enim liberam fuiſſe Ananiæ poteſtatem dicit tam retinendi agri, quam ſervandæ pecuniæ: quia in ſecundo membro *ager venditus* pro ipſo pretio capitur. Ergo ſuum retinendo, fidelis nihilominus habitus fuiſſet. Unde patet, omnino phreneticos eſſe qui fidelibus licere negant quicquam habere proprium.

Non mentitus es hominibus.] Tametſi diverſa eſt verborum ſyntaxis, non tamen dubito quin ſuperiorem ſententiam confirmet. Nam hypocritæ tot ſe involucris tegunt, ut putent ſibi non eſſe cum Deo negotium. Nominatim vero ſic Petrus loquitur, quia fucum Eccleſiæ fecerat Ananias. Atqui reputare debuerat, Ubi duo aut tres congregati Mat. 18.
ſunt in Chriſti nomine, illic eum adeſſe præſidem: verſ. 20.
nec ſecus in eo cœtu ſe gerere, quam ſi Deum oculis cerneret. Nam quum in Eccleſia regnare velit

 Deus,

9. *Ad tentandam Spiritum.*] Alia loquutione idem quod prius deſignat: nempe, quod irreligioſe & contemptim ludebant cum Deo. Sed eos *tentaſſe* Spiritum dixit, quia fraudem ſuam ſecure compoſuerant, acſi Dei Spiritus non eſſet cordium cognitor. Nimiæ enim ſocordiæ fuit, quum alter alterum ſceleris ſui conſciom faceret, quaſi Deo excluſo inter ſe paciſci. Tentari enim Deum Scriptura dicit, ubi vel ſua illi porentia eripitur, vel detrahitur rerum omnium cognitio. Porro, *Spiritum* iotelligit, qui Eccleſiam regebat per Apoſtolos. Nam quum dicit Chriſtus, Spiritus veniens judicabit muodum, non aliam juriſdictionis ſpeciem notat, niſi quam per Eccleſiæ miniſterium exercet.

11. *Factuſque eſt timor.*] Iterum repetit, pœnam unius fuiſſe omnibus documeoto. Sed hic nominatim duplicem timorem exprimit. Dicit *Eccleſiam* timuiſſe, quia fideles nunquam ſic perfecte timent Deum, quin judiciis ejus admoniti, magis adbuc proficiant. Itaque quotquot olim pœnas impiis legimus fuiſſe inflictas, & quotidie infligi cernimus, toties nos Deus metu revocat à peccandi illecebris & licentia. Sic enim ſubinde cohibenda eſt caro; quia vix frenum unum illi ſufficeret. Diverſus fuit in extraneis timor, non qui eos perduceret ad ſincerum uſque Dei cultum, ſed tamen qui cogeret Deo gloriam date.

12. Per manus autem Apoſtolorum fiebant ſigna & prodigia multa in populo. Et erant unanimiter omnes in porticu Solomonis.

13. Aliorum vero nemo audebat ſe illis adjungere: ſed magnificabat eos populus.

14. Magis autem accreſcebat multitudo credentium Domino, tam virorum quam mulierum.

15. Ita ut in plateas exportarent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabbatis, ut venientis Petri vel umbra obumbraret aliquem illorum.

16. Conveniebat & multitudo vicinarum civitatum Jeroſolymam, afferens ægros ac vexatos à ſpiritibus immundis: qui ſanabantur omnes.

12. Redit ad miracula diverſi generis quæ Euangelii magis propria ſunt: nempe quibus non potentiam modo ſuam Chriſtus teſtatur, ſed etiam bonitatem: ut gratiæ ſuæ dulcedine homines ad ſe alliciat. Venit enim ut ſervet mundum, non ut damnet. Quod ergo ſanantur infirmi, & liberantur alii à dæmoniis, hæc beneficia quæ præſtantur corporibus, repræſentant ſpiritualem Chriſti gratiam: itaque ſunt ex genuino ipſius officio, ut ita loquar. Formidabile illud ſignum quod editum fuit in Anania & Sapphira, quaſi accidentale erat. Narrat Lucas miraculis auctam fuiſſe Eccleſiam: quia fidei ſubſerviunt, ut diximus, alios præparando, alios confirmando. Unde rurſum probatur, quod alibi monui, nunquam ſeparanda eſſe à verbo miracula. Signorum multitudioem binc demonſtrat Lucas, quod ægroti paſſim in publicum afferebantur, ut ſanitatem reciperent. Sic enim Euangelium Filii ſui Deus illuſtrare voluit, præſertim inter ioitia: ut certo teſtatum eſſet Judæis, adeſſe illam omnium rerum ioſtaurationem, quæ toties promiſſa fuerat, & in qua ſpes omnes ſuas eſſe ſitas præ ſe tulerant. *Grabbatos*, ſatis ootum eſt, lectulos fuiſſe in qoibus meridiari ſolebant veteres. Quoniam facilior erat eorum exportatio, illic ægrotos locabant.

Et erant omnes unanimes.] Significat, certis horis convenire ſolitos, noo modo precum & doctrinæ cauſa, ſed ut alios lucrifacerent Domino, prout ſe occaſio dederat. Domi enim ſuæ quiſque degebat, ſed illic habebant ſuos conventus, ut certe nullum Eccleſiæ corpus aliter ſtare poteſt. Nam ſi quiſque ſibi privatim doctor eſſe velit, ac ſeorſum precari: nulli autem ſiot publici cœtus: quamlibet præclare inſtituta fuerit Eccleſia, collabi & mox peſſum ire neceſſe erit. Dicit fuiſſe *unanimes*, ut ſciamus ſponte omnes coluiſſe eum ordinem, nemioem fuiſſe refractarium, qui publico cœtu neglecto, intra privatos parietes ſe teneret. In quo non modeſtiæ tantum ſpecimen exhibebant, ſed etiam conſtantiæ. Non enim boc periculo carebat, quum locus eſſet tam celebris. Quo majori laude dignus fuit omnium conſeoſus ad diſcrimen ſubeundum.

13. *Aliorum vero nemo.*] Hic ſecundus fuit miraculorum fructus, quod infideles tam inſigni Dei potentia convicti, non audent Apoſtolos contemnere, quin potius Eccleſiam revereri coguntur. Videri tamen abſurdum illud poſſet, quod miraculis territi Deum & populum ejus fugiunt. Reſpondeo, ſua culpa fuiſſe impeditos, ne accederent. Neque enim dubium eſt, quin miraculis nos ad ſe Deus invitet. Ergo quicuoque couſque non proficioot, ut Dei gratiam, quæ illic relucet, cupide exoſculentur, illis obſtat mala cooſcientia. Eſt tamen bic aliquis fructus, quod Deus aliquem metum illis extorquet: quanquam hoc non tantum miraculis aſcribit Lucas, ſed potius omnia ſimul complectitur quæ ad Eccleſiæ dignitatem augendam facere poterant. Sic enim compoſita eraot omoia, ut divina quædam majeſtas illic refulgeret: nam ab aliis non ſecus differebant, quam Angeli ab bominibus. Eſt enim in ſancta diſciplina & in ſincero pietatis cultu arcana quædam σεμνότης, quæ malos etiam invitos conſtringat. Sed qualis ea ſit, hodie neſcimus: quin potius profana male vivendi licentia nos una cum Euangelio reddimus contemptibiles. Pœna etiam Ananiæ & uxoris non parum valebat terrendis impiis, ne temere prorumperent in eorum cœtum, ubi Deus tam ſeverum vindicem ſe oſtenderat. Notandum tamen eſt, medios homioes bic deſignari, & qui ex peſſimis non erant. Fuerunt enim tunc permulti Jeroſolymæ, quos nulla prorſus vel ſignorum, vel Angelicæ piorum ſanctitatis reverentia tangeret. Moderatos ergo homines intelligit Lucas, in quibus ſuberat aliquod timoris Dei ſemen: quales hodie videmus quoſdam, quos mundi quidem vanitas retinet, ne Chriſti jugum ſuſcipiant: ſed quia illis divinum aliquid ſubolet noſtra doctrina, religio illis eſt eam contemnere. Simul tamen apparet quam exitialibus laqueis detineat Satan omnes Chriſti Spiritu vacuos, ut non ſolum ſibi conſulere metuant, ſed conſulto fugitent oblata io ſalotem remedia. Vident & probant quæ & ſancta & utilia ſuot, & tameo vel io deteriora feruntur, vel in cœno ſuo torpent.

15. *Venientis Petri umbra*] Hoc prætextu abutuotur Papiſtæ, non modo ut ficta miracula commendent, quæ ad Martyrum ſepulchra fieri dicunt: ſed ut reliquias nobis ſuas venditent. Cur potius, inquiunt, ſanandi virtutem habuit Petri umbra, quam habebit ſepulcbrum, aut veſtis, vel etiam oſſium tactus? Reſpondeo, non protinus rectum debere cenſeri, quod à rudibus & puræ fidei ignaris factum eſſe narrat Lucas. Certior tamen in promptu eſt refutatio. Nam hac virtute ideo præditi fuerunt Apoſtoli, quod Euangelii miniſtri eſſent. Quatenus ergo ad promovendam Euangelii fidem intererat, hoc dono uſi ſunt: imo Deus vim ſuam non

minus in illorum umbra, quam ore exeruit. In miraculis de quibus garriunt Papiſtæ, adeo nihil affine eſt, ut ſint omnia potius contraria. Hic enim finis eſt, ut mundus à Chriſto abductus, ad Sanctos transfugiat.

17. Surgens autem ſummus Pontifex, & omnes qui cum eo erant, hoc eſt, ſecta Sadducæorum, repleti ſunt zelo:

18. Et injecerunt manus in Apoſtolos, poſueruntque eos in cuſtodiam publicam.

19. Angelus autem Domini nocte aperuit januam carceris, & educens eos, dixit,

20. Ite, & ſtantes loquimini in templo populo omnia verba vitæ hujus.

21. Hoc audito, ſub auroram ingreſſi ſunt in templum, & docebant. Adveniens autem ſummus Pontifex, & qui cum eo erant, convocarunt Concilium, & totum Senatum filiorum Iſraël: & miſerunt in publicum carcerem, ut adducerentur.

22. Miniſtri autem quum veniſſent, non invenerunt eos. Itaque reverſi, nunciarunt, dicentes,

23. Carcerem quidem invenimus clauſum cum omni diligentia, & cuſtodes ſtantes ad januam: aperto autem carcere, neminem intus invenimus.

24. Ubi audierunt hos ſermones, ſummus Pontifex, & præfectus templi, & Sacerdotes anxii erant ſuper his, quidnam hoc eſſet.

25. Porro, quidam adveniens, nunciavit illis, dicendo, Ecce, homines quos poſueratis in carcerem, ſtant in templo docentes populum.

26. Tunc abiens præfectus cum miniſtris, adduxit eos ſine vi. timebant enim populum ne lapidarentur.

17. Hactenus narravit Lucas, auctam fuiſſe Eccleſiam hominum numero, magnifice ornatam variis dotibus, miraculis excelluiſſe, floruiſſe denique illic modis omnibus Chriſti regnum: nunc incipit narrare, his de cauſis accenſam fuiſſe impiorum rabiem, ut de integro violentius ſævirent. Unde colligimus, quam cæco furore impellat eos Satan, quando conſpicua Dei virtute adeo non terrentur, ut audacius majoreque impetu ruant, ac ſe projiciant quaſi ad cælum ipſum evertendum. Hæc tanta cæcitas, ut eſt horribilis Dei ultio, monere omnes debet, ut ſe mature Deo ſubjiciant, ne & ipſi ſpiritu vertiginis correpti, dum impingunt contra Dei manum, ab ipſa conterantur. Sciamus interea, Deum ſic velle Eccleſiam ſuam bonis ſpiritualibus augere, ut tamen vexari ab impiis permittat. Ergo nos ſemper ad certamen paratos eſſe oportet. Neque enim diſſimilis eſt hodie noſtra ratio. Præcipue agnitio donorum Dei, quibus ſe nobis adeſſe teſtatur, animoſos reddere nos debet, ne terreat nos impiorum furor & audacia. Nam hæc conſolatio eſt non vulgaris, quum ſcimus Deum nobis adeſſe.

Qui cum eo erant.] Eos intelligit qui ſummo Pontifici conjunctiores erant, quorum uti conſilio ſolebat, & quos habebat ex toto ordine quaſi ſelectos, non judicio quidem, ſed factionis ſuæ amore & ſtudio: ut tunc abſque pudore hoſtiliter inter ſe certabant. Porro, Lucas iterum repetit, Sadducæos fuiſſe, penes quos tunc rerum omnium poteſtas erat: ut ſciamus totam Eccleſiæ gubernationem horrenda vaſtitate tunc fuiſſe confuſam, quum talis ſecta dominari potuerit. Sed in hoc ſcilicet extremum probrum Deus Synagogam demergi paſſus eſt, poſtquam inde Eccleſiam ſuam ſegregaverat, quo haberent minus excuſationis, qui ſpreto Euangelio, manerent in tali colluvie. Interea quid porcos iſtos impulit, quos nulla futuræ vitæ cura tangebat, niſi mera ambitio & libido retinendæ quam occupaverant dominationis?

Repleti ſunt zelo.] Verbum Græcum retinere malui (præſertim quum ſit alioqui ſatis tritum) quam Æmulationem reddere. Generaliter enim de perverſo ac violento impetu loquitur, quo feruntur & ardent hypocritæ ad ſuas ſuperſtitiones aſſerendas. Unde apparet quid valeat hominum zelus coram Deo, & quam mereatur laudem, ubi ratione & prudentia non regitur: hoc eſt, ubi Spiritum Dei non habet ducem. Hodie videmus diabolico furore percitos, qui præ aliis devoti haberi volunt, graſſari immaniter ad fundendum innoxium ſanguinem. Interea tamen notemus non de inconſiderato zelo hic agi, qualem in multis Judæis Paulus fuiſſe prædicat, ſed potius intelligimus fervidum & effrenem impetum. Quamvis enim ſibi male conſcii ſint reprobi, qui ſcientes oppugnant pietatem: fallaci tamen zeli ſpecie ſe decipiunt, quia juſtum ſit rebus novis occurrere. Ita hodie fere in toto Papatu ſolo zeli nomine ſeſe venditant: quum tamen zelotæ ſint ventris ſui. Sed ut demus verum eſſe quod obtendunt, quid hoc ad excuſandum ſævitiæ ardorem quo eos impellit ſua cæcitas? quaſi vero hæc ſumma ſit virtus, frena iracundiæ ſuæ laxare ad vindicandum quicquid diſplicet. Atqui hoc ordine prius erat, habere boni & mali diſcrimen, ne temere quicquam improbetur.

19. *Angelus autem Domini.*] Eduxit Apoſtolos Dominus ex carcere, non quod prorſus liberatos vellet ex manu hoſtium: poſtea enim retrahi iterum ipſos, virgiſque cædi paſſus eſt. Sed hoc miraculo teſtatum eſſe voluit, in manu tutelaque ſua ipſos eſſe, ad fidem Euangelio ſuo aſſerendam: partim ut nova inde confirmatio Eccleſiæ accederet: partim ut impiis tolleretur omnis excuſatio. Quare non ſemper ſperandum eſt, ac ne optandum quidem, ut Deus nos à morte eripiat: ſed contentos hoc uno eſſe decet, vitam noſtram ejus manu protegi quatenus expedit. Quod Angeli opera ad hoc utitur, id facit ex ordinario ſuo more: nam paſſim in Scriptura teſtatur, Angelos beneficentiæ erga nos ſuæ miniſtros eſſe. Neque ea eſt inanis ſpeculatio. Eſt enim hoc utile noſtræ infirmitatis ſubſidium, quod ſcimus non modo Deum curam habere noſtri, ſed ſpiritus etiam cæleſtes pro ſalute noſtra excubias agere. Deinde non vulgare hoc divini erga nos amoris pignus, quod creaturæ omnium nobiliſſimæ ad ſalutem noſtram curandam ordinatæ ſunt. Nocte autem Angelus carcerem aperit: quia miraculum coram impiorum oculis edere nolebat: quanquam editum vellet ex eventu ipſo agnoſci.

20. *Loquimini in templo.*] Hic eſt liberationis finis, ut ſtrenue operam ſuam impendere pergant in Euangelio prædicando, & animoſe laceſſant ſuos hoſtes, donec fortiter occumbant. Tandem enim peracto ſuo curſu, quieſcente Dei manu ad mortem tracti ſunt. Sed nunc Dominus illis carcerem aperit, ut liberi ſint ad munus ſuum exequendum. Id obſervatu dignum eſt, quia pleroſque videmus, ſi evaſerint ex aliqua perſequutione, obmuteſcere in

poſte-

poſterum, quaſi erga Deum defuncti ſint: alii etiam viam ſibi faciunt Chriſti abnegatione. Dominus autem ſuos liberat, non ut ceſſent ab incepto curſu, ſed magis ut in reliquum tempus plus fervoris concipiant. Poterant quidem objicere Apoſtoli, Satius eſt ſilere ad tempus, quando verbum abſque periculo non ſumus facturi. Nunc capti tenemur ob unam concionem, quanto magis poſthac inflammabitur hoſtium rabies, ſi viderint nullum nos finem facere? Sed quia vivendum Domino & moriendum eſſe norunt, non detrectant mandatum. Ita, quas nobis Deus partes injungat, ſemper reſpicere convenit. Multa ſæpe occurrent quæ animos noſtros debilitent, niſi ſimplici Dei mandato contenti, officio noſtro inſtemus, ſucceſſum illi commendantes.

Verba vitæ hujus.] Inſigne Euangelii elogium, quod vivifica ſit doctrina, ſalutem hominibus afferens. Patefit enim illic nobis Dei juſtitia, & Chriſtus (Rom. 1. verſ. 17.) illic ſe nobis offert cum ſacrificio mortis ſuæ, cum Spiritu regenerationis, cum divinæ adoptionis arrha. Atque hoc nominatim Apoſtolis dicitur, ut animoſius quævis certamina pro Euangelio ſubeant, quando audiunt ſe æternæ ſalutis miniſtros eſſe. Demonſtrativum apponitur, majoris certitudinis cauſa: acſi vitam digito monſtraret Angelus: ut certe non procul quærenda eſt ubi verbum habemus in ore & in corde. niſi forte per hypallagen quiſpiam accipere malit, *verba* vitæ hujus, pro *hæc verba*: quod non rejicio. ſed tamen prior ille ſenſus magis placet. Erat enim nova Chriſti revelatio, in quo vitam habebant præſentem.

21. *Adveniens autem ſummus Pontifex.*] Totum concilium nunc advocat Pontifex, ne ſi honorem ſectæ ſuæ deferens, alios prætereat, par non ſit oneri ſuſtinendo. Metu igitur ad convocandam multitudinem impellitur. Sedulo tamen & exacte juris formam retinet. Vocantur *Seniores*, penes quos regimen erat, ut nihil niſi de concilii ſententia & auctoritate agatur. Ex talibus initiis quis non ſperaſſet moderatum exitum? Et certe quemcunque poſſunt colorem obtendunt, ne vi & tyrannide videantur opprimere veritatem. Sed quum audiunt, docere in templo Apoſtolos, utcunque ſciant non fraude humana exiiſſe, ſed miraculo, non deſinunt inſtitutum ſuum perſequi. Unde apparet cum morum impietate & Dei contemptu horribilis veſania. Ergo nunquam ſpecioſi juris prætextus ſic tegunt hypocritas, quin malitiam tandem ſuam prodant. Ex omnibus circumſtantiis certo colligere debent, eſſe Dei opus quod carcer apertus fuit: palam tamen adverſus Deum furere non dubitant. Hæc tempori etiam noſtro conveniunt. Scimus quam ſuperbe futum illud axioma Papiſtæ jactent, Legitimis conciliis obediendum eſſe, quia Eccleſiam repræſentent. Legitima porro nominant & haberi volunt in quibus nihil deeſt ad externam formam. Atqui tale hoc erat de quo hic refert Lucas: quod tamen coactum fuiſſe ſcimus ad extinguendum Chriſti nomen. Quamvis enim fraude, vel ambitu, vel aliis malis artibus tunc Sacerdotes ad honorem obreperent, vel etiam pretio & mutuis cædibus perrumperent: ipſa tamen Sacerdotii dignitas adhuc durabat, Chriſto nondum patefacto. Erat in Seniorum conſeſſu, Eccleſiæ repræſentatio: verum ubi non quæritur Dei veritas, tota externa ſpecies nihil eſt quam mera larva. Fruſtra igitur Papiſtæ ſub umbra hujus clypei abominationes ſuas tegere conantur. Quia non ſufficit eos congregari qui Eccleſiæ præſunt, niſi hoc fiat in Chriſti nomine. Alioqui quum uſitatum ſit Satanæ artificium, ſe transfigurare in Angelum lu- (2 Cor. 11. verſ. 1, 4.) cis, dabimus illi quam poteſt optare aptiſſimam latebram ſub Eccleſiæ titulo.

26. *Adduxit eos ſine vi.*] De præfecto templi aliquid prius dictum eſt. Neque enim mihi probabile eſt permiſſum fuiſſe Judæis præficere templo quem vellent: ſed conſtitutum fuiſſe à Præſide provinciæ, qui templi cuſtodiæ præeſſet. Dicit autem adductos fuiſſe *ſine vi*, hoc eſt, non violenter attractos: ne ſeditio excitaretur. Ita quum Deum non timeant nec revereantur, ſibi ab hominibus metuunt. Modeſtia quoque Apoſtolorum in eo ſe oſtendit, quod quum ſepti ſint magno hominum numero, patiuntur tamen à miniſtris ſe deduci, ne ſint tumultus auctores.

27. Adductos autem eos ſtiterunt coram concilio: & interrogavit eos ſummus Pontifex,

28. Dicens, Annon præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine hoc? Et ecce, repleviſtis Jeroſolymam doctrina veſtra, vultiſque adducere ſuper nos ſanguinem hominis hujus.

28. Duo crimina ſummus Pontifex objicit Apoſtolis. Nam quia concilii decreto non paruerint, inobedientiæ & contumaciæ eos accuſat. In ſecundo membro malam conſcientiam prodit, vel ſaltem privatum ſe magis negotium, quam cauſam publicam agere demonſtrat. Conqueritur enim quod mortis Chriſti invidiam in Sacerdotes & Scribas transferre velint Apoſtoli. En itaque quid eos urat, quod impiæ cædis ultionem ac pœnam timent. Prætexit quidem initio doctrinam: ſed ex fine colligere licet, de doctrina non eſſe adeo ſollicitum. Interea ſeditionis accuſat Apoſtolos: nam pro confeſſo ſumit, Chriſtum jure occiſum fuiſſe. Præcipuum tamen accuſationis caput eſt, quod inobedientes fuerint Sacerdotum edicto. Summo Pontifici non obtemperare, capitale erat: quanto itaque magis ſpernere totum ordinem? Sed non reputat Pontifex quid Deo & Eccleſiæ viciſſim præſtare debeat: quaſi poteſtatem habeat legibus omnibus ſolutam, ea ad tyrannidem abutitur. Quemadmodum hodie nobiſcum agit Papa. nam quum ſibi effrene imperium arroget, non dubitat nos pro ſchiſmaticis damnare, ſimulac ſua decreta repudiari à nobis videt. Arripit enim iſtas ſententias, Qui vos (Luc. 10. verſ. 16.) ſpernit, me ſpernit: & inde conſequentiam deducit, nos eſſe Deo rebelles. Atqui, ut audiatur tanquam Chriſti legatus, ipſum ex Chriſti ore loqui oportet. Nunc quum palam Satanæ miniſtrum agat, ex Chriſti nomine auctoritatem ſine pudore & ſine colore mutuatur. Ipſa etiam loquendi forma qua utitur Pontifex, argumento eſt, quam ſupina ſit quidvis audendi licentia in ſpiritualibus tyrannis, qui dominationem ſibi uſurpant verbo Dei non ſubjectam. *Præcepto*, inquit, *præcepimus*. Unde tam præciſus rigor, niſi quia ſine diſcrimine excipiendum putant quicquid juſſerint?

29. Reſpondens autem Petrus & Apoſtoli, dixerunt, Obedire oportet magis Deo quam hominibus.

30. Deus Patrum noſtrorum excitavit Jeſum, quem vos ſuſpendentes in ligno, intereмiſtis.

31. Hunc Deus Principem & Servatorem exaltavit dextera ſua, ad dandam pœni-
tentiam Iſraëli, & remiſſionem peccatorum.

aut, rebus. 32. Noſque ejus teſtes ſumus de iis * verbis: inſuper & Spiritus ſanctus, quem dedit
Deus obedientibus ipſi.

33. His auditis diſſecabantur, & volebant occidere ipſos.

29. Hæc ſumma eſt defenſionis: Deum hominibus præferre licet, imo neceſſe eſt. Deus nos jubet Chriſto reddere teſtimonium: ergo fruſtra ſilentium nobis imperatis. Cæterum, quando locum habeat hæc ſententia, Deo magis obediendum eſſe quam hominibus, ſupra cap. 3. expoſui. Sic Deus nobis homines præficit cum poteſtate, ut ſuum ſibi jus integrum retineat. Eatenus ergo iis qui præſunt mos gerendus, ut non violetur Dei imperium. Ubi legitimus eſt poteſtatis uſus, intempeſtiva eſt Dei & hominis comparatio. Si fidelis Paſtor ex Dei verbo jubeat ac vetet, fruſtra objicient præfracti homines, Deo eſſe obediendum. Vult enim Deus per hominem audiri. Imo homo nihil aliud eſt, quam Dei organum. Si Magiſtratus rite officio ſuo fungatur, præpoſtere illum cum Deo quiſpiam committet, quum nihil habeat diſſentaneum. Quin potius tunc valet diverſa regula, Ut Deo obſequamur, parendum eſſe ejus miniſtris. eadem in parentibus & dominis ratio. Verum, ſimulatque à Dei obedientia nos abducunt præfecti, quoniam ſacrilega audacia cum Deo confligunt, cogendi ſunt in ſuum ordinem, ut Deus cum ſua auctoritate emineat. Tunc evaneſcunt omnes honorum fumi. Neque enim honorificis titulis dignatur homines Deus, qui ſuam gloriam obſcurent. Ergo ſi pater gradu ſuo non contentus, ſummum Patris honorem Deo eripere tentat, nihil aliud eſt quam homo. Si Rex aut Princeps, aut Magiſtratus euſque ſe extollit, ut Dei honorem ac jus minuat, non niſi homo eſt. Idem & de Paſtoribus ſentiendum. Qui enim munus ſuum transgreditur, quia Deo ſe opponit, ſpoliandus eſt honoris ſui titulo, ne ſub larva decipiat. Præclarum eſt Paſtoris munus, magna Eccleſiæ dignitas: verum ne quid Dei poteſtate Chriſtique magiſterio derogetur. Unde colligere promptum eſt, ridiculam eſſe Papæ jactantiam, qui dum pedibus calcat totum Chriſti regnum, & palam adverſus Deum inſurgit, vult tamen ſub Dei nomine latere.

30. *Deus Patrum.*] Ad hypotheſin deſcendunt, ut ſe non temere pro nihilo duxiſſe oſtendant, quod ſibi à Sacerdotibus mandatum fuerat. Neque enim, ut jam dixi, locum habet Dei & hominum comparatio, niſi quum aliquid eſt contrarium. Hinc ergo probant ſe Dei timore cogi ad repudiandum Sacerdotum mandatum: quia quod ii vetant, Deus jubeat. Primo itaque loco dicunt, Chriſtum fuiſſe à Deo *excitatum*, vulgari Scripturæ more. Paſſim enim occurrit hæc loquutio, Excitatos fuiſſe à Deo Prophetas, vel Judices, vel alios miniſtros, quibus ad magnum aliquod opus uti decrevit: quod tantundem valet atque imbecillam eſſe quamlibet naturæ præſtantiam, niſi peculiaribus donis eos Deus inſtruat, quibus eximium aliquod vel præclarum munus injungit. Forte etiam alludunt ad celebrem
Deut. 18. vers. 15. illum Moſis locum, quem in prima ſua concione
Petrus citavit. Nominatim *Deum Patrum* aucto-
ſupra, 3. vers. 22. rem citant, ut teſtentur ſe novam religionis formam minime inducere, aut novitium aliquem Deum obtrudere populo. Diluenda enim erat calumnia qua ſe gravari ſciebant: quaſi à Lege ac Prophetis populum abducere tentarent. Non quod cultum quemlibet à Majoribus receptum probent, ſicuti profani homines hoc ſolo argumento contenti ſunt, Patres ita docuiſſe, nihil ſe agere niſi ex more inſtitutoque Majorum: ſed hic Apoſtoli *Patres* intelligunt, quibuſcum fœdus ſuum Deus pepigerat, qui rectam puramque doctrinam ſequuti erant, qui ſalutis promiſſionem vera fide amplexi erant, qui denique originem ducebant à cœleſti Patre, & qui per Unigenitum erant communes Dei filii una cum ſuis poſteris.

Quem vos.] Hoc membro manifeſtos eſſe Dei hoſtes coarguunt Apoſtoli, qui ſibi tanquam Eccleſiæ præſulibus, ſummum haberi honorem volebant. Unde ſequitur, indignos eſſe qui vel minimum auctoritatis habeant. Quanquam ſimul eſt occupatio, ſignum fiduciæ, ubi ultro & libere prædicant quod illi pudendum ducebant: ne ſcilicet videatur quicquam imminutum de Chriſti gloria, quod ignominioſam in cruce mortem pertulit. acſi dictum eſſet, Vos quidem eum interemiſtis: nec ſimplex mors aut vulgaris, ſævitiæ veſtræ ſatis fuit: ſuſpenſus enim fuit in ligno. Sed neque mors extinguere ejus virtutem, nec dedecus illi à vobis inuſtum, ejus honorem abolere potuit. Firma igitur & rata manet Dei vocatio. Ergo ſicut Sacerdotibus ſcelus ab illis admiſſum & impietatem exprobrant Apoſtoli: ita ſpeciem probroſæ mortis qua affectus fuerat Chriſtus, per conceſſionem exprimere anticipant, ne ſceleris auctores quaſi parta victoria exultent.

31. *Hunc Deus Principem.*] Quicquid ergo machinati ſunt impii, non obſtare Apoſtoli ſignificant, quominus injunctum ſibi à Patre munus Chriſtus peragat. *Dextra Dei* pro Virtute hic capitur. Neque enim hic eadem eſt metaphora quæ prius cap. 2. & quæ alibi ſæpe occurrit, quum dicitur Chriſtus ad dexteram Patris evectus. ſed hujus loci ſenſus eſt, Chriſtum, qui manu hominum *occiſus fuerat*, Dei virtute in ſublime evectum eſſe, ut Angelis & hominibus imperet. Ac videtur cunctis Satanæ & mundi machinationibus tacite opponi: acſi diceret profectu carituras, quia nunquam ita alte tranſcendent, ut impediant Dei manum, qua & jam potenter operatus eſt in Filio unigenito, neque unquam deſinet. Finis tamen ſimul additur, ut ſit Dux & Servator. nam Deus quoties ſpem ſalutis dabat populo, promittere ſolebat Principem aut Regem, per cujus manum omnia in integrum reſtitueret. Hunc Principatum Apoſtoli teſtantur Chriſto datum eſſe. Altero tamen epitheto clarius exprimunt ejus officium. Summa eſt, Chriſtum in ſummo honoris gradu collocatum eſſe, ut populum Dei gubernet: neque id modo, ſed ducem ſalvificum vel ſalutis auctorem præſtet.

Ad dandam pœnitentiam.] Modum hic oſtendunt quo regnat Chriſtus in populi ſalutem: quum ſcilicet ad pœnitentiam adducit ſuos, & peccatorum remiſſione cum Deo reconciliat. Porro his duobus contineri ſcimus totam Euangelii ſummam. Quare Apoſtoli non tantum hic in cauſæ ſuæ defenſione inſiſtunt, ſed de Chriſti officio luculenter concionantur, ut aliquos etiam, ſi fieri poteſt, ex infeſtis pietatis hoſtibus lucrifaciant. Porro, quid valeat nomen *Pœnitentiæ*, prius dictum eſt: nempe, quod ſit interior hominis ad Deum converſio, quæ ſe poſtea externis operibus demonſtrat. Nam ideo Spiritum regenerationis affert nobis Chriſtus, ut nos intus renovet: quo novitatem mentis & cordis ſequatur deinde nova vita. Quod ſi in Chriſtum competit manus dandæ pœnitentiæ, ſequitur non eſſe rem in hominis facultate poſitam. Et certe quum ſit mirifica quædam reformatio, quæ nos facit novas creaturas, imaginem Dei in nobis reparat, à peccati ſervitute in obſequium juſtitiæ traducit: nihilo ſe magis convertere homines poterunt, quam ſeipſos creare.

Eſt

Eſt quidem pœnitentia, voluntaria converſio: ſed unde hæc voluntas, niſi quod Deus cor noſtrum mutat, ut ex lapideo fiat carneum: ex duro & *Ezec. 11. verſ. 19.* præfracto flexibile: ac denique ex pravo rectum? Id autem fit, quum nos Chriſtus ſuo Spiritu regenerat. Nec vero hoc unius momenti donum eſt, ſed quotidie tota vita augeri oportet, donec plene adhæreamus Deo: quod tunc fiet demum, ubi carnem noſtram exuerimus. Eſt quidem hoc pœnitentiæ initium, quum homo, qui prius à Deo averſus erat, ſibi & mundo renuncians, novam vitam inſtituit. Sed quia viam ingreſſi, procul à meta diſtamus, aſſidue progredi neceſſe eſt. utrumque conſequimur Chriſti beneficio. Nam ſicut pœnitentiam in nobis incipit, ita & perſeverantiam donat. Hæc quidem ineſtimabilis eſt gratia: ſed parum prodeſſet, niſi conjuncta cum peccatorum remiſſione. Nam & hoſtes Dei nos primum invenit Chriſtus, & ſemper hærent in nobis vitia, quæ diſſidium inter nos & illum faciant: ut merito nobis infenſus ſit magis quam propitius. In eo autem juſtitia conſiſtit, ſi peccata nobis Deus non imputat. Ergo hæc poſterior gratia à priori disjungi nunquam debet. Quin potius mutilum erit & corruptum Euangelium, niſi duobus his membris conſtet: hoc eſt, niſi doceantur homines gratuita juſtitiæ imputatione ſe Deo reconciliari per Chriſtum, & regenerationis Spiritu refingi in novam vitam. Ita breviter tenemus, quomodo obtinenda ſit in Chriſto ſalus.

32. *Noſque ejus teſtes.*] Poſtquam teſtati ſunt profectam à Deo eſſe ſuam doctrinam, nunc ad alteram partem deſcendunt: ſe non loqui niſi à Deo juſſos, ne temere quicquam aggredi videantur. Fuit enim hæc quoque neceſſaria defenſio: ſicuti eſt omnibus Euangelii miniſtris. nempe, ut teſtatum faciant, nihil ſe proferre in medium, quod non à Deo acceperint. Deinde ad hoc ſe vocatos eſſe, ut docendi neceſſitatem effugere nequeant, quin Deo ſint rebelles. *Verba* hic pro rebus ſecundum phraſin Hebraicam poſuit Lucas. Quanquam ſi de ipſo ſermone accipere magis libeat, non repugno. Summa eſt, ubi à Deo producti ſunt teſtes, fas non eſſe tergiverſari quin promulgent quod ille præcepit.

Inſuper & Spiritus.] Ab effectu vocationem ſuam confirmant. Erat enim hoc quaſi ſigillum approbandæ eorum doctrinæ, quum Deus Spiritu ſancto credentes donaret. Siquidem hinc conſtabat, probari illi ac gratam eſſe Euangelii fidem. Quod dicunt, *obedientibus* ipſi, ego ad Chriſtum refero: acſi dictum eſſet, Qui in Chriſtum credunt, amplam à Deo referunt obedientiæ ſuæ mercedem. Vult ergo Deus Chriſto obediri: quare & noſtrum etiam re miniſterium illi placet. Quæri tamen poteſt, quum fidem habeamus ex Spiritus revelatione, quomodo hic dicatur poſt fidem dari. Reſpondeo, donum linguarum, prophetiæ, interpretationis, ſanationum, & ſimilia notari, quibus Eccleſiam ſuam tunc Deus ornabat. Sicuti & apud Paulum, ubi in- *Galat. 3.* terrogat Galatas, ex Lege ne acceperint Spiritum, an *verſ. 12.* ex auditu fidei. Ita illuminatio Spiritus fidem præcedit, quia ejus cauſa eſt: ſed poſtea aliæ gratiæ ſequuntur ad profectum: juxta illud, Habenti dabi- *Mat. 13.* tur. *verſ. 12.* Nos quoque ſi velimus novis ſubinde donis Spiritus ditari, fidei ſinum aperiamus Deo. Sed longe diverſum præmium hodie reportat noſtra incredulitas, quod bona pars Spiritu Dei deſtituta, nihil ſapit aut videt.

33. *Diſſecabantur.*] Debuerant permoveri Sacerdotes, etiamſi ferrei eſſent cordibus: ſed rumpuntur. Unde colligimus, nihil valere aut proficere quaſvis rationes apud reprobos, ut in Dei obedientiam flectantur. Niſi enim Deus intus loquatur, externa doctrina nihil aliud quam aures verberare poterit. Efficere potuerunt Apoſtoli, ut hoſtes victi obmuteſcerent: ſed adeo non fuit domita vel correcta eorum ferocia, ut magis inſaniant. Simul tamen notanda eſt verbi efficacia: quia tametſi reprobos non mutat in melius, penetrat tamen in eorum corda, ut eorum conſcientias urgeat. Nam inde furor, quod ſe à judice ſuo premi ſentiunt. Libenter illuderent totum Euangelium: ſicuti nihil non agunt, ut poſſint illud pro nihilo ducere: ſed ineſt occulta quædam majeſtas, quæ omnes illorum delicias violenter diſcutit. Præſertim vero quum clangore tubæ ad Dei tribunal citantur, tunc rabies apparet.

34. Surgens autem quidam in concilio Phariſæus, nomine Gamaliel, Legis doctor, pretioſus toti populo, juſſit pauliſper educi Apoſtolos foras.

35. Tunc dixit illis, Viri Iſraëlitæ, attendite vobiſipſis, quantum ad homines iſtos quid ſitis facturi.

36. Nam ante hos dies ſurrexit Theudas, dicens ſe aliquem eſſe magnum, cui conſenſit numerus hominum circiter quadringentorum: qui periit, & diſſipati ſunt omnes qui illi obedierant, redactique in nihilum.

37. Poſt hunc ſurrexit Judas Galilæus in diebus deſcriptionis, & abduxit populum multum poſt ſe: ille quoque periit, & omnes qui illi paruerant, diſſipati ſunt.

38. Nunc itaque dico vobis, Abſtinete ab his hominibus, & ſinite eos. Nam ſi ex hominibus eſt hoc conſilium vel hoc opus, diſſolvetur.

39. Sin vero ex Deo, non poteſtis diſſolvere: nequando etiam cum Deo pugnare reperiamini.

34. Jam narrat Lucas qualiter Dominus illum impiorum furorem diſſipaverit. Habebant in animo interficere Apoſtolos: Gamaliel ſe medium interponit, ut inſanam illam conſultationem abrumpat. Porro circumſtantias notat, ut ſciamus quomodo tantum vir unus potuerit contra multos. Dicit fuiſſe *Phariſæum*: quæ ſecta erat in præcipua æſtimatione, ut ſcimus. Dicit fuiſſe *in pretio* apud populum: illi autem populum timebant. Hinc fit, ut contra ejus ſententiam minus audeant. Ita plerumque Deus ſubitos terrores ex inopinato hoſtibus ſuis opponit, ad ſiſtendam eorum violentiam. Porro, jubet Gamaliel Apoſtolos ſecedere, ne majorem ex verbis ſuis audaciam concipiant. Neque enim veriſimile eſt, ideo ſic loquutum eſſe, quia probaret Euangelii doctrinam, vel ejus patrocinium ſuſcipere vellet: ſed quia alios omnes videt rabie accenſos, vir humanus & moderatus medio ſermone exceſſum illum temperat. Cæterum, ſiquis omnia rite expendat, indigna eſt homine prudenti ſententia. Scio quidem à multis haberi pro oraculo: ſed eos perperam judicare vel hinc ſatis clare patet, quod hoc modo abſtinendum eſſet ab omnibus pœnis, nec amplius ullum maleficium corrigendum. Imo repudianda quælibet vitæ ſubſidia, quam ne momento quidem prorogare in arbitrio noſtro eſt. Vere quidem utrumque dicitur, Non poſſe ullis homi- *Joan. 13. verſ. 4.* num ſtudiis diſſolvi quod ex Deo eſt: quod autem

eſt

eſt ex hominibus, minus firmum eſſe quam ut conſiſtat. Sed hinc perperam colligitur, ceſſandum interea eſſe. Potius videndum eſt quid nobis Deus mandet: vult autem maleficia per nos coërceri. In hunc finem inſtituit Magiſtratus, eoſque gladio armavit. In hunc finem Seniores Eccleſiæ ſuæ præfecit, qui in ordinem protervos cogant, nec patiantur impune graſſari peccandi licentiam. Perperam itaque colligitur ceſſandum nobis eſſe, quia Deus per ſe ad mala tollenda ſufficiat. Quanquam integrum conſilium tale eſt. Admonet Gamaliel, ne bellum cum Deo ſuſcipiant Scribæ & Seniores. Loquitur autem quaſi de re dubia. unde apparet jam à fundamento eum nihil habere firmi: quando in cauſæ qualitate ſuſpenſus hæret, nec ſtatuere audet, bonane an mala ſit, ſed tantum ad tempus differri jubet, donec melius de cauſa liqueat. In ſumma, Gamaliel ex veris principiis perverſam conſequentiam deducit: quia quod fidei tantum ſervire debet, ad externum officium & agendi rationem perperam accommodat. Ex oppoſito, hæc ſit noſtra Dialectica. Quod ex Deo eſt, etiam toto mundo invito, neceſſe eſt ſtare: ergo intrepide adverſus quoſvis Satanæ & hominum inſultus conſiſtere debet fides, quæ æterna Dei veritate fulcitur: etiamſi cœlum ruat, in tuto eſt ſalus noſtra, quæ Deum auctorem & cuſtodem habet: quia regnum Chriſti Deus tuetur, nulla unquam vi everti poterit: quæ in Deo fundata eſt Euangelii doctrina, utcunque eam oppugnent vel quatefaciant homines, firma nihilominus manebit. Rurſum, quantumvis ſatagant impii, nulloſque non moveant lapides ut Eccleſiam perdant, quantumvis furioſe oppugnent Chriſtum & ejus Eccleſiam, non tamen prævalebunt: quia Dei proprium eſt, hominum conſilia diſſipare. atque hoc modo eorum temeritatem ulciſcitur. Videmus fidei recte aptari utrumque membrum. Sed interea non eſt quod minus ſeduli eſſe debeant Chriſti ſervi in veritate aſſerenda: cur Eccleſiam ſua ignavia collabi ſinant: cur reſides conniveant ad eorum improbitatem qui ſurſum ac deorſum omnia volvere conantur.

36. *Surrexit Theudas.*] Si fides habetur Joſepho, hic veram hiſtoriæ ſeriem invertit Gamaliel. Narrat enim ille Judam Gaulanitem, ex oppido Gamala ortum, Quirinio, vel Cyrenio Proconſule, tumultuatum eſſe cum ſuis, ne cenſus ageretur: Theudam vero, Cuſpio Fado Procuratore, ſe venditaſſe pro Dei Propheta. Fadus autem à Claudio Cæſare in Judæam miſſus fuerat. Prior hiſtoria lib. 18. Antiquitatum refertur: altera autem viceſimo. Sed exiſtimo Lucam, quum dicit, *poſt hunc exiit* Judas, non notare temporis ordinem, quaſi poſterior fuerit; ſed quum duo exempla ſimilia proferret Gamaliel, non habito temporis reſpectu, promiſcue miſcere potuit. Itaque particula *poſt*, tantundem valet atque inſuper vel præterea. Porro ne hæc quidem exempla quibus ſententiam ſuam confirmat Gamaliel, præſenti cauſæ ſatis congruunt. nam, quia non ſtatim obviam itum eſt Judæ, multis cladibus occaſionem dedit ſeditio ab ipſo mota: & tandem manu & armis cohibitus fuit. Theudas etiam longe plus nocuiſſet, niſi Cuſpii Fadi induſtria mature eſſet profligatus. Sed hoc tantum reſpicit Gamaliel, infauſtos eſſe exitus, quum ſe temere ingerunt homines: idque fieri juſta Dei vindicta. Cæterum, quia Deum recte monentem audire renuunt impii Sacerdotes, digni ſunt quos frivolis rationibus obſtupefaciat homo ſtulta perplexitate in diverſa vacillans. Porro ex temporum ſupputatione colligere licet, duodecim ut minimum annos fluxiſſe è morte Chriſti, antequam Apoſtoli cæderentur. nam quinque annis, qui reſtabant ex Tiberii imperio, addendi ſunt tres & dimidius, quibus regnavit Caligula. Fadus à Claudio in Judæam miſſus eſt non ante ſecundum vel tertium imperii annum. Rem geſtam commemorat Gamaliel, non uno aut altero poſt die. Ergo conficitur illud quod dixi temporis ſpatium. Quo præſtantior fuit Apoſtolorum conſtantia, qui quum poſt diuturnos labores obitos tam indignam mercedem reportent, non tamen franguntur, neque deſinunt curſum ſuum perſequi.

Aliquem eſſe magnum.] Alii codices habent, Dicens ſe eſſe aliquem: eodem tamen ſenſu. Nam ſe Prophetam jactabat, qui Jordanem, ad præbendum ſuis tranſitum, ſiccare poſſet. Interea videmus quam longe abſit à recta cognitione Gamaliel, qui impoſtoribus & latrunculis confert ſanctos Chriſti miniſtros: etſi poſtea verba mitigat, & in meliorem partem inclinans, in medio relinquit, an Deo auctore cauſam hanc ſuſceperint. Dubitanter tamen loquitur, quia diſquiſitione ſubmota tantum otio conſulit. Hoc tantum in ejus ſermone probandum, quod impios deterret ab impia audacia, quia nihil magis formidabile quam Deo adverſari.

40. Paruerunt autem illi: & quum advocaſſent Apoſtolos, cæſis præceperunt ne loquerentur in nomine Jeſu, & dimiſerunt eos.

41. Illi ergo ibant gaudentes à conſpectu concilii, quod digni eſſent habiti, qui pro nomine ejus ignominiam paterentur.

42. Et quotidie in templo & per ſingulas domos non ceſſabant docere & annunciare Jeſum Chriſtum.

40. *Cæſis præceperunt.*] Dicit receptum fuiſſe Gamalielis conſilium: verberantur tamen Apoſtoli, & docere prohibentur. Hinc colligimus quanta fuerit hoſtium rabies, qui jam placati vel ſaltem mitigati, adeo tamen intemperanter ſe gerunt. Simul etiam apparet quam infeliciter cedant media conſilia, in quibus poſthabita Dei veritate tantum hominibus proſpicitur. Impetrat quidem Gamaliel ne vitæ Apoſtolorum parcatur, ſed interim contumelia afficitur Filius Dei in illorum perſona: æterno ſilentio, quantum eſt in hoſtibus, ſepelitur Euangelii veritas. Deus quidem hac ratione mirabiliter propagat verbum ſuum: conſilium tamen illud pravum eſſe non deſinit. Quod ideo notandum eſt, quia hodie plerique non leve ſe Deo obſequium præſtare putant, ſi modo ſalvam relinquant vitam iis qui ob Euangelii doctrinam periclitantur, vel flectant ad lenitatem hoſtes alioqui ſanguinarios: interea ad ſceleratam Chriſti abjurationem eos adigere non verentur, cujus confeſſio longe coram Deo pretioſior eſt quam omnium hominum vita. ſed quid facerent, qui omiſſa pietatis cura, humanitatis officio ſe apud Deum redimere volunt?

41. *Illi ergo ibant gaudentes.*] Non putandum eſt adeo ſtupidos fuiſſe Apoſtolos, quin dedecus ſentirent, ac dolerent etiam mali ſui ſenſu: neque enim naturam prorſus exuerant: ſed quum reputarent cauſam, prævalebat gaudium. Ita dupliciter affectos eſſe oportet fideles, quoties perſequutionem pro Euangelio ſuſtinent: ut malorum quidem acerbitate pungantur, ſpirituali tamen gaudio triſtitiam hanc ſuperent. Nam mox retro vela flexiſſent, niſi novum vigorem dediſſet ex gaudio nata alacritas. Non dubium, quin Petro mors quoque perinde ſuavis & jucunda fuerit, quam tamen Dominus ei acerbam fore teſtatur. Diſcamus ergo, cum dolore & anxietate luctandum eſſe, ut læti ad obeundam crucem pergamus, & nobis impoſitam feramus.

Quod

Quod digni eſſent habiti.] Hoc prima ſpecie abſurdum videri poſſet, quod honorem in dedecore conſtituit Lucas: ſed hoc facit diſcrepantia inter mundum & Deum, ut quod maxime probroſum apud homines ducitur, coram Deo ejuſque Angelis magna dignitate & gloria excellat. Scimus mortis genus quod Chriſtus pertulit, fuiſſe præ aliis ignominioſum, & tamen in cruce nobiliſſimum triumphum egit: ita quum illi configuramur, merito poſſumus gloriari eſſe hoc inſignis præſtantiæ, quod
Galat. 6. ſumus coram mundo probroſi. Sic Paulus Chriſti
verſ. 17. ſtigmata prædicat. Nam hic cauſa reſpici debet, quæ nos Filio Dei aſſociat, qui non modo ſua gloria dedecus mundi abſorbet, ſed contumelias, probra, & ludibria in ſummum honorem convertit. Quare non mirum eſt tam paucos ad ferendam crucem fortes & ſtrenuos inveniri, quia omnes fere carnis ſenſu obtuimur: ignominiam vero Chriſti omnibus mundi triumphis præſtare, vix centeſimus quiſque apprehendit, quæ unica eſt conſolationis materia. Quo major in meditanda hac ſententia eſt adhibenda ſedulitas, nos hodie conformari Chriſti paſſionibus, ut gloriæ ejus ſocii & conſortes ſimus.

42. *Non ceſſabant.*] Gaudio comes etiam acceſſit conſtantia. Unde enim fit ut nos frangat & exanimet perſequutio, niſi quia nullus ſe ad Chriſtum erigit, ut jam fructum victoriæ animo præſumens ad tolerantiam inſtigetur? Qui autem beatum ſe reputat quum pro Chriſto patitur, nunquam deficiet, quantumvis dura certamina obeunda ſint. Ergo Apoſtoli verberibus quodammodo armati fuerunt, ut intrepide ad mortem properarent. Væ ergo noſtris deliciis, qui minima perſequutione defuncti, quaſi jam emeriti eſſemus milites, facem ſtatim aliis reſignamus.

CAP. VI

IN diebus autem illis, creſcente numero diſcipulorum, ortum eſt murmur Græcorum adverſus Hebræos, quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano illorum viduæ.

* vel, non præſtat.

2. Duodecim itaque advocata multitudine diſcipulorum, dixerunt, Non placet, * derelicto ſermone Dei, nos miniſtrare menſis.

3. Diſpicite ergo, fratres, viros ex vobis teſtatæ probitatis ſeptem, plenos Spiritu ſancto & ſapientia, quos præficiemus huic negotio.

4. Nos autem precationi & miniſterio ſermonis incumbemus.

5. Placuit ſermo univerſæ multitudini: & elegerunt Stephanum, virum plenum fide & Spiritu ſancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum proſelytum Antiochenum.

6. Hos ſtatuerunt coram Apoſtolis: & precati, impoſuerunt illis manus.

1. Hic refert Lucas qua primum occaſione & quo conſilio, deinde quo ritu creati fuerint Diaconi. Dicit autem, quum *exortum* eſſet murmur inter diſcipulos, hoc remedio ſedatum eſſe, quemadmodum vulgari proverbio dicitur, Ex malis moribus ortas eſſe bonas leges. Poſſet autem mirum videri, quum tam præclarum ſit hoc & Eccleſiæ neceſſarium munus, cur non ſponte ab initio in mentem Apoſtolis venerit Diaconos inſtituere, & cur Dei Spiritus non illis dederit ejuſmodi conſilium, quod nunc tanquam coacti accipiunt. Verum quod accidit, & tunc fuit melius, & ad exemplum hodie quoque magis nobis prodeſt. Si de eligendis Diaconis loquuti eſſent Apoſtoli antequam ulla neceſſitas id flagitaret, minus propenſum habuiſſent populum: viſi fuiſſent laborem & moleſtiam fugere: non tam liberaliter multi in aliorum manus obtuliſſent. Ergo oportuit experimento convinci fideles, ut libenter Diaconos eligerent, quibus ſe videbant carere non poſſe: & quidem propria culpa. Nos vero ex hac hiſtoria primum diſcimus, non ita ſtatim formari poſſe Eccleſiam quin aliquid corrigendum reſtet, nec poſſe tantæ molis ædificium primo die ſic abſolvi, ut non aliquid ad perfectionem addi poſſit. Diſcimus præterea nullum eſſe tam ſanctum & laudabile Dei inſtitutum, quod non hominum vitio vel depravari vel minus utile reddi contingat. Miramur nunquam res in mundo tam bene eſſe comparatas, ut non ſemper mali aliquid bonis ſit admixtum: ſed hoc facit ingenii noſtri pravitas. Erat ille vere divinus ordo quem Lucas prius retulit, quum omnium facultates Deo ſacratæ, in commune diſtribuerentur: quum Apoſtoli, tanquam Dei & pauperum œconomi, eleemoſynis præeſſent. Atqui paulo poſt exoritur murmur quod rationem iſtam conturbet. Hic illa, quam dixi, vitioſitas hominum apparet, quæ nos non patitur bonis noſtris uti. Simul obſervandum eſt Satanæ artificium, qui, ut donorum Dei uſum nobis auferat, hoc aſſidue ſatagit ac molitur, ne purus & integer maneat: ſed aliis incommodis permixtus, veniat in ſuſpicionem, poſtea in faſtidium, ac tandem aboleatur. Verum Apoſtoli ſuo exemplo nos docuerunt ejuſmodi Satanæ machinis minime cedendum eſſe. Neque enim murmure offenſi, miniſterium, quod Deo placere ſciunt, tollendum ſtatuunt è medio: ſed remedium excogitant potius, quo tollatur offenſio, & retineatur quod Dei eſt. Sic omnino agere convenit. nam quicquid offendiculorum excitet quotidie Satan, prudenter cavendum eſt, ne ſalutaria alioqui inſtituta nobis excutiat.

Creſcente numero.] Nihil magis optandum, quam ut Eccleſiam ſuam Deus augeat, ac undique quam plurimos aggreget ad ſuum populum: ſed obſtat ingenii noſtri corruptela, ne quid omni ex parte ſit beatum. Nam ex Eccleſiæ incrementis multa ſimul incommoda naſcuntur. Nam difficile eſt in turbam non obrepere multos hypocritas, quorum non ſtatim detegitur malitia, donec ſua contagione gregis partem infecerint. Multi etiam improbi, protervi, diſſoluti, fallaci pœnitentiæ prætextu ſe inſinuant. Atque ut innumera alia taceam, nunquam inter multos tam facile convenit: ſed pro morum varietate diverſa ſunt ſtudia: ut vix unum & idem omnibus ſimiliter placeat. Hoc ſcandalum facit, ut multi ſibi deligere cupiant paucos Eccleſiæ loco, multitudinem faſtidiant, vel etiam oderint. Verum nulla moleſtia, nullum tædium tanti eſſe debet, quin ſemper nobis cordi ſit Eccleſiæ augmentum, quin propagare ipſam ſtudeamus, quin foveamus, quantum in nobis eſt, cum toto corpore unitatem.

Græcorum murmur.] Hinc apparet non fuiſſe plene Spiritu Dei regenitos, quibus diſſidii occaſio eſt gentis & patriæ diſcrimen; nam in Chriſto ne- Galat. 3.
que Judæus eſt, neque Græcus. proinde iſta æmula- verſ. 28.
tio carnem & mundum reſipit. Quo magis videndum eſt ne quid tale unquam nobis obrepat. Aliud vitium ſequitur, quod indignationem ſuam murmure declarant.

declarant. Porro an vera fuerit queremonia, incertum eſt. Nam quum Græcos *murmuraſſe* dicit Lucas, quod eorum viduis non habebatur honor, non quid re ipſa factum fuerit, ſed quid ſenſerint illi, refert. Fieri autem poteſt, quum Judæas præferrent Apoſtoli quia notiores erant, Græci ſuas falſo putaverint contemni tanquam extraneas. Atque hoc magis probabile videtur. Nomen quoque *miniſterii* bifariam exponi poteſt, active vel paſſive. Scimus enim initio Eccleſiæ delectas fuiſſe viduas ad diaconiam. Ego tamen potius exiſtimo conqueſtos fuiſſe Græcos, quod minus benigne ſuis viduis ſubveniretur. Ita Miniſterium erit quotidiana illa diſtributio quæ fieri ſolebat.

2. *Duodecim advocata multitudine.*] Quod non magis excandeſcunt Apoſtoli, tolerantiæ & æquitatis eſt: quod mature naſcenti malo occurrunt, nec differunt remedium, prudentiæ eſt ac piæ ſollicitudinis. Diſſenſio enim omnis ac ſimultas poſtquam vires collegit, vulnus eſt ad ſanandum difficile. Ex convocatione apparet ordine & ratione gubernatam fuiſſe Eccleſiam, ut penes Apoſtolos eſſet auctoritas, cum plebe tamen communicarent ſua conſilia. Obſervandum etiam, diſcipulos poni pro fidelibus aut Chriſtianis, in quibus impleri debet illud Iſaiæ, Omnes edoctos eſſe à Deo. Item illud Jeremiæ, Omnes cognituros Deum à minimo uſque ad maximum.

Non placet.] Græce habetur οὐκ ἀρεστόν. Quo nomine Græci nunc quod aliis præſtat & tanquam melius præferendum eſt, nunc quodvis placitum deſignant. Ego Apoſtolos potius cenſeo quid utile ſit referre, quam ſimpliciter quid decreverint. Cæterum, ſi non expedit hac cura ipſos involvi, jam videntur aliquam in eo culpam agnoſcere, quod hactenus miniſtraverint. Et certe verum eſt illud, Prudentiæ uſum eſſe patrem. Quare nihil abſurdi erit, ſi dixerimus Apoſtolos, poſtquam experti ſunt munus illud ſibi non congruere, ab Eccleſia petere ut liberentur. Verum ſi qua erat culpa, neceſſitati magis quam illis imputari debuit. Neque enim cupide onus hoc arripuerant: ſed quum alia ratio nondum extaret, ſe ultra modum gravari malebant, quam pauperes negligi. Cæterum, quum negant *æquum* eſſe relicto ſermone Dei ſe occupari in curandis pauperibus, ſignificant ſe utrique oneri ſuſtinendo impares eſſe, ut alterutrum omittere neceſſe habeant. Perinde enim eſt acſi dicerent, Si vultis noſtro miniſterio frui in Euangelii prædicatione, liberate nos à cura pauperum, quia utrique muneri ſubeundo non ſufficimus. Atqui videtur hoc intempeſtive ab illis dici, quia prius non reliquerant docendi provinciam, tametſi eleemoſynis præerant. Reſpondeo, quum adminiſtratio confuſa eſſet, ſic fuiſſe implicitos, ut non poſſent toti in doctrinam incumbere, ſicuti par erat. Munus ergo recuſant quod à libera & ſolida docendi cura eos abſtrahit. Neque tamen intelligamus eos penitus abjeciſſe pauperum curam, ſed levationem quæſiiſſe, ut ſuo muneri intenti eſſe poſſent. Interea oſtendunt verbi miniſterium ſic operoſum eſſe, ut hominem prorſus detineat, neque aliis negotiis vacare ſinat. Quod ſi rite perpenſum fuiſſet, longe aliter diſtributa fuiſſet in Eccleſia ratio. Diaconiæ prætextu largas opes ingurgitarunt Papales Epiſcopi: interea variis negotiis ſe implicuerunt: quibus, ſi ſinguli decem haberent capita, vix ſufficerent. Ea tamen eſt improbitas, ut Eccleſiam conſiſtere negent poſſe, niſi in hac abyſſo demerſam: nec ſe Apoſtolorum ſucceſſores jactare deſinunt, quum nihil magis contrarium eſſe appareat. Id quidem prudentes caverunt, ne menſarum cura occupati, ſuas delicias relinquere cogerentur. Quiſque enim de propria menſa ſollicitus, ab aliis vacationem ſibi ſumit. Verum, omiſſis illis, ſententiam hanc in uſum noſtrum notemus. Scimus quam ſancta res ſit pauperum curam gerere. Quum ergo Euangelii prædicationem Apoſtoli præferunt, inde colligimus oullum hoc eſſe gratius Deo obſequium. Simul tamen difficultas monſtratur, quum ſe duobus iſtis officiis pares eſſe negant. Nos certe illis non ſumus præſtantiores: proinde quiſquis ad docendum vocatus eſt, Spartæ ſuæ ornandæ (ut eſt in proverbio) totum ſe addicat. Nihil enim magis proclive, quam ut in ſegnitiem labamur. Deinde caro ſpecioſos prætextus ſuppeditat, ut ſe à munere ſuo abduci non ſtatim ſentiant qui ſe extraneis negotiis involvunt. Quare, ut ſibi inſtent miniſtri, hanc ſententiam ſubinde memoria repetant, qua teſtantur Apoſtoli, quum ad docendi munus vocati ſint, poſthabendam ſibi eſſe pauperum curam. Quam ergo excuſationem habebunt profanæ occupationes, vel privati commodi gratia ſuſceptæ, ubi cedit quod alioqui in parte non ultima divini cultus cenſetur?

3. *Diſpicite ergo, fratres.*] Jam perſpicimus quorſum creati fueriot *Diaconi*. Nomen quidem ipſum generale eſt, proprie tamen pro œconomis pauperum accipitur. Unde apparet quam licentioſe Deo & hominibus Papiſtæ illudant, qui ſuis Diaconis non alias aſſignant partes, niſi ut patenam & calicem tractent. Certe longa diſputatione opus non eſt, ut probetur nihil commune ipſos vel conſentaneum habere cum Apoſtolis. Verum hac de re ſi plura volent lectores, ex noſtra Inſtitutione petere licebit. Cap. 8.
Quod ad præſentem locum ſpectat: primum electio permittitur Eccleſiæ. Eſt enim tyrannicum, ſi unus quiſpiam miniſtros ſuo arbitrio conſtituat. *Ergo* hæc legitima eſt ratin, communibus ſuffragiis eligi qui publicum aliquod in Eccleſia munus obituri ſunt. Præſcribunt autem Apoſtoli, quales deligi oporteat: viros ſcilicet probatæ fidei, prudentia & aliis Spiritus donis præditos. Atque hoc inter tyrannidem & confuſam licentiam medium eſt, ut nihil quidem agatur niſi ex conſenſu & approbatione plebis: Paſtores tamen moderentur, ut eorum auctoritas inſtar freni ſit ad cohibendos plebis impetus, ne ultra modum exultent. Interea hoc notare operæpretium eſt, legem imponi fidelibus, ne quem niſi idoneum præficiant. Deo enim non levem injuriam facimus, ſi fortuito quoslibet accipimus, qui domum ejus gubernent. Ergo adhibenda eſt ſumma religio, ne quis ad ſacram Eccleſiæ functionem ſumatur, niſi qui experimentum ſui dederit. Numerus ſeptenarius tantum ad præſentem neceſſitatem accommodatus fuit: ne quis myſterium aliquod ſubeſſe putet. Quod dicit Lucas, *plenos Spiritu & ſapientia*, ſic interpretor, Requiri ut inſtructi ſint cum aliis Spiritus gratiis, tum vero prudentia, ſine qua probe exerceri munus illud non poteſt: tum ut ſibi ab impoſturis & fraudibus eorum caveant, qui ad mendicitatem nimis propenſi, exſugunt quod fratrum egeſtati neceſſarium erat: tum ab eorum calumniis, qui etiamſi nulla ſit occaſio, obtrectare non deſinunt. Eſt enim provincia illa non laborioſa modo, ſed obnoxia ſiniſtris murmuribus.

4. *Nos autem precationi.*] Rurſum oſtendunt ſibi ſatis ſuperque alias fore negotii, in quo ſe tota vita exerceant. Huc enim apte quadrat vetus proverbium, quod olim in ſacris uſurpatum fuit, Hoc age. Itaque verbo προσκαρτερήσομεν utuntur, quod velut affixum eſſe alicui rei diſtrictumque ſignificat. Non eſt ergo quod ſe defunctos putent Paſtores, ſi aliquantum temporis docendo quotidie conſumpſerint. Aliud ſtudium, alius fervor, alia aſſiduitas exigitur, ut vere gloriari poſſint in eam rem ſe intentos eſſe. Adjungunt *precationem*, non quod ſoli precari debeant (eſt enim commune iſtud piorum omnium exercitium) ſed quia peculiares habent præ aliis orandi cauſas. Nemo quidem eſt qui non de communi Eccleſiæ ſalute debeat eſſe ſollicitus: quanto itaque magis Paſtor, cui partes iſtæ nominatim

injunctæ

injunctæ ſunt, anxie pro ipſa laborare debet? Sic
Exod. 17. Moſes alios quidem ad preces hortatus eſt, ſed tan-
verſ. 11. quam anteſignanus præibat. Nec fruſtra Paulus to-
Rom. 1. ties precum ſuarum mentionem facit. Deinde venire
verſ. 10. ſemper illud in mentem debet, nos arando, ſerendo,
1 Cor. 3. & rigando operam luſuros, niſi è cœlo incrementum
verſ. 7. proveniat. Non ergo ſatis fuerit ſtrenuam docendo operam navare, niſi à Domino ſimul benedictio petatur, ne infructuoſus ſit & irritus labor. Hinc apparet non fruſtra precandi ſtudium commendari verbi miniſtris.

5. *Stephanum plenum fide.*] Non ideo fidem à Spiritu ſeparat Lucas, quaſi non ipſa quoque ſit donum Spiritus: ſed per *Spiritum* alias dotes quibus ornatus erat Stephanus, deſignat: quales ſunt zelus, prudentia, dexteritas, fraternus amor, diligentia, integritas bonæ conſcientiæ: præcipuam deinde ſpeciem exprimit. Significat ergo excelluiſſe Stephanum in primis fide, & deinde aliis virtutibus, ut plane conſtaret ipſum abundare Spiritus gratia. Alios non ita laudat, quia proculdubio inferiores erant. Quia etiam magno conſenſu veteres tradunt hunc Nicolaum, qui unus fuit ex ſeptem, illum
Apoc. 2. eſſe cujus Joannes in Apocalypſi meminit: nempe,
verſ. 25. turpis ac flagitioſæ ſectæ auctorem: quum mulieres proſtitui vellet. Quo minus torpere nos convenit in aligendis Eccleſiæ miniſtris. nam ſi eos quoque fallit hominum hypocriſis qui ad cavendum ſummopere advigilant, quid ſecuris & negligentibus fiet? Interea ſi adhibito quod decet ſtudio, nos tamen falli contingat, ne ultra modum turbemur, quum huic malo obnoxios fuiſſe etiam Apoſtolos Lucas referat. Quæret aliquis, quidnam ergo profuerit axhortatio? quid preces? quando eventus ipſe oſtendit non gubernatam in totum fuiſſe electionem à Spiritu Dei? Reſpondeo, hoc magnum eſſe quod Spiritus in ſex hominibus eligendis judicia direxerit: quod in ſeptimo paſſus eſt Eccleſiam errare, non debere videri abſurdum. Sic enim nos variis modis humiliari convenit: partim ut nos mali & improbi exerceant: partim ut eorum exemplo moniti, diſcamus nos penitus excutere, nequi ſint in nobis occulti fraudis receſſus: partim ut magis attenti ſimus ad diſcernendum, & quaſi perpetuo ſimus in excubiis, ne fraudulenti ac perfidi homines nos circumveniant. Fieri etiam poteſt ut fuerit ad tempus utile Nicolai miniſterium, poſtea in illum prodigioſum errorem prolapſus ſit. Quod ſi ille ex tam honorifico gradu ita cecidit: quo quiſque noſtrum altius evectus fuerit, cum modeſtia & timore Deo ſe ſubmittat.

6. *Precati, impoſuerunt illis manus.*] Impoſitio manuum ſolenne conſecrationis ſymbolum erat ſub Lege. In hunc finem nunc Apoſtoli manus Diaconis imponunt, ut ſe offerri Deo agnoſcant. Quia tamen inanis per ſe eſſet ceremonia, ſimul additur precatio, qua fideles Deo commendant quos illi miniſtros offerunt. Refertur quidem hoc ad Apoſtolos: neque enim totus populus Diaconis manus impoſuit: ſed quum Apoſtoli preces Eccleſiæ nomine conciperent, alii etiam ſua vota addiderunt. Hinc colligimus manuum impoſitionem, quum Apoſtolis in uſu fuerit, ritum eſſe ordini & decoro congruentem: nec tamen quicquam habere per ſe efficaciæ aut virtutis, ſed vim & effectum à ſolo Dei Spiritu pendere. Quod etiam generaliter de omnibus ceremoniis ſtatuendum eſt.

7. Porro ſermo Dei creſcebat, & augeſcebat valde numerus diſcipulorum Jeroſolymis: multaque turba Sacerdotum obediebat fidei.

8. Stephanus autem plenus fide & potentia, edebat prodigia & ſigna magna in populo.

9. Surrexerunt autem quidam ex ſynagoga quæ vocabatur Libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorum, & eorum qui ex Cilicia erant & Aſia, diſputantes cum Stephano.

10. Et non poterant ſapientiæ reſiſtere, & Spiritui quo loquebatur.

7. Iterum Eccleſiæ incrementa Lucas prædicat, quo melius in continuo progreſſu gratiam & virtutem Dei illuſtret. Hoc quidem jam præclarum erat Dei opus, repente & quaſi momento excitatam eſſe Eccleſiam: ſed hoc non minori admiratione dignum, quod opus à ſe inchoatum inter tot obſtacula promovet, quod eorum numerus augetur, in quibus minuendis, adeoque tota ſtirpe profliganda, mundus tantopere laborat. Quod dicit, *ſermonem Dei* creviſſe, ſenſus eſt, longius fuiſſe propagatum. Dupliciter creſcere dicitur ſermo Dei, vel quum ad ejus obedientiam novi diſcipuli accedunt, vel prout quiſque noſtrum in eo proficit. Hic de priore creſcendi modo agit Lucas. nam ſe continuo poſt exponit, quum de numero diſcipulorum loquitur. Hoc tamen fidei augmentum ad unam urbem reſtringit. Nam etſi credibile eſt alibi quoque ſparſos fuiſſe diſcipulos, nullum tamen præterquam Jeroſolymis erat certum corpus.

Multaque turba.] Quum proprie loquendo fides noſtra obediat Euangelii doctrinæ, metonymica eſt loquutio quum dicit Lucas, Obediſſe fidei. nam pro Dei verbo & ipſa Chriſtianiſmi profeſſione, *fidei* nomen accipit. *Sacerdotes* vero nominatim refert, quia ut plurimum adverſi erant: quo magis admirabile fuit Dei opus, quorundam duntaxat, nedum multorum converſio. Hac enim inſultatione initio ferociebant contra Chriſtum ipſum, An quiſquam ex principibus crediderit in eum? Sed turba hæc quæ non novit Legem, maledicti ſunt.

8. *Stephanus autem.*] Hic novum Eccleſiæ certamen Lucas refert: unde apparet Euangelii gloriam ſemper cum cruce & variis moleſtiis conjunctam fuiſſe. Hæc autem ſumma eſt, in perſona unius hominis impetitam fuiſſe Eccleſiam. Unde factum eſt, ut majorem audaciam ſumerent hoſtes; & imbuti innoxio ſanguine, ſolito atrocius ſævirent. Antea enim ultra carcerem & virgas progreſſi non fuerant. Verum ut ſciamus tam in vita quam in morte Stephani, glorificatum fuiſſe Chriſti nomen, initio dicit Lucas, *plenum fide* & potentia fuiſſe. Quo ſignificat inſignem fuiſſe ejus fidem, & excelluiſſe miraculorum virtute. Neque enim imaginanda eſt fidei perfectio, quia plenus fide dicatur: ſed hic mos loquendi Scripturæ non eſt inſolens, Plenos vocare Dei donis, qui illis abunde præditi ſunt. *Potentiam* pro facultate edendi miracula, ſine controverſia accipio. *Fides* non modo intelligentiæ donum, ſed zeli quoque ardorem comprehendit. Hac præſtantia quum celebre eſſet ejus nomen, inde factum eſt ut impiorum rabies uno quaſi impetu in eum verſa fuerit. Nam prout ſe exerit ac profert vis & gratia Spiritus, ſimul uſitatum eſt concitari Satanæ furorem. Patebit autem ex contextu, Stephanum in ſpargenda Euangelii doctrina ſedulum & animoſum fuiſſe: verum hoc non ſubticet Lucas, contentus fidem laudaſſe, quæ ignava & ſopita jacere non potuit.

9. *Surrexerunt autem quidam.*] Hoc perſequutionis exordium fuit, quod impii, poſtquam diſputando

fruſtra ſe Chriſto opponere tentarunt, ubi priorem illum conatum irritum vident, ad calumnias & tumultus confugiunt: ac tandem prorumpunt ad vim uſque & cædes. Ergo *ſurgendi* verbo ſignificat Lucas, eos de quibus loquitur, doctrinam Euangelii lingua oppugnaſſe, nec ſtatim Stephanum traxiſſe ad judicium, ſed prius contrariis diſputationibus fuiſſe aggreſſos. Eos porro hoſpites fuiſſe ſignificat qui vel negotiandi cauſa, vel diſcendi ſtudio in Judæa agebant. Partim ergo Cyreoenſes, partim Alexandrinos, partim Cilicas, partim Aſiaticos fuiſſe commemorat. Omnes ex ſynagoga Libertinorum fuiſſe dicit. Probabile eſt civium Romanorum libertos ſuis ſumptibus extruendam curaſſe Synagogam, quæ peculiaris eſſet Judæis qui Jeroſolymam ex provinciis commeabant. Ergo qui per Dei gratiam illuc adducti tanto cupidius amplecti Chriſtum debebant, eum primi oppugnant, & velut claſſico inflammant aliorum rabiem. Ac multis poſtea locis oſtendet Lucas, provinciales Judæos in primis ſanæ doctrinæ infeſtos, & in movendis turbis maxime virulentos fuiſſe. Multos commemorat, quo illuſtrior ſit veritatis victoria, dum multi ex variis regionibus collecti, ab uno homine ſuperati diſcedunt: neque enim dubium eſt quin obmuteſcere cum pudore coacti fuerint. Jam fides & miracula gratiam Stephano & dignitatem conciliaverant: nunc diſputatoribus ita reſpondet, ut longe appareat ſuperior. *Sapientiam & Spiritum*, quibus impares fuiſſe illos narrat, non ponit tanquam res diverſas. ſic igitur voces iſtas reſolve, Non poterant reſiſtere ſapientiæ quam Spiritus Dei ſuggerebat. Exprimere enim voluit Lucas, non fuiſſe utrimque humanitus pugnatum: ſed ideo fractos fuiſſe hoſtes Euangelii, quia cum Spiritu Dei, qui per os Stephani loquebatur, illis erat certamen. Cæterum, quum eundem Spiritum Chriſtus omnibus ſervis ſuis promiſerit, tantum bona fide pro veritate pugnemus, & os ab eo ac ſapientiam petamus: & ſatis erimus ad loquendum inſtructi, ne unquam vel acumen vel garrulitas hoſtium nos pudefaciat. Ita noſtro ſeculo tam efficax fuit Spititus in ore Martyrum qui ad ignis ſupplicium rapiebantur, & eundem quotidie adhuc vigorem profert, ut quum homines eſſent idiotæ, ſummos Papatus Theologos ſola voce non minus quam fulmine attonitos redderent.

11. Tunc ſubornarunt viros qui dieerent, Audivimus hunc proferentem verba contumelioſa in Moſen & Deum.

12. Commoverunt autem populum & Seniores & Scribas. Et invadentes corripuerunt eum, & adduxerunt in concilium.

13. Statueruntque falſos teſtes qui dicerent, Homo iſte non ceſſat loqui verba contumelioſa adverſus locum hunc ſanctum & Legem.

14. Audivimus enim eum dicentem quod Jeſus hic Nazarenus deſtruet locum hunc, & mutabit inſtituta quæ nobis tradidit Moſes.

15. Et quum omnes qui ſedebant in concilio, intuiti eſſent in eum, viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli.

11. Proſtrati Spiritus virtute diſputationem omittunt, ſed ſubjiciunt falſos teſtes, qui eum calumniis opprimant. unde apparet eos mala conſcientia pugnaſſe. Quid enim magis indignum, quam in mendaciis cauſæ ſuæ præſidium conſtituere? Fingamus hominem alioqui nocentem: non tamen falſis teſtimoniis eſt opprimendus. Verum hypocritæ zeli ſui prætextu ſecure in eo ſibi indulgent. Videmus ut hodie Papiſtæ ſcientes depravent apertos Scripturæ locos, dum falſo teſtimonia in nos torquere volunt. Fateor quidem inſcitia ut plurimum peccare: ſed nemo eorum reperietur, qui non ſibi permittat & ſenſum & verba Scripturæ corrumpere, ut doctrinam noſtram odioſam reddat. pro ſuggeſtu etiam prodigioſas calumnias in nos confingunt. Si Rabbinos iſtos interroges, ſitne fas hominem calumniari, in genere quidem negabunt: ſed ubi ad nos ventum eſt, bonus zelus eos excuſat, quia nihil illicitum eſſe putant, quod nos & cauſam noſtram gravare poſſit. Ergo in mendaciis, perfidia & canina impudentia ſibi blandiuntur. Ejuſmodi hypocriſis eos quoque excæcavit, quos hic Lucas refert falſis teſtimoniis ad perdendum Stephanum abuſos eſſe. Nam ubi regnum obtinet Satan, non modo ad crudelitatem reprobos inſtigat, ſed oculos quoque perſtringit, ut omnia ſibi licere putent. Præſertim hoc exemplo docemur, quam periculoſus ſit boni zeli color, niſi à Spiritu Dei regatur: nam ſemper in furioſam inſaniam erumpit, & interim quibuſcunque ſceleribus tegendis mira eſt larva.

14. *Audivimus.*] Satis ex defenſione Stephani conſtabit, nunquam de Moſe vel templo niſi honorifice loquutum eſſe. Et tamen non fuit objectum hoc illi convitium de nihilo. Legis enim abrogationem docuerat. Sed in eo falſi ſunt teſtes & ad mentiendum ſubornati, quod bene & pie dicta conſulto depravant. Ita Chriſtus ſe purgare coactus eſt, quod non veniſſet ad *Legem ſolvendam*: quia quum de abrogandis ceremoniis concionatus eſſet, hoc improbi alio trahebaot, quaſi abolere totam Legem vellet. Improbe quoque ad templum Jeroſolymitanum torſerunt hoſtes quod de corpore ſuo dixerat. Quid? annon Paulo objectum eſt, eum docere facienda eſſe mala, ut eveniant bona? Quare non eſt quod hodie miremur, tam calumnioſe rapi in ſiniſtrum ac perverſum ſenſum, quæ pie, recte & utiliter docemus. Quin potius ita ſtatuendum eſt, nunquam ita caute & moderate Euangelii doctrinam poſſe tractari, quin ſit calumniis obnoxia. Semper enim Satan, qui mendacii pater eſt, in officium ſuum incumbit. Deinde quia multa ſunt diſſentanea à ratione carnis, nihil magis hominibus eſt proclive, quam calumnias admittere, quæ genuinum & ſincerum doctrinæ ſenſum adulterent. Hæc quidem Satanæ malitia, & hæ inſidiæ, cautiores & magis intentos reddere nos debeot, ne quid nobis præpoſterum, vel minus proprie & apte dictum excidat, quo ipſi ad pugnandum armentur. Sollicite enim improbis præcidenda eſt quam captant occaſio. Cæterum, ſi doctrinam rite & pie à nobis explicatam, videmus pravis calumniis corrumpi, deformari & lacerari, non eſt quod nos cœpiſſe pœniteat, vel cur reddamur in poſterum tardiores. Neque enim æquum eſt nos à virulentis Satanæ morſibus tutos & immunes eſſe, quos ne Filius quidem Dei cavere potuit. Noſtrum interea eſt diſcurere ac diluere mendacia quibus gravatur Dei veritas: ſicut videmus Chriſtum ab injuſta ignominia Euangelii doctrinam vindicare. Tantum animo & ſtudio ita ſimus compoſiti, ne iſta indignitas curſum noſtrum impediat. Quoniam docemus ſic vitiatos eſſe homines, ut prorſus ſint peccati & malarum cupiditatum mancipia: inde hoſtes calumniam excudunt, quod homines negemus

ſponte

ſpoote peccare, ſed aliunde ad malum impelli, ut nihil culpæ ſuſtineant: inſimulant etiam extingui à nobis bene agendi ſtudium. Quia ſanctorum opera propria dignitate meritoria eſſe negamus, quod ſemper aliquid vitii aſperſum habeant, cavillantur bonorum & malorum diſcrimen à nobis tolli. Quia hominis juſtitiam in ſola Dei gratia repoſitam eſſe dicimus, nec alibi quieſcere pias animas poſſe quam in morte Chriſti: laxari hoc modo carni habenas objiciunt, oe quis amplius ſit Legis uſus. Dum nos ſuum Chriſto honorem aſſerimus, quem ipſi io mille fruſta laceratum inſtar prædæ huc illuc, prout libitum eſt, diſtribuunt, oos Sanctorum eſſe hoſtes fingunt. Pro Spiritus libertate, nos carnis licentiam quærere mentiuntur. Sacram Chriſti Cœnam dum reſtituere conamur in purum & legitimum uſum, eam à oobis everti ac deſtrui impudenter clamitant. Alii etiam qui more Academicorum omnia convellunt, quia plauſibile oon eſt quod de arcana Dei Prædeſtinatione ex Scripturis tradimus, odioſe criminantur, nos Deum facere tyrannum, qui ſe oblectet perdendis innoxiis homioibus, utpote qui nondum natos morti æternæ jam addixerit: & quæ in hanc partem dici poſſunt: quum tamen ſatis ſuperque convicti ſint nos reverenter de Deo ſentire, neque aliter loqui quam ipſe ore ſuo docet. Grave quidem ac durum eſt, talem invidiam ſubire: non tamen propterea deſerendum nobis eſt bonæ cauſæ patrocinium. Pretioſa enim eſt Deo ſua veritas, &
2 Cor. 2. verſ. 16. eſſe nobis debet: quamvis reprobis odor ſit mortis in mortem. Sed jam ad Stephani accuſationem redeo, cujus hoc præcipuum eſt caput, quod blaſphemus in Deum & Moſen fuerit. Merito communem Dei & Moſis injuriam faciunt: quia nihil Moſes io ſua doctrina proprium vel à Deo ſeparatum habuit. Probant: quia contumelioſe loquutus ſit adverſus templum & Legem. Porro blaſphemiam in eo ſtatuunt, quia finem templo & ceremoniis, Chriſti adveotu dixerit eſſe impoſitum. Non eſt credibile ſic loquutum fuiſſe Stephanum, ut referunt: ſed bene ac pie dicta maligne torquent, ut colorem inducant falſæ accuſationi. Cæterum etiamſi in verbis nihil mutaſſent, adeo tamen nullam templo & Legi injuriam fecit Stephanus, ut non potuerit melius veris laudibus ornare. Judæi de templi honore actum putabant, niſi perpetuo duraret umbratilis ejus ſtatus: irritam & nullius momenti eſſe Legem Moſis, niſi ceremoniæ perpetuo vigerent. Atqui in hoc magis conſiſtit templi præſtantia & ceremoniarum utilitas, dum ad Chriſtum referuntur, tanquam ad primarium ſuum exemplar. Ergo utcunque accuſatio aliquid coloris habeat, iniqua tameo eſt ac perverſa. Cæterum, quamvis in quæſtionem veniat factum: hoc eſt, an ita res habeat quemadmodum adverſarii inſimulant: ſtatus tamen proprie eſt qualitatis. Stephanum enim accuſant quia mutandam eſſe docuerit cultus Dei formam, quæ tunc recepta erat: & hoc in Deum & Moſen blaſphemiam eſſe interpretantur. Ergo de jure, ut loquuntur, potius quam de facto diſceptatio eſt. Quæritur enim an adverſus Deum & Moſen injurius & impius ſit, qui templum viſibile admonet eſſe imaginem excellentioris ſanctuarii, in quo habitat plenitudo Deitatis: & Legis umbras temporales eſſe docet.

Jeſus iſte Nazarenus.] Contemptim ita loquuntur de Chriſto, acſi deteſtabilis eſſet ejus memoria. Ioterea colligi poteſt ex eorum calumniis, Stephanum in Legis abrogatione oppoſuiſſe umbris corpus, & figuris ſubſtantiam. Nam ſi per Chriſtum abolentur ceremooiæ, ſpiritualis eſt earum veritas. Judæi, qui perpetuas eſſe volebant, nihil in illis reputabant niſi craſſum, carnale, terrenum & oculis expoſitum. In ſumma, ſi perpetuus eſſet ceremoniarum uſus, caducæ eſſent ac evanidæ: quia nihil præter externam ſpeciem haberent: ita nihil ſubeſſet ſolidi. Itaque hæc vera eſt earum perpetuitas, dum Chriſti adventu abrogantur: quia hinc ſequitur, vim & effectum earum in Chriſto conſtare.

Mutabit inſtituta.] Non dubium eſt quin de ceremoniali tantum parte hoc Stephanus intelligeret: ſed ut ſolent homines externis pompis magis inſiſtere, perinde accipiunt iſti quod dictum eſt, acſi totam Legem in oihilum redigeret Stephanus. Præcipua quidem Legis præcepta de ſpirituali Dei cultu, de fide, juſtitia & judicio erant: ſed iſti, quia pluris faciunt externos ritus, per excellentiam *inſtituta* Moſis nominant qui de ſacrificiis ritus præcipiuntur. Hoc ab initio mundi fuit ingenium, & erit uſque in finem. Quemadmodum hodie Papiſtæ nullum agnoſcunt Dei cultum, niſi io ſuis larvis. Quanquam multum à Judæis differunt, quod pro Dei inſtitutis nonniſi frivola ſequuntur hominum commenta.

15. *Quum intuiti eſſent.*] Uſitatum eſt in judiciis, oculos io reum convertere, quum expectatur ejus defenſio. Dicit autem Lucas Stephanum Angelo viſum eſſe ſimilem. Hoc de nativâ facie non dicitur, ſed potius de præſenti vultu. Nam quum pallere ſolent facies reorum, quum balbutiant loquendo, & alia trepidationis ſigna edant, Lucas nihil tale fuiſſe in Stephano docet: ſed quod potius majeſtas quædam io eo refulſit. Scriptura enim ſimilitudinem ab Angelis hoc ſenſis interdum mutuari ſolet, ut 1 Sam. 24. & 2: 14. & 19.

1 Sam 24. verſ 9. 2 Sam. 14. verſ 17 2 Sam. 19. verſ. 27.

CAP. VII.

DIxit autem ſummus Sacerdos, Hæcne ita habent?
2. Reſpondit ille, Viri fratres & patres audite, Deus gloriæ viſus fuit patri noſtro Abrahæ, quum eſſet in Meſopotamia, priuſquam habitaret in Charran:
3. Et dixit illi, Exi è terra tua & è cognatione tua, & veni in terram quam tibi monſtravero.
4. Tunc egreſſus è terra Chaldæorum, habitavit in Charran. Illinc, poſtquam mortuus erat pater ejus, tranſtulit eum in terram hanc, quam vos nunc incolitis.

1. Adhuc in ſummo Sacerdote & concilio fucus aliquis æquitatis apparet: & tamen in ejus verbis eſt iniquiſſimum præjudicium. Neque enim quas habuerit ſic docendi cauſas interrogat, neque ad juris defenſionem (quæ tamen præcipua erat) ipſum admittit: ſed præciſe quærit an verba illa, qualiacunque ſint, protulerit Stephaous. quemadmodum hodie Papiſtæ qualis ſit doctrina, & an ex Scripturis probari queat, quærere non ſuſtinent: ſed tantum hoc quærunt, an auſus fuerit aliquis contra eorum ſuperſtitiones mutire, ut convictum protinus Vulcaoo devoveant. Porro Stephani reſponſio, prima ſpecie abſurda & inepta videri poſſet. Primum ab ovo (ut aiunt) orditur: deinde verboſam narrationem texit, in qua nulla fere præſentis cauſæ ſit mentio. Nihil autem magis vitioſum, quam multa verba profundere & extra rem vagari. Verum quiſquis propius expendet, facile animadvertet, nihil eſſe in hoc longo ſermone ſupervacuum: & Stephanum appoſite, ut cauſa poſtulat, loqui. Accuſatus fuerat

tanquam apoſtata, qui religionem ac cultum Dei evertere tentaret. Sedulo igitur inculcat ſe Deum illum retinere, quem ſemper coluerunt Patres. Ita impiæ defectionis crimen avertit: hoſtes autem ſuos nihil minus quam Legis zelo impelli oſtendit. Simulabant enim nihil ſibi eſſe propoſitum quam Dei gloriam augere. Hanc itaque mendacem jactantiam illis extorquet. Quoniam autem patres ſemper in ore habebant, & turgebant gentis ſuæ gloria, oſtendit etiam Stephanus, hinc nullam ipſis eſſe ſuperbiendi cauſam: quin potius tot ac tanta fuiſſe patrum vitia, ut eos pudefieri & humiliari deceat. Quantum ad præcipuum cauſæ ſtatum & cardinem attinet, quia de templo & ceremoniis agebatur, diſerte commemorat electos à Deo fuiſſe eorum patres in populum peculiarem, priuſquam ſtaret templum, & natus eſſet Moſes. Atque huc ſpectat altius repetitum exordium. Secundo admonet externos omnes ritus quos Deus per manum Moſis tradidit, ad cæleſte exemplar fuiſſe formatos. Unde ſequitur, Legem ceremonialem ad alium finem referri, ſtulteque ac perperam facere eos, qui omiſſa veritate in ſignis hærent. Ad hæc capita ſi referent lectores totam Stephani orationem, nihil in ea reperient quod non optime ad cauſam quadret: quemadmodum in fine iterum breviter repetam. Interea non obſtabit ille totius orationis ſcopus, quin excutere ſingula liceat quæ obſervatu digna erunt.

2. *Viri fratres & patres.*] Tametſi magna ex parte videbat Stephanus juratos eſſe Euangelii hoſtes qui in concilio ſedebant: quia tamen adhuc penes eos ordinaria erat populi gubernatio, ac præerant Eccleſiæ quam Deus nondum abjecerat, ideo non dubitat modeſtiæ cauſa eos vocare Patres. Nec vero adulatorie favorem ſibi conciliat: ſed hunc honorem ordini & regimini divinitus inſtituto defert, donec mutata ratione jus illis ablatum foret: interea tamen illi non obſtat, neque os obſtruit loci, quem occupant, reverentia, quin libere ab ipſis diſſideat. Unde apparet quam ridiculi ſint Papiſtæ, qui nudis & quidem inanibus commentitiis titulis ita nos eſſe devinctos volunt, ut quamlibet impiis eorum placitis ſubſcribere cogamur.

Deus gloriæ.] Hoc exordio teſtatur ſe à Patribus, & religione vera quam ſequuti ſunt, minime diſcedere. Tota enim religio, cultus Dei, doctrina Legis, prophetiæ omnes, ex fœdere illo pendebant, quod Deus cum Abraham pepigerat. Ergo Stephanus, dum fatetur Deum viſum fuiſſe Abrahæ, Legem & Prophetas amplectitur, quæ ex prima illa revelatione, tanquam ex fonte, manant. Ideo etiam *Deum gloriæ* appellat, ut à falſis & fictitiis deis eum diſcernat, qui ſolus gloria dignus eſt.

Quum eſſet in Meſopotamia.] Sic regionem vocari notum eſt quæ inter duos fluvios Tigrim & Euphratem media eſt. Dicit autem, *priuſquam habitaret* in Charran: quia oraculo admonitus Abraham, Charras ex Chaldæa migravit. quod oppidum Meſopotamiæ eſt, Craſſi & Romani exercitus clade famoſum: quanquam Plinius Arabiæ ipſum attribuit. Nec mirum eſt ſub *Meſopotamiæ* nomine Chaldæam hic comprehendi: quia tametſi proprie regio illa, quæ Euphrate & Tigre cingitur, interamnis eſt, Aſſyriæ tamen & Chaldææ Geographi communiter nomen hoc imponunt. Summa eſt, quod Abraham certo Dei mandato patriam reliquerit: atque ita præventus fuerit mera Dei bonitate, quando quæſivit quod domi ultro oblatum eſt. Vide ultimum caput Joſue. Atqui videtur Moſis narratio ab hac nonnihil diſcrepare. nam quum ad finem capitis undecimi narraſſet, Abraham relicta domo ſolum vertiſſe; ſubjicit initio duodecimi capitis, Deum Abrahæ fuiſſe loquutum. Solutio facilis eſt. neque enim hoc poſteriore loco commemorat Moſes quid poſt Abrahæ diſceſſum contigerit: ſed ne quis putaret Abraham temere relicta domo in alienis terris erraſſe, quemadmodum leves & inconſiderati homines interdum ſolent, cauſam diſceſſus reddit, quod ſcilicet juſſus à Deo eſſet alio migrare. Atque hoc ſonant oraculi verba. nam ſi inquilinus fuiſſet in alia terra, non poterat illi Deus præcipere ut è natali ſolo migraret, relictis cognatis & paterna domo. Videmus ergo cum verbis Moſis optime congruere hunc locum. Poſtquam enim retulit Moſes Abraham Charras profectum eſſe: ut iter hoc non humana levitate, ſed Dei juſſu fuiſſe ſuſceptum oſtendat, quod ante prætermiſerat poſtea inſerit. quæ loquendi ratio Hebræis trita eſt.

3. *Exi è terra tua.*] Quaſi non ſatis per ſe acerbum eſſet patria exulare, Deus verborum congerie utitur, quo magis Abrahæ animum vulneret. Idque valuit ad probandam ejus fidem: quemadmodum & iſtud alterum, quod Deus nullam illi terram deſignat in qua habitet, ſed tenet aliquandiu ſuſpenſum ac dubium. Quo magis laudanda fuit Abrahæ obedientia, quia nec dulcedo natalis ſoli eum retinet, quominus ſponte quaſi in exilium concedat: & Deum ſequi non dubitet, etiamſi nulla apparet certa ſtatio, ſed vagari ad tempus jubetur. Quod illi differtur terræ demonſtratio, non multum à fruſtratione differt. Porro, quam utile Abrahæ fuerit talibus rudimentis imbui, quotidie noſtro uſu diſcimus. Multi enim pio affectu ad res magnas aggrediendas feruntur: ſed mox ubi ardor deferbuit, conſilii ſui eos pœnitet, ac *libenter* curſum reflecterent. Ergo ne Abraham, eorum quæ reliquerat memoria, in medio curſu fatiſceret, animum ejus ſtatim ab initio penitus excutit Deus, ne quid leviter & inconſulte ſuſcipiat. Huc pertinet parabola quam Chriſtus nobis proponit de *Luc. 14. verſ. 2.* extruenda turri. Sumptus enim prius ſupputandos eſſe docet, ne inchoatum ædificium turpiter deſerere cogamur. Etſi autem hoc in Abraham fuit *ſingulare*, quod juſſus eſt è patria egredi, & *proficiſci* in terram longinquam: quod Deus huc illuc eum circumduxit: eſt tamen in his verbis aliquis noſtræ omnium vocationis typus. Non jubemur ſimpliciter omnes relinquere patriam, ſed jubemur nos abnegare: non jubemur paterna domo egredi, ſed propriæ voluntati & carnis noſtræ deſideriis valedicere. Deinde ſi nobis obſtant, ne Deum ſequamur, pater & mater, uxor & liberi, omnibus renunciandum eſt. Abrahæ ſimplex migrandi datur mandatum: ſed nobis ſub conditione idem præcipitur. Nam ſicubi non liceat ſervire Deo, eligendum potius exilium, quam ut pigri & deſides in nido maneamus. Ergo ſit nobis Abrahæ exemplum ſemper ante oculos. Pater eſt fidelium, *Rom. 4. v. 16. 17.* tentatus modis omnibus: patriæ tamen, ſuorum, ſuique oblviſcitur, ut ſe totum Deo addicat. Nos ſi Dei filii cenſeri volumus, ab illo degeneres eſſe non oportet.

Quam monſtravero.] Notandum eſt quod prius attigi, ſuſpenſum teneri Abraham, ut probetur ejus patientia. Atque id quoque in uſum noſtrum transferre decet, ut diſcamus toti à verbo Dei pendere. Et ſane hoc præcipuum fidei exercitium eſt, confidere Deo, etiam ubi nihil cernimus. Oſtendet quidem ſæpe nobis Deus terram in qua domicilium nobis concedit: ſed tamen quia peregrini ſumus in mundo, nuſquam fixa eſt perpetua ſedes. Deinde vita noſtra, ut loquit Paulus, abſcondita eſt: & ſimi- *Col. 3. verſ. 3.* les mortuis ſperamus ſalutem in cælo abſconditam. Ergo quantum ad perpetuam habitationem ſpectat, Deus à nuda ſua promiſſione nos ſuſpendit, quando peregrinari jubet. ne ejuſmodi dilatio animos noſtros frangat, tenenda eſt generalis fidei regula: pergendum eſſe quo Deus vocat, utcunque nondum oſtendat quod promittit.

4. *Tunc egreſſus.*] His verbis laudatur fidei promptitudo.

tudo. •Vocatus enim non procraſtinat, ſed moras omnes rumpit, affectuſque omnes ſuos ſubigit, ut cedant imperio Dei. Qua autem de cauſa ſubſtiterit Charris, incertum eſt.. fieri tamen poteſt, ut moram illi attulerit patris debilitas, quem illic paulo poſt mortuum eſſe legimus: vel non auſus fuerit ultra progredi, donec patefactum eſſet iter à Domino. Mihi magis probabile eſt, laſſitudine ac morbo patris fuiſſe illic pauliſper retentum, quia nominatim exprimit Stephanus, illinc poſt mortem patris eductum eſſe.

5. Et non dedit illi hæreditatem in ea, ne veſtigium quidem pedis: & promiſit illi eam ſe daturum in poſſeſſionem, & ſemini ejus poſt eum, quum illi non eſſet filius.

6. Loquutus eſt autem Deus in hunc modum, Erit ſemen tuum inquilinum in terra aliena, & ſervituti illud ſubjicient, & male tractabunt annis quadringentis.

7. Et gentem cui ſervierint, ego judicabo, dixit Deus. Et poſtea exibunt, & colent me in hoc loco.

8. Et dedit illi fœdus Circumciſionis: atque ita genuit Iſaac, & circumcidit eum die octavo. Et Iſaac genuit Jacob, & Jacob duodecim Patriarchas.

5. Tria hic obſervanda ſunt: quod Deus ſervi ſui patientiam exercuerit, quia eductum ex patria, tanquam inquilinum in terra Chanaan habuerit. Veſtigium enim pedis non poſſedit Abraham, niſi quod ſibi emit in ſepulchrum. Illa autem non cenſetur poſſeſſio, quæ ad præſentis vitæ uſus non ſpectat. Deinde quum pretio emptus fuerit ager ille, merito negat Stephanus, quicquam à Domino fuiſſe Abrahæ datum. Neque enim pecunia vel alio humano modo acquiri oportuit, quod Abraham ex promiſſione ſperabat. Secundo notandum eſt, quod Deus rem ipſam Abrahæ nondum oſtendens, verbo tamen ſuo eum ſuſtinuit. Atque hæc noſtra fultura eſt, quum Deus nobis repoſitum eſſe promittit, quod nondum tenemus. Ergo quum res, hoc eſt, terræ poſſeſſio deficeret, Abraham Dei promiſſionem ſubſidii loco habuit: & ea ſola contentus, nihil præter vagum & inſtabile hoſpitium in terra Chanaan appetiit. Quum ἐπαγγέλλεσθαι ſimpliciter Promittere ſignificet, non putavi eſſe cauſam, cur hic Deum repromiſiſſe verterem cum Eraſmo. Nam adverſative reſolvo, Quamvis promiſerat: ut oblique notetur ſpecies fruſtrationis. Niſi forte ad promiſſiones ſæpius repetitas accommodare libeat: quod liberum relinquo. Tertio notandum eſt, ejuſmodi fuiſſe promiſſionem quæ nihil aut parum à mero ludibrio differret. Promiſit Deus Abrahæ ſemini terram, quum ipſe octogenarius eſſet, uxorem haberet ſterilem, nec ſpes eſſet ulla procreandæ ſobolis. Videtur hoc eſſe pluſquam frivolum. Cur non enim potius ſemen illi ſe daturum promittit? Sed hoc inſigne fuit experimentum fidei, quod Abraham non diſquirens, nec curioſe diſceptans, placide & obedienter amplexus eſt quod ex Dei ore audierat. Meminerimus ergo Deum ita ſervi ſui animum verbo erigere & ſolari, ut non tantum rei exhibitionem differat, ſed videri poſſit quodammodo illudere. quemadmodum & nobiſcum aliqua ex parte agit. Nam quum nos mundi
Jac.2: 5. hæredes nuncupet, patitur ſæpe nos egere tenui victu & neceſſarus adminiculis. Hoc autem conſulto facit, ut carnis noſtræ prudentiam exinaniat, quando non aliter juſtum verbo ejus honorem deferimus.

6. *Erit ſemen tuum peregrinum.*] Revocat Stephanus Judæis in memoriam quam miſera & probroſa fuerit Patrum conditio in Ægypto: & oſtendit non fuiſſe hanc fortuitam ſervitutem qua oppreſſi ſunt, quia Dei oraculo longe ante prædicta fuerit. Valere autem debebat hæc hiſtoria, partim ad feroces illorum ſpiritus domandos & docendam modeſtiam, partim ad commendationem divinæ gratiæ: quod Deus ſemper gentis illius curam habuerat. Eſt enim hoc ſingulare beneficium, quod populus mirabiliter quaſi à morte in vitam reſtituitur. Interea commonefiunt Judæi, fuiſſe Dei Eccleſiam alibi quam in terra, in qua degebant: fuiſſe electos Patres in populum peculiarem, & ſub fide tutelaque Dei protectos, antequam ſtaret templum, vel inſtituti eſſent externi Legis ritus. Hæc ad generalem concionis ſcopum pertinent. Cæterum, colligi hinc poteſt utilis admonitio. Dura eſt per ſe & acerba ſervitus: ubi autem accedit dominorum ſævitia, minime videtur tolerabilis. Quare graviter animum pii viri vulnerari oportuit, quum audiret genus ſuum ſervum fore, & indigne ac crudeliter tractatum iri. Adde quod non levis erat iſta tentatio: quandoquidem res erant in ſpeciem contrariæ, hæreditas terræ Chanaan quæ jam promiſſa erat, & ſervitus in terra aliena. Quis enim non putaſſet Deum quaſi prioris verbi oblitum, denunciare Abrahæ miſeram generis ejus ſervitutem? Dicit initio, ſe daturum ſemini terram. Atqui ſemen adhuc nullum extabat: imo ſpes ſobolis jam præciſa erat. Sed quando ſe tandem daturum promittit? Poſt mortem ejus. Continuo poſt ſubjicit, abductum alio iri ſemen illud, ut alienis ſerviat. Et quantum temporis? Per annos quadringentos. Annon hoc modo videtur manum retrahere, ne præſtet quod promiſit? Hoc non ſemel duntaxat ſciamus factum eſſe: ſic enim ſæpe nobiſcum agit Deus, ut ſecum videatur pugnare: ſic etiam loquitur, ut videri poſſit retractare quod promiſerat. Fieri ergo non poteſt quin eum ſibi contrarium judicet caro: ſed fides optime congruere inter ſe Dei verba, & cum operibus, agnoſcit. Atque hoc Dei conſilium eſt, ut fidei noſtræ intuitum longius extendat, promiſſiones ſuas, quaſi interpoſito longo ſpatio, procul oſtendere. Noſtrum ergo eſt ad ſalutem nobis propoſitam, per innumeros anfractus, per varia obſtacula, per longam diſtantiam, per medias abyſſos, per mortem denique ipſam tendere & eniti. Præterea, quum videmus populum à Deo ſelectum ſerviiſſe Ægyptiis, & inhumaniter afflictum fuiſſe, nos frangi animis non oportet, ſi eadem hodie nos manet conditio. Neque enim novum eſt vel inſolitum, Eccleſiam Dei ſub tyrannide jacere oppreſſam, & quaſi calcari impiorum pedibus.

7. *Gentem cui ſervierint.*] Hoc judicium cum liberatione populi conjunctum eſt. Quod enim Ægyptiorum tyrannidem & ſævitiam Deus ulciſcitur, id facit in gratiam populi, quem in fidem ſuam ſuſcepit, ut Eccleſiæ liberator appareat. Proinde, quoties injuſte ab improbis affligimur, veniat nobis in mentem Deum eſſe judicem mundi, qui nullas injurias inultas ſinet: ac ſic cum animo ſuo quiſque reputet, Quum ego in tutela Dei ſim, qui judex eſt mundi, & cujus proprium eſt de omnibus injuriis vindictam ſumere, non effugient ejus manum qui nunc mihi moleſti ſunt. Similis eſt locus Deuteronomii 32. ubi Deus ſuam eſſe vindictam pronunciat. *Deut. 32.*
Unde colligit Paulus, dandum eſſe locum iræ: acſi *verſ. 43.*
diceret, debere hoc ad corrigendam impatientiam & *Rom. 12.*
frenandos malos affectus valere, quod Deus vindi- *verſ. 19.*
cem ſe fore promittit. nam qui ſeipſum ulciſcitur, Deo præripit ſuas agendi partes. Neque tamen intercidet quod dixi, peculiari cura Deum tangi ad vindicandas ſuorum injurias: ut legitur in Pſalmo, Ne lædatis Chriſtos meos, & ne Prophetis meis ſitis moleſti.

Exibunt inde & ſervient mihi.] Ergo redemptio tem-

tempore prior fuir quam Templum & Legis cultus. Unde ſequitur, Dei gratiam non fuiſſe ceremoniis alligatam. Interea finem liberationis notat Stephanus, quod Deus & populum & locum peculiarem delegerit ad purum nominis ſui cultum. Unde rurſum colligimus, ſpectandum ac reputandum eſſe, quid exigat ipſe ac probet. Aliæ quoque gentes Deum colere in animo habebant, ſed quia ubique degeneres erant ac corrupti ritus, Judæos ab aliis Deus ſegregat, & locum illis aſſignat, ubi ſincere & rite colatur. Cæterum bic locus nos admonet referenda in eum finem eſſe Dei beneficia, ut ſe illi totos addicant homines. Nunc ex quo gratiæ ſuæ theſauros Deus per totum orbem diſperſit, dare operam convenit, ut eum pure ſanctęque colendo ſanctificemus, quaſcunque colimus regiones.

8. *Dedit illi fœdus.*] Quum Circumciſionem fatetur eſſe divinum fœdus, calumniam ſibi impoſitam abunde purgat: ſed interea perperam facere Judæos oſtendit, ſi in externo ſymbolo ſalutis ſuæ initium ſtatuant. Nam ſi prius vocatus fuit Abraham & promiſſa ejus ſemini terra ac redemptio quam circumcideretur, ſatis apperet totios generis gloriam à Circumciſione minime pendere. Eodem & Paulus argumento utitur quarto capite ad Romanos. Nam quum *Rom. 4. verſ. 11.* juſtitiam io præputio adeptus ſit Abraham, & Deo placuerit, inde Circumciſionem colligit non eſſe juſtitiæ cauſam. Videmus ergo Stephanum minime vagam & otioſam narrationem texere: quia hoc ad cauſam plurimum intererat, ut memoria tenerent Judæi quomodo cum patribus ſuis adoptati à Deo eſſent. ac probabile eſt utrumque diſerte à Stephano fuiſſe expreſſum: quod tametſi divinitus tradita fuerit Circumciſio ut gratiæ ſymbolum eſſet, eam tamen ordine & tempore adoptio præceſſerit. Cæterum de vi & natura Circumciſionis bic longius diſputari neceſſe oon eſt. tantum boc notemus, Deum prius Abrahæ promittere quæ per Circumciſionem poſtea confirmat: ut ſciamus ſigna, niſi præeunte verbo, vana & nihili eſſe. Notemus etiam in nomine *fœderis* utilem doctrinam contineri: Deum ſcilicet nobiſcum in Sacramentis paciſci, ut amorem erga oos ſuum teſtetur. Quod ſi verum eſt, primum non modo externæ ſunt profeſſionis notæ apud homines: ſed intus coram Deo ad fidei confirmationem valent. deinde, non inanes ſunt figuræ: quia Deus, qui verax eſt, nihil illic figurat quod non præſtet.

9. Et Patriarchæ æmulatione moti, Joſeph vendiderunt in Ægyptum. Erat tamen Deus eum illo.

10. Et eripuit eum ex omnibus afflictionibus ejus: ac dedit illi gratiam & ſapientiam coram Pharaone Rege Ægypti, qui conſtituit eum principem ſuper Ægyptum, & totam domum ſuam.

11. Venit autem fames ſuper totam terram Ægypti & Chanaan, & afflictio magna: nec patres noſtri victum inveniebant.

12. Jacob autem quum audiiſſet eſſe in Ægypto frumenta, miſit illuc patres noſtros primum.

13. Secundo autem adventu agnitus fuit Joſeph à fratribus ſuis. Et innotuit Pharaoni genus ipſius Joſeph.

14. Miſit ergo Joſeph, & evocavit patrem ſuum Jacob, & totam cognationem ſuam, ad animas ſeptuaginta quinque.

15. Deſcendit autem Jacob in Ægyptum, & mortuus eſt ipſe ac patres noſtri.

16. Et tranſlati ſunt in Sichem, & poſiti ſunt in ſepulchro quod emerat Abraham pretio argenti à filiis Hemor, filii Sichem.

9. Jam ſequitur maximum flagitium gentis Iſraëliticæ, quod impia & nefaria conſpiratione fratrem innoxium oppreſſerint: quæ crudelitas à natura abhorret. Nec poterant excipere Judæi, privatum fuiſſe paucorum crimen: nam ad totum populum pertingit infamia, quum patriarchæ omnes, excepto uno Benjamin, ſe perfidia illa ſimul polluerint. Itaque quod bonorifico nomine eos dignatur Stephanus, id in majorem gentis ignominiam redundat. Superbe jactabant patres ſuos. quales fuerint eorum præcipui, oſtendit: nempe fratricidæ, quantum in ipſis erat. Præterquam enim quod ſervitus erat mortis ſpecies, ſcimus quid initio agitaverint, deinde quam atrocia ſupplicia perpeſſus fuerit Joſeph, quorum omnium rei erant fratres. Hinc perſpicuum eſt, Deum quaſi invitis & repugnantibus benignum ac beneficum fuiſſe. Nam qui futurus erat ſalutis miniſter, eum extinctum ac perditum volunt. Quare per eos non ſtat, quin omnibus Dei beneficiis renuncient. Sic poſtea dicet rejectum fuiſſe Moſen, quum oblatus eſſet à Deo redemptor. Non eſt igitur quod generis ſui præſtantia ſuperbiant Judæi: ſed boc illis tantum reſiduum eſt, ut pudore confuſi, quicquid ſunt, uni Dei miſericordiæ acceptum ferant, & attendant ejus illuſtrandæ cauſa datam eſſe Legem.

Fuit Deus cum illo.] Non ita adfuit illi Deus, ut ſemper virtutem ſuam patefecerit io eo juvaodo. Ne-
Pſal. 105. verſ. 18. que enim leve eſt quod in Pſalmo dicitur, Ferrum pertranſiiſſe animam ejus. Certe ingenti mœrore confodi oportuit, quum omni præſidio deſtitutus, una cum vinculis & ſcelerati hominis pœna, probrum quoque ſuſtineret: ſed ita ſuis ſæpe Deus adeſſe ſolet, ut ad tempus lateat. Exitus autem illuſtre ſpecimen fuit ejus præſentiæ, quam initio Joſeph non cernebat. Porro ſubinde redire hoc in memoriam nobis debet, non fuiſſe liberatum Joſeph qoia Deum in templo invocaſſet, ſed procul in Ægypto.

10. Modum adſcribit Stephanus, quia Deus gratiam illi coram Pharaone dederit. Poterat quidem Deus alio modo eum eripere: ſed longius reſpiciebat ejus conſilium, ut Joſeph regno præfectus, patrem totamque familiam exciperet. Cæterum in his duobus verbis, *gratiam & ſapientiam*, eſt hypallage. nam ſapientia qua præditus fuit Joſeph, cauſa illius favoris fuit. quanquam duo fuiſſe diſtincta beneficia fateor. Neque enim Joſeph, tametſi fidelis ſomniorum interpres erat, & pollebat divina prudentia, tamen à ſuperbo tyranno io tantum honorem unquam evectus foret, niſi Pharaonis animum ad quendam inſolitum amorem flexiſſet Deus. ſed tamen conſiderandus eſt ordo ille, quo illi Deus gratiam conciliat. *Sapientiam* non tantum donum prophetiæ ſignificat in ſomniis interpretandis, ſed in dando etiam conſilio prudentiam: utrumque enim ponit Moſes. Quod autem de uno hic refert Stephanus, ad omnes extenditur. quæcunque enim in hominibus eſt dexteritas, inter Dei dona, & quidem ſpecialia, pro modo inæquali cenſeri debet. Atque idem, prout libet, proſperum ſucceſſum adjungit, ut proſint ſua

dona

dona quorſum illi viſum eſt conferre. Ergo tametſi à Pharaone præficitur Joſeph regno Ægypti, proprie tamen nonniſi Dei manu extollitur in illum honorem.

11. *Venit autem fames.*] Hinc apparet liberationem Joſeph commune fuiſſe beneficium toti familiæ Jacob: nam quum ventura eſſet fames, mature præmiſſus eſt Joſeph, qui ad paſcendos famelicos victum in manu haberet. quemadmodum ea in parte admirabile Dei conſilium ipſe quoque agnoſcit. Interea gratuita Dei bonitas in perſona Joſeph melius relucet, dum nutricius inſtituitur fratribus ſuis, qui pretio venditum, longe ipſum expulerant, ac putabant à mundo prorſus exterminatum: cibum in os ipſis ingerit, à quibus in ſpecum projectus, aëre & ſpiritu communi privatus fuerat: tolerat denique & fovet illorum vitam, qui vitam illi adimere non dubitaverant. Interea Judæis in memoriam reducit Stephanus, Patriarchas coactos ex ea terra migraſſe quæ illis in hæreditatem data fuerat, & alibi eſſe mortuos. Ergo quum in ea inquilini fuerint, tandem inde exulant.

14. Quod dicit Jacob veniſſe in Ægyptum cum ſeptuaginta quinque animabus, non convenit cum verbis Moſis. Nam Moſes tantum ſeptuaginta numerat. Hieronymus Lucam exiſtimat non retuliſſe ad verbum quæ dixerit Stephanus, ſed ex
Gen. 46. verſ. 27. Græca verſione Moſis ſumpſiſſe hunc numerum: vel quod ipſe qui Proſelytus erat, non tenuerit linguam Hebraicam: vel quod Gentibus hoc concedere voluerit, apud quas recepta erat illa lectio. Porro, incertum eſt an de induſtria numerum illum poſuerint Græci interpretes, an errore poſtea obrepſerit. Quod, poſterius ſcilicet, proclive fuit, quum Græci literarum notis numeros ſignare ſoleant. Auguſtinus libro 16. de Civitate Dei, comprehendi putat nepotes ac pronepotes Joſeph: atque ita nomen *deſcenſus*, illi ſignificat totum illud tempus quo vixit Jacob. Verum conjectura illa nullo modo recipi poteſt. nam interea nati ſunt aliis quoque Patriarchis complures liberi. Mihi certe veriſimile eſt, ſeptuaginta Interpretes vere tranſtuliſſe quod erat apud Moſem. Neque enim dici poteſt, fuiſſe hallucinatos: quum Deuter. 10. ubi numerus iſte repetitur, cum Moſe conſentiant. ſaltem ut Hieronymi tempore locus ille ſine controverſia legebatur. Nam quæ hodie excuſa ſunt exemplaria, aliter habent. Hanc itaque diſcrepantiam ex errore librariorum ortam eſſe conjicio. Res autem non erat tanti momenti, cujus cauſa Lucas Gentes Græcæ lectioni aſſuetas turbare debuerit. Et fieri poteſt ut poſuerit ipſe verum numerum: quiſpiam vero ex loco illo Moſis perperam correxerit. Novum enim Teſtamentum ſcimus ab his tractatum fuiſſe qui Hebraicæ linguæ ignari Græcam familiariter tenebant. Ergo ut conſentanea eſſent Stephani verba cum loco Moſis, probabile eſt falſum illum numerum, qui reperiebatur in Græca verſione Geneſeos, in hunc quoque locum tranſtuliſſe. de quo ſiquis pertinacius litiget, ſapere extra modum ſinamus: nobis in mentem veniat, non fruſtra nos vetari à Paulo, de genealogiis anxie eſſe curioſos. Cæterum, conſulto exprimitur tam exiguus numerus, quo illuſtrior ſit Dei potentia in tanta generis propagatione, quæ non ita longo tempore extitit. Neque enim humana generandi ratione tantula hominum manus intra annos ducentos quinquaginta, in multitudinem illam immenſam quæ in Exodo refertur, excreſcere poterat. Miraculum Exod. 12. verſ. 37. iſtud quod nobis Spiritus commendat, expendere magis convenit, quam anxie de litera una laborare, qua mutatus eſt numerus. Aliæ quæſtiones, & quidem magis difficiles ad ſolvendum, naſcuntur ex reliquo contextu.

16. Dicit Stephanus *tranſlatos* fuiſſe in terram Chanaan Patriarchas poſt mortem. Atqui Moſes Geneſ. 50. verſ. 13. non niſi oſſa Joſeph commemorat. Et Joſue 24. habetur, Sepulta fuiſſe oſſa Joſeph: Joſ. 24. verſ. 32. prætermiſſa aliorum mentione. Reſpondent nonnulli, Moſem honoris cauſa ſolum Joſeph nominare, quia de oſſibus ſuis nominatim ille mandaverat: quod ab aliis non legimus eſſe factum. Et certe Hieronymus in peregrinatione Paulæ, quum per Sichem iter feciſſe narrat, dicit eam illic vidiſſe duodecim Patriarcharum ſepulchra: ſed alibi non niſi ſepulchri Joſeph meminit. Et fieri poteſt, ut aliis erecta ſint κενοτάφια. Ego quod pro certo aſſeram non habeo, niſi quod vel ſynecdochica eſt loquutio, vel quod Lucas non tam ex Moſe quam ex veteri fama hoc retulit: ut Judæi multa habebant olim à patribus quaſi per manus tradita. Quod autem ſubjicit poſtea, fuiſſe *in ſepulchro* poſitos quod emerat Abraham à filiis Hemor, in nomine Abrahæ erratum eſſe palam eſt. Speluncam enim duplicem ſepeliendæ uxori emit Abraham ab Ephron Chetæo. Geneſ. 23. verſ. 9. ſed alibi ſepultus eſt Joſeph: in agro ſcilicet quem pater Jacob à filiis Hemor centum agnis emerat. Quare hic locus corrigendus eſt.

17. Ut autem appropinquavit tempus promiſſionis quam juraverat Deus Abrahæ, crevit populus & multiplicatus eſt in Ægypto.

18. Donec ſurrexit Rex alius, qui non noverat Joſeph.

19. Hic callide deludens genus noſtrum, male tractavit patres noſtros, ut exponerent infantes ſuos, ne propagarentur.

17. Tranſit Stephanus ad redemptionem populi, cujus præludium fuit numeroſa illa ſoboles, quæ ultra uſitatum modum non longo temporis ſpatio creverat. Ergo tanquam ſingulare Dei donum hoc ponit quod auctus fuerit populus, ut ſciamus id non ex communi more vel conſueto naturæ ordine fuiſſe factum. Verum, ex altera parte videtur Deus Judæis ſpem auferre: quia tyrannice eos affligit Pharao, & ſervitus magis in dies ingraveſcit. Quum autem jubentur maſculos infantes exponere, videtur præſens adeſſe interitus totius gentis. Alterum datur redemptionis ſignum, quum emergit Moſes: ſed quia mox reſpuitur, & fugere cogitur in exilium, nihil reſtat niſi mera deſperatio. Summa eſt, Deum promiſſionis ſuæ memorem, populum in tempore auxiſſe, ut præſtaret quod Abrahæ juraverat: ſed Judæos, ut ingrati erant ac perverſi, repudiaſſe Dei gratiam, ita ut per eos non ſteterit quin ſibi aditum præcluderent. Porro hic notanda eſt Dei providentia, dum temporum curſum ac vices ita temperat ut ſemper ejus operibus conſtet ſua opportunitas. Homines autem qui præpoſtere in ſuis deſideriis feſtinant, ideo patienter ſperare nequeunt & quieſcere, donec manum ſuam Deus oſtendat: quia ad illud, quod dixi, temperamentum non attendunt. Cæterum ut Deus fidem ſuorum exerceat, quoties cum lætis gratiæ ſignis affulget, alia opponit ex adverſo quæ ſpem ſalutis ſubito præcidant. Quis enim non dixiſſet de Hebræis prorſus actum eſſe, quum Regis edictum totam maſculam ſobolem morti addicit? Quo magis neceſſaria nobis eſt doctrinæ illius meditatio, Deus mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit.

19. *Callide deludens.*] Non male vetus Interpres reddidit, Circumvenire. Significat enim Stephanus novas artes & obliquos prætextus doloſe excogitatos fuiſſe à Rege Ægypti, ut graviora ſubinde onera

 popu-

populo imponeret: ſicuti fere tyranni omnes, quantumvis inique ſuos vexent, pluſquam ingenioſi ſunt in cauſis fingendis. Nec dubium eſt quin Pharao honeſto hoc colore abuſus fuerit, quod minime æquum eſſet Judæos inquilinos gratuitum in regno ſuo hoſpitium habere: & quum magnis commodis fruerentur, ab oneribus eſſe immunes. Ita captioſe ex liberis hominibus fecit vilia mancipia. Quum dicit Stephanus, *Joſeph* huic Tyranno non fuiſſe cognitum, hinc apparet quam fluxa ſit beneficiorum apud homines memoria. Etſi enim uno conſenſu ingratitudinem deteſtantur omnes, nullum eſt magis commune vitium.

Ne propagarentur.] Minus proprie Eraſmus, meo judicio. Nam ζωογονεῖσθαι plus exprimit quam, Ne fœtus eſſent vitales. Inde enim deductum eſt verbum, quod populus ſemper vivus ac ſuperſtes in ſobole manet. Porro Stephanus non omnes malæ tractationis partes enumerat: ſed exemplum unum ponit extremæ ſævitiæ, unde colligere promptum eſt, quam parum ab interitu abfuerit totum Abrahæ ſemen. Videbatur enim Pharao omnes ſimul crudeli illo edicto, quaſi uno ictu gladii jugulaſſe. Sed tam violenta barbaries inopinatam atque incredibilem Dei virtutem magis illuſtrat: quia modis omnibus contra luctando nihil tandem proficit.

20. Tempore illo natus eſt Moſes, qui Deo gratus fuit. Et educatus eſt per tres menſes in domo patris.

21. Expoſitum vero ipſum ſuſtulit filia Pharaonis: & educavit ſibi in filium.

22. Et inſtitutus fuit Moſes in omni ſapientia Ægyptiorum, eratque præſtans factis ac dictis.

23. Ut autem impletum fuit tempus quadraginta annorum, ſubiit in animum ejus ut viſeret fratres ſuos, filios Iſraël.

24. Quum autem vidiſſet quendam injuria affectum, defendit, & vindicavit eum qui affligebatur, percuſſo Ægyptio.

25. Exiſtimabat autem intelligere fratres ſuos, quod Deus per manum ejus daret eis ſalutem. at illi non intellexerunt.

26. Sequenti die conſpectus eſt illis litigantibus, & reduxit eos in concordiam, dicens, Viri, vos eſtis fratres: cur vos invicem læditis?

27. Is autem qui injuriam faciebat proximo, repulit eum, dicens, Quis te conſtituit principem ac judicem ſuper nos?

28. Numquid me interficere tu vis, quemadmodum heri interfeciſti Ægyptium?

29. Fugit autem Moſes ad dictum hoc: & factus eſt advena in terra Madian, ubi generavit filios duos.

20. Non temere circumſtantiam temporis notat Stephanus. Natus eſt Moſes quum Rex juſſiſſet ad mortem exponi omnes maſculos. ergo redemptionis miniſter prius videtur mortuus eſſe, quam naſcatur: ſed tempus illud agendi, Deo maxime eſt opportunum, quum humanitus nihil opis vel conſilii ſuppetit. *2 Cor. 12. verſ. 9.* Simul autem perſpicue apparet, quomodo ſuam virtutem Deus in hominum infirmitate perficiat. Servatur Moſes tribus menſibus: ſed tandem parentes, ut vitæ propriæ conſulant, coguntur eum in flumen projicere. Tantum includunt in arculam, ne mox pereat. Quum à filia Pharaonis excipitur, mortem quidem evadit, ſed ita ut reſectus à genere Iſraël, in alienam gentem tranſeat. Imo genti ſuæ moleſtiſſimus hoſtis futurus erat, niſi ejus animum Deus retinuiſſet. Priuſquam aliquod fraternæ benevolentiæ ſignum edat, quadraginta anni prætereunt.

22. Quod in *omni ſapientia* Ægyptiorum inſtitutum fuiſſe refert Lucas, id quidem tanquam excellentiæ partem in laude ponit. potuit nihilominus accidere, quod plerumque ſolet, ut profanis ſcientiis inflatus, vulgus ignobile contemneret: quia tamen Deo populum ſuum redimere decretum eſt, tam Moſis animum, quam reliqua omnia, ad opus ſuum peragendum interea comparat. Hic obſtreperet carnis ratio, Cur connivet Deus ad tam longas populi ærumnas? Cur Pharaonem in dies ſinit atrocius ſævire? Cur Moſen non patitur adoleſcere apud ſuos? Cur adoptatum à filia Regis, à genere Iſraël quodammodo abdicat? Cur ad annum quadrageſimum inter aulicas delicias ſedete vult, ac non potius inde abſtrahit? Verum exitus ipſe tantum admirationis habet, ut fateri cogamur, ad illuſtrandam Dei gloriam omnia hæc ſingulari conſilio & ordine fuiſſe gubernata. Quod dixi, honoris cauſa Lucam hic de Ægyptiorum doctrina loqui, non ita accipi volo, quaſi nihil in ea vitioſum fuerit. Quum Aſtrologia mirabile Dei opificium non modo in ſtellarum poſitu, & tam bene diſtincta varietate, ſed etiam in motu, vi & arcanis officiis conſideret, ſcientia eſt utilis ac merito laudanda. In hac multum ſtudii poſuerunt Ægyptii: ſed non contenti ſimplici naturæ ordine, in multis etiam ſtultis & ineptis ſpeculationibus vagati ſunt, quemadmodum Chaldæi. His ſuperſtitionibus imbutus fuerit Moſes nec ne, incertum eſt. Utcunque tamen res habeat, videmus quam ſincere, imo rudi Minerva, in mundi fabrica conſiderandum proponat quod ad pietatem facit. Inſignis certe modeſtia, quod is qui ſubtiliter cum doctis & acutis hominibus de naturæ arcanis diſſerere poterat, non modo ſublimiores argutias omittit, ſed deſcendit ad vulgarem infimi cujuſque captum, & plebeio ſtylo indoctis prædicat quæ uſu percipiunt. Juſtinus quum de Moſe fabulatur, magum facit, qui præſtigiis & incantationibus populo tranſitum per mare Rubrum fecerit. Ita Satan Dei virtutem non modo obruere, ſed probroſa etiam nota aſpergere conatus eſt. Atqui ſcimus Moſen non arte magica cum incantatoribus certaſſe, ſed exequutum fuiſſe duntaxat quæ illi injuncta à Deo erant. Habebant etiam Ægyptii myſticam theologiam, quæ ſtultis & deliris commentis, & prodigioſis abominationibus colorem induceret, acſi probare vellent non abſque ratione ſe inſanire: quemadmodum Papiſtæ, quum hiſtrionice in ſua Miſſa & aliis inſulſis ritibus ludant, myſteria tamen comminiſcuntur, ut perſuadeant nihil illic eſſe niſi divinum. Gregarii quidem ſacerdotes ad illam uſque altitudinem non conſcendunt: ſed qui volunt inter eos haberi magis perſpicaces, nullum quantumvis puerilem aut ludicrum ritum omittunt, cui non affingant ſpirituale aliquod myſterium. Extat in eam rem ineptiſſima farrago, quam Rationale divinorum officiorum vocant. Sed quum ejuſmodi deliria ſoli ſacrifici inter ſe tractarent, Moſen fuiſſe in illis verſatum non eſt probabile, cujus regalis fuit inſtitutio: ſed ingenuis artibus fuiſſe imbutum.

Erat potens in ſermonibus.] Hæc loquutio Hebræis duplicem præſtantiam ſignificat, dum is qui ingenio pollet ac doctrina, ſimul etiam ad res præclaras geren-

ren-

rendas aptus eſt. Intelligit ergo Stephanus Moſen raris dotibus fuiſſe inſtructum, ut omnes eximium quendam virum agnoſcerent. Cæterum quum tali in pretio eſſet, minus ſpei dabatur Iſraëlitis eum redemptionis fore miniſtrum.

23. *Quum impletum eſſet tempus.*] Inde multi conjiciunt, Moſen nunquam animo alienum fuiſſe à gente ſua: verum Stephani verba in diverſam partem magis inclinant: quod ſcilicet animum ejus tandem, velut è ſomno, excitaverit Spiritus Dei, ut fratres diu neglectos viſeret. Originis quidem ſuæ non fuiſſe ignarum veriſimile eſt, cujus notam in carne ſua geſtabat, & cujus rumor volitaverat in aula: quia Regis filia ſine flagitii ſuſpicione non poterat eum adoptare, niſi genus compertum eſſet. diu tamen non fuit tantum in eo animi, ut cognationis ſuæ amorem palam monſtrare auderet. Hoc vero ad augendam Dei gloriam non parum facit, quod Moſes vocationis ſuæ inſcius in aula Regis per longum tempus deſidet: poſtea ſubito præter ſpem omnium & ſuam ipſius, à Domino vocatur. Hæc igitur nova fratrum cura, quæ in ejus animum ſubiit, ex novo & inſolito Spiritus impulſu nata eſt.

24. *Quum vidiſſet quendam.*] Non oblatum fortuito Moſi fuit tale ſpectaculum, ſed quum Deus eum populo ſuo redemptorem deſtinaſſet, ſpecimen & quaſi præludium hoc per ejus manum edere voluit. Nam Stephanus diſerte exprimit, nihil eum temere aggreſſum eſſe: ſed vocationis ſuæ conſcium, feciſſe quod populi vindicem decebat. Niſi enim eum armaſſet Deus, hominem quantumvis noxium aut maleficum occidere illi fas non erat. Pium eſt ac laude dignum opus, improbis ſe opponere, cohibere eorum violentiam, tueri bonos adverſus eorum injurias: ſed vindictam ſumere, non eſt hominis privati. Non licuit ergo Moſi Ægyptium interficere, niſi quia pro vocationis ſuæ jure gladius illi in manum à Domino porrectus erat. Verum hæc heroica animi magnitudo, Spiritus ſancti opus fuit: quia quos Deus ad res magnas ordinat, in iis vim ſuam potenter exerit, ut functioni ſuæ pares ſint. In ſumma, intelligit Stephanus jam tunc oblatum populo Moſen fuiſſe redemptionis miniſtrum, quum dies ex pactione Abrahæ facta inſtaret: ſed populum nihil minus ſperaſſe.

26. *Sequenti die conſpectus eſt.*] Jam oſtendit Stephanus non modo neglectam à patribus fuiſſe Dei gratiam, ſed maligne quoque rejectam. Quamvis enim malum quod narrat, ab uno homine profectum ſit, culpam tamen omnibus jure aſſignat. Nam ſi grati Deo fuiſſent, illius proterviam ſimul reprimere debuerant. Sed tacent omnes, ac Moſi exprobrari ſinunt quod illis præſtiterat beneficium: ac quantum in ſe eſt, ultimo diſcrimini exponunt, quem oppoſitis ſuis capitibus protegere debuerant. Huc itaque tendit oratio, nonniſi per populum ſtetiſſe, quominus levationem aliquam citius ſentiret. Ita ſæpe Deo remoram injicere ſolet hominum pravitas. Mature certe ſuis opem ferre paratus eſt, ſed nos variis obſtaculis ejus manum à nobis arcemus: poſtea injuſte conquerimur de ejus tarditate. Porro, hæc nimis impia adverſus Deum, & crudelis in Moſen ingratitudo fuit. Agendæ erant Deo gratiæ, quod tam fidum patronum in Regis aula dediſſet. Moſes omni amore & obſervantia colendus. Atqui peſſimam & iniquiſſimam mercedem reportat, probra & minas. Deinde, quod facinus ad Regem delatum eſt, id perfidiæ populi imputare convenit. Quemadmodum ergo poſtea quum jam terra Chanaan in conſpectu eſſet, populus ſibi aditum ſuo vitio præcluſit: ita nunc Dei gratiam in unius hominis perſona repudians, tempus redemptionis per annos quadraginta differt. Quanquam enim ſtatuerat Deus quid facturus eſſet, moræ tamen culpa in eos jure rejicitur, qui Moſen in ſuo officio impediunt ac turbant.

Viri, vos eſtis fratres.] Eſt quidem generalis inter homines conjunctio, ut mutuo inter ſe humanitatem colere debeant, & abſtinere ab injuriis omnibus: ſed hoc indignius ac minus ferendum, quum ſe invicem lædunt qui arctiore vinculo inter ſe ſunt conjuncti. Ergo non tantum generalis ratio à Moſe proponitur, quæ ad æquitatem revocet animos nocendi cupidos: ſed cognatio & ſanguinis ſocietas commemoratur ad molliendam ferociam. Nullus tamen ſequitur profectus. nam qui injuriam proximo fecerat, proterve ac minaciter eum repellit. Atque hoc uſitatum eſt, ut mala conſcientia ad furorem homines impellat: atque ut cujuſque deterior eſt cauſa, ita ille audacius ac truculentius ſe efferat. Sed quo prætextu adverſus Moſen tam contumaciter inſurgit, qui malam cauſam habet? Negat judicem eſſe. Atqui Moſes eum non corripuerat pro imperio, ſed tantum amice eos pariter monuerat. An ſolius judicis eſt nos monere quum delinquimus? ſed hoc omnibus præfractis & immorigeris commune eſt vitium, nullis monitionibus locum dare, niſi quum vi & imperio coguntur: imo phreneticis ſunt ſimiles, qui medicos ſuos furioſe impetunt. Quo magis ſtudendum eſt frenandis noſtris cupiditatibus, ne ita cæco impetu ruamus adverſus eos, qui ſanare noſtra vitia cupiunt. Monemur etiam hoc exemplo, non poſſe in tam perverſis hominum moribus ſervos Dei officium ſuum facere, quin multas injurias ſubinde perferant, ſubeant multas offenſas, in pericula incurrant: præſertim benefaciendo male audiant. Sed horum malorum indignitas illis eſt devoranda, ne propterea agere deſinant quod ſciunt ſibi à Domino eſſe mandatum, ac proinde ei probari. Atroci calumnia hic gravatur Moſes, quod jus Principis ſibi uſurpet: atque hoc modo crimen læſæ majeſtatis illi intenditur. Deinde probroſe illi objicitur, quod de homine Ægyptio vindictam ſumpſerit. utrumque valde odioſum erat. Unde colligere licet, quam periculoſa tentatione perculſus fuerit ſancti viri animus. Quum autem videmus neque exilio, neque aliis malis fuiſſe fractum, ut eum recte feciſſe pœniteret: nos quoque ejus exemplo diſcamus contra omnes hujuſmodi Satanæ machinas firmum & inexpugnabilem animum habere.

30. Et expletis annis quadraginta, viſus eſt illi in deſerto montis Sina Angelus Domini in flammeo incendio rubi.

31. Moſes vero ut vidit, admiratus eſt viſionem. Porro, quum accederet ad conſiderandum, facta eſt ad eum vox Domini:

32. Ego ſum Deus Patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob. Tremefactus autem Moſes, non audebat accedere.

33. Dixit autem illi Dominus, Solve calceamentum pedum tuorum: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.

34. Videndo vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & gemitum eorum audivi, & deſcendi ad eos liberandos. Et nunc veni, mittam te in Ægyptum.

30. *Expletis annis quadraginta.*] Ut homo erat non ſtupidus Moſes, cuivis noſtrum conjicere promptum eſt, quam multa illi in mentem venire potuerint ad labefactandam vocationis ſuæ fidem.

Captioſæ ſunt Satanæ artes: nos ad diffidentiam natura pluſquam propenſi, quæcunque de verbo Dei obrepunt dubitationes, facile admittimus. Dura mutatio, ex aulicis deliciis & vita ſplendida ad ſordidum & laborioſum paſcendi munus detrudi: præſertim vero quum tam longum temporis ſpatium effluere videret Moſes, interea in ſolitudinem relegatus, quid ſtatuere aliud potuit niſi inane ac luſorium fuiſſe quod illi Deus promiſerat? Quum jam octogenarius in paſcendo ſoceri pecore occuparetur, quando tandem uſui fore ſuam operam ſperaſſet in liberando populo? Hæc piorum certamina aſſidue meditari utile eſt, donec memoriæ noſtræ penitus inſideant, ne labaſcant animi, ſiquando nos diutius, quam pro votis noſtris, ſuſpenſos Dominus teneat. Rurſum, in eo inſigne modeſtiæ documentum edit Moſes, quod toto intermedio tempore non ſatagit: nec tumultus concitat, nec ſe ullo modo ingerit ad occupandum principatum: ut mos eſt turbulentis hominibus: ſed pecuario muneri non ſecus intentus eſt, quam ſi nunquam ad majorem provinciam eſſet vocatus. Dum autem ſic quietus expectat, in tempore illi Dominus apparet.

Viſus eſt illi Angelus Domini.] Quæritur primum, quis iſte fuerit Angelus: deinde, cur ſub tali figura conſpiciendum ſe præbuerit. Poſtquam enim Lucas *Angelum* vocavit, mox inducit ſic loquentem, Ego ſum Deus Abrahæ, &c. Reſpondent quidam, Sicuti Deus quæ ſibi maxima propria ſunt, miniſtris ſuis interdum attribuit & communicat: ita non eſſe abſurdum, ſi ad ipſos transferatur ejus nomen. Sed quum aperte pronunciet hic Angelus, ſe *Deum* eſſe æternum, qui ſolus eſt, & in quo omnia ſubſiſtunt, neceſſe eſt hoc elogium reſtringere ad Dei eſſentiam: nullo enim modo in Angelos competeret. Aptius diceretur, Angelum, quia Dei nomine loquitur, ſuſcipere ejus perſonam: acſi mandata ſua, ad verbum, tanquam ex ore Dei referret. Qui mos loquendi ſatis etiam tritus eſt Prophetis. Sed quando poſtea dicet Lucas, hunc eundem fuiſſe Angelum, cujus auſpiciis & ductu Moſes populum liberavit:
1 Cor. 10. verſ. 2. & Paulus prioris ad Corinthios decimo, Chriſtum fuiſſe ducem iſtum pronunciat: non eſt quod jam miremur, Angelum ſibi ſumere quod unius Dei proprium eſt. Statuamus itaque primo loco, nullam ab initio fuiſſe Dei communicationem cum hominibus, niſi per Chriſtum. Nihil enim nobis cum Deo, niſi adſit Mediator, qui illum nobis conciliet. Ita hic locus æternæ Chriſti divinitati luculentum teſtimonium reddit, & ejuſdem cum Patre eſſentiæ eum eſſe docet. *Angelus* porro ideo vocatur, non modo quia Angelos ſemper comites habuit, & quaſi apparitores: ſed quod illa populi redemptio noſtram omnium adumbravit, cujus cauſa mittendus erat Chriſtus à Patre, ut formam ſervi cum carne noſtra indueret. Certum quidem eſt, Deum hominibus nunquam apparuiſſe qualis eſt, ſed ſub ſpecie aliqua, quæ eorum captui congrueret. Alia tamen, ut dixi, in Chriſto nominis ratio eſt, quod æterno Patris conſilio deſtinatus hominibus ſalutis miniſter, in hunc finem Moſi apparet. Neque huic doctrinæ
Hebr. 2. verſ. 16. repugnat quod habetur ſecundo ad Hebræos capite, Chriſtum nunquam ſumpſiſſe Angelos, ſed Abrahæ ſemen. Tametſi enim Angeli ſpeciem ad tempus induit, nunquam tamen Angelicam ſuſcepit naturam: quemadmodum ſcimus vere hominem factum eſſe. Reſtat, ut aliquid de *rubo ardenti* dicamus. Tritum eſt illud, Deum ſimilitudine quadam rebus ſigna aptare. Atque hæc fere communis eſt Sacramentorum ratio. Porro nihil magis appoſitum oſtendi Moſi potuit ad confirmandam ejus fidem in præſenti negotio. Sciebat in quo ſtatu gentem ſuam reliquiſſet. tametſi ingens eſſet hominum numerus, erat tamen rubo non abſimilis. Nam ut rubus quo denſior eſt, & compactis arbuſtis magis abundat, eo ad flammam excipiendam magis eſt obnoxius, ut incendium per omnes partes graſſetur: ita infirma erat populi Iſraëlitici manus ad omnes injurias expoſita: & ſua quaſi mole gravata imbellis multitudo, Pharaonis ſævitiam tantum proſpero creſcendi ſucceſſu accenderat. Ergo populus dira tyrannide oppreſſus, veluti quædam ligni coogeries eſt incendio ubique correpta: nec quicquam obſtat quominus in cinerem mox redigatur, niſi quia Dominus in medio ejus ſedet. Quanquam autem inſolitus perſequutionum ignis tum flagrabat: quia tamen Eccleſia Dei nunquam ab afflictionibus prorſus immunis & libera eſt in mundo, hic perpetua ejus conditio quodammodo depicta eſt. Quid enim aliud ſumus quam flammæ pabulum? Innumeræ vero Satanæ faces aſſidue volitant, quæ ignem ſubjiciant & corporibus & animis: ſed Dominus mira & ſingulari gratia nos à conſumptione vindicat ac tuetur. Ardere ergo incendium neceſſe eſt, quod in hac vita nos urat. Sed quia Dominus in medio noſtri habitat, afficiet *Pſal. 46. verſ. 6.*
ne quid afflictiones nobis noceant: quemadmodum etiam Pſalmo quadrageſimo ſexto dicitur.

31. *Admiratus eſt viſionem.*] Sciamus ita Deum cum Patribus agere ſolitum fuiſſe, ut certo ejus majeſtatem agnoſcerent. voluit enim clarum eſſe diſcrimen inter viſiones quas præbuit, & Satanæ præſtigias. Atque hæc certitudo pluſquam neceſſaria eſt. Quam enim alioqui fidem haberent Dei oracula, quibus fœdus æternæ vitæ continetur? Ergo quum hæc ſola ſit vera fidei fultura, Deum habere auctorem neceſſe eſt, ut indubie ſe eum eſſe monſtret qui loquitur. Deinde quando ſemper obambulat Satan, & miris artibus ſe inſinuat, totque habet fallendi modos, præſertim vero Dei nomen fallaciter obtendit: ſedulo ab ejus ludibriis cavandum eſt. Videmus ut olim gentes omnes & Papiſtas etiam luſerit. Omnia enim ſuperſtitionum portenta, omnia errorum deliria, quæ olim fuerunt, & hodie adhuc regnant ſub Papatu, ex ſomniis, ſpectris & *falſis revelationibus* nata ſunt. Quin etiam Anabaptiſtæ ſuas illuſiones habent. Ergo unicum hoc remedium eſt, ut certis notis Deus quas præbet viſiones inſigniat. Tunc enim extra errandi periculum ſumus, quum ſuam majeſtatem nobis patefecit. Hac ratione animus Moſis admiratione percutitur: deinde ad conſiderandum accedit: poſt acceſſum propiorem Dominus eum magis vivo præſentiæ ſuæ ſenſu tangit, ut expaveſcat. Fateor quidem nihil horum eſſe quod non æmuletur Satan: ſed perperam, ut ſimia. Et Dominus non modo talibus ſignis ſe manifeſtat, ſed hebetudini noſtræ ſuppetias ferens, oculos ſimul aperit, ne hallucinemur. Deinde Spiritus ſanctus notas & ſymbola divinæ præſentiæ cordibus inſculpit, ne quid dubitationis reſtet.

32. *Ego ſum Deus Patrum tuorum.*] Nunc videmus quorſum oblata fuerit Moſi viſio: nempe, ut ſua verbo Dei auctoritas conſtaret. Parum enim nudæ viſiones prodeſſent, niſi accederet doctrina. Accedit autem non tanquam pars inferior, ſed tanquam viſionum omnium cauſa & finis. Quod autem ſe *Deum* Abrahæ, Iſaac & Jacob nominat, hujus appellationis duplex eſt ratio. Ut infinita eſt Dei majeſtas, ſi eam comprehendere volumus, potius ſenſus noſtros abſorbet: ſi ad eam aſcendere conamur, evaneſcimus. Se ergo titulis ornat & veſtit, ſub quibus comprehendi à nobis queat. Sed notandum eſt, Deum ſibi deligere titulos, quibus nos ad verbum revocet. Ideo enim Deus Abrahæ, Iſaac & Jacob vocatur, quia ſalutis doctrinam apud eos depoſuit, qua mundo innoteſceret. Verum, Deus proprie ad circumſtantiam præſentem reſpexit, quum ita Moſi loquutus eſt. nam viſio hæc, & ſpes liberandi populi, & mandatum quod Moſi daturus erat, à fœdere pendebant, quod pepigerat olim cum Patribus. Ita novitatis ſuſpicio tollitur, & erigitur animus

Moſis

Digitized by Google

Moſis ad ſperandam redemptionem, quæ in veteri Dei promiſſione fundata eſt. Perinde ergo valet elogium hoc, acſi dixiſſet Deus, Ego qui ſalutem veſtram mihi curæ fore Patribus veſtris olim promiſi, qui genus Abrahæ gratuito fœdere in fidem meam accepi, imo qui præfixi hoc tempus finiendæ gentis veſtræ ſervituti, nunc ad præſtandam dictis meis fidem tibi appareo. Quemadmodum hodie omnes Dei promiſſiones, ut nobis ſtabiles ac firmæ ſint, hoc fundamento niti oportet, quod Deus in Chriſto nos adoptavit, ſeque Patrem ac Deum nobis fore pollicitus eſt. Cæterum, ex hoc loco Chriſtus non abſ-
Mat. 22. verſ. 32. que optima ratione colligit pios eſſe poſt mortem ſuperſtites. Nam ſi totus homo in morte intereat, inepta eſſet loquutio, Ego ſum Deus Abrahæ. Fingamus nullam eſſe amplius Romam: annon ridiculus erit qui ſe vocabit Romanum Conſulem? Hoc enim exigit relatio, ut membra inter ſe reſpondeant. Alia etiam ratio conſideranda eſt, quod quum Deus vitam & mortem in manu habeat, proculdubio vivos ſervat quibus vult eſſe in patrem, & quos in filiis ſuis cenſet. ergo Abraham, Iſaac & Jacob, quamvis carne perierint, ſpiritu tamen apud Deum vivunt.

Tremefactus autem Moſes.] Poſſet hoc videri abſurdum, quod vox conſolationis plena, Moſen terreat potius quam exhilaret: ſed utile fuit, Moſem ſic terreri Dei præſentia, quo ſe ad majorem reverentiam componeret. Nec vero ſola vox Dei ejus animum percellit: ſed ipſius majeſtas, cujus ſignum in rubo ardenti cernebat. Et quid mirum, ſi homo ad Dei conſpectum tremat? Præſertim vero meminerimus, hoc modo animos ad timorem & reverentiam
Exod. 20. verſ. 22. parari: quemadmodum Exodi 20. habetur, Vidiſti ſigna, audiſti tubæ ſonitum, ut diſcas Deum timere. Sed excipiet aliquis, Cur nunc Moſes tremefactus conſiderare non audet, qui prius accedere non dubitabat? Reſpondeo, Quo propius ad Deum accedimus, prout major illius gloria affulget, ita majore nos metu jure affici. Cæterum non alia cauſa Moſem Deus tremefecit, quam ut ſibi obſequentem reddat. atque hic metus præparatio fuit non incommoda ad majorem fiduciam. Quo etiam pertinet quod ſequitur, Solve calceamentum. monetur enim hoc ſymbolo, ut Dei mandata reverenter excipiat, ac debitam illi gloriam modis omnibus præſtet.

33. *Quia locus in quo.*] Hoc loci elogio Moſis animum quaſi in cælum attollere voluit Deus, ne quid terrenum cogitaret. Quod ſi tot ſtimulis pungendus fuit Moſes, ut terræ oblitus, Deo ſe attentum præberet: annon quaſi fodiendi ſumus, quum ſimus centuplo tardiores? Quæritur tamen unde hæc loco ſanctitas? neque enim ante diem illum aliis ſanctior fuerat. Reſpondeo, hunc Dei præſentiæ non loco haberi honorem, & hominum cauſa prædicari loci ſanctitatem. Nam ſi terram ſanctificat Dei præſentia, quanto majorem ejus vim ab hominibus percipi æquum eſt? Simul tamen notandum eſt, ſic locum ad tempus ornatum fuiſſe, ut Deus ſuam illic gloriam minime affigeret: quemadmodum Jacob altare Deo erexit in Bethel, quum præſentiæ *Geneſ. 35. verſ. 7.* illic ſuæ Deus ſignum dediſſet. Idem quum poſteri imitarentur, perverſus cultus fuit. Denique, unius Moſis cauſa locus vocatur *ſanctus*, ut ſe ad timorem Dei & obſequendi ſtudium melius componat. Nunc quum Deus ubique ſe in Chriſto præſentem nobis exhibeat, idque non obſcuris figuris, ſed plena luce ac veritate ſolida: non tantum pedes calceis nudare, ſed nos totos exuere convenit.

34. *Videndo vidi.*] Nunc Deus ſe populi fore liberatorem promittit, ut Moſem miniſtrum rurſus de integro conſtituat. quia tam longo temporis ſpatio ſuperior promiſſio fuerat interrupta. Dicitur enim Deus videre mala noſtra, quum rationem noſtri habet, ac curam ſalutis noſtræ ſuſcipit: ſicuti rurſum, claudere oculos, & tergum obvertere dicitur, dum cauſam noſtram negligere videtur. Eadem eſt ratio deſcenſus. Minime opus eſt, ut ſe Deus loco moveat opis ferendæ cauſa: manus enim ejus per cælum & terram extenta eſt. ſed hoc ad ſenſum noſtrum refertur: nam quum afflictionem populi non levaret, procul abeſſe & curare aliud in cælo videri poterat. Nunc denunciat, Iſraëlitas propinquum ſibi ſenſuros. Totum huc ſpectat, ut Moſes de voluntate Dei factus certior, illum ſequi ducem non dubitet, ſeque majore fiducia impendat in populi redemptionem, quam Dei opus eſſe novit. Notandum etiam eſt, quod Deus ſe *gemitum* audiſſe commemorat. nam quum miſeros & injuſte oppreſſos reſpiciat, præcipue tamen quum in ejus ſinum deponimus gemitus noſtros & querelas, ad miſericordiam flectitur. Quanquam nomen hoc, ut ſæpe alibi, pro cæcis & confuſis querimoniis accipi poteſt, quæ ad Deum non diriguntur.

35. Hunc Moſen quem negaverant, dicentes, Quis te conſtituit principem ac judicem? hunc, inquam, Deus principem & redemptorem miſit in manu Angeli qui viſus illi fuerat in rubo.

36. Hic eduxit eos editis prodigiis & ſignis in terra Ægypti, & in mari Rubro, & in deſerto per annos quadraginta.

37. Hic eſt Moſes qui dixit filiis Iſraël, Prophetam vobis ſuſcitabit Dominus Deus veſter è medio fratrum veſtrorum, ſicut me: ipſum audite.

35. Multa omittit Stephanus. quia ad hanc ſummam properat, ut intelligant Judæi, non ideo redemptos fuiſſe Patres, quod id ſua pietate promeriti eſſent, ſed indignis præſtitum fuiſſe hoc beneficium: deinde ex illis primordiis ſperandum eſſe aliquid perfectius. Quum Moſes ordinatus à Deo vindex eorum ac redemptor, jam foret quodammodo in procinctu, viam illi præcluſerant. nunc ergo Deus quaſi invitos redimit. Quod de miraculis & portentis additur, tam ad gratiæ Dei commendationem, quam ad illuſtrandam Moſis vocationem pertinet. Mirum certe eſt quod Deus tam ingrati populi cauſa, virtutem ſuam variis portentis exerere dignetur. Sed interea ſervo ſuo auctoritatem conciliat. Ergo quod poſtea minus illi deferunt Judæi, nunc convitiis eum abigere tentant, nunc faſtidiunt, nunc cum eo rixantur, nunc illi obſtrepunt, nunc tumultuoſe in eum inſurgunt: in eo & malitiam ſuam & impium gratiæ Dei contemptum magis produnt. Ita ſemper aucta fuit indignitas, ut Deum oportuerit mira patientia certare cum tam perverſo & contumaci populo.

Principem & redemptorem.] Subaudiendæ ſunt antitheſes, quæ crimen exaggerant. Moſi paruiſſent, ſi præfectus fuiſſet à Tyranno judex: à Deo autem conſtitutus, & quidem redemptor, ſuperbe contemnitur ac reſpuitur. Ita imperium ſpernendo, impii: gratiam rejiciendo, ingrati quoque fuerunt. Quod autem adeo honorificum elogium tribuitur Moſi, in eo non ita Deus debitum ſibi honorem homini tranſcribit, ut quicquam de jure ſuo minuat. neque enim alio ſenſu *redemptor* vocatur Moſes, niſi quia Dei miniſter fuit. Atque hoc modo penes unum Deum totius operis gloria in ſolidum manet. Diſcamus ergo quoties Dei titulis ornantur homines, non ſpoliari Deum ſuo honore: ſed

quod

quod per manum eorum opus exequitur, ita commendari. Huc ſpectat quod dicit Stephanus, mandatam fuiſſe Moſi hanc provinciam in manu Angeli. Nam hoc modo ſubjicitur Moſes Chriſto, ut ſub ejus ductu ac auſpiciis obſequium Deo ſuum præbeat. *Manus* enim hic non pro miniſterio, ſed principatu capitur. Quare ſic uſus eſt Deus Moſis opera, ut Chriſti virtus ſupra ipſum emineret. quemadmodum & hodie in peragenda Eccleſiæ ſalute ſummus eſt moderator. Imo ſic homines adhibet miniſtros, ut vis & effectus ab eo ſolo pendeat.

37. *Prophetam vobis ſuſcitabit.*] His verbis non dubium eſt quin probare velit Stephanus, Chriſtum eſſe finem Legis: quamvis hoc clare non exprimat. Et ſane (ut jam diximus) non recenſet hic ad verbum Lucas quæcunque tunc à Stephano dicta ſunt: ſed rerum capita notare illi ſatis eſt. Porro ſupra capite tertio diximus ſic rite hoc teſtimonium aptari Chriſto, ut tamen aliis quoque Prophetis conveniat. Poſtquam enim Moſes populum vetuit hnc illuc pravis Gentium ſuperſtitionibus jactari, quidnam ſequi debeat, oſtendit. Non eſt, inquit, quod magos tibi vel ariolos appetas: Deus enim nunquam te Prophetis deſtituet, qui te fideliter erudiant. Jam vero certum eſt temporale fuiſſe Prophetarum miniſterium, ſicuti Legis: donec Chriſtus plenam ſapientiæ perfectionem mundo afferret. Huc itaque ſpectat Stephani oratio, Moſen, dum alium doctorem proponit ac commendat, populum non tenere ſibi uni addictum. Fuerunt quidem Prophetæ, Legis interpretes, & tota eorum doctrina, veluti appendix eorum quæ per Moſen prodita fuerant: ſed quum ſimul iſtud conſtaret, perfectius quoddam doctrinæ genus à Chriſto afferendum eſſe, ut qui finem impoſiturus eſſet prophetiis omnibus, ſequitur eum ſummo loco conſtitui: & præcipuum, ut ita loquar, magiſterium illi aſſeri, ne ambigua ſit Evangelii fides. Tenemus nunc quorſum Moſis teſtimonium inſeruerit Stephanus: nempe ut illum ipſum quem plenis buccis jactabant ſibi unicum eſſe Doctorem, oſtendat non minus indigne à Judæis mortuum contemni, quam olim dum vivebat, impie ac
proterve repudiatus fuerit. Quiſquis enim fidem *Joan. 5.*
habet Moſi, Chriſti, cujus ille fuit præco, eſſe *verſ. 46.*
diſcipulus non recuſabit. Reliqua pete ex capite tertio.

** vel, loquebatur illi in monte.*

38. Hic eſt qui fuit in Eccleſia in deſerto cum Angelo qui * loquutus illi fuerat in monte Sina, & cum patribus noſtris: qui ſuſcepit viva oracula, ut nobis daret.

39. Cui noluerunt obedire patres noſtri, ſed repulerunt, & averſi ſunt cordibus ſuis in Ægyptum,

40. Dicentes Aaroni, Fac nobis deos qui nos præcedant: nam huic Moſi qui nos eduxit ex terra Ægypti, neſcimus quid acciderit.

41. Et vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hoſtiam idolo, & lætati ſunt ſuper operibus manuum ſuarum.

38. Pergit Stephanus in narranda populi pravitate, qui tot Dei beneficiis provocatus, nunquam tamen maligne illum rejicere deſtitit. Si Deo prius immorigeri & parum grati fuerant, tam mirifica ſaltem liberatio eos ad ſaniorem mentem revocare debuerat: atqui eos ſemper ſui fuiſſe ſimiles oſtendit. Tot certe miracula non modo hærere in eorum animis, ſed in oculis etiam verſari æquum erat. Illi vero omnium obliti, ad Ægypti ſuperſtitiones repente transvolant. Recens erat duræ ſervitutis memoria, quam trajecto mari effugerant: ſed tyrannos, à quibus pluſquam inhumaniter afflicti ſunt, redemptori ſuo præferunt. Hic ergo deſperatæ impietatis cumulus fuit, quod tot Dei beneficiis frangi ac vinci eorum contumacia non potuit, quin ſemper ad ingenium redirent. Multum criminis atrocitatem auget quod dicit Stephanus, Moſen tunc fuiſſe cum illis in deſerto. Præterquam enim quod rara hic & inæſtimabilis Dei bonitas in ipſis tolerandis apparet, nihil ſibi ad excuſationem reliquum faciunt, dum tot undique anguſtiis obſeſſi, tot neceſſitatibus conſtricti, Moſen habentes ducem ſui itineris, & fidum vitæ cuſtodem, perfide nihilominus à Deo ipſo deficiunt. Denique indomitis beſtiis ſimiles fuiſſe apparet, quos Deus tot vinculis retinere in obſequio non potuit. Quod ergo illos Moſes ſub ducatu & præſidio Angeli per deſertum regere non non deſtitit, ex hac temporis circumſtantia colligere promptum eſt, quam obſtinata & inſanabilis fuerit eorum pravitas. Sicuti prodigioſæ contumaciæ fuit, non humiliari tot malis & ipſo mortis conſpectu. Quod Moſen cum *Angelo* & patribus fuiſſe dicit, longe diverſa eſt ratio. Patribus enim adfuit, ut ſe illis ducem ex Dei mandato præberet: fuit cum Angelo, tanquam miniſter. Unde ſequitur non privato homini factam fuiſſe injuriam, ſed gubernationi divinæ: quando non obſtitit utriuſque reverentia, quin populus in ſceleratam perfidiam ſe proriperet. De Angelo jam prius diximus. Sed participium λαλῶν, ambiguum ſenſum habet. nam vel de prima viſione poteſt intelligi qua vocatus fuit Moſes ad redimendum populum, vel de ſermone quem Deus cum Moſe habuit poſt trajectum mare Rubrum. Quoniam autem utroque modo ſe redemptionis eſſe auctorem teſtatus eſt Chriſtus, non multum refert utrum eligas: imo nihil impedit quominus ad utrumque extendas. Nam qui Moſi loqui ab initio cœperat, ut eum in Ægyptum mitteret, continuavit poſtea ſermonis ſui tenorem, donec perfectum eſſet opus.

Qui ſuſcepit viva oracula.] Eraſmus tranſtulit, Sermonem vivum: ſed qui Græce norunt, melius fuiſſe à me redditum quod dicit Stephanus, agnoſcent. Nam in oraculis major quam in ſermone ineſt majeſtas. Tantum de voce loquor: ſcio enim oraculum eſſe quicquid ex ore Dei manat. Porro his verbis auctoritatem Moſis doctrinæ conciliat, quia nihil in medium protulerit, niſi à Deo profectum. Unde ſequitur, non tam Moſi quam Deo in illius perſona rebelles fuiſſe Judæos. quo magis detegitur ferrea eorum improbitas. Eſt autem hæc generalis ratio ſanciendæ doctrinæ, quum homines nihil tradunt niſi divinitus ſibi mandatum. Quiſnam enim hominum Moſen ſibi poſtponere audebit: cui hoc tantum jure adhibendam fuiſſe fidem pronunciat Spiritus, quia doctrinam à Deo acceptam fideliter populo expoſuerit? Sed quæritur, cur Legem *vivum ſermonem* appellet. Videtur enim minime hoc
elogium cum Pauli verbis congruere, ubi Legem *2 Cor. 3.*
dicit eſſe miniſterium mortis, & iram operari, & *verſ. 7.*
peccati eſſe virtutem. Si intelligas Vivum ſermonem, qui ſit efficax, & qui hominum contemptu irritus fieri nequeat, nulla erit repugnantia. ſed ego active pro Vivifico poſitum interpretor: nam quum Lex pie ſancteque vivendi perfecta ſit regula, & juſtitiam Dei oſtendat, merito vitæ & ſalutis doctrina cenſetur. Quo pertinet ſolennis illa Moſis conteſtatio, dum cœlum & terram adjurat, quod propoſuerit viam vitæ & mortis. Quo ſenſu etiam Ezech. cap. 20. conqueritur Deus, Legem ſuam bonam violatam eſſe, præcepta ſua bona de quibus dixerat, Qui fecerit hæc, vivet in illis. Lex igitur

in ſe

in ſe vitam continet. Siquis tamen Viva interpretari malit efficaciæ & virtutis plena, vehementius non contendam. Quod autem miniſterium mortis dicitur, id illi accidentale eſt propter corruptam hominum naturam. Peccatum enim ipſa non generat, ſed invenit in nobis. Vitam offert: ſed nos, quia vitioſi ſumus, nihil quam mortem referre inde poſſumus. Itaque non niſi hominum reſpectu mortifera eſt. Quanquam altius reſpexit hoc loco Stephanus: neque enim de nudis præceptis loquitur, ſed totam Moſis doctrinam comprehendit, in qua incluſæ ſunt gratuitæ promiſſiones, atque adeo Chriſtus ipſe unica hominum vita & ſalus. Memoria tenendum eſt quibuſcum hominibus negotium erat Stephano. Præpoſteri erant Legis zelotæ, qui in mortua tantum & mortifera litera hærebant: ac interea contra Stephanum inſaniebant, quod Chriſtum in Lege quæreret, qui vere eſt illius anima. Oblique ergo perverſam eorum inſcitiam perſtringens, majus aliquid & excellentius in Lege reconditum eſſe ſignificat, quam ipſi hactenus noverint. Nam, ut carnales erant, externa ſpecie contenti, nihil in ea ſpirituale quærebant, imo nec ſibi oſtendi patiebantur.

Ut nobis daret.] Hoc ad diluendam calumniam valet, qua falſo gravatus fuerat. Nam quum ſe Legis jugo ſubjiciat, ſeque unum ex Moſis diſcipulis eſſe profiteatur, multum abeſt quin fidem illi apud alios abroget. quin potius objectum ſibi crimen in calumniæ auctores retorquet. Nam iſtud totius populi commune quodammodo probrum erat, quod patres Legi parere noluerant. Interea tamen admonet, non ſuo tantum ſeculo Moſen datum eſſe Prophetam: ſed ut mortui apud poſteros vigeret auctoritas. Neque enim Dei doctrinam una cum miniſtris extingui convenit, aut è medio tolli. Quid enim minus conſentaneum, quam ipſam emori, qua nobis confertur immortalitas? Sic hodie quoque ſtatuendum eſt: ſicuti ſuæ ætatis hominibus loquuti ſunt Prophetæ & Apoſtoli, ita nobis ſcripſiſſe, ac perpetuum eſſe doctrinæ illorum vigorem, quia auctorem Deum potius quam homines miniſt[illegible] referat. Admonet interea, ſiqui deſtinatum ſermonem rejiciunt, Dei conſilium rejicere.

39. *Repulerunt, & averſi ſunt.*] Moſen à patribus rejectum fuiſſe dicit: & ſimul cauſam notat, quod Ægypti ſuperſtitionibus ſe potius addixerint. Fuit autem hic horribilis & pluſquam cæcus furor, Ægypti mores & inſtituta appetere, ubi nuper tam gravia perpeſſi fuerant. *Averſos* cordibus in Ægyptum dicit, non quod illuc reverti optarint, ſed quia animos reflexerint ad eas corruptelas, quarum nulla illis memoria manere debuerat niſi cum ſumma execratione & odio. Verum quidem eſt, ſemel agitatum inter Judæos fuiſſe de reditu: ſed hiſtoriam illam Stephanus nunc non attingit. Porro contumaciam magis exprimit, quum dicit fuiſſe *averſos*. Rectam enim viam duce & rectore Deo ingreſſi, repente alio ſe proripiunt: acſi equus refractarius ſeſſoris impatiens proterve ſe retro ageret.

40. *Fac nobis deos.*] Quum variis modis curſum reflexerint Judæi, memorabile præ aliis exemplum fœdæ ac deteſtandæ eorum perfidiæ hic eligit Stephanus: quum ſcilicet vitulum ſibi fabricaverunt, quem loco Dei colerent. Nihil enim hac ingratitudine turpius fingi poteſt. Fatentur ſe redemptos eſſe ex Ægypto: neque hoc Dei gratia & Moſis opera factum eſſe diſſimulant: interea tanti boni auctorem ſimul cum miniſtro ſecure rejiciunt. Et quo prætextu? Neſcire ſe obtendunt quid Moſi acciderit. Atqui in monte eſſe non ignorant. Illuc eumtem proſequuti ſunt oculis ſuis, donec oppoſita nube Deus illum ad ſe reciperet. Sciunt præterea ſalutis ſuæ cauſa Moſen abeſſe, qui ſe in tempore rediturum promiſerat, ut Legem à Deo latam ad ipſos perferret. Juſſit tantum pauliſper quieſcere. Inſanos repente intra exiguum tempus tumultus ſine cauſa movent: ſed ut rationis colore furorem ſuum tegant vel honeſtent, deos volunt habere ſibi præſentes, quaſi vero nullum illis Deus præſentiæ ſuæ ſignum hactenus dediſſet. atqui ejus gloria quotidie in nobe & columna ignis conſpicua erat. Videmus ergo quam maligno Dei faſtidio ad idololatriam properent. ut interea taceam quam turpis & ſcelerata ingratitudo fuerit, quod illis tam brevi ſpatio miracula exciderant, quorum memoria io finem uſque mundi celebranda erat. Quare ex hac una defectione abunde patet, quam pervicax & intractabilis fuerit populus. Adde quod hanc potius rebellionis hiſtoriam, quam alias referri, ad cauſam Stephani faceret. Nam populus Dei cultum palam evertit, Legis doctrinam repudiat, peregrinam & profanam religionem inducit. Cæterum inſignis eſt hic locus, quia fontem oſtendit ex quo omne genus ſuperſtitiones ab initio fluxerunt: præſertim vero quæ fabricandis idolis prima origo fuerit: nempe, quod homo qui carnalis eſt, Deum tamen pro carnis ſuæ captu habere vult præſentem. Hæc cauſa eſt, cur ſeculis omnibus tanta in fingendis idolis, hominum laſcivia fuerit. Ac Deus quidem ſe ruditati noſtræ hucuſque accommodat, ut ſe quodammodo ſub figuris offerat viſibilem. Nam ſub Lege plurima erant ſymbola ad teſtaodam ejus præſentiam. Et hodie per Baptiſmum & Cœnam, adeoque per externam verbi prædicationem ad nos deſcendit. Verum dupliciter hic peccaot homines: primum, ordinatis à Deo mediis non contenti, nova ſibi audacter accerſunt. Hoc jam non leve eſt vitium, quod nullum modum tenentes, pruriunt ſemper ad oova figmenta, atque ita fines à Deo poſitos tranſilire non dubitant. Atqui nulla eſſe poteſt vera Dei imago, niſi quam ipſe inſtituit. quæcunque ergo præter ipſius verbum finguntur hominum arbitrio, falſæ ſunt & adulterinæ. Sequitur deinde alterum vitium non magis tolerabile, quod mens humana, ut nihil niſi craſſum & terrenum de Deo concipit, ita ad eandem craſſitiem transfert omnia divinæ præſentiæ ſymbola. Nec modo in idolis à ſe fabricatis adeo perperam ludit, ſed etiam quicquid à Deo inſtitutum fuerit io contrarium finem detorquens corrumpit ac vitiat. Deſcendit quidem, ut dixi, ad nos Deus: ſed hoc conſilio, ut nos in cælum attollat. Nos autem, qui terræ ſumus affixi, illum ſimiliter volumus in terra habere. Hoc modo deformatur cæleſtis ejus gloria, & omnino impletur quod hic dicuot Iſraelitæ, *Fac nobis deos.* Novum enim ſibi numen creat quiſquis non ſpiritualiter Deum colit. & tamen ſi omnia propius expendas, nolunt Iſraëlitæ data opera Deum habere à ſe creatum: quin potius ſub vituli aurei effigie, verum & æternum Deum habere ſe putant. Serio enim ad condictum ſacrificium adſuot: & quod Aaron pronunciat, illos eſſe deos à quibus educti ſunt ex Ægypto, conſenſu ſuo approbant. Verum Dominus frivolas iſtas imaginationes nihil moratur: ſed alienos deos in locum ſuum conqueritur ſupponi, ſimulatque à verbo ſuo vel tantillum homioes deflectunt.

41. *Et vitulum fecerunt.*] Cur hæc magis placuerit effigies, facile ex ſuperioribus verbis colligitur. Quaoquam enim innumeris idolis ſcatebat Ægyptus, bovem tamen in præcipuo fuiſſe honore notum eſt. Unde autem idoli cupiditas, niſi quia cordibus in Ægyptum averſi erant, quemadmodum jam dixit Stephanus? Notanda autem eſt loquutio, quum dicit, eos *beſtiam* idolo obtuliſſe. Edicit Aaron, ut ad colendum Deum populus conveniat: congregantur omnes. Teſtantur ergo ſibi nihil minus in animo eſſe, quam fraudare Deum ſuo cultu, ut ad vitulum transferant. quin potius illis propoſitum eſt, Deum in imagine vituli colere.

Sed quia idolum fabricando, verum Deum reliquerunt, quicquid poſtea ſequitur, idolo cenſetur dari: quia Deus pravos omnes cultus reſpuit. Neque enim æquum eſt, impenſum ei ferri quod non mandavit: & qoia nominatim vetuit viſibile ſimulacbrum ſibi erigi, ſacrilegium eſt quicquid in ejus bonorem poſtea rentatur.

Lætati ſunt ſuper operibus.] Loquutio bæc ex Iſaia ſumpta eſt, imo ex Prophetis, qui ſimiliter exprobrant Judæis, oblectatos fuiſſe ſuis figmentis. Et ſane mira dementia eſt, dum ſibi quidquam in rebus divinis arrogant homines. Lætitiam interpretor, ſolenne illud tripudium, quod refert Moſes Exodi triceſimo ſecundo capite. Commune tameo vitium Stephaous taxat, quo laborant idololatræ. Nam quum in religione nihil hominibus fas ſit ſuſcipere, niſi à Deo præſcriptum: temere quidvis excogitant, & neglecto Dei verbo, eliguot manuum ſuarum opera. Stephanus autem oſtendit, dum ita ſibi in hac licentia placent, eo magis ipſos diſplicere Deo. Quare, ſi cultum noſtrum probari volumus, ab operibus maouum noſtrarum, hoc eſt, à propriis inventis abſtinendum eſt. Nihil enim aliud quam ſacrilega profanatio eſt, quicquid à ſeipſis homines excogitant. Proprie quidem idolum probri cauſa ſic vocatur, quaſi res nihili: quia nulla ratio patitur Deum ab homine fabricari.

42. Convertit autem ſe Deus, & tradidit eos ad colendam militiam cæli: quemadmodum ſcriptum eſt in libro Prophetarum, Numquid victimas & hoſtias obtuliſtis mihi per annos quadraginta in deſerto, domus Iſraël?

43. Et ſuſtuliſtis tabernaculum Moloch, & aſtrum dei veſtri Rempham, & figuras quas feciſtis ad colendum eas. Ideo transferam vos ultra Babylonem.

42. Docet hie Stephanus, nullum Judæos feciſſe peccandi finem, ſed longius ſubinde in perverſis ſuis erroribus evaguros: ut primus ille lapſus illis velut ingreſſus in labyrinthum fuerit. Hoc autem juſtæ Dei vindictæ aſſignat, quod ab eo tempore crevit inſania, ut ſibi pro uno idolo innumera accerſerent. Admonet hoc exemplum, ut ſollicite ad ſequendam Dei regulam intenti ſimus: quia ſimulatque vel tantillum ab ea deflexiumus, buc & illuc variis deliriis raptari, implicari plurimis ſuperſtitionibus, & penitus demergi in vaſtam errorum colluviem neceſſe eſt. Atque hanc Deus pœoam juſte hominibus irrogat, qui ejus verbo parere abnuerunt. Ideo dicit Stephanus, *converſum* fuiſſe Deum: quæ loquutio perinde valet, ac Tergum obvertere. Oculos enim quodammodo in populum defixos habebat, quum ſingularem in eo regendo curam oſtenderet. nune defectione offenſus, faciem ſuam alio convertit. Hine ſimul colligere licet, non aliter poſſe nos rectam viam perſequi, niſi quum Dominus nobis regendis invigilat: averſa autem ejus facie nos ſtatim in errores abſtrahi. Jam tune quidem à Deo relicti erant Iſraëlitæ, quum vitulum fabricarunt: vetum Stephanus pœnæ atrocitatem exprimere voluit, acſi dixiſſet tunc plane in ſenſum reprobum fuiſſe conjectos. *Rom. 1. verſ. 28.* quemadmodum & Paulus eos qui gloriam Deo non dederunt quum ſe illis manifeſtaſſet, in cæcitatem & ſtuporem, & in cupiditates probroſas tradi, juſta Dei vindicta, docet. Hinc factum eſt, ex quo vitiari cœpit religio, ut paucis ſuperſtitionibus innumeræ abominationes, & levibus corruptelis craſſa idololatriæ portenta ſucceſſerint. Quia enim lucem ſibi accenſam neglexerunt homines, juſto Dei judicio prorſus obſtupefacti fuerunt, ut nihilo rectius quam brutæ pecudes judicarent. Eſt quidem fertilis idololatria, ut ex uno deo fictitio, centum mox gignantur: ex ſuperſtitione una, mille ſcaturiant. Sed hinc tanta hominum inſania, quod Deus Satanæ illos tradens, ſeipſum ulciſcitur: quia ex quo nos ſuſcepit regendos, nulla contingit in parte ejus mutatio, ſed temeraria noſtra levitate à nobis diſtrahitur.

Numquid victimas & hoſtias.] Locus hic ex quinto *Amos 5. verſ. 25.* capite Prophetæ Amos ſumptus eſt. Loqtutio qua Stephanus utitur, prophetias omnes in unum corpus fuiſſe collectas oſtendit. Cæterum Amos illic, poſtquam in idololatriam & varia populi ſcelera invectus eſt, ſubjicit, non eſſe novum boc malum, ut Deo rebelles ſint Judæi: quia jam in ipſo deſerto illorum patres à vera pietate deſciverant. Porro victimas ſibi oblatas fuiſſe negat, non quod illic nulla prorſus fuerint ſacrificia, ſed quia Deus adulterinum cultum reſpuebat. quemadmodum & apud Iſaiam expoſtulat cum populo quod nullis ab eo ſacrificiis honoratus fuerit: Tu, inquit, oon invocaſti me, *Iſa. 43. verſ. 22.* Jacob, nec ſacrificiis tuis me honoraſti, neque ego ſervire te feci in oblatione vel ſuffitu. Non emiſti mihi calamum, neque adipe ſatiaſti me: tu vero oneroſus mihi fuiſti in peccatis tuis, & ſervire me feciſti in tuis iniquitatibus. Certe ejuſmodi omnia quotidie fiebant à Judæis: ſed nullum ab *impiis* obſequium recipit Deus, vel ratum habet. deinde abominatur quicquid adventitiis mixturis fœdatum eſt. In bunc modum etiam de patribus apoſtatis loquitur Amos. Quod ſtatim ſubjicitur, vel ad eoſdem, vel ad poſteros referri poteſt.

43. *Suſtuliſtis tabernaculum Moloch.*] Copulam, adverſativæ particulæ loco quidam accipiunt: acſi diceret, Quin potius honorem exhibuiſtis idolo. Poſſet etiam in particulam cauſalem *reſolvi, hoc modo.* Non mihi obtuliſtis ſacrificia, quoniam erectum fuit à vobis tabernaculum Moloch. Ego autem paulo aliter interpretor: quod ſcilicet majoris vehemeotiæ cauſa Deus initio patres accuſet: deinde poſteros ſubjiciat in deterius ſuperſtitiones auxiſſe, quoniam nova & varia idola ſibi acciverint. acſi ita loquutus eſſet Propheta in perſona Dei, Si ab ultima vetuſtate repetam qualiter ſe genus veſtrum erga me geſſerit, ô domus Jacob, jam in ipſo deſerto patres veſtri mandatum à me cultum corrumpere ac pervertere cœpetunt: ſed vos illotum impietatem viciſtis, nam innomera deorum turba à vobis invecta eſt. Atque bic ordo ad inſtitutum Stephani melius quadrat. Vult eoim probare (ut jam dictum eſt) ex quo in alienos ac degeneres ritus prolapſi ſunt Iſraëlitæ, nullum feciſſe peccandi modum: ſed cæcitate à Deo percuſſos, novis ſubinde idololatriis ſe polluiſſe, donec ad extremum impietatis ventum eſt. Ergo Stephanus Prophetæ teſtimonio ſententiam hanc appoſite confirmat, quod Judæi ex patribus impiis ac immorigeris progeniti, tamen io pejus ruere nunquam ceſſaſſent. Cæterum quamvis paulo diverſa ſint Prophetæ verba, ſenſus tamen idem eſt. Probabile eſt Stephanum, cui ſermo erat cum Judæis, recitaſſe ad verbum, eorum lingua, quod babetur apud Prophetam: Lucas, qui Græce ſcribebat, interpretem Græcum ſequutus eſt. Propheta dicit, Honoraſtis Succuth Regem veſtrum, & Ciium imaginem veſtram, ſidus deorum veſtrotum. Græcus interpres ex proprio nomine appellativum fecit, propter affinitatem vocis Succoth, quæ tabernaculum ſignificat. Unde porro ſuum illud Rempham ſumpſerit, neſcio: niſi quod potuit nomen illud ea ætate magis eſſe uſu receptum.

Et figuras quas feciſtis.] Nomen Imaginis quod eſt apud Prophetam, per ſe nihil vitii denotat.

denotat. Nomen etiam τύπων apud Græcos in bonam partem capitur. τύποι enim vocantur omnes ceremoniæ quas Deus inſtituit. Damnat tamen nominatim Propheta τύπους à Judæis confictos. Cur iſtud, niſi quia Deus ſub viſibili & externa forma coli non vult? Siquis excipiat, mentionem hic fieri de ſideribus: verum quidem eſſe fateor: ſed in hoc tantum inſiſto, Prophetam, quamvis honeſtum nomen idolis concedat, vitioſum tamen cultum acriter & ſevere damnare. Quo refutatur inepta & puerilis Papiſtarum cavillatio. Imagines & ſtatuas quas adorant, quia negant eſſe idola, cultum in quo inſaniunt εἰκονοδουλείαν eſſe dicunt, non autem εἰδωλολατρείαν. Quum ſophiſtice Deo illudant, nemo communi tantum ſenſu præditus, non videt in talibus ineptiis pluſquam eſſe ridiculos. Nam ut de voce litem ipſis non moveam, certum eſt nomen τύπου magis honorificum eſſe quam εἰδώλου. Atqui ſimpliciter hic damnantur τύποι quos ſibi homines fabricant, non tantum πρὸς τὸ λατρεύειν, ſed πρὸς τὸ προσκυνεῖν, hoc eſt, ad quamlibet adorationem. Ergo concidit putida illa diſtinctio, in qua Papiſtæ callidum effugium habere ſe putant.

Ultra Babylonem.] Propheta Damaſcum nominat: nec diſſentit Græca interpretatio. Quare fieri poteſt ut hic nomen *Babylonis* errore obrepſerit. quanquam in ſumma rei nihil eſt diſcrepantiæ. Babylonem transferendi erant Iſraëlitæ: ſed quia præſidium ſibi certum & inexpugnabile in Syriæ regno ſtatuebant, cujus caput erat Damaſcus, ideo Propheta denunciat, Damaſcum non fore obſtaculo quin Deus illos longius expellat. acſi diceret, Quamdiu Damaſcum habetis hoſtibus veſtris oppoſitam, putatis vos egregie munitos eſſe: atqui Deus ultra vos transferet: in Aſſyriam ſcilicet atque in Chaldæam.

44. Tabernaculum teſtimonii fuit patribus noſtris in deſerto, quemadmodum ordinaverat loquens Moſi, ut faceret illud ſecundum formam quam viderat.

45. Quod etiam induxerunt qui ſucceſſerunt patres noſtri cum Jeſu in poſſeſſionem Gentium, quas expulit Deus à facie patrum noſtrorum uſque ad dies David.

46. Qui invenit gratiam coram Deo: & petiit ut inveniret habitaculum Deo Jacob.

47. Solomon autem ædificavit illi domum.

48. Sed Altiſſimus non in manufactis templis habitat: quemadmodum Propheta dicit,

49. Cælum mihi ſedes, terra vero ſcabellum pedum meorum. Qualem domum ædificabitis mihi, dicit Dominus: vel quis locus requietis meæ?

50. Annon manus mea fecit hæc omnia?

44. *Tabernaculum teſtimonii.*] Hic oſtendit Stephanus, non poſſe adſcribi culpam Deo, quod Judæi variis ſuperſtitionibus ſe polluerint, quaſi eos ſine freno vagari paſſus fuerit. Deum enim *mandaſſe* dicit, qualiter ab ipſis coli vellet. Unde ſequitur, non alia cauſa fuiſſe tot erroribus implicitos, niſi quia præſcriptam à Deo formam ſequi noluerint. Quanquam duplici eos nomine perſtringit: quod una Dei regula non contenti, temere ipſi alienos cultus ſibi finxerint: deinde, quod in templo quoque & inſtitutis à Deo ceremoniis rectum finem non ſpectarint. Nam quum ſpiritualis cultus exercitia illis deberent eſſe, pro craſſo ſuo ingenio nihil niſi terrenum & carnale apprehenderunt: hoc eſt, pro corpore ipſo umbram. Videmus ergo in Judæis primo reprehendi audaciam, quod ſimplici Dei verbo non contenti, poſt ſua commenta abrepti ſint. Deinde reprehendi præpoſterum veri ac ſinceri cultus abuſum: quia carnem pro Spiritu ſequuti ſint. *Tabernaculum*, inquit, *teſtimonii* illis fuit. Ergo nihil eos impulit ad peccandum, quam propria laſcivia & temeritas. nam quum probe edocti eſſent quænam eſſet juſta colendi Dei ratio, ſublatus erat ignorantiæ prætextus. Quod obſervatu dignum eſt. nam quum Deus voluntatem nobis ſuam patefaciens, frenum quodammodo imponat: ſi poſt acceptum ejus mandatum huc vel illuc deflectimus, duplex nos reatus manet: quia ſervus ſciens voluntatem domini ſui & non faciens, gravius vapulabit. Hæc prima nota eſt, qua degeneres ac vitioſos omnes cultus à probo & ſincero Spiritus ſanctus diſcernit. Imo, ut brevius loquar, recti cultus & idololatriæ primum eſt diſcrimen, quod pii nihil niſi ex Dei verbo ſuſcipiunt: alii autem quicquid libuit, putant eſſe licitum: atque ita ſuum arbitrium pro lege habent, quum Deus nihil probet niſi quod ipſe præſcripſit. Huc etiam pertinet *teſtimonii* nomen. Vox quidem Hebraica *moed*, ſtatutum locum & tempus, vel conventum hominum ſignificat: ſed ratio quæ exprimitur apud Moſen, aliam appellationis cauſam eſſe oſtendit. Apud quem ſæpius repetit Deus, Ego illic conveniam vobiſcum. Ergo fœdere ac verbo Domini conſecratum erat Tabernaculum, & illic aſſidue vox ejus perſonabat, ut à profanis omnibus locis differret.

Secundum formam quam viderat.] Hoc ad ſecundam partem quam attigi, refertur. Fieri enim poteſt, ut qui tantum præceptis à Deo ceremoniis utatur, perverſe tamen Deum colat. ritus enim externos Deus non moratur, niſi quatenus cæleſtis veritatis ſunt ſymbola. Ita ſtructuram Tabernaculi veteris ad cæleſtem archetypum exigi voluit, ut ſcirent Judæi non eſſe in externis figuris hærendum. Porro, quid ſibi voluerit typus ille, cujus mentio fit apud Moſem Exodi 25., petat qui volet ex meis in Epi- *Exod. 25. verſ. 40.*
ſtolam ad Hebræos commentariis. Hic breviter tan- *Heb 8. verſ. 5.*
tum admonet Stephanus, ſpiritualem fuiſſe cultum quem mandavit Deus Judæis, ſed illos pro carnali ſuo ſtupore malos ac perverſos fuiſſe interpretes. Ergo, ſicuti diximus nullum probari Deo cultum, niſi qui in ejus mandato fundatus eſt: ita hic docemur ad legitimum mandati uſum requiri, ut ſpiritualis adſit veritas. quo confeſſo, lis ſimilis erat: quam diximus verſatam fuiſſe in hoc cardine, Cedere debeant nec ne umbræ corpori. Quod dicitur Moſes *formam* vidiſſe, eo ſignificat Dei Spiritus, non licere nobis formas pro arbitrio comminiſci: ſed in forma à Deo oſtenſa defixos eſſe oportere omnes noſtros ſenſus, ut ad eam formetur tota religio. Nomen *typi* hoc loco primarium exemplar ſignificat. quod nihil aliud eſt quam ſpiritualis veritas.

45. *Quod induxerunt.*] Hoc ad augendam gentis pervicaciam facit, quod quum Tabernaculum apud eos maneret, atque illud geſtarent quocunque proficiſcerentur, non tamen potuerint in Dei teſtimonio retineri, ſed perfida levitate in alienos & profanos ritus tranſierint: nempe teſtantes in medio ſui Deum habitare, à quo tam remoti erant, & quem profligabant ex hæreditate ſibi ab illo data. Huc accedit quod Deus Tabernaculum ſuum variis miraculis ornabat: victoriis enim quibus potiti ſunt Judæi, ſancita fuit illius dignitas, ut patet ex compluribus

ſacræ hiſtoriæ locis. Valde ergo præfractos fuiſſe neceſſe eſt, qui à cultu tot modis approbato ſubinde reſilire non deſtiterunt.

1 Sam. 1. v. 3, 24. *Uſque ad dies Davidis.*] Tametſi diu in Silo ſtationem ſuam habuerit arca Domini, non tamen uſque ad regnum Davidis certa illi fuit ſedes. Neque enim hominibus fas fuit locum illi eligere, ſed collocanda fuit in eo loco quem Dominus monſtraſſet, ſicuti Moſes ſæpius meminit. Neque vero David 2 Sam. 24. verſ. 11. ipſe ab hoſtibus receptam auſus eſt in aream Areunæ adducere, donec illi per Angelum è cælo teſtatus eſt Dominus illam eſſe ſedem quam elegerat. Non immerito autem hoc in ſingulari Dei beneficio deputat Stephanus, quod oſtenſus fuit locus Davidi, in quo Pſal. 122. verſ. 1. Deum poſthac Iſraëlitæ colerent. Sicut in Pſalmo, tanquam alia re non vulgari ſibi gratulatur: Lætatus ſum in dicentibus mihi, In domum Jehovæ ibimus; ſtabiles erunt pedes noſtri in atriis tuis, Jeruſalem. Conjunctum erat ſacerdotium cum regno. Ergo in ſtatione Arcæ, regni ſtabilitas Davidi oſtenditur. Ideo tam anxie hoc optaſſe dicitur, ut ſolenni voto Pſal. 132. verſ. 3. ſe obſtringeret, non ſe prius habitaturum domi ſuæ, non daturum ſomnum oculis, nec palpebris ſuis dormitationem, donec ſciret locum Domino, & tabernaculum Deo Jacob. Porro Davidi oſtenſus fuit 1 Reg. 5. verſ. 5. locus, Solomoni vero permiſſum eſt templum extruere.

47. *Solomon ædificavit.*] Videtur hic oblique Stephanus Solomonem perſtringere, quaſi Dei naturam non reſpexerit in extruendo templo: tamen opus illud non abſque Dei juſſu aggreſſus eſt. Addita fuit etiam promiſſio, qua teſtatus eſt Deus ſe præſentem illic ſuis adfore. Reſpondeo, quum negat Stephanus Deum habitare in templis manufactis, ad Solomonem id minime referri: qui ſatis agnovit quærendum in cælo Deum eſſe, & illuc attollendas fide eſſe mentes. Quod etiam ſolenni quam habuit 1 Reg. 8. verſ. 27. precatione diſerte præfatus eſt, Cæli cælorum te non capiunt: & quanto minus domus hæc? ſed populi ſtuporem reprehendit, qui templo abuſus eſt, quaſi Deum ſibi haberet obſtrictum. Quod clarius Jeſa. 66. verſ. 1. patet ex Eſaiæ teſtimonio quod ſimul attexuit. Deus, inquit, templum ſibi voluit per Solomonem extrui, ſed longe errarunt qui eum veluti incluſum putarunt ejuſmodi ſtructura: quemadmodum per Prophetam ſuum conqueritur, injuriam ſibi à populo fieri, dum loco alligatus fingitur. Cæterum non ideo ſolum invehitur Propheta in Judæos, quod Deum ſuperſtitioſe colerent, putantes templo affixum eſſe ejus numen: ſed quia illum æſtimantes ex ſuo affectu, poſtquam ſacrificiis & externa pompa defuncti erant, fingebant ſibi placatum eſſe, adeoque obnoxium. Hic fere communis fuit omnium ætatum error, quod homines frigidas ceremonias putarunt abunde ad cultum Dei ſufficere. Ratio eſt, quia quum ſint carnales mundoque addicti, Deum imaginantur ſui ſimilem. Ergo Deus, ut hunc illis ſtuporem excutiat, ſe omnia prædicat implere.

49. Nam quod *cælum* dicit eſſe ſedem ſuam, & *terram* aſſignat ſcabellum pedibus ſuis: non ita accipi debet, quaſi ſit corporeus, vel more hominum dividi poſſit in partes: ſed quia immenſus eſt, negat ſe ullis locorum ſpatiis contineri. Falluntur itaque qui ex ſua natura Deum vel ejus cultum æſtimant. Quia autem Prophetæ negotium eſt cum hypocritis, non de eſſentia Dei tantum diſputat: ſed generaliter docet, hominibus valde eſſe diſſimilem, nec eorum more, vano hujus mundi ſplendore affici. Hic rurſum exoritur illa quæſtio, Cur Propheta nullum in mundo quietis locum Deo eſſe pronunciet, quum tamen diverſum alibi palam affirmet Spiritus Pſalmo 132. Hæc requies mea in ſeculum ſeculi. Quin Pſal. 132. verſ. 14. etiam Iſaias hoc elogio Eccleſiam ornat, quod ſit glorioſa Dei requies: ad templum ſcilicet alludens. Reſpondeo, quum præſentiæ ſuæ ſymbola in templo & ſacrificiis olim inſtituit Deus, non hoc feciſſe, ut ſe illic & ſuam virtutem affigeret. Perverſe ergo Iſraëlitæ, qui defixis in ſymbola mentibus, terreſtrem ſibi fabricati ſunt Deum. Perverſe etiam qui hoc prætextu, peccandi licentiam ſibi ſumpſerunt, quaſi in nudis ceremoniis promptum ac facilem haberent ejus placandi modum. Ita ſolet mundus cum Deo ludere. Quum externis ſymbolis Deus ſe præſentem ſuis fore teſtatur, ut in medio eorum habitet, ſurſum eos invitat, ut ſpirituali modo ab ipſis quæratur. Hypocritæ mundo impliciti, Deum potius è cælo detrahere volunt: & quum nihil habeant præter nudas figuras, ſtolida confidentia inflati, ſecure ſibi in peccatis indulgent. Sic hodie in Papatu Chriſtum imaginatione ſua includunt in pane & vino. Deinde ludicro cultu erga ſuum idolum defuncti, ſuperbe ſe efferunt, quaſi nihil ad Angelicam ſanctitatem deeſſet. Hæc duo vitia ſedulo notanda ſunt, quod homines ſuperſtitioſe mundanum ac carnalem ſibi Deum fabricant, qui ad ipſos ita deſcendat, ut maneant in terra defixi, neque ad cælum aſpirent. Deinde frivolis obſequiis placari Deum ſomniant. Hinc fit, ut obſtupeſcant in ſignis viſibilibus: deinde ut neglecta pietate, Deum puerili modo, & nihili rebus demereri ſatagant. Nunc tenemus quo ſenſu dicat Propheta, nuſquam eſſe Deo in mundo locum quietis. Templum quidem præſentiæ ſuæ ſignum ac pignus eſſe voluerat, ſed piis, qui corde in cælum aſcenderent, qui pura fide ſpiritualiter illum colerent. Sed apud ſuperſtitioſos, qui ſtupidis ſuis figmentis eum mundi elementis alligant, aut terrenum illi cultum ſtulte erigunt: apud hypocritas, qui ebria confidentia turgeſcunt, quaſi optime erga Deum defuncti ſint poſtquam in ſuis ineptiis luſerunt, non habet quietis locum. In ſumma, promiſſio fide accepta facit, ut Deus tanquam præſens nos in templo exaudiat, virtutem ſuam exerat in Sacramentis: ſed niſi fide ad ipſum aſſurgimus, nullam habebimus ejus præſentiam. Hinc colligere promptum eſt, quum in medio ſuorum habitat, nec terræ affixum eſſe, nec ullo loco comprehendi, quia ſpiritualiter ipſum in cælo quærunt.

50. *Nonne manus mea.*] His verbis admonet Propheta, neque auro, neque pretioſo templi ornatu, neque ſacrificiis Deum indigere. unde ſequitur, verum ejus cultum ceremoniis non contineri. Nihil enim eorum quæ illi offerimus ſua cauſa deſiderat, ſed tantum ut nos exerceat in ſtudio pietatis. quod argumentum fuſius tractatur Pſalmo 50. Etſi enim pudenda eſt fatuitas, Deum velle ſacrificiis paſcere: niſi tamen in ea demerſi eſſent hypocritæ, non tanti res ludicras facerent: quia inſipidum eſt coram Deo quicquid à ſpirituali cultu diſcrepat. Ideo ſciamus, nos quæri à Deo, non noſtra, quæ precario tantum ab eo obtinemus. Atque hinc ſimul patet, quam procul à carnalibus hominum figmentis diſtet, vera religio.

51. Duræ cervicis, & incircumciſi corde & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis: ſicut patres veſtri, ita & vos.

52. Quem Prophetarum non perſequuti ſunt patres veſtri? & occiderunt eos qui prænunciarunt de adventu Juſti, cujus nunc vos proditores & homicidæ facti eſtis.

53. Qui accepiſtis Legem in diſpoſitionibus Angelorum, nec ſervaſtis.

51. Quum Stephanus diſerte ad capita accuſationis non reſpondeat, libenter iis aſſentior qui plura dicturum fuiſſe putant, niſi tumultuoſe abrupta fuiſſet ejus oratio. Scimus enim qualem conſeſſum

judi-

judicum habuerit. Quare non mirum eſt, ſi ſtrepitu & inſanis clamoribus illum tacere coëgerint. Et videmus etiam eum data opera longis inſinuationibus uſum eſſe, ut eos quaſi truces belluas mulceret. Sed illorum rabiem tunc fuiſſe accenſam probabile eſt, quum oſtenderet Legem ab ipſis peſſime fuiſſe corruptam, templum eorum ſuperſtitionibus pollutum, & apud eos nihil eſſe ſincerum: quia in nudis figuris hærentes, ſpiritualiter Deum non colerent: quia ceremonias non referrent ad cæleſtem typum. Cæterum, etſi non recta ſtatim in cauſam ingreſſus eſt Stephanus, ſed paulatim lenire feroces animos tentavit: appoſite tamen diſſeruit ad purgandum quod illi objectum fuerat crimen. Duo hæc, ut dictum eſt, præcipua erant quæſtionis capita, Quod in Deum ac ejus templum contumelioſus fuiſſet Stephanus, Quod Legem abrogare conatus eſſet. Stephanus, ut calumnias iſtas dilueret, à vocatione Abrahæ exorſus, Judæos non natura, non jure proprio, non operum meritis Gentibus præcellere oſtendit: ſed gratuito privilegio, quod Deus in Abrahæ perſona eos adoptaſſet. Facit ſimiliter ad cauſam, quod fœdus ſalutis cum Abraham percuſſum erat, antequam eſſet templum, ceremoniæ, adeoque ipſa circumciſio. Quibus rebus ita gloriabantur Judæi, ut nullum ſine illis Dei cultum, nullamque ſanctitatem eſſe dicerent. Narravit poſtea quam mirifica & quam multiplex fuiſſet erga genus Abrahæ Dei bonitas, & quam male viciſſim ac perverſe populus, quantum in ſe erat, repuliſſet Dei gratiam. Unde conſtat, non poſſe ejus meritis adſcribi, quod cenſeatur Dei populus: ſed quia Deus indignum ultro ſibi elegerit, & ingrato benefacere non deſtiterit. Hoc modo ad humilitatem ſubigi ac domari poterant alti & ſuperbi eorum ſpiritus, ut ſtultæ gloriæ flatu exinaniti, ad Mediatorem venirent. Tertio expoſuit in ferenda Lege & redimendo populo præſidem fuiſſe Angelum: & Moſem ita miniſterio ſuo functum eſſe, ut alios in poſterum Prophetas fore diceret: quorum tamen ſummum eſſe aliquem principem neceſſe erat, qui finem prophetiis & vaticiniis omnibus imponeret, ac ſolidum afferret complementum. Unde colligitur, nihil minus quam Moſis eſſe diſcipulos, qui promiſſum in Lege ac laudatum doctrinæ genus una cum ipſo auctore repudiant. Oſtendit poſtremo totum veterem cultum qui à Moſe præſcriptus erat, per ſe minime æſtimandum, ſed debere potius in alium finem referri: quia ad cæleſtem archetypum formatus fuerit. Judæos autem pravos ſemper fuiſſe Legis interpretes: quia nihil niſi carnale ac terrenum conciperent. Hinc conficitur nullam templo ac Legi fieri injuriam, quum Chriſtus tanquam utriuſque finis & veritas, in medium ſtatuitur. Cæterum, quia ſtatus cauſæ in hoc præcipue cardine vertebatur, cultum Dei in ſacrificiis & aliis rebus proprie non conſiſtere, & ritus omnes nihil quam adumbraſſe Chriſtum, Stephani conſilium erat, inſiſtere potiſſimum in hanc partem, ſi paſſi fuiſſent Judæi: ſed quia ubi ad epitaſin ventum eſt, furore accenſi plura audire non ſuſtinent, deeſt eorum omnium applicatio quæ dixerat ad præſentem cauſam. Et pro epilogo acerbam objurgationem ſubtexere cogitur: *Duræ*, inquit, *cervicis.* Videmus ut ſancto zelo repente in eos excandeſcat: ſed quia videbat abſque profectu ſe verba fundere apud ſurdos, doctrinæ ſuæ contextum abrumpit. Eſt autem ſumpta ab equis aut bobus metaphora, quam frequenter uſurpat Moſes, quum dicere vult populum ſuum pervicacem ac immorigerum Deo eſſe, adeoque indomitum. Exprobratio quæ ſequitur, plus habuit apud eos vehementiæ. Circumciſio enim illis ad vitia omnia tegenda velum erat. Ergo quum *incircumciſos corde* vocat, non modo ſignificat Deo rebelles eſſe ac præfractos, ſed in eo ſymbolo quo ſuperbiebant, perfidos ac fœdifragos inveniri: atque ita quod jactabant in ſuam

Exod. 32. verſ. 9. & 33. verſ. 3, 5.

gloriam, aptiſſime retorquet in eorum dedecus. perinde enim hoc valet, acſi dixiſſet, fœdus Domini eos adulteraſſe, ut irrita eorum Circumciſio ac profana eſſet. Hæc autem loquutio ſumpta eſt ex Lege & Prophetis. quemadmodum enim Deus ſymbolum inſtituit, ita Judæos ſcire voluit quorſum circumciderentur: nempe, ut corda ſua & omnes vitioſos affectus Domino circumciderent: ſicuti legimus, Et nunc circumcidite corda veſtra Deo. Quare litera Circumciſionis, ſicuti Paulus nominat, inanis eſt ac nihili larva apud Deum. Ita quum hodie Baptiſmi noſtri veritas ſpiritualis ſit ablutio, timendum eſt ne jure nobis objici poſſit, nos minime Baptiſmi eſſe participes, quia carnem & animam habeamus ſordibus inquinatas.

Rom. 2. verſ. 28.

Vos ſemper reſtitiſtis.] Initio fratrum ac patrum nomine dignatus fuerat Stephanus, in quos tam aſpere invehitur. Quamdiu ergo ſpes erat poſſe eos ad manſuetudinem flecti, non amice modo cum illis egit, ſed honorifice eos alloquutus eſt: nunc ubi deſperatam cernit eorum contumaciam, non modo illis detrahit omnem honorem, ſed ne quid habeat cum illis commune, eos tanquam ex alieno genere ortos compellat. *Vos*, inquit, patribus veſtris ſimiles eſtis, qui ſemper in Dei Spiritum rebelles fuerunt. Atqui ex iiſdem ipſe quoque patribus originem ducebat: verum ut Chriſto ſe adjungat, genus ſuum, quatenus impium fuerat, obliviſcitur. Neque tamen omnes eodem, quod aiunt, faſciculo comprehendit, ſed turbam ipſam compellat. Cæterum *reſiſtere* Spiritui dicuntur qui eum in Prophetis loquentem contumaciter rejiciunt. Neque enim de arcanis revelationibus hic agitur, quas Deus cuique intus inſpirat: ſed de externo miniſterio. quod diligenter notandum eſt. Omnem excuſationis colorem vult Judæis tollere. Itaque exprobrat, quaſi data opera & ex propoſito, non autem ignorantia fuiſſe Deo rebelles. Unde apparet, quanti Dominus verbum ſuum faciat, & quam reverenter à nobis ſuſcipi velit. Quare, ne gigantum inſtar cum Deo bellum geramus, miniſtros quorum ore nos docet, diſcamus placide audire.

52. *Quem Prophetarum.*] Quum patrum crimen ſuſtinere non debeant, videtur iniquus eſſe Stephanus, qui inter eorum crimina quos alloquitur, hoc referat. verum juſtas cauſas habuit cur id faceret. Primum, quia ſuperbe jactabant ſe Abrahæ ſanctam eſſe progeniem, operæpretium fuit illis oſtendi, quanta eſſet iſta vanitas. acſi diceret Stephanus, non eſſe cur genus ſuum jactent, quum ex impiis Prophetarum occiſoribus ſint progeniti. Ita oblique perſtringit, quod apertius apud Prophetas occurrit, non Prophetarum eſſe filios, ſed degenerem ac ſpuriam ſobolem, ſemen Chanaan, &c. Quod idem hodie in Papiſtas referre licet, ubi ſuos patres magnifice efferunt. Deinde hoc ad amplificationem valet, quod dicit non illis novum eſſe ut veritati repugnent: ſed quaſi hæreditariam ipſos à patribus hanc malitiam habere. Porro larvam Eccleſiæ hoc modo ipſis detrahi oportuit, qua gravabant Stephanum. Erat indignum hoc præjudicium contra Euangelii doctrinam, quod ſe Dei Eccleſiam eſſe gloriabantur, huncque titulum ſibi ex longa ſucceſſione arrogabant. Stephanus ergo contra occurrit, ac demonſtrat patres eorum non minus quam ipſos impio ſanæ doctrinæ contemptu & odio adverſus Prophetas inſaniiſſe. Poſtremo hic perpetuus Scripturæ mos eſt, filios ad patrum reatum aggregare, quum iiſdem ſceleribus ſe obſtringunt. ac reſpondet celebris Chriſti ſententia, Implete menſuram patrum, donec veniat ſanguis juſtus ſuper vos, ab Abel uſque ad Zachariam.

Qui prænunciarunt.] Hinc colligimus intentos huc fuiſſe Prophetas omnes, ut gentem ſuam ad Chriſtum dirigerent: ſicuti ipſe eſt finis Legis. Prophetias omnes, quibus prædictus fuit Chriſti

Rom. 10. verſ. 4.

 adven-

adventus, colligere, nimis longum eſſet. Hoc generaliter tenere ſufficiat, commune fuiſſe Prophetis officium, ſalutem ex Chriſti gratia promittere. Nomen *Juſti*, Chriſto hic tribuitur, non modo ad notandam innocentiam, ſed ab effectu: quia proprium ejus eſt, juſtitiam in mundo conſtituere. Hoc autem loco Judæos coarguit Stephanus, pluſquam indignos eſſe redemptionis beneficio: quia jam olim patres non modo reſpuerunt quod illis teſtatum erat per Prophetas, ſed crudeliter gratiæ nuncios trucidarunt; filii vero juſtitiæ & ſalutis auctorem ſibi oblatum, conati ſunt extinguere. qua comparatione Chriſtus ſceleſtam hoſtium ſuorum conſpirationem cumulum impietatum omnium eſſe admonet.

53. *Qui accepiſtis Legem.*] Furorem quo ardebant adverſus Stephanum, vocabant zelum Legis: quaſi ipſe Legis deſertor & apoſtata, alios ad eandem defectionem impelleret. Hanc calumniam quum diluere in animo haberet, reſponſionem ſuam non pertexuit. neque enim illi dabatur audientia, & verba apud ſurdos profundere inutile erat. Ergo illis uno verbo falſum prætextum excutere contentus eſt. *Vos*, inquit, mentiri conſtat, quum obtenditis Legis ſtudium, quam vos tranſgredi & violare non ceſſatis. ac ſicuti proximis verbis proditoriam juſti cædem illis objecit: ita nunc exprobrat defectionem à Lege. Dicet quiſpiam non levari Stephani cauſam, eo quod Judæi in Legem peccent. Verum, ut diximus, Stephanus non ita eos objurgat, quaſi in hoc cardine ſua vertatur defenſio, ſed ne ſibi in fallaci jactantia placeant. Sic enim tractandi ſunt hypocritæ, qui quum ſecure Deum contemnant, videri tamen volunt acerrimi gloriæ ejus vindices. Eſt etiam hic apta antiſtrophe, quod Legem apud ſe depoſitam ſuſcipere ſimulaverant, quæ tamen ab illis contumelioſe ſpreta fuit.

In diſpoſitionibus Angelorum.] Ad verbum eſt, *in diſpoſitiones*: ſed perinde valet. Porro hujus dicti non alius interpres nobis quærendus eſt quam Paulus, qui per Angelos diſpoſitam fuiſſe Legem docet, vel ordi- Gal. 3:19.
natam. Participio enim illic utitur, unde nomen hoc deductum eſt. Intelligit autem Angelos Dei internuncios fuiſſe ac teſtes in Lege promulganda, ut rata & ſtabilis eſſet ejus auctoritas. Quum ergo Deus Angelos quaſi ad ſolennem conteſtationem advocaverit, quum Legem ſuam dedit Judæis, iidem Angeli teſtes eorum perfidiæ futuri ſunt. Et hoc conſilio, Angelorum meminit Stephanus, ut coram ipſis reos peragat Judæos, quod tranſgreſſi Legem fuerint. Hinc colligere licet, quid futurum ſit Euangelii contemptoribus, quod ſupra Legem tantopere excellit, ut ejus gloriam quodammodo obſcuret: quemadmodum tractat Paulus 2 ad Cor. 3.

54. Porro hæc audientes, diſſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus *in ipſum*.
55. Ipſe autem quum plenus eſſet Spiritu ſancto, intentus in cælum vidit gloriam Dei, & Jeſum ſtantem à dextris Dei:
56. Et dixit, Ecce, video cælos apertos, & Filium hominis à dextris Dei ſtantem.
57. Clamantes autem voce magna, continuerunt aures ſuas, & unanimiter in eum impetum fecerunt:
58. Et ejectum extra urbem, lapidarunt.

54. *Audientes hæc.*] Initium actionis aliquam judicii ſpeciem habebat: ſed tandem judices rabiem ſuam continere nequeunt. Adverſo primum murmure ac ſtrepitu abrumpitur ejus oratio. nunc infeſtis clamoribus tumultuantur, ne qua vox ad eorum aures perveniat. poſtea ſanctum virum ad mortem trahunt. Pulchre autem exprimit Lucas, quanta ſit vis Satanæ in agitandis verbi adverſariis. Quum dicit intus fuiſſe *diruptos*, non ſimpliciter excanduiſſe, ſed rabie percitos fuiſſe ſignificat. Et furor ille in dentium ſtridorem, quaſi violentus ignis in flammam, erumpit. Sic verbi Dei auditu neceſſe eſt affici reprobos omnes, quibus imperat Satan. atque hæc Euangelii conditio eſt, ut hypocritas, qui modeſti prius videri poterant, ad inſaniam adigat, quemadmodum ſi ebrius ſomnum appeteos, repente excite-
Luc. 2. tur. Ideo hoc Chriſto tanquam proprium aſſignat
vers. 35. Simeon, retegere cogitationes ex multorum cordibus. Nec tamen hoc ſalutis doctrinæ adſcribi debet: cui potius hic finis eſt propoſitus, ut ſubactos hominum animos, in Dei obedientiam reformet. Verum ubi animi à Satana poſſeſſi ſunt, ſi verbo urgeantur, fieri non poteſt quin emergat impietas. Ergo accidentale eſt hoc malum. His tamen exemplis monemur, minime ſperandum eſſe ut Dei verbum omnes ad ſanam mentem revocet. Quæ doctrina nobis ad conſtantiam valde neceſſaria eſt. Qui docendi munus ſuſtinent, fideliter obire illud & exequi nequeunt, quin Dei contemptoribus acriter ſe opponant. quum autem nunquam deſint ſcelerati homines, à quibus vilipenditur Dei majeſtas, decurrere ad iſtam Stephani vehementiam ſubinde neceſſe eſt. Non enim connivere fas eſt, ubi Deo ſuus eripitur honor. Quid autem inde eveniet? nempe, magis inflammabitur impietas. ita videbimur oleum camino (quod aiunt) addere. Verum quicquid accidat, non tamen impiis parcendum eſt: ſed fortiter premendi ſunt, etiamſi omnes inferni furias evomere debeant. ac certum eſt eos qui impiorum aures *deliciis* mulceri volunt, non tam reſpicere profectum, quam periculi timore molles eſſe. Nos vero utcunque non ſemper reſpondeat eventus votis noſtris, ſciamus fortitudinem in afferenda pietatis doctrina ſacrificium boni odoris eſſe Deo.

55. *Quum eſſet plenus Spiritu.*] Dici vix poteſt quantis anguſtiis conſtrictus fuerit ſervus Chriſti, quum ſe undique circumdatum videret rabioſis hoſtibus: bonitatem cauſæ ſuæ partim calumniis & malitia, partim vi & inſanis clamoribus oppreſſam: undique truculenti vultus inſtarent: ipſe ad dirum & horrendum mortis genus traheretur, nuſquam appareret ſubſidium vel levamen. Ergo ita deſtitutus hominum auxilio, ad Deum ſe convertit. Hoc primo loco notandum eſt, quod Stephanus in ultima rerum omnium deſperatione, dum ſola mors in oculis verſatur, ab hominum & mundi intuitu ſe avertens, in Deum vitæ & mortis arbitrum conjecerit oculos. Deinde hoc ſimul addendum, fruſtratum expectatione ſua non eſſe, quia protinus illi Chriſtus apparuit. Quanquam ſignificat Lucas jam inſuperabili Spiritus virtute fuiſſe armatum, ne quid cælorum aſpectum impediret. *In cælum* ergo reſpicit Stephanus, ut Chriſti conſpectu fretus, animum colligat, ac moriens devicta morte ſplendide triumphet. Nos vero quum in terram nimium defixi ſimus, nihil mirum ſi ſe Chriſtus nobis non oſtendat. Hinc fit ut non tantum in morte, ſed ad leviſſimum quemque periculi rumorem, atque ad ſtrepitum folii cadentis, animi nos deficiant. Et merito. ubi enim noſtra, niſi in Chriſto, fortitudo? Atqui perinde acſi nihil nobis præſidii niſi in mundo foret, cælum omittimus. Porro vitium hoc corrigi aliter non poteſt, quam ſi nos Dei Spiritus natura ad terram inflexos, ſurſum erigat. Itaque hanc cauſam aſſignat Lucas, cur Stephanus oculos in cælum intenderit: quia plenus erat Spiritu. Hoc nos etiam directore & duce in cælum

animis

animis aſcendere oportet, quoties malis urgemur. Et certe donec ipſe illuceat, nobis oculi minime adeo ſunt perſpicaces, ut ad cælum perveniant. Imo magis hebetes ſunt carnis oculi, quam ut cælum requirant.

Vidit gloriam Dei.] Significat Lucas, quemadmodum dixi, ex quo Stephanus in cælum ſuſtulit oculos, ſtatim illi viſum fuiſſe Chriſtum. ſed ante admonet fuiſſe aliis oculis donatum quam terrenis, ut quorum perſpicacia ad Dei uſque gloriam evolat. Unde nobis colligenda eſt generalis conſolatio, Deum non minus nobis adfuturum, ſi relicto mundo, ad eum ſenſus omnes noſtri contendant. non quod per externam viſiõnem nobis appareat, ſicuti Stephano: ſed ita ſe intus nobis patefaciet, ut ejus præſentiam vere ſentiamus. Atque hic modus videndi nobis ſufficere debet, quum Deus ſua virtute & gratia, non modo ſe propinquum eſſe demonſtrat, ſed etiam probat ſe in nobis habitare.

56. *Ecce, video cælos.*] Non privatim modo conſulere ſervo ſuo voluit Deus, ſed hoſtes quoque ſuos urere ac torquere: quemadmodum Stephanus illis animoſe inſultat, quum palam prædicat oblatum ſibi miraculum. Quæritur autem quomodo aperti fuerint cæli. Quantum ad me attinet, nihil in cælorum natura mutatum fuiſſe arbitror: ſed datam Stephano novam aciem, quæ per obſtacula omnia uſque ad inviſibilem regni cæleſtis gloriam penetraret. Nam ut demus fuiſſe aliquam cæli ſciſſuram, nunquam tamen hominis oculus eouſque tranſcenderet. Deinde ſoli Stephano conſpicua fuit Dei gloria. Impiis enim qui eodem loco ſtabant, non modo latebat tale ſpectaculum: ſed intra ſe excæcati, apertam veritatis lucem non cernebant. Sic ergo apertos ſibi eſſe cælos dicit, quia nihil eum impediat à gloriæ Dei aſpectu. Unde ſequitur, non in cælis, ſed potius in ejus oculis editum fuiſſe miraculum. Quare non eſt quod hic multum diſputemus de viſione phyſica: quia certum eſt minime naturali ordine vel modo, ſed nova & ſingulari ratione viſum illi fuiſſe Chriſtum. Et quos, obſecro, colores habuit Dei gloria, qui naturaliter in carnis oculos incurrerent? Ergo in hac viſione nihil niſi divinum cogitare decet. Hoc præterea notare operæpretium eſt, Dei gloriam Stephano non apparuiſſe in ſolidum qualis erat, ſed quantum ferebat hominis captus. neque enim illa immenſitas creaturæ modulo comprehendi poteſt.

Filium hominis ſtantem.] Chriſtum videt in ea carne regnantem, in qua exinanitus fuerat: ut certa in hoc uno poſita erat victoria. Non eſt igitur ſupervacuum, quod illi Chriſtus apparet. & hac cauſa etiam vocat Filium hominis. Acſi diceret, Hominem illum quem morte abolitum putatis, video cælorum imperio potiri. ſtridete ergo, ut libet: non eſt quod ad ſanguinem uſque dubitem pro eo pugnare, qui futurus eſt & cauſæ ſuæ, & ſalutis meæ vindex. Quæritur tamen, cur ſtantem viderit, qui alibi ſedere dicitur. Auguſtinus, ut eſt interdum plus æquo argutior, dicit ſedere tanquam judicem, tunc ſtetiſſe tanquam advocatum. Ego vero tametſi diverſæ ſunt iſtæ loquutiones, idem tamen utraque notari arbitror. Neque enim vel ſeſſio vel ſtatio, qualiter compoſitum ſit Chriſti corpus, deſignat: ſed hoc ad potentiam & regnum refertur. Ubi enim illi collocabimus tribunal, in quo ſedeat ad Patris dexteram: quando ſic Deus omnia implet, ut nullus dextræ ejus locus affingi debeat? Eſt igitur in toto contextu metaphora, quum *ſtare* vel *ſedere* dicitur Chriſtus ad Patris dexteram. ac ſimplex ſenſus eſt, Chriſto traditam eſſe omnem poteſtatem, ut in carne, in qua humiliatus fuerat, regnet Patris vice, ſitque illi ſecundus. Cæterum tametſi poteſtas hæc per cælum & terram diffuſa ſit, perperam tamen quidam imaginantur Chriſtum in humana ſua natura ubique eſſe. Nam quod certo loco continetur, id non obſtat quin virtutem ſuam exerat per totum mundum. Quare ſi illum gratiæ ſuæ efficacia ſentire præſentem cupimus, in cælo quærendus eſt: quemadmodum ſe illinc patefecit Stephano. Ridicule etiam ex hoc loco nonnulli contendunt, Stephano appropinquaſſe, ut videri ab eo poſſet. Diximus enim, Spiritus virtute ita per fidem evectos fuiſſe Stephani oculos, ut nulla locorum diſtantia eorum aciem abrumperet. Fateor quidem, proprie loquendo, hoc eſt, philoſophice, nullum ſupra cælos eſſe locum. Sed hoc mihi ſatis eſt, perverſum eſſe dilirium, Chriſtum alibi quam in cælo & ſupra mundi elementa locare.

57. *Clamantes voce magna.*] Vel hæc fuit zeli oſtentatio, quemadmodum ſemper fere hypocritas ambitio impellit, ut immodico fervore ebulliant: ſicuti Caiaphas ad illam Chriſti vocem, Poſthac videbitis filium hominis &c. veſtes ſuas in ſignum indignationis ſcindit, acſi eſſet intolerabilis blaſphemia: vel certe tam grave illis tormentum fuit gloriæ Chriſti præconium, ut inſania ipſos crepare oporteat. In quam ſententiam magis inclino: poſtea enim dicit Lucas, quaſi impetu raptos eſſe, ut ſolent qui ſibi temperare nequeunt, ſubito & intemperanter proſilire.

58. *Lapidarunt.*] Hoc pœnæ genus in Pſeudoprophetas Deus in Lege conſtituerat: quemadmodum habetur Deuteronomii decimo tertio. ſed Deus illic etiam, quiſnam in eo numero habendus ſit, definit: nempe, qui populum abducere conatus fuerit ad deos alienos. injuſta ergo & nefaria fuit Stephani lapidatio, quod falſo crimine damnatus eſt. Sic Chriſti Martyres ſimilem cum ſceleratis pœnam ſubire oportet. Sola eſt cauſa quæ ipſos diſcernit: ſed tanti eſt coram Deo, & coram Angelis ejus hoc diſcrimen, ut Martyrum probra dignitate omnes mundi glorias ſuperent. Quæri tamen hoc loco poteſt, Quomodo Judæis Stephanum lapidare licitum fuerit, quibus ablatum erat imperium. nam in Chriſti cauſa reſpondent, Nobis fas non eſt interficere quenquam. Reſpondeo, per vim & tumultum hoc feciſſe. Quod autem hoc facinus non ultus eſt Præſes, fieri poteſt ut in populo turbulento & prope indomito multa diſſimulanter tulerit, ne odium quo flagrabat Chriſti nomen, in ſe provocaret. Videmus præſertim Romanos Præſides de induſtria connivere ſolitos ad inteſtinas illius gentis diſcordias: ut mutuo confecti citius deinde ſubigerentur.

Teſtes autem depoſuerunt veſtimenta ſua ad pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus.

59. Et lapidabant Stephanum, invocantem, ac dicentem, Domine Jeſu, ſuſcipe ſpiritum meum.

60. Poſitis autem genibus clamavit voce magna: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et hoc dicto, obdormivit.

61. Saulus autem conſentiebat in necem ejus.

Teſtes autem.] Significat Lucas, in tumultu illo ſervatam tamen fuiſſe aliquam judicii ſpeciem. Non fuerat hoc temere mandatum, ut lapidationis initium fieret à teſtibus: quia ubi propriis manibus perpetranda eſt cædes, multos tenet religio, qui alioqui minus horrent linguæ perjurio jugulare innoxios. Sed interim colligimus, quam cæca & veſana fuerit teſtium iſtorum impietas, qui jam lingua homicidæ, ſanguinarias etiam manus inſonti afferre non dubitent. Quod *depoſitas* dicit fuiſſe veſtes ad

pedes Sauli, oſtendit per eum non ſtetiſſe, quominus in ſenſum reprobum conjectus, cum aliis periret. Quis enim deſperatum non putaret, qui ſuam adoleſcentiam tali jam tirocinio imbuerat? Neque ætas ad extenuandum crimen exprimitur, quemadmodum imperiti quidam in eo laborant: jam enim eo ætatis pervenerat, ut excuſatio ab inſcitia peti non poſſet. Et paulo poſt referet Lucas, miſſum fuiſſe à ſummo Sacerdote ad perſequendos fideles. Pueritiam ergo exceſſerat, ut jam inter viros cenſeri poſſet. Cur ergo adoleſcentiæ fit mentio? nempe, ut ſecum quiſque reputet, quantum nociturus Eccleſiæ fuerit, niſi mature eum cohibuiſſet Chriſtus. Atque in eo nobilius tum potentiæ Dei, tum gratiæ ſpecimen refulget, quod immanem belluam in ſummo fervore momento domuit, & quod tam honorifice miſerum homicidam extulit, qui ſuo ſcelere jam fere uſque ad inferos demerſus erat.

59. *Invocantem.*] Quia jam ſatis verborum apud homines perdiderat, merito ad Deum ſe convertit, & ad omnia perferenda precibus ſe armat. Nam quum in toto militiæ noſtræ curſu ad Dei ſuppetias ſingulis momentis confugere neceſſe fuerit, in ultimo conflictu, qui omnium eſt duriſſimus, maxime neceſſaria eſt Dei invocatio. Quam vero præcipiti rabie correpti fuerint, iterum exprimit Lucas: quod quum ſervum Chriſti ſuppliciter precari viderent, tamen non fuerit mitigata eorum truculentia. Porro bimembris hic Stephani precatio refertur. Priore membro, ubi ſpiritum ſuum Chriſto commendat, fidei ſuæ conſtantiam oſtendit. Altero, ubi orat pro inimicis, charitatem teſtatur erga homines. Quum his duabus partibus conſtet tota pietatis perfectio, habemus in morte Stephani rarum pie ſancteque moriendi exemplum. Credibile eſt, pluribus aliis verbis fuiſſe uſum, ſed huc redibat ſumma.

Domine Jeſu.] Jam dixi, precem hanc fiduciæ teſtem fuiſſe: & certe ingens fuit animi magnitudo, quod lapides jam volitare cernens quibus mox ſit obruendus, diras undique execrationes & probra in caput ſuum audiens, ſecure tamen in Chriſti gratiam recumbit. Ita ſcilicet Dominus ſervos ſuos interdum vult quaſi in nihilum redigi, quo mirabilior ſit eorum ſalus. Nos vero hanc ſalutem definiamus non carnis noſtræ ſenſu, ſed fide. Et videmus, ut minime carnis judicio Stephanus indulgeat, quin potius ſe in ipſo interitu ſalvum fore confidens, æquo animo oppetat mortem. Hoc enim proculdubio infixum
Col. 3: 3. gerebat, vitam noſtram cum Chriſto abſconditam eſſe in Deo. Itaque jam de corpore minime ſollicitus, animam ſuam in Chriſti manus depoſuiſſe contentus eſt. Neque enim ex animo ita precari poterat, niſi præſentis vitæ oblitus, & prorſus abjecta ejus cura. Quamdiu verſamur in mundo, quia mille mortibus ſumus ſemper obſeſſi, ſpiritum noſtrum quoti-
Pſal. 31. verſ. 6. die in Dei manus cum Davide commendare nos decet, ut ſcilicet vitam noſtram à periculis omnibus eripiat: ſed ubi certo ad mortem vocamur, confugiendum eſt ad hanc precem, ut Chriſtus ſpiritum
Luc. 23. verſ. 46. noſtrum ſuſcipiat. Nam in hunc finem ſpiritum ipſe ſuum depoſuit in Patris manus, ut noſtrorum perpetuus ſit cuſtos. Hæc inæſtimabilis conſolatio eſt, quod ſcimus animas noſtras è corporibus migrantes, non fortuito vagari, ſed à Chriſto ſuſcipi in fidelem cuſtodiam, ſi modo eas in ipſius manum deponimus. Hæc fiducia inſtituere nos debet ad placidam mortis tolerantiam: imo quiſquis ſerio fidei affectu animam ſuam Chriſto commendat, neceſſe eſt ut ejus arbitrio ſimul obedienter totum ſe reſignet. Cæterum hic locus claro teſtimonio eſt, animam hominis non evanidum eſſe flatum, ut quidam phrenetici delirant, ſed eſſentialem ſpiritum, & huic vitæ ſuperſtitem. Hinc præterea docemur, Chriſtum rite & legitime à nobis invocari: quoniam omnis illi poteſtas ideo à Patre data eſt, ut in ejus fidem ſe omnes conferant.

60. *Poſitis genibus clamavit.*] Altera pars eſt precationis: in qua Stephanus hominum amorem cum fide in Chriſtum conjungit. & certe ſi cupimus Chriſto in ſalutem aggregari, hunc nos affectum induere oportet. Stephanus pro inimicis orans, & quidem capitalibus, & ipſo temporis articulo quo eorum ſævitia ipſum ad vindictæ cupiditatem ſtimulare poterat, ſatis declarat quo ſit in omnes alios affectu. Quod autem Stephanum feciſſe narrat Lucas, ſcimus nobis omnibus à Chriſto præcipi. ſed quia *Matth. 5. verſ. 44.*
vix quicquam eſt difficilius quam injurias ita remittere, ut his bene precemur, qui nos perditos volunt: ideo intuendus ſemper nobis eſt ante oculos Stephanus in exemplum. Clamat quidem voce magna, ſed nihil præ ſe fert coram hominibus, quod non ſincere & ex animo dici, teſtis ſit Deus ipſe. Vocem tamen attollit, ne quid ad mitigandam hoſtium ferociam prætermittat. Non ſtatim apparuit profectus, certum tamen eſt, non fruſtra eum oraſſe: & Paulus illuſtre documentum eſt, non omnibus ſtatutum fuiſſe peccatum hoc. Equidem non dicam cum Auguſtino, Niſi Stephanus oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet: eſt enim hoc duriuſculum: tantum dico, quod Paulo Deus ignovit, ex eo conſtare non fuiſſe irritum Stephani votum. *Exoritur hic quæſtio*, Quomodo pro his oret Stephanus, quos nuper dixerat Spiritui ſancto rebelles eſſe? atqui hoc videtur eſſe contra Spiritum peccatum, cui in perpetuum venia negatur. Reſponſio facilis eſt, generaliter pronunciari de omnibus, quod paſſim in multos competit. Ergo non ita corpus populi rebelle dixit, quin aliquos exciperet. deinde ſupra expoſui qualem reſiſtentiæ ſpeciem illic damnaret: neque enim protinus ſequitur in Spiritum ſanctum peccare, qui ad tempus illi repugnant. Quum petit, *Ne* ſtatuat Deus illis peccatum, hoc intelligit, ne reatus in illis reſideat.

Hoc dicto obdormivit.] Hoc additum eſt, ut ſciamus editam inter ultimos ſpiritus fuiſſe vocem illam: quod miræ conſtantiæ documentum eſt. placidum etiam mortis genus notat dormitio. Jam quia moribundus hanc precationem concepit, *non ſpes* impetrandæ veniæ ipſum agebat, ut tantopere de hoſtibus ſuis molliendis anxius eſſet: ſed tantum ut reſipiſcerent. *Dormiendi* verbum, quum pro Mori capitur in Scriptura, ad corpus referri debet: ne quis cum indoctis hominibus ridicule fingat animas etiam dormire.

CAP. VIII.

FActa eſt autem illo die perſequutio magna adverſus Eccleſiam quæ erat Jeroſolymis. Itaque diſperſi ſunt omnes per regiones Judææ & Samariæ, præter Apoſtolos.

2. Curarunt autem una Stephanum viri religioſi, & fecerunt planctum magnum ſuper eum.

3. Saulus autem vaſtabat Eccleſiam, ingrediens domos, & inde trahens viros ac mulieres, tradebat in cuſtodiam.

4. Illi autem diſperſi peragrabant annunciantes ſermonem Dei.

1. In hac hiſtoria primum oſtenditur piorum conditio in hoc mundo. nempe, quod ſint velut oves *Pſal. 44. verſ. 23.* mactationi deſtinatæ, ſicuti in Pſalmo habetur: ac præſertim ubi Dominus hoſtibus frenum laxat, ut conceptam animi ſævitiam exequi poſſint. Exitus deinde perſequutionum oſtenditur: quod ſcilicet adeo non abrumpunt Euangelii curſum, ut potius ad eum provehendum admirabili Dei conſilio adjumenta fiant. Quemadmodum illuſtre miraculum fuit, quod diſperſio, cujus meminit Lucas, multos qui prius alienati à Deo fuerant, in fidei unitatem collegerit. Nunc ſingula ordine expendamus.

Illo die.] Initium à Stephano fuit: inde accenſa rabies promiſcue in omnes exarſit. Impii enim non ſecus ac feræ beſtiæ guſtatum ſanguinem multo avidius expetunt, & ipſis cædibus magis ac magis efferantur. Satan enim omnis ſævitiæ pater, illos innoxio ſanguine imbutos primum humanitatis ſenſu exuit: deinde ſitim inexplebilem in ipſis excitat. hinc violenti iſti ad trucidandum impetus, ut ſemel exorſi, nunquam ſponte deſinant. Adde quod quum impune nocendi facta eſt poteſtas, ſucceſſu ipſo creſcit audacia, ut magis intemperanter ruant. quod etiam notat Lucas, quum dicit, *magnam* fuiſſe perſequutionem. Prius certe non omnino quieta erat Eccleſia, neque ab improborum vexatione immunis, ſed Dominus ſuis ad tempus parcebat, ut aliquid laxamenti haberent: nunc vero durius urgeri cœperunt. Hæc etiam ad noſtrum tempus accommodanda ſunt. Siquando velut ſopitus videtur hoſtium furor, ut flammas procul non egerat, ſciamus Dominum imbecillitati noſtræ conſulere: ſed interea ne fingamus nobis perpetuas inducias, verum parati ſimus ad majores inſultus ſuſtinendos, quoties ſubito eruperint. Meminerimus etiam, ſiquando unius hominis conſtantia reprobos ad crudelitatem acuit, ipſi inique adſcribi mali culpam. neque enim Stephanum ignominia notat Lucas, quum ejus occaſione Eccleſiam ſolito gravius fuiſſe vexatam recitat: ſed hoc magis in laude ejus ponit, quod tanquam anteſignanus reliquos ad fortiter pugnandum animadvertit ſuo exemplo. Quum *Jeroſolymitanam* Eccleſiam nominat, non intelligit alibi quoque fuiſſe Eccleſias, ſed tranſitum ſibi ad ea facit quæ inde ſequuta ſunt. Quum enim unicum eſſet hoc in mundo corpus piorum, fuga laceratum fuit: ſed ex mutilis membris ac diſſipatis, ſtatim ortæ ſunt plures Eccleſiæ, & ita corpus Chriſti longe lateque diffuſum fuit, quum prius intra muros Jeroſolymæ incluſum eſſet.

Diſperſi ſunt omnes.] Certum eſt non fuiſſe omnes diſperſos. verum Scriptura univerſali nota utitur, pro eo quod dicimus, Paſſim aut Vulgo. Summa eſt, non fuiſſe paucis quibuſdam periculum: quia per totam Eccleſiam graſſata ſit hoſtium crudelitas. Multi ſæpe animi mollitie ad leviculum rumorem diffugiunt, ſed horum longe diverſa eſt ratio. neque enim temere conſternati fugam arripiunt, ſed quod non poſſe aliter ſedari impiorum furorem videbant. Dicit autem, non modo per varia Judææ loca fuiſſe diſſipatos, ſed uſque in Samariam veniſſe: ita *Epheſ. 2. verſ. 14.* dirui cœpit medius paries, qui Judæos à Gentibus dividebat. Samariæ enim converſio, quaſi primitiæ fuerunt vocationis Gentium. Quanquam enim communis illis Circumciſio erat cum populo Dei, ſcimus tamen magnum fuiſſe diſſidium. neque id immerito, quum in Samaria non niſi fictitium Dei cultum fuiſſe, Chriſtus pronunciet, quia tantum inſipida erat æmulatio. Januam ergo Deus tum Euangelio aperuit, ut Chriſti ſceptrum Jeroſolyma emiſſum ad Gentes uſque perveniret. Ab hoc numero Apoſtolos excipit, non quod illi eſſent extra communa periculum, ſed quia boni paſtoris eſt luporum incurſus excipere pro ſalute gregis. Quæri tamen poteſt, Quum mandatum haberint ſpargendi per totum orbem Euangelii, cur Jeroſo- *Marc. 16. verſ. 16.* lymæ ſubſtiterint, etiam quum vi & manu illinc expellerentur? Reſpondeo, Quum juſſiſſet illos Chriſtus ab Jeroſolyma incipere, illuc incubuiſſe, *Luc. 24. verſ. 47.* donec alio ejus manu deducti, certo ſcirent illum ſibi eſſe ducem. Et videmus quam timide progreſſi ſint in publicando Euangelio: non quod refugerent injunctum ſibi munus, ſed quia ad rem novam & inſolitam ſtupebant. Ergo quum Jeroſolymæ videant tam potenter oppugnari Euangelium, alio tranſire non audent, donec primam illam difficultatum molem perruperint. Certe nec otio ſuo, nec ſecuritati, nec commodis, illic ſubſidendo, conſulunt: laborioſam enim provinciam ſuſtinent: inter varia diſcrimina aſſidue verſantur: conflictantur cum ſummis moleſtiis: quare non dubium eſt, quin illis partes ſuas exequi propoſitum ſit. Præſertim vero quod omnibus aliis fugientibus manent, id clarum documentum eſt intrepidæ conſtantiæ. Siquis objiciat, Potuiſſe inter ſe partiri ac diſtribuere provincias, ut non omnes uno in loco occuparentur: reſpondeo, ſolam Jeroſolymam ſatis omnibus exhibuiſſe negotii. In ſumma, hoc tanquam laude dignum commemorat Lucas, quod alios vitandæ perſequutionis cauſa, in voluntarium exilium ſequuti non ſint. Neque tamen horum fugam reprehendit, quorum liberior fuit conditio. Reputabant enim Apoſtoli, quid ſingulare haberet ſua vocatio. nempe, ut lupis in ovile incurrentibus, ſtationem ſuam ſervarent. Nimius fuit ille Tertulliani ac ſimilium rigor, qui indifferenter fas eſſe negabant perſequutionis metu fugere: melius Auguſtinus, qui fugam ita permittit, ne deſertæ à paſtoribus Eccleſiæ hoſtibus prodantur. Hoc certe optimum eſt temperamentum, quod neque carnis timiditati nimis indulget, nec temere in mortem præcipitat quibus vitam ſuam ſervare licet. Legat qui volet Epiſtolam 180. ad Honoratum. Ut redeam ad Apoſtolos: ſi perſequutionis metu inter ipſa exordia diſperſi fuiſſent, quis non jure mercenarios dixiſſet? quam noxia & turpis in præſens fuiſſet loci deſertio? quantopere fregiſſet omnium animos? quantum apud poſteros exemplo nocuiſſet? Accidet quidem interdum, ut Paſtori quoque fugere liceat: hoc eſt, ſi ſolus ipſe impetitur, ſi non timetur propter ejus abſentiam Eccleſiæ diſſipatio. Quod ſi commune illi eſt cum grege certamen, niſi ad extremum ſuſtineat, perfidus eſt officii deſertor. Privatis major eſt libertas.

2. *Curaverunt Stephanum.*] Oſtendit Lucas, in ipſo perſequutionum ardore non ſic tamen concidiſſe piorum animos, quin zelo flagrantes, pietatis officia colerent. Res exigui momenti eſſe videtur ſepultura: potius quam eam negligant, non obſcurum adeunt vitæ diſcrimen. Quemadmodum autem fortiter mortem eos contempſiſſe, temporis circumſtantia teſtatur: ita ex eadem viciſſim colligimus, non ſine magna & neceſſaria cauſa fuiſſe in hac re tam ſollicitos. Hoc enim ad exercendam eorum fidem plurimum intererat, non relinqui projectum & feris expoſitum ſancti Martyris corpus, in quo nobilem triumphum Chriſtus pro Euangelii ſui gloria egerat. Nec vero poterant Chriſto vivere, niſi Stephano in mortis ſocietate maggregari parati eſſent. Sepeliendi ergo Martyris ſtudium, illis ad invictam profitendæ fidei conſtantiam meditatio fuit. Itaque in re ſupervacua non ſatagebant, ut adverſarios inconſiderato zelo provocarent. Quanquam generalis etiam ratio, quæ ſemper & ubique apud pios valere debet, proculdubio apud eos pondus habuit. nam ſepeliendi ritus ad ſpem reſurrectionis ſpectat, ſicuti in hunc finem divinitus ordinatus fuit ab initio mundi. Quare immanis hæc barbaries ſemper habita fuit, corpora inſepulta ſponte relinquere. Neſciebant profani homines, quorſum tam ſanctum jus ſepulchri eſſe ducerent: nobis

vero

vero finis nnn eſt incognitus, nempe ut agnoſcant ſuperſtites, mandari terræ carpora velut in cuſtodiam, donec inde excitentur. Unde apparet, vivis potius quam mortuis utile eſſe boc officium. Tametſi humanitatis quoque noſtræ eſt, debitum impendere corporibus honnrem, quibus beatam immortalitatem prnmiſſam eſſe ſcimus.

Fecerunt planctum magnum.] In planctu quoque pietatis & fidei profeſſionem commendat Lucas. Facit enim plerumque triſtis & infauſtus eventus, ut quæ prius cauſæ placuerant, relinquantur. Iſti contra luctu ſun declarant, ſe morte Srephani minime terreri, quominus in cauſæ approbatione perſtent: ſimul, quantam unius hnminis interitu jacturam fecerit Dei Eccleſia, conſiderant. Repudianda autem eſt veſana illa philoſophia, quæ homines prorſus ſtupidos eſſe jubet, ut ſapiant. Stoicos olim ſenſus communis expertes fuiſſe oportet, qui affectus omnes arcebant ab homine. Hodie quidam fanatici eadem deliria libenter in Eccleſiam inveherent. & tamen quum ferreum ab aliis pectus exigant, nihil illis eſt mollius vel magis effœminatum. Lachrymulam unam in aliis ferre non poſſunt: ſiquid illis præter animi votum accidat, nullus eſt lamentationis modus. Ita ſcilicet eorum arrogantiam jocoſe, ut ita loquar, Deus ulciſcitur, quum vel pueris ridendam propinat. Nos vero ſciamus affectus, quos humanæ naturæ Deus indidit, per ſe non magis eſſe vitioſos, quam ipſum auctorem: ſed primum à cauſa æſtimandos eſſe: deinde, ſi modum ac moderationem tenent. Dei certe donis qui gaudendum eſſe negat, trunco vel lapidi magis ſimilis eſt quam homini: ergo, quum auferuntur, non minus erit licitus dnlor. Ac ne extra præſentem locum egrediar, fideles non in tntum lugere vetat Paulus quum aliquis ſuorum illis morte eripitur, ſed diſcrimen eſſe vult inter ipſos & incredulos: quia ſpes illis ſolatium eſſe debet, & impatientiæ remedium. Ipſa enim mortis origo nobis merito luctuoſa eſt: ſed quia vitam ſcimus in Chriſto reſtitui, habemus quod ad ſedandum dolorem ſufficiat. Similiter, quum Eccleſiam dolemus privari raris & præſtantibus viris, legitimam cauſam habet dnlor: tantum petenda eſt conſolatio, quæ exceſſum corrigat.

3. *Saulus autem.*] Duo hic notanda ſunt: quanta fuerit hoſtium atrocitas, & quam mirifica bonitas Dei, qui Paulum dignatus eſt ex tam crudeli lupo facere paſtorem. Illa enim vaſtandi libido qua fervebat, ſpem omnem præcidere videbatur. Itaque eo illnſtrior poſtea fuit ipſius converſin. Nec dubium eſt, hanc divinitus inflictam ei fuiſſe pœnam ex qun in mortem Stephani cum aliis impiis conſpiraverat, ut ſignifer eſſet crudelitatis. Sæpe enim gravius in electis quam in reprobis peccata Deus ulciſcitur.

4. *Illi autem diſperſi.*] Et bic Lucas incredibili Dei providentia factum eſſe narrat, ut fidelium diſſipatio ad fidei unitatem multos adduceret: ita ſolet Dominus lucem ex tenebris, & vitam ex morte elicere. Nam vnx Euangelii, quæ uno tantum in loco audiebatur, nunc ubique perſonat. Interea monemur hoc exemplo, perſequutionibus minime cedendum eſſe: ſed potius ad fortitudinem colligendos eſſe animos. Nam quum aufugiunt fideles Jeroſolyma, neque exilio ac præſentibus miſeriis, nec ullo in poſterum metu franguntur, ut degenerent ad ignaviam vel tarditatem: ſed in ipſa calamitate perinde ſunt ad Chriſtum prædicandum alacres, acſi nihil unquam ſubiiſſent moleſtiæ. Quin etiam videtur notare Lucas, hoſpitia ſubinde mutando erraticam vitam egiſſe. Ergo, ſi cupimus horum cenſeri fratres, ſedulo nnbis inſtemus, ne ulla nos crucis acerbitas aut ullus metus exanimet, quin pergamus in edenda fidei confeſſinne: nec unquam in promovenda Chriſti doctrina fatigemur. Eſt enim abſurdum, ut exilia & fugæ, quæ martyrii tirocinia ſunt, mutos & exanimes nos reddant.

5. Philippus autem quum veniſſet in urbem Samariæ, prædicavit illis Chriſtum.

6. Attentæ autem erant turbæ his quæ dicebantur à Philippo, unanimiter audientes & videntes ſigna quæ edebat.

7. Nam quum ſpiritus immundi multos detinerent, clamantes voce magna, exibant. Multi quoque paralytici & claudi ſanati fuerant.

8. Ita fuit gaudium magnum in urbe illa.

9. Vir autem nomine Simon, prius fuerat in urbe, artem magicam exercens, & dementans gentem Samariæ: dicens ſe eſſe aliquem magnum.

10. Cui intenti erant omnes, à parvo uſque ad magnum, dicentes, Hic eſt virtus Dei magna.

11. Intenti autem erant, quod multo tempore ejus magiis obſtupefacti fuerant.

12. Porro quum Philippo credidiſſent euangelizanti de regno Dei, & nomine Jeſu Chriſti, baptizati ſunt viri ſimul ac mulieres.

13. Ac ipſe quoque Simon credidit, & baptizatus adhærebat Philippo: videnſque ſigna & virtutes magnas quæ fiebant, obſtupebat.

5. Dixit Lucas, paſſim omnes annnnciaſſe Dei ſermonem: nunc peculiariter meminit Philippi, tum quod efficax & fructunſa præ aliis fuerit ejus prædicatio, tum quod ſequutæ ſint memorabiles hiſtoriæ, quas deinde attexet. *Urbem* Samariæ poſuit, pro urbe Samaria, quæ ab Hircano diruta, & rurſus ab Herode inſtaurata, Sebaſte vocata eſt. Vide Joſephum libro Antiquitatum decimn tertio, & decimn quinto. Quum dicit, *prædicatum* fuiſſe Chriſtum à Philippo, totam Euangelii ſummam in Chriſto comprehendi ſignificat. Loquutio altera quam paulo poſt ſubjicit, plenior quidem eſt: idem tamen valet. Conjungit regnum Dei cum Cbriſti nomine: ſed quia per Cbriſtum conſequimur hoc boni, ut in nobis Deus regnet, ac renovati in ſpiritualem juſtitiam, mundoque mortui, cæleſtem vitam agamus: ideo hanc quoque partem ſub ſe continet Chriſti prædicatio. Huc autem redit ſumma, ut mundum perditum Chriſtus ſua gratia reparet. quod fit, dum Patri nos reconciliat: deinde, quum nos regenerat ſuo Spiritu, ut profligato Satana, regnum Dei in nnbis erigatur. Porro quum ante narraverit, Apoſtolos non moviſſe pedem Jeroſolyma, probabile eſt unum ex ſeptem Diaconis, cujus etiam filiæ prophetabant, bic deſignari.

6. *Attentæ autem erant.*] Quomodo amplexi ſint Philippi doctrinam Samaritæ, refert Lucas. Dicit enim eos audiſſe, unde guſtum aliquem ceperunt. acceſſit ſtimulus alter ex miraculis: tandem ſequuta eſt attentio. Hic eſt legitimus ad fidem progreſſus. Qui enim doctrinam necdum auditam reſpuunt, quomodo ad fidem unquam pervenirent, quæ ex Rom. 10.
auditu naſcitur? Ergo quod ſe ad audiendum faciles vers. 14.
præbuerunt, ad reverentiam & attentionem primus fuit

fuit gradus. Ac proinde non mirum eſt, ſi tam rara hodie ac pene nulla ſit in mundo fides. quotuſquiſque enim aurem Deo loquenti præbere dignatur? Ita ſit, ut major pars veritatem incognitam, ac ne minimo quidem guſtu libatam, rejiciat. Cæterum, quemadmodum fidei exordium eſt auditus: ita per ſe non ſufficeret, niſi animos ſimul afficeret doctrinæ majeſtas. Et certe, quiſquis negotium ſibi eſſe cum Deo reputat, fieri non poteſt, ut contemptim ipſum audiat loquentem: & ipſa doctrina, quæ ejus verbo continetur, auctoritatem ſibi acquiret. ita ſponte ex auditu fluet attentio. Quantum ad miracula ſpectat, ſcimus duplicem eſſe eorum uſum: ut nos ad audiendum Euangelium præparent, & in ejus fide confirment. Adverbium *unanimiter*, tam cum auditu quam cum attentione conjungi poteſt. Mihi hoc poſterius magis placet, quod uno animo eſſent attenti. In eo autem vim & efficaciam prædicationis Lucas commendat, quod magnus hominum numerus uno conſenſu ſubito ad ſeriam audientiam comparatus fuerit.

7. *Spiritus immundi.*] Species quaſdam breviter attingit, ut ſciamus cujuſmodi miraculis adducti Samaritæ fuerint, ut Philippo auctoritatem tribuerent. Clamor quem edebant ſpiritus immundi, ſignum erat repugnantiæ. quare hoc ad illuſtrandam Chriſti virtutem non parum valebat, quod diabolos imperio ſuo contumaciter licet renitentes conſtringeret.

8. *Gaudium* cujus meminit, fructus eſt fidei. Fieri enim aliter non poteſt, ubi Deum nobis eſſe propitium ſentimus, quin efferantur animi noſtri
Phil. 4: 7. incomparabili gaudio, & quod omnem ſenſum exuperat.

9. *Vir quidam nomine Simon.*] Hoc tale erat obſtaculum, ut videri poſſet præcluſus Euangelio aditus apud Samaritanos. Faſcinatæ enim Simonis præſtigiis erant omnium mentes. Atque hic ſtupor longo jam temporis ſpatio invaluerat. Porro, quam difficile ſit errorem ex hominum animis revellere poſtquam diuturnitate temporis radices egit, & revocare ad ſanam mentem qui jam obduruerunt, experientia docet. Magis obſtinatos in errore reddebat ſuperſtitio, quod Simonem habebant, non modo quaſi Dei Prophetam, ſed quaſi Spiritum ipſum.

10. Nam cognomen *magnæ virtutis*, huc ſpectabat, ut quicquid alioqui divinum eſſet, hac magnitudine obrutum vileſceret. Hinc ergo clarius elucet Chriſti potentia, quod per iſta obſtacula Philippus perruperit. Hoc autem Lucas amplificat,

11. Quum dicit, *obſtupefactos* fuiſſe à magno uſque ad parvum. Nam quum omnium ordinum homines deluſi eſſent, quiſnam erat Euangelio aditus? præſertim quum non mediocris eſſet impoſtura. Senſus enim omnes capti erant ſtupore. Præterquam autem quod inde apparet quam potens ſit veritas, ſimul conſtantiæ exemplum in Philippo nobis proponitur: qui tametſi viam non cernit, infracto tamen pectore opus Domini aggreditur, qualem ipſe volet dare ſucceſſum, expectans. Atque ita omnino agendum, ut intrepide tentemus quicquid Deus mandat, etiam ubi videntur irriti fore conatus. Porro, quod Samaritanis accidit, ut Satan ita eos dementaret, ſciamus communem eſſe infidelitatis pœnam. Non omnes quidem faſcinantur magorum præſtigiis, neque ubique ſunt Simones, qui talibus impoſturis ludant; ſed intelligo, non eſſe mirum aut inſolens, ſi Satan in tenebris varie illudat. Omnibus enim errorum capturis obnoxii ſunt quicunque Dei luce non reguntur. Præterea, quum narrat Lucas, *ſeductos* promiſcue fuiſſe omnes: monemur neque ingenii acumen, nec quicquid in nobis eſt rationis & prudentiæ, ad cavendam Satanæ aſtutiam ſufficere. Et ſane videmus quam ſtultis & deliris erroribus implicitis fuerint, qui præ aliis habiti ſunt in mundo perſpicaces.

Virtus Dei magna.] Ergo Dei nomine abuſus fuerat Satan ad fallendum: quod peſtilentiſſimum eſt deceptionis genus, tantum abeſt ut ad excuſationem valeat. Dictum fuit ſupra, nomen præcipuæ Dei virtutis Simonem ſibi arrogaſſe, ut quicquid alibi eſſet divinum, ſupprimeret: quemadmodum ſol luce ſua ſtellas omnes obſurat. impia fuit hæc & ſcelerata nominis Dei profanatio. Verum, nihil hic factum legimus quod non quotidie adhuc fiat. Nihil enim hominibus magis proclive, quam ad Satanam transferre quod Dei proprium eſt. Prætexitur quidem religio: ſed quid Samaritanos juvit hic prætextus? Bene ergo nobiſcum agitur, quum ſuam in Chriſto virtutem Deus nobis patefacit, & non alibi quærendam eſſe demonſtrat: atque ut nos in ſe retineat, artes & impoſturas Satanæ, quæ fugiendæ ſunt, detegit.

12. *Quum credidiſſent.*] Illud eſt quod dixi miraculum, quod Philippum audierunt, qui prorſus erant Simonis illuſionibus attoniti: quod cæleſtis ſapientiæ compotes facti ſunt, qui ſtupidi erant & hebetes. Ita quodammodo ex inferis in cælum evecti ſunt. Quod Baptiſmus fide poſterior fuit, conſentaneum eſt Chriſti inſtituto, quantum ad extra- *Marc. 16*
neos ſpectat: fide enim oportuit inſeri in Eccleſiæ *verſ. 47.*
corpus, antequam ſymbolum acciperent. Sed nimis ineptiunt Anabaptiſtæ, dum ex his locis probare nituntur, arcendos eſſe infantes à Baptiſmo. Baptizari non poterant viri & mulieres, quin fidem profiterentur: ſed hac lege admiſſi ſunt ad Baptiſmum, ut Deo ſimul conſecrarentur eorum familiæ: ſic enim
habet fœdus, Ero Deus tuus, & ſeminis tui. *Geneſ. 17.*

13. *Simon quoque ipſe.*] Qui totam urbem fallaciis *verſ. 7.*
ſuis infatuaverat, Dei veritatem ſimul cum aliis recipit. Qui ſummam Dei virtutem ſe eſſe jactaverat, Chriſto ſe ſubmittit: quanquam non tam ſua unius quam totius gentis cauſa illuminatus fuit in Euangelii notitiam, ut ſcandalum tolleretur, quod imperitos morari poterat. Atque huc pertinet quod poſtea dicit Lucas, miratum fuiſſe ſigna. voluit enim Dominus hunc, quem pro ſemideo habebant Samaritæ, in triumpho ducere: quod ſit, dum excuſſa inani jactantia, veris miraculis gloriam dare cogitur. Neque enim ſincero cordis affectu ſe Chriſto tradit: alioqui non ſtatim erumperet perverſa ejus ambitio, & donorum Spiritus impia & profana æſtimatio. Non tamen multis aſſentior, qui ſimulaſſe duntaxat fidem putant, quum minime crederet. Aperte Lucas teſtatur eum crediſſe: & additur ratio, quod admiratione tactus fuerit. quomodo igitur ſe paulo poſt hypocritam eſſe prodit? Reſpondeo, inter fidem & meram ſimulationem aliquid eſſe medium. Epicurei & Lucianici credere ſe profitentur, quum tamen intus rideant, quum illis fabuloſa ſit ſpes vitæ æternæ, quum denique nihilo plus habeant pietatis quam canes & porci. At multi ſunt, qui utcunque Spiritu adoptionis non ſint regeniti, nec vero cordis affectu ſe Deo addicant, verbi tamen potentia victi, non modo verum eſſe agnoſcunt quod docetur, ſed tanguntur Dei timore, ut doctrinam recipiant. Concipiunt enim Deum eſſe audiendum, illum & ſalutis auctorem eſſe, & mundi judicem. Non ergo fingunt coram hominibus fidem quæ nulla ſit, ſed credere ſe putant. Atque hæc
fides temporaria eſt, cujus meminit Chriſtus apud *Marc. 4.*
Marcum: dum ſcilicet verbi ſemen animis conce- *Luc. 8:13.*
ptum, mox tamen ſuffocatur variis mundi curis, aut pravis affectibus, ut nunquam matureſcat, imo potius in herbam inutilem degeneret. Talis ergo fuit Simonis fides: ſentit veram eſſe Euangelii doctrinam, & conſcientiæ ſuæ ſenſu ad eam recipiendam cogitur: ſed deeſt fundamentum, hoc eſt, ſui abnegatio. Unde ſequitur, animum ejus ſimulatione fuiſſe involutum, quam mox prodit. Verum, talem fuiſſe hypocriſin ſciamus, in qua ſe ipſe deceperit:

non craſſam illam qua ſe venditant Epicurei & ſimiles: quia Dei contemptum fateri non audent.

Baptizatus eſt.] Hoc Simonis exemplo clare patet, non conferri omnibus indifferenter in Baptiſmo gratiam quæ illic figuratur. Papiſtarum dogma eſt, Niſi quis ponat obicem peccati mortalis, omnes cum ſignis recipere veritatem & effectum. Ita magicam vim tribuunt Sacramentis, quaſi abſque fide proſint. Nos autem ſciamus offerri nobis à Domino per Sacramenta quicquid ſonant annexæ promiſſiones: & non fruſtra nec inaniter offerri, modo fide ad Chriſtum directi, ab ipſo petamus quicquid Sacramenta promittunt. Quamvis autem nihil illi tunc profuerit Baptiſmi receptio, ſi tamen converſio poſtea ſequuta eſt, ut nonnulli conjiciunt, non extincta fuit nec abolita utilitas. Sæpe enim fit, ut poſt longum tempus demum operetur Spiritus Dei, quo efficaciam ſuam Sacramenta proferre incipiant.

Adhærebat Philippo.] Quod eum Philippus admiſit, in eo apparet quam difficile ſit hypocritas diſcernere. Atque hæc patientiæ noſtræ eſt probatio. ſic Demas temporarius Pauli comes, poſtea factus eſt 2 Tim. 4.
perfidus deſertor. denique malum hoc effugere non v. 2, 10.
poſſumus, quin ſe interdum nobis improbi & fraudulenti homines adjungant. ac ſiquando ſe nobis aſtute inſinuant improbi, injuſte nos gravant ſuperbi cenſores, acſi præſtanda nobis eſſent eorum ſcelera. Quanquam ſedulo cavenda eſt facilitas, quæ ſæpe ignominiam aſpergit Evangelio. atque eo prudentius attendere nos decet, ne quoslibet ſine delectu admittamus, quando magnos viros fuiſſe deceptos audimus. Dicit, *attonitum* fuiſſe magnitudine ſignorum: ut ſciamus magnam illam virtutem qua ſe jactabat, nihil quam præſtigias fuiſſe ac fumos. Neque enim ſimplex admiratio hic notatur, ſed ecſtaſis, quæ hominem extra ſe rapit.

14. Quum autem audiſſent Apoſtoli qui Jeroſolymæ erant, quod Samaria recepiſſet ſermonem Dei, miſerunt ad eos Petrum & Joannem.

15. Qui quum deſcendiſſent, precati ſunt pro eis ut reciperent Spiritum ſanctum.

16. Nondum enim ſuper quenquam eorum illapſus fuerat: ſed baptizati tantum erant in nomine Chriſti Jeſu.

17. Tunc impoſuerunt manus ſuper eos, & receperunt Spiritum ſanctum.

14. Hic Lucas progreſſus gratiæ Dei in Samaritanis deſcribit, ſicuti majoribus Spiritus ſui donis fideles aſſidue locupletare ſolet. neque enim putandum eſt, conſilium de quo Lucas loquitur, Apoſtolos cepiſſe, niſi ejuſdem Dei inſtinctu, qui opus ſuum in Samaria jam Philippi manu inchoaverat. Varie autem pro ſuo arbitrio utitur ad diverſas operis partes ſuis organis. Philippi opera eos ad fidem adduxerat: nunc Petrum & Joannem Spiritus conferendi miniſtros ordinat. Ita ſcilicet Eccleſiæ ſuæ unitatem fovet, dum alii aliis manus porrigunt: nec homines tantum viciſſim inter ſe, ſed totas quoque Eccleſias conciliat. Poterat quidem per Philippum, quod cœperat, abſolvere: ſed ut melius diſcerent Samaritani, fraternam conjunctionem ſancte cum prima Eccleſia colere, hoc quaſi vinculo obſtringere eos voluit. deinde Apoſtolos, quibus promulgandi
Marc. 16. ubique in toto orbe Evangelii mandatum dederat,
verſ. 15. hoc privilegio ornare voluit, ut in unam Evangelii fidem melius omnes coaleſcerent. Et ſcimus alioqui periculum fuiſſe, quum animis & moribus inter ſe longe diſſiderent Judæi & Samaritani, ne ita diviſi, Chriſtum ſcinderent: vel ſaltem ſeorſum ſibi fingerent novam Eccleſiam. Interea videmus quam ſedulo ad juvandos fratres intenti fuerint Apoſtoli. neque enim expectant dum rogentur, ſed ultro hanc curam ſuſcipiunt. Nec vero hoc Apoſtoli faciunt diffidentia, quaſi Philippum ſuſpicentur minus dextre, quam par eſſet, ſuis partibus defungi: ſed laboranti ſubſidium offerunt: & veniunt Petrus & Joannes, non ſocii modo laborum, ſed approbatores futuri. Non queritur rurſum Philippus ſibi quicquam detrahi, quod incepto à ſe ædificio alii extremam manum imponant: ſed utrimque comiter ſua ſtudia in commune bona fide conferunt. Et certe ſola eſt ambitio, quæ ſanctæ communicationi januam claudit. Quod narrat Lucas, *miſſum* à reliquis Petrum fuiſſe: hinc colligi poteſt, non exercuiſſe in collegas imperium, ſed ita excelluiſſe inter eos, ut tamen corpori ſubeſſet ac pareret.

Qui Jeroſolymæ erant.] Duplex poteſt eſſe ſenſus, vel Apoſtolos tunc fuiſſe omnes Jeroſolymæ, vel reſiduos fuiſſe illic quoſdam, quum alii huc & illuc profecti eſſent. Atque hoc poſterius magis amplector: probabile enim eſt, ſic inter ſe partitos fuiſſe, ut ſemper aliqui ex numero varias legationes, prout occaſio ſe dabat, obirent: pars aliqua Jeroſolymæ, quaſi in ſtatione præcipua maneret. Fieri etiam poteſt, ut poſtquam in ſua quiſque expeditione aliquandiu fuerat, illuc convenire ſoliti ſint. Certum quidem eſt, tempus illud, quo *Jeroſolymæ* fuerunt, non fuiſſe in deſidia conſumptum: deinde eos non fuiſſe quaſi nido affixos, quum Chriſtus per- Marc. 16.
agrare mundum juſſiſſet. verſ. 15.

15. *Precati ſunt.*] Minime dubium eſt, quin primum docendi partes ſuſceperint: ſcimus enim non mutas fuiſſe perſonas. ſed Lucas quod illis cum Philippo commune fuit ſubticens, tantum commemorat quid novi eorum adventus *Samaritanis* contulerit: nempe, quod tunc demum *Spiritu ſancto* donati ſunt.

16. Sed hic occurrit quæſtio. Dicit enim tantum fuiſſe *baptizatos* in nomen Chriſti, atque ideo nondum fuiſſe Spiritus participes. Atqui vel inanem, & omni virtute & gratia carere Baptiſmum oportet, aut à Spiritu ſancto habere quicquid efficaciæ habet. In Baptiſmo abluimur à peccatis: atqui lavacrum
noſtrum Spiritus ſancti opus eſſe docet Paulus. Aqua Tit. 3.
Baptiſmi, ſanguinis Chriſti ſymbolum eſt: atqui verſ. 5.
Petrus Spiritum eſſe prædicat, à quo irrigamur 1 Pet. 1.
Chriſti ſanguine. In Baptiſmo crucifigitur vetus verſ. 2.
noſter homo, ut ſuſciremur in vitæ novitatem: unde Rom. 6.
autem hoc totum, niſi ex ſanctificatione Spiritus? verſ. 6.
Denique Baptiſmo nihil reliquum fiet, ſi à Spiritu
ſeparetur. Ergo Samaritanos, qui vere *Chriſtum* in Galat. 3.
Baptiſmo induerant, Spiritu quoque ejus veſtitos verſ. 27.
fuiſſe, negandum non eſt. Et ſane Lucas hic non de communi Spiritus gratia loquitur, qua nos ſibi Deus in filios regenerat: ſed de ſingularibus illis donis, quibus Dominus initio Evangelii quoſdam eſſe præditos voluit, ad ornandum Chriſti regnum. In hunc
modum intelligi debent Joannis verba, *Diſcipulis* Joan. 7.
nondum fuiſſe datum Spiritum, quum adhuc Chri- verſ. 39.
ſtus in mundo ageret. non quod Spiritu prorſus vacui eſſent, ſcilicet à quo & fidem & pium ſequendi Chriſti affectum acceperant: ſed quia nondum pollebant eximiis donis, in quibus poſtea amplior refulſit regni Chriſti gloria. In ſumma, quum jam Spiritu adoptionis donati eſſent Samaritani, quaſi in cumulum accedunt inſignes Spiritus gratiæ, in quibus Deus quaſi viſibilem Spiritus ſui præſentiam Eccleſiæ ſuæ ad tempus exhibuit, ut Evangelii ſui anctoritatem in perpetuum ſanciret, ac ſimul teſtatum faceret, Spiritum ſuum ſemper fidelium præſidem ac directorem fore.

Tantum baptizati erant.] Non debet hoc accipi tanquam

tanquam contemptim de Baptiſmo dictum: ſed intelligit Lucas, nonniſi communis adoptionis & regenerationis gratia, quæ piis omnibus in Baptiſmo offertur, tunc donatos fuiſſe. Hoc vero extraordinarium erat, conferri quibuſdam Spiritus dona quæ regnum Chriſti & Euangelii gloriam illuſtrarent. hic enim illorum erat uſus, ut quiſque pro facultatis ſuæ modo, Eccleſiæ prodeſſet. Hoc ideo notandum eſt, quia Papiſtæ dum fictitiam ſuam Confirmationem extollere volunt, in hanc ſacrilegam vocem prorumpere non dubitant, Semichriſtianos eſſe, quibus manus nondum fuerunt impoſitæ. Hoc jam tolerabile non eſt, quod quum ſymbolum hoc temporale eſſet, ipſi perpetuam legem finxerunt in Eccleſia, quaſi Spiritus ſanctus illis ad manum eſſet. Scimus, quum teſtimonium ac pignus gratiæ Dei fruſtra & ſine re ipſa proponitur, nimis fœdum eſſe ludibrium: atqui fateri coguntur ipſi quoque, Eccleſiam non niſi ad tempus donis iſtis fuiſſe ornatam. Unde ſequitur, impoſitionem manuum qua uſi ſunt Apoſtoli, finem habuiſſe quum effectus ceſſavit. Omitto quod oleum addiderunt manuum impoſitioni: ſed hoc, ut jam dixi, nimiæ audaciæ fuit, perpetuam legem Eccleſiæ imponere, ut generale ſa-
Marc. 6. cramentum eſſet, cujus peculiaris uſus fuerat Apoſto-
verſ. 13. lis: ut perpetuo duraret ſignum, poſtquam res ipſa deſierat. Verum acceſſit execrabilis blaſphemie, quod Baptiſmo dixerunt tantum peccata remitti: Spiritum regenerationis conferri per putidum illud oleum, quod ſine Dei verbo invehere auſi ſunt.
Scriptura nos Chriſtum in Baptiſmo induere teſta- Galat. 3.
tur: & in ejus corpus inſeri, ut vetus homo noſter verſ. 27.
crucifigatur, & renovemur in juſtitiam. Sacrilegi Rom. 6.
iſti prædones detracta Baptiſmo ſpolia ad fallacem verſ. 6.
ſacramenti ſui larvam tranſtulerunt: neque hoc unius hominis commentum fuit, ſed Concilii unius decretum, quod in ſuis omnibus ſcholis quotidie blaterant.

17. *Quum impoſuiſſent manus.*] Preces ſequitur manuum impoſitio: quo teſtantur, minime incluſam eſſe in externa ceremonia Spiritus gratiam quam ſupplices aliunde poſtulent. Neque tamen Deum fatendo euctorem, ceremoniam negligunt, quæ divinitus in hunc uſum tradita illis erat: & quia non temere uſurpant, ſimul annexus eſt effectus. Hæc ſignorum eſt utilitas & efficacia, quod in illis Deus operatur, & tamen unus manet gratiæ donator, ejuſque diſpenſandæ pro jure ſuo arbiter: ſed meminerimus organum Dei fuiſſe manuum impoſitionem, quo tempore viſibiles Spiritus gratias ſuis contulit. ex quo vero talibus divitiis priveta fuit Eccleſia, inane duntaxat eſſet ſpectrum.

18. Intuitus vero Simon, quod per impoſitionem manuum Apoſtolorum daretur Spiritus ſanctus, obtulit illis pecuniam,

19. Dicens, Date & mihi poteſtatem hanc, ut cui impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctum.

20. Petrus autem illi dixit, Pecunia tua tecum ſit in exitium: quia donum Dei exiſtimaſti pecuniis acquiri.

21. Non eſt tibi pars neque hæreditas in ratione hac: cor enim tuum non rectum eſt coram Deo.

22. Reſipiſce igitur à malitia hac, & precare Deum, ſi forte remittatur tibi cogitatio cordis tui.

23. Nam in felle amaritudinis, & colligatione injuſtitiæ video te eſſe.

24. Reſpondens vero Simon, dixit, Precamini vos pro me apud Deum, ne quid eorum quæ dixiſtis, mihi eveniat.

25. Illi ergo teſtificati, & loquuti ſermonem Domini, redierunt Jeroſolymam, & per multos pagos Samaritanorum euangelizarunt.

18. *Intuitus autem Simon.*] Jam detegitur Simonis hypocriſis, non quod prius ſe credere finxiſſet: convictus enim ſerio manus Chriſto dederat. qualiter multi Euangelio cedunt, ne bellum gerant cum Deo, ſed manent interea ſui ſimiles: quum veram fidem ſequi debeat noſtri abnegatio. Hoc vero eſt Chriſtum cum Satana miſcere, quum doctrina uſque ad reconditos cordis affectus non penetrat, ſed interior immunditiés quaſi ſepulta illic latet. Nunc ergo fucum illum abſtergit Deus in Simone, ne amplius Chriſti nomen profitendo, tam ſe quam alios fallat. Ambitio enim quæ occulta erat, nunc ſe profert, dum ſe Apoſtolis æquari cupit. Hoc jam unum vitium eſt: alterum vero, quod gratiam Dei venalem exiſtimans, vult eam ad quæſtum proſtituere. Unde apparet, profanum eſſe hominem, qui nondum veræ pietatis rudimenta guſtarit: nullo enim gloriæ Dei ſtudio tangitur: imo, non cogitat quid ſit eſſe Dei miniſtrum. Quemadmodum quæſtum hactenus ex ſua magia fecerat: ita quæſtuoſum ſibi putavit fore, ſi gratias Spiritus conferret. neque enim dubium eſt, quin opes & gloriam coram mundo captaverit. ſimul gravem Deo facit injuriam, quod cœleſtem hanc virtutem nihil putavit à magicis ſuis incantationibus differre. Nunc breviter tenemus quid & quot modis peccaverit Simon: In donis Spiritus non adorat neque agnoſcit Chriſti potentiam: non agnoſcit cœleſti virtute inſtructos Apoſtolos, ut Chriſti gloriam ſuo miniſterio illuſtrent: ſua eum ambitio impellit ac rapit, ut Deo poſthabito, eminere cupiat, & mundum ſibi facere obnoxium: Spiritum ſanctum mercari vult, quaſi pretio ſubjaceret.

20. *Reſpondit Petrus.*] Hic acriter eum repellit Petrus: nec contentus objurgatione, diram imprecationem addit, *Ut* pereat Simon cum ſue pecunia. Quanquam non tam illi imprecatur exitium, quam juſtam vindictam Dei, incutiendi terroris cauſa, denunciat prope impendere. In ſumma, oſtendit quid promeritus ſit, quum fœdæ nundinationi ſubjecit Dei Spiritum: acſi dixiſſet, Dignus es qui pereas cum tua pecunia, quando tanta contumelia afficis Spiritum Dei. Nam quod ſalvum potius Simonem quam perditum cuperet Petrus, ex ſequentibus facile intelligi poterit. ſed quaſi judicis perſonam ſuſtinens, quam pœnam mereatur Simonis impietas, pronunciat: ac tanta vehementia reum peragi oportuit, ut ſceleris ſui atrocitatem ſentiret. Eodem ſpectat quod pecuniam addixit exitio. Significat enim, quod ad tam nefarium uſum oblata eſſet, quaſi ſceleris contagione infectam ac pollutam eſſe. Et certe, optandum eſt potius ut pereat totus mundus, quam ut gloriam Dei obſcurent quæ præ ipſa nullius ſunt pretii. Cæterum, quum ita imprecatur homini ſacrilego, non tam perſonam reſpicit quam factum. ſic enim excandeſcere adverſus hominum ſcelera debemus, ut proſequamur homines ipſos miſericordia. Tales ſunt Dei ſententiæ, quæ adulteros, fures, &

1 Cor. 6. verſ. 9. Epheſ. 5. verſ. 5. ebrioſos, & injurios exitio devovent. neque enim quatenus homines ſunt, ſpem illis præcidunt ſalutis, ſed tantum referuntur ad præſentem eorum ſtatum: & ſi obſtinate pergant, qualis eos maneat exitus, denunciant.

21. *Non eſt tibi pars.*] Quidam aliter orationem contexunt, Simonem non eſſe participem gratiæ, quod eam pecuoia æſtimet. Sed altera lectio quam ſequuti ſumus, magis recepta eſt: nempe, ut ratio illa ſuperiori membro jungatur. Et certe melior eſt illa connexio, Pecunia tua pereat tecum, quando ea compenſari poſſe exiſtimas inæſtimabile Spiritus donum. Ubi vetus interpres poſuerat, In ſermone hoc: aptius Eraſmus reddidit, In ratione hac. Significat enim Petrus, nihil in tota illa adminiſtratione commune eſſe homini ſacrilego qui eam impie profanat. Porro, de Simonia multum & veteres Theologi & Papiſtæ diſputarunt: ſed quod Papiſtæ Simoniam appellaot, cum Simonis facto minime convenit. voluit Simon Spiritus gratiam pecunia emere: Papiſtæ crimen Simoniæ ad otioſos proventus ſuos trahunt. Neque tamen hoc dico, ut flagitia extenuem, quæ emendis & vendendis ſacerdotiis hodie graſſantur in Papatu. Jam per ſe ſatis fœdum eſt hoc ſcelus, quod talem in Eccleſia Dei mercatum exercent. Interea vero tenenda eſt propria Simoniæ definitio: nempe quod ſit impia donorum Spiritus nundinatio, vel aliud ſimile, dum illis quiſpiam ad ambitionem vel alias corruptelas abutitur. Quanquam Simonis imitatores eſſe omnes fateor qui malis artibus ad Eccleſiæ regimen aſpirant: quod paſſim hodie nullo pudore beri videmus, tanquam liceat. ac ſecundum hanc rationem, vix in toto Papatu reperietur ſacerdos, qui non palam ſit Simoniacus: quando nullus illuc emergere poteſt, quin ſe oblique inſinuet. Quanquam fatendum eſt, quod magno noſtro pudore pueri vident, non minore licentia apud quoſdam pſeudo-euangelicos graſſari. Nos autem ut à Simonis contagione puri ſimus, primum Spiritus dona meminerimus non pecunia acquiri, ſed conferri mera & gratuita Dei bonitate, idque in Eccleſiæ ædificationem. hoc eſt, ut ſtudeat quiſque pro facultatis ſuæ modo fratres ſuos juvare: ut modeſte quiſque conferat in commune Eccleſiæ bonum, quod accepit: nec obſtet cujuſquam hominis excellentia, quin ſolus Chriſtus ſupra omnes emineat. Mirum tamen videri poſſet, quod Simonem excludat Petrus à Spiritus participatione, quod ad dona ſpecialia pertinet: quia cor non habeat rectum coram Deo. neque enim fecit Judæ pravitas, quin Spiritus donis 1 Cor. 14. polleret: nec Spiritus dona apud Corinthios ſic corrupta fuiſſent, ſi cor habuiſſent coram Deo rectum. Non videtur itaque ratio quam aſſignat Petrus, ſufficere: quia multi qui impuro ſunt corde, Spiritus donis plerumque excellunt. Sed primo, nihil abſurdi eſt, ſi indignis quoque tales gratias conferat Deus. deinde Petrus non præſcribit hic generalem regulam: ſed quia communio donorum Spiritus peculiaris eſt Eccleſiæ, Simonem, qui alienus eſt à Chriſto, indignum eſſe pronunciat qui tanquam unus ex domeſticis Dei, eaſdem cum fidelibus gratias participet. Adde quod directa fuerat contumelia in ea dona quibus abdicatur.

22. *Reſipiſce igitur.*] Quod illum ad pœnitentiam hortatur & preces, in eo ſpem veniæ reſiduam illi facit. nullo enim unquam reſipiſcendi affectu quiſpiam tangetur, niſi qui propitium ſibi fore Deum confidet: contra, deſperatio homines ſemper rapiet præcipites ad audaciam. Præterea Scriptura docet, non invocari rite Deum, niſi ex fide. Videmus ergo, ut Petrus Simonem diris verborum fulminibus ante proſtratum, nunc rurſus in ſalutis fiduciam erigat: & tamen non leve peccatum erat Simonis. Verum, ſi fieri poſſit, ab ipſis inferis extrahendi nobis ſunt homines. Proinde, donec ſe manifeſtis ſignis etiam ſceleratiſſimi quique reprobos eſſe prodant, nemo tam ſevere tractandus eſt, quin illi ſimul peccatorum remiſſio ante oculos ponatur. Imo, quibus ob duritiem & pervicaciam acrior objurgatio utilis eſt, ſic tamen una manu dejicere ipſos decet, ut altera ſubleventur. nam anathemate ferire, Spiritus Dei non permittit. Sed metum ac dubitationem injicere videtur Petrus, quum dicit, *Si forte.* Et Papiſtæ hoc loco & ſimilibus probare contendunt, ſuſpenſis ac dubiis animis precandum eſſe: quia temere certum ſibi ſucceſſum homines in ſuis votis promittaot. ſed facilis eſt ſolutio. Nam dictio *εἰ ἄρα*, tantundem valet acſi quis Latine dicat, Si qua tibi remittat Deus. Eam vero Petrus uſurpat, non ut perplexum relinquat animum Simonis, ſed ut magis ad vehementiam precandi ſtimulet. Nam ipſa difficultas non parum ad nos excitandos valet: quia ubi res videtur ſub manu eſſe, nimium ſecuri & ignavi ſumus. Ergo non incutit Petrus Simoni terrorem, qui impetrandi fiduciam evertat in ejus corde, vel perturbet: ſed ſpem illi certam faciens, ſi ſupplex petierit ac ex animo, tantum excitandi ardoris cauſa, veniam pro ſceleris gravitate difficilem eſſe commemorat. Neceſſe enim eſt, ut fides nobis in adeundo Deo præluceat: imo, ut ſit precationis mater.

23. *In felle enim amaritudinis.*] Iterum Simonem Petrus dure exagitat, & Dei judicio percellit. niſi enim coactus fuiſſet in ſe deſcendere, nunquam ſerio ad Deum converſus eſſet. Nihil ſtupidis magis exitiale eſt, quam quum illis blandimur, vel quum leviter tantum radimus ſummam cutem, quum potius fodiendi ſiot. Ergo donec ex peccati ſui ſenſu veram triſtitiam & dolorem conceperit peccator, talis adhibenda eſt ſeveritas, quæ ejus animum vulneret: alioqui putridum ulcus intus fovebitur, quod ſenſim ipſum hominem abſumet. Semper tamen modus ille teneatur, ut hominum ſaluti quantum in nobis eſt conſulamus. Porro, in verbis Petri duæ ſunt elegantes metaphoræ: quarum altera ex Moſe Deut. 29. verſ. 18. ſumpta videtur, ubi vetat, ne ſit in nobis radix germinans fel & abſinthium, Deut. 29. Hac autem loquutione interior cordis malitia notatur: quum impietatis virus ita concepit, ut eo imbutum, *nihil* quam amaritudinem proferre queat. Eodem ſpectat *colligatio* impietatis: quum ſcilicet totum cor vinctum & conſtrictum à Satana tenetur. Nam ſæpe accidet ut pii alioqui homines in mala opera erumpant, qui tamen intimum cor veneno corruptum non habebunt. Scimus hominum naturæ ingenitam eſſe hypocriſin: ſed ubi lucet Spiritus Dei, non ita cæcutimus in noſtris vitiis, ut tanquam occultum faſciculum intus alamus. Significat ergo Petrus, non una tantum in parte Simonem lapſum eſſe, ſed ipſam cordis radicem vitioſam eſſe & amaram: non modo in una ſpecie peccati incidiſſe in Satanæ laqueos, ſed omnes ejus ſenſus teneri implicitos, ut totus ſit addictus Satanæ, & quaſi iniquitatis mancipium. Interea monemur, ſcelerum gravitatem non tam à flagitio quod apparet, quam ab affectu cordis æſtimari.

24. *Reſpondit Simon.*] Hinc colligimus, non ita acceptum ab illo fuiſſe quod minatus erat Petrus, quin ſalutem ſuam quæri reputaret. Tametſi autem unus tantum Petrus loquutus erat, ſermonem omnibus promiſcue tribuit propter conſenſum. Nunc exoritur quæſtio, qoid ſit de Simone ſentiendum? Scriptura non longius quam ad conjecturam nos ducit, Quod objurgationi cedit, & tactus peccati ſui ſenſu, Dei metuit judicium: deinde ad Dei miſericordiam ſe confert, ſeque precibus Eccleſiæ commendat. hæc certe non minima ſunt pœnitentiæ ſigna: conjicere ergo licet ipſum reſipuiſſe. Et tamen vateres uno conſenſu tradunt gravem poſtea fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe Petro adverſarium, & Romæ cum eo per triduum diſputaſſe. Extat etiam ſcripta diſputatio ſub nomine Clementis, ſed quæ tam purida deliria continet, ut mirum ſit à Chriſtianis auribus poſſe ferri. Deinde, oſtendit Auguſtinus ad Januarium, varios & fabuloſos rumores ea de re ſuo tempore Romæ vagatos fuiſſe: quare nihil tutius eſt, quam incertis opinionibus valere juſſis, ſimpliciter amplecti quod Scripturis proditum eſt. quod alibi de Simone legimus, merito plures ob cauſas ſuſpectum eſſe poteſt.

25. *Illi autem teſtificati.*] His verbis docet Lucas, non ideo tantum veniſſe Petrum & Joannem, ut donis Spiritus ditarent Samaritanos, ſed ut comprobando Philippi doctrinam, illos in fide jam recepta ſtabilirent. Hoc enim valet *teſtificandi* verbum: acſi diceret, eorum teſtimonio factum eſſe, ut plena & ſolida verbo Dei auctoritas conſtaret, ac vigeret tanquam probe teſtata & authentica veritas. Simul tamen fidos Dei teſtes fuiſſe admonet Lucas, quum addit protuliſſe Dei ſermonem. Hæc ergo doctrinæ Apoſtolicæ ſumma fuit, fideliter proferre quæ à Domino didicerant: non ſua vel cujuſquam hominum commenta. Dicit non in una ſolum urbe hoc feciſſe, ſed etiam in *vicis*. Videmus ergo ſic ad promovendam Chriſti gloriam fuiſſe accenſos, ut quocunque venirent, illum haberent in ore. Ita ab una urbe per totam regionem ſemen vitæ ſpargi cœpit.

26. Angelus autem Domini loquutus eſt Philippo, dicens, Surge, & vade meridiem verſus, ad viam quæ deſcendit à Jeruſalem, Gazam: ipſa eſt deſerta.

27. Et ſurgens, profectus eſt. Et ecce vir Æthiops, eunuchus, Præfectus Candaces Reginæ Æthiopum, qui præerat toti ejus gazæ, qui venerat Jeroſolymam adoraturus:

28. Revertens autem ac ſedens in curru ſuo, legebat Prophetam Iſaiam.

29. Dixit autem Spiritus Philippo, Accede, & adjungere adhunc currum.

30. Accurrens autem Philippus, audivit eum legentem Prophetam Iſaiam, ac dicit, Intelligiſne quæ legis?

31. Dixit ille, Quomodo poſſem, niſi quiſpiam me dirigat? Rogavit autem Philippum, ut aſcenderet ac ſederet ſecum.

26. *Angelus Domini.*] Tranſit Lucas ad novam hiſtoriam, quomodo ſcilicet Euangelium ad Æthiopes uſque pervenerit. tametſi enim unum hominem duntaxat ad Chriſti fidem converſum fuiſſe refert, quia tamen magna erat in toto regno ejus auctoritas & potentia, fides ejus odorem longe lateque ſpirare potuit. Scimus enim ex tenuibus principiis Euangelium creviſſe: & in eo clarius refulſit vis Spiritus, quod granum unum ſeminis brevi temporis ſpatio amplam regionem implevit. Primo jubetur Philippus ab Angelo ire verſus meridiem: quo profectu, vel in quem finem, Angelus illi non exprimit. Atque ita ſæpe Dominus cum ſuis agere ſolet, ad probandam eorum obedientiam. quid facere ipſos velit, demonſtrat: hoc vel illud præcipit: ſucceſſum vero penes ſe abſconditum tenet. Ergo ſimplici Dei imperio contenti ſimus, etiamſi ratio ejus quod injungit, vel obedientiæ fructus non ſtatim appareт. nam etſi diſerte hoc non exprimitur, omnia tamen Dei mandata tacitam promiſſionem continent, quoties illi paremus, non poſſe, quicquid ſuſcipimus operis, niſi proſpere cedere. Adde, quod ſufficere nobis debet, probari Deo noſtra ſtudia, quum nihil temere & ſine illius juſſu ſuſcipimus. Siquis objiciat, non deſcendere quotidie è cælo Angelos, qui nobis quid agendum ſit patefaciant: in promptu eſt reſponſio, Abunde nos doceri verbo Domini quidnam agendum ſit: nec conſilio deſtitui quicunque os illius interrogant, & Spiritus gubernationi ſe ſubmittunt. Itaque, quominus ad ſequendum Deum prompti & alacres ſimus, nihil nos impedit vel moratur niſi noſtra ſegnities precandique incuria.

Ad viam quæ deſcendit Gazam.] Inter doctos omnes convenit, Gazam hic vocari quæ Hebræis dicitur *Haza*. Quare fallitur Pomponius Mela, qui nomen urbi à Cambyſe Perſarum Rege impoſitum fuiſſe tradit: quod bellum gerens cum Ægyptiis illic opes ſuas repoſitas haberet. Verum quidem eſt, Gazam Perſis theſaurum vel opulentiam dici: atque hoc ſenſu paulo poſt uſurpat Lucas, quum dicit, Eunuchum Candaces gazæ fuiſſe præfectum: ſed quia ante natum Cambyſen, Hebraicum illud nomen in uſu erat, non dubito quin poſtea corruptum fuerit, litera *Heth* in G mutata, quod in aliis fere omnibus fuiſſe factum videmus. Epitheton *deſertæ* ideo additur, quia veterem illam Gazam Alexander Macedo evertit. Qui Conſtantinum ſecundæ & novæ Gazæ conditorem faciunt, à Luca refelluntur, qui centum & quinquaginta annis prius extitiſſe affirmat. ſed fieri poteſt, ut conditam urbem ornaverit & auxerit. Cæterum, hanc novam maritimam fuiſſe, & ab antiqua viginti ſtadiis diſſitam, omnes conſentiunt.

27. *Ecce vir Æthiops.*] Virum appellat quem paulo poſt eunuchum fuiſſe dicit: ſed quia in Oriente ſolebant Reges & Reginæ eunuchos præficere ſummis negotiis: inde factum eſt, ut Dynaſtæ promiſcue vocarentur Eunuchi, quum tamen viri eſſent. Porro, nunc demum reipſa comperit Philippus, non fruſtra ſe Deo fuiſſe morigerum. Ita, quiſquis ſucceſſum Domino committens, perrexerit quo ille jubet, tandem experietur, feliciter ſuccedere quicquid ejus auſpiciis & mandato ſuſcipitur. Nomen *Candaces*, non unius tantum Reginæ fuit: ſed quemadmodum Cæſarum nomen commune fuit Romanis Imperatoribus, ita Æthiopes, teſte Plinio, ſuas Reginas vocabant Candacas. Hoc quoque ad rem facit, quod nobile illud & opulentum fuiſſe regnum tradunt hiſtorici: quia ex ejus amplitudine & potentia, quam ſplendida fuerit Eunuchi conditio & dignitas, colligi melius poteſt. Caput & primaria ſedes fuit Meroë. Lucæ teſtimonio ſuffragantur profani ſcriptores, qui mulieres illic regnare ſolitas referunt.

Venerat adoraturus.] Hinc colligimus, longe ſparſum veri Dei nomen, ut in longinquis regionibus aliquos haberet cultores. Certe hunc virum oportuit palam diverſum à gente ſua cultum profiteri. neque enim potuit furtim venire in Judæam tantus Dynaſtes: nec dubium eſt, quin magnum comitatum ſecum traxerit. Nec vero mirum eſt, fuiſſe paſſim in toto Oriente aliquos qui verum Deum colerent: quia ex quo diſſipatus fuerat populus, ſimul diffuſus fuerat aliquis puræ Dei notitiæ odor per gentes exteras: imo exilium populi quædam fuerat pietatis veræ propagatio. Quin etiam Romanos videmus, quum atrocibus edictis Judaicam religionem damnarent, vix tamen effeciſſe, quin turmatim multi ad eam tranſirent. Hæc erant vocationis Gentium præludia, donec Chriſtus adventus ſui fulgore, Legis umbras diſcutiens, diſcri-

Epheſ. 2. verſ. 14. men inter Judæos & Gentes tolleret, dirutaque maceria, undique colligeret Dei filios. Quod adorandi cauſa Jeroſolymam venit Eunuchus, ſuperſtitioni tribuendum non eſt. poterat quidem in patria Deum precari: ſed quæ præſcripta erant exercitia Dei cultoribus, hic pius vir omittere noluit: adeoque boc habuit propoſitum, ut non fidem modo privatim & clanculum in corde aleret, ſed eam apud homines profiteretur. Neque tamen tale cum geote ſua divortium facere potuit, quin multis ſe odioſum fore ſciret: ſed externa religionis profeſſio, quam à Domino exigi ſciebat, pluris illi fuit quam hominum gratia. Quod ſi exigua ſcientiæ Legis ſcintilla uſque adeo in illo emicuit, quam probroſum nobis erit plenam Euangelii lucem perfido ſilentio ſuffocare? Si quis objiciat, jam tunc abrogata fuiſſe ſacrificia, ac jam fuiſſe tempus quo vellet Deus ubique abſque locorum diſcrimine invocari: reſponſio facilis eſt, Sine ſuperſtitione retentos fuiſſe in Legis umbris, quibus nondum patefacta erat Euangelii veritas. Nam quod Lex dicitur à Chriſto fuiſſe abolita quantum ad ceremonias, ſic intelligendum eſt: ubi ſe palam exhibet Chriſtus, evaneſcere ritus illos veteres qui illum abſentem figurabant. Quod paſſus eſt Dominus Eunuchum venire Jeroſolymam priuſquam illi doctorem mitteret: credibile eſt ideo factum eſſe, quia utile erat, Legis rudimentis adhuc formari, ut poſtea ad recipiendam Euangelii doctrinam aptior foret ac magis idoneus. Quod autem Jeroſolymæ neminem ex Apoſtolis illi Deus obtulerit, cauſa in arcano ejus conſilio latet: niſi forte, ut theſaurum repente ac præter ſpem oblatum, pluris faceret: vel quia ſatius erat, poſtquam ab externa ceremoniarum pompa templique aſpectu ſubductus, ſalutis viam liberius in otio & quiete quæreret, Chriſtum illi proponi.

28. *Legebat Iſaiam*] Lectio Prophetæ oſtendit Eunuchum non temere ex capitis ſui ſenſu Deum adoraſſe, quem ſibi finxiſſet, ſed quem cognoverat ex Legis doctrina. Atque hæc certe legitima eſt colendi Dei ratio, non arripere nudos & inanes ritus, ſed verbum ſimul adjungere: alioqui nihil niſi fortuitum erit ac confuſum. Nec vero forma adorandi in Lege præſcripta, alia in re differt ab hominum commentis, niſi quod illic Deus verbo ſuo prælucet. Deum ergo ſoli ejus diſcipuli rite adorant, hoc eſt, qui edocti ſuot in ejus ſchola. Sed videtur operam ludere, quum ſine profectu legit. fatetur enim, ſe, niſi adjutum alterius magiſtri opera, Prophetæ ſenſum minime aſſequi. Reſpondeo, Sicut diſcendi animo Prophetam legebat, ita fructum aliquem ſperaſſe, & re ipſa etiam ſenſiſſe. Cur ergo ſe intelligere poſſe negat quem in manibus locum babet? Nempe inſcitiam ſuam modeſte in locis obſcurioribus agnoſcit. Multa ſunt apud Iſaiam quæ longa expoſitione minime indigent: ut quum de bonitate & potentia Dei concionatur, partim ut ad fidem invitet homines, partim ut ad ſanctam vitam bortetur & erudiat. Nemo itaque tam rudis erit idiota, qui librum illum legendo, non aliquantum proficiat. vix tamen forte decimum quemque verſum ſolide intelliget. Talis fuit Eunuchi lectio. nam quum pro captu ſuo colligeret quæ ad ædificationem valebant, certa illi utilitas ex ſtudiis ſuis conſtabat. Iuterim ſi multa eum latebant, tædio non afficiebatur ut librum abjiceret. Sic omnino legenda eſt nobis quoque Scriptura: quæ aperta ſunt, & in quibus mentem ſuam Deus aperit, avide & prompto animo ſuſcipere decet: quæ adhuc nobis obſcura ſunt, præterire convenit, donec plenior lux affulgeat. Quod ſi legendo non fatigabimur, fiet tandem ut Scriptura aſſiduo uſu familiaris nobis reddatur.

31. *Quomodo poſſem.*] Inſignis Eunuchi modeſtia, qui non tantum ſe à Philippo homine plebeio interrogari æquo animo patitur, ſed ultro & ingenue fatetur ſuam inſcitiam. Et certe minime ſperandum eſt, ut ſe docilem unquam præbeat, qui proprii ingenii fiducia inflatus eſt. Hinc etiam fit, ut hodie tam paucis fructuoſa ſit Scripturæ lectio, quia vix centeſimus quiſque reperitur, qui ſe libenter ad diſcendum ſubjiciat. nam dum neſcire omnes fere pudet quod neſciunt, ignorantiam ſuam ſuperbe quiſque fovere mavult, quam aliorum diſcipulus videri. Imo, bona pars ſuperciliose ſibi in alios magiſterium uſurpat. Meminerimus tamen Eunucbum ſic ignorantiæ ſuæ conſcium fuiſſe, ut tamen Scripturam legendo, unus eſſet ex Dei diſcipulis. Hæc vera demum eſt Scripturæ reverentia, quum agnoſcimus illic reconditam eſſe ſapieotiam quæ ſenſus omnes noſtros ſuperet ac fugiat: nec tamen ideo ſumus faſtidioſi, ſed ſedulo legeotes pendemus à revelatione Spiritus, & interpretem oobis dari expetimus.

Rogavit Philippum ut aſcenderet.] Alterum modeſtiæ ſpecimen, quod interpretem & *magiſtrum* ſibi quærit. Poterat pro communi divitum faſtu Philippum rejicere: erat enim quædam tacitæ ignorantiæ exprobratio, quum diceret Philippus, *Intelligisne* quæ legis? Divites autem injuriam ſibi fieri putant, ſi quis eos liberius compellat. Itaqoe ſtatim prorumpuot in has voces, Quid ad te? vel, Quid tibi mecum? Eunuchus autem ſe Philippo docendum ſubmiſſe tradit. Ita animo *compoſiti ſimus* oportet, ſi Deum cupimus habere doctorem, *cujus* Spiritus ſuper humilem & manſuetum quieſcit. Iſa. 66.
Quod ſi quis ſibi diffidens, docilem ſe præbeat, potius è cælo deſcendent Angeli ad nos docendos, verſ. 2.
quam ut fruſtra nos Dominus laborare ſinat. Quanquam Eunucbi exemplo, adminiculis omnibus utendum eſt, quæ Dominus ad intelligendam Scripturam nobis proponit. Phrenetici homines ἐνθουσιασμοὺς è cælo petunt, & interea Miniſtrum Dei contemnunt, cujus manu regi debebant. Alii perſpicacia ſua freti, neminem audire, nullos commentarios legere dignantur. Atqui Deus ſubſidia quæ nobis deſtinat, non vult contemni, & eorum contemptum impuoe cedere non patitur. Atque bic memoria tenendum eſt, non modo datam nobis eſſe Scripturam, ſed interpretes ſimul & doctores eſſe additos, qui nos adjuvent. Hac ratiooe Philippum Dominus Eunucho potius deſtinavit, quam Angelum. quorſum enim hic circuitus ſpectabat, quod Angeli voce Philippum Deus acceſſit, non recta mittit Angelum ipſum, niſi quod ad audiendos homines aſſuefacere nos voluit? Hæc certe non vulgaris eſt externæ prædicationis commendatio, quod Angelis tacentibus, in ore hominum vox Dei in ſalutem noſtram perſonat. Qua de re plura in caput nonum & decimum ſum dicturus.

32. Porro ſententia Scripturæ quam legebat, erat hæc: Tanquam ovis ad victimam ductus eſt, & tanquam agnus coram tondente mutus, ita non aperuit os ſuum.
33. In humilitate ejus judicium ejus ſublatum eſt. Generationem ejus quis enarrabit? quia tollitur è terra vita ejus.
34. Reſpondens autem Eunuchus Philippo, dixit, Rogo te, de quo hoc dicit Propheta? de ſeipſo, an de alio quopiam?
35. Aperiens autem Philippus os ſuum, & exorſus à Scriptura hac, prædicavit illi Jeſum.

32. *Sententia Scripturæ.*] Proprie, Continens vel complexum. Sciamus, non incidiſſe caſu in hunc locum, ſed mira providentia Dei id factum eſſe, ut theſin vel principium haberet Philippus, unde tota Chriſtianiſmi ſumma apte deduci poſſet. Ergo, primum occulta Spiritus directione, plenæ inſtitutionis materia datur illi in manum: deinde, palam hominis miniſterio forma aptatur. Eſt autem illuſtre hoc & præ aliis memorabile vaticinium de Chriſto: quia ſine involucris illic pronunciat Iſaias, talem redimendæ Eccleſiæ fore modum, ut Filius Dei morte ſua vitam hominibus acquirat: ut ſe victimam conſtituat expiandis hominum peccatis: ut atteratur Dei manu, & uſque ad inferos ipſos deſcendat, quo nos ab interitu emerſos erigat uſque in cælum. in ſumma, perſpicue tractat hic locus quomodo reconcilientur homines Deo, quomodo juſtitiam obtineant, quomodo liberati à Satanæ tyrannide, & peccati jugo ſoluti, in regnum Dei perveniant: breviter, unde petenda ſint omnes ſalutis partes. Ego tamen, quæ hic citantur à Luca, tantum exponam. ac duo quidem membra ſunt: priore docet, Chriſtum, ut Eccleſiam redimat & reſtituat in vitam, ſic conterendum eſſe, ut ſimilis appareat perdito & deſperato. Deinde, mortem ejus pronunciat fore vivificam, & ex ſumma deſperatione exiturum ſingularem triumphum. Quod *agno* Chriſtum comparat, qui ad mactationem duci ſe patitur: & *ovi*, quæ ſe tonſioni placide offert: ſignificat voluntarium fore Chriſti ſacrificium. Et certe, hæc placandi Dei fuit ratio, quod ſe obedientem præbuit.
Joan. 18. Loquutus eſt quidem coram Pilato, ſed non redi-
v. 34. 36. mendæ vitæ cauſa: quin potius ut ſe offerret ultro in victimam, ſicuti à Patre deſtinatus erat, adeoque ſupplicium quod nos manebat, ſibi accerſeret. Utrumque ergo docet Propheta, oportuiſſe Chriſtum mori, ut vitam nobis acquireret: & ſponte mortem illi fuiſſe ſubeundam, ut hominum contumaciam obſequio ſuo deleret. Cæterum, hinc colligenda eſt ad patientiam exhortatio: ſicuti facit Petrus. ſed ordine præcedit illa, quam attigi, fidei doctrina.

33. *In humilitate judicium ejus.*] Vel Græcum volumen Eunuchus habuit, vel Lucas ſuo more lectionem tunc uſitatam retulit. Dicit Propheta, Chriſtum de anguſtia & judicio ſublatum. quibus verbis admirabilem victoriam celebrat, quæ ejus dejectionem mox ſequuta eſt: nam ſi morte fuiſſet oppreſſus, nihil ab eo ſperari poterat. Ergo Propheta, ut noſtram in Chriſto fiduciam ſtabiliat, poſtquam manu Dei percuſſum, & mactationi ſubjectum deſcripſit, nunc illi novam perſonam induit: quod ſcilicet victor ex mortis abyſſo emergat, & ex inferis ipſis prodeat auctor vitæ æternæ. Scio quidem locum hunc varie exponi: ſunt qui intelligant à carcere ad crucem raptum eſſe: aliis *tolli* perinde valet atque In nihilum redigi. Et ambigua eſt Hebraici verbi *lachah*, non minus quam Græci αἴρεσθαι, ſignificatio. Verum, qui contextum propius expendet, mihi in eo quod dixi, aſſentietur: ab illo triſti & deformi ſpectaculo quod propoſuerat, tranſitum nunc fieri ad novum inſperatæ gloriæ exortum. Ideo in ſumma re non multum differt Græca interpretatio à Prophetæ verbis. nam in humilitate vel abjectione ſublatum eſt Chriſti judicium: quia quum oppreſſus videri poſſet, Pater ejus cauſam aſſeruit. Hoc modo *Judicium*, ſicuti multis aliis locis, pro Jure ſumetur. Sed in Hebraico contextu Damnationem ſignificat. Dicit enim Propheta, Chriſtum, poſtquam in ultimas anguſtias redactus fuerit, & damnato ac perdito ſimilis, Patris manu erectum iri. Ergo ſenſus eſt, Oportuiſſe Chriſtum prius morti addici, quam Pater illum in regni ſui gloriam extolleret. Quæ doctrina ad totum Eccleſiæ corpus transferenda eſt: quia pios omnes mirabiliter oportet erigi Dei manu, ne morte abſorbeantur. Deus autem, quum vindex ſuorum apparet, non modo eos reſtituit in vitam, ſed ex multis mortibus inſignes illis triumphos comparat: ſicuti Chriſtus præclarum illud trophæum in cruce ſtatuit, de quo meminit Apoſtolus ſecundo ad Coloſſenſes capite.

Generationem ejus.] Poſtquam victricem Chriſti mortem celebravit Propheta, jam ſubjicit, non exigui temporis fore victoriam, ſed quæ propaganda ſit ultra omnem annorum numerum. Nam Prophetæ exclamatio perinde valet, ac ſi perpetuitatem regni Chriſti negaret hominum lingua exprimi poſſe. Cæterum, hunc locum miſere torſerunt interpretes. Quod æternam verbi Dei generationem hinc veteres probare conati ſunt adverſus Arrium, nimis à mente Prophetæ diſſentaneum eſt: nihilo verior Chryſoſtomi expoſitio, qui ad humanam generationem refert. neque illi Prophetæ ſenſum aſſequuntur, qui in illius ætatis homines eum invehi putant. Melius alii qui de Eccleſia accipiunt dictum, niſi quod falluntur ipſi quoque in voce *generationis*, quæ illis Poſteritatem aut Sobolem ſignificat. Atqui nomen *dor*, quod eſt apud Prophetam, Hebræis Seculum aut vitæ humanæ durationem ſignificat. Senſus itaque Prophetæ proculdubio eſt, vitam Chriſti perpetuam fore, quum ſemel Patris gratia liberatus à morte fuerit. quanquam vita hæc quæ fine caret, ad totum Eccleſiæ corpus pertinet: quia non ut ſibi vivat, ſed ſuis, Chriſtus reſurrexit. Fructum ergo & effectum illius quam in capite poſuit victoriæ, nunc in membris omnibus celebrat. Quare ex hoc loco vitæ æternæ fiduciam concipere unuſquiſque fidelium poteſt: deinde Eccleſiæ potius perpetuitas in perſona Chriſti aſſeritur.

Quia tollitur è terra.] Valde abſurda in ſpeciem ratio, quod tam magnifice regnet Chriſtus in cælo & in terra, Quia exciſus fuit. Quis enim interitum, vitæ cauſam eſſe credat? Sed hoc admirabili Dei conſilio factum eſt, ut inferi ſcalæ eſſent quibus in cælum Chriſtus conſcenderet: ignominia tranſitus illi eſſet in vitam: ex crucis horrore & tenebris emergeret lætus ſalutis fulgor: ex mortis abyſſo beata immortalitas manaret. Quia ſeipſum exinanivit, pro- Phil. 2.
pterea extulit ipſum Pater, ut coram ipſo omne genu verſ. 10.
flectatur, &c. Nunc quæ nobis ſit cum Chriſto ſocietas, cogitandum eſt, ne cui grave aut moleſtum ſit eadem via pergere.

34. *Dixit Eunuchus Philippo.*] Hic apparet, quanto diſcendi ſtudio flagraret Eunuchus. Vagatur in multis Iſaiæ vaticiniis quaſi per dubias ambages, nec tamen legendo fatigatur. Dum autem nihil ſibi arrogat, præter ſpem repente plus longe conſequitur, quam tota vita multum ſudando conſequi poterat, ſi acumen ſuum attuliſſet. Ita & nobis Dominus, ſi ruditatis noſtræ conſcii, ſubmittere nos ad diſcendum non gravemur, magiſter parvulis occurret. Et quemadmodum ſemen ſub terra locatum, ad tempus latet: ita Dominus Spiritu ſuo affulgens, efficiet, ut lectio quæ ſterilis & fructu vacua nihil quam tædium parit, conſpicuam intelligentiæ lucem habeat. Dominus quidem nunquam ita clauſos ſuorum oculos tenet, quin à primo ſtatim ingreſſu illis ſalutis via in Scriptura pateat, quin legendo ſubinde proficiant: ſed hærere ſæpe patitur, & quaſi obice poſito, curſum eorum tardari, tum ut fidei patientiam in illis probet, tum ut inſcitiæ ſuæ admonitos, ad humilitatem erudiat, tum ut torpore excuſſo, attentiores reddat, tum ut precandi ardorem accendat, tum ut in ipſo deſiderio eos magis ſtimulet ad veritatis amorem, tum ut cæleſtis ſuæ ſapientiæ excellentiam, quæ juſto alias in pretio non habetur, melius commendet. Verum, utcunque non ſtatim ad metam ſolidæ notitiæ perveniant fideles, laborem tamen ſuum ſemper ſentient irritum non eſſe, modo ne ſibi viam ſuperbo faſtidio præcludant. Dum adve-

niat tempus plenæ revelationis, ſufficiat nobis hic profectus, quod quantumvis exiguus notitiæ guſtus timorem Dei & fidem nobis inſtillat.

35. *Philippus aperiens os ſuum.*] Aperire os, in Scripturis, eſt ordiri longum ſermonem de re gravi & ſeria. Significat ergo Lucas, cœpiſſe Philippum quaſi pleno ore differere de Chriſto. Dicit, *initium* feciſſe ab hac prophetia, quia nulla clarius Chriſtum depingit: & tunc in manum commode oblata erat. Poſtquam ergo oſtendit Philippus ex Prophetæ verbis, qualis futurus eſſet Chriſti adventus, & quid ab eo ſperandum: rem ipſam deinde contulit, ut ſciret Eunuchus jam exhibitum eſſe Chriſtum illum qui promiſſus fuerat, & virtutem ejus teneret. Ubi vertimus *prædicaſſe* Chriſtum, Lucas habet Euangelizaſſe. Senſus eſt, docuiſſe de Chriſto quod Euangelio ſuo promulgavit ipſe & tradi juſſit. Unde colligimus, ubi cognoſcitur Chriſtus, Euangelii ſummam nobis conſtare.

36. Quum autem pergerent in via, venerunt ad aquam. Et dixit Eunuchus, Ecce aqua, quid vetat quominus baptizer?

37. Dixit autem Philippus, Si credis ex toto corde, licet. Reſpondens ille, dixit, Credo Filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum.

38. Tunc juſſit ſiſti currum, & deſcenderunt ambo in aquam, Philippus ſcilicet ac Eunuchus: & baptizavit eum.

39. Quum autem aſcendiſſent ex aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, & non vidit eum amplius Eunuchus. Perrexit itaque in via ſua gaudens.

40. Philippus autem repertus eſt Azoti: & proficiſcens euangelizabat urbibus cunctis, donec veniret Cæſaream.

36. *Quid vetat.*] Sequitur Eunuchi Baptiſmus: unde colligimus, quantum exiguo tempore profecerit, quando ad dandum Chriſto nomen ultro ſe offert. Jam enim maturam quodammodo fidem in ejus corde fuiſſe oportet, quum ad externam profeſſionem cupide deſcendit. Non recipio quod annotat Chryſoſtomus, Modeſtia retentum eſſe, ne Baptiſmum aperte peteret: plus enim vehementiæ habet interrogatio iſta, quam ſi ſimpliciter Philippo dixiſſet, Volo ut me baptizes. Cæterum, videmus ita prædicatum fuiſſe illi Chriſtum, ut Baptiſmum ſciret novæ in illo vitæ eſſe ſymbolum, ideoque minime negligeret, quia acceſſio erat ad ſermonem, & quidem ab ipſo inſeparabilis. Sicuti ergo quod de Chriſto audivit, libenter amplexus eſt, ita nunc pio fervore in externam fidei confeſſionem prorumpit: nec ſatis illi eſt intus coram Deo credere, niſi ſe Chriſtianum apud homines eſſe teſtetur. Multa illi venire poterant in mentem quæ à Baptiſmo eum arcerent, ne & Reginæ, & totius gentis ſuæ odiis ac probris ſe exponeret. ſed horum quicquam ſibi obſtare negat, quominus cenſeri cupiat inter Chriſti diſcipulos. Si paucarum horarum rudimentis eouſque provectus eſt, quam pudenda eſt eorum ſegnities, qui fidem quinque, decem aut viginti annorum doctrina conceptam intus ſupprimunt?

37. *Si credis ex toto corde.*] Quod non admittitur Eunuchus ad Baptiſmum niſi fidem profeſſus, hinc ſumenda eſt univerſalis regula, Non ante recipiendos eſſe in Eccleſiam qui ab ea prius fuerant alieni, quam ubi teſtati fuerint Chriſto ſe credere. Eſt enim Baptiſmus quaſi fidei appendix: ideoque ordine poſterior eſt. Deinde, ſi datur ſine fide, cujus eſt ſigillum, & impia & nimis craſſa eſt profanatio. Sed inſcite ac perperam fanatici homines Pædobaptiſmum hoc prætextu impugnant. Cur fides in Eunucho Baptiſmum præcedere debuit? Nempe, quum hac nota ſolos Eccleſiæ domeſticos Chriſtus inſigniat, inſeri in Eccleſiam oportet qui baptizandi ſunt. Sicut autem adultos fide inſeri certum eſt, ita piorum liberos dico Eccleſiæ filios naſci, & ab utero reputari in Chriſti membris: quia hac lege nos Deus adoptat, ut ſit etiam ſeminis noſtri pater. Tametſi ergo fides in adultis exigitur, perperam transfertur hoc ad infantes, quorum longe diverſa eſt ratio. Cæterum abuſi ſunt teſtimonio magni quidam viri, quum probare vellent, fidem nihil habere confirmationis ex Baptiſmo: ſic enim ratiocinabantur, Jubetur Eunuchus afferre perfectam fidem ad Baptiſmum: ergo nihil accedere potuit. Sed Scriptura Totum cor ſæpe accipit pro Sincero & non fucato, cui opponitur Cor duplex. Ita non eſt quod perfecte credere imaginemur, qui ex toto corde credunt: quando infirma & puſilla fides in eo eſſe poterit, cui tamen integer erit animus & omni fictione purus. Sic accipere convenit quod David jactat, ſe diligere Dominum ex toto corde. Philippus certe Samaritanos prius baptizaverat, quos tamen ſciebat longe adhuc à meta diſtare. Fides ergo totius cordis eſt, quæ in corde vivas radices habens, ad quotidianos tamen profectus aſpirat.

Credo Filium Dei.] Sicuti in Chriſto fundatus eſt Baptiſmus, & illic vis ejus ac veritas continetur: ita Eunuchus Chriſtum unum ſibi proponit. Sciebat Eunuchus antea unum eſſe Deum, qui *fœdus cum* Abraham pepigerat, qui *Legem* dederat per manum Moſis, qui populum unum ſegregaverat à reliquis gentibus, qui Chriſtum pollicitus fuerat per quem propitius eſſet mundo: nunc *Jeſum* fatetur eſſe illum mundi redemptorem & *Dei Filium*. ſub quo titulo ſummatim complectitur quæcunque Scriptura Chriſto tribuit. Hæc perfecta eſt fides, cujus nuper meminit Philippus, quæ Chriſtum recipit, qualis & promiſſus eſt olim, & tandem exhibitus, & quidem ſerio cordis affectu, ſicuti Paulus eam requirit non fictam. Hanc quiſquis non habet jam adultus, fruſtra infantiæ ſuæ Baptiſmo gloriatur: nam in hunc finem infantes ſibi Chriſtus Baptiſmo initiat, ut quum primum ætatis captus tulerit, ſe illi diſcipulos addicant, & Spiritu ejus baptizati, virtutem ejus, quam figurat Baptiſmus, fidei intelligentia teneant.

38. *Deſcenderunt in aquam.*] Hic perſpicimus, quiſnam apud veteres baptizandi ritus fuerit: totum enim corpus in aquam mergebant. nunc invaluit uſus, ut miniſter corpus vel caput tantum aſpergat. Cæterum, non tanti eſſe nobis debet tantillum ceremoniæ diſcrimen, ut Eccleſiam propterea ſcindamus, vel rixis turbemus. Pro ipſa quidem Baptiſmi ceremonia, quatenus nobis à Chriſto tradita eſt, centies potius ad mortem uſque digladiandum, quam ut eam nobis eripi ſinamus: ſed quum in aquæ ſymbolo teſtimonium habemus tam ablutionis noſtræ, quam novæ vitæ: quum in aqua, velut in ſpeculo, ſanguinem nobis ſuum Chriſtus repræſentat, ut munditiem inde noſtram petamus: quum docet nos Spiritu ſuo refingi, ut mortui peccato, juſtitiæ vivamus: nihil quod ad Baptiſmi ſubſtantiam faciat, deeſſe nobis certum eſt. Quare ab initio libere ſibi permiſit Eccleſia, extra hanc ſubſtantiam, ritus habere paululum diſſimiles: nam alii ter, alii autem

ſemel

ſemel tantum mergebant. quare non eſt quod in rebus non ita neceſſariis nimium moroſi ſimus: modo ne adventitiæ pompæ ſimplicem Chriſti inſtitutionem contaminent.

39. *Quum aſcendiſſent.*] Nunc ut ſermonem de Eunucho claudat Lucas, dicit *Philippum* ab ejus conſpectu raptum eſſe: idque ad ejus confirmationem non parum valuit, quum videret divinitus hominem illum inſtar Angeli miſſum eſſe, & repente evanuiſſe antequam laboris pretium offerret. unde colligere promptum erat, non fuiſſe quæſtuariam inſinuationem: quando ne obolo quidem locupletatus diſparuerat. Quod nihil mercedis ab Eunucho retulit Philippus, hinc diſcant ſervi Chriſti gratuitam illi operam impendere: vel potius ita gratis ſerviant hominibus, ut mercedem è cælo ſperent. Permittit
1 Cor. 9. vers. 9. Joan. 10. v. 12, 13.
quidem Dominus ut mercedem recipiant Euangelii miniſtri ab his quos docent: ſed illos ſimul mercenarios eſſe vetat, qui lucri cauſa laborent. Nam hoc illis propoſitum eſſe debet, ut homines ipſos Deo lucrentur.

Gaudens.] Fructum hunc ſemper ex ſe profert fides ac Dei notitia. Quæ enim gaudii materia verior fingi poteſt, quam ubi Dominus non modo miſericordiæ ſuæ theſauros nobis aperit, ſed cor ſuum (ut ita loquar) in nos effundit, ſeque in Filio ſuo nobis donat, nequid ad ſolidam felicitatem nobis deſit? Tunc & cælum ſerenum, & terra quieta eſſe incipit: tunc conſcientia triſti & horrendo iræ Dei ſenſu liberata, ſoluta Satanæ tyrannide, ex tenebris mortis egreſſa, vitæ lucem aſpicit. Ideo Prophetis ſolenne eſt, quoties de Chriſti regno verba facturi ſunt, ad lætitiam, jubilum, exultationem, & triumphales pæanas nos hortari. Sed quia ad hoc ſpirituale gaudium erigere ſe nequeunt quorum animi occupati ſunt vanis mundi gaudiis, mundum ejuſque illecebras omnes contemnere diſcamus ut nos vere Chriſtus exhilaret.

40. *Repertus fuit Azoti.*] Azotum unam fuiſſe ex urbibus unde non potuerunt expelli Enacim, ex libro Joſue notum eſt, cap. 11. Diſtat ab Aſcalone ducentis fere ſtadiis: Hebræi *Aſdod* vocant. Delatus ergo fuit illuc Philippus: inde pedibus iter humano more facere cœpit, Euangelii ſemen quocunque tranſibat, ſpargens. Rara ſane & mirabilis ſtrenuitas, quod in itinere ſpargit nomen pietatis. Quod autem nominatim exprimit Lucas in ſingulis urbibus prædicaſſe donec veniſſet Cæſaream, nec rediſſe Samariam narrat: inde probabilis conjectura ſumi poteſt, Cæſareæ ad tempus ſubſtitiſſe. quod tamen in medio relinquo. Joſ. 11. verſ. 22.

Cap. IX.

Saulus autem adhuc ſpirans minas & cædem contra diſcipulos Domini, veniens ad ſummum Sacerdotem,

2. Petiit ab eo epiſtolas Damaſcum ad Synagogas, ut ſi quos inveniret hujus ſectæ ſeu viros ſeu mulieres, vinctos duceret Jeroſolymam.

3. Quum autem eſſet in itinere, accidit ut appropinquaret Damaſco: & repente circumfulguravit illum fulmen è cælo,

4. Et proſtratus in terram, audivit vocem dicentem ſibi, Saul, Saul, quid me perſequeris?

5. Dixit autem, Quis es, Domine? Dominus autem dixit, Ego ſum Jeſus quem tu perſequeris. Durum eſt tibi contra ſtimulos calcitrare.

1. *Saulus autem.*] Hic Lucas nobilem & memoratu in primis dignam hiſtoriam de Pauli converſione refert: nempe, qualiter eum Dominus, quum inſtar belluæ indomitæ fureret, non modo ſuo imperio ſubjecerit, ſed alium prorſus & novum fecerit hominem. Sed quia Lucas, ut in opere Dei memorabili, ſingula ordine proſequitur, ſatius erit ejus contextum ſequi, ut in ſuum locum veniat quicquid notatu utile erit. Quum dicit eum *adhuc ſpiraſſe* minas & cædem, ſignificat, Ex quo ſemel imbutus fuerat ſanguine innoxio, proſequutum fuiſſe eandem ſævitiam; & ab infauſto tirocinio, cujus meminit in morte Stephani, rabidum ſemper & ſanguinarium fuiſſe Eccleſiæ hoſtem. quo magis incredibile erat tam ſubito poſſe mitigari. Quod autem tam crudelis lupus non modo in ovem converſus eſt, ſed paſtoris ingenium induit: in eo palam ſe exeruit mirifica Dei manus.

2. Simul Lucas deſcribit inſtructum fuiſſe armis ac potentia ad nocendum, quum dicit *impetraſſe* à ſummo Pontifice epiſtolas, ut vinctos adduceret Jeroſolymam, quoſcunque inveniret Chriſtum profitentes. *Mulierum* fit mentio, ut melius pateat quantopere ſanguinis fundendi cupidus fuerit, qui nullum ſexus reſpectum habuit, cui etiam armati hoſtes in medio belli ardore parcere ſolent. Ergo feram & truculentam belluam nobis proponit: cui non modo ad graſſandum laxatæ erant habenæ, ſed ad pios homines perdendos & vorandos vis addita, acſi datus eſſet gladius in manum furioſi. Ubi ego *Sectam* tranſtuli, Lucas Viam habet: quæ metaphora, Scripturæ ſatis trita eſt. Ergo Pauli conſilium erat, pios omnes crudeliter delendo, Chriſti nomen extinguere.

3. *Quum eſſet in itinere.*] Epiſtolas à Sacerdote poſtulans, ſponte ruebat contra Chriſtum: nunc invitus ad obſequium cogitur. Inſignis certe Dei miſericordia, quod ad ſalutem præter animi ſui propoſitum revocatur, quem tantus ardor præcipitem in exitium ferebat. Quod illum Dominus epiſtolas accipere ſinit, & urbi appropinquare: hinc perſpicimus, quam probe notos habeat temporum articulos ad quidvis opportune agendum. Poterat maturius occurrere, ſi ita viſum eſſet, ut pios metu & anxietate eximeret: ſed beneficium ſuum inde magis illuſtrat, quod non niſi in ipſo ovilis ingreſſu, hiantia lupi fauces conſtringit. Scimus etiam ipſo progreſſu mire creſcere hominum contumaciam: quare eo difficilior fuit Pauli converſio, quum furorem ſuum continuando, jam obſtinatior factus eſſet.

Circumfulguravit eum.] Quia non facile erat tantam ſuperbiam domare, frangere tam feroces impetus, tam cæcum pravi zeli fervorem ſedare, cohibere denique pluſquam effrenem beſtiam: oportuit Chriſtum majeſtatis ſuæ ſignum aliquod dare, unde ſentiret Paulus cum Deo ipſo, non autem cum homine mortali ſibi eſſe negotium. quanquam ejus humiliandi habita fuit ratio, quia indignus erat quem ſuavi Spiritus ſui jugo ad obſequium ſtatim aſſuefaceret Chriſtus, ac vix capax erat tantæ manſuetudinis, donec violenter fracta eſſet truculentia. Non poteſt quidem divinam Chriſti gloriam, qualis eſt, capere hominum ſenſus: verum ſicuti Deus formas ſæpe induit, quibus ſe manifeſtaret,

feſtaret, ita nunc Chriſtus ſuam divinitatem Paulo teſtatam fecit, ac præſentiæ quidem ſuæ ſpecimen dedit, quod Paulo terrorem incuteret. Nam etſi pii ad Dei conſpectum trepidant, Paulum tamen longe aliter expaveſcere oportuit, quum divinam Chriſti potentiam ſibi adverſam ſentiret.

4. Itaque dicit Lucas, *cecidiſſe in terram*. quid enim accidere homini aliud poteſt, quam ut confuſus & prope in nihilum redactus jaceat, quum præſenti gloriæ Dei ſenſu obruitur? Hoc autem in Paulo humiliationis principium fuit, ut docilis eſſet ad audiendam Chriſti vocem, quam faſtuoſe equo inſidens, ſpernebat.

Saul, Saul.] Lucem quæ Paulum undique iovaſit, Lucas comparat fulguri. etſi non dubito, quin fulgetra in aëre volitaverint. Hæc autem vox quam ad faſtum illius conterendum jaculatus eſt Chriſtus, *fulmen* apte vocari poſſet, quod non modo eum perculit ac reddidit attonitum, ſed prorſus confecit, ut apud ſe jam nullus eſſet, qui ſibi tantopere prius placebat, & ſibi jus arrogabat profligandi Euangelii. Ejus nomen Hebraicum ponit Lucas hoc loco, Saul, Saul, quia Chriſti verba refert, qui eum proculdubio alloquutus eſt ex communi gentis more.

5. *Quis es, Domine?*] Jam Paulum habemus velut cicuratum, ſed nondum eſt Chriſti diſcipulus. Correcta eſt in eo ſuperbia, & ſubacta ferocitas, nondum eouſque ſanitatis profecit, ut Chriſto obediat: tantum ad juſſa capeſſenda paratus eſt, qui prius blaſphemias crepabat. Itaque, hæc interrogatio, hominis eſt attoniti & ſtupore confuſi. Cur enim ex tot divinitatis ſignis Deum eſſe non agnoſcit, qui loquitur? Suſpenſi ergo & hæſitantis animi vox illa fuit. ergo Chriſtus eum ad reſipiſcentiam propius urget. Quum ſubjicit, *Ego ſum Jeſus*: meminerimus hanc vocem ſonuiſſe è cælo. debuit itaque perfodere animum Pauli, quum reputaret ſe hactenus bellum cum Deo geſſiſſe: debuit ad veram ſubmiſſionem protinus eum flectere, quum reputaret, non impune ſibi ceſſurum, ſi contra eum inſurgere pergeret, cujus manum effugere non poterat. Cæterum hic locus doctrinam apprime utilem continet: ac multiplex quidem eſt utilitas. nam primo oſtendit Chriſtus, quanti Euangelium ſuum faciat, dum cauſam ſuam eſſe pronunciat, à qua nihil habere vult ſeparatum. non ergo ejus defenſionem magis unquam abjicere, quam ſeipſum abnegare poterit. Eximia deinde ad pios conſolatio redit, quod dum pro Euangelii teſtimonio laborant, ſocium crucis ſibi eſſe audiunt Filium Dei, qui ad levandam oneris partem humeros ſuos quodammodo ſupponit. neque enim de nihilo pronunciat, ſe in perſona noſtra pati; ſed hoc nobis certo perſuaſum eſſe vult, eadem ipſum ſympathia tangi, acſi nos Euangelii hoſtes per ejus latus vulne-
Col. 1: 24. rarent. Quare Paulus ipſe dicit deeſſe Chriſti paſſionibus, quicquid pro Euangelii defenſione perſequutionum hodie ſuſtinent fideles. Hæc porro conſolatio, non tantum eo ſpectat, ne nobis grave ſit cum capite noſtro pati: ſed ut vindicem malorum noſtrorum fore ſperemus, qui è cælo clamat, Commune ſibi eſſe nobiſcum quicquid patimur. Poſtremo hinc colligimus, quam horribile judicium maneat Eccleſiæ perſequutores, qui Gigantum more cælum ipſum oppugnant, ac tela vibrant mox in caput ſuum reditura: imo cælum turbando fulmen iræ Dei in ſe provocant. Monemur etiam in genere omnes, ne quis fratrem ſuum injuſte lædendo, in Chriſtum incurrat: præſertim vero, ne quis veritatem temere & cæca rabie zeli colore oppugnet.

Durum eſt tibi] Sententia eſt proverbialis à bobus aut equis ſumpta, qui dum ſtimulis punguntur, calcitrando nihil proficiunt, niſi quod ſtimulis altius infixis malum duplicant. Hoc ſimile Chriſtus ad ſe optime accommodat: quia contra eum luctando, duplex malum homines ſibi acceſſent, quibus neceſſe eſt, velint nolint, ejus imperio ſubeſſe. Qui ſe Chriſto ſponte ſubmittunt, adeo nullam ab eo ſentiunt punctionem, ut in eo paratum habeant omnium vulnerum remedium: ſed impii omnes qui virulentos ſuos aculeos in ipſum jacere conantur, ſentient tandem ſe aſinos eſſe vel boves ſtimulo obnoxios. Ita piis fundamentum eſt in quo recumbunt: ſed reprobis qui in eum impingunt, lapis eſt qui ſua duritie ipſos conterit. Quamvis autem hic ſermo habeatur de Euangelii hoſtibus, latius tamen extendi poteſt hæc admonitio: ne ſcilicet frenum mordendo, quoties nobis cum Deo negotium eſt, putemus nos quicquam profecturos: ſed manſuetis equis ſimiles, flecti nos ac regi ejus manu placide ſinamus: & ſiquando nos pungit, reddamur ejus ſtimulis ad obſequium promptiores, ne quod in Pſalmo dicitur, nobis accidat, Equis ac mulis refractariis maxillas conſtringi & lupato duriter cohiberi, ne inſiliant, &c. Cæterum in hac hiſtoria habemus velut typum univerſalem ejus gratiæ quam Dominus quotidie in vocandis nobis omnibus exerit. Non omnes quidem tanta violentia adverſus Euangelium ſe efferunt: ſed omnibus tamen ingenita eſt tum ſuperbia, tum rebellio contra Deum: omnes natura pravi ſumus & ſævi. quod ergo ad Deum convertimur, id præter naturam fit mirabili & arcana Dei potentia. Adſcribunt quidem Papiſtæ quoque gratiæ Dei converſionis noſtræ laudem, ſed ex parte duntaxat: quia nos cooperari fingunt. At vero, quum carnem noſtram mortificat Deus, non aliter nos ſubigit quam Paulum; nec pilo uno propenſior eſt nobis ad parendum voluntas, quam Paulo fuit, donec contuſa cordis noſtri ſuperbia, nos non modo flexibiles, ſed ad ſequendum voluntarios reddiderit. Tale igitur converſionis noſtræ initium eſt, ut Deus minime vocatus aut quæſitus, vagos & errantes ultro quærat: ut præfractos cordis noſtri affectus mutet, quo nos ſibi dociles habeat. Valet præterea hæc hiſtoria ad Paulinæ doctrinæ confirmationem. Si Paulus ſemper unus fuiſſet ex Chriſti diſcipulis, poſſent improbi & protervi homines extenuare teſtimonii pondus quod magiſtro ſuo reddit. Si facilem ſe & morigerum ſtatim præbuiſſet, nihil niſi humanum cerneremus. Sed quum infeſtus Chriſto hoſtis, rebellis Euangelio, ſapientiæ ſuæ fiducia turgidus, odio veræ fidei ardens, cæcus hypocriſi, ad delendam veritatem pluſquam pertinax, repente inſolito modo in novum hominem mutatur: nec tantum convertitur lupus in ovem, ſed paſtoris ingenium induit: perinde eſt, acſi Angelum aliquem cælitus miſſum, Chriſtus manu ſua in medium produceret. neque enim Saulum illum Tarſenſem jam conſpicimus, ſed novum hominem Spiritu Dei formatum; ut jam ipſe per os ejus tanquam è cælis loquatur.

6. Ipſe autem tremens ac pavens, dixit, Domine, quid me vis facere? Et Dominus ad illum, Surge, & ingredere in urbem, ubi dicetur tibi quid te oporteat facere.

7. Homines autem qui comites erant itineris, ſtabant attoniti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.

8. Excitatus autem Saulus à terra, quum aperti eſſent ejus oculi, neminem videbat: ſed eum manu agentes, adduxerunt Damaſcum.

9. Et fuit tres dies non videns, nec edens aut bibens.

6. *Sequitur* illius objurgationis fructus, qua diximus oportuiſſe Paulum duriter quaſſari, ut ejus durities frangeretur: nunc enim exequendis ejus quem nuper ſpernebat juſſis paratum ſe offert. nam quum rogat, *quidnam* velit Chriſtus, jus illi & poteſtatem concedit. Terrentur quidem etiam reprobi Dei minis, ut revereri ipſum & ejus imperio ſe ſubjicere cogantur: ſed fremere interea non deſinunt, & contumaciam intus fovere. Verum, ſicuti Paulum Deus humiliavit, ita efficaciter operatus eſt in ejus corde. Neque enim naturæ bonitate factum eſt, ut libentiùs ſe Deo Paulus ſubjiceret, quam Pharao: *Exod. 7. verſ. 13.* ſed quia Pharao incudi ſimilis, Dei flagella, quibus ſubigendus erat, ſua duritie, non ſecus ac ictus mallei, repulit: cor autem Pauli ex ferreo repente carneum evaſit, poſtquam illi à Spiritu data eſt mollities, quam minime à natura habebat. Idem & in nobis quotidie experimur: increpat nos verbo ſuo, minatur, terret, addit etiam ferulas, & variis modis ad ſubjectionem nos præparat: verum hæc omnia adjumenta nunquam efficient ut perveniat quiſquam ad bonam frugem, niſi Spiritus Dei corda intus molliat.

Et Dominus ad illum.] Poſtquam ferream cervicem Paulus Chriſti jugo ſubmiſit, jam ipſius manu regitur. Neque enim Dominus ſic nos in viam inducit, ut nos vel in ipſis carceribus, vel in medio ſtadio deſtituat: ſed gradatim ad metam uſque perducit. Continuam hanc gubernationis divinæ ſeriem nobis hic depingit Lucas: nam quem ſibi docilem reddidit, poſtea ſuſcipit docendum. Nec obſtat, quod hominis miniſterio in hac parte utitur: quia penes ipſum nihilominus auctoritas & virtus manet, ut per hominem opus ſuum peragat. Quanquam videri poſſet abſurdum, quod Chriſtus æterna Dei ſapientia, diſcipulum, qui ad audiendum jam attentus eſt, & ad capeſſendam doctrinam quaſi inhiat, ſuſpenſum alio ablegat diſcendi cauſa. Sed reſpondeo, Non abs re id eſſe factum. nam Dominus hoc modo Pauli modeſtiam probare voluit, quum uni ex ſuis diſcipulis eum attribuit docendum: acſi nondum familiariter eum alloqui dignetur, ſed amandet ad ſuos ſervos, quorum & tam ſuperbus contemptor, & tam immanis perſequutor nuper fuit. Nos quoque ſub ejus perſona ad humilitatem erudimur. nam ſi Paulum Chriſtus gregarii diſcipuli magiſterio ſubjecit: quis noſtrum quemvis audire doctorem gravetur, modo ſit à Chriſto ordinatus: hoc eſt, re ipſa ejus miniſtrum ſe comprobet? Quod ergo ad Ananiam mittitur Paulus, ſciamus ad ornandum Eccleſiæ miniſterium id fieri. Hic certe non vulgaris eſt honor, quo Deus humanum genus dignatur, quum fratres noſtros è medio noſtri deligit qui ſint voluntatis ſuæ interpretes, quum in ore hominis naturaliter profano, ac mendaciis & vanitati dedito, ſacra tamen ſua oracula perſonare facit. Sed hic rurſum fœda mundi ingratitudo ſe profert, quod Deum per os hominis loquentem nemo audire ſuſtinet. Cuperent omnes Angelos ad ſe volare, vel cælum ſubinde ſcindi, & illinc prodire viſibilem Dei gloriam. Hæc præpoſtera curioſitas, quum ex faſtu & impio verbi contemptu naſcatur, januam aperit multis deliriis, & vinculum diſſolvit mutuæ inter fideles conſenſionis. Ergo Dominus non tantum placere ſibi teſtatur doceri nos per homines, ſed ordinem à ſe poſitum commendat ac ſancit. Huc quoque elogia iſta pertinent, Qui vos audit, me audit: ut juſtam verbo *Luc. 10.* ſuo reverentiam Chriſtus conciliet. *verſ. 16.*

Dicetur tibi.] Conſtituit his verbis Chriſtus Ananiam ſuo loco, quantum ad docendi vices: non quod auctoritatem illi ſuam reſignet, ſed quia futurus eſt Euangelii miniſter fidus & ſincerus. Ideo ſemper tenenda hæc moderatio, ut audiatur ſolus Deus in Chriſto, & ſolus ipſe Chriſtus, ſed per miniſtros ſuos loquens: duoque hæc vitia cavenda, ne tam pretioſæ functionis prætextu ſuperbiant miniſtri, vel ſordida eorum conditio cæleſti ſapientiæ deroget.

7. *Homines autem.*] Nunc obiter de comitibus Pauli meminit, quod teſtes fuerint viſionis. Videtur tamen hæc narratio nonnihil diſcrepare à Pauli verbis, quæ videbimus capite viceſimo ſecundo. *Actor 22.* nam illic dicet, comites ſuos fuiſſe territos luminis *verſ. 9.* aſpectu, ſed vocem non audiſſe. Quidam exiſtimant eſſe mendum, & librarii inſcitia tranſpoſitam eſſe negationem. Mihi ſolutio non videtur eſſe difficilis: quia fieri poteſt, ut audierint quidem vocis ſonitum, non tamen diſcernerent vel quis verba faceret, vel quid diceretur. *Vocem*, inquit, non audiebant loquentis mecum. certe nihil aliud ſignificat quam ſermonem Chriſti ſibi uni fuiſſe cognitum. Inde non ſequitur, quin aliorum aures vox obſcura & ambigua ferire potuerit. Quum hoc loco dicit Lucas *vocem auditam*, & neminem fuiſſe viſum: ſignificat, non ab homine profectam fuiſſe vocem, ſed divinitus emiſſam. Ergo, ut miraculo conſtet fides, comites Pauli lumen inſtar fulguris conſpiciunt, Paulum vident proſtratum, vocem audiunt quamvis non articulate ſonantem è cælo: Paulus interea ſolus docetur quidnam ſibi agendum ſit.

8. *Sublatus è terra.*] Nunc addit Lucas, tanto metu fuiſſe perculſum, ut ſe attollere non poſſet: neque id modo, ſed oculis ad tempus fuiſſe captum, ut priſtinum ſuum acumen obliviſceretur. Quum dicit, *oculis apertis* non vidiſſe; videtur non congruere cum aliis verbis quæ mox ſequentur, *oculos* ejus fuiſſe opertos quaſi ſquamis: verum hujus loci ſenſus eſt, Veram fuiſſe hanc cæcitatem, ac viſu fuiſſe privatum triduo illo, quod quum oculos aperiret, nihil videbat.

9. Quod dicit *non edisse* nec bibiſſe per triduum, in parte miraculi ponendum eſt. Nam etſi Orientales inediam melius tolerant quam nos, jejunium tamen tridui tuliſſe non legimus, niſi quos vel cibus deficeret, vel aliqua major urgeret neceſſitas. Ergo Paulum mire expaveſactum fuiſſe colligimus, quod cibum triduo ſimilis exanimi non guſtavit.

10. Erat autem diſcipulus quidam Damaſci, nomine Ananias, ad quem Dominus in viſione dixit, Anania. Ille autem dixit, Ecce ego, Domine.

11. Dominus autem ad eum, Surge, & proficiſcere in viam quæ vocatur Recta: & quære in domo Judæ, Saulum nomine Tarſenſem. Ecce enim, orat.

12. Et vidit in viſione virum nomine Ananiam, ingredientem, & imponentem ſibi manum ut videret.

10. Diximus antea, hunc fuiſſe potius electum, quam ex Apoſtolis quempiam, ut Paulus depoſito arrogantiæ tumore, minimos audire diſceret, atque ex nimia altitudine deſcenderet uſque ad infimum ordinem. Erat autem hæc viſio Ananiæ neceſſaria, ne injunctum ſibi docendi Pauli munus metu detrectaret. Nam quamvis à Domino ſe vocari ſciat, refugit tamen adhuc, aut ſaltem excuſat. Neceſſe ergo fuit certum vocationis ſuæ teſtimonium, & felicem ejus labori ſucceſſum promitti, ut alacri fortique animo ſuſciperet quod Dominus mandabat. Porro, ſicuti animat Chriſtus & confirmat Ananiam, in viſione illi apparens: ita Paulum ad omnia præparat, ut reverenter Ananiam,

non

Digitized by Google

non ſecus atque Angelum è cælo delapſum, excipiat. Poterat Dominus recta Paulum ad Ananiam mittere, & domum indicare, ſed ad confirmationem hoc fuit aptius: quia melius cognovit habitam ſui curam à Domino fuiſſe. Et ſimul gratiam ſuam nobis Dominus commendat, quod ſicuti prius occurrit Paulo, ita nunc rurſus manum illi ſuam ultro per miniſtrum porrigit. Interea viciſſim docemur & nos ejus exemplo, ut ad quærendas oves perditas promptiores ſimus magiſque ſolliciti.

In viſione.] Viſio hic ſignificat ſymbolum aliquod oculis objectum ad teſtandam Dei præſentiam. Nam hic eſt viſionum uſus, ut verbi majeſtas rite comprobata, fidem apud homines obtineat. Atque hac confirmationis ſpecie ſæpe uſus eſt Deus erga Prophetas: ſicuti dicit, ſe per viſionem vel per ſomnum ſervis ſuis loqui. Permiſit quidem Satanæ fallacibus ſpectris decipere coram incredulos. Sed quum Satanæ præſtigiæ nonniſi in tenebris vigeant: Deus ſuorum mentes illuſtrat, ut certo ſtatuant non eſſe timendum ab impoſtura. Ideo reſpondet Ananias, *Adſum, Domine:* Deum ſcilicet agnoſcens.

11. *Ecce enim, orat.*] Oſtendit Lucas, Paulum triduo illo precibus fuiſſe intentum: atque hæc forte una fuit ex cauſis jejunii. quanquam certum eſt, ut jam diximus, tam longæ inediæ fuiſſe patientem, quod ſenſu quodammodo privatus eſſet, ſicuti ecſtatici homines ſolent. Chriſtus certe non de precatione momenti unius hic agit, ſed potius indicat Paulum in hoc genere exercitii fuiſſe aſſiduum, donec quieto & plane compoſito animo eſſe daretur. nam præter alias terroris cauſas, potuit vox illa ejus auribus inſonare, Saul, Saul, quid me perſequeris? Nec dubium eſt, quin mire ejus animum cruciaverit anxia plenæ revelationis expectatio: ac Domino hæc ratio fuit, cur illum triduo differret, ut precandi ardorem magis in eo accenderet.

12. *Vidit virum nomine Ananiam.*) Incertum eſt, referatne adhuc Lucas verba Chriſti, an hoc de ſuo adjiciat. Qui accipiunt in perſona Lucæ, ſpecie abſurditatis moventur, quia probabile non ſit Chriſtum his verbis uſum eſſe. Quanquam hoc dilui facile poſſet: nempe, quod hoc modo Ananiam confirmet Chriſtus, Non eſt quod dubites quin libenter te excipiat, quando jam ex viſione ideam tuam notam habet. nomen etiam tuum, & quicquid cum eo acturus es, illi patefeci. Liberum tamen ſit lectori, eligere utrum malit.

13. Reſpondit autem Ananias, Domine, audivi à multis de viro hoc, quanta mala intulerit ſervis tuis Jeroſolymæ:

14. Et hic habet poteſtatem à Sacerdotibus vinciendi omnes qui invocant nomen tuum.

15. Dixit autem illi Dominus, Vade, quia organum electum mihi eſt iſte ad portandum nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filiis Iſraël.

16. Ego enim oſtendam ei, quanta oporteat ipſum pro nomine meo pati.

13. *Domine, audivi.*] Quod periculum Domino objicit Ananias, infirmitatem fidei ſuæ in eo prodit. Ita videmus, in ſanctos & Chriſti ſervos cadere mortis timorem, qui ab officio eos retardet, imo ad vacillationem interdum impellat. Libenter certe curſum alio flecteret Ananias: ſed hoc boni eſt, quod non euſque vitioſo timori indulget, ut ſe ſubducat à Chriſti obſequio. Itaque hoc raræ pietatis ſignum eſt, quod tametſi mortem exhorrens, initio pigreſcit, mox tamen ſui oblitus celeriter properat quo vocavit Chriſtus. Nec tamen his verbis palam detrectat facere quod jubetur: ſed obliqua excuſatione verecunde utitur, Quid hoc ſibi vult, Domine, quod me ad carnificem mittis? Ergo mixtum timore parendi ſtudium perſpicere licet.

14. *Poteſtatem habet vinciendi.*] Colligimus ex his verbis, famam perſequutionis quam parabat Saulus, longe lateque fuiſſe ſparſam: quo magis celebris eſſe debuit ejus converſio. Interea paſſus eſt Dominus fideles ſuos miſere cruciari, ut illuſtrius poſtea eſſet tam ſubitæ liberationis beneficium. Notanda eſt loquutio, quum dicit, *invocari* à piis Chriſti nomen. Nam ſive intelligas, quod profeſſi fuerint ſe Chriſti eſſe, in eo igitur gloriati ſunt: ſive quod ad ejus præſidium confugere ſoliti ſint, non poteſt ſine fiducia eſſe invocatio. Quo utroque non tantum clare probatur Chriſti divinitas; ſed ſi ſecundum recipitur, quod videtur magis genuinum, exemplo fidelium docemur, quum nobis prædicatus eſt Chriſtus, ejus nomen invocare.

15. *Vade, quia organum electum.*] Juſſio ſecundo repetita, & ſimul addita ſucceſſus promiſſio, quicquid erat dubitationis exemit. Ergo, excuſatione carebit torpor, ſi pluribus admotis ſtimulis, nunquam corrigatur: quemadmodum videmus permultos, utcunque illis Dominus aſſidue inclamet, non modo ceſſare tota vita, ſed quibus poſſunt blanditiis, fovere ſuam ignaviam. Quo magis notandum eſt Ananiæ exemplum, qui ad ſecundum mandatum moras omnes abrumpit. Siquis objiciat, non loqui Dominum hodie in viſione: reſpondeo, Quum abunde nobis ſancita ſit Scripturæ auctoritas, illic audiendum eſſe Deum. *Vas electionis*, vel quemadmodum vertit Eraſmus, Organum electum, pro eximio miniſtro accipitur. Vox *organi* demonſtrat nihil poſſe homines, niſi quatenus eorum opera Deus pro ſuo arbitrio utitur. Nam ſi nos inſtrumenta ſumus, ipſe unus proprie auctor eſt: penes eum agendi eſt vis & facultas. Quod autem de Paulo Chriſtus hic prædicat, promiſcue ad omnes pertinet. Proinde, quantumvis ſtrenue quiſque laboret ac præclare ſe in officio gerat, non eſt tamen cur ullam ſibi laudis partem arroget. Qui in *vaſis* nomine philoſophantur, inſcitia Hebraicæ linguæ ineptiunt. Pro epitheto Lucas genitivum poſuit, ſed id etiam ex communi Hebraicæ linguæ uſu. Cæterum præſtantiam exprimere Lucas voluit: acſi dixiſſet, non fore vulgarem hunc Chriſti miniſtrum, ſed inſigni præ aliis excellentia præditum. Interim notandum eſt, à gratuito Dei favore pendere, ſi quid eſt eximium: quemadmodum Paulus ipſe alibi docet, Quis eſt qui te ſegregat? ut ſcilicet 1 Cor. 4
excellas ſupra alios. In ſumma, pronunciat Chriſtus verſ. 7.
Paulum ad res magnas & præclaras delectum eſſe.

Ad portandum nomen meum inter Gentes.] Qui prius opprimere Chriſti nomen conatus eſt, illi nunc portandum committitur. Si [illegible] accipere liberet pro Vaſe, eſſet hic continua metaphora: quia Euangelii miniſter ad publicandum Chriſti nomen vaſis partibus fungitur. ſed quia Hebræis magis organum quodvis in genere ſignificat, ſimpliciter accipio, *portare* nomen, pro evehere, vel extollere in ſuum honorem. Locatur enim quodammodo Chriſtus in regia ſua ſede, quum Euangelii prædicatione cogitur mundus in ejus poteſtatem.

16. Quia autem id facturus non erat Paulus, quieto Satana, & mundo libenter cedente, ideo ſubjicit Lucas, ad crucis tolerantiam ſimul eruditum iri. Senſus enim verborum eſt, Ego illum ad ſubeundas moleſtias, ad ferenda probra, ad certamina quævis ſuſtinenda aſſuefaciam, nequid eum ab officio deterreat aut moretur. Quum vero ſe Chriſtus

Pauli

Pauli doctorem hac in re facit, admonet quantum quiſque profecit in ſua ſchola, ſimul ferendæ cruci parem eſſe. Luctamur enim contra, & tanquam rem maxime adverſam refugimus, donec animos noſtros ad manſuetudinem compoſuerit. Cæterum, hic locus neminem ad prædicandum Euangelium, mundo repugnante, idoneum eſſe oſtendit, niſi qui ad patiendum animo comparatus eſt. Ergo ut nos fideles Chriſto miniſtros præſtemus, non modo Spiritus ſcientiæ & prudentiæ ab eo petendus eſt, ſed conſtantiæ etiam & fortitudinis, ne miſere laborando, quæ piorum conditio eſt, unquam frangamur.

17. Abiit autem Ananias, & ingreſſus eſt in domum, & impoſitis ſuper eum manibus, dixit, Saul frater, Dominus me miſit (Jeſus ſcilicet qui tibi viſus eſt in via qua veniebas,) ut viſum recuperes, ac implearis Spiritu ſancto.

18. Et continuo ceciderunt ab oculis ejus quaſi ſquamæ, viſumque extemplo recuperavit: & ſurgens, baptizatus eſt.

19. Et ſumpto cibo roboratus eſt.

17. *Impoſitis ſuper eum manibus.*] Diximus alibi, ſolenne hoc & quaſi ordinarium fuiſſe Judæis, ut quoties aliquem Deo commendabant, manus imponerent. Morem illum à ſacrificiis ſumptum, Apoſtoli in uſum ſuum tranſtulerunt: vel quum gratias Spiritus viſibiles conferrent, vel quum aliquem conſtituerent Eccleſiæ miniſtrum. In hunc finem Ananias nunc in Paulum manus imponit, partim ut illum Deo conſecret, partim ut impetret illi Spiritus Dona. Tametſi autem nulla hic ſit doctrinæ mentio, tamen ex Pauli narratione poſtea conſtabit, Ananiæ mandatum etiam fuiſſe docendi munus: & ex Baptiſmo qui ordine poſterior eſt, colligimus fuiſſe in fide edoctum. Quomodo ad Spiritum dandum efficax ſit ceremonia, petant lectores ex capite proximo. Cæterum, quum Ananiæ manu Spiritum receperit Paulus, pluſquam ridiculi ſont Papiſtæ, qui ſolis Epiſcopis manuum impoſitionem aſſerunt.

18. *Ceciderunt ex oculis quaſi ſquamæ.*] Excæcatio Pauli, quemadmodum prius dictum eſt, non ex ſolo metu vel ſtupore contigerat: ſed hoc modo admonitus fuit priſtinæ cæcitatis, ut confidentiam, qua turgebat, prorſus exueret. Gloriatur ſe ad pedes Gamalielis fuiſſe edoctum: nec dubium eſt *Actor. 22. verſ. 3.* quin ſibi multum placuerit in ſua perſpicacia, quæ tamen mera erat cæcitas. Ergo oculis per triduum privatur, ut mente videre incipiat: ſtulteſcere enim oportet quicunque ſapere ſibi videntur, ut ad veram ſapiendi rationem formentur. Nam quum Chriſtus ſit Sol juſtitiæ, extra ipſum videndo, non videmus: idem etiam eſt, qui mentis oculos aperit. utrumque Paulo oſtenſum fuit, & nobis in ejus perſona oſtenditur: ſquamis enim conſtrictos habet oculos, ut totum ſuum acumen, ignorantiæ damnans, nova luce qua hactenus caruit, ſe opus habere diſcat: & monetur veram lucem non aliunde petendam eſſe quam à Chriſto, nec aliter quam ejus beneficio conferri. Quod porro tridui inedia confectus non properat tamen ad cibum niſi ſuſcepto Baptiſmo, diſcendi ferventiſſimum ſtudium inde apparet: quia non refecit cibo corpus, donec vegetata eſſet anima.

Fuit autem Saulus cum diſcipulis qui Damaſci agebant, per dies aliquot.

20. Et continuo prædicavit Chriſtum, quod ipſe eſſet Filius Dei.

21. Obſtupeſcebant autem omnes qui audiebant, ac dicebant, Nonne hic eſt qui vaſtavit Jeroſolymæ eos qui invocabant nomen hoc: & huc eo conſilio profectus erat ut vinctos duceret eos ad Sacerdotes?

22. Saulus autem magis invaleſcebat, & confundebat Judæos qui habitabant Damaſci, confirmans quod hic eſſet Chriſtus.

23. Quum autem dies complures tranſacti eſſent, conſilium inter ſe ceperunt Judæi de interficiendo ipſo.

24. Innotuerunt autem Saulo inſidiæ eorum. Cuſtodiebant autem portas nocte dieque, ut eum interficerent:

25. Sed diſcipuli noctu acceptum, depoſuerunt per murum, demittentes in ſporta.

20. Nunc exequitur Lucas, quam fructuoſa fuerit Pauli converſio: nempe, quod ſtatim prodierit in publicum: nec modo ſe Chriſti diſcipulum profeſſus ſit, ſed fortiter Euangelium aſſerendo, ſe hoſtium odiis ac furori objecerit. Ergo qui nuper in Chriſtum furioſo impetu ruebat, non modo placide ejus imperio ſe ſubmittit, ſed quaſi anteſignanus pro vindicanda ejus gloria, uſque ad extremum periculum dimicat. Certum quidem eſt, non fuiſſe tam celeriter opera Ananiæ formatum: ſed ubi rudimenta imbibit ex ore hominis, divinitus fuiſſe ad ſublimiora evectum. Summam prædicationis breviter perſtringit, quum dicit, quod *Chriſtus* eſſet Filius Dei. Eodem ſenſu paulo poſt ſubjicit, *Quod* eſſet Chriſtus. Intellige autem, Paulum, quum de vero Meſſiæ officio ex Lege & Prophetis diſſereret, ſimul docuiſſe, quicquid de Meſſia promiſſum erat & ſperandum, in Chriſto exhibitum eſſe. Id enim verba ſignificant, quum dicit, *prædicaſſe* Chriſtum eſſe Dei Filium. Principium illud extra controverſiam erat apud Judæos, Venturum à Deo redemptorem qui omnia in felicem ſtatum reſtitueret. Hunc Paulus docet eſſe Jeſum Nazarenum: quod facere non poteſt, quin craſſos illis errores excutiat quos de terreno Meſſiæ regno conceperant. Certum eſt igitur tractaſſe Paulum, qualis promiſſus eſſet in Lege Chriſtus, & in quem finem: ſed quia in hunc ſcopum tendebant omnia, ut filium Mariæ probaret, illum eſſe de quo Lex & Prophetæ teſtimonium reddebant, ideo hoc uno verbo contentus eſt Lucas.

21. *Obſtupeſcebant omnes.*] Hoc additur, ut ſciamus agnitam fuiſſe Dei virtutem. nam quum vulgo celebris eſſet Pauli ardor contra Euangelium, cauſam tam ſubitæ mutationis non aliam videbant, quam Dei manum. Eſt ergo hic quoque unus fructus miraculi, quod novum hominem repente factum omnes mirantur, ut ejus doctrina magis animos afficiat. Quod dicunt *magna* ſævitia graſſatum eſſe, & nuper veniſſe Damaſcum, ut in propoſito ſuo pergeret: circumſtantiæ iſtæ ad miraculum augendum valent. Notanda etiam eſt loquutio, *eos* qui invocant hoc nomen: quæ teſtatur pios ſic Chriſti nomen profeſſos eſſe, ut totam in eo ſalutis fiduciam locarent;

Digitized by Google

Pſal. 20. verſ. 8. locarent: juxta illud, Hi in curribus, & alii in equis, nos autem in nomine Domini invocabimus. Denique, quicquid de invocatione Dei præcipit Scriptura, in Chriſti perſonam competit.

22. *Saulus autem magis invaleſcebat.*] Hic non modo ſtrenuum Pauli zelum commendat Lucas in fide Chriſti confitenda: ſed docet etiam validis rationibus pugnaſſe, quibus Judæos convinceret. *Invaleſcebat*, inquit, hoc eſt, Superior erat diſputando, ejus confeſſio vim & energiam conjunctam habebat: quia ſcilicet Scripturæ teſtimoniis, & aliis Spiritus ſancti præſidiis inſtructus, omnes adverſarios quaſi obruebat. *Turbandi* enim verbum quo Lucas utitur, ſignificat, quum Paulus eos ultra modum urgeret, ſic fuiſſe perculſos, ut apud ſe non eſſent. Modus turbandi exprimitur, quod Paulus confirmaverit Jeſum eſſe Chriſtum. Senſus enim eſt, quum maxime repugnare vellent Judæi, fuiſſe tamen victos & confuſos. Ita experimento probavit
2 Tim. 3. verſ. 16. Paulus veriſſimum eſſe quod pronunciat, Scripturam utilem eſſe ad redarguendum. Præſtitit etiam
Tit. 1: 7. quod alibi exigit ab Epiſcopo & doctore: fuit enim ad veritatem aſſerendam verbo Dei armatus. Et duo quidem comprehendit Lucas: Paulum diſputando ita fuiſſe victorem, ut Judæos labefactaret: neque tamen fractam ſic ac domitam fuiſſe eorum pervicaciam, ut veritati cederent: quia intus nihilominus tumultuantur eorum conſcientiæ, & de gradu falſæ opinionis dejecti, Chriſto ſe minime ſubmittunt. Unde hæc Paulo victoria, niſi quia illi Scriptura gladius fuit? Proinde, quoties ad oppugnandam rectam fidem inſurgunt hæretici, quoties impii convellere totam pietatem moliuntur, quoties obſtinate reſiſtunt improbi: hinc petenda eſſe arma meminerimus. Papiſtæ, quia nihil armorum in Scriptura reperiunt, imo ipſam totam ſibi adverſam eſſe vident, confugiunt ad miſerum hoc aſylum, Non eſſe diſputandum cum hæreticis: &, Ex Scriptura nihil certo poſſe ſtatui. Atqui, ſi verbo gladii conficitur Satan ipſe, cur non ad profligandos hæreticos valebit? non quod manus daturi ſint, vel obſtrependi finem facturi: ſed quia in ſeipſis convicti jacebunt. Quod ſi hanc perturbationem cupimus effugere, ne moveamus ipſi turbas contra Deum, ſed manſueto & placido ſpiritu recipiamus quam nobis Scriptura pacem offert.

23. *Quum dies complures.*] Complures dies elapſos fuiſſe narrat, ut ſciamus conceſſum Paulo temporis ſpatium, quo prodeſſet. quamvis enim illi ſtatim à primo die reſtiterint Judæi, non tamen bene cœptum curſum paſſus eſt Dominus tam cito abrumpi: ſic admirabili conſilio, hoſtium conſilia impedit, conatus moratur, malitiam & rabiem coërcet, donec Evangelium promoveat. ſimul videmus quid faciat veritatis odium. Impii enim, ubi ſe impares ad reſiſtendum vident, ad ſanguinariam rabiem feruntur. Libenter contemnerent verbum Dei, ſi poſſent: ſed quia coguntur, velint nolint, ejus potentiam ſentire, tanquam rabidæ belluæ cæco & præcipiti impetu ruunt. Semper fere in talem ſævitiam ebulliet inconſideratus zeli fervor, niſi homines ſe verbo Dei regendos tradant. Horrenda quidem eſt hæc cæcitas. Cur enim ita inſaniunt, niſi quia vulnus eorum conſcientiis inflictum, ipſos excruciat? Sed ita eorum hypocriſin ulciſcitur Deus, quibus ideo odioſa eſt ſana religio, quia tenebris amici, lucem fugiunt. Videmus præterea, quam ſuaviter quidvis ſibi indulgeant præpoſteri iſti zelotæ, quum ſemel ad perſequendam veritatem eos Satan impulit. Conſilium enim de cæde hominis, quod ſciunt nefarium eſſe, ſuſcipere tamen zeli prætextu non dubitant. ſicut hodie Papiſtæ nihil non ſibi licere ducunt, modo extinguant Evangelii doctrinam: non ferro tantum audacter graſſantur: ſed inſidiis, perfidia, & pluſquam execrandis artibus nos perdere ſatagunt. Id ne nobis eveniat, primo cavendum eſt, ne tuendis malis cauſis nos implicemus: deinde, ut cauſas quæ bonæ erunt, bene agamus. Probabile autem eſt clanculum eos ſtruxiſſe inſidias Paulo: deinde, quum hac via nihil proficerent, veniſſe ad Præfectum urbis, & tunc poſitas fuiſſe in portis urbis cuſtodias, ut eum quovis modo interciperent. Nam Paulus Aretam regium Præfectum mandaſſe narrat, quod hic Lucas Judæis tribuit.

25. *Diſcipuli noctu acceptum.*] Movetur hic quæſtio, Licueritne diſcipulis Paulum hoc modo ſervare? faſne etiam Paulo fuerit, hoc modo effugere periculum? Leges enim, ſanctos eſſe urbium muros, & portas ſanctas eſſe pronunciant. Mors ergo potius ſubeunda fuit, quam ut turbari ſua cauſa ſineret publicum ordinem. Reſponden, conſiderandum eſſe finem, cur leges ſanctione interpoſita, vetent muros violari: ne ſcilicet urbes latrociniis ſint expoſitæ, atque ut tuti ſint à proditionibus cives. ubi de liberando homine innoxio agitur, ceſſat illa ratio. Non minus itaque fidelibus licuit Paulum demittere in ſporta, quam licebit privato homini murum tranſilire, ut ſubitum hoſtis incurſum propulſet. Hoc poſterius membrum tractat Cicero, & recte definit, etiamſi peregrinum lex arceat à muri acceſſu, minime tamen peccare qui murum conſcendet ſervandæ urbis cauſa: quia leges ſemper ad æquitatem flectendæ ſint. Ergo reprehenſione caret Paulus, quod furtim evaſit, quum id poſſet abſque populi tumultu. Interea videmus qualiter ſuos humiliare Dominus ſoleat, quando vitam ſuam urbis cuſtodibus furari Paulus cogitur, ſi vult ſalvus elabi. Ideo hoc exemplum inter ſuas infirmitates comme- 2 Cor. 11. verſ. 32.
morat. Hoc tirocinio ad crucem ferendam mature aſſuefactus fuit.

26. Quum autem eſſet Saulus Jeroſolymæ, tentavit ſe adjungere diſcipulis: & omnes timebant eum, non credentes quod eſſet diſcipulus.

27. Barnabas autem eum acceptum adduxit ad Apoſtolos: & narravit illis, quomodo in via vidiſſet Dominum, & quod loquutus eſſet ei, & quomodo Damaſci confidenter ſe geſſiſſet in nomine Jeſu.

28. Et verſatus eſt cum ipſis Jeroſolymæ: & ſumpta fiducia, in nomine Domini noſtri Jeſu,

29. Loquebatur, & diſputabat cum Græcis. Illi autem conati ſunt eum interficere.

30. Quod quum innotuiſſet fratribus, eduxerunt eum Cæſaream, & miſerunt eum Tarſum.

31. Eccleſiæ ergo per totam Judæam, & Galilæam, & Samariam habebant pacem: & ædificabantur, & ambulabant in timore Domini, & conſolatione ſancti Spiritus replebantur.

26. *Quum eſſet Saulus.*] Dura & aſpera Paulo adhuc tironi rudimenta hæc fuerunt, quod vix è manibus hoſtium elapſus, non admittitur à diſcipulis. Ita enim videri poterat quaſi per ludibrium hinc inde jactari, ut nuſquam conſiſtere daretur: totam gentem ſuam Chriſti nomine ſibi infeſtam habebat: reſpuitur

Digitized by Google

reſpuitur à Chriſtianis: aonon quaſi ejectus hominum conſortiò, animum & ſpem abjicere potuit? Primum, quid ſopereſt, niſi ut deficiat ah Eccleſia, poſtquam noo recipitur? Sed anteactæ vitæ memor, ſe horrori eſſe non miratur. Itaque paticoter ſuſtinet à fratribus juſto metu ſe arceri. Hæc vera fuit converſio, quod quum atrociter prius ſæviret, perſequutionum procellas nuoc fortiter excipit: & interea quum locus illi apud pios negatur, manſueto aoimo expectat, dum illos ſibi Deus reconciliet. Et diligenter notandum eſt, quid expetat: nempe, ut cenſeatur inter Chriſti diſcipulos. id vero non impetrat, nulla bic regnat ambitio: ſed ita erudiendus fuit, ut pluris faceret vel ultimum locum inter Chriſti diſcipulos, quam omoia in corruptis & apoſtaticis ſynagogis magiſteria. Ab hac vero ſubmiſſione in altiſſimum honoris gradum perveoit, ut præcipuus ſit Eccleſiæ doctor uſque ad finem mundi. Verum, nemo ad docendum in Eccleſia idoneus eſt, niſi qui ſponte io ordinem ſe cogit, ut aliis ſit condiſcipulus.

27. *Apprehenſum eum Barnabas.*] Quod diſcipuli tantopere fugerunt Paulum, id nimiæ forſan timiditatis fuit. nec tamen de vulgaribus ſermo habetur, ſed de ipſis Apoſtolis. Verum, eorum culpam vel extenuat vel levat, quod merito ſuſpectum habebant quem experti fuerant tam ioſeſtum hoſtem: & timendum erat, ne periculum ſibi temere accerſerent, ſi præbuiſſent ſe adeo faciles. Itaque timorem juſta de cauſa conceptum, non puto illis vitio vertendum eſſe, vel ſaltem accuſationem aliquam mereri. Nam ſi ad reddeodam fidei rationem vocati fuiſſent, oon Paulum modo, ſed omnes inferorum furias intrepide provocaſſeot. Unde colligimus, non eſſe damnandum quemvis metum, ſed qui ab officio deflectere nos cogit. Narratio quæ ſubjicitur à Luca, tam ad Barnabæ qoam Pauli perſonam referri poteſt: mihi tamen probabilius videtur, Paolum oarraſſe Apoſtolis quid ſecum actum eſſet. Poteſt tamen Barnabæ congruere oratio, præſertim in ea parte uhi de Pauli fiducia agitur.

28. Dicit poſtea Lucas, Paulum cum diſcipulis *ingreſſum* & *egreſſum* eſſe: quæ loquutio Hebræis familiarem conſuetudinem ſignificat: ſicuti incolæ urbis & cives portas ingredi & egredi dicuntur. Ergo Paulus Barnabæ teſtimonio commendatus, haberi cœpit unus ex grege, ut Eccleſiæ penitus innoteſceret. Iterum addit Lucas, eum *confidenter* egiſſe in oomine Domini. quibus verbis fortitudioem ejus laudat in profitendo Euaogelio: nam inter tot obſtacula ouoquam hiſcere auſus eſſet, niſi rara conſtaotia præditum fuiſſet ejus pectus. Interea omnibus præſcribitur quidnam agere debeant: quiſque ſcilicet pro fidei ſuæ modo. Nam etſi non omnes ſunt Pauli, tantum tamen fiduciæ in animis noſtris gignere debet Chriſti fides, ut oon prorſus obmuteſcamus, quum neceſſe eſt loqui. *Nomen Domini*, hic accipio pro Euangelii profeſſione: boc ſeoſu, quod Paulus Chriſti cauſam fortiter tutatus ſit.

29. *Diſputabat cum Græcis.*] Recte annotat Eraſmus, Græcos bic vocari, non qui oriundi eſſent ex Græcis, ſed potius Judæos, qui tunc ſparſi erant per varias mundi plagas. Solebant autem Jeroſolymam confluere ex ſuis provinciis, adorandi cauſa. Cum advenis autem & hoſpitibus Paulum diſputaſſe potius quam cum indigeois, credibile eſt: quia hi poſteriores ounquam eum tuliſſent, neque conſultum fuiſſet eorum oculis ſe nfferre. Excluſus ergo ab his qui prius eum noverant, tentavit num qua ſpes eſſet profectus apud ignotos: ita indefeſſo animi robore omnes ſtrenui militis partes implevit.

Voluerunt eum interficere.] En nnbis rurſus pro zelo furor. nec fieri aliter poteſt, quam ut ſæva & crudelis ſit hypocriſis & ſoperſtitio. Pios quidem ſancta iracundia accendi decet, quum vident falſis & reprobis dogmatibus corrumpi puram Dei veritatem: ſed ita ut modereotur zelo ſuo, ut nihil ſtatuant niſi cauſa bene perſpecta: deinde, ut cooentur in viam reducere errantes. Poſtremo, ſi deploratam vident pervicaciam, non arripiant tamen ipſi gladium, quia ſciant ultionem ſibi non eſſe à Domino mandatam. Hypocritæ vero cauſa incognita, ſtatim ad ſanguinem fundendum proſiliunt. Ita ſuperſtitio cæco & præcipiti furore ſanguinaria eſt. Paulus autem qui nuper ad vexandos pios huc illoc curſitabat, jam nuſquam poteſt pedem figere. Verum illi multo potior hæc conditio fuit, quam ſi fideles ex ſedibus ſuis profligans, quietus & traoquillus ubique regnaſſet.

30. Quod *Tarſum* conceſſit, hoc animo proculdubio factum eſt, ut illoc Euangelii doctrinam perferret: quia ſpes erat, aliquid io patria gratiæ & auctoritatis illi fore, ubi celebratum fuerat ejus nomen. Deductus tamen fuit à fratribus, ut eum ex inſidiis eripereot.

31. *Eccleſiæ ergo.*] Significat Lucas, Euangelii hoſtibus Pauli præſeotiam grave fuiſſe irritamentum. Cur enim ejus diſceſſu pax repeote Eccleſiis affulſit, niſi quia ejus conſpectus, hoſtium furorem incitabat? neque tamen hoc illi probro vertitur, acſi velut bellica tuba fuerit: ſed hoc potius io ejus laude ponit Lucas, quod ſolo propinquitatis ſuæ odore impios egerit in rabiem. Ita enim triumphare in ipſo Chriſtus voluit, ut Eccleſiæ ſuæ noo minus moleſtiæ, quam decoris aſpergeret. Mooemur itaque boc exemplo, minime protinus damnandos qui impiorum rabiem magis quam alii inflammaot. Quæ admonitio non parum utilis eſt. nam ut nimium molles ſumus & propriæ quietis amantes, etiam nunc optimis quibuſque & præſtantiſſimis Chriſti ſervis iraſcimur, ſi eorum vehementia putamus malos incitari ad nocendum. Hoc autem modo injurii ſumus adverſus Dei Spiritum, cujus vis & afflatus totam iſtam flammam accendit. *Pacem* vero quam dicit Lucas fuiſſe in Eccleſiis, ſciamus non fuiſſe perpetuam, ſed quia Dominus ſervis ſuis aliquid relaxationis ad breve tempus conceſſit. ſic enim noſtræ infirmitati indulget, quum perſequutionum turbines ac procellas ſedat vel mitigat, ne cootinuo tenore ultra modum nos urgeant. Atque bæc benedictio eſt non ſpernenda, nec vulgaris, quum pacatæ ſunt Eccleſiæ. ſed alia ſubjicit Lucas, quæ longe majoris ſuot pretii: nempe, quod *ædificabantur* Eccleſiæ, ambulabant in timore Domini, & Spiritus conſolatione replebantur. Nam ut ſolemus in pace luxuriari & defluere, Eccleſiæ plerumque inter medios bellorum tumultus beatiores ſunt, quam ſi ſuaviſſima quiete ex voto fruantur. Quod ſi ſancta converſatio, & Spiritus cooſolatio, quibus illarum ſtatus viget, tollantur: non modo felicitatem ſuam perduot, ſed conciduot in nihilum. Diſcamus ergo noo abuti externa pace ad delicias & torporem: ſed quo plus nobis ab hoſtibus quietis datur, animos ad pietatis profectum ſedulo, dum licet, colligere. Siquando autem Deus habenas laxat impiis ad nos turbandos, ſufficiat nobis ioterior Spiritus conſolatio. Denique, tam in pace, quam in bello ſemper ad noſtrum agonotheten alacres teodamus. *Ædificatio*, vel pro incrementis accipi poteſt, dum ſcilicet augeſcunt Eccleſiæ oumero fidelium: vel pro eorum qui jam in grege ſunt, profectu, dum ſcilicet cumulantur novis donis, & majorem pietatis confirmationem accipiunt. Priore modo ad perſonas referetur: ſecundo, ad dona Spiritus. Ego libenter utrumque complector: quod aggregabantur ſubinde ad Eccleſiam qui prius alieni fuerant, & ipſi Eccleſiæ domeſtici in pietate & aliis virtutibus creſcebant.

Metaphora porro ædificii optime convenit, quia
1 Tim. 3. Eccleſia templum eſt ac domus Dei, & ſinguli etiam
verſ. 15. fideles templa ſunt. Duo certe quæ ſequuntur, *Am-*
1 Cor. 3. *bulaſſe* in timore Domini, & *Spiritus* conſolatione
v. 16, 17. fuiſſe repletos, ædificationis illius ſunt partes. Ergo, quum pacem haberent Eccleſiæ, non inebriatæ ſunt deliciis, & terreno gaudio: ſed fretæ Dei præſidio, plus animi & fiduciæ ad Deum glorificandum ſumpſerunt.

32. Accidit autem, dum Petrus per omnes peragraret, ut veniret etiam ad ſanctos qui habitabant Lyddæ.

33. Invenit autem illic hominem quendam Æneam nomine, ab annis octo decumbentem in grabbato, qui erat paralyticus.

34. Et ait illi Petrus, Ænea, ſanet te Jeſus Chriſtus: ſurge, & ſterne tibi. Et continuo ſurrexit.

35. Et viderunt eum omnes qui Lyddæ habitabant, & Aſſarone, qui converſi ſunt ad Dominum.

32. Narrat Lucas quæ ex miraculis incrementa Eccleſiæ contigerint. Miracula autem duo recitat: quod homo qui decubuerat per octo annos paralyticus, repente ſanatus fuerit: mulier autem à morte excitata. Initio dicit, Petrum, quum *per omnes* circumiret, veniſſe Lyddam. Omnes vero intellige non Eccleſias, ſed fideles: quia eſt Græce maſculini generis. etſi ad ſenſum id parum refert. Oportuit autem Apoſtolos, quibus nulla erat certa ſtatio attributa, huc illuc quocunque ferebat occaſio, pergere. quare dum ſinguli diverſis in partibus occupantur, hanc provinciam obivit Petrus. Unde refellitur Papiſtarum ſtultitia, qui ex jure viſitandi, Petri primatum colligunt. Quaſi vero reliqui Apoſtoli, quum Petrus Eccleſias luſtraret, Jeroſolymæ, tanquam privati homines, otium coluerint. deinde, ut demus fuiſſe primarium Apoſtolum, quod Scriptura ſæpe oſtendit, an inde ſequitur fuiſſe caput orbis? ſed utinam Romanus Epiſcopus, qui cenſeri vult Petri ſucceſſor, ejus exemplo ad fratres animandos curſitaret, & ubique reipſa probaret ſe Chriſti Apoſtolum. Nunc qui ex ſua ſede pluſquam tyrannico dominio Eccleſias omnes opprimit, Petrum obtendit magno cum labore luſtraſſe Eccleſias.

Qui habitabant Lyddæ.] Lydda, quæ poſtea vocata fuit Dioſpolis, urbs tam vetuſtate ſua, quam multis dotibus nobilis, non procul à mari Mediterraneo ſita erat. Huic vicina erat Joppe, quæ portum celebrem habebat, licet ſaxoſum. Urbs ipſa in edita rupe ſita erat, unde in longum proſpectus patebat Jeroſolymam uſque. Nunc tantum antiquæ urbis ruinæ illic apparent, niſi quod manet portus, quem vulgo appellant Japhet. *Aſſaron* hic videtur à Luca nominari tanquam oppidum aliquod. Hieronymus Saronas legit, & putat notari totam planitiem quæ inter Cæſaream & Joppen media erat. Sed quia Hieronymus rationem non adducit cur lectionem communiter receptam mutet, libenter amplector quod Lucæ textus mihi oſtendit, nempe vicinum fuiſſe oppidum. Sed ego hac de re non contendo: ſicuti neque ambitioſe congero quæcunque ad oſtentationem facere poſſent: quia piis lectoribus ſatis erit tenere quæ ad Lucæ ſenſum faciunt.

34. *Sanet te Jeſus Chriſtus.*] Certum eſt nunquam Apoſtolos ad edenda miracula aggreſſos eſſe, quin jam de voluntate Dei, à qua effectus pendebat, certi eſſent. Neque enim tali Spiritus potentia inſtructi erant, ut illis ægrotos omnes ſanare liberum eſſet: ſed ſicuti Chriſtus modum adhibuit miraculis; ita non plura edi per ſuos Apoſtolos voluit, quam utile eſſe noverat. Non ergo temere Petrus in hanc vocem prorupit: quia ſe ludibrio exponere poterat, niſi jam patefacta illi eſſet Domini voluntas. Fieri poteſt, ut ſeorſum precatus ſit. Spiritus quidem qui miraculorum omnium auctor fuit, & qui per manum Petri operabatur, ejus quoque linguam tunc direxit, & cor impulit ſecreto *inſtinctu.* Cæterum his verbis palam oſtendit Petrus, ſe miraculi duntaxat miniſtrum eſſe, ſed prodire ex virtute Chriſti: ut ita ſolum Chriſti nomen illuſtret.

Sterne tibi.] Circumſtantiæ iſtæ miraculi gloriam amplificant, quod non tantum ad ſurgendum, vigorem recuperat, ſed poteſt etiam ſibi lectum ſternere, qui prius membrum nullum movere poterat. Eodem pertinet morbi diuturnitas: neque enim paralyſis octo annorum facile curatur. Eadem ratione dicitur jacuiſſe *in grabbato*; ut ſciamus membris omnibus fuiſſe captum: erat enim lectulus in quo meridiari ſolebant. Quod Æneas ad tentanda membra ſua tam promptus fuit, in eo probavit fidei ſuæ obſequium. Etſi enim redditum ſibi vigorem ſenſit, vocis tamen efficacia maxime excitatus fuit ad ſurgendum.

35. *Viderunt eum omnes.*] Significat paſſim innotuiſſe miraculum, & in tota urbe fuiſſe celebre. Nam quum *omnes* Scriptura nominat, non comprehendit uſque ad unum, quotquot deſignat: ſed Omnes pro multis, aut pro majori parte, aut pro vulgo hominum ponit. Senſus ergo eſt, Quum exiguus piorum eſſet illic numerus, Eccleſiam ex magna populi parte fuiſſe collectam. Cæterum in hac clauſula exprimitur miraculi fructus, quod Chriſtum ejuſque Evangelium illi amplexi ſunt. Quare miracula adulterant quicunque in hominibus defixi, in hunc ſcopum non convertunt oculos, ut de Chriſti potentia & gratia edocti, illi uni adhæreant. Specimen ergo quod Chriſtus divinæ potentiæ ſuæ edidit, initium & præparatio fuit converſionis ad ipſum.

36. Joppæ autem quædam erat diſcipula, nomine Thabita, quæ, ſi interpreteris, dicitur Dorcas. Hæc erat plena bonis operibus, & eleemoſynis, quas faciebat.

37. Accidit autem diebus illis, ut ægrotaret, ac moreretur. Quum autem eam laviſſent, poſuerunt in cœnaculo.

38. Et quum propinqua eſſet Lydda Joppæ, diſcipuli qui audierant Petrum illic eſſe, miſerunt duos homines ad eum, rogantes ne gravaretur ad ſe venire.

36. Sequitur illuſtrius virtutis Chriſti ſpecimen, quanto ſcilicet difficilius eſt mortuo vitam reſtituere, quam ſanitatem dare ægroto. Sed Lucas primum Thabitæ perſonam, in qua editum fuit miraculum, commendat, idque duplici elogio: quod ſcilicet fuerit Chriſti diſcipula, & fidem ſuam bo-

nis

Digitized by Google

nis operibus & eleemoſynis approbaverit. Jam aliquoties *diſcipuli* nomen pro Chriſtiano poſuit: ne putemus id ſolis viris congruere, idem tribuit mulieri. Admonet autem hic titulus, Chriſtianiſmum non eſſe abſque doctrina: & eam præſcribi diſcendi formam, ut idem omnibus ſolus Chriſtus ſit magiſter. Hæc prima laus, hoc ſanctæ vitæ initium, hæc omnium virtutum radix, didiciſſe à Filio Dei quænam ſit vivendi ratio, & quæ vera ſit vita. Ex fide poſtea emergunt bonorum operum fructus. *Bona* autem *opera*, interpretor officia charitatis, quibus proximi juvantur: & Lucas præcipuam ſpeciem in eleemoſynis ponit. magna certe beneficentiæ laus, quod teſte Spiritu ſancto, piæ ac perfectæ vitæ ſummam in ſe continet. Nunc tenemus quibus elogiis ornetur Thabita. Priorem enim locum obtinet religio erga Deum, ſive fides: deinde, quod ſe exercuerit juvandis fratribus: præſertim vero ſublevanda pauperum inopia. Nam uſus obtinuit, ut *eleemoſynæ* nomen ſignificet quicquid opis confertur in pauperes ac miſeros. *Thabita*, Syriacum potius eſt, quam Hebræum nomen: quod Græce reddidit Lucas, ut ſanctæ mulieris virtutibus non fuiſſe conforme ſciremus, & in nomine parum honorifico fuiſſe quaſi dejectam. *Dorcas* enim eſt caprea: ſed vitæ ſanctitas, nominis parum honeſti maculam facile delevit.

37. *Accidit ut ægrotaret.*] Morbum diſerte commemorat, quo magis teſtatam faciat mortem, quæ ſequuta eſt. In eundem finem dicit, *lotum* fuiſſe cadaver, & in cœnaculo poſitum. Ergo iſtæ circumſtantiæ ad conciliandam miraculo fidem valent. Quod non ſtatim ad ſepulchrum deferunt, ſed in ſuperiorem domus partem, ut illic aſſervent, id teſtimonio eſt, aliquid eos ſperaſſe de recuperanda vita. Lavandi ritum, cujus Lucas meminit, vetuſtiſſimum fuiſſe probabile eſt. nec vero dubito, quin à ſanctis Patribus continua ætatum ſerie, quaſi per manus traditus fuerit, ut in morte ipſa viſibilis aliqua reſurrectionis imago piorum animos in bonam ſpem erigeret: nempe, quum nondum tam conſpicua eſſet vitæ æternæ manifeſtatio. imo, quum nondum Chriſtus vitæ æternæ pignus & ſubſtantia, manifeſtatus eſſet, oportuit talibus adminiculis & doctrinæ obſcuritatem, & Chriſti ipſius abſentiam ſuppleri. Ergo mortuorum corpora lavabant, ut pura aliquando ad Dei tribunal ſiſterentur. Denique in mortuis eadem erat quæ in vivis abluendi ratio. quotidianæ ablutiones monebant, non poſſe quenquam placere Deo, niſi qui ſordibus ſuis purgatus eſſet. Ita in ſepeliendi more, Deus ſymbolum extare voluit, unde commonefierent homines, ſe ob ſordes in mundo contractas, ex hac vita migrare inquinatos. Mortuis quidem nihilo magis proderat lotio quam ſepultura, ſed ad ſuperſtites docendos adhibebatur. nam quia mors ſpeciem habet interitus, ne reſurrectionis fidem extingueret, ſpecies contrarias opponi utile fuit, quæ vitam in morte repræſentarent. Hanc ceremoniam Gentes quoque ad ſe traxerunt. unde illud Ennii,

Tarquinii corpus bona fœmina lavit, & unxit.

Sed præpoſtera fuit hac in parte, ut in ceremoniis omnibus imitatio. Inconſiderate etiam Chriſtiani hoc exemplum ad ſe traxerunt: quaſi perpetua eſſe deberet figuræ Legalis obſervatio. Nam inter Euangelii primordia, tametſi abolita erat neceſſitas, uſus tamen licitus fuit, donec temporis ſucceſſu obſoleſceret. Atqui hodie Monachi non ſecus Judaiſmum æmulantur, atque olim Gentes, ſine delectu & judicio. Lavantur enim apud eos cadavera, ut Chriſtum in umbris ſepeliant, quæ in ejus ſepulchrum abditæ, nunquam in uſum revocari debuerant.

38. *Diſcipuli qui audierant.*] Lotio corporis oſtendit diſcipulos fuiſſe incertos de eventu. Nam hoc modo corpus ad ſepulturam parant. Spei tamen ſignum eſt, quod reponunt in cœnaculo, & mittunt ad Petrum. Porro non obſtrepunt Deo, nec clamitant rem eſſe indignam: ſed opem Domini ſuppliciter implorant. non quod Thabitam velint reddere immortalem, ſed tantum optant ejus vitam ad tempus prorogari, ut adhuc proſit Eccleſiæ.

39. Surgens autem Petrus, venit cum illis: quem, quum adeſſet, adduxerunt in cœnaculum: & ſtiterunt ſe illi omnes viduæ flentes, & oſtendentes tunicas & veſtimenta quæ faciebat Dorcas, cum ipſis manens.

40. Ejectis autem foras omnibus, Petrus poſitis genibus precatus eſt: & converſus ad corpus, dixit, Thabita ſurge. Illa autem aperuit oculos ſuos, & viſo Petro reſedit.

41. Porrecta autem manu, ſuſtulit eam: & quum vocaſſet ſanctos & viduas, exhibuit eam vivam.

42. Id innotuit per totam Joppen, & multi crediderunt in Dominum.

43. Accidit autem ut ipſe dies complures maneret Joppæ apud quendam Simonem coriarium.

39. *Surgens autem Petrus.*] Dubium eſt, an cauſam expoſuerint Petro nuncii, cur eum accerſerent. veri tamen ſimilius eſt, diſerte rogaſſe, ut veniret ad miraculum edendum. Sed naſcitur alia quæſtio, An Dei conſilium illi cognitum fuerit, necne. nam de ſucceſſu diffidens, profectionem temere ſuſciperet. Reſpondeo, Etiamſi nondum compertum habuerit quidnam eſſet facturus Dominus, non poſſe tamen culpari quia fratrum precibus indulgeat. Et erant aliæ rationes cur veniret: nempe, ad levandum mœrorem: ad eos piis exhortationibus confirmandos, ne unius mulieris morte fracti deficerent; ad ſtabiliendam Eccleſiam, quæ adhuc tenera & quaſi infans erat. poſtremo, unum hoc ſufficere illi debuit, quia recuſando viſus fuiſſet ſuperbe fratres contemnere: ſimul tamen habendum eſt, quoties Dominus virtutem ſuam aliquo miraculo per Apoſtolos exerere ſtatuerat, arcano Spiritus impulſu eos direxiſſe. Ego certe non dubito, quin Petrus, etiamſi de Thabitæ vita nondum certus foret, Deum tamen itineris ſui ducem & auſpicem indubie ſenſerit: ut ſuſpenſus licet ac de eventu incertus, non temere ſe ad profectionem accingeret.

Omnes viduæ flentes.] Hic cauſam notat Lucas, cur ſuſcitata fuerit Thabita: nempe, quod Deus pauperum miſertus, eorum votis ſanctæ fœminæ vitam conceſſit. Fuerunt quidem & alii fines: nam quum duplicem vitam obtinet, in ejus perſona ornantur virtutes illæ quas prius laudavit Lucas. præcipuus vero finis, ut illuſtretur Chriſti gloria. Poterat enim Deus illam ſuperſtitem diutius ſervare, nec vero mutat conſilium, quaſi pœnitentia ductus, quum mox illi vitam reſtituit: ſed quia multi erant ex diſcipulis infirmi & novitii, qui confirmatione indigebant, Deus in ſecunda Thabitæ vita, Filium ſuum eſſe vitæ auctorem declarat. Ergo ſic Deus pauperum & viduarum rationem habuit, ut eorum

inopiæ ſuccurrens, Euangelii ſui fidem in eorum animis ſanciret. Dedit enim in hoc miraculo amplam profectus materiam.

40. *Ejectis omnibus foras.*] Quum ſibi tempus ſumit ad precandum, videtur adhuc dubitare quidnam futurum ſit. Quum Æneam ſanaret, ſecure in hanc vocem ſtatim prorupit, Sanet te Jeſus Chriſtus, Ænea. Verum, ut operatio Spiritus non par & eadem ſemper eſt, fieri poteſt ut cognita Dei virtute, gradatim tamen ad miraculum proceſſerit. Videtur tamen abſurdum, quod omnes ſanctos è cœnaculo ejicit, quos præſtabat oculatos eſſe teſtes: ſed quia Dominus illi nondum tempus & modum edendæ ſuæ virtutis patefecerat, ſolitudinem quærit, quæ ad precandum aptior eſt. Potuit etiam illi conſtare diverſa ejus conſilii ratio, quæ nos latet.
2 Reg. 14. verſ. 32. Idem ab Eliſæo factum eſſe refert Sacra hiſtoria: ſolus enim, ne matre quidem admiſſa, ter corpori mortuo incubat. Habet enim Spiritus Dei vehementes ſuos impulſus, quos ſi quis ad communem & uſitatum hominum morem exigere volet, vel ex carnis ſenſu metiri, perperam & inique faciet. Hoc quidem tenendum eſt: quum Petrus velut hæſitans, ſeceſſum quærit, ſuperſtitioni occurrere, ne quis ejus virtuti divinum opus cujus tantum miniſter eſt, adſcribat. Nam qui anxie remotis arbitris ac teſtibus ad preces confugit, ſatis profitetur rem non eſſe in manu ſua. Petrus ergo quid Domino placeat expectans, illum unum operis auctorem confeſſus eſt. *Genuflexio* in precibus, humilitatis ſymbolum eſt. cujus duplex eſt utilitas: ut omnes noſtri partes ad Dei cultum applicentur: atque ut mentis imbecillitatem adjuvet externum corporis exercitium. Nobis autem, quoties in genua procumbimus, videndum eſt ut ceremoniæ, ne fallax ſit ac luſoria, interior cordis ſubmiſſio reſpondeat.

Converſus ad corpus.] Hoc quoque rationi videtur minus conſentaneum, quod cadaver ſenſu vacuum compellat. Verum iſta alloquutio ad corpus exanimum, una fuit pars vehementiæ, ad quam Petrum impulit Dei Spiritus. Quod ſi quis rationem deſiderat, Dei potentiam in ſuſcitandis mortuis clarius exprimit talis loquendi forma, quam ſi in tertia perſona diceretur, Corpus hoc rurſus animetur & vivat.
Eze. 37. verſ. 4. Itaque Ezechiel liberationem populi ſub reſurrectionis typo adumbrans, Oſſa arida, inquit, ſuſcipite verbum Domini.
Joan. 5. verſ. 28. Et Chriſtus: Veniet tempus, quum mortui audient vocem Filii Dei. Fuit enim iſta vere Chriſti vox, quæ per os Petri emiſſa, ſpiritum reddidit corpori Thabitæ. Circumſtantiæ quæ ſequuntur, ad miraculi certitudinem poſitæ ſunt.

41. In fine iterum repetit Lucas, *coram* fuiſſe exhibitam diſcipulis. unde colligimus, aliorum cauſa magis fuiſſe excitatam, quam ſua. Fanatici quidam, qui animam hominis nihil quam flatum eſſe ſomniant, qui ad diem uſque reſurrectionis evaneſcit, locum hunc arripiunt probando ſuo delirio. Quorſum, inquiunt, attinebat, Thabitæ animam, ſi in beatam quietem recepta erat, in corporis ergaſtulum revocari, ubi tot miſeriis conflictando ægre laboraret? Quaſi vero non licuerit Deo, gloriæ ſuæ habere reſpectum, tam in morte quam in vita. quaſi etiam non vera ſit hæc piorum felicitas, illi vivere & mori: imo quaſi Chriſtus non ſit nobis lucrum, Philip. 1. verſ. 21. tam vivendo quam moriendo, quum nos illi dicamus. Ergo nihil abſurdi erit, ſi majorem gloriæ ſuæ rationem habuerit Dominus, quam ipſius Thabitæ. Quanquam, ut ſemper annexa eſt fidelium utilitas Dei gloriæ, ceſſit hoc illi in majus bonum, quod revixit, ut illuſtrius eſſet divinæ bonitatis & potentiæ organum.

42. *Et crediderunt.*] Jam multiplex apparet miraculi fructus. Pauperes enim Deus ſolatus eſt, Eccleſiæ reddita eſt pia matrona in cujus morte multum jacturæ factum erat, & multi ad fidem vocantur. Nam etſi Petrus tantæ virtutis fuerat miniſter, homines tamen in ſe non retinet: ſed ad Chriſtum potius dirigit.

43. Quum dicit, Petrum *habitaſſe* apud coriarium, conjici hinc poteſt, ex quo hominum genere conſtaret Joppenſis Eccleſia. nam ſi ad Chriſtum converſi eſſent urbis primores, excepiſſet certe eorum quiſpiam hoſpitio Petrum: fuiſſet enim nimis immane, Chriſti Apoſtolum ſic negligi. Illic ergo Dominus, ut paſſim, Eccleſiam ſibi ex gregariis hominibus collegit, ut carnis ſuperbiam proſterneret: ſimul in eo ſe profert Petri humanitas, quod ejus ordinis hoſpitem non aſpernatur. Quanquam mediocris videtur fuiſſe mercator potius, quam ex infimo genere opificum. referet enim poſtea Lucas, fuiſſe illic qui Petro miniſtrarent: unde apparet, commode & honeſte fuiſſe habitum.

CAP. X.

VIr autem quidam erat Cæſareæ, nomine Cornelius, centurio ex cohorte quæ vocabatur Italica:
2. Pius, & timens Deum cum tota domo ſua, facienſque eleemoſynas toti populo, & orans Deum aſſidue.
3. Vidit in viſione palam circiter horam nonam diei Angelum Dei ingredientem ad ſe, & dicentem ſibi, Corneli.
4. Ille vero intuitus & territus, dixit, Quid eſt, Domine? Tum dixit illi, Precationes tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam coram Deo.
5. Et nunc mitte Joppen homines, & accerſe Simonem qui vocatur Petrus:
6. Hic diverſatur apud Simonem coriarium, cui domus eſt ad mare: hic dicet tibi quid te oporteat facere.

1. Tranſit nunc Lucas ad hiſtoriam memorabilem: nempe, quod Deus hominem alienigenam & incircumciſum, præ omnibus Judæis ſingulari honore dignatus ſit: quia & Angelum ſuum illi deſtinat, & ejus cauſa Petrum Cæſaream adducit, à quo inſtituatur in Euangelio. Sed primo loco oſtendit Lucas, qualis fuerit hic Cornelius, in cujus gratiam Angelus è cælo deſcendit, & Deus Petro in viſione loquutus eſt. *Centurio* erat cohortis Italicæ. Cohors ex mille peditibus conſtabat: præerat autem Tribunus. Deinde, ſingulæ centuriæ ſuos habebant duces. Legio cohortes quinque ut plurimum habebat. Cohors illa *Italica* nomen habuit, quod Romani ſæpe ex provincialibus & ſociis milites ſcribebant, ſed robur exercituum legebant ex Italia. Ergo Italus natione erat Cornelius. *Cæſareæ* autem, ad præſidium urbis, cum ſua centuria degebat. ſic enim ſolebant Romani ſtationes diſtribuere, ut aliquid præſidii ſingulæ urbes nobiles haberent, ad cohibendos ſubitos motus. Rarum ſane exemplum, quod miles tantæ in Deum pietatis, tam integer atque hu-

mantis fuerit erga homines. nam tunc Itali, quum militiæ cauſa vehebantur in provincias, tanquam lupi famelici ad prædandum irruebant: vulgo non major illis erat, quam belluis religio: innocentiæ ſtudium, quale latronibus. quo plus laudis merentur Cornelii virtutes, quod in vita militari, quæ tunc corruptiſſima erat, Deum tamen ſancte coluit, & inter homines ſine maleficio & injuria verſatus eſt. Nec parva eſt laudis amplificatio, quod abjecta ſuperſtitione in qua natus & educatus fuerat, purum veri Dei cultum eſſet amplexus. Scimus enim quam faſtuoſe ſibi placuerint Itali, & alios deſpexerint. Tunc vero ſic omnibus contempti & exoſi erant Judæi, ut eorum cauſa, ſincera religio infamis, & propemodum exocranda haberetur. Quod nihil horum obſtiterit Cornelio, quin relictis ſuis idolis, legitimum unius Dei cultum ſuſciperet, rara & eximia ſinceritate præditum fuiſſe oportet. adde quod inter ipſos Judæos vix quicquam reperire potuit, quo alliceretur ad pietatis ſtudium: quia tunc vix milleſimus quiſque exigua Legis notitia leviter tinctus erat. Nec dubium eſt, quin ſingulari privilegio in probum aliquem Dei cultorem inciderit Cornelius, qui ab adulterinis dogmatibus integer, Legem fideliter nullo fermento admixto ei exponeret. Verum, quia compluribus elogiis eum inſignit Lucas, notanda ſunt ſingula.

2. *Pium* & Dei timentem fuiſſe dicit: deinde, quod tanquam probus paterfamilias, curam habuerit inſtituendæ familiæ. poſtea eum laudat ab officiis charitatis, quod *beneficus* fuerit paſſim erga populum: poſtremo, quod *Deum* aſſidue precatus ſit. Summa autem eſt, Cornelium excelluiſſe virtutibus quibus conſtat piorum integritas; ut vita ejus ad regulam quam nobis Deus præſcribit, omni ex parte compoſita fuerit. Quia autem Lex duabus tabulis continetur: priore loco, Cornelii pietatem commendat Lucas: deinde ad ſecundam partem deſcendit, quod charitatis officia exercuerit erga homines. Hoc in primis utile eſt obſervatu, quia in ejus perſona, recte vivendi nobis ratio deſcribitur. Quare, in vita rite inſtituenda, fundamentum ſit fides ac religio: quo ſublato, nihil aliud quam fumi ſunt reliquæ omnes virtutes. *Timorem* Dei, & preces recenſet Lucas, tanquam fructus & teſtimonia pietatis, ac cultus Dei: & merito. Neque enim à Dei timore & reverentia, religio avelli poteſt: nec pius cenſeri quiſquam poteſt, niſi qui Deum & patrem & dominum agnoſcens, ei ſe addicit. Sciamus autem hic ſpontaneum timorem laudari, quum ſe libenter & ex animo Deo ſubjiciunt, qui vere ſecum reputant quid illi debeatur. Porro, quia fictitiis nugis, Dei cultum bona pars mundi adulterat & depravat, merito ſubjicit Lucas, Cornelium *aſſidue* precatum eſſe: quo ſignificat, non externis tantum ceremoniis probaſſe ſuam pietatem, ſed Deum ſpiritualiter coluiſſe, dum ſe in precibus exercuit. Simul notanda eſt precum aſſiduitas: unde colligimus, non frigide officio precandi ex vulgari more fuiſſe defunctum, ſed ſerio intentum fuiſſe ad preces, ſicuti aſſidua Dei beneficia illuc nos invitant & ſtimulant, & vis fidei illic ſe proferre debet. Quare exemplo Cornelii ſe ad orandi perſeverantiam quiſque noſtrum hortetur.

Cum tota domo.] Non leviter præterire hanc laudem decet, quod domeſticam habuerit eccleſiam Cornelius. Et certe, verus Dei cultor non patietur quoad in ſe erit, eum exulare à domo ſua. Quam enim præpoſterum eſt, jus ſuum pertinaciter tueri, ut illi uxor, liberi, ſervi, & ancillæ pareant: Dei vero contemptum ſuſque deque ferre? Accidet quidem interdum, ut vir pius ne uxorem quidem ſibi conſentientem habeat. ſed ſtudendum eſt modis omnibus, ut qui aliis præeſt, Deo vindicet ſuum imperium: & nihil æquius eſt, quam Deo conſecrare noſtra omnia, ut noſipſos. Ergo, ſi vir pius filios ſibi diſſimiles habeat, vel uxorem male moratam, vel ſervos nequam & improbos: ne conniveat, nec ſua ignavia patiatur domum ſuam pollui. In Cornelio non tantum laudatur ſedulitas, ſed Dei benedictio; qua factum eſt, ut domum haberet in pietate ſibi obſequentem. Nec omittenda eſt circumſtantia, quod familiam in Dei timore inſtituit, contempto periculi metu quod inde inſtabat. valde enim exoſa erat Judaica religio: nec impune erat civi Romano peregrinam, ut vocabant, religionem ſuſcipere. Quare, etſi hodie peſſime in mundo audit ſincera Euangelii profeſſio: tamen nimis vitioſa eſt timiditas, ſiquem impediat injuſtum iſtud odium, ne ſuam familiam Deo audeat in ſacrificium ſua pia inſtitutione offerre.

Faciens eleemoſynas.] Eſt etiam in hoc membro ſynecdoche. Nam ſicuti Dei cultum orationibus probari, nuper dictum eſt: ita nunc quum de charitate fit mentio, unam ſpeciem eligit Lucas. unde oſtendit Cornelium hominem fuiſſe liberalem & beneficum. Sic enim pietas noſtra debet ad homines emergere, ut benignitatem & juſtitiam colendo, Deum nos timere teſtemur. *Eleemoſynæ* nomen (quum proprie miſericordis ſit interior cordis affectus) ad externa officia quibus juvamus pauperes, tranſlatum eſt. nam ex hoc fonte naſcitur vera & *Eſa.58:7.* rite ordinata beneficentia, ſi nos miſericordia afficiunt fratrum noſtrorum ærumnæ; ſi unitatem, quæ inter nos eſt, reputantes, non ſecus ac carnem noſtram eos fovemus & curamus, non ſecus ac propriis membris, illis ſtudemus opitulari. Sunt quidem & hypocritæ interdum liberales, vel ſaltem largi: verum, ut omnia profundant, nullum quod pauperibus ſubſidium erogabunt, dignum erit eleemoſynæ titulo. nam tenendum eſt illud Pauli, Qui charita- *1 Cor.13. verſ. 3.* tem non habet, nihil eſſe, etiamſi totam ſuam ſubſtantiam diſtribuat in pauperes. Diſcamus ergo ex hoc nomine, probari tunc demum noſtram beneficentiam Deo, ſi propter ſympathian ſuccurrimus pauperum inopiæ, & quaſi apertis viſceribus erogamus quod ſuppeditat Dei liberalitas. Quod dicit Lucas, *toti* populo feciſſe eleemoſynas, perinde valet ac paſſim omnibus egenis. erant enim divites non pauci, quibus dare abſurdum fuiſſet. Cæterum, Judæis tam ſe liberaliter impendens, teſtatum fecit quem habebat cum illis religionis conſenſum. qua ratione paulo poſt dicit Lucas, fuiſſe probatum omnibus Judæis. Quod ſi tenuibus fidei rudimentis imbutus, quum tam multa offendicula occurrerent, tam præclarum probitatis & ſanctimoniæ ſpeculum fuit: annon pudere nos debet, qui cenſeri volumus Chriſtianiſſimi doctores, & in pietatis exercitiis tantopere frigemus? Si modica fidei ſcintilla tantum in illo potuit, quid in nobis efficere deberet plenus ſcientiæ fulgor? ſed Chriſtum plenis buccis jactantes, quam longe à ſancti viri exemplo abſumus plerique, ut vix umbra neſcio quæ earum virtutum quibus plenus fuit, appareat. Quantus enim in nobis eſt precandi torpor? ad miſericordiæ officia quam ſegnes ac pigri ſumus? imo non tantum multos impediunt ſordes & avaritia, ne de ſuo liberaliter erogent, quantum decebat: ſed ita ardent inſana habendi cupidine, tanta crudelitate ſunt efferati, ut pauperum ſubſtantiam rapere, & carnem ipſam vorare non dubitent.

3. *Vidit in viſione.*] Viſionem ponit Lucas, pro divini oraculi ſpecie: ut ſciamus adductum cælitus fuiſſe Cornelium ad Chriſti fidem. Sed quia ſæpe luduntur homines præſtigiis, ſuſpicionis tollendæ cauſa Lucas tempus deſignat *horam* nonam. Tunc vero ab ortu Solis ad occaſum uſque, diem partiri ſolebant in horas duodecim. Unde ſequitur, tunc clarum fuiſſe diem, quum apparuit Angelus, ut conſpicua eſſe poſſet viſio. Quanquam viſionibus addita ſemper fuerunt ſigilla quæ præſtigiarum metu eximerent

Digitized by Google

merent Dei ſervos: quia dum per ſomnia apparuit,
notæ tamen certitudinis fuerunt impreſſæ, quæ in
animis penitus defixæ, nullam dubitationem admit-
terent.

4. *Ille intuitus ac territus.*] Nominatim attentio
exprimitur à Luca, ut ſciamus non vanam fuiſſe
imaginationem quæ homini ſomnolento, vel aliud
agenti furtim obrepſerit. Terror quo correptus fuit,
ex ſenſu divinæ majeſtatis profectus eſt. ſimul enim
atque Dei præſentiam concipiunt homines, expave-
ſcere adeoque metu ipſos confundi neceſſe eſt. Quod
autem nihil nobis incutit terroris verbum ejus, id
ſocordiæ noſtræ imputandum eſt, quia non agno-
ſcimus nec ſentimus Deum eſſe qui loquitur: pii
autem, quibus ſe patefacit Deus in verbo ſuo, ad
Jeſa. 66. ejus auditum tremunt, ſicuti dicit Iſaias. porro,
verſ. 2, 5. ipſis terribilis eſt Dei conſpectus, non ut confuſi
ſemper jaceant, & abſorbeantur à timore, ſed
tantum ut ſe ad ejus reverentiam humiliter com-
parent.

Quid eſt, Domine?] Ex hoc reſponſo ſatis patet,
tactam religione fuiſſe Cornelii mentem, ut ſciret
cum Deo ſibi eſſe negotium. Vulgaris igitur trans-
latio male habet, *Quis es*, Domine? ac probabile eſt
ſuppoſititium eſſe quod illic legitur, quando in ſer-
mone Græco nulla eſt ambiguitas in qua halluci-
nari potuerit interpres. & exemplaria omnia con-
ſentiunt in hac lectione, τί ἐστι. Et certe Cornelius
Deum eſſe ſentiens qui loquitur, ſe ad obediendum
ſubmittit: ſicuti reſponſio nihil aliud eſt quam im-
perium.

Orationes tuæ & eleemoſynæ.] Quia Deus, niſi
protinus votis noſtris reſpondeat, videtur quodam-
modo ſurdas habere aures, hinc ducta eſt loquutio,
quod ad eum preces noſtræ perveniant, & earum ſit
memor. Porro, hanc cauſam Angelus aſſignat cur
dignetur Cornelium Dominus plena Euangelii ſui
luce, quia preces ejus exaudierit, & gratas habuerit
ejus eleemoſynas. Unde colligimus, virtutes & be-
nefacta non tantum placere Deo, ſed ornari etiam
ſplendida hac mercede, quod in eorum gratiam cu-
mulat nos amplioribus donis, & locupletat: juxta
Mat. 13. illud, Habenti dabitur. Item, Euge ſerve bone & fide-
verſ. 12. lis: fidelis fuiſti in paucis, ſuper multa te conſtituam.
& 25: 29. Sic enim continua donorum ſuorum ſerie Dominus
ſuos quaſi certis gradibus evehit, donec ad ſummum
perducat. Sed Papiſtæ bifariam hoc loco abutuntur:
nam quia preces & eleemoſynas Cornelii Deus re-
ſpexit, ut eum Euangelii fide donaret, id ad præpa-
rationes à ſe confictas detorquent, quaſi ſua induſtria
& virtute homo acquirat fidem, & Dei gratiam ope-
rum meritis anteverrat. deinde generaliter colli-
gunt, bona opera ſic eſſe meritoria, ut ſingulis au-
geantur Dei gratiæ prout meriti ſunt. In priore ni-
mis pueriliter falluntur, dum fingunt accepta fuiſſe
Deo Cornelii opera, antequam fide illuminatus eſſet.
Nec vero ad refellendam eorum inſcitiam longe pe-
tenda eſt probatio: nihil enim precibus conſequi po-
tuit, quin fides præcederet, quæ ſola nobis ad oran-
dum januam aperit. atque id prudenter expendit
Auguſtinus, qui Pelagium deridens, quod diceret
fidem precibus impetrari, antequam in homine ulla
eſſet: Quis medicum quæret, inquit, niſi qui jam
ex parte ſanatus erit? Ipſa autem eſt fidei ſanitas,
quæ nos pulſare docet. Præterea, timor Dei, & pie-
tas, clare demonſtrant, Spiritu fuiſſe regenitum.
Ezec. 36. nam Ezechiel hanc laudem ſoli Deo vendicat, ut for-
verſ. 26. met corda hominum ad ſui timorem. & Eſaias, Spi-
Jeſa. 11. ritum timoris Domini in Chriſto dicit requieſcere:
verſ. 2. ut ſciamus nuſquam poſſe inveniri, niſi in ejus mem-
bris. Pluſquam igitur ſtultum eſt, hic hominem fin-
gere in Cornelii perſona, qui natura duce ad vitam
æternam aſpiret vel nitatur. Ideo inſulſe ratioci-
nantur, nos operum meritis poſſe Dei gratiam præ-
venire. Quod ad ſecundum errorem ſpectat, dum
fingunt quemque noſtrum, prout meritus eſt, augeri
majoribus gratiis, non magno negotio refelli poteſt.
Primum, negamus quicquam bonorum operum no-
bis ſuppetere, quod non Deus gratuito in nos contu-
lerit. deinde, rectum donorum Dei uſum ab ipſo
quoque eſſe dicimus: atque hanc ſecundam eſſe ejus
gratiam, quod recte utimur prioribus ejus donis. ter-
tio, negamus quicquam nos operibus mereri, quæ
ſemper mutila ſunt & vitioſa. Conciliant quidem
nobis bona opera gratiæ augmentum, ſed non ſuo
merito: accepta enim Deo eſſe nequeunt, niſi cum
venia, quam fidei beneficio impetrant. quare, ſola
eſt fides quæ pretium illis ſtatuit. Hoc modo preci-
bus ſuis & eleemoſynis obtinuit Cornelius plenio-
rem Chriſti notitiam: ſed quod Deum eleemoſynis
ſuis ac precibus faventem & propitium habuit, id
jam ex fide pendebat. Porro, ſi fide æſtimantur ope-
ra, indulgentiæ eſt, non meriti, quod Deo proban-
tur. nam quia nihil in nobis dignum invenit fides
cur Deo placeamus, à Chriſto mutuatur quod nobis
deeſt. Eſt autem hoc pluſquam perverſum, quod
quum nomen Meriti ſubinde in ore habeant Papi-
ſtæ, & inani fiducia ſtultos inflare non deſinant, ni-
hil tamen afferant quo incitentur hominum ſtudia
ad recte agendum. ſemper enim in ſuſpenſo relin-
quunt conſcientias: placeant nec ne Deo opera, du-
bitare jubent. Ubi talis animos trepidatio occupat,
annon deſides & ignavos flacceſcere neceſſe eſt? Nos
vero, etſi meritum operibus detrahimus, tamen ubi
docemus repoſitam eſſe illis mercedem, optimo &
acerrimo ſtimulo incitamus ad recte vivendi ſtu-
dium homines. tunc enim demum alacriter ad ſer-
viendum Deo nos accingimus, quum perſuaſi ſumus
operam nos minime ludere. Quod autem non ube-
rior hodie conſpicitur donorum Spiritus affluentia,
quin potius major pars areſcit, noſtræ ingratitudini
acceptum ferre convenit. Nam ſicuti Cornelii pre-
ces, eleemoſynas, & ſanctitatem pretioſa Euangelii
ſui gemma coronavit Deus: ita, nos quum Euan-
gelii ſui theſauro impie ac nequiter abuti videt, juſta
cauſa eſt cur ad jejunam inopiam redactos tandem
fame conficiat. Poteſt tamen hic quæri, Requiratne
fides Chriſti notitiam, an ſimplici miſericordiæ Dei
perſuaſione contenta ſit? videtur enim Cornelius
de Chriſto nihil prorſus tenuiſſe. Verum, ſolidis pro-
bationibus probari poteſt, fidem non poſſe à Chriſto
ſeparari. nam ſi apprehenditur nuda Dei majeſtas,
potius obruimur ejus gloria, quam ullum bonitatis
guſtum ſentiamus. Chriſtum ergo intermedium eſſe
oportet, ut Deum propitium concipiat mens homi-
nis. nec vero fruſtra imago Dei inviſibilis vocatur: *Col. 1: 15.*
quia nonniſi in ejus facie Pater ſpectandum ſe exhi-
bet. adhæc, quum via ſit, veritas & vita, quocun- *Joan. 14.*
que extra ipſum concedas, undique errorum & de- *verſ. 6.*
ceptionum tendiculæ te involvent, & ubique mors
occurret. De Cornelio facile nodus expeditur. ni-
hil ſpiritualium donorum nobis offertur, niſi in
Chriſto. ipſa præſertim regeneratio unde prove-
nit, niſi quia, dum inſerimur in Chriſti mortem, *Rom. 6.*
crucifigitur vetus homo noſter? quod ſi particeps *v. 5. 6.*
Spiritus Chriſti fuit Cornelius, non eſt quod pute-
mus prorſus ejus fide fuiſſe vacuum. Nec vero cul-
tum veri Dei, quem ſoli Judæi adorabant, ſic am-
plexus erat, quin aliquid ſimul de Mediatore pro-
miſſo audiſſet: obſcura licet fuerit & implicita ejus
cognitio, aliqua tamen fuit. Quiſquis tunc in Ju-
dæam acceſſerat, de Meſſia aliquid audire cogeba-
tur: imo per regiones longe diſſitas ſparſa erat non-
nulla ejus fama. Proinde in veterum Patrum cata-
logo qui ſalutem à Redemptore nondum patefacto
ſperarunt, ponendus eſt Cornelius. Et improprie
ab Auguſtino dictum eſt, Fundatam ejus fidem à
Petro fuiſſe: quum jam prius firmum fundamentum
habuerit. quanquam in re ipſa nobiſcum Auguſti-
nus ſenſit, qui diſerte affirmat, non potuiſſe orare
Cor-

Cornelium, niſi fidelis eſſet: libro de Prædeſtinatione ſanctorum, & aliis locis.

5. *Nunc mitte Joppen.*] Mira Dei indulgentia, quod Cornelium non jubet proficiſci, ſed nuncios ad Petrum mittere, ut domi quietus expectet, Petrus autem ejus cauſa ſuſcipiat itineris moleſtiam. Sed ne miremur tam humaniter cum Cornelio actum eſſe, quum Dominus quotidie verbi ſui miniſtros fere invitis obtrudat: ita ultro apparet non
Jeſa. 65. verſ. 1. quærentibus, ſicuti per Iſaiam commemorat. Sed cur non potius doctoris partes implet Angelus? nam videtur parum rationi conſentaneum, quod homini mortali munus ſuum reſignat: major enim miraculo fuiſſet auctoritas, quam quum illi Euangelium ho-
Act. 9. verſ. 10. minis ore prædicatur. Nempe, ſicuti Chriſtus Paulo ſe per viſionem oſtendens, ejus tamen docendi partes Ananiæ reliquit, ut prædicandi Euangelii miniſterium, quod Eccleſiæ ſuæ mandavit, tali exemplo ſanciret: ita nunc Angelus Petro locum cedit, ut munus ſibi à Chriſto commiſſum exequatur. Ergo, quiſquis vult Chriſti eſſe diſcipulus, & illuminari cæleſtis ſapientiæ luce, ad externam hominum vocem, qua Chriſtus tanquam organo utitur, & cui fidem noſtram vult eſſe annexam, attentum ſe ac docilem præbere ne gravetur. Et videmus quam horrendis modis ultus ſit Dominus furioſam eorum ſuperbiam, qui contempta prædicatione, revelationes è cælo captarunt: nam quum in hominibus audiri velit, non poſſunt ſine ejus contemptu & contumelia ſperni miniſtri apud quos verbum ſuum depoſuit. Intere, probandos eſſe ſpiritus fateor, ne audiamus *1 Joan. 4. verſ. 1.*
abſque delectu quicunque ſe Chriſti miniſtros obtendunt. ſed quia fides ex auditu eſt, nemo ad eam *Rom. 10.*
perveniet qui verbum prædicatum reſpuet atque *verſ. 17.*
aſpernabitur.

7. Poſtquam vero abiit Angelus qui Cornelio loquutus erat, hic vocans duos ex ſervis ſuis, & militem pium ex his qui ſibi adſtabant:
8. Quum expoſuiſſet eis omnia, miſit ipſos Joppen.
9. Poſtridie vero, quum illi iter facerent, & appropinquarent urbi, aſcendit Petrus in faſtigium domus ad precandum, circiter horam ſextam.
10. Erat autem jejunus: itaque voluit guſtare. Interea autem dum parabant, cecidit ſuper eum mentis exceſſus.
11. Videt cælum apertum, & vas deſcendens ſuper ſe inſtar lintei magni, quatuor initiis ligatum, & recumbens in terra,
12. In quo erant omnia quadrupedia terræ, & feræ, & reptilia, & volucres cæli.
13. Et fuit vox ad eum, Surge Petre, macta, & comede.
14. Petrus autem dixit, Nequaquam, Domine: quia nunquam comedi quicquam commune vel immundum.
15. Et vox rurſus ad eum ſecundo, Quæ Deus mundavit, tu ne communia facias.
16. Hoc autem accidit ter: & rurſus receptum fuit vas in cælum.

7. *Poſtquam vero abiit Angelus.*] Hic narrat Lucas quam prompta Cornelii obedientia fuerit: quando ne momento quidem temporis cunctatur, quin ſedulo faciat quod juſſus eſt. Hinc autem tam facilis promptitudo, quod fidem promiſſioni habuit: ſicuti noſtræ ad ſequendum Deum tarditatis cauſa eſt incredulitas. Non advolant quidem ad nos Angeli è cælo, ut certos nobis homines deſignent: ſed omnium
Mat. 7: 7. auribus illa Chriſti vox inſonat, Quærite, & invenietis: pulſate, & aperietur vobis. Qui fit ut vix ex centum unus & alter pedem moveant, ut alii lente reptando, tam parum promoveant, niſi quia promiſſioni non ſerio credimus? Diſcamus ergo non eſſe procraſtinandum, quin audita Dei voce, ſtrenue quiſque properet quo vocatur.

Duos ex ſervis ſuis.] Hoc diligentiæ ſuæ in familia docenda præmium retulit Cornelius, Quod fidos habuit famulos & probos, qui libenter ſuam illi operam impenderent: quibus etiam tuto poſſet quidvis committere. Contra, Dominus ſæpe juſtis pœnis ulciſcitur dominos, quibus nulla inſtituendæ familiæ cura fuit. nam quos ad pietatem & timorem Dei formare neglexerunt, illos viciſſim ſibi immorigeros & infidos merito ſentiunt: atque etiam metuunt ab eorum perfidia.

Militem pium.] Quum hic miles plus conſuetudinis haberet cum Cornelio, illum etiam Dei timore, ut ſuos domeſticos, imbuerat. Hic memoria repetere convenit quod prius attigi, Nullum eſſe vitæ genus quod nos excuſet, quin pure Deum nos colere deceat. Nam vita militaris tunc corruptiſſima erat: ex priſca enim diſciplina in fœdam licentiam deſciverant. & tamen Spiritus Dei militibus, pietatis teſtimonium hic reddit. Quare non eſt ut ſibi militiæ prætextu vacationem à colendo Deo poſtulent, qui ab omni rectitudine quovis modo immunes eſſe cuperent. Si negant ſe Deo poſſe ſervire, quia milites ſunt: duos iſtos milites in die ultimo teſtes & judices idoneos habebunt, à quibus damnentur. Interea damnantur & phrenetici homines, qui nefas Chriſtianis eſſe clamitant, arma geſtare. Pietatem enim colebant iſti cum militia: & Chriſtum ſuſcipiendo, priorem vivendi rationem non relinquunt, arma non abjiciunt quaſi noxia, nec ordini ſuo renunciant.

8. Quod militi & famulis Cornelius omnia exponit, huc tendit, ut magis eos animet ad exhauriendum mandatum, quod Dei potius quam hominis eſſe vident. quos autem ingenue prius inſtituerat, eos non dubitat tantæ rei facere nunc conſcios.

9. *Poſtridie, quum iter facerent.*] Sicuti narravit Lucas oraculo admonitum fuiſſe Cornelium, ut Petrum vocaret: ita nunc oppoſitam viſionem refert, quia jubetur Petrus ad eum venire. unde clarius apparet, totam hanc rem admirabili Dei conſilio fuiſſe gubernatam, qui & Cornelium ad docilitatem comparat, imo ad diſcendi ſtudium & deſiderium accendit, & viciſſim Petro animum facit, ut voluntarius ſit ad obeundum docendi munus. Verum notandæ ſunt circumſtantiæ quibus hiſtoriam illuſtrat.

Aſcendit Petrus ſuper tectum, ut privatim ſolus oret.] Magnum enim orationis adjumentum eſt ſeceſſus, quod ne à Chriſto quidem omiſſum eſt, ut mens avocamentis omnibus libera, melius in Deum intenta ſit. Alia autem Judæis ædificiorum forma erat, quam quæ nobis ſit in uſu: nam in tectis ambulationes habebant. *Hora ſexta* tunc erat meridies. Non dubium autem quin ex more tunc ſe ad precandum contulerit. nam quia totum fere diem diſtrahimur variis negotiis, nec finis eſt tumultuandi niſi tanquam injecto freno nos retinemus, utile eſt certas horas habere precibus dicatas: non quod horis ſimus adſtricti, ſed ne memoria effluat oratio, quæ omnibus curis debebat prior eſſe. Denique, idem de tem-

tempore ſentiendum eſt, quod de loco: eſſe ſcilicet
remedia quæ noſtræ infirmitati ſubveniunt. quæ ſi
apta ſibi dua erunt Apoſtoli, quanto ſtudioſius à pi-
gris & lentis colenda ſunt?

10. *Mentis exceſſus.*] Quia mentes habemus quaſi
in terra depreſſas, ut capax oraculi eſſet Petrus, men-
tem ejus quaſi loco moveri & ſurſum rapi oportuit:
atque hoc modo præparatus eſt ad ſuſcipiendum ora-
culum, dum inſolito modo ſupra mundum evehitur.

11. *Cæli* apertio aliud meo judicio hic ſignificat,
Actor. 7. quam ſeptimo capite. Illic enim apertum Stephano
verſ. 56. cælum fuiſſe dicitur, ut Christi gloriam conſpiceret:
hic Petro cælum noſtrum viſibile ſcindi videtur, ut
inde linteum exeat.

12. Siquis roget, Qualiter ingentem animalium
turbam potuerit ſimul videre: facile ſolvitur quæ-
ſtio. Lucas enim dicit *omne genus*, quia promiſcue
illic diverſa genera permixta erant. non igitur inci-
pit à prima ſpecie, ut numerum ſequatur uſque ad
ultimam. Deinde, proſpectum hunc humano more
non debemus metiri: quia ecſtaſis Petro alios oculos
dabat. Verum, antequam ultra progredimur, te-
nendum eſt, quis fuerit viſionis ſcopus. de eo qui-
dam argutius diſputant quam locus meo judicio po-
ſtulet. Sentio igitur, Petro generaliter oſtendi diſ-
crimen quod Deus olim poſuerat, nunc ſublatum
eſſe. Sicuti autem inter animalia diſcreverat: ita
uno populo ſibi delecto, gentes omnes ducebat im-
mundas & profanas. nunc ſublato inter animalia diſ-
crimine, à conſequenti docet, non diffidere amplius
homines ut olim, nec differre Judæum à Græco.
Hinc monetur Petrus, ne poſthac à Gentibus, tan-
quam immundis, abhorreat. Non dubium eſt, quin
Deus animum facere Petro voluerit, ut intrepide ad
Cornelium veniret. Atqui, populum unum ſibi ab
Deut. 32. aliis ſegregaverat: ſicut dicit Moſes in Cantico,
verſ. 9. Quum diſtribueret Altiſſimus gentes, poſuit funicu-
lum ſuum in Jacob, &c. Ideo hæreditatem ſuam &
peculium vocabat. Secundum hunc ordinem, fas Pe-
tro non fuiſſet fœdus ſalutis ad Gentes perferre: nam
Mat. 15. illud erat panem ſumere filiorum, & projicere cani-
verſ. 27. bus. niſi forte aſcita circumciſione, in Judaiſmum
tranſirent. Tales enim dedititios recipere fas erat.
Quare Apoſtoli, quum prius ad prædicandum miſſi
Mat. 10. eſſent, vetantur deflectere ad Gentes. Quum autem
verſ. 5. res ſanctiſſima ſit & maximi momenti Euangelii
prædicatio, non debuit in ea quicquam dubio & va-
cillanti animo aggredi Petrus. Ergo ut illi vocationis
ſuæ certitudo conſtet, palam Deus, quaſi in pictura
demonſtrat, Legalem mundi & immundi differen-
tiam abolitam eſſe: unde colligat, parietem qui me-
Epheſ. 2. dius hactenus fuerat inter Judæos & Gentes, nunc
verſ. 14. eſſe dirutum. Paulus autem myſterium eſſe dicit à ſe-
Epheſ. 3. culis abſconditum, quod Gentes ejuſdem cum po-
verſ. 9. pulo Dei ſalutis ſint participes, ac in unum corpus
inſitæ. Ideo Petrus nunquam auſus fuiſſet Gentibus
aperire januam cælorum, niſi Deus ipſe, ſublata ma-
ceria, planum iter & ingreſſum omnibus patefeciſſet.
Nullum quidem fuiſſe tempus nuper dixi, quo non
liceret Gentiles admittere ad cultum Dei, modo cir-
cumciderentur: ſed quamdiu in præputio manebant,
alieni erant à Deo. Nunc autem Deus fœdus vitæ,
quod in gente una quaſi clauſum theſaurum depo-
ſuerat, commune fecit toti mundo: unde colligimus,
viſionem hanc non parum utilem nobis eſſe. Quando
enim docet, temporale duntaxat fuiſſe diſſidium
inter Judæos & Gentes: perinde eſt acſi pronuncia-
ret Deus è cælo, ſe omnes mundi populos amplecti
in gratiam, ut ſit omnium Deus. Denique, clarum
habemus è cælo præconium, quod ad ſpem vitæ
æternæ nos invitat. Sed objiciet quiſpiam, Hac de re
Marc. 16. prius edoctum fuiſſe Petrum. Nam illi & reliquis
verſ. 15. datum erat mandatum publicandi Euangelii per to-
ſup. 2: 36. tum orbem. Ergo aut ipſe ignarus vocationis ſuæ
fuit, aut ſupervacua erat hæc viſio. Reſpondeo,
Tantum in ipſa novitate & inſolentia fuiſſe difficul-
tatis, ut non ſtatim aſſueſcere potuerint. Tenebant
quidem & Prophetarum vaticinia, & recens Christi
præceptum de vocandis per Euangelium Gentibus:
ſed quum ad rem ipſam ventum eſt, nihilominus re
inſueta perculſi, hæſitarunt. quare non mirum eſt,
ſi Petrum novo ſigno confirmet Dominus. Qua de
re proximo capite aliquid adhuc dicendum erit.

13. *Vox è cælo.*] E cælo vox deſcendit, ſicuti lin-
teum, ut Petrus utrumque à Deo profectum agno-
ſceret. nec vero aliter quicquam profuiſſet aſpectus,
niſi hac voce purificaſſet Deus quæ ante fuerant im-
munda. Quod allegoriam eliciunt quidam ex verbo
mactandi, quaſi ſignificet Deus immolari ſibi homi- *Rom. 15.*
nes ſpirituali Euangelii gladio, non inſector: ſed *verſ. 16.*
mihi magis placet ſimplicitas, quod hac voce legem
abroget Deus de animalium delectu, ut ſimul doceat
nullum ſe populum rejicere. Nam ſi immolatio no-
tetur priore verbo, quid erit Comedere?

14. *Nequaquam, Domine.*] Vox eſt non tam re-
cuſantis quam objicientis Deo ſuum præceptum.
nam quod ſibi Lege Dei vetitum eſſe novit, merito *Levit. 11.*
attingere horret. Opponit igitur Deo Legem quam *v. 2, &c.*
ipſe tulit, ne temere in ejus offenſam incurrat. Erat
quædam repugnantiæ ſpecies inter viſionem & Le-
gem. Non feſtinat ergo Petrus, ſed ſcrupulum prius
ſibi eximi petit, quam à Legis obſervatione diſce-
dat. Mirum tamen videri poſſit, quod magis reſiſtat
Petrus in cibis, quam Abraham in mactando *filio*: *Gen. 22.*
habebat enim plura Abraham quæ Deo objiceret. *v. 9, 10.*
Non audeo dicere hic Petro accidiſſe, quod homini-
bus nimis commune eſt, ut rebus externis & minu-
tis magis inſiſtant, quam præcipuis Legis capitibus:
potius reſpondeo, quod extra controverſiam eſt, ſic
perſuaſum fuiſſe animum Abrahæ, & ea Spiritus vir-
tute ſtatim fuiſſe inſtructum, ut quæcunque morari
poterant ejus curſum, excelſa & heroica fortitudine
ſuperaret: in Petro autem lente operatus eſt *Spiritus*
Dei. Quo monemur, nihil eſſe tam minutum quod
non anxietatem injiciat, niſi nos Dominus conſilio
inſtruat, & conſtantia ad trepidationem vincendam.
Pie tamen & religioſe facit Petrus, quod inter varias
cogitationes alternans, nihil aggredi audet donec
melius liqueat quid ſequendum ſit. *Commune*, hoc
loco Profanum ſignificat. nam quia Deus ſibi Ju-
dæos, ut dictum eſt, elegerat in populum peculiarem,
hunc ritum & formam vivendi illis præſcripſerat,
quæ à profanis Gentibus illos diſtingueret. Quicquid
ergo Gentibus in uſu erat præter Legis normam, id
vocabant Commune: quia nihil ſanctum vel pu-
rum, niſi quod Deus in uſum populi ſui deſtinaverat.

15. *Quod Deus mundavit.*] De cibis quidem agi-
tur: ſed extendi ad omnes vitæ partes debet hæc ſen-
tentia. Ad verbum eſt, *Quod Deus* mundavit, tu ne
profanaveris. ſenſus autem eſt, Non eſſe noſtrum
probare vel damnare quicquam: ſed ſicuti unius Dei *Rom. 14.*
judicio ſtamus & cadimus, ita ipſum eſſe rerum *verſ. 4.*
omnium judicem. Quantum ad cibos ſpectat, poſt
Legis abrogationem Deus omnes puros eſſe & mun-
dos pronunciat. Si contra inſurgit mortalis homo,
qui novum diſcrimen ſtatuat à quibuſdam interdi-
cens, jus & imperium Dei ſacrilega audacia ſibi arro-
gat & rapit. Tales fuerunt veteres hæretici, Mon-
tanus, Priſcillianus, Donatiſtæ, Tatiani, & omnes
Encratitæ. Poſtea Papa, ut omnes iſtas impias ſectas
in faſciculum colligeret, legem de cibis tulit. Nec eſt
quod garriant hujus impietatis patroni, nullam ſe im-
munditiem cibis affingere, ſed tantum macerandæ
carnis cauſa certis diebus prohiberi ab eſu carnium
homines. nam quum lautiſſimis cibis & ad delicias &
luxuriem maxime appoſitis veſcantur: cur à tactu
laridi, tanquam à ſummo piaculo abhorrent, niſi
quia quod Idoli ſui lege vetitum eſt, immundum eſſe
fingunt ac pollutum? Eadem ſuperbia in omnibus
vitæ partibus graſſatur Papæ tyrannis: nihil enim
eſt

Digitized by Google

eſt ubi non miſeris conſcientiis laqueos injiciat. nos vero cæleſti oraculo freti, ſecure omnia ejus interdicta ſpernamus. Semper os Domini interrogandum eſt, ut inde ſtatuamus quid nobis liceat ac liberum ſit: quando ne Petro quidem licuit profanum facere quod ex Dei verbo licitum erat. Valet præterea hic locus ad coërcendam hominum proterviam, qui in perverſis judiciis exultant. Nemo fere eſt, qui non ſibi permittat de aliorum factis judicium ferre. jam ut moroſi ſumus & maligni, magis pendemus in ſiniſtram partem: ita Deo quod ſuum eſt eripimus. Ad corrigendam hujuſmodi audaciam ſufficere debet hæc ſola vox, Nobis fas non eſſe, hoc vel illud facere immundum: ſed hanc unius Dei eſſe poteſtatem. Cæterum his verbis etiam innuitur, Judæos non ideo ſanctum fuiſſe Dei populum, quod propria dignitate præſtarent, ſed ſolæ divinæ adoptionis gratia. nunc poſtquam Gentes in fœderis ſocietatem Deus aſcivit, æquale eſt jus omnium.

16. *Hoc accidit ter.*] Repetitio viſionis ad confirmationem valuit, ne qua dubitatio, vel anxietas, vel ſcrupulus in Petri animo hæreret. unde colligimus, quam altas illic radices egiſſet *Legis* obſervatio. Cur autem perplexum Deus reliquerit, donec ex conſequenti eventu viſionis cauſam diſceret, non alia mihi ratio occurrit, niſi quod attonitus non petiit ſibi manifeſtari quid hoc vellet. Quanquam ſatis tempeſtivum fuit, nuncios Cornelii paulo poſt venire interpretes. Tandem *vas* in cælum receptum fuit, quo certior fieret Petrus, à Deo prodire hunc nuncium.

17. Quum autem in ſeipſo anxie dubitaret Petrus quænam eſſet viſio quam viderat, ecce duo viri miſſi à Cornelio, ſciſcitati de domo Simonis, ſteterunt ad januam:
18. Et quum inclamaſſent, interrogarunt an Simon qui cognominabatur Petrus, illic hoſpitium haberet.
19. Petro autem cogitante ſuper viſione, dixit illi Spiritus, Ecce, viri tres te quærunt:
20. Surge, deſcende, & proficiſcere cum eis, nihil hæſitans, quia ego miſi eos.
21. Quum autem deſcendiſſet Petrus ad viros qui miſſi erant à Cornelio ad ipſum, dixit, Ecce, ego ſum quem quæritis. Quæ cauſa eſt cur adſitis?
22. Dixerunt illi, Cornelius centurio, vir juſtus & timens Deum, teſtimonium habens à tota gente Judæorum, oraculo admonitus eſt ab Angelo ſancto, ut te vocaret in domum ſuam, & audiret abs te verba.
23. Porro, intro vocatos accepit hoſpitio.

17. Non viſione tantum, ſed Dei verbo edoctus fuerat Petrus: & tamen videndo non videt, donec Spiritus illi ſit interpres. illuſtre ſcilicet tarditatis noſtræ ſpeculum. Quanquam nos Petro longe adhuc ſumus diſpares: nam adeo non ſtatim aſſequimur quidnam velit Deus, aut quorſum loquatur nobis, ut vix tandem multiplex interpretatio nobis ſufficiat. Verum ſimul notandum eſt quod addit Lucas, *Petrum* intento animo ſuper viſione meditatum eſſe: nempe poſtquam animum ex ſtupore collegit: fuit enim hoc piæ reverentiæ ſignum, quod viſionem ſibi elabi vel diffluere neglectim paſſus non eſt. Ita-
Mat. 7: 7. que pulſanti Deus aperuit. Nos vero juſtas ignaviæ noſtræ pœnas damus, quod non melius proficimus in verbo Domini, quando tam frigidi ſumus ad inquirendi ſtudium.

20. *Proficiſcere, nihil hæſitans.*] Hoc verbo ſæpe utitur Scriptura, dum exprimere vult, qualis fidei
Rom. 4. obedientia eſſe debeat. Sic Paulus 4. ad Romanos
verſ. 19. capite, dum Abrahæ fidem commendat, dicit, Non hæſitaſſe, quum Deus illi jam effœto & caduco ſe-
Rom. 14. men promitteret. Et capite 14. ubi differit de cibis,
verſ. 23. damnat conſcientias hæſitantes. Eſt autem proprie diſceptare in utramque partem, ut loquuntur: quum ſcilicet oppoſitas rationes colligendo, huc & illuc alternis vicibus impellimur. Atqui Deum non dubio nec fluctuante animo, ſed compoſito & conſtanti nos ſequi oportet. In ſumma, tantum ſibi Dominus à nobis deferri vult, ut eo audito, non amplius diſputemus quid factu opus ſit: ſed abſque controverſia ſtatuamus, id agendum eſſe quod mandat. Et certe, digna eſt ejus voluntas, quæ diſcuſſis omnibus nebulis, præluceat nobis ad viam monſtrandam: & abrupta omni altercatione, ſenſus omnes noſtros ſibi in promptum obſequium ſubigat. quod etiam ex proximo contextu melius colligitur. Ratio enim additur cur Petro fas non ſit in re incerta ſuſpendere judicium; quia Deus auctor ſit negotii. quia perinde eſt, acſi diceretur, Solo Dei nutu contentos nos eſſe debere, ut imperio pareamus. Cæterum, hinc etiam viciſſim monemur, non aliter tranquillas fore conſcientias, ut tuto agant homines quod agunt, quam ubi verbo Dei edoctæ, nihil ſe niſi ejus auſpiciis ac juſſu aggredi ſtatuunt.

21. *Ecce, ego ſum quem quæritis.*] Jam refert Lucas, quam promptus ad obſequendum fuerit Petrus. deinde, ex nunciis demum intellexiſſe, quorſum viſio oblata eſſet. Audit enim ſe à Cornelio vocari, Gentili homine, quem profanum duxiſſet ac familiari congreſſu indignum, niſi correctum fuiſſet ejus judicium hac voce, Quod Deus purum vocat, tu ne commune cenſueris. Hoc eſt vere ſapere, dum exinanita omni confidentia, & correcta pertinacia, nos Dei auctoritas ad ſe rapit, menteſque noſtras ſic occupat, ut nobis nihil rectum ſit, niſi quod illa præſcribit.

22. *Cornelius, vir juſtus.*] Non ambitioſe neque adulandi cauſa, miniſtri Cornelium laudant: ſed ut Petrus ab ejus congreſſu minus abhorreat. Atque ideo *probatum* eſſe Judæis dicunt, ut ſciat Petrus, non eſſe à vera & ſincera pietate alienum. nam & ſuperſtitioſi, quum idolis ſervirent, jactabant ſe Dei cultores. Sed Cornelius Judæos, qui Dei unius cultum retinebant, ſuæ pietatis habere non potuit teſtes, niſi profeſſus fuiſſet ſe cum illis Deum Abrahæ colere. Hoc porro, ſicuti rarum exemplum erat, ſic non parum movere Petrum debuit. Quanquam hoc maxime argumento nituntur ut illi perſuadeant quod volunt, totum hoc Dei juſſu gubernari: acſi dicerent, non tam ab homine mortali vocari ipſum, quam à Deo qui per Angelum ita præceperat.

23. Et Petrus etiam Dei auctoritate victus, nihil jam deliberat: ſed viros recipit hoſpitio, ut mox cum illis iter arripiat. Ita nos Deo placide cedere convenit: nec quicquam ſupereſt aliud, cognita ejus voluntate, niſi ut celeriter curramus quo vocat. Reliqua nihil habent difficultatis.

Poſtridie Petrus exivit cum illis: & quidam ex fratribus qui ex Joppe erant, comitati ſunt ipſum.
24. Et poſtero die ingreſſi ſunt Cæſaream. Cornelius autem expectabat eos, accitis cognatis ſuis & neceſſariis amicis.

25. Quum

Digitized by Google

25. Quum autem ingrederetur Petrus, Cornelius illi occurrens, procidens illi ad pedes, adoravit.

26. Petrus vero eum ſuſtulit, dicens, Surge: ego quoque homo ſum.

27. Et colloquens cum ipſo, ingreſſus eſt: & invenit multos qui convenerant.

28. Dixitque illis, Vos ſcitis ut nefas ſit homini Judæo adhærere homini extraneo, vel ad eum ingredi: at mihi Deus oſtendit nullum hominem communem vel immundum dicendum eſſe.

29. Propterea ſine contradictione veni accitus. Rogo igitur, quam ob cauſam me vocaveritis.

Poſtridie exivit.] Appulerant, ut veriſimile eſt, ſub veſperum: quia nondum meridie urbem ingreſſi erant: nec vero unius tantum momenti fuit viſio ter repetita. Nocturna igitur quiete refecti ex ſua laſſitudine, ad reditum ſe accingunt. Officium porro humanitatis fuit, quod Petro ſe comites adjungunt quidam ex fidelibus (quos à tota Eccleſia miſſos eſſe credibile eſt) & deducunt Cæſaream uſque. Ac illi quidem benevolentiæ & honoris cauſa commune iter cum Petro ſuſcipiunt: ſed Dominus eos adducit, ut gratiæ ſuæ teſtes habeat. Ita amplum ſuæ gratitudinis præmium referunt, dum in fidei ſuæ confirmationem, Chriſti regnum ad Gentes propagari vident.

24. *Cornelius expectabat eos.*] Pium Cornelii affectum Lucas non tantum hac in parte laudat, quod Petri adventum cupide expectaverit, ſed quod amicos & cognatos fidei ſocios habere voluerit. Res certe periculo non carebat, catervam hominum vocare, ut novam religionem ſuſciperent. nec deerant rationes quarum prætextu ſibi blandiri poſſet. neque enim alios in ſocietatem vocare juſſus fuerat, quin potius illis præteritis, unus fuerat delectus qui tanti boni compos fieret: ſed quantum & Dei gloriæ, & fratrum ſaluti deberet, apud ſe reputavit: iniquum eſſe, ut erat, & inhumanum agnovit, quemqua ſibi privatim conſulere, aliorum ratione poſthabita: fœdæ ſocordiæ eſſe duxit, defodere ſub terram Euangelii theſaurum. Ergo præſtitit quod Dominus per Iſaiam & Michæam à ſuis omnibus requirit, ut ſinguli, fratres ſuos quaſi apprehenſa manu invitent atque hortentur ad fidem. Docuit ergo nos Cornelius ſuo exemplo, quum nobis ſe patefacit Deus, lucem hujus notitiæ non eſſe ignavia vel metu intus ſuffocandam: ſed potius dandam operam eſſe, ut fides noſtra aliis ad monſtrandam viam prælucear. Neque enim ea eſt regni cælorum hæreditas, unde vel minima portio nobis decreſcat, ſi multi ad eam participandam admiſſi fuerint: quin potius gloriam noſtram augebit cohæredum acceſſio. Obſervandum præterea eſt, quam procul abſit ab omni oſtentatione. Vocat enim ut condiſcipulos habeat, paratus ipſe ad diſcendum. Hoc verum eſt pietatis ſtudium, ubi una cum zelo talis apparet ſimplicitas, ut non pudeat nos ab ore Dei pendere. multos enim impellit ambitio, ut operam ſuam docendis rudibus impendant: & vitium detegit ſtulta loquacitas, dum cupidius verba profundunt, ſolique audiri appetunt. Atqui unum hoc omnibus propoſitum eſſe decebat, ſe & totum mundum Deo ſubjicere, ut hominibus ad veram humilitatem ſubactis, emineat ipſe ſolus. Qui pollet docendi facultate & gratia, ne recuſet fratribus ſe magiſtrum præſtare, abſit modo jactantia & ventoſa eminendi cupiditas: cui datum non eſt ſe doctorem profiteri, is intra modulum ſuum ſe contineat: neutri magiſterium appetant (ſicuti etiam monet Jacobus) verum ſic alii alios mutuo ædificent, ut neque doctos neque indoctos in ordinem cogi pudeat. Quæritur tamen, quos in Judæa cognatos habere potuerit, quum alienigena, & temporalis militiæ cauſa, illuc profectus eſſet? Ego, ut nihil affirmo, ita hoc tanquam maxime probabile, amplector, Quod in ſua turma aliquos habuerit ex cognatis. Solebant enim propinqui & inter ſe noti, ſub idem vexillum coire. Nec dubium eſt, quin ſub Cornelii vexillo, quum Centurio eſſet, libentius militaverint cognati. ἀναγκαίους vocat familiares amicos, ſicuti apud Latinos Neceſſarii vocantur qui arctiore vinculo inter ſe conjuncti ſunt.

25. *Procidens illi ad pedes, adoravit.*] Hic eſt verbum προσκυνεῖν, quod aut genuflexione, aut capite ſubmiſſo, aut alio quovis geſtu honorem cultumque teſtari ſignificat. Nunc quæritur, An modeſtiæ tantum cauſa hanc adorationem recuſet Petrus, an vero ut rem illicitam prorſus improbet? Quod Petro diſplicuerit Cornelii factum, apparet ex ratione mox addita: *Surge. nam & ego homo ſum.* Colligere enim licet ex his verbis, divinum fuiſſe aliquid in eo cultu, quod debitum uni Deo honorem homini mortali transſcriberet. Atqui Petrum loco Dei habitum fuiſſe à Cornelio, minime credibile eſt. nam ſi Dei honorem ad hominem tranſtulit, ubi illa pietas & religio cujus elogio nuper ornatus fuit? Ego igitur ſic exiſtimo, nihil minus illi in animo fuiſſe, quam ſpoliare Deum legitimo cultu, ut homini daret: ſed quum vellet Prophetæ, Chriſtique Apoſtolo ſingularem honorem habere, ad immodicum reverentiæ ſignum prolapſus eſt, atque ita exceſſu peccavit. Vix enim ſatis exprimi verbis poteſt, quam proclivis ſit ad ſuperſtitionem lapſus, ubi defertur honor Chriſti miniſtris qui vel minimam divini cultus ſpeciem præ ſe ferat. nam quo minime putavimus, facile delabimur per imprudentiam. In Rege vel hujus mundi primoribus minus eſſet periculi. nam qui Regem ſupplex adorat, ſeſe intra civilis & terreni honoris modum continet. In Chriſti miniſtris diverſa eſt ratio. ſiquidem ut ſpirituale eſt eorum officium, ita ſi quis ad eorum pedes procumbat adorandi cauſa, hic honor ſpirituale quiddam habet. Tenenda enim eſt diſtinctio inter civilem adorationem, qua inter ſe homines utantur pro ratione politici ordinis; & eam cui ſubeſt religio, vel quæ directe honorem Dei reſpicit: ſicuti & inter leges, quæ vel ad temporale regimen feruntur, vel conſcientias obſtringunt. Nimis enim falluntur inepti quidam homines, qui genuflexionem hic per ſe & ſimpliciter damnari putant. Verum omnino illud eſt quod dixi: Cornelius non Proconſulem hic ſuum vel Imperatorem politico ritu ſalutat, ſed ad Petri conſpectum admiratione perculſus tanquam præſenti Deo honorem defert. Ita, quaſi ſui oblitus, plus homini tribuit quam fas ſit. Nihil, ut jam dixi, minus habuit propoſitum, quam Deo eripere quicquam ſui honoris, ut ejus ſpoliis hominem ornaret: ſed ubi hominis adoratio mixtum habet & implicitum aliquid cum Dei honore, ſtatim vitium præter ſpem & opinionem obrepit, ut ſupra humanum gradum evehatur qui colitur in Dei honorem. Papiſtæ illa diſtinctione omiſſa, membrum duntaxat unum arripiunt. nam ſola religioſa adoratio inter eos tractatur: ejus partem, ut cum honeſto aliquo prætextu derivent ad creaturas, in latriam, duliam, & hyperduliam, ſecant. Et latriam quidem aſſerunt uni Deo: acſi dicerent, adorationem cultus illi ſoli deberi. Adorationem duliæ, promiſcuam mortuis & eorum oſſibus, ſtatuis & picturis faciunt. Hyperduliam virgini Mariæ, & cruci in qua pependit Chriſtus, aſſignant.

Digitized by Google

aſſignant. Ut taceam puerili inſcitia illos garrire, quotuſquiſque eorum putidam illam diſtinctionem tenet? nec de plebeiis tantum loquor, ſed de ipſis primoribus. Omnes ergo eorum cultus prava ſuperſtitione infectos & corruptos eſſe oportet, quum creaturas Deo inconſiderate aggregent. Sed hic non dicit Lucas, Cornelium latriam exhibuiſſe Petro: generali tantum Adorationis nomine utitur, & addit fuiſſe tamen reprehenſum, quia perperam hominem plus juſto efferret. Certe ſi locum haberet novum iſtud dogma de dulica adoratione monere debuerat Petrus Cornelium, ne ultra duliam procederet. Sed quia nulla adoratio, cui religio annexa eſt ac divini honoris reſpectus, intactum Deo relinquit ſuum honorem, quocunque tandem nomine tegatur: ideo hac una ratione contentus eſt Petrus, quod homo ſit. Quin etiam ex Papiſtis ſcire pervelim, an Joannem tam ſtupidum fuiſſe putent, ut ereptam Deo latriam Angelo tribueret? Certe, nihil aliud ad Angeli adorationem eum impulit, quam nimia & præpoſtera reverentia, & quidem in Dei honorem, cujus gloria in Angelo fulgebat: damnatur nihilominus ejus factum. Ergo ut Deo quod ſuum eſt reddatur, ſpiritualis adoratio cui ſubeſt religio, intacta illi maneat.

28. *Vos noſtis ut fas non ſit.*] Videtur parum amica eſſe præfatio, & quæ illorum animos exaſperet magis quam conciliet, dum ſe tam impuros haberi audiunt, ut conſuetudine ſua & colloquio ſanctos polluant: quod gravi in eos contumelia non caret. Verum, Petrus in hunc modum præfari neceſſe habuit, ne malæ conſcientiæ ſuſpectum eum haberent, quod contra morem à patribus traditum, quaſi Legis contemptor, veniſſet. Quum autem divinitus ſe miſſum affirmat, ſublata eſt ac purgata ejuſmodi ſuſpicio. Adde quod offenſionem quæ ex veteri inter Gentes & Judæos diſſidio, illorum animis jam inſidebat, optime mitigat his verbis, ut aptius non potuerit orationi ſuæ aditum facere. Nam qui hactenus immundi habiti fuerant, eos nunc puritate donatos eſſe pronunciat, ut jam cum ſanctis mutua ſit illis communicatio. Porro, quod Judæis nefas eſſe dixit, *ad Gentes ingredi*, ſciendum eſt, non tam ex Lege hoc fluxiſſe, quam ex obſervatione patrum. Vetuerat quidem Deus, ne ſe conjugiis aut fœderibus illigarent: ſimul veſci, aut communia vitæ negotia tractare, nuſquam prohibebantur. Sed ne frequentior uſus vel neceſſitudo ad id quod vetitum erat ipſos alliceret, traditum à patribus morem ſervabant, ne quid haberent conſuetudinis. Hic diſputare nihil attinet, an ea traditio conſcientias ligaret: neque enim Petrus ex profeſſo docet quid ſecundum Deum liceat, ſed quid vulgo receptum eſſet.

Deut. 7. verſ. 3.

Nullum hominem.] Clarius ſummam viſionis & ſcopum demonſtrat, quod de cibis fuerat dictum, ad homines referens. Cæterum, quod *nullum* immundum eſſe dicit, ne intelligas de individuis. certum enim eſt, incredulos omnes conſcientiæ immunditie pollutos eſſe, ut etiam ſolo attactu, quæ alioqui pura ſunt, contaminent. Paulus etiam eorum liberos dicit immundos manere, donec fide purgentur. denique, ſi ſola eſt fides quæ purificat hominum corda, incredulitas ea profanat. Sed Petrus, hic tantum Judæos confert cum Gentibus: & quoniam, diruta maceria, fœdus vitæ & ſalutis utriſque nunc pariter commune eſt, pro alienis habendos eſſe negat, qui divinæ adoptionis ſunt conſortes.

29. Notandum eſt etiam quod ſubjicit, *ſine contradictione* ſe veniſſe. Nam hoc eſt ſanctum fidei ſilentium, quum Deo non obſtrepentes, placide ſuſcipimus quicquid mandat, adverſas rationes, quæcunque ſe ingerant, procul abigendo.

30. Tum Cornelius ait, Quarto abhinc die uſque ad hanc horam eram jejunus, & circiter horam nonam precabar domi meæ: & ecce, vir ſtetit coram me in veſte ſplendida,

31. Qui dixit, Corneli, exaudita eſt tua precatio, & eleemoſynæ tuæ venerunt in memoriam coram Deo.

32. Mitte igitur Joppen, & accerſe Simonem, qui cognominatur Petrus: hic hoſpitium habet in domo Simonis coriarii: is, quum affuerit, loquetur tibi.

33. Ex ea igitur hora miſi ad te: ac tu recte feciſti quod adſis. Nunc itaque nos omnes adſumus coram Deo, ad audienda omnia quæ tibi à Deo ordinata ſunt.

Quia hæc Cornelii reſponſio nihil præter nudam hiſtoriæ repetitionem continet, non opus erit longius in ea inſiſtere. Summa eſt, Quod Dei juſſu Petrum vocaverit.

30. *Eram jejunus.*] Multi Græci codices habent ἤμην, Sedebam. Vetus interpres nomen *jejunus* omittit: quod ego errore vel incuria factum eſſe puto, quia in omnibus Græcis codicibus exprimitur. Porro diſerte jejunii fit mentio, partim ut ſciamus non frigide vel defunctorie tunc oraſſe Cornelium: deinde ut minus ſuſpicionis habeat viſio. neque enim cerebrum jejuni hominis, ubi moderata eſt ſobrietas, hallucinationes in ſpectris facile admittit. Significat ergo Cornelius, Angelum ſibi apparuiſſe, quum ad precandi ſtudium probe intentus eſſet, ac mentem ſolutam haberet omnibus impedimentis, quæ nos phantaſmatibus ac ſpectris obnoxios reddere ſolent. Eodem & temporis circumſtantia pertinet, quod illud accidit claro adhuc die, horis tribus ante Solis occaſum.

Vir ſtetit in veſte ſplendida.] Virum appellat, quem ſcit Angelum Dei fuiſſe. ſed uſitatum eſt, ad Deum vel Angelos, viſibilis formæ, ſub qua apparent, nomen transferri. Sic promiſcue Moſes nunc homines, nunc Angelos appellat, qui viſi ſunt Abrahæ humanis corporibus induti. *Veſtis* ſplendida cæleſtis gloriæ indicium fuit, & quaſi inſigne divinæ majeſtatis, quæ fulgere in Angelo debuit. Talem in Chriſti veſte ſplendorem Euangeliſtæ fuiſſe teſtantur, quum gloriam ſuam tribus diſcipulis in monte patefaceret. Idem & de Angelis narrant, qui ad teſtandam Chriſti reſurrectionem miſſi ſunt. nam ſicuti Dominus hucuſque infirmitati noſtræ concedit, ut Angelos ſuos ſub carnis noſtræ forma deſcendere jubeat, ita ſimul quoſdam gloriæ ſuæ radios illis aſpergit, ut reverentiam mandatis quæ perferenda commiſit, ac fidem conciliet. Hic naſcitur quæſtio, Verumne fuerit corpus illud & naturale, verane etiam veſtis, an talis duntaxat ſpecies oculis Cornelii fuerit objecta. Quanquam autem hoc non adeo cognitu neceſſarium eſt, & vix quicquam aſſeri pro certo poteſt: mihi tamen, quod ad conjecturam ſpectat, magis probabile videtur, Deum, cujus eſt omnia creare, dediſſe verum Angelo corpus, & ſimul magnificum veſtis decus circumdediſſe. Verum, ſimulac legationis munere defunctus eſt Angelus, corpore & veſtitu in nihilum redactis, reſtitutum ſuæ naturæ eſſe: neque tamen humani quidquam paſſum, quamdiu in habitu humano conſpectus fuit.

33. *Nunc*

33. *Nunc itaque nos omnes adſumus.*] Hic, quo promptior ac magis voluntarius ſit Petrus ad docendum, ſe & reliquos Cornelius affirmat dociles fore, & ad obſequium Dei paratos: nam hoc ad doctorem incitandum non parum valet, ut operam ſuam alacrius impendat auditoribus, ubi certum inde fructum ſperat. Particula, *Coram Deo*, duplicem ſenſum habere poteſt, vel ut ſit quaſi jusjurandum, vel ut ſimpliciter profiteatur Cornelius, cœtum illum domi ſuæ congregatum eſſe, non ſecus ac ſub Dei conſpectu, ut vocem hominis perinde excipiant acſi ex ipſo Dei ore prodiret. Utrumvis eligas, idem ſemper erit finis. nam quo majorem ſinceritatis ſuæ fidem Cornelius faciat, teſtatur ſe Deum habere præ oculis, cui per ſimulationem illudere fas non eſt. Et certe, quoties nobis proponitur Dei verbum, hic ſenſus animos noſtros ſubire & ſerio afficere debet, non eſſe nobis cum homine mortali negotium, ſed Deum præſentem nos vocare. nam ex hoc Dei reſpectu oritur verbi majeſtas, & ejus audiendi religio. Videtur tamen pro aliis temere ſpondere in re tam gravi: quis enim alienæ fidei idoneus eſt fidejuſſor? Sed quia pro ſe quiſque obedientiam pollicitus fuerat, merito ſic affectos eſſe confidit: nec dubium eſt, quin re ſibi indicata, jam ante polliciti fuiſſent ſe fore dictis obſequentes, ac tum quoque ſinguli confirmaverint quod ab uno dictum fuerat.

Ad audienda omnia.] Hæc vera demum eſt fides, ubi non ex dimidia tantum parte amplectimur Dei verbum, ſed illi nos in ſolidum addicimus. & tamen hujus plenæ & univerſalis fidei rara ſunt in mundo exempla: major enim pars, tanquam pactionem habeat cum Deo, ejus doctrinæ ſe minime ſubjicit niſi quatenus adlubeſcit: ſi quid diſplicet, ſecure vel negligit vel improbat. Cæterum, prudenter Cornelius inter Deum & hominem diſcernit. nam Deum facit doctrinæ auctorem: homini vero nihil relinquit præter miniſterium & legationem. Attentos, inquit, diſcipulos & obſequentes habebis in omnibus quæ tibi Deus mandavit: ut ſolus ille imperium habeat, tu ſis duntaxat miniſter: ipſe ſolus loquatur, ſed ex ore tuo. Atque hoc ſervis ſuis omnibus in Ezechielis perſona Deus præſcribit: Sume, inquit, *Eze. 33.*
ex ore meo ſermonem, & annunciabis illis ex me. *verſ. 7.*

34. Petrus autem aperiens os, dixit, In veritate comperio, quod non ſit perſonarum acceptor Deus:

35. Sed in omni gente, qui timet eum, & facit juſtitiam, acceptus eſt ei.

36. De re quam miſit Deus filiis Iſraël, annuncians pacem per Jeſum Chriſtum (hic eſt omnium Dominus)

37. Vos noſtis, quomodo verbum ſparſum fuerit per totam Judæam, exorſum à Galilæa poſt Baptiſmum quem prædicavit Joannes.

38. Quomodo Jeſum à Nazareth unxerit Deus Spiritu ſancto & virtute, qui tranſiit benefaciens, & ſanans omnes qui detinebantur à diabolo: quia Deus cum illo erat.

34. *Aperiens os.*] Jam ante admonuimus hac loquutione uti Scripturam, quum gravem & ſeriam
Matth. 5. orationem habitam fuiſſe ſignificat. Matthæi quinto
verſ. 2. dicitur Chriſtus aperuiſſe os ſuum, quum apud diſcipulos concionem habere vellet, ac diſſerere de rebus maximis. acſi Latine quis dicat, Exorſus eſt loqui: nempe jam probe meditatus quid dicturus foret.

In veritate comperio.] Καταλαμβάνομαι, eſt Apprehendere, vel colligere ex rationibus, ſignis & conjecturis. Gentilis erat Cornelius natione: exaudit tamen Deus ejus preces, luce Euangelii eum dignatur, Angelum illi peculiariter deſtinat: inde agnoſcit Petrus abſque perſonarum reſpectu, Deo placere quicunque pie & innocenter vivunt. nam ante (hoc præjudicio occupatus, ſolos Judæos à Deo amari, ſicuti ex omnibus populis ſoli electi erant) non putabat Dei gratiam poſſe ad alios pervenire. Non erat quidem tam craſſus, ut putaret nomine Gentili rejici vel damnari pietatem ac vitæ innocentiam: ſed quum ſimpliciter illud arriperet, Extraneos eſſe à regno Dei & profanos quicunque incircumciſi eſſent; imprudens ſe intricabat tam abſurdo illo errore, quod Deus purum ſui cultum, & ſanctam vitam ſperneret, ubi non adeſſet Circumciſio, quia virtutes omnes Judæis præputium inſipidas reddebat. Quo exemplo monemur, quantopere cavenda ſint præjudicia, quæ nobis viam ad recte judicandum præcludunt. Porro notandum eſt, quid valeat nomen *Perſonæ*: quia in eo multi falluntur, dum generaliter exponunt, neminem alteri præferri. Sic olim Pelagius alios eligi, alios reprobari à Deo negabat: quia non eſſet perſonarum acceptio apud Deum. Atqui hoc nomine externus ſtatus vel apparentia, ut vulgo loquuntur, intelligi debet: & quicquid eſt circa hominem ipſum, quod illi vel favorem conciliat, vel detrahit. divitiæ, nobilitas generis, clientelæ, honores, hominem gratioſum reddunt: paupertas, ignobilitas, & quicquid tale eſt, contemptibilem. Hac ratione ſubinde vetat Dominus perſonas accipi: quia fieri non poteſt, ut rectum ſit judicium, quoties externi reſpectus judicem à cauſa abducunt. Hoc loco ad nationem refertur: *ac ſenſus* eſt, non obſtare præputium quin Deus *juſtitiam* in homine Gentili gratam habeat ac probet. Sed videbitur hoc modo ad tempus valuiſſe apud Deum perſonæ reſpectus. nam quum Judæos, præteritis Gentibus, ſibi in populum delegit, annon reſpexit perſonas? Reſpondeo, Cauſam hujus diſcriminis *minime* in hominibus quærendam eſſe: ſed totam *pendere* ab arcano Dei conſilio. nam quod Abraham ſibi adoptavit, apud quem fœdus ſuum deponeret potius quam apud Ægyptios, minime hoc, externo aliquo reſpectu provocatus, fecit: ſed tota cauſa in admirabili ejus conſilio reſidebat. ergo perſonis nunquam illigatus fuit Deus. Nondum tamen ſoluta eſt difficultas: quia negari non poteſt, quin placuerit Deo Circumciſio, ut in populo ſuo cenſeret qui *ſymbolum* illud ſanctificationis geſtabant. Sed hic quoque in promptu eſt reſponſio, Quod Circumciſio poſterior fuerit Dei gratia, quum ejus eſſet ſigillum: unde ſequitur, cauſam non fuiſſe. Interim ſic Judæis adoptionis gratuitæ pignus erat, ut non obſtaret Deo præputium, quin admitteret ſi quos vellet ex Gentibus in ſocietatem ejuſdem ſalutis. Sed hoc novum
& ſpeciale habuit Chriſti adventus, quod diruta ma- *Epheſ. 2.*
ceria, Deus promiſcue totum mundum amplexus *verſ. 14.*
eſt. atque hoc ſonant verba, *in omni gente*. Quamdiu enim Abrahæ ſemen ſacra fuit Dei hæreditas, videri poterant Gentes prorſus ab ejus regno exulare. ſed Chriſto in lucem Gentium exhibito, fœdus vitæ æternæ peræque omnibus commune eſſe cœpit.

35. *Qui timet Deum, & facit juſtitiam.*] His duobus membris comprehenditur totius vitæ integritas. *Timor* enim *Dei*, nihil aliud eſt quam pietas & religio: *juſtitia* autem, æquitas eſt quam inter ſe homines colunt, caventes ne cui noceant, ſtudentes autem omnibus prodeſſe. Sicuti his duabus partibus Lex Dei conſtat (quæ eſt bene vivendi regula:) ita ſe nemo Deo probabit, niſi qui actiones ſuas omnes

huc

huc referet ac diriget: nec quidquam in omnibus officiis erit ſolidum, niſi in Dei timore fundata ſit tota vita. Cæterum videtur hic locus cauſam ſalutis operum meritis tribuere. Nam ſi nobis gratiam apud Deum conciliant opera, vitam ſimul nobis comparant, quæ in amore Dei erga nos poſita eſt. Alii etiam nomen *Juſtitiæ* arripiunt, ut probent non gratuito per fidem, ſed operibus nos juſtificari. Atqui hoc poſterius nimis eſt frivolum. jam enim oſtendimus, non accipi pro tota & integra Legis obſervatione, ſed reſtringi ad ſecundam tabulam, & officia charitatis. Eſt ergo non juſtitia univerſalis, qua juſtus cenſeatur homo coram Deo: ſed probitas & innocentia quæ homines reſpicit, dum cuique quod ſuum eſt tribuitur. Ergo reſidua eſt altera illa quæſtio, An opera, Dei favorem nobis concilient? ad quam expediendam, principio notandum eſt duplicem eſſe reſpectum Dei in hominibus dili-
Epheſ. 2. verſ. 3. gendis. Quum enim filii iræ naſcamur omnes, adeo nihil reperiet Deus in nobis amore ſuo dignum, ut tota potius natura noſtra ad odium noſtri eum provo-
Rom. 5. v. 6, 8. cet. qua ratione Paulus inimicos illi eſſe pronunciat omnes, donec reconcilientur per Chriſtum. Prior itaque Dei acceptio, qua nos in gratiam amplectitur, prorſus gratuita eſt. nondum enim ulla operum ratio haberi poteſt, quum omnia vitioſa ſint & prava, ſuamque originem reſipiant. Jam, quos ſibi Deus filios adoptavit, eos quoque Spiritu ſuo regenerat, ſuamque in illis imaginem reformat: unde exoritur ſecundus ille reſpectus. Neque enim nudum hominem tunc Deus invenit, & omni gratia vacuum ac deſtitutum: ſed ſuum quoque in ipſo opus, imo ſeipſum agnoſcit. proinde fideles Deus, quia pie & juſte vivunt, acceptos habet. Nec vero negamus, grata Deo eſſe bona ſanctorum opera. ſed hic aliud quæritur, Præveniatne homo Dei gratiam ſuis meritis, ſeque in ejus amorem inſinuet: an vero, quum odio tantum dignus ſit, gratis initio, & ſine operum reſpectu ametur. Porro, quum homo ſuo ingenio relictus, nihil quam odii materiam adferre poſſit, gratis eum diligi neceſſe eſt: unde ſequitur, Deum ſibi ipſi cauſam eſſe, quod nos diligat: ſuaque miſericordia, non meritis noſtris, provocari. Deinde notandum eſt, etiamſi cum bonis operibus & operum reſpectu placeant Deo fideles poſt regenerationem, non tamen id fieri operum merito: nunquam enim tam exacta eſt operum mundities, ut ſine venia Deo placeant: imo quum ſemper habeant vitii aliquid admixtum, digna ſunt quæ reſpuantur. Ergo pretium operibus minime ſtatuit propria eorum dignitas, ſed fides, quæ à Chriſto mutuatur id quod operibus deeſt.

36. *De re.*] Quoniam abrupta eſt Græcus contextus, quidam accuſativum pro nominandi caſu poſitum eſſe putant: ut ſit ſenſus, Hic ſermo eſt, quem miſit Deus filiis Iſraël. Alii referunt ad verbum Noſtis, quod poſtea ſequitur: & propter ſententiæ hyperbaton, exiſtimant additum fuiſſe aliud nomen. nam Lucas priore loco ponit λόγον, deinde ῥῆμα. Sed quum Græcis tritum ſit ac familiare, ſubaudire præpoſitiones: hic ſenſus quem reddidi, mihi aptius congruere viſus eſt. quanquam ſi magis dextre mitigari queat ſermonis aſperitas, libenter aſſentiar. Hoc igitur membrum vice præfationis accipio, quod ad hoc memorabile Dei opus ſpectat, quod edidit inter filios Iſraël, annuncians pacem per Chriſtum. deinde ſubjicitur narratio: tandem in clauſula orationis ſuæ oſtendit Petrus, in quem finem exhibitus fuerit Chriſtus mundo. Porro non temere ab hac commemoratione orditur, Quod Deus ſermonem miſerit filiis Iſraël. Sermo autem pro Re, Hebraica phraſi ponitur. Erat tunc celebris fama æterni fœderis quod Deus cum populo illo pepigerat. Inter Judæos nihil magis vulgo notum erat, quam Redemptorem jam olim promiſſum fuiſſe Patribus qui res collapſas in ſtatum florentem ac beatum reſtitueret. Hoc idem ſciebant quicunque familiariter verſati erant cum Judæis. Petrus ergo, quo ſibi plus fidei conciliet, non de re ignota aut nova ſe verba facturum præfatur: ſed de Eccleſiæ reſtitutione quæ ab æterno Dei fœdere pendebat, & quæ nunc præſtita non obſcure fuit, & celebrata ſcilicet omnium ſermone.

Annuncians pacem.] Docet hic Petrus, qualis fuerit rei & ſparſi rumoris ſpecies: nempe, quæ pacem conſtitueret. *Pacem* hic pro hominum & Dei reconciliatione accipio, quæ tamen ſolidam & perfectam Eccleſiæ ſalutem in ſe continet. Sicuti enim diſſidium & alienationem à nobis ſequitur horrenda confuſio, & quaſi tetrum chaos: ita ſimulatque affulget paternus Dei favor, Eccleſiam ſuam à diſſipatione colligit, & renaſcitur vera felicitas. Hoc ergo ſignificat Petrus, quod Deus in Chriſto ſe populo ſuo propitium oſtenderit, & rurſus Abrahæ filios amplexus fuerit, quos ad tempus abjeciſſe viſus fuerat, ut proſperum & florentem ſtatum apud eos ſtabiliret. Sicuti autem pacis hujus auctorem facit Deum, ita Chriſtum in medio ſtatuit tanquam ejus pignus, ut rata ſit & ſancta. *Pacem* nominatim prædicationi conjungit, quia hæc una demum ratio eſt qua reconciliationis à Chriſto partæ fructus ad nos uſque pervenit. Eodem modo Paulus, poſtquam do- *Epheſ. 2. verſ. 17.*
cuit Chriſtum eſſe pacem noſtram, mox ſubjicit, Ipſum veniſſe, ut pacem annunciaret iis qui prope erant & qui procul.

37. *Noſtis verbum.*] Conſtat hæc Petri concio duobus præcipue membris. nam priore loco hiſtoriam recitat: deinde ad hiſtoriæ fructum deſcendit. Nam quum adventus Chriſti in mundum, mors & reſurrectio, materia ſint ſalutis noſtræ, non aliter proponi in ſalutem Chriſtus poteſt, quam ſi primo teneamus ipſum induiſſe carnem noſtram, ita verſatum inter homines, ut ſe Filium Dei certis teſtimoniis eſſe probaret: tandem cruci affixum, & Dei virtute excitatum à mortuis. Rurſum, ne frigida & inutilis ſit hiſtoriæ cognitio, ſimul tradendus eſt finis, cur ex gloria cæleſti in mundum deſcenderit, cur mortem crucis pertulerit tam probroſam apud homines, & Dei ore maledictam. Tradenda eſt reſurrectionis cauſa, unde horum omnium effectus fructuſque colligitur: nempe, quod exinanitus fuerit Chriſtus, ut nos, qui perditi eramus, in beatitudinem integram reſtitueret: quod ſimul cum carne no- *Jeſa. 53. verſ. 4.*
ſtra fraternum erga nos amorem induerit: quod noſtras in ſe infirmitates ſuſcipiens, earum onere nos levarit: quod peccata noſtra mortis ſuæ ſacrificio expiaverit, ut Patrem nobis propitium redderet: quod victor ex morte emergens, vitam æternam nobis acquiſierit: quod cælum ſuo ingreſſu nobis patefecerit: quod tota vis Spiritus in eum effuſa fuerit, ut nos ſua abundantia ditaret. Hunc docendi ordinem ſervat Petrus, quum exordium facit ab hiſtoria Euangelii: poſtea vero demonſtrat, quid nobis Chriſti in terram deſcenſus, quid mors & reſurrectio attulerint. Principio narrat, *Chriſtum* Nazarenum prodiiſſe poſt Joannis baptiſma. Nam quia huc deſtinatus erat Joannes Dei conſilio, ut populi animos erigeret ad Chriſti expectationem, non debuit hæc pars omitti. Eximius Dei Propheta habitus fuerat: ergo ad fidem Chriſto aſſerendam, maxime apud rudes & tirunculos non parum valebat ejus auctoritas. Notanda eſt loquutio, *Quod* Joannes baptiſmum prædicaverit. Complectitur quidem Lucas ſub *baptiſmi* voce totum Joannis miniſterium: ſed interea admonet, non fuiſſe mutum ſignum & doctrina vacuum. Et certe hoc in Sacramentis omnibus caput eſt, ut Dei verbum illic inſculptum refulgeat, & clara vox perſonet. quo magis deteſtanda eſt impia profanatio quæ in Papatu cernitur, quod ſepulta prædicatione, Sacramenta magico tantum murmure incantant.

Digitized by Google

38. *Jeſum à Nazareth.*] Hic Nazarenum appellat, non quod illic natus fuerit, ſed quia inde prodierit ad munus ſuum exequendum. deinde, quia invaluerat vulgo hoc cognomen. *Unctum* dicit Spiritu & virtute, per hypallagen. nam potentia qua excelluit Chriſtus, non aliunde quam à Spiritu erat. Ergo Pater cæleſtis Filium ſuum ungendo, Spiritus ſui potentia eum inſtruxit. Subjicit continuo Petrus, *virtutem* hanc apparuiſſe in miraculis: tametſi ſpeciem unam diſerte exprimit, quod teſtatus fuerit Chriſtus, Spiritus ſancti virtute ſe præditum, ut beneficus eſſet mundo. neque enim terrificam Dei virtutem in ipſo exeri oportuit: ſed quæ ſuavi bonitatis & gratiæ guſtu mundum alliceret ad eum amandum & expetendum. *Unctionis* metaphora, quum de Spiritus ſancti donis agitur, ſatis trita eſt: nunc ad Chriſti perſonam accommodatur, quia hoc modo conſecratus à Patre Rex fuit & Sacerdos. Scimus autem, oleum ſolenne fuiſſe conſecrationis ſymbolum ſub Lege. *Tranſitus* Chriſti, pro vocationis curſu accipitur: quaſi diceret, ad præfixum temporis ſpatium munere ſuo perfunctum eſſe. Similitudo à viatoribus ſumpta eſt, qui in itinere ſuo pergunt donec ad locum deſtinatum perveniant. Quanquam ſimul admonet Judæam triennio peragraſſe, ut nullus angulus expers beneficiorum ejus fuerit.

Qui detinebatur à diabolo.] Hoc etiam divinæ in Chriſto potentiæ illuſtrius ſpecimen fuit, quod non tantum à vulgaribus morbis ſanabat, ſed remedium afferebat malis deſperatis. Sunt quidem omnes morbi, totidem ferulæ quibus nos Deus caſtigat: ſed quum Deus mitius nobiſcum agit pro paterna indulgentia, tunc dicitur manu ſua nos ferire: in gravioribus autem flagellis, Satanam iræ ſuæ miniſtrum, & quaſi carnificem adhibet. Atque hæc diſtinctio ſedulo tenenda eſt: abſurdum enim eſſet dicere, A diabolo torqueri, qui febri aut alio quolibet communi morbi genere laborat: ſed mentis alienatio, rabioſus furor, & cætera quaſi prodigioſa mala, apte & proprie Satanæ tribuuntur. Secundum quam rationem Scriptura Dæmoniacos vocat, arreptitios homines, qui tanta impotentia feruntur, ut videantur prope in belluas converſi.

Quia Deus erat cum illo.] Breviter notat Petrus, quorſum ſpectarint virtutes per manum Chriſti editæ: nempe, ad conciliandam illi fidem apud homines, qui Deum veluti præſentem intuebantur. atque hic verus miraculorum uſus fuit: quemadmodum jam aliquoties dictum eſt, ac poſtea ſuis locis iterum videbimus. Nam in hoc principio acquieſcere nos oportet, imminui Dei majeſtatem, niſi quos inſignit ſervorum ſuorum nota, ſuſpicimus ac reveremur. Proinde quando virtutes palam fecerunt è cælo prodiiſſe Chriſtum, extra ſortem judicii humani locatur ejus dignitas.

39. Et nos ſumus teſtes omnium quæ fecit in regione Judæorum, & Jeroſolymæ: quem ſuſpenſum in ligno, occiderunt.

40. Hunc Deus ſuſcitavit tertio die, & conſpicuum exhibuit,

41. Non toti populo, ſed teſtibus ad hoc prius deſignatis à Deo: nobis ſcilicet, qui comedimus & bibimus cum eo, poſtquam reſurrexerat à mortuis.

42. Et mandavit nobis, ut prædicaremus populo, ac teſtificaremur quod ipſe definitus ſit judex vivorum & mortuorum.

43. Huic omnes Prophetæ teſtimonium reddunt, quod remiſſionem peccatorum accipiat per nomen ejus, quiſquis in eum credit.

39. *Et nos ſumus teſtes.*] Ut fidem verbis ſuis aſſerat, ſe & collegas pronunciat oculatos eſſe omnium teſtes, quæ de Chriſto tradunt: ita loqui de rebus probe compertis. Paulo poſt in ſenſu diverſo nomen *teſtis* accipit, quum dicit, Certos teſtes à Deo fuiſſe ordinatos. quo ſignificat, publicam Apoſtolis impoſitam eſſe perſonam: atque ad hoc peculiariter delectos eſſe, & quaſi divinitus produci, ut ſuo præconio ad Chriſti fidem homines adducerent. Ita Pau-
1 Cor. 15. lus prioris ad Corinthios decimo quinto, Nos, in-
vers. 15. quit, falſi teſtes Dei inveniremur, niſi Chriſtus à mortuis reſurrexiſſet. Et jam ante audivimus ex ore Chriſti, Vos eritis mihi teſtes in Judæa, Samaria, & Jeroſolymæ. Nunc vero ſe tantum hiſtoricum teſtem vocat Petrus, quia rerum geſtarum fuit ſpectator. Cæterum hic mortem uno verbo attingit, quia paſſim nota erat: in reſurrectione, quæ plus habebat dubitationis, & cujus cognitio multo plus habebat ad fidem momenti, longius inſiſtit.

41. Si quærat hic quiſpiam, Cur non palam Deus Filium ſuum à reſurrectione omnibus oſtenderit: reſpondeo, Etiamſi nulla ratio conſtaret, modeſtis tamen & ſobriis debere unum Dei conſilium ſufficere, ut citra controverſiam certo ſibi perſuadeant optimum eſſe quod Deus cenſuit. Neque tamen dubium eſt, quin Deus optimo conſilio tale temperamentum adhibuerit. nam reſurrectionis certitudo ſatis multis ac firmis teſtimoniis probata fuit: hoc autem ad exercendam piorum fidem utile erat, Euangelio potius quam oculis ſuis credere. Quantum ad impios pertinet & profeſſos Chriſti hoſtes, quum toties convicti, nunquam Deo ceſſiſſent, indigni erant quos ad conſpiciendam reſurrectionis ſuæ gloriam Chriſtus admitteret. Quanquam & ipſi militum relatu, quos ad cuſtodiam ſepulchri conduxerant, ſatis ſuperque fuerunt convicti: ut alias rationes omittam, quas petere licebit ex Harmonia. Hoc ergo nobis fixum ſit, ſancto Dei decreto delectos fuiſſe Apoſtolos, quorum teſtimonio, reſurrectionis Chriſti veritas ſtaret. In hac approbatione quiſquis non acquieſcit, convellat, ſi poteſt, atque evertat inviolabile illud Dei decretum, quod nobis hic Petrus commendat. Nos vero, ſi Deum cupimus habere certum fidei noſtræ auctorem, teſtibus contenti eſſe diſcamus, quos à ſe ante mundum conditum deſtinatos, ſuo tempore in medium produxit, quaſi ſua manu.

Qui comedimus.] Hinc vero apparet, quantam noſtræ ruditatis curam & rationem habuerit Chriſtus, qui euſque ſe demiſit noſtra cauſa, ut cæleſti gloria jam præditus, ederet tamen ac biberet tanquam homo mortalis. Quare non eſt quod queramur obſcuram eſſe aut dubiam Chriſti reſurrectionem. nam ideo tardos ac difficiles ad credendum diſcipulos ſuos eſſe paſſus eſt, quo melius confirmati, omnem dubitationis ſcrupulum nobis eximerent. quin potius danda eſt opera, ne tantam Filii Dei erga nos indulgentiam noſtra malignitas & ingratitudo obſcuret. Cæterum, quum Scriptura narrat, Chriſtum comediſſe, quæſtionem movent curioſi homines, Quid cibo illo factum fuerit: ſed ſolutio facilis eſt, Quod ſicuti ex nihilo creatus fuerat, ita in nihilum facile redactus fuerit, divina Chriſti virtute. Qui in alimentum corporis ſumitur cibus, concoquitur, ac poſtea digeritur: ſed hunc cibum alendæ noſtræ fidei à Chriſto ſumptum eſſe ſcimus, atque in hoc uſu conſumptum. Falluntur autem qui putant Chriſtum comedentis tantum ſpeciem præbuiſſe. Quid enim profuiſſet tale ſpectrum? Nec video quorſum attineat ejuſmodi ſubterfugia quærere. nam quum dicimus, non ſua ne-

ceſſitate

ceſſitate compulſum fuiſſe Chriſtum ut ederet, ſed voluiſſe tantum ſuis conſulere, anſa frivolis hominum commentis præciſa eſt.

42. *Et mandavit nobis.*] Hic de regno Chriſti tractare incipit, quum dicit, *Chriſtum* ideo reſurrexiſſe ut mundum ſemel judicet. nam eodem jure, cæli terræque imperium, & perpetua Eccleſiæ gubernatio illi aſſeritur. *Vivorum & mortuorum* judicem fore dicit, quia ubi reſurrexerint mortui, etiam alii qui tunc erunt ſuperſtites, momento immuta-
1 Cor. 15. buntur, quemadmodum docet Paulus prioris ad Co-
v. 51, 52. rinthios capite quinto decimo, & 1 Theſſalonic.
1 Theſſ. 4. capite quarto. In verbo *teſtificandi* ſubeſt pondus:
verſ. 17. quia ut natura ad incredulitatem propenſi ſunt homines, minus efficaciæ ac vigoris haberet ſimplex Euangelii prædicatio, niſi eam Dominus validis obteſtationibus ſanciret. Præſertim vero plus ſatis quiſque noſtrum in ſe ſentit, quam difficile ſit, tum mentes terrenis laqueis implicitas ad ſperandum Chriſti adventum, ſupra cælos erigere, tum in aſſidua hac meditatione tenere defixas, quando non deſinunt ſua levitate huc illuc raptari.

43. *Huic omnes Prophetæ.*] Summam concionis, ut dictum eſt, curſim perſtringit Lucas: ideo tam brevis eſt in fructu hiſtoriæ notando, vel potius conciſus. Sciamus ergo, hic non recitari, quæ verba Petrus fecerit: ſed tantum, quibus de rebus diſſeruerit, indicari. Tria autem hic conſideranda ſunt, Quod proprium Chriſti ſit munus, abolitis peccatis, reconciliare homines Deo: quod fide conſequamur peccatorum remiſſionem: quod hæc doctrina non nova aut nuper fabricata ſit, ſed jam olim ab ultimis ſeculis teſtes habuerit omnes Dei Prophetas. Quod ad primum ſpectat, ſi Deus nobis pacatur, peccata non imputando, hinc conſtat, totum humanum genus exoſum illi eſſe & infenſum, donec per gratuitam veniam placere incipiat. Itaque peccati damnamur omnes, quod nos ſubjicit iræ Dei, & mortis æternæ reatu conſtringit. & quia juſtitia deſtituimur apud nos, confugere docemur ad Dei miſericordiam, tanquam ad unicum aſylum. Quum dicit fideles *accipere* remiſſionem peccatorum, ſubeſt tacita inter ipſos & Deum antitheſis. ſponte enim à Deo offerri neceſſe eſt, ut deinde fideles accipiant. Quum dicit, conferri per Chriſti *nomen*, ſignificat unius Chriſti beneficio nos redire cum Deo in gratiam quia ſcilicet illum ſemel morte ſua nobis placavit: vel, quemadmodum vulgo loquuntur, mediante ſolo Chriſto, ac nullis aliis mediis, nos peccatorum remiſſionem conſequi. Nunquam ex animis hominum delere reatus ſui ſenſum potuit Satan, quin de petenda à Deo venia ſolliciti eſſent: ſed quum una eſſet obtinendæ veniæ ratio & via, miſeri homines, Satanæ præſtigiis deloſi, miros ſibi labyrinthos finxerunt, per quorum ambages fruſtra ſe fatigarent. Primus hic error à recta via eos abduxit, quod tentarunt promereri veniam, quæ gratuita offertur, & recipitur ſola fide. poſtea inventæ ſunt innumeræ piaculorum ſpecies, quibus Deo ſatisfactum eſt. Eorum quidem origo ex Dei verbo manavit: ſed quum Deus ſacrificia & oblationum ritus Patribus commendans, Chriſtum adumbraret, cæci & profani homines, Chriſto poſthabito, inanem umbram ſectantes, quicquid Dei erat in piaculis, adulterarunt. Quare quæcunque ab exordio mundi piacula in uſu fuerunt Gentibus, & quæ hodie ſunt Turcis ac Judæis, Chriſto opponere licet, tanquam res penitus contrarias. Nihilo meliores ſunt Papiſtæ, niſi quod ſuis ſatisfactionibus Chriſti ſanguinem aſpergunt: ſed in eo nimis ſunt præpoſteri, quod non contenti uno Chriſto, mille piaculorum modos ſibi undique accerſunt. Proinde quiſquis remiſſionis peccatorum compos cupit fieri, ille à Chriſto ne minimum quidem unguem deflectat. Quum audimus, *credendo* accipi remiſſionem, vis & natura fidei tenenda eſt: ſicuti procul dubio copioſe diſſeruit Petrus, qualiter Chriſto credendum ſit. hoc autem nihil aliud eſt, quam ſincero animi affectu eum amplecti, qualis in Euangelio proponitur. ita fides ex promiſſionibus pendet. Videtur tamen perperam facere Petrus, quod quum duo præcipua Chriſtus nobis attulerit, nonniſi alterum ex his commemorat. nulla enim hic pœnitentiæ & novæ vitæ fit mentio, quæ in Euangelii ſumma prætermitti minime debuerat. Sed reſponſio facilis eſt, Regenerationem Spiritus ſub fide comprehendi, ſicuti ejus eſt effectus. nam ideo credimus in Chriſtum, partim ut gratuita juſtitiæ imputatione reſtituat nos in Patris gratiam: partim ut nos Spiritu ſuo ſanctificet. Et ſcimus, hac lege nos adoptari à Deo in filios, ut Spiritu nos ſuo gubernet. Satis ergo habuit Petrus oſtendere quomodo homines, qui natura à Deo alienati erant, cum ipſo redeant in gratiam. Quod ad tertium membrum pertinet, non opus eſt recenſere omnes Prophetarum locos ubi Chriſtum Mediatorem proponunt, qui veniam peccatis noſtris impetrando, Deum nobis propitiet: ſed hæc illis perpetua eſt docendi ratio, & quaſi regula, ut pios omnes ad fœdus illud revocent, quod Deus, Mediatore interpoſito, cum Abraham pepigerat. Porro hoc caput cognitu valde neceſſarium eſt, Gratiam quæ exhibita demum à Chriſto fuit, eandem eſſe quam Lex & Prophetæ olim Patribus ſperandam tradebant. præſertim apud Cornelium & ſimiles plurimum valebat, qui Legis & Prophetarum reverentia imbuti erant, ut ſcirent in Chriſto re ipſa præſtitum ac completum eſſe quod Prophetarum oraculis teſtatum fuerat. Ergo ut miniſtri Eccleſiæ conſentientem habeant docendi formam cum Prophetis, Chriſtum ſuo præconio ornare ſtudeant: aſſidue teſtentur ab eo uno petendam eſſe juſtitiam quæ gratuita peccatorum remiſſione conſtat. Hæc longe alia eſt vetuſtas, quam quæ à Papiſtis oſtenditur cum magna jactantia, dum pro ſanguinis Chriſti pretio putida ſatisfactionum ſuarum figmenta ingerunt.

44. Adhuc loquente Petro verba hæc, delapſus eſt Spiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebant ſermonem.

45. Et obſtupuerunt qui ex Circumciſione erant fideles, quicunque venerant cum Petro, quod etiam ſuper Gentes dona ſancti Spiritus effuſa eſſent:

46. Audiebant enim eos loquentes linguis, & glorificantes Deum. Tunc reſpondit Petrus,

47. Numquid aquam prohibere quis poteſt, quo minus baptizentur hi qui Spiritum acceperunt ſicuti & nos?

48. Juſſitque eos baptizari in nomine Domini. Tunc rogarunt ipſum ut maneret dies aliquot.

44. *Adhuc loquente Petro.*] Jam novo miraculo confirmat Deus, doctrinam Euangelii ſui Gentibus peræque ac Judæis communem eſſe. adeoque hoc vocationis Gentium inſigne ſigillum eſt: quia nunquam Gentiles Dominus Spiritus ſui gratiis dignatus eſſet, niſi ut teſtatum fieret ipſas quoque in fœderis ſocietatem cooptatas eſſe. Differunt quidem à gratia regenerationis hæc dona, quorum memi-

nit Lucas: minime tamen dubium eſt, quin Deus hoc modo obſignaverit tum Petri doctrinam, tum eorum qui audierant, fidem ac pietatem. *Omnes* Spiritu donatos fuiſſe narrat. ſicuti jam ante vidimus, omnes ad diſcendi & obediendi ſtudium animatos veniſſe. Hoc autem viſibile ſymbolum nobis quaſi in tabula repræſentat, quam efficax ſit divinæ potentiæ organum, Euangelii prædicatio. *Spiritum* enim ſuum loquente Petro effudit, ut oſtenderet ſe non eo mittere doctores, ut inani vocis ſonitu aërem verberent, ſed ut potenter per ipſorum vocem operetur, eamque Spiritus ſui virtute in ſalutem piorum
Galat. 3. vivificet. Secundum hanc rationem Paulus Galatis in memoriam reducit, quod Spiritum ſanctum ex
2 *Cor.* 3. auditu fidei acceperint. & alibi, ſe miniſtrum Spiritus, non literæ eſſe prædicat. Ceſſarunt quidem in Eccleſia jampridem donum linguarum & reliqua ejus generis: ſed viget ac ſemper vigebit intelligentiæ & regenerationis Spiritus, quem Dominus cum externa Euangelii prædicatione conjungit, ut nos in verbi ſui reverentia contineat, & occurrat exitialibus deliriis, quibus ſe fanatici homines involvunt, dum relicto verbo, vagum neſcio quem, & erraticum ſpiritum comminiſcuntur. Cæterum, non ſemper continget, quicunque hominis vocem auribus arapiunt, Spiritum ſimul haurire: & raro etiam in tales auditores incidunt miniſtri, quales nactus erat Petrus: qui uno conſenſu voluntarii ſint ad ſequendum Deum. Facit tamen ot verbi externi, & arcanæ Spiritus virtutis conſenſum electi omnes in ſe ſentiant.

45. *Obſtupuerunt fideles.*] Fideles vocat, qui tamen pravo errore adhuc detinebantur. Ita Dominus non ſtatim omnibus ignorantiæ nebulis ſuos abſtergit: quæ tamen fidei laudem coram Deo non obſcurant, quia erroribus ignoſcens, tanquam puram & liquidam favore ſuo dignatur. Mirum tamen eſt, quod quum ſcirent Petrum divinitus miſſum eſſe, nunc quaſi ad rem novam attoniti ſtupeſcant, quod Spiritus ſui gratiam his conferat Deus, quibus Chriſtum prædicari jam voluerat: ſed hoc facit ſubita mutatio, quod quum Deus ad illum uſque diem Gentes tanquam extraneas ac profanas à populo ſuo ſegregaſſet, nunc eodem favore complectitur, & in eundem honoris gradum attollit. Quanquam hoc exemplo ſimul monemur, quam difficile ſit nos à conceptis erroribus extricare, præſertim ubi diuturnitas acceſſit.

46. *Audiebant enim ipſos.*] Exprimit quænam Spiritus dona in illos effuſa ſint, & ſimul uſum notat: nempe, linguarum varietate donatos eſſe, ut Deum pluribus linguis celebrent. Colligi etiam poteſt ex hoc loco, non tantum neceſſitati datas fuiſſe linguas, ubi Euangelium exteris & diverſi idiomatis hominibus prædicandum erat, ſed etiam in ornamentum ipſius Euangelii ac decus. ſed hunc ſecundum uſum poſtea corrupit ambitio, quum multi ad oſtentationem & pompam transferrent, quod illuſtrandæ cæleſtis ſapientiæ dignitati acceperant: ſicuti vitium hoc Paulus acriter inſectatur in Corinthiis. Itaque nihil mirum ſi Deus paulo poſt abſtulerit quod dederat, nec paſſus fuerit vitiari longiore abuſu.

47. *Reſpondit Petrus.*] Ratiocinatur Petrus à re ad ſignum. nam quum Baptiſmus, ſpiritualis ſit gratiæ appendix: qui Spiritum accepit, ſimul ad Baptiſmum recipiendum eſt idoneus: atque hic legitimus eſt ordo, ut quos Deus Spiritus ſui teſſera ac pignore filios ſuos eſſe teſtatus eſt, miniſter ad externum ſignum admittat. Ita priores partes tenet doctrina & fides. Quod autem indocti homines inde inferunt, arcendos eſſe à Baptiſmo infantes, ratione prorſus caret. Fateor docendos eſſe qui ab Eccleſia ſunt extranei, priuſquam illis conferatur adoptionis ſymbolum: ſed fidelium liberos, qui in Eccleſia naſcuntur, dico ab utero eſſe domeſticos regni Dei: imo argumentum quo ipſi præpoſtere nos oppugnant, in eos retorqueo. Nam quum fidelium liberos, antequam naſcantur, Deus adoptaverit, inde conſtituo, minime externo ſigno fraudandos eſſe: alioqui illis eripere homines audebunt quod Deus conceſſit. quantum ad manifeſtam Spiritus gratiam ſpectat, in eo nihil abſurdi eſt, ſi tempore Baptiſmum in illis ſubſequatur. Quemadmodum autem illorum errori minime ſuffragatur hoc teſtimonium, ita Papiſtarum ſuperſtitionem valide refellit, qui Spiritus gratiam ſignis alligant, eamque exorciſmis non ſecus elici putant è cælo, quam olim Sagæ lunam ſuis carminibus detrahere ſe putabant. Atqui quum narret Lucas Spiritu ſancto jam fuiſſe donatos, qui nondum Baptiſmo initiati erant, Spiritum Baptiſmo minime incluſum eſſe oſtendit. Obſervandum eſt poſtremo, ſola aqua fuiſſe contentos Apoſtolos ad conferendum Baptiſmum. atque utinam hæc ſimplicitas à poſteris retenta eſſet, neque aſcitæ fuiſſent hinc inde tot nugæ quibus refertus eſt Baptiſmus in Papatu. Oleo, ſale, ſputo, cereo, ornari putant Baptiſmi dignitatem: quum potius fœda ſint inquinamenta, quæ puram ac genuinam Chriſti inſtitutionem corrumpunt.

48. *Juſſitque eos baptizari.*] Non neceſſe fuit adminiſtrari Baptiſmum Petri manu, quemadmodum & Paulus teſtatur Corinthi ſe paucos baptizaſſe: poterant enim alii miniſtri has partes ſuſcipere. Quod dicit, *in nomine Domini*, ad formam reſtringi non debet, ſicuti tertio capite diximus: ſed quia proprius Baptiſmi ſcopus eſt Chriſtus, ideo dicimur in ejus nomen baptizari. Quum poſtremo dicit Lucas, Petrum à Cornelio ejuſque cognatis *rogatum eſſe*, ut maneret ad dies aliquot, proficiendi votum in illis commendat. erant quidem Spiritu ſancto præditi, ſed non ita pervenerant ad ſummum, quin adhuc utilis eſſet illis confirmatio. Eorum quoque exemplo, quoties nobis profectus occaſio ſe offert, ea ſedulo utendum eſt: neque faſtu turgeamus qui ingreſſum obſtruat doctrinæ.

Cap. XI.

AUdierunt autem Apoſtoli & fratres qui in Judæa erant, quod Gentes quoque amplexæ eſſent ſermonem Dei.

2. Et ubi aſcendit Petrus Jeroſolymam, diſceptabant cum eo qui erant ex Circumciſione,

3. Dicentes, Tu ad viros præputium habentes ingreſſus es, & comediſti cum illis.

4. Exorſus autem Petrus, expoſuit illis ordine, dicens,

5. Ego eram in urbe Joppe, orans, & vidi in raptu mentis viſionem: nempe vas quoddam deſcendens è cælo, quaſi linteum magnum, quatuor initiis alligatum, quod uſque ad me venit.

6. Quod quum intentus conſiderarem, tunc vidi quadrupedia terræ, & feras, & reptilia, & aves cæli.

7. Audivi autem vocem dicentem mihi, Surge Petre, macta, & veſcere.

8. Tum

8. Tum dixi, Nequaquam, Domine: quia nihil unquam commune vel immundum in os meum ingreſſum eſt.

9. Reſpondit autem mihi vox ſecundo, è cælo: Quæ Deus mundavit, tu ne profana.

10. Hoc autem factum eſt tertio. Et rurſus omnia in cælum recepta ſunt.

11. Et ecce, eadem hora tres viri ſteterunt prope domum in qua ſedebam, miſſi ad me Cæſarea.

12. Juſſit autem Spiritus me cum ipſis proficiſci, nihil hæſitantem. Venerunt autem mecum & hi ſex fratres. Et ingreſſi ſumus domum viri,

13. Nunciavitque nobis quomodo vidiſſet Angelum domi ſuæ ſtantem, ac dicentem ſibi, Mitte Joppen viros, & accerſe Simonem qui cognominatur Petrus,

14. Qui loquetur tibi verba, quibus ſervaberis tu & tota domus tua.

15. Porro, quum exorſus eſſem loqui, delapſus eſt Spiritus ſanctus in eos, ſicut & in nos principio.

16. Recordatus ſum autem verbi Domini, quomodo dixiſſet, Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto.

17. Quum ergo par illis donum contuliſſet Deus, ſicut & nobis, qui credideramus in Dominum Jeſum Chriſtum, ego quis eram qui poſſem prohibere Deum?

18. Quum hæc audiſſent, quieverunt, & glorificarunt Deum, dicentes, Ergo & Gentibus Deus pœnitentiam dedit in vitam.

1. *Audierunt autem.*] Quod famam unius domus converſæ paſſim inter fratres fuiſſe vulgatam Lucas narrat, id ex admiratione natum eſt: monſtri enim loco habebant Judæi, Gentiles ſibi aggregari, non ſecus acſi ex lapidibus homines formatos audiiſſent. obſtabat etiam immodicus gentis ſuæ amor, quo minus Dei opus agnoſcerent. Videmus enim propter hanc ambitionem & faſtum turbatam fuiſſe Eccleſiam: quia æqualitas quæ dignitatem ipſorum minuebat, non erat tolerabilis. unde tam pertinaciter certarunt de Gentibus ſub jugum adigendis. Sed quum tot Prophetarum vaticiniis prædictum foret Eccleſiam ex omnibus populis colligendam eſſe poſt Meſſiæ adventum, & Chriſtus mandatum Apoſtolis dediſſet de Euangelio per totum orbem prædicando: qui fieri poteſt ut paucorum hominum converſio alios tanquam inauditum quiddam commoveat, aliis vero tanquam prodigium ſit horrori? Reſpondeo, quicquid de Gentium vocatione prædictum erat, ſic fuiſſe acceptum, quaſi Gentes in Legem Moſis conceſſuræ eſſent, ut locum haberent in Eccleſia. Modus autem vocationis cujus tunc cernebant initia, non modo incognitus erat, ſed ab omni ratione alienus videbatur: nam abolitis ceremoniis, Gentes cum filiis Abrahæ miſceri in unum corpus non poſſe ſomniabant, quin ſancto Dei fœderi gravis fieret injuria. quorſum enim Lex, niſi ut ad notandum diſſidium medius eſſet paries? deinde quoniam ad diſſidium illud tota vita aſſueti fuerant, adeo eos percellit inopinata rei novitas, ut eorum animis excidat quicquid admirationem ſedare debuiſſet: denique myſterium non ſtatim capiunt, quod à creato uſque mundo Angelis occultum fuiſſe docet Paulus.

2. *Diſceptabant cum eo.*] Errori ut plurimum comes accedit pervicacia. Hoc jam nimis craſſæ ignorantiæ vitium erat, quod Gentes eodem fidei Spiritu ſibi unitas, non placide recipiebant in ſuum gremium. atqui non reſiliunt modo, ſed contentioſe cum Petro litigant, atque in crimen vocant ejus factum, quod ſumma laude dignum erat. Gentes audiunt ſermonem Dei amplexas: quid obſtat igitur quominus eas amplexi, ſocietatem ſub Dei unius imperio colant? quod enim ſanctius eſſe poteſt conjunctionis vinculum, quam dum uno conſenſu omnes ſimul Deo adhærent? & cur non coaleſcerent in unum corpus qui Meſſiam Dei ſibi caput conſtituunt? Sed quia videbant externam Legis formam violari, putabant quodammodo miſceri cælum terræ. Obſerva autem, quum prius dixerit Lucas Apoſtolos & fratres famam hanc audiviſſe, de offenſione non feciſſe verbum, nunc autem inducere quaſi novam hominum ſectam, quæ certamen cum Petro ſuſceperit. *Audierunt*, inquit, fratres. nihil poſtea addit. Sequitur, *Quum veniſſet* Petrus Jeroſolymam, qui ex Circumciſione erant, cum eo litigarunt: quos certe à prioribus diverſos fuiſſe oportet. deinde, particula περιτομῆς, non ſimpliciter Judæos notat, ſed qui ceremoniis Legalibus nimium addicti eſſent. Nulli enim Jeroſolymitani tunc erant in Chriſti grege, niſi circumciſi: à quibus igitur iſtos diſcerneret? Poſtremo, veriſimile non videtur quod Apoſtoli & qui ex fidelium numero erant moderatiores, aggreſſi fuerint hoc certamen. Etſi enim fuiſſent offenſi, poterant tamen privatim Petrum convenire, & ab eo exigere facti rationem. His rationibus moveor, ut eos ex Circumciſione dici exiſtimem, quos tanta Circumciſionis religio tenebat, ut nemini locum in regno Dei permitterent, niſi qui Legis profeſſionem ſuſciperet, atque hoc ſacro ritu initiatus in Eccleſiam immunditiem exueret.

3. *Ad viros præputium habentes.*] Non erat hoc Lege Dei vetitum, ſed obſervatio erat à patribus per manus tradita. Nec tamen excipit Petrus hac in parte nimis præciſe ſecum agi, ſe humanæ legis neceſſitate minime obſtringi. totam hanc defenſionem omittit: ſed tantum reſpondet, ipſos ad ſe priores veniſſe, & ſibi quaſi Dei manu oblatos. Cæterum videmus hic raram Petri modeſtiam, quod quum fretus bonitate cauſæ, homines imperitos, qui injuſte moleſti erant, ſpernere poſſet: ſe tamen illis, ut decet inter fratres fieri, comiter excuſat. Fuit quidem hæc non levis tentatio, quod indigne accuſaretur, propterea quod fideliter Deo obſequutus eſſet: ſed quia hanc legem toti Eccleſiæ impoſitam eſſe noverat, ut quiſque ad reddendam doctrinæ & vitæ rationem paratus ſit quoties ita res poſtulat, & meminerat ſe unum eſſe ex grege: non modo in ordinem ſe cogi patitur, ſed ſponte Eccleſiæ judicio ſe ſubmittit. Doctrina quidem, ſi ex Deo ſit, ſupra humani judicii aleam locata eſt: ſed quia Dominus 1 *Cor.* 14.
prophetiam vult judicari, hæc conditio minime re- *v.* 29, 32.
cuſanda eſt illius ſervis, ut ſe eſſe probent quales haberi volunt. Cæterum quouſque debeat progredi tam doctrinæ quam factorum defenſio, mox videbimus. Hoc in præſentia tenendum eſt, Petrum ad cauſam dicendam libenter deſcendere, quum ejus factum improbatur. Quod ſi Petri ſucceſſor eſt Romanus Papa, cur non eadem lege tenebitur? Ut demus hoc voluntarium fuiſſe ſubmiſſionis genus, cur tamen oſtenſum ſibi tale modeſtiæ exemplum non imitatur ſucceſſor? Quanquam non longo circuitu hic opus eſt. nam ſi verum eſt quod in ſacrilegis ſuis Decretis vomunt Papæ, perfide ſedis ſuæ privilegia deſeruit Petrus: atque ita Romanæ ſedis proditor

fuit. poſtquam enim Papam totius mundi judicem fecerunt, qui hominum judicio non ſubjaceat: poſtquam eum extulerunt ſupra nubes, ur à reddenda ratione immunis, arbitrium ſuum ac libidinem pro lege habeat: mox ſedis Apoſtolicæ patronum conſtituunt, qui ejus privilegia ſtrenue tueatur. Cujus ergo ignaviæ damnandus erit Petrus, ſi jus ſibi à Deo collatum, tam facile cedendo abjecit? cur non ſaltem objiciebat, Se legibus ſolutum eſſe, & communi ordine exemptum? Atqui nihil tale præfatur, ſed recta ingreditur in cauſam. Nos vero meminerimus, nihil obſtare quominus idolum illud ſecure contemnere liceat, quando ſibi tam effrenem tyrannidem uſurpans, ſe ex Epiſcoporum numero expunxit.

4. *Exorſus autem Petrus.*] Quia eadem eſt narratio quam proximo capite habuimus, & iiſdem prope verbis repetitur: ſi quid interpretatione indiget, inde petant lectores. Conſilium vero Petri & tota orationis ſumma, ex clauſula patebit. Antequam tamen illuc veniam, breviter obſervandum eſt, quod prædicationem Euaogelii ſalutis cauſam facit. *Audies*, inquit, verba in quibus ſalutem habeas. non quod in voce hominis, ſalus incluſa ſit: ſed quia Deus illic Filium nobis offerens in vitam æternam, ſimul efficit ut per fidem ipſo fruamur. Mirabilis ſane Dei bonitas, qui homines nihil quam mortis materiam babentes, nec tantum in ſe morti obnoxios ſed aliis mortiferos, vitæ tamen miniſtros facit. Interim fœda mundi ingratitudo hac in parte ſe prodit, qui veram certamque ſibi propoſitam ſalutem faſtidiens, & quaſi ad pedes abjectam relinquens, varias & luſorias ſalures ſibi imaginatur, quibus quærendis famelicus inhiare mavult, quam ſatiari obvia & præſente Dei gratia.

16. *Recordatus ſum verbi Domini.*] Jam primo
Act. 1: 5. capite ſatis fuſe docuimus, quum ſententiam illam Chriſtus proferret, non feciſſe comparationem duplicis Baptiſmi, ſed quid à Joanne differret, voluiſſe teſtari. Sicuti enim ſignum à veritate ſua diſtinguimus, ita miniſtrum ab auctore diſcerni operæpretium eſt: ne, quod proprium eſt Dei, mortalis homo ad ſe trahat. Signum habet homo in manu, ſolus eſt Chriſtus qui abluit & regenerat. multom enim intereſt quorſum dirigantur hominum mentes in quærendis Dei gratiis: quia extra Chriſtum ne gutta quidem illis ſtillabit. Hoc ergo inter Chriſtum & omnes Eccleſiæ miniſtros generale eſt diſcrimen, quod hi quidem externum aquæ ſignum conferunt: ille autem Spiritus ſui virtute, ſigni effectum implet ac præſtat. De hac re rurſus monendi hoc loco fuerunt lectores: quia Joannis Baptiſmum à noſtro fuiſſe diverſum, perperam hinc multi inferunt: dum Chriſtus Spiritum ſibi vendicans, Joanni præter aquam nihil reliquum facit. Cæterum, ſiquis etiam hoc teſtimonio fretus, Baptiſmum faciat frigidum ſpectaculum & vacuum omni Spiritus gratia, is etiam longe falletur. Dupliciter enim, ur alibi dictum eſt, de Sacramentis loqui Scriptura ſolet. quia enim Chriſtus in ſuis promiſſis fallax non eſt, non patitur inane eſſe quod inſtituit: ſed quum Scriptura
Tit. 3: 5. Baptiſmo vim tribuit lavandi & regenerandi, adſcribit hoc totum Chriſto, ac tantum docet quid ille Spiritu ſuo per manum hominis & viſibile ſymbolum efficiat. Ubi ita conjungitur Chriſtus cum miniſtro, & Spiritus efficacia cum ſigno, Sacramentis tribuitur quantum opus eſt. Cæterum ea conjunctio non ſic confuſa eſſe debet, quin hominum mentes à mortalibus, caducis & ſui ſimilibus mundique elementis abſtractæ ab uno Chriſto ſalutem petere, & in unam Spiritus ejus virtutem reſpicere diſcant: quia aberrat à fidei ſcopo quiſquis vel minimum à Spiritu ad ſigna deflectit; & ſacrilegus eſt, qui tantillum delibat ex Chriſti laude, ornandi hominis cauſa. Cæterum, memoria quoque repetendum eſt, Chriſtum ſub nomine Spiritus, non modo linguarum donum & ſimilia deſignaſſe, ſed totam renovationis noſtræ gratiam. Verum quoniam dona iſta inſigne erant potentiæ Chriſti documentum, illis apte congruit hæc ſententia. Dicam clarius: Quum Apoſtolis viſibiles Spiritus gratias Chriſtus conferret, Spiritum in manu ſua eſſe palam fecit. Ita hoc modo teſtatus eſt, ſe puritatis, juſtitiæ & totius regenerationis unicum eſſe auctorem. Petrus autem ſic ad ſuum inſtitutum accommodat, quod quum præiret Chriſtus, Baptiſmi vim ſecum ferens, ſequi ipſe cum acceſſione, hoc eſt, externo aquæ ſymbolo, debuerit.

17. *Ego quis eram.*] Nunc videmus quorſum illam narrationem texuerit Petrus: nempe ut teſtatum faceret, Deum totius rei auctorem ac præſidem fuiſſe. Ergo ſtatus quæſtionis in Dei auctoritate vertitur: annon præponderet cibus humanis conſiliis. Nihil à ſe niſi rite & ordine factum Petrus contendit, quia paruit Deo: Euangelii doctrinam non male ſe nec temere locaſſe demonſtrar, ubi Chriſtus Spiritus ſui gratias depoſuit. Ad hanc normam exigenda eſt omnis tam doctrinæ quam factorum noſtrorum approbatio, quoties à nobis rationem homines poſtulant. Quiſquis enim Dei mandato nititur, ille ſatis ſuperque defenſionis habet. ſi hominibus non ſatisfacit, non eſt quod perverſa eorum judicia amplius moretur. Atque hinc colligimus, ita poſſe fideles verbi Dei miniſtros rationem doctrinæ ſuæ reddere, ut nihil ejus fidei ac certitudini derogent: nempe, ſi traditam ſibi divinitus oſtendant. quod ſi cum hominibus iniquis negotium erit, quos Dei reverentia ad cedendum non cogat, valere cum ſua pertinacia eos ſinamus provocando ad diem Domini. Simul notandum eſt, non tantum palam reluctando, ſed etiam ceſſando nos Deo reſiſtere, ſi non exequimur quod vocationis noſtræ propriom eſt. hic enim Petrus ſe Baptiſmum Gentibus & fraternam ſocietatem non potuiſſe negare dicit, quin *Dei adverſarius* eſſet. Atqui nihil palam Dei gratiæ adverſum conatus eſſet. verum id quidem: ſed qui non recipit quos Deus offert, & januam à Deo apertam claudit, is, quantum in ſe eſt, Dei opus prohibet. quemadmodum hodie bellum cum Deo ſuſcipere dicimus qui Pædobaptiſmum oppugnant: quia quos Dei promiſſio adoptat in Eccleſiam, ipſi crudeliter abdicant ab Eccleſia: & quos Deus filiorum nomine dignatur, privant externo ſymbolo. Huic affine eſt reſiſtendi genus, quod multi ſimulatores, qui dum ſunt in magiſtratu, pro officii ſui ratione Chriſti martyribus adjutores eſſe debuerant, obſtruere nituntur eorum ora & libertatem compeſcere. Quoniam enim odioſa eſt veritas, ſuppreſſam cuperent.

18. *His auditis quieverunt.*] Exitus demonſtrat non fuiſſe malitia impulſos, qui litem Petro moverunt. hoc enim clarum eſt pietatis ſignum, quod de voluntate Dei edocti, mox deſinunt contendere. Quo exemplo docemur non eſſe negligendos qui zelo inconſiderato offenſi, perperam aliquid reprehendunt: ſed pacandas eſſe eorum conſcientias verbo Domini, quæ errore turbantur, & huc uſque ſaltem experiri eorum docilitatem. Quantum ad nos ſpectat, hinc ſimiliter diſcimus, unde pendere debeat noſtrum judicium: nempe, ex ſolo & ſimplici Dei nutu. nam hoc illi honoris debetur, ut ejus voluntas nobis certa ſit, & ſumma juſti verique regula. quoties noſtra intereſt cauſam cujuſque rei ſcire, Dominus eam minime ſubticet: verum ut fidem noſtram ad juſtum obſequium aſſuefaciat, nobis interdum ſimpliciter ac præciſe hoc vel illud ſibi placere pronunciat. qui ultra inquirere ſibi permittit, ſibique in ſua curioſitate indulget, nihil aliud quam diabolica audacia ſe præcipitat. Nec vero iſtos tacuiſſe modo narrat Lucas, ſed etiam dediſſe gloriam Deo. Quoſdam tacere cogit pudor, qui tamen intus ſub animis premunt quod non audent proferre. illa

eſt

Digitized by Google

eſt modeſtiæ ſimulatio potius, quam docilitas. Iſti autem ſe Deo ita penitus ſubmittunt, ut non vereantur ſtatim palinodiam canere.

Ergo & Gentibus pœnitentiam.] His verbis breviter oſtendit Lucas, quid contineat Euangelium, & quorſum ſpectet: nempe, ut homines Spiritu ſuo renovatos, Deus ſibi reconciliet. Solum quidem *pœnitentiæ* nomen hic exprimitur: ſed quum additur, *ad vitam*, ſatis apparet illam à fide non disjungi. Quiſquis ergo rite in Euangelio proficere volet, is ve-
Epheſ. 4. terem hominem exuens, vitæ novitatem meditetur:
verſ. 22. deinde certo teneat ſe non fruſtra ad pœnitentiam vocari, ſed ſalutem ſibi in Chriſto paratam eſſe. Ita fiet, ut ſalutis fiducia nonniſi in gratuitam Dei miſericordiam recumbat, nec tamen peccatorum remiſſio ignavæ ſecuritatis cauſa ſit. Particula hæc, *dare pœnitentiam*, poteſt duplici modo exponi: vel quod locum pœnitentiæ Deus Gentibus dederit, quum illis voluit Euangelium ſuum publicari: vel quod cir-
cumciderit Spiritu ſuo corda, ſicut dicit Moſes: & *Deut. 30.*
ex lapideis carnea fecerit, ſicuti Ezechiel loquitur. *verſ. 6.*
Proprium enim opus Dei eſt, refingere ac regignere *Eze. 11.*
homines, ut novæ creaturæ eſſe incipiant: atque *verſ. 9.*
hoc ſecundo melius quadrat, minus coactum eſt, & Scripturæ phraſi magis conſentaneum.

19. Qui ergo diſperſi fuerant à tribulatione quæ contigerat ſub Stephano, tranſierant in Phœniciam uſque, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes ſermonem niſi Judæis tantum.

20. Erant autem ex ipſis quidam homines Cyprii & Cyrenæi, qui ingreſſi Antiochiam loquuti ſunt cum Græcis, annunciantes Dominum Jeſum.

21. Et manus Domini fuit cum illis. Itaque multus numerus, quum crediſſet, converſus eſt ad Dominum.

22. Pervenit autem ſermo de ipſis ad aures Eccleſiæ quæ Jeroſolymæ erat: & miſerunt Barnabam, ut tranſiret Antiochiam uſque.

23. Qui quum veniſſet, ac vidiſſet gratiam Dei, gaviſus eſt, & hortatus eſt omnes ut propoſito cordis manerent, adhærentes Domino.

24. Quia erat vir bonus, & plenus Spiritu ſancto & fide. Et addita eſt turba multa Domino.

19. *Qui diſperſi fuerant.*] Nunc ad contextum ſuperioris hiſtoriæ Lucas redit. prius enim attigerat, poſt occiſum Stephanum, creſcente impiorum ſævitia, pleroſque metu perculſos huc illuc fugiſſe: ita ut ſoli fere Apoſtoli Jeroſolymæ ſubſiſterent. Quum hoc modo laceratum eſſet Eccleſiæ corpus, & profugis ſua timiditas ſilentium imponeret, vel exterorum contemptus, ſequutum fuiſſe eventum docet quem minime quiſquam ſperaſſet: quemadmodum enim ſpargitur ſemen, ut fructum proferat; ſic illorum fuga & diſſipatione factum eſſe, ut Euangelium uſque ad regiones procul diſſitas ſpargeretur, quod prius unius urbis mœnibus quaſi horreo incluſum erat. Eadem ratione factum eſt, ut Chriſti nomen montes & maria trajiciens, uſque ad ultimos orbis fines manaret. Atque hoc modo, ſecundum Iſaiæ vaticinium, conſumptio exundavit in juſtitia. Si non expulſi fuiſſent Jeroſolyma tot pii, nihil Cyprus, nihil Phœnicia de Chriſto audiſſent: imo nihil Italia & Hiſpania, quæ longius erant remotæ. Dominus autem effecit, ut ex quibuſdam laceris membris plura corpora naſcerentur. Unde enim & Romæ & Puteolis collectæ erant Eccleſiæ, niſi quia pauci exules ac profugi, illuc ſecum Euangelium attulerant? Quemadmodum autem tunc Dominus Satanæ conatus mirabiliter eluſit, ita minime dubitandum eſt, quin hodie ex cruce & perſequutione ſibi triumphos ſit facturus: ut Eccleſia ex diſperſione melius coaleſcat. Phœnicia Syriæ contigua eſt, & vicina Galilææ. Antiochia urbs eſt celeberrima Syriæ, qua parte Ciliciam attingit.

Nemini loquentes.] Non obſtabat forte ſolus perſequutionis metus, quin Gentibus quoque auderent loqui, ſed ſtulta quoque illa religio, quod pu-
Marc. 16. tabant panem filiorum canibus projici, quum tamen
verſ. 15. promiſcue juſſiſſet Chriſtus à reſurrectione ſua toti mundo Euangelium prædicari.

20. Tandem Lucas quoſdam ex ipſis theſaurum hunc uſque ad Gentes protuliſſe narrat. Græci autem iſti non ἕλληνες vocantur à Luca, ſed ἑλληνισταί. Ideo exponunt multi, fuiſſe illos ex Judæis quidem oriundos, ſed Græciæ incolas: quod ego nequaquam recipio. nam Judæos de quibus paulo ante meminit, quum partim Cyprii eſſent, neceſſe eſſet in illo numero cenſeri: quia Cyprum in parte Græciæ Judæi numerant. Atqui Lucas ab illis diſcernit, quos poſtea ἑλληνιστὰς nominat. Præterea, quum dixiſſet, non niſi Judæis annunciatum initio fuiſſe ſermonem, & eos notaret qui patria extorres in Cypro & Phœnicia degebant: quaſi exceptionem hanc corrigens, dicit, *Græcos* ab eorum quibuſdam fuiſſe edoctos. Iſta certe antitheſis de Gentibus cogit exponere. Significat enim Lucas, paucos liberius Euangelii doctrinam ſparſiſſe, quod illis non ignota eſſet Gentium vocatio. Cæterum non parum laudis meretur omnium conſtantia, quod ex media fere morte erepti, ſuum tamen officium Deo præſtare, vel cum periculo, non dubitant: unde colligimus, in quem finem, & quatenus Chriſtianis liceat perſequutionem fugere: nempe ut quod reliquum eſt vitæ, ad propagandam Dei gloriam ſtrenue impendant. Siquis roget, unde tanta fiducia novis hoſpitibus, & qui ſuſpecti Judæis omnibus infenſique eſſe poterant, propterea quod Jeroſolyma fugati eſſent: reſpondeo, ſingulari Dei impulſu hoc eſſe factum, & eos ſubito ex occaſione ſibi oblata conſilium cepiſſe. Neque enim carnis & ſanguinis eſt hæc deliberatio.

21. *Fuit manus Domini.*] Ex ſucceſſu probat Lucas, non temere nec inconſiderate Gentibus quoque oblatum fuiſſe Euangelium à Cypriis & Cyrenæis fratribus: quia utilis ac fructuoſus fuit eorum labor. Atqui talis profectus nunquam ſequutus eſſet, niſi jubente Deo & favente. ſequitur itaque, Deo placuiſſe vocari Gentes. *Manus*, ut ſatis notum eſt, potentiam ac virtutem ſignificat. Hoc ergo vult Lucas, Deum præſenti ſuo auxilio teſtatum feciſſe, Gentes ſuo ductu ad participandam Chriſti gratiam fuiſſe una cum Judæis vocatas. nec parum valuit hæc Dei benedictio ad confirmandos omnium animos. Cæterum, admonet hic locus, quicquid operæ ac ſtudii miniſtri Dei conferant ad docendum, inane ac irritum fore, niſi è cælo ipſorum conatus Deus benedicat. noſtrum enim eſt plantare ac rigare, ut
docet Paulus; ſed à ſolo Deo incrementum pro- *1 Cor. 3.*
venit, in cujus manu ſunt corda hominum, ut ea *verſ. 6.*
pro ſuo arbitrio flectat & formet. Ergo quoties de fide agitur, ſubeat in memoriam hæc loquutio, Quod Deus per ſuos miniſtros operatus ſit, ac ſua manu, hoc eſt, arcano afflatu Spiritus doctrinam

reddiderit efficacem. Proinde nihil miniſter ingenii vel induſtriæ ſuæ fiducia tentet, ſed commendet laborem ſuum Domino, à cujus gratia totus pendet ſucceſſus. ubi autem efficax fuerit doctrina, diſcant qui crediderint, fidem ſuam Deo ferre acceptam. Notandum præterea eſt quod dicit Lucas, Fide plurimos ad Deum eſſe converſos: quia vim naturamque fidei probe exprimit, quod non ſit otioſa frigidaque notitia; ſed quæ homines prius à Deo averſos, ſub ejus imperium reſtituat, ejuſque juſtitiæ devinciat.

22. *Pervenit autem ſermo.*] Si ante Petri excuſationem allatus fuiſſet hic rumor, reprehenſi acriter à multis fuiſſent illi boni viri, quorum tamen miniſterium Deus Spiritus ſui gratia obſignaverat: ſed jam abſterſa ex animis eorum erat illa ſuperſtitio, quum Deus evidentibus ſignis monſtraſſet, nullam gentem profanam eſſe habendam. non ergo amplius diſceptant, nec temeritatis arguunt, quod aliqui Gentibus Chriſtum proponere auſi fuerint: ſed ſubſidium mittendo, quod ab illis factum eſt, ſibi probari teſtantur. Porro, mittendi Barnabæ hæc fuit cauſa. tunc totum regni Chriſti onus Apoſtoli ſuſtinebant: ideo eorum partes erant, Eccleſias ubique formare: quicquid fidelium paſſim erat, retinere in puro ac ſancto fidei conſenſu: ubicunque eſſet aliquis piorum numerus, miniſtros & paſtores conſtituere. Notum eſt Satanæ artificium: ſimulac videt patefactam Euangelio januam, modis omnibus quod ſincerum eſt adulterare conatur: ita factum eſt, ut ſtatim cum Chriſti doctrina variæ hæreſes ebullierint. Proindo quo majoribus unaquæque Eccleſia donis excellit, eo magis ſollicita eſſe debet, ne quid inter rudes & parum adhuc in recta fide ſtabilitos miſceat vel turbet Satan: quia nihil facilius eſt quam ſegetem in prima herba corrumpi. In ſumma, miſſus fuit Barnabas, qui fidei rudimenta altius proveheret, qui res componeret in certum ordinem, qui ædificio inchoato formam daret, ut legitimus eſſet Eccleſiæ ſtatus.

23. *Quum vidiſſet gratiam Dei*] His verbis primum docet Lucas, verum fuiſſe Euangelium quod illi amplexi erant: deinde, nihil aliud fuiſſe à Barnaba quæſitum præter Chriſti gloriam. nam quum *vidiſſe* Dei gratiam narrat, & hortatum fuiſſe ut pergerent; hinc colligimus, rite fuiſſe edoctos. *Gaudium* vero, ipſius ſinceræ pietatis teſtimonium eſt. Invida eſt ac maligna ſemper ambitio: ita videmus plurimos ex aliorum reprehenſione laudem captare, quod ſuæ magis quam Chriſti gloriæ ſint cupidi. Fideles autem Chriſti ſervos, Barnabæ exemplo gaudium concipere decet ex Euangelii profectu, per quoſcunque tandem Dominus nomen ſuum illuſtraverit. Et certe, qui ſic operas ſuas in commune conferunt, ut opus Dei eſſe agnoſcant quicquid inde emergit effectus, nunquam invidebunt alii aliis, neque aucupia tendent ad carpendum, ſed uno ore & eodem animo celebrabunt Dei virtutem. Iterum hoc notatu dignum eſt, quod fidem Antiochenorum & quicquid illic laude dignum erat, Dei gratiæ Lucas tribuit. Poterat ſingulas virtutes quæ ad hominum laudem facerent, recenſere: ſed quicquid præſtantiæ in illa Eccleſia fuit, uno *gratiæ* nomine complectitur. Poſtremo, notanda eſt exhortatio Barnabæ. Jam prius diximus, Barnabam priori doctrinæ quam illi amplexi erant, ſubſcribere: cæterum ne effluat doctrina, eam aſſiduis exhortationibus neceſſe eſt in animos fidelium penitus defigi. quando enim nobis cum tot ac tam validis hoſtibus continuum eſt bellum, mentes autem noſtræ adeo lubricæ ſunt; niſi ſe quiſque ſedulo muniat, ſtatim excidet: idque innumeri quotidie ſua defectione nimis verum eſſe oſtendunt. Quod hunc perſeverandi modum definit, *Ut cordis propoſito maneant*: hinc docemur, fidem vivas tunc demum egiſſe radices, quum ſedem habet in corde. quare nihil mirum eſt, vix decimum quemque ex eorum numero, qui fidem profitentur, ad finem uſque perſtare, quum pauciſſimi noverint quid valeat affectus & propoſitum cordis.

24. *Erat enim vir bonus.*] Laudatur quidem Spiritus ſancti elogio Barnabas: ſciendum tamen eſt, non tam ejus quam noſtri habitum eſſe reſpectum. Malitiæ enim & improbitatis damnantur omnes quicunque aliorum laboribus invident, & ſucceſſu uruntur. Notanda etiam in *boni* viri deſcriptione epitheta, *plenus* Spiritu, plenus fide. poſtquam enim integrum dixit ac probum, hujus bonitatis fontem demonſtrat, quod carnis affectibus valere juſſis, duce Spiritu pietatem toto animo coleret. Sed cur fidem à Spiritu ſeparat, cujus eſt donum? Reſpondeo, non ſeorſum nominari quaſi res eſſet diverſa, ſed potius diſerte proponi tanquam præcipuum ſpecimen, unde Barnabam conſtaret plenum eſſe Spiritu.

Adjecta fuit turba.] Quum jam copioſus eſſet numerus piorum, Lucas Barnabæ adventu creviſſe dicit. Ita progreditur Eccleſiæ ædificium, quum alii alios mutuo conſenſu adjuvant, & quod ab uno cœptum eſt, candide alter probat.

25. Profectus eſt autem Tarſum Barnabas ad quærendum Saulum:

26. Et inventum Antiochiam adduxit. Accidit autem ut totum annum agerent in Eccleſia, & docerent turbam multam, ut Antiochiæ primum diſcipuli nominarentur Chriſtiani.

25. Iterum commendatur nobis Barnabæ ſimplicitas, quod quum primas tenere poſſet Antiochiæ, in Ciliciam tamen profectus ſit, ut inde Paulum acceſſeret, quem ſibi noverat prælatum iri. Videmus ergo, ut ſui oblitus nihil aliud ſpectet, niſi ut emineat unus Chriſtus, unam Eccleſiæ ædificationem habeat præ oculis, proſpero Euangelii ſucceſſu ſit contentus. Non ergo metuit Barnabas, ne quid ſibi detrahat Pauli adventus, modo Chriſtum glorificet.

26. Subjicit poſtea, tam piam concordiam cælitus benedictam fuiſſe. neque enim hic vulgaris fuit honor, quod ſacrum Chriſtianorum nomen illinc toti mundo exortum eſt. Quum tamdiu Jeroſolymæ docuiſſent Apoſtoli, nondum tamen Deus inſigni hoc Filii ſui titulo Eccleſiam, quæ illic erat, fuerat dignatus: ſive quod Antiochiæ tam ex Judæis quam ex Gentibus multus populus in unum corpus coaluerat: ſive quod rebus tranquillis Eccleſiam melius conſtituere licuerat: ſive quod ad fidem ſuam libere confitendam magis fuerunt animoſi. Erant quidem re ipſa prius Chriſtiani tam Jeroſolymæ quam Samariæ: & ſcimus Jeroſolymam verum fuiſſe fontem ex quo primum fluxit Chriſtianiſmus. Et quid aliud eſt, diſcipulum eſſe Chriſti, quam eſſe Chriſtianum? Sed quum palam cœperunt dici quod erant, multum ad illuſtrandam Chriſti gloriam nominis uſus valuit: quia hoc modo tota religio ad Chriſtum unum referebatur. Ergo, egregium fuit urbis Antiochiæ decus, quod illinc nomen ſuum inſtar vexilli Chriſtus protulit, unde palam fieret toti mundo, populum eſſe aliquem qui Chriſtum haberet pro duce, ejuſque titulo gloriaretur. Quod ſi haberet Roma talem ſuperbiendi prætextum, quis inſolentes Papæ & ſuorum jactantias ferre poſſet? Tunc non ſine colore detonarent Romam eſſe Eccleſiarum omnium matrem & caput: ſed bene habet, quod quum nihil non ſibi arrogent, quum ad rem ventum

eſt,

eſt, Ioanes prorſus deprehenduntur. Cæterum Antiochia ipſa nimis clarum documentum eſt, quam non ſit perpetua loci unius conditio. Ut demus Romanis plauſibiles iſtos titulos, Fuimus aliquando: an tamen dimidium ejus quod in Antiochiam competit, ſibi ſumere audebunt? An autem ideo ouoc major eſt Antiochiæ dignitas, quia inde Chriſtiani nomen duxerunt? Quio potius horribilis Dei vindictæ illuſtre ſpeculum eſt. Nam quum illic præter deformem vaſtitatem nihil cernatur, hoc ſcilicet nobis reſtat, ut oos humiliare diſcamus ſub potenti Dei Jacob. 4.
manu, ac ſciamus non tantum ingratis hominibus vers. 10.
dari licentiæ, ut impune Deo illudant.

27. In illis diebus venerunt ab Jeroſolyma Prophetæ Antiochiam.

28. Surgens autem unus ex illis, nomine Agabus, ſignificavit per Spiritum famem magnam futuram in toto orbe. quæ accidit ſub Claudio Cæſare.

29. Ut autem cuique diſcipulorum ſuppetebat facultas, decreverunt ſinguli ipſorum in miniſterium mittere fratribus qui in Judæa habitabant.

30. Quod & fecerunt, mittentes ad Presbyteros, per manum Barnabæ & Sauli.

27. Fidem Antiochenorum hic Lucas commendat à fructu, quod ejus Eccleſiæ unde Euangelium acceperant, inopiam levare ſtuduerint ſua copia: idque feceriot ooo rogati. Tam ſollicita cura pro fratribus, ſatis oſtendit quam ſerio Chriſtum omnium caput colerent. Celebrem Eccleſiæ illius famam fuiſſe Lucas ſignificat, quum inſignes illuc viros dicit *Jeroſolyma* veniſſe. Cæterum, quum Prophetæ nomen varie ſumatur in Novo Teſtamento, ut ex priore ad Coriothios Epiſtola diſcere licet: *Prophetæ* vocantur hoc loco, qui vaticinandi dono prædіti eraot. quemadmodum eodem titulo filiæ quatuor Philippi poſtea ioſignientur. Quum vero famis prædictio uoi Agabo tribuitur, hinc colligere licet, unicuique ad certam menſuram hoc fuiſſe datum, ut res futuras cognoſceret.

28. *Significavit per Spiritum.*] Diſerte exprimit Lucas, Spiritum Dei hujus vaticinii fuiſſe auctorem, ut ſciamus non ex aſtris neque aliis naturalibus cauſis ſumptam fuiſſe conjecturam: denique non humanitus philoſophatum fuiſſe Agabum, ſed ex arcano Spiritus afflatu protuliſſe quod Deus ſtatuerat. Poteſt quidem ex aſtrorum poſitu interdum ſterilitas prædici: ſed in ejuſmodi prædictionibus nihil certi eſt, tum propter oppoſitos concurſus, tum præcipue quia Deus ot à perverſo aſtrorum aſpectu homines abducat, ſuo arbitrio longe aliter res terrenas moderatur, quam ex aſtris colligere liceat. Cæterum etſi prædictiones illæ ſuum gradum habeant, Spiritus tamen vaticinia longe ſupereminent. Atqui iofelix & parum optabilis de fame prophetia fuiſſe videtur. quorſum enim attinebat prædicto triſti eventu homines ante tempus reddi miſeros? Reſpondeo, multas eſſe cauſas, quum impendent Dei judicia & debitæ peccatis pœnæ, cur de illis mature homines præmoneri expediat. alias omitto quæ paſſim io Prophetis occurruot, quod reſipiſcendi ſpatium datur, ut Dei judicium præveniant qui ejus iram io ſe provocarunt: quod in tempore erudiuntur fideles, ut ſe ad toleraotiam comparent: quod obſtinata impiorum malitia convincitur: quod diſcuot boni perinde ac mali non fortuito contingere ærumnas & clades, ſed pœnas eſſe qoibus mundi peccata Deus ulciſcitur: quod hoc modo à ſuo torpore expergefiunt qui ſibi in vitiis nimium placebant. Præſeotis vaticinii utilitas perſpicue apparet ex contextu: quia Antiochenis ſtimulus fuit, ut miſeris fratribus opem ferrent.

Quæ accidit ſub Claudio.] Hujus famis Suetonius quoque meminit, qui narrat cruſtis in medio foro impetitum fuiſſe Claudii caput, eumque lapidationis metu ſic fuiſſe perculſum, ot tota deinde vita ſingularem annonæ curam habuerit. Joſephus autem libro Antiquitatum decimo quinto, Judæam gravi inopia afflictam fuiſſe commemorat, propter continuas ſiccitates.

29. Sed hic occurrit quæſtio, Quum malum eſſet omoibus commune, cur uni magis populo ſuccurri oportuerit, quam reliquis? Reſpondeo, Quum multis bellorum cladibus aliiſque malis exhauſta eſſet Judæa, Antiochenos, fratrum, qui illic erant, miſeria non abs re magis fuiſſe commotos: deinde quo atrocius illic ſæviebant hoſtes, eo durior erat fratrum conditio. Denique in Epiſtola ad Galatas Galat. 3.
ſatis clare demonſtrat Paulus, ſpeciales fuiſſe Judææ neceſſitates, quarum non temere habita fuerit ab omnibus aliis ratio. Fuit autem hæc gratitudo non parva laude digna, quod ſuo ſubſidio juvandos Antiocheni duxerunt egenos fratres, à quibus Euangelium acceperant. neque enim quidquam æquius, quam eos qui ſpiritualia ſeminarunt, terrena metere. Ut quiſque plus ſatis ad cavendum ſibi intentus eſt, tunc ſingulis excipere promptum erat, Cur noo mihi potius cavebo ac proſpiciam? ſed dum ſuccurrit quid fratribus debeant, immodica illa anxietate omiſſa, ad ipſos juvandos ſe convertunt. In ſumma, duplex fuit hujus eleemoſynæ finis: nam & charitatis officio erga egenos fratres defuncti ſunt Antiocheni; & teſtati ſunt hoc ſymbolo, quanti Euangelium facerent, dum honore locum unde fluxerat, proſequuti ſunt.

Ut cuique ſuppetebat facultas.] Hic Antiochenos
videmus, quem Paulus Corinthiis modum præſcri- 2 Cor. 8.
bit, tenere: ſive hoc ſponte fecerunt, ſive ejus præ- vers. 6.
cepto edocti. nec vero dubium eſt, qoin utroque loco ſibi conſtiterit. Hæc igitur ſequeoda eſt regula, ut quiſque reputans quantum ſibi datum ſit, tanquam rationem redditurus, benigne cum fratribus communicet: ita fiet, ut qui tenuis eſt, liberalem habeat animum, & exiguum munus opimi & ſplendidi ſacrificii loco habeatur. *Decernendi* verbo, ſignificat Lucas voluntariam fuiſſe oblationem.
Quod etiam Paulus fieri debere admonet: ut noo 2 Cor. 9.
coacti & quaſi ex neceſſitate, ſed alacriter manum vers. 7.
egentibus porrigamus. Quum *ſingulos* nominat, perinde eſt acſi diceret, Alios non impoſuiſſe legem aliis, nec ſuo præjudicio gravaſſe, ſed unumquemque ſibi propriæ beneficentiæ fuiſſe arbitrum. Notandum eſt etiam nomen διακονίας, quo docemur ea lege majorem divitibus copiam dari in manum, ut pauperum ſint miniſtri in diſpenſatione ſibi divinitus commiſſa. Poſtremo docet Lucas, non toti genti miſſam fuiſſe benedictionem, ſed tantum fidei domeſticis: non quod beneficentiæ noſtræ & humanitatis ſemper expertes eſſe debeant increduli, quando ad totum genus humanum extendere ſe debet charitas: ſed quia præferendi ſuot, quos Deus propius & ſanctiore vinculo nobis conjunxit.

30. *Mittentes ad Presbyteros.*] Duo hic notaoda ſunt: quod fidos homines elegerint Antiocheni, & compertæ probitatis, qui ſuam benedictionem perferrent: deiode, quod miſerint ad Seniores, qui prudenter erogarent. nam ſi in vulgus projicitur eleemoſyna, vel in medio ponitur, quiſque mox veluti expoſitam prædam ad ſe rapiet: atque ita audaciſſimus quiſque fraudabit egenos, imo ſua rapacitate famelicos jugulabit. Obſervemus itaque hos locos, qui doceot non tantum ſincera fide eſſe

ageodum,

agendum, ſed requiri etiam certum ordinem & prudentiam tam in habendo delectu, quam tota adminiſtratione. *Seniores* vocantur penes quos erat Eccleſiæ regimen, in quibus primum gradum tenebant Apoſtoli: illorum judicio ſubmittunt Antiocheni ſacram pecuniam, quam pauperibus deſtinarunt. Siquis objiciat, has Diaconis injunctas fuiſſe partes, quum negarent Apoſtoli ſe menſarum & doctrinæ miniſterio ſimul ſufficere: reſponſio facilis eſt, ſic menſis præfuiſſe Diaconos, ut Presbyteris tamen ſubeſſent, nec quicquam niſi ex eorum auctoritate agerent.

Cap. XII.

CIrciter tempus illud miſit Herodes Rex manus ut affligeret quoſdam ex Eccleſia.

2. Interfecit autem Jacobum fratrem Joannis, gladio.

3. Et videns quod hoc placeret Judæis, perrexit comprehendere & Petrum. (erant autem dies Azymorum.)

4. Quum & hunc cepiſſet, poſuit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum: volens poſt Paſcha producere ipſum populo.

5. Petrus itaque cuſtodiebatur in carcere. Fiebat autem pro ipſo aſſidua precatio ab Eccleſia ad Deum.

1. Sequitur nova perſequutio ab Herode excitata. Videmus Eccleſiæ datas fuiſſe breves inducias, ut paulisper quaſi reſpirando animum in futurum tempus colligeret, ac tunc de integro pugnaret. Ita hodie non eſt cur perpetuam ſibi quietem fideles una vel altera pugna defuncti promittant, aut ſibi vacationem petant qualem habere ſolent emeriti milites: ſufficiat ſi Dominus ad vires reficiendas temporis aliquid concedit. Cæterum hic Herodes fuit Agrippa major, Ariſtobuli filius, quem pater occiderat. Eum Joſephus nuſquam Herodem nominat: forte quia fratrem habebat Regem Chalcidis, qui Herodes vocabatur. Hic ad vexandam Eccleſiam non tam religionis ſtudio accenſus fuit, quam ut deliniret hoc munere plebem ſibi parum alioqui propitiam: vel certe tyrannica ſævitia, quod ſibi à novis rebus metueret, quas ſemper tyranni ſuſpectas habent, ne conturbent tranquillum imperii ſtatum. Probabile tamen eſt, ſanguinem innoxium fudiſſe, ut pro communi artificio Regum, furenti populo gratificaretur: quia paulo poſt narrabit Lucas, cuſtodiæ traditum fuiſſe Petrum, ut jucundum eſſet ſpectaculum.

2. *Occidit Jacobum.*] Non dubium eſt quin arcana Dei virtute, retenta & cohibita fuerit inſani hominis crudelitas. neque enim una atque altera cæde contentus, ſibi ab aliis perſequendis temperaſſet, quin potius ingentes cumulaſſet acervos martyrum, niſi Deus oppoſita manu gregem ſuum tutatus eſſet. Ita quum videmus pietatis hoſtes rabie plenos, non edere horrendas ſtrages, ut omnia ſanguine miſceant: ſciamus non fieri hoc moderatione ipſorum vel clementia, ſed quia Dominus ovibus ſuis parcens, non patitur eos nocere quantum vellent. Non erat certe tam humanus hic Herodes, ut centum hominum vel plurium ſupplicio pacem vel popularem gratiam redimere dubitaret. Quare ſtatuendum eſt, conſtrictam majore imperio fuiſſe ejus libidinem, ne Eccleſiam vehementius premeret. *Jacobum* occidit, quemadmodum ubi ſeditio aliqua mota eſt, in duces & capita animadverti ſolet, ut eorum ſupplicio promiſcuum vulgus terreatur. Interea Dominus eum quem conſtantia inſtruxerat, ut fortis & invictus athleta moriendo vinceret, ad mortem rapi paſſus eſt. Ita quicquid tyranni machinentur, Deus tamen victimas ſibi grati odoris deligit ad ſanciendam Euangelii ſui fidem. *Fratrem* Joannis Lucas nominat hunc Jacobum qui occiſus eſt, ut à filio Alphæi diſtinguat. Nam quod alii tertium faciunt Chriſti cognatum, qui unus tantum fuerit ex diſcipulis, mihi non probatur: quia firmis rationibus adducor, ne plures eſſe credam. Eas qui volet petat ex ſecundo ad Galatas capite. Eundem igitur & Apoſtolum & filium Alphæi fuiſſe exiſtimo, quem è ſummo templi præcipitem Judæi dederunt, cujus mors ob ſingularem ſanctitatis laudem tantopere celebrata fuit.

3. *Videns quod placeret Judæis.*] Clarius hinc perſpicimus, nec Legis Moſaicæ zelo, nec odio Euangelii impulſum fuiſſe Herodem ad Eccleſiam perſequendam, ſed ut privatim rebus ſuis conſuleret: nam ut populi favorem ſibi compararet, pergit in ſua ſævitia. Sciendum eſt igitur, varias eſſe cauſas cur hinc inde impetatur Eccleſia. ſæpe quidem perverſus zelus impios agitat præcipites, ut pro ſuis ſuperſtitionibus depugnent, ac ſacrificium idolis ſuis offerant, innoxium ſanguinem fundendo: ſed major pars privatis tantum commodis ducitur. Sic olim Nero, quum poſt urbis incendium ſe infamem & exoſum eſſe populo cognoſceret, gratiam hoc artificio venatus eſt, vel ſaltem probra & querimonias ſedare ſtuduit, aliquot piorum millia trucidando. In eundem modum Herodes, ut populum ſibi minus benevolum demulceat, Chriſtianos non ſecus ac redimendæ gratiæ mercedem morti addicit. Nec alia hodie eſt noſtra conditio. nam quum certatim omnes in Chriſti membra inſaniant, paucos ſuperſtitio incitat: ſed alii ſe Romano Antichriſto tanquam frugi mancipia venditant, alii rabioſis monachorum vel plebis clamoribus indulgent & obſequuntur: nos interim vilia capita, eorum ludibriis ſubjacemus. Sed una eſt conſolatio quæ nos præclare ſuſtentat, quod ſanguinem noſtrum, quo probroſe mundus abutitur, ſcimus Deo pretioſum eſſe. imo quo indignius & magis contumelioſe ab impiis tractamur, eo minus nos deſeret Dei bonitas.

4. *Additis quatuor quaternionibus.*] His circumſtantiis oſtendit Lucas Petrum quaſi ſepulchro incluſum fuiſſe, ut videri de eo actum poſſet. nam ut dies & noctes ternis horis in quatuor partes diſtribuebant: ita Herodes cuſtodias partitus eſt, ut quaterni milites ſemper agerent excubias, & alii aliis tertia quaque hora ſuccederent. Cauſam refert cur non ſtatim ad carnificinam tractus fuerit, quia ſcilicet per feſtos dies Paſchatis eum occidere religio erat. non differt ergo Herodes, acſi dubius eſſet conſilii; ſed tantum occaſionem expectat. Imo tempus eligit, quo munus magis ſit plauſibile futurum, quod magna undique frequentia ad diem feſtum conflueret.

5. *Preces autem.*] Docet hic Lucas non ceſſaſſe interea in officio ſuo fideles. ſtabat quidem unus Petrus in prima acie, ſed alii omnes precibus ſimul certant, & quo licet ſubſidio eum juvant. Hinc etiam colligimus non fuiſſe animis fractos: precibus enim teſtantur ſe pro virili in tuenda cauſa perſtare, pro qua uſque ad vitæ diſcrimen Petrus laborat. Docet primum hic locus qualiter affectos eſſe nos deceat, quoties fratres noſtros videmus pro Euangelii

geli

gelii teſtimonio ab impiis affligi: nam ſi torpemus, nec anxie afficimur eorum periculis, non tantum eos juſto charitatis officio fraudamus, ſed perfide etiam deſerimus fidei noſtræ confeſſionem. & ſane ſi communis eſt cauſa, imo ſi pro ſalute noſtra confligunt, non tam illis deſumus, quam nobis & Chriſto: & præſens neceſſitas flagitat, ut longe alium precandi ardorem ſuſcipiant quam vulgo cernere licet, quicunque Chriſtiani cenſeri volunt. Videmus alios ex fratribus noſtris ad extremam inopiam redactos exulare, alios vinculis conſtringi, multos in tetro fovearum fœtore eſſe demerſos, multos ad ignem raptari, imo nova tormenta ſubinde conquiri, quibus diu excruciati ſe mori ſentiant. Hæc niſi incitamenta nos ſaltem ad precandi ſtudium acuant, pluſquam ſtupidi ſumus. ergo ſimul exoritur aliqua perſequutio, ad preces confugere nos oportet. Probabile etiam eſt Eccleſiam de Petri vita magis fuiſſe ſollicitam, quo majorem in ejus morte jacturam factura erat. nec tantum dicit Lucas, *factam* eſſe precationem: ſed ſimul addit, *intentam*, vel aſſiduam. Quo ſignificat, non frigide nec defunctorie precatos fuiſſe fideles: ſed quamdiu in conflictu erat Petrus, ad eum juvandum, quo poterant modo, ſine laſſitudine fuiſſe intentos. Nomen *Dei* quod hic exprimitur, ſemper, quum orandi fit mentio in Scriptura, ſubaudiendum eſt. Eſt enim hoc unum ex primis fidei rudimentis, non niſi ad unum Deum preces eſſe dirigendas: quemadmodum hunc ſibi peculiarem cultum vendicat, Invoca me in die tribulationis, &c. Pſalmo quinquageſimo. *Pſal. 50. verſ. 15.*

6. Quum autem eum producturus eſſet Herodes, nocte illa dormiebat Petrus inter duos milites, vinctus duabus catenis. Cuſtodes vero ante januam ſervabant carcerem.

7. Et ecce Domini Angelus ſtetit, & lumen refulſit in habitaculo. Percuſſo autem latere Petri, excitavit eum, dicens, Surge confeſtim. Et ceciderunt ejus catenæ ex manibus.

8. Dixitque Angelus illi, Præcingere, & ſubliga ſoleas tuas. Fecit autem ſic. Tunc dicit ei, Circumda tibi veſtimentum tuum, & ſequere me.

9. Et egreſſus ſequebatur eum, nec intelligebat verum eſſe quod fiebat per Angelum, ſed putabat ſe viſionem videre.

10. Quum autem pertranſiſſent primam cuſtodiam & ſecundam, venerunt ad portam ferream quæ ducit in urbem, quæ ſponte aperta fuit illis. Et egreſſi proceſſerunt vicum unum: & mox diſceſſit Angelus ab eo.

11. Tunc Petrus ad ſeipſum reverſus, dixit, Nunc vere novi quod Dominus Angelum ſuum miſit, & eripuit me ex manu Herodis, & omni expectatione populi Judæorum.

6. *Quum producturus eſſet.*] Videtur primo in ſpeciem ſine profectu Eccleſia orare: dies enim mactando Petro jam præfixus eſt, & tantum nocte una à morte diſtat. non tamen à precibus deſiſtunt fideles, quia ſciunt Dominum, quum ſuis opem ferre vult, ſæpe ſuum habere tempus in extremo neceſſitatis articulo, & varios in manu ejus eſſe liberandi modos. Deinde, non tantum pro vita Petri vota feciſſe credibile eſt, ſed ut invicta fortitudine in Euangelii gloriam Dominus illum muniret: & ne Deus Euangelium Filii ſui proſtitueret opprobriis impiorum.

Nocte illa dormiebat.] Iſtæ omnes circumſtantiæ mirificam Dei virtutem magis illuſtrant. quis enim non putaſſet jam abſorptum à morte eſſe Petrum? nam etſi adhuc ſpirat, multis tamen mortibus obſeſſo nulla ad effugium rima patet. Quod ergo per medias mortes evadit, quod tuto incedit inter carnificum ſuorum manus, quod liqueſcunt & ſolvuntur catenæ, quod ferrea janua ſe illi aperit: hinc patet vere divinum eſſe liberationis genus. atque his ſignis probe edoceri Petrum utile fuit, quo Dei gratiam ita cognitam certius apod homines mox prædicaret: deinde ex tam arcta cuſtodia melius liquet, nihil Herodi fuiſſe minus in animo, quam vivum Petrum dimittere.

7. *Lumen refulſit.*] Probabile eſt lumen hoc à ſolo Petro fuiſſe viſum: milites autem vel ſopitos, vel obſtupefactos fuiſſe, ut nihil ſenſerint. Et duplex potuit eſſe cauſa, cur lumen Deus refulgere voluerit: vel ut eo uteretur Petrus, nec tenebræ ipſum impedirent: vel ut ſignum illi eſſet cæleſtis gloriæ. Sæpe enim legimus, cum fulgore apparuiſſe Angelos, etiam quum ſol lucebat. Certe Petrus Dei præſentiam colligere debuit ex luce inſolita: & ſimul eam in uſum ſuum accommodare. Quod *Angelus* Petri latus percutit, hinc apparet, quam ſollicitus ſit de ſuis Deus, qui pro dormientibus vigilat, & excitat torpentes. Et ſane nihil nobis miſerius, ſi ſola precum noſtrarum aſſiduitas Deum in excubiis retineret. nam pro infirmitate carnis noſtræ deficimus, & maxime opus habemus ejus auxilio: quum mentes noſtræ alio abſtractæ, ipſum non quærunt. Somnus quædam mortis imago eſt, qui ſuffocatos & obrutos tenet omnes ſenſus. quid nobis fieret, ſi tunc Deus nos reſpicere deſineret? Cæterum quia fideles, quum dormitum concedunt, ſuam Deo ſalutem commendant, ita fit ut ſomnus quoque eorum, Deum invocet. Quod ſtatim poſt verba Angeli, *ſolutas* fuiſſe catenas narrat: hinc colligimus, ſatis in ſolo Dei mandato eſſe potentiæ ad tollendum omne obſtaculi genus, quum videntur undique viæ omnes obſtructæ. ita ſi velit ſedare bellorum motus, etiamſi totus mundus ſit in armis, lanceæ protinus & gladii è manibus concident: contra, ſi bello nos velit ac peccata noſtra perſequi, momento, eorum qui prius quieti dediti erant, fervebunt animi, & manus gladios arripient. Quod ſigillatim refert Lucas tam verba Angeli, quam rei geſtæ ſeriem, ad hiſtoriæ certitudinem facit: ut omni ex parte teſtatum fiat, divinitus liberatum eſſe Petrum.

9. *Neſciebat quod verum eſſet.*] Non putabat quidem inane aut fallax eſſe ſpectrum, quemadmodum ſæpe homines præſtigiis deludit Satan: ſed *verum* hic pro eo capitur, quod fit naturaliter & humano more. notanda eſt enim antitheſis inter rem ipſam & viſionem. Porro etſi viſionem eſſe putat, promptus tamen eſt ad parendum. quo ejus obedientia probatur: dum ſolo Angeli juſſu contentus, non inquirit nec diſceptat quid ſibi agendum ſit, ſed exequitur quod ſibi mandatum eſt.

10. *Quum autem pertranſiſſent.*] Poterat Deus momento uno Petrum rapere: ſed ſucceſſu varias difficultates ſuperat, quo major eſſet miraculi gloria. Sic mundum ſex diebus creavit, non quod temporis ſpatio haberet opus, ſed ut nos in operum ſuorum *Geneſ. 1. Exod. 20. verſ. 11.*

medita-

meditatione melius ſiſteret: nam agendi rationem ad captum noſtrum fideique profectum attemperat. Si repente è carcere in domum, ubi fratres erant congregati, Petrus raptus eſſet, una & ſimplex agnita fuiſſet liberatio: nunc vero plus decies fuiſſe liberatum quaſi oculis cernimus.

11. *Tunc Petrus ad ſeipſum reverſus.*] Ad verbum eſt, Factus in ſeipſo: quia prius re inopinata & incredibili attonitus, quaſi extra ſeipſum erat. nunc demum tanquam poſt ecſtaſin ſe à morte ereptum cognoſcit. Verba ejus quæ Lucas refert, continent gratiarum actionem. nam Dei beneficium quod erat expertus, ſecum celebrat, & ſibi prædicat, donec alios reperiat teſtes. *Miſſum* à Deo Angelum dicit, ex communi piorum ſenſu, qui Angelos tenent ſibi à Deo deſtinatos eſſe miniſtros, ad agendam ſalutis ſuæ curam. niſi enim animo ejus jam infixa fuiſſet talis perſuaſio, non faceret mentionem Angeli. Et tamen Angelum minime celebrat tanquam gratiæ auctorem: ſed totam operis laudem uni Deo adſcribit. nec vero Angeli ſuam opem ideo nobis impendunt, ut vel minimam gloriæ Dei partem in ſe derivent. Quum dicit *Se ereptum* eſſe è manu Herodis, ab hoſtis ſui potentia amplificat Dei beneficium. Eodem pertinet quod addit de Judæis. nam quo major erat hoſtium numerus, eo inſignior Dei gratia fuit erga ſervum ſuum: quia magnum eſt, uno Deo propitio, infeſta totius mundi odia irrita concidere.

12. Et conſiderans venit in domum Mariæ matris Joannis, qui cognominabatur Marcus, ubi erant multi congregati & precantes.

13. Quum autem pulſaſſet Petrus ad januam atrii, prodiit puella ad auſcultandum, nomine Rhode.

14. Et quum agnoviſſet vocem Petri, præ gaudio non aperuit atrium: intro vero currens, nunciavit Petrum ſtare ante atrium.

15. Illi autem dixerunt ad eam, Inſanis. Sed illa fortius aſſeverabat ita rem habere. Illi autem dicebant, Angelus ejus eſt.

16. Petrus autem perſeverabat pulſando. Quum aperuiſſent, viderunt eum, & obſtupuerunt.

17. Ipſe autem poſtquam manu illis ſignum dedit, ut ſilerent, narravit quomodo ipſum Dominus eduxerat è carcere. dixit autem, Nunciate Jacobo & fratribus hæc. Et egreſſus inde, in alium locum profectus eſt.

18. Poſtquam dies venit, tumultus fuit non parvus inter milites, quidnam factum eſſet Petro.

19. Herodes autem quum requiſiſſet eum, nec inveniſſet, re cognita juſſit cuſtodes abduci.

12. *In domum Mariæ.*] Apparet raræ pietatis fuiſſe matronam, cujus domus quoddam erat Dei templum, ubi ſolebant fieri fratrum conventus. Cæterum, dicit Lucas *multos* illic fuiſſe congregatos, quia quum non poſſent omnes ſimul abſque timore motus publici, turmatim in diverſa urbis loca, ut commodum erat, confluebant. Neque enim dubito, quin alibi quoque fuerint collectæ turmæ: quia minime credibile eſt multis ex vulgo fidelium precantibus, Apoſtolos ab eodem officio ceſſaſſe. & tantæ multitudinis domus una capax non fuiſſet. Semper autem circumſtantia temporis tenenda eſt, quod ardente hoſtium ſævitia, collecti tamen fuerunt piorum cœtus. nam ſiquando utile eſt hoc exercitium, tunc præcipue neceſſarium eſt, dum inſtant acres conflictus.

13. *Quum pulſaret ad januam.*] Quum puellam deſipere credunt, quæ nunciat Petrum adeſſe: hinc colligimus Petri liberationem minime fuiſſe ab illis ſperatam. neque tamen dicemus precatos ſine fide eſſe: quia alios profectus ſpectabant, ut Petrus ſcilicet cæleſti virtute armatus, ſive per vitam, ſive per mortem ad glorificandum Chriſti nomen paratus eſſet: ne grex violento luporum incurſu territus diſſiparetur, nequi infirmi labaſcerent, ut Dominus illum perſequutionis turbinem diſcuteret. Atqui Dominus plus illis quam ſperaverant, concedens, immenſa ſua bonitate ſuperavit eorum vota. Nunc quod factum eſt, illis videtur incredibile, ut magis ad celebrandam Dei virtutem excitentur.

15. *Angelus ejus eſt.*] Angelum ejus nominant, qui divinitus illi appoſitus ſit cuſtos & ſalutis miniſter.
Mat. 18. quo ſenſu Chriſtus dicit, Angelos parvulorum ſem-
verſ. 10. per videre faciem Patris, Matthæi decimo octavo.
Quod autem vulgo hinc eliciunt, ſingulis hominibus attribui ſingulos Angelos qui eorum curam gerant,
Ibid. 14. nimis infirmum eſt. Nam Scriptura teſtatur, magno
verſ. 10. interdum populo unum Angelum dari, & uni tantum homini ingentem exercitum. nam Eliſæi mini- 2 Reg. 6.
ſtro aperti ſunt oculi, ut multos currus igneos in aëre verſ. 17.
cerneret, qui ad tuendam Prophetæ ſalutem ordinati
erant: apud Danielem vero, nonniſi unus Perſarum Dan. 10.
Angelus, & unus Græcorum nominatur. Nec Scri- v. 5, 12.
ptura ſuum cuique certum & peculiarem Angelum
promittit, ſed potius quod Angelis ſuis mandaverit Pſal. 91.
Deus, ut ſingulos fideles cuſtodiant, Pſalmo nona- verſ. 11.
geſimo primo. Item, ut caſtrametentur in circuitu Pſal. 34.
piorum, Pſalmo trigeſimo quarto. Ergo figmen- verſ. 8.
tum quod paſſim invaluit, de binis cujuſque geniis, profanum eſt. Nobis ſufficiat quod pro Eccleſiæ ſalute tota cæleſtis militia excubat: atque ita pro temporis neceſſitate, nunc unus Angelus, nunc plures ſuo præſidio nos protegunt. Certe inæſtimabilis hæc eſt Dei bonitas, quod Angelos, qui radii ſunt divini fulgoris, miniſtros noſtros eſſe pronunciat.

17. *Nunciate Jacobo & fratribus.*] Per fratres intelligo non quoslibet ex Eccleſia, ſed Apoſtolos & Seniores. quanquam enim miraculum omnibus innoteſcere oportuit, merito tamen honoris cauſa Petrus collegas ſuos vult de eo fieri certiores. *Jacobum* hunc Eccleſiaſtici Scriptores poſt Euſebium uno fere ore quendam ex diſcipulis fuiſſe tradunt: ſed quum
Paulus eum in tribus Eccleſiæ columnis numeret, Galat. 2.
probabile mihi non eſt diſcipulum poſthabitis Apo- verſ. 9.
ſtolis eo honoris fuiſſe evectum. Quare potius conjicio fuiſſe Jacobum Alphæi, cujus ſanctitas in magnam admirationem traxerat Judæos. Duplex autem ratio fuit cur lætum hunc nuncium Petrus ad fratres perferri vellet: nempe ut curam eximeret quæ ipſos angebat: deinde ut tali gratiæ Dei exemplo animarentur ad majorem fiduciam. Quod *tranſit* in alium locum, eo conſilio actum eſſe arbitror, quod quum celebris eſſet domus, utpote quam multi quotidie fideles frequentabant, minore periculo alibi latere potuerit. Locum ergo quæſivit

non

non ita hoſtibus ſuſpectum, neque ut ſibi modo, ſed hoſpitæ & aliis parceret.

18. *Quum dies veniſſet.*] Redit nunc Lucas ad milites & Herodem: ac dicit illos *non parum* tumultuatos fuiſſe. neque enim ſuſpicari poterant vi ſibi ereptum fuiſſe Petrum, vel fraude aliqua elapſum. Herodes poſtea de re tanquam judex cognoſcit. ſed quum deprehendit extra culpam eſſe milites, cogitur ipſe quoque divinæ liberationis eſſe teſtis. Quod *jubet* eos è conſpectu ſuo ſubduci, vel retrudi io carcerem, inde colligere licet, compertam fuiſſe eorum fidem ac diligentiam: nam ſi qua fuiſſet negligentiæ ſuſpicio, paratum erat ſupplicium. quo minus tamen liberos dimittat, partim obſtat impius furor tyrannica ſævitia permixtus, partim etiam verecundia. Quanquam alii ſecus exponunt, juſſiſſe extemplo ad ſupplicium rapi. Sive autem iratus carnifici eos tradiderit, ſive contentus fuerit carceri maocipare; inſigne profecto cæcitatis exemplum, quod quum Dei virtutem vel clauſis oculis ſentire debeat, non flectitur, nec manſueſcit, ſed obſtinata malitia pergit Deo reſiſtere. ita ſcilicet Satan impios ſenſu privat, ut videndo non videant: & Dominus horribili hoc ſtupore illos percutiens, juſte ſe & Eccleſiam ulciſcitur.

Et deſcendens à Judæa Cæſaream, illic commoratus eſt.

20. Erat autem Herodes infenſus Tyriis & Sidoniis. Illi autem uno animo venerunt ad eum: & perſuaſo Blaſto, qui præerat cubiculo Regis, petierunt pacem, propterea quod aleretur regio ipſorum à ditione regia.

21. Statuto autem die, Herodes indutus veſte regia, & ſedens pro tribunali, concionabatur ad eos.

22. Populus autem acclamavit, Dei vox, & non hominis.

23. Confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini, eo quod non dediſſet gloriam Deo: & exeſus à vermibus, expiravit.

24. Porro, ſermo Dei creſcebat & multiplicabatur.

25. Barnabas autem & Paulus Jeroſolyma reverſi ſunt Antiochiam, impleto miniſterio, aſſumpto etiam ſecum Joanne qui cognominabatur Marcus.

20. Memorabilis hiſtoria, quæ tanquam in ſpeculo oſtendit, non tantum qualis maneat exitus Eccleſiæ hoſtes, ſed quam exoſa ſit Deo ſuperbia. Scri-
1 Pet. 5. verſ. 5. ptura Deum ſuperbis reſiſtere pronunciat: ejus rei in perſona Herodis Deus ipſe vivam effigiem expreſſit. Et ſane plus juſto ſe efferre homines nequeuot, quin bellum cum Deo ſuſcipiant: qui, ut ſolus emineat, jubet ſilere omnem carnem. Quod ſi in Rege, quem ſecundæ res inflabant, tam ſevere Deus ſuperbiam punivit, quid gregariis hominibus fiet, qui ſine occaſione ridicule inflantur? Porro notanda eſt hiſtoriæ ſeries, quod Herodi poſt vexatam crudeliter Eccleſiam, proſpera ſucceduot omnia, vicinas gentes fame domitas ad veniam ſuppliciter petendam compellit: quaſi Deus impii furoris mercedem illi ſolveret. non levis tentatio fidelibus, quibus obrepere ſuſpicio poterat, Nullam eſſe Deo ſui curam: & metus incutiebatur, ne ſimul cum potentia Herodis ingraveſceret tyrannis & crudelitas. Sed longe aliud fuit Dei conſilium. nam Eccleſiæ ſuæ oppreſſorem in altum ſuſtulit, ut graviore ruina dejiceret. Itaque umbratilis iſta felicitas, in qua ſibi nimium placuit, quædam in diem mactationis illi fuit ſagina. Similiter, quum hodie videmus ſanguinarios Eccleſiæ hoſtes, expanſis fortunæ alis in cælum vehi, non eſt quod animi nobis concidant. potius occurrat illud Solo-
Prov. 16. verſ. 18. & 18:12. monis dictum, Calamitatem præcedit ſuperbia, & ante ruinam cor extollitur.

Herodes infenſus erat.] Lucas utitur compoſito Participio θυμομαχῶν, quod Simultatem & odium notat. non ergo aperte bellum gerebat Herodes cum iſtis urbibus, ſed tale erat diſſidium, ut obliquis artibus perinde ac cuniculos agendo paolatim eas ſubigere tentaret. Rara, ut ait Demoſthenes, liberis urbibus concordia eſſe poteſt cum monarchis. adhæc, ferox erat Herodis ingenium, multa audacia, inexplebilis cupiditas. nec dubium eſt, quin Tyrus & Sidon quædam veluti repagula fuerint ad cohibendam ejus iotemperiem, ut erant urbes opulentæ, & ferendo jugo non aſſuetæ. Vetuſtæ etiam gloriæ memoria animos facere potuit. quum vulgare ſit, faſtum ex divitiis gigni, non mirum eſt ſi faſtuoſæ fuerint duæ iſtæ urbes: quarum alteram maris regi-
Jeſa. 23. verſ. 8. nam facit Iſaias, cujus negotiatores dicit fuiſſe reges; & inſtitores, ſatrapas. Sidonis quoque arrogantiam
Jeſa. 23. verſ. 18. ex opibus cooceptam alibi prædicat. quamvis autem ultimas fere clades non ſemel perpeſſæ eſſent, ipſa tamen ſitus commoditas brevi eas in priſtinum ſtatum reſtituit. Hinc factum eſt ut Agrippam, nuper contemptum hominem, & obſcuræ fortunæ, adeoque ex carcere & compedibus ereptum, minus æquo animo ferrent, præſertim quum impotenter dominaretur in ſuos, & vicinis gravis ac damnoſus eſſet.

Quum aleretur eorum regio.] Quum aperto Marte Tyrios & Sidonios aggredi commodum illi non eſſet, annonam illis ex regno ſuo importari vetat. Ita, ſine ulla manu & copiis, lenta obſidione ipſos premebat. Anguſti enim erant utriuſque urbis fines, & ager ſterilis, quum magnus populus alendus eſſet. Fame itaque domiti ſoppliciter pacem petunt, nec jam gratuitam: neque enim dubium, quin leges illis fuerint impoſitæ. & *Blaſtum* iſtum, cujus meminit Lucas, non nudis verbis fuiſſe perſuaſum, ſed muneribus delinitum ut pacis eſſet interpres, credibile eſt. Cur Eraſmo viſum fuerit, ſecus hunc locum transferre quam verba ſonant, neſcio.

21. *Statuta autem die.*] Pacem Tyriis & Sidoniis datam retulit Lucas, quia hæc Regi occaſio fuit habendæ concioois, proculdubio, ut eos ſibi in poſterum obnoxios redderet. Extat eadem hiſtoria apud Joſephum libro Aotiquitatum decimo nono: niſi quod ubique Agrippam nominat, qui à Luca vocatur Herodes. Veriſimile eſt Agrippæ nomen illi fuiſſe proprium, nec aliter vocatum eſſe quamdiu privatus vixit: poſtquam vero regnum adeptus eſt, dignitatem regiam ex avi nomine captaſſe. In re quidem ipſa & circumſtantiis omnibus mirus eſt conſenſus inter Joſephum & Lucam. Primum de loco convenit. Veſtem Joſephus dicit auro fuiſſe contextam, quæ ſolis radiis percuſſa, ſuum fulgorem viciſſim redderet: arreptam fuiſſe hanc anſam ab aulicis, ut deum conſalutarent: ſubito vulnus illi fuiſſe inflictum: quin etiam bubonem fuiſſe viſum, funi inſidentem ſupra caput, qui futuræ cladis eſſet prænuncius. Adeo autem non dubitat ſacrilegam ejus inſolentiam hoc pœnæ genere fuiſſe caſtigatam, ut id palam fuiſſe ab ipſo inter dira tormenta agnitum commemoret, En ego ille veſtra prædicatione deus, vitam miſerrimo exitu finire cogor. De pace cum Tyriis & Sidoniis facta, oulla illic mentio: ſed quod ludos in honorem Cæſaris celebraret. Verum pacis

ratione potuit inſtitui ludorum celebritas: quod ſolenne fuiſſe ſcimus.

23. *Confeſtim percuſſit eum.*] Sicuti prius Angelus gratiæ Dei miniſter fuit in liberando Petro, ita & nunc ejus vindictam exequitur adverſus Herodem. Solet autem Deus interdum uti Angelorum cæleſtium opera in pœnis infligendis: ſed aliquando diabolos veluti carnifices ſtatuit, quorum manu judicia ſua exerceat. Atque hoc promiſcue facit, tam erga (1 Sam. 16. verſ. 14.) fideles ſuos, quam reprobos. Vexatur Saul per Satanam, (Job. 1. verſ. 11. & 2: 7.) ſed idem etiam ſancto Job contigit. In Pſalmo, plagæ quibus Deus impios caſtigat, malis angelis tribuuntur: ſed videmus ut Angelus, qui (Exod. 12. verſ. 29.) præſes eſt ſalutis Eccleſiæ, Ægyptios in primogenitis percutiat. Quanquam malignos ſpiritus Scriptura vocat Dei ſpiritus, quod ejus imperio, licet inviti, pareant. ſed ubi epitheton Mali non additur, ſicuti hoc loco, intelligi debet Angelus qui ſponte Deo obſequitur: forma tamen bubonis, cujus Joſephus meminit, diabolo magis figurando, quam cæleſti Angelo quadrabat. Porro, qualis fuerit ſpecies morbi, non auſim pro certo aſſerere. nomen, quo uſus eſt Lucas, ſignificat, à vermibus fuiſſe exeſum. Multi conjiciunt, morbum fuiſſe pedicularem. Hoc quidem certum eſt, fœtore & putredine, quum adhuc ſpiraret, fuiſſe corruptum, ut eſſet quaſi animatum cadaver. Ita non tantum diris tormentis cruciatus fuit, ſed omnium probris & ludibrio expoſitus. Nam pœnæ genus eligere Dominus voluit, quo ſuperbi hominis ferociam extrema ignominia obrueret. Si à magno aliquo & valido exercitu victus eſſet, atque ad inopiam redactus, non ita animadverſum fuiſſet Dei judicium: & fuiſſet hæc liberalis & regia caſtigatio: ſed quum illi infeſti ſunt pediculi & vermes, & ex ejus corpore fœtida hæc putredo erumpit quæ ipſum arroſum conficiat, pro ſua dignitate ac merito (Exod. 8. v. 17, 24.) tractatur. In hunc modum Pharao, quum adverſus Deum indomito faſtu toties inſurgeret, non regaliter à vicino aliquo Principe impetitus fuit, ſed locuſtæ & bruchi fuerunt Dei milites ad gerendum cum eo bellum. nam quo quiſque inſolentius ſe extollit, eo dignior eſt quem Deus contumelioſe ad extremos uſque inferos dejiciat. Hæc ratio eſt, cur fictitium hunc deum Herodem vermibus rodendum expoſuerit: cujus rei tandem expreſſa illi fuit confeſſio, quum diceret, En ego ille veſtra ſalutatione deus, miſere ad mortem rapior. Tam conſpicuum horribilis vindictæ exemplum in regia perſona terrere nos non parum debet, ne plus ſumere nobis quam par ſit audeamus: ac ne etiam fallaci hominum applauſu & blanditiis tanquam mortifero veneno inebriari nos ſinamus.

Quia non dediſſet gloriam Deo.] Non ideo tantum damnatur ſacrilegii, quia ſe deum vocari paſſus eſt, ſed quia ſui oblitus, honorem Dei ad ſe tranſtulit. (Jeſa. 14. v. 13, 14.) Non legimus Babylonio regi datum fuiſſe ſimilem plauſum: cui tamen Propheta exprobrat, quod ſe Deo æquare tentaverit. Ergo, hoc omnibus ſuperbis commune eſt ſacrilegii crimen, quod ſibi arrogando pluſquam fas eſt, Dei gloriam obſcurant: atque ita gigantum more, quantum in ſe eſt, Deum è ſuo ſolio detrahere conantur. Utcunque Dei titulum non uſurpent, nec palam ore jactent ſe eſſe deos, quia tamen ſibi rapiunt quod Dei proprium eſt, ipſo in ordinem coacto, dii eſſe & haberi cupiunt. Porro, hujus mali originem deſignat Propheta uno verbo, quum Nabuchadneſer ita loquentem inducit, Aſcendam. (Jeſa. 14.) Quare, unum eſt remedium, ſi quiſque ſe in gradu, quo locatus eſt, contineat: qui humiles ſunt & abjecti, altitudinem non appetant: ſummi autem Reges, & quicunque ſupra alios eminent, ſe tamen mortales eſſe meminerint, modeſteque ſuam altitudinem Deo ſubjiciant. Cæterum, notandum eſt, non ſatis eſſe, ſi ex dimidia parte tribuant homines honorem Deo, qui ſibi in ſolidum vendicat quod ſuum eſt: ſi aliqua ex parte ſe ſubmittant quos vult penitus humiliari. Jam quum Scriptura omni ſapientiæ, virtutis & juſtitiæ laude nos exinaniat, ne minimam quidem gloriæ particulam ſibi arrogare quiſquam noſtrum poteſt, ſine ſacrilega Dei ſpoliatione. Ac mirum eſt, quum Scriptura pronunciet, quaſi ex profeſſo bellum Deo inferre, quotquot ſe efferunt: fateantur autem omnes, non niſi exitio noſtro id poſſe fieri: paſſim tamen maximam hominum partem furioſa audacia in ſuum exitium ruere. Vix enim centeſimus quiſque ſuæ conditionis memor, ſuam Deo gloriam intactam relinquit.

24. *Sermo autem Dei.*] Sublato tyranno, repente Eccleſia quaſi ex lupi faucibus erepta fuit. Ergo, (Pſal. 44. verſ. 23. Rom. 8. verſ. 36.) quamvis fideles reputentur oves mactationi deſtinatæ, Eccleſia tamen hoſtibus ſuis ſemper eſt ſuperſtes: & ſermo Dei, quamvis ſubinde oppreſſus videri queat impia hominum tyrannide, mox tamen de integro emergit. Neque enim conſilium Lucæ fuit, tantum referre quid acciderit poſt Herodis mortem, ſed etiam hoc exemplo animos noſtros erigere, ut certo ſtatuamus, Deum, quod tunc fecit, omnibus ſeculis facturum: ut Evangelii curſus per omnia hoſtium impedimenta tandem perrumpat, ac quo magis Eccleſia minuitur, cæleſti benedictione augeſcat.

25. *Barnabas autem & Paulus.*] Miniſterium, quo Paulum & Barnabam defunctos fuiſſe ſcribit Lucas, ad eleemoſynam referri debet, cujus ſupra facta fuit mentio: quum enim ab Agabo propheta prædicta eſſet ſterilitas & fames, Antiochiæ collecta fuit pecunia à fratribus, qua Jeroſolymitanæ Eccleſiæ inopiam levarent. hujus pecuniæ ferendæ provincia Barnabæ & Paulo mandata fuerat. Nunc Lucas *Antiochiam* reverſos fuiſſe dicit, ut tranſitum ſibi ad novam hiſtoriam faciat. Addit, *Joannem* cognomine Marcum, cujus mater honorifice prius laudata fuit, ab illis aſſumptum fuiſſe comitem, qui poſtea gravis & noxii inter eos diſſidii cauſa fuit, ut videbimus.

CAP. XIII.

ERant autem quidam in Eccleſia, quæ Antiochiæ erat, prophetæ & doctores, Barnabas & Simeon qui vocabatur Niger, Lucius Cyrenæus, & Manaim qui cum Herode Tetrarcha educatus fuerat, & Saulus.

2. Miniſtrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dixit Spiritus ſanctus, Separate mihi Barnabam & Saulum in opus ad quod vocavi eos.

3. Tunc poſtquam jejunaſſent, & precati eſſent, & illis impoſuiſſent manus, eos dimiſerunt.

1. Sequitur hiſtoria non tantum digna memoratu, ſed cognitu etiam apprime utilis, quomodo Paulus ordinatus fuerit Gentium doctor. nam vocatio ejus veluti clavis fuit, qua Deus nobis aperuit regnum cælorum. Scimus vitæ æternæ fœdus peculiariter fuiſſe ſancitum cum Judæis: ita nihil ad nos Dei hæreditas, quum eſſemus extranei: & maceria interpoſita erat, quæ domeſticos ab alienis diſcerneret. (Epheſ. 2. verſ. 12.) Ergo, nihil nobis profuiſſet, Chriſtum ſalutem mundo attuliſſe, niſi diſſidio ſublato, patefactus nobis in Eccleſiam ingreſſus foret. Jam quidem mandatum habebant Apoſtoli de Evangelio (Marc. 16. verſ. 16.) per totum orbem publicando, verum hactenus ſe intra Judææ metas continuerant. Quum Petrus

Digitized by Google

trus ad Cornelium miſſus fuit, res adeo nova erat &
inſolens, ut prodigii loco fere habita fuerit: deinde,
videri poterat illud eſſe privilegium paucis homini-
bus extra ordinem conceſſum: ſed nunc, quum ex
profeſſo Paulum & Barnabam Deus Apoſtolos Gen-
tibus deſignat, hoc modo ipſas æquat Judæis: ut
Euangelium promiſcue utriſque commune eſſe in-
cipiat. Nunc ergo diruitur maceria, ut qui procul
erant, & qui prope, reconcilientur pariter Deo: &
collecti ſub unum caput, pariter in corpus unum
coaleſcant. Ergo Pauli vocatio non minus apud nos
pondreis habere debet, quam ſi palam clamaret è
Geneſ. 22. cælo Deus, Salutem olim Abraham & ſemini ejus
verſ. 17. promiſſam, non minus hodie ad nos pertinere, quam
ſi ex Abraham eſſemus nati. Ideo tantopere multis
Galat. 1. locis laborat Paulus in aſſerenda ſua vocatione: ut
verſ. 15. certo ſtatuant Gentes, neque fortuito, neque hu-
& 2: 8. mana temeritate ad ſe perlatam fuiſſe Euangelii do-
ctrinam, ſed admirabili primum Dei conſilio, de-
inde aperta juſſione, dum teſtatum fecit hominibus
quod apud ſe decreverat.

Erant in Eccleſia.] Quid differant, meo ſaltem
Epheſ. 4. judicio, Doctores à Prophetis, quarto ad Epheſios
verſ. 11. capite, & prioris ad Corinthios duodecimo expo-
1 *Cor.* 12. ſui. Hoc loco poſſunt hæc duo eſſe ſynonyma, ut
verſ. 28. ſignificet Lucas, Viros complures in illa Eccleſia
fuiſſe ſingulari Spiritus gratia præditos ad docen-
dum. Certe non video, qui conveniat *Prophetas* ac-
cipere, qui vaticinandi dono pollerent: ſed potius
eximios Scripturæ interpretes notari arbitror. Ta-
les autem docendi & exhortandi munus obibant,
1 *Cor.* 14. quemadmodum teſtatur Paulus prioris ad Corin-
verſ. 27. thios quarto decimo. Spectandum eſt Lucæ conſi-
lium: Paulus & Barnabas Antiochenæ Eccleſiæ mi-
niſtri erant, inde nunc ipſos Deus alio evocat. Ne
quis putaret Eccleſiam illam probis & idoneis mini-
ſtris nudatam eſſe, ut cum ejus damno Deus aliis con-
ſuleret: occurrit Lucas, ac docet tales fuiſſe ejus
copias, ut aliorum inopiæ ſuccurrens, nihilominus
reſiduum haberet, quantum in uſum ſuum eſſet ſa-
tis. unde apparet, quam liberaliter effuſa fuiſſet Dei
gratia in Eccleſiam illam, unde rivi huc illuc de-
duci poſſent. Sic etiam noſtro tempore quaſdam
Eccleſias Deus præ aliis locupletat, ut ſint ad pro-
pagandam Euangelii doctrinam ſeminaria. *Ma-
naim*, qui ſimul educatus fuerat cum Herode, ex
nobili aliqua familia ortum fuiſſe oportet, qui
Herodi ſodalis additus fuerit. Hoc autem data opera
Lucas commemorat, ut pietatem ejus nobis præ-
dicet: quia contempto mundi ſplendore, ad humi-
lem & contemptum Chriſti gregem ſe contuliſſet.
Poterat certe unus eſſe ex præcipuis aulicis, ſi in ani-
mo ejus regnaſſet ambitio: atqui ut Chriſto ſe totum
addicat, non recuſat illos honorum fumos cum
probro & ignominia mutare. nam ſi reputamus
qualis tunc fuerit Eccleſiæ conditio, non potuit
Euangelio nomen dare, quin ſe vulgari infamiæ
ſubjiceret. Ergo ejus exemplo erudire nos Do-
minus voluit ad mundi contemptum, ut forti al-
toque animo calcare totum mundum diſcant, qui ali-
ter vere non poſſunt eſſe Chriſtiani, quin ea quæ
carni pretioſa ſunt, tanquam noxia impedimenta
abjiciant.

2. *Miniſtrantibus illis Domino.*] Verbum quo
utitur Lucas, non modo Sacris operari, ſed inter-
dum etiam Publica munia obire ſignificat. Cæte-
rum quoniam Gentilium ſacra ut plurimum hoſtiis
& victimis conſtabant, ſæpe pro Sacrificia offerre
accipitur. qui ſenſus Papiſtis maxime arriſit, ut ali-
quod fuiſſe in uſu Apoſtolis ſacrificium probarent.
Verum ut illis detur quod poſtulant, ridicule tamen
in ſuæ Miſſæ patrocinium Antiochenos doctores ſa-
crificaſſe obtendunt. Primo, quum verbum ſit plu-
ralis numeri, ſequetur, Miſſas fuiſſe à ſingulis ce-
lebratas. Sed omiſſis ineptiis, conſiderandum eſſe
dico, quale ſacrificii genus Eccleſiæ ſuæ Chriſtus
commendaverit. Fingunt Papiſtæ ſibi ad immolan-
dum Chriſtum & pacem cum Deo ejus mactatione
redimendam, injunctum eſſe ſacerdotii munus. Hu-
jus rei adeo in Scriptura nulla fit mentio, ut potius
hunc ſibi uni honorem Filius Dei vendicet. Quare
aliud eſt Chriſtianæ Eccleſiæ ſacerdotium, ut ſcili-
cet quiſque ſe & ſua Deo offerat: publici autem mi-
niſtri ſpirituali Euangelii gladio animas ſacrificent,
quemadmodum Paulus quinto decimo ad Romanos *Rom.* 15.
docet. Adhæc, preces omnium piorum, ſpiritua- *verſ.* 16.
les ſunt labiorum vituli, quibus rite placatur Deus, *Oſe.* 14.
quum illi è ſacro altari offeruntur, hoc eſt, Chri- *verſ.* 3.
ſti nomine. decimo tertio capite ad Hebræos. *Heb.* 13.
Quum ergo nunc Lucas recitat *miniſtraſſe* Deo *verſ.* 15.
Prophetas & Doctores, quum loquutus eſt illis
Spiritus: nihil aliud intelligo, quam fuiſſe tunc
in actione publica. Addit jejunium, ut ſciamus
eorum mentes omni impedimento fuiſſe ſolutas, ne
quid obſtaret quominus vaticinio magis attentæ
eſſent. Cæterum, dubium eſt, fueritne ſuſceptum
ab illis ex profeſſo jejunium, an ſolum ſignificet Lu-
cas, uſque ad tempus illud fuiſſe jejunos. Hoc qui-
dem extra controverſiam eſt, expreſſas fuiſſe iſtas
circumſtantias, quo plus fidei apud nos habeat Pauli
vocatio.

Segregate mihi.] Jubet Deus Eccleſiæ ſuffragiis
emitti Paulum & Barnabam, quo ipſos deſtinavit.
unde colligimus, nullam eſſe legitimam Paſtorum
electionem, niſi in qua Deus primas tenet partes.
Nam quod juſſit ab Eccleſia eligi Paſtores & Epiſco-
pos, non ideo tantum licentiæ permiſit hominibus,
quin ipſe tanquam ſummus moderator præſideat.
Differt quidem ab hac Pauli & Barnabæ deſigna-
tione, ordinaria Paſtorum electio, quia futuros
Gentium Apoſtolos cæleſti oraculo conſtitui opor-
tuit: quod quotidie in ordinandis Paſtoribus fieri
neceſſe non eſt. Hoc tamen commune habent, quod
ſicuti Paulum & Barnabam teſtatus eſt Deus ſuo de-
creto jam ad Euangelium prædicandum deſtinatos
eſſe: ita non alios ad docendi munus vocari fas eſt,
niſi quos jam Deus ſibi quodammodo delegit. Por-
ro neceſſe non eſt, ut nobis Spiritus è cælo inclamet,
divinitus vocatum eſſe eum de quo agitur: quia
quos Deus inſtruxit neceſſariis dotibus, quum ejus
manu formati ſint & aptati, non ſecus ac de manu
(ut aiunt) in manum ab eo nobis traditos recipi-
mus. Sed quod hic dicit Lucas, Paulum Eccleſiæ
ſuffragiis ordinatum eſſe: videtur minime Pauli
verbis eſſe conſentaneum, ubi ſe vel ab homini- *Galat.* 1.
bus, vel per homines vocatum eſſe negat. Reſpon- *verſ.* 1.
deo, multo ante creatum fuiſſe Apoſtolum, idque
nullis hominum ſuffragiis, quam ad Gentes mitte-
retur: & jam Apoſtolatu per annos complures
functus erat, quum novo oraculo ad Gentes accitus
fuit. quare ut Deum habeat Apoſtolatus ſui aucto-
rem, non immerito humana excludit. Nec vero
ideo nunc ab Eccleſia ordinari eum præcipit, ut
ab hominum judicio ejus vocatio pendeat: ſed de-
cretum illud ſuum quod paucis adhuc notum erat,
Deus nunc promulgat publico edicto, & ſolenni Ec-
cleſiæ ſubſcriptione obſignari jubet. Senſus ergo ver-
borum eſt, Jam adeſſe tempus, quo Paulus Euange- *Epheſ.* 2.
lium ſpargat inter Gentes, & diruto pariete Eccle- *verſ.* 14.
ſiam colligat ex Gentibus, quæ prius extraneæ fue-
rant à regno Dei. nam quamvis hactenus ejus opera
Deus Antiochiæ & alibi uſus eſſet, hoc nunc demum
peculiare acceſſit, quod Gentes voluit in eandem
cum Judæis vitæ hæreditatem cooptare. Quod ſi ab
initio ſic creatus eſſet Eccleſiæ doctor, ne tum qui-
dem per homines fuiſſet vocatus. nam quum Domi-
nus à ſe vocatum pronunciat, quid reliquum facit
Eccleſiæ, niſi ut obedienter ſubſcribat? neque enim
hic interponitur hominum judicium quaſi in re am-
bigua, neque ſuffragiis eſt libertas. Sed tenendum

Digitized by Google

eſt quod dixi, non conſtitui nunc demum in ordine Doctorum Paulum & Barnabam: ſed extraordinarium illis munus injungi, ut vulgo ad Gentes proferre Dei gratiam incipiant. Atque id ſonant verba quum dicitur, *Segregate ad opus.* Novum enim opus proculdubio, & adhuc inuſitatum deſignat. Sed quomodo ſocius hic & collega Paulo adjungitur Barnabas, quem nuſquam legimus docendi officio functum eſſe? imo qui loquendi partes ſemper Paulo, tacitus ipſe, conceſſit? Reſpondeo, ſatis multas loquendi occaſiones illi ſubinde, abſente Paulo, fuiſſe oblatas: ut ſatis eſſet ambobus negotii. neque enim locis omnibus adeſſe ſemper unus poterat. Dubium quidem non eſt, quas Deus mandaverat partes fideliter obiiſſe, nec fuiſſe mutum ſpectatorem. diſerte vero conciones ab eo habitas non exprimi à Luca cur miremur, quando ex Paulinis vix milleſimam quamque recitat?

Dixit Spiritus.] Quicquid tergiverſandi cauſa objiciat Macedonius cum ſua ſecta, divinæ tamen Spiritus eſſentiæ clarius hic habemus elogium, & ſolidius quam ut eludi poſſit. Nihil magis Dei proprium eſt, quam ut poteſtate ſua & imperio unus Eccleſiam regat. atqui hoc juris ſibi vendicat Spiritus, quum jubet ſibi Paulum & Barnabam ſegregari, & ſuo nutu vocatos eſſe teſtatur. Certe mutilum & capite truncum Eccleſiæ corpus fateri neceſſe eſt, niſi Deum agnoſcimus, qui ſuo eam arbitrio conſtituit, qui præficit illi doctores, qui progreſſus ejus & ordinem moderatur. Sic etiam poſtea cap. 20. in
Act. 20. verſ. 28. Pauli concione habebimus, Epiſcopos omnes à Spiritu ſancto poſitos eſſe, qui Eccleſiam gubernent. atqui nemo legitimus Eccleſiæ Paſtor cenſendus, eodem Paulo teſte, niſi qui à Deo vocatus eſt: nec alia nota Deus pſeudoprophetas deſignat, quam quod ipſe eos non miſerit. Ergo Spiritum ſanctum vere Deum eſſe colligimus, cujus auctoritas ad eligendos Paſtores ſufficit, & cujus ſummum in illis
Jeſa. 48. creandis imperium eſt. Quod item ex Iſaiæ verbis confirmatur: Et nunc ecce Jehova miſit me & Spiritus ejus. Notandum præterea ex his verbis, quod ſit perſona vere in Deo ſubſiſtens. Nam ſi Sabellii commentum admittimus, quod Spiritus nomen hypoſtaſin non deſignet, ſed nudum ſit epitheton: inepta & abſurda erit loquutio, quod Spiritus ſanctus dixerit. inepte etiam Iſaias ei adſcriberet Prophetæ miſſionem.

3. *Quum jejunaſſent & precati eſſent.*] Ut obediant oraculo, Paulum & Barnabam non tantum dimittunt, ſed etiam ſolenni ritu inſtituunt Gentium Apoſtolos. Jejunium hoc ex profeſſo ſuſceptum eſſe non dubium eſt. Jejunos prius fuiſſe dixit Lucas, quum miniſtetio ſuo intenti eſſent. id fieri poterat ex more: nunc diverſa ratio eſt. Nam indicto publice jejunio, quod in rebus arduis & magnæ difficultatis fieri ſolebat, ſe & alios ad ſerium precandi ardorem incitant. Etenim orationi adminiculum hoc ſæpe in Scriptura additur. Atqui (tantæ molis erat Chriſti regnum inter Gentes erigere) non immerito Antiocheni doctores ſollicite Dominum rogant, ut det pares ſervis ſuis humeros. Finis autem orandi non erat, ut Spiritu prudentiæ & diſcretionis illorum judicia regeret Deus ad eligendum: quia de hac re ſublata erat diſputatio: ſed ut Dominus prudentiæ & fortitudinis Spiritu eos inſtrueret, quos ipſe jam ſibi delegerat: ut virtute ſua contra omnes Satanæ mundique inſultus invictos redderet: ut benediceret eorum labores, ne infructuoſi eſſent: ut januam aperiret novæ Euangelii promulgationi. Impoſitio manuum quam tertio loco recenſet Lucas, conſecrationis ſpecies erat: ſicuti dictum eſt capite 6. nam *Act. 6. verſ. 6.* ceremoniam quæ ex vetuſto Legis more recepta erat inter Judæos, retinuerunt Apoſtoli: non ſecus ac genuflexionem & ſimiles ritus ad exercendam pietatem utiles. In ſumma, non alio ſpectabat manuum impoſitio ſuper Paulum & Barnabam, quam ut eos Deo offerret Eccleſia, & ſuo conſenſu palam teſtatum faceret divinitus illis injunctum hoc munus eſſe. Nam vocatio proprie ſolius Dei fuit: externa autem ordinatio, Eccleſiæ, idque ex cæleſti oraculo.

4. Illi ergo emiſſi à Spiritu ſancto, profecti ſunt Seleuciam: & inde navigarunt in Cyprum.

5. Et quum eſſent Salamine, annunciarunt ſermonem Dei in Synagogis Judæorum. Habebant autem & Joannem miniſtrum.

6. Quum autem pertranſiiſſent inſulam Paphum uſque, invenerunt quendam pſeudoprophetam Judæum, cui nomen Bar-Jeſus:

7. Qui erat cum Sergio Paulo Proconſule viro prudente. Hic accitis Barnaba & Paulo, quærebat audire ſermonem Dei.

8. Reſiſtebat autem his Elymas magus (ſic enim exponitur ejus nomen) quærens avertere Proconſulem à fide.

9. Saulus autem, qui idem Paulus, plenus Spiritu ſancto, & intentis in eum oculis,

10. Dixit, O plene omni dolo & malitia, fili diaboli, inimice omnis juſtitiæ, non ceſſas ſubvertere vias Domini rectas?

11. Et nunc ecce manus Domini ſuper te, & eris cæcus, non videns ſolem uſque ad tempus. continuo autem cecidit ſuper eum caligo & tenebræ: & circumiens quærebat qui eum manu ducerent.

12. Tunc videns Proconſul quod acciderat, credidit, admirans ſuper doctrina Domini.

4. *Emiſſi à Spiritu ſancto.*] Nulla hic electionis ab Eccleſia factæ mentio, quia vocatio prorſus divina erat: tantum manu Dei oblatos amplexa erat Eccleſia. Dicit primo veniſſe Seleuciam, quæ erat urbs Syriæ. Fuit quidem ejuſdem nominis regio: ſed magis probabile eſt Lucam de urbe loqui, ex qua brevis in Cyprum trajectus erat.

5. Salamine primum, quæ eſt urbs Cypri ſatis nota & celebris, munus docendi aggreſſos eſſe narrat. Videntur tamen perperam auſpicari: nam quum ſpecialiter miſſi ſint ad Gentes, Judæis tamen annunciant Dei ſermonem. Reſpondeo, non ita fuiſſe Gentibus addictos, ut poſthabitis Judæis neceſſe eſſet protinus ad Gentes concedere. neque enim Deus quum illos Gentibus attribuit doctores, munere abdicavit quod hactenus exercuerant. Ita nulla ratio prohibuit quin Judæis promiſcue & Gentibus operam ſuam conferrent: quin etiam à Judæis fieri

debuit

debuit exordium, ut in fine capitis videbimus. Addit etiam obiter Lucas, adjutos fuiſſe à Joanne. neque enim privatim, vel ad uſus corporis miniſtrum illis fuiſſe ſignificat: ſed potius quod ad prædicandum Euangelium adjutor fuerit, pium ejus ſtudium & induſtriam laudat. Non quod æqualis eſſet honoris gradus, ſed communis omnium opera: quo minus excuſabilis poſtea fuit, quum ſanctam vocationem deſereret.

6. *Quum tranſiiſſent.*] Credibile eſt non caruiſſe prorſus fructu hunc tranſitum: & certe non tacuiſſet Lucas de generali repulſa. ſed ſatis habuit dicere, non fuiſſe in itinere ab officio docendi feriatos, ad hiſtoriam memorabilem properans, quam mox narrabit. Cæterum quum Salamis in littore orientali ſita Syriam ſpectaret, Paulum & Barnabam, ut Paphum venirent, per mediam inſulam iter facere oportuit ad latus oppoſitum. Nam Paphus urbs maritima erat verſus meridiem. Porro quum tota inſula Veneri ſacra eſſet, præcipua tamen idoli ſedes erat Paphus. quo magis admiranda eſt Dei bonitas, quod Euangelii ſui lucem in tam fœdam ac tetram ſpeluncam penetrare voluerit. Qualis enim integritas, & pudicitia, & honeſtas, & temperantia in ea urbe viguerit, conjicere inde licet, quod religio incolis ſummam ad quævis probra & flagitia licentiam dabat.

Invenerunt pſeudoprophetam quendam.] Quum prorſus apud Judæos corrupta eſſet religio, non mirum eſt ſi ad multas impias ſuperſtitiones delapſi ſint. Quum autem hactenus profeſſi eſſent peculiarem ſe quendam Deum colere, ſpecioſus hic fuit ad fallendum color, quum ignoti Dei nomen licenter prætexerent: ſed hoc mirum eſt, quomodo gravem & prudentem virum ſuis præſtigiis capere potuerit Elymas. Scimus enim Judæos tunc fuiſſe toti mundo exoſos: præſertim vero apud Romanos una cum odio extremus erat eorum contemptus. Jam Lucas non ſine cauſa Sergii prudentiam diſerte commendat, ne quis ſtultitiam ejus ac levitatem putet magi impoſturis fuiſſe obnoxiam. Voluit ſcilicet in claro ſpeculo oſtendere, quam evanida ſit & nihili carnis prudentia, quæ ſibi à tam craſſis Satanæ fallaciis cavere nequit. Et certe ubi non lucet Dei veritas, quo magis homines ſapere videntur, eo turpius deſipiunt. videmus quam fœda ſuperſtitionum prodigia in gentibus maxime acutis, & omni doctrinæ genere excultis graſſata ſint. Ergo nec judicium, nec prudentia niſi à Dei Spiritu. Atque hæc juſta Dei ultio eſt in omnes idololatras, ut in reprobum ſenſum tra-
Rom. 1. verſ. 28. diti nihil diſcernant. Rom. 1. cap. Quanquam fieri poteſt, ut veterum ſuperſtitionum tædio Sergius Paulus ad puriorem Dei cultum jam tunc aſpiraverit quum incidit in magum illum. quod ſi recipimus, admirabile ſane Dei judicium fuit, quod hominem pio deſiderio affectum paſſus ſit in exitiales Satanæ decipulas ſe projicere. Sed electos ſuos interdum ſic Deus exercet, ut circumagat per varios errores, antequam in viam dirigantur.

7. Quod autem Sergius Paulus melius aliquid appetens quam quod à pueritia didicerat, infeliciter ad diverſas ſuperſtitiones tractus fuerit, inde conjicio, quod Paulum & Barnabam ultro ſibi accerſit magiſtros. quandam ergo veri Dei licet adhuc ignoti reverentiam conceperat, & quum perſuaſus eſſet verum eſſe Deum qui in Judæa colebatur, cupiebat ex ejus verbo puram & certam pietatis regulam cognoſcere: guſtatis pſeudoprophetæ deliriis ſuſpenſus hæret. Nec dubium eſt, quin ſollicitet Deus ejus animum, ne in vanitate prorſus acquieſcat, quamvis ſa ad tempus homini improbo fallendum permitteret.

8. *Avertere Proconſulem à fide.*] Non mirum eſt, ſi lucem repellere conetur impoſtor, qua videbat tenebras ſuas diſcuti. Idem hodie nobis certamen eſt cum innumeris rabulis, qui fumos ſuos vendere ſoliti, quibus poſſunt artibus & fallaciis ſimplicium oculos claudunt, ne exortum juſtitiæ Solem cernant. Cum talibus impedimentis nobis luctandum eſt. nam ut non ſemper & ubique præſto ſint magi qui negotium nobis faceſſant, ſatis multa avocamenta ingerit Satan, quæ mentes noſtras occupant ad Chriſtum arcendum: quibus excipiendis nimis prompta eſt caro. Denique & mundi illecebræ, & pravi carnis noſtræ affectus totidem ſunt incantationes, quibus fidem Satan evertere non deſinit.

9. *Saulus autem, qui & Paulus.*] Oſtendit nunc Lucas quomodo nodum Deus abruperit quo Proconſul ligatus erat. nam quum mago nimis eſſet deditus, non poterat tanquam ſolutus & liber veram doctrinam amplecti: incredibili enim modo quas illaqueavit mentes diabolus ſibi mancipatas tenet, ut apertiſſimam veritatem non cernant: illo autem proſtrato facilis ad Proconſulem Paulo aditus fuit. Obſerva autem quod dicit Lucas *fidem* everti, quum oppugnatur Dei verbum. unde colligere licet, fidem in verbo eſſe ita fundatam, ut abſque hac fultura ad quoslibet impetus labaſcat: imo nihil aliud eſſe quam ſpirituale verbi Dei ædificium.

10. *Plene omni dolo.*] Tantus excandeſcentiæ ardor non temere obrepſit Paulo. nullum enim profectum ſperabat, ſi moderata & placida ratione ageret. Semper quidem exordiendum à doctrina: monendi etiam, hortandi, & ſtimulandi ſunt, quos nondum penitus obſtinatos eſſe conſtat. Nec certe Paulus primo ſtatim ingreſſu tam vehementer in magum fulminat: ſed ubi eum videt malitioſe & ex profeſſo cum pietatis doctrina bellum gerere, non ſecus ac Satanæ mancipium tractat. Sic cum deploratis Euangelii hoſtibus agendum, in quibus aperta contumacia, & impius Dei contemptus ſe profert: præſertim ubi aliis viam obſtruunt. Ac ne quis præter modum excanduiſſe Paulum exiſtimet, diſerte exprimit Lucas, Spiritus inſtinctum illi fuiſſe ducem. quare non modo reprehenſione caret hic zeli fervor, ſed horribilem metum incutere debet profanis Dei contemptoribus, qui inſurgere contra ejus verbum non dubitant: quandoquidem in eos omnes non ab homine mortali, ſed à Spiritu ſancto per os Pauli fertur hæc ſententia. Quantum ad verba ſpectat, locus hic refellit eorum errorem, qui Saulum putant nomen ſibi ex Proconſule ſumpſiſſe, quaſi victoriæ trophæum erigeret. multæ quidem ſunt in contrariam partem rationes, & ſatis validæ: verum locus hic unus ſufficit, ubi demonſtrat Lucas nondum adducto ad fidem Proconſule, fuiſſe binominem. Nec dubium eſt, quin gentile inter Judæos nomen retinuerit. ſcimus autem hoc fuiſſe uſitatum, ut qui cives erant Romani, nomen aliquod Italicum mutuarentur. Verſutiam Lucas dolo conjungit, quæ ſinceritati contraria eſt: dum ſcilicet aſtuti homines verſatile ſuum ingenium huc illuc transformant, ut nihil habeant unum vel ſimplex. quanquam nomen Græcum, quo utitur Lucas, promptam ad nocendum audaciam ſignificat: ſed prior ſignificatio melius convenit. Per *filium diaboli* intelligitur homo perditus, ac deploratus. Tales ſunt omnes qui malitioſe & quaſi data opera quod juſtum eſt ac rectum oppugnant: ideo ſubjicit Paulus magum eſſe *inimicum* omnis juſtitiæ.

Non deſinis evertere.] Vias Domini appellat totam rationem qua nos ad ſe deducit. hanc teſtatur planam eſſe & rectam: magum autem accuſat, quod ſuis ambagibus & ſtrophis eam contortam, flexuoſam, & perplexam reddat. Unde utilis doctrina colligi poteſt, diaboli ſcilicet aſtu fieri, ne facili curſu ad Dominum pergamus: ſimplicem enim viam & minime ſpinoſam in verbo ſuo nobis monſtrat. Quare ſedulo cavendi ſunt impoſtores, qui ſuis vel ſalebris, vel ſpinis viam impediunt, vel reddunt

 nobis

nobis aſperam. Hic vero repetere iterum convenit quod prius attigi, non ſemper dandum eſſe vitio Chriſti ſervis, ſi violento impetu ferantur contra profeſſos ſanæ doctrinæ hoſtes: niſi forte Spiritum ſanctum intemperantiæ reum agere libeat. Neque tamen ignoro quam proclivis ſit hac in parte lapſus: quo magis ad cavendum intentos eſſe pios doctores neceſſe eſt. primum, ne zeli prætexto, carnis affectibus indulgeant: deinde, ne præcipiti & intempeſtivo fervore ebulliant, ubi adhuc moderationi eſt locus: tertio, ne futilibus ac indecoris convitiis habenas laxent: ſed tantum ut rei indignitatem verborum gravitate exprimant. Talis fuit ſancti zeli & ſpiritus vehementia in Prophetis: quam ſi turbulentam judicant molles & delicati homines, non reputant quam chara & pretioſa ſit Deo ſua veritas. Nunc non unus Elymas ad ſubvertendam fidem inſurgit, ſed innumeri, & quidem longe ſceleratiores. videmus enim quam ſacrilega audacia omni honore Deum ſpolient, quam fœdis corruptelis totam religionem profanent, quam crudeliter miſeras animas præcipitent in æternum exitium, quam indigne Chriſto illudant, quam fœde totum Dei cultum deforment, quam atrocibus probris lacerent ſacram Dei veritatem, quam barbara tyrannide Eccleſiam Dei vaſtent: ut eos dicas Deum pedibus calcare. Sunt tamen moroſi plerique Philoſophi, qui furioſos illos gigantes blanditiis mulceri vellent. Atqui quum tales palam ſit nunquam guſtaſſe quid ſibi velit illud,
Pſal 69. verſ. 10. Zelus domus tuæ comedit me: eorum frigore, aut veterno potius valere juſſo, acriter, ut decet, in aſſerenda Dei gloria uſque ad ſummum fervorem efferamur.

11. *Ecce manus.*] Manus hic ponitur ad plagam infligendam: quo ſignificat Deum hujus vindictæ eſſe auctorem, ſe vero duntaxat miniſtrum. Porro, hæc facultas mihi eſſe videtur, quam Paulus ipſe 12.
1 Cor. 12. verſ. 28. prioris ad Corinth. δυνάμεις appellat. Nam ſicuti pollebant virtute Spiritus ad juvandos miraculis fideles,
Act. 5: 5. ſic flagellum in manu habebant quo rebelles & obſtinatos domarent. Talem Petrus in Anania & Sapphira Dei vindictam exeruit: ſed quoniam miracula ut plurimum Chriſti naturam referre debebant, qui totus humanus eſt, ſuavis, beneficus, & miſericors; ideo rara diverſæ potentiæ exempla per Apoſtolos edi voluit. neque putandum eſt hac facultate fuiſſe inſtructos, quoties libitum eſſet quempiam ulciſci: ſed Spiritus Dei, qui ſic eos armabat, idem ad rectum & legitimum uſum director fuit. Itaque memoria tenendum eſt quod prius habuimus, Paulum Spiritus inſtinctu loquutum eſſe. Porro, vindictæ genus valde appoſitum fuit. nam quum ſolem obtenebrare magus tentaret, & aliis præripere lucis beneficium, ipſe in horribiles tenebras jure demerſus fuit. Sed quum hodie multi ex Papiſtis impietate magum iſtum ſuperent, mirum videri poteſt cur illis impune cedat audacia, in qua tam inſolenter ſe jactant. An manus Dei imbecillior eſſe cœpit? an illum minor tangit gloriæ ſuæ cura? an vindicandi Euangelii ſtudium remiſit? Reſpondeo, viſibilem hanc pœnam quæ mago ſemel inflicta fuit, & ſimiles, perpetuæ iræ Dei exempla eſſe in eos omnes qui puram Euangelii doctrinam vel corrumpere & adulterare, vel palam ſuis calumniis oppugnare non verentur. ſcimus enim in hunc finem ad tempus edita fuiſſe miracula, ut perpetuo vigeant, ac ante oculos verſentur, nobiſque luceant ad ſpectanda Dei judicia, quæ oculis non ita conſpicua ſunt. Cæterum, Deo hanc vel illam rationem, qua puniat hoſtes ſuos, præſcribere noſtrum non eſt. Sergius Paulus, qui ante virilem ætatem nullum religionis veræ guſtum habuerat: qui à pueritia variis ſuperſtitionibus imbutus, valde ardua obſtacula habebat quæ ipſum à fide prohiberent: qui poſtremo magi deliriis faſcinatus, vix poterat ad fidem accedere: non levibus adminiculis opus habuit. hinc ſactum eſt, ut Deus quaſi è cælo manum aperte porrigeret: quanquam in ejus perſona, nos omnes adjuvit. Idem enim Euangelium, cujus tunc ſancita fuit auctoritas, hodie nobis prædicatur. neque tamen ita ceſſat Deus, quin diverſis modis formidabilem ſuam potentiam contra Euangelii hoſtes exerat: niſi ad ejus judicia tam hebetes nobis eſſent oculi.

12. *Tunc Proconſul videns.*] Hoc eſt quod dixi, abruptos fuiſſe laqueos, quibus ipſum devinctum Elymas tenebat. miraculo enim ad fidem deductus fuit: quia initium fidei eſt ac præparatio, doctrinæ reverentia. Quum ergo minime obſcurum divinæ virtutis ſpecimen oculis cerneret, Paulum agnovit divinitus miſſum eſſe: atque ita ejus doctrinam, in cujus fide prius hæſitabat, ſuſpicere incepit. Nunc ſi Dominus Euangelii fidem, quæ tot tamque validis undique machinis concutitur, mirabiliter in multorum animis firmam ſuſtinet, ſi incredibili modo facit ut per mille obſtacula eluctetur fidei curſus: hac ejus gratia contenti, ne obmurmuremus vel cum eo expoſtulemus, acſi deterior eſſet noſtri conditio, ſi miracula quotidie nova pro voto noſtro non fiant.

13. Quum autem à Papho ſolviſſent Pauli comites, venerunt Pergen Pamphyliæ. Joannes autem digreſſus ab ipſis, reverſus eſt Jeroſolymam.

14. Porro illi quum regionem tranſiſſent Pergæ, venerunt Antiochiam Piſidiæ, & ingreſſi in Synagogam die Sabbathorum, ſederunt.

15. Poſt lectionem vero Legis & Prophetarum, miſerunt magiſtri Synagogæ ad eos, dicentes, Viri fratres, ſi eſt in vobis ſermo exhortationis ad populum, dicite.

13. Narratur hic altera Pauli ſtatio. nam Papho digreſſus, quum veniſſet Antiochiam Piſidiæ, illic memorabilem concionem habuit, quam una cum ſucceſſu referet Lucas. Prius tamen obiter commemorat Joannis diſceſſum, quia poſtea triſtis diſſidii cauſa fuit. Quum dicit Pauli comites *ſolviſſe* Papho, primo loco intelligit Paulum ipſum, deinde alios, excepto uno. Ita notando ejus mollitiem, alios laudat, qui infatigabili conſtantia Paulum ſequuti ſunt.

14. *Ingreſſi die Sabbathorum.*] Numerum pluralem loco ſingularis poſuit, ſicuti alibi ſæpe in Scriptura occurrit. Solebant enim Sabbathis convenire, ne ipſorum otium inutile & ignavum foret. Habebat quidem Sabbathi inſtitutio & alium finem, ut ſpiritualis quietis eſſet figura, dum fideles mundo & carni mortui, propria voluntate ſe abdicant & ceſſant à ſuis operibus. Hujus veritas, quia nobis conſtat in Chriſto, dum illi conſepulti exuimus veterem hominem, ideo vetus figura præteriit. Sed Deus politicum uſum ſimul ſpectavit, ut Judæi curis omnibus aliis & negotiis ſoluti, ſacros conventus agerent. ita ceſſatio ab operibus terrenis, cæleſtibus ſuis exercitiis locum dabat. Sic & hodie feriis utendum eſt. ideo enim alia omnia intermittere convenit, ut liberius Deo vacare liceat.

15. *Poſt lectionem Legis.*] Precum nulla fit mentio, quas tamen certum eſt minime omiſſas vel neglectas fuiſſe. ſed quia Lucæ propoſitum erat referre quam Paulus illic habuit concionem, non mirum eſt ſi ſolum commemoret quæ ad docendi ordinem ſpectabant. Eſt autem hic inſignis locus, ex quo diſcimus qualis illo ſeculo apud Judæos tractandæ doctrinæ fuerit ratio. Legi & Prophetis dabatur primus locus: quia nihil Eccleſiæ proponere fas eſt,

quod non ex illo fonte hauſtum fuerit. Hinc etiam colligimus, non ſuppreſſam fuiſſe inter paucos Scripturam, ſed omnes ad ejus lectionem promiſcue fuiſſe admiſſos: poſtea, qui docendi & exhortandi gratia pollebant, ſecundas habebant partes tanquam interpretes Scripturæ quæ lecta erat. Oſtendit tamen poſtremo Lucas, non omnibus permiſſum fuiſſe loqui, ne ex licentia naſceretur confuſio: ſed exhortandi munus certis hominibus fuiſſe mandatum, quos principes Synagogæ, aut magiſtros nominat. Itaque Paulus & Barnabas non ſtatim ad loquendum prorumpunt, ne conſuetum ordinem nimia feſtinatione perturbent: ſed modeſte expectant, dum fiat dicendi copia: idque eorum permiſſu penes quos publico conſenſu auctoritas erat. Scimus quam corruptus tunc fuerit illius populi ſtatus, & Lucas tandem in fine capitis oſtendet, Antiochenos iſtos in reſpuenda Chriſti gratia pluſquam ſuperbos & præfractos fuiſſe: & tamen hoc boni reſiduum inter ipſos erat, ut eorum cœtus decenter & honeſte eſſent compoſiti. quo magis pudenda eſt tam deformis confuſio, qualis hodie inter eos qui Chriſtiani haberi volunt, conſpicitur. Scripturam quidem Papiſtæ in ſuis templis alta & ſonora voce cantillant, ſed lingua incognita, ut nullus ad populum fructus redeat. Raro quicquam doctrinæ accedit: ac tunc quoque longe præſtaret ſilere impios rabulas, qui pro Dei verbo impura ſua commenta ingerunt, & impietatum ſuarum fœtore contaminant quicquid ſacrum eſt.

Si quis in vobis eſt.] Hæc loquutio denotat quicquid eſt in hominibus gratiæ ad Eccleſiam ædificandam, id eſſe quaſi depoſitum. Quanquam particula *in*, ſecundum phraſin Hebraicam, poteſt ſupervacua eſſe. Ideo preſſius in ea re non inſiſto: quia ſimplex poteſt eſſe ſenſus, Siqua vobis exhortatio eſt quæ apta ſit, & utilis populo. Cæterum exhortatio doctrinam non excludit. ſed videtur hoc nomen communi uſu fuiſſe apud eos receptum, quia proprie Doctoris officium eſt, non proferre quicquam ex ſuo ſenſu novum: ſed Scripturam, qua comprehenditur tota piorum ſapientia, ad præſentem populi uſum aptare. Hoc modo non tam docent, quam doctrinam aliunde ſumptam in ædificationem Eccleſiæ accommodant, quod ego per verbum *exhortandi*, notari arbitror.

16. Surgens autem Paulus, quum manu ſignum ſilentii dediſſet, dixit, Viri fratres qui timetis Deum, audite.

17. Deus populi hujus elegit Patres noſtros, & populum extulit, quum inquilinus eſſet in terra Ægypti: & eos eduxit inde brachio excelſo.

18. Et circiter quadraginta annos tulit eorum mores in deſerto.

19. Et deletis ſeptem gentibus in terra Chanaan, terram ipſorum illis hæreditariam dedit.

20. Poſthæc annis circiter quadringentis & quinquaginta dedit Judices uſque ad Samuelem Prophetam.

21. Inde poſtularunt Regem, & dedit illis Deus Saul filium Cis, virum ex tribu Benjamin, annis quadraginta.

22. Et ſublato illo ſuſcitavit illis David in Regem, de quo teſtimonium reddens, dixit, Inveni David filium Jeſſe, virum ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.

23. Cujus ex ſemine Deus ſecundum promiſſionem ſuſcitavit Iſraëli Salvatorem Jeſum.

16. Initio notandus eſt concionis ſtatus, ne putemus verba temere in aërem fundi. videtur quidem ab ovo ordiri Paulus, ſed nihil dicit quod non optime præſenti inſtituto conveniat. Conſilium ejus eſt, Judæos ad Chriſti fidem adducere: quod ut fiat, oſtendi illis neceſſe eſt, hoc uno ipſos excellere præ aliis gentibus, quia illis promiſſus eſt Salvator: cujus regnum ſumma & unica ejus ſit felicitas. Hoc igitur Pauli exordium eſt, Quod electi ſint olim, ut peculiaris eſſent Dei populus: quod tot beneficiis, quantumvis indignos ſe præſtarent, continua ætatum ſerie fuerint affecti: hoc à promiſſione Meſſiæ pendere, & ſpectare ad eum ſcopum, ut per manum Meſſiæ eos Deus gubernet; ac proinde nihil eſſe quo glorientur niſi ſub caput ſuum colligantur, imo niſi oblatum recipiant, irritum fore vitæ fœdus quod Deus cum Patribus ipſorum pepigerat, nullamque fore adoptionem. Huc ſpectat prima pars concionis, præcipuum hoc eſſe Legis caput, & fœderis divini fundamentum, ut Chriſtum habeant ducem ac præſidem, qui omnia apud eos inſtauret: ſine eo nec ſtare religionem poſſe, & ipſos fore miſerrimos. Inde Paulus ad alterum membrum deſcendit, quod Jeſus ille quem prædicat, vere ſit Chriſtus, per quem exhibita ſit ſalus populo. modum etiam redemptionis per ipſum partæ explicat. præterea de virtute ejus & officio diſſerit, ut ſciant quid ab ipſo bonorum ſperandum ſit. Extrema clauſula objurgationem continet. horribile enim illis judicium minatur, ſi auctorem ſalutis ultro ſe offerentem reſpuant: ad quem cupide expetendum Lex & Prophetæ eos ſollicitant. Hæc fere ſumma eſt: nunc ſingula ſuo ordine excutiam.

Viri fratres.] Quia ſatis tenebat Paulus multos eſſe degeneres Abrahæ filios, duplici nomine compellat Judæos quos alloquitur. Primo, vocat *fratres*, reſpiciens ad commune genus: ſimul tamen admonet veros fore Iſraëlitas, ſi Deum timeant. ac tunc quoque demum idoneos fore auditores: quia timor Domini, principium ſapientiæ. Eadem ratione attentos reddit fideles, & ſibi audientiam apud eos conciliat: acſi diceret, Quamvis multi ſe jactent filios Abrahæ, qui minime tanto honore digni ſunt, oſtendite vos non eſſe adulterinum ſemen. Hinc diſcamus non eſſe unius ſeculi vitium, quod probi & ſinceri cultores hypocritis permixti commune inter ſe habent Eccleſiæ nomen. ſed hoc ſedulo nobis agendum, ut re ipſa ſimus quod dicimur: quod præſtabit verus Dei timor, non externa tantum profeſſio.

17. *Deus populi hujus.*] Hæc præfatio teſtis erat Paulum minime novitatem aliquam moliri, quæ populum à Lege Moſis abduceret. Unus quidem eſt gentium omnium Deus: ſed *Deum* populi illius vocat, cui ſe devinxerat, & qui colebatur inter poſteros Abrahæ, penes quos ſolos pura & integra vigebat religio. Eodem pertinet quod mox ſubjicitur, *elegit Patres noſtros:* teſtatur enim his verbis, nihil ſe minus captare quam ut à Deo vero & vivo deficiant; qui eos à reliquo mundo ſegregavit. Nec mihi ſane dubium eſt quin clarius expreſſerit, ſe Deum illis non ignotum, vel novitium prædicare: ſed qui pridem eorum Patribus innotuerat. ita breviter complectitur ſolidam Dei notitiam, quæ in Lege fundata erat, ut ſtabilis maneat eorum fides ex Lege & Prophetis concepta. Interea tamen gratuitum Dei amorem erga populum illum commendat. unde enim factum eſt, ut ſoli Abrahæ filii, Eccleſia Dei eſſent ac hæreditas,

Non ſum ego. Sed ecce venit poſt me, cujus non ſum dignus ſubligacula pedum ſolvere.

26. Viri fratres, filii generis Abrahæ, & qui in vobis timent Deum, vobis ſermo ſalutis hujus miſſus eſt.

24. Scimus quale fuerit Joannis officium, nempe viam Domino parare. Ideo teſtimonium ejus adducit Paulus, ut Judæis probet, non fictitium ſe, ſed verum Dei Chriſtum prædicare, quem celeberrimus ille præco jam ante commendaverit. non quod ad rei tantæ probationem ſufficiat hominis teſtimonium: ſed Joannis alia erat ratio, quem fuiſſe Dei Prophetam paſſim omnes fere perſuaſi erant. Hinc ergo teſtimonii auctoritas, quod præco è cælo miſſus, non privatus quiſpiam de Chriſto verba facit. Duo autem ſummatim recitat Paulus de Joanne, quod baptiſmum pœnitentiæ docuerit ante Chriſti adventum: deinde quod titulum & honorem Meſſiæ ultro à ſe rejiciens, Chriſto ceſſerit.

Baptiſmum pœnitentiæ.] Baptiſmus præter Legis ritum & morem inductus magnæ fuit mutationis ſymbolum. neque enim ante Chriſti adventum quicquam novare fas erat. Habebant quidem Judæi in Lege ſuos baptiſmos, qui & ipſi pœnitentiæ exercitia erant: ſed Joannes novi & inſoliti baptiſmi auctor fuit, vel potius miniſter, qui ſpem inſtaurationis diu ſperatæ & deſideratæ faceret. Quum *baptiſmum pœnitentiæ* vocat, non excludit peccatorum remiſſionem, ſed loquitur pro circumſtantia loci, quod baptiſmus iſte præparatio fuerit ad Chriſti fidem. Et notanda eſt loquutio, quod *prædicavit* baptiſmum: qua monemur, tunc rite adminiſtrari Sacramenta, quum ad viſibilem figuram doctrina quoque accedit. neque enim os Baptiſtæ mutum eſſe decet: quia inane eſt ſine doctrina ſignum.

25. *Quum impleret Joannes curſum.*] Secundum membrum teſtimonii, quod Joannes ſtadii ſui metæ vicinus, diſcipulos Chriſto remiſit. Prius enim baptiſmi rudimento eos formaverat. tunc autem de manu (quod aiunt) in manum Chriſto eos tradidit. Interrogatio autem hæc, *Quem me arbitramini eſſe?* non eſt dubitantis. Reprehendit enim Joannes & objurgat Judæos, quod falſum illi Meſſiæ honorem deferrent. quanquam uno contextu legi poteſt, Non ſum quem eſſe me putatis: altera tamen lectio receptior, ut etiam plus vehementiæ habet ad refellendum errorem. Porro, longe plus fidei meretur ejus teſtimonium, quod oblatum ſibi honorem, quem non ſine plauſu accipere poterat, ſponte repudiat, & alteri cedit. Non poteſt certe ſuſpecta hic eſſe ambitio, nec ulla captatio, quæ fidem verbis deroget.

Ecce venit.] Hoc eſt, venturus eſt: phraſis Hebraica, ſatis trita etiam in Novo Teſtamento. Quum ſe indignum fatetur, qui *corrigias* ſolvat ex calceis Chriſti: proverbialis eſt figura, qua ſe extenuat quantum poteſt, ne ſua magnitudo Chriſti gloriam obſcuret. quod enim illi mandatum erat, fideliter curare voluit, ut ſolus Chriſtus præcelleret. ſe ergo quantus quantus eſt, præ illo nihil eſſe dicit. Quamvis enim Dei ſervis ſua conſtet dignitas: ubi tamen ad Chriſti comparationem ventum eſt, redigi in nihilum oportet omnes, ut ille unus emineat: ſicuti evaneſcere ſtellas omnes videmus, ut Solis fulgori locum cedant.

26. *Viri fratres.*] Iterum Judæos ad amplexandum Chriſtum Paulus exſtimulat. hoc enim non parum in eorum animis debebat ſtudii & attentionis excitare, quum audirent de ſalute ſua agi, & ſalutis nuncium ſibi proprie deſtinatum eſſe. *Filios Abrahæ* vocat, non tantum honoris cauſa, ſed ut ſe vitæ æternæ hæredes agnoſcant. ac tam blande eos compellat, ne durum ſit à Sacerdote & Scribis quos venerabantur, diſceſſionem facere: quod neceſſe erat, ut Chriſtum admitterent. Porro memoria tenendum eſt, quod ſuperius docui: quamvis Gentibus aperta eſſet janua regni cælorum, nondum tamen è ſuo gradu dejectos fuiſſe Judæos, quin primogeniti cenſerentur in Dei familia. Ergo *ſalutem* illis miſſam eſſe dicit, quia ordine priores erant. quia tamen carnale genus non multum per ſe habebat momenti, & multorum ſe prodebat impietas, ſpecialiter compellat Paulus veros Dei cultores, ſignificans fruſtra verba fieri, niſi in eorum cordibus regnet Dei timor, qui ea excipiat, exceptaque foveat. Notandum hoc elogium Euangelii, quod dicitur *ſermo ſalutis.* quare pluſquam ferrea ſit eorum durities oportet, quos ſua dulcedine non allicit. Cæterum, quamvis tale ſit natura, reprobis per accidens ſit odor mortis in mortem. *2 Cor. 3. verſ. 16.*

27. Nam qui habitabant in Jeruſalem, & principes eorum, quum eum ignorarent, & voces Prophetarum quæ Sabbathis omnibus leguntur: eo damnato, has impleverunt.

28. Et quum nullam cauſam mortis inveniſſent, rogarunt Pilatum ut eum tolleret.

29. Et poſtquam impleverunt omnia quæ de ipſo ſcripta erant, ſublatum è ligno poſuerunt in monumentum.

30. Deus autem ſuſcitavit eum ex mortuis.

31. Qui viſus fuit per dies complures his qui aſcenderant cum eo à Galilæa Jeroſolymam: qui ſunt teſtes ejus ad populum.

27. Prudenter & opportune ſcandalo occurrit, quod fidem eorum morari poterat. nam Jeroſolyma ſanctuarium Dei erat, ſedes regia, fons veritatis, & lux totius mundi. atqui illic occiſus fuerat Chriſtus. nihil porro in ſpeciem abſurdius videri poterat, quam eum ſuſcipere, qui è templo Dei ejectus foret: & aliunde petere ſalutis doctrinam, quam unde prodituram Deus ipſe teſtatus fuerat. Adde quod credendo in Chriſtum, diſceſſio fieri videbatur ab Eccleſia. Ac proinde una hæc objectio ad refutandam Pauli concionem ſatis erat valida, Quid nobis ſub prætextu divini fœderis hominem obtrudis quem præcipua pars ſancti populi damnavit? Hoc ſcandalum avertit Paulus, ne Euangelii curſum retardet. neque id modo, ſed id retorquet etiam in diverſam partem. Quia enim Jeroſolymæ contemptus & rejectus fuerat vitæ auctor, Antiochenos Paulus hortatur, ſaltem qui inter ipſos Deum timent, ut eum tanto alacrius ſuſcipiant. nam hoc indicat cauſalis particula: acſi dixiſſet, Quandoquidem Jeroſolyma bonum ſuum non agnovit, vos magis expergefieri & accendi convenit, ne eadem in vobis ingratitudo & pravitas reperiatur. Sed alia ad tollendum ſcandalum ratione utitur, quod ſcilicet adeo nihil eorum impietas divinæ Chriſti præſtantiæ derogaverit, ut potius ad eam comprobandam & ſtabiliendam valere debeat. Unde enim melius perſpicitur Chriſtus, quam quod in eo impletum eſt quicquid in *Luc. 24.*
Lege & Prophetis fuerat prædictum? Porro, quid *v. 25, 26.*
conſequuti ſunt Chriſti hoſtes, niſi quod in eo conſpi-

ſpicua refulſit Scripturæ veritas? Chriſtum reprobari à præcipuis oportuit: ſic enim prædictum fuerat Pſal. 118. *Pſal. 118. verſ. 22.* Lapidem quem reprobarunt architecti, hunc Deus in caput anguli conſtituit. Chriſtum oportuit damnari inter noxios, ut nos coram Deo abſolveret: illi imponi peccata noſtra, ut nos ab illis expiaret: immolari in cruce, ut umbratiles Legis victimæ ceſſarent. Nam & hæc continebat *Jeſa. 53. v. 4, 5. Dan. 9. verſ. 26.* Scriptura, Iſaiæ 53 Danielis 9. Ergo populi duces, quo majore impetu Chriſtum extinguere conati ſunt, reipſa probarunt ipſum eſſe Chriſtum, & mirabiliter eos fruſtratus eſt Dominus, ut obſtinata eorum impietas fidem piorum ædificet magis quam diruat. Ejuſdem fere generis ſunt ſcandala omnia, quæ à Chriſto infirmas & leves animas abducunt. Nam ſi propius expenderent totum operis Dei progreſſum, confirmationis materia eſſet, ubi labaſcunt. Fit ergo ut plurimum noſtra ſocordia, ut ſcandalis turbemur, quia torvis aut luſcioſis oculis intuentes quæ ad Chriſtum pertinent, quod album eſt, nigrum eſſe imaginamur. Videmus autem ut nihil Paulus diſſimulet, ſed ingenue profiteatur quod res eſt, Chriſtum non tantum hominibus gregariis, ſed primoribus etiam inviſum fuiſſe: nec fuiſſe à paucis exploſum, ſed oppreſſum impia totius populi conſpiratione. Durum & odioſum id primo conflictu erat, ſed validiorem machinam Paulus opponit, quod illis invitis Deus tanquam Lydio lapide uſus eſt, ad quem Filium ſuum probaret. Quum eadem quoque nunc Euangelii ſit conditio, ne pudeat nos cum Paulo fateri, ſuperbos mundi principes, & qui in Eccleſia primatum tenent, infeſtos eſſe Chriſti hoſtes, quando id in Chriſti gloriam potius quam probrum cedit. ſic enim impletur Scriptura.

Quum eum ignorarent.] Tametſi deliberata malitia principes ad Chriſtum opprimendum impulit, vere tamen Paulus ignorantiæ imputat: ſicut alibi, *1 Cor. 2. verſ. 8.* quum dicit, Abſconditam eſſe mundi principibus Euangelii ſapientiam, quia alioqui Dominum gloriæ nunquam crucifixiſſent, 1 Corinth. 2. Tumultuoſæ enim phreneſi conſimilis eſt impiorum malitia, & videndo non videt. Certe ſana mente & luce Spiritus privatos fuiſſe dubium non eſt, qui bellum cum Deo in ſuam perniciem ſuſcipere non dubitarunt. Scripturæ quoque inſcitiam illis exprobat. Et ne quis exciperet, de re ignota vel obſcura eum loqui, ſimul addit, non alias ſe prophetias jactare, quam quæ Sabbathis omnibus leguntur. acſi diceret luculenta eſſe & rudiſſimis quibuſque nota Scripturæ oracula quæ ipſos latuerint. Hoc modo admonet Paulus quam prodigioſa fuerit eorum incredulitas, ut auditoribus deteſtabilem reddat. Docemur autem tali exemplo, etiamſi Dominus nobis per Scripturam illuceat, non omnibus tamen eſſe oculos. Poſtea etiam craſſior fuit gentis ſtupiditas: quemadmodum *2 Cor. 3. verſ. 15.* alibi Paulus dicit, velamen ante oculos poſitum eſſe, ut præſentem Moſen non videant. Interea notandum eſt, ad Scripturam nos revocari, ne magnorum hominum auctoritas nos decipiat. nec eſt quod ſibi quiſquam ex pravo aliorum ſenſu præjudicium faciens, abſolvi ſe putet. Hortatur enim Antiochenos Paulus, ut contra larvatos Eccleſiæ præſules ex Scriptura judicent. Ideo enim data eſt ut legatur: lectio autem non fruſtra à Domino inſtituta, ſed ut inde pii omnes proficiant, ac judicent quid rectum ſit.

Hanc impleverunt.] Ita videmus non creaturas modo ſenſu carentes, ſed diabolum quoque & omnes impios ſubeſſe Dei providentiæ: ut quod apud ſe *Act. 3: 23. & 4: 28.* decrevit, per ipſos exequatur. Idem 3. capite habuimus, & 4. quum maxime furerent Chriſti hoſtes ad eum perdendum, minime tamen quod volebant, adeptos eſſe: ſed potius quod Deus ſuo conſilio ſtatuerat, effectum ſuis manibus reddidiſſe. Id vero ad commendationem divinæ veritatis non parum facit, quod non modo ad præſtanda quæ promiſit, ſatis ſit ipſe potens: ſed qui in nihilum redigere conantur ejus conſilia, his ſtabiliendis operam ſuam, licet inviti, impendant. Quomodo enim non ſtaret Dei veritas, quam ſummi hoſtes implere coguntur? Prudentia tamen hic opus eſt, ne Satanam cum Deo miſceamus. neque enim ideo excuſabiles ſunt Judæi, quod Scripturam impleverint: quia prava eorum voluntas conſideranda, non eventus quem minime ſperarunt, imo qui miraculi inſtar haberi debet. Si eorum opus per ſe ſpectetur, Deo penitus contrarium eſt. ſed quemadmodum Deus in ſole & reliquis planetis oppoſitos motus & inter ſe confligentes miro artificio temperat: ſic perverſos impiorum conatus occulta virtute in diverſum quam putabant ac volebant finem dirigit, ne quicquam faciant niſi quod voluit. Ipſi quidem, quo ad ſe, contra ejus voluntatem faciunt: ſed modo quodam incomprehenſibili ſuccedit pro Dei voluntate. Quum hic curſus ſit præter naturam, non mirum ſi carnis prudentiæ non ſit viſibilis. Quare cernendus eſt fidei oculo, vel potius reverentia adorandus: canes autem qui contra oblatrant, cum ſua petulantia ſpernendi.

28. *Quum cauſam non haberent mortis.*] Magni ad rem intererat ut ſcirent Chriſtum immerito fuiſſe occiſum. neque enim juſtitiam nobis peperiſſet morte ſua quam pro ſuis maleficiis paſſus foret. Innoxium itaque fuiſſe oportet, cujus mors expiatio ſit pro peccatis mundi. Nec vero dubium eſt, quin Paulus ad liquidum expoſuerit, Pilatum non pro judicis officio Chriſtum damnaſſe, ſed improbis populi flagitationibus victum annuiſſe, ut morti traderetur: & ſimul Judæos libidine non ratione impulſos ad expetendam Chriſti mortem. Terrendi enim erant auditores, ne tam nefario ſceleri ſe adjungerent ſocios. Sed quæ ille tunc juſta narratione proſequutus eſt, Lucas nunc ſuo more paucis verbis perſtringit.

29. *Quum perfeciſſent omnia.*] Quæ ſcilicet Deo per ipſos fieri placuerat. Sic enim Chriſtum tractarunt, ut nihil defuerit Scripturæ vaticiniis. Hoc modo tollitur offendiculum quod ex crucis ignominia concipit ſenſus carnis, non fuiſſe permiſſum Dei Filium veſano hoſtium furori: ſed Patris decreto morem geſſiſſe. Porro ex Scripturis liquet, quænam olim deſtinata ei fuerit conditio. Quod dicit Chriſtum ab iiſdem *ſepultum* qui eum occiderant, videtur cum Euangelica hiſtoria pugnare: ſed fieri poteſt, ut Lucas Sepeliendi verbum indefinite acceperit. Quod ſi ad eoſdem referre velis, erit ſynecdoche. Pilati enim permiſſu ſepultus eſt, arbitrio autem Sacerdotum appoſiti fuerunt ſepulchro cuſtodes. Etſi ergo Joſeph & Nicodemus ſepulturæ Chriſtum *Mat. 27. verſ. 57.* mandarunt: improprie Judæis, neque tamen abſurde, id tribuitur: quia hic conſilium Pauli non eſt officium laudare, ſed probare Chriſti reſurrectionem, quia quem ſepulchro incluſum hoſtes cuſtodiebant, Deus inde abſtulit. Significat ergo, non clam nec furtim ſublatum fuiſſe Chriſti corpus, ſed in loco celebri & hoſtibus cognito fuiſſe poſitum, adeoque eos cuſtodiæ præfuiſſe, neque tamen repertum. unde colligitur certa reſurrectio.

30. *Deus ſuſcitavit eum.*] Mors quidem Chriſti piorum fuit ſalus, ſed cum reſurrectione conjuncta. ideo in hac ſecunda parte diutius Paulus inſiſtit. Nunquam enim auditoribus ſuis perſuaſiſſet, petendam à morte ſalutem eſſe, niſi in Chriſto ſuſcitando apparuiſſet Dei potentia.

31. Poſtquam Chriſtum ſepulchro, quod à conductitiis hoſtium miniſtris obſidebatur, egreſſum fuiſſe dixit: nunc ſubjicit, à multis diſcipulis fuiſſe viſum, qui fidele teſtimonium populo reddiderunt. *Teſtes* autem vocat, vel officii reſpectu: quoniam ad hoc delecti erant, ſicut capite primo dictum eſt: *Act. 1: 8.* vel ſimpliciter indicans, publice & libere de Chriſto profeſſos eſſe quod ſciebant. unde ſequitur, rem Je-

roſo-

roſolymæ probe fuiſſe teſtatam. Probatio autem iſta non levis erat, quod in formidabili hoſtium potentia, qui ad reſiſtendum prompti & ardentes nihil omittebant, tamen extiterant qui palam aſſererent Chriſtum reſurrexiſſe, & quidem oculati eſſent ejus rei teſtes. nam ſi qua fuiſſet ad manum refutatio, eam minime Scribæ neglexiſſent.

32. Et nos vobis euangelizamus, quod promiſſionem Patribus factam

33. Deus impleverit filiis eorum, nempe nobis, excitato Jeſu: ſicut in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt, Filius meus es tu, ego hodie genui te.

34. Quod autem excitaverit eum ex mortuis non reverſurum poſthac in corruptionem, ſic dixit, Dabo vobis ſancta David fidelia.

35. Propterea & alibi dicit, Non permittes ſanctum tuum videre corruptionem.

36. David quidem quum ſuæ ætati inſerviſſet, conſilio Dei obdormivit: & appoſitus eſt ad patres ſuos, viditque corruptionem.

37. Quem autem Deus excitavit, non vidit corruptionem.

32. *Vobis euangelizamus.*] Jam ſibi munus & honorem Apoſtolicum vendicat, ut tanquam legitimus Dei miniſter audiatur. Legationis vero ſibi injunctæ ſummam eſſe dicit, exhibitum ſuo ſeculo fuiſſe quod Deus olim promiſerat. Paucis autem verbis multas res & magnas comprehendit. Primo ſignificat nihil ſe novum, vel à Lege & Prophetis alienum ingerere: ſed ejus doctrinæ complementum patefacere quam ipſi divinitus traditam eſſe fatebantur & perſuaſi erant. unde ſequitur, non poſſe ab illis rejici quod proponit, quin fœdus cum Patribus à Deo ſancitum, quantum in ſe erit, abrogent. Deinde fidem Dei commendat, quia nunc demum re ipſa conſtet, nihil temere vel fruſtra olim fuiſſe pollicitum. ſed præcipue magnitudinem extollit gratiæ in Chriſto demum exhibitæ. Notanda enim inter ipſos & Patres comparatio, quum dicit adeptos eſſe quod promiſſum fuerat Patribus. nam quo liberalius in ipſos effuſa fuit Dei bonitas, eo fœdior ipſorum ingratitudo futura eſt, ſi inæſtimabile bonum aſpernati fuerint aut faſtidierint. Quid enim hoc aliud eſſet, quam theſaurum ſibi ad manus porrectum, adeoque in ſinu depoſitum, ad pedes abjicere, cujus ſpem procul oſtenſam reverenter amplexi ſint Patres, & tota vita patienter foverint? Sed quæritur de iis qui ſub Lege vixerunt, annon ipſi quoque promiſſionum fuerint compotes? Reſpondeo, talem ejuſdem inter nos gratiæ ſocietatem eſſe, quæ tamen longam diſtantiam non impediat. Sed Paulus hoc unum intelligit, ſuſpenſam quodammodo fuiſſe eorum fidem, donec Chriſtus apparuit, in quo omnes Dei promiſſiones ſunt Etiam & Amen: ſicut
2 Cor. 1. docet 2. ad Corinth. 1. Ejuſdem ergo regni cæleſtis
v.19, 20. hæredes ſumus, & conſortes ſpiritualium bonorum quibus Deus filios ornat: amoris etiam ſui guſtum illis Deus in præſenti vita præbuit, ſicuti eum nunc guſtamus. Sed Chriſtus qui vitæ æternæ & bonorum omnium ſubſtantia eſt, illis tantum promiſſus erat, nobis datus eſt: & eum tanquam procul abſentem expetebant, nos præſentem obtinemus.

33. *Filiis eorum, nempe nobis.*] Certum eſt de naturalibus filiis loqui Paulum, qui originem à ſanctis Patribus ducebant. quod ideo notandum eſt, quia fanatici quidam omnia ad allegorias trahentes, nullam hic generis, ſed ſolius fidei rationem habendam ſomniant. Tali autem commento ſacrum Dei
Geneſ. 17. fœdus exinaniunt, ubi dicitur, Ero Deus tuus &
verſ. 7. ſeminis tui. Sola, inquiunt, fides eſt, quæ efficit Abrahæ filios. Ego autem contra excipio, Qui Abrahæ filii naſcuntur ſecundum carnem, ſpirituales quoque cenſeri Dei filios, niſi ſua infidelitate de-
Rom. 11. generent. Rami enim natura ſancti ſunt, quia ex
verſ. 16. ſancta radice progeniti, donec vitio ſuo profaneſcant. Et certe conſilium Pauli eſt, Judæos ad Chriſtum allicere. quod ut fiat, privilegio diſcerni eos, & eximi ab ordine vulgari oportet. Neque inde ſequitur quod odioſe objectant nebulones iſti, carnali ſemini alligatam eſſe Dei gratiam. quia etſi hæreditaria fuit poſteris Abrahæ vitæ promiſſio, multos tamen privavit ſua incredulitas. Facit ergo fides, ut ex magna turba, in filiis pauci cenſeantur, per fidem vero Deus ſuos ſegregat. Atque illa duplex eſt electio, cujus ante memini. Altera totius gentis peræque communis: quia prima Dei adoptio totam Abrahæ familiam complectitur. Altera quæ reſtringitur ad arcanum Dei conſilium, & fide tandem ſancitur ut penes homines rata ſit. Rite ergo Paulus Judæis præſtitum eſſe contendit quod Patribus Deus promiſerat. nam ipſis quoque promiſſum fuerat, ſicut Zacharias in ſuo cantico perſonat, Jusjurandum quod juravit Abrahæ patri noſtro daturum ſe nobis, &c, Neque tamen obſtat gentis illius dignitas quin ſimul in totum mundum ſe diffundat Chriſti gratia: quia ſic primogenitus primum occupat honoris gradum, ut ſecundum tamen locum relinquat fratribus. nam quod veteri populo abdicato, vacua Eccleſiæ poſſeſſio extraneis relicta fuit, nova colligendæ ex Gentibus Eccleſiæ cœpit eſſe occaſio. quod ſi ille in fide ſtetiſſet, in communem honoris ſocietatem adjunctæ fuiſſent Gentes.

Suſcitato Chriſto.] Hic Suſcitandi verbum, meo judicio, latius patet quam ubi paulo poſt repetitur. Neque enim tantum dicit Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, ſed divinitus ordinatum, & quaſi manu Dei productum in lucem, ut Meſſiæ partes impleret: ſicut paſſim docet Scriptura, excitari à Domino Reges & Prophetas. nam verbum ἀνιστάναι hoc ſenſu interdum capitur. Hæc autem ratio me movet, quod Deus Filium ſuum in mundum mittendo, promiſſionem olim ſervis ſuis datam exhibuit ipſo effectu.

Sicut & in Pſalmo ſecundo.] Tametſi in numero conſentiunt Græci codices, non tamen prætereundum quod Eraſmus admonet multos ex veteribus Pſalmum primum legiſſe. Et fieri poteſt ut Lucas ita ſcripſerit. nam qui hodie ſecundus Pſalmus habetur, non ſine ratione primus vocari potuit, quando Pſalmum primum probabile eſt Scribis & Sacerdotibus (quorum opera in unum corpus collecti ſunt Pſalmi) prœmii vice fuiſſe additum. Neque enim aſcribitur nomen auctoris: & tantum ad Legem Dei meditandam hortatur. Sed in ea re non multum eſt momenti. Hoc enim præcipuum eſt, ut ſciamus quam proprie & quomodo ad præſentem cauſam Paulus teſtimonium ex Pſalmo ſumptum accommodet. Non negamus, Davidem illic quum ſe undique peti videret, & plus eſſe in hoſtibus ſuis potentiæ & roboris quam ut par eſſet reſiſtendo, Dei præſidium opponere, quem ſibi regnandi eſſe auctorem ſciebat. Sed quum figura eſſet veri Meſſiæ, ſcimus in ejus perſona nobis adumbrata eſſe quæ nonniſi in Meſſiam ſolide competunt. Et contextus ſatis evincit non ſimplicem nudamque gratiarum actionem, quæ regno Davidis conveniat, ſed altius illic vaticinium contineri. Vix enim centeſimam gloriæ partem quam illic prædicat, Davidem

in

io ſua vita libaſſe ſatis notum eſt. qua de re plura dixi-
Actor. 4. mus ſupra in caput 4. Nunc propius intueamur ver-
Pſal. 82. ba. Vocantur quidem Reges in commune filii Dei
verſ. 6. Pſalm. 82. Sed quum Dei conſilium ſit Davidem
Regibus aliis præferre, & eximere illorum numero,
hic honoris titulus κατ' ἐξοχὴν illi præ aliis omnibus
tribuitur: non quod tantus honor proprie in perſona
ejus reſideat, quia hoc modo Angelis quoque præ-
Hebr. 1. ſtantior eſſet, ut habetur ad Heb. capite 1. Itaque
verſ. 4. Chriſti reſpectu, cujus imago erat, tam magnifice
ornatur, ut eum Deus non vulgarem nec aliquem
ex multis, ſed quaſi unigenitum Filium agnoſcat. Se-
quitur probatio, Quia Deus ipſum genuerit, quum
regnum ſtabilivit in ejus manu: neque enim homi-
num induſtria id factum eſt, ſed Deus invictam ma-
nus ſuæ virtutem è cælo exeruit, unde palam conſta-
ret ipſum divino conſilio regnare. Ergo genitura iſta
cujus meminit, ad hominum ſenſum vel notitiam
referri debet: nempe quod palam tunc cognitum
eſt, genitum fuiſſe à Deo, quum mirabiliter regni
ſolium præter omnium ſpem conſcendit, & cæleſtis
Spiritus virtute innumeras fregit conſpirationes:
quia regnare non poterat, niſi gentibus omnibus vi-
cinis ſub jugum coactis, quaſi ſubacto quodam mun-
do. Nunc ad Chriſtum veniamus. Non prodiit certe
in mundum ſine teſtimonio, quo ſe Filium Dei pro-
baret: conſpicua enim fuit ejus gloria, qualis decebat
Joan. 1. unigenitum Dei, ſicut habetur Joan. 1. & paſſim ja-
verſ. 14. ctat ſe Deum habere teſtem ac vindicem hujus hono-
ris. Genuit ergo Deus Chriſtum, quum ei certas
notas inſculpſit, unde vera & expreſſa illius effigies
& Filius agnoſceretur. Neque tamen hoc obſtat,
quominus Chriſtus ſapientia ſit, ab æterno Patre
ante tempus genita: ſed illa arcana eſt generatio.
Nunc autem prædicat David manifeſtatum fuiſſe ho-
minibus: ita relatio eſt, ut diximus, ad homines non
ad Deum: quia quod abſconditum in Dei corde erat,
hominibus palam innotuit. Et elegans eſt figura,
quod non minus clare teſtata ſancitaque fuit Chriſti
divinitas, quam ſi ante hominum oculos genitus à
Deo foret. Scio Auguſtini argutiam pleriſque magis
placere, quod *hodie* perpetuum notetur. Atqui ubi
Spiritus ipſe Dei interpres ſuus eſt, & quod per Da-
videm dixerat, per os Pauli exponit, nobis fas non eſt
Rom. 1. alium ſenſum comminiſci. Cæterum, quum eodem
verſ. 4. Paulo teſte, Chriſtus in potentia manifeſtatus fue-
rit Filius Dei, quum reſurrexit à mortuis, colligi-
mus hoc primarium fuiſſe cæleſtis excellentiæ ſpeci-
men: & tunc Pater vere eum in lucem extulit, ut
mundus ipſo genitum eſſe ſciret. Quamvis ergo ſuſci-
tari Chriſtus à Deo cœperit, quando prodiit in mun-
dum, reſurrectio tamen quaſi juſta & plena ſuſcita-
tio fuit: quia quum prius exinanitus eſſet forma ſervi
Philip. 2. accepta, tunc victor mortis, & dominus vitæ emer-
verſ. 7. ſit, ut nihil ad majeſtatem Dei Filio, & quidem uni-
genito, dignam illi deeſſet.

34. *Non reverſurum poſthac.*] Alterum nunc
membrum attexit, Chriſtum ſemel excitatum à mor-
tuis, ut æternum vivat: quemadmodum Paulus do-
Rom. 6. cet Rom. 6. Non amplius moritur, nec amplius mors
verſ. 10. illi dominabitur: quia vivit Deo. Perquam enim
tenuis & frigida eſſet fiducia ex Chriſti reſurrectione
concepta, ſi adhuc interitus aut ulla mutatio eum
maneret. Ergo ingreſſus eſſe dicitur regnum Dei, ut
perpetuo vivens ſuos quoque æterna felicitate donet.
Nam quia nobis reſurrexit Chriſtus potius quam
ſibi, perpetuitas vitæ quam illi Pater contulit, ad
nos omnes extenditur, ac noſtra eſt. Videtur tamen
Jeſa. 55. locus Iſaiæ qui hic adducitur, ad probandam Chriſti
verſ. 3. immortalitatem nihil facere, Dabo vobis ſancta Da-
vid fidelia. Sed non ita eſt: nam quum de redem-
ptione Davidi promiſſa loquatur Iſaias, & eam ſtabi-
lem ac fixam fore aſſerat, hinc rite colligimus, im-
mortale Chriſti regnum in quo fundata eſt æternitas
ſalutis. Græcos autem interpretes ſequutus eſt Pau-
lus, quum *Sancta* pro Miſericordiis poſuit: *cheſſed*,
quod manſuetum, benignum & clementem ſignifi-
cat, Græci ſolent Sanctum reddere. Ideo hoc loco
חסדי David, verterunt Sancta Davidis, quum po-
tius intelligat Propheta promiſſam Davidi gratiam.
Sed hoc rudibus & infirmis conceſſit Paulus, qui
Græcæ lectioni magis aſſueti erant: præſertim quum
vis teſtimonii alibi ſita eſſet. Hoc enim in ſumma
vult Paulus, Si æterna eſt gratia, quam Deus ſe in
Filio daturum pronunciat, vitam Filii ſimiliter æter-
nam eſſe, nec mutationi obnoxiam. Tenenda eſt
enim regula, quod omnes Dei promiſſiones in Chri- 2 Cor. 1.
ſto ſunt Etiam & Amen: ac proinde vigere neque- verſ. 20.
ant, niſi eas vivificet.

35. *Non permittes ſanctum tuum.*] Hic locus à
Petro etiam adductus fuit in prima concione quam
ſupra retulit Lucas cap. 2. ubi eum expoſui. illuc
igitur lectores ſe referant. Tantum hoc breviter at-
tingam, duas voces Hebraicas pro ſepulchro poni à Actor. 2.
Davide (ut tritæ ſunt apud eum repetitiones) qua- verſ. 27.
rum prior deducta eſt à concupiſcendo, quia ſepul-
chrum tanquam gurges inſatiabilis omnia devoret:
altera vero à corruptione. Secundum hanc etymolo-
giam, fideliter Græce expreſſus eſt ſenſus Davidis.
notatur enim ſepulchri qualitas, quum mortuum ca-
daver recipit, & quaſi abſorbet, ut illic putreſcat, &
tandem conſumptum pereat. Id in Chriſtum ſolum
competere affirmat Paulus, quod ſervatus à corru-
ptione immunis fuerit. nam quod ejus corpus in ſe-
pulchro fuit conditum, nihil propterea juris ha-
buit in ipſum corruptio, quum illic integrum non
ſecus atque in lecto jacuerit uſque ad diem reſurre-
ctionis.

36. *David quum ætati ſuæ inſerviiſſet.*] Nequis
objiceret, illic agi de Davide, mature occurrit Pau-
lus, non convenire hoc omni ex parte Davidi, cujus
cadaver putredine in ſepulchro conſumptum fuit.
Reſtat ergo, quia ſingulare ſit iſtud Chriſti privile-
gium, de eo vaticinatum in Spiritu fuiſſe Davidem.
Interea notanda eſt inter membra & caput propor-
tio. nam ſicuti plena & abſoluta hujus vaticinii veri-
tas in Chriſto ſolo tanquam in capite extitit: ita in
ſingulis membris juxta cujuſque modum & ordinem Philip. 3.
locum habet. Quum autem in hunc finem reſurre- verſ. 21.
xerit Chriſtus, ut corpus noſtrum humile conformet
corpori ſuo glorioſo: hac lege pii in foveam deſcen-
dunt, ut eorum corpora putredo non abſumat. Ergo
ſecundum ſpem futuræ liberationis David jure præ-
dicat, ſe corruptionem non viſurum. neque enim
corruptio penitus cenſeri debet cui parata eſt melior
inſtauratio: ideo enim putreſcunt fidelium corpora,
ut beatam incorruptionem ſuo tempore induant. Sed
hoc non obſtat, quin longe diſpar ſit capitis & mem-
brorum conditio, & nos Filium Dei procul & lente
ſubſequamur. Nunc videmus utrumque eſſe verum,
& congruenter dici, quod David & reliqui fideles
quatenus ſuo capiti conformes futuri ſunt, non ſint
viſuri corruptionem, & tamen unus Dei Filius in ſo-
lidum à corruptione liber & immunis fuerit. Notan-
da eſt loquutio, quum dicit Davidem *ætati* ſuæ inſer-
viiſſe, vel hominibus ſui temporis. ſecus diſtinguit
vetus interpres, & quædam Græca exemplaria ſuf-
fragantur, nempe quod David ætate ſua ſervierit
Dei voluntati. quæ lectio tametſi probabilis eſt,
non tamen facit ut à diverſa avellar. neque vero ſu-
pervacuum eſt vel frigidum, obdormiiſſe Dei volun-
tate vel conſilio: quia ſignificat, Deum in morte Da-
vidis non fuiſſe oblitum illius vaticinii: acſi diceret,
non ſine Dei conſilio Davidis corpus in ſepulchro ja-
cuiſſe donec reſurgeret, ut ſuſpenſus maneret pro-
phetiæ effectus uſque ad Chriſtum. Si non diſplicet
quod profero, hinc monemur quorſum homines vi-
vant in mundo, ut ſcilicet alii alios mutua commu-
nicatione juvent. Neque enim ſibi quiſque natus eſt,
ſed inter ſe quaſi ſacro nexu colligatum eſt huma-
num

num genus. Ergo niſi leges naturæ evertere libeat, meminerimus non privatim nobis vivendum eſſe, ſed proximis noſtris. Sed quæritur, annon curanda ſit etiam poſteritas? Reſpondeo, Piorum quidem miniſterium poſteris etiam utile eſſe: quemadmodum hodie ſentimus Davidem mortuum plus nobis prodeſſe, quam magnam eorum partem qui nobiſcum vivunt. verum ſimpliciter intelligit Paulus, fideles toto vitæ curſu proximis ſe & ſua officia impendere; mortem vero illis eſſe quaſi metam, quia tunc perfuncti ſunt, quum eos Dominus è mundo evocat. Summa eſt, ſeculi noſtri habendam primo eſſe rationem, ut fratribus noſtris ſerviamus quibuſcum vitæ ſocietas nobis eſt: ſecundo autem dandam eſſe operam ut miniſterii noſtri fructus ad poſteros quoque redundet. Quum hanc legem ſervis ſuis præſcribat Deus, non poteſt excuſari eorum temeritas qui mortuos fingunt pro nobis orare, & Eccleſiæ non minus ſervire, quam dum viverent.

Conſilio Dei obdormivit.] Poterat ſimpliciter dicere Paulus, mortuum fuiſſe Davidem; addit *conſilio Dei*, ut ſciamus in Prophetæ perſona non fuiſſe completum, quod in Pſalmo legitur. Monemur tamen ſimiliter præfixam divinitus nobis eſſe vitæ & mortis metam: quemadmodum Pſal. 90. habetur, Emittis *Pſal. 90.*
homines, & tranſire facis, poſtea dicis, Revertimini *verſ. 3.*
filii hominum. Quin etiam hoc ſcite docet Plato, æquum eſſe, ut non niſi Dei arbitrio migreat homines è terra, cujus manu in ea, tanquam in ſtatione, ad tempus locati ſunt. Ideo autem de morte Davidis verba faciens nominatim conſilii Dei meminit, ut ſciamus non fortuitam illi accidiſſe corruptionem, quaſi Deus ſui promiſſi oblitus foret; ſed Dei providentia factum, ut vaticinium alio transferendum eſſe ſcirent fideles. *Dormire & apponi ad patres*, formulæ ſunt loquendi notiores & magis tritæ quam ut expoſitionem requirant.

38. Notum ergo ſit vobis, viri fratres, quod per hunc vobis remiſſio peccatorum annunciatur:

39. Et ab omnibus, à quibus non potuiſtis in Lege Moſis juſtificari, in hoc omnis qui credit, juſtificatur.

40. Videte igitur ne eveniat ſuper vos quod dictum eſt in Prophetis,

41. Videte contemptores, & admiramini & evaneſcite: quia opus ego facio in diebus veſtris, opus cui non credetis, ſi quis enarret vobis.

38. *Notum ergo ſit vobis.*] Poſtquam modum expoſuit quo parta eſt ſalus per Chriſtum, nunc de ejus officio virtuteque diſſerit. Atque hoc ſummum eſt caput, quid nobis bonorum attulerit Chriſti adventus, & quid ab eo ſperandum ſit, tenere. Quanquam autem uno verbo Lucas attingit, Paulum de Chriſti beneficiis concionatum eſſe: non eſt tamen cur quiſquam dubitet, res tantas pro ſua dignitate graviter & ſplendide tractatas eſſe. Hoc verbo, *notum* ſit vobis, ſignificat Paulus nihil obſtaculo fore præter ſocordiam, quominus res tam clara & aperta illis innoteſcat: ideoque abſurdum eſſe, ut fideles lateant quæ per Chriſtum exhibita fuerunt Dei beneficia. miſſus enim eſt cum ſonoro Euangelii præconio, quod ea audire fides noſtra debet, ut certam bonorum ejus poſſeſſionem adeat: qualis enim ſit, tenendum eſt, ut eo vere fruamur. Primo loco ponitur remiſſio peccatorum, qua nos ſibi Deus reconciliat: eam quum toti populo ſuo annunciari velit Deus, omnibus neceſſariam eſſe demonſtrat. Neque enim unum vel alterum Paulus alloquitur, ſed quicunque Antiochiæ Judæi erant. Primo igitur loco
Col. 2. habendum eſt, nos omnes inimicos eſſe Deo per pec-
verſ. 13. cata. 2. cap. ad Coloſ. Unde ſequitur, arceri omnes à regno Dei, & morti æternæ eſſe addictos, donec in gratiam nos recipiat Deus gratuita peccatorum remiſſione. Hoc etiam notandum eſt, Deum ignoſcere nobis peccata, & propitium reddi per Mediatorem, quia extra eum ſicuti nulla eſt expiatio, ita neque venia aut ſolutio reatus. Hæc fidei noſtræ rudimenta ſunt, quæ in Philoſophorum ſcholis minime diſcuntur, Totum genus humanum damnatum eſſe, & peccatis obrutum: nullam eſſe in nobis juſtitiam quæ Deo nos conciliet: unicam ſpem ſalutis in ejus miſericordia reſiduam eſſe, dum nos gratis abſolvit: manere autem ſub reatu, niſi qui ad Chriſtum confugiunt, & in ejus morte expiationem quærunt à peccatis.

39. *Et ab omnibus.*] Tacite prævenit quod videri poterat ſuperiori doctrinæ adverſum. nam quotquot erant Legis ceremoniæ, totidem erant ad conſequendam peccatorum remiſſionem exercitia. Judæis ergo promptum erat excipere, Si ſolus hic Deum nobis propitiat abolitis peccatis, quorſum tot ablutiones & piacula, quibus hactenus ex Legis præſcripto uſi ſumus? Ergo ne Judæos remorentur Legis ceremoniæ, Chriſtum Paulus præſtare docet quod illæ non poterant. non quod tam breviter & conciſe loquutus fuerit Paulus (neque enim ſpes erat, Judæos ſubito abjecta Legalis juſtitiæ fiducia ad Chriſtum venturos) ſed ſummam eorum quæ juſto ordine tunc docuit, Lucas ſatis habuit perſtringere. Seorſus autem eſt, ſublatum à Mediatore fuiſſe obſtaculum illud Judæis in quo hærebant. Lex quidem ceremonialis, pædagogia eſſe debuerat, quæ ad Chriſtum eos manu duceret: ritus omnes à Deo præcepti adminicula erant juvandæ & promovendæ eorum fidei data. ſed ut præpoſtere ſacra Dei inſtituta corrumpere hominibus mos eſt, ceremoniis viam ſibi obſtruebant, & januam fidei claudebant, ne venirent ad Chriſtum. Juſtitiam ſe in ſacrificiis habere putabant, baptiſmis acquiri veram munditiem, Deum ſibi placatum eſſe ubi externis pompis defuncti erant: in ſumma, relicto corpore inanes umbras apprehendebant. Nihil quidem inutile vel luſorium inſtituerat Deus in Lege. Quare ceremoniæ fida erant & indubia teſtimonia remiſſionis peccatorum. neque enim mentitus fuerat Deus his verbis, Sacrificet peccator, & expiabitur ejus iniquitas. Verum
ut Chriſtus erat finis Legis, & cæleſte exemplar ta- *Rom. 10.*
bernaculi, ita ceremoniarum omnium ab eo pen- *verſ. 4.*
debat vis & effectus. unde conficitur, evanidas *Heb. 8.*
fuiſſe umbras eo remoto. Vere ergo Paulus detrahit *verſ. 5.*
Legi, juſtitiæ cauſam, ut Chriſto adſcribat. Nunc Pauli conſilium tenemus, quod ſcilicet à falſa & perverſa Legis fiducia abſtrahere voluerit Judæos, ne vento inflati putarent ſe non indigere Chriſti auxilio, vel eatenus duntaxat felicitatem in eo quærerent.

Juſtificari in Lege.] Locus hic facile demonſtrat, quid valeat alibi paſſim Juſtificandi verbum: nempe liberari & abſolvi. Mentio de peccatorum remiſſione facta erat: eam negavit Paulus aliter obtineri quam Chriſti gratia. nequis objiceret, ſuppetere in Lege remedia: reſpondet, illis omnibus nihil efficaciæ ſubeſſe. Senſus ergo clarus eſt, Non poſſe juſtificari à peccatis in Lege, quia ritus Legales non juſta nec legitima pretia erant ad ſolvendum reatum, nihil per ſe ad promerendam juſtitiam valebant, nec juſtæ compenſationes erant ad placandum Deum. Negari certe, niſi improbe, non poteſt, quin juſtificatio iſta remiſſioni peccatorum annexa, ſit tan-

quam ejus obtinendæ modus & ratio. Quid enim agit Paulus, niſi ut dictum illud, Chriſti beneficio peccata nobis remitti, confirmet: contraria objecta diluens? Probat autem, Quia neque piacula, neque ritus omnes Legis nos à peccatis juſtificent. Juſtificatur ergo per Chriſtum, qui à reatu & judicio æternæ mortis, quibus obnoxius erat, gratis ſolvitur. Hæc eſt fidei juſtitia, dum nos pro juſtis habet Deus, peccata non imputando. Sola hæc vocis proprietas refutandis Papiſtarum cavillis ſufficit, qui nos non venia nec gratuita acceptione, ſed habitu & juſtitia infuſa contendunt eſſe juſtos. Quare hunc Pauli contextum non patiamur ab illis indigne & ſceleſte lacerari, quum dixit nos juſtificari ab omnibus, ut nobis conſtet peccatorum remiſſio. Jam vero ſciendum eſt, Chriſto opponi Legem Moſis, tanquam præcipuum potiendæ juſtitiæ, medium, ſi quod aliud, vel diverſum à Chriſto fuiſſet. Paulus quidem de ceremoniis diſputat: ſed notandum eſt, nihil in illis fuiſſe omiſſum quod ad peccata expianda, iramque Dei placandam faceret. Cæterum, nulla ex omnibus ceremoniis Legis fuit, quæ non obſtringeret hominem peccati reatu, quaſi novum chirographum: ſicuti docet Paulus 2. ad Coloſſ. cap. Quid igitur? certe teſtari voluit Deus, unica Filii ſui morte juſtificari homines: quia ipſum qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit, ut in eo nobis eſſet juſtitia. 2 Cor. 5. Unde ſequitur, quicquid ſatisfactionum commenti ſunt homines, ad ſpoliandum honore ſuo Chriſtum tendere. *In Lege*, & in *Chriſto*, tantundem valet atque per Legem, & per Chriſtum, ſecundum phraſin Hebraicam.

Coloſ. 2. verſ. 14.
2 Cor. 5. verſ. 21.

Ab omnibus.] Hac particula refellitur impium Papiſtarum commentum, quo tradunt non niſi originale peccatum, & actualia quæ ante Baptiſmum commiſſa ſunt, pure & gratuito per Chriſtum remitti, alia redimi ſatisfactionibus. Atqui Paulus clare pronunciat, toto vitæ progreſſu nos per Chriſtum juſtificari à peccatis. Tenendum enim memoria eſt, Judæis mandatos fuiſſe Legis ritus, ut tam eorum utilitas quam uſus quotidie in Eccleſia vigeret: hoc eſt, ut reipſa ſentirent Judæi, non fruſtra aſſidue iterari expiationes & lavacra. Eorum omnium ſi veritas & ſubſtantia reperitur in Chriſto, ſequitur non aliud delendis peccatis eſſe piaculum, quam ejus mortem. Alioqui inter hanc & veteres figuras analogia non conſtaret. Papiſtæ nos ad pœnitentiam & claves revocant: quaſi vero ceremoniæ Legales non fuerint meditandæ pœnitentiæ exercitia: quaſi etiam non illis annexa fuerit clavium poteſtas. Sed talibus adminiculis adjuta fuit piorum fides, ut ad unicam Mediatoris gratiam confugerent. Fixum ergo maneat, juſtitiam qua donamur in Chriſto, non unius diei eſſe vel momenti, ſed perpetuam, ut ſacrificium mortis ejus nos quotidie reconciliet Deo.

39. *Omnis qui credit.*] Declarat Paulus quomodo potiantur homines juſtitia Chriſti: nempe quum fide illam recipiunt. quod autem impetrat fides, nullis operum meritis conſequimur. Quare non ambigua eſt Pauli ſententia, Juſtificari nos ſola fide: quam tamen Papiſtæ non minus obſtinate quam acriter oppugnant. Interea quid valeat Credendi verbum, tenere convenit, quod Papiſtis reddit inſipidum ignorantia. Sunt quidem & alia Chriſti beneficia, quæ fide percipimus. nam Spiritu ſuo nos regenerans, imaginem Dei in nobis inſtaurat, & vetere homine crucifixo nos refingit in vitæ novitatem. Sed Lucas ſatis habuit unum hoc exprimere, quomodo in gratiam cum Deo redeant homines, à quo alienati ſunt per peccatum: quia inde ad reliqua facilis eſt tranſitus.

40. *Videte ne ſuperveniat.*] Quia negotium illi erat cum præfractis hominibus, vel ſaltem multi in turba permixti erant duræ cervicis: quaſi malleo vellet eorum contumaciam mollire, doctrinæ addit objurgationem. nam ſi morigeri & ad parendum faciles fuiſſent Judæi, ſuaviter proculdubio conatus fuiſſet eos ad Chriſtum allicere. Sed eum vel torpor vel pervicacia illorum coegit ut vehementius excandeſceret. ſicuti ad Dei tribunal citandi ſunt omnes quibus gratia Chriſti contemptui eſt, atque horribile mortis æternæ judicium illis denunciandum eſt. Adhuc quidem locum ſignificat eſſe pœnitentiæ, quum ad cavendum hortatur: ſimul tamen admonet, niſi mature caveant, non procul abeſſe horribilem Dei vindictam.

Quod dictum eſt in Prophetis.] Locus qui citatur, ex primo capite Abacuc ſumptus eſt. ſed quia prophetiæ omnes in unum corpus aut volumen collectæ erant, Paulus dicit *in Prophetis* ſcriptum eſſe.

Abac. 1. verſ. 5.

41. Neque ad verbum recitat verba Abacuc, quæ ſic habent, Aſpicite in Gentibus, & videte, & admiramini, & obſtupeſcite: quia opus fiet in diebus veſtris, quod nemo credet quum narrabitur. Paulus dicit, *Videte* contemptores: ut ſciant Judæi vindictam quæ ſemel eorum patribus inflicta fuit, contemptoribus verbi communem eſſe: acſi diceret, Deus hodie non minoris æſtimat verbum ſuum, cujus contemptum ſemel tam ſevere ultus eſt. Ergo Prophetæ denunciatio ad omnes ætates pertinet, ne ſperent contemptores, ſe, quam alii experti ſunt vindictam, poſſe nunc effugere. Superbiebant Templo, jactabant ſe eſſe Dei populum, impio faſtu elati ſpernebant minas omnes. Ergo Paulus illis in memoriam reducit, quid Deus per Prophetas ſuos contemptoribus minetur.

Opus in diebus veſtris.] Senſus eſt, Qui Dei verbo fidem habere detrectant, manum ejus ſenſuros, ut tandem pœnis convicti, ſerio loquutum eſſe agnoſcant. Vulgari proverbio dicitur, Stultorum experientiam eſſe magiſtram. Sic Dominus re ipſa impios coarguit, ut malis domiti, ejus virtutem fateri incipiant. Quale autem pœnæ genus denunciat? Quia verbo (inquit) meo non creditis, exemplum in vos edam, quod ſit omnibus incredibile. quibus verbis intelligit, ſe pœnas de illis ſumpturum, quæ incutiant mundo horrorem. Nam ut monſtrum eſt deteſtabile adverſus Deum rebellio, ita non mirum eſt ſi pœnarum monſtra ex ſe gignat. Cavendum ergo, ne ſi Dei verbo fidem abrogemus, potentiorem quam ſenſus omnes noſtri capiunt, ſentiamus ejus manum, & quidem uſque ad totius mundi ſtuporem, ac pavore ipſi quoque attoniti reddamur. Abacuc de clade vaticinatur per Chaldæos inflicta: ſed pœna qua Dominus Euangelii ſui contemptum ultus eſt, longe fuit atrocior. quare ad timendum Deum, & amplexandum reverenter ejus verbum aſſueſcamus, nequid tale nobis eveniat.

42. Egreſſis autem ex Synagoga Judæis, hortabantur Gentes ut intermedio Sabbatho loquerentur ipſis verba.

43. Dimiſſa vero Synagoga, ſequuti ſunt multi ex Judæis & religioſis proſelytis Paulum & Barnabam, qui colloquentes cum ipſis, ſuadebant ut manerent in gratia Dei.

44. Et quum veniſſet Sabbathum, prope tota civitas congregata fuit ad audiendum ſermonem Dei,

45. Viden-

Digitized by Google

45. Videntes autem Judæi turbas, repleti ſunt æmulatione, & contradicebant his quæ à Paulo dicebantur, contradicentes & blaſphemantes.

42. *Egreſſis è Synagoga.*] Poteſt etiam legi, E Synagoga Judæorum: & forte aptius. Probabile enim eſt, fuiſſe egreſſos priuſquam cœtus difflueret: idque ex contextu colligitur, quia paulo poſt ſubjicit Lucas, ſoluta Synagoga quoſdam ex Judæis ſequutos fuiſſe Paulum & Barnabam. Senſus ergo eſt, Judæis adhuc conventum ſuum habentibus, Paulum & Barnabam fuiſſe egreſſos, & tunc rogatos à Gentibus, ut interea ſibi operam navarent.

43. Poſtea quoſdam ex Judæis & proſelytis ad Paulum veniſſe tum ſtudio diſcendi, tum profitendæ fidei ſuæ gratia. Vetus interpres & Eraſmus quum tranſtulerunt Sequenti Sabbatho, non aſſequuti ſunt Lucæ mentem. nam quum hic de Gentibus agatur, non eſt mihi veriſimile, Sabbathum eligere quo Paulum & Barnabam audiant. Judæis enim ſtatus erat dies ille, ſed Gentibus non minor aliis diebus opportunitas. quorſum ergo votum ſuum & preces in octavum diem differrent? quin potius audire Paulum cupiunt, dum illi vacat, & ferias habet cum Judæis. Ita dum adveniat Sabbathum, Dominus otioſos eſſe non ſinit, præſentem in qua ſe exerceant materiam in Gentibus offerens.

42. *Loquerentur verba.*] Reddidi quod eſt apud Lucam: quanquam articulus τὸ ſumi poteſt pro τὰ αὐτὰ, ut aliis quibuſdam locis. Tunc ſeorſum eſſet, Rogatos fuiſſe, ut illa hebdomade iiſdem de rebus apud Gentes diſſererent. Porro dum primam quamque occaſionem avide occupant Gentes, Judæi faſtidio pleni, quod illis propoſitum eſt, negligunt: niſi quod ex illis quidam Paulo & Barnabæ ſe adjungunt. Nominatim proſelytos exprimit Lucas: qui quum Legis doctrinam amplexi eſſent & Deum Iſraël colerent, non turgebant eo faſtu qui Judæis longinquam ſtirpem jactantibus obſtabat.

43. *Qui colloquentes.*] Senſus ambiguus eſt: poteſt enim ad Judæos & proſelytos referri, quod Paulum & Barnabam hortati fuerint, ne deficerent animis, ſed cordate perſtarent in Dei gratia. Nec vero illis deerat occaſio: parata enim illis certamina videbant: ideoque ſtrenua conſtantia opus eſſe ad ſuſtinendos adverſæ factionis impetus. Quare optime id congrueret, quod proficiendi ſtudio accenſi, Paulum & Barnabam animare ad pergendum ſtuduerint. Si ad Paulum & Barnabam referas, ſenſus erit: non repulſos ab illis fuiſſe qui venerant, ſed benigne & comiter exceptos, & pia exhortatione confirmatos eſſe, ut perſtarent in ſuſcepta gratia. Cæterum, nomen *gratiæ* primo Euangelii fidem, deinde quæ inde nobis proveniunt bona, complectitur: vel ut brevius loquar, vocationem in ſpem æternæ ſalutis.

44. *Et quum venit Sabbathum.*] Confluxus populi teſtimonio eſt, intermedio illo Sabbatho Paulum & Barnabam non ceſſaſſe, nec vanum fuiſſe in Gentibus eorum laborem. ſic enim præparata fuerant populi ſtudia, ut cuperent omnes rem totam certius cognitam habere: quod fore ſperabant, ſi inter Judæos diſcuſſa foret. Conjicere enim licet, quamvis aliquo ſuavi guſtu pellecti eſſent, nondum tamen ſolide perſuaſos fuiſſe, ut Euangelii doctrinam ſine controverſia reciperent: ſed inter ſpem & deſiderium ſuſpenſos veniſſe in Synagogam.

45. *Repleti ſunt.*] Non novum eſt, propius admota Euangelii luce accendi impiorum rabiem: præſertim ubi progreſſum ſanæ doctrinæ vident, majore impetu furoris proſiliunt ad reſiſtendum. Dubium autem eſt, an *zeli* nomine intelligat Lucas prava æmulatione fuiſſe percitos, ut ſe Paulo & Barnabæ opponerent: ut ambitio tam invidiæ quam contentionum omnium mater eſt: an vero Zelum accipiat pro indignatione inde concepta, quod dolebant populo Dei æquari Gentes. Hoc enim valde indignum ducebant, ut ſacer doctrinæ theſaurus, qui propria erat filiorum hæreditas, quaſi ad pedes omnium jaceret.

Contradicentes & blaſphemantes.] Repugnandi ardore provecti, ad blaſphemias tandem proſiliunt. Atque huc amentiæ impios fere adigit Satan, ut rationibus victi & fracti magis ac magis obdureſcant, & ſcientes volenteſque blaſphemias demum evomant in Deum & veritatem: quo magis ſollicite cavendum eſt, quum nobis ſimpliciter proponitur Dei veritas, ne ſi contradicendi libido nos abripiat, in illud præcipitium ſtatim ruamus.

46. Sumpta autem * libertate Paulus & Barnabas dixerunt, Vobis primum neceſſe erat annunciare ſermonem Dei. Poſtquam autem rejicitis eum, & non dignos judicatis vos vita æterna: ecce, convertimur ad Gentes.

* vel, fiducia.

47. Sic enim mandavit nobis Dominus: Poſui te in lucem Gentium: ut ſis in ſalutem uſque ad extremum terræ.

48. Audientes autem Gentes, gaviſæ ſunt, & glorificabant ſermonem Domini: & crediderunt quotquot ordinati erant ad vitam æternam.

49. Diſſeminabatur autem verbum Domini per totam regionem.

50. Judæi autem inſtigaverunt religioſas mulieres & honeſtas, & primores urbis, & ſuſcitarunt perſequutionem adverſus Paulum & Barnabam, & ejecerunt eos è finibus ſuis.

51. Illi autem excuſſo pulvere pedum in eos, venerunt Iconium.

52. Diſcipuli vero repleti ſunt gaudio & Spiritu ſancto.

46. *Sumpta autem libertate.*] Oſtendit Lucas adeo fractos non fuiſſe ſervos Chriſti hoſtium contumacia, ut liberius propterea in eos invehi rurſum cœperint. nam etſi eos jam pupugerant acri ſtimulo, tamen adhuc illis aliquantum parcebant: nunc vero quum obſtinate Chriſtum rejici ab illis vident, viciſſim excommunicant eos, & abdicant à regno Dei. Docemur autem hoc exemplo non eſſe extrema ſeveritate utendum, niſi adverſus deploratos. Cæterum quo audacius ad opprimendam veritatem exultant reprobi, eo plus fiduciæ ſumere nos decet. Servos enim Dei invicta Spiritus conſtantia munitos eſſe oportet, ne unquam diabolo vel ejus miniſtris cedant: ſicuti Deus Jeremiam fronte ferrea jubet cum reprobis confligere.

Vobis primum neceſſe erat.] Ingratitudinis eos accuſat, quod quum ex omnibus populis à Deo electi eſſent quibus ſe Chriſtus offerret, tantum beneficium maligne reſpuant. Priore autem membro commemorat honoris & excellentiæ gradum in quem eos extulerat Deus: poſtea ſequitur exprobratio, quod ſponte abjiciant tantam gratiam. unde concludit jam tempus eſſe, ut Euangelium transferatur ad Gentes. Quod dicit *primum* illis oportuiſſe

prædicari, proprie ad tempus regni Chriſti ſpectat. ſub Lege enim ante Chriſtum exhibitum Judæi non tantum primi erant, ſed ſoli. Ideo regnum ſacerdo-*Exod. 19. v. 5, 6.* tale, & peculium Dei Moſes ipſos vocabat. Sed ea lege tunc penes ipſos ſolos præteritis Gentibus reſidebat Dei adoptio, ut Chriſti adventu præferri adhuc Gentibus oportuerit. Nam etſi mundum Patri reconciliavit Chriſtus, priores tamen ordine fuerunt, qui jam propinqui erant Deo, & ex ejus familia. ille ergo legitimus ordo fuit, ut Eccleſiam Apoſtoli colligerent primum ex Judæis, deinde ex *Actor. 1. verſ. 8.* Gentibus: ſicuti cap. 1. & aliis locis viſum eſt. Ita Gentium ſocietas jus primogenituræ non tollebat Judæis, quin ſemper in Eccleſia Dei excellerent. *Rom. 1. verſ. 16.* Secundum hanc rationem dicit Paulus, Dei juſtitiam manifeſtari in Euangelio primum Judæis, deinde Græcis. Tanta gratiæ magnitudo, qua dignatus fuerat ipſos Deus, peccati gravitatem exaggerat, dum rejiciunt quod tam benigne offertur. Ideo ſubjicit, ipſos ferre de ſe judicium, quod vita æterna indigni ſint. nam quum Euangelii rejectio, juſtitiæ Dei abnegatio ſit, non opus eſt alio judice qui incredulos damnet.

Poſtquam autem rejicitis.] Non videtur apte ratiocinari Paulus. nam primum, ut Gentes admitterentur in ſpem ſalutis, non erat neceſſe Judæos inde excludi: deinde hoc potius congruebat, ut Judæi Euangelium amplexi, ſecundum locum Gentibus cederent. Paulus autem perinde loquitur, acſi coaleſcere ſimul non poſſent in unum corpus: nec Euangelium pervenire ad Gentes poſſet, niſi à Judæis rejectum. Jam vero antequam expertus eſſet talem contumaciam, nonne Gentium ordinatus erat Apoſtolus? cur ergo nunc demum ad Gentes ſe convertit, quaſi earum vocatio ex electi populi infidelitate pendeat? Reſpondeo emphaſin eſſe in verbo *convertimur.* ſignificat enim ſe jam averſum eſſe à Judæis, ut Gentibus ſe totum addicat. Si in gradu ſuo ſteriſſent illi, non ſequuta eſſet talis converſio: ſed Judæis in gremium receptis continua ſerie Gentes ſimul traxiſſet, & pariter utroſque complexus eſſet. Nunc quum Judæi tergum obvertant, ſeque ſubducant ab ejus miniſterio, non poteſt uno intuitu eos cum Gentibus reſpicere. Itaque illis valere juſſis, curam ſuam ad Gentes transferre cogitur. Ergo niſi ſe alienaſſent Judæi ab Eccleſia, talis fuiſſet Gentium vocatio, qualem Prophetæ deſcribunt: Apprehendent in illa die ſeptem alienigenæ pallium hominis Judæi, ac dicent, Ambulabimus vobiſcum, quia Deus apud vos eſt. nunc autem novo & accidentali modo vocatæ ſunt Gentes: quia Judæis rejectis ingreſſæ ſunt in vacuam poſſeſſionem. Debuerant Judæis aggregari: ſed poſtquam illi exciderunt atque exterminati ſunt, in eorum locum ſubſtitutæ ſunt. Ita mors illorum fuit Gentium vita, ut *Rom. 11. verſ. 12, 15, 24.* inquit Paulus: & abſciſis naturalibus ramis, oleaſtri in ſanctam radicem inſiti ſunt: donec tandem illos quoque Deus in priſtinam radicem inſitos in vitam reſtituat, ut undique collectus Dei Iſraël ſervetur.

47. *Sicut præcepit.*] Locus ſumptus eſt ex cap. *Jeſa. 49. verſ. 6.* Iſa. 49. ubi tamen Deus Filium ſuum potius alloquitur quam Apoſtolos. Sed notandum eſt, multa, quæ Chriſto Scriptura tribuit, pertinere ad ejus miniſtros. multa dico, non omnia: ſunt enim elogia quædam propria Chriſti perſonæ, quibus miniſtros ornare impium eſſet ſacrilegium. Chriſtus juſtitia noſtra vocatur: quia ſolus victima fuit expiatrix, & morte ſua placavit nobis Patrem, & poſtea reſurrexit, ut devicta morte vitam æternam nobis acquireret. Ergo tota ſalutis noſtræ ſubſtantia in Chriſti perſona ſubſiſtit. ſed quatenus agit per ſuos miniſtros, partes illis ſuas reſignans, ſua quoque elogia cum illis communicat. In hoc ordine eſt Euangelii prædicatio. Solus quidem à Patre nobis præfectus eſt doctor: ſed ab eo ſuffecti ſunt Paſtores & miniſtri, qui tanquam ex ore ejus loquuntur. Ita in ſolidum manet penes eum auctoritas, & in ſuis miniſtris nihilominus auditur. Scite ergo Paulus Iſaiæ teſtimonium ad ſe accommodat, ubi de publicando Euangelio agitur.

Poſui te in lucem.] Videtur illic talis vocatio Gentium prædicari, quæ veteris populi abdicationem minime ſecum trahat. potius enim Judæis, qui prius domeſtici fuerant, extraneos aſſociat Deus. Parum eſt, inquit, ut mihi ſis miniſter in Iſraële docendo, quia te conſtitui in lucem Gentium. Deus certe initium ſuæ Eccleſiæ à filiis Abrahæ facere videtur, & deinde manum porrigere Gentibus, ut eandem Eccleſiam uno fidei conſenſu utrique efficiant. Atqui ſic vaticinium adducit Paulus, quaſi impleri non potuerit, niſi abjectis Judæis. Gentibus enim accenſam Chriſti lucem ſignificat, ex quo illi in tenebras mortis conjecti ſunt. Reſpondeo, hoc neceſſario ex contextu non poſſe evinci, quod affirmet Paulus non ante illuminandas fuiſſe Gentes, quam lumen Judæis eſſet extinctum. Poteſt enim hic eſſe ſenſus, Quando voſmet privaſtis æterna vita, non eſt quod putetis Dei gratiam profanari, ſi vobis poſthabitis ſuſcipimus Gentium curam. neque enim ſolis vobis datus eſt Meſſias, ſed toti mundo deſtinatus eſt in ſalutem: ſicuti ſcriptum eſt, Poſui te in lucem Gentium, &c. Quanquam ſi propius expendas Prophetæ locum, illic incluſam veteris populi abjectionem reperies. Deus enim ſe glorioſum & magnificum in Chriſti miniſterio fore pronunciat, quamvis Iſraël non colligatur. poſtea ſubjicit, quaſi explicationis loco, Chriſti virtutem minime ad unum populum reſtrictum iri, quia ad extremos uſque terræ fines lux ejus, radios emiſſura ſit in ſalutem. Videtur hæc vocationis Gentium occaſio à Paulo notari. quia ſcilicet quum apud Judæos materiam ſe exercendi non inveniret, ſuam operam penitus Gentibus addixit. In verbis Prophetæ hoc obiter notandum eſt, quod ſalus luci ſubjicitur: ſecundum illud Chriſti dictum, Hæc eſt vita æterna, noſſe te verum *Joan. 17. verſ. 3.* Deum, &c. nam ſi una Dei cognitio ſalvifica nobis eſt, unica ſimiliter ab interitu æternæ mortis reſurrectio eſt, nos ab ignorantiæ tenebris ereptos illuminari in Chriſti fidem.

48. *Audientes autem Gentes.*] Materia gaudii Gentibus fuit, quum audirent non repente ſe vocari ad ſpem ſalutis, quaſi non prius fuiſſet hoc divinitus decretum, ſed nunc demum impleri quod multis ante ſeculis prædictum fuerat. neque enim vulgaris erat fidei confirmatio, quod ſalus illis Chriſti adventu promiſſa fuerat: unde etiam factum eſt, ut majore deſiderio & reverentia Euangelium amplecterentur. *Glorificare* ſermonem Dei, bifariam exponi poteſt: vel quod agnoverint verum fuiſſe Iſaiæ vaticinium, vel quod propoſitam ſibi doctrinam fide amplexæ ſint. Certe notatur plena ſubſcriptio, quia nihil amplius diſceptant vel ambigunt conſpecta Pauli victoria. Et certe tunc debito honore proſequimur Dei ſermonem, quum nos illi obedienter fide ſubjicimus: ſicuti majore affici probro non poteſt, quam quum illi abrogatur fides. Cæterum, videmus ut Gentes non impedierit contumacia quam in Judæis cernebant, quominus Chriſto nomen darent. Eadem animi magnitudine, dum impii ſua obſtinatione viam nobis obſtruere conantur, eorum ſuperbiam ſpernere & calcare oportet.

Et crediderunt.] Expoſitio eſt proximi membri, meo ſaltem judicio. Qualem enim gloriam verbo Dei tribuerint, Lucas oſtendit. Cæterum notanda eſt reſtrictio, quum refert, crediſſe non ad unum omnes, ſed qui ordinati erant ad vitam. Minime autem dubium eſt, quin Lucas τεταγμένους vocet qui gratuita Dei adoptione electi erant. Ridiculum enim cavillum eſt, referre hoc ad credentium affectum, quaſi

quaſi Euangelium receperint, qui animis rite diſpoſiti erant. nam ordinatio iſta non niſi de æterno Dei conſilio poteſt intelligi. nec dicit Lucas fuiſſe ad fidem ordinatos, ſed ad vitam: quia Deus ſuos ad vitæ æternæ hæreditatem prædeſtinat. Docet autem hic locus, fidem ab electione Dei pendere. Et certe quum totum hominum genus cæcum ſit & contumax, hærent in natura noſtra morbi iſti, donec Spiritus gratia corrigantur. correctio autem non niſi ex fonte electionis fluit. Nam quod ex duobus qui promiſcue eandem doctrinam audiunt, alter docilem ſe præbet, alter perſtat in ſua malitia, non ideo fit quod natura differant: ſed quia priorem illuminat Deus, alterum pari gratia non dignatur. Fide qui-
Gal. 3:26. dem efficimur filii Dei: & fides, quantum ad nos ſpectat, ſalutis eſt janua & principium: ſed altior eſt Dei reſpectus. neque enim eligere nos incipit, ex quo credimus: ſed adoptionem ſuam, quæ occulta erat, fidei dono obſignat in cordibus noſtris, ut manifeſta & rata ſit. Nam ſi hoc ſolis Dei filiis peculiare eſt, ejus eſſe diſcipulos: ſequitur non pertinere ad quoslibet Adæ filios. Nihil mirum igitur, ſi non omnes promiſcue Euangelium recipiant: quia tametſi externa hominis voce omnes ad fidem invitat cæleſtis Pater, non tamen efficaciter vocat per Spiritum ſuum, niſi quos ſervare decrevit. Jam ſi fidei & ſalutis cauſa eſt Dei electio, qua nos ad vitam ordinat, nihil dignitati vel meritis reſiduum ſit. Teneamus ergo quod dicit Lucas, Prius ordinatos fuiſſe ad vitam, qui fide inſiti in Chriſti corpus, arrham & pignus adoptionis ſuæ in Chriſto recipiunt. Unde etiam colligimus quid per ſe valeat Euangelii prædicatio: neque enim fidem in hominibus reperit, niſi quia Deus quos elegit, intus vocat, & qui prius ſui erant, ad Chriſtum trahit. Iiſdem verbis ſimul docet Lucas, fieri non poſſe, ut quiſquam ex electis
Joan. 6. perea. Dicit enim, Credidiſſe non unum vel pau-
verſ. 25. cos ex electis, ſed quotquot electi erant. quamvis
Joan. 6. enim nobis ignota ſit Dei adoptio, uſquedum eam
verſ. 37. fide percipimus: in arcano tamen ejus conſilio dubia vel ſuſpenſa non eſt: quia omnes quos pro ſuis habet, Filii ſui præſidio tutelæve commendat, qui in finem uſque fidelis manebit cuſtos. Utrumque membrum cognitu neceſſarium eſt. Quum electio fide ſuperior ſtatuitur, non eſt quod ſibi quicquam in ulla ſalutis ſuæ parte homines arrogent. nam ſi fides in qua conſiſtit ſalus, quæ nobis gratuitæ Dei adoptionis teſtis eſt, quæ nos Chriſto conjungit & vitam ejus facit noſtram, qua Deum cum ſua juſtitia poſſidemus, qua denique recipimus ſanctificationis gratiam, extra nos fundata eſt in æterno Dei conſilio: quicquid habemus bonorum, gratiæ Dei quæ nos ultro prævenit, acceptum ferri neceſſe eſt. Rurſum, quia multi perplexis ac ſpinoſis imaginationibus ſe implicant dum ſalutem ſuam in abdito Dei conſilio ſcrutantur, diſcamus ideo fide approbari Dei electionem, ut ſe mentes noſtræ ad Chriſtum convertant tanquam electionis arrham, nec aliam certitudinem quærant, quam quæ nobis in Euangelio patefacta eſt. Sufficiat, inquam, nobis hoc ſigillum, quod quiſquis
Joan. 3. credit in Filium Dei unigenitum, vitam æternam
verſ. 36. habet.

49. *Divulgabatur ſermo Domini.*] Hic progreſſum Euangelii refert Lucas. In quo apparet quam
Luc. 13. vera ſit Chriſti parabola, quum fermento ſimile eſſe
verſ. 21. dicit. Supra habuimus magnum fuiſſe populi concurſum, ut per totam urbem ſparſum veræ doctrinæ ſemen fuerit: nunc dicit Lucas latius diffuſum eſſe, per totam ſcilicet regionem.

50. Interea commemorat, non ſine ſudore & moleſtia id eſſe factum. Læta igitur & auſpicata fuerunt exordia vocationis Gentium, nec potuit Satan curſum gratiæ Dei impedire: ſed interim Paulum & Barnabam, quos Deus athletas in arenam produxerat, certare oportuit. Notandum eſt autem quod dicit Lucas, *mulieres* religioſas & honeſtas cum primoribus urbis impulſas eſſe ad perſequendos Chriſti ſervos. Fuit enim hoc non leve ſcandalum rudibus, & qui vixdum in Chriſto geniti erant, quum viderent Chriſto adverſum eſſe, quicquid virorum & mulierum in pretio habebatur, & laude dignum erat ſecundum homines. Magna populi turba Chriſtum receperat, ſed turba, & hominum duntaxat quiſquiliæ. Ex oppoſito ſtabant primores urbis, qui ſplendore ſuo ignobile & obſcurum vulgus facile obruebant. Suſpectam quoque, imo odioſam reddere doctrinam poterat, quod piæ in ſpeciem & honeſtæ matronæ adverſus eam infeſtæ erant. Si inſurgerent è luſtris vel cauponis homines nequam, improbi, & flagitioſi: ſi ſcortorum greges è lupanari erumperent, nullum eſſet Euangelii dedecus: quin potius inde clarior eluceſceret ejus dignitas. nunc quid poteſt venire infirmis in mentem, niſi doctrinam quæ tales habet adverſarios, minime à Deo eſſe? Neceſſe ergo fuit non modo fideles, qui adhuc teneri & novitii erant, à Domino confirmari, ne fides eorum labaſceret: ſed etiam manum Paulo & Barnabæ porrigi, ne fracti deſiſterent. Cæterum, hoc exemplo nos doceri voluit Deus fortiter reſiſtendum eſſe talibus offendiculis, & cavendum ne inanes virtutum larvæ oculos nobis præſtringant, ne Chriſti gloriam in Euangelio relucentem cernamus. Quicquid enim virtutum & honeſtatis in hominibus fingi poteſt, meram hypocriſin eſſe certum eſt, ubi ſe Chriſto opponunt. Quanquam fieri poteſt, ut qui ad tempus inconſiderate adverſus Chriſtum feruntur, poſtea reſipiſcant. ſtatuendum tamen eſt, quacunque ſanctitatis ſpecie fulgeant qui reſiſtunt Euangelio, neque ſolido Dei timore eſſe præditos, nec aliud quam fallacem umbram eſſe, quicquid virtutum oſtentant. nec vero fruſtra Chriſto tribuitur
hoc elogium, quod revelet ex multorum cordibus Luc. 2:35.
cogitationes.

Religioſas.] Qualis vero religio eſſe potuit, ubi nulla verbi Dei reverentia erat? Notandum eſt, quatuor eſſe hominum genera. ſicut numero pauci ſunt, qui ſincere & ex animo Deum colant: ita pauci ſunt qui apertum craſſumque ejus contemptum profiteantur. Illi jam duo ſunt ordines. Major autem pars nec prorſus religione caret, neque aliena eſt prorſus à communi Dei cultu: ſed tamen frigide & defunctorie quaſi cum Deo ludentes, ſi ad vivum examinentur, nihilominus profani ſunt. qualiter hodie multorum impietas ſub ceremoniis & fucata cultus Dei profeſſione utcunque tegitur. Ita ſeculis omnibus extiterunt hiſtrionici Dei cultores, quorum tota ſanctitas erat in geſticulationibus & inanibus pompis. Pauli ætate, non ſecus atque hodie, in paucis quibuſdam eminebat peculiare pietatis ſtudium: quorum etſi impura erat religio, & fictum cor, fallax & duplex: zeli tamen ſui, licet inconſiderati, reſpectu, utcunque religioſi cenſentur. Sed hinc apparet quid valeat nuda religio, quæ inconſulto fervore cultores ſuos ad oppugnandum Dei regnum, opprimendamque ejus gloriam præcipitat. Porro credibile eſt matronas iſtas quamvis non prorſus Judaiſmo dediſſent nomen, nec Legis doctrina imbutæ forent, fuiſſe tamen ſemi-Judæas: atque inde factum eſſe, ut patrocinium gentis tam libenter ſuſciperent. Sic enim, teſte Paulo, circumaguntur captivæ mulieres oneratæ peccatis.

51. *Excuſſo pedum pulvere.*] Execrationis ſymbolum fuiſſe apud Judæos, colligere etiam ex Chriſti
mandato licet, Matth. 10. Luc 9. & 10. neque enim Mat. 10.
probabile eſt, Chriſtum ſigno incognito voluiſſe verſ. 14.
ſuos uti: quum ejus conſilium eſſet craſſis, & profeſ- Luc 9:5.
ſis doctrinæ ſuæ contemptoribus terrorem incutere. & 10:11.
Porro hoc modo teſtatum fieri volebat tam abominabiles Deo eſſe impios, ut ſollicite cavendum ſit nobis, ne quid habeamus cum ipſis commune:

ne qua ex eorum immunditie contagio ad nos uſque penetret. Dicuntur quidem ſcelerati omnes terram, cui imprimunt pedum veſtigia, polluere: ſed nuſquam præcepit Dominus tanta execratione alios, quam verbi contemptores rejici. Si quis adulter aut ſcortator, ſi quis perjurus, ſi quis ebrioſus, ſi quis homicida excommunicandus erat, non fuiſſet adhibitum hoc ſymbolum. Apparet ergo quam intolerabilis ſit Deo verbi ſui contemptus: quia dum pulverem è pedibus excuti jubet, perinde eſt acſi pronunciet, Satanæ eſſe mancipia, & homines perditos ac deploratos, dignoſque qui è terra exterminentur. quare hæc tanta ſeveritas nos ad Euangelii reverentiam erudiat. Docentur etiam verbi miniſtri, quanto zeli fervore aſſerenda illis ſit verbi majeſtas, ne frigide ejus contemptum diſſimulent.

52. *Diſcipuli repleti gaudio.*] Bifariam exponi poteſt hoc membrum, Gaudio & Spiritu repletos eſſe: per hypallagen hoc modo, Gaudio Spiritus, aut quod idem valet, gaudio ſpirituali: quia nulla conſcientiæ ſerenitas, quies, lætitia, niſi ex Spiritu Dei. qua ratione Paulus regnum Dei eſſe dicit juſtitiam, pacem, & gaudium in Spiritu. vel ut nomen Spiritus alias virtutes & dona ſub ſe contineat. Mihi tamen magis arridet, gaudio fuiſſe repletos: quia Spiritus ſancti gratia in illis regnabat, quæ ſola vere & in ſolidum ita nos exhilarat, ut ſupra totum mundum alte efferamur. ſpectandum enim eſt quid voluerit Lucas, adeo ſcilicet non turbatos aut perculſos fuiſſe fideles gravibus illis offendiculis, doctorum ſuorum ignominia, urbis perturbatione, terroribus ac minis, diſcriminum etiam impendentium metu, ut fortiter tam falſæ ſanctimoniæ quam potentiæ ſplendorem altitudine fidei ſuæ deſpicerent. Et ſane, ſi in Deo rite fundata erit fides noſtra, & in ejus verbo penitus radices egerit, Spiritus denique præſidio, ut decet, probe ſit munita: etiam toto mundo tumultuante, pacem, & gaudium ſpirituale in animis noſtris fovebit.

Rom 14. verſ. 17.

Cap. XIV.

FActum eſt autem Iconii ut ſimul intrarent Synagogam Judæorum, & loquerentur ſic ut crederet magna multitudo tam Judæorum quam Gentium.

2. Qui vero increduli erant Judæi, ſuſcitarunt & malitia infecerunt animos Gentium contra fratres.

3. Multum ergo tempus verſati ſunt, confidenter ſe gerentes in Domino, qui teſtimonium reddebat ſermoni gratiæ ſuæ, dans ut ſigna & prodigia fierent per manus eorum.

4. Diviſa eſt autem multitudo civitatis: & alii quidem ſtabant à Judæis, alii vero ab Apoſtolis.

1. Proximo capite expoſuit Lucas, quomodo ſuam apud Gentes legationem Paulus & Barnabas aggreſſi ſint. Porro infelix & male auſpicatum initium videri poterat, quod non modo Antiochia expulſi, ſed etiam obſtinata quorundam malitia coacti fuerant pulverem è pedibus excutere. verum quamvis duriter uno in loco accepti, non tamen cedunt: quia reputant ea lege ſe fuiſſe vocatos à Domino, ut mundo & Satana repugnante munus ſuum exerceant. Videmus ergo non tantum ad docendum paratos veniſſe, ſed etiam ad certandum armatos, ut per medios conflictus animoſe pergerent in publicando Euangelio. Et certe quod ſemel Jeremiæ dictum eſt, cunctis Dei Prophetis & miniſtris commune eſt: Pugnabunt contra te, ſed non prævalebunt. Jam quocunque pulſi fugiarit, eandem ſecum afferunt animi præſentiam. unde apparet non ad unum modo certamen fuiſſe inſtructos, ſed ad continuam militiam: quod nunc proſequitur Lucas. Primo narrat Iconium veniſſe, & ſimul addit non quæſiſſe illic portum aliquem, ubi taciti quieſcerent: ſed Synagogam ingreſſos eſſe, acſi nihil incommodi perpeſſi eſſent. Particulam κατὰ τὸ αὐτὸ, quum Græcis ſignificet Simul vel eodem tempore, ad Judæos potius quam ad Paulum & Barnabam refero. Sic igitur interpretor, non quod ambo ſimul ingreſſi ſint, ſed quod turbam ſequuti ſint ſolenni & præfixo tempore conventus. Unde colligimus non clam loquutos fuiſſe cum paucis hominibus, ſed in magna populi frequentia: quo ſuam fiduciam & alacre ſtudium teſtantur: tantum abeſt ut invidiam fugitent, aut periculum formident.

Jer. 1:19.

Ut crederet magna multitudo.] Quemadmodum Spiritus virtutem in Paulo & Barnaba prius oſtendit Lucas: ita nunc alteram Dei gratiam in proſpero quem experti ſunt ſucceſſu, laudat. neque enim fructu caruit una ſolum ab illis habita concio: ſed multos peperit Dei filios, tam ex Judæis quam ex Gentibus. Si unus & alter vel pauci credidiſſent, fuiſſet jam non pœnitendum operæpretium. ſed Dominus longe melius eos confirmat, dum tam uberem doctrinæ ſuæ fructum temporis momento colligunt. Sciebant enim non tam voce ſua, quam Spiritus virtute converſa fuiſſe tot hominum corda ad credendum: unde etiam ſtatuere poterant, ſe extenta Dei manu protegi. quod ad ſumendam fiduciam non parum valebat.

2. *Qui vero increduli erant.*] En iterum nova illis perſequutio oboritur, & quidem à Judæis: erant enim veluti faces ad inflammandos Gentium animos. Nam Gentes credibile eſt ſuſque deque tuliſſe quum Euangelium prædicaretur, niſi flabellis illis accenſæ fuiſſent ad reſiſtendum. κακῶσαι hic interpretor, maligno affectu inficere, vel impellere ad nocendum. Fratrum nomine, meo judicio, comprehendit Lucas pios omnes: nempe vexatos fuiſſe quicunque Euangelio acceſſerant, quaſi pernicioſa aliqua ſecta ſe extuliſſet ad ſpargenda diſſidia, ad turbandam urbis pacem, ad concutiendum ſtatum publicum. Siquis tamen ad Paulum & Barnabam reſtringere malit, non admodum repugno.

3. *Multum ergo tempus.*] Narrat hic Lucas non ceſſiſſe urbe Paulum & Barnabam ſimulac viderunt aliquos ſibi eſſe adverſos. nam quum dicit audacter ipſos egiſſe, innuit oblatam illis fuiſſe metus cauſam. Unde colligimus ſtetiſſe intrepidos, & quidem rara animi magnitudine duxiſſe pro nihilo diſcrimina omnia, donec violenter coacti ſunt alio migrare. Particula ἐπὶ κυρίῳ, varie exponi poteſt: vel quod in cauſa Domini fortiter ſe geſſerint: vel quod freti ejus gratia, inde ſumpſerint animum. Sequutus ſum quod magis receptum erat, illos ſe libere & fortiter geſſiſſe in Domino: hoc eſt, non propriis viribus, ſed ejus gratia adjutos. Continuo poſt exprimit qualiter animati fuerint in Domino: nempe quia in ſignis & miraculis doctrinam ſuam comprobabat. nam quum inde agnoſcerent Dominum ſibi adeſſe, & propinquam ad ferendas ſuppetias eſſe ejus manum, merito ad ſtrenue agendum incitabantur. Verum ſpeciem unam notando, alias non excludit. Dominus enim aliis modis eos ad fiduciam erexit & ſtabilivit in conſtantia. ſed videtur Lucas de miraculis domi-

nominatim loquutus eſſe: quia in illis Deus virtutem ſuam coram toto populo palam exerebat. Ergo non parum fiduciæ Paulo & Barnabæ acceſſit, quum Dominus eorum doctrinam à contemptu ita aſſereret. Porro ootanda eſt loquutio, quod Dominus teſtimonium reddiderit Euangelio in miraculis. docet enim quiſnam verus ſit miraculorum uſus. Hic quidem primus eſt finis, ut nobis Dei potentiam & gratiam demonſtrent. ſed quia ſiniſtri ac perverſi ſumus eorum interpretes, ne trahantur in abuſum & corruptelam, nunquam fere Deus à verbo ſuo patitur ea disjungi. nam ſiquando abſque ejus verbo edita fuerunt miracula, primum id raro accidit: deinde perquam exiguus inde profectus ſequutus eſt. Ut plurimum vero miracula edidit Deus, quibus ipſum non ſimpliciter, neque in nuda ejus majeſtate, ſed in verbo mundus agnoſceret. Ita hoc loco dicit Lucas, miraculis ſancitum fuiſſe Euangelium: non tantum ut confuſa aliqua religio occuparet hominum animos, ſed ut præeunte Pauli doctrina, adducerentur ad purum Dei cultum. Unde colligere promptum eſt, quam ſtulte faciant Papiſtæ, dum nudis miraculis mundum à Dei & Euangelii reverentia abducere conantur. Tenendum enim eſt principium iſtud, Non alio ſpectare quæcunque à Deo unquam profecta ſunt miracula, niſi ut Euangelio conſtet plena & ſolida auctoritas. Nunc videndum eſt an Euangelium mortuos invocare jubeat: idolis ſuffitum facere: transferre ad Sanctos fictitios Chriſti gratiam: votivas peregrinationes ſuſcipere: comminiſci profanos cultus, quorum nuſquam mentio fit in verbo Dei. Atqui nihil minus Euangelio conſentaneum, quam ut ſuperſtitiones iſtæ locum habeant. unde ſequitur, ex Euangelii fulturis machinas ad ipſum oppugnandum perperam à Papiſtis extrui. Eodem ſpectar quod dicit Lucas, Dominum dediſſe ut per manus ſervorum ſuorum fierent miracula. quibus verbis admonet hos fuiſſe tantum miniſtros, qui Domino præbuerunt ſuum obſequium: fuiſſe vero illum auctorem, qui eorum manu & opera uſus eſt. Quare proprie loquendo, non dicemus Pauli & Barnabæ fuiſſe miracula: ſed Dei unius, qui ſic operatur per homines, ut eorum miniſterio ſuam gloriam obſcurari nolit. Notandum præterea Euangelii elogium quod hic ponit Lucas, ut nobis magis amabile reddatur. Sermonem enim gratiæ vocans, ſuaviſſimo guſtu nos imbuit: quoniam illic mundo ſalus offertur per Chriſtum. ac ſubaudienda eſt antitheſis cum Lege, in qua proponitur ſola maledictio. Meminerimus ergo in hunc finem Deum in Euangelio nobis loqui, ut ſe nobis reconciliet, ac propitium eſſe teſtetur. Nec obſtat quod reprobis 2 Cor. 2.
odor eſt mortis in mortem: quia ejus naturam vitio verſ. 16.
ſuo non mutant. De ſignis & prodigiis lege quæ diximus capite ſecundo.

4. *Diviſa eſt multitudo.*] Sequitur nunc cataſtrophe, qood ſcinditur in duas partes civitas: & tandem Paulus & Barnabas plebis tumultu coacti, alio diſcedunt. Si quæritur origo diſſidii, ex Euangelio certe manavit: cui tamen nihil magis contrarium eſt quam diſcordias parere. ſed facit hominum pravitas, ut Euangelium, quod unitatis vinculum eſſe debuerat, ſimulac in medium prodit, turbarum fit occaſio. Quare ubi ſchiſma aliquod emergit: antequam damnemus qui videntur eſſe auctores, prudenter expendere decet cui imputanda ſit culpa. Audimus hic urbem unam ſchiſmate fuiſſe diviſam, ex quo pars aliqua ad Chriſtum adducta eſt. Hoc pronunciat Dei Spiritus in laudem, non in probrum Pauli & Barnabæ. Eadem hodie quoque regula tenenda eſt, ne falſa invidia gravetur Euangelium, ſi non omnes pariter ad Deum adducit, ſed improbi contra tumultuentur. Miſerum quidem eſt, homines alios ab aliis diviſos cernere. verum ſicuti maledicta eſt unitas quæ nos omnes à Deo ſeparat: ita præſtat centies diſceſſionem à toto mundo paucos facere, & interim redire cum Deo in gratiam, quam ut perpetuum cum eo diſſidium habentes, mundi pacem redimant.

5. Quum autem factus eſſet impetus Gentium & Judæorum una cum eorum principibus ad vim ipſis inferendam, & eos lapidandos:

6. Re cognita, fugerunt in urbes Lycaoniæ, Lyſtram & Derben, & regionem undique vicinam:

7. Atque ibi euangelizabant.

8. Quidam autem homo apud Lyſtros ſedebat captus pedibus, qui claudus fuerat ab utero matris ſuæ, neque unquam ambulaverat.

9. Hic audivit Paulum loquentem: qui eum intuitus, & videns quod fidem haberet ſe ſalvum fore,

10. Dixit voce magna, Surge ſuper pedes tuos rectus. Ille autem exilivit, & ambulabat.

5. Obſerva quouſque ſuſtinuerint ſancti Chriſti athletæ. Non fugantur ſolo hoſtium objectu: ſed ubi fervet ſeditio, & inſtat lapidationis periculum: etiamſi multos habeant doctrinæ ſuæ faventes, non
Luc. 21. ultra tendunt: ſed memores ſententiæ Chriſti, qua
verſ. 19. fideles admonet ut in patientia poſſideant animas ſuas, hoſtium furorem declinant. Tametſi autem fugiunt, ne temere ſe præcipitent in mortem: conſtantia tamen eorum in Euangelio prædicando, ſatis declarat eos non horruiſſe periculum. ſubjicit enim Lucas in aliis etiam locis euangelizaſſe. Hic rectus eſt timendi modus qoum ſe ultro non objiciunt ſervi Chriſti hoſtibus mactandos, ab officio tamen non deſiſtunt; nec eos impedit metus, quominus Deo vocanti pareant: adeoque ſi opus ſit, per mortem ipſam pergant ad munus ſuum exequendum.

8. *Homo quidam apud Lyſtros.*] Miraculum unum refert Lucas, quod probabile eſt unum fuiſſe ex multis: ſed propter eventum memorabilem, ſolum ejus facta fuit mentio. mox enim videbimus quid acciderit. Circumſtantias recenſet Lucas, quæ divinam potentiam clarius illuſtrent, quum dicit Hominem nunquam ambulaſſe, & fuiſſe claudum ab utero matris: ſola autem Pauli voce repente ante omnium oculos fuiſſe ſanatum, & agilem cruribus emortuis fuiſſe motum, ut ſine difficultate exilierit.

9. *Audivit Paulum loquentem.*] Auditus primo loco ponitur, ut ſciamus fidem, quam mox laudabit Lucas, ex Pauli doctrina fuiſſe conceptam. Audito itaque Paulo, ſanitatem ſperavit. Sed quæritur, an ſpecialiter hoc illi fuerit promiſſum: neque enim quidvis protinus ſperare nos Deus jubet, dum æternam ſalutem offert in Euangelio. Reſpondeo, fuiſſe hunc ſingularem & extraordinarium Spiritus motum in claudo: qualis viciſſim in Paulo fuit, quum illius fidem agnovit ex ſolo intuitu. Fieri poterit ut Euangelium multi recipiant, neque tamen à morbis, quibus laborant, curentur. ſed quum Deo ſpecimen gratiæ ſuæ in claudo edere decretum eſſet, animum ejus ante paravit, ac capacem reddidit hujus acceſſionis.

Digitized by Google

ſionis. Quare io communem regulam hoc trahi non debet, quod ſe claudus ſanatum iri credidit. ſed peculiaris fuit ad recipiendum ſanationis donum præparatio. Et hæc etiam fidei ſpecies particularis eſt, quæ dat locum miraculis: qua plurimi ex filiis Dei careot, qui tamen adoptionis Spiritu præditi ſunt.

In quem intuitus Paulus.] Scimus quam ambigua res ſit & fallax, hominis vultus. non potuit igitur certum inde judicium de fide fieri, quæ ſolum habet Deum teſtem: ſed quemadmodum jam admonui, arcano Spiritus inſtioctu patefacta fuit Paulo claudi fides: ſicuti ille unus dux & magiſter Apoſtolis fuit ad edenda miracula.

10. *Dixit magna voce.*] Plerique vetuſti codices & fidei maxime probatæ addunt, Dico tibi in nomine Chriſti Jeſu. & certe videmus quam ſollicite celebrarint Apoſtoli in omnibus miraculis Chriſti nomen: ideo mihi veriſimile eſt expreſſum fuiſſe à Luca, quod tameo vulgo nunc in codicibus impreſſis non habetur. Quod poſtea ſubjicit Lucas claudum exiliiſſe, non tantum ad virtutis divinæ commendationem valet: ſed tam prompta obſequendi alacritas teſtimooio fuit, rite fuiſſe à Domino præparatum: ut jam animo ambularet, quum adhuc mortui eſſent pedes. Quanquam ſurgendi celeritas magis conſpicuam reddiderit Dei virtutem. quo etiam conſilio Paulus vocem extulit, quo melius turbam afficeret ſubita mutatio. 1 Cor. 12 verſ. 2.

11. Porro turbæ quum vidiſſent quod fecerat Paulus, ſuſtulerunt vocem ſuam, Lycaonice dicentes, Dii ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos.

12. Vocabantque Barnabam, Jovem: Paulum vero, Mercurium, eo quod ipſe dux eſſet ſermonis.

13. Sacerdos vero Jovis, qui erat ante urbem ipſorum, tauros & coronas ad portas afferens, volebat eum turbis ſacrificare. Pſal. 69. verſ. 10.

11. *Porro turbæ.*] Hæc hiſtoria locuples eſt teſtis, quanta ſit hominum ad vaoitatem propeoſio. non protulerat ex abrupto vocem illam Paulus, Surge, ſed concioni de Chriſto habitæ velut clauſulam addiderat: populus tamen ſuis idolis laudem miraculi adſcribit, acſi de Chriſto verbum non audiſſet. Non eſt quidem adeo mirum, barbaros homines ad ſuperſtitionem, quam à pueris imbiberant, ſubito miraculi conſpectu delapſos eſſe. ſed hoc vitium paſſim nimis uſitatum eſt, adeoque nobis ingenitum, ut operum Dei perverſi interpretes ſimus. Hinc tam craſſa in Papatu ſuperſtitionum deliria, quod arreptis temere oiraculis, doctrioæ non auſcultant. quo nos magis & attentos eſſe & ſobrios decet, ne Dei virtutem, quæ in ſalutem nobis affulget, ſenſu carnis corrumpere, quod tam proclive eſt, nobis contingat. Nec vero mirum eſt, ſi pauca tantum & ad breve tempus miracula edi Dominus voluerit: ne hominum libidine trahereotur in finem prorſus contrarium. quia minime æquum eſt ut nomen ſuum mundi ludibrio ſubjiciat: quod fieri neceſſe eſt, ubi quod proprium ejus eſt, ad idola transfertur, aut increduli ad fingendos vitioſos cultus, ejus opera depravant: dum poſthabito verbo, numeo quodlibet arripiunt à ſe confictum.

Dii ſimiles hominibus.] Opinio erat præſumpta ex veteribus fabulis, quæ tamen ipſæ originem à veritate duxerant. Nugis iſtis referti ſunt Poëtarum libri, deos ſæpe viſos eſſe io terris ſub hominum forma. quod tamen credibile eſt non fuiſſe de nihilo confictum: ſed potius homines profanos, quod olim de Angelis tradiderunt ſancti Patres, ad fabulas tranſtuliſſe. Et fieri poteſt ut Satan, quum homines haberet obſtupefactos, variis præſtigiis illuſerit. Hoc quidem certum eſt, quicquid Dei erat, ubi ad infideles tranſiit, fuiſſe pravis eorum figmentis vitiatum. Idem & de ſacrificiis ſentiendum, io quibus ab initio Deus fideles ſuos exercuit, ut haberent externa pietatis & divini cultus ſymbola. Increduli vero poſtquam alienos ſibi deos commenti ſunt, ſacrificiis abuſi ſuot ad ſacrilegum eorum cultum. Lycaones ioſolitam virtutem cernentes io ſanato claudo, divinum eſſe opus ſtatuunt: recte hacteous. perperam vero, quod ex conſueto errore in Paulo & Barnaba falſos ſibi deos fabricant. quid enim cauſæ eſt cur præferant Barnabam Paulo, niſi quod puerile de Mercurio deorum ioterprete figmentum, quo jam imbuti erant, ſequuntur? Quo exemplo monemur, quantum malum ſit, erroribus tenera ætate aſſueſcere: quod eradicari ex animis adeo facile non eſt, ut ipſis quoque Dei operibus, quibus corrigi decuerat, magis obdureſcaot.

13. *Sacerdos etiam Jovis.*] Tametſi non exprimit Lucas quo affectu tam ſedulus fuerit hic Sacerdos, probabile tamen eſt, quum ſpes uberrimi quæſtus eſſet oblata, avaritia fuiſſe impulſum. magna enim ſpes lucri illi in futurum tempus affulgebat, ſi paſſim vulgatus eſſet rumor, Jovem illic apparuiſſe: nam inde ſequuta protinus fuiſſet opinio, Jovi Lyſtrenſe templum eſſe cordi præ aliis. Ubi aotem hominum animos talis implevit ſuperſtiio, nullis ſumptibus ad offerenda donaria parcitur. Sponte quidem huc mundus propendet: ſed deiode accedunt ſacrifici quaſi flabella. Nec dubium etiam quin totam plebem impulerit ambitio, ut ſub Jovis nomine victimas Paulo tam cupide offerre vellet, ut illuſtrior eſſet urbis ſuæ fama & nobilitas. Hinc tanta Satanæ ad fallendum licentia, dum ſacrifici captando lucro plagas tenduot, populum vero oblectat errorum confirmatio.

14. Porro quum audiſſent Apoſtoli Barnabas & Paulus, diruptis veſtibus ſuis irruerunt in turbam, clamantes,

15. Ac dicentes, Viri, cur hæc facitis? Nos quoque homines iiſdem quibus vos malis obnoxii ſumus, annunciantes vobis ut ab iis rebus vanis convertamini ad Deum viventem, qui fecit cælum & terram & mare & quæcunque in ipſis ſunt:

16. Qui ætatibus præteritis paſſus eſt omnes Gentes, ſuis ipſarum viis ambulare.

17. Quanquam non ſine teſtimonio ſe reliquit benefaciens, dans nobis è cælo pluvias & tempora fructifera, replens alimentis & lætitia corda noſtra.

18. Et hæc dicentes vix ſedarunt turbas, ne ipſis immolarent.

14. *Quum audiſſent Apoſtoli.*] Quod laceratis veſtibus inſiliunt Paulus & Barnabas in mediam turbam, in eo apparet quanto gloriæ Dei zelo flagrarent: verbis non contenti, quo poſſunt impetu

ſacrificii apparatum conturbant. Fiet quidem interdum ut honorem, qui modum excedit, recuſent etiam hypocritæ: verum ſimulata modeſtia ſimplices magis invitant. In Paulo & Barnaba nihil tale. nam & verbis & toto corporis geſtu palam oſtendunt, cultum quem exhibebant Lyſtrenſes, adeo ſibi non placere, ut in ſumma execratione habeant. Hæc ſancta eſt iracundia, qua Dei ſervos ardere decet, quoties ejus gloriam hominum ſacrilegiis violari cernunt ac labefactari. Nec ſane aliter quiſquam ſincere ac bona fide ſerviet Deo, niſi illum zelotypiæ
2 Cor. 11. verſ. 2. affectum induerit, de quo loquitur Paulus ſecundæ ad Corinthios 11. capit. ut in aſſerenda Domini ſui gloria non minus animoſi ſint ac ſtrenui quibus Eccleſiæ ſuæ curam mandavit, quam maritus vigilat pro uxoris caſtitate. Prudenter ergo cavendum, ne honorem deferri nobis ſinamus qui Dei gloriam obſcuret: quin potius ſimulatque apparet aliqua gloriæ Dei profanatio, ebulliat hic fervor, cujus exemplum habemus in Paulo & Barnaba. Quanquam autem hoc zelo præditos in primis Eccleſiæ doctores eſſe oportet, nemo tamen eſt piorum, qui non acriter excandeſcere debeat, ubi Dei cultum pollui videt, aut alio transferri: quia de omnibus ſcriptum
Pſal. 69. verſ. 10. eſt, Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me. Quod ſi ſancti homines carne adhuc circumdati, tantopere idololatriam abominati ſunt, qualiter hodie affectos eſſe putamus exutos omni carnis affectu? eorum nominibus & perſonis quum abutitur mundus ad ſuam ſuperſtitionem, gratum illis officium eſſe ſibi perſuadet: ſed magnopere fallitur. Primi enim contra ſuos cultores inſurgent, ac re ipſa oſtendent nihil ſibi unquam pluris fuiſſe, quam ut integer uni Deo ſuus cultus maneat. Adde quod illis nulla poteſt major injuria fieri, quam ubi honor Deo ereptus, in eos transfertur: quod fieri neceſſe eſt, ſimulac divinum illis aliquid affingitur. Quod narrat Lucas, Paulum & Barnabam veſtes ſuas laceraſſe, ſatis ex aliis Scripturæ locis patet, morem hunc & ritum in communi fuiſſe uſu apud Orientales, quoties vel magnum mœrorem, vel deteſtationem externo geſtu exprimere vellent. Quum Lucas Barnabam Apoſtolum cum Paulo vocat, nominis ſignificationem longius extendit quam ad primarium ordinem, quem inſtituit Chriſtus in ſua Eccleſia: qualiter Paulus Andronicum & Juniam inter Apoſtolos inſignes facit. Proprie autem loquendo Euangeliſtæ erant, non Apoſtoli: niſi forte quia Paulo additur erat collega Barnabas, utrumque in pari officii gradu ſtatuimus. ita Apoſtoli titulus vere in ipſum competet.

15. *Viri, cur hæc facitis?*] Incipiunt ab objurgatione, ut res poſcebat: deinde oſtendunt quorſum fuerint miſſi. Poſtea concionantur de unico Deo, & admonent ipſum fuiſſe mundo incognitum. poſtremo quo fortius ex cordibus evellant diaboli fallacias, docent excuſatione carere hanc ignorantiam. Prima ergo pars concionis eſt objurgatio, qua damnantur Lyſtrenſes, quod homines mortales præpoſtere Dei loco adorent. Quanquam videtur frigida eſſe quæ ab ipſis affertur ratio. inde enim colligere promptum foret, non eſſe illicitum eorum cultum, quos humanis miſeriis mors exemit. Hoc modo intactæ ſtarent Gentium omnium ſuperſtitiones, quæ in deorum numerum non ſolebant niſi mortuos referre. Eodem etiam colore ſuam idololatriam Papiſtæ fucarunt, qui mortuorum oſſa, lignum & lapides potius adorant, quam vivos & ſpirantes homines. Reſpondeo, Paulum & Barnabam ex re præſenti ſumpſiſſe hoc argumentum, Nos miſeri ſumus homines: falſo igitur & abſurde fingitis eſſe deos, & pro diis colitis. Si in genere de idololatria tractetur, hæc erit perpetua ejus damnandæ ratio, & ſola abunde ſufficiet, Deo uni ſolidum deberi pietatis cultum, ideoque profanari ſimulac creaturis ulla ex parte tribuitur, ſive Angeli ſint, ſive homines, ſive ſtellæ. Sed occaſio ſæpe feret, ut multa in ſpeciem unam idololatriæ dicantur, quæ aliis non conveniant: & tamen ad cauſam præſentem non parum valebunt: quemadmodum Paulus & Barnabas, homines ſe fatendo ærumnis variis obnoxios, aptam rationem habebant coarguendo populi furori.

Annunciamus vobis.] Argumentum à repugnantibus. nam hic oſtendunt prorſus diverſum fuiſſe adventus ſui finem, ut ſuperſtitiones ſcilicet tollerent, quæ hactenus graſſatæ fuerant. Perinde enim eſt acſi dixiſſent, Movet vos atque afficit miraculum? verbis igitur habete fidem. Summa autem noſtræ legationis eſt, ut fictæ omnes divinitates, quibus antehac deluſus fuit mundus, deleantur ac pereant. Hæc autem generalis eſt doctrina, qua non modo præſentem inſaniam compeſcunt, ſed quaſvis ſuperſtitiones reprehendunt, & quicquid omnino à vera pietatis regula alienum erat. Nam proculdubio vanum appellant quicquid ſibi ex proprio ſenſis commenti erant homines. Atque hæc definitio tenenda eſt, quod vana ſit omnis religio quæ à puro & ſimplici Dei verbo recedit ac degenerat. Verbi quidem non fit expreſſa mentio, quia ſermo illis erat ad Gentes: ſed quia non aliter rite colitur Deus quam ex ejus præſcripto, ſequitur ex Pauli verbis, ſimulac deflectunt homines ab eo cultu quem Deus mandavit ac probat, ſtulte, inani & inutili labore fatigari. nihil enim veri aut ſolidi habet religio, niſi in qua ſolus Deus eminet. Atque hinc factum eſt, ut nunquam in majori orbis parte viguerit ſincera & integra pietas. nam in hoc ſudatum eſt duntaxat, ut vetus idololatria tolleretur: alterum vero interea neglectum eſt, ut relictis idolis, ſe ad unum Deum homines colligerent. Interdum quidem idoli nomen mutarunt in nomen Dei: ſed eo prætextu fovebant nihilominus vetuſtos errores, quibus corrigendis danda fuerat opera. Sic Galli ſacrifici magnæ Cybeles cælibatum genuerunt: Nonnæ vel Moniales ſubrogatæ ſunt Veſtalibus: Pantheo ſucceſſit Pantagion: ceremoniis oppoſitæ ſunt ceremoniæ non abſimiles. Tandem invecta deorum turba, quos putarunt fore legitimos, ſi Sanctorum titulis larvati eſſent. Hoc modo non purgantur corruptelæ, nec profana & ſordibus plena ſtabula vertuntur in templa Dei: ſed Dei nomen miſcetur profanis inquinamentis, & Deus ipſe in ſordidum ſtabulum inducitur. Quare meminerimus non tantum in eam partem incubuiſſe Apoſtolos ut idololatriam, quæ prioribus ſeculis graſſata erat, everterent: ſed profligatis omnibus vitiis, etiam in poſterum caviſſe, ut pura vigeret religio.

Qui fecit cælum.] Scimus docendi ordinem ita ferre, ut initium fiat à rebus magis notis. Quum apud Gentiles ſermonem haberent Paulus & Barnabas, fruſtra tentaſſent eos ſtatim adducere ad Chriſtum. ergo ab alio capite ipſos incipere oportuit, quod à communi ſenſu minus remotum eſſet, ut eo confeſſo poſtea ad Chriſtum tranſirent. Occupatæ erant Lyſtrenſium mentes illo errore, plures eſſe deos: Paulus & Barnabas contra, unum eſſe mundi opificem oſtendunt. Sublata illa fictitia deorum multitudine, factus jam erat tranſitus ad ſecundum membrum, ut docerent qualis eſſet Deus ille, cæli & terræ conditor. Hodie diverſa eſt nobis ratio cum Papiſtis. fatentur unum eſſe Deum, & Scripturam admittunt: reſtat igitur ut illis probemus ex Scriptura, qualis ſit Deus, & qualiter coli ab hominibus velit.

16. *Præteritis ſeculis.*] Quia objicere poterant Lyſtrenſes, Deum illum fuiſſe hactenus ignotum, occupant Paulus & Barnabas, ac fatentur quidem omnes erraſſe in tenebris, & totum humanum

genus

genus cæcitate fuiſſe percuſſum: verum negant ex perverſa mundi ignorantia debere præjudicium fieri. Erant duo non parva obſtacula incredulis, longa temporis antiquitas, & conſenſus omnium fere gentium. utrumque hic diruunt Paulus & Barnabas. Si multis ſeculis erratum eſt, inquiunt, ac vagatus eſt mundus ſine ratione & judicio, ne ideo vobis minoris ſit Dei veritas quum affulget: nam quum æterna ſit nec mutetur, minime æquum eſt longam annorum præſcriptionem illi opponi. Nihilo plus eſſe patrocinii in hominum numero contendunt. Non eſt, inquiunt, quod vos à recta via impediat totius mundi conſpiratio. Invaluit in omnibus populis cæcitas: ſed Deus nunc vobis illucet. Aperiendi igitur ſunt oculi, neque in tenebris torpendum eſt, etiamſi in illis antehac demerſi fuerint omnes populi.

Vias ſuas.] Si tantum dixiſſet homines hallucinatos eſſe uſque ad tempus illud Dei permiſſu, jam inde colligere promptum eſſet, univerſos nihil poſſe aliud quam errare quamdiu à Deo non reguntur. Longe tamen expreſſius loquitur, dum errores appellat Vias hominum. nam hinc perſpicue docemur, quid in tenenda ſalutis via valeat prudentia & ſenſus humanæ mentis. Ambularunt, inquit, in viis ſuis omnes populi: hoc eſt, in tenebris & morte vagati ſunt. perinde eſt acſi reſtare in toto mundo negaret ullam veræ rationis ſcintillam. Una igitur veræ pietatis regula eſt, ut abjecta omni ingenii ſui fiducia, ſe totos Deo ſubjiciant fideles. neque enim aliæ nunc ſunt viæ hominum quam olim: & omnium temporum exempla docent quam miſere cæcutiant quibus verbum Dei non prælucet, quamvis ſe exiſtimant reliquos perſpicacia ſuperare. Statim ab initio mundi, major pars ad varias ſuperſtitiones & pravos cultus delapſa eſt. unde id? niſi quia proprias imagines ſequi libuit? quum diluvio videri poſſet repurgatus orbis, ſtatim relapſus eſt in eadem vitia. ergo nihil magis exitiale, quam prudentiæ noſtræ inniti. Cæterum cur paſſus ſit Deus tamdiu mundum errare, cauſa hic à Paulo & Barnaba non redditur. & certe ſola Dei voluntas non ſecus nobis æſtimanda eſt, ac ſumma lex æquitatis. Deo quidem optima ſemper factorum ſuorum ratio conſtat: ſed quia nobis ſæpe eſt abſcondita, noſtrum eſt reverenter arcana ejus conſilia mirari. Fatendum quidem eſt, tali interitu dignum fuiſſe mundum: ſed cur unius ſeculi potius quam aliorum miſertus fuerit Deus, non alia poteſt adduci ratio, niſi quia ſic illi
Gal. 4: 4. viſum eſt. ideo tempus plenitudinis vocat Paulus quod promulgando Euangelio divinitus præfixum
ſupra 1:7. eſt, ne alis quæratur opportunitas. Et memoria tenendum quod primo capite habuimus, non eſſe noſtrum ſcire momenta & articulos temporum, quæ Pater in ſuo arbitrio poſuit. Ita refellitur Papiſtarum cavillum, dum fieri non poſſe contendunt, ut Eccleſiam paſſus ſit Deus tam longo tempore errare. Nam unde, quæſo, fluxerunt Gentes, niſi ab arca
Gen. 9: 9. Noë, ubi ſingularis quædam erat Eccleſiæ puritas? poſteritas etiam ſancti Sem una cum aliis degeneravit: imo Iſraël, ſelectum Dei peculium, ipſe quoque ad multum tempus relictus fuit. Quare nihil mirum eſt, ſi Deus ſub regno Chriſti eadem qua olim cæcitatis pœna, verbi ſui contemptum ultus eſt.

17. *Non tamen ſine teſtimonio.*] Tollunt hic Paulus & Barnabas Gentibus ignorantiæ prætextum. Quantumvis enim ſibi in propriis figmentis placeant homines, tandem erroris convicti ad hoc aſylum confugiunt, nullam ſibi debere culpam imputari: ſed Deum potius fuiſſe crudelem, qui ne ſibilo quidem revocare dignatus ſit quos perire cernebat. Hanc frivolam objectionem Paulus & Barnabas anticipant, quum admonent, Deum ita latuiſſe ut teſtimonium interea ſibi ac ſuæ divinitati redderet. Videndum tamen quomodo hæc duo inter ſe conveniant: nam ſi de ſe teſtatus eſt Deus, non paſſus eſt, quantum in ſe erat, mundum errare. Reſpondeo, genus hoc teſtimonii, cujus fit mentio, tale fuiſſe quod homines excuſatione privaret, non autem ſufficeret in ſalutem. Verum enim eſt illud Apoſtoli, Fide intelligi aptata fuiſſe verbo Dei ſecula. *Hebr. 11.*
atqui fides non ex nudo & cæli & terræ intuitu concipitur, ſed ex verbi auditu. unde ſequitur, non *verſ. 3.*
poſſe, niſi verbi directione ad ſalvificam Dei notitiam homines adduci. Neque tamen hoc obſtat, quominus etiam abſque verbo reddantur inexcuſabiles, qui tametſi naturaliter luce privati, propria tamen malitia cæcutiunt: quemadmodum docet *Rom. 1.*
Paulus primo ad Rom. capite. *verſ. 20.*

Dans pluvias & tempora fructifera.] Deus quidem à principio ſe per verbum toti generi humano patefecit: ſed Paulus & Barnabas oſtendunt nullam fuiſſe ætatem, quam non proſequutus ſit Deus ſuis beneficiis, quæ teſtari poſſent mundum ejus imperio regi. quia autem pluribus ſeculis ſepulta fuerat lux doctrinæ, ideo tantum dicunt naturalibus argumentis oſtenſum fuiſſe Deum. Cæterum probabile eſt, magnificentiam operum Dei, quibus decebat elogiis ipſos ornaſſe. ſed Lucæ ſummas rerum attingere ſatis fuit. Neque tamen intelligo ſubtiliter & Philoſophico more diſſeruiſſe ipſos de naturæ arcanis. ſermo enim erat apud indoctum vulgus: ideo ſimpliciter proponere oportuit quod rudiſſimis quibuſque notum erat. Sumunt tamen principium hoc, in naturæ ordine certam & claram eſſe Dei manifeſtationem: quod pluviis irrigatur terra, quod eam Solis calor vegetat, quod tanta frugum copia quotannis naſcitur, inde certo colligi aliquem eſſe Deum qui omnia gubernat. neque enim proprio motu aguntur cælum & terra: multo etiam minus fortuito. Reſtat igitur, ut hoc admirabile naturæ artificium Dei providentiam palam oſtendat. Et qui mundum æternum eſſe dixerunt, non loquuti ſunt ex animi ſui ſenſu, ſed maligna & barbara ingratitudine conati ſunt obruere Dei gloriam: in quo ſuam impudentiam prodiderunt.

Implens cibo & lætitia.] In eo magis convincitur hominum impietas, ſi Deum non agnoſcant, quod non tantum oculis eorum ſubjicit gloriæ ſuæ teſtimonia in ſuis operibus, ſed omnia etiam in eorum uſus deſtinat. Cur enim Sol & ſtellæ in cælo lucent, niſi ut ſuum miniſterium præbeant hominibus? cur pluvia è cælo cadit? cur terra producit fructus ſuos, niſi ut alimenta hominibus ſuppetant quibus veſcantur? Hominem ergo non poſuit Deus in terra, ut ſit tanquam in theatro otioſus operum ſuorum ſpectator: ſed dum omnibus cæli & terræ opibus fruitur, ut in celebranda Dei largitate ſe exerceat. nunc vero in multiplici rerum copia eum non afficit tanta Dei bonitate, annon pluſquam fœda eſt pravitas? Implere corda cibo, nihil aliud eſt quam alimenta largiri, quæ votis hominum ſatisfaciant. Lætitiæ nomine ſignificant Paulus & Barnabas, Deum pro immenſa ſua indulgentia plus largiri hominibus quam poſtulet eorum neceſſitas: acſi dictum eſſet, cibum dari hominibus non tantum quo reficiant vires, ſed quo etiam corda ſua exhilarent. Siquis objiciat, contingere plerumque ut homines famelici potius gemant, quam ſaturi lætentur: reſpondeo, id fieri præter naturæ ordinem, quando ſcilicet Deus propter hominum peccata manum ſuam reſtringit. ſponte enim ad nos aſſidue flueret Dei liberalitas, qualem hic Barnabas & Paulus prædicant, niſi eam arcerent vitiorum noſtrorum obſtacula. Neque tamen unquam tanta extitit ſterilitas, qua prorſus exaruerit benedictio in hominibus paſcendis. Recte quidem dictum eſt à Propheta, Aperi os *Pſal. 81.*
tuum, & replebo illud: ut ſciamus nos eſurire pro- *verſ. 11.*
pria culpa, dum beneficentiam cæleſtem non admittimus.

timus. ſed quamlibet ſimus reſtricti, perrumpit tamen ad indignos paternus Dei amor. Præſertim univerſitas humani generis teſtis eſt, nunquam ceſſare Dei beneficia, in quibus Pater nobis apparet.

18. *Hæc dicentes, vix.*] Prius dixerat Lucas non verbis tantum uſos eſſe, ſed etiam cum impetu irruiſſe in turbam: nunc addit illa vehementia vix repreſſum eſſe populi furorem. unde apparet quam veſanus & indomitus ſit mundi ardor in idololatriam. Nam ſi deos credunt, cur fidem non habent eorum ſermoni, quo falſum à ſe honorem repellunt? ſed hoc morbo laborant omnes idololatræ, quod jugum excutere ſubinde parati ſunt, niſi eorum arbitrio ſubjaceat religio. Quare non mirum eſt ſi Prophetæ ſæpe commemorent, non ſecus rapi homines in cæcum ſuperſtitionum affectum, quam pecudes in libidinem ſuam feruntur.

19. Supervenérunt autem Antiochia & Iconio Judæi: à quibus perſuaſæ turbæ quum lapidaſſent Paulum, ejecerunt eum extra urbem, exiſtimantes mortuum eſſe.

20. Circumdatus autem à diſcipulis, ſurrexit, & ingreſſus eſt urbem: & poſtridie cum Barnaba exivit Derben.

21. Et quum euangelizaſſent huic urbi, & multos formaſſent diſcipulos, reverſi ſunt Lyſtram & Iconium & Antiochiam,

22. Confirmantes animas diſcipulorum, & exhortantes ut in fide manerent, & quod per multas afflictiones oporteat nos ingredi in regnum Dei.

19. *Supervenerunt.*] Difficile eſt Paulo & Barnabæ compeſcere populum, quominus ſacrificet. nebulones autem ſtatim nullo negotio perſuadent ut lapidetur Paulus quem nuper deificabant. Unde apparet, quanto propenſior ſit ad ſuperſtitionem mundus, quam ad veram Dei obedientiam: & quam arrogans ſit ſuperſtitio, quæ ſemper in ordinando Dei cultu vult dominari. Servi Domini non aliud quærunt, niſi ut in ejus obſequium homines adducant: quæ unica eſt ſalus & felicitas. Nullam ſibi dominationem vendicant, lucrum non venantur: eos tamen mundus ferre nequit. nam omnes fere obſtrepunt: ſubinde etiam oriuntur tumultus. Qui tantopere ſunt in Deum contumaces, pluſquam credulos ſe præbent impoſtoribus, ſeque eorum tyrannidi cupide ſubjiciunt. Sic Papæ permiſſum fuit pro ſuo arbitrio illudere, nec modo ſerviliter premere miſeras animas, ſed crudeliter etiam torquere. Quicquid præciperet, obedienter receptum fuit. & hodie quantumvis impoſſibiles ferat leges, nemo tamen

Mat. 11. verſ. 30. muſſitare audet. Suave interea Chriſti jugum pauci admittunt. Ergo in hac hiſtoria graphice nobis pingitur mundi pravitas. Poterat cum omnium plauſu regnare Paulus ſub Mercurii titulo. non vult eſſe Deus: quia fideliter Chriſto ſervit, lapidatur. Laudatur autem ejus conſtantia, ut eam imitemur. Mirabiliter quidem à Domino ſervatus eſt: ſed quantum ad ipſum ſpectat, crudeliſſimum mortis genus pertulit. Ergo perinde habenda eſt hæc lapidatio

2 Cor. 11. verſ. 25. (quam & in ſecunda ad Corint. Epiſtola commemorat) acſi tunc occiſus eſſet. Porro non dubium eſt, quin tumultuoſe in eum inſurrexerit vulgus. Ita quicquid violentiæ improbi Chriſti ſervis inferant, nulla habetur quæſtio: ſilent leges, judicia ceſſant, magiſtratus torpet, omne patrocinium ſubducitur.

20. *Quum circumdediſſent.*] Tametſi Paulum nemo defenderit, Lucas tamen oſtendit pios fuiſſe de ejus vita ſollicitos: verum ſibi temperaſſe, ne quid magno cum periculo ſine profectu tentarent, quando opitulari niſi clanculum non poterant. Et ſane videndum ſemper eſt quid nobis Dominus in manum dederit. ſiquem ego ex ripa videam in medio gurgite, nec poſſim manum porrigere naufrago: quid mihi reſtat, niſi ut Domino commendem? ſi autem ſpes aliqua ſit juvandi, tunc periculum ſubire oportet. Non dicemus ergo per ignaviam deſertum fuiſſe Paulum à diſcipulis, quum nihil opis vel ſubſidii in illis poſitum eſſet. Amorem vero & curam teſtantur, quum projectum circumdant.

Profecti ſunt Derben.] Hinc palam apparet, non ſine miraculo ſervatum eſſe Paulum, quod poſtridie quam ejectus pro mortuo fuerat, quaſi recens & integer viam arripit. unde etiam colligitur, quam invictum contra mala omnia fuerit ejus pectus. Neque enim ſeceſſum petit, ubi inſtar emeriti militis otio fruatur: ſed etiam repetit loca in quibus paulo ante male tractatus fuerat. Primum tamen narrat Lucas plantatam fuiſſe apud Derbenſes Eccleſiam. poſtea ſubjicit, Paulum & Barnabam ad Eccleſias, quas inſtituerant, reverſos eſſe, ut confirmarent diſcipulos. Quo ſignificat non conſiſtere verbi uſum in ſimplici eruditione, qua tantum doceatur auditor: ſed valere etiam ad confirmationem fidei, monendo, exhortando, & coarguendo. Nec vero ſuis Miniſtris tantum mandat Chriſtus ut doceant, ſed etiam ut hortentur: & Paulus utilem eſſe Scripturam 2 Tim. 3. verſ. 16.

prædicat, non modo ad docendum, ſed etiam ad exhortandum. Quare ne ſe defunctos putent Paſtores, quum probe imbuerint populum recta ſcientia, niſi in hanc quoque partem incumbant. Rurſum fideles verbum Dei non negligant, quaſi ſupervacua eſſet ejus lectio vel prædicatio: quia nemo eſt, qui non aſſidua confirmatione opus habeat.

22. *Et exhortantes.*] Hæc præcipua fuit confirmandi ratio, quod diſcipulos qui Euangelium amplexi erant & profitebantur, exhortando incitant ad pergendum. multum enim abeſt, quin prompti & ſtrenui ad officium ſimus, ut decebat. Ideo ſtimulis opus habet noſtra pigritia, & frigus noſtrum calefieri neceſſe eſt. Cæterum quia ſuos exerceri vult Deus variis certaminibus, admonent Paulus & Barnabas diſcipulos ut parati ſint ad ferendas tribulationes. Admonitio valde neceſſaria, militandum eſſe in hoc mundo, ut pie ſancteque vivamus. Si nihil negotii faceſſeret nobis caro, ſi nihil machinaretur Satan, ſi nullis offendiculis nos improbi turbarent, non adeo moleſtum eſſet perſeverare: quoniam illa ſuavis eſſet ambulatio per mollem & amœnam viam. ſed quia undique & ſingulis momentis innumeri ſurgunt inſultus qui nos ad defectionem ſollicitent: inde naſcitur difficultas, & ideo tam rara conſtantiæ virtus. Ergo ut in finem uſque perſtemus, comparatos eſſe nos ad militiam decet. Cæterum non ſolum hic mentio fit de perſequutionibus, quas nobis hoſtes exertis gladiis & ignibus accenſis intentant: ſed nomine Tribulationum complectitur Lucas omnes ærumnas, quibus obnoxia eſt piorum vita. non quod ſoli fideles miſeri ſint: quia hæc communis eſt bonorum & malorum conditio. Unde & celebre illud proverbium, Optimum eſſe non naſci: proximum vero, quam citiſſime mori. Sed quum ſæpe impiis parcat Deus, & eos rebus proſperis ſaginet, erga filios ſuos auſterior eſt ac durior. nam præter communes moleſtias, multis incommodis peculiariter urgentur, ac talibus exercitiis ipſos Dominus humiliat, carnem eorum, ne laſciviat, ſub ferula continens: expergefacit, ne ſopiti in terra jaceant. Accedunt deinde probra & contumeliæ impiorum: nam oportet eſſe quaſi mundi catharmata.

ridetur

ridetur eorum ſimplicitas: impiis vero in Deum ludibriis maxime uruntur. poſtremo improborum libido in apertam violentiam erumpit. Ita cum multis tribulationibus luctari neceſſe habent. nec fieri poteſt quin tota eorum vita inter tot hoſtes valde infeſta ſit & inquieta. Sed hæc optima conſolatio eſt, & quæ ad confirmandos animos abunde ſufficit, Hac via, licet difficili & aſpera, tranſitum eſſe in regnum Dei. nam hinc colligimus feliciores eſſe piorum miſerias, quam ſint omnes mundi deliciæ. Meminerimus ergo primum hanc legem nobis eſſe poſitam, ut multas ærumnas feramus: ſed addamus ſimul & hoc ad mitigandam acerbitatem, quod per eas deducimur io regnum Dei. Porro futilis & ſtulta eſt eorum garrulitas, qui hinc colligunt patientiam eſſe opus ſalutis æternæ meritorium, quando hic non diſputatur de ſalutis cauſa, ſed qualiter ſuos in hoc mundo tractare Deus ſoleat. conſolatio autem addita eſt, non quæ operum dignitatem vel meritum extollat, ſed tantum ad erigendas piorum mentes, ne ſub crucis onere deficiant. Promiſcue, ut dictum eſt, multis malis ſubjectum eſt hominum genus. Atqui reprobis ſuæ afflictiones nihil aliud ſunt quam inferorum atrium: ſanctis vero in fauſtum lætumque finem cedunt; adeoque ſalutis ſunt adjumenta, quia communicant cum Chriſto. Notandum eſt quod Paulus & Lucas plurali numero non contenti, diſerte exprimunt Multas tribulationes: ne quis una & altera, vel ſaltem paucis defunctum ſe putans, tandem ſuccumbat. Statuant ergo fideles, ſibi per continuas ærumnas pergendum eſſe: deinde parati ſint non ad unum modo perſequutionis genus, ſed ad diverſas ſpecies. nam etſi cum quibuſdam mitius agit Deus: nemini tamen ſuorum ita ſuaviter indulget, ut à tribulationibus ſit prorſus immunis.

23. Quum autem ſuffragiis creaſſent illis Presbyteros per ſingulas Eccleſias, precati cum jejuniis commendarunt eos Domino, in quem crediderant.

24. Et tranſeuntes per Piſidiam venerunt in Pamphyliam.

25. Et quum loquuti eſſent Pergæ ſermonem, deſcenderunt in Attaliam:

26. Atque inde navigarunt Antiochiam, unde fuerant commiſſi gratiæ Dei ad opus quod impleverant.

27. Quum autem illuc veniſſent, congregata Eccleſia narrarunt quanta feciſſet illis Deus, & quod Gentibus aperuiſſet oſtium fidei.

28. Verſati autem ſunt illic non exiguum tempus cum diſcipulis.

23. *Quum creaſſent Presbyteros.*] Hinc apparet non ſufficere, homines ſemel rite imbutos eſſe pietatis doctrina, ac tenere fidei ſummam, niſi continuos faciant progreſſus. Ideo Chriſtus non tantum Apoſtolos miſit qui Euangelium ſpargerent, ſed juſſit etiam inſtitui Paſtores, ut perpetua eſſet ac in quotidiano uſu Euangelii prædicatio. Hunc ordinem à Chriſto poſitum obſervant Paulus & Barnabas, quum ſingulis Eccleſiis aſſignant Paſtores, ne poſt ſuum diſceſſum ceſſet ac ſileat doctrina. Proinde docet hic locus, Eccleſiam non poſſe ordinario miniſterio carere: nec Chriſtianos coram Deo cenſeri, niſi qui toto vitæ curſu libenter ſunt diſcipuli. Presbyteros hic vocari interpretor, quibus injunctum erat docendi munus. fuiſſe enim quoſdam duntaxat morum cenſores, ex Paulo apparet. Jam quum dicit Lucas, ſingulis Eccleſiis præfectos fuiſſe, hinc diſcrimen inter eorum & Apoſtolorum munus colligitur. Apoſtolis enim nuſquam erat certa ſtatio: ſed ad fundandas ſubinde novas Eccleſias huc illuc curſitabant. Paſtores autem propriis Eccleſiis ſinguli fuerunt addicti, & quaſi locati ad præſidium.

1 Tim. 5. verſ. 17.

Suffragiis creaſſent.] Verbum Græcum χειροτονεῖν, ſignificat aliquid manibus ſublatis decernere, qualiter in comitiis populi fieri ſolet. Scriptores tamen Eccleſiaſtici nomen χειροτονίας alio ſenſu uſurpant: nempe pro ſolenni ordinationis ritu, qui in Scripturis vocatur Manuum impoſitio. Porro hac loquendi forma optime exprimitur legitima in creandis Paſtoribus ratio. Presbyteros eligere dicuntur Paulus & Barnabas. An ſoli hoc privato officio faciunt? quin potius rem permittunt omnium ſuffragiis. Ergo in Paſtoribus creandis libera fuit populi electio. ſed ne quid tumultuoſe fieret, præſident Paulus & Barnabas, quaſi moderatores. Sic intelligi debet Laodicenſis Concilii decretum, quod vetat plebi electionem permitti.

Precati cum jejuniis.] Duplex fuit illis precandi finis & ratio: prior, ut Deus Spiritu prudentiæ & diſcretionis eos dirigeret ad optimos quoſque & maxime idoneos homines eligendos. Neque enim tanta ſe prudentia inſtructos eſſe noverant, quin poſſent falli: nec tantum fidebant ſuæ diligentiæ, quin ſcirent præcipuas partes in Dei benedictione eſſe poſitas. ut quotidie videmus errare hominum judicia, ubi non adeſt cæleſtis gubernatio: & in nihilum diſfluere eorum labores, ubi non adeſt Dei manus. Hæc vera ſunt piorum auſpicia, Spiritum Dei invocare, qui eorum conſiliis præſideat. Quod ſi in negotiis omnibus tenenda eſt hæc regula: quoties de Eccleſiæ gubernatione agitur, quæ tota ab ejus arbitrio pendet, ſollicite cavendum eſt ne quid niſi ipſo duce & præſide teotemus. Secundus autem finis precandi fuit, ut Deus neceſſariis donis inſtrueret qui electi eſſent Paſtores. Magis enim ardua res eſt tale munus fideliter exequi ut oportet, quam ut ſufficiant humanæ vires. Ergo hac quoque in parte Dei ſuppetias, Paulo & Barnaba auctoribus, implorant. Adduntur jejunia, tanquam adminicula ad excitandum precum ardorem. Scimus enim quale ſit alioqui noſtrum frigus. non quod perpetuo neceſſe ſit jejunos ad preces accedere, quandoquidem & ſaturos Deus ad gratiarum actionem invitat: verum ubi aliqua urget neceſſitas ut ſolito ardentius oremus, valde utile eſt hoc incitamentum. Jam vero expoſuimus quam ſeria res ſit Paſtorum electio, in qua ſcilicet de tuenda Eccleſiæ ſanitate agitur. Quare non mirum eſt, ſi Lucas ſcribit extraordinarias preces fuiſſe ioterpoſitas. Atque hunc jejunii uſum & alios obſervare operæpretium eſt, ne fingamus, ut Papiſtæ, opus eſſe meritorium: vel in eo ſtatuamus cultum Dei: quum per ſe nihil ſit, nec quicquam momenti apud Deum habeat, niſi quatenus alio refertur.

Commiſerunt eos Domino.] Hinc primo colligimus, quantam Paulus & Barnabas curam habuerint eorum ſalutis, qui ipſorum cura & labore converſi erant ad Dominum. Teſtantur etiam, in hac carnis infirmitate pluribus periculis obnoxios eſſe homines, quam ut ſtabilis futura ſit propria virtute eorum fides. hoc ergo unicum eſſe præſidium, ſi perpetuo cuſtodiat Dominus quos ſemel recepit. Cæterum quum dicit Lucas commendatos fuiſſe Deo in quem crediderant, non parum hinc fiduciæ ad nos redit: quia hoc proprium Deo munus aſſignat, ſervare & tueri quicunque vera fide verbum ejus amplexi ſunt.

24. *Tranſeuntes Piſidiam.*] Jam diximus Paulum & Barnabam veniſſe Antiochiam Piſidiæ. nunc

redi-

redituri Antiochiam Syriæ, unde dimiſſi fuerant, tranſeunt per Pamphyliam, quæ media erat regio verſus Taurum montem. Pergæ autem & Attalia vicinæ ſunt urbes. Quod autem in altera tantum ſermonem eos feciſſe narrat Lucas, conjicere inde licet non ubique oblatam illis fuiſſe docendi occaſionem, quam nullibi negligere vel prætermittere ſoliti ſunt.

26. *Unde commendati fuerant.*] Poterat dicere Lucas conſtitutos illic fuiſſe Gentium Apoſtolos: ſed verborum circuitu clarius exprimit neque humanitus fuiſſe dimiſſos, nec eos propriæ virtutis fiducia quicquam aggreſſos eſſe, ſed totam expeditionem una cum ſucceſſu Deo illius auctori fuiſſe permiſſam. Eorum ergo prædicatio non fuit humanum opus, ſed divinæ gratiæ. Et nomen Gratiæ tam ad Spiritus virtutem & efficaciam, quam ad reliqua omnia favoris ſigna refertur: quia gratuitum eſt quicquid donorum in ſervos ſuos confert Deus. Sic autem reſolvi poteſt oratio, Deum fuiſſe precatos, ut gratiam ſuam exereret ad promovendos ſervorum ſuorum labores.

27. *Convocata Eccleſia narrarunt.*] Quemadmodum ſolent qui ex legatione reverſi ſunt, rationem actorum reddere: ita Paulus & Barnabas Eccleſiæ referunt totam profectionis ſuæ ſummam, ut inde pateat quam fideliter verſati ſint in officio: ſimul ut ad gratias Deo agendas, ſicut res ipſa amplam materiam dabat, hortentur fideles. Ideo non dicit Lucas ipſos celebraſſe res ſuas geſtas: ſed quæcunque Dominus per ipſos geſſerat. Ad verbum eſt, Cum ipſis: ſed juxta phraſin linguæ Hebraicæ tantundem valet ac ſi dictum eſſet, In illis, vel Per illos, vel Erga illos: vel ſimpliciter, Illis, in Dativo. Ideo non dicit Lucas, σὺν αὐτοῖς, ſed μετ' αὐτῶν. Quod ideo admoneo, ne quis imperitus partem laudis Paulo & Barnabæ aſcribat, quaſi in opere fuerint Dei ſocii: quum potius unicum faciant omnium quæ præclare egerant, auctorem. Subjicit continuo poſt Lucas, quod aperuiſſet Dominus Gentibus oſtium fidei. Quamvis enim ad Gentes miſſi eſſent, rei tamen novitas admiratione non carebat. nec ſubita tantum mutatio Judæos reddebat attonitos: ſed quia portentum illis erat, impuros & alienos à regno Dei homines ſancto ſemini Abrahæ miſceri, ut pariter unam Dei Eccleſiam conſtituerent: nunc ipſo eventu docentur, non fruſtra illis datos fuiſſe Apoſtolos. Porro oſtium fidei Gentibus apertum dicitur, non tantum quia externa voce prædicatum illis fuerit Euangelium: ſed quia Spiritu Dei illuminatæ, efficaciter ad fidem vocatæ ſint. Aperitur quidem nobis regnum cælorum externa Euangelii prædicatione: ſed nemo ingreditur, niſi cui manum Deus porrigit: nemo accedit, niſi intus à Spiritu trahatur. Ergo ab effectu demonſtrant Paulus & Barnabas, probatam Deo fuiſſe & ratam ſuam vocationem: quia Gentium fides perinde ac ſigillum foret manu Dei inſculptum, ejus ſanciendæ cauſa: quemadmodum Paulus loquitur 16. ad Rom. capite, & 3. ſecundæ ad Corinth. Rom. 16. verſ. 25. 2 Cor. 3. verſ. 7.

CAP. XV.

ET quidam qui deſcenderant à Judæa, docebant fratres, niſi circumciderentur ſecundum ritum Moſis, non poſſe ſalvos fieri.
2. Quum autem orta eſſet ſeditio, & diſceptatio non modica Paulo & Barnabæ
contra eos, ordinarunt ut Paulus & Barnabas & quidam alii ex ipſis aſcenderent
ad Apoſtolos & Presbyteros Jeroſolymam ſuper quæſtione hac.
3. Ac illi quidem miſſi ab Eccleſia tranſierunt Phœnicem & Samariam, narrantes con-
verſionem Gentium: & attulerunt gaudium magnum omnibus fratribus.
4. Quum autem veniſſent Jeruſalem, excepti fuerunt ab Eccleſia & Apoſtolis &
Presbyteris, ac nunciarunt quæcunque fecerat Deus cum ipſis.
5. Surrexerunt autem quidam ex ſecta Phariſæorum qui crediderant, dicentes quod
oporteret circumcidi ipſos, & annunciare ſervandam eſſe Legem Moſis.

1. Quum Paulus & Barnabas variis pugnis contra profeſſos Euangelii hoſtes ſtrenue defuncti eſſent: jam narrare incipit Lucas domeſtico bello fuiſſe tentatos. Ita oportuit modis omnibus probari eorum doctrinam & miniſterium, quo melius conſtaret divinitus eſſe inſtructos contra omnes Satanæ & mundi inſultus. Neque enim vulgaris accedit eorum doctrinæ confirmatio, quod tot machinis concuſſa, nihilominus ſteterit, nec abrumpi potuerit tot obſtaculis ejus curſus. Itaque Paulus in hunc finem ma- 2 Cor. 7. verſ. 5. gnifice prædicat, ſe foris pugnas, intus vero terrores eſſe expertum. Præcipue hæc hiſtoria notatu digna eſt. Tametſi enim natura omnes crucem, & quamvis perſequutionis ſpeciem horremus, plus tamen ab inteſtinis diſſidiis eſt periculi, ne animos noſtros frangant vel debilitent. Quum violento impetu tyranni ruunt, metuit quidem caro, & quicunque Spiritu fortitudinis præditi non ſunt, trepidant toto corde: ſed tunc conſcientias nulla tentatio proprie attingit. agnoſcitur enim quaſi fatalis Eccleſiæ conditio. Sed dum contingit fratres ſimul confligere, & Eccleſiam intra ſe tumultuari, fieri non poteſt quin turbentur, atque etiam labaſcant infirmæ mentes: ac præſertim ubi certamen eſt de doctrina, quæ una ſacrum eſt vinculum fraternæ unitatis. denique nihil eſt quod Euangelio magis incommodet, quam inteſtinæ diſcordiæ: quia non modo percellunt debiles conſcientias, ſed anſam maledicendi impiis porrigunt. Quare diligenter notanda eſt hæc hiſtoria, ut ſciamus non eſſe novum exemplum, ſi inter eos qui idem profitentur Euangelium, exoriuntur tamen aliquæ concertationes de doctrina: dum homines ventoſi, nomen, cujus inſana cupiditate ardent, non aliter poſſunt acquirere quam ſua figmenta ingerendo. Certum quidem eſt, ſicuti unus eſt Deus, ita unam eſſe ejus veritatem. ideo Paulus, dum hortari vult fideles ad mutuum conſenſum, hoc utitur argumento, Unus Deus, una fides, unum Ba- Epheſ. 4. verſ. 6. ptiſma, &c. Epheſ. 4. Sed quum videmus emergere improbos homines, qui & Eccleſiam factionibus ſcindere conantur, & Euangelium ipſum adulterinis commentis aut vitiare, aut ſuſpectum reddere: notum eſſe nobis debet Satanæ artificium. Ideo Paulus alibi hæreſes in medium prodire dicit, ut qui 1 Cor. 11. verſ. 19. probati ſunt, manifeſti fiant. Et certe Dominus miro conſilio eludit Satanæ vafritiem, quod talibus experimentis ſuorum fidem examinat, & verbum ſuum ornat præclara victoria: facitque ut magis dilucida niteat veritas, quam obtenebrare conati ſunt improbi. Sed omnes hiſtoriæ circumſtantias, quæ à Luca notantur, expendere convenit.

Qui deſcenderant à Judæa.] Hic prætextus plurimum etiam apud bonos valebat tunc ad fallendum. Jeroſolyma non abs re in ſummo honore apud

omnes Eccleſias erat: quia non ſecus ac matrem colebant ac reverebantur. nam ex eo fonte Euangelium quaſi per rivos deductum fuerat. Veniunt iſti impoſtores: Apoſtolos obtendunt: ſe nihil afferre jactant, quod non ab illis didicerint. Hoc fumo faltem perſtringunt oculos imperitis: leves autem & improbi cupide oblatum colorem arripiunt. Perturbatio Eccleſiæ, quaſi tempeſtas, bonos alioqui & moderatos concutit, ut cogantur titubare. Notanda igitur hæc Satanæ vafrities, quod ſanctorum nominibus abutitur, ut fucum ſimplicibus faciat, qui hominum reverentia occupati, de re ipſa inquirere non audent. Non exprimit quidem Lucas quo affectu impulſi fuerint iſti nebulones: veriſimile tamen eſt κακοζηλίαν in cauſa fuiſſe, ut ſe Paulo & Barnabæ opponerent. ſunt enim moroſa quædam ingenia, quibus nihil placet, niſi ſuum. Jeroſolymæ Circumciſionem, & alios Legis ritus viderant ſervari: quocunque veniant, nihil poſſunt novum aut diverſum ferre: quaſi unius Eccleſiæ exemplum reliquas omnes certa lege obſtringat. Etſi autem tales præpoſtero zelo feruntur ad movendas turbas: intus tamen ſua eos ſollicitat ambitio, & contumacia quædam inſtigat. Interea habet Satan quod cupit, ut fumorum objectu confuſæ piorum mentes vix nigrum ab albo diſcernant. Cavenda igitur primum hæc peſtis, ne legem alii aliis ex ſuo more perſcribant: ne unius Eccleſiæ exemplum communis regulæ præjudicium ſit. deinde adhibenda altera cautio, ne hominum perſonæ, rei & cauſæ diſquiſitionem vel impediant,
2 Cor. 11. vers. 14. vel obſcurent. nam ſi Satan ſe transfigurat in Angelum lucis, & ſi ſanctum Dei nomen ſacrilega audacia ſæpe uſurpat: quid mirum eſt, ſi eadem improbitate ſanctorum virorum nominibus illudat? Exitus tandem oſtendet, Apoſtolis nihil minus fuiſſe in animo quam ut jugum Legis imponerent Gentibus. hac tamen fallacia obrepere tentabat Satan. Sic plerumque contingit, ut qui oppugnant Chriſti doctrinam, ſervorum ejus titulo ſe inſinuent. Unum itaque remedium eſt, integris judiciis ad rem ipſam quærendam accedere: ſcandalo etiam occurrere nos decet, ne fideles Dei ſervos ideo inter ſe confligere putemus, quia eorum nomina mentitur Satan, ut umbras quaſdam terrendis ſimplicibus in certamen committat.

2. *Quum orta eſſet ſeditio.*] Hæc non levis tentatio fuit, quod tracti ſunt Paulus & Barnabas in tumultuoſum certamen. Jam in ſolo diſſidio plus ſatis erat mali: ſed longe atrocius malum eſt, dum eouſque fervere incipit contentio, ut hoſtiliter pugnare cogantur cum fratribus. Adde infamiam, qua ſe gravari videbant apud imperitos & ſimplices, acſi pacem Eccleſiæ turbarent ſua pervicacia. ſic enim fieri ſolet, ut ſervi Chriſti, poſtquam injuſte vexati fuerint, ac in bonæ cauſæ defenſione fidelem navarint operam, tandem poſt omnes moleſtias, quicquid eſt invidiæ ſuſtineant. Invicta igitur animi magnitudine præditos eſſe oportet, ut ſiniſtros rumores, qui de illis ſparguntur, deſpiciant. Ideo gloriatur alibi Paulus, ſe per ſeditiones progreſſum eſſe.
2 Cor. 6. vers. 5. Cæterum tenenda eſt ea moderatio Chriſti ſervis, ut ab omni diſcordia, quantum in ſe eſt, abhorreant. ſiquando turbas & contentiones excitat Satan, ſedare eas conentur: nihil denique non agant ſovendæ unitatis cauſa. Sed rurſum ubi impetitur Dei veritas, nullum pro ejus defenſione certamen refugiant: nec dubitent ſe fortiter opponere, quamvis cælum terræ miſceatur. Nos vero hoc exemplo moniti, quoties oriuntur in Eccleſia tumultus, diſcamus prudenter quorum culpa id accidat diſcernere, ne fideles Chriſti miniſtros temere damnemus: quorum potius laudanda eſt gravitas, quod tam violentos Satanæ impetus interriti excipiunt. deinde ſuccurrat, mirabili Dei providentia cohibitum fuiſſe Satanam, ne Pauli doctrinam peſſundaret: nam ſi permiſſum illi eſſet nocere quantum volebat, diruta & everſa Gentium fide, concidiſſet prædicatum à Paulo Euangelium, ac Gentium vocationi clauſa fuiſſet janua. Tertio diſcamus, mature obviam eundum eſſe diſſidiis quibuslibet, ne in contentionum flammam erumpant: quia nihil aliud captat Satan diſſenſionum flabellis, quam ut totidem incendia excitet. ſed rurſus, quum videmus primam Eccleſiam tumultuatam, & optimos quoſque Chriſti miniſtros ſeditionibus exercitos fuiſſe, ſi nunc idem nobis uſu veniat, ne trepidemus quaſi in re nova & inopinata: ſed exitum à Domino petentes qualem tunc dedit, per turbulentos motus eodem fidei tenore pergamus.

Niſi circumcidamini.] His verbis Lucas ſtatum quæſtionis breviter definit. nempe quod impoſtores illi conſcientias obſtringere vellent neceſſitate ſervandæ Legis. Sola quidem Circumciſio hic nominatur: ſed ex contextu facile patet, eos de tota Lege ſervanda moviſſe controverſiam. cæterum quia Circumciſio velut ſolennis erat initiatio in alios omnes Legis ritus, ideo per ſynecdochen tota Lex ſub una parte comprehenditur. Non negabant iſti Pauli hoſtes, Chriſtum eſſe Meſſiam: ſed quum illi nomen darent, ſimul retinebant veteres Legis ceremonias. Prima ſpecie videri poterat error tolerabilis. Cur ergo non diſſimulat Paulus, ſaltem ad exiguum tempus, ne conflictu Eccleſiam quatefaciat? de rebus enim externis erat diſceptatio, de quibus nimis acriter litigare Paulus ipſe alibi vetat. Verum tres fuerunt graves cauſæ, quæ eum ad reclamandum cogerent. Nam ſi neceſſaria eſt Legis obſervatio, operibus alligatur ſalus hominum, quam in ſola Chriſti gratia fundatam eſſe, ut tranquilla & quieta ſit fides, oportet. Quum ergo videret Paulus gratuitæ fidei juſtitiæ Legalem cultum opponi, ſilere fas non erat, niſi vellet Chriſtum prodere: nam quum adverſarii negarent, ſalvum fore quenquam, niſi qui Legem Moſis ſervaret, hoc modo ſalutis gloriam Chriſto ereptam ad opera transferebant, & concuſſa fiducia miſeras animas inquietudine vexabant. deinde non erat res parvi momenti, ſpoliare fideles animas libertate per Chriſti ſanguinem parta. Tametſi interior Spiritus libertas Patribus nobiſcum fuit communis, ſcimus
tamen quid Paulus dicat, nempe incluſos fuiſſe ſub Gal. 4. vers. 1, 2.
puerili Legis cuſtodia, ut à ſervis parum differrent: nos vero poſt Chriſtum manifeſtatum ſolutos Legis pædagogia, quaſi finito tutelæ tempore, liberius agere. Tertium hujus doctrinæ vitium fuit, quod tenebras offunderet Euangelii luci, vel ſaltem interponeret velut obſcuras nubes, ne plenum fulgorem emitteret Sol juſtitiæ Chriſtus. In ſumma, brevi actum fuiſſet de Chriſtianiſmo, ſi talibus initiis ceſſiſſet Paulus. Certamen ergo ſuſcipit, non pro externo carnis præputio, ſed pro gratuita hominum ſalute. deinde, ut pias conſcientias à maledictione Legis, & æternæ mortis reatu abſolvat. poſtremo, ut remotis omnibus obſtaculis, quaſi liquido & ſereno cælo refulgeat claritas gratiæ Chriſti. Adde quod gravem Legi injuriam faciebant nebulones illi, quum rectum ipſius uſum impie corrumperent. Genuinum Legis officium fuit, pædagogi inſtar pueros ad Chriſtum manu ducere. ergo non poterat pejus adulterari, quam dum ejus prætextu minuebatur Chriſti virtus & gratia. Hoc modo inſpiciendi ſunt nobis omnium quæſtionum fontes, ne ſilentio noſtro prodamus Dei veritatem quoties eam recta peti Satanæ inſidiis videmus, nec flectantur ullis periculis, vel probris & calumniis molleſcant nobis animi: quia conſtanter aſſerenda eſt pura religio, etiamſi cælum terræ miſceri de-
beat. Servos quidem Chriſti minime pugnaces eſſe 2 Tim. 2. vers. 24.
decet. itaque ſiqua exorta fuerit contentio, eam ſedare & componere ſua moderatione potius ſtudebunt, quam ut claſſicum protinus canant. deinde ſedulo cavebunt à ſupervacuis & inanibus pugnis,

gnis, nec exagitabunt levis momenti controverſias: ſed ubi viderint Satanam eouſque inſoleſcere, ut integra jam religio manere nequeat niſi obviam eatur, colligant animos neceſſe eſt, & ſurgant ad reſiſtendum, nec dubitent pugnas quamlibet odioſas obire. Plauſibile quidem eſt nomen Pacis: ſed maledicta eſt pax quæ tanta jactura redimitur, ut nobis pereat Chriſti doctrina, qua ſola in piam & ſanctam unitatem coaleſcimus. Papiſtæ hodie magnam nobis invidiam conflant, quaſi per nos excitati fuerint exitiales tumultus quibus mundus concutitur. ſed nobis prompta eſt defenſio, atrociores fuiſſe in Deum blaſphemias quibus coarguendis operam dedimus, quam ut fas fuerit tacere. Proinde nos minime eſſe culpandos, quia certamen de ea cauſa ſuſcepimus adverſus homines, pro qua bellandum eſſet cum ipſis Angelis. Clamitent ipſi ut libuerit, nobis ſufficit Pauli exemplum, ne frigidi vel lenti ſimus in tuenda pietatis doctrina, quum eam totis viribus labefactant Satanæ miniſtri. neque enim veſana eorum intemperies conſtantiam ſervorum Dei ſuperare debet. Quum ſe ferventer opponeret Paulus pſeudoapoſtolis, ex conflictu demum exarſit ſeditio. neque tamen propterea ſugillat eum Spiritus Dei: quin potius fortitudinem quam ſancto viro contulerat, juſta laude proſequitur.

Statuerunt ut aſcenderent.] Remedium hoc ſuggeſſit Spiritus Dei ad tumultum pacandum, qui latius magna cum pernicie alioqui graſſari poterat. unde etiam docemur, quærendas ſemper eſſe rationes diſcordiis ſedandis aptas & commodas. quia tantopere pacem commendat Deus, re ipſa oſtendant fideles per ſe non ſtare, quominus tranquilla ſit Eccleſia. Prior quidem ordine apud eos ſemper erit veritas, pro qua aſſerenda nullos horrebunt tumultus. fervorem tamen ſuum ita temperabunt, ne quem recuſent probæ concordiæ modum: imo ultro excogitent quaſcunque poterunt vias, & ingenioſi ſint in illis quærendis. Hæc igitur nobis mediocritas tenenda eſt: ne immodica zeli vehementia abrepti, ultra juſtos limites efferamur. Animoſos enim eſſe nos decet in patrocinio veræ doctrinæ, non præfractos, nec temerarios. Diſcamus ergo duas iſtas virtutes, quas in Paulo laudat Spiritus Dei, conjungere. Dum in arenam pertrahitur ab improbis, cordate ſe offerre non dubitat: ſed oblatum remedium placide admittens, facile demonſtrat quam non ſit pugnandi cupidus. alioqui enim jactare licebat, nihil ſe morari Apoſtolos, ac pertinaciter in eo infiſtere. ſed non permiſit ſtudium pacis, illorum judicium fugere. Adde quod rudibus & infirmis injecta fuiſſet ſiniſtra opinio, ſi præciſe duos homines ab omnibus Chriſti ſervis disjunctos eſſe vidiſſent. Minime autem negligenda eſt piis Doctoribus iſta fovendæ fidei ratio, ut ſibi conſenſum eum Eccleſia eſſe oſtendant. Non pendebat quidem Paulus à nutu Apoſtolorum, ut ſententiam mutaret, ſi illos expertus eſſet ſibi adverſos: ut qui ne Angelis quidem ceſſurus erat, quemadmodum gloriatur primo ad Galatas capite. ſed ne

Gal. 1. verſ. 8.

calumniarentur impii hominem eſſe nimis ſibi addictum & ſuperbum, & cum indigno omnium contemptu ſibi placentem: ſe, ut æquum erat & toti Eccleſiæ utile, ad reddendam doctrinæ ſuæ rationem obtulit. Deinde, certa victoriæ fiducia coram Apoſtolis ſe ſiſtebat, quod probe teneret quale futurum eſſet eorum judicium: nempe qui eodem regebantur Spiritu. Quæri tamen poteſt, quonam conſilio Antiocheni Paulum & Barnabam ad reliquos Apoſtolos miſerint. nam ſi apud ipſos tantum valebat horum reverentia, ut dubii penderent donec pronunciaſſent in hanc vel illam partem, evanida & prorſus nulla hactenus fuerat eorum fides. Sed facilis eſt reſponſio, Quum ſcirent omnes pariter Apoſtolos ab uno Chriſto cum iiſdem mandatis eſſe miſſos, & eodem Spiritu donatos eſſe, certo fuiſſe perſuaſos de ſucceſſu. nec dubium eſt quin profectum ſit hoc conſilium à viris probis & cordatis, quos minime latebat Petri & Jacobi nomen falſo à nebulonibus obtendi. quare ab illis nihil fuit aliud quæſitum, niſi ut bonam cauſam ſuo ſuffragio juvarent Apoſtoli. In eundem finem collectæ ſunt omnes ſanctæ Synodi ab initio, ut graves & in Dei verbo rite exercitati homines controverſias dirimerent, non pro ſuo arbitrio, ſed ex Dei auctoritate. Hoc notare operæpretium eſt, nequem Papiſtæ ventoſis ſuis clamoribus percellant, qui ut Chriſtum obruant cum ſuo Evangelio, & totam extinguant pietatis lucem, nobis obtrudunt Concilia: quaſi quælibet hominum definitio pro cæleſti oraculo habenda ſit. Atqui ſi hodie ſuos conſeſſus haberent ſancti Patres, uno ore clamarent, nihil ſibi minus licuiſſe, vel etiam fuiſſe in animo, quam tradere quicquam, niſi Chriſto verba præeunte, qui illis unicus, ſicut & nobis, magiſter fuit. Omitto quod abortivis tantum Conciliis nituntur Papiſtæ, quæ nihil præter craſſam inſcitiam & barbariem ſpirant. ſed optima quæque & ſelectiſſima in eum ordinem cogi neceſſe eſt, ut ſubjaceant verbo Domini. Extat dura Gregorii Nazianzeni querimonia, quod nullius unquam Concilii bonus fuiſſet exitus. Quicquid unquam excellentiæ floruit & viguit in Eccleſia, negari non poteſt quin centum poſt annis peſſum ire cœperit. Ergo ſi nunc ſuperſtes eſſet ſanctus ille vir, quam ſtomachoſe repelleret Papiſtarum nænias? qui ſine ullo pudore larvarum præſtigias ingerunt pro legitimis Conciliis: & quidem in eum finem, ut faceſſat verbum Dei, ſimulac definierint pauci bardi & ſtolidi homines quod ipſis libuit.

3. *Deducti ab Eccleſia.*] Quod communi Eccleſiæ nomine adjuncti fuerunt Paulo & Barnabæ comites qui eos officii cauſa deducerent, colligere inde licet, pios omnes ab eorum parte ſtetiſſe: nec aliter ſtatuiſſe, quam ſibi communem eſſe cum illis cauſam. quare eodem animo decreta fuit ab illis Pauli & Barnabæ profectio, quo ab his ſuſcepta eſt: ut ſcilicet turbulentos iſtos ſpiritus compeſcerent qui falſo Apoſtolos jactabant. Quod paulo poſt ſubjicit, narraſſe in tranſitu fratribus de admirabili Gentium converſione, teſtimonio eſt non timide veniſſe Jeroſolymam: ſed quod antea docuerant, tunc quoque ſecure fuiſſe profeſſos. non ergo veniunt tanquam cauſam dicturi apud ſuos judices: ſed ut communi ſententia utrinque comprobent quod divinitus mandatum erat de abrogandis ceremoniis. Etſi enim Apoſtolorum judicium non ſpernebant, quia tamen ſciebant neque ſibi neque illis aliter ſtatuere licere de cauſa, reos fieri minime decuit. inde gratulandi fiducia. Huc accedit gaudium piorum, quo & Pauli doctrinæ, & Gentium vocationi ſubſcribunt.

4. *Suſcepti ſunt ab Eccleſia.*] Eccleſiæ nomine intelligit plebem ipſam, & totum corpus. deinde peculiarem locum Apoſtolis & Presbyteris aſſignat, à quibus præſertim excepti fuerunt Barnabas & Paulus. Porro quoniam Apoſtolis non erat fixa ſtatio Jeroſolymæ, ſed huc vel illuc ſubinde migrabant, quocunque eos vocabat occaſio: habebat Eccleſia illa ſuos Presbyteros, quibus commiſſum erat ordinarium Eccleſiæ regimen. quid autem differat munus unum ab altero, alibi expoſuimus. ſup. 14. verſ. 23. Apparet autem quam fraterna in Apoſtolis & Presbyteris fuerit humanitas, quod non tantum comiter excipiunt Paulum & Barnabam: ſed audito laboris eorum ſucceſſu, Dei gratiam prædicant. Formam loquendi iterum repetit Lucas, quam proximo capite habuimus, quum dicit eos narraſſe quæcunque Deus cum illis feciſſet. in qua tenendum eſt memoria quod prius dixi, Deum non ſtatui cooperarium: ſed illi adſcribi ſolidam operis laudem. Feciſſe ergo dicitur cum Paulo & Barnaba, quod per ipſos fecit. ſicuti miſericor-

diam nobiſcum facere dicitur, ubi miſeriis noſtris ſuccurrit.

5. *Quidam de factione Phariſæorum.*] Non temere exprimit Lucas genus hominum, qui Paulum etiam Jeroſolymæ turbare vel impedire conati ſunt. Probabile autem eſt, malum ex illo fonte ortum eſſe: & nunc clarius exprimi à Luca, ex eadem ſecta unde prodierant pravæ illius diſſenſionis auctores, nunc quoque flabella erumpere. quamvis enim nomen dediſſent Chriſto, manebant tamen prioris ingenii reliquiæ. Scimus quantus in Phariſæis faſtus eſſet, quanta confidentia, quale ſupercilium. quorum omnium fuiſſent obliti, ſi vere Chriſtum induiſſent: quemadmodum in Paulo nihil Phariſaiſmi reſiduum erat. ſed bona pars habitum pertinaciæ contraxerat ex longa conſuetudine, quem protinus excutere non ita facile erat. Quum maxime inter illos regnaret hypocriſis: in externos ritus, qui ſunt vitiorum integumenta, plus juſto intenti erant. inflabat etiam eos ſuperbia, nt tyrannice alios omnes ſubjicere cuperent ſuis placitis. Utroque morbo quam impotenter laborent monachi, plus ſatis notum eſt. Unde etiam nihil illis ferocius ad opprimendam Eccleſiam, nihil ad ſpernendum Dei verbum improbius vel protervius. Quin etiam multos videmus ex antris illis egreſſos, abjecta cuculla, nunquam tamen dediſcere quos illic imbiberunt mores.

6. Conveneruntque Apoſtoli ac Presbyteri, ut diſpicerent de hoc negotio.

7. Quum autem magna diſceptatio fuiſſet, ſurgens Petrus dixit ad eos, Viri fratres,
vos ſcitis quod ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, ut per os meum audirent Gentes
verbum Euangelii, & crederent.

8. Et qui cordium cognitor eſt Deus, teſtimonium præbuit illis, dans eis Spiritum ſanctum ſicut & nobis:

9. Nihilque diſcrevit inter nos & illos, quum fide purificaſſet corda illorum.

10. Nunc ergo quid tentatis Deum, ut imponatur jugum ſuper cervices diſcipulorum,
quod neque Patres noſtri neque nos portare potuimus?

11. Sed per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti credimus nos habere ſalutem, quemadmodum & illi.

6. *Convenerunt Apoſtoli & Presbyteri.*] Non dicit Lucas totam Eccleſiam congregatam, ſed eos qui doctrina & judicio pollebant, & qui ex ratione officii, bujus cauſæ legitimi erant judices. Fieri quidem poteſt, ut coram plebe habita fuerit diſputatio. ſed ne ad tractandam cauſam vulgus promiſcue fuiſſe admiſſum quiſpiam putaret, Lucas diſerte Apoſtolos & Presbyteros nominat: ſicut magis idonei erant cognitores. Cæterum ſciamus formam hic & ordinem in cogendis Synodis divinitus præſcribi, quum exorta eſt aliqua controverſia, quæ aliter componi nequit. nam quum multi quotidie inſurgerent adverſus Paulum, ſola hæc diſceptatio, ex qua ingentis ruinæ periculum inſtabat, & quæ jam progreſſa erat uſque ad hoſtiles pugnas, eum Jeroſolymam pertraxit.

7. *Quum autem magna diſceptatio.*] Quum delecti eſſent graves viri & publici Eccleſiæ doctores, ne inter eos quidem ſtatim convenire potuit. unde apparet, quomodo jam tunc per hominum infirmitatem Dominus Eccleſiam ſuam exercuerit, quo humiliter ſapere diſceret. Adde quod in cœtu illo, cui præerat, paſſus eſt varie agitari præcipuum doctrinæ Chriſtianæ caput: ne miremur ſiquando pios alioqui & doctos homines imperitia labi in errorem contingat. quidam enim non ita acuti erant, ut perſpicerent cauſæ magnitudinem. Ita quum Legem ſervandam judicant, Legis zelo inconſiderate abrepti, non vident in quam profundum labyrinthum conſcientias aliorum & ſuas præcipitent. Circumciſionem eſſe putabant æternum & inviolabile ſymbolum divini fœderis: eadem erat de tota Lege opinio. quare in hoc maxime inſiſtit Petrus, ut ſtatum quæſtionis demonſtret, qui pleriſque erat incognitus. Eſt autem bimembris ejus oratio. nam primum ex auctoritate Dei contendit, non eſſe cogendas Gentes ad ſervandam Legem. ſecundo loco docet everti totam hominum ſalutem, ſi laqueus hic conſcientiis injectus fuerit. Prior ergo pars, in qua recitat ſe divinitus fuiſſe miſſum ad docendas Gentes, & Spiritum ſanctum ſuper illas delapſum eſſe, huc ſpectat: non temere ab hominibus abrogatas fuiſſe Legis ceremonias, ſed ejus abrogationis Deum eſſe auctorem. Ubi autem in medium adducta eſt Dei auctoritas, omnis exempta eſt dubitatio: quia hæc tota noſtra ſapientia eſt, Dei imperio acquieſcere, & ejus nutum pluris facere quam omnes rationes. Nunc Petri verba expendere convenit, quibus probat divinitus hoc Gentibus eſſe datum, ut liberæ ſint à jugo Legis. Jer. 5: 3.

Vos ſcitis.] Teſtes illos appellat, ne de re obſcura vel ambigua quiſpiam putet eum verba facturum. Nota omnibus hiſtoria erat. quod reliquum erat, eos in clara luce cæcutire oſtendit, quod opus Dei rite non conſiderent: imo quod pridem non didicerant quod palam monſtratum fuerat. Antiquos dies vocat initium Euangelii prædicati: acſi diceret, Pridem, quaſi à prima Eccleſiæ origine, ex quo Chriſtus populum aliquem colligere ſibi cœpit.

Elegit Deus in nobis.] Verbum Eligendi, ſtatuere & decernere ſignificat. quanquam ſimul complectitur Petrus tam gratuitam Dei electionem, quam delectum, quo Gentes in populum ſuum cooptabat. Elegit ergo, hoc eſt, quaſi habito delectu, ut gratuitæ adoptionis ſpecimen ederet in Gentibus, voluit Ephes. vers. 1
ut per os meum audirent Euangelii doctrinam. Particula, In nobis, tantundem valet atque in conſpectu noſtro, vel nobis teſtibus, vel in medio noſtri. Significat enim ſe nihil narrare niſi familiariter illis cognitum, utpote quod coram ipſis geſtum eſſet. Loquutio eſt tam Græcis quam Hebræis ſatis trita: niſi forte cum aliis reſolvere libeat, Me elegit ex hoc noſtro cœtu.

Et crederent.] Hoc ſigillum fuit ſanciendæ Gentium vocationi. Oraculo injunctum erat Petro docendi munus: ſed fructus qui provenit ex doctrina, miniſterium ejus nobilitat, & authenticum, ut loquuntur, reddit. Nam quum peculiari Spiritus gratia in fidem illuminentur electi, nullus erit doctrinæ profectus, niſi quatenus virtutem ſuam Dominus in miniſtris exeret, intus eorum qui audiunt mentes docendo, & intus trahendo corda. Ergo quum jube- Rom. 4.
ret Deus ad Gentes perferri Euangelii doctrinam, eas vers. 10.
ſibi dicavit, ne amplius profanæ eſſent. ſed tunc demum numeris omnibus perfecta fuit ſolennis conſecratio, dum earum cordibus per fidem inſculpſit adoptionis ſuæ notam. Quæ continuo poſt ſequitur ſententia, exegetice ſumenda eſt. viſibiles enim Spiritus gratias quarum meminit, fidei annectit Petrus: ut certe nihil aliud erant, quam ejus acceſſio. Ergo quum Gentes abſque Circumciſione & ceremoniis in populum Dei inſertæ ſint, colligit Petrus perperam illis

illis neceſſitatem ſervandæ Legis imponi. Videtur tamen minus firmum eſſe electionis argumentum, quod Spiritus ſanctus ſuper eas delapſus ſit: erant enim ejus generis dona, ex quibus ratiocinari non liceret, illos in ordine piorum cenſeri. ſolus autem eſt regenerationis Spiritus qoi filios Dei ab alienis diſcernit. Reſpondeo, Quamvis dono linguarum & ſimilibus, vani alioqui homines præditi fuerint: Petrum tamen ſumere pro confeſſo, quod notum erat, Deum in Cornelio & ejus cognatis gratuitam ſuam adoptionem viſibili Spiritus gratia obſignaſſe, acſi digito filios ſuos monſtraret.

8. *Cognitor cordium.*] Hoc epitheton ex præſentis cauſæ circumſtantia Deo accommodat: ſubeſtque tacita antitheſis, Quod homines externæ puritati magis addicti ſunt, quia judicant ex craſſo & terreno ſuo ſenſu: Deus autem corda inſpicit. Admonet igitur Petrus præpoſtere humano ſenſu judicium fieri de hac cauſa, quum ſola interior cordium puritas hic æſtimanda ſit, quæ nobis occulta eſt. Atque hoc modo frenum injicit noſtræ temeritati, ne plus nobis quam par ſit ſumentes, Dei judicio obſtrepamus: acſi diceret, Si tibi ratio teſtimonii quod illis Deus reddidit, non apparet, cogita quantum inter te & illum interſit. te enim pro craſſo tuo ingenio detinet externus ſplendor, quem faceſſere oportet, dum ad cæleſte tribunal venitur, ubi ſpiritualis de cordibus habetur cognitio. Cæterum generalis interim doctrina tenenda eſt, quod oculi Domini non fucoſas operum pompas, ſed cordis integritatem aſpiciant:
Jer. 5: 3. ſicuti habetur Jeremiæ quinto. Quod vetus Interpres & Eraſmus transferunt, Deum noviſſe corda, non ſatis exprimit quod Græce dicit Lucas. nam Deum vocans καρδιογνώστην, eum opponit hominibus, qui ab externa magis ſpecie ut plurimum judicant: ideoque προσωπογνῶσται vocari poſſunt, ſi eum Deo conferantur.

9. *Nihilque diſcrevit.*] Diſcrimen quidem erat, quod Gentiles repente ex præputio admiſſi fuerant in fœdus vitæ æternæ: quum Judæos Circumciſio præparaſſet ad fidem. ſed intelligit Petrus utroſque pariter allectos eſſe à Deo in ſpem ejuſdem hæreditatis, & in parem honoris gradum fuiſſe evectos: ut Dei filii eſſent ac Chriſti membra, ſanctum denique Abrahæ ſemen, genuſque ſacerdotale ac regium. Unde ſequitur, non ſine ſacrilegio immundos poſſe haberi, ex quo ſibi in peculium elegit ipſos Deus,
Epheſ. 2. & in ſacra templi ſui vaſa dicavit. Diruta enim ma-
verſ. 14. ceria, qua inter ſe diviſi erant, Gentes adjunxit Judæis, ut in corpus unum coaleſcerent: atque ut ita loquar, Circumciſionem miſcuit præputio, ut tam domeſtici quam extranei unum ſint in Chriſto, & unam Eccleſiam efficiant: nec ſit amplius vel Judæus vel Græcus.

Quum fide purificaſſet.] Reſpondet hoc membrum ſuperiori epitheto quod Deo aptavit: acſi diceret, Deum, qui cordium eſt cognitor, intus purgaſſe Gentes, quum eas dignatus eſt ſua adoptione, ut ſpirituali mondilia præditæ eſſent. ſed addit præterea puritatem hanc in fide ſitam eſſe. Docet ergo primum Gentibus abſque ceremoniis conſtare veram ſanctitatem, quæ apud Dei tribunal ſufficiat. deinde hanc docet fide obtineri, & ex ea manare. Eodem
Rom. 4. modo colligit Paulus, non obſtare homini præpu-
verſ. 10. tium quin juſtus & ſanctus reputetur coram Deo: quia in Abrahæ perſona juſtitiam ſequuta eſt Circumciſio, & ordine temporis fuit poſterior. Verum hic exoritur quæſtio, An diverſa fuerit olim Patrum puritas ab ea quam nunc Deus Gentibus contulit. videtur enim diſerte Petrus hac nota diſcernere Gentes à Judæis, quod ſola cordis munditia contentæ, nullo Legis ſubſidio indigeant. Reſpondeo, non ſubſtantia, ſed forma duntaxat alteros ab alteris differre. Interior enim cordis mundities ſemper à Deo reſpecta fuit. tantum in hoc datæ fuerunt ceremoniæ veteri populo, ut fidem ejus adjuvarent. Ita mundities, quoad figuras & exercitia, temporalis fuit uſque ad Chriſti adventum: cui nunc inter nos non eſt locus. quemadmodum idem ab initio ipſo mundi uſque ad finem manet verus Dei cultus, nempe ſpiritualis: in forma tamen viſibili magnum eſt diſcrimen. Nunc videmus non ceremoniis conſequutos fuiſſe Patres juſtitiam, aut puros fuiſſe coram Deo: ſed cordis munditia. ceremoniæ enim per ſe ad eos juſtificandos nihil habebant momenti: ſed adminicula erant duntaxat quæ per accidens, ut ita loquar, purgabant: ut tamen eadem veteribus fuerit nobiſcum veritas. Jam Chriſti adventu quicquid adventitium erat, evanuit. ideoque diſcuſſis umbris, ſupereſt nuda & ſimplex cordis puritas. Hoc modo facile ſolvitur nodus, quem Judæi inexplicabilem eſſe
putant. Circumciſio vocatur fœdus æternum, aut Gen. 17.
ſeculi. negant igitur fuiſſe abolendam. Siquis exci- verſ. 1.
piat, non referri hoc ad viſibile ſymbolum, ſed potius ad rem ſignatam: probe reſponſum fuerit. ſed alia eſt ſolutio, quam dixi, Quum Chriſti regnum quædam fuerit mundi renovatio, nihil eſſe abſurdi, ſi finem omoibus Legis umbris impoſuerit: quandoquidem Legis perpetuitas in Chriſto fundata eſt. Venio nunc ad ſecundum membrum, ubi Petrus Gentium puritatem in fide conſtituit. Cur non dicit, Perſectione virtutum aut vitæ ſanctimonia, niſi quia aliunde hominibus contingit juſtitia, quam ex ſeipſis? nam ſi recte juſteque vivendo homines ſibi juſtitiam acquirerent, vel natura mundi eſſent coram Deo: concideret hæc Petri ſententia. His ergo verbis palam Spiritus pronuntiat, totum humanum genus pollutum & ſordibus inquinatum eſſe: deinde non poſſe aliter abſtergi ſordes, quam per Chriſti gratiam. nam quum fides remedium ſit quo nobis gratis ſuccurrit Deus, tam communi omnium naturæ, quam propriis cujuſque meritis opponitur. Quum dico pollutionis damnari totum humanum genus, intelligo nos ex utero nihil afferre præter meras ſordes, nec quicquam eſſe in natura noſtra rectitudinis quod nos Deo conciliet. Egregiis quidem dotibus ornata fuit hominis anima in prima ſua origine: ſed peccato ſic vitiatæ ſunt omnes ejus partes, ut ne gutta quidem puritatis amplius in ea reſideat. quærenda eſt igitur extra nos mundities. Nam ſiquis excipiat, Operum meritis recuperari poſſe: nihil abſurdius eſt, quam perverſæ naturæ affingi merendi facultatem. Supereſt ergo ut alibi quærant homines, quod intus apud ſe nunquam invenient. Et certe fidei officium eſt, quod proprium habet Chriſtus in nos transferre, & gratuita communicatione efficere noſtrum. Ita inter fidem & Chriſti gratiam mutua eſt relatio. neque enim nos purificat fides, tanquam virtus aut qualitas animis infuſa: ſed quia munditiem in Chriſto oblatam percipit. Notanda eſt etiam loquutio, quod Deus corda purificaverit: qua & Deum fidei auctorem facit Lucas, & munditiem docet eſſe ejus beneficium. In ſumma, conferri hominibus per Dei gratiam ſignificat quod ſibi dare ipſi nequeunt. Sed quum dictum ſit, fidem à Chriſto ſumere quod in nos transfundat: nunc videndum eſt quomodo nos purificet Chriſti gratia, ut Deo placeamus. Duplex autem eſt purgandi modus, quod Chriſtus peccata noſtra, quæ ſemel ſanguine ſuo expiavit, quotidie delendo, puros juſtoſque in Patris conſpectum nos offert ac ſiſtit: deinde, quod carnis cupiditates Spiritu ſuo mortificans, nos in ſanctitatem reformat. Utrumque ſub his verbis libenter amplector: quia non unam tantum purgationis ſpeciem attingit Lucas, ſed totam ejus perfectionem abſque Legis ceremoniis conſtare docet.

10. *Nunc ergo quid tentatis.*] Altera pars concionis, qua demonſtrat Petrus, quam exitialis ſit illa doctrina, quam ingerere volebant Pauli hoſtes: nempe quæ deſperatione obrueret pias omnes ani-

mas. Infert quidem ac colligit ex priore membro, tentari Deum, ſi cogantur Gentes ad neceſſitatem ſervandæ Legis: ſed altius provehitur, & ad ipſum cauſæ fontem penetrat. Hactenus enim ratiocinatus eſt, fieri Gentibus injuriam, ſi plus ab illis exigatur quam velit Deus: & quum eas ſancto populo æquaverit, & adoptionis honore dignatus ſit, indignum eſſe & abſurdum eas rejici, atque ita reſtringi ejus liberalitatem. unam denique fidem illis ſatis eſſe, quamvis ceremoniis careant. Nunc vero altius principium ſumit, Qui hominum ſalutem alligant Legis operibus, nihil eis bonæ ſpei reliquum facere: quin potius in horribilem interitum præcipitari totum mundum, ſi non aliter quam Legem ſervando, ſalutem conſequi poſſit. quibus hoc argumentis probet, mox ſuo loco videbimus. Quantum ad verba ſpectat, quum variis modis tentari Deum Scriptura dicit, ſignificat hoc loco Petrus, Deum quaſi data opera provocari, dum plus oneris imponitur hominibus, quam ſint ferendo: ejuſque potentiam circumſcribi, dum adſtringitur jugum quod ipſe laxat. quod nihil aliud eſt, quam naturæ repugnando, ut loquuntur, gigantes æmulari.

Ut imponatur jugum cervicibus.] Simplex eſt ſenſus verborum: tentari Deum quum plus imponitur oneris conſcientiis, quam ferre queant. Atque hoc quidem modo graviter cæditur animarum ſalus: quandoquidem hoc modo neceſſe eſt ipſas deſperatione obrui, quod ſine exitio fieri nequit. ſed nihilo magis ferenda eſt quæ Deo fit injuria, dum ei jus ſuum eripitur, ne ſit liber in nobis liberandis. Cæterum de ſolis ceremoniis eum non loqui, ex re ipſa facile colligitur. Erat, fateor, dura & laborioſa veteris pædagogiæ ſervitus, ſed nimis abſurdum foret vocari Jugum importabile: & ſcimus externa rituum obſervatione non ſanctos modo, ſed etiam hypocritas pleroſque rite exacteque eſſe defunctos. Quin etiam Legi morali ſatisfacere non uſque adeo difficile foret, ſi corporali tantum obſequio contenta, non exigeret ſpiritualem juſtitiam. manus enim & pedes frenare, multis datum eſt: ſed ita moderari omnes affectus, ut tam in anima quam in corpore perfecta regnet abſtinentia & puritas, hoc vero pluſquam eſt arduum. Quare ridiculi ſunt qui Petri verba reſtringunt ad ceremonias, quibus exprimitur hominum imbecillitas ad præſtandam cordis juſtitiam: quæ non modo longe ſuperior eſt eorum viribus, ſed naturæ prorſus contraria. Fefellit ſcilicet eos qui ſic ſentiunt una ratio, quod de ſolis ceremoniis mota quæſtio fuerat: ſed non venit illis in mentem, Petrum attentius, ut decebat, prudentiuſque conſideraſſe, qualem ſecum labyrinthum error in ſpeciem levis traheret. Negabant pſeudoapoſtoli, quenquam ſalutem conſequi poſſe, niſi qui ceremonias ſervaret. Si operibus alligatur hominum ſalus, non amplius in Chriſti gratia fundata erit. atque ita concidet gratuita reconciliatio. Jam quum impares ſint hominum vires ſervandæ Legi, omnibus incumbit maledictio, quam illic Deus tranſgreſſoribus denunciat. atque ita deſperatio omnes manebit, quum ſe videant reos æternæ mortis à Lege peragi. Hæc forte pſeudoapoſtoli callide tenebant: ſed Petrus ad fontem ipſum penetrat, ut mortiferum doctrinæ illius venenum eruat in lucem. atque ita nobis agendum eſt, quoties impios errores oblique inſinuat Satan. Hodie quibuſdam videmur nimis contentioſi, quum tantopere pugnamus non eſſe pro mortuis orandum. nam & mos vetuſtiſſimus eſt, nec multum apparet in ſpeciem periculi, quamvis ſupervacuæ fundantur preces: imo plauſibile eſt dogma, quia prætextum habet humanæ pietatis. Sic porro judicant imperiti homines, quia fontem ipſum non inquirunt. nam ſi admittimus pro mortuis orandum eſſe, ſimul hoc recipiendum erit, pœnas nunc ſolvere Dei judicio, quod in hac vita pro peccatis non ſatisfecerint. Atqui hoc modo vis expiationis per Chriſtum peractæ, ad hominum opera transfertur. deinde evertitur rite precandi regula, ſi hominibus licet fortuito precari abſque Dei verbo. hæc etiam major eſt abſurditas, quam ut præteriri debeat. In ſumma, nunquam rectum de ulla quæſtione judicium feretur, niſi fonte penitus excuſſo, deductæ fuerint omnes conſequentiæ, quas ſecum trahit quæ in controverſiam venit doctrina. Ideo non mirum ſi Petrus, ut pſeudoapoſtolos extrahat è ſuis latebris, generaliter diſputat de tota Lege: quia nihil quam rem ipſam, quæ occulta erat ſimplicibus, aperit: ut videant omnes quam exitialis ſit doctrina, quæ & Chriſti gratiam extinguit, & animas demergit in horrendæ deſperationis abyſſum.

Neque nos neque Patres noſtri.] Non diſputat tantum Petrus quid opere ipſo præſtiterint homines, ſed quid præſtare potuerint: nec de vulgo hominum tantum loquitur, ſed de ſanctis Patribus. Quum ab iſtis neget potuiſſe ferri Legis jugum: conſtat Legem obſervatu impoſſibilem eſſe. Scio dictum Hieronymi paſſim ita receptum eſſe, ut ſit quaſi indubium axioma, Siquis dixerit impoſſibile eſſe ſervare Legem, anathema ſit. ſed nulla hominis vox audienda eſt, quæ Spiritus Dei ſententiæ repugnet. Audimus quid hic per os Petri Spiritus pronunciet, non de hominum voluntate & operibus, ſed de facultate & potentia. Conſentit & Paulus, affirmans fuiſſe Legi impoſſibile nobis conferre vitam, quatenus infirma erat per carnem. Certe ſiquis Legem implere poſſit, promiſſam illic vitam reperiet. at quum neget Paulus vitam poſſe haberi ex Lege, ſequitur altiorem illic requiri juſtitiam, quam quæ ab homine præſtari poſſit. Fateor quidem Hieronymum facultatem implendæ Legis non dare in ſolidum naturæ viribus, ſed partim etiam Dei gratiæ: quemadmodum ſe poſtea explicat, ut homo fidelis Spiritus gratia adjutus, dicatur poſſe Legem implere. Sed neque illa mitigatio vera eſt. nam ſi naturæ vires tantum expendimus, non tantum impares erunt homines ferendo Legis jugo: ſed ne unum quidem digitum movere poterunt ad præſtandam minimam Legis partem. Et certe ſi verum eſt illud, Cogitationes omnes humanæ mentis pravas eſſe à [Geneſ. 8.] pueritia, [verſ. 21.] Omnes carnis ſenſus Deo eſſe inimicos, [Rom 8. 7.] Neminem eſſe qui Deum requirat: & quæ in eandem [Pſal. 14.] ſententiam frequenter in Scriptura occurrunt: [verſ. 3.] præſertim quæ Paulus adducit 3. ad Romanos ca- [Rom. 3.] pite: [verſ. 11.] non debilis tantum & mutila erit hominis facultas ad Legem implendam, ſed ad inchoandam prorſus nulla. Statuendum igitur eſt, etiam fideles, poſtquam Spiritu Dei regeniti, juſtitiæ Legis ſtudent, dimidium tamen ac longe minus dimidio præſtare, non totum. Neque enim de Epicuro, vel profanis hominibus hic Petrus verba facit: ſed de Abraham, de Moſe, aliiſque ſanctis Patribus, quotquot unquam fuerunt in mundo perfectiſſimi. & tamen iſtos dicit Legis oneri ſuccubuiſſe: quia vires eorum opprimeret. Odioſe objicitur, affici Spiritum Dei contumelia, quum ejus gratiæ & auxilio detrahitur implendæ Legis facultas. ſed prompta eſt ſolutio: quia non diſſerimus quid valeat Spiritus gratia, ſed quid valeat gratiæ menſura, quam Deus unicuique ſuorum in hac vita partitur. Semper enim reputare convenit quid ſe facturum promittat Deus, nec temere quæramus an fieri poſſit quod ipſe nunquam fore, & quod ſe nolle fieri teſtatur. Promittit fidelibus Spiritus gratiam & auxilium, quo repugnent concupiſcentiis carnis, & ipſas ſubigant: non tamen penitus aboleant. Promittit gratiam qua ambulent in vitæ novitate: non tamen currant tanta celeritate, quantam Lex poſtulat. vult enim tota vita ſibi eſſe obnoxios, ut ad veniam petendam confugiant. Si Dei conſilium & præſcriptum ab eo ordinem ab ejus virtute disjungere fas

non

Digitized by Google

non eſt, ſtultum eſt ac futile cavillum, quo nos gra-
vare conantur adverſarii, quum nos jactant Dei po-
tentiæ detrahere. potius Deum ipſi transformant,
quum ejus conſilium contendunt poſſe mutari. Olim
quoque eadem calumnia premebant Auguſtinum
Pelagiani. Reſpondet, etiamſi poſſibile ſit Legem
impleri, ſibi tamen ſufficere quod à nemine un-
quam impletam fuiſſe, neque ad finem uſque mundi
impletum iri Scriptura teſtetur. quibus verbis ſe ab
importuna eorum argutia explicat. Sed non fuit hæ-
ſitandi cauſa, quin libere & diſerte concederet, quod
Spiritu ſancto auctore poterat: limitanda enim eſt
Spiritus gratia, ut cum promiſſinnibus conveniat.
porro jam oſtendimus quouſque ſe promiſſiones
extendant. De eo certe controverſiam nullus mo-
vet, poſſitne Deus ſi velit, homines reddere perfe-
ctos: ſed impie delirant quicunque ejus poteotiam
ſeparant à conſilio, cujus clarum habent teſtimo-
nium in Scriptura. Quid velit Deus, & quid ſtatue-
rit facere, centies palam demonſtrat. ultra pro-
gredi, ſacrilegium eſt. Hierooymum, ut ſui ana-
thematis fulmen Petro & Paulo infligeret, Philo-
ſophica ratio impulit: quod leges attemperari de-
beant ad eorum facultatem quibus feruntur. quam
ut locum habere fateor in legibus humanis: ita
quoad Dei Legem valere nego, quæ in exigenda ju-
ſtitia non reſpicit quid valeat homo, ſed quid de-
beat. Quanquam hic difficilior occurrit quæſtio,
Annon in hunc finem lata fuerit Lex, ut homines
cogeret ad Dei obſequium. Fruſtra autem hoc fie-
ret, niſi ad eam ſervandam dirigeret fideles Spiritus
Dei. & ſcrupulum eximere videtur ſolennis illa Mo-
Deut. 30. ſis conteſtatio, quum ſe præcepta Judæis dare admo-
verſ. 12. net, non quæ legant, ſed quæ opere compleant, Deu-
teronomii triceſimo. Unda colligimus, jugum, data
Lege, fuiſſa Judæis impoſitum, quod eos Deo ſubji-
ceret, ne viverent ſuo arbitrio. Reſpondeo, Legem
duobus modis cenſeri jugum. Quatenus anim frenat
carnis libidioes, & normam tradit pie recteque vi-
vendi, æquum eſt ut filii Dei cervices huic jugo
ſubjiciant. ſed quatenus axacte præſcribit quidnam
debeamus Deo, nec vitam promittit niſi addita con-
ditione perfecti obſaquii: rurſus maledictionem
denunciat, ſi qua in parte erratum fuerit: jugum
aſt importabile. Dicam paulo clarius, Simplex bene
vivendi doctrina, qua nos ad ſe Deus invitat, ju-
gum eſt quod ultro ſubire nos omnes decet. nihil
anim magis abſurdum, quam Deum non præeſſe
hominum vitæ, ſed eos abſque freno vagari ut
libuerit. Minime ergo recuſandum eſt Legis jugum,
ſi ſimplex ejus doctrina conſideretur. ſed Legem
Levit. 18. aliter, ut ita dicam, qualificant iſtæ ſententiæ, Qui
verſ. 5. fecerit hæc, viver in ipſis. item, Maledictus omnis
Deut. 27. qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt: ut
verſ. 26. jugum importabile eſſe incipiat. Quamdiu enim non
promittitur ſalus niſi perfectæ Legis obſervantiæ,
& in judicium vocatur quævis transgreſſio, de ge-
nere humaoo prorſus actum eſt. Secundum haoc
rationem Petrus tentari Deum aſſerit, quum Legis
onus conſcientiis imponit hominum arrogantia.
Non enim vult negare quin regendi ſint homines
Legis doctrina, & ita concedit jugo ſubeſſe: verum
quia Legis officium eſt, non ſimpliciter docere, ſed
etiam æternæ mortis reatu humiliare homines, qua-
litatem illam doctrinæ annexam reputans, contendit
non debere Legis jugo conſtringi piorum animas:
quia hoc modo neceſſe foret in æternum interitum
demergi. Cæterum ubi non modo adeſt Spiritus
ſancti gratia, quæ nos gubernet, ſed gratuita pecca-
torum remiſſio, quæ nos liberet à maledictione Le-
Deut. 30. gis & abſolvat: tunc impletur illud Moſis, Manda-
verſ. 11. tum non eſſe ſupra nos. tunc quoque ſentimus quam
Mat. 11. ſuave ſit jugum Chriſti, & onus ejus leve. quia enim
verſ. 30. Dei indulgentia nobis remitti ſcimus quod pro carnis
infirmitate deeſt, alacriter & ſine moleſtia ſuſcipi-
mus quod injungit. Quare modo exemptus ſit Legis
rigor, non tolerabilis ſolum erit Legis doctrina, ſed
læta quoque & ſuavis: nec recuſandum erit frenum,
quod placide nos moderatur, non autem durius ur-
get quam expediat.

11. *Per gratiam Jeſu Chriſti.*] Duo iſta inter ſe
ut contraria comparat Petrus, ſpem habere ſalutis in
Chriſti gratia, & ſub jugo Legis eſſe. quæ compa-
rario, Chriſti juſtificationem maxime illuſtrat:
quandoquidem inde colligimus fide juſtificari qui li-
beri & ſoluti à Legis jugo, ſalutem in Chriſti gratia
quærunt. Porro jugum Legis ex duplici fune com-
plexum eſſe prius dixi. prior eſt, Qui fecerit hæc, *Levit.* 18.
vivet in ipſis. alter, Maledictus omnis qui non per- *verſ.* 5.
manſerit in omnibus præceptis. Redeamus ad mem- *Deut.* 27.
brum contrarium. Si non aliter ſalutem conſequi- *verſ.* 26.
mur ex Chriſti gratia, quam ablato Legis jugo: ſe-
quitur nec ſalutem nobis in Legis obſervantia ſitam
eſſe, nec Legis maledictioni obnoxios eſſa quicun-
que in Chriſtum credunt. Nam ſi gratia ſalvus eſſa
poſſet qui jugo Legis adhuc eſt implicitus, inepta
aſſet Petri ratiocinatio, quam conſtat à repugnanti-
bus deductam eſſe, hoc ſenſu, Salutem ſperamus
ex Chriſti gratia, ergo Legis jugo non ſumus ſub-
jecti. Niſi diſſidium eſſet inter Chriſti gratiam &
ejus jugum, fucum faceret Petrus. quare neceſſe eſt
diſcedere à Legis juſtitia, quicunqua vitam in Chri-
ſto reperire expetunt: neque enim repugnantia hæc
ad doctrinam ſpectat, ſed ad juſtificandi cauſam.
Quo etiam refellitur eorum commentum, qui Chri-
ſti gratia nos juſtificari exponunt: quia nos Spiritu
ſuo regenerans, vires ad implendam Legem confe-
rat. Qui hoc imaginantur, etſi videntur paululum
laxara Legis jugum, utroque taman ejus fune liga-
tas tenent animas. Semper enim vigebit hæc promiſ-
ſio, Qui fecerit hæc, vivet in ipſis. ab altera parte *Levit.* 18.
maledictio incumbet omnibus qui Legem non *verſ.* 5.
exacte impleverint. Quare longe aliter definienda *Deut.* 27.
eſt Chriſti gratia in quam ſalutis fides recumbit, *verſ.* 26.
quam illi ſomnient: nempe ut ſit gratuita reconcilia-
tio, ſacrificio mortis ejus parta: vel quod idem valet,
gratuita peccatorum remiſſio, quæ Deum placando,
ex hoſte, vel ſevero & implacabili judice, propi-
tium Patrem nobis reddit. Fateor quidem nos Chri-
ſti gratia regenerari in vitæ novitatem: ſed ubi de
ſalutis fiducia agitur, ſola in mentem vanire debet
gratuita adoptio, quæ cum peccatorum expiationa
& venia conjuncta eſt. Nam ſi in rationem veniunt
opera, ut juſtitiam nobis aliqua ſaltem ex parte con-
ficianc, minime ruptum erit Legis jugum. atque ita
concidet vel ſolvetur Petri antitheſis:

Sicut & illi.] Hic teſtatur Petrus, licet Patribus
impoſita eſſet, quoad externam ſpeciem, ſervitus
Legis: ſolutas tamen & liberas fuiſſe conſcientias.
quo diluitur abſurditas quæ pias mentes non parum
alioqui turbare poterat. Nam quum æternum ſit &
idem vitæ fœdus, quod Deus ab initio ad finem
uſque mundi cum ſervis ſuis pepigit: abſurdum eſſet
& minima tolerabile, diverſam & aliam ſalutis
obtinendæ rationem hodie tradi quam quæ olim
Patribus fuerit. Affirmat ergo Petrus optimum nobis
eſſe cum Patribus conſenſum: quia illi non minus
quam nos ſpem ſalutis repoſuerint in Chriſti gratia.
Atque ita Legem Evangelio, quod ad finem doctri-
næ ſpectat, concilians, Judæis tollit offendiculum,
quod ſibi ex diſſidio fingebant. Unde apparet Le-
gem non fuiſſa datam Patribus, ex qua ſalutem quæ-
rerent: nec additas fuiſſe ceremonias, quarum ob-
ſervatio juſtitiam in illis acquireret: ſed totius Legis
unicum fuiſſe finem, ut abjecta operum fiducia,
ſpes ſuas omnes in Chriſti gratiam conſerrent. Quo
etiam clara refellitur eorum delirium, qui vete-
rem populum terrenis bonis contentum, putant de
cœleſti vita nihil cogitaſſe. Atqui Petrus ſocios
ejuſdem fidei nobis Patres facit: & communem

utriſque ſalutem aſſignat. & ſunt tamen quibus fanaticus homo Servetus cum tam fœdis ſacrilegiis arrideat. Notandum præterea eſt, quod Veterum fidem ſemper fuiſſe in Chriſto fundatam docet Petrus, quando neque alibi unquam inveniri vita potuit, neque alia fuit ratio qua pervenirent homines ad Deum. Convenit ergo hic locus cum illo Apoſtoli dicto, Chriſtus heri, & hodie, & in ſecula. *Heb.* 13:8.

12. Tacuit autem tota multitudo, & audiebant Barnabam & Paulum narrantes quæ Deus edidiſſet ſigna & prodigia inter Gentes per ipſos.

13. Poſtquam vero conticuerunt illi, reſpondit Jacobus, dicens, Viri fratres, audite me:

14. Simeon narravit quemadmodum primum Deus viſitaverit ut ſumeret ex Gentibus populum in nomine ſuo.

15. Et huic conſonant verba Prophetarum: ſicut ſcriptum eſt,

16. Poſt hæc revertar, ac rurſus ædificabo tabernaculum David, quod collapſum eſt, & diruta ejus inſtaurabo, & erigam illud:

17. Ut requirant qui reliqui ſunt homines Dominum, & omnes Gentes ſuper quas invocatum eſt nomen meum, dicit Dominus qui facit hæc omnia.

18. Nota à ſeculo ſunt Deo omnia opera ſua.

12. *Tacuit tota multitudo.*] His verbis ſignificat Lucas Spiritum Dei ſic regnaſſe in cœtu illo, ut rationi protinus ceſſerint. Fervebat prius inter illos diſſertatio: nunc poſtquam Dei conſilium expoſuit Petrus, & de quæſtione ipſa diſſeruit ſecundum Scripturæ doctrinam, ſedato protinus omni ſtrepitu, quieſcunt & ſilent qui nuper inconſiderate errorem tuebantur. Hæc viva eſt legitimi Concilii effigies, ubi ſola Dei veritas, ſimulac in medium prodiit, finem affert omnibus controverſiis. & ſane ad ſedandas omnes diſcordias ſatis eſt efficax, ubi Spiritus præſidet: quia hic rurſum idoneus eſt rector tam ad gubernandas eorum linguas qui præire aliis debent, quam ad reliquos in obſequium cogendos, ne ſibi nimium addicti ſint; ſed depoſita pertinacia, morigeros ſe Deo præbeant. Nec dubium eſt quin fuerint pauci aliqui præfracti, ut in magna turba fieri ſolet: prævaluit tamen Dei veritas, ut ſilentium, cujus meminit Lucas, illuſtre fuerit teſtimonium communis obedientiæ. Fuerat autem hæc non vulgaris Petri moderatio, quod ſingulos in medium afferre paſſus quicquid habebant, ſententiam ſuam ne aliis præjudicio foret, euſque diſtulit, donec ultro citroque agitata eſſet diſceptatio.

Audiebant Barnabam & Paulum.] Colligere ex his verbis licet, non ante fuiſſe cum ſilentio auditos. nam quum major pars perperam admiſſas fuiſſe ab illis in Eccleſiam profanas Gentes perſuaſa eſſet, nihil quod dixiſſent, niſi correcta hac falſa opinione, exceptum fuiſſet æquis auribus: ſed omnia in ſiniſtram partem rapta. Videmus quantum venenum ſit alienatio de nihilo concepta, quæ ſic occupat hominum mentes, ut aditus omnes obſtruat veritati. hinc
Tit. 1: 15. diſcimus quam verum ſit illud, Omnia ſana ſanis: nihil enim tam ſalubre eſt, quod non vitioſi affectus convertant in noxam. Cæterum huc ſpectat Pauli & Barnabæ narratio, ut ſuum inter Gentes Apoſtolatum Deo probatum fuiſſe demonſtrent: quandoquidem miraculis, quæ ſunt ejus velut ſigilla, confirmatus ac ſancitus fuerat.

13. *Reſpondit Jacobus, dicens.*] Plerique ex vetuſtis Eccleſiæ Scriptoribus, Jacobum hunc unum ex diſcipulis fuiſſe putant, cognomine Juſtum & Obliam, cujus indignam cædem refert Joſephus libr. Antiquit. 20. Sed utinam in cognoſcendo homine magis laboraſſent veteres, quam in celebranda fabuloſis encomiis ignoti hominis ſanctimonia. Puerile commentum eſt, quod ſoli fas fuiſſe dicunt ingredi in Sancta Sanctorum. nam ſi in illo ingreſſu aliqua ſuberat religio, feciſſet præter Dei Legem qui non erat ſummus Sacerdos. deinde hoc modo umbratilem templi cultum fovere ſuperſtitioſum erat. alias ſimiles nænias omitto. Plurimum autem falluntur, quod unum ex duodecim Apoſtolis fuiſſe negant. Fateri enim coguntur eum eſſe, quem tam honorifice Paulus celebrat, ut primum illi tribuat locum inter tres Eccleſiæ columnas, Gal. ſecundo. Certe *Gal.* 2: 9. nunquam ita excelluiſſet ſupra Apoſtolos quiſpiam ordine inferior: nam eum Paulus ornat Apoſtoli titulo. nec auditu dignum eſt quod affert Hieronymus, generale illic eſſe nomen: quum ex profeſſo tractetur ordinis dignitas, quatenus aliis Eccleſiæ doctoribus Chriſtus Apoſtolos prætulit. Adhæc colligere ex hoc loco promptum eſt, non vulgari in pretio fuiſſe habitum: quandoquidem Petri verba ſuo ſuffragio ſic confirmat, ut in ejus ſententiam omnes diſcedant. Et infra cap. 21. iterum videbimus *infra* 21. quantum Hieroſolymæ valuerit ejus auctoritas. Id *verſ.* 18. factum eſſe putant veteres, quod loci eſſet Epiſcopus. atqui probabile non eſt, fideles ordinem à Chriſto poſitum, ſuo arbitrio mutaſſe. quare non dubito quin fuerit Alphæi filius, & conſanguineus Chriſti: quo ſenſu etiam vocatur frater. Epiſcopus Hieroſolymæ fuerit nec ne, in medio relinquo: neque ad rem magnopere facit, niſi quod hinc clare refellitur Papæ impudentia, quod ex Jacobi potius quam Petri auctoritate Concilii decretum ſtatuitur. Et certe Euſebius initio ſecundi libri, Jacobum, quiſquis ille tandem fuerit, Apoſtolorum Epiſcopum vocare non dubitat. Eant nunc Romanenſes, & Papam ſuum univerſæ Eccleſiæ caput eſſe jactent, quia Petri ſucceſſor eſt, qui alterum ſibi præeſſe paſſus eſt, ſi Euſebio creditur.

Viri fratres, audite me.] Duobus præcipuis membris conſtat Jacobi oratio. Nam primum confirmat Gentium vocationem teſtimonio Prophetæ Amos: deinde admonet quid factu utile ſit ad fovendam inter fideles pacem & concordiam, ut tamen ſalva maneat Gentibus libertas, nec Chriſti gratia obſcuretur. Quod Petrus hic vocatur Simeon, fieri poteſt ut nomen hoc varie tunc pronunciatum fuerit. Quod dicit Deum viſitaſſe ut ſumeret populum ex Gentibus, refertur ad Dei miſericordiam, qua dignatus eſt in ſuam familiam aſciſcere extraneos. Dura quidem eſt loquutio, ſed quæ utilem continet doctrinam, quia Deum auctorem vocationis Gentium facit, & ejus beneficium eſſe pronunciat, quod cenſeri in ejus populo cœperint, ubi dicit ab eo ſuſceptas. ſed ulterius progreditur dum viſitaſſe dicit, ut ſuſciperet. Senſus enim eſt, Quo tempore averſæ *Rom.* 15. erant Gentes à Deo, clementer fuiſſe ab eo reſpe- *verſ.* 9, ctas: quia nihil aliud poſſumus quam longius ſubinde ab eo recedere, donec nos paternus ejus aſpectus ultro præveniat. 10, 11.

14. *In nomine ſuo.*] Vetus interpres habet Nomini ſuo: quod fere idem valet. quanquam Præpoſitio ἐν transferri aliter poteſt: nempe, Propter nomen ſuum, vel ſuper nomine ſuo. nec male quadrabit ſenſus, Fundatam in Dei nomine aut virtute eſſe Gentium ſalutem: nec Deo fuiſſe aliud propoſitum in earum voca-

vocatione quam ſus nominis gloriam. quod tamen magis uſitatum erat retinui: nempe quod illas annumerans populo ſuo, cenſeri nomine ſuo voluerit: quemadmodum paulo poſt dicetur iovocari ejus nomen ſuper omnes, quos in Eccleſiam ſuam aggregat. Adverbium temporis πρῶτον, biſariam expooi poteſt: ſi legas Primum, ut habent vetus Interpres & Eraſmus, ſenſus erit, Cornelium & alios fuiſſe quaſi primitias à quibus exorſus ſit Deus Gentium vocationem. ſed poteſt comparative etiam ſumi, quod jam editum fuerat ſpecimeo adoptionis Gentium in Cornelio & ejus cognatis, priuſquam Barnabas & Paulus Euangelium Gentibus publicarent. Atque hic poſterior ſenſus magis mihi probatur.

15. *Huic conſonant verba Prophetarum.*] Videmus nunc, ut nihil ſibi ſumpſerint Apoſtoli pro imperio, ſed revereoter ſequuti ſiot, quod verbo Dei præſcriptum erat: oeque gravati ſiot vel ſua dignitate alienum duxerint, ſe profiteri Scripturæ diſcipulos. Notandum binc quoque eſt vigere adhuc doctrinæ Prophericæ uſum, quam phrenetici quidam ab Eccleſia exterminare cuperent. Prophetas plurali numero teſtes citans, quum unum duntaxat locum adducat, talem ſignificat inter eos conſenſum eſſe, ut quod ab uno dictum eſt, commune ſit omnium teſtimonium, quia uoo omnes ore, & ſinguli quaſi in omnium perſona loquantur, vel potius Spiritus Dei loquatur in omnibus. Adde quod ſimul collecta eraot Prophetarum omnium oracula, ut corpus unum efficerent. quare merito, & apte Prophetis communiter aſcribi potuit, quod ex parte aliqua libri univerſi ſumptum erat.

16. *Poſt hæc revertar.*] Quia non citatur ad verbum locus qualis extat apud Prophetam, videndum eſt quid diſcrepet: quanquam neceſſe non eſt anxie excutere quid ſit in verbis diverſum, modo cooſtet vaticinium apposite ad rem præſentem congruere. Poſtquam inſtaurationem rabernaculi Davidis promiſit Deus, ſe quoque facturum addit ut poſſideant Judæi reliquias Edom. In toto illo cootextu nihildum apparet, unde elici queat Gentium vocatio: ſed quod contiouo poſt ſequitur apud Prophetam de reliquiis Gentium, ſuper quas iuvocabitur Dei nomen, aperte oſtendit unam foro ex Judæis & Gentibus Eccleſiam. quia quod tunc ſolis Judæis peculiare erat, promiſcue utriſque datur. In eodem enim honoris gradu Gentes collocas Deus cum Judæis, dum ſuper illas *invocari* vult nomen ſuum. Olim ſub Davide Idumæi vicinique populi Judæis ſubjecti erant. ſed quum tributarii eſſent populo Dei, extranei nihilominus erant ab Eccleſia. Hoc igitur novum & ioſolitum, quod illos Deus ſancto populo accenſet, ut pariter vocetur omnium Deus: quando ita omnes ioter ſe honore æquari certum eſt. Unde facile patet quam bene præſenti inſtituto conveniat Prophetæ teſtimonium. Nam inſtaurationem collapſi tabernaculi promittit Deus, in qua Gentes obediant regno Davidis: non modo ut tributum pendant, vel arma induaot ad Regis imperium; ſed ut communem babeant Deum, & ſint una ejus familia. Moveri tamen poteſt quæſtio, cur vaticinium hoc citare maluerit, quam multa alia quæ magis luculentam rei, de qua agitur, probationem continent:
Rom. 15. verſ. 9, 10, 11. cujus generis multa à Paulo citantur. Reſpondeo, primum Apoſtolos in congereodis Scripturæ locis minime ambitioſos fuiſſe: ſed in boc unum ſimpliciter fuiſſe intentos, quod illis ſatis ſuperque erat: nempe ut ſuam doctrinam probarent ex verbo Dei ſumptam eſſe. deinde illuſtrius hoc eſſe vaticinium Amos dico, quam vulgo putetur. De inſtauratione domus agitur, quæ collapſa erat. miſerabilem ejus ruinam deſcribit Propheta. Ergo quæ mox ſubjicitur promiſſio, erigendum eſſe ruſſus ſolium, ex quo Reges ex poſteris David Gentibus imperent, proprie ad Cbriſtum ſpectat. Itaque erecto Cbriſti regno, ſequi neceſſe eſt quod à Propheta ſimol dicitur, iovocandom eſſe Dei nomen ſuper Gentes. Jam videmus non temere ſelectum fuiſſe bunc locum à Jacobo: nam ſi aliter non poteſt conſtitui Cbriſti regnum, quam ſi Deus paſſim invocetur per totum nrbem, & Gentes coaleſcant in ſanctum ejus populum, abſurdum eſt eas arceri à ſpe ſalutis. & medium parietem concidere oportet, quo ſeparati alii *Epheſ. 2. verſ. 14.* ab aliis ſub Lege fuerant. Hunc enim finem inter alios babebant ceremoniæ, ut ſanctum Dei populum à profanis Gentibus diſcernerent. nunc ſublato diſcrimine, ceremonias quoque abrogari convenit. Primum verbum, *revertar*, non habetur apud Prophetam: ſed mutatio ſtatus quam denunciat, ita optime exprimiuur.

Tabernaculum David, quod collapſum eſt.] Non abs re deformis illa regiæ domus vaſtitas & ruina ante oculos ponitur à Propheta. niſi enim perſuaſum fuiſſet piis, regno Davidis in nibilum redacto veoturum tamen eſſe Chriſtum, qui res perditas oon modo reſtitueret in ſuum ordinem priſtinum, ſed regni gloriam incomparabili ſucceſſu ad cælos uſque eveheret, centies quotidie deſperaſſeot. Reverſi ab exilio Babylonico, aſſiduis & innumeris cladibus prope ad interitum coofecti fuerant. Poſtea quod reſiduum erat, paulatim inteſtinis diſcordiis abſumptum fuit. Imo quum Deus miſeris rebus ſuccurreret, ſpecies opis quam ferebat, quædam erat deſperationis materia. nam imperium quod ſibi ſumpſerant Machabæi, tunc ablatum fuit à tribu Juda. Has ob cauſas ſedulo inculcat Spiritus Dei per Prophetam, non ante venturum eſſe Cbriſtum quam ubi perierit regnum Davidis: ne ſalutem in rebus afflictiſſimis deſperent. Sic Iſaias exoriturum ſur- *Jeſa. 11. verſ. 1.* culum pronunciat ex contempto & ignobili truoco. & nos etiam meminerimus, mirificam banc rationem Deum tenere io reſtituenda Eccleſia, ut eam ex ruiois ædificet. Docet præterea hic locus, quænam vera ſit & proba Eccleſiæ conſtitutio: nempe quum in ſublime evectum eſt ſolium Davidis, & eminet ſolus Chriſtus, ut omnes in ejus obſequium conveniant. Quum ſacrilega ſua tyrannide Eccleſiam oppreſſerit Papa, ſe tamen Eccleſiæ titulo venditat: imo ad obruendam ſanæ doctrinæ lucem, fucum ex inani Eccleſiæ titulo facit. Verum ſi ad juſtam inſpectionem ventum fuerit, facilis eſt tam craſſi ludibrii refutatio: quia dejecto Chriſto, ſolus ipſe imperium occupat. Verbo quidem fatetur ſe Chriſti vicarium: ſed reipſa Chriſtum in cælos ſpecioſo exilio ablegans, totam ejus poteſtatem ad ſe trahit. Neque enim aliter regnat Chriſtus quam Euangelii ſui doctrina, quæ ab hoc execrabili idolo pedibus nefarie calcatur. Nos vero meminerimus hunc fore legitimum inter nos Eccleſiæ ſtatum, ſi omnes ad unum ſummo Regi Chriſto pareamus, ut ſit unum *Joan. 10. verſ. 16.* ovile & unus paſtor.

17. *Ut requirant qui reliqui ſunt.*] Exegetice addidit Jacobus iſtud Requirere, quod apud Prophetam non legitur. nec tamen ſupervacuum eſt: quia ut cenſeamur in Dei populo, & ipſe nos pro ſuis agnoſcat, viciſſim nos ad eum quærendum animatos eſſe oportet. Et probabile eſt, quæ Jacobus nativa lingua inter Judæos diſſeruerat, Lucam ſummatim complexum eſſe: uode factum eſt, ut Prophetæ verbis admixta ſit rei expoſitio. Pro Gentium reliquiis, quas ponit Amos, Lucas ex Græca tranſlatione, quæ magis familiaris erat, ſubſtituit reliquos hominum, eodem ſenſu: nempe quod purgandis mundi ſordibus præceſſura ſit reſectio. quemadmodum accidit. Atque hæc doctrina ad noſtram quoque ætatem accommodanda eſt. nam quia deterior eſt mundi corruptio quam ut io Cbriſti obſequium totus concedat, variis tribulationum flabellis eventilat quiſquilias & zizania, ut ad ſe tandem colligat quod reſiduum manebit.

18. *Nota*

Digitized by Google

18. *Nota à ſeculo ſunt.*] Prolepſis ad diluendum novitatis odium. Subita enim mutatio ſuſpecta eſſe poterat: eaque occaſione turbabat infirmas mentes. itaque occurrit Jacobus, admonens hoc non fuiſſe novum Deo, tametſi repente præter hominum opinionem acciderit: quoniam Deus ante mundum creatum præviderat quid facturus eſſet, Gentiumque vocatio in arcano ejus conſilio recondita fuerat. Unde ſequitur, non eſſe æſtimandam ex hominum ſenſu. Porro Jacobus ad Prophetæ verba reſpicit, ubi aſſerit Deum, qui hæc omnia facturus erat, eſſe prophetiæ quoque auctorem. Senſus ergo eſt, Quum loquatur Deus per Prophetam: tunc certe, imo ab ultima æternitate prævidit, nec propoſitum nec quicquam aliud ſibi fore obſtaculo, quin Gentes in ſuam familiam alleget. Interea ſubeſt generalis exhortatio, ne ingenii ſui modulo metiantur homines Dei opera, quorum ratio ſæpe illi ſoli nota eſt. Quin potius exclament cum ſtupore, vias ejus eſſe inveſtigabiles, & judicia ejus nimis profundam eſſe abyſſum. *Rom. 11. verſ. 33.*

19. Propter quod ego cenſeo non eſſe obturbandum his qui ex Gentibus convertuntur ad Deum:

20. Sed ſcribendum ad eos, ut abſtineant ab inquinamentis ſimulachrorum, & ſcortatione, & ſuffocato, & ſanguine.

21. Moſes enim ab ætatibus antiquis habet in ſingulis civitatibus qui ipſum prædicent, quum in Synagogis per omne Sabbathum legitur.

19. *Non obturbandum eſſe.*] Negat ceremoniarum diſſidio arcendas ab Eccleſia eſſe Gentes, quæ divinitus admiſſæ erant. Videtur tamen ſecum pugnare, quum negat exhibendam illis eſſe moleſtiam, & tamen certos quoſdam ritus præſcribit. Facilis ſolutio eſt, quam fuſius deinde perſequar. primum, nihil ab illis exigit quod non fraternæ concordiæ deberent: deinde, nihil eorum conſcientiis turbæ vel inquietudinis afferre poterant hæc præcepta, poſtquam ſciebant ſe coram Deo eſſe liberos: & ſublata erat falſa illa & perverſa religio, quam injicere conati fuerant pſeudoapoſtoli. Quæritur nunc, cur hæc ſolum quatuor Jacobus Gentibus injungat. Tradunt quidam ex vetuſto Patrum more fuiſſe id petitum, qui non ſolebant fœdus percutere cum ullo populo, quem poſſent cogere in ſuum obſequium, niſi ſub hac pactione. Sed quia ejus rei non profertur idoneus aliquis auctor, ego dubiam ac ſuſpenſam relinquo. Cæterum probabilis ratio apparet cur de idolothytis, ſanguine, & ſuffocato peculiariter mandarint. Res quidem erant per ſe mediæ: ſed quæ ſpeciale aliquid haberent præter alios Legis ritus. Scimus quam ſevere Dominus fugere jubeat quæ cum externa fidei profeſſione pugnant, & quibus aliqua ineſt idololatriæ ſpecies vel ſuſpicio. Ergo ne qua in Gentibus hæreret ſuperſtitionis macula, & ne quid in illis cernerent Judæi cum puro Dei cultu minus conſentaneum, non mirum eſt ſi cavendi ſcandali gratia jubentur ab idolothytis abſtinere. Verbum quo utitur Lucas, ἀλίσγημα, quamvis profanationem ſignificat: ideo receptam verſionem non mutavi, quæ habet Inquinamenta. Sed interdum pro victimis capitur: qui ſenſus non male Jacobi conſilio quadraret. & forte ſimplicius erit ac magis genuinum, ita exponere in præſenti loco: quia ubi paulo poſt idem decretum repetet Lucas, ponet Idolothyta. Quod ad ſanguinem & ſuffocatum pertinet, ab illorum eſu non tantum Moſis Lege prohibiti erant Judæi: ſed ſtatim poſt diluvium lex toti mundo lata fuerat. unde factum eſt, ut qui non prorſus erant degeneres, abhorrerent à ſanguine. non Judæos tantum dico, ſed multos ex Gentibus. Fateor quidem & illud temporale fuiſſe præceptum: ſed tamen quod latius quam ad populum unum patebat. nihil ergo mirum ſi major inde offenſio naſci potuerit, cui mederi Apoſtolis viſum eſt. Sed de ſcortatione difficilior naſcitur quæſtio: quia eam videtur Jacobus numerare inter res medias, à quibus ſcandali tantum reſpectu cavendum ſit. ſed alia fuit cauſa, cur ſcortationem rejiceret in eorum ordinem, quæ per ſe non erant illicita. Quam effrenis paſſim graſſata ſit licentia ſcortandi, plus ſatis notum eſt. præſertim apud Orientales nimis invaluerat hic morbus: ut ſunt magis ad libidinem propenſi. certe nuſquam alibi minus ſancte culta fuit conjugii fides & pudicitia. Adhæc non de qualibet ſcortatione indifferenter, meo judicio, hic agitur, ut ſunt adulteria & vagæ indomitæque libidines, quibus publice violatur & corrumpitur omnis caſtitas: ſed concubinatum, ut loquuntur, notari puto: cujus tantam conſuetudinem ſibi fecerant Gentes, ut propemodum inſtar legis foret. Quod ergo vulgarem corruptelam rebus per ſe non vitioſis adnumerat Jacobus, in eo nihil abſurdi: modo ſciamus nequaquam fuiſſe ejus conſilium, in eodem ordine locare quæ longe inter ſe diſtant. nam quod impuri homines ſuæ fœditati inde prætextum captant, facilis eſt refutatio. Copulat, inquiunt, Jacobus cum ſcortatione eſum ſanguinis. ſed an inter ſe comparat, ut res ſimiles; ſaltem quæ nihil habeant diverſum? imo tantum reſpicit pravum & corruptum hominum morem, qui à prima naturæ lege & ordine divinitus conſtituto deſciverat. Quantum ad Dei judicium pertinet, ex perpetua Scripturæ doctrina petenda eſt ejus cognitio. Quid autem Scriptura pronunciet, minime ambiguum eſt: ſcortationem ſcilicet maledictam eſſe coram Deo, & per eam fœdari hominis animam & corpus, pollui ſacrum Dei templum, & Chriſtum lacerari: Deum quotidie de ſcortatoribus pœnas ſumere, & horrendum ſemel fore ultorem. Nullis certe lenociniis à ſcortationis patronis, quamlibet ingenioſi ſint & facundi, tegetur ejus fœditas tam graviter à cæleſti judice damnata.

Deut. 12. verſ. 23.
Gen. 9: 4.

21. *Moſes enim habet.*] Male hic locus, meo judicio, expoſitus fuit, ac tractus in contrarium ſenſum. Putant enim interpretes additum hoc fuiſſe à Jacobo, quia ſupervacuum eſſet quicquam præſcribere Judæis, quibus familiaris erat Legis doctrina, & ſingulis Sabbathis legebatur: atque hunc ſenſum eliciunt, Hæc pauca à Gentibus exigere contenti ſimus, quæ ferendo Legis jugo aſſuetæ non ſunt; quantum ad Judæos pertinet, habent Moſen ex quo plura diſcant. Nonnulli etiam colligunt ex hoc loco, Circumciſionem cum ſuis appendicibus hodie quoque ſervandam eſſe Judæis. ſed inſcite ratiocinantur, etiamſi vera eſſet illa, quam retuli, expoſitio. Verum longe aliud voluit Jacobus: nempe fieri non poſſe admonet, ut tam cito quaſi uno impetu aboleantur ceremoniæ: quia jam à multis ſeculis aſſueti eſſent Judæi Legis doctrinæ, & Moſes ſuos haberet præcones: ideo redimendam ad breve tempus concordiam eſſe, donec paulatim clarius innoteſceret libertas per Chriſtum parta. hoc eſt quod vulgari proverbio dicitur, Ceremonias veteres ſepeliendas fuiſſe cum aliquo honore. In translatione agnoſcent Græcæ linguæ periti poſtremum illud membrum, Quum in Synagogis per omne Sabbathum legatur, à me non temere fuiſſe mutatum: nempe vitandæ ambiguitatis cauſa.

22. Nunc

22. Tunc viſum eſt Apoſtolis & Presbyteris cum tota Eccleſia, delectos viros ex ipſis mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Judam cognomine Barſabam, & Silam, viros primarios inter fratres:

23. Miſſis per manus eorum literis in hanc formam: Apoſtoli & Presbyteri & fratres, his qui ſunt Antiochiæ & in Syria & Cilicia fratribus qui ſunt ex Gentibus, Salutem.

24. Quoniam audivimus quod quidam ex nobis egreſſi turbarunt vos verbis, labefactantes animas veſtras, jubentes vos circumcidi & ſervare Legem, quibus non mandaveramus:

25. Viſum eſt nobis unanimiter congregatis, delectos viros mittere ad vos, cum dilectis noſtris Barnaba & Paulo,

26. Hominibus qui expoſuerunt animas ſuas pro nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.

27. Miſimus ergo Judam & Silam, qui & ipſi vobis ſermone referent eadem.

28. Viſum eſt enim Spiritui ſancto & nobis, ne quid amplius imponeremus vobis oneris, quam hæc neceſſaria:

29. Ut abſtineatis ab his quæ immolata ſunt ſimulachris, & ſanguine, & ſuffocato, & ſcortatione. à quibus ſi conſervaveritis vosipſos, bene facietis. Valete.

22. *Placuit Apoſtolis.*] Non abſque ſingulari Dei gratia ſedata fuit illa tempeſtas, ut cauſa probe diſcuſſa, in conſenſum veræ doctrinæ omnes deſcenderent. Plebis etiam modeſtia hinc colligitur, quod poſtquam Apoſtolis & reliquis doctoribus judicium permiſit, nunc quoque ſubſcribit eorum decreto. viciſſim quoque Apoſtoli ſuæ æquitatis ſpecimen dederunt, quod nihil ſtatuerunt de communi piorum omnium cauſa, niſi adhibito populo. Nam certe ex Paſtorum ſuperbia nata eſt hæc tyrannis, ut quæ ad communem totius Eccleſiæ ſtatum pertineot, excluſo populo, paucorum arbitrio, ne dicam libidini, ſubjecta ſint. Prudenter vero Apoſtoli & Presbyteri Jodam & Silam mittendos cenſuerunt, quo res minus ſuſpecta eſſet. Scimus quam difficile ſit compeſcere improborum calumnias, ſatisfacere pleriſque nimium moroſis, leves & imperitos continere, conceptos errores abſtergere, odia ſanare, contentiones placare, abolere falſos rumores. Dixiſſent forte Pauli & Barnabæ hoſtes, elicitas blanditiis eſſe literas. novum aliquod cavillum excogitaſſent: turbati protinus fuiſſent rudes & infirmi. Ubi vero cum literis adſunt viri primarii, qui graviter de tota re coram diſſerant, eximitur omnis ſiniſtra ſuſpicio.

24. *Quidam à nobis egreſſi.*] Videmus ut oulla fuerit apud ſanctos homines perſonarum acceptio, quæ ſana rectaque judicia ſemper corrumpit. Fatentur nebulones ex ſuo grege fuiſſe: neque tamen illis indulgent, vel pravo favore inclinant ad tegendum eorum errorem. quin potius illos libère damnando, ne ſibiipſis quidem parcunt. Ac primum detrahunt illis larvam illam, qua abuſi fuerant ad fallendum. Jactabant ſe Apoſtolorum mentem tenere: eos Apoſtoli in fallaci iſto prætextu vanitatis coarguunt, dum negant ſe quicquam tale mandaſſe. deinde multo ſeverius ac durius eos accuſant, quod turbaverint Eccleſiam, & animas labefactarint. Hoc enim modo exoſos & deteſtabiles reddunt piis omnibus, quia admitti nequeant niſi in exitium. Cæterum ideo labefactare dicuntur animas falſi doctores, quoniam eas veritas Dei ædificat: atque ita generalem doctrinam continet iſta loquutio, Niſi ſponte animas noſtras velimus trahi præcipites, ne amplius templa ſint Spiritus ſancti, & earum ruinam appetamus, ſummopere cavendos eſſe qui nos à puro Euangelio abducere moliuntur. Quod dicunt de ſervanda Lege, nonniſi ad ceremonias ſpectat. quanquam memoria ſemper tenendum eſt, de ceremoniis ita fuiſſe tractatum, ut in eo cardine & juſtitia & ſalus hominum verteretur. Illas enim ſervari pſeudoapoſtoli jubebant, quaſi juſtitiam Lex conferret, ſaluſque penderet ex operibus.

25. *Dilectis noſtris Barnaba & Paulo.*] Laudes iſtas opponunt calumniis, quas Paulo & Barnabæ aſpergere pſeudoapoſtoli tentarant. Ac primum ad tollendam diſſidii opinionem, quæ multorum animos occupaverat, conſenſum ſibi eſſe teſtantur. deinde Paulum & Barnabam à fervore zeli, ac pluſquam virili magnitudine commendant, quod non dubitaverint animas ſuas pro Chriſto exponere. Atque hæc eximia virtus eſt in Euangelii miniſtro, & quæ non parum laudis meretur, ſi non modo ad exequendum docendi munus gnavus fuerit & impiger, ſed oblatum quoque mortis diſcrimen pro aſſerenda doctrina ſubire paratus fuerit. Sicuti talibus documentis probat Dominus ſuorum fidem & conſtantiam: ita quaſi virtutis inſignibus eos nobilitat, ut in Eccleſia ſua excellant. Ideo Paulus ſtigmata Chriſti, quæ in corpore ſuo geſtabat, inſtar clypei præfert ad repellendos nebulones, qui ejus doctrinæ moleſti erant. (*Galat. 6. verſ. 17.*) Tametſi autem pleriſque ſtrenuis & cordatis Euangelii doctoribus non contingit pro Euangelio uſque ad vitæ periculum certare, quia res non poſtulat: hoc tamen non obſtat, quin ſuis martyribus auctoritatem Chriſtus conciliet, quoties in memorabiles conflictus eos producit. Interea quibus nulla eſt bellandi neceſſitas, parati tamen ſint ad fundendum ſanguinem, ſiquando ita Deo viſum fuerit. Cæterum Pauli & Barnabæ fortitudinem non prædicant Apoſtoli, niſi in bona cauſa: quia ſi ſatis eſſet intrepide adire pericula, nihil à tumultuoſis & phreneticis, nihil à gladiatoribus differrent Chriſti martyres. Laudantur ergo Paulus & Barnabas, non quod ſimpliciter ſe objecerint periculis: ſed quod mortem pro Chriſti nomine non refugerint. Forte etiam Apoſtolis conſilium fuit oblique perſtringere nebulones illos, qui nihil unquam pro Chriſto paſſi, ex umbra ſua & deliciis prodierant ad turbandas Eccleſias, quæ animoſis Chriſti militibus tanti conſtiterant.

28. *Viſum eſt Spiritui ſancto ac nobis.*] Quod ſe adjungunt Apoſtoli & Presbyteri Spiritui ſancto comites, in eo nihil ſibi ſeorſum attribuunt: ſed perinde valet hæc loquutio, acſi dicerent ſibi ducem ac præſidem fuiſſe Spiritum, ſeque eo dictante ſtatuiſſe quod ſcribunt. Hæc enim loquendi ratio ſatis uſitata eſt Scripturæ: ut poſt expreſſum Dei nomen, miniſtros quoque ſecundo loco ſubjiciat. Quum dicitur populus crediidiſſe Deo ac Moſi ſervo ejus, (*Exod. 14. verſ. 31.*) non laceratur fides, quaſi partim Deo, partim homini mortali ſe addixerit. quid ergo? nempe quum populus Deum haberet unicum fidei ſuæ auctorem, miniſtro ejus à quo erat inſeparabilis, fidem adhibuit. Nec vero aliter credere Deo poterat, quam doctrinam à Moſe propoſitam amplexando: ſicuti prius repudiato

diato ſpretoque Moſe, Dei jugum excuſſerant. Quo etiam refellitur eorum improbitas, qui fidem plenis buccis jactantes, Eccleſiæ miniſterium impie non minus quam ſuperbe contemnuot. Nam ut ſacrilega eſſet partitio, ſi fides vel in minimo articulo ſeparatim ab homine penderet: ſic ludibrio Deum palam habent, qui præteritis miniſtris, per quos loquitur, illum ſe magiſtrum recipere ſimulant. Negant igitur Apoſtoli ex ſuo cerebro fabricaſſe quod Gentibus tradunt decretum, ſed tantum fuiſſe Spiritus miniſtros, ut Dei auctoritate commendent quod ab ipſo profectum fideliter per manus tradunt. Ita Paulus quum Euangelii ſui meminit, non obtrudit novum Euangelium, cujus ipſe ſit architectus: ſed quod ſibi commiſſum fuit à Chriſto, prædicat. Inſulſi vero Papiſtæ, qui ex his verbis probare volunt penes Eccleſiam reſidere aliquid propriæ auctoritatis: imo ſecum ipſi aperte pugnant. quo enim prætextu errare Eccleſiam non poſſe contendunt, niſi quia immediate à Spiritu ſancto regitur? Ideo clamoſe jactant Spiritus eſſe oracula, quæ nos eorum figmenta eſſe coarguimus. Stulte ergo urgent particulam hanc, Viſum eſt nobis: quia ſi quicquam cenſuerint Apoſtoli ſeorſum à Spiritu, concidet primum illud axioma, Nihil à Conciliis decerni præter Spiritus dictata.

Præter hæc neceſſaria.] Hujus vocis prætextu ſuperbe triumphant Papiſtæ, quaſi hominibus liceat ferre leges quæ neceſſitatem conſcientiis imponant. Sub pœna, inquiunt, peccati mortalis ſervandum eſt quicquid mandat ac præcipit Eccleſia: quia quod decernunt Apoſtoli, neceſſario ſervandum eſſe pronunciant. Atqui expedita eſt tam futilis cavilli ſolutio. neque enim ultra viguit hæc neceſſitas, quam periculum erat ſcindendæ unitatis. Ita, proprie loquendo, accidentalis fuit iſta neceſſitas, vel extrinſeca: quæ ſcilicet non in re, ſed tantum in cavendo offendiculo ſita erat. quod ex decreto ſtatim abrogato clarius patet. nam de rebus per ſe neceſſariis leges oportet eſſe perpetuas. Atqui legem hanc, ſimulac ceſſavit tumultus & contentio, ſcimus à
Rom. 14. verſ. 14. 1 Cor. 10. verſ. 25. Paulo refixam eſſe, ubi docet nihil eſſe immundum: & quibuslibet veſci cibis, etiam qui idolis eſſent immolati, liberum ac licitum facit. Quare ex hac voce inanem prætextum captant ad ligandas conſcientias, quum neceſſitas de qua nunc agitur, non niſi ad homines reſpectum habuerit in externo uſu, ne ſcandalum inde naſceretur: coram Deo autem intacta conſtaret libertas. Fruſtra etiam ex toto loco conficere nituntur datam eſſe Eccleſiæ poteſtatem, quicquam præter Dei verbum ſtatuendi. Leges quas viſum eſt, præter Dei verbum condidit Papa, quibus Eccleſiam regeret: nec eas decem aut viginti, ſed immenſa congerie: ut non modo tyrannice animas premant, ſed dira ſint ad eas excruciandas tormenta. Ut ejuſmodi ſævitiam excuſent conductitii Papæ rabulæ, objiciunt Apoſtolos quoque vetuiſſe Gentibus quod Dei verbo vetitum non erat. Ego vero Apoſtolos nego quicquam ad verbum Dei addidiſſe. quod minime obſcurum erit, ſi modo ad eorum conſilium attendere libeat. Nuper admonui, nihil minus in animo illis fuiſſe, quam perpetuam figere legem, qua obſtrictos haberent fideles. quid igitur? Nempe quod fovendæ inter Eccleſias fraternæ paci & concordiæ aptum erat, remedium adhibent: ut ſe ad tempus accommodent Gentes Judæis. Atqui ſi aliud quicquam, hoc certe ex Dei verbo eſſe fatebimur, ut in rebus mediis dominetur inter nos charitas: hoc eſt, ut earum rerum, quæ per ſe liberæ ſunt, externus uſus ad charitatis regulam flectatur. In ſumma, ſi charitas eſt perfectionis vinculum & finis Legis, ſi Dei mandatum eſt ut mutuæ unitati ſtudeant fideles, & quiſque proximis ſerviat in ædificationem: nemo tam rudis eſt, qui Dei verbo contineri non proſpiciat quod hic præcipiunt Apoſtoli. tantum ſuo tempori accommodant univerſalem regulam. Succurrat præterea quod prius attigi, politicam fuiſſe legem, quæ nullum conſcientiis laqueum injiceret, nullum induceret fictitium Dei cultum: quæ duo vitia in humanis traditionibus Scriptura paſſim damnat. Atque ut demus, quod tamen vaniſſimum eſt, non eſſe ex Dei verbo, quod in illo Concilio decretum fuit: nihil tamen id Papiſtis ſuffragatur. Liceat Conciliis aliquid præter expreſſum Dei verbum, ex Spiritus revelatione decernere. nempe non niſi legitimis Conciliis tribuenda erit hæc auctoritas. Concilia ergo pia & ſancta fuiſſe probent, quorum nos decretis volunt ſubjicere. Sed partem hanc, quia initio capitis tractata fuit, nunc longius non proſequar. Quod ad præſentem locum abunde ſufficit, teneant lectores, Apoſtolos ex verbi Dei finibus minime egredi, dum externam pro temporis ratione legem ſtatuunt, qua Eccleſias inter ſe concilient.

30. Illi ergo dimiſſi venerunt Antiochiam: & congregata multitudine reddiderunt epiſtolam.

31. Quam quum legiſſent, gaviſi ſunt ſuper conſolatione.

32. Judas autem & Silas, quum eſſent & ipſi Prophetæ, multo ſermone * adhortati ſunt fratres, & confirmaverunt. * *vel, conſolati ſunt.*

33. Commorati autem illic ad tempus, dimiſſi ſunt cum pace à fratribus ad Apoſtolos.

34. Viſum eſt autem Silæ ibidem manere.

35. Paulus vero & Barnabas demorabantur Antiochiæ, docentes & euangelizantes cum aliis etiam compluribus ſermonem Dei.

30. *Congregata multitudine.*] Hæc fuit legitima agendi ratio, ut totam plebem ad audiendam epiſtolæ lectionem admitterent. nam ſiquid controverſiæ acciderit in fidei doctrina, judicium quidem doctis & peritis & in Scriptura exercitatis deferri æquum eſt, ac maxime Paſtoribus rite ordinatis: quia tamen omnium pariter intereſt, quid tenendum ſit certo cognoſcere, cum tota Eccleſia fraterne communicare debent ipſi doctores, quid ex verbo Dei ſtatuerint. Nihil enim ſancto & Chriſtiano ordini minus conſentaneum, quam populi corpus, non ſecus ac porcorum gregem, à communi doctrina arcere: ut fieri ſolet ſub tyrannide Papatus. Quia enim Papa & cornuti Epiſcopi populum non ſperabant fore unquam ſatis morigerum, donec in craſſam inſcitiam reductus eſſet: hoc finxerunt optimum eſſe fidei compendium, nihil ſciendo pendere ex eorum placitis. Contra vero tenenda eſt mediocritas, ut legitimæ præfecturæ ſalvæ maneant, & viciſſim populo ſua maneat libertas, ne ſerviliter opprimatur.

31. *Gaviſi ſunt ſuper conſolatione.*] Quum adeo brevis ſit epiſtola, & nihil præter nudam narrationem contineat, qualis inde conſolatio redire potuit ad fideles? Atqui notandum eſt, non parvam in eo conſolationis materiam fuiſſe, quod agnito Apoſtolorum conſenſu, tum ſinguli pacati fuerunt, tum omnes ex diſſidio redierunt in gratiam. Quum falſo

ſpar-

ſparſus eſſet rumor, Apoſtolos omnes Paulo & Barnabæ adverſos eſſe, quoſdam nimis credulos concuſſerat: multi dubiis animis fluctuabantur: improbi hac occaſione ad maledicendum abutebantur: alios curioſitas & novitatis amor titillabat: alii etiam ab aliis diviſi erant. nunc dum primæ Eccleſiæ judicium congruere vident cum Pauli & Barnabæ doctrina, quod filiis Dei maxime optabile eſt obtinent, ut ſtabiliti in recta fide ac inter ſe unanimes, quietis mentibus mutuo pacem colant.

32. *Judas quoque & Silas.*] Hac de cauſa miſſi fuerant duo iſti fratres, ut vocis quoque ſuæ teſtimonium literis adderent. alioqui neque tam breves & conciſas literas de re tanta miſſuri erant Apoſtoli: & de fidei myſteriis aliquid attigiſſent, & ad pietatis ſtudium prolixius eſſent hortati. Jam narrat Lucas plus aliquid præſtitiſſe: nempe quod dono prophetiæ inſtructi, Eccleſiam in genere ædificaverint. acſi diceret, non tantum in præſenti cauſa fideliter officio ſuo eſſe defunctos: ſed docendo etiam & hortando, utilem impendiſſe Eccleſiæ operam. Notandum autem eſt, quod Eccleſiam hortatos eſſe dicit, eo quod Prophetæ erant: neque enim id omnibus datum eſt, tam præclarum obire munus. Itaque cavendum eſt, ne quis temere fines ſuos tranſiliat:
1 Cor. 7. verſ. 20. Epheſ. 4. verſ. 1. quemadmodum admonet Paulus 1 Cor. 7. & Eph. 4. ut ſe intra acceptæ gratiæ menſuram ſinguli contineant. Quare non fruſtra peculiare docendi munus eſſe commemorat Lucas: ne quis vel ambitione, quum facultas deſit, vel inconſiderato zelo, vel ſtulta alia cupiditate emergere cupiens, Eccleſiæ ordinem turbet.

Prophetæ erant.] Quum varias ſignificationes habeat nomen, non ſumitur hoc loco pro vatibus, quibus res futuras prædicere datum eſt: quia parum opportune interpoſitum eſſet hoc elogium, ubi alia de re agitur: ſed intelligit Lucas, eximia myſteriorum Dei intelligentia Judam & Silam fuiſſe præditos, ut eſſent probi Dei interpretes. quemadmodum & Paulus prioris ad Cor. 14. quum de prophetia diſſerit, & aliis omnibus donis præfert, non adducit in medium vaticinia vel prædictiones: ſed ab hoc fructu commendat, quod doctrina, exhortatione, & conſolatione Eccleſiam ædificet. In hunc modum Lucas exhortationem aſſignat Prophetis, quaſi præcipuam officii partem. 1 Cor. 14. verſ. 3.

33. *Dimiſſi ſunt cum pace.*] Hoc eſt, quum diſcederent, fratres vale dicendo bene illis precati ſunt, ut fieri inter amicos ſolet. Eſt autem ſynecdoche in hoc membro: quia ex duobus alter tantum Hieroſolymam reverſus eſt. Et in contextu mox ſubjicitur correctio, quod viſum Silæ fuerit illic manere. ſed quum ambos conjungit Lucas, tantum docere vult ante pacatam fuiſſe Eccleſiam, quam illi de reditu cogitarint. Tandem addit Paulum & Barnabam quamdiu Antiochiæ fuerunt, intentos fuiſſe ad docendum, & in hoc opere aſſiduos: & tamen locum aliis compluribus ſimul dediſſe. Ex quo apparet idem ſine æmulatione omnibus fuiſſe ſtudium, & in medium contuliſſe ſuas operas ut prodeſſent. quanquam de aliis compluribus conſulto videtur facta mentio, ne putemus Eccleſiam illam Pauli & Barnabæ diſceſſu fuiſſe deſertam, quæ doctorum copia florebat. Adhæc celebratur iterum Dei benedictio, quæ in Eccleſia illa mox reviguit, in qua triſtiſſimam diſſipationem Satan per ſuos nuper molitus fuerat.

36. Poſt aliquot autem dies dixit ad Barnabam Paulus, Revertentes jam viſitemus
fratres noſtros per omnes civitates in quibus annunciavimus ſermonem Domini, quomodo ſe habeant.
37. Barnabas autem conſulebat ut aſſumerent Joannem cognomento Marcum:
38. Paulus autem deprecabatur, ne is qui defeciſſet ab ipſis ex Pamphylia, nec iviſſet cum eis in opus, ſimul aſſumeretur.
39. Tam acris autem fuit inter eos diſceptatio, ut alter ab altero diſcederet: & Barnabas quidem aſſumpto Marco navigaret in Cyprum.
40. Paulus autem allecto Sila profectus eſt, traditus gratiæ Dei à fratribus.
41. Perambulabat autem Syriam ac Ciliciam, confirmans Eccleſias.

36. *Inviſamus fratres.*] In hac hiſtoria primo notandum eſt, quam ſedulo Paulus pro Eccleſiis quas inſtituit, ſit ſollicitus. Utiliter quidem Antiochiæ laborat: ſed quia Apoſtolum ſe divinitus ordinatum meminit, non unius tantum loci Paſtorem, vocationis ſuæ curſum tenet. deinde, ſicuti minime debebat uni loco eſſe affixum; ita omnibus quos in Domino genuit, ſe obſtrictum eſſe cogitat: ideo ſua opera eos fraudare non vult. Adde quod inchoatum in illis locis opus negligi non poterat, quin paulo poſt diffluerert. Colligere tamen promptum eſt, in Antiochena Eccleſia Paulum hæſiſſe, donec compoſitum rite videret ejus ſtatum, & concordiam ſtabilitam. Experimur enim quantum habeant momenti primariæ Eccleſiæ ad alias minores retinendas. Si quis in obſcuro pago oriatur tumultus, vel ſi quid offendiculi incidat, non tam late ſpargitur rumor, nec vicini uſque adeo moventur. Verum ſi quis locus excellit, nunquam labaſcet ſine magna ruina: vel ſaltem quin longe lateque minora ædificia concutiat. Ergo Paulus Antiochiæ ad tempus ſubſiſtens, aliis Eccleſiis proſpexit. atque ita in hoc exemplo non minus ejus prudentia, quam ſedulitas nobis ſpectanda eſt: quia non minus ſæpe nocet immodicus ſatagendi fervor, quam ignavia Paſtorum.

Quomodo ſe habeant.] Noverat Paulus, in tanta hominum levitate, atque ut eorum ingenium in vitia proclive eſt, raro ſtabile & diuturnum manere ſi quid recte inter illos conſtitutum fuerit: præſertim vero facile collabi Eccleſias vel degenerare, niſi aſſidue excolantur. Nihil quidem æque firmum ſub cælo eſſe decebat ac ſpirituale fidei ædificium, utpote cujus ſtabilitas in cælo ipſo fundata eſt: ſed pauci ſunt in quorum animis vivas penitus radices agat verbum Domini: ideo rara in hominibus firmitas. deinde etiam qui anchoram ſuam in Dei veritate fixam habent, non deſinunt tamen variis jactationibus eſſe obnoxii: quibus etſi non evertitur eorum fides, confirmatione tamen qua fulciatur opus habet. ad hæc videmus, quibus machinis impetat Satan, & quibus artificiis clam diruere conetur nunc totas Eccleſias, nunc fidelium unumquemque. Non ergo abs re Paulus anxie de ſuis diſcipulis metuit, ne ſe aliter gerant quam optandum ſit: & ideo mature cupit occurrere ſi quid incommodi ortum ſit; quod ſine inſpectione fieri non poteſt.

37. *Barnabas autem conſulebat.*] Triſte hic diſſidium narrat Lucas, & quod horrorem piis omnibus incutere merito debeat. Sacrata erat cæleſti oraculo Pauli & Barnabæ ſocietas. Sub hoc jugo, cui Dominus eos alligaverat, diu concordes laboraverant: multis documentis præclarum experti erant Dei favorem. Imo admirabilis ille ſucceſſus cujus antehac meminit Lucas, illuſtris erat Dei benedictio. Quum tot perſequutionum tempeſtatibus toties fuiſſent prope obruti, & innumeri hoſtes tam acriter ſubinde

illos urgerent: quum inteſtina etiam ſeditio paſſim contra eos arderet: adeo non fuerant divulſi, ut tunc maxime probatus fuerit eorum conſenſus. nunc levi de cauſa, & quæ nullo negotio tranſigi poterat, ſacrum illud vocationis divinæ vinculum abrumpunt. Hoc certe accidere non potuit ſine ingenti piorum omnium perturbatione. Quum tam violentus fuerit in ſanctis iſtis viris contentionis impetus, qui per multos annos ſe ad rerum omnium tolerantiam aſſuefecerant: nobis quid accidet, quorum affectus nondum ita in Dei obſequium ſubacti, abſque modeſtia ſubinde laſciviunt? Quum levis occaſio eos diſtraxerit, qui inter tot adverſas tentationes unitatem ſancte coluerant: quam facilis erit Satanæ aditus ad eos diſtrahendos, quibus vel nullum, vel frigidum eſt fovendæ pacis ſtudium? Barnabam, cui nihil magis honorificum erat quam eſſe Pauli comitem, ut inſtar filii erga patrem ſe gereret: tam pertinaciter reſpuere illius conſilium, quantæ ſuperbiæ fuit? In Paulo viciſſim humanitas forte à quibuſdam deſiderari poſſet, quod fido coadjutori non condonaverit hoc erratum. Monemur itaque hoc exemplo, niſi acriter intenti ſint ſervi Chriſti ad cavendum, multas patere Satanæ rimas, quibus ad turbandam inter eos concordiam obrepat. Sed jam cauſa ipſa diſcutienda eſt. ſunt enim qui diſſidii culpam nimio Pauli rigori aſcribant: & primo auditu probabiles ſunt quas adferunt rationes. Rejicitur Joannes Marcus, quia ſe à Pauli comitatu ſubduxerat. atqui non deſciverat à Chriſto. Juvenis ad crucis tolerantiam nondum aſſuefactus, domum ex itinere reverſus erat. Ætati dandum erat aliquid veniæ. tiro moleſtiis inter initia ſuccubuerat: non propterea futurus erat tota vita ignavus miles. Jam quum reditus ad Paulum inſigne pœnitentiæ teſtimonium ſit, minime humanum videtur eum rejicere. Indulgentius enim tractandi ſunt, qui ultro pœnas ſumunt de ſuis delictis. Erant etiam aliæ cauſæ quæ Paulum ad clementiam flectere deberent. Domus Joannis Marci celebre erat Eccleſiæ hoſpitium. mater in graviſſima perſequutione fideles exceperat: quum ſæviret Herodes, & fureret totus populus, illic haberi ſolebant ſacri conventus: ut antea retulit Lucas.
ſupra 12. verſ. 12. Certa parcendum tam ſanctæ & cordatæ mulieri fuerat, ne eam immodicus rigor alienaret. filium optabat Euangelio prædicando addictum eſſe: nunc ob unum leve erratum, ejus operam reſpui, quantopere illi acerbum eſſe potuit? nunc ubi non ſolum culpam deprecatur Joannes Marcus, ſed reipſa corrigit: ſpecioſum colorem habet Barnabas cur ignoſcat. Colligere tamen ex contextu licet, probatum Eccleſiæ fuiſſe Pauli conſilium. Proripit enim ſe Barnabas, & cum ſuo comite in Cyprum navigat. fratrum nulla fit mentio: acſi furtim illis inſalutatis abiiſſet. Paulum autem fratres ſuis votis commendant gratiæ Dei: unde apparet ſtetiſſe ab ejus parte Eccleſiam. Quod deinde virtutem ſui Spiritus in benedicendo Paulo Deus exerit, feliciqe gratiæ ſuæ ſucceſſu proſequitur ejus labores, Barnabam vero relinquit quaſi ſepultum: probabile inde argumentum ſumi poteſt, illi placuiſſe tale ſeveritatis exemplum edi. Et certe longe gravius erat Joannis Marci peccatum, quam vulgo putetur. non defecerat quidem à fide Chriſti: vocationis tamen ſuæ deſertor erat & apoſtata. res ergo erat peſſimi exempli, ſi mox in vocationem iterum receptus eſſet, à qua deſciverat. Hac lege ſuam operam Chriſto devoverat, ut amplius liber non eſſet, nec ſui juris. nihilo illi magis licuit fallere hac in parte fidem datam, quam uxori maritum, vel filio patrem relinquere licet. Nec vero infirmitas perfidiam excuſat, qua violata fuerat vocationis ſanctitas. Ac notandum eſt, non prorſus fuiſſe rejectum à Paulo. fratris loco eum habebat, modo plebeio ordine contentus eſſet: ad publicum docendi munus admittere recuſabat, unde turpiter exciderat ſua culpa. Multum autem intereſt, præciſene arceatur à venia qui peccavit, an illi tantum publicus honos negetur. quanquam fieri poteſt ut modum uterque exceſſerit: ut bonam alioqui cauſam ſæpe accidentia vitiant. Recte Paulus, & pro jure diſciplinæ utiliter, comitem admittere nolebat cujus ſemel expertus fuerat inconſtantiam: ſed quum Barnabam pertinacius videret inſtare, cedere poterat ejus voto. Pluris quidem eſſe nobis debet veritas, quam totius mundi gratia: ſed prudenter expendere convenit, quantum ponderis ſit in re de qua agitur. nam ſi in re nihili, vel nullius ædificationis, ſuam conſtantiam quis oſtentet, acuat ſe ad certamen, nec tueri ad extremum deſinat quod ſemel placuit: ſtulta erit & perverſa obſtinatio. Fuit etiam media aliqua ratio, qua Paulus aliquid daret collegæ ſui importunitati, nec tamen à veritate deflecteret. Non debuit Marco blandiri, nec diſſimulare ejus peccatum: ſed religio nulla obſtabat, quin libere ſententiam ſuam profeſſus, vinci tamen ſe pateretur in ea cauſa, quæ nec ſanæ doctrinæ, nec ſalutis hominum jacturam ſecum trahebat. quod ideo admoneo, ut diſcamus etiam in optimis cauſis ſtudio noſtro moderari, ne ultra modum efferveat.

CAP. XVI.

PErvenit autem Derben & Lyſtram: & ecce, diſcipulus quidam erat ibi nomine Timotheus, filius cujuſdam mulieris Judææ fidelis, patre autem Græco.

2. Hic teſtimonium bonum habebat à fratribus qui Lyſtris erant & Iconii.

3. Hunc voluit Paulus ſecum proficiſci. & aſſumptum circumcidit propter Judæos qui erant in illis locis: ſciebant enim omnes, quod pater ejus eſſet Græcus.

4. Quum autem pertranſirent civitates, ſervanda illis tradebant placita quæ decreta erant ab Apoſtolis & Presbyteris qui erant Hieroſolymæ.

5. Itaque Eccleſiæ confirmabantur fide, & abundabant numero quotidie.

1. Narrare jam incipit Lucas, quales Pauli fuerint progreſſus poſt ejus & Barnabæ divortium. At primo quidem refert, Lyſtris aſſumptum ab eo fuiſſe Timotheum comitem. verum ut ſciamus nihil temere vel minus conſulto feciſſe Paulum, diſerte exprimit Lucas, probatum fuiſſe Timotheum fratribus, ejuſque pietatem fuiſſe teſtatam. ſic enim ad
1 Tim. 1. verſ. 18. verbum loquitur. Atque ita quem alibi delectum Paulus in cooptandis miniſtris haberi jubet, nunc ipſe obſervat. Neque enim probabile eſt, jam tunc editas fuiſſe prophetias quibus à Spiritu Timotheum fuiſſe inſignitum alibi teſtis eſt Paulus. Sed videtur *1 Tim. 3. verſ. 7.*
in eo aliquod eſſe diſcrimen, quod Lucas dicit Timotheum boni inter fratres fuiſſe nominis: Paulus autem vult eum bene audire apud extraneos, qui in Epiſcopum eligitur. Reſpondeo, præcipue ſpectandum eſſe piorum judicium: ut ſoli ſunt idonei teſtes, & ſoli ex Dei Spiritu recte & prudenter diſcernunt: impiis vero nihilo plus tribuendum eſſe quam cæcis. Ergo pietatis ſanctæque vitæ æſtimationem ex ſanctorum arbitrio & ſuffragiis fieri debere apparet: ut dignus Epiſcopatu cenſeatur quem ſuis elogiis

giis commendant. Hoc tamen etiam ſecundo loco requiri fateor, ut eundem laudare cogantur increduli: ne eorum probris & maledicentiæ obnoxia ſit Dei Eccleſia, ſi turpis famæ hominibus regendam ſe permittat.

3. *Circumcidis propter Judæos.*] Diſerte exprimit Lucas non fuiſſe circumciſum Timotheum quia neceſſe foret, vel quia ſigni illius duraret adhuc religio: ſed ut Paulus ſcandalum vitaret. Habitus ergo fuit hominum reſpectus, quum res coram Deo libera eſſet. quare circumciſio Timothei non fuit Sacramentum, quale datum fuerat Abrahæ, & ejus poſteris: ſed ceremonia media & indifferens, quæ tantum ad fovendam charitatem, non ad pietatis exercitium valebat. (*Gen.* 17. *verſ.* 13.) Jam quæritur, an Paulo ſymbolum inane uſurpare licuerit, cujus ſignificatio & vis abolita erat: videtur enim res eſſe luſoria, ubi ab inſtituto Dei diſceditur. atqui Circumciſio divinitus tantum ad Chriſti uſque adventum mandata erat. Ad hanc quæſtionem reſpondeo, Circumciſionem ita ceſſaſſe Chriſti adventu, ut tamen uſus non ſtatim plane abolitus fuerit: ſed liber maneret, donec clarius patefacta Euangelii luce omnes agnoſcerent Chriſtum eſſe finem Legis. Atque hic tres gradus notandi ſunt. Primus eſt, ſic abrogatas fuiſſe Legis ceremonias exhibito Chriſto, ut neque amplius ſpectarent ad Dei cultum, nec rerum ſpiritualium figuræ eſſent, nec ulla eſſet utendi neceſſitas. Secundus vero, liberum fuiſſe earum uſum, donec clarius innoteſceret Euangelii veritas. Tertius, non licuiſſe fidelibus eas retinere, niſi quatenus earum uſus in ædificationem faceret, nec inde foveretur ſuperſtitio. Quanquam libera illa, quam dixi, utendi facultas exceptione non caret: quia ceremoniarum diverſa ratio. neque enim eodem Circumciſio loco erat, quo ſacrificia, quæ expiandis peccatis ordinata erant. Quare Paulo circumcidere Timotheum licuit: victimam pro peccato offerre fas minime fuiſſet. Hoc quidem generale eſt, totum Legalem cultum (quia temporalis erat) ceſſaſſe Chriſti adventu, quo ad fidem & conſcientiam. de uſu autem ſic habendum eſt, medium & piorum libertati relictum eſſe ad breve tempus: quatenus fidei confeſſioni adverſus non erat. Notanda eſt temporis brevitas, de qua loquor, nempe uſque ad claram Euangelii manifeſtationem: quia craſſe hallucinantur hac in parte docti quidam homines, quibus videtur Circumciſio locum adhuc habere apud Judæos: quum doceat Paulus ſupervacuam eſſe, ubi per Baptiſmum conſepulti ſumus Chriſto. (*Coloſſ.* 2. *v.* 11, 12.) Rectius veteri proverbio dictum fuit, Sepeliendam Synagogam cum honore. Nunc ſupereſt dicendum, quatenus indifferens fuerit Circumciſionis uſus. Ex ratione libertatis id facile patebit. Quia nondum innotuerat paſſim Gentium vocatio, Judæis dandum erat aliquid prærogativæ. donec ergo melius cognitum eſſet, adoptionem à genere Abrahæ ad omnes gentes eſſe transfuſam: licuit prout ferebat ædificatio, ſignum diſcretionis retinere. Nam quum Titum circumcidere noluerit Paulus, idque recte factum eſſe prædicet, ſequitur hanc ceremoniam non promiſcue nec ſine delectu fuiſſe liberam. (*Galat.* 2. *verſ.* 3.) Ergo ſpectanda fuit ædificatio, & publica Eccleſiæ utilitas. Quia Titum circumcidere non poterat, quin puram Euangelii doctrinam proderet, ſeque exponeret hoſtium calumniis, abſtinuit à libero ceremoniæ uſu, quem ſibi in Timotheo permiſit quum Eccleſiæ utilem eſſe cerneret. Hinc facile perſpicitur, quam horrenda in Papatu graſſetur confuſio. Immenſus illic eſt ceremoniarum acervus. quorſum id, niſi ut pro uno veteris templi velo centum obtendant? Deus quas præceperat ceremonias abrogavit, quo illuſtrior fulgeret Euangelii veritas: homines novas inducere auſi ſunt, & quidem nullo ſervato modo. Acceſſit deinde pravum commentum, valere eas omnes ad cultum Dei. tandem ſequuta eſt diabolica meriti fiducia. Nunc quum ſatis conſtet tales ceremonias nec vela eſſe nec ſepulchra quibus tegitur Chriſtus, ſed fœtida potius ſtercora quibus obruta eſt ſincera fides & religio: qui promiſcue faciunt liberum earum uſum, longe plus Papæ arrogant, quam Deus Legi ſuæ concedat. De Miſſa & ſimilibus ſpurcitiis, quæ manifeſtam in ſe idololatriam continent, dicere nihil attinet.

Sciebant enim omnes.] Hoc fuiſſe Pauli conſilium admonet Lucas, Timotheo acceſſum patefacere ad Judæos, ne ab eo tanquam ab homine profano abhorrerent. Noverant, inquit, omnes patrem ejus eſſe Græcum. ergo quia nulla erat matrum poteſtas in liberos, ſatis perſuaſi erant non fuiſſe circumciſum. Hic obiter obſervent lectores, quam miſera tunc fuerit populi Dei ſervitus. Eunica Timothei mater ex tenuibus reliquiis erat, quas Judæi quoque ipſi prodigii loco habebant: & tamen homini incredulo in conjugium data, liberos ſuos Deo ſacrare non audebat: ſaltem ut illis externum gratiæ ſymbolum daret. nec tamen propterea deſtitit filium ſuum à puero ſancte in Dei timore, veroque cultu inſtituere. Exemplum ſane fœminis imitandum, quas tyrannico imperio deterrent mariti, ne liberos & familiam caſte in vera pietate contineant. Græcus hic pro Gentili, trito Scripturæ more ſumitur.

4. *Tradebant ſervanda placita.*] His verbis ſignificat Lucas, quam ſtudioſus pacis fuerit Paulus. Optimum tunc fovendæ inter Eccleſias concordiæ vinculum erat, ſervare quod per Apoſtolos fuerat tranſactum. in eo quum diligens eſt Paulus, bona fide cavet, ne quid oriatur turbæ ſua culpa. Meminerimus autem id fuiſſe temporale: quia ubi videt ceſſare ſcandali periculum, penitus Eccleſias exonerat, & poſthabito decreto, liberum facit quod illic vetuerant Apoſtoli. Neque tamen ea abrogatione quod ſtatuerant Apoſtoli reſcindit ac violat, vel contemnit ipſos auctores: quia minime illis conſilium fuerat, ſancire perpetuam legem, ſed tantum mitigare ad breve tempus quod infirmas conſcientias lædere poterat: quemadmodum ſuperiori capite fuſius diſſerui. quo ſatis arguitur Papiſtarum ſtultitia, dum graviter nos accuſant quod Paulo ſimus longe diſſimiles: quia contemptis, ut loquuntur, Eccleſiæ decretis, ſolo Dei verbo regi volumus piorum conſcientias, non autem ſubjici arbitrio hominum. Sed quemadmodum jam dixi, nihil minus Paulo venit in mentem, quam neceſſitatis laqueum conſcientiis injicere. non enim à ſeipſo diſſentit, quum alibi clamat, Omnia munda mundis. (*Tit.* 1. *verſ.* 15.) Item, Qui firmus eſt, veſcitur quibuslibet. (*Rom.* 14. *v.* 2, 17.) Item, Regnum Dei non eſt eſca & potus. Item, Eſca nos non commendat Deo. (1 *Cor.* 8. *verſ.* 8.) Item, Omne quod in macello venditur edite, nihil interrogantes propter conſcientiam. (1 *Cor.* 10. *verſ.* 25.) ſed uno verbo conciliat quæ poſſent alias videri parum conſentanea, quum abſtinere ab idolothytis jubet propter alterius conſcientiam. Interea ſedulo cavet, ne hominum legibus pias animas obſtringat. Nos ergo hodie nihil à Paulo diverſum tentamus. Cæterum nimis craſſa illudunt Papiſtæ, leges ſuas cum Apoſtolorum decretis comparando. Nullum finxerant Apoſtoli novum Dei cultum, nullum novum ſpirituale regimen erexerant: ſed pacis ſtudio hortati fuerant Gentes, ut Judæis aliquid concederent. ut leges ſuas iſto prætextu excuſet Papa, prius totas mutari neceſſe erit. Nos vero, quum ſpiritualem Dei cultum ſtatuant Papiſtæ in humanis commentis, & jus unius Dei ad homines transferant qui dominentur in animas: fortiter repugnare cogimur, niſi perfido ſilentio prodere velimus partam Chriſti ſanguine gratiam. Jam quid cum tribus decretis, ad ſublevandos infirmos poſitis, ſimile habet immenſa legum congeries: quæ non tantum miſeras animas obruit ſua mole, ſed fidem quoque abſorbet? Nota eſt Auguſtini querimonia ad Januarium: quod jam

tunc nimio traditionum onere perperam gravata eſſet Eccleſia. An illi, obſecro, tolerabilis eſſet hodierna ſervitus, quæ fere centuplo durior eſt?

5. *Eccleſiæ confirmabantur.*] Hinc colligimus fuiſſe veluti parergon & acceſſorium, ut vocant, quod de Apoſtolorum placitis attigit Lucas. nam longe alium Paulinæ doctrinæ profectum & fructum commendat, quum Eccleſias dicit confirmatas fuiſſe fide. Sic ergo res externas compoſuit Paulus, ut præcipue in regnum Dei, quod Euangelii doctrina conſtat, & externo ordine altius eſt ac præſtantius, intentus foret. Ergo de placitis illis facta eſt mentio, quatenus ad concordiam intererat: ut ſciremus ſancto viro eam fuiſſe curæ. ſed ſuperiore gradu locatur religio & pietas, cujus unicum fundamentum eſt fides: quæ rurſus ipſa in puram Dei verbum recumbit, nec pendet ab hominum legibus. Jam hoc exemplo nos incitat Lucas ad continuos fidei progreſſus: ne inter principia torpor, aut proficiendi neglectus obrepat. Exprimitur etiam augendæ fidei ratio, quum nos ſcilicet Dominus ſervorum ſuorum opera ſollicitat: ſicuti tunc Pauli & ejus comitum opera uſus eſt. Quum mox ſubjicit, numero quoque auctas eſſe: alterum quidem prædicationis fructum commendat: ſimul tamen innuit, quatenus fide proficiunt qui primi ſunt vocati, plures ad Chriſtum adducere: acſi propagine fides latius ad alios ſerperet.

6. Quum autem peragraſſent Phrygiam & Galaticam regionem, vetiti à Spiritu ſancto loqui ſermonem in Aſia,

7. Profecti in Myſiam tentabant ire in Bithyniam: & non permiſit eos Spiritus.

8. Quum autem pertranſiſſent Myſiam, deſcenderunt Troadem.

9. Et viſio per noctem conſpecta eſt Paulo, Vir Macedo quidam erat ſtans & deprecans eum, ac dicens, Profectus in Macedoniam ſuccurre nobis.

10. Ut autem viſionem vidit, ſtatim quæſivimus ire in Macedoniam, certo confirmati quod nos vocaſſet Dominus ad euangelizandum ipſis.

6. *Quum peragraſſent Phrygiam.*] Hic recitat Lucas, quam ſedulo & graviter incubuerit Paulus cum ſuis comitibus in officium docendi. dicit enim per varias regiones Aſiæ minoris iter feciſſe, ſpargendi Euangelii cauſa. Sed rem unam in primis memoratu dignam refert, quod vetiti fuerint à Spiritu Dei in quibuſdam locis verbum de Chriſto facere. quod ad ornandum Pauli Apoſtolatum non parum valet: ſicut proculdubio ipſe ad pergendum non vulgariter animatus fuit, quum Spiritum Dei ſibi vitæ & actionum ducem eſſe agnoſceret. Quod autem ſine diſcrimine, quocunque ventum erat, ſe ad docendum parabant, id faciebant pro ſua vocatione, & ex Dei mandato. nam ſine exceptione ad promulgandum inter Gentes Euangelium miſſi erant. ſed Dominus conſilium ſuum in gubernando eorum curſu, quod prius occultum erat, in ipſis temporum articulis patefecit. Quæritur tamen, Si nuſquam docuit Paulus niſi manuducente Spiritu, qualis hodie erit Eccleſiæ miniſtris vocationis ſuæ certitudo, qui nullis oraculis redduntur certiores quando loquendum ſit vel tacendum? Reſpondeo, Quum tam late pateret provincia Pauli, opus illi fuiſſe ſingulari directione Spiritus. Non unius loci vel paucarum urbium creatus erat Apoſtolus. ſed mandatum acceperat promulgandi per Aſiam & Europam Euangelii: quod erat in mari vaſtiſſimo navigare. Quare non eſt quod miremur in illa confuſa amplitudine Deum quaſi porrecta manu ſignum illi dediſſe, quorſum tendere eum, vel quouſque progredi vellet. Sed altera hic naſcitur magis difficilis quæſtio, Cur Dominus in Aſia vetuerit Paulum loqui, & in Bithyniam venire paſſus non ſit. Nam ſi reſponſum fuerit indignas fuiſſe gentes iſtas ſalutis doctrina: rurſum excipere licebit, Cur Macedonia dignior? Qui nimium ſapere appetunt, cauſas hujus diſcriminis aſſignant in hominibus: quod Dominus quoſque dignetur ſuo Euangelio, ut ad fidei obſequium propenſos videt. ſed ipſe longe aliter pronunciat: nempe ſe palam apparuiſſe his à quibus non fuit quæſitus, & his loquutum eſſe qui de eo non interrogabant. Unde enim docilitas & obſequendi animus, niſi ex ejus Spiritu? certum igitur eſt alios aliis ſuo merito non præferri, quum natura peræque omnes à fide averſi ſint. ideo nihil melius quam liberam Deo poteſtatem relinquere, ut gratia ſua dignetur aut privet quos viſum eſt. Et certe ut gratuita eſt æterna ejus electio, ſic gratuita vocatio cenſenda eſt, quæ illinc fluit: ac minime in hominibus fundata eſt, quando nihil cuiquam debet. Quare ſciamus ex uno meræ gratiæ fonte prodire nobis Euangelium. Neque tamen Deo ipſi juſta ratio deeſt, cur certis quibuſdam offerat ſuum Euangelium, alios autem prætereat. ſed rationem illam dico in arcano ejus conſilio latere. Interim ſciant fideles, aliis poſthabitis gratis ſe fuiſſe vocatos: ne quod unius Dei miſericordiæ eſt, ad ſe trahant. In reliquis autem quos, nulla manifeſta cauſa Deus rejicit, profundum judicii ejus abyſſum, quam inquirere fas non eſt, mirari diſcant. Cæterum, Aſiæ nomen hic pro ea parte capitur, quæ ſic proprie dicta eſt. Quum dicit Lucas tentaſſe Paulum & ejus comites in Bithyniam venire, donec prohibiti ſunt à Spiritu: oſtendit non fuiſſe oraculis directos niſi quum neceſſe foret, ut in rebus dubiis & perplexis Dominus ſuis adeſſe ſolet.

9. *Viſio per noctem.*] Noluit Dominus Paulum in Aſia diutius morari: quia eum in Macedoniam trahere volebat. Trahendi autem modus exprimitur à Luca, quod illi vir Macedo nocte apparuerit. ubi notandum eſt non eundem ſemper revelationis modum fuiſſe à Domino ſervatum: quia diverſæ ſpecies ad confirmationem melius conveniunt. Non dicitur autem hæc viſio oblata fuiſſe per ſomnium: ſed tantum nocte. ſunt enim nocturnæ quædam viſiones, quæ tamen vigilantibus occurrunt.

Succurre nobis.] Hæc loquutio commendat miniſterium quod Paulo injunctum erat. nam quum Euangelium ſit potentia Dei in ſalutem, dicuntur ejus miniſtri auxilium pereuntibus ferre: ut à morte ereptos, in vitæ æternæ hæreditatem adducant. Atque hic non levis ſtimulus eſſe debet piis doctoribus ad incitandum ſtudii ardorem: dum ſe miſeras animas revocare audiunt ab interitu, & opem ferre alias perditis, ut ſalvi fiant. Rurſum docentur populi omnes ad quos Euangelium perfertur, ejus miniſtros non ſecus ac liberatores reverenter amplecti: niſi Dei gratiam maligne reſpuere velint. neque tamen ſic ad homines transfertur hoc elogium, ut vel minima laudis ſuæ parte ſpolietur Deus: quia etſi per miniſtros ſalutem confert, unus tamen ejus auctor eſt, acſi manus ſuas extenderet ad auxilium ferendum. Rom. 1. verſ. 16.

10. *Certo confirmati.*] Hinc colligimus non fuiſſe nudam viſionem, ſed confirmatam Spiritus teſtimonio. Spectris enim & viſionibus ſæpe ad ſuas præſtigias abutitur Satan, ut incredulis illudat. Ita fit ut nuda viſio ſuſpenſam relinquat hominis mentem. ſed quæ vere divinæ ſunt, eas Spiritus certa nota

obſignat:

obſignat: ne vacillent vel hæſitent, quos Dominus vult habere certo ſibi addictos. Bruto apparuit cacodæmon, eum ad infelix illud prælium invitans, quod Philippis tranſegit: eodem ſcilicet in loco, ad quem poſtea vucatus fuit Paulus. verum ut longe diſſimilis fuit cauſa: ita prorſus aliter Dominus cum ſervo ſuo egit, ut illi ſcrupulum omnem eximeret, non autem relinqueret pavore attonitum. Jam in Paulo & comitibus certitudinem mox ſequutum eſt parendi ſtudium. nam ſimulac tenent acciri ſe à Domino, ad profectionem ſe accingunt. Participii, quod hic ponitur, activa eſt terminatio. quum autem multa ſignificet, non dubito quin Lucas hoc loco intelligat Paulum & reliquos, quum hanc viſionem adjungerent ſuperioribus oraculis, certo perſuaſos eſſe, divioitus io Macedoniam ſe vocari.

11. Quum ergo ſolviſſemus à Troade, recto curſu venimus in Samothraciam, & poſtero die Neapolim:

12. Et inde Philippos, quæ prima eſt partis Macedoniæ civitas, colonia. Eramus autem in eadem urbe diebus aliquot commorantes:

13. Et die Sabbathorum egreſſi ſumus ex urbe juxta flumen, ubi ſolebat eſſe precatio: & ſedentes loquebamur mulieribus quæ convenerant.

14. Quædam autem mulier nomine Lydia, purpurarum venditrix, civitatis Thyatirorum, colens Deum, audivit: cujus Dominus aperuit cor, ut intenderet his quæ dicebantur à Paulo.

15. Quum autem baptizata eſſet & domus ejus, deprecata eſt, dicens, Si judicaſtis me fidelem Domino eſſe, introite in domum meam & manete. Et adegit nos.

11. Hæc hiſtoria quaſi in ſpeculo demonſtrat, quam acriter fidem & patientiam ſuorum Dominus exercuerit, arduas difficultates objiciens, quibus ſuperandis non niſi ſingularis conſtantia par fuiſſet. Talis enim refertur Pauli ingreſſus in Macedoniam, qui viſioni fidem abrogare potuerit. Sancti homines relicto quod habebant in manibus opere, celeriter mare trajiciunt, acſi tota gens Macedonum opis petendæ cauſa cupide obviam ventura eſſet. nunc adeo non reſpondet ſpei ſucceſſus, ut omnes fere loquendi aditus præcluſi ſint. Primum urbem ingreſſi, neminem illic reperiunt cui operam ſuam impendaot. coguntur ergo in agrum exire, ut in receſſu & ſolitudine loquaotur. ne illic quoque virum unum nanciſci poſſunt, qui aurem præbeat ipſorum doctrinæ. unam tantum mulierem acquirunt diſcipulam Chriſto: eam & quidem alienigenam. Quis non dixiſſet profectionem illam ſtulte & malis auſpiciis ſuſceptam, quæ tam infeliciter cedebat? Sed ita Dominus ſub humili infirmaque ſpecie opera ſua peragit: quo illuſtrior tandem ipſius potentia eniteat. præſertim exordia Regni Chriſti ſic componi oportuit, ut crucis humilitatem ſaperent. Obſervanda autem eſt Pauli & comitum ejus conſtantia, qui tam adverſis initiis non perculſi, tentant oibilominus, ſi qua ſe præter ſpem vel minima occaſio offerat. Et certe contra quævis obſtacula luctari oportet ſervos Chriſti, nec cedere difficultatibus, quin pergant in craſtinum, ſi hodie nullus laboris fructus apparet. non enim eſt cur feliciores Paulo eſſe poſtulent. Quum dicit Lucas in ea urbe fuiſſe commoratos, quibuſdam magis placet, quod contulerint vel diſputaverint. ſed altera verſio ſimplicior eſt, & contextus eo nos ducit: quia paulo poſt oſtendet Lucas, Lydiam fuiſſe primitias Eccleſiæ. & conjicere promptum eſt, Apoſtolos egreſſos eſſe, quod oulla io urbe janua illis aperta erat.

13. *Die Sabbathorum.*] Non dubium eſt quin ſeceſſum quæſierint Judæi, quum precari vellent: quia tunc paſſim eorum religio io ſummo odio eſſet. Deus autem eorum exemplo docere nos voluit, quanti nobis eſſe debeat fidei profeſſio: ne ſcilicet eam invidiæ aut periculi metu deſeramus. Habebant quidem multis in locis Synagogas: ſed Philippis, quæ colonia Romana erat, publicos agere conventus non licuit. Ergo in ſecretum angulum confugiunt, ut procul arbitris Deum precentur. neque hoc tamen ipſum invidia carebat, quæ moleſtiam illis & diſcrimen poterat creare: ſed Dei cultum otio ſuo & commodo præferunt. Porro Lucam de Judæis loqui, ex Sabbathi nomine colligitur. deinde, quum Lydiæ pietatem commendet, Judæam oportet fuiſſe. Nec vero longa diſputatione opus eſt, quum ſciamus capitale fuiſſe Græcis & Romanis, Sabbathum celebrare, vel ſuſcipere ritus Judaicos. Jam tenemus non ſuperſtitionis cauſa delectam fuiſſe fluminis ripam à Judæis, in qua precarentur: ſed frequentiam hominum, & populi oculos fugiſſe. Si objiciat quiſpiam, cur non domi ſuæ privatim quiſque orabat: reſponſio in promptu eſt, Solennem hunc fuiſſe precandi ritum teſtandæ pietatis cauſa: atque ut à Gentium ſuperſtitionibus remoti, mutuo ſe hortarentur ad unius Dei cultum, & acceptam à patribus religionem inter ſe foverent. Quantum ad Paulum & ejus comites ſpectat, qui novi hoſpites erant: non tam precandi cauſa veniſſe illuc credibile eſt, quam quod profectum aliquem ſperabant. erat enim opportunus docendi locus procul à ſtrepitu: & attentiores ad Dei verbum eſſe decebat, qui precandi cauſa illuc convenerant. Diem Sabbathorum pro Sabbatho poſuit Lucas. ubi Eraſmum ſequutus tranſtuli, Solebat eſſe precatio: vetus Interpres habet, Videbatur. Et verbum νομίζεσθαι Græcis utrumque ſignificat. ſenſus tamen præſenti loco aptior eſt, ex more habitam illic fuiſſe precationem.

Loquebamur mulieribus.] Vel ad cœtus tantum muliebres deſtinatus erat locus ille: vel apud viros frigebat religio, ut ſaltem tardius adeſſent. Utcunque res habeat, videmus ſanctos homines nullam occaſionem negligere: quia non gravantur ſolis mulieribus offerre Euangelium. Porro quum mihi veriſimile ſit, viris & mulieribus communes illic fuiſſe preces, viros à Luca prætermiſſos fuiſſe arbitror, quia vel audire gravati ſunt, vel nihil profecerint audiendo.

14. *Mulier nomine Lydia.*] Si à paucis mulieribus auditi eſſent, hoc tamen erat quaſi per anguſtam rimam penetrare. nunc vero dum una tantum cum attentione & profectu audit, annon videri potuit obſtructus eſſe Chriſto ingreſſus? Atqui poſtea ex illo tenui ſurculo prodiit nobilis Eccleſia, quam Paulus præclaris encomiis celebrat. fieri tamen poteſt, ut quaſdam habuerit ſocias Lydia, quarum nulla ſit mentio, quod ipſa longe præcelleret. Quod autem una hæc mulier ſe docilem præbuit, Lucas cauſam non aſſignat quod acutiori fuerit ingenio quam aliæ, vel aliquam à ſeipſa præparationem habuerit: ſed dicit cor ejus apertum fuiſſe à Domino, ut Pauli ſermoni intenderet. Laudaverat nuper ejus pietatem: & tamen non potuiſſe comprehendere Euangelii doctrinam oſtendit, niſi illuminatione Spiritus. quare videmus non fidem modo, ſed omnem intelligentiam ſpiritualium rerum peculiare eſſe donum Dei, nec quicquam proficere miniſtros

loquendo, niſi interior Dei vocatio ſimul accedat. Cordis nomine interdum Scriptura mentem intelligit: ſicuti quum Moſes dicit, Non dedit tibi Dominus hactenus cor ad intelligendum. ita & hoc loco non modo ſignificat Lucas inſtinctu Spiritus adductam fuiſſe Lydiam, ut cordis affectu amplecteretur Euangelium; ſed illuſtratam fuiſſe ejus mentem, ut intelligeret. Hinc diſcamus eum eſſe ſtuporem, eamque cæcitatem hominum, ut audiendo non audiant, videndo non videant, donec novas aures & novos oculos illis Deus formet. Cæterum notanda eſt loquutio, Apertum fuiſſe cor Lydiæ, ut voci externæ doctoris intenderet. nam ut ſola prædicatio nihil aliud eſt quam mortua litera: ita viciſſim cavendum eſt ne falſa imaginatio, aut ſpecies arcanæ illuminationis à verbo nos abducat, unde fides pendet, & in quo recumbit. Multi enim ut gratiam Spiritus amplificent, ἐνθουσιασμοὺς neſcio quos ſibi fingunt, ut nullus ſuperſit externi verbi uſus. atqui tale divortium fieri non patitur Scriptura, quæ hominum miniſterium cum arcano Spiritus afflatu conjungit. Niſi aperta fuiſſet mens Lydiæ, literalis futura erat Pauli prædicatio: Deus tamen non illi nudas tantum revelationes inſpirat, ſed reverentiam verbi ſui: ut vox hominis, quæ alioqui in aerem evanuiſſet, in mentem cæleſti luce donatam penetret. Faceſſant ergo fanatici homines, qui prætextu Spiritus externam doctrinam reſpuunt. tenendum eſt enim temperamentum quod hic ſtatuit Lucas, nihil nos ex ſolo verbi auditu conſequi abſque Spiritus gratia: & Spiritum nobis conferri, non qui verbi contemptum pariat, ſed potius qui ejus fidem mentibus noſtris inſtillet, ac cordibus inſcribat. Jam ſi cauſa quæritur cur unius tantum mulieris cor aperuerit Deus, ad illud principium redire neceſſe eſt, Credere quotquot præordinati ſunt ad vitam. nam timor Dei qui apertam & explicitam Chriſti notitiam præceſſerat in Lydia, ipſe quoque gratuitæ electionis fructus fuit. Thyatira Geographi urbem Lydiæ eſſe tradunt, ſitam in ripa Hermi fluminis: & illi quondam nomen fuiſſe Pelopiæ. ſunt tamen qui Phrygiæ attribuant, alii Myſiæ.

15. *Quum eſſet baptizata.*] Hinc apparet, quam efficaciter brevi temporis momento Deus operatus ſit in Lydia. Neque enim dubium eſt, quin vere amplexa fuerit Chriſti fidem, eique nomen dederit, antequam Paulus ipſam ad Baptiſmum admitteret. meræ hoc promptitudinis ſpecimen. ſanctus etiam zelus & pietas in eo ſe proferunt, quod ſuam familiam ſimul Domino conſecrat. Et certe commune hoc piis omnibus ſtudium eſſe debet, ut ejuſdem fidei ſocios habeant, quibus præſunt. nam indignus eſt qui cenſeatur inter Dei filios, & aliis cum imperio præſit, quiſquis regnare domi ſuæ volens in uxorem, liberos, ſervos & ancillas, Chriſto nullum dare locum curabit. Sic ergo domum ſuam inſtituere quiſque fidelium ſtudeat, ut ſit Eccleſiæ imago. Non habuit, fateor, Lydia in manu ſuorum omnium corda, ut quoſcunque vellet ſuo arbitrio converteret ad Chriſtum: ſed Dominus pio ejus ſtudio benedixit, ut morigeros haberet domeſticos. In hoc quidem, ſicuti jam diximus, incumbere decet pios omnes, ut arceant à ſuis domibus omne ſuperſtitionum genus. deinde, ne profanas habeant familias: ſed eas contineant ſub timore Domini. Sic Abraham fidelium pater, ſecum omnes ſervos circumcidere juſſus eſt. & laudatur à cura inſtituendæ domus ſuæ. Porro ſi officium hoc à patrefamilias exigitur, multo magis à Principe, ne ſinat, quantum in ſe eſt, Dei nomen in ditione ſua profanari.

Deprecata eſt, dicens.] Vim adjurationis habet quod dicit, Si me judicaſtis fidelem. acſi diceret, Ego per fidem quæ Baptiſmi ſigillo à vobis approbata eſt, vos obteſtor, ne hoſpitium repudietis. Cæterum, teſtata quidem eſt Lydia tam ardenti voto, quam ſerio & cupide Euangelium amaret. Interea non dubium eſt, quin talem illi affectum Dominus indiderit, quo magis animaretur Paulus ad pergendum: non tam quia liberaliter & benigne excipi ſe videret, quam quod inde judicium facere licebat de profectu doctrinæ. Fuit ergo iſta non mulieris ſolum, ſed Dei invitatio ad Paulum ejuſque comites retinendos. quo etiam pertinet quod ſequitur, Coactos fuiſſe à Lydia: quaſi Deus in mulieris perſona manum illis injiceret.

16. Accidit autem, euntibus nobis ad precationem, ut puella quædam habens ſpiritum Pythonis occurreret nobis, quæ quæſtum magnum præſtabat dominis ſuis divinando.

17. Hæc ſubſequuta Paulum ac nos, clamabat, dicens, Iſti homines ſervi Dei excelſiſſimi ſunt, qui annunciant vobis viam ſalutis.

18. Hoc autem faciebat multis diebus. Paulus autem ægre ferens, & converſus ſpiritui dixit, Præcipio tibi in nomine Jeſu Chriſti, ut exeas ab ea. Et exiit eadem hora.

19. Videntes autem domini ejus, quod abiiſſet ſpes quæſtus ſui, apprehenſum Paulum & Silam traxerunt in forum ad principes.

20. Et offerentes eos magiſtratibus, dixerunt, Hi homines conturbant urbem noſtram, *Rom. 1. verſ. 21.*
quum ſint Judæi:

21. Et annunciant inſtituta, quæ non licet nobis ſuſcipere, neque ſervare, quum Romani ſimus.

22. Et concurrit turba adverſus eos: ac magiſtratus ſciſſis veſtibus eorum, juſſerunt virgis cædi.

16. Proſequitur Lucas Eccleſiæ incrementa. Etſi enim non ſtatim verbo id exprimat, facile tamen colligitur ex contextu, adductos fuiſſe complures ad fidem, vel ſaltem auctam aliquo numero fuiſſe Eccleſiam. nec vero fruſtra cœtus frequentabat Paulus precationis tempore. Simul tamen refert Lucas abruptum fuiſſe hunc curſum à Satana. nempe quia Apoſtoli poſtquam virgis cæſi fuerant & in carcerem conjecti, urbe tandem coacti fuerint migrare. Quicquid tamen machinatus fuerit Satan, videbimus in fine capitis collectum fuiſſe aliquod Eccleſiæ corpus antequam diſcederent.

Habens ſpiritum Pythonis.] Fabulati ſunt Poetæ ſerpentem, cui Pythonis nomen erat, confectum fuiſſe Phœbi ſagittis. Ex hoc figmento natum eſt aliud, ut arreptitios Pythonis ſpiritu afflari dicerent. forte etiam in honorem Apollinis ſic vocatæ ſunt Phœbades. & Lucas receptum loquendi morem ſequitur: quia vulgi errorem tradit, non autem quo inſtinctu divinaverit puella. Certum enim eſt, ſub larva Apollinis diabolum lusiſſe: ut idololatriæ omnes & fallaciæ in ejus officina fabricatæ ſunt. Atqui mirari poſſet quiſpiam, diabolum, cujus impulſu puella clamabat, tam honorifici præconii fuiſſe auctorem, quo Paulum & Silam & alios ornabat. nam quum ſit mendacii pater, quomodo ab eo prodire

dire potuit veritas? deinde qui factum eſt ut ſponte locum daret Chriſti ſervis, à quibus regnum ejus deſtruebatur? quomodo conſentaneum eſt plebis animos ad audiendum Euangelium præparaſſe, cujus tam infeſtus eſt hoſtis? Nihil certe illi magis proprium eſt, quam avertere mundum à Dei verbo, cui nunc audientiam conciliat. unde tam ſubita mutatio vel inſolitus motus? Verum diabolus ſic mendacii pater eſt, ut fallaci veritatis prætextu ſeipſum tegat. Egit igitur callido artificio aliam perſonam quam ferret ejus natura, ut occulte penetrando magis noceret. ac proinde quod mendacii pater vocatur, non ita accipere convenit, quaſi ſemper aperte & ſine fuco mentiatur: quin potius ab ejus obliquis inſidiis cavendum eſt, ne veri colorem obtendens, inani ſpecie nos decipiat. Videmus etiam ut quotidie ſimili artificio utatur. quid enim magis ſpecioſum Papæ titulis, quibus ſe non adverſarium Chriſti, ſed vicarium jactat? quid ſolenni iſta præfatione magis plauſibile, In nomine Domini, Amen? Scimus tamen veritatem, dum ita obtenditur à falſariis Satanæ miniſtris eſſe corruptam, ac mortifera tabe infectam. Duplex quum ſit Satanæ ratio oppugnandi Euangelii: nempe quod aliquando via aperta graſſatur, interdum vero mendaciis ſe inſinuat: duas quoque habet mentiendi ſpecies: vel dum falſis doctrinis & craſſis ſuperſtitionibus verbum Dei evertit: vel dum ſe amicum verbi aſtute ſimulans, quaſi per cuniculos obrepit. imo nunquam eſt nocentior hoſtis, quam dum ſe transformat in Angelum lucis. Jam tenemus quorſum ſpectaret tam ſplendidum elogium, quo Paulum & ejus comites extulit: nempe quia non tam commodum illi erat, bellum ex profeſſo gerere cum Euangelio, occultis artibus tentavit labefactare ejus fidem. Nam ſi admiſſum fuiſſet à Paulo illud teſtimonium, nullum amplius diſcrimen inter ſalvificam Chriſti doctrinam, & Satanæ ludibria fuiſſet. implicitus mendacii tenebris fuiſſet Euangelii fulgor, atque ita extinctus. Sed quæritur, cur tantum licentiæ Deus Satanæ permittat, ut veris quoque divinationibus deludat ac faſcinet miſeros homines. nam omiſſis quas de ejus perſpicacia nonnulli agitant argutis diſputationibus, hoc pro confeſſo ſumo, non niſi Dei permiſſu vaticinia de rebus occultis vel futuris proferre. Videtur autem hoc modo Deus homines male providos exponere ad ejus fallacias, ut ſibi cavere nequeant. nam quum divinam virtutem ſpirent vaticinia, neceſſe eſt quoties in medium prodeunt, reverentia tangi hominum animos, niſi Deum contemnant. Reſpondeo, nunquam Satanæ tantum divinitus permitti, niſi ut pœna de ingrato mundo ſumatur: qui tam cupide mendacium appetit, ut ſponte malit decipi, quam veritati obedire. Eſt enim univerſale illud malum, de quo conqueritur Paulus primo ad Romanos capite, *Rom. 1. verſ. 21.* Quod homines Deum naturaliter ex mundi opificio cognitum non glorificent, ac veritatem ejus injuſte ſupprimant. tantæ ingratitudinis juſta eſt merces, quod Satanæ frenum laxatur, ut variis præſtigiis eos in ruinam præcipitet qui maligne ſe à Dei luce avertunt. Quoties ergo Satanæ divinationes legis, cogita juſtam Dei vindictam. Jam ſi tam ſevere ulciſcitur Deus lucis ſuæ contemptum in Gentibus profanis, quæ non alio quam cæli & terræ magiſterio edoctæ ſunt: quanto atrociorem merentur pœnam, qui patefactam ſibi in Lege & Euangelio puram ſalutis doctrinam, ſcientes ac volentes ſuffocant? quare nihil mirum, ſi tam licentioſe Satan ſuis fallaciis per tot ſecula mundum dementaverit, ex quo impie contempta fuit Euangelii veritas, quæ perſpicue innotuerat. Sed objicitur rurſum, nullos eximi periculo, quum falſæ divinationes ita volitant. neque enim boni minus quam mali, dum obtenebrata eſt veritas, obnoxii eſſe videntur Satanæ decipulis. Reſponſio facilis eſt, Etiamſi promiſcue omnibus laqueos tendat Satan, pios tamen ſervari Dei gratia, ne irretiantur una cum aliis. Clarior etiam diſtinctio in Scriptura traditur, quod Dominus hoc modo probat ſuorum fidem & pietatem: reprobos autem excæcat, ut pereant, quemadmodum digni ſunt. Ideo Paulus diſerte exprimit, non dari Satanæ efficaciam erroris, niſi in eos qui Deo obſequi, & veritatem amplecti recuſant, 2. ad Theſſalon. 2. *2 Theſſ. 2. v. 11, 12.* Quo etiam ſatis coarguitur ſcelerata eorum impietas, qui profanum omnis doctrinæ contemptum hoc prætextu excuſant: Quo nos vertemus, inquiunt, quum tot ac tam variis artibus ad fallendum polleat Satan? præſtat igitur omni religione ſolutos vivere, quam exitium nobis accerſere religionis ſtudio. Nec vero hunc metum ſerio cauſantur. ſed quum nihil magis cupiant, quam ſine ullo Dei metu ſecure pecudum more vagari: quodvis illis effugium placet, modo ne qua eos religio obſtrictos teneat. Equidem fateor, Satanam innumeris modis ſacro Dei nomine non minus callide quam improbe abuti, nimiſque verum eſſe proverbium illud quod peperit nobis Papatus, In nomine Domini incipit omne malum: ſed quum Dominus pronunciet ſe doctorem eſſe humilium, & pollicitus ſit propinquum ſe fore rectis corde: quum Paulus doceat verbum Dei eſſe gladium Spiritus: quum teſtetur eos qui probe fundati ſunt in fide Euangelii, non eſſe amplius obnoxios hominum impoſturis: quum Petrus Scripturam vocet lucernam ardentem in loco caliginoſo: quum nos minime fruſtrari queat benigna iſta Chriſti invitatio, Quærite, invenietis: pulſate, aperietur vobis: quicquid molitur Satan, & quaſcunque tenebras offundere conentur pſeudoprophetæ, timendum non eſt ne Spiritu prudentiæ & diſcretionis nos deſerat, qui Satanam ſuo arbitrio compeſcit, & nos per verbi ſui fidem de illo facit triumphare.

18. *Paulus ægre ferens.*] Fieri poteſt ut initio Paulus neglexerit puellæ clamorem: quia ſperabat pro nihilo habitum iri, & maluiſſet ſponte evaneſcere. ſed continua repetitio tædium illi demum affert: quia amplius diſſimulare non poterat, quin ejus ſilentio & patientia magis inſoleſceret Satan. deinde non temere in hanc prohibitionem erumpere debuit, donec certo ſciret Dei virtute ſe eſſe inſtructum: nam ſine Dei imperio futilis & irrita Pauli imprecatio fuiſſet. Atque id notandum eſt, ne quis Paulum nimiæ feſtinationis damnare audeat, quod tam fervide congreſſus eſt cum immundo ſpiritu. neque enim moleſtiam ac indignationem concepit, niſi quia videbat Satanæ aſtum invaleſcere, niſi mature occurreret: nec quicquam tentavit, niſi Spiritus impulſu: nec manum conſeruit, niſi cæleſti virtute armatam. Videtur tamen ſibi non conſtare, quum alibi prædicet ſe lætari quacunque tandem occaſione promoveri Euangelium videat, etiam per improbos homines, *Phil. 1. verſ. 18.* & qui data opera ſtudebant ipſum reddere exoſum. Reſpondeo, hic diverſam fuiſſe rationem: quia putaſſent omnes colludere puellæ dæmonium cum Paulo. ita non modo ſuſpecta fuiſſet Euangelii doctrina, ſed recidiſſet in merum ludibrium. In hunc finem etiam Chriſtus juſſit dæmonium obmuteſcere, *Marc. 1. verſ. 25. Luc. 4: 35.* quum tamen paſſus interdum fuerit numen ſuum per homines indignos celebrari.

Præcipio tibi in nomine.] Notanda eſt loquendi forma. nam ſicuti futurus erat duplex miraculi uſus: nempe ut innoteſceret virtus Chriſti: deinde ut teſtatum fieret nihil ei commune eſſe cum Satanæ præſtigiis: ita Paulus imperium & poteſtatem ſoli Chriſto deferens, non niſi miniſtrum ſe eſſe declarat. deinde palam opponit Chriſtum dæmonio, ut ex conflictu omnes agnoſcant hoſtile eſſe inter ipſos diſſidium. nam expergefieri multos utile fuit, qui dediti fuerant tam craſſæ impoſturæ, ut bene purgati ad ſanam fidem concederent.

19. *Videntes autem.*] Idem diabolus, qui nuper ſuis ille-

Digitized by Google

illecebris blande Paulum captabat per os puellæ, nunc in rabiem ejus dominos concitat, ut eum ad mortem rapiant. ita ſcilicet nova perſona indutus tragœdiam agit: quia prior luſus ſucceſſu caruerat. Etſi autem fervor zeli quo excanduerat Paulus perſequutionis turbinem movit, non tamen propterea vitio vertendus eſt: nec vero miraculi pœnituit ipſum Paulum, ut infectum eſſe cuperet quod factum erat, quia ſibi probe conſcius erat quo impulſu diabolum expuliſſet à puella. Quo docemur non temere damnanda eſſe recte facta, & ſi quid ex Dei mandato ſuſceptum eſt, quamvis eventus infelix ſequatur: quia tunc Deus ſuorum conſtantiam examinat, donec lætior finis & magis proſper omnem triſtitiam diſcutiat. Quantum ad homines ſpectat, cauſam exprimit Lucas cur ita in Paulum inſanierint: nempe quia ſpes turpis lucri evanuerat. Cæterum, quamvis ſola avaritia perciti, Euangelium ejuſque miniſtros oderint: obtendunt tamen pulchrum colorem, quod illis doleat convelli publicum ſtatum, violari leges receptas, & pacem turbari. Ita quamvis improbe & nequiter ſe gerant hoſtes Chriſti, aliquas ſemper peccandi cauſas excogitant. Imo etiamſi clare appareat prava eorum cupiditas, ferrea tamen fronte ſemper aliquid ingerunt ad tegendam ſuam turpitudinem. Ita hodie quicunque ex Papiſtis ſunt acerrimi zelotæ legis ſuæ, nihil tamen in animo habent præter ſuum quæſtum vel dominationem. Dejerent per omnia ſacra licet, pio affectu ſe cogi: res tamen ipſa clamitat, zelum eorum accendi ex frigore culinæ, & ejus flabellum eſſe ambitionem. Nam ſunt vel famelici canes, quos voracitas inſtigat, vel rabidi leones, qui nihil præter ſævitiam ſpirant.

20. *Iſti homines turbant urbem.*] Verſute compoſita fuit hæc criminatio, ad gravandos Chriſti ſervos. nam ab una parte obtendunt Romanum nomen, quo nihil erat magis favorabile. Rurſum ex nomine Judaico, quod tunc infame erat, conflant illis invidiam: nam quantum ad religionem, plus habebant Romani affinitatis cum aliis quibuslibet, quam cum gente Judaica. Homini enim Romano licebat ſacra facere vel in Græcia vel in Aſia, aliiſque regionibus ubicunque vigebant & idola & ſuperſtitiones. ſcilicet ſecum facile conſentiebat Satan, quamvis varias formas indueret. quæ autem ſola erat religio in mundo, Romanis habebatur deteſtabilis. Tertiam calumniam ex crimine ſeditionis concinnant: turbari enim pacem publicam obtendunt à Paulo & ejus co-
Luc 23:5. mitibus. Eodem titulo odioſe traductus fuit Chriſtus: & nunc ad creandum nobis odium, nihil magis plauſibile habent Papiſtæ, quam dum clamitant non alio ſpectare doctrinam noſtram, quam ad turbas miſcendas, ut tandem fœda ſequatur rerum omnium confuſio. Sed hanc falſam infamiam, Chriſti & Pauli exemplo fortiter nos ſpernere decet: donec malitiam hoſtium noſtrorum in lucem producat Dominus, & impudentiam refellat.

21. *Inſtituta, quæ non licet.*] Præjudicio nituntur, ne cauſa veniat in diſputationem: qualiter & Papiſtæ hodie nobiſcum agunt, Hoc in generali Concilio decretum eſt: magis recepta eſt opinio, quam ut fas ſit dubitare: hoc diutinus uſus approbavit: hoc plus quam mille ſeculorum conſenſu ſancitum eſt. Sed quorſum hæc omnia, niſi ut Dei verbo nihil auctoritatis relinquant? Jactantur hominum placita, interim Dei legibus ne extremus quidem locus conceditur. Quatenus valere debeant hæc præjudicia, ex præſenti loco ſtatuere licet. Præclaræ erant leges Romanæ: ſed religio non aliunde quam ex ſolo Dei verbo pendet. ideo in hac cauſa ſemper attente videndum, ut hominibus in ordinem coactis, una prævaleat Dei auctoritas, ſibique quicquid excellit in mundo, ſubjiciat.

22. *Concurrit plebs.*] Quum narrat Lucas factum eſſe populi concurſum ſimulac tumultuati ſunt pauci homines nihili, nempe quæſtuarii præſtigiatores, & quorum ſordes plus ſatis notæ erant: admonet quanta intemperie feratur mundus adverſus Chriſtum. Eſt quidem commune omnibus populis ac fere perpetuum vitium, ſtultitia & levitas: ſed in eo ſe prodit mira vis Satanæ, quod qui modeſti ſunt & ſedati in aliis cauſis, de nihilo repente effervent, ſeque indigniſſimis quibuſque ſocios adjungunt, ubi oppugnanda eſt Dei veritas. Nihilo plus moderationis in ipſis judicibus fuit: ſiquidem reputamus quænam fuerint illorum partes. Debebant enim ſua gravitate compeſcere populi furorem, & violentiæ acriter ſe opponere. debebant ſuo præſidio tegere innoxios. atqui eos tumultuoſe arripiunt, & laceratis veſtibus indicta cauſa nudos virgis cædi jubent. Deploranda ſane hominum pravitas: qua factum eſt ut omnia fere mundi tribunalia, quæ juſtitiæ ſacraria eſſe debebant, impia & ſacrilega Euangelii oppugnatione polluta fuerint. Quæritur tamen quorſum fuerint in carcerem conjecti, quum jam de illis ſumpta eſſet pœna: carcer enim cuſtodiæ cauſa inſtitutus eſt. Nempe hoc genere correctionis uſi fuerunt, donec amplius cognoſcerent. atque ita videmus inhumanius tractari ſervos Chriſti quam adulteros, latrones, & alios quoſvis ſceleratos. Unde clarius perſpicitur vis illa Satanæ in concitandis hominum animis, ut nullam judicii ſpeciem colant in perſequendo Euangelio. Etſi autem durior eſt piorum conditio in tuenda Chriſti veritate, quam impiorum in ſuis ſceleribus: præclare tamen cum illis agitur, quod in omnibus quas perferunt injuriis, glorioſe coram Deo & Angelis triumphant. Suſtinent probra & ignomi-
nias: ſed quia noverunt Chriſti ſtigmata plus habere *Phil. 4: 6.*
pretii & dignitatis in cœlo, quam vanas & fumoſas terræ pompas; quo magis improbe & contumelioſe eos vexat mundus, eo uberior illis ſuppetit gloriandi materia. Nam ſi Themiſtocli tantum honoris habitum eſt à profanis ſcriptoribus, ut prætulerint ejus carcerem judicum tribunali & curiæ: quanto magis honorifice ſentire nos decet de Filio Dei, cujus cauſa
agitur quoties Euangelii cauſa perſequutionem ſuſ- *ſupra 5. verſ. 41*
tinent fideles? Tametſi ergo plagas Dominus infligi Paulo & Silæ ab iniquis judicibus paſſus eſt: non tamen dedecus illis inuri permiſit, quod non cederet in majorem gloriam. nam quum reliquiæ ſint paſſionum Chriſti quæcunque pro Euangelii teſtimonio ferendæ nobis ſunt perſequutiones: quemadmodum Princeps noſter crucem, quæ maledicta erat, convertit in currum triumphalem; ſic etiam carceres & patibula ſuorum ornabit, ut illic de Satana & impiis omnibus triumphent.

Laceratis veſtibus.] Quia recte tranſtulerat vetus Interpres, male Eraſmus mutavit, quod ſuas veſtes lacerarint magiſtratus. Hoc enim tantum voluit Lucas, tumultuoſe cæſos fuiſſe ſanctos homines, neglecto judicii legitimo ordine: ac manus tanto impetu injectas eſſe, ut lacerarentur veſtes. Hoc autem nimis alienum fuiſſet à more Romano, judices publice conſcindere veſtes ſuas in foro: præſertim quum de ignota tantum religione quæſtio eſſet, cujus cura non magnopere eos tangebat. ſed nolo prolixius de re certa litigare.

23. Quumque multas plagas eis inflixiſſent, conjecerunt eos in carcerem, præcipientes cuſtodi carceris ut in tuto cuſtodiret eos.

24. Qui quum tale præceptum accepiſſet, conjecit eos in carcerem interiorem, & pedes eorum ſtrinxit ligno.

25. Media

25. Media autem nocte Paulus & Silas orantes, laudabant Deum. Exaudiebant autem eos qui vincti erant.

26. Subito vero terræ motus factus eſt magnus, ita ut concuterentur fundamenta carceris. Et ſtatim aperta ſunt omnia oſtia, & omnium vincula ſoluta ſunt.

27. Experrectus autem cuſtos carceris, quum videret januas carceris apertas, evaginato gladio ſeipſum erat interfecturus, exiſtimans aufugiſſe vinctos.

28. Clamavit autem Paulus voce magna, dicens, Ne quid feceris tibiipſi mali: univerſi enim hic ſumus.

23. *Ut in tuto cuſtodiret.*] Quod tam ſedulo jubent magiſtratus Paulum & Silam ſervari, factum eſt eo conſilio, ut cognoſcerent amplius de cauſa. motus enim ſedandi cauſa virgis eos ceciderant. Atque hoc eſt quod nuper dixi, tam cæco impetu mundum furere contra Euangelii miniſtros, ut nullum ſeveritatis modom ſervet. Cæterum, ut nobis ad exemplum valde prodeſt cognoſcere quam indignis modis olim excepti fuerint Chriſti teſtes: ita non minus cognitu utile eſt quod ſtatim ſubjicit Lucas de eorum fortitudine & tolerantia. Nam quum vincti erant compedibus, dicit eos orando laudaſſe Deum; unde apparet neque contumeliam qua affecti fuerant, neque plagas quæ urebant ipſorum carnem, neque fœtorem profundi carceris, neque periculum mortis quod inſtabat, obſtitiſſe, quo minus alacriter & lætis animis gratias agerent Domino. Tenenda quidem eſt generalis regula, non poſſe nos rite precari ut decet, quin ſimul Deum laudemus. Nam etſi naſcitur precandi ſtudium ex ſenſu noſtræ inopiæ vel malorum, ideoque cum dolore & anxietate animi fere conjunctum eſt: ſic tamen fideles moderari oportet ſuos affectus, ut Deo non obſtrepant. Sic legitima precandi ratio duos affectus conjungit in ſpeciem contrarios: ſollicitudinem & triſtitiam ex ſenſu neceſſitatis quæ nos premit; & lætitiam ex obedientia qua nos ſubjicimus Deo, & ex ſpe quæ propinquum oſtendens portum in ipſo naufragio nos re-
Phil.4:6. creat. Talem formam nobis præſcribit Paulus 4. ad Philip. capite: Petitiones, inquit, veſtræ cum gratiarum actione innoteſcant apud Deum. Sed in hac hiſtoria notandæ ſunt circumſtantiæ. Quamvis enim acerbus eſſet plagarum dolor, quamvis moleſtus eſſet carcer, quamvis grave eſſet periculum: quando non deſinunt Paulus & Silas Deum laudare, hinc colligimus quam conſtanter animati fuerint ad crucem fe-
ſupra 5. rendam. Sic antea retulit Lucas gaviſos fuiſſe Apo-
verſ. 41. ſtolos, quod digni eſſent habiti, pro nomine Domini contumeliam pati.

25. *Exaudiebant eos.*] Sciendum eſt clara voce precatos eſſe Paulum & Silam, ut fiduciam bonæ conſcientiæ teſtatam aliis facerent qui in eodem carcere incluſi erant. Poterant enim vel tacito cordis gemitu vota pro more concipere, vel ſubmiſſis verbis orare Dominum. Cur igitur vocem extollunt? certe non id faciunt ambitioſe: ſed ut profiteantur ſe cauſæ bonitate fretos, intrepide confugere ad Deum. Ergo in eorum precibus incluſa fuit fidei confeſſio, quæ ad commune exemplum pertinebat: & ad conſiderandum miraculum tam maleficos quam inſularii domum præparavit.

26. *Terræ motus factus eſt.*] In hoc viſibili ſigno edendo, primum voluit Dominus ſervis ſuis conſulere, ut clarius agnoſcerent exauditas fuiſſe ſuas preces: aliorum tamen reſpectum quoque habuit. Poterat ſine terræ motu eximere Paulum & Silam compedibus, & januas aperire. verum acceſſio illa non parum ad confirmationem eorum valuit, quod Deus in eorum gratiam aërem & terram concuteret: deinde oportuit cuſtodem carceris & alios ſentire Dei præſentiam, ne fortuitum eſſe miraculum putarent. Nec vero dubium eſt, quin Dominus ſpecimen tunc virtutis ſuæ ediderit, quod ſeculis omnibus prodeſſet: ut ſibi propinquum fore certo ſtatuant fideles, quoties ſubeunda erunt certamina & pericula pro defenſione Euangelii. Interea neque eundem ſemper tenorem ſervat, ut ſe præſentem eſſe teſtetur manifeſtis ſignis, neque legem illi præſcribere fas eſt. nam & ideo manifeſtis miraculis tunc adjuvit ſuos, ut nos hodie occulta ejus gratia contenti ſimus: qua de re plura diximus in caput ſecundum.

27. *Excitatus cuſtos carceris.*] Mortem ſibi conſciſcere volebat, ut ſupplicium anteverteret. ridicula enim fuiſſet defenſio, ſponte apertas fuiſſe januas carceris. Sed quæri poteſt, Quum videat Paulus in eo ſpem fugæ eſſe poſitam ſi ſe ille occidat, cur obſiſtit? videtur enim hoc modo liberationem divinitus oblatam reſpuere: imo videtur merum fuiſſe ludicrum, quod Deus cuſtodem expergefieri voluit, ne quis eſſet uſus miraculi. Reſpondeo, ſpectandum hic eſſe ejus conſilium. neque enim Paulum, Silam & reliquos ſolvit compedibus, eo ideo januas aperuit, ut liberos inde ſtatim emitteret: ſed ut patefacta manus ſuæ virtute, obſignaret Pauli & Silæ fidem: apud alios vero illuſtre redderet nomen Chriſti. Sic ergo Pauli & Silæ votis reſpondet, ut ſe demonſtret ſatis potentem eſſe ad eos liberandos quoties viſum fuerit: nec quicquam ſibi poſſe obſtare quin penetret non modo uſque in carceres, ſed etiam in ſepulchra, ut ſuos à morte eripiat. Petro januas carce-
ris aperuit in alium finem, ut viſum fuit cap. 12. ſed *ſupra 12.*
nunc quum alia illi ratio ad manum eſſet ſervandi *verſ. 10.*
Paulum & Silam, non tam in præſentia eos educere voluit per miraculum, quam in poſterum confirmare. deinde memoria repetendum eſt quod nuper dixi, pertinuiſſe carceris apertionem ad alios, ut multis teſtibus notum eſſet Deum favere doctrinæ quæ jam injuſto præjudicio gravata erat. Senſit hoc proculdubio Paulus: ideoque ſolutus ex vinculis, pedem loco non movit. Liberum erat illi effugere: cur ceſſat? an quia contemnit Dei gratiam? an quia irritum facere velit miraculum ſua pigritia? Nihil horum probabile eſt. unde colligimus fuiſſe divinitus retentum: ſicuti Dominus animos ſuorum dirigere ſolet in rebus perplexis, ut ſequantur interdum ſcientes, interdum ignari, quod facto opus eſt, nec metas ſuas tranſiliant.

29. Poſtulatoque lumine irrupit, ac tremefactus procidit Paulo & Silæ ad pedes.

30. Et productis illis foras, ait, Domini, quid me oportet facere ut ſalvus fiam?

31. Illi vero dixerunt, Crede in Dominum Jeſum Chriſtum, & ſalvus eris tu & domus tua.

32. Et loquuti ſunt ei ſermonem, & omnibus qui erant in domo ejus.

33. Et aſſumptis illis in illa hora noctis, abluit plagas: & baptizatus eſt ipſe & omnes domeſtici illius continuo.

34. Quumque perduxiſſet eos in domum ſuam, appoſuit eis menſam: & exultavit quod cum univerſa domo ſua credidiſſet Deo.

29. *Tremefactus procidit.*] Non minus timore ſubactus fuit hic cuſtos ad præſtandum Deo obſequium, quam miraculo præparatus. hinc apparet quam utile ſit hominibus dejici ex ſua ſuperbia, ut ſe Deo ſubjicere diſcant. Obduruerat in ſuis ſuperſtitionibus. ſpreviſſet igitur alto animo quicquid à Paulo & Sila dictum foret, quos etiam probroſe in arctiores carceris anguſtias detruſerat. nunc timor docilem ipſum reddit ac manſuetum. Quoties ergo nos percellet Dominus vel aliqua conſternatione tanget: hoc ſciamus fieri, ut in ordinem ex nimia altitudine cogamur. Sed mirum eſt, non reprehendi quod prociderit ad illorum pedes. qui fit enim ut diſ-
ſupra 10. v. 9, 26. ſimulet Paulus quod Lucas prius retulit Petrum in Cornelio minime tuliſſe? Reſpondeo, Paulum ideo parcere cuſtodi, quia ſcit non ſuperſtitione, ſed divini judicii metu inductum ut ſe ita humiliet. Erat ſpecies venerationis ſatis trita: præſertim vero Romanis ſolenne erat, quum vellent ſuppliciter aliquid petere, vel deprecari veniam, ad eorum genua procumbere, quibus erant ſupplices. Nulla ergo fuit cauſa cur excandeſceret Paulus contra hominem ſimpliciter à Deo humiliatum. Nam ſi quid fuiſſet contra Dei gloriam admiſſum, non erat oblitus ejus zeli quem prius apud Lycaones oſtenderat. itaque ex ejus ſilentio colligimus, in hac ſpecie adorationis nihil pietati vel Dei gloriæ fuiſſe contrarium.

30. *Domini, quid me oportet facere.*] Ita conſilium petit, ut ſimul teſtetur ſe fore obedientem. Hinc videmus ſerio fuiſſe tactum, ut ad capeſſenda eorum juſſa paratus eſſet, quos paucis ante horis inhumaniter vinxerat. Sæpe impii viſis miraculis, etſi ad momentum expaveſcunt, ſtatim tamen redduntur ob-
Exod 8. v. 8, 32. ſtinatiores, ut Pharaoni contigit: ſaltem minime domantur, ut ſe Deo addicant. Hic autem cuſtos, agnita Dei potentia non modo pauliſper territus fuit, ut mox ad priorem ferociam rediret: ſed ſe Deo obedientem, & ſanæ doctrinæ cupidum oſtendit. Sciſcitatur de modo obtinendæ ſalutis: unde clarius apparet, non evanido Dei timore fuiſſe ſubito concuſſum duntaxat: ſed vere humiliatum, ut ejus miniſtris diſcipulum ſe offerret. Sciebat non alia de cauſa fuiſſe conjectos in carcerem, niſi quia vulgarem religionis ſtatum convellerent. nunc ad eorum doctrinam paratus eſt attendere, quam prius contempſerat.

31. *Crede in Dominum Jeſum.*] Brevis & in ſpeciem jejuna, ſed tamen plena eſt hæc ſalutis definitio, ut in Chriſtum credatur. Habet enim unus Chriſtus omnes beatitudinis & æternæ vitæ partes in ſe incluſas: quas nobis per Euangelium offert, fide
ſupra 15. verſ. 9. autem recipimus, quemadmodum diſſerui cap. 15. Duo autem hic notanda ſunt: primo, Chriſtum eſſe unicum fidei ſcopum: ideo nihil quam vagari hominum mentes, quum ab eo declinant. Itaque nihil mirum ſi tota Papatus theologia immane ſit chaos & horribilis labyrinthus: quia neglecto Chriſto ſibi in vanis & ventoſis ſpeculationibus indulgent. Deinde notandum eſt, poſtquam fide amplexi ſumus Chriſtum, id unum ſufficere ad ſalutem. Sed poſterius membrum, quod mox ſubnectit Lucas, melius fidei naturam exprimit. Jubent Paulus & Silas cuſtodem carceris in Filium Dei credere. an præciſe in hac una voce ſubſiſtunt? Imo ſequitur apud Lucam in contextu, ipſos annunciaſſe ſermonem Domini. Videmus ergo ut fides non levis ſit vel arida opinio de rebus ignotis, ſed liquida diſtinctaque Chriſti cognitio ex Euangelio concepta. Abſit rurſum Euangelii prædicatio, nulla jam reſtabit fides. In ſumma, Lucas fidem cum prædicatione & doctrina conjungit, & poſtquam de fide breviter loquutus eſt, exegetice refert unum & legitimum credendi modum. Ideo pro figmento implicitæ fidei, de quo balbutiunt Papiſtæ, teneamus fidem verbo Dei implicitam, quæ nobis Chriſti virtutem explicet.

33. *Baptizatus eſt ipſe & omnes qui domi erant.*] Iterum commendat Lucas pium zelum cuſtodis, quod totam ſuam domum conſecraverit Domino: in quo etiam refulget Dei gratia, quod totam familiam repente in pium conſenſum adduxerit. Simul vero notanda eſt inſignis mutatio. nuper ſibi mortem conſciſcere volebat, quod putaret Paulum & alios fugiſſe: nunc depoſito metu, ſponte domum illos adducit. Ita videmus ut fides ad ſtrenue agendum animet quibus prius nihil erat cordis. Et ſane quum metu & dubitatione torpeamus, nulla eſt melior fiduciæ materia, quam poſſe omnes curas in ſinum Dei conjicere: ut nullum nos periculum ab officio præſtando deterreat, dum exitum à Deo ſperamus qualem ipſe utilem fore providerit.

34. *Exultavit quod credidiſſet.*] Prius externa fidei prædicatio laudata fuit in cuſtode: nunc interior fidei fructus deſcribitur. Quum hoſpitaliter excepit Apoſtolos, nec pœnam exhorruit quin benigne eos domi ſuæ tractaret, contra quam injunctum fuerat à magiſtratu, teſtatus eſt non otioſam eſſe ſuam fidem. Gaudium autem, de quo loquitur hic Lucas, ſingulare bonum eſt, quod ſinguli ex ſua fide percipiunt. Nullum mala conſcientia gravius eſt tormentum: nam incredulos, tametſi ſtuporem ſibi modis omnibus inducere conentur, quia tamen cum Deo pacem non habent, trepidare neceſſe eſt.
Quod ſi præſentes cruciatus non ſentiunt, imo ve- infra 22. verſ. 25.
ſana & effreni licentia bacchantur: nunquam tamen tranquilli ſunt, nec ſereno gaudio potiuntur. Sincerum ergo & ſtabile gaudium non niſi ex fide eſt, quum fruimur Deo propitio. Hac ratione dicit Zacharias, Gaude & exulta filia Sion, ecce Rex tuus venit. Imo paſſim in Scriptura hic tribuitur fidei effectus, quod animas exhilaret. Sciamus ergo fidem non inanem nec mortuam imaginationem eſſe: ſed vivum gratiæ Dei ſenſum, qui ſolidum ex certitudine ſalutis gaudium affert: cujus expertes eſſe impios æquum eſt, qui & Deum pacis fugiunt, & omnem juſtitiam conturbant.

35. Quum vero dies ortus eſſet, miſerunt magiſtratus apparitores, dicentes, Dimitte homines illos.

36. Nunciavit autem cuſtos carceris ſermones hos Paulo, Miſerunt magiſtratus ut dimittamini. nunc igitur exeuntes, ite in pace.

37. Paulus autem dixit eis, Cæſos nos publice indicta cauſa, quum ſimus Romani, conjecerunt in carcerem: & nunc occulte nos ejiciunt? Non profecto: ſed veniant ipſi, ac nos educant.

38. Nunciaverunt autem magiſtratibus apparitores verba hæc. Qui timuerunt audito quod Romani eſſent.

39. Et venientes deprecati ſunt eos: & eductos rogabant ut egrederentur ex urbe.

40. Egreſſi autem è carcere, introierunt ad Lydiam: & viſis fratribus conſolati ſunt eos, & profecti ſunt.

35. *Quum dies ortus eſſet.*] Quæritur unde tam ſubita conſilii mutatio in judicibus. pridie juſſerant Paulum & Silam vinciri compedibus, quaſi atroces de illis pœnas ſumpturi: nunc impune abire permittunt. Saltem ſi eos audiiſſent, poterat eos cauſæ cognitio ad manſuetudinem & ſanam mentem reducere. apparet autem quum res adhuc in eodem eſſet ſtatu, ſponte ad pœnitentiam fuiſſe adductos. Reſpondeo, hic nihil aliud narrari, quam quod fere accidere ſolet ubi ſemel mota eſt ſeditio. non enim plebis tantum animi ebulliunt, ſed rectores quoque abripit tempeſtas. perverſe id quidem: notum eſt enim illud Virgilii,

Ac veluti magno in populo quum ſæpe coorta eſt
Seditio, ſævitque animis ignobile vulgus:
Jamque faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat:
Tum pietate gravem ac meritis ſi forte virum quem
Conſpexere, ſilent, arrectiſque auribus adſtant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Ergo nihil minus decet, quam fervente tumultu, judices una cum populo excandeſcere: ſed ita fieri ſolet. Ergo quum viderent plebis motum Decuriones illi, ſatis putarunt eſſe cauſæ cur Apoſtolos virgis cæderent: nunc vero coguntur cum pudore & dedecoris nota, levitatis ſuæ pœnas dare. forte etiam dum inquirunt de origine tumultus, deprehendunt circulatores in culpa eſſe: proinde comperta Pauli & Silæ innocentia ſero eos abſolvunt. Quo exemplo monentur quicunque præſunt, quantopere cavenda ſit nimia feſtinatio. Rurſum videmus quam ſecure ſibi delicta condonent magiſtratus, quorum tamen ſatis ſibi conſcii ſunt, præſertim ubi negotium eſt cum ignotis & obſcuris homioibus. Dum liberum exitum Paulo & Silæ concedunt iſti, non ignorant factam illis prius eſſe injuriam: ſufficere tamen putant, ſi non pergant ad extremum uſque in illos eſſe injuſti & crudeles. Ῥαβδοῦχοι nominantur apparitores, à bacillis quos geſtabant: quum lictorum inſignia eſſent ſecures virgis alligatæ.

37. *Cæſos nos publice.*] Duo ſunt defenſionis capita: quod ſævitum ſit in corpus hominis Romani, deinde quod id factum ſit præter juris ordinem. Paulum fuiſſe civem Romanum, poſtea videbimus. Erat
infra 22.
verſ. 25. autem lege Portia, legibus Semproniis, deinde multis aliis ſevere cautum, ne cui vitæ & necis in civem Romanum poteſtas eſſet, niſi populo. Mirum tamen videri poſſet, quod non jus ſuum Paulus aſſeruerit, antequam virgis cæſus eſſet: nam judicibus honeſtum excuſationis colorem prætendere licebat ex ejus ſilentio. verum probabile eſt in medio tumultus fervore non fuiſſe auditum. Siquis excipiat, nunc ſerum & intempeſtivum remedium ab ipſo quæri: imo ſtultum & inane captare ſolatium, quum poſtulat ut veniant ipſi magiſtratus: hic quoque in promptu eſt reſponſio. non erat quidem Pauli conditio inde futura melior: ſed notandum eſt, nihil minus illi fuiſſe propoſitum, quam ut conſuleret privato ſuo commodo: ſed ut piis omnibus aliquid levationis in poſterum afferret, ne tanta licentia auderent graſſari magiſtratus in bonos & innoxios fratres. Quia illos jam ſibi tenebat obnoxios, jus ſuum ad fratres juvandos tranſtulit, ut ipſis parceretur. Hæc fuit expoſtulandi cauſa. atque ita Paulus oblata occaſione prudenter uſus eſt: ſicuti nihil negligendum quod ad frenandos hoſtes valeat, ne tantum ſibi licentiæ ſumant in opprimendis aut vexandis inſontibus: quando neque fruſtra nobis Dominus ejuſmodi adminicula ad manum porrigit. Meminerimus tamen ſi qua in re læſi fuerimus, non retaliandas eſſe injurias: ſed tantum dandam eſſe operam, ut cohibeamus eorum libidinem, ne aliis ſimiliter noceant.

38. *Timuerunt quod Romani eſſent.*] Non moventur altero capite, quod perperam in homines innoxios ſævierint, nulla ioterpoſita cognitione: & tamen gravior erat illa exprobratio. Sed quia nullum vindicem timebant ex hominibus, Dei judicio non movebantur: hinc fit ut ſecure prætereant quod de injuſtitia objectum erat: tantum ſibi metuunt à ſecuribus Romanis propter violatam libertatem in civis corpore. ſciebant hoc ſummis Præſidibus eſſe capitale: quid ergo coloniæ unius Decurionibus futurum erat? Talis eſt impiorum metus: quia ſtupidam habent conſcientiam coram Deo, ſibi in omnibus peccatis prolixe indulgent, donec immineat ultio ab hominibus.

40. *Viſis fratribus.*] Rogati fuerant ut ſtatim abirent: ſed habenda fuit fratrum ratio, ne tenerum adhuc Euangelii ſemen periret. nec dubium eſt quin diutius manſuri fuerint, ſi fuiſſet illis permiſſum: ſed imperioſæ erant & armatæ magiſtratuum preces, quibus parere coguntur. Interea neceſſarium officium non negligunt, quin fratres cohortentur ad conſtantiam. Quod autem recta ſe contulerunt ad Lydiam, indicio eſt, quum aucta eſſet Eccleſia, etiam in magno numero fœminam illam primas tenuiſſe, quod ad ſedulitatem in officiis pietatis attinet: idque inde clarius liquet, quod in ejus ædes convenerunt omnes pii.

CAP. XVII.

QUum autem iter feciſſent per Amphipolim & Apolloniam, venerunt Theſſalonicam, ubi erat Synagoga Judæorum.

2. Secundum conſuetudinem autem ſuam Paulus introivit ad eos, & per Sabbatha tria diſſerebat eis è Scripturis,

3. Adaperiens & allegans quod Chriſtum oportuerit pati & reſurgere à mortuis: & quod hic ſit Chriſtus, quem ego, *inquit*, annuncio vobis.

4. Et quidam ex eis crediderunt, & adjuncti ſunt Paulo & Silæ, & religioſorum Græcorum multitudo magna, mulieresque primariæ non paucæ.

1. *Venerunt Theſſalonicam.*] Cur Amphipoli & Apolloniæ, quæ tamen erant urbes non obſcuræ, ſicuti ex Plinio conſtat, nihil tentarit Paulus, incertum nobis eſt: niſi quod Dei Spiritum ſequutus eſt ducem, atque ex re etiam præſenti, prout ſe occaſio dabat, loquendi vel tacendi conſilium cepit. & forte tentavit illic quoque prodeſſe: ſed quia nullo profectu, ideo tacetur à Luca. Quod autem Philippis cæſus, & vix elapſus è magno periculo, Theſſalonicæ Chriſtum prædicat: inde apparet quam infracto fuerit corde ad tenendum vocationis ſuæ curſum, & quam intrepidus fuerit ad nova ſubinde pericula obeunda. Hæc tam invicta animi fortitudo, & infatigabilis crucis tolerantia, ſatis demonſtrat non humanitus Paulum laboraſſe, ſed cæleſti Spiritus virtute fuiſſe inſtructum. Hæc quoque admirabilis ejus patientia fuit, quod ingreſſus ad Judæos, quorum tamen indomitam pervicaciam toties expertus erat, eorum ſaluti conſulere perrexit. Sed quia ſciebat Chriſtum Judæis datum eſſe in ſalutem: & ſe hac lege creatum Apoſtolum, ut Judæis primum, deinde & Gentibus pœnitentiam & fidem prædicaret: ſucceſſum laboris ſui Domino commendans, ejus mandato (quamvis non magna ſpe profectus) obtemperat.

Prius

Prius quidem viſus eſt dixiſſe ultimum vale Judæis, quum dicebat, Vobis quidem oportebat primum indicare regnum Dei: ſed quia non recipitis, ecce convertimur ad Gentes. *ſupra 13. verſ. 46.* ſed illa durior ſententia reſtringi debet ad eum cœtum qui impie repulerat oblatum ſibi Euangelium, ſeque indignum Dei gratia reddiderat. Erga gentem vero ipſam non deſinit Paulus legatione ſibi commiſſa fungi: quo exemplo docemur, tanti debere nobis eſſe Dei vocationem, ne qua hominum ingratitudo impediat quin pergamus eorum ſalutem curare, quamdiu nos illis Dominus deſtinat miniſtros. Credibile autem eſt, fuiſſe jam ſtatim primo Sabbatho aliquos qui reſpuerent ſanam doctrinam: ſed non obſtitit illorum pravitas quin rediret aliis Sabbathis.

2. *Diſſerebat è Scripturis.*] Primo refert Lucas, quænam fuerit diſputationis ſumma: nempe Jeſum filium Mariæ, Chriſtum eſſe olim promiſſum in Lege & Prophetis, qui mortis ſuæ ſacrificio expiavit peccata mundi, & reſurrectione ſua juſtitiam ac vitam attulit: deinde quomodo probaverit quod docebat. Hoc ſecundum membrum priore loco tractandum ſumamus. Dicit Lucas ipſum diſputaſſe ex Scripturis: ergo non niſi ex ore Dei petendæ ſunt fidei probationes. Si de rebus humanis ſit diſceptatio, tunc habeant humanæ rationes locum: in fidei vero doctrina, ſola Dei auctoritas regnare debet, atque ab ea pendere nos convenit. Fatentur quidem hoc omnes, acquieſcendum eſſe uni Deo: ſed interea pauci ſunt qui loquentem in Scripturis audiant. Atqui ſi valet inter nos iſtud axioma, Scripturam à Deo profectam eſſe: non aliunde ſumenda erat vel docendi vel diſcendi regula. unde etiam apparet quam diabolico furore agantur Papiſtæ, quum negant ex Scripturis poſſe quicquam certi colligi: atque ideo contendunt ſtandum eſſe hominum placitis. Quæro enim an legitima fuerit nec ne diſputandi ratio quam tenuit Paulus. pudeat ſaltem eos, plus reverentiæ habitum fuiſſe verbo Domini in gente incredula, quam hodie apud eos obtineat. Judæi Paulum admittunt, & ferunt è Scripturis diſputantem: hoc pro mero ludibrio ducit Papa cum ſuis omnibus, dum Scriptura in medium adducitur: quaſi flexiloquus ſit illic Deus, & vanis ambagibus ludat. Huc accedit quod hodie multo plus lucis in Scripturis extat, & illic certior refulget Dei veritas, quam in Lege & Prophetis. nam in Euangelio Sol juſtitiæ Chriſtus pleno fulgore nos irradiat: quo minus tolerabilis eſt blaſphemia, dum certitudinem adhuc detrahunt Papiſtæ verbo Dei. Nos vero ſciamus, ut non alibi fundata eſſe poteſt fides quam in verbo Domini, ita in omnibus controverſiis non niſi ejus teſtimonio ſtandum eſſe.

3. *Adaperiens.*] Hic ſummam vel ſubjectum, ut loquuntur, diſputationis deſcribit: ac duo membra ponit de Chriſto, Quod eum oportuerit mori & reſurgere, & quod ſit filius Mariæ qui crucifixus erat. Quum de Chriſto agitur, tria in quæſtionem veniunt, An ſit, quis ſit, & qualis ſit. Si Paulo negotium fuiſſet cum Gentibus, neceſſe fuiſſet altius ſumere exordium: quia de Chriſto nihil audierant: nec profani homines concipiunt ſibi opus eſſe aliquo Mediatore. Apud Judæos vero, quibus promiſſus erat Mediator, caput hoc dubitatione carebat: quare Paulus quod omnium conſenſu receptum erat, quaſi ſupervacuum omittit. Cæterum, quia nihil difficilius erat quam Redemptorem agnoſci à Judæis Jeſum crucifixum: ideo incipit Paulus ab hac parte, Chriſtum oportuiſſe mori: ut crucis offendiculum è medio tollat. Neque tamen putandum eſt, eum recitaſſe nudam hiſtoriam: ſed principium indubium ſumit, cauſas fuiſſe monſtratas cur Chriſtum oportuerit pati & reſurgere: nempe quia de ruina generis humani, de peccato & ejus pœna, de judicio Dei, & æterna qua impliciti ſumus omnes maledictione concionatus ſit. nam & huc nos Scriptura revocat, quum mortem Chriſti prædicit. Sicut Jſaias non ſimpliciter moriturum eſſe Chriſtum dicit, ſed diſerte exprimens, Quia omnes erravimus, & quiſque in viam ſuam declinavit, mortis cauſam aſſignat: quod poſuerit Deus ſuper ipſum noſtras omnium iniquitates: quod caſtigatio pacis noſtræ ſit ſuper eum, ut livore ejus ſanemur: quod peccata expiando, acquiſierit nobis juſtitiam. *Jeſa. 53. verſ. 6. ibid. v. 5. Dan. 9. verſ. 24.* Ita & Daniel vim & fructum mortis commemorat capite nono, quum dicit Obſignandum eſſe peccatum, ut ſuccedat æterna juſtitia. Et certe nulla aptior vel efficacior ratio eſt ad probandum Chriſti officium, quam dum homines malorum ſuorum ſenſu humiliati, nihil ſpei reliquum eſſe vident, niſi Chriſti ſacrificio reconcilientur. Tunc depoſita ſuperbia ſuppliciter amplexantur ejus crucem, cujus ante eos pudebat ac pigebat. Ergo ad eoſdem hodie fontes venire nos decet, ex quibus Paulus mortis & reſurrectionis Chriſti probationem deduxit. Illa autem definitio plurimum lucis attulit ſecundo capiti. Non tam facile erat Paulo evincere, & certo colligere filium Mariæ eſſe Chriſtum, niſi prius edocti eſſent Judæi qualis Redemptor ſperandus foret. Ubi vero illud conſtat, tantum ſupereſt ad Chriſtum applicare quæ Scriptura Mediatori tribuit. Cæterum hæc fidei noſtræ ſumma eſt, ut filium Mariæ ſciamus Chriſtum & Mediatorem illum eſſe, quem Deus ab initio promiſit. deinde teneamus quorſum mortuus ſit & reſurrexerit: ne fingamus nobis terrenum aliquem Regem: ſed in eo ſpiritualem juſtitiam, & omnes ſalutis partes quæramus. Quod utrumque dicitur Paulus ex Scripturis probaſſe, ſciendum eſt Judæos nondum ita fuiſſe ſtupidos, nec tanta etiam impudentia præditos, ut hodie ſunt. Potuit ex ſacrificiis & toto Legali cultu Paulus argumenta ſumere, quæ hodie Judæi canino rictu excipiunt. Quam indigne lacerent ac corrumpant alios Scripturæ locos, ſatis notum eſt. tunc vero aliqua illis reſtabat ingenuitas: aliqua etiam Scripturæ reverentia eos tenebat: ut non prorſus eſſent indociles. hodie velamen ſuper cor eorum poſitum eſt, ut in clara luce nihilo plus quam talpæ videant. *2 Cor. 3. verſ. 15.*

4. *Quidam ex eis crediderunt.*] Hic videmus fructum Paulinæ diſputationis. Palam quidem omnibus probavit Jeſum eſſe Chriſtum, qui Patrem nobis ſua morte placavit, & cujus reſurrectio vita eſt mundi. aliqui tamen ſolum ex Judæis credunt: reliqui cæcutiunt in clara luce, & ſurdis auribus repellunt certam & teſtatam veritatem. Hoc quoque notatu dignum eſt, quod quum ex Judæis pauci crediderint, magna Græcorum multitudo, qui longe remotiores erant, ad fidem acceſſit. Quorſum à pueritia dicas imbutos fuiſſe doctrina Legis, niſi ut à Deo ipſo magis alieni forent? Jam ergo documenta ejus cæcitatis, quam illis ſæpius denunciant Prophetæ, in illis Deus edere cœperat. Fœdus tamen ſuum non eſſe irritum in eo declarat, quod ſaltem aliquos ex illo populo ad ſe colligit, ut in reliquiis gratuito ſervatis luceant electionis ſcintillæ. Docet etiam Lucas non eatenus tantum fidem habuiſſe Pauli verbis, ut frigido aſſenſu ſubſcriberent: ſed ſerium affectum teſtatos fuiſſe, quod Paulo & Silæ ſeſe adjunxerunt tanquam comites, atque ingenua Euangelii profeſſione in ſe provocarunt gentis ſuæ odia. quid enim ſibi vult hæc adjunctio, niſi quod profeſſi ſunt ſibi probari quam tradebat doctrinam, & ſe à partibus ejus ſtare? nihil enim fidei magis adverſum, quam ſi agnita Dei veritate, ſuſpenſi tamen & medii hæremus. Siquis exponere malit, quod Paulo & Silæ adhæſerint diſcendi ſtudio, ut domi familiarius inſtitui poſſent: inde etiam vivus fidei ardor apparet. & ſemper illud manet fixum, Neminem vere Chriſto credere, niſi qui ſe illi addicit, & libere concedit ſub ejus ſignum.

Religioſorum hominum Græcorum multitudo.] Hi quia imbiberant pietatis rudimenta, propiores erant regno Dei quam alii qui ſemper jacuerant in ſuperſtitionum cœno. Quæritur tamen unde religio Græcis, qui impiis erroribus & deliriis faſcinati, Deo prorſus carebant: quemadmodum Paulus docet 2. ad Epheſ. capite. *Epheſ. 2. verſ. 12.* Sed ſciendum eſt, quocunque locorum expulſi fuerant Judæi, diſperſum fuiſſe aliquod pietatis ſemen, & odorem purioris doctrinæ fuiſſe diffuſum. Sic enim admirabili Dei conſilio, miſera eorum diſſipatio in contrarium finem verſa erat, ut vagos & palantes in erroribus ad rectam fidem aggregaret. Etſi autem multis pravis commentis apud eos quoque vitiata erat religio: quia tamen pleroſque Gentilium tæderet ſuæ amentiæ, hoc compendio ad Judaiſmum alliciebantur, Nihil tutius eſſe unius Dei cultu. Græcos ergo religioſos intellige, qui aliquem veri & legitimi cultus Dei habebant guſtum, ut craſſis idololatriis non amplius eſſent dediti. Quanquam, ut dixi, probabile eſt levem duntaxat & obſcurum fuiſſe guſtum, qui à vera inſtitutione procul diſtaret. quare impropriè Lucas tam honorificum titulum illis tribuit. Sed quemadmodum Spiritus Dei interdum Fidei nomine dignatur rude aliquod fidei tirocinium, vel ſolam præparationem: ita hic vocantur Religioſi, qui idolis valere juſſis unum Deum agnoſcere cœperant. Etſi autem confuſa illa vel obſcura perſuaſio, minime per ſe religio cenſeri meretur: quia tamen gradus eſt per quem ad Deum propius acceditur, à conſequenti, ut loquontur, nomen ſumit. imo cæcus & ſuperſtitioſus Dei timor interdum vocatur religio: non quia ſit, ſed καταχρηστικῶς, ad notandum diſcrimen inter qualemcunque Dei cultum, & craſſum & Epicureum contemptum. Interea ſciamus, veritatem & ſanam verbi Dei doctrinam pietatis regulam eſſe, ut nulla ſit ſine vera intelligentiæ luce religio.

5. Zelo autem commoti Judæi increduli, & aſſumptis quibuſdam circumforaneis viris perverſis, & coacta turba, concitaverunt urbem: & cingentes domum Jaſonis, quærebant eos producere ad populum.

6. Illis autem non inventis, trahebant Jaſonem & quoſdam fratres ad principes civitatis, clamantes, Hi qui terrarum orbem turbarunt, huc etiam venerunt:

7. Quos clanculum excepit Jaſon. & hi omnes contra Cæſaris decreta faciunt, Regem alium dicentes eſſe, Jeſum.

8. Concitaverunt autem turbam & magiſtratus civitatis audientes hæc:

9. Et accepta ſatisfactione ab Jaſone & à cæteris, dimiſerunt eos.

10. Fratres vero confeſtim per noctem emiſerunt Paulum ſimul & Silam in Berrhœam: qui quum adveniſſent, abierunt in Synagogam Judæorum.

5. *Zelo autem commoti.*] Videmus ut noſquam ſine certamine Paulus regnum Chriſti erexerit. Simul enim atque aliquis emerſit doctrinæ fructus, ſubortæ ſunt perſequutiones. Sed quia cum Satana & mundi pravitate bellandum ſibi eſſe noverat, non tantum ad omnes inſultus obduruerat: ſed magis acuebatur, ut animoſius pergeret. proinde ejus exemplo, contentos hoc uno eſſe decet Chriſti ſervos, ſi laborem ſuum vident non infructuoſum prorſus eſſe, ut hac mercede qualvis perſequutiones compenſent. Cæterum docet hic locus, zelum quo feruntur & ardent increduli, nihil quam rabioſum eſſe impetum: quia non regitur Spiritus prudentia, neque etiam rectitudine vel æquitate. Etſi autem ipſi in excuſationem præpoſtero ſuo zelo ſemper obtendunt Dei nomen: clare tamen demonſtrat hæc hiſtoria intus regnare meram hypocriſin, & omnes cordis eorum receſſus virulenta malitia refertos eſſe. Jactabant iſti Pauli hoſtes, ſe vindices eſſe divinæ Legis: nec ſibi niſi pro ejus defenſione odium vel contentionem eſſe cum Paulo. cur ergo improbos omnes armant, & cum illis conſpirant ad movendum tumultum? cur etiam apud profanum magiſtratum eadem invidia Euangelium gravant quæ in Legem redundare poterat? Talis certe factio clare demonſtrat, nihil minus quam Dei ſtudio adductos, in Paulum excanduiſſe. Quorſum enim obſident domum Jaſonis, & tumultuoſe contendunt Paulum inde extrahere, niſi ut lapidandum populo objiciant? Scimus ergo cacozeliam, quæ in ſuperſtitioſis hominibus fervet, ſemper hypocriſi & malitia infectam eſſe. Inde etiam fit ut ad ſævitiam ſine ullo modo prorumpat.

Aſſumptis quibuſdam circumforaneis.] Græcum nomen quo utitur Lucas, ignavos & nihili homines ſignificat, qui nihil habentes quod domi agant vel curent, per forum otioſi vagantur: vel homines audaces & famelicos, qui ad perjuria, ad miſcendas turbas, & quodvis facinus operam ſuam locare parati ſunt. unde iterum perſpicitur male ſibi conſcios fuiſſe, qui ad hominum perditorum ſuffragium ultro confugerint. Nam quum illis faveret magiſtratus, quid eos ad movendam illam tempeſtatem impulit, niſi quia ſucceſſum non ſperabant niſi rebus turbatis? Deſcribit autem Lucas quomodo à talibus flabellis excitata fuerit ſeditio: nempe quod turmatim plebem concitaverint, & quaſi per circulos ſparſerint ſuum venenum, donec ad vim inferendam ſufficerent. quod artificium ſeditioſis nimis commune eſſe experiuntur urbes obnoxiæ huic morbo.

6. *Hi qui terrarum orbem.*] Hæc eſt Euangelii conditio, ut illi imputentur tumultus quos in illius oppugnationem Satan concitat. Hæc quoque hoſtium Chriſti improbitas eſt, ut in ſanctos & modeſtos doctores regerant turbarum culpam, quarum ipſi ſunt auctores. Certe non in hunc finem prædicatur Euangelium, ut homines ad mutuos conflictus accendat: ſed potius ut Deo reconciliatos in pace contineat. Quum nos illic Chriſtus ad ſe benigne invitet, Satan & impii tumultuantur.. Paulo igitur & Silæ in promptu erat defenſio: ſed oportuit hanc falſam infamiam ipſos ad tempus ſubire: & quantiſper non audiebantur, tacitos devorare. Et Dominus eorum exemplo monere nos voluit, non cedendum eſſe calumniis nec ſiniſtris rumoribus, quin fortiter in aſſerenda veritate perſtemus, parati in recte factis male audire. Quare faceſſat perverſa quorundam ſapientia, qui ut falſum crimen refugiant, Chriſtum & Euangelium non dubitant perfida ſua moderatione prodere: acſi eorum fama pretioſior eſſet quam Pauli & ſimilium: imo quam ſacrum Dei nomen, quod à blaſphemiis immune non eſt.

7. *Hi omnes contra decreta Cæſaris.*] Secundum accuſationis caput, quod majeſtatem Imperii Romani violent. Grave & odioſum crimen: ſed nimis impudenter confictum. Chriſti regnum, quod ſpirituale eſt, erigere ſtudebant Paulus & Silas. Hoc Judæi ſciebant fieri ſine ulla Romani Imperii injuria. Sciebant nihil illis minus fuiſſe propoſitum, quam ut publicum ſtatum labefactarent, vel jus

ſuum eriperent Cæſari. ſed colorem hunc malitioſe obtendunt quærendæ invidiæ cauſa. Non tanti erat apud Macedones religio, præſertim Judaica, ut ejus caoſa homines ignotos protinus ad cædem raperent. prætextum igitur læſæ majeſtatis arripiunt Judæi, ut ſola criminis invidia innoxios obruant. Nec hodie deſinit Satan ſtringendis hominum oculis tales fumos ſpargere. Optime norunt Papiſtæ, & coram Deo ſatis ſuperque convicti ſunt, pluſquam vanum eſſe quod nobis objectant, Convelli à nobis totam politiam, diſſipari leges ac judicia, Regum poteſtatem everti: non tamen eos pudet, ut totum mundum nobis infenſum reddant, nos publici ordinis hoſtes mentiri. Notandum enim eſt, quod non taotum inſimulant Judæi violata fuiſſe Cæſaris edicta, quod aliquid in religione auſi fuerint novare Paulus & Silas: ſed quia alium eſſe dixerint Regem. Hoc crimen prorſus fictitium erat. Cæterum, ſiquando tyrannicis edictis, quæ debitum Chriſto honorem, & cultum Deo præſtare vetant, reſiſtere nos cogit religio: tunc quoque jure teſtari licet, non violari à nobis Regum poteſtatem. neque enim ita in ſublime evecti ſunt, ut gigantum more Deum ex ſuo ſolio detrahere moliantur. Vera erat illa Danielis excuſatio, Adverſus Regem nihil deliqui, quum tamen nefario edicto noo paruiſſet: neque enim injuriam fecerat homini mortali, quia illi Deum prætulerat. ſic nos bona fide Principibus ſolvamus ſua tributa, ad civile quodvis obſequium parati ſimus: verum ſi ſuo gradu non contenti, excutere nobis velint Dei timorem & cultum, non eſt cur illos à nobis ſperni quiſquam dicat, quia pluris eſt nobis Dei imperium & majeſtas.

8. *Concitaverunt turbam.*] Videmus quam inique actum ſit cum ſanctis viris. quia nullus defenſioni locus dabatur, facile fuit eos, quamvis inſontes, opprimi. Videmus etiam non eſſe novum, ut popularis impetus quaſi tempeſtas ipſos quoque magiſtratus abripiat. præſertim ubi peregrinos & ignotos attingit injuria, à quibus nihil mercedis ſperant: quia gratis periclitari nolunt. Neque enim tunc curatur ratio vel æquitas, nec ſuſcipitur cauſæ cognitio: ſed alius alium impellit nullo reclamante, & confuſe geruntur omnia, ſicuti dum ad incendium aliquod curritur. Cæterum factum eſt ſingulari Dei beneficio, ut mox ſedatus fuerit tantus ardor. nam ſimulac magiſtratus profitentur ſe de cauſa cognituros, plebs reſidet: accipitur ſatiſdatio: tandem res evaneſcit.

10. *Emiſerunt Berrhœam.*] Hinc apparet exiguo tempore frugiferum fuiſſe laborem Pauli. quamvis enim ipſum & Silam fratres emittant: hoc tamen officio ſe periculo eorum & cruci voluntarios adjungunt comites. Incredibilis autem Pauli conſtantia, quod toties gentis ſuæ contumaciam & malitiam expertus, nunquam tamen tentare deſinit an aliquos ad Chriſtum adducere liceat. nempe quum ſe Judæis & Gentibus obſtrictum eſſe ſciret, nulla hominum iniquitas à ſua vocatione eum abducere potuit. Sic omnibus Chriſti ſervis contra mundi malitiam luctandum eſt, ne jugum excutiant quibuſcunque provocentur injuriis.

11. Hi autem nobilitate præſtabant inter Theſſalonicenſes, qui receperant ſermonem cum omni animi promptitudine, quotidie ſcrutantes Scripturas an hæc ita ſe haberent.

12. Et multi quidem ex illis crediderunt, & Græcæ mulieres honeſtæ, & viri non pauci.

13. Quum autem cognoviſſent Theſſalonicenſes Judæi, quod & Berrhœæ annunciatus eſſet à Paulo ſermo Dei, venerunt & illue, commoventes turbas.

14. Statimque tunc Paulum emiſerunt fratres, ut iret velut ad mare: Silas autem & Timotheus remanſerunt ibi.

15. Porro qui proſequebantur Paulum, deduxerunt eum Athenas uſque. Et accepto mandato ad Silam & Timotheum ut quam celerrime ad ipſum venirent, profecti ſunt.

11. *Nobilitate præſtabant.*] Redit Lucas iterum ad Theſſalonicenſes. Diſceſſu Pauli videri poterat ſepulta eſſe Chriſti memoria. & certe mirum eſt illud pauxillum lucis quod vix emicuerat, non fuiſſe prorſus extinctum, & non exaruiſſe ſanæ doctrinæ ſemen, quod aſſidua irrigatione opus habebat ut ſurgeret. Atqui poſt digreſſum Pauli apparuit quam efficax & fœcunda fuiſſet ejus prædicatio. nam qui pietatis tantum rudimenta guſtaverant, proficiunt nihilominus eo abſente, & ſe in continua Scripturæ lectione exercent. Primo autem dicit Lucas fuiſſe eos ex primariis familiis. Nobilitas enim cujus meminit, non ad animum, ſed ad gentem refertur. Quibuſdam magis placet Berrhœenſes conferri Theſſalonicenſibus, quia εὐγενεστέρους dicit, non in ſuperlativo εὐγενεστάτους. Atqui Græcis receptam ac tritam eſſe puto loquendi formam, quæ Latinis auribus eſſet durior. Adde quod paulo ante dixerat, Primarias fœminas crediſſe Theſſalonicæ: & hujus urbis cives poſtponi Berrhœenſibus, probabile non videtur. Triplex autem ratio eſt cur generis præſtantiam in illis commemoret Lucas. Scimus quam ægre ex alto deſcendant homines, quam rarum ſit magnis qui in mundo excellunt, depoſito faſtu ſubire crucis ignominiam, & in humilitate gloriari, ſicuti
Jacob. 1. Jacobus præcipit. Raram ergo Spiritus Dei effica-
verſ. 10. ciam commendat Lucas, quum iſtis nobilibus, carnis dignitatem obſtaculo fuiſſe negat, quin Euangelium amplexi, ſeſe ad ferendam crucem pararent, & Chriſti opprobrium præferrent mundi gloriæ. Secundo teſtatum nobis facere voluit Lucas, Chriſti gratiam ad quoſvis ordines patere. quo ſenſu dicit
Paulus, Deum velle omnes homines ſalvos fieri: ne *1 Tim.* 2.
pauperes & obſcuri (quamvis dignatus eos fuerit *verſ.* 4.
Chriſtus priore loco) januam divitibus præcludant. Videmus ergo ſimul aggregari nobiles & plebeios, honoris gradu præſtantes & contemptos in unum Eccleſiæ corpus coaleſcere, ut omnes ad unum ſeſe humilient, Dei vero gratiam extollant. Tertio, videtur Lucas cauſam notare cur tam multi acceſſerint: atque ita brevi propagatum fuerit Theſſalonicæ Chriſti regnum. nempe quia iſtud non vulgare adminiculum fuit, quod homines primarii & genere illuſtres viam aliis monſtrarent: quia vulgus ut plurimum auctoritate movetur. Etſi autem hæc minime idonea fidei & pietatis fultura eſſet, Deo tamen novum non eſt, incredulos adhuc in errore palantes ad ſe per obliquas vias adducere.

Receperant ſermonem.] Hoc primum nomine Theſſalonicenſes laudat, quod prompto & alacri ſtudio Euangelium receperint: deinde, quod ſedula inquiſitione quotidie fidem ſuam confirmarent. Ita ipſorum pietas & fides, initio à promptitudine laudatur: in ſuo autem progreſſu à conſtantia

& ſer-

& ferventi proficiendi ſtudio. Et certe hic primus eſt ad fidem ingreſſus, ut prompti ſimus ad ſequendum, & abdicato proprio carois ſenſu, dociles nos Chriſto & morigeros præbeamus. Hoc etiam elogio Paulus
1 Theſſ. 2. verſ. 13. Theſſalooicenſes ornans, Lucæ narrationi ſuffragatur. Quantum ad ſecundum membrum attinet, non ſpernenda eſt virtus hæc Sedulitas, ad quam intentos fuiſſe prædicat Locas fideles in fidei ſuæ confirmationem. multi enim qui principio ebulliunt, ſtatim ſe ignaviæ dedentes, dum nulla profectus cura tanguotur, qualecunque fidei ſemen perdunt. Sed duo hic objici poſſunt abſurda. nam arrogantiæ eſſe videtur, quod inquirunt ut dijudicent; & à promptitudine, cujus nuper meminit, valde alienom. deinde quum ioquiſitio, dubitationis ſignum ſit: ſequitur nulla fide ante fuiſſe præditos, cui ſemper eſt annexa πληροφορία & certitudo. Ad primam objectionem reſpondeo, non ſic debere accipi Lucæ verba, quaſi judicium ſibi ſumpſerint Theſſalonicenſer, vel diſceptaverint an recipienda eſſet Dei veritas: tantum Pauli doctrinam exigebant ad Scripturæ amuſſim, non ſecus atque aurum igne probatur. Scriptura enim vere Lydius eſt lapis ad quem examinandæ ſunt omnes doctrinæ. Siquis excipiat hoc genus examinis fore ambiguum, quum ſæpe obſcura ſit Scriptura, & in varios ſenſus flectatur: dico ſimul adhibendum eſſe judicium Spiritus, qui non abs re vocatur Spiritus diſcretioois. Cæterum duce ac directore Spiritu, non aliunde quam ex Scripturis judicium facient fideler de qualibet doctrina. Atque boc modo refellitur ſacrilegum illud Papiſtarum dicterium, Quia oihil certo colligi poſſit ex Scripturis, fidem ex ſola Eccleſiæ determinatione peodere. Nam quum Theſſalonicenſes laudat Spiritus Dei, in eorum exemplo regulam oobis præſcribit. Fruſtra autem inquiſitio fieret ex Scripturis, niſi ſatis haberent lucis ad nos docendos. Stet igitur fixum axioma, Nullam doctrinam fide eſſe dignam, niſi quam in Scripturis fundatam eſſe deprehendimus. Quicquid pro ſua libidine effutiverit Papa, vult ſine controverſia ab omnibus recipi. atqui, an ſnperior cenſebitur Paulo, in cujus prædicationem inquirere diſcipulis licuit? Ac notemus noo de larvato aliquo Concilio hoc dici, ſed de parvo hominum cœtu: unde melius apparet ſingulos ad legendam Scripturam vocari. Sic etiam cum fidei promptitudine non pugnat diſquiſitio. nam ſimulac auſcultat quiſpiam, & diſcendi cupidus ſe attentum præbet: jam propenſus ac docilis eſt, etiamſi non ſtatim plane aſſentiatur. Exempli gratia, Profitebitur ignotus doctor veram ſe doctrinam afferre: accedam ad audiendum paratus, & animus in obedientiam veritatis compoſitus erit: expendam nihilominus ioterea qualis ſit doctrina, oeque amplectar niſi certam & à me agnitam veritatem. Atque boc optimum eſt temperamentum, ubi Dei reverentia devincti, libenter & placide audimus quod nobis proponitur, tanquam ab ipſo profectum. interea tamen cavemus ab hominum impoſturis: nec ſe animi noſtri cæco levitatis impetu ad quidvis temere credendum præcipitant. Ergo inquiſitio cujus meminit Lucas, non eo tendit, ut lenti ſimus & difficiles ad credeodum: ſed potius promptitudo cum judicio, media inter levitatem & contumaciam ſtatuitur. Nunc ſolvenda eſt ſecunda objectio, Dubitationi contraria eſt fides: qui inquirit, dubitat: ergo ſequitur Theſſalonicenſes, quum de Pauli doctrina inquirunt, fide adhuc fuiſſe vacuos. Atqui fidei certitudo confirmationem non impedit. Confirmationem voco, dum magis ac magis cordibus noſtris obſignatur Dei veritas, quæ tamen prius dubia non erat. Exempli gratia, Audiam ex Euangelio me Chriſti gratia Deo reconciliatum eſſe, & peccata mea ſacro ejus ſanguine expiata: proferetur teſtimonium quod mihi fidem faciat. poſtea ſi penitius excutiam Scripturas, occurrent ſubinde alia teſtimonia, quæ non modo juvabunt fidem meam, ſed augebunt ac ſtabilient, ut accedat plenior certitudo. Similiter quoad intelligentiam, ex Scripturæ lectione proficit fides. Siquis rurſum excipiat, parum auctoritatis triboere eos doctrinæ Pauli, qui ex Scripturis diſquirunt an ita res habeat: reſpoodeo, tales eſſe fidei profectus, ut interdum ex Scripturis quærant, de quo jam divinitus perſuaſi ſunt, & habent interius Spiritus teſtimonium. Et Lucas non fidem omnibus numeris abſolutam in Theſſaloniceoſibus prædicat: ſed tantum commemorat qualiter initiati fuerint Chriſto, & quales in fide fecerint progreſſus, donec ſolidum pietatis ædificium inter eos extaret.

12. *Et multi quidem crediderunt.*] Non refertur ad proximam ſententiam, quaſi illi quorum meminit, delectu habito credere cœperint: eſſet enim illud abſurdum. Sed intelligit Lucas, quia multi illorum exemplo acceſſerint, auctam fuiſſe in illa urbe Eccleſiam. Et hactenus quidem primordia Theſſalonicenſis Eccleſiæ retulit Lucas, ne quis ſubito & violento Pauli diſceſſu putaret ejus labores periiſſe: oiſi enim valde fallor, hoc conſilio, antequam ad exilium Bertbœenſe veniret, fructum quem in altera urbe protulerat ejus prædicatio, interpoſuit.

13. *Quum cognoviſſent Judæi.*] Videmus quam implacabile Euangelii odium Judæos huc illuc rapuerit. neque enim ſolum quum illis coram offertur Chriſtus domi, rabioſe ipſum ejiciunt: ſed quum alibi audiunt prædicari, tanquam furiis perciti illuc advolant. Sed non tam unius gentis furor hic nobis conſiderandus eſt, quam deſperata Satanæ malitia, qui ſuos ad turbandum Chriſti regnum, perdendamque hominum ſalutem inſtigat, & illis quaſi flabellis ad excitandos motus utitur. Quare ſciamus, quum tot hodie fidis Chriſti miniſtris furioſi hoſtes ſe opponunt: non bellum ab hominibus moveri, ſed Satanam mendacii pa- Joan. 8.
trem hæc omnia machioari, ut Chriſti regnum verſ. 44.
evertat. Quod ſi non eadem ſemper erit præliandi forma, nunquam tamen deſinet Satan, quos fideliter Chriſto ſervire novit, vel aperto Marte, vel inſidiis, vel domeſticis etiam certaminibus fatigare.

16. Paulus autem quum Athenis eos expectaret, incandeſcebat ſpiritus ejus in ipſo, quum videret idololatriæ deditam civitatem.

17. Diſputabat igitur in Synagoga cum Judæis & religioſis, & in foro quotidie cum his qui in ipſum inciderant.

18. Quidam autem Epicurei, & Stoici Philoſophi diſceptabant cum eo: & quidam dicebant, Quid ſibi vult hic ſpermologus dicere? Alii vero, Novorum dæmoniorum videtur annunciator eſſe: quod Jeſum & reſurrectionem annunciaret eis.

19. Et cum apprehenſum ad Martium vicum duxerunt, dicentes, Poſſumusne ſcire quæ ſit iſta nova, quæ à te profertur, doctrina?

20. Nova enim quædam ingeris auribus noſtris. Volumus ergo ſcire quidnam velint hæc eſſe.

21. Athenienſes autem omnes & qui illic verſabantur hoſpites, ad nihil aliud vacabant, niſi ad dicendum vel audiendum aliquid novi.

16. *Incandeſcebat.*] Tametſi Paulus quocunque veoerat, ſtrenue exequebatur quod ſibi injunctum ſciebat eſſe docendi munus: Lucas tamen Athenis magis fuiſſe accenſum refert, quia videbat idololatriam magis illic, quam vulgo in aliis locis, regnare. Erat quidem totus mundus idolis tunc refertus: nuſquam purus Dei cultus: ubique vero innumera ſuperſtitionum portenta. ſed Athenas Satan dementaverat præ aliis urbibus, ut majore inſania ferrentur homines ad impios ſuos & perverſos ritus. Atque hoc notatu dignum eſt exemplum, urbem quæ ſedes ac domicilium erat ſapientiæ, fons omnium artium, mater humanitatis, cæcitate & dementia alias omnes ſuperaſſe. Scimus quibus encomiis uno conſenſu acuti doctique homines eam celebraverint. & ipſa ſibi uſque adeo placebat, ut barbaros duceret, quoſcunque non expoliverat. Atqui Spiritus ſanctus totum mundum ignorantiæ damnans ac ſtuporis, illos omnes liberalis ſcientiæ magiſtros inſolito furore faſcinatos fuiſſe dicit. unde colligimus, quid in rebus divinis valeat hominum acumen. Nec dubium eſt, quin Deus Athenienſes paſſus fuerit in extremam vecordiam prolabi, ut documento eſſent omnibus ſeculis, totam humanæ mentis perſpicaciam literis & doctrina adjutam, ubi ad Dei regnum ventum eſt, nihil quam deſipere. Habebant haud dubie ſuos prætextus, quibus fictitios ſuos cultus, quantumvis præpoſteros ac vitioſos, excuſarent. Et tamen certum eſt, non modo puerilibus & frivolis nugis luſiſſe: ſed craſſis fœdiſque præſtigiis pudendum in modum fuiſſe deluſos, non ſecus acſi communi ſenſu privati, prorſuſque hebetes ac bruti forent. Sicuti autem diſcimus qualis ab humano ſenſu religio prodeat, ac hominum ſapientiam nihil aliud quam errorum omnium officinam eſſe: ita ſciamus Athenienſes ſua ſuperbia ebrios turpius reliquis erraſſe. Vetuſtas urbis illos inflabat, amœnitas & pulchritudo: ut deos inde genitos eſſe jactarent. Quum ergo Deum è cælo detraherent, ut facerent urbis ſuæ indigenam: æquum fuit uſque ad ultimos inferos demergi. Quicquid ſit, æterna infamia hic à Spiritu Dei notatur humanæ ſapientiæ vanitas: quia ubi præcipuam habuit ſedem, illic denſiores fuerunt tenebræ, graſſata eſt maxime idololatria, & Satan majore licentia mentes hominum ſuis ludibriis circumegit. Nunc veniamus ad Paulum. Dicit Lucas, quum urbem cerneret idololatriæ ſic addictam, ſpiritum ejus fuiſſe accenſum: ubi non ſimplicem indignationem illi tribuit, nec tantum dicit offenſum tali ſpectaculo: ſed exprimit inſolitum fervorem, ſanctæque iracundiæ, qui zelum ejus acuit, ut ſe ferventius ad opus accingeret. Atque hic duo obſervanda ſunt. Nam quod excanduit Paulus quum videret impie profanari Dei nomen, & purum ejus cultum corrumpi: eo teſtatus eſt ſibi nihil eſſe pretioſius Dei gloria. Atque hunc zelum magis inter nos vigere decebat: quemadmodum habetur in Pſalmo, Zelus domus tuæ comedit me. *Pſal. 69. verſ. 10.* Eſt enim communis piorum omnium regula, ut quoties Patrem ſuum cæleſtem dedecore affici vident, graviter urantur. ſicuti pium virum Loth, quia mederi fœdiſſimis ſceleribus non poterat, Petrus tradit excruciaſſe cor ſuum. *2 Pet. 2. verſ. 8.* Doctores autem præ aliis fervere decet: quemadmodum Paulus ſe zelotypum eſſe dicit, ut Eccleſiam in vera caſtitate retineat. *2 Cor. 11. verſ. 2.* qui vero contumeliis non tanguntur, nec eas ſecure modo diſſimulant, ſed prorſus negligunt, inter ejus filios minime cenſeri merentur, cui non ſaltem tantum honoris deferunt atque terreno patri. Secundo notandum eſt, non ita excanduiſſe, ut deſperatione fractus concideret: qualiter videmus pleroſque adeo non incaleſcere, ſiquando vident Dei gloriam impie violari, ut dolorem & gemitum profitendo, tamen magis profaneſcant cum reliquis, quam eos corrigere ſtudeant. Interim obtendunt ignaviæ ſuæ ſpecioſum colorem, quod nolint ſine profectu tumultuari. Irritos enim putant fore ſuos conatus, ſi contra violentam populi conſpirationem luctentur. Paulus vero non ſolum tædio non frangitur, vel difficultati ſuccumbit, ut docendi munus abjiciat: ſed acriore ſtimulo pungitur ad pietatem aſſerendam.

17. *Cum Judæis & religioſis.*] Ordinarium Paulo erat ubicunque Synagogas habebant Judæi, illinc facere exordium, & Chriſtum ſuæ genti offerre. Secundus inde gradus ad Gentiles erat, qui guſtata Legis doctrina, quamvis nondum vera pietate rite imbuti eſſent, colebant tamen Deum Iſraël: & diſcendi cupidi, non reſpuebant quæ ex Moſe & Prophetis ſcirent deſumpta eſſe. quia autem talis docilitas ingreſſus erat ad fidem, imo quoddam fidei initium, honorifico titulo eos dignatur Spiritus, qui primis tantum rudimentis leviter aſperſi, propius ad verum Deum acceſſerant: Religioſi enim vocantur. Sed meminerimus hac nota diſcerni ab aliis, ut in nihilum redigatur tota mundi religio. Vocantur ſpiritualiter Dei cultores, qui nomen dederunt Deo Iſraël: illis ſolis tribuitur religio. ergo nihil aliis ſit reliquum præter ignominiam atheiſmi, utcunque in ſuperſtitionibus anxie ſe torqueant. Et merito: quicquid enim ſplendoris oſtentent idololatræ, ſi excutiatur interior eorum affectus, nihil illic reperietur præter horribilem Dei contemptum: merumque eſſe fucum patebit, quod ſe idolis blandiri ſimulant.

18. *Diſceptabant cum eo.*] Nunc ſubjicit Lucas certamen fuiſſe Paulo cum Philoſophis: non quod data opera eos fuerit aggreſſus, quum ſciret ad rixas tantum & cavillationes natos eſſe: ſed præter animi ſui conſilium ad talem conflictum raptus fuit. ſicuti pios doctores Paulus ipſe armis ſpiritualibus inſtructos eſſe jubet, *Tit. 1: 9.* quibus veritatem fortiter defendant, ſiqui ſe hoſtes contra opponunt. Neque enim ſemper in arbitrio noſtro eſt, eligere quibuſcum agamus: ſed Dominus ſæpe homines præfractos & importunos ſurgere patitur, qui nos exerceant, & ex quorum contradictione melius veritas eluceat. Nec dubium eſt quin Epicurei, pro ſolita ſua protervia, vexarint ſanctum virum: Stoici etiam argutis ſuis captionibus freti, contumaciter inſultaverint. Exitus tamen oſtendet eum ſophiſtice non diſputaſſe, nec abreptum fuiſſe ad inutiles λογομαχίας: ſed modeſtiam, quam alibi præcipit, ſervaſſe. ac nobis omnino ſic agendum eſt, ut futiles argutias parce & graviter refutando, quod ſolidum eſt proferamus: ſemperque cavendum eſt periculum, ne ambitio vel oſtentandi ingenii libido, nos ſuperfluis & profanis contentionibus involvat. Porro duas ſectas commemorat Lucas, quæ quum ex diametro inter ſe eſſent oppoſitæ, contrariis tamen vitiis laborabant. Epicurei non tantum ſpernebant bonas & ingenuas artes, ſed ex profeſſo oderant. Eorum philoſophia erat Solem fingere bipedalem, mundum ex atomis conflatum: atque ita ludendo, admirabile artificium quod in mundi fabrica cernitur, delere. ſi centies convicti forent, nihilo plus verecundiæ erat quam in canibus. Quamvis uno verbo concederent eſſe deos: fingebant tamen otiari in cælo, & vacare lautitiis, ſolaque ignavia beatos eſſe. Mundum ſicuti divinitus creatum eſſe negabant (quemadmodum nuper attigi) Ita res humanas temere volvi fingebant, non gubernari cæleſti providentia. Voluptas illis erat ſummum bonum: non obſcœna quidem & effrenis, ſed tamen quæ ſuis

illece-

Digitized by Google

illecebris homines jam ſponte ad carnis indulgentiam propenſos magis ac magis corrumperet. Animarum immortalitas inſtar fabulæ illis erat. Ita fiebat, ut liberaliter corporibus indulgere permitterent. Stoici, quamvis Dei providentiæ mundum ſubeſſe dicerent, poſtea tamen abſurdo figmento, vel potius delirio, adulterabant illud ſuæ doctrinæ caput. neque enim fatebantur Deum conſilio, juſtitia & virtute mundum regere: ſed labyrintbum fabricabant ea cauſarum compleau, ut Deus ipſe fati neceſſitate conſtrictus, cum cæli machina violenter ferretur. qualiter Poetæ Jovem ſuum aureis compedibus alligant: quia ipſo aliud agente dominentur fata. Quamvis ſummum bonum locarent in virtute, quid eſſet vera virtus minime tenebant. & homines inflabant ſuperba confidentia, ut ſe Dei ſpoliis ornarent. Etſi enim ab omnibus ea inanita eſt Spiritus ſancti gratia: nullius tamen ſectæ faſtuoſior jactantia fuit. Non alia illis fortitudo, quam ferrea immanitas. Ergo admirabilis vis Spiritus in Paulo fuit, qui medius inter tales belluas, quæ illum huc & illuc diſtrahere tentabant, firmus in ſolida Euangelii ſinceritate ſtetit: & fixo pede tam caninam petulantiam prioris ſectæ, quam faſtum & ſubdolas alterius captiones ſuſtinuit. Cæterum, hinc clarius adhuc perſpicimus, quam male cum cæleſti ſapientia carnis prudentiæ conveniat. Etſi enim totum vulgus Euangelio infenſum erat: Philoſophi tamen in ejus oppugnatione duces vel anteſignani fuerunt. Nam
1 Cor. 1. verſ. 21. in illis præcipue extitit quod Paulus ipſe de carnis ſapientia prædicat, Cruci Chriſti eſſe inimicam: ut nemo idoneus ad diſcenda Euangelii rudimenta eſſe queat, niſi qui ſe illa prius abdicaverit.

Alii dicebant.] Duas hominum ſpecies proponit Lucas: ambas quidem velde remotas à pietate: quarum tamen una eſt longe deterior. Qui iterum audire cupiunt quod novum appellant, primum non recto diſcendi ſtudio, ſed vana curioſitate aguntur. deinde parum bonorifice ſentiunt de verbo Dei, quod profanæ novitatis loco habent. Quia tamen aures præbent, & quidem animis ſuſpenſi, donec res melius comperta fuerit, non prorſus ſunt deſperati. Alii vero ſuperbe reſpuendo quod offertur, imo contumelioſe damnando, januam ſalutis ſibi præcludunt. Nam ea ingenti faſtu erupit hoc convitium, *Quid ſibi vult ſpermologus iſte?* Quia neque audire dignantur Paulum, & contumelioſe repudiant, acſi quiſpiam trivialis eſſet nugator. Adde quod non inconſiderato zelo abhorrent ab ejus doctrina: ſed ex profeſſo calcant quod de religione affertur, licet adhuc incognitum: quia pudet ex bomine obſcuro quicquam diſcere, qui ſe hactenus gloriati fuerant totius eſſe orbis magiſtros.

Novorum dæmoniorum annunciator.] Dæmonia non in malam partem accipiunt, ut Scriptura ſolet: ſed pro diis minoribus aut Geniis, quos cenſebant inter ſummum Deum & homines eſſe medios: quorum multa ſubinde fit mentio apud Platonem. Quantum ad ſummam rei ſpectat, notandum eſt nova illis dæmonia videri, quæ Paulus de Chriſto & reſurrectione dixerat. unde colligimus, his maxime notis diſcerni fidem noſtram à Gentium ſuperſtitionibus, quod proponit Chriſtum unum Mediatorem: quod ab eo ſolo petendam eſſe ſalutem docet: quod in ejus morte expiationem quærere jubet, qua reconciliemur Deo: quod Spiritu ejus renovari ac refingi homines docet qui ante profani erant & peccato mancipati, ut juſte ſancteque vivere incipiant. deinde qood à talibus exordiis quibus ſpirituale eſſe Dei regnum conſtat, tandem in ſpem futuræ reſurrectionis mentes noſtras attollit. nam de aliis etſi non pure diſſerant Philoſophi, aliquid tamen attingunt. quin etiam de vita æterna & immortalitate animæ multus apud eos ſermo. de fide verò, quæ gratuitam in Chriſto reconciliationem oſtendit: & regeneratione, qua Spiritus ſanctus imaginem Dei in nobis inſtaurat: de invocatione Dei, de ultima reſurrectione, perpetuum ſilentium.

19. *Ad Martium vicum duxerunt.*] Tametſi judiciale forum erat, non tamen ſignificat Lucas tractum in jus fuiſſe Paulum, ut cauſam diceret coram Areopagitis: ſed illuc fuiſſe adductum, ubi major ſolebat eſſe populi frequentia, ut publice in celebri conventu ſeria haberetur diſputatio. Atque ut demus ductum fuiſſe Paulum ad tribunal: exitus tamen oſtendit non fuiſſe oblatum judicibus, ſed libere quaſi pro concione loquutum eſſe. Cæterum, quod paulo poſt ſubjicitur de natura & moribus Athenienſium, ſatis oſtendit curioſitatem eorum fuiſſe in cauſa, ut talis audientia daretur Paulo: ut tam celebris locus illi ad prædicandum Chriſtum pateret: ut tam multi accurrerent. nam alibi crimen fuiſſet capitale, coacto populi cœtu concionari in foro vel loco publico. Illic vero quia ob immodicum novitatis ſtudium patebat nugigerulis garriendi licentia, Paulo data fuit libertas ut de fidei myſteriis rogatus diſſereret.

21. *Ad nihil aliud vacabant.*] Duo vitia quæ recenſet Lucas, perpetuo fere ſimul cohærent. Raro enim contingit, ut qui rerum novarum cupidi ſunt, non ſint iidem & garruli. veriſſimum enim eſt illud Horatii,

Percunctatorem fugito, nam garrulus idem eſt.

Et certe videmus curioſos ſimiles eſſe doliis pertuſis. utrumque porro vitium ex otio natum erat: non tantum quia Philoſophi diſputando totos dies terebant: ſed quia vulgus ipſum nimis ad res novas proclive erat: nec quiſquam erat tam ſordidus illic opifex, qui non ſe ingereret ad ordinandum Græciæ ſtatum. Et certe quod bic dicit Lucas, uno conſenſu teſtantur omnes fere Græci Latinique ſcriptores, nihil vel cupidius, vel levius, vel protervius illo populo. Quamobrem nunquam in ea urbe, quæ tamen ſcientiarum omnium magiſtra erat, certum potuit conſtitui regimen. Itaque in ſumma potentia, non tamen diuturna fuit libertas: neque unquam ſatagendi & tumultuandi modum fecerunt, donec ſe & totam Græciam perderent. Rebus etiam collapſis non deſtiterunt à ſua audacia. ideo Cicero eorum ſtultitiam ridet, quod non minus ferociter decreta ſua tunc edebant, quam quum Græciæ imperio potiebantur. Jam etſi inter homines curioſos exigua erat ſpes profectus: Paulus tamen occaſionem non neglexit, ſi quos forte ex magna turba lucrifacere Chriſto poſſet. nec vero bæc vulgaris fuit Euangelii gloria, in loco urbis nobiliſſimo, & quaſi theatro communi refellere & palam coarguere fictitios omnes cultus, qui ad bunc uſque diem illic regnaverant.

22. Stans autem in medio Martii vici, ait, Viri Athenienſes, per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video.

23. Prætericns enim & contemplans religiones veſtras, inveni & aram in qua ſcriptum erat, Ignoto Deo. Quem igitur ignorantes colitis, hunc ego annuncio vobis.

24. Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo ſunt, hic cæli & terræ quum ſit dominus, non in manufactis templis habitat:

25. Nec manibus humanis colitur, indigens aliquo: quum ipſe det omnibus vitam & halitum per omnia.

22. *Viri Athenienſes.*] Concionem hanc Pauli in quinque membra partiri licet. Tametſi enim breviter tantum attigit Lucas, quæ ille multis verbis diſſeruit: ſummam tamen complexum fuiſſe non dubito: ut nullum ex præcipuis capitibus prætermiſerit. Primum ſuperſtitionis inſimulat Paulus Athenienſes, quod deos ſuos fortuito colant. deinde naturalibus argumentis quis & qualis ſit Deus oſtendit, & quo modo rite colatur. tertio invehitur in hominum ſtuporem: qui quum in hunc finem creati ſint ut opificem ac factorem ſuum agnoſcant, oberrant tamen quaſi cæci in tenebris. quarto admonet nihil eſſe abſurdius, quam Deum ſtatuis vel picturis figurare, quum mens hominis vera ſit ejus imago. tandem ad Chriſtum & mortuorum reſurrectionem quinto loco deſcendit: quatuor enim illa capita generatim tractare operæpretium fuit, antequam ad fidem Euangelii deſcenderet.

Quaſi ſuperſtitioſiores.] δεισιδαιμονία, Græci ſæpe in bonam partem accipiunt. interdum tamen immodicum metum ſignificat, quo ſe anxie torquent ſuperſtitioſi homines, dum ſibi fabricant inanes ſcrupulos. Senſus autem hujus loci videtur hic eſſe, quod modum excedant Athenienſes in colendo Deo, vel quale opus eſſet temperamentum non teneant: acſi diceret, inconſiderate eos facere, quod ſe fatigent per obliquos circuitus. hoc quantum ad vocem ſpectat. De re ſic habendum eſt: Omnes Athenienſium cultus hac una ratione vitioſos eſſe probat, quia incerti quoſnam colere deos debeant, fortuito & temere ſuſcipiant varios ritus, & quidem modo non adhibito. Nam quod ignotis diis altare erexerant, ſignum erat nihil ipſos tenere certi. habebant quidem ingentem deorum turbam, de quibus multa fabulabantur: ſed dum illis permiſcent ignotos deos, hoc ipſo fatentur nihil de vera Divinitate ſe habere compertum. Porro quiſquis ſine ulla certitudine Deum colit, ſua tantum figmenta colit Dei loco. quantumvis ſibi placeant creduli, nulla tamen ſine ſcientia & veritate religio vel Deo probatur, vel ſancta & legitima cenſeri debet. Imo quantumvis ſuperbiant, quia tamen perplexi hærent in ſuis conſcientiis, neceſſe eſt ſuo ipſorum judicio convictos teneri. Superſtitio enim ſemper trepida eſt, ac ſubinde aliquid novi excudit. Videmus ergo quam miſera ſit eorum conditio, qui certam veritatis lucem non habent, quia & apud ſe ſemper fluctuantur, & coram Deo ludunt operam. Notandum tamen eſt, incredulos, dum nunc voluntaria pertinacia ſe excæcant, nunc inter varios & multiplices æſtus feruntur, ſecum ipſos pugnare. ſæpe non modo ſibi delicias faciunt: verum ſi quis contra eorum ineptias mutire audeat, crudeliter in eum ſæviunt. ſic eos faſcinat diabolus, ut nihil putent eſſe melius, quam quod ipſis arridet. Interea ſi quis objectus ſit ſcrupulus, ſi quis ſurgat impoſtor, ſi quod novum delirium emergat, non modo dubii alternant, ſed ſponte huc & illuc ſe raptandos offerunt. Unde apparet, neque judicio neque tranquillo mentis ſtatu in recepto colendi Dei uſu acquieſcere: ſed torpere ebriis ſimiles. Atqui tali ſtupore magis tolerabilis eſt anxietas, quæ incredulos ſibi placere non patitur. denique quanquam non ſemper meticuloſa eſt ſuperſtitio: variis tamen erroribus implicita, mentes inquietat, & cæcis tormentis pungit. Hinc factum erat, ut Athenienſes deos ignotos cum domeſticis miſcerent, quos ſibi putabant notos eſſe: quia vana opinione eos finxerant. Inde enim apparet inquietudo, quod ſe nondum defunctos fatentur, ubi popularibus diis litarunt qui à majoribus tradit erant, & quos vocarunt indigetas & patrios. Ideo Paulus, ut convellat quicquid falſæ perſuaſionis infixum erat eorum animis, hoc axioma ſumit, Neſcire ipſos quid colant, nec habere certum aliquod Numen. nam ſi quem omnino Deum noviſſent, eo contenti, nunquam delapſi fuiſſent ad ignotos: quandoquidem una veri Dei cognitio abolendis omnibus idolis ſufficit.

23. *Ignoto Deo.*] Facile quidem recipio aram hanc diis omnibus peregrinis dicatam fuiſſe: non tamen concedo quod dicit Hieronymus, Paulum ſancta vafritie, quod de pluribus ſcriptum erat, traxiſſe ad unum Deum. nam quum paſſim vulgata eſſet inſcriptio, non fuit certe aſtutiæ locus. Cur ergo pluralem numerum mutavit? certe non ut circumveniret Athenienſes: ſed quia res ita ferebat, dixit ſe afferre doctrinam de quodam Deo ignoto. Poſtquam autem eos falli præfatus eſt, quod neſcirent quiſnam colendus eſſet Deus, & in magna deorum congerie non haberent certum aliquod Numen: nunc ſe inſinuat, & favorem conciliat ſuæ doctrinæ: quia iniquum erat rejici vel reſpui quod in medium proferebatur de novo Deo, cui jam ſeſe addixerant; & longe præſtaret prius habere cognitum, quam temere adorare. Hoc modo iterum redit Paulus ad principium illud, Non poſſe Deum rite ac pie coli, donec patefactus fuerit. Sed hic moveri poteſt quæſtio, Quomodo cultum Athenis Deum fuiſſe dicat, qui omnes cultus repudiat à Legis ſuæ præſcripto alienos: imo idololatriam eſſe pronunciat, quicquid abſque verbo ſuo comminiſcuntur homines? Si nullum cultum Deus ratum habet niſi conſentaneum verbo ſuo, quomodo hanc laudem Paulus hominibus ſine modo deliris tribuit, quod Deum coluerint? Nam Chriſtus Samaritanos damnans, hoc uno principio nititur & contentus eſt, quod ſine ſcientia Deum adorent: *Joan. 4. verſ. 22.* tamen Deum ſe Abrahæ colere jactabant. Quid ergo de Athenienſibus dicendum erit, qui ſepulta extinctaque veri Dei memoria, in ejus locum Jovem, Mercurium, Palladem, totamque illam colluviem ſubſtituerant? Reſpondeo, Paulum hic minime laudare quod fecerant Athenienſes: ſed ex eorum affectu, quamvis vitioſus fuerit, liberam docendi materiam captare.

24. *Deus qui fecit mundum.*] Conſilium Pauli eſt, docere qualis ſit Deus. Porro quia illi negotium eſt ac ſermo cum hominibus profanis, probationem ſumit ab ipſa natura: Scripturæ enim teſtimoniis fruſtra pugnaſſet. Hoc propoſitum ſancto Apoſtolo fuiſſe dixi, ut Athenienſes ad verum Deum adduceret. nam Divinitatem aliquam eſſe perſuaſi erant: tantum corrigenda erat præpoſtera religio. Unde colligimus per flexuoſas ambages errare mundum, imo in labyrintho verſari, quamdiu regnat confuſa de natura Dei opinio. Nam hæc demum vera pietatis regula eſt, diſtincte tenere quiſnam ſit Deus quem colimus. Siquis de religione in genere tractare velit, hoc erit primum caput, Eſſe aliquod Numen cui debetur cultus ab hominibus. ſed quia id controverſia carebat, Paulus ad ſecundum caput deſcendit, Debere ab omnibus figmentis diſcerni verum Deum. Ita exordium facit à definitione Dei, ut inde probet quomodo ſit colendus: quia alterum ex altero dependet. unde enim tot præpoſteri cultus, tantaque in illis ſubinde augendis temeritas, niſi quia Deum ſibi proprio arbitrio omnes fabricarunt? Nihil autem magis proclive, quam adulterare purum Dei cultum, ubi homines ex ſuo ſenſu & ingenio Deum æſtimant. quare ad deſtruendos omnes vitioſos cultus nihil aptius eſt, quam hoc exordium ſumere, Qualis ſit Dei natura. Sic etiam ratiocinatur Chriſtus Joan. 4. cap. Deus ſpiritus eſt: ergo cultores non alios probat, niſi qui ſpiritualiter eum colunt. *Joan. 4. verſ. 24.* Et ſane non ſubtiliter diſputat de arcana Dei eſſentia: ſed ab operibus demonſtrat, quænam utilis ſit ejus cognitio. Quid autem inde colligit Paulus, quod Deus creator eſt mundi, opifex & dominus? nempe eum non habitare in templis manufactis. nam quum ex creatione mundi conſtet ultra cæli & terræ fines diffuſam eſſe juſtitiam Dei, ſapien-

tiam,

tiam, bonitatem & potentiam: ſequitur nullis locorum ſpatiis includi ipſum poſſe. Videtur tamen ſupervacua fuiſſe hæc demonſtratio, quod exceptio in promptu foret, ſtatuas & imagines locari in templis ad teſtandam Dei præſentiam: neminem vero tam craſſum eſſe, quin Deum omnia implere ſciret. Reſpondeo, verum eſſe quod paulo ante admonui, Idololatriam ſecum pugnare. Deos ſe precari dicebant increduli ad eorum ſimulacbra: ſed niſi Dei numen ac virtutem alligaſſent ſimulacbris, an inde ſperaſſent auxilium? an illuc ſuas preces & vota direxiſſent? hinc etiam factum eſt, ut templum unum aliis eſſet ſanctius. Delphos currebant, ut inde peterent Apollinis oracula: Minerva Atbenis ſedem & domicilium babebat. Videmus nunc Pauli verbis falſam opinionem perſtringi, qua ſemper fere deluſi fuerunt homines: quod Deum carnalem fingebant. Hic primus eſt aditus in rectam Dei notitiam, ſi extra nos egredimur, nec ipſum metimur mentis noſtræ captu: imo nihil de eo pro ſenſu carnis noſtræ imaginamur, ſed ſtatuimus eum ſupra mundum, & à creaturis diſcernimus. à qua ſobrietate totus ſemper mundus procul abfuit: quia ingenita eſt hominibus hæc pravitas, ut Dei gloriam ſuis figmentis deforment. Nam ut ſunt carnales & terreni, habere volunt qui naturæ ſuæ reſpondeat. deinde pro ſua audacia figurant qualem poſſunt capere. Talibus figmentis corrumpitur ſincera & liquida Dei cognitio. imo ejus veritas,
Rom. 1. verſ. 25. ſicut dicit Paulus, vertitur in mendacium. Quiſquis enim ſupra mundum non conſcendit, inanes umbras & ſpectra apprehendit Dei loco. Porro niſi fidei alis evehimur in cælum, nos in propriis cogitationibus evaneſcere neceſſe eſt. nec mirum eſt Gentiles craſſis iſtis præſtigiis fuiſſe deluſos, ut Deum è cæleſti ſuo ſolio detractum mundi elementis includerent: quum idem Judæis acciderit, quibus tamen Deus ſpiritualem ſuam gloriam patefecerat. Neque enim fruſtra
Jeſa. 66. verſ. 1. eos objurgat Iſaias, quod Deum includant templi parietibus. Et hoc vitium ſeculis omnibus inter eos graſſatum eſſe, colligitur ex concione Stephani
ſupra 7. verſ. 49. quam Lucas capite ſeptimo, verſu quadrageſimo nono retulit. Siquis Judæos, quorum craſſitiem exagitat Spiritus ſanctus, rogaſſet, numquid putarent Deum ſuo templo eſſe incluſum: fortiter negaſſent tam craſſo errore ſe teneri. Sed quia neque ſupra ocularem templi conſpectum mentibus ſurgebant, & templo confiſi, Deum quaſi ſibi devinctum eſſe gloriabantur: merito Spiritus eos arguit, quod eum templo non ſecus ac hominem mortalem alligent. eſt enim illud verum quod jam dixi, ſuperſtitionem ſibi eſſe contrariam, & in varias imaginationes diffluere. Nec vero hodie alia ſuppetit Papiſtis defenſio, quam qua olim Gentiles & Judæi ſuos errores utcunque fucare vel tegere conati ſunt. In ſumma, ſuperſtitio Deum in templis manu factis habitare fingit, non quod tanquam in ergaſtulis captivum tenere velit: ſed quia Deum carnalem ſomnians, numen idolis affingit, & Dei gloriam ad externas ſpecies transfert. Verum ſi Deus in templis manufactis
2 Reg. 19. verſ. 15. Pſal. 80. verſ. 2. Pſal. 132. verſ. 14. non habitat: quorſum tot Scripturæ locis teſtatus eſt Deus ſe inter Cherubim ſedere, & templum ſibi eſſe æternam quietem? Reſpondeo, ſicuti loco affixus non erat, ita nihil illi fuiſſe minus propoſitum, quam populum ſuum terrenis ſymbolis affigere. quin potius ad eos deſcendit, ut ſurſum ad ſe attolleret. Ideo perperam templo & arca abuſi ſunt, quos earum rerum intuitus ſic occupavit, ut ſubſiſterent in terra, & à ſpirituali Dei cultu diſcederent. Hinc videmus longum fuiſſe diſcrimen inter præſentiæ divinæ ſymbola quæ ſibi homines temere finxerunt, & quæ fuerunt divinitus ordinata: quia deorſum ſemper inclinant homines, ut Deum apprehendant carnali modo: Deus autem verbi ſui ductu ſurſum eos attollit. tantum intermedia ſymbola adhibet, quibus familiariter tardis hominibus ſe inſinuat, donec gradatim in cælos conſcendant.

25. *Nec manibus humanis.*] Eadem quæ nuper de templo ſoluta eſt quæſtio, nunc de ceremoniis objici poteſt. videtur enim quod Paulus damnat in Gentium ritibus, ad cultus Legis Moſaicæ poſſe transferri. Sed non difficilis eſt ſolutio, quod Dei cultum fideles nunquam in ceremoniis proprie conſtituerint: ſed tantum adminicula eſſe duxerint, quibus pro ſua infirmitate ſe exercerent. Quum Deo mactarent pecudes, offerrent panem & libamina, luminaria accenderent, pietatem in bis rebus ſciverunt non eſſe poſitam: ſed talibus rudimentis adjuti, ad ſpiritualem Dei cultum ſemper intuiti ſunt, & illum unum habuerunt in pretio. Et Deus pluribus locis aperte clamitat, nihil externum aut viſibile ſe morari, ceremonias per ſe nullius momenti habendas, nec ſe aliter quam fide, pura conſcientia, precibus & gratitudine coli. Quid porro Gentiles? nempe quum erigerent ſtatuas, thus adolerent, ludos ederent, ac ſternerent pulvinaria ſua idolis, ſe optime pietatis officiis defunctos putarunt. Subſannant quidem non modo interdum Philoſophi, ſed etiam Poetæ vulgi ineptias, quod perperam in ceremoniarum pompa & ſplendore Dei cultum ſtatuat. Ut innumera teſtimonia omittam, notum eſt illud Perſii,

Dicite Pontifices, in ſacro quid facit aurum?
Nempe hoc quod Veneri donatæ à virgine puppæ.
Quin damus id ſuperis de magna quod dare lance
Non poſſit magni Meſſalæ lippa propago,
Compoſitum jus faſque animi, ſanctoſque receſſus
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto?
Hoc cedo ut admoveam templis, & farre litabo.

Nec dubium eſt, quin Deus tales voces profanis hominibus expreſſerit, quæ ignorantiæ prætextum tollerent. Sed facile apparet eos qui ſic loquebantur, ad communem inſaniam ſtatim relapſos eſſe: imo nunquam penetraſſe in eorum animos quid hoc ſibi vellet. Nam etſi fateri coguntur qui perſpicacia ſupra vulgus pollent, nudas ceremonias nullo eſſe in pretio: hæc tamen illis fiducia nunquam excutitur, quin ſibi perſuadeant illas partem eſſe divini cultus. Proinde quod diligentius talibus ludicris incumbunt, ſe pietatis officiis probe defungi non dubitant. Quod ergo ceremoniis, aliiſque externis rebus Deum placari exiſtimant cuncti mortales à ſummo ad infimum, propriiſque operibus erga eum defungi volunt, id refutat Paulus. Ratio etiam additur, quod quum ſit cæli & terræ dominus, nulla re indiget: quod quum vitam & halitum largiatur hominibus, nihil viciſſim recipere ab ipſis poſſit. quid enim de ſuo afferant, qui bonorum omnium indigi nihil habent niſi ex gratuita ejus beneficentia? imo qui nihil ſunt, niſi ex mera ejus gratia: mox in nihilum redigendi, ſi ſpiritum quo vivunt ſubducat. Unde ſequitur non modo ſocordes, ſed nimis ſuperbos eſſe, ſi ſe cum operibus manuum ſuarum ad Deum colendum ingerunt. nam quod eleemoſynas & charitatis officia pronunciat ſacrificia eſſe boni odoris: à præſenti cauſa diſcerni debet, ubi tantum de ceremoniis agitur, quas increduli Deo ſpiritualis cultus vice obtendunt. Per vitam & flatum notatur vita ſpiritualis vel animalis, ut loquuntur. In clauſula ſententiæ tametſi hodie quidam Græci codices in hanc lectionem conſentiunt, κατὰ πάντα, hoc eſt, per omnia: mihi tamen videtur melius quadrare quod reddidit vetus Interpres, καὶ τὰ πάντα, & omnia: quia & clarius eſt, & pleniorem doctrinam continet. Inde enim melius colligitur homines nihil habere proprium. Et ſuffragantur etiam Græca quædam exemplaria.

Digitized by Google

26. Fecitque ex uno ſanguine omne genus hominum, ut inhabitaret ſuper univerſam faciem terræ, definivitque præſtituta tempora, & terminos habitationis eorum.

27. Ut quærerent Deum, ſi forte palpent eum & inveniant: quamvis non longe abſit ab unoquoque noſtrum.

28. In ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus: ſicut & quidam veſtratium Poëtarum dixerunt. Nam hujus progenies etiam ſumus.

29. Genus ergo quum ſimus Dei, non debemus exiſtimare auro, vel argento, vel lapidi ſculpto arte & cogitatione hominis, Numen eſſe ſimile.

26. *Fecitque ex uno ſanguine.*] Jam Paulus quorſum conditum fuerit humanum genus Athenienſes admonet, ut hoc modo inviter atque hortetur ad conſiderandum vitæ ſuæ finem. Hæc ſane turpis eſt hominum ingratitudo, quum vita communi fruantur omnes, non reputare quorſum Deus illis vivere dederit. Atqui belluinus hic ſtupor majorem partem occupat, ut minime reputent cur in mundo locati ſint: nec illis in mentem veniat cæli terræque opifex, cujus bona ingurgitant. Ergo Paulus, poſtquam diſſeruit de natura Dei, hanc admonitionem opportune inſerit, debere homines ſedulo ad Dei notitiam attendere: quia ideo conditi ſunt, & ad hunc finem nati. Breviter enim hanc illis vivendi cauſam aſſignat, ut Deum quærant. Porro, quia nonuna in mundo religio vigebat, ſed diſtractæ erant Gentes in varias ſectas, varietatem iſtam ex corruptela natam eſſe admonet. Huc enim ſpectat meo judicio quod dicit, ex uno ſanguine fuiſſe omnes creatos. Debuerat enim conſanguinitas & eadem generis origo, vinculum eſſe mutui inter eos conſenſus. atqui religio eſt quæ maxime conciliat homines vel diſſociat. unde ſequitur à natura deſciviſſe, qui ita in religione & Dei cultu ſunt diſcordes: quia ex quocunque oriundi ſunt loco, vel quamcunque mundi plagam incolant, unus tamen omnium eſt fictor & pater, qui uno conſenſu ab omnibus quærendus eſt. Et certe neque locorum diſtantia, neque fines regionum, neque morum diverſitas, neque ulla divortii inter homines cauſa Deum ſui diſſimilem facit. In ſumma, docere voluit naturæ ordinem fuiſſe violatum, quum religio inter eos divulſa fuit: ac diſſipationem, quæ inter ipſos apparet, teſtimonium eſſe everſæ pietatis: quia à Deo communi patre defecerint, ex quo omnis cognatio dependet.

Ut inhabitaret.] Perſtringit ſuo more Lucas concionis Paulinæ ſummam. Cæterum minime dubium eſt, quin Paulus oſtenderit primum homines quaſi in theatro hic eſſe poſitos, ut ſint operum Dei ſpectatores: deinde verba fecerit de providentia Dei, quæ in tota mundi gubernatione ſe profert. nam quum dicit Deum præordinata tempora definire, & terminos habitationis: intelligit ejus manu & conſilio hunc mundum regi, non autem fortuito volvi res humanas, ſicuti profani homines ſomniant. Atque ita ex paucis Lucæ verbis colligimus, Paulum res maximas complexum eſſe. nam quum dicit, Prius ordinata fuiſſe ab eo tempora: teſtatur illi fuiſſe decretum ante conditos homines, qualis futura eſſet eorum conditio. Quum varias fieri in terra inclinationes cernimus, quum occurrunt regnorum interitus, terrarum mutationes, urbium ruinæ, gentium excidia, vel fatum vel fortunam ſtulte imaginamur in his rebus dominari. atqui Deus hoc loco per os Pauli teſtatur, prius ſuo conſilio fuiſſe fixum, quam diuturnum cujuſque populi ſtatum eſſe vellet, & quibus finibus ſingulos contineri. Quod ſi certum illis tempus ſtatuit, & fixit regionum limites, non dubium eſt quin totum vitæ ipſorum curſum diſpoſuerit. Notandum autem quod Paulus non modo nudam præſcientiam & frigidam ſpeculationem, ut inſcite faciunt plerique, Deo tribuit: ſed eorum quæ accidunt cauſam ſtatuit in ejus conſilio & nutu. non enim dicit ſolum prævisa tempora, ſed προτεταγμένα, hoc eſt, diſpoſita quo placuit ordine. Quum vero ſimul addit Deum ab initio definiſſe quæ ante ordinaverat, ſenſus eſt, ipſum manus ſuæ virtute exequi quæ conſilio ſuo decrevit: ſecundum illud, Deus *Pſal. 115.*
noſter in cælo, omnia quæ voluit fecit. Nunc vide- *verſ. 3.*
mus, ſicuti in caſtris ſua cuique turmæ & decuriæ diſtincta eſt ſtatio, ita in terra locatos eſſe homines, ut ſinguli populi ſuis finibus contenti ſint, & in ipſis populis ſuum quiſque domicilium incolat. Cæterum quamvis graſſata ſubinde fuerit ambitio, multi prava cupidine incenſi fines ſuos tranſilierint: nunquam tamen effecit hominum libido, quin Deus ex arcano ſuo ſanctuario omnes eventus moderatus ſit. nam etſi tumultuando in terra, videntur cælum aggredi, ut Dei providentiam evertant: coguntur tamen, velint nolint, eam potius ſtabilire. Sciamus ergo per varios turbarum circuitus ita volvi mundum, ut Deus in finem quem ſtatuit, omnia tandem referat.

27. *Ut quærerent Deum.*] Duo ſunt hujus ſententiæ membra: nempe quod hominis officium ſit Deum quærere: deinde quod Deus ipſe obviam prodeat, & ſe tam manifeſtis ſignis conſpicuum reddat, ut nulla ſit nobis ignorantiæ excuſatio. Meminerimus ergo vita hac perperam abuti, & terræ habitatione indignos eſſe, quicunque ad Deum quærendum ſtudia ſua non applicant. acſi ſingulæ brutorum animalium ſpecies ab inclinatione ſibi naturaliter indita deſciſcerent: quod merito monſtroſum duceretur. Et certe nihil abſurdius eſt, quam ut auctorem ſuum ignorent, qui in hunc maxime uſum intelligentia donati ſunt. Præcipue vero notanda eſt Dei bonitas, quod tam familiariter ſe inſinuat, ut palpari à cæcis quoque poſſit. quo magis pudenda eſt & minus tolerabilis hominum cæcitas, qui in tam clara & perſpicua manifeſtatione, nullo præſentiæ Dei ſenſu tanguntur. Quocunque vertant oculos ſurſum ac deorſum, neceſſe eſt ut in vivas, & quidem innumeras divinæ potentiæ, ſapientiæ, bonitatis imagines incurrant. neque enim obſcure ſuam gloriam adumbravit Deus in mundi opificio: ſed tam illuſtres notas ubique inſculpſit, ut à cæcis quoque palpando agnoſci poſſent. unde colligimus homines non cæcos modo eſſe, ſed ſtupidos, quando tam præclaris documentis adjuti nihil proficiunt. Hic tamen ſuboritur quæſtio, numquid naturaliter ad veram & liquidam Dei notitiam pervenire queant homines. innuit enim Paulus nonniſi per eorum ignaviam ſtare, quominus ſentiant Deum præſentem: quia ut oculos claudant, ipſe tamen ſit quaſi palpabilis. Reſpondeo, talem eorum ignorantiæ & ſtupori pravitatem mixtam eſſe, ut recti judicii expertes, ſine vero ſenſu prætereant quæcunque in cælo & terra gloriæ Dei ſigna palam refulgent. imo quum vera Dei cognitio ſingulare ſit ipſius donum: & fides, qua ſola rite cognoſcitur, nonniſi ex Spiritus illuminatione procedat: ſequitur ſola natura duce non poſſe illuc penetrare mentes noſtras. nec ſane Paulus de hominum facultate hic diſſerit: ſed tantum admonet eſſe inexcuſabiles, dum in tam clara luce cæcutiunt: ſicuti loquitur primo ad Ro- *Rom. 1.*
manos capite. Quamvis ergo in Deo inveſtigando *verſ. 20.*
deficiant hominum ſenſus, nullum tamen culpæ prætextum habent, quod quum ſe attrectandum præbeat, manent tamen attoniti. Qua de re plura dixi- *ſupra 14.*
mus capite 14. *verſ. 17.*

Quamvis non longe abſit.] Quo magis conſtringat homi-

Digitized by Google

hominum pravitatem, Deum longis ambagibus vel laborioſo itinere quærendum eſſe negat: quia illum quiſque in ſeipſo inveniet, ſi modo attendere velit. qua experientia convincimur culpa non carere noſtram hebetudinem, quam tamen ex Adæ labe contraximus. Quamvis enim nullus mundi angulus aliquo gloriæ Dei teſtimonio vacuus ſit: nihil tamen opus eſt extra nos egredi, ut eum apprehendamus. ſua enim virtute intus unumquemque noſtrum ſic afficit, ut prodigio ſimilis ſit noſtra ſtupiditas, quod eum ſentiendo non ſentimus. Hac ratione quidam ex Philoſophis hominem vocarunt μικρόκοσμον: quod præ aliis omnibus creaturis ſpecimen ſit gloriæ Dei, innumeris miraculis refertum.

28. *In ipſo enim.*] Fateor Apoſtolos juxta Hebraicam phraſim, particulam *in* ſæpe accipere loco *per*: ſed quia loquutio hæc, Quod in Deo vivamus, magis emphatica eſt, ac plus exprimit, eam mutare non placuit. neque enim dubito quin ſignificet Paulus nos in Deo quodammodo contineri, quia ſua in nobis virtute habitat. atque ideo ſeſe à creaturis omnibus Deus ipſe nomine Jehovæ ſeparat, ut ſciamus proprie loquendo ipſum eſſe ſolum: nos vero in eo ſubſiſtere, quatenus ſuo nos Spiritu vegetat & ſuſtinet. Nam per omnes mundi partes diffuſa eſt vis Spiritus, quæ tueatur eas in ſuo ſtatu: cælo & terræ vigorem quem cernimus, animantibus etiam motum ſuppeditet. non qualiter phrenetici homines deorum plena eſſe omnia nugantur, imo lapides eſſe deos: ſed quia admirabili Spiritus ſui vigore & inſtinctu Deus quæcunque ex nihilo condidit, conſervat. Cæterum hic peculiariter fit hominum mentio, quia dixerat Paulus non procul illis quærendum eſſe Deum, quem intus habent. Porro quum vita hominum excellentior ſit motu, & motus eſſentiæ præſtet: quod præcipuum erat, Paulus ſummo loco poſuit, ut gradatim ad eſſentiam deſcenderet, hoc ſenſu, Non modo nulla nobis niſi in Deo vita ſuppetit, ſed ne motus quidem: imo nec eſſentia, quæ utroque eſt inferior. Dico vitam in hominibus præcellere: quia non modo ſenſum & motum habent cum brutis pecudibus communem, ſed ratione & intelligentia præditi ſunt. Quare merito Scriptura ſingulare iſtud donum quo nos Deus ornavit, proprio elogio ſeorſum celebrat. Ita apud Joannem, ubi de univerſa
Joan. 1. creatione facta eſt mentio, ſeorſum non abs re addi-
verſ. 4. tur, vitam fuiſſe lucem hominum. Nunc videmus omnes qui Deum ignorant, ſeipſos neſcire: quia Deum non modo in eximiis mentis ſuæ dotibus præſentem habent, ſed in ipſa eſſentia: quia nonniſi in Deum competit eſſe, reliqua omnia in eo ſubſiſtunt. Hic etiam locus docet, non ita ſemel conditum fuiſſe mundum à Deo, ut poſtea ab opere ſuo diſcederet: ſed virtute ejus ſtare, & eundem eſſe perpetuum gubernatorem qui ſemel creator fuit. Hæc nobis aſſidua vegetatio probe meditanda eſt, ut ſingulis momentis veniat Deus nobis in mentem.

Quidam veſtratium Poetarum.] Citat hemiſtichion ex Arato, non tam auctoritatis cauſa, quam ut pudorem Athenienſibus incutiat: tales enim Poetarum ſententiæ non ex alio fonte, quam à natura & communi ratione fluxerunt. Nec vero mirum eſt Paulum, cui ſermo erat apud homines incredulos & veræ pietatis ignaros, Poetæ teſtimonio uti, in quo extabat ejus notitiæ confeſſio, quæ naturaliter humanis mentibus indita eſt ac inſculpta. Longe diſſimilis eſt Papiſtarum ratio. ſic enim hominum teſtimoniis nituntur, ut Dei oraculis opponant: nec modo Hieronymum, vel Ambroſium, & reliquos ſanctos Patres fidei magiſtros ſtatuunt: ſed putidis ſuorum Paparum reſponſis non ſecus obſtringere nos volunt, ac ſi Deus loquutus foret. quin etiam Ariſtoteli tantum dare auctoritatis veriti non ſunt, ut in ſcholis præ illo ſilerent Apoſtoli & Prophetæ. Nunc ut ad præſentem ſententiam revertar, non dubium eſt quin de Jove loquutus fuerit Aratus: nec tamen Paulus, quod ille inſcite dixerat de ſuo Jove, ad verum Deum accommodans, in alium ſenſum detorquet. nam quia naturaliter aliquo Dei ſenſu imbuti ſunt homines, ex illo fonte vera principia hauriunt. Tametſi autem ſimulac eorum mentibus obrepit Dei cogitatio, mox in pravis figmentis evaneſcunt, atque ita purum ſemen degenerat in corruptelas: prima tamen generalis Dei notitia interim in ipſis manet. In hunc modum quod de Jove fictitio habetur apud Virgilium, *Jovis omnia plena*, ad verum Deum transferre nemo ſanæ mentis dubitet. Imo Virgilius, quum exprimere vellet Dei potentiam, errore falſum nomen ſuppoſuit. Quod attinet ad ſenſum verborum, fieri poteſt quod ſenſerit Aratus, particulam aliquam Divinitatis ineſſe hominum mentibus, qualiter fabricati ſunt Manichæi animas ex Dei traduce. Sic quum dicit Virgilius de mundo, *Spiritus intus alit, totoſque infuſa per artus Mens agitat molem*: magis Platonico more philoſophatur quam pure intelligat, arcana Dei inſpiratione mundum ſuſtineri. ſed hoc commentum obſtare Paulo non debuit, quominus verum axioma retineret, quamvis corruptum eſſet hominum fabulis, Homines eſſe genus Dei, quia naturæ præſtantia divinum aliquid referant: hoc eſt quod Scriptura docet, nos ad imaginem Dei ac ſimi- Geneſ. 1.
litudinem creatos eſſe. Docet quidem eadem Scri- verſ 27.
ptura multis locis, fide nos & gratuita adoptione Gal. 3:26.
effici Dei filios, quum in corpus Chriſti inſerimur, & Spiritu regeniti incipimus eſſe novæ creaturæ. ſed quemadmodum Spiritum ipſum, propter multiplices ejus gratias variis nominibus inſignit: ita non mirum eſt diverſis modis filiorum nomen accipi. Promiſcue vocantur omnes mortales Filii, quia mente & intelligentia propius ad Deum accedunt: ſed quoniam fere deleta eſt in ipſis Dei imago, ut vix tenues lineæ appareant; jure hoc nomen ad fideles reſtringitur, qui Spiritu adoptionis donati, cæleſtem Patrem rationis luce, juſtitia & ſanctitate referunt.

29. *Genus ergo quum ſimus.*] Colligit Deum non poſſe pictura vel ſculptura figurari: quum extare in nobis voluerit ſuam effigiem. Anima enim, in qua proprie inſculpta eſt imago Dei, pingi non poteſt. tanto igitur abſurdius eſt velle Deum pingere. Nunc videmus quantam Deo injuriam faciant, quicunque corpoream illi faciem affingunt: quando hominis anima, quæ vix exiguam ſcintillam immenſæ Dei gloriæ refert, nihil tale admittit. Porro quum certum ſit Paulum hic in communem Gentium omnium ſuperſtitionem invehi, quia Deum ſub corporeis figuris colere voluerint: tenenda eſt generalis doctrina, perperam & impie transfigurari Deum; & ejus veritatem in mendacium converti, quoties viſi-
bili aliqua ſpecie repræſentatur ejus majeſtas: ſicuti Rom. 1.
docet idem Paulus primo ad Romanos capite. Ta- verſ. 23.
metſi autem omnium ætatum idololatris non defuerint ſui prætextus: non tamen illis temere à Prophetis ſemper objectum eſt quod nunc objicitur à Paulo, Deum fieri ſimilem ligno & lapidi vel auro, quum ex mortua & corruptibili materia imago illi fabricatur. Simulachris uſæ ſunt Gentes, ut pro ſua ruditate propinquum ſibi Deum melius conciperent. atqui quum immenſo ſpatio ſupra mentis noſtræ captum emineat Deus, quiſquis eum tentat mente ſua apprehendere, prava & fallaci imaginatione deformat ejus gloriam. quare nefas eſt quicquam de eo proprio ſenſu comminiſci. Deinde quod deterius eſt, ſatis conſtat, non alia de cauſa erigi Deo ſtatuas ab hominibus, niſi quia carnale aliquid de ipſo concipiunt: in quo ignominia afficitur. Hodie quoque nihilo magis excuſabiles ſunt Papiſtæ. quoſcunque enim fucos inducant ad colorandas imagines quibus Deum exprimere conantur, quia tamen eodem ſunt impliciti errore quo veteres, urgentur Prophetarum teſtimoniis. Quod autem eaſdem
olim

Digitized by Google

olim excuſationes obtenderint Ethnici, quibus hodie ſe tegere conantur Papiſtæ, ex illorum libris ſatis notum eſt. Itaque quorundam ſannas non effugiunt Prophetæ, quaſi nimiam affingant illis craſſitiem, imo falſis criminationibus eos onerent: verum omnibus probe expenſis, reperient qui recte judicabunt, quæcunque captarint effugia etiam acutiſſimi quique, hac tamen amentia fuiſſe correptos, Deo rite litari apud ſimulachra. Ubi cum Eraſmo nos vertimus Numen, Lucas τὸ θεῖον in neutro genere poſuit, pro Divinitate ſcilicet. Quum Paulus Deum ſimilem eſſe negat auro, vel argento, vel lapidi, & deinde ſubjicit Sculpturæ artis vel inventionis humanæ, excludit materiam & formam, & ſimul damnat quævis hominum figmenta, quæ veram Dei naturam deformant.

30. Et tempora quidem hujus ignorantiæ quum hactenus diſſimulaverit Deus, nunc denunciat omnibus hominibus ut ubique reſipiſcant.

31. Eo quod ſtatuit diem in quo judicaturus eſt orbem terrarum in juſtitia, per eum virum quem definivit, fide omnibus præſtita, quum eum excitavit à mortuis.

32. Quum autem audiſſent reſurrectionem mortuorum, alii quidem ridebant: alii vero dixerunt, Audiemus te de hoc iterum.

33. Sic Paulus exivit de medio eorum.

34. Quidam tamen viri adhærentes ei, crediderunt: in quibus & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alii cum eis.

30. *Et tempora quidem hujus ignorantiæ.*] Quia rectum eſſe vulgo creditur, quod & longo uſu receptum eſt, & publico omnium conſenſu approbatum: poterat objici Paulo, Quid tu nunc convellis quæ uſque ab initio mundi continua tot ætatum ſerie recepta fuerunt? & cui perſuadeas totum mundum fuiſſe tamdiu deceptum? ſicuti nullum eſt tam fœdum abominationis genus, quod non confidant Papiſtæ hoc clypeo probe munitum. Hanc quæſtionem anticipat Paulus: ideo homines tamdiu erraſſe admonens, quia manum è cælo Deus non porrexerit, ut in viam reduceret. Videri abſurdum poteſt, homines ratione & judicio præditos, in re maxima tam craſſe & turpiter hallucinari. atqui Paulus ſignificat, nullum fore hominibus errandi modum, donec illis ſubveniat Deus. Jam vero cur non citius adhibuerit remedium, non aliam cauſam aſſignat, quam ejus beneplacitum, ut loquuntur. Et certe cur Deus lucem doctrinæ ſuæ repente accenderit, quum quatuor annorum millibus paſſus eſſet homines in tenebris vagari, ratio à nobis comprehendi non poteſt: ſaltem quum eam taceat Scriptura, pluris hic ſit ſobrietas, quam præpoſtera ſapientia. Deum enim cogere in ordinem nituntur (quod pluſquam indignum eſt, & cum natura ipſa pugnat) quicunque illi non permittunt ſuo unius arbitrio tacere vel loqui. Deinde qui ejus prudentia arcanoque conſilio non erunt contenti, eos obſtrepere Paulo neceſſe eſt, qui aperte docet ignorantiam in mundo graſſatam eſſe, quamdiu eam diſſimulare Deo placuit. Alii ſecus interpretantur, Deum ignorantiæ peperciſſe, quaſi conniveret punire nolens. Sed tale commentum prorſus alienum eſt à meote Pauli & conſilio: cui minime propoſitum fuit extenuare hominum culpam, ſed Dei gratiam quæ repente affulſerat, magnificare. & ex aliis locis falſum eſſe coarguitur:
Rom. 2. verſ. 12. quia qui ſine Lege peccaverint, ſine Lege oihilominus peribunt. In ſumma, nihil aliud ſibi volunt verba Pauli, quam cæcitati addictos fuiſſe homines, donec ſe illis patefecit Deus. cur autem oon citius tenebras diſcuſſerit, non eſſe nimis audacter vel curioſe exigendam cauſam: ſed quicquid illi placuit, rectum & æquum debere nobis ſine controverſia videri. Etſi enim dura eſt iſta loquutio, diſſimulante Deo homines multis ſeculis miſere fuiſſe deluſos: ejus tamen providentiæ acquieſcere nos decet. Quod ſi quando obrepet inanis & perverſa plus quam fas eſt ſciendi cupiditas, ſtatim veniat in mentem quod
Rom. 16. verſ. 25. pluribus locis docet Paulus, Myſterium fuiſſe à ſeculis abſconditum, quod Gentibus lux Evangelii
Epheſ. 3. verſ. 9. ſubito affulſit: atque hoc ſpecimen eſſe multiplicis Dei ſapientiæ, quæ omnes hominum ſenſus abſorbet. Meminerimus deinde non levari hominum culpam, quia Deus eorum errores ſanare noluerit: quandoquidem eos ſemper convictos tenebit propria conſcientia, ne juſtam damnationem effugiant. Et Paulus non ut crimen in Deum transferret, ſed ut anſam præcideret curioſis & noxiis quæſtionibus, dixit Connivente Deo mundum erraſſe. Atque hinc diſcimus quam reverenter & modeſte cogitandum ſit de providentia Dei: ne quis ſcilicet audeat, ut ſuperba eſt hominum natura, exigere à Deo operum ſuorum rationem. Porro hæc admonitio non minus hodie nobis utilis eſt, quam illius ſeculi hominibus. Pro magno abſurdo habent renaſcentis Evangelii hoſtes, quod Deus ſub Papæ apoſtaſia tamdiu paſſus fuerit homines errare: quaſi vero, ut nulla ratio appareat, non perinde ad hominum inſcitiam nunc illi diſſimulare licitum fuerit atque olim. Maxime vero notandum eſt in quem finem hoc dicatur, ne ſcilicet nos impediat ſuperioris temporis ignorantia, quominus loquenti Deo ſtatim obſequamur. Putant plerique ſpecioſum ſe habere errandi colorem, modo Patres habeant ſocios, vel patrocinium captent ex longa conſuetudine. imo libenter & cupide hoc captant effugium, ne Dei verbo obediant. Paulus vero petendam à Patrum ignorantia excuſationem eſſe negat, ubi nos Deus alloquitur: quia etſi illi coram Deo non ſunt innoxii, ſocordia tamen noſtra minus eſt tolerabilis, ſi in meridie cæcutimus: & clangente Evangelii tuba, ſurdi vel ſopiti jacemus.

Nunc denunciat omnibus.] His verbis admonet Paulus, præbendas eſſe aures Deo ſimulac loquitur: quemadmodum ſcriptum eſt, Hodie ſi vocem ejus Pſal. 95.
audieritis, nolite obdurare corda veſtra. minime v. 7, 8.
enim excuſabilis eſt eorum contumacia, qui dum Hebr. 3.
eos benigne ad ſe Deus invitat, hanc occaſionem v. 7, 8.
prætereunt. Interea colligimus ex hoc loco in quem finem prædicetur Evangelium: nempe ut Deus à prioris vitæ erroribus nos ad ſe colligat. ergo quoties auribus noſtris inſonat vox Evangelii, ſciamus Deum nos hortari ad pœnitentiam. Notandum etiam, quod Deo loquentis perſonam tribuit, quanquam id faciat per homines. neque enim plena aliter Evangelio auctoritas conſtat, quantam cæleſtis veritas meretur, niſi dum illum Prophetici muneris præſidem reſpici fides noſtra, & ab ejus ore pendet.

31. *Quia ſtatuit diem.*] Additur mentio extremi judicii ad excutiendum torporem. Scimus enim quam difficile ſit hominibus abnegare ſeipſos. itaque violenter ad pœnitentiam cogi neceſſe eſt. quod melius fieri non poteſt, quam dum citantur ad Dei tribunal, & proponitur horribile illud judicium, quod nec contemnere, nec effugere licet. Meminerimus ergo tunc demum vigere pœnitentiæ doctrinam, quum homines, qui naturaliter ſibi blandiri cuperent, divini judicii metu expergefiunt: nec alios eſſe idoneos Evangelii doctores, niſi qui præcones ſunt ſummi Judicis vel apparitores, qui reos ad dicendam

cauſam

cauſam pertrahunt, ac impendentem vindictam denunciant, perinde acſi in eorum eſſet manu. Nec fruſtra additur particula, *in juſtitia*, vel Juſte. Tametſi enim verbotenus fatentur omnes Deum eſſe juſtum Judicem: videmus tamen quas ſibi ut plurimum delicias faciant. neque enim ultra ſuam notitiam vel ſenſum, rationem exigere Deo permittunt. Significat igitur Paulus nihil vanis blanditiis proficere homines: quia non præjudicabunt hoc modo Dei juſtitiæ, quæ abominationem coram Deo eſſe oſtendit quod altum videtur hominibus: quia non placita mortalium, ſed quam dictavit formulam, ſequetur.

Per virum quem definivit.] Non dubium eſt quin Paulus plura de Chriſto verba fecerit, ut ſcirent Athenienſes ipſum eſſe Filium Dei, per quem allata fuerat ſalus mundo, & cui data erat omnis poteſtas in cælo & in terra: alioqui ad perſuadendum jejuna fuiſſet oratio qualis hic legitur. ſed Lucas ſummam concionis breviter perſtringere ſatis habuit. Probabile tamen eſt prius de gratia Chriſti loquutum eſſe Paulum, ac hominum Redemptorem ante prædicaſſe, quam Judicem conſtitueret. verum quia ſæpe contemptui habetur Chriſtus dum ſe Redemptorem offert, nunc denunciat Paulus ſemel ultorem fore tam impii contemptus, quia per eum judicandus ſit terrarum orbis. Verbum ὁρίζειν, tam ad arcanum Dei conſilium, quam ad externam manifeſtationem poteſt referri. quia tamen prior expoſitio magis recepta eſt, ego eam libenter amplector, quod ſcilicet Deus æterno ſuo decreto Filium mundi Judicem ordinaverit: idque ut diſcant reprobi qui Chriſti imperium recuſant, ſe inviolabili Dei decreto fruſtra reluctari. Cæterum, quia nihil magis remotum eſt à communi hominum ſenſu, quam Deum judicaturum in hominis perſona: ſubjicit Paulus, hanc Chriſti dignitatem, quæ difficilis eſſet creditu, reſurrectione ejus fuiſſe approbatam. Debet quidem ea reverentia apud nos pollere unica Dei voluntas, ut ejus decretis ſine mora quiſque pro ſe ſubſcribat: ſed quia ſæpe objici ſolet ignorantiæ prætextus, ideo Paulus diſerte admonet, Chriſtum ſua reſurrectione oſtenſum palam fuiſſe mundi Judicem, & patefactum fuiſſe hominum oculis quod Deus ante apud ſe de illo decreverat. Caput enim hoc doctrinæ quod paucis verbis conciſe attingit Lucas, copioſe à Paulo tractatum fuit. non uno verbo tantum retulit Chriſtum à morte reſurrexiſſe: ſed de reſurrectionis ejus
1 Cor. 15. virtute, ut par erat, ſimul diſſeruit. Quorſum enim
verſ. 23. reſurrexit Chriſtus, niſi ut primitiæ eſſet reſurgen-
infra 26. tium? & nos quorſum reſurgemus, niſi in vitam
verſ. 23. aut mortem? unde ſequitur Chriſtum ſua reſurrectione declaratum eſſe ac probatum mundi Judicem.

32. *Alii ridebant.*] Hinc videmus quam ſupina ſit hominum ſecuritas, quos nec Dei tribunal, nec ipſa ſummi Judicis majeſtas ullo metu percellit. Diximus quidem hunc acerrimum eſſe ſtimulum, quo punguntur hominum animi ad Deum timendum, ubi ante oculos judicium ejus ponitur: ſed tam ferrea eſt in contemptoribus durities, ut quod dicitur de reddenda ſemel vitæ ratione, quaſi fabuloſum ludibrio habere non dubitent. Non eſt tamen cur à judicii præconio, quod illis injunctum eſt, ſuperſedeant Euangelii miniſtri. Rideant licet impii: hæc tamen, quam eludere conantur, doctrina ipſos conſtringet, ut tandem cum ſuo laqueo fruſtra ſe luctatos eſſe ſentiant. Nec vero mirum eſt deriſam fuiſſe Athenis hanc Paulinæ concionis partem. eſt enim myſterium humanis mentibus abſconditum, de quo ne ſummis quidem Philoſophis aliquid unquam in mentem venit: nec aliter comprehendi à nobis poteſt, quam dum fidei oculos ad immenſam Dei potentiam attollimus. Nec tamen infructuoſa fuit Pauli concio: quia ex auditoribus aliqui fuerunt qui proficere cuperent. Dum enim profitentur ſe velle iterum audire, ſignificant, licet nondum plane ſint perſuaſi, tamen guſtum ſe aliquem habere qui ad proficiendi ſtudium eos ſollicitet. Certe hoc deſiderium faſtidio contrarium fuit.

34. *In quibus & Dionyſius.*] Quum tantum unum virum & mulierem nominet Lucas, apparet exiguum initio numerum fuiſſe credentium. alii enim quorum meminit, manebant velut medii: quia neque aſpernabantur in totum Pauli doctrinam: ſed neque tam ſerio tacti erant, ut ſe illi diſcipulos adjungerent. Dionyſium præ aliis nominat Lucas, quia non vulgari inter ſuos cives auctoritate erat præditus. proinde veriſimile eſt Damarim quoque fuiſſe primariam fœminam. Porro ridiculum eſt, quod ex Judice Papiſtæ fecerunt Aſtrologum. ſed hoc eorum partim inſcitiæ, partim audaciæ imputandum eſt, quibus quum ignotus eſſet Areopagus, quidvis fingendi licentiam ſibi ſumpſerunt. Nimis vero craſſa eſt eorum barbaries, qui libros de Cæleſti & Eccleſiaſtica hierarchia, ac Divinis nominibus, huic Dionyſio aſcribunt. Cæleſtis enim hierarchia non modo multis inſulſis & monachalibus nugis referta eſt, ſed etiam multis abſurdis commentis & impiis ſpeculationibus ſcatet. Libri autem de Eccleſiaſtica hierarchia, ſe multis poſtea ſeculis compoſitos fuiſſe clamitant: quum jam ceremoniarum congerie adulterata eſſet Chriſtianiſmi puritas. Liber autem de Divinis nominibus, licet quædam non prorſus aſpernanda contineat, argutias tamen magis ſpirat, quam ſolidam pietatem.

CAP. XVIII.

POſt hæc Paulus digreſſus Athenis, venit Corinthum.

2. Et nactus quendam Judæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priſcillam uxorem ejus (eo quod præcepiſſet Claudius omnes Judæos Roma decedere) acceſſit ad eos:

3. Et quia ejuſdem erat artificii, manſit apud eos, & operatus eſt: erant autem tabernaculorum opifices.

4. Diſputabat autem in Synagoga per omne Sabbathum, ſuadebatque Judæis pariter & Græcis.

5. Quum autem veniſſent è Macedonia Silas & Timotheus, coarctabatur Spiritu Paulus, teſtificans Judæis Chriſtum eſſe Jeſum.

1. Hæc hiſtoria vel uno iſto nomine memorabilis eſt, quod primordia continet Eccleſiæ Corinthiacæ, quæ ſicuti merito celebris fuit tum propter hominum multitudinem, tum propter eximias dotes quibus ornati erant, ita craſſis pudendiſque vitiis laboravit. Porro hic Lucas oſtendit quanto eam labore quantiſque periculis & difficultatibus Paulus acquiſierit Chriſto. Quam populoſa urbs fuerit Corinthus, quam propter nobile emporium opulenta deliciiſque addicta fuerit, ſatis notum eſt. Sumptuoſam vero & luxu refertam fuiſſe teſtatur vetus proverbium, Non omnibus adire Corinthum

datum

datum eſt. Quum illuc ingreditur Paulus, quid obſecro ſpei concipere poteſt? Homuncio eſt incognitus, nullius facundiæ vel ſplendoris, nihil opum vel potentiæ oſtendens: quod immenſos ille gurges fiduciam ejus & propagandi Evangelii ſtudium non abſorbet, hinc colligimus mirifica Spiritus Dei virtute fuiſſe inſtructum: & ſimul Deum cæleſti, non humano modo per ejus manum operatum eſſe. Quare non
1 Cor. 9. vers. 1.
fruſtra jactat Corinthios ſigillum eſſe Apoſtolatus ſui. Bis enim cæci ſunt, qui non agnoſcunt in tam humili & contempta agendi ratione clarius refulſiſſe Dei gloriam. & ipſe non ambiguum invictæ conſtantiæ ſpecimen edidit, quum omnium ludibriis vexatus, ut erat contemptibilis apud ſuperbos, recubuit tamen in unius Dei præſidium. Sed operæpretium eſt ſingulas circumſtantias notare, ut eas ordine Lucas proſequitur.

2. *Judæum nomine Aquilam.*] Hæc non levis fuit tantatio, quod neminem invenit Paulus Corinthi qui eum hoſpitio exciperet, præter Aquilam bis exulem. nam quum oriundus eſſet ex Ponto, relicta patria mare trajecerat, ut Romæ habitaret: illinc rurſum abire coactus fuerat Claudii Cæſaris edicto. Quum tanta, inquam, eſſet urbis commoditas, tanta copia, tam amœnus ſitus, tam multi etiam illic eſſent Judæi: Paulus non magis idoneum reperit hoſpitem, quam hominem ex patria ſimul & alieno ſolo profugum. Si eum ingreſſu tam ſordido conferimus ingentem fructum qui ſtatim ex ejus prædicatione emerſit, longe illuſtrior reddetur Spiritus Dei potentia. Perſpicere etiam licet, quomodo ſingulari conſilio Dominus in ſuam gloriam & piorum ſalutem vertat, quæ videntur carni adverſa & infauſta. Nihil exilio miſerius ſecundum carnis ſenſum. atqui longe optabilius Aquilæ fuit fieri Paulo ſocium, quam vel Romæ vel in patria ſummos quoſque magiſtratus gerere. Felix igitur iſta Aquilæ calamitas nos admonet, Dominum melius ſæpe nobis conſulere, dum nos durius affligit, quam ſi nobiſcum ſumma indulgentia ageret: & dum per dura exilia circumagit, ut ad cæleſtem quietem nos deducat.

c. *Judæos omnes Roma decedere.*] Valde acerba illius gentis conditio tunc fuit, ut mirum ſit non omnes fere diſceſſiſſe à coltu Dei. Sed hoc magis mirum, quod contra Cæſaris tyrannidem prævaluit religio in qua educati fuerant. ubi vero Chriſtus Sol juſtitiæ luxit, pauci ad eum converſi ſunt. Neque tamen dubito, quin Dominus conſulto huc illuc per varias moleſtias agitari paſſus fuerit, quo libentius, imo avidius redemptionis oblatæ gratiam reciperent. ſed major pars, ut fieri ſolet, in ſuis malis obſtupuit: pauci ut Aquila & ejus uxor, ſe dociles præbuerunt ſub Dei ferulis. Si tamen verum narrat Suetonius, Chriſtiani nominis odio expulſi ſunt. atqui ita magnam partem exacerbare magis potuit calamitas, quod falſo rei ſubſtituebantur religionis, cui infeſti erant, occaſione.

3. *Ejuſdem erant artificii.*] Docet hic locus, Paulum, antequam Corinthum veniret, ſolitum fuiſſe manibus operari: neque id animi gratia, ſed ut victum ſibi labore manuario quæreret. Ubi artem primum didicerit, neſcitur: Corinthi tamen præcipue laboraſſe, ex ejus teſtimonio conſtat. Rationem vero exprimit, quod pſeudoapoſtoli, ut aſtute ſe
1 Cor. 9. v. 12, 15.
inſinuarent, gratis docebant: noluit igitur ſanctus vir illa in parte illis cedere, ne Chriſti Evangelium probro ſubjiceret. Cæterum colligere ex hoc loco promptum eſt, quocunque veniſſet, donec in aſſiduo docendi labore occuparetur, artem ſuam ſactitaſſe, ut inde victum quæreret. Chryſoſtomus dum Paulum ſutorem fuiſſe tradit, nihil affert diſſentaneum à Luca, quoniam tunc ex pellibus confici tentoria ſolebant.

4. *Diſputabat in Synagoga*] Mirum eſt unde obrepſerit quod legitur in Latinis codicibus, Interpoſitum fuiſſe à Paulo Chriſti nomen: niſi quod forte lector quiſpiam, generalis ſententiæ defectum ſupplere voluit. Duo enim hic Lucas diſtincte ponit: nempe quod diſputaverit Paulus apud Judæos: deinde quod poſt Silæ & Timothei adventum, apertius Chriſtum profiteri cœperit. Etſi autem probabile eſt, ſtatim ab initio de Chriſto verba feciſſe, quia omittere non potuit præcipuum cæleſtis doctrinæ caput: id tamen non obſtat quominus diverſa illi fuerit diſputandi ratio. πείθειν igitur, hoc eſt, ſuadere, accipio pro eo quod eſt paulatim inducere. Significat enim meo judicio Lucas, quum Judæi frigide & inſulſe Legem tractarent, Paulum de corrupta perditaque hominis natura, de neceſſitate gratiæ, de Redemptore promiſſo, de modo obtinendæ ſalutis loquutum eſſe, ut illos expergefaceret: hæc enim apta eſt & concinna ad Chriſtum præparatio. Deinde quum ſubjicit, Coarctatum fuiſſe Spiritu ut Jeſum doceret Chriſtum eſſe: ſenſus eſt, majore vehementia fuiſſe impulſum, ut libere palamque de Chriſto diſſereret. Ita videmus Paulum non ſemel omnia, neque eodem momento protuliſſe: ſed temperaſſe ſuam doctrinam, prout occaſio ferebat. Et quoniam utilis hodie quoque eſt ea moderatio, fidos doctores prudenter expendere convenit unde exordium faciant, ne præpoſtera confuſaque ratio impediat ipſius doctrinæ progreſſum. Porro etſi in Paulo ſatis erat fervoris, novo tamen addito ſubſidio redditum fuiſſe animoſiorem abſurdum non eſt: non quod pudore vel ſociorum fiducia animum collegerit, ſed quia quodammodo è cælo has ſuppetias ſibi miſſas eſſe reputabat. Cæterum, Coarctatio Spiritus non accipitur pro violento impulſu & extrinſeco, ut loquuntur, quemadmodum Phœbades & homines fanatici diabolico furore abripi ſolebant: ſed ad ſolitum Spiritus Dei inſtinctum, qui in Paulo vigebat, plus acceſſit fervoris, ut nova Dei virtute impulſus fuerit, & tamen ſponte ſequutus ſit Spiritum ducem. Quod Paulus teſtatus eſt Jeſum eſſe Chriſtum, ſic interpretor, Quum de Redemptoris officio probe docuiſſet Judæos, Scripturæ teſtimoniis palam feciſſe hunc eſſe qui ſperandus erat: quoniam in eum competerent quæcunque Lex & Prophetæ Chriſto tribuunt. Non ergo ſimpliciter aſſeruit, ſed quaſi ſolenni teſtificatione interpoſita, Jeſum filium Mariæ evicit eſſe illum Chriſtum, qui futurus erat Dei & hominum Mediator, ut mundum ab interitu in vitam reſtitueret.

6. Contradicentibus autem illis & blaſphemantibus, excutiens veſtimenta dixit ad eos, Sanguis veſter ſuper caput veſtrum: mundus ego poſthac ad Gentes vadam.

7. Et migrans inde, intravit in domum cujuſdam nomine Juſti, colentis Deum: cujus domus contigua erat Synagogæ.

8. Criſpus autem Archiſynagogus credidit Domino cum tota domo ſua: multique Corinthiorum audientes credebant, & baptizabantur.

9. Dixit autem Dominus nocte per viſionem Paulo, Noli timere, ſed loquere, & ne taceas:

10. Propterea quod ego ſum tecum, & nullus manum tibi injiciet ut noceat: quoniam populus eſt mihi multus in hac urbe.

11. Sedit autem ibi annum & ſex menſes, docens eos ſermonem Domini.

6. *Contradicentibus.*] Ferebant utcunque Paulum Judæi, donec ad claram Chriſti prædicationem ventum eſſet. Hic vero erupit rabies. Ac notanda eſt loquutio, quod ſcilicet à contradictione ad blaſphemias uſque proſiliunt. Sic enim ut plurimum accidit, dum ſibi tantum licentiæ permittunt homines, ut gradatim diabolus ad majorem eos amentiam inflammet. quo magis ſollicite cavendum eſt, nequa nos prava libido ad oppugnandam veritatem ſollicitet: præſertim nos horribile iſtud judicium terreat, quo adverſus omnes rebelles fulminat Spiritus ſanctus per os Pauli. Neque enim quod Paulus excuſſis veſtibus ſignum deteſtationis protulit, humana vel privata fuit indignatio, ſed zelus à Deo in corde ejus accenſus: imo Deus eum excitavit vindictæ ſuæ præconem, ut ſcirent hoſtes verbi non impune ſibi ceſſuram contumaciam. De hoc execrationis ſym-
ſupra 13. verſ. 15. bolo aliquid dictum fuit 13. capite. Illinc petant Lectores. Summa eſt, gravius Deum offendi verbi ſui cootemptu, quam ullis ſceleribus. & certe deploratí ſunt prorſus homines, ubi unicum malorum omnium remedium conculcant, vel longe profligant. Jam ſicut tolerabilis Deo noo eſt rebellio contra verbum ſuum: ita nos maxime exacerbare debet. Hoc intelligo, dum velut ex profeſſo impii in certamen cum Deo deſcendunt, & quaſi ſe ad reſiſtendum armant, quaſi cæleſti tuba ad conflictum nos vocari: quia nihil turpius, quam oobis ceſſantibus impios Deo palam inſultare, & quidem uſque ad probra & blaſphemias.

Sanguis veſter.] Denunciat illis Dei vindictam: quia ſint inexcuſabiles: neque enim ullam culpæ partem alio transferre queunt, poſtquam ſpreta Dei invitatione conati ſunt extioguere vitæ lumen. Quum igitur exitii ſui culpam ſuſtineant, ſimul pœnam daturos aſſerit. Se vero mundum fore dicens, officio defunctum ſe eſſe teſtatur. notum eſt
Ezech. 3. verſ. 18. quid Dominus apud Ezechielem miniſtris ſuis omnibus præcipiat, Si non annunciaveris impio ut ſe convertat, ſaoguinem ejus è manu tua requiram. Paulus ergo, quia per ipſum minime ſteterat quominus reſipiſcerent Judæi, ſe omni reatu ſecure liberat. His autem verbis monentur doctores, niſi rei ſanguinis eſſe velint coram Domino, pro virili ſatagendum eſſe, ut errantes in viam reducant, nec quicquam ſinant per inſcitiam perire.

Ad Gentes vadam.] Quamvis ſumma alioqoi ſuiſſet in Judæis docilitas, debuit tamen Paulus docendis Gentibus operam impendere, quibus ordinatus erat Apoſtolus & miniſter. ſed hic tranſitum exprimit, quo ſe Judæis contumacibus prorſus ſubduceret. Hæc enim illi docendi ratio fuit, ut à Judæis exordium faciens, Gentes in fidei ſocietatem illis conjungeret: atque ita promiſcue ex utriſque unum efficeret Eccleſiæ corpus. ubi inter Judæos ablata erat ſpes profectus, ſolæ Gentes reſtabant. Senſus eſt igitur, propria hæreditate ſpoliandos eſſe ac privandos, ut ad Gentes transferatur: atque ita vulnerari, partim ut metu perculſi, imo confuſi redirent ad ſanam mentem: partim ut Gentium æmulatio ad pœnitentiam eos ſtimularet. Verum quia inſanabiles erant, in hoc tantum valuit ignominia, ut in deſperationem ruerent.

7. *Migrans inde, intravit.*] Non ideo mutavit Paulus domiciliom quod habebat cum Priſcilla & Aquila, quod eum contubernii tæderet; ſed quo ſe familiarius inſinuaret Gentibus. nam hunc Juſtum, cujus meminit Lucas, hominem Gentilem potius quam Judæum fuiſſe ſuſpicor. Nec obſtat Synagogæ vicinitas: diſperſi enim erant Judæi, ut illis minime daretur certa urbis regio ad habitandum. imo videtur data opera domum Synagogæ contiguam elegiſſe Paulus, quo magis pungeret Judæos. Hanc ſententiam confirmat elogium quod Juſto adſcribitur, nempe fuiſſe Dei cultorem. Etſi enim apud Judæos noo ita vigebat ſincera religio: quia tamen Dei cultum omnes profitebantur, videri poterat pietas communiter locum habere in tota gente. quia autem apud Gentiles rarum erat Deum colere: ſi quis propius ad veram pietatem acceſſerat, illi tribuitur ſingulare hoc teſtimonium, quod idololatriæ opponitur. Corinthios etiam quos paulo poſt Lucas commemorat, è Gentibus fuiſſe exiſtimo. Ne tamen prorſus omni fructu caruiſſe putemus laborem Pauli apud Judæos, ex illis duos recenſet Lucas qui crediderint, Criſpum & Soſthenem: de quibus etiam Paulus loquitur prioris ad Corinth. 1. capite. *1 Cor. 1. v. 1, 14.*
nam in ſalutatiooe Soſthenem ſibi collegam aſſociat: Criſpum deinde à ſe baptizatum fuiſſe dicit. Archiſynagogum interpretor, non qui ſolus præeſſet: quia & Soſthenes eodem paulo poſt titulo ornatur: ſed unum ex primariis.

9. *Dixit autem Dominus.*] Etſi Paulum merito ad pergendi conſtantiam animare poterat doctrinæ ſuæ fructus, quum aliquos quotidie Chriſto lucrifaceret: accedit tamen ad ejus confirmationem cæleſte oraculum. unde colligimus propoſita illi fuiſſe magna certamina, & acriter variis modis fuiſſe agitatum. Neque enim temere unquam ſua oracula Dominus profudit: nec Paulo quotidianum fuit habere viſiones: ſed hoc remedii genere uſus eſt Dominus, quum id neceſſitas exigeret. & res ipſa oſtendit, ingentem negotiorum molem incubuiſſe ſancto viro, ſub qua non modo ſudaret, ſed etiam prope fatiſceret, niſi fuiſſet novo ſubſidio erectus ac recreatus. nec vero fruſtra commemorat ſuum adventum *1 Cor. 2. verſ. 3.*
fuiſſe contemptibilem, & illic in timore & tremore ſe verſatum eſſe. Equidem ſic ſtatuo, mirabilem Spiritus efficaciam qua jam aote præditus erat Paulus, oraculo fuiſſe adjutam. Porro quum viſiones à ſomniis Scriptura diſtinguat, quemadmodum ex
12. Num. cap. patet: Viſionis nomine ſignificat Lucas, qoum in ecſtaſim raptus eſſet Paulus, objectam *Num. 12. verſ. 6.*
illi fuiſſe certam ſpeciem ex qua Dei præſentiam agnoſceret. Certe Deum aliquo ſigno apparuiſſe, dubium non eſt.

Noli timere.] Oſtendit hæc exhortatio, Paulo fuiſſe timendi cauſam. nam rebus tranquillis & lætis, ſupervacuum eſſet metum corrigere: ac præſertim in homine tam voluntario & alacri. Porro quum Dominus, ut ſervum ſuum habeat fideliter & ſtrenoe officio ſungentem, à metu cohibendo incipit: hinc colligimus puræ & liberæ Euangelii prædicationi magis adverſum nihil eſſe quam puſilli animi anguſtias. Et ſane experientia oſtendit nullos eſſe fidos & cordatos verbi miniſtros, quibus obſtat hoc vitium: eos vero demum rite ad docendum eſſe comparatos, quibus datum eſt animi fortitudine ſuperare quodvis diſcrimen. qua ratione ad Timo- *2 Tim. 1. verſ. 7.*
theum ſcribit, non eſſe datum Euangelii præconibus ſpiritum timiditatis: ſed potentiæ, & dilectionis, & ſobrietatis. Notanda igitur eſt iſta verborum connexio, Ne timeas, ſed loquere: quæ perinde valet acſi dictum eſſet, Non te impediat metus quominus loquaris. Cæterum quia non prorſus elingues nos reddit timiditas, ſed conſtrictos tenet ne pure & ingeoue quod opus eſt loquamur, utrumque Chriſtus breviter attigit: Loquere, inquit, & non taceas: hoc eſt, ne dimidio tantum ore, ut fertur vulgari proverbio. Atque his verbis præſcribitur communis regula verbi miniſtris, ut ſimpliciter & ſine fuco vel ſimulatione exponant quicqoid Dominus Eccleſiæ ſuæ vult eſſe notum: imo nihil diſſimulent quod ad Dei ædificationem vel profectum valeat.

10. *Propterea quod ego ſum*] Prior ratio cur Paulus ſubacto metu ſecure & intrepide munus ſuum peragere debeat, quod Deum habet ſtantem à parte ſua. cui reſpondet gloriatio Davidis, Si ambulavero in *Pſal. 23. verſ. 4.*
medio umbræ mortis, oihil timebo mali: quia tu *ibid. 27.*
mecum es. Item, Si me circumſtent caſtra, &c. *verſ. 3.*

Quæritur an non alibi quoque Deum præſentem ſenſiſſet: ſicuti variis in locis ejus auxilium ſæpius expertus erat. Generalis enim & perpetua eſt pro-
Mat. 28. verſ. 20. miſſio, Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi. nec diffidere fas eſt, quoties ejus vocationi obſequimur, quin nobis adfuturus ſit. Sed Domino infrequens non eſt, quod ſe in omnibus negotiis facturum promiſit, ad ſpecies accommodare, dum res ita poſtulat. & ſcimus, ubi in rem præſentem ventum eſt, deſiderato auxilio nos magis affici. Adde quod iſta duo membra ſimul cohærent, Ego tecum ſum, & Nemo tibi nocebit. Accidit enim interdum ut nobis auxilietur Deus, & tamen opprimi nos in ſpeciem ſinat: ut Paulum ne in morte quidem ipſa deſeruit. hic vero peculiarem manus ſuæ tutelam promittit, qua tegatur ab hoſtium impetu. Sed quæritur an Paulo neceſſaria talis confirmatio fuerit, quem ad pericula quævis obeunda voluntarium eſſe decebat. Quid enim ſi fuiſſet moriendum: an ideo timori ſuccumbere licuit? Reſpondeo, ſiquando pronunciet Deus ſalvos & incolumes ad tempus fore ſervos ſuos, id minime obſtare quin ſe ad mortem fortiter obeundam comparent. ſed quemadmodum inter utile & neceſſarium diſtinguimus: ita notandum eſt promiſſiones quaſdam eſſe, quibus ſi careant fideles, penitus deficere neceſſe eſt: alias autem ſuperaddi quum ita expedit: quibus ſublatis, quia nihilominus conſtat Dei gratia, non concidit piorum fides. In hunc modum ſecurus jubetur eſſe Paulus: quia hoſtes illum non attingent. quod ſi opprimendus tunc fuiſſet illorum violentia, trepidationi minime ceſſiſſet. verum hinc quoque illi animum & audaciam creſcere voluit Deus, quod periculi expers futurus erat. Siquando nobis euſque indulget Dominus, non ſpernendum eſſet tale infirmitatis noſtræ ſolatium: interim ad vitioſos omnes carnis metus calcandos, nobis hoc unum ſufficiat, Quamdiu ſub eo militamus, non poſſe nos ab eo deſeri. Quum autem dicitur, Nemo inſurget ut tibi noceat, non intelligit Dominus illum à vi & tumultu immunem fore, quem deinde capitaliter aggreſſi ſunt Judæi: ſed ſenſus eſt, irritos fore eorum conatus: quia ex illorum manibus ſalvum eripere Deus ſtatuerat. Itaque ut victoria potiamur, alacriter pugnandum.

Quoniam populus.] Secunda fiduciæ ſumendæ ratio, quod magnam & populoſam Eccleſiam illic excitare Deus velit. quanquam dubium eſt an hoc membrum ex proximo pendeat: apte enim fluet hoc modo contextus, Quoniam Pauli opera & manu Deus magnam Eccleſiam colligere decrevit, minime paſſurum ut ejus laborem hoſtes abrumpant. acſi dixiſſet, Ego tibi ſuccurram, ne populo meo deſis, cui te miniſtrum deſtinavi. Ego quidem hanc expoſitionem libenter amplector, non adduci in medium rationes diverſas quæ ſeorſum legendæ ſint: ſed ita diſtingui, ut inter ſe cohæreant. Porro Dominus populum ſuum vocat, qui licet merito tunc alienus poſſet cenſeri: quia tamen ſcriptus erat in libro vitæ, & mox in familiam cooptandus, non improprie ornatur hoc titulo. Scimus enim extra gregem ad tempus vagari multas oves, ſicut ovibus multi lupi permixti ſunt. Ergo quos Dominus paulo poſt acquirere ſibi decrevit, reſpectu futuræ eorum fidei in populo ſuo jam agnoſcit. Sed meminerimus inſeri in Chriſti corpus, qui æterna Dei adoptione ad illud pertinent: ſicuti ſcriptum eſt, Tui erant, & tu mihi Joan. 17. verſ. 6.
eos dediſti.

11. *Sedit illic annum.*] Nuſquam alibi legimus tam longam moram Paulum ſponte traxiſſe: & tamen ex duabus ejus Epiſtolis apparet, non modo innumeras moleſtias illi fuiſſe tolerandas: ſed ex ſuperbia & ingratitudine populi, multa indigna perpeſſum eſſe. Ita videmus nullam fuiſſe militiæ partem, in qua non mire Dominus eum exercuerit. Colligimus etiam quam ardua ſit & laborioſa Eccleſiæ ædificatio: quum in jaciendis unius fundamentis, præſtantiſſimus architectus tantum temporis conſumpſerit. neque enim opus à ſe completum fuiſſe jactat: ſed alios à Domino ſubmiſſos, qui ſuper fundamentum ſuum extruerent: ſicuti poſtea dicit, 1 Cor. 3. verſ. 6.
ſe quidem plantaſſe, Apollon vero rigaſſe.

12. Porro quum Gallio Proconſulatum Achaiæ gereret, inſurrexerunt uno animo Judæi in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal,

13. Dicentes, Contra Legem hic ſuadet hominibus colere Deum:

14. Quum autem Paulus jam pararet aperire os, dixit Gallio ad Judæos, Siqua injuria eſſet aut facinus malum, ô Judæi, merito vos ſuſtinerem.

15. Si vero quæſtio eſt de ſermone & nominibus & Lege veſtrate, vosipſi videritis: judex enim horum nolo eſſe.

16. Et amovit eos à tribunali.

17. Apprehenſum autem omnes Græci Soſthenem principem Synagogæ, percutiebant ante tribunal: neque quicquam eorum Gallioni curæ erat.

12. *Quum Gallio.*] Vel mutatio Proconſulis Judæis addidit animos, ut audacius inſoleſcerent: ut improbi ac protervi homines rebus novis ad tumultuandum abuti ſolent: vel propitium ſibi judicem fore confiſi, quietem & ſilentium integri anni ſubito ruperunt. Summa autem accuſationis eſt, quod perverſum Dei cultum inducere conetur Paulus contra Legem. Jam quæritur, Legemne Moſis, an ritus Imperio Romano uſitatos deſignent. Quia hoc poſterius frigidum mihi videtur & coactum, illud magis amplector, Paulum hoc crimine gravaſſe, quod cultum divinitus in Lege divina præſcriptum violaret: idque novitatis exprobrandæ conſilio. Ac jure quidem damnandus foret Paulus, ſi tale aliquid tentaſſet. ſed quum certo certius ſit, perfide & ſceleſte ſanctum virum fuiſſe calumniatos, malam cauſam honeſto prætextu tegere ſtuduerunt. Scimus quam ſevere præcipiat in Lege Dominus, qualiter à ſuis coli velit. Ergo ab ea regula diſcedere, ſacrilegium eſt. Sed quum Legi nihil unquam addere vel detrahere in animo habuerit Paulus, injuſte trahitur in hoc crimen. unde colligimus, quamlibet juſte & inculpata ſe gerant fideles, falſam tamen infamiam non effugere, donec ad ſe purgandos admiſſi fuerint. Atqui non modo indigne & mendaciter traductus fuit Paulus ab adverſariis: ſed quum refellere eorum impudentiam, & falſa probra diluere vellet, præciſus illi fuit ſermo à Proconſule. Itaque à tribunali ſine ulla defenſione diſcedere coactus eſt. Cauſæ vero cognitionem repudiat Gallio, non odio Pauli, ſed quia de religione cujuſque provinciæ jus dicere non erat ex officio Præſidis. Nam quum ad ſuos ritus cogere non poſſent Romani gentes ſibi ſubjectas: ne tamen viderentur probare quod ferebant, ſuos magiſtratus vetabant hanc juriſdictionis partem attingere. Hinc videmus quid faciat veræ pietatis ignorantia in ordinando cujuſque Reipublicæ vel Imperii ſtatu. Hoc præcipuum eſſe fatentur omnes, ut vigeat & floreat religio. Jam ubi cognoſcitur verus Deus, certaque tenetur ejus colendi regula,

gula, nihil magis æquum eſt, quam quod ſua Lege præcipit Deus: nempe ut qui præſunt cum poteſtate, contrariis ſuperſtitionibus abolitis, purum veri Dei cultum aſſerant. Sed quum Romani faſtu ſolum & pertinacia ritus ſuos ſervarent, nulla autem illis conſtaret certitudo ubi nulla erat veritas: hoc ſibi optimum compendium fore putarunt, ſi provincialibus liberum vivendi morem permitterent. Atqui nihil magis abſurdum, quam hominum arbitrio Dei cultum permittere. quare non ſine cauſa mandavit
Deut. 17. verſ. 18. Deus per Moſem, ut Rex proprium ſibi Legis volumen deſcribi curaret: quo ſcilicet probe edoctus, fideique ſuæ certior, majore animo tuendum ſuſciperet quod rectum eſſe certo ſciebat.

15. *De ſermone & nominibus.*] Male digeſta eſt verborum congeries: ſed Gallio ita de Lege divina contemptim loquitur, acſi Judaica religio verbis tantum & ſupervacuis quæſtionibus conſtaret. & ſane ut gens erat rixoſa, minime dubitandum eſt quin multi ſeipſos & alios ſupervacuis nugis turbarent. Imo audimus quid illis exprobret Paulus pluribus
Tit. 1:14. & 3:9. locis, præſertim in epiſtola ad Titum. Excuſatione tamen dignus non eſt Gallio, qui una cum eorum curioſitate ſacram Dei Legem ſubſannat. Nam ut frivolis logomachiis anſam præcidere oportuit: ita rurſum ubi de cultu Dei agitur, ſciendum eſt non de verbis certari, ſed rem tractari omnium maxime ſeriam.

17. *Apprehenſum omnes Græci Soſthenem.*] Hic eſt Soſthenes, quem Paulus honorifice ſocium ſibi adjungit initio prioris epiſt. ad Corinth. Quanquam autem nulla ejus mentio antea facta fuit inter fideles: probabile tamen eſt unum tunc fuiſſe ex Pauli comitibus & advocatis. Quænam autem furia Græcos impulit ut in eum violenter omnes irruerent, niſi quod filiis Dei quaſi fatale eſt mundum habere adverſum & infenſum cauſa incognita? quare non eſt cur hodie nos turbet iſta indignitas, dum videmus undique miſeram Eccleſiam oppugnari. Adhæc humani ingenii pravitas quaſi in tabula nobis pingitur. ut demus merito exoſos paſſim fuiſſe Judæos: cur tamen iracundiam ſuam Græci potius in Soſthenem convertunt hominem modeſtum, quam in auctores tumultus, qui Paulo ſine cauſa moleſti erant? Nempe hæc ratio eſt, quod ubi non reguntur homines Dei Spiritu, quaſi arcano naturæ inſtinctu rapiuntur ad malum. Fieri tamen poteſt, ut Soſtheni tam fuerint infeſti, credentes improbis hominibus præbuiſſe hoſpitium ad ſeditionem movendam.

Neque quicq. eorum Gall.] Ceſſatio iſta non tam Proconſulis ignaviæ imputari debet, quam Judaicæ religionis odio. Optaſſent Romani ſepultam eſſe veri Dei memoriam. Atque adeo quum omnibus Aſiæ & Græciæ idolis vota nuncupare & ſolvere apud eos licitum foret, Deo Iſraël ſacra facere capitale erat. Denique in communi ſuperſtitionum omnium licentia, non niſi vera religio excipiebatur. Hinc fit ut ad Soſthenis injurias diſſimulet Gallio. Profeſſus nuper erat ſe injurias, ſi quæ factæ eſſent, vindicaturum: nunc hominem innoxium ante tribunal ſuum verberari patitur. Unde iſta tolerantia, niſi quod Judæos omnes mutuis vulneribus concidere cuperet, ut ſimul extingueretur religio? Sed quum per os Lucæ, Spiritus Gallionis incuriam damnet, quia hominem injuſte afflictum ſuo præſidio non ſublevat: longe minus excuſabiles ſe fore ſciant magiſtratus noſtri, ſi conniveant ad injurias & maleficia, ſi malorum petulantiam non cohibeant, ſi non porrigant manum oppreſſis. Quod ſi ignavos & deſides manet juſta damnatio, quam terribile impendet judicium perfidis & malignis, qui malis cauſis favendo, & indulgendo ſceleribus, quaſi erecto vexillo impunitatis, flabella ſunt ad incitandam nocendi audaciam?

18. Paulus vero deinde commoratus dies multos, vale dicto fratribus abnavigavit in Syriam, comitantibus eum Priſcilla & Aquila, quum ſibi totondiſſet caput in Cenchreis: habebat enim votum.

19. Devenitque Epheſum, ubi eos reliquit. Ipſe vero ingreſſus Synagogam, diſputabat cum Judæis.

20. Rogantibus autem eis ut plus temporis maneret apud eos, non annuit.

21. Sed valedixit illis, dicens, Oportet me omnino feſtum quod inſtat, agere Jeroſolymis: ſed iterum revertar ad vos, Deo volente. Et ſolvit Epheſo.

22. Quumque deſcendiſſet Cæſaream, aſcendiſſetque & ſalutaſſet Eccleſiam, deſcendit Antiochiam.

23. Et commoratus illic aliquantum temporis, profectus eſt, perambulans ex ordine Galaticam regionem ac Phrygiam, confirmans omnes diſcipulos.

18. *Commoratus dies multos.*] In eo ſe profert Pauli conſtantia, quod terrore non fugatur, ne rudes adhuc infirmoſque diſcipulos ſubito & immaturo diſceſſu conturbet. Sæpius alibi legimus, quum flagrarent in eum perſequutiones, ſtatim fugiſſe. qui fit ergo ut Corinthi ſubſiſtat? nempe quum videret ſua præſentia ſtimulari hoſtes ut in totam Eccleſiam ſævirent, non dubitavit ſuo diſceſſu pacem & quietem fidelibus redimere: nunc autem ubi frenatam eorum malitiam videt, ne gregi Dei noceant, eos irritare mavult, quam cedendo novam ferociendi occaſionem dare. Porro hæc tertia fuit profectio quam
Gal. 1. verſ. 17. Paulus Jeroſolymam ſuſcepit. Damaſco enim profectus, ſemel aſcendit ut Apoſtolis innoteſceret. Secundo autem miſſus eſt cum Barnaba, ut controverſiam tranſigeret de ceremoniis. nunc qua de cauſa tam longum & laborioſum iter confecerit, unde mox reverti in animo habebat, non refertur à Luca.

Quum ſibi totondiſſet caput.] De Aquila an de Paulo id dicatur, incertum eſt: neque magnopere intereſt. Quanquam de Paulo libenter interpretor; quia mihi veriſimile eſt hoc Judæis, ad quos venturus erat, dediſſe. Certe votum ceremoniale non fuiſſe privatim ab eo conceptum, ut Deo cultum aliquem præſtaret, pro confeſſo ſumo. Sciebat temporale fuiſſe quod ſub Lege mandaverat Deus veteri populo. nos vero ſcimus quam ſedulo doceat regnum Dei non eſſe ſitum in externis illis elementis, & quam acriter illorum abrogationem urgeat. Abſurdum ſane fuiſſet ea religione, qua alios omnes ſolvebat, ſuam ipſius conſcientiam obſtringere. Se igitur totondit non alium ob finem, niſi ut Judæis adhuc rudibus, necdum rite edoctis, ſe accommodaret: quemadmodum teſtatur, ut eos qui ſub Lege erant *1 Cor. 9. verſ. 20.*
lucrifaceret, ſe voluntariam Legis, à qua liber erat, ſubjectionem obiiſſe. Siquis objiciat, non licuiſſe votum ſimulare, quod non ex animo conceperat: reſponſio in promptu eſt, quo ad purificationis ſubſtantiam nihil eum ficte egiſſe: ceremoniam vero quæ adhuc libera erat, adhibuiſſe: non quaſi Deus talem cultum exigeret, ſed ut rudibus aliquid concederet. Ideo ridiculi ſunt Papiſtæ, dum hinc

vovendi exemplum eliciunt. Paulum nulla ad voveodum religio induxit: iſti vero fictitium Dei cultum io votis locant. Paulum temporis ratio cogebat ad ſervandos Legales ritus: iſti non aliud proficiunt, niſi ut Chriſtianam Eccleſiam, cui pridem ſua conſtat libertas, ſuperſtitione impliceot. Longe enim aliud eſt obſoletas ceremonias in uſum revocare, quam eas adbuc ſuperſtites tolerare, donec paulatim in deſuetudinem abierint. omitto quod Clericalem ſuam tonſuram Papiſtæ fruſtra & inepte cum purificationis ſymbolo comparant, quod Deus in Lege probaverat. Sed quia minime neceſſaria eſt longior refutatio, nobis boc unum ſufficiat, Paulum ut infirmos Chriſto adduceret, ſaltem ne eos offenderet, voto ſe obligaſſe, quod ſciebat coram Deo nullius eſſe momenti.

19. *Ingreſſus Synagogam.*] Quod veſtem ſuam in ſignum deteſtationis Corinthi excuſſerat, non ideo factum eſſe docet hic locus, quod totam gentem abjiceret: ſed quos perditæ obſtinationis jam expertus erat. nunc de integro ad Epheſios accedit, periculum facturus an plus apud ipſos obedientiæ reperiret. Porro mirum eſt quod quum ex Lucæ relatu appareat, in bac Synagoga placidius quam alibi uſquam fuiſſe auditum, atque etiam rogatum fuiſſe ut maneret, eorum tamen precibus morem non geſſerit. Hinc certo conjicere promptum eſt quod prius dixi, gravem illi fuiſſe cauſam cur Jeroſolymam celeriter aſcenderet. Ipſe etiam properandum ſibi eſſe oſtendit, dicens, Oportet me feſtum quod inſtat, Jeroſolymis agere. Nec dubium eſt, quin rebus diligenter illic compoſitis diſceſſerit cum bona eorum pace & venia: & ex Lucæ verbis colligere licet, excuſationem fuiſſe acceptam, ne eos offenderet repulſa. Cæterum, notare operæpretium eſt, ubi ſpes profectus oblata eſt ſolito melior, tanquam Dei manu ad alia atque alia negotia nos trahi: ut diſcamus nos ejus arbitrio regendos tradere.

21. *Feſtum quod inſtat.*] Quod de voto nuper attigi, ad diem quoque feſtum pertinet. neque enim pietatis officio erga Deum volebat Paulus defungi: ſed conventum celebrare, in quo plus prodeſſe poterat quam aliis anni temporibus. Quanti enim faceret dierum diſcrimen, vel una Epiſtola ad Galatas locuples eſt teſtis. Notaodum vero eſt quod de reditu nihil promittit niſi hac exceptione interpoſita, Si Domino placuerit. Fatemur quidem omnes non poſſe nos niſi ejus ductu vel digitum unum movere: ſed quia tantum arrogantiæ in hominibus paſſim regnat, ut quidvis præterito Deo ſtatuere non modo in futurum tempus, ſed etiam in multos annos audeant: meditanda nobis ſæpe eſt hæc religio & ſobrietas, ut diſcamus conſilia noſtra Dei arbitrio & providentiæ ſubjicere: ne ſi deliberemus ut ſolent qui fortunam ſibi videntur ſub manu babere, juſtas demus temeritatis noſtræ poenas. Etſi autem non tanta eſt in verbis religio, quin liberum nobis ſit dicere, boc vel illud facturos: utile tamen eſt formulis loquendi aſſueſcere, quæ nos commonefaciant greſſus omnes noſtros dirigi à Deo. *Galat. 4. verſ. 10.*

22. *Quum deſcendiſſet Cæſaream.*] Quanquam uno verbo recitat Lucas, Paulum Jeroſolymæ ſalutaſſe Eccleſiam: certum eſt tamen magna aliqua neceſſitate illuc fuiſſe pertractum. Et tamen ex contextu colligere licet, non diu ſubſtitiſſe Jeroſolymæ: forte quia ſucceſſus rerum quas agitabat, ſpei ejus & voto non reſpondit. Porro iter ejus in reditu non otioſum nec ſterile fuiſſe declarat, dicens confirmaſſe omnes diſcipulos: baud dubie non parva moleſtia, quia per multos circuitus deflectere coactus eſt. nam particula καθεξῆς, continuam ſeriem deſignat. Jam qua ratione vocentur Diſcipuli qui Chriſto nomen dederunt, & fidem Euangelii profeſſi ſunt, alibi diximus: quia ſcilicet nulla eſt ſine recta inſtitutione pietas. Habebant quidem illi ſuos Paſtores ſub quibus proficerent: ſed quo major erat Pauli auctoritas, & quo excellentiore Spiritu pollebat, ex ejus tranſitu non parva acceſſit confirmatio: præſertim quum in fundandis omnibus illis Eccleſiis princeps fuiſſet architectus. *ſupra 9. verſ. 36.*

24. Judæus autem quidam Apollos nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, devenit Epheſum, potens in Scripturis.

25. Hic erat inſtitutus in via Domini: & fervens Spiritu, loquebatur & docebat diligenter ea quæ ſunt Domini, ſciens tantum baptiſma Joannis.

26. Atque hic cœpit libere loqui in Synagoga. Quem quum audiſſent Priſcilla & Aquila, aſſumpſerunt illum, & exactius ei expoſuerunt viam Dei.

27. Quum autem vellet ire in Achaiam, exhortati fratres ſcripſerunt diſcipulis ut ſuſciperent illum. Qui quum veniſſet, contulit multum iis qui crediderant per gratiam.

28. Vehementer enim Judæos revincebat publice, oſtendens per Scripturas Jeſum eſſe Chriſtum.

24. *Judæus quidam.*] Hoc Dei providentiæ merito tribuendum eſt, quod dum Epheſo Paulus abire cogeretur, in ejus locum ſubmiſſus eſt Apollos, qui jacturam abſentiæ illius ſarciret. Hujus autem hominis quale fuerit principium teoere refert, quum apud Corintbios etiam fuerit Pauli ſucceſſor, ac tam præclare ſe geſſerit, fidelemque & ſtrenuam operam navarit, ut Paulus eum quaſi ſingularem collegam hooorifice celebret. Ego plantavi, inquit, Apollos rigavit. Item, Hæc in me & Apollo transfiguravi. Duobus autem primum elogiis eum commendat Lucas: quod eloquens eſſet ac potens in Scripturis. zelum deinde, fidemque & conſtantiam adjiciet. Etſi autem vere negat Paulus regnum Dei in ſermone eſſe poſitum, & ipſe facundiæ laude caruit: non eſt tamen ſermocinandi dexteritas, qualem hic prædicat Lucas, ſpernenda. præſertim ubi nulla pompa vel oſtentatio ex verborum ſplendore captatur: ſed ſine fuco & ambitione, ſine ampullis & curioſo artificio rem quæ agitur, diſerte explicare ſatis habet, qui docendi perſonam ſuſtinet. Eloquentia caruit Paulus: voluit ſcilicet Dominus primario Apoſtolo hanc virtutem deeſſe, quo ſpleodidior in rudi & incondito ejus ſermone vis Spiritus fulgeret. Et tamen ea loquendi facultate inſtructus erat, quæ ad illuſtrandum Chriſti nomen, & aſſerendam ſalutis doctrinam ſufficeret. Cæterum, ut varia eſt ac multiplex donorum Spiritus diſtributio, non obſtitit Pauli infantia, ſi ita vocare libet, quominus diſertos ſibi miniſtros Deus eligeret. Porro ne eloquentiam Apollo profanam, vel inanem & futilem fuiſſe quis putaret, Lucas cum majori eam virtute conjunctam fuiſſe dicit: nempe quod potens fuerit in Scripturis. quo verbo non tantum interpretor, probe & ſolide fuiſſe in Scripturis exercitatum: ſed vim earum & efficaciam tenuiſſe, ut illis armatus, in omnibus pugnis eſſet ſuperior. Atque bæc, meo judicio, Scripturæ potius quam *1 Cor. 3. verſ. 6. & 4: 6.*

hominis

hominis laus eſt, quod tum ad veritatem aſſerendam, tum ad refellendas Satanæ fallacias ſatis ſuperque valeat.

25. *Hic erat inſtitutus.*] Cum hoc elogio parum congruere videtur quod paulo poſt ſubjicit Lucas, cum tantum noviſſe Baptiſma Joannis. ſed poſterius hoc membrum vice correctionis additum eſt. Interea facile hæc duo inter ſe conveniunt: quod tenuerit Euangelii doctrinam, quia & Redemptorem ſciebat mundo eſſe exhibitum, & de gratia reconciliationis probe ſincereque edoctus erat: & tamen nonniſi Euangelii rudimentis imbutus fuerit, quatenus ferebat Joannis inſtitutio. Joannem enim inter Chriſtum & Prophetas quaſi medium fuiſſe ſcimus: & de ejus officio tum pater Zacharias in ſuo Cantico, tum Angelus ex Malachiæ vaticinio diſſerit. Certe quum facem Chriſto prætulerit, & ejus virtutem magnifice expoſuerit, merito dicuntur ejus diſcipuli habuiſſe Chriſti notitiam. Adhæc obſervatu digna eſt loquutio, Sciviſſe Baptiſma Joannis. nam inde colligimus quiſnam verus ſit Sacramentorum uſus: ut ſcilicet nos in certum aliquod doctrinæ genus initient, vel quam ſemel amplexi ſumus fidem ſanciant. Certe à doctrina avelli, nefas eſt & impia profanatio. quare ut rite adminiſtrentur Sacramenta, vocem cœleſtis doctrinæ illic reſonare neceſſe eſt. Quid enim eſt Baptiſmus Joannis? Totum ejus miniſterium complectitur Lucas hoc nomine: non tantum quia Baptiſmo annexa eſt doctrina, ſed etiam quia ejus fundamentum & caput eſt, ſine qua inanis & mortua ceremonia foret.

Luc. 1. verſ. 76. ibid. v. 16. & 17. Mal. 3: 1.

Fervens Spiritu loquebatur.] Hic alia laude ornatur Apollos, quod ſancto zelo flagraverit ad docendum. Doctrina ſine zelo, vel gladius eſt in manu furioſi, vel frigida & ſine uſu jacet, vel pravæ oſtentationi ſervit. Videmus enim ex hominibus doctis, alios ignavos torpere: alios, quod deterius eſt, ambitione jactari: alios, quod omnium eſt peſſimum, contentionibus & rixis turbare Eccleſiam. inſipida ergo erit doctrina, in qua non vigebit zelus. Cæterum meminerimus Scripturæ ſcientiam priore loco poſitam eſſe à Luca, quæ eſſet zeli moderatio. ſcimus enim multos inconſiderate fervere: quemadmodum Judæi perverſo Legis ſtudio contra Euangelium inſaniebant. & hodie videmus quam furioſo impetu æſtuent Papiſtæ, quos temere concepta opinio inſtigat. Adſit ergo ſcientia moderatrix quæ zelum regat. Jam vero fervor dicitur fuiſſe cauſa diligentiæ, eo quod Apollos ſedulo ad docendum incubuit. quod ſi vir ille nondum exacte perfecteque in Euangelio edoctus, tam ſedulo & libere Chriſtum prædicavit: quid ſibi excuſationis fore ſperant, quibus clarius & plenius innotuit quod adhuc illum latebat, niſi conentur pro ſua virili Chriſti regnum promovere? Fervorem Spiritui ideo attribuit Lucas, quod rarum eſt ac peculiare donum: neque enim interpretor, Apollo mentis ſuæ inſtinctu fuiſſe concitatum, ſed Spiritus ſancti impulſu.

26. *Quem quum audiſſent.*] Quam ſibi addicti non ſint Aquila & Priſcilla, nec alienæ virtuti invideant, hinc apparet, quod familiariter & privatim tradunt homini facundo quæ deinde in publicum proferat. non pollebant eadem gratia qua ille, & forte in cœtu fuiſſent contempti. porro quem vident tam eloquentia quam Scripturæ uſu melius inſtructum, cupide adjuvant; ita ut ſileant ipſi, ſolus ille audiatur. Rurſum non vulgaris fuit modeſtia Apollo, qui ſe non tantum ab opifice manuario, ſed etiam à fœmina doceri & expoliri paſſus eſt. Potens erat in Scriptura, & illis longe ſuperior: ſed quo ad complementum regni Chriſti, extremam ei manum apponunt, qui videri poterant non ſatis idonei miniſtri. Videmus etiam, tunc non tam alienas fuiſſe à verbo Dei mulieres, ut eas Papiſtæ habere volunt; quandoquidem unum ex primis Eccleſiæ doctoribus à fœmina videmus fuiſſe inſtitutum. Memoria tamen quod dixi tenendum eſt, Priſcillam domi & inter privatos parietes functam fuiſſe hoc magiſterio, ut præſcriptum à Deo & à natura ordinem minime labefactaret.

27. *Quum vellet in Achaiam.*] Quo conſilio Achaiam petere vellet Apollos, non exprimit Lucas. privato tamen commodo non fuiſſe illectum, ſed quod uberior in propagando Euangelio fructus illic ſe oſtenderet, ex contextu colligimus: eo quod ſua exhortatione ipſum magis incitaverint fratres, & currenti addiderint calcar. quod profecto non erant facturi, niſi ex communi Eccleſiæ bono. Erat enim abſurdum, niſi melior oblata eſſet compenſatio, precibus ſuis alio ablegare hominem, cujus fideli opera jam uſi fuerant, & in poſterum ſciebant opus ſibi fore. Scripſiſſe autem Epheſios fratres Achaicis intelligo, non tantum ut hominem hoſpitaliter exciperent, ſed ut ad munus docendi admitterent. Hæc vere ſancta eſt commendatio, dum optimum quemque teſtimonio ſuffragioque noſtro evehere ſtudemus: ne Spiritus ſancti dona, quæ apud ſingulos depoſuit in Eccleſiæ ædificatione, ſepulta jaceant.

Quum veniſſet.] Hoc fratribus qui jam fecerant experimentum, præviſum fuerat, dum hortati ſunt ut ſe ad iter animo conceptum accingeret. Quod autem contuliſſe dicit fidelibus, duobus modis accipere licet: vel quod ſuppetias tulerit minus bene inſtructis, & eos adjuverit in frangenda hoſtium pervicacia (neque enim cujuſvis erat habere in promptu arma ad ſubeundum difficile contra veteranos hoſtes certamen, qui niſi coacti nunquam ceſſiſſent) vel quod illis fuerit ſubſidio, ne eorum fides contradictione hoſtium perculſa, labaſceret: quod plerumque accidere infirmis ſolet. Ego utroque modo adjutos fuiſſe interpretor: ut ducem habentes peritum & exercitatum, ſuperiores eſſent in conflictu: deinde ut nova fultura ſtabiliretur eorum fides, ut eſſet extra vacillandi periculum. Videtur præterea notare Lucas, ſtrenuitate ejus & conſtantia fratres fuiſſe adjutos, dum publice cum Judæis diſputaſſe commemorat. erat enim hoc zeli & fiduciæ ſignum, lucem non fugere. Quod habetur in ſententiæ clauſula, Per gratiam: vel cum proximo verbo, Crediderunt, cohæret: vel referri debet ad ſubſidium quod fratribus attulit. Prior interpretatio nihil habet difficultatis. ſenſus enim erit, fideles illuminatos fuiſſe Dei gratia, ut crederent: acſi dixiſſet, Fratres qui Dei beneficio jam ad fidem vocati ſunt, in melius fuerunt provecti. Videtur tamen alter contextus magis quadrare, quod Apollos gratiam qua præditus erat, cum fratribus communicando, eos adjuverit. Ita, Per gratiam, tantundem valebit, atque ſecundum menſuram gratiæ acceptæ.

28. *Judæos revincebat.*] Hinc apparet quorſum ſpectaret facultas illa, quod potens eſſet Apollos in Scripturis: nempe quia valida illi & efficax probatio ſuppetebat coarguendis hoſtibus. Breviter etiam exponitur ſtatus diſputationis, Jeſum eſſe Chriſtum. Controverſia enim apud Judæos hoc carebat, Promiſſum eſſe Chriſtum liberatorem: ſed illis non facile erat perſuadere, Jeſum filium Mariæ hunc eſſe Chriſtum per quem oblata eſſet ſalus. Oportuit igitur Apollo ſic diſſerere de officio Chriſti, ut Scripturæ teſtimonia probaret in filio Mariæ impleta eſſe: atque inde Chriſtum eſſe colligeret. Teſtis eſt præterea hic locus, utilem eſſe Scripturam non modo ad docendum, ſed etiam ad frangendam eorum obſtinationem qui ſponte non ſequuntur. neque enim ſatis firma eſſet fides noſtra, niſi clara illic extaret eorum demonſtratio, quæ ad ſalutem cognitu neceſſaria ſunt. Certe ſi Lex & Prophetæ tantum habebant lucis, ut inde perſpicue probaverit Apollos

Jeſum eſſe Chriſtum, quaſi rem digito monſtraret: hoc ſaltem efficere debet Euangelii acceſſio, nt ex tota Scriptura, plena Chriſti cognitio petatur. Quare deteſtabilis eſt in Deum contumelia, quod Papiſtæ Scripturam obſcuram eſſe & ambiguam inſimulant. quorſum enim loquutus eſſet Deus, niſi liquida invictaque in ejus verbis ſe proferret veritas? Quod autem inde inferunt, ſtandum eſſe Eccleſiæ auctoritati, neque ex Scriptura diſputandum eſſe cum hæreticis: abunde à Luca refellitur eorum cavillum. nam quum nihil Judæis fuerit pertinacius, minime timendum eſt, ne quibus armis fretus illos convicit, eadem nobis adverſus quoslibet hæreticos ſufficiant: utpote quæ nobis victoriam conferunt adverſus diabolum, errorum omnium principem.

Cap. XIX.

FActum eſt autem quum Apollos eſſet Corinthi, ut Paulus peragratis ſuperioribus partibus veniret Epheſum: & repertis quibuſdam diſcipulis, dicit ad eos,

2. An Spiritum ſanctum accepiſtis poſtquam credidiſtis? At illi dixerunt ad eum, Imo neque an ſit Spiritus ſanctus audivimus.

3. Et ait ad illos, Quo igitur baptizati eſtis? Illi vero dixerunt, Joannis baptiſmate.

4. Dixit autem Paulus, Joannes quidem baptizavit baptiſmo pœnitentiæ, populo loquens, in eum qui venturus eſſet poſt ipſum, ut crederent: hoc eſt, in Chriſtum Jeſum.

5. His auditis baptizati ſunt in nomen Domini Jeſu.

6. Et quum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.

7. Erant autem omnes viri fere duodecim.

1. Refert hic Lucas Pauli reditu non modo confirmatam & auctam fuiſſe Eccleſiam apud Epheſios, ſed miraculo ſimul ornatam, quod illic rudibus & novitiis quibuſdam diſcipulis collatæ ſunt viſibiles Spiritus gratiæ. Porro eſſentne urbis incolæ an novi hoſpites, neſcitur, nec magnopere noſtra intereſt. Judæos quidem fuiſſe minime dubium eſt: quia Joannis baptiſma receperant. probabile etiam eſt, habitaſſe Ephesi, quando illic Paulus eos reperit.

2. *An Spiritum ſanctum.*] Clauſula hiſtoriæ oſtendit non de Spiritu regenerationis, ſed de ſpecialibus donis, quæ Deus initio Euangelii in communem Eccleſiæ ædificationem quibus viſum erat varie diſtribuit, hic à Paulo haberi ſermonem. Sed jam ex hac Pauli interrogatione oritur quæſtio, Fueritne tunc paſſim communis omnibus Spiritus. nam ſi paucis quibuſdam dabatur, cur eum conjungit cum fide, acſi individua eſſet connexio? Forte non gregarii fuerunt homines: vel quia in mediocri numero erant, hoc eſt, duodecim, quærit Paulus an omnes donorum Spiritus ſint expertes. Ego tamen ſic exiſtimo, oblatos in conſpectum Gentium non fortuna ſed Dei conſilio fuiſſe tot Judæos uno tempore, & quidem diſcipulos, hoc eſt, ex grege fidelium, qui ſibi tamen hactenus ſummam Euangelii gloriam, quæ in ſpiritualibus donis conſpicua erat, faterentur fuiſſe ignotam, ut per eos illuſtraretur Pauli miniſterium. neque enim probabile eſt tam paucos Epheſi relictos eſſe diſcipulos ab Apollo: & fuiſſent ab eo rectius inſtituti, ex quo ipſe à Priſcilla & Aquila viam Domini exacte didicerat. Quin etiam fratres quorum prius meminit Lucas, alios ab iſtis fuiſſe non dubito. In ſumma, ubi videt Paulus homines iſtos profiteri Chriſti nomen, ut de eorum fide certius habeat examen, rogat an Spiritum ſanctum acceperint. Hoc enim fuiſſe inſigne gratiæ Dei ad ſanciendam doctrinæ fidem apparet ex Paulo ipſo, 3.
Gal. 3: 2. ad Galatas: Velim ſcire ex vobis, Spiritum ſanctum ex Legisne operibus, an ex auditu fidei accepiritis.

An Spiritus ſanctus ſit neſcimus.] Qui fieri potuit, ut homines Judæi de Spiritu nihil audierint, de quo ubique clamant Prophetæ, & cujus elogiis referta eſt Scriptura? certe hinc colligimus neque generaliter loquutum eſſe Paulum de Spiritu: & iſtos ut rogati erant, negare ſibi cognitas eſſe viſibiles illas gratias, quibus Deus regnum Filii ſui ornaverat. Neſcire ergo ſe fatentur an Deus largiatur ejuſmodi dona. ideo in voce Spiritus metonymia eſt. Atque hunc ſenſum confirmat, quod ſi prorſus negaſſent ſe quicquam ſcire de Spiritu Dei, tam craſſum errorem, imo prodigioſum, Paulus tacitum minime tuliſſet. Dum quærit, in quem igitur finem, vel quomodo baptizati ſint, ſubindicat ubicunque Chriſtus ſolide prædicatus eſſet, gratias etiam viſibiles refulſiſſe, ut tale decus Eccleſiis omnibus commune foret. Quare non abs re miratur Paulus fideles ejus gloriæ Chriſti eſſe ignaros, quam tunc volebat Deus ubique eſſe conſpicuam: & mox addita correctione monet, non eſſe manendum in illis quæ imbiberant rudimentis: quia Joannis officium fuerat, diſcipulos Chriſto formare.

4. *Joannes quidem.*] Huc ſpectat Pauli admiratio, ut iſti homines ſuæ ruditatis convicti, ad altiores progreſſus aſpirent. Joannem de Chriſto venturo concionatum eſſe dicit. emiſit ergo diſcipulos ex carceribus, ut in ſtadio currentes, ad Chriſtum nondum manifeſtatum tenderent. quare ne ſibi placeant iſti, & faſtidioſe ulteriorem profectum recuſent, procul adhuc à meta abeſſe oſtendit. Nam homines defectus ſui ſenſus incitat, ut appetant quod ſibi deeſt. Huc redit ſumma acſi dixiſſet Paulus, Priuſquam glorificatus eſt Chriſtus, non viguit iſta ejus potentia in mundo: ſuo tandem in cælum aſcenſu voluit ut regnum ſuum ſic floreret. multo igitur minus, dum adhuc in curſu legationis ſuæ eſſet Joannes, effuſæ fuerunt Spiritus gratiæ, quæ nunc ſedere ad Patris dexteram Chriſtum teſtantur: quandoquidem tunc nondum palam ſe mundo Redemptorem patefecerat. Scitote ergo vobis ultra pergendum eſſe: quia procul abeſtis à meta. Ita diſerte fidem piorum qui à Joanne edocti erant, debuiſſe in Chriſtum venturum reſpicere docet, ne iſti homines in principiis ſubſiſtant. Cæterum hinc quoque docemur, Baptiſmum Joannis, pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum fuiſſe ſymbolum: nec aliud hodie Baptiſmi noſtri eſſe ab illo diſcrimen, niſi quod exhibitus eſt Chriſtus, & in morte ejus ac reſurrectione impleti ſunt omnes ſalutis noſtræ numeri. adeoque ad ſuum effectum perductus fuit Baptiſmus: quia & ex illo quem dixi mortis & reſurrectionis fonte manat pœnitentia, & eodem refertur fides, ut gratuitam juſtitiam inde petat. In ſumma, clare oſtendit Paulus illum fuiſſe Baptiſmum regenerationis & renovationis, ſicut eſt noſter. Quia autem & purgatio & vitæ novitas à ſolo Chriſto manat, in ejus fide fundatum fuiſſe dicit. quibus etiam verbis monemur hinc pendere totam vim Baptiſmi, ut fide in Chriſto apprehenda-

hendamus quicquid figurat: tantum abeſt ut quicquam deroget Chriſti gratiæ exterius ſignum.

5. *His auditis baptizati ſunt.*] Quoniam apud veteres invaluerat opinio, diverſos fuiſſe Baptiſmos Joannis & Chriſti, non fuit illis abſurdum baptizari de integro, qui Baptiſmo Joannis tantum præparati erant. Sed quod illa diverſitas falſo & perperam ab illis credita fuerit, hinc patet, quod ejuſdem adoptionis, ejuſdem vitæ novitatis, quas hodie in Baptiſmo noſtro percipimus, pignus fuit ac teſſera. itaque non legimus denuo fuiſſe à Chriſto baptizatos, qui à Joanne ad eum tranſibant. Adde quod Bapti-
Matth. 3. verſ. 15. ſmum ſuſcepit Chriſtus in carne ſua, ut illo viſibili ſymbolo ſe nobiſcum ſociaret: atqui ſi fictitia illa diverſitas admittitur, excidet nobis ac peribit ſingulare hoc beneficium, quod Baptiſmum habemus cum Filio Dei communem. Nec vero longa refutatione opus eſt: quia ut diverſos Baptiſmos eſſe perſuadeant, in quo differat alter ab altero prius ab illis oſtendi neceſſe eſt. atqui utrimque reſpondet optima ſimilitudo, & partium omnium ſymmetria & conformitas, quæ fateri cogit eundem eſſe Baptiſmum. Nunc vero quæritur an eum repetere fas fuerit. & furioſi homines noſtra ætate hoc teſtimonio freti, Anabaptiſmum invehere conati ſunt. Quidam Baptiſmi nomen pro nova inſtitutione accipiunt: quibus ideo non aſſentior, quod eorum expoſitio, ut coacta eſt, effugium ſapit. Alii negant iteratum fuiſſe Baptiſmum: quia perperam baptizati forent ab aliquo Joannis ſtulto æmulatore. ſed quia nihil habet coloris eorum conjectura, imo potius innuunt verba Pauli veros & germanos fuiſſe Joannis diſcipulos, & Lucas honorifice vocat diſcipulos Chriſti: neque huic quoque ſententiæ ſubſcribo: & tamen iteratum fuiſſe nego aquæ Baptiſmum, quia non aliud ſonant verba Lucæ, quam Spiritu fuiſſe baptizatos. Primum minime novum eſt Baptiſmi nomen
cap. 1: 5. & 11. verſ. 16. ad dona Spiritus transferri, ſicuti capite 1. & 11. vidimus, ubi dicebat Lucas, quum Chriſtus viſibilem Spiritus miſſionem Apoſtolis promitteret, Baptiſmum vocaſſe. Item quum Spiritus deſcenderet ſuper Cornelium, Petrum recordatum fuiſſe verborum Domini, Baptizabimini Spiritu ſancto. deinde videmus hic nominatim agi de donis illis viſibilibus, & ea conferri cum Baptiſmo. Quod autem continuo poſt ſequitur, Ubi manus illis impoſuit, veniſſe Spiritum; exegetice additum eſſe interpretor. eſt enim modus loquendi Scripturæ frequens & familiaris, rem breviter proponere, & mox clarius explicare. quod ergo propter brevitatem erat obſcurius, Lucas melius exprimit, & fuſius explicat, dicens impoſitione manuum Spiritum illis datum fuiſſe. Si objiciat quiſpiam, Baptiſmi nomen, ubi pro Spiritus donis ponitur, non ſimpliciter, ſed cum adjectione ſumi: reſpondeo, ex contextu ſatis patere Lucæ mentem: deinde Lucam alludere ad Baptiſmum, cujus meminerat. Et certe ſi de ſymbolo externo accipias, abſurdum erit fuiſſe illis datum, nulla meliore doctrina interpoſita. Sin vero metaphorice de inſtitutione, durior adhuc erit loquutio: & non quadraret narratio, Poſtquam fuerunt edocti, Spiritum ſanctum deſcendiſſe ſuper eos. Porro ut hanc manuum impoſitionem Sacramentum fuiſſe fateor: ita inſcitia lapſos eſſe dico, qui ad perpetuam imitationem traxerunt. nam quum inter omnes conveniat temporalem fuiſſe gratiam, quæ illo ſymbolo exhibita fuit: perverſum eſt ac ridiculum, ablata veritate ſignum retinere. Alia eſt Baptiſmi & Cœnæ ratio, quibus Dominus ea dona nobis eſſe expoſita teſtatur, quorum fruitio ad finem uſque mundi Eccleſiæ conſtabit. Quare perpetua Sacramenta ſedulo & prudenter à temporariis diſcernere oportet, ne inanes & ludicræ larvæ inter Sacramenta locum occupent. Quod manuum impoſitione uſi ſunt veteres, ut fidei profeſſionem in adultis ſancirent, non improbo: modo ne tali ceremoniæ annexam Spiritus gratiam quis putet, quemadmodum facit Hieronymus contra Luciferianos. Papiſtæ autem nulla venia digni ſunt, qui vetuſto ritu non contenti, putidam unctionem obtrudere auſi ſunt: quæ non tantum eſſet Baptiſmi confirmatio, ſed dignius etiam Sacramentum, quo fideles perfici nugantur, qui prius tantum ſemipleni erant: quo armantur ad pugnam, quibus tantum remiſſa prius erant peccata. has enim execrabiles blaſphemias evomere non dubitarunt.

8. Introgreſſus autem Synagogam, libere loquebatur ad tres menſes, diſputans & ſuadens de regno Dei.

9. Quum autem quidam indurarentur nec crederent, male loquentes de via coram multitudine, digreſſus ab illis ſegregavit diſcipulos: quotidie diſputans in ſchola Tyranni cujuſdam.

10. Hoc autem factum eſt per biennium: ita ut omnes qui habitabant in Aſia, audirent ſermonem Domini Jeſu, Judæi ſimul & Græci.

11. Virtuteſque non vulgares edebat Dominus per manus Pauli:

12. Ita ut etiam ſuper infirmos deferrentur à corpore ejus ſudaria & ſemicinctia, & recederent ab eis morbi, & ſpiritus mali egrederentur.

8. *Introgreſſus Synagogam.*] Hinc colligimus Paulum exorſum fuiſſe à piorum cœtu, qui jam Chriſto nomen dederant: deinde veniſſe in Synagogam, ut reliquos Judæos, quibus nondum innotuerat Chriſtus, vel ſaltem à quibus nondum receptus erat, in unum Eccleſiæ corpus colligeret. Dicit autem Paulum libere egiſſe, ut ſciamus non ideo uſque ad tres menſes auditum quod aſtute tegeret Euangelii doctrinam, vel ſe inſinuaret per obſcuras ambages. mox etiam fiduciæ ſpecimen exprimit Lucas, referens eum diſputaſſe & ſuaſiſſe de regno Dei. Scimus autem hoc nomine ſæpe notari inſtaurationem illam quæ promiſſa erat Patribus, & præſtanda Chriſti adventu. nam quum extra Chriſtum deformis & confuſa ſit omnium diſſipatio, non fruſtra hoc venturo Meſſiæ tribuerunt Prophetæ, fore ut regnum Dei in mundo conſtitueret. Jam vero regnum hoc, quia nos à defectione ſub Dei obſequium reducit, & ex inimicis facit filios: primum gratuita peccatorum remiſſione conſtat, qua nos ſibi reconciliat Deus, & adoptat in populum: deinde vitæ renovatione, qua nos ad imaginem ſuam conformat. Diſputaſſe & ſuaſiſſe dicit, ſignificans ita Paulum diſſeruiſſe, ut probaret ſolidis rationibus quæ in medium afferebat. deinde auditoribus piarum exhortationum ſtimulos addidiſſe, ut januam regno Dei aperirent. Nullæ enim argutiæ nos Deo morigeros reddent, niſi piis admonitionibus flectamur.

9. *Quum indurarentur.*] Nuſquam tam placide & æquis auribus auditum fuiſſe Paulum legimus à Judæis, ſicut Epheſi priore ſuo adventu. nam quum alii tumultuoſe eum abigerent, ab his rogatus fuit ut diutius maneret. Nunc poſtquam ad tres menſes regnum Dei apud eos erigere conatus eſt, prodit ſe multorum impietas & contumacia. dicit enim Lucas, fuiſſe induratos. & certe hæc vis eſt cœleſtis

Digitized by Google

doctrinæ, ut reprobos vel io furorem convertat, vel magis obſtinatos reddat: non ſua id quidem natura, ſed per accidens, ut loquuntur: quia dum urgentur à veritate, erumpit occultum virus. Addit Lucas, *eos maledixiſſe viæ coram populo.* nam buc tandem ſe projiciunt Euangelii contemptores, ut quod oolunt amplecti, hoſtiliter apud alios oppugnent. neque id alio conſilio, oiſi quod cupiunt, ſi fieri poſſit, omnes habere ejuſdem impietatis ſocios. *Viæ* nomine quodlibet inſtitutum iotelligi, ſatis notum eſt: hic autem ad Euangelium Chriſti refertur. Jam dicit Lucas, Paulum ab illis digreſſum, ſegregaſſe diſcipulos. quo exemplo monemur, ubi deploratæ & inſanabilis pervicaciæ facimus periculum, non amplius ludendam eſſe operam. Ideo admonet
Tit.3:10. Paulus ipſe Titum, ut bæreticum hominem poſt unam vel alteram admonitionem devitet. nam indigna contumelia afficitur verbum Dei, ſi porcis & canibus proſtituitur. Simul etiam coaſulere infirmis decet, ne pravis obtrectationibus & ſanæ doctrinæ calumniis labefactetur eorum pietas. Diſcipulos ergo ſegregavit Paulus, ne ſuo fœtore hirci ovium gregem inficerent: deinde ut ingenua profeſſio vigeret inter puros Dei cultores.

Quotidie diſputans.] Oſtendit hic locus quam aſſidua fuerit Pauli ſedulitas in docendo, & nimis eſſe moroſos vel delicatos, quibus ſtatim diſcendi tædium obrepit. Videmus enim quam pauci ad audiendum prompti paratique quotidie accedant. Etſi autem peculiarem gerebat gregis domeſtici curam, quem velut io ovile collegerat: oon tamen opera ſua privat extraneos: ſed curſum diſputandi continuans, periculum facit, num quos reperiat dociles. Scholam Tyraooi vocat, noo qui tunc potitus fuerit imperio: nam Romani in tota Aſia dominabantur: ſed credibile eſt gymnaſium fuiſſe olim extructum ſumptibus Tyranni, & urbi donatum. Loco igitur publico, qui conditoris nomen babebat, uſi ſunt fideles ad conveotus ſuos agendos.

10. *Omnes qui babitabant.*] Non ſignificat Lucas illuc Aſiaticos veniſſe, ut Paulum audirent: ſed prædicationis odore perfuſam fuiſſe totam Aſiam, & ſemen longe lateque diſperſum: ut ejus labor non uni tantum urbi, ſed remotis etiam locis fructuoſus eſſet. atque id ſæpe fit, ut Dei veritas, dum uoo in loco prædicatur, longe lateque diffuſa perſonet ubi audiri non poteſt vox ipſius miniſtri: quia traditur de manu in manum, & alii aliis ſunt doctores. Neque enim ſufficeret uous homo, niſi propagandæ fidei pro ſe quiſque intentus foret.

11. *Virtutes non vulgares.*] Virtutes appellat frequenti Scripturæ uſu miracula, quæ documenta erant extraordinariæ Dei potentiæ. Refert autem Pauli Apoſtolatum iſtis inſignibus fuiſſe ornatum, quo certior conſtaret ejus doctrinæ auctoritas. Trita enim loquutio eſt, Quod per manum hominis ſigna edantur. Ita laus eorum Deo uni aſcribitur tanquam auctori: bomo autem io ordinem cogitur ut miniſter. Atque ut miracula magis amplificet, dicit ſudaria & ſemicinctia delata fuiſſe ad ægrotos, quorum tactu fuerunt ſanati. Quorſum hæc Paulo facultas data fuerit, noo obſcurum eſt: nempe ut ſe verum Chriſti Apoſtolum probaret, fidem conciliaret Euangelio, ſuumque miniſterium ſanciret. Atque hic memoria repetere convenit, quæ ſupra de legitimo miraculorum uſu habuimus. Quod etiam Pauli ſudariis ſanavit Deus ægrotos, buc ſpectabat, ut qui nunquam hominem viderant, reverenter nihilominos abſeotis doctrinam amplecterentur. Quo magis inſulſi ſunt Papiſtæ, qui locum bunc ad ſuas reliquias detorquent. quaſi vero ſua ſudaria miſerit Paulus, quæ in ejus honorem oſcularentur venerabundi homines: ſicuti in Papatu calceos & brachas Franciſci, Roſæ cingulum, Sanctæ Margaritæ pectinem, ac ſimiles nugas adorant. Imo potius res viliſſimas delegit, ne qua ex pretio vel ſplendore ſuperſtitio naſceretur. Hoc enim fuit ejus conſilium, integram Chriſto gloriam in ſolidum vindicare.

13. Tentaverunt autem quidam è circumeuntibus Judæis exorciſtis invocare ſuper eos qui habebant ſpiritus malos, nomen Domini Jeſu, dicentes, Adjuramus vos per Jeſum, quem Paulus prædicat.

14. Erant autem quidam filii Scevæ Judæi principis Sacerdotum ſeptem, qui hoc faciebant.

15. Reſpondens autem ſpiritus malus, dixit, Jeſum novi, & Paulum ſcio: vos autem qui eſtis?

16. Et inſiliens in eos homo in quo erat dæmonium malum, & dominatus eis, invaluit contra eos, ita ut nudi & vulnerati effugerent de domo illa.

17. Hoc autem innotuit omnibus Judæis ſimul & Græcis qui habitabant Epheſi. Et incidit timor ſuper omnes illos, & magnificabatur nomen Domini Jeſu.

13. Quo certius appareat, miraculis illis, quorum nuper facta eſt mentio, confirmatum fuiſſe Apoſtolatum Pauli: docet nunc Lucas, quum falſo quidam nomen Chriſti obtenderent, gravem de tali abuſu ſumptam fuiſſe pœnam. unde agnoſcimus non alium in finem editas fuiſſe virtutes per manum Pauli, niſi ut teſtatum omnibus fieret, fideliter ab eo Chriſtum prædicari Dei potentiam: quando noo ſolum Dominus eas à pura Euangelii doctrina ſeparari paſſus non eſt, ſed tam ſevere ultus eſt eos qui præpoſtere eas ad ſuos exorciſmos trahebant. unde rurſum colligitur, quæcunque Chriſti nomen obſcurant miracula, præſtigias eſſe diaboli: falſarios autem eſſe, qui vera Dei miracula alio trahunt quam ut ſanciatur pura religio.

Quidam exorciſtæ.] Non dubito quin munus hoc ex ſtulta æmulatione prodierit. Deus ſuam potentiam ioter Judæos variis modis exercere ſolitus erat: & Prophetis olim uſus fuerat miniſtris ad fugandos dæmones. hoc prætextu exorciſmos ſibi finxerunt. Atque hinc temere erectum eſt extraordinarium munus ſine Dei mandato. poteſt etiam fieri, ut Deo ſic ordinante, aliquid perfecerint: non quod faveret præpoſtere, ſed ut patriam religionem libentius colerent uſque ad Chriſti adventum. Sub regno Chriſti fecit prava ambitio, ut Chriſtiani cum Judæis certarent. Creati ſunt enim hominum arbitrio exorciſtæ. deinde ut ſemper in deterius prolabi ſolet ſuperſtitio, hoc clericis ſuis omnibus commune eſſe voluit Papa, qui ad majorem gradum promovendi erant. Poſtquam enim facti ſunt Oſtiarii, extemplo illis conjuratio dæmonum mandatur: ipſa autem experientia plane ſe ridiculos faciunt. Fateri enim coguntur inanem & ſine affectu ſe titulum conferre. nam ubi facultas qua diabolos adjurent? & ipſi exorciſtæ manifeſto ludibrio ſuſcipiunt munus quod nunquam exerceant. Sed hoc ſcilicet jure accidit, ut nullus ſit errorum finis, ubi à verbo Dei diſceditur. Quantum ad iſtos ſpectat, colligimus fuiſſe vagos errones & homines circumforaneos, quales hodie multi cernuntur in Papatu. dicit enim *circumiviſſe:* quo verbo ſignificat huc & illuc, prout fallendi occaſio dabatur, flexiſſe iter.

Adjura-

Adjuramus vos per Jeſum.] Veriſimile eſt impoſtores iſtos confugiſſe ad Chriſti nomen, ut novam poteſtatem acquirerent quam prius fallacater jactaverant: vel, quia ceſſaverat facultas qua præditi fueraoi, ut tenebras obducerent Euangelio. Duplex autem fuit bujus invocationis vitium. nam quum alieni ſint à Pauli doctrina, ſine fide ejus prætextu abutuntur quaſi ad magicas incantationes: deinde, quod non eſt in hominum manu, ſibi abſque vocatione Dei uſurpant. Legitima autem nominis Dei & Chriſti invocatio eſt, quæ fide dirigitur, nec excedit vocationis metas. Quare monemur boc eaemplo, oe ſimiles demus ſacrilegii pœnas, nihil niſi prælucente Dei verbo eſſe tentandum. Dominus ipſe nos ad preces invitat. Quicunque miraculorum dono præditi non ſunt, ſe intra iſtas metas contineant. nam Apoſtoli quum ſpiritus immundos exire imperio cogebant, Deum babebant auctorem, ae ſciebant miniſterio, quod iojunxerat, fideliter ſe defungi.

16. *Inſiliens in eos bomo.*] Tribuitur bomini quod per ipſum diabolus effecit. Tantæ enim violentiæ par non fuiſſet, ut ſeptem robuſtos juvenes ſauciatos & veſtibus nudatos projiceret. Quomodo autem diabolus in hominibus habitet, certo definire non licet, niſi quod ſtatui poteſt antitheſis inter Dei Spiritum & Satanæ. nam quemadmodum Paulus docet nos eſſe Dei templa, quia Spiritus Dei habitat in nobis: ſic rurſum dicit Satanam efficaciter agere in omnibus incredulis. Sciendum tamen eſt Lucam hic de ſingulari habitandi modo agere, quum ſcilicet ita Satanæ frenum laaatur, ut totum hominem occupet. Porro tale ſpecimen edere voluit Deus, ut ſuam virtutem oſtenderet non eſſe incluſam in ſonitu vocis, nec fas eſſe Filii ſui nomen ad ſuperſtitiones trahi. Quum autem Satanæ permittit nobis illudere, ſciamus gravius nos puniri quam ſi nos in carne vulneraret. Fallaa enim miraculorum ſpecies, horribile faſcinum eſt ad dementandos incredulos, ut in altiores tenebras mergantur, quia Dei lucem reſpuerunt.

17. *Incidit timor.*] Fructus ejus vindictæ quam de impio nomiois Chriſti abuſu Deus ſumpſerat, quod religio omnibus injecta eſt, ne doctrinam contemnerent, cujus ſe acerrimum fore vindicem Deus inſigni documento oſtenderat, & in Cbriſti reverentiam fuerunt adducti. præterquam enim quod omoibus ſuis judiciis ad hunc profectum nos Deus invitat, ut peccandi metum nobis incutiant: peculiariter in boc exemplo commendata fuit majeſtas Cbriſti, & Euangelii auctoritas ſancita, quo gravior pœna manet impoſtores qui ſuis incantationibus Chriſti nomen ſcientes profanant, ne ſibi impunitatem tam craſſi ſacrilegii promittant. Quod dicit innotuiſſe omnibus, tantundem valet, atque vulgo aut paſſim. Significat enim rem fuiſſe celebratam populi ſermone, quo apud plures inclareſceret Chriſti nomen.

18. Multique ex iis qui crodiderant, veniebant, confitentes & annunciantes facta ſua.

19. Multi autem ex iis qui curioſas artes exercuerant, comportatos libros exuſſerunt coram omnibus: & ſupputatis pretiis illorum, repererunt pecuniæ quinquaginta millia.

20. Ita potenter creſcebat ſermo Domini & confirmabatur.

21. His autem expletis, propoſuit Paulus in Spiritu, tranſita Macedonia & Achaia, ire Jeroſolymam, dicens, Poſtquam fuero ibi, oportet me & Romam videre.

22. Miſſis autem in Macedoniam duobus ex miniſtrantibus ſibi, videlicet Timotheo & Eraſto, ipſe remanſit ad tempus in Aſia.

18. *Multi qui crediderant.*] Ejus timoris de quo loquutus eſt, indicium unum profert Lucas. Reipſa enim teſtati ſunt ſerio Dei timore penitus ſe eſſe affectos, qui ultro ſuperioris vitæ delicta confeſſi ſunt, ne ſua diſſimulatione intus foverent iram Dei. Scimus quam ægre ea torqueatur ab iis qui peccarunt vera & ingenua confeſſio. nam quum ſua exiſtimatione nibil pretioſius habeant homines, pluris ſemper illis eſt pudor quam veritas: imo quantum io ſe eſt, ſua probra tegere conantur. Ergo voluntaria hæc confeſſio, teſtis pœnitentiæ ac timoris fuit. nemo enim niſi divini judicii ſenſu probe tactus, hominum probris & ignominiæ ſe ſubjiciet, judiciumque ſponte in terra ſubibit, ut reatu ſolvatur in cælo. Quum dicit *multos*, binc colligimus non eandem fuiſſe omnium cauſam. poteſt enim fieri ut iſti exulceratas diu conſcientias babuerint: ſicuti multi plerumque occultis & inteſtinis vitiis laborant. Quare non communem omnibus legem præſcribit Lucas: ſed exemplum proponit, quod ſequantur qui ſimili opus habent medicina. Quorſum enim iſti facta ſua confeſſi ſunt, niſi ut pœnitentiæ ſuæ teſtimonium ederent, & conſilium levationemque peterent à Paulo? Diverſa fuit eorum ratio, qui etiam
Mat. 3. verſ. 6. peccata ſua confeſſi ſunt, quum ad Baptiſmum Joannis accederent. nam boc modo profitebantur ſe non ficte initiari in pœnitentiam. Hic autem ab una ſpecie docet Lucas, quo modo Dei reverentia tacti fuerint fideles, ubi Deus ſeveritatis ſuæ exemplum illis propoſuit. Quo major eſt Papiſtarum impudentia, qui hunc ſuæ tyrannidi fucum inducunt. Quid enim auricularis eorum confeſſio huic exemplo affine habet? Primum fideles quam miſere ante ſuſceptam fidem decepti fuiſſent à Satana, productis in medium quibuſdam eaemplis, confeſſi ſunt: Papæ autem lege, factorum dictorumque & cogitationum omnium enumeratio exigitur. Hos ſemel legimus confeſſos eſſe: Papæ lea quotanois, ut minimum, repeti jubet. Iſti ſponte prodierunt: Papa neceſſitate omnes obligat. Lucas multos veniſſe dicit, non omnes: in lege Papæ nulla exceptio. Iſti coram fidelium cœtu ſe bumiliaruot: Papæ longe aliud mandatum, ut clancularius ſuſurris in aurem proprii ſacerdotis obmurmuret peccator. En quam deatre Scripturam ad probandas ſuas fallacias accommodent.

19. *Qui curioſas artes.*] Non tantum de magicis præſtigiis loquitur Lucas, ſed de frivolis & inanibus ſtudiis, quorum major pars hominum nimis ut plurimum cupida eſt. περίεργα enim ponit: quo nomine comprehendunt Græci quæcunque ſolidam in ſe utilitatem non cootinent: ſed per varios circuitus hominum mentes & ſtudia inutiliter abducunt. Talis eſt Aſtrologia judiciaria, quam vocant, & quicquid divinationum ſibi in futurum tempus fabricant ſtulti homines. Libros autem exurunt, ut ſibi & aliis in poſterum præcidant anſam errandi. Et quod eos pretii magnitudo à jactura non revocat, eo melius pietatis ſuæ ſtudium probant. Ergo ut nuper verborum confeſſio, ita nunc realis, ut ita loquar, à Luca deſcribitur. Cæterum, quum ἀργύριον Græci accipiant pro qualibet monetæ ſpecie, incertum eſt, ſeſtertios an denarios Lucas deſignet. Quia tamen certo conſtat, expreſſam ab eo ſummam fuiſſe, ut ſciremus forti animo contemptum fuiſſe lucrum à fidelibus: non dubito quin denarios, vel aliquod etiam præſtantius numiſmatis genus intelligat. Denariorum vero quinquaginta millia, circiter novem millia librarum Franciæ monetæ efficiunt.

20. *Poten-*

20. *Potenter creſcebat.*] Particula κατὰ κράτος, ſignificat non vulgares fuiſſe verbi progreſſus: acſi diceret, in illis incrementis apparuiſſe raram efficaciam ac ſolito majorem. Creſcendi verbum ad hominum numerum refero, acſi dixiſſet novis quotidie diſcipulis collectis auctam fuiſſe Eccleſiam, quia late propagatur doctrina. Sermonem vero in ſingulis fuiſſe confirmatum interpretor, quod ſcilicet in Euangelii obedientia & pietate magis magiſque proficerent, atque altiores radices ageret eorum fides.

21. *Propoſuit in Spiritu.*] Conſilium hujus profectionis, Spiritus inſtinctu ſuſceptum fuiſſe à Paulo intelligit: ut ſciamus totam ejus vitam ad Dei arbitrium fuiſſe compoſitam. ideo autem Spiritum habuit ſuarum omnium actionum præſidem, quod & ſe Deo regendom addixit, & pependit ex ejus ductu. Nec refert quod ſequitur paulo poſt, ſpe ſua fuiſſe fruſtratum in ipſo itineris ſucceſſu. ſæpe enim ſuos fideles moderatur Deus, de exitu ipſos celans: nam eouſque vult ſibi habere addictos, ut clauſis oculis, dum res perplexæ ſunt, quod per Spiritum ſuum illis dictavit, ſequantur. Porro omiſſa & neglecta ſua commoditate, Eccleſiis prorſus fuiſſe addictum colligitur, quod Timotheo optimo & ſibi omnium fidiſſimo, chariſſimo, denique aptiſſimo comite ſe privare maluit, quam non coofuleret Macedonibus.

23. Accidit autem illo tempore tumultus non exiguus de via.

24. Nam quidam nomine Demetrius, faber argentarius, qui faciebat delubra argentea Dianæ, præſtabat artificibus non exiguum quæſtum.

25. Quibus convocatis, & his qui ſimilium rerum erant opifices, dixit, Viri, ſcitis quod ex hoc opificio nobis ſuppetit facultas:

26. Et videtis & auditis quod non ſolum Epheſi, ſed pene per totam Aſiam Paulus hic perſuaſit, & avertit multam turbam, dicens, quod non ſint dii qui manibus fiunt.

27. Non ſolum autem hæc pars nobis in periculum venit, ne reprobetur: verum etiam ne magnæ deæ Dianæ templum pro nihilo habeatur, futurumque ſit ut etiam deſtruatur majeſtas ejus, quam tota Aſia & orbis colit.

28. His auditis repleti ſunt ira, & exclamaverunt, dicentes, Magna Diana Epheſiorum.

23. *Tumultus de via.*] De Viæ nomine admoniti ſint Lectores, hie accipi pro eo quod Latini Sectam vocant: Græci Philoſophi Hæreſin. ſed quia in Eccleſia Dei, ubi fidei unitas regnare debet, nihil magis odioſum eſt vel etiam execrabile, quam ſuo quemque arbitratu eligere quod ſequatur: nomen quod merito apud pios infame erat, Lucam fugiſſe exiſtimo, & phraſi Hebraica Viam poſuiſſe pro inſtituto. Quod vero ad rei ſummam pertinet, videmus quam mirifice ſervum ſuum Dominus exercuerit. Sperabat quum ſe ad iter accingeret, Eccleſiam fore in ſuo diſceſſu tranquillam: ecce autem ſubito exoritur tumultus, unde minime timebat. Cæterum, in Demetrio patet quam noxia ſit peſtis avaritia. nam unus homo quæſtus ſui privati cauſa magnam urbem ſeditione turbare non dubitat. Opifices autem, qui velut faces ab eo accenſæ, incendium ubique ſpargunt, nobis documento ſunt, quam facile ſit homines ſordidos & ventri deditos ad quodvis facinus impellere: præſertim ſi ex illiberali quæſtu in diem vivunt, & ſpes lucri illis eripitur. Porro in hac hiſtoria vivam cernimus temporis noſtri effigiem. Tumultuatur Demetrius cum ſua manu: quia ſi tollatur ſuperſtitio, ex qua quæſtum facere ſoliti ſunt, opificium ipſorum concidet. ergo non ſecus ac pro vita ſua depugnant: ne Demetrius opima præda, alii quotidiano victu priventur. Hodie quis zelus Papam, cornutos Epiſcopos, Monachos, & totam Cleri Papalis colluviem inſtigat? imo quis eos exagitat furor, ut tam acriter Euangelio reſiſtant? Jactant quidem ſe pro fide catholica certare. nec vero Demetrius honeſto prætextu carebat, cultum Dianæ obtendens. Verum res ipſa clamat, non tam pro aris ipſos, quam pro focis pugnare: ut ſcilicet culinam habeant bene calentem. Fœdas in Deum blaſphemias, modo nihil minuant ex eorum proventu, placide diſſimulant. tantum in tuendis ſuperſtitionibus, quæ ad farinas valent, ſunt pluſquam animoſi. Proinde talibus exemplis admoniti, vitæ genus eligere diſcamus doctrinæ Chriſti conſentaneum: ne lucri cupiditas nos ad impium & nefarium certamen armet atque incitet. qui vero per inſcitiam ac errorem, vel ad aliquod opificium vitioſum delapſi ſont, vel alia prava & impura vitæ ratione ſunt impliciti: tamen à ſacrilega iſta temeritate ſibi caveant. Quantum vero ad pios doctores ſpectat, diſcant ab hoc exemplo, nunquam ſibi defore adverſarios, donec ſui abnegatione totus mundus pacem offerat: quod ſcimus nunquam futurum. Quia Demetrio & argentariis quæſtum præripit doctrina Pauli, furioſe proſiliunt ad eam delendam. annon idem facturi ſunt, quibus Euangelium adverſabitur? Atqui nemo eſt, cui noo ſit bellandi occaſio. nam omnes carnis affectus Deo ioimici. Ita fieri neceſſe eſt, ut quotquot in mundo regnant carnis cupiditates, totidem ſint armati hoſtes ad reſiſtendum Chriſto. Sæpe quidem continget frenum divinitus injici, ne improbi tumultuentur, vel aperte ſæviant. quiſquis tamen ſubactus non eſt ad ferendum jugum Chriſti, ſemper inviſum ejus Euangelium habebit. Ita ſtatuendum eſt, piis & fidis doctoribus cum multiplici hoſtium copia ſemper negotium fore. Demetrii cupiditas palam apparet: interim tamen ſciendum eſt Satanæ fuiſſe flabellum, qui modis omnibus Pauli doctrinam labefactare quærens, hoc idoneum organum reperit. Jam quum Satanam ſciamus implacabilem eſſe Chriſti & veritatis hoſtem, putamusne illi unquam defore miniſtros, qui ejus impulſu vel aperta ſævitia inſaniant, vel clandeſtinis artibus moliantur Euangelii ruinam, vel evomant odii ſui virus, vel ſaltem fremendo & obſtrependo hoſtile aliquod ſignum præbeant?

25. *Ex hoc opificio.*] Hic turpiter malitiam ſuam prodit Demetrius. Privato commodo aliquatenus conſulere licet. verum ejus cauſa turbare publicam pacem, jus & fas pervertere, ſeſe projicere ad vim & cædes, quod juſtum ac rectum eſt data opera extinguere conari: id vero nimis flagitioſum eſt. Statum cauſæ hunc eſſe fatetur Demetrius, quod Paulus deos eſſe negat qui hominum manibus fiunt. Sitne hoc verum nec ne, non inquirit: ſed lucrandi cupiditate excæcatus, ad opprimendam veram doctrinam fertur. Eadem cæcitas illum ad violenta remedia præcipitat. Opifices quoque, quia ſibi ab inopia & fame timent, non minore impetu ruunt: venter enim ſurdus ac cæcus eſt, ut æquitatem nullam admittat. quo magis ſibi quiſque noſtrum ſuſpectus eſſe debet, ubi de privata utilitate & lucro agitur, ne diſcrimen omne juſti & injuſti, turpis & honeſti, tollat cupiditas eadem quæ iſtos ad inſaniam impulit.

27. *Non*

27. *Non ſolum hæc pars.*] Primum hoc præpoſtere, quod ſecundo tandem loco religionis curam habet Demetrius: quia nihil magis abſurdum eſt, quam ventrem deæ præferri. ſed hoc quoque vanum eſt, quod cultum Dianæ periclitari obtendit: nam ſi ex Pauli doctrina nihil paſſus eſſet damni, domi quieviſſet: de cultu Dianæ nec ipſe fuiſſet anxius, nec aliis moleſtus. Unde ergo tanta ſedulitas, tantuſque ſatagendi fervor, niſi ex plaga domeſtica? quia vero non ſatis honeſtam nec probabilem ſibi ac ſuis pugnandi cauſam fore videbat, aſcititio colore fucare ſtudet. Ergo ut maleficii dedecus tegat, religionis titulum, qui plauſibilis eſt, obducit. Ita impii quantumvis proterve contra Deum inſurgant, impudenter tamen hinc inde captant honeſtos prætextus. verum Deus illudi ſibi non ſinit: quin potius ex ſuis ſubterfugiis protrahit eos in lucem. Non alio teſte opus eſt ad refutandam Demetrii hypocriſin: quia ſeipſum propria voce jugulat, dum privatæ jacturæ dolorem prodit. Nec abſimilis eſt hodie Papiſtarum ratio. plenis quidem buccis ſe fidei catholicæ, & ſanctæ matris Eccleſiæ patronos eſſe jactant: ſed de ſuo zelo ſic præfati, in ipſa cauſæ actione culinæ nidorem toto gutture ſpirant. Nobis vero ſi animus eſt pietatis cauſam pure & ſerio agere, noſtra commoda obliviſcamur, ut Dei gloria primas teneat. Sic enim ſenſus omnes perſtringit ſuis illecebris utilitatis ſpecies, ut per quodvis nefas errando, nobis tamen blandiamur, quantiſper nobis privatim conſulere propoſitum eſt.

Quam tota Aſia & orbis.] Indignum Demetrio videtur peſſum ire Dianæ majeſtatem, quam totus orbis ſuſpicit & adorat. atque hoc ſuperſtitioſis omnibus commune perfugium eſt, multitudinis conſenſum obtendere. Vera autem religio magis ſolidam fulturam quam in hominum arbitrio poſtulat. Hodie nihil magis ſimplices ac imperitos retinet, niſi quod errores paſſim uſu receptos abjicere non audent: quia quod pluribus placuit, quamvis ſtulte & temere, pro legitimo habendum eſſe fingunt. unde & ſolum nomen conſuetudinis contra Deum ipſum audacter obtrudere non dubitant. Nobis vero longe aliam regulam Dominus præſcribit, ut ſcilicet ſua unius auctoritate contenti, nec hominum opinionem, nec uſum noſtrum, nec multarum gentium conſuetudinem moremur.

29. Et impleta eſt civitas tota confuſione: & impetum fecerunt uno animo in theatrum, correpto Gaio & Ariſtarcho Macedonibus, comitibus Pauli.

30. Paulo autem volente intrare ad populum, non permiſerunt diſcipuli.

31. Quidam autem & ex Aſiæ primoribus, qui erant amici ejus, miſerunt ad eum, rogantes ne ſe daret in theatrum.

32. Alii quidem igitur aliud clamabant: erat enim concio confuſa, & plerique neſciebant qua ex cauſa conveniſſent.

33. De turba autem protraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Judæis. Alexander autem manu ſilentio poſtulato, volebat rationem reddere populo.

34. Quem ut cognoverunt Judæum eſſe, vox orta eſt una omnium, ferme ad duas horas clamantium, Magna Diana Epheſiorum.

29. Hic populi naturam, quaſi in tabula depictam nobis Lucas proponit. Quemadmodum ſi incendium mille ſimul domos corripiat: ita momento uno totam urbem ſeditio pervaſit. ubi autem talis ſemel concitata eſt tempeſtas, non facile ſedatur. Quum vero malum hoc vitare nequeant Chriſti ſervi, invicta conſtantia munitos eſſe decet, ut populares motus intrepidi ſuſtineant, nec turbentur quaſi re nova aut inſolita, quum vident populum
2 Cor. 6:5. eſſe turbulentum. Sic Paulus ipſe alibi gloriatur ſe infracto animo per medias ſeditiones pergere. Interim optimo ſolatio verbi ſui miniſtros, dum ſic inter varias procellas & æſtus jactantur, Dominus ſuſtentat, & optima fiducia ſtabilit, quum ſe gubernacula tenere Eccleſiæ ſuæ teſtatur. neque id modo: ſed omnium turbinum ac fluctuum eſſe moderatorem, ut eos ſimulac viſum fuerit componat. Ergo ſciamus quaſi in mari tempeſtuoſo nobis eſſe navigandum: imo hanc infamiam nobis ſubeundam eſſe, quaſi turbas ipſi concitemus: nec quicquam nos à recto officii curſu abducat. Ita pergendo, duriter quidem vexabimur: ſed naufragio ſaltem nos ſubmergi Dominus non ſinet. Videmus præterea, licet confuſa ſit ſeditio, populum tamen ſemper in deterius ruere: ſicuti nunc Epheſii Gaium & Ariſtarchum rapiunt, Alexandrum repellunt inſanis clamoribus. unde id, niſi quod regnum occupat in ipſis Satan, ut malæ cauſæ potius faveant? Eſt etiam alia ratio, quod conceptum ex falſa delatione præjudicium mentes occupat, ne de cauſa inquirere ſuſtineant.

30. *Paulo autem volente.*] Pauli conſtantiam modeſtiæ conjunctam cernere licet. Quum tuto latere poſſit, ultro ſe in diſcrimen objicere paratus eſt. Neque tamen eorum conſilium recuſat ſequi, quibus rerum ſtatus melius compertus erat. Si retentus non eſſet, temeritati imputari non debuit quod facere ſtatuerat. Seditio nulla ejus culpa flagrabat: cur vitam ſuam non opponeret? præſertim de meliore eventu non deſperans. Sed ubi diſſuadent fratres & amici rerum periti, modeſtia eſt laude digna, quod propoſito ſuo pervicaciter non inſiſtit.

33. *Protraxerunt Alexandrum.*] Credibile eſt Alexandrum hunc non emiſſum fuiſſe à Judæis, ut communem gentis cauſam ageret: ſed quod eum cuperent populo mactandum objicere. Interim Judæi nomen eum ſic inviſum reddidit, ut tumultuoſe reſpuerent quicquid pro recta cauſa dicturus erat: imo in tanto fervore non procul à mortis diſcrimine abfuit. Porro an is ſit Alexander de quo alibi meminit 1 Tim. 1. vers. 20.
Paulus, incertum eſt: conjectura tamen mihi videtur probabilis. Quod ſi credimus eum eſſe, diſcamus 2 Tim. 4. vers. 14.
ab hoc formidabili exemplo ſollicite ambulare, ne in ſimilem defectionem abripiat nos Satan. Nam qui martyrio propinquus erat, perfidum & ſceleratum apoſtatam factum eſſe videmus.

34. *Magna Dianæ Epheſiorum.*] Clamoſa quidem, ſed ſine ulla ſoliditate fuit confeſſio, quæ ex fide cordis non manabat. Unde enim iſta, quam prædicant, Dianæ magnæ divinitas, niſi quod tanquam mente alienati, quem ſemel imbiberunt errorem furenter defendunt? Alia eſt veræ pietatis ratio: ut corde credamus ad juſtitiam, deinde ſequatur oris confeſſio ad ſalutem. In eo differt bacchantium intemperies, & inſana omnium fanaticorum pervicacia à Martyrum conſtantia & zelo. Et tamen pudenda eſt noſtra ignavia, ſi minus ingenui ſtrenuique ſumus in profeſſione certæ fidei, quam illi in putido ſuo errore. Audimus enim quid nobis per Da- Pſal. 116.
videm præſcribat Dei Spiritus, Credidi, propterea vers. 10.
loquar.

35. Quum

35. Quum autem ſedaſſet Scriba turbam, dixit, Viri Epheſii, quis enim eſt hominum qui neſciat Epheſiorum civitatem cultricem eſſe magnæ deæ Dianæ, & à Jove delapſi ſimulachri?

36. Quum autem hæc ſint extra controverſiam, oportet vos ſedatos eſſe, & nihil præcipitanter agere.

37. Adduxiſtis enim homines iſtos, neque ſacrilegos, neque contumelioſos in deam veſtram.

38. Quod ſi Demetrius & qui cum eo ſunt artifices, habent adverſus aliquem cauſam, conventus forenſes aguntur, & Proconſules ſunt, accuſent invicem.

39. Siquid autem de rebus aliis quæritis, in legitima concione dirimetur.

40. Nam periculum eſt ne ſeditionis hodiernæ rei fiamus, quum nulla ſubſit cauſa unde poterimus reddere rationem concurſus iſtius. Et quum hæc dixiſſet, dimiſit concionem.

35. Hic Lucas narrat ſedatum ita fuiſſe tumultum, ut tamen prævaluerit apud inſanientem populum ſuperſtitio, neque audita fuerit Dei veritas. Scriba enim, ut ſolent homines politici, ſatis habet ſi poſſit quovis modo incitatam turbam placare. Interim cauſa ipſa opprimitur. Videbat proculdubio Demetrii malitiam, atque ut religionis prætextu ad privatum commodum abuſus, urbem turbaſſet: ſed vulnus illud quod imperitis occultum erat, non attingit. Interea ſedandæ contentionis cauſa extollit fictitium Dianæ numen, & ſuperſtitioſum ejus cultum aſſerit. Si tunc in theatro fuiſſet Paulus, centies morti ſe obtuliſſet potius quam paſſus fuiſſet hac mercede ſe à periculo redimi. Etſi enim Scriba non ex ejus mandato ſic loquutus eſſet: in publico tamen cæleſtis doctrinæ teſte & præcone perfida fuiſſet diſſimulatio. Pronunciat Scriba ſimulachrum quod colebant Epheſii, delapſum è cælo eſſe, & Paulum ejuſque comites nihil in ipſorum deam contumelioſe loquutos eſſe. an tacere licuit, quin ſuo ſilentio fictam excuſationem probaret? Hoc autem erat manus idololatriæ dare. ergo non abs re Lucas præfatus eſt, retentum à fratribus fuiſſe Paulum ne in theatrum prodiret.

37. *Homines neque ſacrilegos.*] Vere quidem & recte ſacrilegos eſſe negat: ſed perperam continuo poſt ſpeciem ſacrilegii definit, probroſe loqui adverſus Dianam. nam quum omnis ſuperſtitio profana ſit & polluta, ſacrilegos eſſe conſequitur quicunque unius Dei honorem ad idola transferunt. Sed hic prudentia Scribæ, & ea quidem carnalis, laudatur, non pietas. Tantum enim hoc ſpectabat, ut ſeditionis ardorem reſtingueret: ideo tandem concludit, Si quam privatam litem habeat Demetrius, eſſe judicia & magiſtratus. Publica vero negotia in concione legitima, non turbulenta: quæ magiſtratuum edicto convenerit, non quæ unius hominis impulſu & libidine temere accurrerit: tractanda eſſe. Proconſules plurali numero dicit, non quod plures uno Aſia haberet, ſed quod Legati Proconſulum loco conventus interdum agebant. Injecto etiam metu eos pacat: quia Proconſuli oblata erat occaſio urbis male mulctandæ.

Cap. XX.

Poſtquam autem ceſſavit tumultus, vocatis ad ſe Paulus diſcipulis, complexuſque illos, profectus eſt ut iret in Macedoniam.

2. Quum autem perambulaſſet partes illas, & exhortatus eos fuiſſet multo ſermone, venit in Græciam.

3. Et ibi peractis menſibus tribus, quum eſſent illi ſtructæ inſidiæ à Judæis ſoluturo in Syriam, habebat in animo ut reverteretur per Macedoniam.

4. Comitatus eſt autem eum uſque ad Aſiam Sopater Berrhœenſis: Theſſalonicenſium vero, Ariſtarchus & Secundus & Caius Derbæus & Timotheus: Aſiani vero, Tychicus & Trophimus.

5. Hi quum præceſſiſſent, expectarunt nos Troade.

6. Nos vero abnavigavimus poſt diem Azymorum à Philippis, & venimus ad eos Troadem intra dies quinque, ubi demorati ſumus diebus ſeptem.

1. Narrat hoc capite Lucas quomodo Paulus ex Aſia ſolvens, Jeroſolymæ adeundæ cauſa rurſus mare trajecerit. Etſi autem accurata meditatione dignum eſt quicquid in hac narratione ſcribitur, longa tamen expoſitione non indiget. Mirifica Dei virtute inter tempeſtuoſos illos fluctus ſervatam fuiſſe Eccleſiam apparet. tenera adhuc & imbecillis erat Epheſi Eccleſia: fideles repentinum motum ſemel experti, timere merito poterant ne ſubinde exurgerent ſimiles procellæ. Non dubium eſt quin ægre avulſus fuerit ab illis Paulus: quia tamen major neceſſitas ipſum alio trahit, filios nuper genitos, vixdum emerſos ab uno naufragio, relinquere in mari æſtuoſo cogitur. Ipſi vero, licet triſtis & acerbus ſit Pauli diſceſſus, ne tamen aliis Eccleſiis faciant injuriam, non retinent eum neque morantur. Ita videmus non ſibi fuiſſe addictos, ſed ſua cura & ſtudio complexos fuiſſe Chriſti regnum, ut in commune tam fratribus quam ſibi conſulerent. Hæc exempla diligenter notanda ſunt, ut in hac miſera diſſipatione alii alios juvare ſtudeamus. quod ſi quando nos ſpoliari utilibus præſidiis contingat, non tamen vacillemus, ſcientes Deum tenere navis noſtræ gubernacula. Notandum autem quod Paulus non diſcedit inſalutatis fratribus, quin potius eos in diſceſſu confirmat: ſicuti & de Macedonibus ſtatim Lucas dicit, Paulum fuiſſe eos exhortatum multo ſermone: hoc eſt, non defunctorie, quaſi ſufficeret officii ſui eſſe admonitos; ſed quemadmodum alibi fieri jubet, *2 Tim. 4. verſ. 2.* uſque ad importunitatem urgendo, & penitus inculcando res cognitu neceſſarias, ne unquam intercideret memoria.

3. *Quum eſſent illi ſtructæ.*] Ita variis modis & aſſiduis certaminibus ſervum ſuum Deus exercuit, ut in eo nobis exemplar proponeret infatigabilis conſtantiæ. Non ſatis eſt eum difficilis ac longi itineris labore & moleſtia confici, niſi vitæ quoque diſcrimen ab inſidiatoribus accedat. Hoc ſibi ante

oculos

Digitized by Google

oculos ſpeculum ponant omnes Chriſti ſervi, ne unquam difficultatum tædio langueſcant. Paulus tamen quum iter alio flectens, paratas ſibi inſidias declinat, ſimul oſtendit eatenus habendam nobis eſſe vitæ rationem, ne temere nos projiciamus in media pericula. Qui vero ſe illi comites adjungunt, non vulgare reddunt pietatis ſuæ teſtimonium: ac videmus quam pretioſa fuerit ejus vita fidelibus, dum ex diverſis Gentibus complures delecti comites, ejus cauſa duram & aſperam expeditionem non ſine magnis ſumptibus ſuſcipiunt. Dicit Lucas ſubſtitiſſe Paulum Philippis per dies Azymorum, quia tunc melior erat docendi opportunitas. Et quum adhuc ignota eſſet Legis abrogatio, cavendum fuit ne feſtum diem negligendo, à rudibus putaretur Dei contemptor. quanquam mihi præcipue videtur quæſita ab eo docendi opportunitas, quia tunc attentiores erant Judæi ad diſcendum.

7. Uno autem die Sabbathorum, quum conveniſſent diſcipuli ad frangendum panem, Paulus diſſerebat eis, profecturus poſtridie: protraxitque ſermonem uſque ad mediam noctem.

8. Erant autem lucernæ multæ in cœnaculo ubi erant congregati.

9. Sedens autem quidam adoleſcens nomine Eutychus in feneſtra, quum degravaretur ſomno profundo, diſſerente diu Paulo, magis depreſſus ſomno decidit ex tertio cœnaculo deorſum, & ſublatus eſt mortuus.

10. Quum deſcendiſſet autem Paulus, incubuit ſuper eum, & complexus dixit, Ne turbemini: anima enim ejus in ipſo eſt.

11. Quum vero aſcendiſſet, fregiſſetque panem & deguſtaſſet, diu colloquutus uſque ad diluculum, ita profectus eſt.

12. Adduxerunt autem puerum viventem, & refocillati ſunt non mediocriter.

13. Nos autem conſcenſa navi, ſolvimus Aſſon, inde excepturi Paulum. ſic enim ordinaverat, ipſe per terram iter facturus.

7. *Uno autem die.*] Vel primum diem hebdomadis, proximum Sabbatho intelligit, vel unum quodpiam Sabbathum. quod poſterius mihi videri poſſet magis probabile: hac ratione, quod dies ille ad conventum habendum ex more aptior fuit. ſed quum Euangeliſtis non ſit novum, ex linguæ Hebraicæ uſu, Unum ponere loco Primi, optime conveniet, poſtridie Sabbathi habitam fuiſſe concionem. Porro de quolibet die hoc exponere, nimis frigidum eſſet. quorſum enim Sabbathi mentio, niſi ut temporis opportunitatem & delectum notet? Veriſimile quoque eſt, expectatum fuiſſe à Paulo Sabbathum, ut pridie diſceſſus ſui facilius diſcipulos omnes in unum locum aggregaret. Eſt autem dignus obſervatu omnium fervor, quod neque Paulum ad mediam uſque noctem, quum tamen ſe ad iter accingeret, docere piguit, neque alii diſcendi tædio affecti ſunt. neque enim alia cauſa protrahendi longius ſermonis, quam ſtudium auditoru & attentio.

Mat. 26. verſ. 1. Luc. 24. verſ. 1. Joan. 20. verſ. 1.

Ad frangendum panem.] Quamvis interdum Hebræis Panis fractio convivium domeſticum ſignificet: hoc tamen loco de ſacra Cœna, duabus rationibus adductus, interpretor. Nam quum ex ſequentibus colligere promptum ſit, non parvam hominum multitudinem illic fuiſſe collectam: cœnam privata in domo potuiſſe inſtrui, conſentaneum non eſt. deinde narrabit poſtea Lucas, Paulum non cœnæ tempore, ſed poſt mediam demum noctem, panem ſumpſiſſe. Huc accedit, quod non veſcendi cauſa cibum dicit cepiſſe, ſed tantum ut guſtaret. Sic igitur ſtatuo, Sacræ Domini Cœnæ inter ipſos celebrandæ indictum fuiſſe diem ſolennem, qui futurus erat omnibus commodior. Ut autem longioris abſentiæ ſilentium utcunque ſarciret Paulus, ſolito longius ſermonem extendit. Quod de magno hominum numero dixi, inde colligitur, quod multæ in cœnaculo accenſæ erant lucernæ. quod certe non pompæ, neque oſtentationis cauſa, ſed neceſſitate fiebat: ubi enim nullus eſt uſus, ambitio eſt ac vanitas quæ homines facit ſumptuoſos. Porro lampadibus fulgere totum locum decuit, ne qua flagitii vel dedecoris ſuſpicio in ſanctum illum cœtum caderet. adde & alteram conjecturam, ſi vacuum fuiſſet cœnaculum, paſſuros non fuiſſe, qui aderant ut ſuper feneſtram ſederet Eutychus. Turpis enim ſpernendæ ac reſpuendæ cæleſtis doctrinæ fuiſſet licentia, quum pateret alibi locus, ad feneſtram ſecedere.

9. *Quum degravaretur ſomno.*] Nihil video eſſe cauſæ, cur adoleſcentis ſomnolentiam tantopere & tam acriter exagitent quidam interpretes, ut dicant torporis ſui pœnam morte luiſſe. Quid enim mirum, ſi nocte intempeſta cum ſomno luctatus, tandem ſuccubuit? Quod autem invitus & præter ſpem correptus fuerit & oppreſſus ſopore, hinc conjicere licet, quod ſe ad quietem non compoſuerat. Idoneum ſomno locum captare, ignaviæ ſignum fuiſſet. ad feneſtram vero ſedentem ſomno obrui, quid aliud eſt quam citra culpam, naturæ infirmitati cedere? quemadmodum ſi ex inedia deliquium animi, vel ex nimia fatigatione contingat. Qui terrenis curis demerſi contemptim ad verbum accedunt: qui cibo & vino referti ſoporem inde contrahunt: qui in rebus aliis vigiles oſcitanter audiunt verbum, merito eorum ſomnolentia damnabitur: Eutychum vero diſertis verbis Lucas abſolvit, quum dicit gravi ſomno poſt mediam demum noctem depreſſum cecidiſſe. Porro voluit Dominus non tantum ſomno, ſed morte hujus adoleſcentis expergefacere ſuorum fidem, ut alacrius Pauli doctrinam reciperent, & animis penitus infixam tenerent. Fuit quidem initio non levis tentatio: ſed quæ vel conſtantiſſimum quemque vehementer percellere potuit. quis enim Chriſtum præſidere putaret in eo cœtu, ex quo miſer homo ſeſe caſu in mortem præcipitat? quis non potius divinæ maledictionis hoc putaret eſſe ſignum? Sed Dominus ſtatim adbibito remedio, ſuorum mentes omni perturbatione exemit.

10. *Incubuit ſuper eum.*] Scimus Apoſtolos in edendis miraculis interdum externos quoſdam ritus interpoſuiſſe, quibus gloriam ad Deum auctorem referrent. quod autem nunc ſuper adoleſcentem incubuit Paulus, non alio fine factum eſſe exiſtimo, niſi ut ſe ad precandi ſtudium incitaret. Perinde agit, acſi ſe miſceret cum mortuo. Et forte ad Eliſæi imitationem hoc factum eſt, de quo idem narrat Sacra hiſtoria. Vehementia tamen affectus eum magis impulit quam Prophetæ æmulatio. Ea enim conjunctio magis eum ſtimulat, ut toto animi affectu à Domino ejus vitam deprecetur. Sic ubi mortui cadaver complectitur, hoc geſtu ſignificat ſe vivificandum Deo offerre. atque ex textu colligere licet, non prius diſceſſiſſe à complexu, quam illi redditam eſſe vitam cognovit.

2 Reg. 4. verſ. 34.

Nolite turbari.] Notandum eſt, hac præcipue de

Digitized by Google

cauſa Paulum fuiſſe ſollicitum, ne triſtis ille eventus piorum fidem concuteret, ac turbaret eorum animos. Interea Dominus extremum quem Paulus habuit Troade ſermonem, quaſi inſculpto ſigillo apud eos ſancivit. Quum dicit animam in ipſo eſſe, non negat fuiſſe mortuum, quia miraculi gloriam hoc modo extingueret: ſed ſenſus eſt, vitam illi redditam eſſe Dei gratia. Quod poſtea ſequitur, magna conſolatione affectos eſſe, non reſtringo ad gaudium quod ex adoleſcente recuperato ceperunt: ſed confirmationem fidei ſimul complector, quum Deus tam præclarum illis amoris ſui ſpecimen dediſſet.

13. *Nos conſcenſa navi.*] Cur iter terra facere maluerit Paulus, incertum eſt: an quia moleſta illi foret navigatio, an ut in tranſitu fratres viſeret. ego valetudinis cauſa mare tunc fugiſſe arbitror. Laudanda vero ejus humanitas, quod comitibus ſuis pepercit. cur enim à ſe dimiſit, niſi ut moleſtia levaret? Ita videmus comitate & officiis ipſos inter ſe viciſſim certaſſe. Illi prompti & obſequentes ad miniſterium: Paulus autem adeo non rigidus exactor, ut quæ parati erant obſequia præſtare, ultro & benigne remitteret: imo utilitate ſua poſthabita, quod illis futurum erat ſolatio mandaret. Aſſon urbem Troadi attribui à Geographis, ſatis notum eſt. Eadem teſte Plinio dicta ſuit Apollonia. Coloniam Ætolorum fuiſſe tradunt.

14. Quum autem conveniſſemus Aſſon, recepto eo venimus Mitylenen.

15. Et inde navigantes, ſequenti die venimus contra Chion. poſtridie vero appulimus Samon: & commorati Trogyllii, venimus Miletum.

16. Propoſuerat enim Paulus præternavigare Epheſum, ne tempus tereret in Aſia. Feſtinabat enim, ſi poſſibile ſibi eſſet, ut diem Pentecoſtes ageret Jeroſolymis.

17. A Mileto autem miſſis Epheſum nunciis, accerſivit Presbyteros Eccleſiæ.

18. Qui quum perveniſſent ad ipſum, dixit eis, *Vos ſcitis à primo die quo ingreſſus ſum in Aſiam, quomodo vobiſcum per omne tempus fuerim.*

19. Serviens Domino cum omni animi humilitate, cumque multis lachrymis & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex inſidiis Judæorum.

20. Ut nihil ſuffugerim eorum quæ eſſent in rem veſtram, quin vobis annunciarem, & docerem vos publice ac per ſingulas domos.

21. Teſtificans Judæis ſimul & Græcis quæ in Deum eſt pœnitentiam, & fidem quæ eſt in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

16. *Propoſuerat enim Paulus.*] Dubium non eſt quin magnas & graves habuerit feſtinandi cauſas: non quod diei religio tantum apud illum valeret, ſed quia ad dies feſtos undique advenæ Jeroſolymam confluere ſolebant. quum in tanta hominum frequentia ſe nonnihil profecturum ſperaret, occaſioni deeſſe noluit. Sciamus ergo Legalem cultum non fuiſſe in cauſa, ut tantopere properaret. ſed Eccleſiæ ædificationem fuiſſe illi propoſitam: partim ut fidelibus narraret propagatum fuiſſe Chriſti regnum: partim ut ſiqui eſſent adhuc alieni à Chriſto, eos lucrifaceret: partim ut improborum hominum calumnias refelleret. Notandum tamen eſt, ipſum interea reliquis Eccleſiis conſulere. Presbyteros enim Epheſinos Miletum accerſens, ſe Aſiam non negligere oſtendit. Quod autem vocati conveniunt, non modo concordiæ, ſed modeſtiæ quoque ſignum eſt. etſi enim plures erant: uni tamen Chriſti Apoſtolo, quem ſingularibus donis ſciebant excellere, morem gerere ipſos non piget. Porro Seniores dici, non qui provectæ eſſent ætatis, ſed qui præeſſent Eccleſiæ, ex contextu clarius patebit. Eſt autem uſitatum fere omnibus linguis, ut Senes ac Patres vocentur qui ad alios regendos præfecti ſunt, etiamſi non ſemper ætas reſpondeat.

18. *Vos ſcitis.*] In hac concione præcipue hunc inſiſtit Paulus, ut quos Epheſi creaverat Paſtores, ſuo exemplo hortetur ad munus ſuum fideliter peragendum. ſic enim rite agitur cenſura, & ſic doctrinæ acquiritur auctoritas, quum nihil verbis præſcribit doctor, quod non reipſa ante præſtiterit. Paulum vero ſuas virtutes prædicare, minime abſurdum fuit. Nihil quidem minus tolerabile eſt in Chriſti ſervis quam ambitio & vanitas: ſed quum omnibus probe cognita eſſet modeſtia & humilitas ſancti viri, minime timendum fuit ne in ſuſpicionem jactantiæ incurreret: præſertim quum neceſſitate coactus, fidem & diligentiam ſuam proferret aliis in exemplum Magnifice quidem labores ſuos, patientiam, fortitudinem, & reliquas virtutes prædicat. ſed quorſum? Certe non ut plauſum reportet ab auditoribus, ſed ut acriores ſancta ſua exhortatio aculeos habeat, & penitus infixa hæreat ipſorum animis. Alter etiam illi fuit ſcopus, ut ſua integritas in poſterum valeret ad doctrinæ commendationem. Citat autem oculatos teſtes, ne videatur de rebus ignotis verba facere. Oculatos dico, qui non modo comperta habebant omnia: ſed purum quoque nulliſque affectibus corruptum judicium.

19. *Serviens Domino.*] Commemorat primo, non modo quantas difficultates ſuſtinuerit, ſed maxime ſuam humilitatem, conjunctam cum mundi contemptu & probris aliiſque afflictionibus: acſi diceret, non ſe honorifice vel cum plauſu fuiſſe exceptum, ſed ſub contemptibili crucis forma verſatum inter eos. Eſt autem hæc non levis probatio, quum non deficimus, quamvis nos videamus indigno mundi faſtu calcari. diſtinctius tamen ſingula notanda ſunt. Servire Domino hic accipitur non pro Deum colere in ſanctitate & juſtitia, quod piis omnibus commune eſt: ſed publicum munus exequi ſignificat. Non loquitur ergo Paulus ut unus quilibet privatus homo: ſed qui datus eſſet Eccleſiæ miniſter. atque ita teſtatur ſe Apoſtolatu ſibi commiſſo, cum humilitate & modeſtia defunctum eſſe: tum quod ſuæ infirmitatis conſcius ſibi diffideret: tum quod muneris excellentiam cogitans, ſe longe imparem duceret: tum quod libenter ſe ſubjiceret ad ſubeundam crucis Chriſti ignominiam. Humilitas enim iſta, tam ventoſæ confidentiæ, quam altitudini opponitur. Lachrymas deinde adjungit, quas certamina, varii Satanæ inſultus, impiorum ferocia, inteſtini Eccleſiæ morbi, & ſcandala exprimebant. tandem addit ſe trepidam vitam egiſſe inter Judæorum inſidias: ſeque illis tentatum fatetur (ut ferreus non erat) licet non ſuccubuerit. Neque enim ſuam infirmitatem fateri pudet. Scopus autem eſt, ne ſimilibus moleſtiis ſuccumbant quos alloquitur, atque ut omni ambitione vacui reverenter & ſollicite munus ſuum exerceant: neque tantum æquo animo patiantur ſe ab hominibus contemni, ſed in ſeipſis quoque abjecti ſint: quia nunquam ad Chriſti obſequium rite erit compoſitus, qui ſublime aliquid ſpirabit. Et quoniam diuturna eſſe non poteſt virtutis ſimulatio, ut eum ſincere & ex animo ſe ita geſſiſſe conſtet, triennii conſtantiam in medium profert, quo

æqua-

æqualem & eundem tenorem ſervaverat. Scitis, inquit, qualis fuerim per omne tempus, à primo uſque die. Hæc vera demum eſt ſervorum Chriſti probatio, non mutari pro variis inclinationibus temporum: ſed manere ſui ſimiles, & rectum ſemper curſum tenere.

20. *Nihil diſſimulaverim.*] Fidem ſuam io docendo ac diligentiam tribus nominibus commendat: quod ſolide & integre diſcipulos inſtituerit, ut nihil omitteret quod faceret in ipſorum ſalutem: quod generali prædicatione non contentus, ſingulis etiam prodeſſe ſtuduerit: tertio loco brevem totius doctrinæ ſuæ ſummam recitat, quod eos ad fidem in Chriſtum, & pœnitentiam hortatus ſit. Jam quum nobis exemplar probi fidique doctoris depingat, quicunque ſuam operam Domino probare cupiunt, eos propoſitam Eccleſiæ ædificationem habere conveoit: ſicut alibi Timotheum reputare ju-
1 Tim. 4. v. 7, 8. bet quæ ſint utilia, ut illis tradendis inſiſtat. & ſane Scriptura, ad cujus normam omnis docendi ratio exigenda, eſt, imo quæ ſola eſt recte docendi methodus, non argutas ſpeculationes continet, quæ ſub umbra & in otio delectant: ſed teſta eodem Pau-
2 Tim. 3. verſ. 17. lo, tota utilis eſt, ut hominem Dei perfectum reddat. Sed tale ædificandi ſtudium præſcribit Paulus, ut nihil omittat Paſtor, quantum in ſe eſt, quod utile ſit cognitu. Perverſi enim ſunt magiſtri, qui ſic detinent in primis rudimentis diſcipulos, ut nunquam ad veritatis notitiam perveniant. Et certe non dimidia tantum ea parte nos inſtituit Dominus in verbo ſuo: ſed perfectam modiſque omnibus completam ſapientiam tradit. Unde apparet quam impudenter ſe verbi miniſtros jactent, qui non modo populi ignorantiam ſuo ſilentio tegunt & ſovent, ſed etiam connivent ad craſſos errores ac impias ſuperſtitiones. qualiter hodie plerique in Papatu ſcintillas quidem emittuot ſanæ doctrinæ, ſed tenebras ignorantiæ diſcutere non audent: & quum eos impediat pravus carnis timor, obtendunt populum non eſſe ſolidioris doctrinæ capacem. Equidem fateor oon omnia ſimul poſſe tradi, & imitandam eſſe Pauli prudentiam, qui ſe ad rudium captum accommodavit. ſed qualis eſt iſta moderatio, dum cæcos in foveam ſinunt ruere, dum miſeras animas ſub Antichriſti tyrannide relinquunt: & quum vident graſſari idololatriam, corrumpi Dei cultum, Legem violari, ſacra denique omnia profanari, vel ſilentio prætereunt tam fœdam confuſionem, vel parce & obſcure ac fugitantium more ſubindicant? Notandum eſt igitur Pauli verbum, dum ſe ſubterfugiſſe negat quominus annunciaret quæcunque populo erant utilia: nam hinc colligimus puram & iogenuam ſanæ doctrinæ profeſſionem requiri à Chriſti ſervis, in qua nihil ſit flexuoſum: ac nihil minus eos decere, quam obliquas inſinuationes, & aſtuta diſſimulatione implicitas.

Publice & per domos.] Hoc eſt ſecundum caput, quod non tantum omnes in cœtu docuerit, ſed domatim ſingulos, prout cujuſque neceſſitas ferebat. neque enim hac lege ordinavit Paſtores Chriſtus, ut tantum in commune Eccleſiam doceant in publico
Ezec. 34. verſ. 4. ſuggeſtu: ſed ſingulas oves curent, vagas & palantes reducant in ovile, fractas & luxatas conſolident, ægrotis medeantur, debiles & infirmas ſubleveot. ſæpe enim frigebit communis doctrina, niſi privatis monitionibus juvetur. Quare minime excuſabilis eſt eorum negligentia, qui habita una concione, quaſi penſum ſolverint, in reliquum tempus ſecuri degunt: acſi in templo vox eorum incluſa foret, quum inde egreſſi prorſus obmuteſcunt. Moneotur etiam diſcipuli, ſi quidem in Chriſti grege cenſeri velint, locum eſſe dandum Paſtoribus, quoties ad eos accedent: nec privatas admonitiones eſſe refugiendas. Urſi enim potius ſunt quam oves, qui paſtorum vocem non niſi in theatro audire dignantur: domi autem moneri & reprehendi non ſuſtinent, imo ferociter repellunt tam neceſſarium officium.

21. *Teſtificans Judæis.*] Nunc ad tertium caput deſcendens, paucis doctrinæ ſuæ ſummam complectitur, quod ſcilicet omnes ad fidem & pœnitentiam hortatus ſit: ſicuti prius dictum eſt, Euangelium duabus iis tantum partibus conſtare. Unde etiam colligimus, ubi vera Eccleſiæ ædificatio proprie conſiſtat, cujus incumbit cura & onus Paſtoribus: & quorſum applicare deceat noſtrum omne ſtudium, ſi cupimus utiliter io ſchola Dei proficere. Jam diximus profanari Dei verbum, dum ejus lectores ſe in frivolis quæſtionibus occupant. Verum ut non ſit vaga & erratica ejus lectio, tenendus eſt hic duplex ſcopus, quem nobis Apoſtolus præfigit. nam quiſquis alio deflectet, multum ſatagendo nihil aliud quam in circulo ambulabit. Teſtificandi verbo majorem vehementiam exprimit, acſi dixiſſet ſe atteſtando commendaſſe, ne reſidua eſſet ignorantiæ excuſatio: alludit enim ad morem forenſem, ubi teſtificatio ad tollendam omnem dubitationem interponitur. ſicuti non tantum docendi, ſed etiam urgendi ſunt homines, ut ſalutem in Chriſto amplexentur, & ſe Deo addicant in vitæ novitatem. Tametſi autem nulli ſe defuiſſe affirmat, Judæos tamen ſtatuit priori loco: quia ſicoti honoris gradu Gentibus eos Dominus prætulerat, ita Chriſtum illis ejuſque gratiam offerri oportuit, donec penitus deſciſcerent.

Pœnitentiam erga Deum.] Primum notanda eſt fidei & pœnitentiæ diſtinctio. quas perperam & inſcite nonnulli confundunt, pœnitentiam dicentes eſſe partem fidei. Fateor equidem disjungi non poſſe: quia neminem Spiritu fidei illuminat Deus, quem non ſimul in novam vitam regeneret. diſcerni tamen neceſſe eſt, ſicuti hoc loco facit Paulus. Pœniteotia enim eſt converſio ad Deum, quum nos totamque vitam noſtram in ejus obſequium componimus: Fides autem, gratiæ nobis in Chriſto exhibitæ receptio eſt. Nam huc ſpectat tota religio, ut ſanctitatem ac juſtitiam colentes, pure ſerviamus Domino. deinde ne ullam ſalutis noſtræ partem aliunde quam ab ipſo petamus: neve alibi quæramus quam in ſolo Chriſto. Ergo pœnitentiæ doctrina, pie vivendi regulam continet, noſtri abnegationem, carnis noſtræ mortificationem, vitæque cæleſtis meditationem exigit. Sed quia natura corrupti ſumus omnes, alieni à juſtitia, & ab ipſo Deo averſi: deinde quia Deum, quem ſcimus nobis infenſum eſſe, fugimus: modum tam reconciliationis gratuitæ, quam obtinendæ novæ vitæ nobis proponi neceſſe eſt. Ergo niſi fides accedat, fruſtra de pœnitentia verba fient. imo pœnitentiæ doctores, qui neglecta fide, tantum in vita formanda, & bonorum operum præceptis inſiſtunt, oihil, aut quam minimum diſtant à profanis Philoſophis. Tradunt quomodo vivendum ſit. ſed quum homines relinquant in ſua natura, nulla inde ſperari poteſt reſtitutio in melius, donec in ſpem ſalutis perditos invitent, mortuos vivificent promiſſa peccatorum venia, oſtendant Deum gratuita adoptione pro filiis amplecti qui prius Satanæ erant mancipia, Spiritum regenerationis à Patre cæleſti petendum eſſe doceant, pietatem, juſtitiam, & rectitudinem ab ipſo bonorum omnium fonte hauriendam eſſe. atque hinc ſequitur invocatio, quæ in legitimo Dei cultu primas tenet. Videmus nunc ut individuo nexu inter ſe cohæreant pœnitentia & fides. Fides enim eſt quæ Deum nobis conciliat, non tantum ut nobis propitius ſit, à mortis reatu nos abſolvens, peccata non imputando: ſed etiam ut Spiritu ſuo carnis noſtræ ſordes repurgans, in imaginem ſuam nos reformet. Pœnitentiam non ideo priore loco nominat, quod tota præcedat fidem, quum pars ejus ex fide emanet, ejuſque ſit effectus: ſed quia pœnitentiæ initium

præparatio ſit ad fidem. Initium voco noſtri diſplicentiam, quæ metu iræ Dei ſerio tactos ad quærendum remedium nos impellit.

Fidem in Chriſtum.] Non abs re Chriſtum Scriptura paſſim nobis in fidei ſcopum, &, ut vulgo loquuntur, objectum proponit. Dei enim majeſtas per ſe altior eſt quam ut ad eum conſcendant homines. ergo niſi medius occurrat Chriſtus, Deum quærendo ſenſus omnes noſtri evaneſcent. Deinde, quatenus Judex mundi eſt, fieri non poteſt quin ejus aſpectus abſque Chriſto nos terrore exanimet. Deus autem non tantum in Chriſto ſua imagine ſe nobis repræſentat: ſed paterno ſuo favore nos recreat, & modis omnibus in vitam reſtituit. nulla enim eſt ſalutis noſtræ portio, quæ non in Chriſto reperiatur. mortis ſuæ ſacrificio peccata noſtra expiavit: pœnam ſuſtinuit ut nos abſolveret: ſanguine ſuo nos mundavit: ſua obedientia placavit iram Patris: reſurrectione acquiſivit nobis juſtitiam. Mirum ergo non eſt quod diximus, fidem debere in Chriſti intuitu prorſus eſſe defixam.

22. Et nune ecce ego alligatus Spiritu proficiſcor Jeroſolymam, quæ in ea obventura ſint mihi ignorans:

23. Niſi quod Spiritus ſanctus per ſingulas urbes teſtificatur, dicens quod vincula & afflictiones me manent.

24. Verum nihil mihi curæ eſt, nec vita ipſa pretioſa eſt mihi ipſi, ut abſolvam curſum meum cum gaudio, & miniſterium quod accepi à Domino Jeſu ad teſtificandum Euangelium gratiæ Dei.

25. Et nunc ecce ego ſcio quod poſthac non videbitis faciem meam, vos omnes per quos tranſivi prædicans regnum Dei.

26. Quapropter conteſtor vos hodierno die, quod mundus ego ſum à ſanguine omnium.

27. Non enim ſubterfugi, quominus annunciarim omne conſilium Dei vobis.

22. *Et nunc ecce ego.*] Jam plenius declarat quorſum de ſua integriate diſſeruerit: quia ſcilicet nunquam eum poſtea viſuri erant. Magnopere autem referebat, exemplar, quod illis ad imitationem divinitus erat propoſitum, ſemper ante eorum oculos verſari, eoque mortuo ſuperſtitem manere ejus memoriam. Scimus enim quam facile homines à pura inſtitutione degenerent. Cæterum, quamvis ſcire ſe neget quid ſibi Jeroſolymæ eventurum ſit, quia tamen pluribus vaticiniis admonitus erat vincula ſibi illic parata eſſe: quaſi jam ad mortem accinctus, ſpem reditus ſui paulo poſt abſcindit. neque tamen ſic loquendo ipſe ſecum diſſidet. Conſulto quidem dubitanter præfatur, ut molliat quod futurum erat acerbius: vere tamen affirmat, ſibi adhuc eſſe incognitos rerum eventus: quia de toto progreſſu non conſtabat illi certa & ſpecialis revelatio.

Alligatus Spiritu.] Quidam exponunt obſtrictum fuiſſe Eccleſiis, à quibus injunctum illi fuerat munus perferendi eleemoſynas. mihi tamen potius videtur notari interior Spiritus ſancti vis & impulſus: non quod ἐνθουσιασμῷ correptus fuerit, ut mentis compos non eſſet: ſed quia certior redditus de voluntate Dei, arcanum Spiritus ductum vel inſtinctum ſponte vel placide ſequebatur. Perinde igitur valet loquutio, acſi diceret, Facere aliter nequeo, niſi contumax eſſe velim ac rebellis Deo, qui me velut Spiritu ſuo devinctum illuc trahit. nam ut ſe à temeritate excuſet, Spiritu profectionis ſuæ auctorem & ducem eſſe teſtatur. Sed utinam arreptitii plerique, qui ſibi à Spiritu dictari jactant quicquid tulerit eorum phantaſia, tam familiariter Spiritum haberent cognitum ut Paulus, qui tamen non dicit motus omnes ſuos vel impulſus eſſe à Spiritu: ſed id quaſi ſingulare in una re contigiſſe prædicat. multa enim ſæpe homines ſtulte & inconſiderate ſuſcipiunt, quæ deinde pertinaciter exequuntur, quia levitatis eos pudet. Non tantum autem ſignificat profectionem ſe juſta cauſa ſuſcipere quam dictat Spiritus Dei: ſed ſibi omnino eſſe neceſſarium, quia nefas ſit contra luctari. Porro diſcamus ſancti viri exemplo, non calcitrare adverſus Spiritum Dei, ſed nos illi obedienter regendos tradere, ut nos quaſi devinctos pro ſuo arbitrio agat: nec tamen violenter trahamur. Nam ſi reprobi qui Satanæ mancipati ſunt, ad ejus impulſum non ſponte modo, ſed etiam cupide feruntur: quanto magis in filiis Dei hæc ἐθελοδουλεία?

23. *Niſi quod Spiritus ſanctus.*] Hoc de arcanis oraculis non intelligo, ſed prædictionibus quas paſſim ex Prophetis audiebat. Plus autem dignitatis habet hæc loquutio ad commendanda vaticinia, quam ſi homines ipſi qui loquuti ſunt, teſtes citentur. Sic enim ſua conſtat verbo Dei auctoritas, quum agnoſcimus ejus Spiritum eſſe auctorem: licet miniſtri ſint homines. Jam quum idem Spiritus, qui Paulum de vinculis & afflictionibus præmonet, ſimul alligatum teneat ne recuſet ſe illi ſubjicere: hinc docemur quicquid diſcriminum nobis inſtet, non ideo nos abſolvi quin parendum ſit Dei mandatis, & ejus ſequenda vocatio. Fruſtra igitur ſibi delicias faciunt, qui recte agendi modum ſtatuunt, quatenus ſine moleſtia id licet: & incommoda, damna, mortis denique periculum excuſationis loco obtrudunt.

24. *Nihil mihi curæ eſt.*] Sic animis comparatos eſſe pios omnes, ac præſertim verbi miniſtros decet, ut poſthabitis omnibus, ad Dei obſequium recto curſu properent. Præſtantius quidem Dei donum eſt vita, quam ut contemni debeat: utpote in qua ad imaginem Dei conditi ſumus, ut beatam illam immortalitatem meditemur, quæ nobis eſt in cælis repoſita: in qua jam variis documentis ſe nobis patrem exhibet Deus. ſed quia inſtar ſtadii ordinata nobis eſt, properare ſemper ad metam convenit, obſtaculaque ſuperanda ne quid nos in curſu impediat vel moretur. Turpe enim eſt cæco vivendi amore ſic nos teneri, ut propter vitam perdamus vivendi cauſas. & hoc exprimunt Pauli verba. Neque enim ſimpliciter vitam ſuam ducit pro nihilo: ſed ejus reſpectum obliviſcitur, ut curſum ſuum abſolvat: ut miniſterium ſuum compleat, quod à Chriſto accepit. acſi diceret, ſe nullo vivendi deſiderio teneri, niſi ut Dei vocationi ſatisfaciat: ideoque non ſibi grave fore vitæ diſpendium, modo ad functionis ſuæ metam divinitus ſibi præſcriptam morte accedat. Notandum autem quod dicit, *cum gaudio.* ſignificat enim nulla triſtitia vel mœrore hoc adimi fidelibus, quin hilariter vivant & moriantur Domino. Altius enim eſt ac magis reconditum bonæ conſcientiæ gaudium, quam ut moleſtiis externis vel ullo carnis dolore excutiatur: alacrius exultat, quam ut obruatur. Notanda etiam eſt Curſus definitio: nempe quod ſit miniſterium à Domino acceptum. De ſe quidem loquitur Paulus: ſed exemplo ſuo docet, errare omnes qui Dominum curſus ſui non habent præſidem: unde ſequitur illius vocationem cuique noſtrum recte vivendi normam eſſe. Nec vero aliter ſtatuere licet, probari à Domino quod agimus, niſi ad ejus arbi-

trium

trium compoſita ſit vita noſtra. præcipue in verbi miniſtris requiritur bæc certitudo, ne quid ſuſcipiant niſi Chriſto auctore. Nec vero dubium eſt quin Paulus hac nota, ut plerumque ſolet, Apoſtolatum ſuum inſigniens, ejus fidem confirmet. Euangelium gratiæ Dei vocat ab effectu vel fine. eſt tamen hoc raræ commendationis elogium, quod Euangelio, Dei gratia & ſalus ad nos perferatur. Noſtra eoim ſummopere intereſt, ſcire Deum illic inveniri propitium.

25. *Et nunc ecce ſcio.*] Quod tectius inſinuaverat, nunc palam eloquitur. Diximus autem, eo conſilio ſpem illis abſtuliſſe ſui reditus, quo tenacius eorum memoriæ infigeret ſuas exhortationes. Scimus enim quantum energiæ habeant eatremæ diſcedeotium vel morientium voces. voloit etiam bac præmonitiooe cavere, oe penderent ab ejus præſenria, atque ita tædio collaberetur eorum fides. Regnum Dei iterum vocatur Euangelii doctrina, quæ regnum Dei io boc mundo inchoat, bomines renovando in imaginem Dei, donec tandem in ultima reſurrectione compleatur.

26. *Quapropter vos conteſtor.*] Perinde valet acſi dixiſſet, Vos appello teſtes: vel, Coram Deo & Angelis vos atteſtor. Hoc autem non tam facit ſua cauſa, quam ut officii legem majori auctoritate illis præſcribat. Continet porro bic locus brevem ſummam rite probeque docendi, & doctores ipſos vehementi ſeveraque ſanctione bortatur, ut in ſuum munus gnaviter iocumbant. Quænam igitur tenenda eſt Paſtoribus docendi ratio? primum oon ſuo arbitrio æſtiment quid proferre in medium & quid omittere utile ſit: ſed uni Deo arbitrium ejus rei deferant. Ita bumanis commentis non patebit in Eccleſiam Dei ingreſſus. deinde non ſumet ſibi mortalis homo lacerandæ vel mutilaodæ Scripturæ audaciam, ut hoc vel illud quoad viſum fuerit delibet, quædam obſcuret, multa ſupprimat: ſed quicquid in Scripturis patefactum eſt, licet prudeoter & tempeſtive pro ædificatione populi, ſimpliciter tameo & ſine fuco tradet, ut decet fidum & ingenuum Dei interpretem. Prudentiam adbibendam eſſe diai: quia ſpectanda eſt ſemper utilitas, modo abſit vafrities, in qua multi nimis ſibi placent, dum ad ſuas methodos inflectunt Dei verbum, & Philoſopbiam oeſcio quam ex Euangelio & ſuis figmentis miatam nobis fabricant. quia ſcilicet magu plauſibilis eſt bæc mixtura. Inde nobis liberum arbitrium, inde operum merita, inde providentiæ & gratuitæ electionis Dei abnegatio. Eſt autem quod nuper diximus obſervatu dignum, conſilium Dei, cujus meminit bic Paulus, incluſum eſſe in ejus verbo, nec alibi quærendum. Multa enim in hac vita celamur, quorum plena manifeſtatio differtur ad eum uſque diem, quo Deum ſicuti eſt, facie ad faciem novis oculis videbimus. *1 Cor. 13. verſ. 12.* Dei ergo voluotatem anounciaot qui fideliter enarrant Scripturam, ac inde populum in fide, in timore Domini, & omnibus pietatis exercitiis inſtituunt. Quemadmodum autem nuper diaimus, hac ſenteotia damnari eos qui pbiloſopbice diſputando, oe quid remotum tradant à communi hominum ſenſu, ac proinde odioſum, Scripturæ puritatem fermentis ſuis corrumpunt: ita graviter io eos fulminat Paulus, qui metu crucis & perſequutionum ænigmatice taotum loquuntur.

Mundus ſum à ſanguine.] Non dubito quin ad Ezechielis locum reſpeaerit: ubi Deus Prophetam *Ezech. 3. v. 18, 20.* ſuum, niſi bona fide hortatus ſit impios ad pœnitentiam, reum fore ſanguinis denunciat. nam hac lege Paſtores Eccleſiæ ſuæ præficit, ut ſi quid perit eorum oegligentia, ratio ab ipſis repoſcatur: imo niſi abſque fuco & ambagibus oſtendant ſalutis viam, ut illis imputetur erraotium interitus. Valde autem ſtupidos eſſe oportet, quibus torporem non excutit tam ſevera comminatio. Quo magis ſe prodit Epicurea Papalis cleri impietas: ubi quum magnificos titulos crepent, de reddenda tot pereuntium animatum ratione nihilo plus cogitant, quam ſi nullus ſederet io cælo Judex: nec minus putida eſt eorum improbitas coram toto mundo, quod deglutiendis tantum ovibus intenti, Paſtorum nomen uſurpant. Porro quam charas babeat animas oſtendit Dominus, tam atroces de Paſtorum ignavia pœnas exigens ob illatum eaitium. atqoi videmus quam vilis ſit permultis ſua ſalus, in cujus cura ſocium ſe adjuogere Deus non gravatur.

28. Attendite igitur vobis & cuncto gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos ad regendam Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.

29. Ego enim hoc novi, quod ingreſſuri ſint poſt diſceſſum meum lupi graves in vos, non parcentes gregi.

30. Et ex vobis ipſis emergent viri loquentes perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe.

31. Propter quod vigilate, memores quod per triennium nocte & die non ceſſaverim cum lachrymis monere unumquemque.

32. Et nunc commendo vos, fratres, Deo & ſermoni gratiæ ipſius, qui potens eſt ſuperſtruere, & dare vobis hæreditatem inter ſanctificatos omnes.

28. *Attendite igitur.*] Nunc ſermonem ad eos accommodat, & multis rationibus oſtendit ſedulo vigilandum ipſis eſſe: nec ſe tantopere eſſe ſollicitum, niſi quia ſic flagitat neceſſitas. Prima ratio eſt, quod gregi cui præfecti ſunt, obſtrictam babeant fidem. ſecunda, quod non ab homine mortali, ſed à Spiritu ſaocto vocati fuerint ad hoc muous. tertia, quod noo vulgaris ſit honor, Dei Eccleſiam regere. quarta, quod illuſtri documento teſtatus ſit Dominus, quo in prerio habeat Eccleſiam, quum proprio ſanguine eam redemit. Quod ad primum ſpectat, non tantum jubet eos gregi attendere, ſed primum ſibiipſis. neque enim aliorum ſalutem ſedulo uoquam curabit, qui ſuam negliget: & fruſtra alios incitabit ad pie vivendum, qui nullum ipſe pietatis ſtudium præ ſe feret. imo gregi ſtudium operamque ſuam non impendet, qui ſui obliviſcitur, quum ſit ipſe pars gregis. Ergo ut de grege ſibi commiſſo ſint ſolliciti, admooet Paulus ut privatim ſinguli in Dei timore ſe contineant. ſic enim futurum erat, ut fidem gregi debitam perſolverent. Diximus enim Paulum à vocatione ratiocinari, quod Eccleſiæ Dei, cui præſunt, addicta ſit eorum opera. acſi diceret, Ex quo creati ſunt Paſtores, oon eſſe ſui juris: ſed publice cuncto gregi obligatos.

Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos.] Ipſo nomine admonet velut in ſpecula locatos eſſe, unde pro communi omoium ſalute excubias agant. ſed præcipue io hoc inſiſtit Paulus, quod non humanitus ordinati ſint, ſed illis à Deo mandata ſit Eccleſiæ cura. quo major ab illis exigitur religio, quia difficilis apud ſummum illud tribunal futura ſit ratio. Nam quo præſtantior eſt ejus Domini cui ſervimus, dignitas, naturaliter plus illi revereotiæ deferimus. ipſa autem reverentia ſtudium noſtrum acuit. Porro quanquam ab initio eligi hominum ſuffragiis voluit Dominus verbi miniſtros, regimen oibilominus Eccleſiæ ſemper ſibi vendicat: ooo modo ut ipſum agnoſcamus

unicum ejus præſidem, ſed etiam ut ſciamus incomparabilem ſalutis theſaurum non niſi ab ipſo prodire. fraudatur enim ſua gloria, ſi vel fortuito caſu, vel hominum arbitrio vel induſtria putamus Euangelium ad nos deferri. Hoc autem peculiariter Spiritui Paulus tribuit, per quem Deus Eccleſiam ſuam gubernat, & qui divinæ vocationis arcanus unicuique teſtis eſt in ſua conſcientia. De voce Epiſcopi breviter hoc notandum eſt, omnes Epheſinos Presbyteros indifferenter à Paulo ſic vocari. unde colligimus ſecundum Scripturæ uſum, nihil à Presbyteris differre Epiſcopos: ſed vitio & corruptela factum eſſe, ut qui primas tenebant in ſingulis civitatibus, Epiſcopi vocari cœperint. Vitium dico, non quod unum aliquem in ſingulis collegiis eminere malum ſit: ſed quia hæc audacia minime tolerabilis eſt, dum homines Scripturæ nomina ad ſuum morem flectendo, Spiritus ſancti linguam mutare non dubitant.

Ad regendam Eccleſiam.] Verbum Græcum ποιμαίνειν Paſcere ſignificat. verum apta ſimilitudine transfertur ad quodvis regimen. Diximus autem hoc tertium eſſe argumentum à muneris excellentia:
1 Tim. 3. ſicuti alibi idem Paulus Timotheum admonet, ut vi-
verſ. 15. deat quomodo ipſum oporteat verſari in domo Dei, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & ſtabilimentum veritatis. acſi diceret, non eſſe locum ſegnitiæ in tam ardua provincia: & minus eſſe excuſabiles, quos Deus familiæ ſuæ œconomos conſtituit, quo altior eſt ille honoris gradus, niſi tantæ dignationi reſpondeant, hoc eſt, niſi ſedulo incumbant in ſuas partes. Jam ſi divinitus & à Spiritu ſancto non creantur Epiſcopi, niſi ad paſcendam Eccleſiam, ridicula eſt Papatus hierarchia, in qua Epiſcopi inani titulo ſuperbientes, paſcendi munus ne ſimulatione quidem attingunt.

Quam acquiſivit.] Quarta ratio qua Paſtores ad munus ſuum diligenter exercendum ſtimulat Paulus, quod Dominus non vulgare pignus ſui erga Eccleſiam amoris dederit, proprium ſanguinem pro ea fundendo. Unde apparet quam ſit illi pretioſa. Et certe nihil eſt quod vehementius urgere debeat Paſtores ut alacriter officio ſuo incumbant, quam ſi reputent commiſſum ſibi eſſe ſanguinis Chriſti pretium. nam hinc ſequitur, niſi fideliter ſuam operam Eccleſiæ impendant, non modo illis imputari perditas animas, ſed ſacrilegio eſſe obſtrictos, quod ſacrum Filii Dei ſanguinem profanaverint, & redemptionem ab ipſo partam exinanierint, quantum in ſe eſt. Eſt autem immanis hujus ſceleris atrocitas, ſi noſtra ignavia non tantum vileſcat mors Chriſti, ſed ejus quoque fructus aboleatur & pereat. Dicitur autem acquiſita eſſe à Deo Eccleſia, ut ſciamus eam ſibi velle integram manere, quia æquum eſt ut poſſideat quos redemit. Simul tamen memoria tenendum eſt, totum humanum genus Satanæ eſſe mancipatum, donec ex ejus tyrannide nos Chriſtus aſſerat, in hæreditatem Patris nos colligens. Cæterum quia in ſpeciem dura eſt loquutio qua utitur Paulus, videndum eſt quo ſenſu dicat Deum ſuo ſanguine acquiſiſſe Eccleſiam. nihil enim abſurdius, quam corporeum vel mortalem fingere Deum. Verum ita loquendo commendat in Chriſto perſonæ unitatem. quia enim diſtinctæ ſunt in Chriſto naturæ, Scriptura interdum quod cujuſque proprium eſt, ſeorſum commemorat. ſed dum proponit nobis Deum in carne manifeſtatum, humanam ejus naturam non ſeparat à Deitate. Quia tamen rurſum ſic unitæ ſunt in Chriſto duæ naturæ, ut perſonam unam conſtituant: improprie aliquando quod vere in unam competit, ad alteram transfertur. ſicuti hoc loco ſanguinem Deo tribuit Paulus: quia homo Jeſus Chriſtus, qui ſuum pro nobis ſanguinem fudit, etiam Deus erat. Hæc loquendi figura veteribus dicta eſt Idiomatum communicatio, quod naturæ unius proprietas alteri aptetur. Dixi autem hoc modo clare exprimi unam Chriſti perſonam: ne ipſum duplicem fingamus, quod olim à Neſtorio tentatum eſt. neque tamen imaginanda nobis eſt duplicis naturæ confuſio, qualem inducere conatus eſt Eutyches: vel qualem Hiſpanicus canis Servetus hoc tempore fabricavit, cui Deitas Chriſti nihil aliud eſt quam humanæ naturæ ſpectrum, quod ſemper in Deo lucidum fuiſſe ſomniat.

29. *Ego enim ſcio.*] Jam à neceſſitate quoque, quæ acerrimus ſtimulus eſt, hortatur Paulus Epheſios, ut attente vigilent. graves enim luporum incurſus inſtare admonet. Eſt quidem hoc quaſi perpetuum Eccleſiæ fatum, ut à lupis infeſtetur. quare nunquam dormiendi tempus eſt. Verum quo plures & nocentiores irrumpunt, eo attentiores à paſtoribus excubias agi convenit. nam interdum aliquid moleſtiæ relaxat Deus, ut placide & quiete grex paſcatur. ac ſicuti nitido & ſereno cælo tutius in agris paſcuntur oves, nubilo autem & obſcuro aëre plus eſt periculi: ita Eccleſiæ Dei nonnulla interdum quaſi ſerenitas conceditur, poſtea turbulentum ſuccedit tempus, quod luporum inſidiis aptius eſt. Senſus ergo Pauli eſt, majori vigilantia opus eſſe quam hactenus, quod majora pericula immineant. Sed quæritur unde hæc Paulo notitia. Primo dubium non eſt, quin ejus præſentia multum ad lupos arcendos vel fugandos valuerit. nec vero mirum eſt, ſi virtus Spiritus, quæ in Chriſti miniſtris refulget, impios cohibeat, ne rictus ſuum proferre audeant: imo ſi cæleſtis ille fulgor multas Satanæ tenebras diſcutiat. Ergo quum ſciret Paulus repreſſam fuiſſe ad tempus ſua opera Satanæ malitiam, quid futurum ſit à ſuo diſceſſu facile divinat. quanquam probabile eſt certiorem fuiſſe à Domino redditum Spiritu prophetiæ, ut per eum deinde alii commonefierent, ſicuti videmus factum eſſe. Utcunque res habeat, quoties diſcedunt probi & fidi paſtores, metuendum à lupis eſſe diſcamus, quos à caulis arcere vel attentiſſima cuſtodia illis difficile eſt.

30. *Ex vobiſipſis emergent.*] Exaggerat mali gravitatem, eo quod intus pars ſit luporum; adeoque ſub titulo paſtorum ſe occultans, nocendi occaſionem expectet. ſimul etiam exponit quid ſit à lupis illis metuendum, nempe gregis diſſipatio: dum Eccleſia à fidei unitate abſtracta, in ſectas dividitur. Neque enim lupi ſunt omnes qui minus officio reſpondent: ſed ſæpe ſunt mercenarii, genus non adeo peſtiferum. Doctrinæ autem corruptio, capitalis eſt ovium clades. Jam tertio loco fons & origo hujus mali notatur, Quod diſcipulos abducere poſt ſe volent. ambitio igitur omnium hæreſeon eſt mater. Tunc enim viget verbi Dei ſinceritas, ubi communi ſtudio Paſtores, diſcipulos Chriſto colligunt: quia hic ſolus eſt integer Eccleſiæ ſtatus, ut ille unus audiatur Magiſter. quare & perverti ſalutis doctrinam, & ſalutem gregis peſſum ire neceſſe eſt, ubi regnat magiſterii cupiditas. Sicuti autem docet hic locus, omnes fere doctrinæ corruptelas ex hominum ſuperbia manare, dum quiſque eminere appetit pluſquam liceat: ita rurſus ex eodem colligimus, vix fieri poſſe, quin ambitioſi à recta puritate deflectant & adulterent Dei verbum. Nam quum huc tendat pura Scripturæ tractatio, ut ſolus excellat Chriſtus: ſibi autem nihil arrogare poſſint homines, quin tantundem detrahant Chriſti gloriæ: ſequitur ſanæ doctrinæ eſſe corruptores, quicunque ſibi addicti ſunt & propriæ gloriæ ſtudent, quæ totum Chriſtum obſcurat. quod etiam confirmat Dominus ipſe,
Joannis 7. capite. Porro *ſurgendi* verbo quo utitur, Joan. 7.
ſignificat jam lupos illos fovere clandeſtinam perni- verſ. 18.
ciem, donec occaſione ſibi data erumpant. Cæterum optime occurrit hic locus horribili ſcandalo quod omnibus ſeculis ad turbandas infirmas conſcientias objecit Satan. Si externi & profeſſi hoſtes Euangelium oppugnant, minus hoc conſternat pias men-

mentes, quam ſi è medio Eccleſiæ ſinu inteſtini prodeant hoſtes qui repente claſſicum canant, vel qui perfide ſollicitent populum ad defectionem. & tamen hac tentatione Deus Eccleſiam ſuam ab initio exercuit, & hodie exercet. Quare hoc propugnaculo munita ſit fides noſtra, ne labaſcat, ſiquando contigerit paſtores induere luporum rabiem. Graves fore lupos denunciat, quo plus incutiat formidinis: deinde pravorum dogmatum fore auctores. idque ut ſibi diſcipulos acquirant: quia fieri vix poteſt, quin ambitio puritatem Euangelii adulteret. Hinc etiam apparet, quam frivola ſit Papiſtarum gloriatio de continua ſucceſſione. nam quum oſtendere nobis promptum ſit, cornutas illas beſtias nihil minus eſſe quam quod haberi volunt: modis omnibus convicti, ad hoc tamen confugiunt aſylum, continua ſerie Apoſtolis ſucceſſiſſe. Quaſi vero non etiam iſti ſucceſſerint, à quibus cavendum Paulus admonet. Quum ergo Deus vel ad probandam ſuorum conſtantiam, vel juſto judicio lupos ſub paſtorum perſona graſſari ſæpe permittat: non in ſolo nomine & loco conſiſtit auctoritas, nec quicquam habet momenti ſucceſſio, niſi fides & integritas ſimul adſint. Quod ſi excipiant Papiſtæ, non competere in ſe luporum nomen, ad peragendum ejus rei examen unum Pauli verbum erit quaſi Lydius lapis: Ut abducant, inquit, poſt ſe diſcipulos. Quorſum autem tota Papalis religio, niſi ut hominum libido pro Dei verbo dominetur? diſcipulos autem non habet Chriſtus, ubi non cenſetur ſolus Magiſter.

31. *Propter quod vigilate.*] Iterum ſuo exemplo eos ad diligentiam hortatur Paulus: quanquam ſimul periculi metum conjungit. acſi diceret, ſumma attentione opus eſſe ad cavendum: indignum vero eſſe ipſos fatigari, qui per triennium viderint infractam illius tolerantiam. Lachrymas etiam ſuas commemorat, quæ exhortatinnibus non parum efficaciæ addebant. Quod dicit ſe monuiſſe unumquemque, tam ad plebem quam ad Presbyteros referri poteſt. nam quia ſermonem habere ſtatuerat toti Eccleſiæ communem, perinde loquitur acſi adeſſet totum corpus. Si tamen ad Paſtorum ordinem reſtringere quis malit: ſenſus erit, non tantum præſenti oratione accendi eorum ſtudia, ſed æquum eſſe ut memoria tot exhortationum apud ipſos vigeat, quas per triennium aſſidue inculcaverat cum lachrymis. mihi tamen videtur magis conſentaneum, de omnibus verba fieri.

32. *Commendo vos Deo.*] Precationem interſerit: quod in oratione pathetica videri abſurdum non debet. neque enim Rhetorum more concionem in partes digerere curavit: quum vehementiæ affectuum, quibus ardebat, nulla verba ſufficerent. Magnis de rebus & arduis diſſeruerat, quæ humanam facultatem longe excederent. Ideo ad preces ſe convertens, ſermonis filum pauliſper abrumpit: quanquam voti magis expreſſio eſt, quam directa precatio. acſi dixiſſet, eſſe quidem ipſos impares tanto oneri: ſed ſe nptare illis novas è cælo ſuppetias, quibus freti ſuperiores cunctis tentationibus evadant. Dubium vero non eſt, quanquam ſolos Paſtores alloquitur, hac tamen precatione totam Eccleſiam complecti. primum commendat eos Deo: deinde ſermoni gratiæ ejus. Eſt tamen unica commendatin: ſed modum exprimere voluit Paulus, quo tueri ſolet Dominus ſuorum ſalutem, quam Petrus docet fide *1 Petr. 1.* cuſtodiri. atque ejus cuſtodiæ ratio à verbo dependet, *verſ. 5.* ne inter tot diſcrimina periclitetur. Magni autem refert, quomodo nos Deus ſervare velit, cognoſcere. quia enim abſcondita eſt nobis ejus majeſtas, donec verbo ſuo ad nos accedit, dubii circumſpicimus. Ergo ſimulac nos ſervandos ſuſcipit, verbum ſuum proponit organum cuſtodiendæ ſalutis noſtræ. quo ſenſu addidit epitheton Gratiæ (Genitivus enim more Hebraico effectum deſignat) ut tutius acquieſcerent fideles in verbo, ubi Deus favorem ſuum exerit. Hæc expoſitin ſimplex & apta eſt: nam quod de Chriſto quidam accipiunt, nimis eſt coactum.

Qui potens eſt ſuperſtruere.] Participium δυναμένῳ, qun utitur Paulus, Deum, non ſermonem ejus refert. Hæc autem conſolatio ideo addita eſt, ne infirmitatum ſuarum ſenſu animos deſpondeant. quamdiu enim circumdati ſumus carnis vitiis, ſimiles ſumus inchoato ædificio. Fundatos quidem eſſe in Chriſto oportet pios omnes, ſed multum abeſt quin omnibus numeris completa ſit eorum fides. Imo licet fundamentum ſtabile maneat, quædam interdum partes ædificii nutant ac labaſcunt. quare & aſſidua ſtructura, & novis ſubinde fulturis opus eſt. Interea deſperandum eſſe Paulus negat, quia Dominus opus ſuum mutilum relinquere nolit: ſicuti etiam primo Philip. capite docet, Qui cœpit in vobis bonum *Phil. 1: 6.* opus, perficiet uſque in diem Domini Jeſu. cui etiam reſpondet illud Pſalmi 138. Opus manuum tuarum *Pſal. 138.* non deſeres. *verſ. 8.* Quod mox additur de hæreditate vitæ, ad fruitinnem ipſam ſpectat. Simulac nobis affulſit Chriſtus, tranſimus quidem à morte ad vitam: & fides ingreſſus eſt in regnum cælorum. nec vero fruſtra nobis datus eſt Spiritus adoptionis: ſed hic promittit Paulus fidelibus continuam gratiæ acceſſionem, donec poſſeſſionem cernant hæreditatis ad quam vocati ſunt, quæ jam in cæln illis eſt repoſita. Potentiam Dei nominat, non qualiter eam ſolemus imaginari abſque effectu, ſed quæ vulgo actualis dicitur. Sic enim fideles apprehendere ipſam decet, ut ſit illis ad manum inſtar clypei, quem omnibus Satanæ inſultibus opponant. Quemadmodum Scriptura docet, nobis in Dei virtute ſatis eſſe præſidii: ita meminerimus non alios eſſe fortes in Domino, niſi qui abdicata liberi ſui arbitrii fiducia in eum recumbunt, quem ſolum Paulus merito ſuperſtruere poſſe teſtatur.

33. Argentum & aurum aut veſtem nullius concupivi.
34. Imo ipſi ſcitis quod uſibus meis, & iis qui mecum ſunt, ſuppeditarunt manus hæ.
35. Omnia oſtendi vobis, quod ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos, ac meminiſſe verborum Domini Jeſu: quoniam ipſe dixit, Beatum eſt dare potius quam accipere.
36. Et quum hæc dixiſſet, poſitis genibus ſuis oravit cum omnibus illis.
37. Magnus autem fletus coortus eſt omnium: & ruentes in collum Pauli, oſculabantur eum,
38. Dolentes maxime ob ſermonem quem dixerat, quod amplius faciem ejus non eſſent viſuri. Et deduxerunt eum ad navem.

33. *Argentum & aurum.*] Sicuti nuper diſſeruit quam noxia ſit peſtis ambitio: ita nunc ab avaritia cavendum eſſe admonet: ſeque rurſus in exemplum proponit, quod nullius bona concupiverit: quin potius victum ſibi comparaverit manuum labore, non quod abſque erogatione ad eum alendum ſuffecerit: ſed quia operibus manuariis incumbens, pepercerit Eccleſiis, ne quo eas ſumptu gravaret, quantum in ſe erat. Notandum eſt quod non modn ſe rapuiſſe negat, ut plerumque famelici homines importune prædas extorquent: ſed ab omni mala cupiditate purum ſe fuiſſe dicit. unde colligimus neminem

probum fore verbi miniſtrum, quin noo idem ſit pecuniæ contemptor. Et certe videmus nibil magis eſſe commune, quam ut in homioum gratiam corrumpant Dei verbum, quicunque turpiter lucro 1 Tim. 3. verſ. 3. dediti ſunt. quod vitium Paulus alibi ſevere in Epiſcopis damnat.

34. *Imo ſcitis.*] His verbis non imponit præciſe legem, quam ſemper omnes verbi miniſtri ſervare neceſſe habeaot: oeque enim ita ſe imperioſe geſſit, Mat. 10. verſ. 10. ut quod Dominus ſervis ſuis coceſſit, ipſe auferret. 1 Cor. 9. verſ. 14. quin potius multis locis jus ſuum illis aſſerit, ut de publico alantur. Gal. 6: 6. Huc etiam accedit, quod victum & 1 Tim. 5. verſ. 17. veſtitum ſibi miniſtrari à pluribus Eccleſiis paſſus eſt. nec vero præſentis tantum operæ mercedem libere accepit: Phil. 4. v. 10. 16. ſed quum egeret Coriothi, alias Eccleſias ſe prædatum eſſe dicit, ut ſuæ inopiæ ſuccurreret. 2 Cor. 11. verſ. 8. Non ergo ſimpliciter edicit Paſtoribus ut vitam ſuam labore manuario ſuſtentent: ſed contiouo poſt declarat quatenus eos hortetur ad imitationem ſui exempli, nempe ut ſuſcipiant infirmos. Non negabant illi Corinthii debitam mercedem: ſed quum gratuita opera ſe venditarent falſi Apoſtoli, & inde popularem auram captarent, noluit Paulus illis hac io parte cedere, oec illis anſam præ- 1 Cor. 9. verſ. 15. bere calumniandi: ſicut ille prædicat 1. ad Cor 9. & 2 Cor. 11. verſ. 10. ſecundæ 11. Cavendum igitur eſſe admonet ne offendiculum detur infirmis, & ne labefactetur eorum Rom. 14. verſ. 1. fides. Nam ſuſcipere infirmos, taotundem valet atque eorum ruditati aliquid per indulgentiam concedere, ſicut Rom. 14.

35. *Meminiſſe verborum Domini.*] Nuſquam hæc ſententia ad verbum legitur: ſed alias non abſimiles referunt Euangeliſtæ, ex quibus hanc Paulus elicere potuit. deinde ſcimus non omnia Chriſti dicta fuiſſe ſcriptis prodita. Repetit autem illam generalem doctrinam de pecuniæ contemptu. cujus hoc verum eſt ſpecimen, quum quis ad dandum propenſior eſt, quam ad accipiendum. Nec politice tantum loquutus eſt Chriſtus, quaſi ideo beati ſint liberales, quia ſuis beneficiis alios habent obſtrictos, ſpecies autem ſit ſervitutis aliquid debere: ſed altius reſpexit, quod Prov. 19. verſ. 17. qui pauperibus erogat, fœneratur Domino: quod fidi ſiot ac probi Dei œconomi, qui depoſitam apud ſe copiam fratribus communicant: quod nulla re propius ad Deum accedunt homines, quam beneficeotia. Hæc quoque liberalitatis elogia apud profanos auctores leguntur: & bona pars mundi fatetur vera eſſe: ſed aſini (ut eſt in proverbio) auribus annuuot. nam vita communis oſtendit quam pauci perſuaſum habeant nihil magis eſſe optabile, quam ut fratribus juvandis noſtra impendamus. Quo majore ſtudio meditanda eſt Chriſti diſcipulis hæc felicitas, ut ab alieno quantum poterunt abſtinentes, ad daodum ſe aſſuefaciant: neque id ſuperbo animo, quaſi miſerum ſit ipſos cuiquam eſſe obnoxios: vel prava ambitione, ut ſibi alios obligent: ſed tantum ut ſe libenter exerceant in officiis charitatis, ac teſtatam hoc modo faciant adoptionis ſuæ gratiam.

36. *Poſitis genibus.*] Primas quidem in precibus obtinet interior affectus: ſed externa ſigna, genuflexio, capitis retectio, manuum levatio, duplicem habent uſum. prior eſt ut membra omnia exerceamus in Dei gloriam & cultum: deinde ut hoc quaſi adminiculo exercitetur noſtra pigritia. accedit in ſolenni & publica precatione tertius uſus, quia pietatem ſuam hoc modo profitentur filii Dei, & alii alios mutuo accendunt ad Dei raverentiam. Sicut autem manuum levatio, fiduciæ & ardentis deſiderii ſymbolum eſt: ita humilitatis teſtandæ cauſa, in genua procumbimus. Cæterum orando, concionem prius à ſe habitam obſignavit: quia nullus niſi ex Dei benedictione ſperari poteſt doctrinæ profectus. quare ſi quod operæpretium docendo, monendo & hortando facere cupimus, ſemper accedat hæc clauſula: nempe, ut in preces deſinamus.

37. *Magnus fletus.*] Non mirum eſt ſingulari affectu hunc ſanctum virum proſequutos fuiſſe pios omoes. nam eum negligere quem Dominus tanta donorum præſtaotia ornaverat, nimis craſſæ ingratitudiois fuiſſet. Præcipua antem flendi cauſa fuit, ut Lucas notat, quod eum amplius non eſſent viſuri. Suam enim & totius Aſiaticæ Eccleſiæ vicem non fruſtra dolebant, quam privatum iri videbant inæſtimabili theſauro. Cæterum quum eorum lachrymas, quaſi ſinceræ pietatis teſtes, laudet Spiritus per os Lucæ, eorum temeritatem damnat, qui ferream & immanem cooſtantiam exigunt à fidelibus. Falſum enim eſt quod ſomniant, oon niſi ex vitio oriri affectus qui naturaliter à Deo nobis ſunt ingeniti. Quare non in eo ſita eſt perfectio fidelium, ut affectus omnes exuant: ſed ut eos ex juſtis tantum cauſis ſuſcipiant, & moderentur.

Cap. XXI.

QUum autem factum eſſet ut ſolviſſemus, avulſi ab eis, recto curſu venimus
Coum, & ſequenti die Rhodum, & inde Pataram:
2. Et nacti navem quæ trajiciebat in Phœnicem, ea conſcenſa ſolvimus.
3. Quum autem cœpiſſet nobis apparere Cyprus, relicta ea ad ſiniſtram, na-
vigavimus in Syriam, ac venimus Tyrum: nam huc navis exponebat onus.
4. Repertiſque diſcipulis manſimus ibidem diebus ſeptem: qui Paulo dicebant per
Spiritum, ne aſcenderet Jeroſolymam.
5. Et expletis diebus, profecti ibamus, deducentibus nos omnibus, una cum uxori-
bus & filiis, donec eſſemus extra urbem: & poſitis genibus in litore, precati ſumus.
6. Et invicem valedicto conſcendimus navem: illi autem redierunt ad ſua.

1. Breviter recenſet Lucas navigationis curſum, neque id ad fidem modo hiſtoriæ, ut ſciamus quid quoque loco geſtum ſit: ſed ut invictam & heroicam Pauli fortitudinem ſecum expendant Lectores, qui tam longis ac flexuoſis, moleſtiſque itineribus jactari maluit, ut ſuam operam Chriſto impenderet, quam ſuæ quieti conſulere. Quod dicit avulſos fuiſſe vel abſtractos, non ſimpliciter ad locorum diſtantiam refertur: ſed quia fratres in litore ſteterunt, quoad intuitu ſuo navem qua Paulus & comites vehebantur, proſequi licuit. Portus ad quos applicuit navis ideo oominat, ut ſciamus commodam & tranquillam fuiſſe navigationem. De urbium quas recenſet ſitu, conſulantur Geographi. ſatis mihi eſt indicaſſe Lucæ conſilium.

4. *Repertiſque diſcipulis.*] Tametſi exiguus erat credentium numerus, illuc tamen ſecundum Pro- Jeſa. 23. verſ. 18. phetarum vaticinia pervenerat aliquod Euangelii ſemeo, ne Tyrus à Dei benedictione prorſus immunis foret. Hic etiam, ut aliis locis ſuperioribus, Chriſtianos vocat Lucas Diſcipulos, ut ſciamus non alios cenſeri in Chriſti grege, niſi qui fide ejus doctrinam amplexi ſunt. Eſt enim luſoria illa & mendax profeſſio, nomen Chriſto dare, nec tenere quid doceat vel loquatur.

quatur. Obſervent autem Lectores, non alia de cauſa Paulum Tyri ſubſtitiſſe per dies ſeptem, niſi ut illos confirmaret. Ita videmus, quocunque veniſſet, nullam bene agendi occaſionem neglexiſſe.

Dicebant per Spiritum.] Nempe cum ſermonis approbatione, ut ſciret Paulus Spiritu prophetico ipſos loqui. Non levis certe tentatio, ne ſuſceptam profectionem abſolveret, cujus Spiritus ſanctus erat diſſuaſor. Fugiendæ vero crucis color apprime ſpecioſus (ſi apud eum valuiſſet privatæ ſalutis ratio) quaſi Dei manu retrahi. pergere tamen non deſinit quo ſe à Domino vocatum ſciebat. Hic tamen naſcitur quæſtio, Quomodo per Spiritum diſſuadeant fratres, quod Paulus teſtatus eſt arcano illius impulſu ſe facere? An Spiritus ſibi contrarius eſt, ut Paulum, quem intus ligatum tenuit, nunc abſolvat? Reſpondeo, diverſa eſſe Spiritus dona: ut non mirum ſit, qui prophetiæ dono pollent, judicio vel fortitudine interdum deſtitui. Fratribus iſtis, quorum meminit Lucas, quid futurum ſit Dominus revelavit: interea vero quid expediat, & quid poſtulet vocatio Pauli, neſciunt, quia non euſque extenditur doni menſura. Conſulto autem ſervum ſuum Dominus admonitum voluit, partim ut longa meditatione ad quidvis ſubeundum inſtructior accederet, partim ut illuſtrior eſſet ejus conſtantia, dum certior de triſti eventu per vaticinia factus, ſciens tamen & volens ad quidvis ferendum properat.

5. *Cum uxoribus & filiis.*] Hoc fuit non vulgare amoris teſtimonium, quod Paulum etiam cum uxoribus & liberis extra urbem comitati ſint. Idque partim hoc conſilio retulit Lucas, ut eorum pietatem juſto elogio laudaret: partim ut doceret Paulo honorem, quo dignus erat, fuiſſe habitum. unde etiam colligimus, nihil fuiſſe illi minus in animo, quam ut commodis ſuis conſuleret: quando tanta benevolentia, quæ manendi dulcis eſſe illecebra poterat, à ſuo curſu non fuit impeditus. Notanda etiam eſt ſolennis precandi conſuetudo in majoribus negotiis: & quod divinitus edocti de periculo, magis ad orandum accenduntur.

7. Nos vero navigatione explicita, à Tyro deſcendimus Ptolemaidem: & ſalutatis fratribus, manſimus diem unum cum illis.

8. Poſtridie vero nos qui cum Paulo eramus, profecti venimus Cæſaream. Et ingreſſi domum Philippi Euangeliſtæ, qui erat unus è ſeptem, manſimus apud eum.

9. Huic autem erant filiæ virgines quatuor prophetantes.

10. Et quum permaneremus dies complures, advenit quidam à Judæa Propheta, nomine Agabus.

11. Is quum veniſſet ad nos, tulit cingulum Pauli, & alligans ſibi pedes ac manus, dixit, Hæc dicit Spiritus ſanctus, Virum, cujus eſt cingulum hoc, ſic alligabunt Jeroſolymæ Judæi, tradentque in manus Gentium.

12. Quum autem audiſſemus hæc, rogabamus & nos & cæteri qui loci illius erant, ne aſcenderet Jeroſolymam.

13. Tunc reſpondit Paulus, ac dixit, Quid facitis flentes & affligentes cor meum? Ego vero non ſolum vinciri, ſed & mori paratus ſum Jeroſolymis pro nomine Domini Jeſu.

14. Quum vero non perſuaderetur, acquievimus, dicentes, Domini voluntas fiat.

7. Ptolemaide quoque exceptum fuiſſe Paulum à fratribus breviter refert Lucas. Eſt autem urbs Phœniciæ maritima, non procul à Judææ finibus, à qua non longum Paulo & comitibus iter fuit Cæſaream uſque. Sed de regionum & urbium ſitu plura ſi volent lectores, petant à Geographis. Porro Cæſareæ uſos fuiſſe dicit hoſpitio Philippi, quem Euangeliſtam vocat: licet unus eſſet è ſeptem Diaconis, ut
ſupra 6:5. viſum eſt capite ſexto. Diaconiam illam fuiſſe temporale munus, hinc conjicere promptum eſt: quod Philippo alioqui liberum non fuiſſet, relicta Jeroſolyma Cæſaream migrare. Hic autem non proponitur, quaſi voluntarius officii deſertor, ſed cui excellentior provincia mandata erat. Euangeliſtæ, meo judicio, inter Apoſtolos & doctores medii erant. munus enim obibant Apoſtolis proximum, ut paſſim Euangelium prædicarent, nec præficerentur certæ ſtationi: tantum honoris gradus erat inferior. Nam
Epheſ. 4. Paulus Eccleſiæ ordinem deſcribens, ſic eos Apoſto-
verſ. 11. lis ſubſtituit, ut oſtendat latiorem campum docendi illis datum eſſe quam Paſtoribus, quorum opera certis locis addicta eſt. Ergo Diaconiam ad tempus Jeroſolymæ exercuit Philippus: quem poſtea idoneum eſſe cenſuit Eccleſia cui Euangelii theſaurus crederetur.

9. *Quatuor filiæ.*] Hoc in laudem Philippi additum eſt; non modo ut ſciremus bene compoſitam fuiſſe ejus domum, ſed Dei quoque benedictione claram & nobilem. neque enim vulgare donum fuit quatuor habere filias, prophetiæ Spiritu omnes præditas. Hoc autem modo nobilitare Euangelii primordia voluit Deus, quum viros & mulieres excitavit, qui res futuras prædicerent. Jam annis compluribus ceſſaverant fere inter Judæos vaticinia, quo erectiores, vel magis experrecti eſſent animi ad audiendam novam Euangelii vocem. quum ergo repente, quaſi poſtliminio reverſa eſſet prophetia, perfectioris ſtatus ſignum fuit. Eadem tamen videtur fuiſſe ratio, cur paulo poſt deſierit. nam Deus populum veterem variis prædictionibus ſuſtinuit, donec Chriſtus adventu ſuo finem vaticiniis omnibus afferret. Novum ergo Chriſti regnum, hoc ornatu decorari oportuit, ut omnes agnoſcerent adeſſe promiſſam illam Dei viſitationem: brevi autem duntaxat tempore florere, ne ſemper ſuſpenſi eſſent fideles, vel curioſis ingeniis occaſio daretur quærendi ſubinde novum aliquid, vel comminiſcendi. Scimus enim quum jam ablata eſſet illa facultas, extitiſſe tamen multos fanaticos, qui ſe Prophetas eſſe jactarent: ac fieri etiam poteſt ut hominum pravitas Eccleſiam hoc dono privaverit. verum una illa cauſa ſufficere debet, quod Deus vaticinia tollendo, finem & complementum in Chriſto adeſſe teſtatus ſit. Cæterum, quomodo functæ ſint puellæ iſtæ prophetandi officio, incertum eſt: niſi quod ſic illas moderatus eſt Spiritus Dei, ut ordinem à ſe poſitum non turbaret. Quum autem publicam in Eccleſia perſonam gerere fœminis non permittat, credibile eſt eas domi, vel in privato loco, extra communem cœtum prophetaſſe.

10. *Quidam Propheta.*] Quamvis clare non exprimat Lucas, ego tamen hunc Agabum fuiſſe
conjicio cujus mentio prius facta fuit undecimo *ſupra 11.*
capite, qui famem prædixit ſub Claudii Cæſaris im- *verſ. 28.*
perio futuram. Dum vero eum Prophetæ elogio celebrat Lucas, ſicuti nuper Philippi quatuor filias,

non

Digitized by Google

non promiſcuum, ſed peculiare fuiſſe donum innuit. Nunc videndum eſt, quorſum perſequutio quæ inſtabat, per Agabum rurſus oſtenſa fuerit. Quod ad Paulum attinet, jam ſatis ſuperque admonitus fuerat. Itaque non dubito, quin aliorum cauſa hæc confirmatio acceſſerit: quia Dominus ubique illuſtria reddere volebat ſervi ſui vincula: partim ut ſcirent omnes in certamen ſponte ipſum deſcendiſſe: partim ut cognoſcerent, divinitus ordinatum eſſe athletam, qui pro Euangelio pugnaret. Utile certe invictæ conſtantiæ exemplum fuit, quum ſciens & volens hoſtium violentiæ ſe objiceret. nec minoris hodie quoque noſtra refert, confirmari ejus Apoſtolatum voluntaria hac nec minus conſtanti vitæ devotione.

11. *Virum, cujus eſt cingulum.*] Uſitatum Prophetis fuit, ſymbolis repræſentare quæ dicebant. nec vero proprio impulſu, ſed Spiritus mandato ſua vaticinia adhibitis ſignis confirmarunt: ut quum Eſaias nudus incedere jubetur: Jeremias jugum collo ſuo alligare, vendere agrum & emere: Ezechiel vero clanculum perfodere domus ſuæ parietem qua nocte ſarcinas exportet. Hæc & ſimilia vulgo ludicra videri poterant: ſed idem Spiritus, qui ſymbola aptabat ſuis verbis, intus tangebat piorum corda, acſi jam in rem præſentem forent adducti. ita Pauli comites non aliter affecit hoc ſpectaculum cujus meminit Lucas, quam ſi ipſum ſerio vinctum oculis ſuis conſpicerent. Hoc artificio poſtea tentarunt pſeudoprophetæ fucum facere ſimplicibus: ut Satan fere eſt Dei ſimia, & ejus miniſtri ſervos Dei æmulantur. Sedechias cornua ſibi fecit, quibus Syriam ventilandam promitteret. Ananias Jeremiæ jugum abrumpens, falſam ſpem liberationis populo fecit. Talibus præſtigiis reprobos deludi paſſus eſt Deus, ut de eorum incredulitate pœnas exigeret. Sed quum nulla ſubeſſet Spiritus efficacia, fidelibus nihil obfuit eorum vanitas. Hoc quoque notatu dignum eſt, quod mutum ſpectaculum non proponit Agabus, ſed verbum annectit, quo doceat fideles ceremoniæ uſum & finem.

Jeſa. 20. verſ. 2. Jer. 27: 2. & 32: 7. Ezc. 12. verſ. 5.

12. *Rogabamus & nos.*] Quia non eadem omnibus erat revelatio, non mirum eſt diverſas fuiſſe ſententias. Quum enim ſcirent ſancti iſti homines, in unius hominis vita aut morte multum eſſe poſitum, nolebant eum temere periclitari. Et laudabile eſt eorum ſtudium, quod Paulum retinendo, publicæ Eccleſiæ ſaluti conſulere optarent. Sed eo plus laudis rurſum meretur Pauli conſtantia, dum in vocatione Dei inflexibilis manet. neque enim eum latebat quantum ex ſuis vinculis perturbationis accidere poſſet. Verum quia nota eſt Dei voluntas, quæ unica erat in capiendis conſiliis regula: ut eam ſequatur, ſuſque deque reliqua omnia habet. Et certe ita nos Dei arbitrio decet eſſe affixos, ut nulla utilitas, nulla rationis ſpecies, à ſimplici ejus obſequio nos dimoveat. Dum expoſtulat Paulus cum fratribus, quod flendo cor ſuum affligant, ſatis oſtendit ferreum ſe non fuiſſe, quin amore ad συμπάθειαν induceretur. Vulnerabant igitur cor ejus piorum lachrymæ: ſed ea mollities minime ipſum flexit, quin æquabili tenore ad Deum ſequendum pergeret. ſic ergo nobis colenda eſt erga fratres humanitas, ut prævaleat ſemper Dei nutus. Jam ſuo reſponſo iterum declarat Paulus, non niſi mortis contemptu paratos fore Chriſti ſervos ad præſtandum officium: nec probe unquam animatos fore ad vivendum Domino, niſi qui vitam ſuam pro teſtimonio veritatis libenter deponent.

14. *Acquievimus, dicentes.*] Si putaſſent temere ipſum ruere ad mortem, non ita acquieviſſent. Cedunt igitur ne reſiſtant Spiritui ſancto, à quo intelligunt Paulum regi. nam quod ante ex ore Pauli audierant, quaſi Spiritus vinculis ipſum trahi, doloris perturbatio illis excutit: ſed ubi rurſus docentur ita placere Deo, fas ſibi eſſe non ducunt ulterius reſiſtere. atque hoc freno cohibendi ſunt omnes noſtri affectus, ne quid tam acerbum ſit, vel triſte, vel durum, quod non mitiget ac emolliat Dei voluntas: nam quoties aliquid occurrit difficile vel aſperum, parum honoris tribuimus Deo, niſi apud nos hæc cogitatio prævaleat, Illi parendum eſſe.

15. Poſt dies autem iſtos ſublatis ſarcinis conſcendimus Jeroſolymam.

16. Venerunt autem una quidam ex diſcipulis Cæſarea nobiſcum, adducentes ſecum apud quem hoſpitaremur, Mnaſonem quendam Cyprium, antiquum diſcipulum.

17. Et quum veniſſemus Jeroſolymam, libenter exceperunt nos fratres.

18. Poſtero autem die introivit nobiſcum Paulus ad Jacobum: omneſque adfuerunt Presbyteri.

19. Quibus ſalutatis, narravit per ſingula quæ Deus feciſſet inter Gentes per miniſterium ipſius.

20. At illi quum audiſſent, glorificabant Dominum: dixeruntque ei, Vides frater quot millia ſunt Judæorum qui crediderunt: & omnes ſunt ſtudioſi Legis.

21. Audierunt autem de te, quod defectionem doceas à Moſe omnes qui inter Gentes ſunt Judæos, dicens non debere eos circumcidere filios, nec ſecundum inſtituta vivere.

22. Quid eſt ergo? Omnino oportet convenire multitudinem: audient enim te veniſſe.

23. Hoc ergo fac quod tibi dicimus? Sunt nobis viri quatuor votum habentes ſuper ſe.

24. His aſſumptis purifica te cum illis, & impende ſuper eos, ut radant caput, & ſciant omnes quod quæ de te audierunt, nihil ſunt, ſed ambulas & ipſe cuſtodiens Legem.

25. De his autem qui crediderunt ex Gentibus, nos ſcripſimus, decernentes ne quid hujuſmodi obſervent, niſi ut caveant ab his quæ ſunt idolis immolata, & ſanguine, & ſuffocato, & ſcortatione.

15. *Sublatis ſarcinis.*] Declarant Pauli comites, quum Paulum conati ſunt revocare à periculo, ſibi communem potius Eccleſiæ ſalutem fuiſſe curæ, quam privatim cuique ſuam vitam. neque enim accepta repulſa ejuſdem diſcriminis ſocietatem demum fugiunt: & tamen plauſibilis erat excuſatio, nulla ſe lege aſtringi, ut unius hominis pertinacia ad mortem traherentur. Atque hoc eſt vere Deo ſubjicere noſtros affectus, quum nullo metu terremur quin pro ſe quiſque noſtrum promovere ſtudeat quod ſcimus illi placere. Clarius etiam apparet, quantus in aliis viguerit pietatis ardor, qui ultro ſe

adjungunt, & hnſpitem illi adducunt: quum tamen ſibi jure timere poſſent à multis incommodis.

17. *Libenter exceperunt nos.*] Ideo hoc commemorat Lucas, ut fratrum æquitatem commendet, qui fidem non habuerant ſiniſtris rumoribus & calumoiis. Quum multi malevoli & improbi quotidie alii ſuper alios gravareot Paulum invidia, quia tamen de ejus integritate Jacobus & collegæ optime perſuaſi erant, non fuerunt ab eo alienati. nunc ergo ut Chriſti ſervum fraterne & comiter excipiunt, declarantque jucundum ſibi eſſe ejus adventum. Atque hæc moderatio diligenter nobis ſervanda eſt, ne creduli nimium ſimus ad pravas delationes: præſertim ubi criminibus nobis incognitis vel dubiis onerantur qui probitatis ſuæ ſpecimen aliquod nobis dederunt, & quos experti ſumus fideliter Domino ſervire. quia nihil ad diſſipandum Chriſti regnum aptius fore novit Satan, quam fidelium diſſidia & ſimultates: obliquos ſermones non deſinit ſpargere, qui alios aliis invicem ſuſpectos reddant. Claudendæ igitur ſunt aures delationibus, ne quid de fidelibus Chriſti miniſtris credamus, niſi bene compertum.

18. *Omnes adfuerunt Presbyteri.*] Colligere licet ex hoc loco, quod jam decimo quinto capite habuimus, Quoties tractandum erat ſerium aliquod negotium, Seniores convenire ſolitos fuiſſe, ut magis compoſita eſſet extra turbam conſultatio. Paulo poſt videbimus, ſuo ordine populum quoque fuiſſe admiſſum: ſed poſtquam interius conſilium inter ſe habuerant Seniores.

19. Jam vero ſuam modeſtiam oſtendit Paulus, dum ſe rerum geſtarum auctorem non facit: ſed laudem Deo tribuens, ſe tantum vocat miniſtrum, cujus opera uſus fuerit Dominus. ſicuti fatendum eſt, quicquid præclarum eſt ac laude dignum, non fieri propria noſtra virtute, ſed quatenus in nobis operatur Deus: præſertim vero ubi de Eccleſiæ ædificatione agitur. Rurſus apparet quam procul ab invidia fuerint Seniores, dum ob lætos ſucceſſus Deum glorificant. Cæterum quia nullius Apoſtoli præter Jacobum fit mentio, conjicere licet tunc ſpargendi Euangelii cauſa in diverſas plagas fuiſſe profectos, ut ferebat ipſorum munus. neque enim ſtationem illis Dominus aſſignaverat Jeroſolymæ: ſed illinc facto exordio, juſſerat deinde Judæam, & demum alias orbis partes luſtrare. Porro ſupra capite decimo quinto refutatus fuit eorum error, qui Jacobum hunc, unum ex diſcipulis fuiſſe putant, quem Paulus inter tres Eccleſiæ columnas numerat. Quanquam autem commune illi cum reliquis collegis mandatum erat: ego tamen non dubito ſic inter ſe partitos eſſe, ut Jeroſolymæ reſideret, quo ſolebant multi quotidie advenæ confluere. id enim perinde erat acſi Euangelium longe lateque promulgaſſet in locis remotis.

20. *Vides frater quot millia.*] Oratio eſt bimembris. primo enim commemorant Seniores, quum Legi addicti ſint, quotquot ex Judæis converſi ſunt ad Chriſtum, male affectos eſſe erga Paulum, quia putent in hoc totum incumbere ut Legem aboleat: deinde hortaotur ut ſuſcepto voto ſolenni, ſeipſum purget, ne qua amplius hæreat in ipſo ſuſpicio. Multitudinem credentium objiciunt Paulo, quo plus illis concedat. nam ſi pauci fuiſſent præfracti homines, non tantopere fuiſſet commotus: nunc vero immenſum populum, & totum Eccleſiæ corpus negligere non licet. Dubium quidem non eſt quin vitioſus fuerit zelus ille Legis. & certe Presbyteri ſatis indicant ſibi non placere. Quamvis enim aperte non damnent, neque aſperius conquerantur: quia tamen ſeparant ſe ab illorum affectu, errare eos tacite fatentur. Si fuiſſet zelus ſecundum ſcientiam, ab illis incipere debebat. atqui non pugnant pro Lege ipſa, nec juſtam ejus reverentiam obtendunt, nec ſubſcribunt ejus zelatoribus, ut eos appellant. ergo & ſe aliud ſentire innuunt, & populi ſuperſtitionem ſibi non probari. Contra tamen occurrit, quod Paulum dicunt ſalſa infamia fuiſſe gravatum. deinde quum ſatisfactionem ab eo exigunt, videntur zelum illum fovere. Reſpondeo, etiamſi aliqua ex parte verus erat rumor quo offenſi fuerant Judæi, fuiſſe tamen calumnia aſperſum. Legis abrogationem docebat Paulus, ut tamen hoc modo non ſolum integra maneret ejus auctoritas, ſed ut ſanctior eſſet. Nam ut 7. cap. dictum fuit, inanes eſſent ceremoniæ, niſi earum effectus in Chriſto fuiſſet exhibitus. Ergo qui adventu Chriſti abolitas fuiſſe docent, adeo non ſunt in Legem contumelioſi, ut potius ejus veritatem confirment. Duo in ceremoniis conſideranda ſunt: veritas, cui annexa eſt efficacia: deinde externus uſus. Porro abrogatio uſus externi quam attulit Chriſtus, inde pendet, quod ipſe eſt ſolidum corpus, nec quicquam olim adumbratum fuit, cujus non extet in eo complementum. Hoc à Legis defectione multum diſtat, monſtrare legitimum ejus finem, ut ceſſantibus figuris ſemper vigeat ſpiritualis earum veritas. quare videmus pravos & iniquos fuiſſe interpretes, qui Paulo apoſtaſiæ crimen inurebant, quamvis ab externo Legis cultu revocaret fideles. Quod autem Paulum eo conſilio votum nuncupare jubent, ut ſe probet Legis cultorem: non alio ſpectat, niſi ut teſtetur ſe non abhorrere à Lege inſtar impii apoſtatæ, qui jugum Domini excuteret ipſe, & alios ad ſimilem contumaciam impelleret.

21. *Non debere circumcidere.*] Res quidem ita habebat. Paulus enim promiſcue, Judæis & Gentibus libertatem docebat partam eſſe. nam iſtæ ſententiæ apud eum generales ſunt, Circumciſio nihil eſt. [1 Cor. 7. verſ. 19.] Item, Circumciſi ſumus per Baptiſmum in Chriſto, non circumciſione manu facta. [Coloſſ. 2. v. 11. 16.] Item, Nemo vos judicet in cibo aut potu, aut in delectu feſtorum, quæ ſunt umbra futurorum: corpus autem in Chriſto. Item, [1 Cor. 10. verſ. 25.] Quicquid in macello venit, & quicquid apponitur edite, nihil interrogantes propter conſcientiam. Item, Ne iterum jugo ſervitutis implicemini. [Gal. 5: 1.] Quum ſine exceptione paſſim ſic loqoutus eſſet, Judæos emancipabat à neceſſitate ſervandæ Legis. Et ne longior ſim in hoc ſermone, locus unus ſufficiet, ubi Legem tutori comparat, ſub cujus cuſtodia vetus Eccleſia fuit, quaſi in ætate puerili: nunc autem cognita Chriſti gratia adoleviſſe, ut à ceremoniis libera ſit. illic certe Judæos cum Gentibus complectitur. Quum etiam dicit chirographum Legis, quod ſitum erat in decretis, à Chriſto eſſe deletum & affixum cruci, non minus Judæos quam Gentes à ceremoniis liberat, quas illic Decreta nominat. [Col. 2: 14.] Sed quum præciſe non abjiceret ceremonias, finem earum obſervationi impoſitum eſſe docens Chriſti adventu, non fuit illa defectio qualem fingebant malevoli. Nec certe Senioribus ignota erat libertas Pauli. Quum igitur rem probe teneant, tantum hoc volunt, imperitis & rudibus teſtatum eſſe, Paulo nihil minus fuiſſe propoſitum quam ut Judæos ad Legis contemptum induceret. Quare non rem nudam intuentur, ſed quale eſſet de Paulo plebis judicium ex malignis delationibus ſcientes, mederi cupiunt. Quanquam neſcio an importunius quam æquum erat, hoc à Paulo flagitaverint. Hinc autem apparet quam præpoſtera ſit hominum credulitas in excipiendis calumniis, & quam pertinaciter hæreat ſemel temere concepta mala opinio. Non dubium eſt, quin Jacobus & collegæ conati fuerint tueri Pauli famam, & mendacia quæ ejus exiſtimationi nocebant, diluere: obſtare tamen nequeunt, quin Paulus male audiat. niſi forte ab initio, dum gratificari volunt ſuis popularibus, nimis fuerint remiſſi, ut poſtea non eſſent liberi.

22. *Oportet convenire multitudinem.*] Genus

verbi

Digitized by Google

verbi neutrum eſt, acſi dicerent, neceſſe eſt ut plebs conveniat. Abſurdum enim fuiſſet tanti nominis Apoſtolum coram toto fidelium cœtu non prodire. nam ſi lucem & populi conſpectum fugiſſet, aucta fuiſſet ſiniſtra ſuſpicio. Interea videmus quam ſe modeſte geſſerint Seniores in fovenda concordia, dum populi offenſam mature præveniunt: niſi quod ejus infirmitati forte nimis indulgent, votum à Paulo exigentes. Cæterum hæc in Eccleſia tenenda eſt moderatio, ut auctoritate quidem polleant, ſed non ſuperbe dominentur Paſtores, nec aſpernentur reliquum corpus. Ordinum enim diſtinctio, quæ vinculum eſt pacis, diſſidii cauſa minime eſſe debet.

23. *Fac quod tibi dicimus.*] Videntur quidem, ut nuper attigi, Seniores nimio gentis ſuæ amore ad ſtultam indulgentiam fuiſſe delapſi. Sed liquidum ejus rei judicium ex circumſtantiis pendet, quæ nos hodie latent: illis autem perſpectæ erant. Totum fere corpus conſtabat ex Judæis, ut periculum non eſſet à ſcandalo Gentium. nam in aliis regionibus hæc diſceſſionis cauſa erat, quod ſuo quiſque mori addictus, legem aliis volebat imponere. deinde Jeroſolymæ multa habebant invitamenta ad ſervandas Legis ceremonias, ut major eſſet excuſatio, ſi tardius eas dêſererent. Etſi autem vitio non carebat zelus ille: correctio tamen, ut erat difficilis, tam ſubita eſſe non potuit. Videmus ut vix longo demum tempore Apoſtolis revulſa fuerit hæc ſuperſtitio: & quia novi quotidie diſcipuli ad fidem accedebant, alebatur pariter in omnibus infirmitas. Neque tamen negandum eſt, quin obſtinationi conjuncta fuerit inſcitia: quam tamen Presbyteri tolerarunt, ne violentis remediis gravius nocerent. An votum exceſſerint, in medio relinquo.

Votum habentes ſuper ſe.] Licet quatuor iſti cenſeantur in numero fidelium, ſuperſtitioſum tamen eorum votum fuit. unde apparet multum Apoſtolis fuiſſe negotii in gente illa, quæ non tantum diuturno uſu in Legis cultu obduruerat: ſed natura quoque valde pervicax erat, fereque intractabilis. Quanquam fieri poteſt ut iſti adhuc novitii fuerint: ideoque tenera necdum bene formata fuerit eorum fides. quare patiebantur doctores votum, quod temere per ignorantiam nuncupaverant, ſolvere. Quod ad Paulum ſpectat, quoniam non propria conſcientia ſuſcepit hoc votum, ſed in eorum gratiam quorum errori veniam dabat, diverſa fuit ejus ratio. Videndum tamen eſt, an hæc una fuerit ex mediis ceremoniis, quas liberum eſſet fidelibus vel ſervare vel omittere. Videtur quidem habuiſſe quædam admixta, parum conſentanea cum fidei profeſſione. Sed quoniam
finis erat gratiarum actio (ut ſupra 18. cap. dictum *ſup. 18.*
fuit) & in ritu ipſo nihil pugnabat cum fide Chriſti, *verſ. 18.*
non dubitavit Paulus, teſtandæ religionis ſuæ cauſa, hucuſque deſcendere. Præſtitit igitur Paulus quod
de ſe alibi prædicat: quia Legis ſectatoribus ſocium *1 Cor. 9.*
ſe adjunxit, acſi ipſe quoque Legi obnoxius foret. *verſ. 20.*
Omnibus denique omnia factus eſt, ut omnes lucrifaceret: nempe uſque ad aras, ut ſe nullo ſacrilegio ſub prætextu charitatis pollueret. Solenne expiationis ſacrificium adire non perinde illi fas fuiſſet. Hac autem parte divini cultus, quæ in voto ſita erat, indifferenter defungi licuit: modo id non religionis cauſa fieret, ſed tantum ad infirmos ſublevandos. Atqui neque illi conſilium fuit hoc ritu Deum colere, nec obſtrictam habuit conſcientiam, ſed libere ſe infirmis fratribus ſubjecit.

24. *Quæ de te audierunt, nihil ſunt.*] Videntur Paulum ad ſimulationem inducere: nam neque de nihilo natus fuerat rumor, quod à ceremoniis Judæos retraheret, nec ambulabat in obſervatione Legis. ſed memoria tenendum eſt quod jam dixi, Paulo & Senioribus ſatis fuiſſe, ſi calumniam inique injuſtam diluerent, quod ſcilicet Legis eſſet apoſtata: brevi autem offerri poterat melior opportunitas, ut ſe purgando eos ab errore ſenſim retraheret. Nec vero utile erat, Paulum diu haberi Legis cultorem, quales vulgo tunc erant diſcipuli. nam hoc modo craſſius velum ad obſcurandam Chriſti lucem, eorum oculis obductum foret. Quare ſciamus Paulum non ſimulaſſe, ſed ſincere profeſſum eſſe nihil ſibi odii eſſe adverſus Legem: quin potius ſe reverenter de ea ſentire. Impendere cum ipſis jubent, quia conferre ſolebant in commune, ut ſacrificium ſimul offerrent.

25. *De iis autem qui crediderunt.*] Hoc ideo addunt, ne qua obrepat ſuſpicio, velle eos quam prius dederant libertatem Gentibus, nunc tollere, vel poſtulare, ut præjudicio aliquo graventur. Sed interea videntur Judæos tenere ſub jugo ſervitutis, à quo diſerte ſolas Gentes eximunt. Reſpondeo, Quum par eſſet omnium conditio, idem juris fuiſſe utriſque permiſſum: ſed nullum de Judæis verbum fieri, qui adhuc ſuis obſervationibus ita addicti erant, ut ſibi licere nollent quod licebat. Gentibus autem nominatim cavebant Apoſtoli, ne ſuo more Judæi, quaſi profanos & impuros reſpuerent, qui nec circumciſi erant, nec in Legis cultu educati. Porro ne ſupervacua repetitione chartam onerem, quæ ad hujus
decreti expoſitionem pertinent, ex 15. cap. petent *ſup. 15.*
Lectores. *verſ. 20.*

26. Tunc Paulus aſſumptis viris, poſtero die purificatus cum illis intravit in templum, annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio.

27. Dum autem ſeptem dies jam pene eſſent expleti, quidam ab Aſia Judæi, quum vidiſſent eum in templo, conturbarunt totum populum: & injecerunt ei manus,

28. Clamantes, Viri Iſraelitæ, ſuccurrite: hic eſt ille homo qui adverſus populum & Legem & locum hunc omnes ubique docet: inſuper & Græcos induxit in templum, & profanavit ſanctum locum hunc.

29. Viderant enim Trophimum Epheſium in civitate cum ipſo, quem exiſtimaverunt quod in templum introduxiſſet Paulus.

30. Commotaque eſt civitas tota, & factus eſt concurſus populi, & apprehenſum Paulum trahebant è templo: ſtatimque clauſæ ſunt fores.

26. Quod aſtutiæ Paulum quidam inſimulant, quaſi aliud præ ſe tulerit quam res habebat, ſupra improbavi. prope tamen coactum, hoc dediſſe fratrum precibus non inficior. Itaque plus coloris habet, magiſque, ut loquuntur, diſputabile eſt, nimis fuiſſe facilem in obſequendo: neque tamen recipio quod volunt quidam, infeliciter ceſſiſſe Paulo quod novam & inſolitam perſonam induens, minus conſtanter quam pro ſuo more libertatem à Chriſto partam aſſeruerit. Fateor quidem ſæpe infauſto eventu divinitus puniri ſtulta conſilia: ſed non video cur hoc ad Paulum trahi debeat, qui voluntaria ſubjectione rudibus & minus probe edoctis ſe inſinuare ſtuduit, ut prodeſſet. non ſponte quidem id facturus, ſed quia fratribus cedere maluit, quam ſuo judicio ſtare. Porro ſemel admiſſus, commode ad moderan-

randum illum zelum tranſiſſet. Magnam potius laudem meretur ejus humanitas, quod non modo in gratiam imperitæ plebis comiter ſe demittit: ſed eorum ſtultitiæ morem gerit, quibus indigne & contra rationem ſuſpectus fuerat. Jure cum ipſis expoſtulaſſet, quod contra ejus exiſtimationem tam creduli fuiſſent. quod abſtinet, mira eſt tolerantia. quod eos ſibi tam ſollicite conciliat, modeſtia eſt ſingularis. Adde quod in Jacobum & ejus collegas potuit eſſe durior, quod non diligentius incubuerant ad purgandam errore plebem. Etſi enim certum eſt, fideliter eos docuiſſe, fieri tamen poteſt ut templi conſpectus & ipſa Legis ſedes, in vindicanda libertatis uſu eos impedierit. Atqui Paulus, ſive ultro jure ſuo cedens, ſive illos exiſtimans melius videre quid expediat, ipſorum conſilio acquieſcit. Quod autem falſi Nicodemitæ hoc Pauli exemplo, perfidam ſuam ſimulationem fucare conantur, dum ſe omnibus Papatus inquinamentis polluunt, non longa refutatione indiget. Jactant hoc ſe dare infirmis fratribus: quaſi vero quidvis ſine delectu illis Paulus dederit. Si ex Legis præſcripto Judæi apud Judæos votum Deo ſolvendum ſuſciperent nulla idololatria infectum, tunc ſe Paulo probarent ſimiles. nunc quum craſſis ſuperſtitionibus & palam impiis ſe involvant, idque fugiendæ crucis ſtudio, qualis iſta eſt quam fingunt ſimilitudo?

27. *Qui ex Aſia erant Judæi.*] Certum eſt hos nomini Chriſtiano fuiſſe infenſos. ita Paulus dum fidelibus placandis intentus eſt, in hoſtium furorem incurrit. Ac turbæ quidem concitatores ſunt Aſiatici: ſed ejus odio ita corrupti erant totius populi animi, ut rabies facile ad omnes pervaſerit. Docet autem hic locus, non adeo iniquis animis ferendum eſſe, ſiquando ſpes nos fruſtratur, nec conſiliis noſtris recto ſanctoque affectu captis proſpere ſuccedit, ut actiones noſtræ felicem habeant exitum. nihil niſi recta conſcientia, & ex Spiritu Dei tentandum eſt. Cæterum ſi ne tunc quidem ex voto res fluat, ſuſtentet nos interior ille ſenſus, quod ſcimus Deo probari ſtudium noſtrum, licet hominum probris & deriſui ſit expoſitum: nec pœniteat nos manſuetudinis noſtræ, ſiquando iniqua merces ab improbis rependitur.

28. *Viri Iſraëlitæ, ſuccurrite.*] Conclamant quaſi in extremo diſcrimine, & omnes ad opem ferendam vocant, acſi tota religio periclitetur. unde perſpicimus quam rabioſo odio flagraverint adverſus Paulum, tantum quia plenam & ſolidam in Chriſto reperiri veritatem admonens, figuris Legalibus finem impoſitum eſſe docebat. Jam quod Trophimo conſpecto falſam opinionem concipiunt, hac præcipiti levitate magis produnt quam ſint virulenti. Sacrilegii accuſant Paulum. quo nomine? quia hominem incircumciſum in templum adduxerit. Atqui atrociſſimum crimen homini innoxio, ipſi falſa opinione conflarunt. Sic præpoſtera eorum audacia eſſe ſolet, qui præſumpta opinione feruntur. Nos vero diſcamus ex talibus exemplis, ab intemperie affectuum cavere, & frenum levibus præjudiciis non laxare, ne cæco impetu adverſus innoxios ruamus.

30. *Commotaque eſt civitas.*] Hic videmus plebis levitatem, quæ Paulum antequam audierit, jam pro damnato habet. Quod tumultuatur civitas in negotio pietatis, nihil mirum: ſed hoc zeli perverſi eſt ac inſanæ temeritatis, quod incognita cauſa adverſus Paulum inſurgit. Nam in hac naturæ corruptione, ad ſtultitiam accedit pravitas: ut nullo negotio ſponte ad tuendam malam cauſam volitent, quos difficile eſſet multis cohortationibus ad recte agendum movere. Acerba quidem eſt hæc conditio, ut paucorum inſtigatione totus mundus repente in nos armetur: ſed quando ita Domino placet, hoc exemplo & ſimilibus ſe ad quoslibet fluctus ſuſtinendos quiſque noſtrum paret.

31. Quærentibus autem illis eum occidere, nunciatum eſt Tribuno cohortis quod tota conturbata eſſet Jeroſolyma.

32. Qui ſtatim aſſumptis militibus ac Centurionibus, decurrit ad illos. At illi quum vidiſſent Tribunum & milites, ceſſaverunt percutere Paulum.

33. Tunc accedens Tribunus, apprehendit eum, & juſſit alligari catenis duabus: & interrogavit quiſnam eſſet, & quid feciſſet.

34. Alii autem aliud clamabant in turba. Et quum non poſſet certum cognoſci præ tumultu, juſſit eum duci in caſtra.

35. Quum autem veniſſet ad gradus, contigit ut portaretur à militibus, propter violentiam turbæ:

36. Sequebatur enim multitudo populi, clamans, Tolle eum.

37. Et quum cœpiſſet induci in caſtra, Paulus dicit Tribuno, Licetne mihi loqui ad te? qui dixit, Græce noſti?

38. Nonne tu ille es Ægyptius, qui ante hos dies tumultum concitaſti & induxiſti in deſertum quatuor millia virorum ſicariorum?

39. Dixit autem Paulus, Ego quidem homo ſum Judæus, Tarſenſis, non obſcuræ Cilicum civitatis civis. Rogo autem te, permitte mihi loqui ad populum.

40. Et quum ille permiſiſſet, Paulus ſtans in gradibus annuit manu ad plebem. & magno ſilentio facto, alloquutus eſt lingua Hebræa, dicens.

31. *Quærentibus illis eum occidere.*] In eo certe vis Satanæ apparet, quod populum eo furoris præcipitat, ut clauſis templi foribus, non contenti mediocri pœna, in Pauli necem conſpirent. Hoc nos meditatum habere decet, pietatis hoſtes à Satana impelli, ne eorum rabies quantumvis ſæva & tumultuoſa nos conturbet. Ex oppoſito affulget mira Dei bonitas, dum repente Tribunum excitat, qui ſuppetias ferat vitæ Pauli. Ipſe quidem nihil tale cogitat: ſed ad cohibendum popularem tumultum accurrit. verum eo clarius providentiæ ſuæ ſpecimen edidit Dominus, quod ſine humano conſilio erepta fuit Pauli vita à tam præſenti diſcrimine. Ita ſinit fideles non modo laborare, ſed fere obrui, ut eos majore miraculo à mediis mortibus liberet. Tribunum cohortis improprie vocavit *Lucas*, quum ſinguli Tribuni millibus præeſſent: quod etiam ex contextu liquet, ubi Centuriones dicit à Tribuno aſſumptos.

32. *Quum vidiſſent Tribunum.*] Quos neque Dei majeſtas, nec templi religio à furore compeſcere poterat, eos nunc flectit profani hominis reverentia. unde apparet barbara crudelitate magis quam zelo fuiſſe accenſos. Jam quod catenis Paulum vincit Tribunus, eo ſatis oſtendit non veniſſe ejus levandi cauſa. Hoc increduli fortunæ tribuerent: ſed Spiritus quaſi in tabula nobis depinxit Dei providentiam, inter confuſos hominum motus regnantem.

Tametſi autem hoc durum eſt, quod tam ignominioſe tractatur ſanctus Dei miniſter: laudanda tamen erit Tribuni æquitas, ſi cum Judæis conferatur. Catenas tanquam malefico & ſcelerato injicit: vinctum tamen audire ſuſtinet, quem illi verberibus trucidabant: nec de eo quicquam aſperius conſulit, niſi cauſa cognita. Imo hæc optima fuit mitigandæ ſævitiæ ratio, quod ſupplicium de Paulo mox ſumptum iri ſperabant.

34. *Alii aliud clamabant.*] Modis omnibus ſe prodit tumultuantis populi amentia. Diſſentaneos clamores in aërem jactant. Interea uno conſenſu depoſcunt ad mortem, qui nullius delicti convictus erat. Interim non dubium eſt, quin ſancti zeli ſpecie excæcati fuerint, ſed veros Dei zelotas, ſicuti Martyres, facit cauſæ veritas probe cognita: impetus vero diabolicam veſaniam prodit. Quod hic Caſtrorum fit mentio, ſciendum eſt milites qui ad urbis præſidium locati erant, locum habuiſſe vallatum & undique munitum, quem inſtar arcis tueri, & unde impetum arcere poſſent, ſi qua exorta eſſet ſeditio. Neque enim dubia populi fide, & in urbe turbulenta tutum fuiſſet in varia hoſpitia paſſim diſtribui. Locum autem editum fuiſſe inde colligimus, quod dicit Lucas ubi ad gradus ventum eſt, portatum fuiſſe Paulum à militibus. Sive autem Paulum in ſublime extulerint milites ut eum ſalvum in ſtationem perducerent, ſive prementis turbæ violentia ita jactatus fuerit, non fuit hoc favoris officium. ſed quo magis ardebat perſequentium ſævitia, Deus ſervo ſuo propitium ſe eſſe clarius monſtravit, vitæ ejus parcendo: ne ſi in tumultu occiſus foret, mors ejus careret juſto ſuo fructu.

37. *Licetne mihi loqui.*] Quod omnibus Dei ſervis agendum eſt, Paulus ſe ad defenſionem cauſæ ſuæ obtulit. Danda enim opera eſt quoad licet, ut nota ſit omnibus noſtra integritas, nequid ex noſtra infamia dedecoris in Dei nomen redundet. Atqui dum quærit Tribunus an Paulus non ſit Ægyptius ille latro, qui paulo ante hominum turbam ad defectionem impulerat, diſcamus quamlibet modeſte ac tranquille ſe gerant Chriſti miniſtri, & ab omni culpa remoti ſint, mundi tamen probra effugere non poſſe. Quod ideo notandum eſt, ut ad contumelias aſſueſcamus: & bene agendo parati ſimus male audire. De Ægyptio interrogans, Theudam magum non intelligit, ut falſo multi putant: cujus ſupra cap. 5. meminit Gamaliel, & de quo plura Jo- *ſupra 5.*
ſephus libr. Antiquit. 20. Præterquam enim quod *verſ. 36.*
illic habemus tantum quadringentos homines à Theuda ſeductos fuiſſe: hic autem Tribunus quatuor millia numerat, & omnes dicit fuiſſe ſicarios: etiam iſtud accedit, quod ſub Tiberii vel etiam Auguſti Cæſaris imperio, factionem illam concitaverat Theudas, cujus tantum reſtabat obſcurus rumor: quia repente immiſſa equitum turma deleta fuerat. In eo tamen mihi videtur hallucinari Joſephus, quod Cuſpium Fadum prius refert miſſum à Claudio, deinde Theudam ab eodem oppreſſum addit: quum ante oſtenderim, Claudio adhuc privato motum illum priorem fuiſſe concitatum. Quanquam in numero quoque longe à narratione Lucæ diſſidet, quum dicit circiter triginta millia fuiſſe pertracta in ſeditionem: niſi forte ita interpretamur, poſtquam profligatus fuit à Felice, cum quatuor millibus fugiſſe in deſertum. Nimis vero abſurdum fuiſſet, numerum decuplo majorem fieri: ſicuti imbellem turbam, Sicariorum nomine infamari. nam teſte Joſepho, ſimplex & credulum vulgus falſa pollicitatione deluſit ille impoſtor, ſe Dei Prophetam eſſe jactans, qui tranſitum populo per medium Jordanem daturus eſſet. Cæterum idem Joſephus omnem dubitationem eximit, dum narrat ab Ægyptio Propheta ſub Felice Præſide collectam fuiſſe hominum manum, & abductam in montem Olivarum: ex qua occiſi ſunt quadringenti, ducenti capti, reliquiæ vero diſſipatæ. Recens erat hiſtoria. deinde quum elapſus eſſet ſeditionis auctor, & regio latronibus infeſtata: non abs re ſciſcitatur Tribunus an Paulus, in quem ita omnium odia fervere videt, ille ſit Ægyptius. Longius Tribuni & Pauli colloquium non narratur à Luca: probabile tamen eſt, quum ambobus communis eſſet Græca lingua, plures ſermones ultro citroque fuiſſe habitos. unde factum eſt ut legitima purgatione allata, permiſſum fuerit Paulo ad populum loqui. Nunquam enim homini ſcelerato hoc daturus erat Tribunus, ut publice in urbe tam ſuſpecta concionaretur.

CAP. XXII.

VIri fratres & patres, audite meam, qua nunc apud vos utor, excuſationem.
2. Quum autem audiſſent quod Hebræa lingua ipſis loqueretur, magis præſtiterunt ſilentium. Et dicit,
3. Ego quidem ſum vir Judæus, Tarſi natus in oppido Ciliciæ, educatus vero in hac urbe ad pedes Gamalielis, inſtitutus ſecundum exactam rationem Legis patriæ, ſtudioſus Dei, ſicut & vos omnes eſtis hodie:
4. Qui hanc viam perſequutus ſum uſque ad mortem, alligans ac tradens in cuſtodias tam viros quam mulieres:
5. Sicut & Princeps Sacerdotum mihi teſtis eſt, & totus Seniorum ordo. A quibus etiam acceptis ad fratres epiſtolis, Damaſcum pergebam, adducturus & illos qui illic eſſent, vinctos Jeroſolymam, ut punirentur.

Tametſi ex concionis exordio conjicere licet quorſum tenderet Paulus: quia tamen abruptus fuit ejus ſermo, neſcitur certo quid dicturus fuerit. Summa quidem ejus partis quæ recitatur hæc eſt, Ipſum quum recte & fideliter in Legis doctrina inſtitutus foret, pium & religioſum coram mundo fuiſſe cultorem Dei. deinde infenſum fuiſſe Chriſti Euangelio, ut inter præcipuos Legis vindices à Sacerdotibus habitus fuerit. tertio non temere provolaſſe ad novam ſectam: ſed oraculo cœleſti domitum ac convictum, dediſſe nomen Chriſto. quarto ſe non fuiſſe amplexum res ignotas: ſed divinitus ordinatum ſibi fuiſſe fidelem magiſtrum, à quo exacte omnia diſceret. poſtremo quum Jeroſolymam eſſet reverſus, ac ſuis popularibus prodeſſe cuperet, ſibi non fuiſſe à Deo permiſſum. Ita non temere nec gentis ſuæ odio, ſed Dei mandato ſalutis doctrinam procul ad externas nationes pertuliſſe.

1. *Viri fratres & patres.*] Mirum quod deploratis Euangelii hoſtibus tantum adhuc honoris deferat. nam omne fraternæ conjunctionis vinculum abruperant, & Dei gloriam opprimendo, omni ſe dignitatis elogio exuerant. Sed quia Paulus tanquam unuſquiſpiam ex populo hic loquitur, ſine fictione tam amanter corpus ipſum, capita etiam honorifice compellat. & certe quia nondum palam facta

erat

erat eorum abdicatio, quamvis omni honore indigni eſſent, digna tamen erat divinæ adoptionis gratia quam Paulus in illis reverenter agnoſceret. Fratres igitur & patres vocando, non tam quid meriti ſint reſpicit, quam in quem gradum ipſos Deus extuliſſet. Et tota oratio ſic eſt compoſita, ut libere quidem & ſine blanditiis, ſummiſſa tamen & placide illis ſatisfacere conetur. Ergo ſic diſcamus homines colere & illis deferre honorem, ut Deo illibatum jus ſuum maneat. Quo magis deteſtabilis eſt Papæ ſuperbia, qui quum ſeipſum Pontificem nullo Dei juſſu, nullis Eccleſiæ ſuffragiis creaverit: non modo omnes ſibi honoris titulos arrogat, ſed etiam tyrannidem, qua in ordinem cogatur Chriſtus. quaſi vero Deus homines extollendo, jus illis ſuum reſignans, in terram procumbat.

2. *Quod Hebraice loqueretur.*] Hoc quidem uſitatum eſt, dum permixta eſt linguarum varietas, ut libentius audiamus nativæ linguæ noſtræ homines. ſed alia peculiaris fuit Judæis cauſa, quod Paulum ſibi finxerant generi ſuo ex profeſſo infenſum, ut linguam quoque ipſam odio haberet: vel erronem quempiam, qui ne linguam quidem didiciſſet ejus gentis ex qua ſe oriundum profitebatur. Nunc audito ſermone patrio, aliquid melius ſperare incipiunt. Porro incertum eſt Hebraice an Syriace loquutus fuerit Paulus. ſcimus enim Judæis poſt exilium corruptam ac degenerem fuiſſe linguam, quum multa à Chaldæis & Syris traxiſſent. Ego quidem conjicio, quia tam ad vulgus quam ad Seniores ſermonem habebat, recepto paſſim idiomate uſum eſſe.

3. *Ego Judæus ſum.*] Ut omnia tunc apud Judæos confuſa erant, multi errones & homines circumforanei, ut integumentum haberent ſuis maleficiis, falſo pro Judæis ſe venditabant. itaque Paulus ut ejuſmodi ſuſpicionem à ſe avertat, à ſuis natalibus incipit: deinde ſe Jeroſolymæ natum eſſe docet, quia illic educatus fuerit à puero. quanquam hoc poſterius non modo ad certitudinem dictum eſſe videtur: ſed quia magni intererat hoc quoque cognoſci, quam recte fuiſſet inſtitutus. Indoctis hominibus nihil eſt audacius ad turbandum: tunc vero ſic collapſum erat Eccleſiæ regimen, ut religio non modo ſectis obnoxia eſſet, verum miſere lacerata. Magiſtrum ergo ſuum deſignat Paulus, ne quis putet nulla diſciplina imbutum, à cultu patrio receſſiſſe: quemadmodum multi, quorum ingenium non excolitur doctrina, naturæ ſuæ obliviſcuntur, ac fiunt degeneres. Sed præcipue commemorat Paulus ſe fuiſſe in Lege rite inſtitutum: ut intelligant Judæi, non inſcitia ipſum, ut fieri plerumque ſolet, tumultuari, & monſtra eorum fingere. An hic ſit Gamaliel cujus ante facta fuit mentio, dubium eſt. Dicuntur au- *ſupra. 5.*
tem ad pedes ſedere diſcipuli: quia quum nondum *verſ. 34.*
firmo judicio præditi ſint, eam docilitatem & modeſtiam afferre debent, ut ſenſus ſuos ſubjiciant præceptoribus, & ab eorum ore pendeant. Sic Maria *Luc. 10.*
dicitur ſedere ad pedes Jeſu, quum docentem auſcul- *verſ. 39.*
tat. Quod ſi hæc reverentia terrenis præceptoribus debetur, quanto magis nos ad Chriſti pedes jacere convenit, ut ex cæleſti ſolio loquenti dociles nos præſtemus? Hæc etiam loquutio pueros & adoleſcentes officii admonet, ne præfracti ſint, vel ſtulta confidentia inflati adverſus magiſtros efferantur, ſed manſueto placidoque ingenio ſe ab illis formari ſuſtineant.

Inſtitutus in Lege patria.] Vetus interpres ad verbum reddidit, Eruditus juxta veritatem paternæ Legis: niſi quod ἀκρίβεια magis eſt exacta ratio quam veritas. Quæritur tamen quid ſibi velit exquiſita hæc ratio, quum una & eadem omnibus eſſet forma Legis. Videtur mihi puriorem ſcientiæ formam qua fuerat imbutus, à vulgari inſtitutione diſcernere, quæ longius à nativo Legis ſenſu receſſerat. Etſi autem tunc multis additamentis, etiam inter optimos doctores, vitiata erat Lex Domini: quia tamen inter multos prorſus adulterata erat religio, ſe in Lege patria probe & diligenter fuiſſe inſtitutum, merito gloriatur Paulus: vel, quod idem valet, Exacte: ne quis putaret levi tantum guſtu fuiſſe aſperſum, ut unum quemlibet è vulgo. Sed quia multi probe edocti, Epicureo nihilominus Dei contemptu referti ſunt, teſtatur ſe fuiſſe zelotem Dei: acſi diceret, ſerium pietatis ſtudium annexum doctrinæ fuiſſe, ut minime in rebus ſacris ludere voluerit, quemadmodum profani homines data opera quidvis miſcent. Cæterum quia inconſideratus erat zelus, ſe pro illo tempore reliquis Judæis ſimilem facit. Poteſt tamen hoc in bonam partem accipi, quod pridem non minus ex animo Deum coluerit, quam tunc illi.

4. *Hanc viam perſequutus ſum.*] Hoc eſt ſecundum caput, fuiſſe inimicum Chriſti doctrinæ: & quidem acrius aliis omnibus ſe invectum fuiſſe ad eam oppugnandam, donec manu Dei retractus fuit. cujus rei teſtes citat principem Sacerdotum & Seniores. Itaque nulla reſidere potuit ſuſpicio in tam ſubita mutatione. Quod ſibi datas ad fratres literas dicit, referri debet ad Judæos, acſi gentiles vocaſſet: ſed magis honorifico titulo mulcere eos voluit. in hoc enim incumbit Paulus, ut germanam ſuam ab illa gente & legitimam originem, deinde conjunctionis ſtudium aſſerat.

6. Accidit autem mihi iter facienti, & appropinquanti Damaſco circiter meridiem, ut ſubito de cælo circumfulguraverit me lux multa.

7. Cecidique in terram, & audivi vocem dicentem mihi, Saul, Saul, quid me perſequeris?

8. Ego vero reſpondi, Quis es Domine? Dixitque ad me, Ego ſum Jeſus Nazarenus quem tu perſequeris.

9. Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt & exterriti ſunt: vocem autem non audierunt ejus qui loquebatur mecum.

10. Tunc dixi, Quid faciam Domine? Dominus autem dixit mihi, Surge, & vade Damaſcum: & illic tibi dicetur quæ ordinata ſunt tibi ut facias.

11. Et quum non viderem præ gloria luminis illius, per manum deductus à comitibus qui erant mecum, veni Damaſcum.

6. *Accidit autem.*] Quoniam hæc hiſtoria uberius cap. 9. expoſita fuit, breviter tantum perſtringam quæ illic dixi. Hoc autem præſenti loco peculiare eſt & diverſum, quod circumſtantias ſuas recenſet Paulus, quibus ſe probet divinitus converſum eſſe. Atque hoc tertium eſt membrum concionis. alioqui vel inconſtantiæ, vel temeritatis, vel alia probroſa nota non vacaſſet mutatio. Nihil enim minus ferendum, quam reſilire ab incepto pietatis curſu: deinde mandata non explere. Ergo Paulus ne cui ſuſpecta ſit ſua converſio, docet pluribus miraculis in medium adductis, ejus auctorem fuiſſe Deum. Noctu ſæpe micant fulgores, qui ex calidis terræ exhalationibus procreantur: hoc autem magis fuit inſolitum, quod circiter meridiem ſubita lux non modo refulſit, ſed inſtar fulguris ipſum circumdedit,

dit, ut præ terrore ex equo delapſus, humi jaceret. aliud miraculum, quod vox è cælo perſonuit. aliud deinde, quod comites non peræque ut ipſe exaudiunt. Sequuntur demum alia, quod poſtquam miſſus eſt Damaſcum, eventus oraculo reſpondet: quia obviam prodit Ananias. Item, quod viſus illi momento reſtituitur.

7. *Cecidi in terram.*] Ut Phariſaica ſuperbia inflatus erat Paulus, proſterni & quaſi affligi oportuit, ut Chriſti vocem audiret. Non ſpreviſſet quidem ex profeſſo Deum, nec cæleſte oraculum reſpuere auſus foret: nunquam tamen ad obſequium fidei compoſitus fuiſſet ejus animus, ſi integer ſtetiſſet. violento ergo impetu dejicitur, ut ſponte ſe humiliare diſcat. Porro in Chriſti verbis, tantum brevis eſt objurgatio, quæ ſævientis ferociam compeſcat. Interim ad nos eximia inde redit conſolatio, quod Chriſtus piorum omnium perſona indutus, quicquid illis factum fuerat injuriæ, ſe paſſum eſſe conqueritur. Sicut autem nihil ad leniendam perſequutionum acerbitatem ſuavius fingi poteſt, quam dum audimus Filium Dei non modo nobiſcum, ſed in nobis pati: ita rurſum ſanguinarii Evangelii hoſtes, qui nunc ſtupido faſtu inſultant miſeræ Eccleſiæ, ſentient quem vulneraverint.

9. *Qui mecum erant.*] Diſcrepantiam quæ videtur
ſupra 9. verſ. 7. tur eſſe in verbis Lucæ, nullam eſſe, in altero loco oſtendi. Dicebat illic Lucas, Pauli comites quum ſtarent attoniti, vocem audiſſe, neminem vidiſſe. Hic autem negat auditam ab illis fuiſſe vocem ejus qui loquebatur cum Paulo, quum lucem conſpicerent. nempe vocem aliquam obſcuram ab illis perceptam fuiſſe, abſurdum non eſt: ut tamen non diſcernerent ſicuti Paulus ipſe, quem ſolum objurgatione ſua compeſcere & domare volebat Chriſtus. Audiunt igitur vocem: quia ſonitus aures eorum verberat, ut ſciant è cælo aliquem loqui. non audiunt vocem loquentis cum Paulo, quia non aſſequuntur quidnam dicat Chriſtus. Fulgorem quoque vident in circuitu Pauli, ſed neminem vident qui vocem è cælo emittat.

10. *Quid faciam Domine?*] Vox eſt hominis manſuefacti. atque hæc vera eſt ad Dominum converſio, quum depoſita omni ferocia, ſubeundo ipſius jugo libenter collum ſubjicimus, paratique ſumus quævis ejus juſſa capeſſere. Adhæc, bene agendi initium eſt, interrogare os Domini. Fruſtra enim ſatagunt, qui ſine ejus verbo pœnitentiam meditantur. Porro quod Chriſtus Ananiam Paulo magiſtrum ordinat, non facit contumeliæ cauſa, vel quod recuſet eum docere: ſed hoc modo externum Eccleſiæ miniſterium commendare vult & ornare. Atque in unius quidem hominis perſona commune documentum nobis præbuit, ne gravemur ipſum audire loquentem hominum lingua. Eodem ſpectat quod mox ſequitur, oculis captum fuiſſe, donec ſe diſcipulum offerens, fidei ſuæ humilitatem probaſſet. Non omnes quidem excæcat Deus quos vult illuminare: ſed regula omnibus generalis præſcribitur, Ut qui volunt ei ſapere, apud ſe ſtulteſcant.

12. Ananias autem quidam, vir pius ſecundum Legem, teſtimonio probatus omnium illic habitantium Judæorum,

13. Veniens ad me, & adſtans, dixit mihi, Saul frater, accipe viſum. Et ego eadem hora recepto viſu vidi illum.

14. At ille dixit, Deus Patrum noſtrorum præparavit te, ut cognoſceres voluntatem ſuam, & videres Juſtum, & audires vocem ex ore ejus:

15. Quia eris teſtis illi apud omnes homines eorum quæ vidiſti & audiſti.

16. Et nunc quid cunctaris? Exurge & baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine Domini.

12. *Ananias quidam.*] Tranſit jam Paulus ad quartum caput: nempe quod non tantum miraculis attonitus, nomen Chriſto dederit: ſed in Evangelii doctrina rite & ſolide fuerit inſtitutus. Jam admonui, non fortuito caſu, ſed duce Chriſto Ananiam fuiſſe Paulo obvium. Quod autem Legalis pietatis elogium illi tribuit, & dicit probatum fuiſſe totius gentis teſtimonio, his verbis antevertit ſiniſtram quam concipere poterant opinionem. Ut abhorrebant à Gentibus, nunquam ab illis inde admiſſus fuiſſet doctor. Legis vero apoſtata prorſus deteſtabilis fuiſſet. Ergo teſtatur, Deum coluiſſe ſecundum Legem, & ejus pietatem notam fuiſſe & laudatam inter omnes Judæos, ut minime ſuſpectus eſſe debeat. Particula *ſecundum Legem*, inſcite à quibuſdam ad ſequentem contextum trahitur, quod fuerit ſecundum Legem probatus. potius enim hac nota à Gentium ſuperſtitionibus diſcernitur Ananiæ religio. Quanquam notandum eſt, non fieri Legis mentionem ad ſtabilienda operum merita, quæ opponantur Dei gratiæ; ſed omni ſiniſtra ſuſpicione eximitur Ananiæ pietas apud Judæos. Quod autem uno verbo viſum Paulo reſtituit, inde apparet divinitus miſſum eſſe, quemadmodum ſupra admonui.

14. *Deus Patrum noſtrorum.*] Sicuti nihil ad nos incitandos aptius eſt ut alacriter ad Deum pergamus, quam ubi Deum agnoſcimus gratuita ſua bonitate nobis occurrere, ut ab interitu ad viam nos revocet; ita hinc orditur Ananias. Deus, inquit, te deſtinavit ut agnoſceres voluntatem ſuam. ſic enim Paulus admonetur, ſe à Deo reſpectum quo tempore vagus, & à ſua ſalute prorſus averſus erat: atque ita Dei prædeſtinatio omnes præparationes abolet quas Sophiſtæ imaginantur, quaſi libero ſuo arbitrio homo anteverteret Dei gratiam. Deum Patrum vocando, memoriam promiſſionum renovat, ut ſciant Judæi conjunctam illis eſſe novam Pauli vocationem: ac minime à Lege deficere qui ad Chriſtum tranſeunt. Ergo his verbis confirmat Paulus quod prius in ſua perſona aſſeruit, ſe non eſſe transfugam à Deo Abrahæ, & qui jam olim apud Judæos cultus fuerat: ſed manere in veteri & patrio cultu quem ex Lege didicerat. Quare ubi de religione agitur, diſcamus Pauli exemplo, non imaginari novum quempiam Deum (ut fecerunt Papiſtæ & Mahometiſtæ, atque ut hæretici omnes ſolent) ſed retineamus Deum illum, qui ſe Patribus olim tum Lege, tum variis oraculis patefecit. Hæc eſt vetuſtas in qua nobis manendum eſt, non qua fruſtra ſuperbiunt Papiſtæ, qui novitium ſibi Deum fabricarunt, quum à legitimis Patribus deſciverint. Idem hodie de Judæis dicendum, quorum religio quum à Lege & Prophetis aliena ſit, Deum quoque fictitium & degenerem eſſe oportet. nam qui olim Deus Abrahæ & Patrum dici voluit, apparuit demum in Filii ſui perſona, ut nunc proprio elogio vocetur Pater Chriſti. Itaque qui Filium rejicit, neque Patrem habet, qui ab eo ſeparari nequit. Admonet autem Ananias gratuita Dei electione factum eſſe, ut nunc Paulo illuceat Evangelii veritas: unde ſequitur, non fuiſſe hoc adeptum ſua induſtria, quod etiam rei experientia monſtravit: nihil enim Paulo contumacius, donec eum Chriſtus ſubegit. Cauſa autem & origo ſi quæritur, ad Dei conſilium, quo deſignatus eſt, nos revocat Ananias. & certe pretioſior res eſt, voluntatem Dei cognoſcere,

quam

quam ut huc ſuo Marte perveniant homines. Quod autem affirmat de Paulo Ananias, ad omnes transferri debet, fidei theſaurum non eſſe omnibus promiſcue expoſitum: ſed electis peculiariter offerri. Porro quænam ſit voluntas iſta Dei, ex proximo membro
Heb. 1. 1. clarius patet. Multifariam enim multiſque modis loquutus Deus per ſuos Prophetas, noviſſime in ſuo Filio voluntatem ſuam ac ſe totum ſolide patefecit.

Videres Juſtum.] Quum omnes fere Græci codices in maſculinum genus conſentiant: miror cur Eraſmo magis placuerit, in neutro genere vertere, Quod juſtum eſt. quem ſenſum vident Lectores frigidum & coactum eſſe. Ego itaque non dubito quin Juſtus hic pro Chriſto ſumatur. & concinne fluit hoc modo contextus: quia ſequitur continuo poſt, Audias vocem ex ore ejus. Conſtat autem hoc ſanctis omnibus ſummum fuiſſe votum, ut Chriſti conſpe-
Luc. 2. verſ. 29. ctu frui liceret. Inde manavit illa Simeonis confeſſio, Nunc dimittis in pace ſervum tuum, Domine: quia viderunt oculi mei Salutare tuum. Hæc igitur viſio, cujus deſiderio pios Reges & Prophetas fla-
Luc. 10. verſ. 24. graſſe teſtis eſt Chriſtus ipſe, non abs re tanquam ſingulare Dei beneficium extollitur. Cæterum quia parum vel nihil prodeſſet ocularis aſpectus, quem multis ſcimus fuiſſe exitialem, auditum vocis adjungit. Finem aſcribit Ananias, cur Deus tanto honore dignatus fuerit Paulum: nempe ut Filio ſuo publicus eſſet teſtis. atque eum ita præparat, ut non modo ſibi privatim diſcat: ſed eo majore ſtudio proficiat, quia futurus eſt totius Eccleſiæ doctor.

16. *Et nunc quid cunctaris?*] Non dubium eſt quin fideliter rudimentis pietatis Paulum imbuerit Ananias. neque enim veræ fidei expertem baptizaſſet. Sed Lucas multa præteriens, ſummam breviter perſtringit. Ergo quum intelligat Paulus, redemptionem promiſſam nunc in Chriſto exhibitam eſſe, merito Ananias Baptiſmo quicquam moræ afferri debere negat. Cæterum quum dicit, Quid cunctaris? non objurgat Paulum, neque tarditatis inſimulat: ſed Baptiſmi acceſſione magis amplificat Dei gra-
ſupra 10. verſ. 47. tiam. Similem ſententiam habuimus cap. 10. Num prohibere quis poteſt quominus aqua baptizentur qui Spiritu ſancto donati ſunt ſicut & nos? Quum autem addit, Ablue peccata tua: hac loquutione vim fructumque Baptiſmi exprimit: acſi dixiſſet, Ablue peccata tua Baptiſmo. Sed quoniam externo & corruptibili elemento ita plus tribui videtur quam par eſt, quæritur an Baptiſmus purgationis noſtræ ſit cauſa. Certe quum ſanguis Chriſti unica ſit à peccatis expiatio: & ſicut ſemel in hunc finem effuſus eſt, ita ejus aſperſione Spiritus ſanctus per fidem nos aſſidue mundet: non poteſt hic honor ad ſymbolum aquæ transferri, ſine Chriſti & Spiritus ſancti injuria. atque experientia demonſtrat quam propenſi ſint ad hanc ſuperſtitionem homines. Ideo multi pii homines, ne fidem ſubjiciant externo ſigno, vim Baptiſmi nimis extenuant. Sed modus tenendus eſt, ut Sacramenta cogantur in ordinem, ne obſcurent Chriſti gloriam: & tamen non careant ſua efficacia & uſu. Quare hoc primo loco tenendum eſt, ſolum eſſe Deum qui nos à peccatis abluit Filii ſui ſanguine: ut autem efficax in nobis ſit hæc ablutio, ipſum agere arcana virtute Spiritus. Ergo quum de remiſſione peccatorum agitur, non alius quærendus eſt ejus auctor quam cæleſtis Pater: non alia materialis cauſa fingenda eſt quam Chriſti ſanguis. ubi vero ad formalem cauſam venitur, primas quidem tenet Spiritus ſanctus: ſed accedit inferius organum, Euangelii prædicatio & Baptiſmus ipſe. Cæterum etſi ſolus Deus agit intrinſeca Spiritus ſui virtute, id tamen non obſtat quominus adhibeat ſuo arbitrio quæ congruere novit inſtrumenta & media. non quod quicquam vel ex Spiritu ſuo vel ex ſanguine Chriſti detractum in elemento includat, ſed quia ſignum ipſum vult infirmitatis noſtræ adminiculum eſſe. Quatenus ergo fidem noſtram adjuvat Baptiſmus, ut remiſſionem peccatorum percipiat ex ſolo Chriſti ſanguine, lavacrum animæ vocatur. Ita ablutio, cujus meminit Lucas, non cauſam deſignat: ſed ad ſenſum Pauli refertur, qui ſymbolo accepto, peccata ſua expiata eſſe melius cognovit. Quanquam hoc ſimul notandum eſt, non proponi in Baptiſmo nudam figuram, ſed rei quoque exhibitionem ſimul annexam eſſe: quia nihil fallaciter Deus promittit, ſed vere complet quod ſub figuris ſignificat. Rurſus tamen cavendum, ne alligetur Dei gratia Sacramentis. neque enim quicquam prodeſt externa Baptiſmi adminiſtratio, niſi ubi ita Deo viſum eſt. Hinc etiam ſolvitur alia quæſtio quæ moveri poſſit. nam quum teſtimonium haberet Paulus gratiæ Dei, jam illi remiſſa erant peccata. Non igitur Baptiſmo demum ablutus eſt, ſed novam gratiæ quam adeptus erat, confirmationem accepit.

Invocato nomine.] Non dubium eſt quin Chriſtum intelligat, non quod ſolius Chriſti nomen invocetur in Baptiſmo, ſed quia ab ipſo petere nos jubet Pater quicquid Baptiſmus figurat. nec alio tendit Spiritus operatio, quam ut nos mortis & reſurrectionis ejus faciat participes. Statuitur ergo Chriſtus ut in Baptiſmo emineat, ſed quatenus nobis datus eſt à Patre, & quatenus gratias ſuas per Spiritum ſanctum in nos effundit. Ita fit ut invocatio nominis Chriſti, Patrem & Filium in ſe contineat. quare non intelligit Ananias, voce tantum Chriſti nomen proferendum eſſe: ſed precationem deſignat, qua teſtantur fideles, penes unum Chriſtum eſſe externi ſigni effectum. neque enim Sacramenta vel in ſeipſis aliquam vim ſalutis incluſam habent, vel quicquam valent ex ſeipſis. Quare hoc membrum velut correctio eſt ſuperioris dicti, quia Ananias Paulum ab externi elementi fiducia diſerte ad Chriſtum ablegat. Ab hac regula quantum differant Papiſtæ notum eſt, qui ſuis exorciſmis affigunt gratiæ cauſam: tantumque abeſt ut miſeram plebem ſtudeant ad Chriſtum dirigere, ut Baptiſmo potius Chriſtum obruant, ſuiſque exorciſmis contaminent ſacrum ejus nomen.

17. Factum eſt autem quum eſſem reverſus Jeroſolymam, & orarem in templo, ut raperer extra me.

18. Ac viderem eum dicentem mihi, Feſtina, & exi velociter Jeroſolyma: quoniam non recipient teſtimonium tuum de me.

19. Tum ego dixi, Domine, ipſi ſciunt quod ego conjiciebam in carcerem, & cædebam in ſingulis Synagogis eos qui credebant in te.

20. Et quum funderetur ſanguis Stephani teſtis tui, ego quoque adſtabam, & conſentiebam morti ejus, & cuſtodiebam veſtimenta interficientium ipſum.

21. Et dixit ad me, Vade: quoniam ego ad Gentes procul mittam te.

22. Audiebant autem eum uſque ad hoc verbum. tunc ſuſtulerunt vocem ſuam, dicentes, Tolle de terra hominem talem: non enim convenit eum vivere.

17. *Factum eſt autem.*] Hæc non fuiſſet ultima clauſula, niſi inſanis clamoribus abruptus fuiſſet Pauli ſermo. Facile tamen ex ſuperiori contextu apparet ejus conſilium. tractare enim de ſuo miniſterio incipit,

incipit, ut oſtendat non ſponte ſe migraſſe à Judæis, quaſi ingratis illis ſuam operam ſubduceret: ſed Dei mandato præter ſpem & animi propoſitum fuiſſe tractum ad Gentes. Venerat enim data opera Jeroſolymam, ut cum gente ſua communicaret depoſitam apud ſe gratiam. atqui Dominus ſpem profectus abſcindens, illum inde expellit. Duplex autem fuit offenſio, cui mederi voluit Paulus: nam & profanari Dei fœdus putabant, ſi Gentes promiſcue cum ipſis admitterentur in Eccleſiam: & gentem ſuperbam nihil pejus habebat, quam alios ſibi præferri, adeoque æquari. In eo igitur conſiſtit Pauli defenſio, quod paratus fuerit, quantum in ſe erat, ſe illis addicere: ſed coactus deinde ſit Dei mandato ad Gentes tranſire, quia nolebat eum deſidere inutilem Jeroſolymæ. Quod vertit Eraſmus, Ut raperer extra me, Græce ad verbum habetur, Ut eſſem in ecſtaſi: qua particula fidem oraculo facere voluit. Circumſtantia etiam temporis & loci idem confirmat, quod illi Dominus oranti in templo apparuit: quæ optima fuit ad audiendam Dei vocem præparatio. De modo viſionis vide quæ circa finem capitis 7. attigimus.

18. *Quia teſtimonium tuum.*] Tametſi ſimplex Dei nutus abunde nobis ad præſtandum obſequium ſufficere debet: quo tamen ad ſequendum promptior eſſet Paulus, rationem illi Chriſtus aſſignat, cur eum Jeroſolyma velit exire: quia ſcilicet nullum illic operæpretium facturus eſſet. atqui in eum finem electus non fuerat, ut jaceret otioſus, vel docendo nihil proficeret. quanquam hæc violenta tentatio fuit, & qua duriter perculſum ſancti hominis pectus fuiſſe credibile eſt. Paulo ante injunctum illi munus fuerat Euangelii promulgandi, ut per totum orbem ejus vox tonaret: nunc in ipſo limine prohibetur: imo videtur damnari ejus labor peculiari ignominia, dum ejus teſtimonium repudiatur in odium, ut loquuntur, perſonæ. Sed ita ſanctum Domini ſervum humiliari oportuit, ut ejus exemplo diſcerent omnes Euangelii doctores ſe totos in Chriſti obſequium penitus addicere, ut ab uno loco excluſi, mox alio tranſire parati ſint. neque ob indigna faſtidia deſpondeant animos, vel ab officio deſiſtant.

19. *Domine, ipſi ſciunt.*] Hac voce teſtatur Paulus, ſe non fuiſſe mente alienatum vel perplexum, quin illi conſtaret certa oraculi fides. Chriſtum enim, quem nomine Domini compellat, proculdubio agnovit. Objicit autem Paulus fieri vix poſſe, ubi tam repente mutatum viderint, quin ejuſmodi ſpectaculum eos commoveat. unde colligit ſe non infructuoſum fore. Sic equidem ipſe putabat: ſed Chriſtus præciſe reſpondet ſe aliam provinciam ei deſtinaſſe: & ſpem de Judæis fruſtra conceptam auſert. Quæritur an fas Paulo fuerit, Chriſto rationes iſtes opponere. perinde enim eſt acſi quod ille negavit futurum, probabile eſſe contendat. Reſpondeo, hoc Deum permittere ſanctis ſuis, ut familiariter in ejus ſinum exonerent ſuos affectus: præſertim ubi nihil aliud quam fidei ſuæ confirmationem petunt. Si quis ſibi ſapiat, vel contumaciter recuſet quod Deus præcipit, merito damnabitur ejus arrogantia. verum ſingulari privilegio Deus fideles ſuos dignatur, ut modeſte objiciant quæ poſſent eos à ſtudio parendi retrahere vel morari: quo liberiores & magis expediti, totos ſe Deo permittant. ſicuti Paulus, poſtquam edoctus eſt ita placere Domino, non reſponſat, neque contendit amplius: ſed una illa exceptione contentus, & ea ſuperſedens, ad profectionem ſeſe accingit, quam fugitare viſus fuerat. Interea quod tot miraculis non tanguntur Judæi, indomabilis eorum pervicacia detegitur. Quæ exprobratio haud dubie illos in furorem egit.

22. *Tolle de terra.*] Hic narrat Lucas quam tumultuoſe interrupta fuerit Pauli concio. neque enim clamoribus modo eum obruunt, ſed ad mortem eum poſtulant: ubi etiam clare apparet quam phrenetica ſit ſuperbia. Tantopere ſibi placebant Judæi, ut non modo præ ſe totum mundum deſpicerent, ſed acrius pro ſua dignitate certarent quam pro Lege ipſa: acſi tota religio in hoc cardine verteretur, ut genus Abrahæ ſupra cunctos alios mortales excelleret. Ita nunc impotenter feruntur in Paulum, quia ſe miſſum ad Gentes Apoſtolum dixerat: quaſi Deum obſtringat ſua liberalitas ad ferendum numinis ſui contemptum in ſceleratis & ingratis, quos inſignibus gratiis ornavit ſupra omnes alios. Nec mirum eſt tantum in Judæis fuiſſe tunc ferociæ, quum hodie modis omnibus attriti, & ad extremas contumelias aſſuefacti, ſervili tamen faſtu non deſinant turgere. Sed iſti ſunt reprobationis fructus, donec reliquias ſecundum Pauli vaticinium Deus colligat. *Rom.* 11. *verſ.* 5.

23. Vociferantibus autem eis, & projicientibus veſtimenta, & pulverem jactantibus in aërem,

24. Juſſit Tribunus eum induci in caſtra: & imperavit eum flagris examinari, ut ſciret propter quàm cauſam ſic acclamarent ei.

25. Et quum aſtrinxiſſet eum loris, dixit adſtanti ſibi Centurioni Paulus, Num hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare?

26. Quo audito, Centurio acceſſit ad Tribunum, & nunciavit ei, dicens, Quid facturus es? hic enim homo Romanus eſt.

27. Accedens autem Tribunus, dixit illi, Dic mihi, num tu Romanus es? At ille dixit, Etiam.

28. Et reſpondit Tribunus, Ego multa ſumma civitatem iſtam comparavi. Paulus vero dixit, Ego autem etiam natus ſum.

29. Protinus ergo diſceſſerunt ab illo qui illum examinaturi erant. Tribunus quoque timuit, poſtquam reſcivit quod Romanus eſſet, & quod vinxiſſet eum.

30. Poſtero autem die volens ſcire certum, qua ex cauſa accuſaretur à Judæis, ſolvit eum à vinculis: & juſſit principes Sacerdotum convenire, totumque Concilium: & deductum Paulum ſtitit coram illis.

24. *Juſſit Tribunus.*] Prudenter hoc & recte Tribunus, quod Paulum ſubduxit è conſpectu populi: quum ejus præſentia animos plus ſatis jam commotos, magis ac magis irritaret. nam ita ſancti hominis vitæ proſpicit, & ex parte ſedat populi amentiam. Sed quum flagris cædi jubet de quo nullum audivit certum crimen, inique agere videtur. & tamen colore non caruit hæc iniquitas: quod probabile erat, non ſine cauſa totum populum conſpiraſſe in unius hominis caput. vehemens igitur præſumptio locum dabat tam rigido examini. Sed notandum eſt hunc politicis hominibus morem eſſe, ut æqui ſint judices quatenus illis expedit: ſi autem alio vocet utilitas, huc illuc deflectant. Interea hanc

pra-

pravitatem prudentiæ titulo fucare illis ſatis eſt: quia generale illud principium tenent, non poſſe mundum abſque juſtitiæ ſpecie gubernari. Sed in ſingulis actionibus prævalet illa quam dixi aſtutia, ut quid utile ſit potius expendant, quam quid æquum & rectum.

25. *Num hominem Romanum.*] Primo jus civitatis allegat, deinde communi jure ſe tuetur. Quoquam autem in ſecundo capite plus erat ponderis (nempe fas non eſſe hominem indicta cauſa flagellari) nihil tamen profuiſſet, niſi magis commotus fuiſſet Centurio Romani Imperii honore. nihil enim tunc magis criminoſum erat, quam violaſſe populi Romani libertatem. Lex Valeria, deinde lex Porcia, Sempronia & ſimiles, vetabant, ne quis in corpus civis Romani animadverteret ſine populi juſſu. Ita ſanctum erat privilegium, ut non modo capitale, ſed inexpiabile crimen eſſe ducerent, cæſum eſſe Romanum civem. Itaque privilegio magis quam æquitate communi elapſus eſt Paulus: ſed non dubitavit in bona cauſa hoc civitatis clypeo, paratam ſibi injuriam repellere. Sciendum autem eſt, ſic jus civitatis ab eo fuiſſe aſſertum, ut fides Tribuno fieret: quia temere creditum non fuiſſet ejus verbis, niſi probatione adhibita. Porro non fuit difficile homini ſatis cognito teſtes producere. Cur autem pœnam virgarum, quam nunc ſua denunciatione prævenit, taci-
ſup. 16. tus pertulerit Philippis, cauſam poſuimus capit. 16.
verſ. 37. quia in turba populari auditus non eſſet. nunc quia illi negotium eſt cum Romanis militibus, qui moderatius & gravius ſe gerebant, occaſione utitur.

26. *Hic homo Romanus eſt.*] Mirari quis poſſit tam credulum fuiſſe qui habendo examini præerat, ut aſſeveret quaſi de re comperta. Nam ſi Pauli dicto habenda fuit fides, poterat quivis maleficus hoc artificio pœnam effugere. Sed hæc fuit agendi ratio, qui ſe Romanum civem aſſerebat, niſi cognitorem daret, vel legitime probaret ſe civem eſſe, puniebatur. capitale enim erat falſo jus civitatis obtendere. Quare Centurio rem quaſi dubiam ad Tribunum refert: hic vero, ut dictum eſt, ſtatim ad cognitionem accurrit. tametſi autem non exprimit Lucas, quibus teſtimoniis civem Romanum Paulus ſe probaverit: minime tamen dubium eſt, quin veritas bene comperta fuerit Tribuno, antequam eum laxaret.

28. *Ego multa ſumma.*] Hoc refellendi cauſa objicit Tribunus: acſi diceret jus civitatis non ita vulgare eſſe, & in medio poſitum. Qui fieri poteſt, inquit, ut tu obſcurus de gente Cilicum homo, hunc honorem adeptus ſis, qui mihi magna pecunia conſtitit? Quod Paulus reſpondet ſe natum eſſe, qui urbem nunquam viderat, imo cujus pater nunquam illuc forte acceſſerat, non eſt quod quenquam turbet. norunt enim Romanæ hiſtoriæ periti quoſdam in provinciis civitate fuiſſe donatos, ſi de Republica bene meriti, vel in bello, vel in aliis gravibus negotiis, hanc ſibi mercedem à Proconſulibus rogarent: ita nihil abſurdi eſt, natum fuiſſe Romanum civem, qui tamen ex provincia remota oriundus, nunquam in Italia pedem poſuiſſet. Quæritur tamen qui conveniat Tribunum ſibi timuiſſe, quod Romanum civem vinxiſſet, neque tamen ſolviſſe ex vinculis, niſi poſtridie. Fieri poteſt ut in craſtinum diſtulerit, ne quod daret ſignum timoris. Ego tamen exiſtimo cauſam fuiſſe metus Tribuno, quod ejus juſſu vinctus fuerat Paulus ut flagris cæderetur, quia hoc erat violare corpus civis Romani & communem libertatem: cuſtodiam vero carceris fuiſſe permiſſam.

CAP. XXIII.

INtentis autem oculis in Concilium Paulus, ait, Viri fratres, ego omni conſcientia bona converſatus ſum coram Deo uſque in hodiernum diem.

2. Princeps autem Sacerdotum Ananias præcepit adſtantibus ſibi, ut percuterent os ejus.

3. Tunc Paulus dixit ad eum, Percuſſurus eſt te Deus, paries dealbate. Et tu ſedes judicans ſecundum Legem, & Legem transgrediens jubes me percuti?

4. Qui vero adſtabant, dixerunt, Summo Sacerdoti Dei maledicis?

5. Dixit autem Paulus, Neſciebam, fratres, quod Pontifex eſſet: ſcriptum eſt enim, Principi populi tui non maledices.

1. *Intentis autem oculis.*] Orditur Paulus à teſtimonio bonæ conſcientiæ: ut totus cœtus intelligat, injuſte tam atroci crimine gravari, quaſi Dei cultum evertere conatus eſſet. Fieri quidem poteſt ut per inſcitiam labatur qui alias nec Dei nec religionis contemptor erit: ſed Paulus initio hac tantum excuſatione mollire voluit exaſperatos animos, ut ſibi audientiam faceret. nulla enim unquam admiſſa fuiſſet defenſio, quamdiu opinio illa hæſiſſet in Sacerdotum animis, ipſum eſſe impium apoſtatam. Priuſquam ergo ingrediatur in cauſam, crimen illud diluit: non modo ut ſibi favorem conciliet à ſtudio pietatis, ſed etiam ut calumnias prævertat, vel ſaltem refellat iniqua de ſe præjudicia, quibus videbat totum cœtum infectum & corruptum eſſe. Quid præterea dicturus fuerit, neſcitur. Cæterum docet hæc præfatio neminem rite tractare pietatis doctrinam poſſe, niſi in eo regnet, ac primas teneat timor Dei. Jam vero quamvis minus honorifice Sacerdotes compellet, quam paulo ante pro gradibus caſtrorum: fraterni tamen nominis honorem adhuc illis tribuit: non quod eo digni ſint, ſed ut teſtetur alienationis cauſam minime oriri ex ſua culpa.

2. *Princeps autem Sacerdotum.*] Non videtur Lucæ narratio cum recepta hiſtoria congruere. nam de ſummis Sacerdotibus illius temporis ſic tradit Joſephus, Quadratum Syriæ Proconſulem, quum à procuratione Judææ Cumanum abdicans, juſſit eum coram Cæſare cauſam dicere, ſimul Ananiam ſummum Pontificem miſiſſe vinctum. in cujus locum quis fuerit ſubrogatus, non meminit: niſi quod probabile eſt Jonathæ honorem fuiſſe delatum, quem poſtea dicit dolo & perfidia Felicis Judææ Præſidis, qui ſucceſſor Cumani fuit, occiſum eſſe. nam quum Felix ſæpius ab eo admonitus, indigne ferret hominis conſtantiam: cum Dora quodam pepigit, ut ſicarios clam ad eum necandum immitteret. Tunc, eodem Joſepho teſte, Rex Agrippa Sacerdotium contulit Iſmaëli Phabæi filio. ſed quum ipſe Romam miſſus à populo deprecationis cujuſdam cauſa, retentus à Popæa Neronis uxore foret, Agrippa Joſephum cognomine Chabi, Simonis filium, in illius locum ſubſtituit. Sed mox hujus quoque pertæſus, Ananum Anani filium conſtituit Pontificem. porro hoc poſtremum accidiſſe narrat, quo tempore poſt mortem Feſti ſubmiſſus eſt Albinus, qui in ejus vicem ſuccederet. Cur autem hoic Anano Ananiæ nomen quidam imponant, non video. Habet quidem aliquid coloris, quod Sadducæus fuiſſe dicitur: item

Digitized by Google

audax & ferox, ut qui Jacobum fratrem Domini abſque legitima auctoritate lapidationi objecerit. verum ſi fides habetur Joſepho, non potuit ille eſſe Ananias cujus hic mentio fit à Luca, qui tunc demum creatus eſt Sacerdos, quum jam elapſi eſſent anni complures ex quo deceſſerat Felix ex provincia. Alia mihi conjectura in mentem venit. Floruit enim toto illo ſucceſſu temporis Ananias quidam Pontifex, qui, excepto honoris titulo, fere primas in ordine tenebat. Et quia inter priorem Ananiam & Iſmaëlem vacuum aliquod tempus relinquit Joſephus, fieri poteſt ut hic ſummum Sacerdotium obtinuerit intermedio illo tempore. Verum ut hoc non fuerit, conſtat ex Joſepho, Ananiam qui in urbis expugnatione mortuus eſt, ſub imperio Claudii Cæſaris & Neronis ſummos Sacerdotes, qui tunc erant, dignitate æquaſſe. Imo ita celebratur ejus auctoritas, quaſi penes ipſum fuerit ſumma gubernatio, quamvis alii geſtarent honoris inſignia. deinde ἀρχιερεὺς promiſcue vocatur, ſicuti qui ſummo Sacerdotio præditi erant. Nunc expendant Lectores, annon hoc quoque loco nomen ἀρχιερέως, primarium magis, quam ſummum ſignificet, ut ſæpe alias. nam Evangeliſtæ paſſim ἀρχιερεῖς nominant Sacerdotes ex genere Aaron, ut à Levitis eos diſcernant, quibus inferior erat gradus Sacerdotii. Adde quod Ananias ille, qui ſtrenuus cordatuſque habebatur, abſentis Pontificis vices obire potuit. Cæterum quæ ex Joſepho retulimus, habentur partim lib. Antiquitat. 20. à 3. cap. uſque ad 8. partim lib. 2. belli Judaici.

Præcepit ut percuterent] Miram intemperiem videmus in hoc cœtu graſſatam eſſe. Nam quod iſto impetu correptus fuit Pontifex, ut Paulum nulla de cauſa percuti juberet, fecit proculdubio ex omnium conſenſu: imo ut gratiam ab infatis captaret. Sic autem Dominus impios à Satana raptari ſinit, ut ab omni æquitatis & temperantiæ ſpecie excidant. Nam hypocritæ cuperent aliquam moderationis ſpeciem oſtentare. nec vero dubium eſt, quin hic Pontifex præ ſe ferre conatus ſit gravitatem ſua perſona dignam. Atqui Dominus excuſſit illi hanc larvam, ut ne plebeii quidem & gregarii hominis modeſtiam teneret, ſed profunderet inſtar beſtiæ violentam ferociam. Interea videmus quam fœda & horribilis tunc fuerit diſſipatio Eccleſiæ. Ananias Concilio præſidens, quum deberet ſua gravitate frenum injicere aliis: omnis modeſtiæ oblitus, ad vim & immanitatem eos impellit. Nulla igitur tunc viguit ratio diſciplinæ: ſed confuſa regnavit barbaries. Nec mirum: nam ſe alienaverant à Deo: Chriſtum abjecerant per ſummum ludibrium: tota religio inter ipſos venalis erat. ergo in phreneticam amentiam, quæ deteſtabilis eſſet profanis quoque hominibus, ruere oportuit, ut impietatis ſuæ pœnas darent in ſuo dedecore.

3. *Percutiet te Deus.*] Non poteſt illam injuriam ſilentio tegere Paulus, quin ſaltem expoſtulet gravibus verbis cum Pontifice, Deique vindictam illi denunciet. Neque enim eſt imprecatio, ut ſatis conſtat ex Græco contextu: ſed potius objurgatio, cum pœnæ denunciatione conjuncta. Siquis objiciat, Paulum non ſervaſſe modeſtiam quam ſuis præcipit
Matth. 5. verſ. 39. Chriſtus, dum jubet ubi in ſiniſtram maxillam percuſſi fuerint, ſimul dextram quoque dare: facilis eſt ſolutio, Chriſtum illis verbis non exigere à ſuis ſilentium, quo alatur malorum improbitas & protervia: ſed tantum frenare animos ne impatienter ferant acceptam injuriam. Vult Chriſtus ſuos una injuria accepta, paratos eſſe ad ferendam ſecundam: atque hoc modo omnem vindictæ cupiditatem reprimit. hæc vera eſt & brevis tolerantiæ definitio quæ fideles omnes decet, ne in iracundiam ebulliant, ne certent maleficiis: ſed malitiam bonitate vincere ſtudeant. Hoc autem minime prohibet quin de injuriis ſibi factis querantur, coarguant impios, & ad Dei tribunal ipſos citent: modo id faciant ſedatis animis: deinde abſque malevolentia & odio: quemadmodum hic Paulus ad Dei judicium provocat, ne ſibi placeat in ſua tyrannide Pontifex. Accuſat igitur eum quod Legem violet, cujus beneficio poteſtatem ſe habere obtendit: unde colligit, non impune illi ceſſurum. Siquis impatientia victus, tantum obmurmuret, culpa non vacabit: aperta autem & ſevera accuſatio ſi ab animo compoſito prodeat, fines à Chriſto poſitos non tranſgreditur. Siquis excipiat, convitium eſſe admiſſum: reſpondeo, ſemper videndum eſſe quo animo proferantur verba. Chriſtus reum Concilii pronunciat, qui tantum fratri ſuo dixerit Racha: Matth. 5. verſ. 22. qui autem dixerit Fatue, eum graviori judicio ſubjicit. atqui ſi locus datur reprehenſionibus, ſæpe durius loquendum eſt. Unde conficitur, non aliud fuiſſe Chriſti conſilium, quam ut ab omni indignatione primum, deinde contumelia ſuos arceret. Abſit ergo convitiandi affectus: atque ita non ſtultitiam modo in fratribus notare, ſed eorum ſcelera, quum opus fuerit, licebit exprimere ſuis nominibus. Sic Paulus non ſua cauſa loquutus eſt, ut verborum probro ulciſceretur Pontificis injuriam: ſed quia verbi Dei miniſter erat, facinus gravi & ſeria reprehenſione dignum tacere noluit: præſertim quum utile eſſet, craſſam Ananiæ hypocriſin ex ſuis latebris in lucem extrahere. Ergo quoties nobis cum improbis eſt negotium, ſi bonam cauſam bene agere cupimus, danda opera eſt, ne quis iræ motus in nobis ebulliat, ne qua vindictæ cupiditas nos ad convitium incitet. Si autem in nobis regnet Spiritus manſuetudinis, licebit impios tanquam ex ore Dei, ut meriti ſunt, tractare: ſic tamen ut appareat nos potius eſſe Prophetas, quam immodico fervore quicquam temere effutire.

4. *Qui adſtabant, dixerunt.*] Hinc apparet eadem omnes intemperie laboraſſe. Cur enim non potius accuſant Ananiam, quem videbant omnis modeſtiæ oblitum, barbaro more ad manus & verbera prorumpere? nam & hoc in commune illorum dedecus cedebat. Sed hoc ſolenne eſt hypocritis, ut in alios pluſquam auſteri cenſores, ad ſua peccata blande conniveant. deinde hæc ſuperbia conjuncta eſt cum tyrannide, ut ſubditis nihil prorſus licere velint qui dominantur, quidvis autem ſibi permittant. Ita hodie in Papatu, quanto plus ſibi licentiæ indulget, ac ſecurius laſcivit impurus ille Clerus, totumque mundum ſuis ſceleribus contaminat, eo rigidius compeſcit, ac vinctas tenet populi linguas. Itaque ſiquis mutire auſus fuerit, modica libertas, non ſecus ac nefandum ſacrilegium, immanes illorum clamores excitat.

5. *Neſciebam, fratres.*] Quibus videtur hæc Pauli excuſatio figura carere, non ſatis ad contrarias objectiones attendunt, quibus refellitur ipſorum error. Dicunt ignotum fuiſſe Paulo Pontificem, quia diu abfuerat. quaſi vero hoc eum latuerit, Sacerdotii honore pollere, qui in cœtu præſideat. nec vero tam obſcurus erat Ananias, ut ejus gradum neſciret Paulus. Sed ejus verba anſam diſputationi præcidunt, dum eum objurgat quod prætextu Legis ſedem judicis occupans, contra Legem intemperanter feratur. Agnovit ergo Paulus quem locum teneret, qui eum ſua poteſtate abuti dixit. Alii commentum argutius excogitant, quod hic de homine loquutus non ſit, ſed de officio & publica perſona. atqui primum coacta eſt expoſitio: quia ſi Paulus Sacerdotium reverebatur, homini qui illo præditus erat, debuit aliquid honoris deferre. Jam vero credibile non eſt, quum abolita eſſet adventu Chriſti Sacerdotii majeſtas, & ſequuta adeo turpis profanatio, Paulum, quaſi integra adhuc & legitima poteſtas vigeret, ſolito honore proſequutum fuiſſe qui tunc ſub Pontificum titulo nullo jure dominabantur. Ego itaque Auguſtino ſubſcribens, non dubito quin hæc ironica ſit excuſatio.

ſatin. Nec obſtat quod miniſtros veritatis decet ſimplex oratio. Quum enim duplex ſit ironiæ ſpecies: una, quæ fallendi artificio tecta eſt: altera, quæ ſic figurate deſignat rem de qua agitur, ut acrius pungat: in hac ſecunda nihil eſt ſervis Chriſti indignum. Senſus ergo verborum eſt, Ego, fratres, in hoc homine nihil agnoſco Sacerdotale. Addit etiam teſti-

Exod. 22. verſ. 28.

monium ex vigeſimo ſecundo capite Exodi: ubi tametſi proprie de judicibus loquitur Moſes, extenditur tamen ſententia ad quemvis ordinem legitimum. Omnis ergo dignitas, quæ tuendæ politiæ cauſa inſtituta eſt, religioſe coli debet, ac in honore haberi. Quiſquis enim contumelioſe inſurgit adverſus magiſtratum & eos qui imperio vel honore præditi ſunt, anarchiam appetit. Talis autem libido ad perturbationem ordinis ſpectat, imo humanitatem ipſam concutit. Ideo ab hoc crimine ſe purgat Paulus: ſed ita ut Ananiam neget pro Dei Sacerdote habendum, qui totum Eccleſiæ ordinem corrupit ac pervertit. Sed hic naſcitur quæſtio, annon parendum ſit Principi, quamvis tyrannidem exerceat. nam ſi honore privandus non eſt qui male officio fungitur, peccavit Paulus, Pontificem honore ſpolians. Reſpondeo, inter civiles magiſtratus & Eccleſiæ præſules aliquid eſſe diſcriminis. Quamvis enim terreni vel civilis imperii confuſa ſit perverſaque adminiſtratio: Dominus tamen ſubjectionem vult ſalvam manere. ſed ubi ſpirituale regimen degenerat, ſolvuntur piorum conſcientiæ, ne injuſtæ dominationi pareant: præſertim ſi impii & profani ſanctitatis hoſtes, Sacerdotii titulum falſo ad evertendam ſalutis doctrinam prætexunt, ſibique dominationem arrogant qua Deus ipſe in ordinem cogatur. Sic hodie Papæ jugum excutere non modo licet fidelibus, ſed etiam neceſſe eſt: quando aliter parere non poſſunt ejus legibus, quam ſi à Deo deficiant.

6. Sciens autem Paulus quod una pars eſſet Sadducæorum, & altera Phariſæorum, exclamavit in Concilio, Viri fratres, ego Phariſæus ſum, filius Phariſæi: de ſpe & reſurrectione mortuorum ego judicor.

7. Et quum hoc dixiſſet, facta eſt ſeditio inter Phariſæos & Sadducæos, & ſciſſa eſt multitudo.

8. Nam Sadducæi quidem dicunt non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque ſpiritum: Phariſæi autem utraque confitentur.

9. Factus eſt autem clamor magnus: & ſurgentes qui de ſecta Phariſæorum erant Scribæ, pugnabant, dicentes, Nihil mali invenimus in homine iſto. quod ſi Spiritus loquutus eſt ei, aut Angelus, ne repugnemus Deo.

6. *Sciens autem.*] Stratagema Pauli quod narrat Lucas, videtur Chriſti ſervum minus decere. Aſtutia enim qua uſus eſt, ſimulatione implicita fuit, quæ non procul à mendacio diſtabat. Statum cauſæ ſuæ dicit verti in reſurrectione mortuorum. atqui ſcimus de aliis rebus fuiſſe certamen, quod ceremonias abrogaret, quod Gentes admitteret in fœdus ſalutis. Reſpondeo, tametſi hæc vera ſunt, eum tamen non fuiſſe mentitum. neque enim aliis de rebus ſe accuſatum fuiſſe negat, nec totam diſceptationem in uno capite conſtituit hoc: ſed vere profitetur ideo ſibi infenſos eſſe Sadducæos, quod reſurrectionem mortuorum aſſerat. Sciebat inteſtinis diſſidiis laborare qui in ipſum conſpiraverant. ſibi ipſe quidem optime conſcius erat: & facile fuiſſet bonam cauſam æquis judicibus probare. quia tamen videt tumultuoſe ſibi obſtrepi, nec patere defenſioni ſuæ aditum, hoſtes inter ſe committit. unde etiam palam fit, inſcitia eos & cæco zelo raptari. Notandum eſt igitur ſic exorſum fuiſſe Paulum, ut ingenue & ſincere totam cauſam exponere cuperet: nec aſtute refugiſſe puram & integram confeſſionem, qualis à Chriſti ſervis edenda eſſet: ſed quia obſtructus erat aditus, nec ulla audientia dabatur, extremo remedio uſum eſſe, ut palam faceret, ſuos adverſarios cæco odio præcipites agi. Exitus enim oſtendit, non ratione ipſos vel judicio adductos eſſe, quos mutuæ diſcordiæ alio transverſos rapiunt. Nunc ſiquis ſanæ doctrinæ lucem obſcurans, vafritiem ſuam excuſet Pauli exemplo, facile refellitur. aliud eſt enim privatim ſibi conſulere cum veritatis jactura: aliud autem profeſſos Chriſti hoſtes ab ejus oppugnatione abducere, ut inter ſe confligant. Porro videmus impios quamvis hoſtiliter inter ſe diſſideant, ubi gerendum eſt bellum cum Euangelio, ſua certamina obliviſci. Satan enim diſcordiarum pater, unum hunc conſenſum inter ſuos procurat, ut ad extinguendam pietatem eadem ſit illis mens & idem animus. Sic hodie videmus factiones quæ in Papatu fervent, tantiſper quieſcere, dum communibus ſtudiis Euangelium opprimant. quo plus animi Chriſti diſcipulis eſſe convenit ad fovendam veritatem, ut ſimul conjuncti melius reſiſtant. Hinc etiam colligimus, quale pacis genus nobis commendet Scriptura. Chriſtus pacificos eſſe Dei filios pronunciat. (Mat. 5: 9.) atque hoc verum eſt, quatenus fieri poteſt eorum opera, ut omnes fraterne ſub Domino coaleſcant. ſed id non obſtat, quominus ejuſdem Domini auſpiciis, velut tubæ clangore impios excitemus, ut (Judic. 7. verſ. 22.) tanquam Madianitæ ſeipſos conficiant: modo huc & zeli ſimplicitas & Spiritus prudentia nos dirigant.

Una pars Sadducæorum.] Hic rurſus velut in ſpeculo conſpicimus, quam deformis & confuſa tunc fuerit Eccleſiæ ruina. Fides Eccleſiæ anima eſt: fidei nihil magis proprium quam conſenſus, nihil magis contrarium quam ſectæ. Id autem accidere neceſſe fuit, quum poſthabito Dei verbo quiſque ad ſua figmenta diſcipulos traheret. Neque enim aliud ſanctum eſt unitatis vinculum quam ſimplex & genuina Dei veritas. ab ea ſimulatque diſceſſum, non mirum eſt ſi homines, quaſi lacera membra, huc illuc diſtrahantur. Ergo ſectarum origo inter Judæos, fuit Legis corruptela: quemadmodum ſimili pœna Dominus in Papatu ultus eſt verbi ſui profanationem, quum variis hominum figmentis corruptum foret. Quo magis timendum eſt, ne horrenda nobis, qui Euangelium obtendimus, inſtet diſſipatio, & luctuoſior quam quæ fuit in Papatu: cujus indicia quædam apparent. nec mirum eſt, quum tot modis iram Domini ingratitudo noſtra provocet. Cæterum quamlibet multis nævis & maculis aſperſa ſit Eccleſiæ facies: qualiſcunque etiam deformitas in poſterum accidat: hæc nobis ſuccurrat conſolatio, Sicuti Deo tunc curæ fuit Eccleſiam mirabiliter ab interitu eripere, ita ejus gratia ſemper fore reſiduum aliquod ſemen. Fieri certe non poteſt quin piis mentibus, in rebus adeo confuſis, interdum obrepat aliqua deſperatio: ſed clypeum illum opponere mox diſcamus, Dominum qui in tam denſa errorum caligine, in tanta congerie ſuperſtitionum, in effreni ſectarum licentia Eccleſiam ſuam apud Judæos ſervavit, hoc nunquam paſſurum, ut tota in orbe terrarum deleatur. Idem etiam accidit in Papatu. nam quum illic everſo Dei cultu, oppreſſa ſalutis doctrina, dejecto Chriſti regno palam regnaverit

impie-

impietas: Deus tamen occultas reliquias ſervavit, & ſemper aliquid tritici latuit ſub palea. Hæc exempla ſimul conferre, valde eſt utile. Hodie quum invehimur in Papatum, reclamant conductitii ejus patroni, nihil eſſe abſurdius quam fingi Dei Eccleſiam pluribus ſeculis fuiſſe prorſus extinctam. quaſi vero fingamus nullum fuiſſe ſuperſtitem Deo populum, ubi ad defectionem prolapſi ſunt qui debebant purum Dei cultum aſſerere. Nos vero corruptam ab illis tyrannis Eccleſiam fuiſſe conquerimur, profanatum fuiſſe templum Dei, ut parum à porcorum hara differret, diſſipatum fuiſſe gregem Chriſti, dirutumque ejus ovile: denique Eccleſiam fuiſſe abſconditam ab hominum oculis, ut tamen electos ſuos Dominus (licet diſperſos) agnoſceret, & abſconditos ſub alis ſuis foveret. Quam ſtulte vero honorum titulis ſuperbiant Papiſtæ, hinc patet, quod olim Judaicam Eccleſiam non vulgus hominum, vel aliqui privati, ſed ipſi Sacerdotes exitialibus diſſidiis ſciderunt. Quare non eſt cur fortiter reſiſtere dubitemus Papæ & ſuorum omnium arrogantiæ, quibuſcum idem habemus certamen quod Prophetæ & Apoſtoli cum ætatis ſuæ Sacerdotibus. Sicuti autem ſanctis viris non obſtitit Eccleſiæ reverentia, quominus impiam malorum Sacerdotum tyrannidem vexarent: ita nos inanibus larvis terreri non decet, quibus ſe fallaciter venditant Papiſtæ: quum tamen pietatis doctrinam abjecerint. Certum quidem eſt, populum tunc in tres ſectas fuiſſe diviſum: ſed præteritis Eſſenis, Phariſæos tantum & Sadducæos Lucas commemorat: quia ſic ferebat ejus inſtitutum. Quanquam autem de nominibus vulgo recepta eſt opinio, priores à ſeparatione vocatos eſſe, quod ſe à reliquo grege propter fictam ſanctimoniam eximerent; ſecundos vero à juſtitia, quaſi *zaduhim*: ego tamen ſicut alibi profeſſus ſum, magis eorum ſententiæ ſubſcribo, qui Phariſæos nomen ab interpretando traxiſſe volunt. Nam *phrus* expoſitionem ſignificat: unde & *phruſchim* vocantur interpretes. ſcimus autem Phariſæos germana Legis & Prophetarum doctrina non contentos, multa figmenta permiſcuiſſe, quæ ſibi à patribus per manus tradita jactabant.

8. *Sadducæi quidem dicunt.*] Quanquam tria capita ponit Lucas, in quibus diſſentiebant iſtæ ſectæ: paulo poſt tamen ad duo reſtringit: quia ſpirituum & Angelorum eadem eſt ratio. Dicit ergo Phariſæos utraque confeſſos eſſe: nempe quod mortuos reſurrectio maneat, & quod humani & Angelici ſpiritus ſint immortales. Hic autem declarat Lucas quo ſenſu Apoſtolus Phariſæum ſe profeſſus fuerit: non quod omnibus eorum commentis ſubſcriberet, ſed in reſurrectione mortuorum duntaxat. Scimus quanto-
Mat. 22. verſ. 29. pere peſſimos eorum errores exagitet Chriſtus. itaque addenda fuit exceptio, ne quis putaret Paulum ſe illis per omnia adjungere. Jam quod reſurrectionem negabant Sadducæi, non eſt cur ideo putemus in totum ſimiles fuiſſe Epicureis. fatebantur enim mundum regi Dei providentia, & unicuique mercedem pro operibus rependi. Hac in parte paulo ſaniores erant Epicureis. ſed nimis craſſum delirium erat, juſtitiæ præmia & ſcelerum pœnas in hac vita includere. Nam ut de Scriptura taceam, experientia palam oſtendit promiſcue bonos & malos vel affligi multis ærumnis, vel benigne & indulgenter tractari: adeoque ſæpe deliciari impios, dum miſere
Pſal. 73. verſ. 4. angantur Dei cultores, ut habetur Pſalmo 73. Quare quiſquis Dei judicium ex præſenti hominum fortuna vel proſpera vel adverſa æſtimat, à fide tandem ad Epicureum Dei contemptum excidere neceſſe eſt. Jam hic belluinus eſt ſtupor, acquieſcere in fluxa & caduca vita, nec ſapere ſupra terram. quo magis fugiendus eſt error ille, non ſecus ac deteſtabile portentum. Etſi enim pietas terrenæ quoque vitæ promiſſiones habet: quia tamen miſerrimi ſumus, ſi ſubſiſtit ſpes noſtra in mundo: ab hoc tirocinio incipere oportet Dei filios, ut in cælum oculos attollant, & ultimæ reſurrectionis gloriam aſſidue meditentur.

Neque Angelum neque ſpiritum.] Tribus modis exponitur hic locus. Multi ad Spiritum ſanctum referunt: quod minime conſentaneum videtur. nam etſi nihil ominus in aliis erroribus excuſabiles ſunt Sadducæi: quia tamen Scriptura nomen Spiritus Dei toties inculcat, vix adducor ut credam negaſſe ipſos quod leviter tantum & obſcure Phariſæi credebant. nam neque horum de Spiritu ſancto diſtincta erat fides, ut propriam Spiritus hypoſtaſin agnoſcerent in Dei eſſentia. Nonnulli Angelum & ſpiritum ſynonyma eſſe volunt, quaſi idem bis dicatur. ſed quorſum attinebat rem minime obſcuram repetere? Decepit eos ſcilicet quod proxime ſequitur membrum, ubi Lucas videtur non diſtinguere. Sed ratio ante adducta eſt: quod quum ejuſdem ſint naturæ & ſubſtantiæ hominum animæ & Angeli, in eodem ordine ponuntur. Itaque non dubito quin verus Lucæ ſenſus ſit, Angelos, deinde etiam quoſvis ſpiritus fuiſſe negatos à Sadducæis. Jam quum Paulus in hac parte doctrinæ ſe Phariſæum eſſe clamet, aperte damnat omnes fanaticos qui hodie laborant ſimili errore. Sunt enim profani quidam & indocti homines qui Angelos & diabolos nihil quam bonas & malas inſpirationes eſſe ſomniant. & ne careant colore, fluxiſſe ab Ethnicis dicunt quicquid Scriptura de bonis & malis Angelis tradit: quum potius illa paſſim in mundo recepta opinio ex cæleſti doctrina originem traxerit. ſed Ethnici acceptam à Patribus doctrinam, mendaciis ſuis inquinarunt. Quod ad hominum animas ſpectat, quia hodie etiam quidam male feriati homines, animas evaneſcere in morte fingunt uſque ad diem reſurrectionis, eorum amentia ſimiliter Lucæ teſtimonio refutatur.

9. *Factus eſt clamor magnus.*] Hic melius exprimitur illa ſeditio, cujus paulo ante meminit Lucas: nempe quod non tantum abierint in diverſas ſententias, ſed clamoribus tumultuoſe certaverint. quare *stasis* plus aliquid quam diſſenſionem ſignificat. Porro docet hic locus, quid mali ſecum ferant diſſidia. nam quia originem fere ab ambitione trahunt, inde homines facile ad contentionem proſiliunt: mox erumpit pertinacia. Ubi eo ventum eſt, quia nec judicio nec moderationi locus relinquitur, nullum eſt amplius cauſæ diſcrimen. Qui Paulum execrabantur, repente incipiunt eſſe ejus patroni. Recte id quidem, ſi hoc judicio facerent. ſed quia in Sadducæos feruntur, eorum odio accenſi, in Pauli cauſa cæcutiunt. Quo magis cavendus nobis eſt pugnarum fervor, qui omnia perturbatione miſcet.

Quod ſi Spiritus.] Hoc de Spiritu ſancto haud dubie exponi debet. Cæterum nihil vel magis pie vel modeſtius dici potuit. nam ſimulac doctrinam aliquam è cælo profectam eſſe conſtat, impie Deo repugnant quicunque non eam amplectuntur. Sed unde tam ſubito Scribis factus eſt Paulus Dei Propheta, quem ſuis manibus occidere parati fuiſſent: quem ſuo præjudicio damnaverant, donec exarſit cum Phariſæis diſſidium? Porro ſicuti hac voce quaſi proprio gladio ſe jugularunt: ita eos nobis monitores eſſe Deus voluit, ne profecta è cælis oracula ſpernamus. Rurſum tamen videmus ſuſpenſos hærere qui ſerio ad auſcultandum Dei ſermonem attenti non ſunt, & vacillare quoties aliquid in medium profertur: quia indigni ſunt qui certam veritatem apprehendant. Quare ſi cupimus Spiritu diſcretionis gubernari ſtudia, nos ad diſcendum applicemus.

10. Et quum magna ſeditio coorta eſſet, veritus Tribunus ne diſcerperetur Paulus ab ipſis, juſſit milites deſcendere & rapere eum de medio illorum, ac deducere eum in caſtra.

11. Sequenti autem nocte aſſiſtens ei Dominus, ait, Bono animo eſto Paule: ut enim teſtificatus es de me Jeroſolymis, ſic te oportet Romæ etiam teſtificari.

12. Orto autem die collegerunt ſe quidam ex Judæis, & devoverunt ſe, dicentes neque eſuros neque bibituros donec occiderent Paulum.

13. Erant autem plures quam quadraginta viri qui hanc conjurationem fecerant.

14. Qui acceſſerunt ad principes Sacerdotum ac Seniores, & dixerunt, Devotione devovimus noſipſos, nihil guſtaturos donec occidamus Paulum.

15. Nunc ergo vos ſignificate Tribuno & Concilio, ut cras producat illum ad vos, tanquam aliquid certius cognituros de eo. Nos vero priuſquam appropinquet, parati ſumus interficere illum.

16. Quum autem audiſſet filius ſororis Pauli inſidias, venit, & intravit in caſtra, nunciavitque Paulo.

10. Iterum videmus quam atrox malum ſit contentio: quæ ubi ſemel efferbuit, tam violentos habet motus, ut etiam prudentiſſimi non ſint ſui compotes. Quare ſimulatque initium aliquod ſe oſtendet, mature obviam ire ſtudeamus, ne ſerum tandem remedium ſit in cohibendo medio curſu: quia nullum incendium tam celeriter ſerpit. Tribunus autem, ut ordinatus erat providentiæ Dei miniſter ad ſervandam Pauli vitam, rurſus eum è faucibus mortis eripit per ſuos milites. nam etſi non alio conſilio tam diligenter ſuccurrit Tribunus, niſi ut graviores tumultus & cædes præveniat: Dominus tamen è cælo præſidium ſervo ſuo deſtinans, cæcas manus illuc dirigit.

11. *Sequenti autem nocte.*] Narrat Lucas oraculo confirmatum eſſe Paulum, ut in rebus adeo turbatis contra terribiles impetus infracto animo ſtaret. Fieri certe non potuit quin multi pavores ejus animum percellerent, & ſimul in poſterum tempus angeretur. quare oraculum minime ſupervacuum fuit. Debebant quidem ſuperiora, quibus admonitus fuerat ſe Deo curæ eſſe, ſufficere ad fovendam ejus ſpem, ac ſuſtinendam ne labaſceret: ſed quia in magnis periculis novos ſubinde terrores ingerit Satan, quibus Dei promiſſiones in cordibus piorum, ſi obruere prorſus nequit, quaſi nebulis obſcuret: earum memoriam renovari opus eſt, ut fides novis fulturis adjuta, firmius conſiſtat. Summa autem eſt, ut Paulus ſe confidenter gerat: quia Romæ quoque futurus ſit Chriſti teſtis. Atqui frigida inaniſque videtur hæc conſolatio. acſi diceretur, Ne timeas, quia longe durior conditio te manet. ſatius enim fuiſſet ſecundum carnem, ſemel perire ac celeri morte defungi, quam longo temporis tractu in vincolis tabeſcere. Dominus liberationem illi non promittit, ac ne lætum quidem exitum. tantum moleſtias, quibus jam plus ſatis urgetur, in longum tempus extrabit. Hinc vero melius colligimus quantum in ſe momenti habeat hæc fiducia, Nos in miſeriis noſtris à Domino reſpici, licet non ſtatim ad opem ferendam manum admoveat. Diſcamus ergo vel in extremis quibuſque afflictionibus in ſolo Dei verbo acquieſcere: nec unquam deficiamus, quamdiu nos paterni ſui amoris teſtimonio vivificat. Quia autem nunc è cælo non mittuntur oracula, nec per viſiones Dominus ipſe apparet, meditandæ ſunt nobis innumeræ promiſſiones quibus ſe propinquum nobis perpetuo fore teſtatur. Si expediat Angelum ad nos deſcendere, hoc etiam confirmationis genus Dominus non negabit. Interea hic honor habendus eſt verbo, ut eo ſolo contenti, quod nobis promittit auxilium patienter expectemus. adde quod quibuſdam nihil profuit Angelos è cælo miſſos audire: Dominus autem non fruſtra Spiritu ſuo promiſſiones à ſe datas in cordibus fidelium obſignat. Interim ſicuti eas non temere inculcat: ſic fides noſtra ſedulo ſe exerceat in continua illarum recordatione. nam ſi fidem Pauli neceſſe fuit novo ſubſidio erigi: nemo noſtrum eſt qui non longe pluribus ſubſidiis indigeat. ſimul tolerantia armandæ ſunt mentes, ut longos & perplexos moleſtiarum circuitus tranſcendant.

12. *Orto autem die.*] Hac circumſtantia oſtendit Lucas, quam neceſſe fuerit Paulo novum & recens fidei robur colligere, ne trepidaret in maximo & ſubito diſcrimine. nam de tam deſperato hoſtium ſuorum furore admonitus, nihil ſtatuere aliud potuit, quam actum eſſe de vita ſua. Devotio hæc, cujus meminit Lucas, ſpecies fuit anathematis. Cauſa devotionis erat, ne conſilium mutare fas eſſet, vel retractare quod condixerant. Subeſt quidem ſemper in jurejurando tacita execratio, ſi quis fallat vel pejeret: ſed interdum quo ſe magis obſtringant homines, certas anathematis formas concipiunt: & capita ſua diris devovent, quæ incutiant inſolitum terrorem. Cæterum docet hæc hiſtoria, zelum ita ſanguinarium eſſe in hypocritis, ut non reputent quid ſibi liceat: ſed quocunque tulerit libido, ſecuri provolent. Demus Paulum ſceleratum fuiſſe hominem, & morte dignum: quis tamen privatis de eo pœnas ſumere permiſerat? Jam ſi quis rogaſſet, cur tantopere odiſſent Paulum: in promptu quidem erat reſponſio, Quia apoſtata eſſet ac ſchiſmaticus: ſed hujus rei ſtulta ſolum & ex incerto rumore concepta opinio, eorum animos temere occupaverat. Eadem hodie cæcitas & idem ſtupor Papiſtas inſtigat, ut in nobis perdendis nihil ſibi illicitum putent. Ita eos excæcat hypocriſis, ut tanquam divinis & humanis legibus ſoluti, zelo ſuo nunc ad perfidiam, nunc ad varias fraudes, nunc ad immanem ſævitiam, denique ad quidvis audendum raptentur. Adhæc in hac hiſtoria perſpicimus quanta ſit impiorum temeritas. Adhibita execratione jurant ſe non ante cibum capturos, quam Paulum occiderint: quaſi vero in eorum manu eſſet illius vita. Quod ergo toties ſibi uni vendicat Dominus in Scriptura, ut hominum, *Deut. 32. verſ. 39.* quos creavit, mortis & vitæ ſit arbiter, id ſibi uſurpant iſti phrenetici. Adde quod non duo vel tres reperiuntur tantæ amentiæ ſocii, ſed plures quam quadraginta. unde etiam diſcimus quanta ſit hominum ad perverſe agendum propenſio, quando ſic turmatim coëunt. Porro quum impotenter eos præcipitet Satan in ſuum ipſorum exitium: quam pudenda eſt noſtra ignavia, quod pro aſſerenda Dei gloria vix digitum movemus? Tenenda quidem eſt moderatio, ne quid niſi ex Dei mandato tentemus: ſed ubi nominatim Dominus nos vocat, nihil excuſationis habet ceſſatio.

14. *Acceſſerunt ad principes Sacerdotum.*] Quod tam ſceleſtæ & nefandæ conſpirationi ſubſcribunt Sacerdotes, hoc documento produnt ſe nec ullo Dei timore tangi, nec ulla humanitate eſſe præditos. Non modo probant quod affertur de homine per inſidias necando: ſed latrocinii partem exequi parati ſunt, ut in ſicariorum manus tradant quem cupiunt quovis modo perditum. quid enim aliud erat hominem è Judicis manibus ad necem rapere, quam latronum more in ipſo judicio graſſari? Hoc certe tam præpoſterum conſilium nunquam probaſſent Sacerdotes, ſi qua in illis fuiſſet gutta pii rectique affe-

affectus, imo ſenſus humani. Adde quod per eos non ſtetit, quominus & toti populo & ſibi magnam perniciem accerſerent. ſed ita perditam eorum impietatem, quæ ſub honoris fuco latebat, Dominus palam detexit.

16. *Filius ſororis Pauli.*] Hic videmus ut impiorum conſiliis Deus quaſi ex tranſverſo occurrat. Multa quidem ſinit eos machinari, & improbos etiam eorum conatus fluere: ſed tandem ipſo articulo demonſtrat ſe ex cælo ridere quicquid in terra
Prov. 21. verſ. 30. ſatagunt homines. Non eſt prudentia, inquit Salomo, non eſt conſilium adverſus Dominum. cui re-
Jeſa. 8. verſ. 10. ſpondet illud Iſaiæ, Inite conſilium, & diſſipabitur: proferte verbum, & non ſtabit. Hoc in præſenti hiſtoria tanquam in ſpeculo nobis conſiderandum proponitur. Res fere peracta erat, ut Paulus quaſi devota victima poſtridie ad mactationem exiret. atqui Dominus oſtendit fideli cuſtodia munitam eſſe ejus vitam, ut fruſtra quidvis moliantur homines. Nos vero non dubitemus, quin ſuam providentiam, cujus tunc ſpecimen exhibuit, ad nos tuendos extendat: quia manet fixa promiſſio, Capil- *Luc. 21. verſ. 18.*
lus non deſluet ex capite veſtro, &c. Adhæc operæpretium eſt notare, ſæpe modis inopinatis ipſum agere ſolitum ad ſuos ſervandos, quo melius fidem noſtram exerceat. Quis putaſſet retegendas eſſe per puerum inſidias, quarum ſe ſolos conſcios eſſe putabant conjurationis ſocii? Diſcamus ergo, quamvis nulla ordinaria nobis tuendæ ſalutis ratio appareat, in Dominum tamen recumbere, qui viam per invia inveniet.

17. Accerſito autem Paulus ad ſe uno ex Centurionibus, ait, Adoleſcentem hunc abdue ad Tribunum: habet enim quod renunciet illi.

18. Et ille quidem aſſumens eum, duxit ad Tribunum, & ait, Vinctus Paulus accerſitum me rogavit, ut hunc adoleſcentem perducerem ad te, habentem aliquid quod loquatur tibi.

19. Apprehenſa autem manu illius Tribunus, ſeceſſit cum eo ſeorſum, & percunctatus eſt illum, Quid eſt quod habes ſignificandum mihi?

20. Ille autem dixit, Judæi conſpirarunt ut rogarent te, ut craſtino die educas Paulum in Concilium, quaſi aliquid certius inquiſituri ſint de illo.

21. Tu vero ne morem geſſeris illis: inſidiantur enim ei ex ipſis viri plures quadraginta, qui ſeipſos devoverunt ne vel edant vel bibant, donec interfecerint eum. Et nunc parati ſunt expectantes dum promittas.

22. Tribunus igitur dimiſit adoleſcentem, præcepitque ei, Ne cui effutias quod hæc indicaveris mihi.

23. Et accerſitis duobus Centurionibus, dixit, Parate milites ducentos ut eant Cæſaream, & equites ſeptuaginta, & lancearios ducentos, à tertia hora noctis:

24. Et jumenta parate, ut impoſitum Paulum ſalvum perducant ad Felicem Præſidem.

17. *Accerſito autem.*] Vitæ quidem non ita cupidus erat Paulus, quin libenter ad mortem properaret, ſi ita viſum eſſet Domino: ſed quoniam ea lege ſe Chriſto ſervire agnoſcit, ut illi non minus vivat quam moriatur, patefactum ſibi periculum non negligit. Ac certo quidem perſuaſus eſt, Deum vitæ ſuæ eſſe cuſtodem: ſed non expectat dum manum exerat è cælo miraculi edendi cauſa. quin potius oblato ſibi remedio utitur, divinitus ſibi ordinatum eſſe non dubitans. Sic omnibus Chriſti miniſtris agendum eſt, ut invicta conſtantia inſtructi, quatenus fert ipſorum vocatio, pericula non formident, nec tamen temeraria audacia projiciant ſe in mortem. Secure invocent Dominum in mediis anguſtiis: neque tamen contemnant quæ ad manum occurrent ſubſidia. Alioqui injuriam facient Deo, non modo ad ejus promiſſiones ſurdi, ſed modum liberationis ſibi à Deo præfixum ſpernentes.

19. *Apprehenſa manu illius.*] Quod ſe tam facilem & humanum adoleſcenti præbuit Tribunus, quod manu eum deduxit in locum ſecretum, quod eum comiter audire ſuſtinuit, Dei gratiæ acceptum ferre oportet, qui ſe populo ſuo gratiam daturum promi-
Exod. 3. verſ. 21. ſit coram Ægyptiis, qui ſolet mollire corda ferrea, feroces ſpiritus domare, & ad omnem humanitatem formare quibus uti decrevit ad ſuos juvandos. Poterat homo militaris ignotum adoleſcentem repellere, non minus quam reſpuere Pauli ipſius preces. Dominus ergo, qui hominum corda in manu habet, profanum hominem ad præſtandam audientiam flexit. Profuit etiam ante ſciviſſe quam immaniter furerent adverſus Paulum, ut miſero & deſtituto homini libentius ſuccurreret. Cæterum hoc exemplo monentur qui cum imperio præſunt, quanta ſit virtus humanitas. Si difficilis ad eum fuiſſet acceſſus, per inſcitiam Paulum Judæis necandum dediſſet. Ita ſæpe magiſtratus ſua ſuperbia, quod ſcilicet monitores admittere non dignantur, in multas & graves offenſas incurrunt.

23. *Accerſitis duobus.*] Hic vero clarius adhuc perſpicitur Dei providentia. Etſi enim Tribuni conſilium eſt, publicum motum præcavere, cujus ratio coram Præſide fuiſſet reddenda: exequitur tamen conſilium Dei in liberando Paulo. Cogendi enim erant milites, urbs præſidio nudanda, & ſumptum aliquem exigebat expeditio. Sic ergo nobis conſideranda eſt prudentia Tribuni, ut fides in cælum attollat oculos, Deumque intelligat arcano inſtinctu cor profani hominis dirigere: & eundem Paulo & militibus ducem eſſe itineris, ut ille Cæſaream ſalvus perveniat. Hora tertia noctis, finis erat primæ vigiliæ. Perinde igitur eſt, ac ſi jubeat Tribunus præſto adeſſe milites ſecunda vigilia. Lancearios vocat Lucas jaculatores, qui levius armati in alis collocabantur, quum legionarii milites ſtatariæ militiæ aptiores forent.

25. Scriptis literis in hanc formam:

26. Claudius Lyſias potentiſſimo Præſidi Felici ſalutem.

27. Virum hunc comprehenſum à Judæis, quum jam prope eſſet ut ab eis interficeretur, ſuperveniens cum militibus eripui, cognito quod Romanus eſſet:

28. Volenſque ſcire cauſam, ob quam accuſarent illum, deduxi in Concilium eorum.

29. Quem comperi accuſari de quæſtionibus Legis ipſorum, nullum dignum morte aut vinculis habentem crimen.

30. Et quum indicatum eſſet mihi de inſidiis quæ homini à Judæis inſtabant, protinus eum miſi ad te: denuncians etiam accuſatoribus, ut quæ habent adverſus eum dicant apud te. Vale.

31. Milites vero ſecundum quod ſibi injunctum erat, aſſumptum Paulum duxerunt per noctem Antipatridem.

32. Poſtridie autem dimiſſis equitibus ut cum eo irent, reverſi ſunt in caſtra.

33. Illi quum veniſſent Cæſaream, ac tradidiſſent epiſtolam Præſidi, ſtiterunt etiam Paulum coram ipſo.

34. Quum legiſſet autem Præſes, & interrogaſſet ex qua eſſet provincia, & cognoviſſet, quod ex Cilicia:

35. Audiam te, inquit, quum accuſatores quoque tui advenerint. Juſſitque in prætorio Herodis cuſtodiri eum.

25. *Scriptis literis.*] Primo breviter monendi ſunt lectores qui in hiſtoriis verſati non ſunt, Felicem hunc fuiſſe Pallantis fratrem, qui quum Cæſaris eſſet libertus, ſummos urbis proceres opibus & potentia æquabat. Quinetiam prætoria ornamenta non abſque pudendæ fœdæque adulationis elogiis illi decrevit Senatus. Quum ergo Claudii fatuitate abutentes ejus liberti, Romanum Imperium ſuo arbitrio regerent, præſertim vero Narciſſus & Pallas: nihil mirum ſi hic poſtremus, fratrem ſuum Judææ impoſuerit. Summa autem epiſtolæ huc tendit, ut Paulum ſuo præjudicio ſublevet Tribunus: & de partis adverſæ injuriis Felicem præmoneat, fidemque illis deroget, quo minus ad nocendum valeant.

27. *Virum hunc comprehenſum.*] Hoc de Judæis odioſe dictum in Pauli favorem, quod homo Romanus violenter pulſatus, & propemodum interfectus ab illis fuerit. deinde à jure civitatis eum commendat, ut mitius tractetur. Porro iſta commendatio neque precibus vel blanditiis elicita, neque pretio redempta fuit. Unde ergo factum dicemus, ut Tribunus homini obſcuro & omnibus exoſo gratis ſe tam benignum præbuerit, niſi quia Dominus illum ſervo ſuo patronum conſtituit? Videmus ergo ut infidelium quoque linguas & manus in ſuorum utilitatem gubernet.

29. *Quem comperi.*] Hic Paulum crimine abſolvit, pro ſui judicii captu ſcilicet. Sed notemus profanum hominem loqui. nam in populo Dei non leviore pœna dignum eſt ſcelus, pravis & impiis dogmatibus pietatis doctrinam corrumpere, quam injuria aliqua vel maleficio æquitatem & jus violare inter homines. Neque vero paſſi fuiſſent Romani convelli ſuas ſuperſtitiones, vel commentitios deorum ſuorum cultus: ſed quum illis Lex Dei nullo in pretio foret, imo quum extinctam cuperent, minime apud eos criminoſum erat, Moſi & Prophetis fidem abrogaſſe, vel turbaſſe Eccleſiam falſis dogmatibus. Itaque lex erat ne Præſides de hoc negotio cognoſcerent: ſed ita provincialibus maneret ſua religio, ut ſi quid contra admiſſum eſſet, ne Romani magiſtratus vindicandum curarent. Hæc ratio eſt, cur in crimine vel maleficio non deputet Tribunus, quæſtiones moviſſe de Lege. Perperam autem hoc prætextu indocti homines, ſibi & aliis turbandi licentiam concedi volunt. Longe aliter Dominus pronunciat: qui violationem cultus ſui ſeverius ulciſcitur, quam quaſvis injurias hominibus illatas. Et certe nihil abſurdius eſt quam ſacrilegiis impunitatem dare, quum furta plectantur. Cæterum ut à Tribuno Judaica religio negligitur: ita diluuntur Judæorum calumniæ, quibus libenter gravaſſent Paulum.

30. *Quum indicatum eſſet mihi.*] Secunda pars epiſtolæ, ubi odium in adverſarios retorquet Tribunus, quod per inſidias conati ſunt Paulum interficere. unde etiam conjicitur, inique Paulo eos faceſſere negotium, & tantopere infeſtos ejus vitæ. Nam ſi jure illum perſequuti eſſent, cauſæ bonitate confiſi, judicio eum permitterent. nunc dum ad cædem confugiunt, eos ratione apparet deſtitui.

32. *Poſtero autem die.*] Quanquam ante non expreſſit Lucas, militibus mandatum eſſe ut ex itinere redirent: certum tamen eſt, non niſi ad ejus locum Paulo datos fuiſſe comites, ubi Tribunus Paulum in tuto fore ſperabat: nocte enim clam fuerat egreſſus. Sciebat autem Tribunus, confecta itineris parte, non eſſe amplius timendum: quia hoſtibus ſpes aſſequendi non eſſet: tutum vero non eſſe, partem præſidii longius ablegare.

CAP. XXIV.

Poſt quinque autem dies deſcendit Princeps Sacerdotum Ananias cum Senioribus, & Tertullo quodam rhetore: qui comparuerunt coram Præſide contra Paulum.

2. Et citato Paulo, cœpit accuſare Tertullus, dicens, Quum in multa pace agamus per te, & multa reſtituantur in gente hac per tuam providentiam:

3. Et ſemper & ubique amplectimur, præſtantiſſime Felix, cum omni gratiarum actione.

4. Sed ne diutius te detineam, oro te ut audias nos paucis pro tua humanitate.

5. Nacti enim ſumus virum hunc peſtiferum, & concitantem ſeditionem omnibus Judæis in univerſo orbe, & auctorem ſectæ Nazarenorum:

6. Qui etiam templum profanare conatus eſt: quem & apprehenſum voluimus ſecundum Legem noſtram judicare.

7. Sed ſuperveniens Tribunus Lyſias, cum magna vi eripuit eum è manibus noſtris,

8. Jubens accuſatores ejus ad te venire: ex quo poteris ipſe, inquiſitione facta, de omnibus iſtis cognoſcere de quibus nos accuſamus eum.

9. Adjecerunt autem & Judæi, dicentes hæc ita habere.

 1. Quod

1. Quod Ananias Cæſaream deſcendit Pauli accuſandi cauſa, magis probabilem facit conjecturam quam prius attuli de ejus Sacerdotio. nam expeditio iſta, ſummi Pontificis dignitate erat inferior. Fuit igitur alius quiſpiam tunc ſummus Pontifex: Ananias vero primarius Sacerdos quum gubernacula teneret, ac vir eſſet ſtrenuus, legationem hanc obire oportuit. Turbam vero ſecum adducit, & quidem ex venerando Seniorum collegio, ut ſpecie ipſa moveatur Præſes ad Paulum damnandum. Sed quum Paulus dicendi artificio non uteretur, ſaltem nihil opus fuit rhetore conducto, qui verborum facundia cum eo certaret. Adde quod & dignitate & hominum copia præſtabant, ut facile illis eſſet miſerum hominem, omnique auxilio deſertum, obruere. Signum ergo malæ conſcientiæ fuit, quod magno rerum uſu pollentes, in publicis negotiis exercitati, rerumque forenſium periti, rhetorem conducunt. Eſt quidem eloquentia donum Dei, fateor: ſed in hac cauſa nihil quam merus fucus ad Judicem fallendum quæſitus eſt. Hoc autem ideo narrat Lucas, ut ſciamus nihil omiſſum fuiſſe à Judæis, quo Paolum opprimerent: nec modo perverterent ejus innocentiam, ſed territo & confuſo defenſionem excuterent. atque ita reputemus mirifica Dei gratia factum eſſe, ut Paulus tam duros inſultus intrepide ſuſtinuerit. Quare ſi quando contingat pium hominem ſolitarium à magno hoſtium numero obſideri, veniat hæc hiſtoria in mentem, & animum à pavore colligat. ſicuti etiam David ſuo exemplo nos horta-
Pſal. 27. verſ. 3. tur, Si me circumſtent caſtra, non timebo, quia tu mecum es.

2. *Quum in multa pace.*] Præfatur extra cauſam Tertullus, quia Felicis prudentiam & virtutes laudat, quo ſibi favorem conciliet. Putidum igitur & adulatorium exordium eſt. non quod eorum ſententiæ ſubſcribam qui Tertullum exagitant, quia blanditiis Judicem demulceat, & ſibi alliciat. Laudare enim Judicem non ſemper alienum eſt à recta & legitima agendi forma. ac poſſet hoc in utramque partem, ut vulgo loquuntur, diſputari. Sed ego non aliud improbo, niſi quod palam vitioſum eſt. Falſis enim laudibus ſe oblique inſinuat hic rhetor, ut rem ipſam de qua agitur, obſcuret. Quorſum enim de pace & ſtatu bene compoſito loquitur, niſi ut Felix Judææ ſalutem in Pauli damnatione ſitam eſſe putans, de cauſa non cognoſcat? Adhæc ex Joſepho patet quam avare, crudeliter & libidinoſe in illa provincia ſe geſſerit Felix. Jam præceſſerat indigna & tragica cædes ſummi Pontificis Jonathæ, quia ſe diſſolutæ ejus tyrannidi opponere auſus fuerat. denique eodem fere tempore, importunis totius gentis querimoniis coactus eſt Claudius Cæſar, ſubmiſſo in ejus locum Feſto, illum revocare ad cauſam dicendam. Ergo videmus quam turpiter & ſine pudore mentitus fuerit hic rhetor. Quando autem ſuccinunt omnes Pauli adverſarii: videmus odio excæcatos & malitia, communem patriæ ſtatum perfide prodere: nec quicquam habere penſi, modo Paulus ad necem dedatur. Ubi Eraſmus vertit, Multa recte gerantur, vetus Interpres propius accedere videtur ad mentem Lucæ, qui dicit fieri κατορθώματα, quod tantundem valet ac reformationes, vel correctiones. Induſtriam ergo Felicis Tertullus commendat, quod à multis corruptelis Judæam purgaverit, multaque reſtituerit in melius, quæ alioqui peſſum ibant. Quo ſcilicet cupidius morte unius hominis, favorem gentis ſibi acquirat, quam ſciebat alioqui ſibi eſſe infenſam.

5. *Nacti enim ſumus virum hunc.*] Duplicem habet ſcopum Tertullus. Hoc in primis captat, ut Paulus tradatur Judæis, quoniam juſta ſit illorum cognitio, ubi de cultu Dei, & Moſis Lege agitur. Sin vero hoc negatum fuerit, capitale crimen intentat, quod ſeditionem Paulus concitaverit in plebe. Sciebant nullum eſſe magis odioſum crimen Romanis: ideo ejus maxime infamia Paulum onerant. Ac idipſum amplificat Tertullus, quum dicit Paulum in toto orbe concitare Judæos. Sed mirum eſt cur addat principem eſſe ſectæ Nazaræorum, quod in laude potius quam vituperio apud Judæos habitum fuiſſe ſcimus. Ego autem non eos notari exiſtimo, qui ſe legitimo & antiquo Legis ritu Deo conſecrabant; ſed tumultuoſos illos ſicarios, qui ſe etiam plauſibili nomine vociferabant Zelotas. quæ factio circiter illud tempus emerſit: imo ex Joſephi hiſtoria colligitur jam tunc fuiſſe graſſatos. Alii Nazarenos pro Chriſtianis poni ſentiunt. quod ego non ægre admitto. Cæterum ſi prior expoſitio placeat, aſtute ſectam opponit Paulo, Romanis exoſam. Nam quum Zelotæ illi, eximii præ aliis cenſeri vellent Legis cultores, zeli prætextu quaſi vexillum tollebant ad irritandos plebis animos. Interea boni iſti libertatis ſuæ zelotæ præcipuis ejus defenſoribus non parcunt, modo illorum odio Paulum implicent. Nazaræis, quos dixi, extra hanc cauſam tanquam animoſis Legis vindicibus plauſum dediſſent. nunc quaſi eorum contagio totum mundum inficiat, ſummum Paulo dedecus ex illorum ſocietate aſpergunt. Adde quod impudenter Paulum calumniantur: nemo enim ejus rei ſuſpectum ipſum habebat. Crimen ergo velut ex trivio arreptum, & ſine colore fictum, non minus improbe quam malitioſe in eum projiciunt. Verum ſupina hac ſecuritate, ut alibi diximus, hypocritæ perrumpunt, quidvis ſibi licitum putantes, modo zeli fucum obtendant.

6. *Qui etiam templum profanare.*] Levis erat & pene frivola apud Romanum Præſidem accuſatio, qui optaſſet funditus everſum eſſe templum. Sed quia nihil ad movendos tumultus aptius erat quam templi profanatio, aſtute illius Paulum inſimulat: acſi diceret, minime per eum ſtetiſſe quin civitas tumultuaretur: ac præ ſe tuliſſe facem peſſimi incendii, niſi obviam itum foret. Simul etiam illud alterum involvit, quia violata ſit religio à Paulo, judicium ejus rei proprie ad Judæos ſpectare. Et hic de Tribuno Lyſia conqueritur, quod ipſis jus ſuum extorſerit. Efficere ergo conatur, ut Præſes quod à Tribuno ereptum erat, illis reſtituat. Hoc quoque aſtutia non caret, quod Tribuno, qui humanius quam vellent Sacerdotes, ſe geſſerat erga Paulum, fidem abrogat Tertullus: ſuſpectumque oblique reddit, quia palam trahere in crimen non audet. Sed quæritur an ſperare potuerint tantum ſibi deferri à Præſide, quum ſoli Romani magiſtratus tunc de cauſis capitalibus cognoſcerent. Reſpondeo, hic æquitatem ſimulare, acſi clementius Paulum tractare haberent in animo, quam dignus erat. Etſi enim de capite hominis ſententiam non ferebant, permiſſa tamen illis erat modica caſtigatio, qualis erat virgarum. Interea non deſinit Tertullus, eum ad mortis ſupplicium poſtulare apud Præſidem.

8. *Inquiſitione facta.*] Æqua poſtulatio, ne Præſes ante judicet, quam re bene comperta: neve Paulum damnet, niſi legitime convictum. Sed quomodo hac conditione litigare audent, quum ſibi ſint tam male conſcii? Reſpondeo habuiſſe teſtes ad manum: nec ſe ad probandum offerre, niſi ſuo arbitrio. quanquam alius erat finis: Felicem enim ſperabant talibus ampullis facile perſuaſum iri, ut reum quaſi pro damnato, eorum libidini ſubjiceret. In ſumma, quo ſe ferocius jactando inſultaverint, & majore fiducia fuerint elati, hoc modo ſe fore victores putant: quia reo præcluſus erit ad defenſionem omnis aditus. Ita confidenter jactant calumniatores, ſe rem afferre probatam, ut oculos Judicibus perſtringant.

10. Reſpon-

10. Reſpondit autem Paulus, quum annuiſſet ipſi Præſes ut diceret, Meliore animo pro meipſo cauſam dico, quum ſciam te à multis jam annis fuiſſe Judicem huic genti:

11. Qui poſſis cognoſcere quod non plures ſunt mihi dies quam duodecim, ex quo aſcendi adoraturus Jeroſolymam.

12. Et neque in templo invenerunt me cum aliquo diſputantem, aut concurſum facientem turbæ, neque in Synagogis, neque in urbe:

13. Neque probare poſſunt ea de quibus me accuſant.

14. Confiteor autem hoc tibi, quod juxta viam quam vocant hæreſin, ſic colo patrium Deum, credens omnibus quæ in Lege & Prophetis ſcripta ſunt:

15. Spem habens in Deum, fore quam & hi ipſi expectant reſurrectionem mortuorum, juſtorum ſimul & injuſtorum.

16. In hoc vero ipſe ſtudeo ſine offendiculo conſcientiam habere erga Deum & erga homines ſemper.

17. Poſt annos autem plures acceſſi, eleemoſynas exhibiturus in gentem meam, & oblationes:

18. In quibus compererunt me purificatum in templo, haud cum turba, neque cum tumultu.

19. 20. Quidam autem ex Aſia Judæi, quos oportebat apud te præſto eſſe, & accuſare ſiquid haberent adverſum me,

* Alias, quum ſtem. 21. Aut hi ipſi dicant ſiquid deprehenderunt in me iniquitatis, * quum ſteti in Synedrio:

22. Niſi de una hac voce, qua clamavi ſtans inter eos, De reſurrectione mortuorum ego judicor hodie à vobis.

10. *Reſpondit.*] Status defenſionis Paulinæ in qualitate non verſatur: ſed inficiatur objectum ſibi crimen. non quod ipſum puderet Euangelii, vel crucem refugeret: ſed quia plenior fidei confeſſio locum tunc non habebat. Ergo omiſſa Euangelii cauſa, quam accuſator non attigerat, ſimpliciter ad objectas ſibi calumnias reſpondet. Sed priuſquam huc deſcendat, ſe libentius coram Felice cauſam agere præfatur, quia diu Judææ præfuerit: quod ſcilicet novus aliquis Præſes propter inſcitiam forte perculſus eſſet tam atroci delatione. Non laudat Præſidis virtutes: ſed gaudere ſe dicit, quod diuturnum uſum habeat, ut magis compoſite judicet. Atque hæc ſincera eſt ac ingenua defenſionis ratio, rem verbis opponere. Perperam tamen videtur colligere Paulus, Felicem, quia jam à multis annis ſit Præſes, poſſe cognoſcere adventus ſui tempus. Reſpondeo, hoc ideo dici, quia conſentaneum ſit moderatius eum agere: acſi diceret, Quia tu pridem aſſuefactus es ad eorum mores, minus timeo ne te circumveniant. Imperitia enim judices reddere ſolet nimis credulos, & ad præpoſteram feſtinationem impellere.

11. *Adoraturus.*] Primo certum eſt aliis de cauſis eum veniſſe: & poſtea hanc fuiſſe præcipuam fatebitur, ut eleemoſynas afferret in ſubſidium inopiæ fratrum. Sed facilis eſt excuſatio, quod neceſſe non habuit rationem adventus ſui reddere. tantum de polluta religione ſe in tranſcurſu purgare voluit. Quare ut aliud fuerit expeditionis ſuſceptæ conſilium, hoc ſemper verum eſt, non alio animo veniſſe niſi ut ſe Dei cultorem profiteretur, ac ſanctitatem quoque templi adoratione ſua approbaret. Altera quæſtio magis perplexa eſt, quomodo ſe dicat veniſſe adorandi cauſa, quum jam abolita eſſet templi religio, & ſublatum omne templi diſcrimen. Hic quoque reſpondeo, quamvis ſuum conſilium non exponat, nihil tamen falſum ſimulare. neque enim Chriſti fidelibus vetita erat in templo adoratio, modo ne

1 Tim. 2. verſ. 8. ſanctitatem loco affigerent: ſed libere, nulloque locorum delectu, puras manus tollerent. Licuit Paulo quum Jeroſolymam veniſſet, teſtandæ pietatis ſuæ cauſa templum ingredi, & illic ſolennes obire cultus divini ritus: quia à ſuperſtitione purus erat: modo ne expiationes ſuſciperet Euangelio contrarias. Non ergo eum impulit religio, ut Jeroſolymam veniret ex Legis præſcripto, quaſi Sanctuarium facies Dei eſſet ut olim: ab adoratione tamen externa, quæ apud homines pietatis teſtimonium foret, non abhorruit.

12. *Cum aliquo diſputantem.*] Nihil horum negare neceſſe habuit Paulus, ſi feciſſet: quia defendere poterat recte factum. Unus fuerat è Scribis, qui quotidie diſputabant. nec vero aut Lege aut uſu prohibebantur, quin docendi cauſa ſe turmatim colligerent: imo in hunc finem per varia urbis loca diſpoſitæ erant Synagogæ, in quibus ſuos conventus agerent. adde quod ſciebat tam à Chriſto quam Apoſtolis id eſſe factum. Retorquere etiam objectum crimen in adverſarios promptum erat, quibus hic mos erat quotidianus. Sed quia nihil aliud agitur in præſentia, niſi ut hoſtium calumnias refellat, & coarguat temere ac de nihilo impetum in ſe factum ab importunis hominibus: de jure, ut loquuntur, non diſſerit, ſed tantum de facto. Præſertim in hoc incumbit, ut fumum illius calumniæ diſcutiat, quod delatus fuerat tanquam turbæ concitator. Ideo concludit ſe falſo & injuſte accuſatum: quia nunquam probabunt adverſarii quæ in judicium adduxerant. Hoc ad abſolutionem ſatis valere debuerat, improbis mendaciis onerari in quo ne minima quidem hærebat ſuſpicio.

14. *Confiteor autem.*] Quia impietatem Paulo objecerant, & templi profanationem: nunc ſe ab utroque purgat, ut intelligat Felix ſola malevolentia impelli adverſarios. Nam etſi falſa ſit ac præpoſtera quæ obtenditur religio, ſæpe tamen aliquid favoris apud homines parum attentos invenit ejus ſtudium. quare timendum erat ne Felix, ſi quid ſiniſtri ſuſpicatus eſſet de Paulo, non modo Sacerdotum zelo ignoſceret, ſed etiam concederet quod petebant. Proinde hanc quoque accuſationis partem diluit Paulus: & quidem eo modo, ut Euangelii fidem non attingat: quia tunc, ut diximus, nondum opportuna erat ejus confeſſio. Sed quid hoc eſt, quod colere ſe Deum fatetur ſecundum viam quam vocant hæreſin? Quidam putant inſtar conceſſionis hoc eſſe additum: quia quod judicio & rectæ electioni tribui debebat, in malam partem trahebant hoſtes: acſi dixiſſet Paulus, hæreſin quidem vocari quam ſequutus erat religionis formam, ſed immerito. atqui quum neque apud Judæos neque apud Gentes tunc infame eſſet illud nomen, probabile non eſt apud profanum hominem de ea re cau-

 ſam

ſam dici, quam laudi potius quam vitio paſſim ducebant. Quum inter Chriſtianos ſermo eſt, deteſtabiles jubet haberi hæreticos Spiritus Dei, & ab hæreſibus cavendum eſſe docet, quia peſtiferam Eccleſiæ diſſipationem afferant. Ergo in populo Dei, cujus ſalus in fidei unitate conſiſtit, res minime ferenda eſt. Sed quia Judæi tunc palam gloriabantur ſuis ſectis, ſupervacua fuit illa quam nuper diximus excuſatio. Reſtat igitur vel ut ſe Phariſæum eſſe intelligat, vel ut hæreſin vocet Judaicam religionem, vel abſque ſiniſtra nota Euangelii profeſſionem: quia ab omnium Gentium uſu & conſuetudine diſtinctæ erant. Quando ſe prius Phariſæum confeſſus eſt, nihil erit abſurdi, ſi dicamus idem nunc repetere: præſertim quum paulo poſt de reſurrectione mortuorum fiat mentio. Cæterum, quia primum hoc caput confeſſionem ſolum continet de cultu Dei patrii, mihi potius in genere notari videtur Judaica religio, vel quæ inde fluebat Chriſtiana fides. Romanus civis erat Paulus: tamen ut oriundus erat à Judæis, fatetur ſe in religione manere quam à patribus didicerat. Atque huc pertinet adverbium ſimilitudinis. rem enim notam demonſtrat: nempe cultus ſpeciem, cui addicti erant Judæi. Dei patrii nominatim meminit, quia homini Romano, niſi origine Judæus fuiſſet, tranſire ad Legis doctrinam fas non erat. Adverſarios etiam perſtringit, à quibus tam crudeliter impetitur: quum tamen utrimque in unius Dei cultu conſentiant. Ego, inquit, ſecundum morem à majoribus traditum, non ſecus ac ipſi, Deum colo. Nec obſtat quod à ceremoniis Legalibus deſciverat, contentuſque erat ſpirituali Dei cultu. Satis enim habet Paulus impietatis maculam, quæ in ipſum falſo conjecta erat, abſtergere. Itaque ridiculi ſunt Papiſtæ, qui Pauli ſuffragio quamlibet vetuſtatem probari fingunt. Nos, inquiunt, patrium Deum cum Paulo colimus, ut nobis conſuetudo per manus eſt tradita. quaſi vero, vel ipſis judicibus, eundem clypeum Turcis & Judæis contra fidem Chriſti opponere ſufficiat. At vero nihil minus propoſitum Apoſtolo fuit, quam religionem ſimpliciter in majorum auctoritate fundare, & pietatem ſuam patrocinio tueri quod omnibus Gentium ſuperſtitionibus commune futurum erat. tantum os ſuis adverſariis obſtruere voluit. Interea pro confeſſo ſumebat, Patres à quibus profecta erat Judaica religio, probos & germanos fuiſſe Dei cultores: ut jure gloriari poſſent Judæi non degeneres, patrium Deum quem colebant, unicum eſſe cæli & terræ opificem: Gentiles vero totius reliqui orbis deos, inania eſſe figmenta.

Credens omnibus.] Brevis expoſitio proximæ ſententiæ. nam quia non ſimpliciter affirmaverat ſe Deum colere, ſed addiderat particulam [illegible]: nunc definit quomodo Deum colat. Unde apparet eum ſedulo cavere, ne ſe adventitiis, quæ inter Judæos regnabant, ſuperſtitionibus implicet. quemadmodum ſi Papiſtis hodie quiſpiam noſtrum reſpondet ſe Deum colere quem profitentur, qualiter ex Lege & Euangelio ſumus edocti. Hinc diſcamus non coli rite Deum, ut grata ei ſint noſtra obſequia, niſi ex fide, quæ unicum eſt pietatis fundamentum. neque enim ut ſe Dei ſervum probet, nudas ceremonias obtrudit: ſed diſerte ponit, Se credere. Continet præterea hic locus utilem doctrinam, hoc unicum eſſe rectæ & orthodoxæ fidei fundamentum, Scripturæ ſe ſubjicere, & reverenter amplecti ejus doctrinam. Porro hic Paulus Scripturam partitur in Legem & Prophetas, quo clarius demonſtret nihil ſe ab univerſali Eccleſiæ conſenſu habere diverſum.

15. *Spem habens in Deum.*] Notanda eſt ſermonis ſeries. poſtquam enim Scripturæ ſe credere profeſſus eſt, nunc ſpem futuræ reſurrectionis ſubjungit, ut appareat non carnis ſenſu, vel ex hominum placitis, ſed ex Dei verbo eſſe conceptam. Ita præcedit Scripturæ reverentia, ut nos ejus auctoritas devinctos teneat, & fidei exordium eſt: deinde ſequitur eorum quæ illic Deus patefecit cognitio, certæ ſpei conjuncta. Quod autem illos facit ſibi ſocios, ad ſaniorem partem refertur. quanquam non dubium eſt quin hoc artificio eos ex latebris elicere in apertam lucem coram Felice tentet: ſicuti rurſum ex clauſula defenſionis patebit. Cæterum generalis hic reſurrectio aſſeritur contra quoſdam fanaticos, qui eam ad Chriſti membra reſtringunt. Verum ut hoc loco Paulus omnes reſurrecturos dicit, ſic clara Chriſti voce promiſcue citantur omnes: alii ad judicium, alii ad vitam, Joan. 5. *Joan. 5. verſ. 29.*

16. *In hoc vero ipſe ſtudeo.*] Nullus eſt ad ſtudium recte ſancteque vivendi acrior ſtimulus, quam ſpes ultimæ reſurrectionis, ut pluribus locis admonet Scriptura. Ideo Paulus alibi paſſim dum efficaciter hortari vult fideles, ad ejus memoriam ipſos revocat. *Phil. 3. verſ. 20.* Quare non abs re hoc loco dicit, ſe hac fide ſubnixum operam dediſſe, ut pure coram Deo viveret, & juſtitiam coleret inter homines. Et certe mala conſcientia pro mille teſtibus ſatis eſt ad coarguendos ſtuporis homines: ut certo colligere liceat, non ſerio credere vitam æternam, ad quam non aſpirant. Conſcientiam vocat ἀπρόσκοπον, quaſi dicas inoffenſam: ubi obſtaculis removendis incumbunt ſervi Dei, quæ eorum curſum impediunt. Duas autem conſcientiæ partes ponit. nam eſt quidam interior mentis ſenſus, qui Deum ſolum reſpicit. inde poſtea naſcitur fides & integritas, quam cum hominibus colimus. Demum ubi ſe conſtanter proſequutum eſſe dicit tam pietatem in Deo colendo, quam juſtitiam inter homines, ſignificat eos vere ſperare ultimam reſurrectionem, qui bene agendo nunquam fatigantur. nam particula Semper, deſignat perſeverantiam in curſu æquabili.

17. *Poſt annos autem complures.*] Senſus eſt, jam à longo tempore non fuiſſe Jeroſolymis, ſed in aliis regionibus procul verſatum eſſe: & longo temporis intervallo nunc veniſſe ad ferendas eleemoſynas, & ſacrificium gratiarum actionis Deo offerendum. Unde etiam eorum inhumanitas & ſimul ingratitudo apparet, quod quum modis omnibus favorem eſſet promeritus in tota gente, tam iniquam illi mercedem rependant. Hic vero locus ſuperiorem exponit, ubi adorationis facta fuit mentio. Certum enim eſt, non ex profeſſo veniſſe Paulum, ut in templo offerret: quia ejus rei conſilium non niſi poſt ſuum adventum cepit. Sed tantum recitat quid in eo deprehenderint Judæi, quod ad cauſam præſentem præcipuum habebat pondus. Tandem quum dicit ſe hoc agentem fuiſſe in templo deprehenſum, & quidem prius ſolenni purgatione interpoſita: deinde quietum & nihil tumultus moventem: utrumque crimen iterum à ſe depellit. Purgatio enim teſtis erat, minime profanatum ab eo fuiſſe templum. deinde quum pacate ageret ſine hominum turba, nulla erat tumultus ſuſpicio.

20. *Quidam ex Aſia.*] Defectiva eſt oratio: ſenſus tamen ambiguus non eſt, quod potius ſine cauſa tumultuati ſint illi Aſiatici, quos abeſſe conqueritur: acſi diceret, Vos qui tot crimina in me congeritis, quomodo res habeat non poteſtis aſſerere: ſed rumorem temere creditum ad Præſidis tribunal affertis. Qui autem totius mali culpam ſuſtinent, & qui fuerunt incendii flabella, non comparent. Poſtquam in alios crimen retorſit Paulus, nunc quaſi collecta fiducia, præſentes adverſarios provocat, ut libere proferant ſi quid habent compertum. quanquam in participio [illegible] ab Eraſmo & veteri Interprete diſſentio: vertunt enim in præſenti tempore: & [illegible] de conſeſſu Præſidis exponunt. quod

mihi

mihi alienum videtur à mente Pauli. Sentit enim, meo judicio, ſe in illorum ἀπολογεῖν fuiſſe paratum reddendæ omnium rationi. Tunc autem nihil fuiſſe ab illis cognitum quod criminari queant: quia ad unam ſolum vocem efferbuerint, quum dixit de reſurrectione mortuorum ſe judicari: id eſt, non alia de cauſa ſe totum hoc moleſtiæ ſubire, niſi quia reſurrectionem ſperaret. unde apparet, nunc excudi novam accuſationem de nihilo: quia ſi quid fuiſſet noxæ, tunc minime tacuiſſent. Probabile quidem eſt, alios poſtea ultro citroque habitos fuiſſe ſermones, & propius quaſi manu conſerta congreſſos eſſe, quia videbimus alibi de Chriſto fuiſſe contentionem: ſed Lucæ tantum propoſitum fuit, monſtrare quam probe ſe purgaſſet Paulus à falſis criminationibus accuſatorum.

23. Auditis autem his, Felix diſtulit illos, certo ſciens quæ ad eam viam attinebant, dicens, Quum Tribunus Lyſias deſcenderit, pernoſcam cauſam veſtram.

24. Juſſitque Centurioni ut cuſtodiret Paulum, ſineretque eum relaxari, & ne quem ex illius familiaribus vetaret ſubminiſtrare ei, aut adire eum.

25. Poſt aliquot autem dies, quum adveniſſet Felix cum Druſilla uxore ſua, quæ erat Judæa, accerſivit Paulum, & audivit eum de fide quæ eſt in Chriſtum.

26. Diſputante autem illo de juſtitia & temperantia, & de judicio futuro, tremefactus Felix reſpondit, In præſentia abi, cæterum opportunitatem nactus, accerſam te.

27. Simul & illud ſperans, fore ut pecunia ſibi daretur à Paulo, ut ſolveret ipſum. Propter quod & frequenter accerſens eum, loquebatur cum ipſo.

28. Biennio autem expleto, accepit ſucceſſorem Felix, Portium Feſtum. Volens autem gratiam præſtare Judæis Felix, reliquit Paulum vinctum.

23. *His auditis.*] Apparet Felicem, quamvis de cauſa nihil pronunciaret, ſubolfeciſſe nullo ſuo delicto gravari Paulum, ſed Sacerdotum malitia. Nam ubi narrat Lucas, in adventum Lyſiæ rejectam fuiſſe actionem, ſimul quaſi rationis loco inſerit, Præſidem exacte noviſſe quæ ad viam ſpectabant, quibus verbis ſignificari arbitror, vel jam longo uſu fuiſſe exercitatum, ut Sacerdotum morem teneret, & qualiter ſe gerere ſolerent: vel ex his quæ ultro citroque dicta fuerant, perſpexiſſe quam frivola eſſet accuſatio. idque confirmat humanior & magis remiſſa Pauli ipſius tractatio: nam ejus curam Centurioni mandat, ut ſit quaſi in laxiore cuſtodia. Alii uno contextu legere malunt in perſona Felicis: Ubi venerit Lyſias, qui melius tenet hanc cauſam, tunc judicabo. ſed ratione parum firma adhuc ſenſum hunc coactum eliciunt. Negant Viæ nomen pro doctrina Legis uſquam inveniri ſine adjectione. Atqui neque ego de Lege interpretor, ſed de ſectis, quarum nulli hoſpites ignari erant. Nemini certe dubium erat, quin animarum immortalitatem aſſererent Phariſæi. Quum ergo res vulgo trita eſſet, non mirum ſi à culpa Paulum abſolvat Felix. Porro Viam pro cognitione facti accipere, durum eſſet. Præfectum vero majorem Lyſiæ tribuere Legis peritiam, non video qui conveniat. Hinc autem illuſtrior ejus innocentia redditur, quod de ea homo profanus tale præjudicium ſtatim tulit, ut ipſum quaſi ex vinctorum ordine exemptum, ſineret familiariter inviſi à ſuis, eorumque officiis juvari. Colligimus etiam ex hoc loco, non fuiſſe à ſuis comitibus & reliqua Eccleſia deſertum Paulum. Quorſum enim attinuit ejus familiaribus aditum dari, niſi præſto eſſent, oſtenderent ſe ſollicitos, cuperentque officio defungi? Diſcamus igitur hoc exemplo, quoad nobis liberum erit, & facultas dabitur, non eſſe ullo ſolatii genere fraudandos Chriſti Martyres, dum pro Euangelio laborant.

25. *Felix cum Druſilla.*] De Felicis avaritia & corruptelis ſupra aliquid dictum eſt. Nunc quod ad uxorem ejus Druſillam ſpectat, monendi ſunt Lectores, eam majoris Agrippæ (de cujus fœdo obitu
ſupra 12. verſ. 23. narravit Lucas cap. 12.) fuiſſe filiam. Deſponſa fuerat Epiphani Regi Antiochi filio. Sed quum adoleſcens Judaicos ritus ſuſcipere abnueret, quod ſe facturum promiſerat, frater ejus minor Agrippa (cujus proximo capite fiet mentio) poſt mortem patris eam Azizo Emeſenorum Regi dedit uxorem: è cujus contubernio blanditiis Felicis abducta fuit. nam hic ſingulari ejus pulchritudine captus, Simonem quendam Judæum, genere Cyprium, ſubornavit; qui ſuis lenociniis ad novas nuptias eam pelliceret. Perfectum eſt igitur, ut libidinoſa mulier rupta conjugii fide, contra Legem homini incircumciſo nuberet. Cæterum, quamvis ſe inquinaſſet profano conjugio, conjicere tamen ex hoc loco promptum eſt, non prorſus deletum fuiſſe ex ejus animo, quem ab infantia imbiberat religionis ſenſum. Neque enim Felix audiendi Pauli cupidus fuiſſet, nec dignatus colloquio, niſi in uxoris gratiam. Non exprimit hoc quidem Lucas: ſed Druſillam nominans, ſatis innuit, in ejus gratiam vocatum fuiſſe Paulum, ut de Euangelio diſſereret. quanquam ejuſmodi apoſtatas curioſitas potius quædam titillat, quam ſincerus diſcendi affectus ſollicitet.

Audivit eum de fide.] Teſtis eſt hæc Pauli confeſſio, prius ipſum non tacuiſſe de Chriſto, quia ſibi metueret, vel ut ſe ſubtraheret à crucis moleſtia: ſed quia nondum maturum erat audientiæ tempus. Quum ad tribunal reus citatus eſſet, de objectis ſibi criminibus reſpondere ipſum oportuit, ut poſtea liber & ſolutus foret ad profitendam Chriſti fidem. ergo ubi nunc apertam ſibi dicendi januam cernit, Præſidis offenſionem non formidat, nec diſcrimine terretur, ut aſtute diſſimulet ſe eſſe Chriſtianum. Itaque videmus tam infracta conſtantia fuiſſe instructum, quam providentia & judicio: nec unquam Euangelii lucem ab eo fuiſſe conſulto ſuppreſſam, ſed duntaxat habitum temporis delectum. Jam hic mirabile Dei conſilium notare operæpretium eſt, qui vult interdum reprobis Euangelium proponi: non ut inde quicquam proficiant, ſed magis ut reddantur inexcuſabiles. Satius fuiſſet Felici & Druſillæ nunquam audiviſſe vocem de Chriſto: quia illis impune non ceſſit, oblatam ſalutis gratiam reſpuere, vel cum faſtidio negligere. Hoc præterea notandum eſt, quoſdam ingenito pietatis ſemine Euangelium expetere: quod auditum, mox vel faſtidiunt vel non ſuſtinent. Interea Euangelii præ- *2 Cor. 2. verſ. 15.*
dicatio, qualemcunque habeat ſucceſſum, bonus & ſuavis odor eſt Deo: ſive homines vivificet, ſive occidat.

26. *Diſputante autem eo.*] Sperabat Felix delectationem ſe capturum ex Pauli ſermone, ſicuti homines novarum rerum cupidi, libenter argutis diſputationibus aures ſuas paſcunt. ſimul volebat uxoris deſiderio abſque ſua moleſtia obſequi. nunc ſentire cogitur quam minime animo conceperat verbi Dei efficaciam, quæ omnes illi delicias excutit. Ex vinculis diſſerit Paulus de judicio Dei: qui in eum vitæ & necis habebat poteſtatem, acſi coram Judice ſuo ſtaret, totus horreſcit: nec aliud invenit

Digitized by Google

ſolatium quam ſi eum è conſpectu ſuo ſubmoveat. Hinc primum diſcamus quanta vis divini Spiritus tum in corde tum in lingua Pauli viguerit. quia ſibi in Chriſti nomine loquendum eſſe videt, non ſubmiſſe agit; ſed legatione ſibi injuncta, quaſi ex ſuperiore loco magnifice fungitur, & ſe reum in vinculis teneri oblitus, cæleſte judicium in Chriſti perſona exercet. Jam vero quod ita pungitur cor Felicis hominis captivi voce, in eo quoque ſe exerit Spiritus majeſtas, quam extollit Chriſtus: Spiritus ubi venerit, judicabit mundum, &c. & illa vis prophetiæ,
1 Cor. 14. quam celebrat idem Paulus 1. ad Corinth. 14. Item
verſ. 24. impletur quod alibi dicit, Verbum Dei non fuiſſe cum eo alligatum: quod non modo libere & intrepide aſſeruit, ſed quod efficaciter penetravit in corda hominum, & quidem in ſua magnitudine ſuperbientium, acſi è cælo fulminaret. Rurſus notandum eſt, reprobos, licet eos percellat Dei judicium, minime tamen ſolo illo terrore ad pœnitentiam renovari. Afficitur quidem Felix, Deum fore mundi Judicem audiens: ſed tribunal ejus, quod horret, ſimul fugitat: ut hæc ficta ſit triſtitia, quæ ſalutem minime operatur. Pœnitentia ergo timorem requirit, qui & voluntarium generet peccati odium, & hominem Deo ſiſtat, ut libenter ſuſtineat ejus verbo judicari. Atque hoc veri profectus ſignum eſt, dum medicinam quærit peccator unde inflictum eſt vulnus. Præterea docet hic locus, tunc ad vivum examinari homines Dei verbo, dum propoſitis in medium vitiis quibus laborant, revocantur eorum conſcientiæ ad futurum judicium. Paulus enim de juſtitia & temperantia diſſerens, Felicis ulcera acriter pupugit: quum & homo libidinoſus eſſet, ac prorſus diſſolutæ luxuriæ, & ad iniquitatem projectus.

27. *Sperans ut pecunia.*] Quamvis perſpecta eſſet Felici Pauli integritas, ut ejus damnationem Judæis vendere ipſum puderet: homo tamen avarus & corruptelis deditus, eum gratis abſolvere noluit. hac de cauſa Paulum ſæpius accerſit, ut ſuis blanditiis ſpem liberationis redimendæ faciat. ſic enim ſe inſinuant nummarii Judices, dum corruptelis volunt aditum dare. Unde colligimus, evanidum fuiſſe metum quem Felix ex diſputatione Pauli cepit: quando eum ſpes lucri inſtigat cogitque ad eum vocandum, quem præ metu coactus fuerat à ſe ablegare. Quomodo pretium ſperavit Felix ex homine inope & deſtituto? non enim ille gurges modica præda contentus fuiſſet. Mihi dubium non eſt, ut ſagaces ſunt & acuti qui jus habent venale, quum videret adeo ſtrenue inſtare Judæos ad perdendum Paulum, aliquid procul de ipſo ſubodoratum eſſe: nempe hominem eſſe non vulgarem, ſed qui gratia polleret apud multos. quare non dubitavit, complures ex amicis ſumptum libenter facturos, ut eum redimerent.

28 *Biennio autem expleto.*] Quum ſciret Paulus mercenarium Judicem oblata pecunia ſibi fore propitium, & ſatis longum tempus habuerit ad eam colligendam: probabile eſt non ſolum pepercisse fratribus, ſed etiam ab illo nundinationis genere abhorruiſſe, quo ſanctitas politici ordinis indigne polluitur. Jam quum ſoleant Præſides, ubi è provincia decedunt, reos ex vinculis dimittere, quos nullo crimine obſtrictos noverint: Felix contrarium ineundæ gratiæ rationem habuit. Conqueſti ſæpius Judæi fuerant de turpi ejus quæſtu, de rapinis, ſævitia, effrenique gubernatione. Tot querimoniis fatigatus Claudius Cæſar, illum ex Judæa retrahebat. Quo ſibi minus infeſtos habeat, Paulum relinquit vinctum. Ita innoxium Dei ſervum velut catharma pro ſuis maleficiis ad placandos Sacerdotes ſubſtituit.

Cap. XXV.

Feſtus ergo ſuſcepta provincia, poſt triduum aſcendit Jeroſolymam ab urbe Cæſarea.

2. Significaruntque illi principes Sacerdotum ac primores Judæorum de Paulo, & rogabant eum,

3. Poſtulantes favorem adverſus eum, ut accerſeret eum Jeroſolymam: inſidias tendentes ut interficerent eum in via.

4. Feſtus autem reſpondit, ut ſervaretur quidem Paulus Cæſareæ, ſe vero brevi illo profecturum.

5. Qui ergo inter vos, inquit, poſſunt, una deſcendant: & ſi quod eſt in hoc viro crimen, accuſent eum.

6. Demoratus autem inter eos diebus amplius quam decem, deſcendit Cæſaream: ac poſtero die ſedit pro tribunali, juſſitque Paulum adduci.

7. Qui quum perductus eſſet, circumſteterunt eum qui ab Jeroſolymis deſcenderant Judæi, multa & gravia crimina proferentes adverſus Paulum, quæ non poterant probare:

8. Ipſo excuſante quod neque in Legem Judæorum, neque in templum, neque in Cæſarem quicquam peccaſſet.

1. *Feſtus ergo.*] Hic ſecunda actio nobis deſcribitur, in qua non minus difficile certamen nec levius diſcrimen ſubiit Paulus, quam in priore. Quod in vinculis relictus fuerat, ſuſpicari potuit Feſtus perplexam eſſe cauſam, ac inde facere iniquum præjudicium. Sed aliunde gravius periculum inſtabat. Scimus novos Præſides, ut gratiam captent à provincialibus, multa illis ſuo adventu ſolere largiri. ita credibile erat Pauli mortem Feſto non ingratum fore præludium occupandi favoris. Nova igitur tentatione de integro impetitur ſancti viri fides, acſi vana fuiſſet Dei promiſſio, in quam hactenus recubuerat. ſed eo ſe clarius profert in eo liberando Dei gratia, quod præter ſpem è faucibus mortis eripitur. Præveniunt ſuis calumniis Præſidem Judæi: nondum tamen de ſupplicio contendunt, ſed tantum rogant ne in alienum forum ad cauſam agendam trahantur. Quod in ſpeciem æquum erat, ambitioſe & magni beneficii loco flagitant. Qui fit ergo ut non impetrent, niſi quod divinitus retinetur animus Feſti, ut illis conſtanter neget quod poſtea concedere paratus fuit. Sicuti autem arcano providentiæ ſuæ freno Dominus tunc animum ejus vinctum tenuit: ita quum illi permiſit velle, ligavit manus ne liberum eſſet exequi quod volebat. Hæc nos fiducia in periculis ſuſtentet, ſimulque ſollicitet ad invocandum Deum: & mentes noſtras tranquillet, quod Dominus oppoſita manu ſua tam validam conſpirationem frangens, æternum documentum ſuæ in protegendis fidelibus potentiæ exhibuit.

5. *Qui ergo inter vos.*] Græce ad verbum habetur, Qui potentes ſunt, vel poſſibiles: ſed intelligit

quibus

quibus erit commodum. Conjicere autem promptum eſt, moleſtiam & ſumptus cauſatos eſſe, & precatos eſſe ne tot homines primarios, ac qnoſdam etiam ſenin graves, ſupervacuo itinere fatigaret Præſes: potius quod nullo negotio fieri poterat, juberet Paulum à paucis cuſtodibus abduci. Ergo ne gravari ſe querantur, hanc illis neceſſitatem remittit, ac liberum facit ut ex ſua cohorte deligant quos volent. Interea ſatis declarat, ſe illorum criminationibus non habere fidem: ac integrum fore Judicem profitetur, qui nihil acturus ſit niſi ex cauſæ veritate. Proximæ ſententiæ diverſa eſt etiam apud Græcos lectio. Quidam enim codices habent quod reddidit vetus Interpres, Dies non amplius octo vel decem. Si hæc lectio placeat, ſenſus erit, Præſidem veniſſe paulo poſt Cæſaream, ne prætextu longioris moræ importunius ipſum urgerent Judæi. Altera lectio, quæ magis recepta eſt apud Græcos, diverſum habebit ſenſum, Quamvis diu ſatis futurus eſſet Jeroſolymæ ad cognoſcendam cauſam, non tamen geſſiſſe morem illorum precibus, qui volebant illuc Paulum attrahi: unde probabilis elicitur conjectura, de eorum inſidiis fuiſſe jam edoctum.

7. *Multa & gravia crimina.*] Quamdiu ſub Lege vixerat Paulus, nota & celebris fuerat ejus integritas. converſus deinde ad Chriſtum, ſingulare innocentiæ exemplar fuerat. Videmus tamen ut multis probris & atrocibus calumniis ſubjaceat. Atque hæc perpetua fere ſervorum Chriſti conditio eſt. quo magis animatos eſſe convenit, ut per infamiam & bonam famam conſtanter incedant: nec illis novum ſit male audire ubi bene egerint. Interim danda opera eſt ut non tantum coram Deo ſibi ſint bene conſcii, ſed inſtructi ſint apud homines recta defenſione, ubi locus & facultas datur. neque enim ſibi deeſt Paulus: ſed innocentiæ ſuæ patrocinium falſis criminibus cordate opponit. Notemus præterea, nunquam poſſe impios compeſci, quin bonis maledicant, ac impudenter eos proſcindant. referunt enim Satanæ ingenium, cujus ſpiritu aguntur. Quod ergo jubemur os improbis obſtruere, non ita accipi debet, quaſi immunis futurus ſit ab omni falſa obtrectatione quiſquis ſe recte geret: ſed ut vita noſtra pro nobis reſpondeat, & maculas omnes falſæ infamiæ diluat. Sic videmus Pauli adverſarios, quamvis propitium haberent Judicem, fruſtra tamen maledixiſſe, quum ſuam innocentiam factis aſſereret. Et tamen veriſimile eſt non caruiſſe falſis teſtibus, neque in illis ſubornandis pigros fuiſſe: ſed quia invictum robur Dominus ſervo ſuo inſpirat, ut fulgore ſuæ probitatis vanas eorum nebulas diſcutiat: pudefacti jacent, & demum cum infamiæ calumnia diſcedunt à judicio. Cæterum Pauli defenſio oſtendit quibus præcipue calumniis eum oppugnaverint Judæi. Prius crimen erat impietas in Deum, quod Legem everteret, ac templum pollueret. alterum, rebellio adverſus Cæſarem & Romanum Imperium, quod ubique concitaret turbas. Utrumque ut dilueret, adjutus fuit ſingulari Dei gratia, qui ſplendere facit ſuorum innocentiam inſtar auroræ.

9. Feſtus autem volens gratificari Judæis, reſpondens Paulo, dixit, Vis Jeroſolymam aſcendere, & ibi de his judicari apud me?

10. Dixit autem Paulus, Ad tribunal Cæſaris ſto, ubi oportet me judicari. Judæis nullam injuriam feci, ſicuti & tu melius noſti.

11. Si enim injuriam facio, vel dignum aliquid morte commiſi, non recuſo mori. ſi vero nihil eſt eorum de quibus accuſant me, nemo poteſt me illis donare. Cæſarem appello.

12. Tunc Feſtus cum Concilio colloquutus, reſpondit, Cæſarem appellaſti? ad Cæſarem ibis.

9. *Feſtus autem volens.*] Sive aliquid de inſidiis intellexerat Feſtus (quod conjicere promptum eſt) ſive prorſus inſcius erat: inique tamen agit cum Paulo: ac videmus quam flexibiles ſint ad omnem corruptelam, quicunque non aguntur Dei Spiritu. Neque enim ex profeſſo Feſtus Paulum contemnit vel odio habet. ſed prævalet ambitio, forte etiam lucri cupiditas, ut in favorem adverſæ partis illum in mortis diſcrimen injuſte exponat. probabile enim eſt mercedis quoque odore fuiſſe allectum, ut tam benigne morem gereret Sacerdotibus. Mirum tamen eſt, quomodo optionem Paulo concedat, ac non potius invitum pro imperio jubeat deduci. Certe colligimus metu retentum eſſe, ne jus Romanæ civitatis, quod valde odioſum erat crimen, infringeret. Studet tamen fallaciter inducere Paulum ne Jeroſolymæ de ſe fieri judicium recuſet. neque enim eum latebat quod accidit, jus provocandi eſſe civi Romano, ut ſibi non liceret ulterius progredi. Interea per eum non ſtetit, quominus ſceleratis latronibus mactandum objiceret.

10. *Ad tribunal Cæſaris ſto.*] Quia videt Paulus ſe Præſidis ambitione Judæis proditum, jus Romanæ civitatis opponit. Modeſte ſe ſubmiſerat, ſi quod juſtum & æquum erat, impetraſſet. nunc quia ſponte officium non facit Judex: neceſſitas ſanctum virum cogit, ut ſe legum præſidio tueatur. atque hac ratione rurſus eum Dominus liberat, quum jam hoſtibus ad mactationem prope addictus foret. Quod autem ad tribunal Cæſaris cauſam tractari poſtulat; non ideo profani & impii hominis cognitioni ſubjicit Euangelii doctrinam: ſed fidei ſuæ rationem ubique reddere paratus, forum declinat in quo nulla amplius ſperanda erat æquitas. Porro tametſi Romanis civibus ſalvum manebat ſuum privilegium: erat tamen tunc mutata ratio: quoniam judicium populi ad ſe tranſtulerant Cæſares, acſi optimi publicæ libertatis vindices & patroni forent.

Judæis nullam injuriam.] Quoniam ut plurimum qui male ſibi conſcii ſunt & diffidunt cauſæ, ad exceptiones declinatorias confugiunt: hanc à ſe opinionem avertit Paulus. Et certe Chriſti miniſtris non minor teſtandæ innocentiæ quam ſervandæ vitæ cura eſſe debet. Si præciſe negaſſet Paulus cauſam ſe dicturum, triumphaſſent hoſtes, & in Euangelii dedecus objecta illi fuiſſet malæ conſcientiæ diffidentia. Nunc vero dum Præſidem ipſum, teſtem ſuæ integritatis citat, neque pœnam recuſat ſi quid peccaſſe compertus fuerit, calumniis omnibus anſam præcidit. Oſtendit ergo ſe minime effugium captare tergiverſando, ſed aſylum juſtæ defenſionis quærere, ubi injuriam libere propulſet, quando hactenus accuſatores certarunt mera improbitate & petulantia: & nunc judicium fugitantes, ad carnificinam eum trahere moliuntur. Neque vero diſſimulat injuſte facere Præſidem, qui cum accuſatoribus colludat: & ſimul cupiditatem ejus quaſi injecto freno conſtringit, ne ultra progredi audeat.

11. *Cæſarem appello.*] Poſtquam profeſſus eſt ſe minime ſubterfugere ſi qua in culpa deprehenſus foret, humanis ſubſidiis libere utitur. Quare nos ſiquando ſimilis neceſſitas contingat, ſuperſtitioſos
eſſe non oportet, quin à Legibus & ordine politico *Rom. 13.*
opem petamus: quia non fruſtra ſcriptum eſt, in *verſ. 3.*
laudem bonorum divinitus creari magiſtratus. nec *1 Petr. 2.*
vero exhorruit Paulus ſub Judice incredulo litigare: *verſ. 14.*

nam qui provocat, novam intendit actionem. Sciamus igitur Deum qui judicia conſtituit, ſuis quoque legitimum eorum uſum permittere. Ideo perverſi ſunt interpretes, qui præciſe damnari à Paulo Co-
1 Cor. 6. verſ. 1. rinthios exiſtimant, quod auxilium magiſtratus implorent pro juris ſui defenſione: quum manifeſtum vitium illic perſtringat, quod ſcilicet nihil poſſent ferre damni; & nimis cupide litigantes, Euangelium multis probris exponerent.

12. *Feſtus colloquutus.*] Mos Præſidibus erat, habere primarios aliquos cives in ſua cohorte, qui in judiciis aſſiderent: ne quid decernerent niſi ex conſilii ſententia. Porro non ſine ſtomacho videtur hoc pronunciaſſe Feſtus, quum interrogative dixit, Cæſarem appellaſti? quod ſcilicet inique ferret ſibi ereptam eſſe gratificandi licentiam. quanquam id in medio relinquo, quia nec multum habet momenti, & tantum conjectura nititur.

13. Et quum dies aliquot tranſacti eſſent, Agrippa Rex & Bernice deſcenderunt Cæſaream, ſalutaturi Feſtum.

14. Et quum dies complures ibi commorarentur, Feſtus Regi retulit cauſam Pauli, dicens, Vir quidam eſt relictus à Felice vinctus,

15. De quo quum veniſſem Jeroſolymam, ſignificarunt mihi principes Sacerdotum & Seniores Judæorum, poſtulantes adverſus eum judicium:

16. Quibus reſpondi, Non eſt Romanis conſuetudo, ob gratiam donare aliquem hominem ut pereat, priuſquam is qui accuſatur præſentes habeat accuſatores, & locum defenſionis accipiat de crimine.

17. Quum ergo huc conveniſſent ſine ulla dilatione, ſequenti die ſedens pro tribunali, juſſi adduci virum.

18. De quo quum ſtetiſſent accuſatores, nullum crimen objiciebant ſuper hiſce rebus de quibus ego ſuſpicabar:

* vel, religione. 19. Sed quæſtiones quaſdam de ſua * ſuperſtitione habebant adverſus eum, & de quodam Jeſu defuncto, quem affirmabat Paulus vivere.

20. Hæſitans autem ego de hac quæſtione, rogavi num vellet ire Jeroſolymam, & illic judicari ſuper iſtis.

21. Quum autem Paulus appellaſſet ut ſervaretur Auguſti cognitioni, juſſi ſervari eum donec mitterem ad Cæſarem.

13. *Et quum dies aliquot.*] Longa hic narratio texitur in hunc finem, ut ſciamus quamvis abrupta eſſet cauſæ actio, illuſtria tamen fuiſſe Pauli vincula: & interea ex carcere fuiſſe productum, ut coram celebri auditorio fidem ſuam profiteretur, ac de Euangelio diſſereret. deinde licet contemptus jacuerit, non fuiſſe tamen habitum pro ſcelerato, ne quid ex ejus infamia decederet Chriſti gloriæ. imo in carcere liberius fuiſſe ejus præconium in Euangelio promulgando, quam ſi in domo privata ſolutus vixiſſet.

Agrippa Rex & Bernice] Hunc Agrippam conſtat majoris Agrippæ fuiſſe filium, cujus fœda mors
ſupra 12. verſ. 23. & deteſtanda narrata fuit 12. cap. Hic autem quum mortuo patre in locum patrui creatus eſſet Rex Chalcidis: poſtea ampliorem tetrarchiam obtinuit. Bernice cujus fit mentio, germana erat ejus ſoror, quæ primum Herodi Regi Chalcidis patruo ſuo nupta, viduitatem ipſo mortuo aliquandiu coluit, ſed parum honeſtam & pudicam: ſuſpecta enim erat nimia ejus familiaritas cum Agrippa fratre. Et quidem ut probrum inceſtus extingueret, nupſit Polemoni Ciliciæ Regi. Rurſus tamen libidini magis indulgens quam pudori, divortium ab eo fecit. Fratris fuiſſe uxorem, nuſquam ab hiſtoricis traditur: & Joſephus in vita ſua, propriam illi ditionem in parte Galilææ aſſignat. Credibile igitur eſt quum ad flagitium obduruiſſent, contempta fama ſimul habitaſſe: interim tamen abſtinuiſſe à conjugio, ne inceſtuoſæ nuptiæ crimen proderent & ſimul augerent. Neque mirum eſt, quod honoris cauſa ad ſalutandum Præfectum Rex deſcendit, utpote qui precario tantum regnabat, pendebatque à nutu & gratia Imperatoris Romani, quæ retinenda erat & fovenda per Præſidem.

14. *Quum dies complures.*] Ergo quum poſt tranſactum aliquod tempus deeſſet ſermonum materia, ut otioſi homines ſolent hinc inde accerſere de quibus fabulentur, injecta fuit Pauli mentio. nam id notare voluit Lucas quum dixit, per otium, pluribus elapſis diebus, Feſtum Regi narraſſe de quodam homine vincto. Quanquam autem hic & Sacerdotum malitiam perſtringit, & à ſua parte miram æquitatem ſimulat; paulo poſt tamen reum ipſum purgando, imprudens ſeipſum damnat, dum fatetur provocandi fuiſſe cauſam, ne Jeroſolymam traheretur. Cæterum, Romanos laudando, Feſtus Judicibus præſcribit quid ipſos deceat. Quod ſi profanis hominibus id natura dictavit, prohibendam à judiciis eſſe omnem gratiam quæ inſontes opprimat, quanto intentius ab omni corruptela cavere debent Judices quibus verbum Domini affulget?

18. *Nullum crimen objiciebant.*] Mirum eſt cur dicat Feſtus non fuiſſe objectum Paulo crimen quale expectabat, quum reus ſeditionis actus fuerit. ſed hinc iterum conjicere licet, imo aperte cognoſcere, adeo futiles fuiſſe calumnias, ut in judicii rationem venire non debuerint: perinde acſi quis convitium temere jactet. Ideo ſtatum cauſæ in Legis quæſtionibus ſitum fuiſſe dicit. Videmus ergo ut diſcernat inter maleficia quæ puniri ſolebant legibus humanis, & controverſiam quæ inter Paulum & Judæos agitabatur: non quod religio impune violari debeat, vel toleranda ſit eorum protervia qui Dei cultum ſuis figmentis pervertunt: ſed quia Romano homini curæ non erat Lex Moſis. ideo tam contemptim loquitur, quum illos certaſſe dicit de ſua ſuperſtitione. Quanquam nomen δεισιδαιμονίας tam in bonam quam in malam partem accipitur apud Græcos: quia ſcilicet ubique recepti erant electitii falſorum deorum cultus. ſed tamen ſua nihil referre ſignificat qualis ſit Judæorum religio. Nec mirum eſt quod homo ethnicus, qui pietatis regulam ex ore Dei petendam eſſe non didicit, inter purum Dei cultum & ſuperſtitiones diſcernere neſciat. Quo magis tenenda eſt nobis illa diſcretionis nota, Pietatem nullam eſſe niſi in fidei ſcientia fundatam, ne in tenebris palpemus. Adde quod tot proſperi ſucceſſus Romanos inebriabant, ut ſe putarent præ omnibus aliis Deo gratos eſſe: ut hodie Turcæ ob multiplices victorias, Chriſti doctrinæ inſultant. Deploranda quidem hæc fuit indignitas, quod homo incredulus & idololatra, medius ſedebat judex inter Judæos, judicium de ſacris Dei oraculis laturus pro ſua ignorantia: ſed culpa

in

in adverſariis Pauli tota hærebat, quibus ſuſque deque ſuit Dei majeſtas, modo ſuo furori morem gererent. Paulo tamen ipſi nihil reſtabat aliud, niſi ut probra inique ſibi objecta dilueret. Sic hodie tametſi inteſtinæ rixæ, quibus inter ſe digladiantur Chriſtiani, ſacrum Chriſti oomen ejuſque Euangelium infamant apud Turcas & Judæos, immerito tamen culpa imputabitur ſacræ doctrinæ defenſoribus, qui coacti in arenam deſcendunt.

19. *De quodam Jeſu.*] Minime dubium eſt quin graviter & qua decebat vehementia, de Chriſti reſurrectione Paulus diſſeruerit: ſed Feſtus pro ſua ſuperbia, rem indignam eſſe putavit ad quam ſtudium ſuum adjiceret. Non ſubſannat quidem aperte Paulum: ſed ſatis oſtendit quam negligenter audierit de Chriſto loquentem. unde perſpicimus quantulum, imo quam nihil faciat prædicatio, niſi intus corda afficiat Spiritus Domini: perinde enim quicquid dicitur tranſiliunt impii, acſi quis fabulas narraret. Quare non eſt quod hodie nos conturbet multorum ſecuritas, quum Paulus nihil apud Feſtum profecerit. Cæterum teſtis eſt hic locus, multos in cauſæ actione ultro citroque habitos eſſe ſermones, de quibus Lucas non meminit. De Chriſto enim hactenus nihil attigerat: & tamen hæc poſterior narratio oſtendit Paulum ſerio de ejus morte & reſurrectione cum Judæis diſputaſſe: quod fieri non potuit, quin de præcipuis Euangelii capitibus tractaret. Sic igitur conjicio egiſſe Paulum, ut refutatis Judæorum calumniis, quibus eum apud Præſidem gravare conati fuerant, velut occaſionem nactus, liberius de Chriſto loqui poſtea inciperet.

22. Agrippa autem dixit ad Feſtum, Volebam & ipſe hominem audire. Cras, inquit, audies eum.

23. Poſtero autem die quum veniſſet Agrippa & Bernice cum multo apparatu, & introiſſet in auditorium cum Tribunis & viris principalibus civitatis, jubente Feſto adductus eſt Paulus.

24. Et dicit Feſtus, Agrippa Rex, & omnes qui ſimul adeſtis nobiſcum viri, videtis hunc hominem, de quo omnis multitudo Judæorum interpellavit me & Jeroſolymis & hic, acclamantes non oportere eum vivere amplius.

25. Ego vero comperi nihil dignum morte eum admiſiſſe. Et quia ipſe provocavit ad Auguſtum, ſtatui mittere eum.

26. De quo quid certum ſcribam domino, non habeo. quapropter produxi eum ad vos, & maxime ad te Rex Agrippa, ut examinatione facta, habeam quod ſcribam.

27. Abſurdum enim mihi videtur mittere vinctum, & crimina de quibus accuſatur non indicare.

22. *Volebam & ipſe.*) Hioc conjicere licet Agrippam ſic fuiſſe cupidum audiendi Pauli, ut tamen ſtudium ſuum profiteri erubuerit, ne putaret Feſtus alia de cauſa quam ob ſalutatinnis officium veniſſe. Ac fieri quidem poteſt, ut non ſola eum curioſitas impulerit ut Paulum audire cuperet: ſed quia ſperabat ſe profecturum ex ejus ſermone. quam tamen frigide appetat, hinc colligere promptum eſt, quod paſſus eſt multos dies effluere, quibus nullum deſiderii ſignum oſtendit: quia ſcilicet terrenis commodis, quæ ducebat potiora, magis erat imbutus. Nec ante verbum facere auſus eſt vel curavit, quam ultro eum invitaret Feſtus. Ita producitur ſanctus Chriſti minister in ſpectaculum, ut hoſpitem ſuum exhilaret profanus homo: niſi quod Agrippæ & comitum ejus conſilio inſtrui vult Feſtus, ut diligentiam ſuam Cæſari probet. Sed res arcana Dei providentia in alium finem converſa eſt. neque enim dubium eſt quin longe lateque ſparſus fuerit rumor: qui ad piorum confirmationem noo parum valebat. ac fieri etiam poteſt ut tacti fuerint aliqui ex auditoribus, ac fidei ſemen conceperint, quod poſtea ſuo tempore fructum protulit. Cæterum ut nemo illorum ſincere & ex animo Chriſtum amplexus fuerit, hic tamen noo vulgaris fuit profectus, quod detecta hoſtium malitia ſedati ſunt imperiti, ne tanto odio contra Euangelium arderent: pudefacta fuit impietas, & fideles collecta novo vigore, magis ac magis in Euangelio confirmati ſunt.

23. *Poſtero autem die.*] Noo veniunt Agrippa & ſoror tanquam humiles Chriſti diſcipuli: ſed pompam & ſplendorem afferunt qui aures illis obturet oculoſque perſtringat. & credibile eſt cum magnifico iſto apparatu conjunctum fuiſſe parem animi faſtum. Itaque mirum noo eſt ſi perducti non fuerint ad Chriſti obſequium. Videtur tamen ideo ſplendoris facta mentio à Luca, ut ſciremus in magno conventu, & coram ſelectiſſimis teſtibus qui auctoritate pollerent, factam Paulo copiam fuiſſe ac libertatem, noo modo agendæ cauſæ, quaſi ſe reus defenderet, ſed etiam promulgandi Euangelii. Prodit enim non aliter quam in doctoris perſona, ut Chriſti nomen illuſtret. Ita ex ejus vinculis erupit Dei veritas, quæ libero & ſoluto curſu paſſim mox diffuſa eſt, imo ad nos uſque manavit. Voce φαντασίας intelligit Lucas quod vulgo dicimus Apparentiam. atqui ad ſpirituales Chriſti nuptias alius cultus eſt afferendus.

26. *Ut facta examinatione.*] Neſcitur an Præſes Paulum coram abſolvens, hoc artificio pellicere eum velit, ut à provocatione deſiſtat. Credibile enim erat, facile poſſe induci, ut depoſito metu ſe totum permitteret æqui Judicis cognitioni, præſertim ſi accederet amicum Agrippæ ſuffragium. Quocunque fecerit animo, ſe proprio ore iniquitatis damnat, quod non dimiſerit inſontem, quem nunc ad Cæſarem mittere pudet ſine ulla criminis nota. Hoc quoque mirabili Dei providentia accidit, ut à Judæis ipſis præjudicium fieret ſecundum Paulum. Aſtute forte Præſes elicere tentat quid ſentiant Rex & primores urbis Cæſareæ, ut ſi contingat Paulum abſolvi, in eos exoneret invidiam. nolebat enim gratia infenſos ſibi habere Sacerdotes, à quibus bona pars urbis Jeroſolymæ pendebat. & illud optimum erat compendium ſcribendi ad Cæſarem, Agrippæ auctoritatem interponere. Sed alio reſpexit Dominus, cujus eſt eventus moderari præter ſpem hominum, ut diſcuſſis calumniarum nebulis, liberior eſſet ſanæ doctrinæ aſſertio.

CAP. XXVI.

CAP. XXVI.

AGrippa vero ad Paulum ait, Permittitur tibi loqui pro temetipſo. Tunc Paulus extenta manu, pro ſe dixit,

2. Super omnibus de quibus accuſor à Judæis, Rex Agrippa, exiſtimo me beatum qui cauſam dicturus ſim apud te hodie:

3. Quum tu maxime ſis gnarus earum quæ apud Judæos ſunt & conſuetudinum & quæſtionum. Quapropter obſecro te ut patienter me audias.

4. Itaque vitam quidem meam quam egi ab adoleſcentia, quæ ab initio fuit in gente mea Jeroſolymis, noverunt omnes Judæi:

5. Qui prius noverant me ab initio (ſi velint teſtimonium ferre) quod ſecundum exquiſitiſſimam ſectam noſtræ religionis vixerim Phariſæus.

6. Et nunc ob ſpem repromiſſionis, quæ ad Patres noſtros facta eſt à Deo, ſto judicio ſubjectus.

7. Ad quam duodecim Tribus noſtræ inſtanter nocte & die colentes Deum, ſperant ſe perventuras: de qua ſpe accuſor, Rex Agrippa, à Judæis.

8. Cur incredibile judicatur apud vos, ſi Deus mortuos ſuſcitat?

2. Diximus quo conſilio productus fuerit Paulus in conſeſſum illum, ut ſcilicet ex Agrippæ & aliorum monitu ſcriberet Feſtus ad Cæſarem. Ideo non ſimplici nec uſitata defenſionis forma utitur: ſed ad docendum magis ſermonem attemperat. Ponit quidem Lucas excuſandi verbum: ſed quod non male quadrat, ubi redditur doctrinæ ratio. Porro quia expertus erat Paulus, quicquid ex Lege & Prophetis ſumptum foret, ſecure à Feſto deſpici; ſe ad Regem convertit, quem magis attentum fore ſperabat, ut qui alienus non erat à religione Judaica. Et quia hactenus apud ſurdos verba profuderat: nunc ſe habere gratulatur qui propter peritiam & uſum recte judicet. Cæterum ut Agrippæ ſcientiam laudat, quod legitimus ſit earum rerum cognitor de quibus agitur: ita viciſſim rogat ut patienter audire velit. minus enim excuſabilis alioqui in eo neglectus foret ac faſtidium. Quæſtiones vocat doctrinæ capita quæ tractari ſolebant inter Scribas, apud quos ſubtilius excutiebatur religio. Conſuetudinum verbo ritus intelligit qui totius gentis communes erant. Summa eſt igitur, Regem Agrippam neque doctrinæ, neque ceremoniarum Legis ignarum eſſe. Illatio iſta, Quapropter rogo ut patienter me audias: ſicuti jam attigi, quo quiſque magis in Scripturæ notitia profecit, eo magis attentum eſſe debere ſignificat, ubi de religione quæritur. nam quod intelligimus, minus moleſtiæ nobis affert. Æquum vero eſt de cultu Dei nos ita eſſe ſollicitos, ne audire gravemur quæ ad ejus definitionem ſpectant: ac præſertim ubi jam principiis imbuti ſumus: ut promptum nobis ſit judicium, ſi animos advertere libeat.

4. *Vitam quidem meam.*] Nondum ingreditur in ſtatum cauſæ: ſed quia falſo traductus fuerat, multiſque criminibus oneratus; ne perſonæ odio Rex Agrippa cauſæ ſit infeſtus, ſuam innocentiam prius aſſerit. Scimus enim ubi ſemel animos occupavit ſiniſtra ſuſpicio, ſenſus omnes quaſi præcluſos teneri ne quid admittant. Ergo nebulas pravæ opinionis, quæ ex falſis rumoribus collectæ denſatæque fuerant, initio Paulus abſtergit, ut ſibi audientiam apud puras & bene purgatas aures conciliet. Hinc perſpicimus cauſæ neceſſitate Paulum fuiſſe compulſum, ut anteactam vitam laudaret. Cæterum, non diu in ea parte moratur: ſed ſtatim ad reſurrectionem mortuorum ſibi tranſitum facit, dum ſe Phariſæum fuiſſe commemorat. Exactiſſimam vero ſectam dici interpretor, non ſanctioris vitæ reſpectu, ſed quod in ea reſideret magis genuina doctrinæ ſinceritas, majorque luceret eruditio. Gloriabantur enim ſe arcanam Scripturæ intelligentiam tenere. Et certe Sadducæi quum ſe jactarent eſſe literales, obruta Scripturæ luce in fœdam craſſamque inſcitiam delapſi erant. Eſſeni vitæ auſteritate contenti, doctrinæ ſtudium non magnopere curabant. Nec obſtat quod Chriſtus in Phariſæos præcipue, tanquam omnium deterrimos Scripturæ corruptores, invehitur. *Mat. 23. verſ. 13.* Nam quum ſibi ex arcano & recondito ſenſu, jus interpretandæ Scripturæ vendicarent: hinc illa mutandi novandique audacia, cui Dominus ſuccenſet. Sed Paulus commenta illa, quæ temere fabricata tyrannico rigore urgebant, non attingit. nam illi propoſitum erat, tantum de reſurrectione mortuorum loqui. Quanquam enim Legem in multis partibus adulteraſſent: æquum tamen erat, ut in tuenda ſana fide, pluris eſſet ejus ſectæ auctoritas, quam aliarum quæ longius à nativa puritate deſciverant. Adde quod de vulgari tantum judicio loquitur Paulus, quod ſubtilioris ſcientiæ colorem ſpectabat.

6. *Ob ſpem repromiſſionis.*] Nunc in cauſam deſcendit, quod ſcilicet ob præcipuum totius fidei caput laboret. Etſi autem generaliter de reſurrectione loquutus videtur: colligere tamen licet ex contextu, ab altiore principio exorſum eſſe: & eas circumſtantias complexum eſſe, quæ proprie ſpectabant ad fidem Evangelii. Reum ſe factum eſſe à Judæis conqueritur, quod ſpem promiſſionis ad Patres factæ aſſereret. Exordium ergo iſtud fuit, atque adeo defenſionis cardo, fœdus quod Deus pepigerat cum Patribus, ad æternam ſalutem referri. Quare hæc diſputationis ſumma fuit, quod nulla eſſet Judæorum religio, niſi ad cælos eſſent attenti, & proinde oculos in Chriſtum novæ vitæ auctorem dirigerent. Gloriabantur ſe ex omnibus terræ populis ſolos à Domino electos. Atqui nulla erat adoptionis utilitas, niſi Mediatore promiſſo freti, in hæreditatem regni Dei reſpicerent. Multo ergo plus concipere decet, quam aperte exprimit Lucas. Et certe non alio ſpectat ejus narratio, niſi ut ſciamus de quibus diſſeruerit Paulus. Quid autem & quibus verbis, ſubticet. Interea noſtrum eſt ex brevi ſumma colligere quæ ad diſputationem hanc pertinent: quæ libere & ingenue coram Agrippa tractata fuit, ubi placide agendi facultas dabatur.

7. *Ad quam duodecim Tribus.*] Expoſtulat apud Agrippam, quod eo prolapſus ſit Eccleſiæ ſtatus ut oppugnent Sacerdotes communem ſpem omnium fidelium: acſi diceret, Quorſum ſuſpirant eorum vota, quicunque ex gente noſtra ſollicite Deum colunt, nocteſque & dies impendunt ad pietatis officia, niſi ut tandem ad immortalem vitam perveniant? Atqui idem eſt totius doctrinæ meæ ſcopus: quia ubi redemptionis gratia proponitur, ſimul aperitur janua regni cælorum. Et quum prædico à mortuis excitatum ſalutis auctorem, primitias beatæ immortalitatis offero in ejus perſona. Ita ſuperior

doctrinæ confirmatio ex Dei verbo ſumpta fuit, quum Patribus factam promiſſionem in medium adduceret. nunc ſecundo loco adjungit Eccleſiæ conſenſum. Atque hæc legitima eſt in aſſerendis fidei dogmatibus ratio, ut præeat Dei auctoritas: deinde accedat Eccleſiæ ſuffragatio. Quanquam ſimul prudenter habendus eſt veræ Eccleſiæ delectus: ſicuti nos exemplo ſuo hic Paulus docet. quamvis enim ſciret Eccleſiæ larvam contra ſe à Sacerdotibus obtendi: intrepide tamen ſinceros Dei cultores à ſua parte ſtare affirmat, & illorum patrocinio contentus eſt. nam quum duodecim Tribus nominat, non permiſcet omnes qui ſecundum carnem ex Jacob erant progeniti: ſed eos tantum intelligit, qui verum pietatis ſtudium retinebant. neque enim conſentaneum fuiſſet, promiſcuè laudare gentem ipſam à timore Dei, qui non niſi in exiguo numero vigebat. In utroque præpoſteri ſunt Papiſtæ: quia & hominum ſuffragiis obruunt verbum Dei, & mixtam ex indoctis vel impuris hominibus colluviem, catholicæ Eccleſiæ titulo ſine colore vel pudore inſigniunt. atqui ut cum vera Eccleſia nos ſentire probemus, à Prophetis & Apoſtolis incipere convenit: deinde illis aggregandi ſunt quorum nota & teſtata eſt pietas. Si à nobis diſſidet Papa cum ſuo Clero, non eſt quod magnopere ſimus anxii. Probatur autem religionis verus affectus ab aſſiduitate & vehementia: quod illo maxime tempore raræ virtutis fuit, dum miſerrime affligebantur Judæi.

8. *Cur incredibile.*] Non dubito quin & rationibus & Scripturæ teſtimoniis aſſeruerit quod de reſurrectione & cæleſti vita tradebat. Cæterum merito ad Dei potentiam revocat quos alloquitur, ne ex ſenſus ſui modulo de illa judicent. Nihil enim ad perſuadendum magis difficile, quam futura corporum inſtauratio, ubi in nihilum redacta fuerint. ergo quia myſterium eſt longe altius humano ingenio, meminerint fideles hic reputandum eſſe quam late pateat immenſa Dei virtus, non quid ipſi apprehendant: ſicuti idem Paulus admonet 3. ad Philipp. cap. nam ubi corpus noſtrum humile transfigurandum dixit corpori Chriſti glorioſo, continuo poſt addit, Secundum efficaciam qua poteſt ſibi ſubjicere omnia. Sed ut plurimum maligni in Deum & injurii ſunt homines, qui longius extendi nolunt ejus brachium, quam pertingat ipſorum ſenſus: ita quantum in ſe eſt, operum ejus magnitudinem, quæ cælum & terram exuperat, reſtringere cuperent ad ſuas anguſtias. contra vero Paulus quid poſſit Deus, expendere nos jubet, ut ſupra mundum erecti, ex omnipotentia illius, non imbecillo mentis noſtræ captu, fidem reſurrectionis concipere diſcamus.

Phil. 3. *verſ.* 21.

9. Et ego quidem exiſtimabam me adverſus nomen Jeſu Nazareni multa repugnando facturum.

10. Quod & feci Jeroſolymis: & multos ſanctorum ego carceribus incluſi, à principibus Sacerdotum poteſtate accepta: & quum occiderentur, detuli ſententiam.

11. Et per omnes Synagogas frequenter puniens eos, compellebam blaſphemare: & amplius inſaniens in eos, perſequebar etiam in exteras uſque civitates.

12. Quarum rerum ſtudio quum irem Damaſcum cum auctoritate & permiſſu principum Sacerdotum:

13. Die medio, Rex, in via vidi è cælo ſupra ſplendorem Solis lumen me circumfulgens, & eos qui mecum faciebant iter.

14. Quum autem omnes nos decidiſſemus in terram, audivi vocem loquentem ad me, & dicentem Hebraica lingua, Saul, Saul, quid me perſequeris? Durum eſt tibi contra ſtimulos calcitrare.

15. Ego autem dixi, Quis es, Domine? At ille dixit, Ego ſum Jeſus quem tu perſequeris.

16. Sed exurge, & ſta ſuper pedes tuos. ad hoc enim apparui tibi, ut conſtituam te miniſtrum ac teſtem & eorum quæ vidiſti, & eorum in quibus apparebo tibi:

17. Eripiens te à populo & Gentibus, ad quas nunc te mitto,

18. Ut aperias oculos eorum, ut convertantur à tenebris ad lucem, & à poteſtate Satanæ ad Deum, ut accipiant remiſſionem peccatorum, & ſortem inter ſanctificatos per fidem quæ eſt in me.

9. *Et ego quidem.*] Niſi plura dixiſſet Paulus quam hactenus recenſuit Lucas, abrupta eſſet oratio. unde conficitur quod prius dixi, quum mentionem fœderis Dei feciſſet, de Chriſti officio & gratia diſſeruiſſe, ut res ferebat. Ideo autem converſionis ſuæ hiſtoriam repetit, non tantum ut levitatis notam à ſe removeat: ſed ut divinitus ſe vocatum teſtetur, adeoque cæleſti mandato coactum. Nam quod præter animi propoſitum repente ex lupo in ovem converſus eſt, tam violenta mutatio non parum valet ad conciliandam doctrinæ ejus fidem. Ideo amplificat illum nocendi ardorem quo ferebatur adverſus Chriſti membra, & pertinaciam cui penitus addictus erat. Si à prima pueritia imbutus eſſet Chriſti fide, vel ab homine aliquo edoctus, ſponte illam & ſine repugnantia amplexus foret: illi quidem privatim certa fuiſſet ſua vocatio, ſed apud alios minus illuſtris. nunc vero quum obſtinato & inflexibili furore ardens, non occaſione aliqua adductus, nec perſuaſus ab homine mortali, novam mentem induerit: manu Dei ſubactum fuiſſe apparet. Magnum ergo pondus habet iſta antitheſis, quod ſe prava confidentia elatum fuiſſe commemorat, ut ſe putaret Chriſti fore victorem: qua docere voluit nihil minus quam ex animi ſui ſenſu, Chriſti ſe diſcipulum eſſe factum. Nomen Jeſu Nazareni pro tota Euangelii profeſſione hic accipitur, quam extinguere ſtatuerat Paulus, hoc modo bellum adverſus Deum inſcienter ſuſcipiens.

10. *Quod & feci Jeroſolymis.*] Ab ipſis factis probat quanto zeli impetu abreptus fuerit ad oppugnandum Chriſtum, donec major vis retraxit, ut curſum in oppoſitam partem flecteret. Porro hujus vehementiæ teſtes habebat ſuos adverſarios, ut certo conſtaret ſubito fuiſſe mutatum. nec vero delatum illi fuiſſet hoc munus à Sacerdotibus, niſi ſtrenue in exercenda ſævitia ſe geſſiſſet. ac valde animoſum eſſe oportuit, qui eorum furori ſatisfaceret. Notandum vero, quod fateri non erubuit Paulus quam graviter in Deum peccaſſet, modo id cederet in Chriſti gloriam. Probroſum illi certe erat, cæco zelo correptum, ad impias blaſphemias compuliſſe qui Deo ſervire optabant: varias moleſtias exhibuiſſe bonis & ſimplicibus: ſententiam tuliſſe de

ſune

fundendo ſanguine ionoxio: denique cornua in cœlum extuliſſe, donec proſtratus fuit. ſed exiſtimationi ſuæ non parcit, quin libenter dedecus ſuum proferat, modo inde clarius pateſiat Dei miſericordia. Quare in ejus ſermone nulla potuit hærere ſiniſtra ſuſpicio, quum nullum ſui reſpectum habens, ultro ſibi in crimen imputat ex quibus laudem & plauſum totius populi fuerat adeptus. Ideo & zelum ſuum, quem alii honore proſequebaotur, inſaniæ damnat. Unde apparet quam putida ſit eorum ambitio, quos ſimpliciter fateri pudet ſi quid per inſcitiam & errorem peccarint. quamvis enim non prorſus excuſent, extenuare tamen aut fucare ea conantur io quibus ſuppliciter cum mœrore & lachrymis veniam precari ipſos decebat. Atqui Paulus, quum retinere poſſet cordati hominis famam, maniscum ſe fuiſſe teſtatur. Id enim ſibi vult participium quod uſurpat Lucas, quod multos blaſphemare compulit. Hinc agnoſcimus fuiſſe in ipſis etiam eredentium primitiis multas quiſquilias, quum diſcipulos Chriſti profeſſi, metu deinde fracti aut verberibus, non modo abnegaverint ipſum, ſed etiam ſacro ejus nomini maledixerint. quanquam ipſa per ſe abnegatio, atrocem blaſphemiam continet.

13. *Die medio, Rex.*] Huc ſpectat narratio, ut intelligat Rex Agrippa non inane fuiſſe ſpectrum, nec talem fuiſſe ecſtaſin, quæ mentis ſanitatem vel judicium illi eriperet. Quamvis enim metu perculſus in terram ceciderit, diſtinctam tamen audit vocem: interrogat quiſnam loquatur: reſponſum quod datur percipit: quæ ſigna ſunt mentis compoſitæ. Hinc ſequitur non temere variaſſe, ſed pie ſanctèque paruiſſe cæleſti oraculo, ne conſulto rebellis Deo eſſe pergeret.

16. *Sed exurge & ſta.*] Proſtravit Chriſtus Paulum ut eum humiliaret: nunc eum erigit, ac jubet bono eſſe animo. Ac nos etiam ejus voce in hunc finem quotidie dejicimur, ut erudiamur ad modeſtiam. ſed quos dejecit, mox comiter ſublevat. Et non vulgaris eſt iſta conſolatio, quum ſe illi apparuiſſe pronunciat Chriſtus, non ultorem, qui pœnam exigat de ejus amentia, de verberibus injuſte & crudeliter inflictis, de ſanguinariis ſententiis, vel exhibita ſanctis moleſtia, de impia Euangelii oppugnatione: ſed propitium Dominum, qui ejus opera uti velit, & quidem honorifico miniſterio dignetur. Conſtituit enim ipſum teſtem eorum quæ vidit, & quæ poſtea viſurus eſt. Hæc jam memorabilis erat viſio, ex qua didicerat Chriſtum in cælo regnare, ne amplius proterve illum contemneret: ſed agnoſceret Dei Filium & promiſſum Redemptorem. alias
2 Cor. 12. poſtea revelationes habuit, ſicut recitat 2 Cor.
verſ. 1. cap. 12.

17. *Eripiens te à populo.*] Hic armatur contra omnes metus qui eum manebant: & ſimul præparatur ad crucis tolerаotiam. quum tamen mox ſubjiciat venturum eſſe Paulum, ut cæcos illuminet, ut reconciliet Deo qui alienati ab ipſo fuerant, ac perditis ſalutem reſtituat: mirum eſt cur non etiam fore promittat, ut viciſſim læti & faventes eum excipiant quicunque tam præclaris beneficiis fuerint affecti. Verum hic notatur mundi ingratitudo: quia vitæ æternæ miniſtris contrariam prorſus mercedem rependat: ſicuti phrenetici medicos ſuos hoſtiliter impetunt. Et monetur Paulus quocunque venerit, magnam eorum partem quibus prodeſſe ſtudebit, fore ſibi infeſtam, ut exitium machinetur. Diſerte autem exponit, ſe tam Gentibus quam Judæis deſtinatum eſſe teſtem, ne ſibi vitio vertatur quod utriſque promiſcue commune fecit Euangelium. nam hinc tam virulentum odium in eum conceperant Judæi, quod Gentes ſibi æquari indigne ferrent. Etſi autem zelo id facere ſimulabant, ne fœdus quod Deus pepigerat cum poſteris Abrahæ, ad exteros tranſlatum profanaretur: mera tamen eos agebat ambitio, quod ſoli eminere, omnibus aliis in ordinem coactis, vellent. Cæterum in unius hominis perſona ad officium animantur omnes pii doctores, ne ipſos impediat hominum malitia, quominus Dei gratiam miſeris quamlibet indignis offerre pergant.

18. *Ut aperias oculos eorum.*] Videtur Paulus quod Dei proprium eſt ſibi arrogans, nimium ſe efferre. Scimus enim non niſi à Spiritu ſancto illuminari mentis oculos. Scimus Chriſtum unicum eſſe liberatorem, qui nos à Satanæ tyrannide eripit. Scimus unum eſſe Deum, qui abolitis peccatis, in ſortem ſanctorum nos cooptat. Sed hoc uſitatum eſt, ut Deus honorem ſibi uni debitum ad miniſtros transferat: non ut quicquam ſibi deroget, ſed ut commendet quam in ipſis exerit Spiritus ſui efficaciam. neque enim ipſos ad opus mittit, ut mortua ſint organa, vel quaſi fabulæ actores: ſed ut potenter operetur per ipſorum manum. Cæterum, quod efficax eſt eorum prædicatio, ab arcana ejus virtute pendet, qui agit omnia in omnibus, & ſolus dat incrementum. Mittuntur ergo doctores, non qui fruſtra verba in aërem ſpargant, vel qui aures duntaxat inani ſonitu feriant: ſed qui vivificam lucem cæcis afferant, reforment in Dei juſtitiam hominum corda, & ratam faciant quæ Chriſti morte parta eſt, ſalutis gratiam. Sed horum nihil præſtant, niſi quatenus per ipſos Deus operatur, ne inutilis ſit eorum labor: ut tota laus penes ipſum ſolum reſideat, ſicuti ab eo manat effectus. Et ideo notandum eſt, quoties Scriptura tam honorifice externum miniſterium extollit, non eſſe ſeparandum à Spiritu, qui ipſum non aliter quam anima corpus vivificat. Nam aliis locis docet quam nihil per ſe efficiat hominum induſtria: imo quam nihil per ſe
conferat. Ipſorum enim eſt plantare & rigare; incre- 1 Cor. 3.
mentum vero dare, ſolius Dei. Cæterum quia ple- verſ. 6.
riſque obſtat ſua ignorantia & malignitas, ne fructum qualem decebat, ex Euangelio percipiant: notanda eſt hæc deſcriptio, quæ breviter & luculente incomparabilem illum theſaurum ante oculos explicat. Hic ergo ſcopus eſt Euangelii, ut liberati à cæcitate mentis, fiamus cæleſtis lucis participes; ut erepti à Satanæ dominio, convertamur ad Deum: ut gratuita peccatorum remiſſione donati, ſortem æternæ hæreditatis conſequamur inter ſanctos. Huc defixos habere ſenſus oportet, quicunque in Euangelio ritè proficere cupiunt. quid enim nobis proderit aſſidua ejus prædicatio, cujus verum uſum non tenebimus? Ac ſimul nobis deſcribitur perfecta ſalutis noſtræ ratio. Salutem ſe appetere omnes jactant: pauci autem attendunt quomodo eos ſervare velit Deus. ergo locus hic qui modum ſcite complectitur. inſtar clavis eſt ad reſerandam cælorum januam. Præterea ſciendum eſt, his bonis quæ Chriſtus per Euangelii ſui fidem conſequi nos teſtatur, naturaliter privari totum genus humanum. Ita ſequitur omnes eſſe cæcos, quia fide illuminantur: omnes Satanæ eſſe mancipia, quia per fidem aſſeruntur ex ejus tyrannide: omnes Deo inimicos & æternæ morti obnoxios, quia fide remiſſionem peccatorum accipiunt. Ita nihil extra Chriſtum & ejus fidem nobis miſerius. unde etiam apparet, quam nihil libero arbitrio & humanis meritis fiat reſiduum. Quantum ad ſingulas partes ſpectat, illuminatio ad Dei notitiam refertur: quia tota noſtra perſpicacia mera eſt vanitas & denſæ tenebræ, donec ipſe nobis per veritatem ſuam affulgeat. Latius patet quod deinde ſequitur, Converti à tenebris ad lucem. id enim fit quum renovamur ſpiritu mentis noſtræ. Itaque, meo judicio, hoc membrum & poſterius inter ſe cohærent, Converti à poteſtate Satanæ ad Deum. diverſis enim loquendi formis exprimitur illa reno-
vatio, quam fuſius declarat Paulus 2. ad Epheſ. cap. Eph. 2.
Sequitur remiſſio peccatorum, qua nos ſibi Deus verſ. 10.
gratis reconciliat, ut placatum nobis & propitium & 4: 23.
fore non dubitemus. Tandem complementum

omnium

omnium ponitur ultimo loco, vitæ ſcilicet æternæ hæreditas. Perperam uno contextu quidam legunt, Inter ſanctificatos per fidem: quia particula hæc ad totum complexum extenditur. ideo ſenſus eſt, fide nos venire in poſſeſſionem bonorum omnium quæ per Euangelium offeruntur. Fides autem proprie dirigitur in Chriſtum: quia io ipſo incluſæ ſunt omnes ſalutis noſtræ partes. nec eas alibi quam in ipſo quærere Euangelium jubet.

19. Unde, Rex Agrippa, non fui inobediens cæleſti viſioni:

20. Sed his qui ſunt Damaſci primum & Jeroſolymis, & per omnem regionem Judææ, deinde & Gentibus annunciavi, ut reſipiſcerent & converterentur ad Deum, opera facientes digna pœnitentiæ.

21. Horum cauſa Judæi me in templo comprehenſum tentarunt interficere.

22. Auxilium igitur nactus à Deo, uſque in præſentem diem ſto, teſtificans tum parvo tum magno, nihil aliud dicens, quam ea quæ Prophetæ prædixerant futura eſſe, & Moſes.

23. An paſſurus fuerit Chriſtus, an primus ex reſurrectione mortuorum lumen annunciaturus ſit populo & Gentibus.

19. Nunc breviter admonet quo conſilio retulerit ſuæ converſionis hiſtoriam: hoc eſt, ut teſtatum faceret Agrippæ & reliquis, Deum ſe habere auctorem eorum omnium, quæ ſacrilegii & apoſtaſiæ Judæi damnabant. Agrippam oominatim compellat, quia Feſto & Romanis ſciebat penitus ignotum eſſe quid ſibi vellet cæleſtis viſio. Jam in ipſa doctrinæ ſumma nihil eſſe apparet diſſonum vel remotum à Lege & Prophetis. unde etiam oraculo major adſtruitur fides, quo nihil docere juſſus eſt Paulus, niſi Scripturæ conſentaneum. Pœnitentiæ adjungitur converſio ad Deum, non tanquam diverſum aliquid: ſed ut ſciamus quid ſit reſipiſcere. ſicuo etiam contra hominum corruptela & pravitas nihil aliud eſt quam alienatio à Deo. Quia autem pœnitentia res eſt ioterior, & ſita in cordis affectu, opera quæ illam teſtentur, ſecundo loco requirit Paulus: ſecundum illam Joannis Baptiſtæ exhortationem, Proferte fructus dignos pœoitentia. (*Mat. 3. verſ. 8.*) Jam quum Euangelium Chriſti omnes ad pœnitentiam vocet, ſequitur omnes naturaliter vitioſos eſſe & corruptos, opuſque habere mutatione. Docet ſimiliter hic locus, inſcite Euangelium pervertere qui Chriſti gratiam à pœnitentia ſeparant.

21. *Tentarant interficere.*] Hic de hoſtium ſuorum iniquitate conqueritur, ut inde pateat malam cauſam ipſos agere mala conſcientia. nam ſi quid peccaſſet Paulus, jure ipſum perſequi licebat. & illic potior ſutura erat eorum conditio, quum gratia & auctoritate longe plus pollerent. Teſtatur ergo rabies ad quam proſiliunt, ratione eos deſtitui. Quod ſe Dei auxilio ſervatum dicit Paulus, ad confirmaoionem doctrinæ ſuæ valet. unde enim fit ut manum illi porrigere dignetur ad opem ferendam, niſi quia miniſtrum ſuum agnoſcit, & cauſam quam probat vult tueri? Adde quod Dei præſidio animari debuit, ut tanto conſtantius in officio pergeret. ingrati enim hominis fuiſſet, opem ferenti ſe ſubducere. Quo eriam exemplo docemur, quoties eripimur ex periculis, non ideo prorogari nobis vitam à Domino, quæ deinde per ignaviam marceſcat: ſed ut alacriter officio ooſtro ſungentes, in ejus gloriam mori ſingulis momenris parati ſimus, qui nos ſibi reſervavit. Neque tamen oblitus errat Paulus quid Tribuoo deberet. ſed hic commendat Dei auxilium, ut non aliter debuiſſe fieri oſtendat, quam ut reliquum vitæ curſum illi impenderet, à quo liberatus fuerat: licet id contigiſſet hominis manu & opera.

22. *Teſtificans tum parvo.* Dictum eſt alibi plus eſſe teſtificari quam docere: acſi ſolennis inter Deum & homines conteſtatio fieret, ut ſua conſtet Euangelio majeſtas. Dicit autem ſe magnis & parvis eſſe teſtem, ut ſentiat Rex Agrippa ad ſe quoque hoc pertinere: & quum minimis quibuſque offertur ſalutis doctrina, minime id obſtare quominos etiam ad Regum altitudinem conſcendat. Eodem enim complexu Chriſtus homines univerſos in ſinum ſuum colligit, ut qui prius in ſtercore jacebant, erecti in tantum honorem, in gratuita ejus bonitate glorientur: qui vero in alto honoris grado locati ſunt, ſponte ſe humilient, oec graventur ex contemptibili & infimo vulgo habere fratres, ut ipſi filii Dei fiant. Sic primo ad Romanos capite, Stultis & ſapientibus ſe debitorem eſſe commemorat, ne Romanis obſtaculo ſit ſapientiæ ſuæ fiducia, quo minus ſe ejus doctrinæ ſubmittant. (*Rom. 1. verſ. 14.*) Hinc diſcamus non eſſe in arbitrio doctoris, auditores ſibi deligere: nec minus facere Deo injuriam, quam jure ſuo fraudare homines, qui ſuam operam ad magnos reſtringunt, qoos Deus parvis aſſociat. Ad ætates hoc reſtringere, frigidum eſſet. Itaque noo dubito exceptionem tolli inter claros & ignobiles, quia neque illorum præſtantiam reveritus fuerit Paulus, neque horum parvitatem faſtidierit, quominus promiſcue otriſque fidum doctorem præſtaret.

Nihil aliud dicens.] Primo notatu dignum eſt, quod Paulus ut idoneos & claſſicos producat doctrioæ ſuæ teſtes, oon eos ex hominibus aſſumit: ſed Moſem citat & Prophetas, quibus indubia auctoritas data erat à Domino. Et certe hoc unum ſolide docendi principium eſt, nihil proferre, niſi quod ex ore Dei prodiiſſe convenit. Deinde notare operæpretium eſt, præcipua fuiſſa diſputationis capita, quæ nunc attingit Lucas: Hoc fuiſſe proprium Chriſti munus, morte ſua expiare peccata mundi, reſurgendo juſtitiam & vitam hominibus acquirere: fructum autem reſurrectionis & mortis tam Judæis quam Gentibus eſſe communem. Atqui quum nullum in Lege mortis vel reſurrectionis clarum & literale, ut vocant, teſtimonium extet: dubium non eſt quin doctrinam habuerint per manus traditam Patribus, ex qua diſcerent referre ad Chriſtum omnes figuras. Et prophetæ qui de Chriſto apertius vaticinati ſunt, ſicuti non niſi ex fonte illo hauriebant: ita fidem ſecerunt ſuo ſeculo, nihil ſe novum vel alienum à Moſe tradere. Jam vero aut ſuam apologiam non abſolvit Paulus, aut illuſtriora teſtimonia collegit eorum omnium, in quibus profeſſus fuerat Moſem & Prophetas fuiſſe ſibi auctores.

23. *Primus ex reſurrectione.*] Tempore quidem præceſſit quorundam aliorum reſurrectio. nempe ſi recipimus ſanctos, quorum mentio fuit apud Euangeliſtas, exiiſſe è ſepulchris ante Chriſtum: (*Mat. 27. verſ. 52.*) quod in raptum Enoch & Heliæ competit. (*Gen. 5. verſ. 24.* *2 Reg. 2. verſ. 11.*) ſed Primum hic vocat, ſicut alibi, primitias reſurgentium. (*1 Cor. 15. verſ. 23.*) Itaque nomen hoc cauſam potius deſignat quam temporis ordinem: quia Chriſtus reſurgeos, mortis victor & vitæ dominus emerſit, ut perpetuo regnaret, ſuoſque faceret conſortes beatæ ſuæ immortalitatis. Lucis oomine comprehenditur quicquid ad plenam

felicitatem ſpectat: ſicuti per tenebras, mortem & omne miſeriæ genus Scriptura paſſim ſignificat. Nec dubito quin Paulus ad Prophetarum dicta alluſerit, Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Jeſ. 9. Item, Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem videbitur Dominus. Jeſ. 60. Item, Ecce iis qui in tenebris ſunt, exorietur lumen. Jeſ. 42. Item, Dedi te in lucem Gentium. eodem cap. & 49. Quod autem lux vitæ è Judæa latius diffundi ad Gentes debuerit, ex compluribus oraculis patet.

Jeſ. 9: 2. Jeſ. 60. verſ. 2. Jeſa. 42. verſ. 16. Jeſa. 42. verſ. 6. & 49: 6.

24. Hæc autem quum pro ſe diceret, Feſtus magna voce ait, Inſanis Paule, multæ literæ te ad inſaniam convertunt.

25. Et Paulus, Non inſanio, inquit, optime Feſte, ſed veritatis & ſobrietatis verba eloquor.

26 Scit enim de his Rex, apud quem & libere loquor. latere enim eum nihil horum arbitror: neque enim hoc in angulo geſtum eſt.

27. Credis, Rex Agrippa, Prophetis? Scio quod credis.

28. Agrippa autem ad Paulum ait, Brevi perſuades mihi ut fiam Chriſtianus.

29. Et Paulus ait, Optarim à Deo, & modica in parte & magna, non te modo, ſed omnes etiam qui me audiunt, hodie eſſe tales qualis ego ſum, exceptis vinculis his.

30. Et hæc eo loquuto, ſurrexit Rex ac Præſes & Bernice, & qui aſſidebant eis.

31. Et quum ſeceſſiſſent, loquebantur inter ſe, dicentes, Nihil morte aut vinculis dignum facit home iſte.

32. Agrippa autem Feſto dixit, Dimitti poterat homo hic, ſi non appellaſſet Cæſarem.

24. *Feſtus magna voce.*] Oſtendit hæc Feſti acclamatio quantum apud reprobos proficiat, Dei veritas: dum ſcilicet quantumvis probe teſtata & conſpicua, eorum tamen faſtu calcatur. nam quæ ex Lege & Prophetis Paulus diſſeruerat, licet nihil haberent delirio affine, imo in optima ratione ſundata eſſent, ille nihilominus inſaniæ tribuit: non quod aliquid videat abſurdum, ſed quia repudiat quæcunque non capit. Nihil ſtultius erat vel magis inſulſum Gentium ſuperſtitionibus, ut ſummos Antiſtites merito puderet ſua myſteria proferre, quorum ineptiæ pluſquam ridiculæ erant. Feſtus in Pauli ſermone reconditam eruditionem agnoſcit. interim tamen quia Euangelium incredulis opertum eſt, quorum mentes excæcavit Satan, putat hominum eſſe fanaticum, qui perplexas ambages involvat. Ita quamvis ridere & palam contemnere nequeat, adeo tamen non movetur, ut Paulum habeat pro homine arreptitio & inſanæ curioſitatis. Hinc etiam fit ut animum advertere non ſuſtineat, ne ſe eadem implicet inſania. Sicuti multi hodie à verbo Dei refugiunt, ne ſe demergant in labyrinthum: ac deſipere nos putant, qui diſputationes de rebus arcanis movendo, nobis & aliis moleſti ſumus. Quare hoc exemplo admoniti, petamus à Domino ut patefacta nobis doctrinæ ſuæ luce, ſimul ejus guſtu nos imbuat, ne ſua obſcuritate nobis reddatur inſipida, ac tandem ſuperbum faſtidium in blaſphemiam erumpat.

2 Cor. 4. verſ. 3.

25. *Non inſanio.*] Non ſuccenſet Paulus, nec ſeverius blaſphemam Feſti vocem exagitat: imo honorifice eum compellat. nam neque durior objurgatio locum habebat, & venia danda erat hominis inſcitiæ, quum minime ex profeſſo contra Deum inſurgeret. Rationem etiam habebat perſonæ. quamvis enim honore indignus eſſet, præerat tamen cum imperio. neque tamen propterea cedit blaſphemiæ, quin verbo Dei ſuam gloriam aſſerat. Unde etiam perſpicimus, poſthabito ſui reſpectu, tantum de doctrina fuiſſe ſollicitum. non enim jactat ſuum acumen, non contendit, nec laborat pro ſua prudentia: ſed hac una defenſione contentus eſt, quod nihil doceat niſi verum & ſobrium. Veritas porro impoſturis & fallaciis quibuslibet opponitur: ſobrietas frivolis ſpeculationibus, vel ſpinoſis argutiis, quæ tantum contentionum ſunt ſemina. Occurrit quidem Paulus Feſti errori: ſed hinc colligere licet quænam ſit proba docendi ratio, quæ ſcilicet non modo pura eſt ab omnibus fallaciis, ſed neque inebriat hominum mentes vanis quæſtionibus, nec indulget ſtultæ curioſitati, nec intemperantem pluſquam par eſt ſciendi pruritum fovet: ſed moderata eſt ad ſolidam ædificationem.

26. *Scit enim de his Rex.*] Convertit ſe ad Agrippam in quo plus erat ſpei. Ac primum quidem dicit notam illi eſſe rerum hiſtoriam: ſed ſtatim eum ad Legem & Prophetas revocat. Neque enim multum proderat rem geſtam tenere, niſi ſciret, quæ prædicta erant de Chriſto, in perſona Jeſu crucifixi impleta eſſe. Quod vero de fide Agrippæ non dubitat Paulus, non tam facit ejus laudandi cauſa, quam ut Scripturam eximat ab omni controverſia, ne in ipſis principiis ſubſiſtere cogatur. Senſus eſt igitur, Scripturam eſſe αὐτόπιστον, ut fas non ſit homini Judæo, ejus auctoritati vel minimum detrahere. Neque tamen illi blanditur Paulus. quanquam enim Scripturam non reverebatur, ut pio homine dignum erat: hoc tamen à pueritia rudimentum imbiberat, ut perſuaſus eſſet, nihil præter Dei oracula illic contineri. quemadmodum vulgus hominum, etiamſi magnopere verbum Dei non curet: in genere tamen & confuſe verbum Dei eſſe agnoſcit, ut ſaltem religio prohibeat vel rejicere vel deſpicere.

28. *Agrippa autem ad Paulum.*] Hoc ſaltem profecit Apoſtolus, ut confeſſionem non voluntariam exprimeret Regi Arippæ: ſicuti annuere ſolent qui veritati amplius reſiſtere nequeunt, vel ſaltem aliquod dare aſſenſus ſignum. Significat quidem Agrippa non libenter fore ſe Chriſtianum, imo fieri nolle: ſe tamen refragando eſſe imparem, ſed quodammodo invitum trahi. Unde apparet quanta ſit humani ingenii pervicacia, donec Spiritu Dei ad obſequium ſubigatur. Particulam ἐν ὀλίγῳ varie exponunt interpretes. Valla putavit ſic vertendum, Parum abeſt quin me Chriſtianum facias. Eraſmus reddidit, Modica ex parte. Simplicius vetus Interpres, In modico: quia ſaltem verbum verbo reddens, liberum lectoribus judicium permiſit. Et certe ad tempus commode poteſt referri, acſi dixiſſet Agrippa, Statim, vel uno momento facies me Chriſtianum. Siquis excipiat non quadrare Pauli reſponſum, facilis eſt ſolutio. nam quum ambigua eſſet loquutio: quod de tempore dictum erat, ſcite Paulus ad rem traxit. Quum ergo intelligeret Agrippa ſe fere Chriſtianum eſſe factum exiguo tempore: ſubjecit Paulus ſe cupere ut tam ipſe quam comites, à parvis initiis ad majores

progreſſus

progreſſus conſcenderent. neque tamen diſplicet ἐν ὀλίγῳ tantundem valere ac propemodum. Hæc autem reſponſio teſtis eſt, quanto propagandæ Chriſti gloriæ zelo flagraverit ſanctum viri pectus, dum vincula ſibi à Præſide injecta patienter ſuſtinens, eum cupit exitialibus diaboli laqueis exceptum, & tam ipſum quam alios ejuſdem gratiæ conſortes ac ſocios ſibi adjungere, moleſta interim & probroſa ſorte contentus. Notandum quod non ſimpliciter optat: ſed à Deo, ſicuti ejus eſt nos ad Filium trahere: quia niſi intus docente ejus Spiritu, ſemper frigebit exterior doctrina.

29. *Exceptis vinculis.*] Certum eſt non tam dura
Galat. 6. vel triſtia fuiſſe Paulo ſua vincula in quibus ſæpe glo-
verſ. 17. riatur, & quæ honoris cauſa in medium profert, tanquam legationis ſuæ inſigne: ſed rationem eorum habet, quibus ſidem precatur ſine moleſtia & cruce. Nam qui nondum in Chriſtum credebant, longe aberant ab eo affectu, ut pro Euangelio certare parati forent. Et certe pios omnes hac manſuetudine præditos eſſe convenit, ut crucem ſuam placide ferant: alios autem cupiant commode agere, & quantum in ſe eſt, levare ſtudeant omni moleſtia, quieti autem vel lætitiæ minime invideant. Hæc humanitas & moderatio ab eorum acerbitate longe remota eſt, qui mala ſua aliis imprecando, ſolatium inde petunt.

31. *Loquebantur inter ſe.*] Quod abſolvitur Paulus omnium ſententia, in Euangelii non vulgare decus ceſſit. Et Feſtus reliquis aſſentiens, ſeipſum damnat: ut qui ſua iniquitate in eas anguſtias Paulum conjecerat, ſub ſpecie mutandi loci ejus vitam hoſtium inſidiis prodendo. Tametſi autem videtur provocatio ſancto viro damnoſa eſſe: quia tamen hoc unicum illi à morte effugium fuerat, quietus manet, nec ſatagit ut ſe ab illo laqueo explicet: non modo quia res jam non erat integra, ſed quia in
viſione admonitus fuerat ſe Romam quoque divini- *ſupra 23.*
tus vocari. *verſ. 11.*

CAP. XXVII.

POſtquam autem decretum eſt ut nos navigaremus in Italiam, tradiderunt & Paulum & quoſdam alios vinctos Centurioni, nomine Julio, cohortis Auguſtæ.

2. Conſcenſa autem nave Adramyttina, navigaturi juxta loca Aſiæ, ſolvimus, perſeverante nobiſcum Ariſtarcho Macedone Theſſalonicenſi.

3. Sequenti autem die appulimus Sidonem. & Julius humaniter tractato Paulo, permiſit ut ad amicos profectus, ab illis curaretur.

4. Et inde quum ſolviſſemus, ſubnavigavimus juxta Cyprum, propterea quod eſſent venti contrarii.

5. Et pelagus quod eſt contra Ciliciam & Pamphyliam emenſi, pervenimus Myram, quæ eſt Lyciæ:

6. Et ibi nactus Centurio navem Alexandrinam navigantem in Italiam, impoſuit nos in eam.

7. Et quum multis diebus tarde navigaremus, vixque deveniſſemus contra Gnidum, prohibente nos vento, adnavigavimus Cretæ juxta Salmonem:

8. Et vix præterlegentes eam, pervenimus in locum quendam qui vocatur Pulchri portus, cui vicina erat civitas Laſæa.

1. Navigatio Pauli à Luca nobis narratur hoc maxime conſilio, ut ſciamus Romam fuiſſe mirabiliter perductum Dei manu: & in ipſo itinere multis modis illuſtrem apparuiſſe in ejus dictis & factis Dei gloriam: quæ magis ac magis ejus Apoſtolatum ſanciret. Traditur quidem ducendus cum aliis vinctis: ſed Dominus poſtea longe ipſum à ſceleratis & maleficis diſcernit, quibuſcum illi communis erat vinculorum conditio. Quin etiam paulo poſt videbimus ut eum Tribunus laxet, & quaſi liberum habeat inter vinctos. Cohortem quam vocet Auguſtam Lucas, neſcio: niſi forte quæ ante Cæſarum monarchiam, Prætoria ſolebat vocari. Nominatim vero dicit Lucas in navem Adramyttinam fuiſſe impoſitos: quia navigaturi erant prope litus Aſiaticum. eſt enim Adramyttium urbs Æoliæ. Ex quo autem portu ſolverint, mihi incertum eſt: quia recta navigatio non fuiſſet verſus Sidonem, niſi multum fallant topographicæ tabulæ, probabilis eſt conjectura illuc fuiſſe delatos, vel quia navis alibi non reperiebatur, vel quia ex illa regione ſumendi erant vincti illi quorum facta eſt mentio.

2. *Perſeverante nobiſcum.*] Sic videtur Lucas unius hominis laudare conſtantiam, ut alios perſtringat. nam plures comites eum Jeroſolymam ſequuti erant: ex quibus nunc duos tantum fuiſſe reſiduos videmus. Sed quia fieri poteſt ut alios impedierint juſtæ cauſæ, vel etiam eorum officium recuſaverit Paulus, nihil in utramvis partem affirmo. nec vero abſurdum eſt, ut peculiaris fuerit ratio cur hunc præ aliis laudaret Lucas, quum tamen unus eſſet ex pluribus. Certe hominem fuiſſe divitem probabile eſt, qui triennii ſumptus ferre potuerit, relicta domo ſua. Prius
enim habuimus, multos ex primariis familiis Theſ- *ſupra 17.*
ſalonicenſes Chriſtum amplexos eſſe. Ariſtarchum *verſ. 11.*
vero & Secundum, honoris cauſa Lucas recenſuit
veniſſe cum Paulo in Aſiam, cap. 20. Hoc ergo quod *ſupra 20.*
certum eſt ac utile cogni[illegible] [illegible]enere ſufficiat, exem- *verſ. 4.*
plum ſanctæ patientiæ nobis proponi, quod Ariſtarchus nullo tædio vel moleſtia fatigatur, quin ſponte eandem cum Paulo fortunam ſubeat: & poſtquam affixus fuerat ejus carceri per biennium, nunc mare trajiciat, ut ei quoque Romæ miniſtret, non abſque ſiniſtra multorum exprobratione, præter rei domeſticæ jacturam, tot ſumptus incommoda.

3. *Permiſit ut ad amicos.*] In urbe ampla & maritima, latebras Paulus nanciſci poterat. ſed vinctus oraculo tenebatur, ne ſe Dei vocationi ſubtraheret. deinde quia tam humaniter cum eo egerat Centurio, ut amicis curandum permitteret, quem in navis pædore relinquere poterat, non debuit nec potuit ſine turpi perfidia illius periculo vitæ ſuæ conſulere. nec vero committendum, ut cuiquam à quo benigne habiti ſimus, noſtra culpa humanitas ſua ſit fraudi. Tractum navigationis quam refert Lucas, ex Geographis petant Lectores. hoc ſolum admoneo, huc ſpectare quicquid dicitur, ut ſciamus difficilem & tempeſtuoſam fuiſſe navigationem ex quo ſolverunt ex portu Sidonio, donec prope Melitam ventum eſt. Deinde longo tempore luctatos fuiſſe nautas cum adverſis ventis, donec ſævior procella invaluit, cujus exitus tandem fuit naufragium quod videbimus.

9. Multo autem tempore peracto, & quum jam eſſet periculoſa navigatio, quod jam jejunii quoque tempus præteriiſſet: admonebat eos Paulus,

10. Dicens eis, Viri, video quod cum injuria multoque damno non ſolum oneris & navis, ſed etiam animarum noſtrarum futura ſit navigatio.

11. Centurio autem gubernatori & nauclero magis credebat, quam iis quæ à Paulo dicebantur.

12. Et quum portus ineptus eſſet ad hybernandum, complures cœperunt conſilium illinc ſolvendi, ſi quo modo poſſent pervenire Phœnicem, & illic hybernare. Is eſt portus Cretæ, ſpectans ad Africum & ad Chorum.

13. Aſpirante autem Auſtro, rati ſe propoſiti compotes, quum transgreſſi eſſent propius, præterlegebant Cretam.

14. Sed non multo poſt coortus eſt contra ipſam ventus Typhonicus, qui vocatur Euroclydon.

15. Quumque correpta eſſet navis, nec poſſet obniti vento, data flatibus nave ferebamur.

16. In inſulam autem quandam devecti quæ vocatur Clauda, vix potuimus obtinere ſcapham:

17. Qua ſublata, adjutoriis utebantur, ſubcingentes navem: timentesque ne in Syrtim inciderent, demiſſo vaſe ſic ferebantur.

18. Quum autem vehementi tempeſtate jactaremur, ſequenti die jactum fecerent:

19. Ac tertio die noſtris manibus armamenta navis projecimus.

20. Porro neque ſole neque ſideribus apparentibus ad complures dies, & tempeſtate non exigua imminente, jam ablata erat ſpes omnis ſalutis noſtræ.

9. *Quum jam eſſet periculoſa navigatio.*] Non modo intelligit ventos fuiſſe tunc contrarios, ſed incommodum etiam anni tempus: quod clarius deinde exprimit, dicens Jejunium præteriiſſe. hanc enim particulam exegetice additam eſſe puto, ad notandum finem autumni. Nec refert quod Centurioni & reliquis vectoribus ac nautis ignotum erat ſolenne illud jejunii tempus, quod ootatur à Luca: nam ex more populi Judaici partes anni deſignat. Porro dubium noo eſt quin autumnale eſſet jejuoium. Quanquam eorum opinioni non aſſeotior, qui unum ex quatuor jejuniis fuiſſe putaot, quæ ſibi inſtituerant Judæi poſt Babylonicum exilium. Tertium enim quod erat ſeptimi menſis, quum præ aliis celebre non foret, utpote ob mortem Godoliæ & cladem reliqui populi indictum: noo ſimpliciter poſuiſſet Lucas, ſed adjecta diſtinctionis oota. deinde oeſcio an poſt reditum mos ille retentus à populo fuerit. Magis probabile eſt feſtum expiationis intelligi, quo jubebat
Lev. 16. Dominus animas affligi per ſeptem dies. Initium vero
verſ. 29. fiebat à decimo die meoſis ſeptimi: cui nunc partim September, partim October reſpondet. Quum ergo jam Octobrem ingreſſi eſſent, non abs re dicitur periculoſa tuoe fuiſſe navigatio. Quod ſi ad inediam referas (ut faciunt quidam) non video quis ſenſus poſſit elici. erat enim adhuc in navi tritici copia, ut neceſſitate eſurire non debuerint. Cur autem voluntarii jejunii tempus diceret eſſe impletum? Ad hæc ex contextu poſtea patebit, ideo monitos fuiſſe à Paulo ut interquieſcerent, quia hyems inſtabat, cujus aſperitas mare claudere ſolet. Quamvis enim conſideret Deum fore navis rectorem, nolebat tamen temere feſtinando eum tentari.

11. *Centurio autem.*] Non reprehenditur Centurio quod gubernatorem & nauclerum potius audierit quam Paulum: quid enim egiſſet? Nam ut Pauli conſilio aliis in rebus plurimum deferret, ſciebat tamen navigandi artem non tenere. ergo quod prudentis & modeſti eſt hominis, à peritis & exercitatis regi ſe patitur. Et ipſa oeceſſitas huc eum prope cogebat: portus enim ad hybernandum erat incommodus. Nec vero ſuadebat gubernator, navem io altum projici: ſed ut in vicinum portum ſe conferrent, qui prope in oculis erat. Ita brevi moleſtia redimebatur hyemis tranſigendæ commoditas. Neque tamen hoc fruſtra refert Lucas: ſed ut ſciamus Paulum jam ab initio ioſtructum fuiſſe præſentia Spiritus, ut melius videret quæ utilia erant quam magiſtri ipſi. Oraculone edoctus, an occulta ioſpiratione conſilium hoc dederit, neſcitur. Hoc quidem certum eſt, ad ejus commendationem poſtea valuiſſe. Porro quum dicat legiſſe Creticum litus, donec in diverſam partem rapti ſunt: jure Beza noſter interpretum hallucinationem reprehendit in voce *ἆσσον*, dum ex adverbio fecerunt urbis nomen.

15. *Quum correpta eſſet navis.*] Hic Lucas accidiſſe narrat, quod ſolet in extremo diſcrimine, ut ſe ventis ferendos permitterent. Quum prius aliquateous progreſſi, ſibi ex animi voto ſuccedere putarent oautæ, non dubium eſt quin Pauli monitionem deriſerint: ut mos eſt temerariis hominibus, quoties arridet fortuna, inſoleſcere. Nuoc deprehenſi, oimis ſeram audaciæ ſuæ pœnam luunt: imo prope inſulam appulſi, noo minus ſibi metuunt ab impactione, quam prius à ſubverſione navis. Et diligenter ea omnia perſequitur Lucas, ex quibus colligere liceat, adeo atrocem & ſævam fuiſſe procellam, ac pertinaciter duraſſe, ut ſubinde novæ mortes inſtarent. Simul etiam declarat, ſtrenue uſos fuiſſe omnibus remediis quæ naufragio mederi poſſent, nec mercibus vel armamentis pepereiſſe: unde cognoſcimus, vivo periculi ſenſu coactos fuiſſe ad extrema. Et Lucas ſubjicit, tandem omnibus tentatis, ipſos de ſua ſalute deſperaſſe. Et certe caligo cæli, cujuſdam ſepulchri inſtar erat. nec dubium eſt quin Dominus hoc modo liberationis gratiam, quæ paulo poſt ſequuta eſt, magis commendare ac notabilem reddere voluerit. Interea ſervum ſuum cum aliis laborare paſſus eſt, donec ſe putaret morti addictum. Non enim ante illi per Angelum apparuit, quam videri poſſet de ejus vita actum eſſe. quare non modo jactatum inter procellas fuit ejus corpus: ſed anima quoque duris & violentis tentationibus fuit concuſſa. Eventus tamen ipſe oſtendit, fide ſubſtitiſſe ne labaſceret. Lucas quidem non refert ejus preces: ſed quia poſtea ipſe recitat Angelum Dei cui ſerviebat, ſibi fuiſſe viſum, probabile eſt dum alii cælo & terræ maledicebant, ſuas preces ſurſum direxiſſe: & ita quietum fuiſſe, & compoſito aoimo expectaſſe quid Deo placeret. Quod autem dicit ablatam fuiſſe ſpem ſalutis, oon debet referri ad ejus ſenſum, ſed tantum ad humana media: acſi dixiſſet, ita res fuiſſe confuſas, ut humanitus nulla ſalus teſtaret.

21. Quum

21. Quum autem multa fuiſſet inedia, tunc ſtans Paulus in medio eorum, dixit, Oportebat quidem, ô viri, mihi obtemperando non ſolvere à Creta, nec accerſere nobis injuriam hanc & jacturam.

22. Et nunc hortor ut bono animo ſitis. Jactura enim animæ nulla erit ex vobis: ſed tantum navis.

23. Adſtitit enim mihi hac nocte Angelus Dei cujus ſum ego, quem & colo,

24. Dicens, Ne timeas Paule, Cæſari te oportet ſiſti. Et ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum.

25. Propter quod bono animo eſtote, viri. Credo enim Deo, quod ſic erit quemadmodum dictum eſt mihi.

26. In inſulam autem quandam oportet nos incidere.

27. Sed poſtquam quartadecima nox ſupervenit, navigantibus nobis in Adria, circa medium noctis ſuſpicabantur nautæ apparere ſibi aliquam regionem.

28. Qui & demiſſa bolide repererunt paſſus viginti. ac puſillum inde digreſſi, rurſum demiſſa bolide repererunt paſſus quindecim.

29. Timenteſque ne in aſpera loca inciderent, de puppi jactis anchoris quatuor, optabant diem oriri.

30. Nautis vero quærentibus fugere è navi, quum demiſiſſent ſcapham in mare, ſub prætextu velut è prora anchoras extenſuri,

31. Dixit Paulus Centurioni & militibus, Niſi hi in navi manſerint, vos ſalvi fieri non poteſtis.

32. Tunc abſciderunt milites funes ſcaphæ, & paſſi ſunt eam excidere.

21. *Quum multa fuiſſet inedia.*] Quanquam diſerte non exprimit Lucas quomodo ſe nautæ & milites geſſerint: Paulum tamen ſatis clare ab illis diſcernit, narrans in medio eorum ſtetiſſe, ut collapſos eorum animos erigeret. neque enim ad hortandum idoneus eſt, niſi qui ipſe eſt conſtantiæ & fortitudinis exemplum. Porro hanc exhortationem diſtulit Paulus, donec omnes fere exanimes jacerent. Ex vulgari infidelium more conjicere promptum eſt, inter principia ſine modo & temperamento fuiſſe tumultuatos. Inter clamores illos & ſtrepitus, nunquam moderata vox audita fuiſſet. nunc poſtquam ſatagendo & ejulando feſſi, attonitis ſimiles reſident, eos alloquitur Paulus. Ergo velut ſemimortuos languere oportuit, donec pauliſper ſedati eſſent placide, & cum ſilentio audirent probe monentem. Videtur tamen intempeſtive facere Paulus, dum eis ſtultitiam exprobrat, quia ſalvis rebus obtemperare ſuo conſilio noluerint, quem ſciebant rei nauticæ imperitum: ut ipſe quoque ſibi conſcius erat propriæ inſcitiæ. Atqui ſi reputamus quam ægre flectantur homines & formentur ad ſanam mentem, apprime utilis fuit hæc caſtigatio. Nulla erat Pauli auctoritas quæ illos moveret, niſi hoc teſtatum illis foret, infeliciter illis ceſſiſſe, quod eum prius neglexerant. Crudelis quidem eſt objurgatio, quæ nihil affert ſolatii. verum ſi addito remedio condiatur, jam ipſa eſt pars medicinæ. Sic Paulus poſtquam attentos reddidit vectores, & ab ipſo eventu docuit habendam ſibi eſſe fidem, ad bonum animum hortatur, & ſalutem promittit. Hoc vero fiduciæ non vulgaris ſignum eſt, quum dicit oportuiſſe ſibi obtemperari. Itaque his verbis teſtatur nihil ſe temere attuliſſe in medium: ſed quod divinitus præſcriptum erat, illis mandaſſe. Nam etſi nulla tunc ſpecialis revelatio ei data legitur: ſibi tamen arcanæ Spiritus gubernationis conſcius erat: ut intrepide monitoris partes ſuſcipere poſſet, qui præeuntem habebat Dei Spiritum. Unde melius patet quod nuper attigi, Paulum ita præfando expergefacere vectores, ut attentius audiant quod dicturus eſt. Alioqui ridiculum fuiſſet, hominem naufragum ejuſdem calamitatis ſociis ſalutem promittere.

23. *Adſtitit enim mihi.*] Ne temeritatis argui poſſit, quod tam ſecure omnibus ſalutem promittat, Deum teſtem ac auctorem adducit. Nec vero dubium eſt, quin certa illi conſtiterit viſionis fides, ut à Satanæ præſtigiis nihil metueret. Quia enim ſub revelationum ſpecie, ſæpe hominibus illudit ille mendacii pater: nunquam ſervis ſuis apparuit Deus vel per ſe vel per Angelos, quin illuſtribus notis omnem dubitationis ſcrupulum eximeret: deinde Spiritu diſcretionis eos inſtrueret, ne quis fallaciis eſſet locus. Cæterum, diſerte Paulus nomen Dei ſui celebrat apud homines profanos: non modo ut diſcant in Judæa coli verum Deum, ſed etiam agnoſcant ejus cultorem Paulum ipſum eſſe. Sciebant omnes cur conjectus eſſet in vincula. nunc quum è cælo ad eum Angeli deſcendant, colligere promptum eſt, divinitus probari ipſius cauſam. Subeſt igitur in his verbis Euangelii commendatio. Interea videmus ut Paulus vinculis triumphet, dum tot hominibus miniſter eſt ſalutis, & Dei interpres.

24. *Ne timeas Paule.*] Sedulo huc incumbit, ut uni Deo gloriam liberationis afferat: ne falſo eam ſuperſtitioſi, ad ſua idola transferant. & hoc modo ad rectam fidem eos invitat. Verum hinc patet quanta ſit hominum pravitas, quod aures claudunt ſanis & ſalubribus conſiliis, & ſtatim Dei gratiam, quamvis familiariter illis innotuerit, obliviſcuntur. imo, quod deterius eſt, præſentem & ſibi ante oculos poſitam non vident nec ſentiunt. Utcunque autem major pars ingrata fuerit: non tamen ſine fructu patefactum fuit hoc oraculum: imo hoc ipſum profuit, reddi inexcuſabiles qui ſibi in fallaciis omnis indulgebant. Quod autem dictum fuit oportere ſiſti Cæſari, huc ſpectabat, ut pios magis confirmaret ejus confeſſio, ut admoniti eſſent prodire à Deo teſtem aſſerendæ Euangelii doctrinæ, certo deſtinatum, & in hunc uſum ſervari.

Donavit tibi omnes animas.] Videtur innuere Lucas, Paulum non modo pro ſe, ſed pro aliis quoque oraſſe, ut omnes Deus è naufragio eriperet. Et certe probabile eſt, quum diſcrimen commune cerneret, non ita fuiſſe diſtentum vitæ ſuæ cura, ut alios negligeret, utpote quos cernebat eodem diſcrimine implicitos. Poteſt tamen fieri ut Dominus ſponte ejus preces anteverterit. Nec vero novum eſt, ejus benedictionem ad indignos extendi, qui aliquo ſocietatis nexu fidelibus conjuncti ſunt. Ita Sodomæ *Gen. 18. verſ. 32.* pepercisset, ſi reperti illic fuiſſent decem probi homines. Hic quæritur quatenus impiis proſit ſanctorum integritas. Primum tollenda eſt Papiſtarum ſuperſtitio, qui dum audiunt in gratiam piorum malis benefieri, illos ſomniant mediatores, qui meritis ſuis mundo ſalutem impetrent. In eo autem bis ſtulti

ſunt & præpoſteri, quod hæc vivorum elogia trahunt ad mortuos: nec aliter quam eorum intuitu Deum ſibi fore ſperant propitium. ideoque patronos ſibe aſciſcunt. Omitto quod Sanctorum merita extollendo, gratuitam Dei bonitatem obſcurant. Jam ut propoſitam quæſtionem ſolvamus, ſic breviviter habendum eſt, Quum malis permixti ſunt boni, utriſque promiſcue accidere res adverſas & proſperas: fieri tamen interdum, ut Dominus ſuis parcendo, impios ad tempus cum ipſis ſuſtineat. deinde plures eſſe cauſas, cur in gratiam fidelium, malis &
Gen. 39. verſ. 5. reprobis benefaciat. Domum Potipharis benedixit in gratiam Joſeph, ut illius animum ad præſtandam huic ſancto viro humanitatem flecteret. Suum erga Paulum favorem, multos homines ſervando incolumes, teſtatus eſt, ut ejus pietati teſtimonium redderet, ut inde eluceſceret Euangelii majeſtas. Cæterum tenere convenit, quæcunqoe Deus impiis beneficia largitur, tandem illis cedere in exitium: ſicuti rurſum fidelibus utiles ſunt pœnæ quas communiter cum reprobis ſuſtinent. Interea ſingulare hoc divini erga nos amoris pignus eſt, quod à nobis quaſdam beneficentiæ ſuæ guttas defluere ad alios facit.

25. *Credo enim Deo.*] Iterum inculcat Paulus unde ſibi tanta confidentia, ut intrepide inter innumeros maris gurgites ad portum affirmet omnes venturos: quia ſcilicet ita promiſit Deus. quibus verbis exprimitur fidei natura, dum ſtatuitur mutua inter ipſam & Dei verbum relatio, ut contra tentationum inſultus animos ſuſtentet. Cæterum non ſolum vectores ſuo exemplo ad credendum hortatur: ſed quaſi ſponſoris partes ſuſcipit, ut fidem oraculo conciliet. Quod mox ſubjicitur de inſula, poſterius ſignum eſt: unde poſt rei exitum clarius pateat, non fuiſſe hanc incertam navigationem. alias vectorum nihil intererat enatandi modum ſcire. Videmus ergo ut Deus quam pollicitus eſt ſalutem inſigniat, ne fortuita videri poſſit. Simul tamen notandum eſt, Deum illos tenere ſuſpenſos: partim ut fidem ſervi ſui exerceat, partim ut omnes agnoſcant Paulum à Spiritu ſancto didiciſſe quod humano ſenſu nondum comprehendi poterat. In ipſo tamen contextu docet Lucas, ne ſic quidem fuiſſe creditum ejus verbis. Quod enim putabant nautæ ſibi apparere aliquam regionem mediterraneam, minime conſentaneum erat cum promiſſione de appulſu in inſulam. Videmus ergo ut vix tandem experientia coacti, ſenſerint verum dixiſſe.

30. *Nautis vero quærentibus.*] Jam hac quoque in parte enituit in Paulo Spiritus ſancti gratia, quod prudenter admonuit retrahendos eſſe à fuga nautas. Cur non enim Centurio potius, vel alius quiſpiam è turba fraudem olfacit, niſi ut Paulus ad extremum uſque liberationis ſit miniſter? Sed mirum eſt quod reliquos vectores ſalvos poſſe fieri negat, niſi retentis nautis. quaſi vero Dei promiſſionem exinanire penes ipſos fuerit. Reſpondeo, Paulum hic de potentia Dei præciſe non diſputare, ut eam à voluntate & mediis ſejungat. & certe non ideo fidelibus virtutem ſuam Deus commendat, ut contemptis mediis torpori & ſocordiæ indulgeant, vel temere ſe projiciant ubi certa eſt cavendi ratio. Deus Ezechiæ pollicitus Jeſa. 37.
erat obſeſſæ urbis liberationem. ſi portas aperuiſſet v. 6, 37.
hoſtibus: annon Iſaias ſtatim clamaſſet, Tu & te & urbem perdis? Neque tamen propterea ſequitur, mediis vel adminiculis alligatam eſſe Dei manum. ſed quum Deus hunc vel illum agendi modum ordinat, hominum ſenſus continet, ne præſcriptas ſibi metas tranſiliant.

33. Et quum dies inciperet apparere, hortabatur Paulus omnes ſumere cibum, dicens, Dies hic decimus quartus eſt, quod expectantes jejuni permanetis, nihil accipientes.

34. Propter quod hortor vos ut ſumatis cibum: hoc enim ad ſalutem veſtram pertinet. quia nullius veſtrum capillus de capite cadet.

35. Et quum hæc dixiſſet, ſumpto pane gratias egit Deo in conſpectu omnium: & quum fregiſſet, cœpit edere.

36. Porro animis jam recreati omnes, ſumpſerunt & ipſi cibum.

37. Eramus vero univerſæ animæ in navi ducentæ ſeptuaginta ſex.

38. Et ſatiati cibo, allevabant navem, ejicientes triticum in mare.

39. Quum autem dies eſſet, terram non agnoſcebant: ſinum vero quendam animadverterunt habentem litus, in quod cogitabant ejicere navem.

40. Et quum anchoras ſuſtuliſſent, committebant ſe mari: ſimul laxatis juncturis gubernaculorum, & ſublato artemone ad auræ flatum, tendebant ad litus.

41. Quum vero incidiſſent in locum bimarem, impegerunt navem. ac prora quidem infixa manebat immobilis: puppis vero ſolvebatur à vi undarum.

42. Porro militum conſilium erat, ut vinctos occiderent, ne quis poſtquam enataſſet, aufugeret.

43. At Centurio volens ſervare Paulum, prohibuit eos à conſilio, juſſitque ut qui poſſent natare, abjicerent ſe primos, & in terram evaderent,

44. Cæterique partim in tabulis, partim in reliquiis navis: & ſic factum eſt ut omnes incolumes evaderent in terram.

33. *Et quum dies inciperet.*] Quicquid conjiciant nautæ, non vacillat Pauli fides: ſed conſtanter in promiſſionem ſibi datam recumbit. neque enim tantum hortatur ad ſumendum cibum, ut ille in ultima deſperatione ſic loquutus fertur, Prandete milites, nam apud inferos cœnabimus: ſed in vaticinio ſuo perſiſtens, bono eſſe animo jubet. In eo ſe prodit vis fidei, dum ad patientiam nos armat, & contrarios inſultus, quibus eam quatefacere molitur Satan, intrepide excipit ac propulſat. Sed quod dicit, per dies quatuordecim jejunos manſiſſe, abſurdum videri poſſet. Reperietur unus quiſpiam, qui inediam diutius ferat: ſed de tanta multitudine vix credibile eſt. Reſponſio facilis eſt, Jejunium improprie vocari inſolitam cibi abſtinentiam: qoia juſto convivio nunquam refecti fuerant per totum illud tempus: ut qui mœrore anguntur, fere ad cibum nauſeant. Quia autem faſtidii cauſa erat deſperatio, iterum affirmat victuros, modo animos colligant. Fidum enim verbi miniſtrum oportet non promiſſiones modo in medium afferre: ſed conſilium ſimul addere, ut homines Deum vocantem ſequantur: non autem ignavi & hebetes ſedeant. Porro ſenſus verborum eſt, Deus vos ſervare decrevit:

hæc

Digitized by Google

hæc fiducia vos animare debet, ac reddere alacres, ne ipſi vobis deſitis.

35. *Sumpto pane.*] Quo melius eos ſuo exemplo erigat, panem ſumit, ac veſcitur. Gratias egiſſe Lucas refert, non tantum ex quotidiano more, ſed quia ad fiduciæ teſtimonium non parum id valebat. Dubium quidem non eſt quin Paulus diligenter præſtiterit in ſumendo cibo quod aliis præcipit: ſed nunc non tantum gratitudinem ſuam teſtatur, nec tantum petit ut cibum quem ſumpturus eſt, Deus ſanctificet: verum intrepidus Deum vitæ auctorem invocat, ut miſeri illi quos mœror conſtrictos tenebat, aliquid bonæ ſpei conciperent. Et hoc ſaltem profecit, ut receptis animis cibum ſumpſerint, quibus curandæ vitæ oblivionem induxerat metus.

37. *Univerſæ animæ.*] Primum ideo refertur hominum numerus, quo certius conſtet neminem in turba periiſſe. non enim recenſet Lucas quot homines ad litus enatarint, ſed quot tunc fuerint in navi. Deinde ut illuſtrius reddatur miraculum. humanitus enim accidere vix potuit, ut ducenti ſeptuaginta ſex ex naufragio in terram evaderent ad unum omnes. nam præter nautas, paucos nandi peritos fuiſſe probabile eſt. Tametſi autem ſumpto cibo paululum refectæ erant vires: diuturno tamen tædio & mœrore ſic confecti erant, ut mirum fuerit movendis brachiis agiles fuiſſe. Jam vero reputandum eſt quantopere ſint tumultuati: quum vix contingat viginti aut triginta homines ſic natare in periculo, quin alii alios collidant vel obruant. Manum ergo ſuam palam exeruit Deus, quum ſine exceptione numerati ſunt omnes in litore, qui ſe in mare projecerant.

38. *Saturati cibo.*] Hæc circumſtantia oſtendit commotos demum fuiſſe Pauli ſermone. Nondum illuxerat, ut ſcire poſſent eſſetne vicinus aliquis portus. Quod tamen reliquum eſt tritici projiciunt in mare, allevandæ navis cauſa. Hoc non erant facturi, niſi plus apud eos quam antea valuiſſet Pauli auctoritas. Verum ut inſtabiles ſunt increduli omnes, facile mox evanuit ex eorum animis illa perſuaſio.

41. *Impegerunt navem.*] Tunc vero & Paulum luſiſſe Deus videri potuit, & ipſe nugando, ſocios naufragii vana ſpe lactaſſe. ſed Deus proſperiore ſucceſſu errorem mox diſcuſſit. Ita ſcilicet ubi fracta & ſoluta eſt navis, frangi & liqueſcere oportuit omnium animos, ut deſperatio miraculi gloriam augeret. Sic enim opera ſua moderari ſolet Deus, ut multis ſe obſtaculis ingerentibus, ſpeciem difficultatis nobis præbeat. Hoc modo ſenſus noſtros ad majorem intentionem acuit, ut tandem diſcamus, quamvis toto mundo luctante, minime impediri quominus victor emergat. Hæc ratio eſt cur maluerit Paulum & alios fracta navi naufragos trahere, quam navem integram perducere ad litus.

42. *Porro militum.*] Nimis ſæva ingratitudo fuit: quum vitam bis aut ter Paulo deberent milites, eum occidere cogitant, in cujus gratiam æquum fuiſſet aliis parcere. Allata illis per ipſum fuerat ſalus, non ſecus ac per Angelum Dei: ſalutare ex ore ejus conſilium audierant: exanimes eodem die recreaverat. nunc crudeliter perdere non dubitant, à quo toties & tot modis fuerant liberati. Quare ſi contingat iniquam nobis mercedem referri pro benefactis, non eſt cur nos turbare debeat hominum ingratitudo, quæ pluſquam vulgaris eſt morbus. Cæterum, non modo in Paulum vitæ ſuæ miniſtrum ingrati ſunt, ſed fœda ſimul incredulitas & divinæ gratiæ oblivio ſe prodit. Nuper amplexi erant oraculum illud, donatas eſſe Paulo animas: nunc ubi illo extincto ſalvi eſſe volunt, quid aliud quam Deo reſiſtere conantur, ut præter ejus voluntatem à morte ipſi ſe eripiant? Ergo gratia quam coacti guſtaverant in ſumma deſperatione, jam illis effluxit: nec amplius quicquam ſapit, ex quo vicinus portus apparet. Nos vero admirabile Dei conſilium tam in ſervando Paulo, quam in promiſſione ſua implenda, expendere convenit: dum eos ipſos adducit in terram, per quos non ſtetit quominus irrita eſſet ejus promiſſio. Ita plerumque certare ſolet ejus bonitas cum hominum malitia. Sic tamen impiis eſt miſericors, ut eorum pœnam in idoneum tempus differens, à reatu minime eos eximat: imo pœnæ gravitate tantam compenſat tolerantiæ ſuæ moram.

CAP. XXVIII.

ET quum evaſiſſent, tunc cognoverunt quod Melite inſula vocaretur.

2. Barbari vero præſtabant non vulgarem humanitatem nobis. accenſa enim pyra recipiebant nos omnes propter imbrem qui imminebat, & propter frigus.

3. Quum vero congregaſſet Paulus ſarmentorum multitudinem, & impoſuiſſet in ignem, vipera è calore prorepens invaſit manum ejus.

4. Ut vero viderunt barbari pendentem beſtiam de manu ejus, inter ſeſe dicebant, Omnino homicida eſt homo hic: quem ſervatum è mari, ultio non ſinit vivere.

5. Et ille quidem excuſſa vipera in ignem, mali nihil paſſus eſt.

6. At illi exiſtimabant futurum ut incenderetur, ac concideret repente mortuus. Diu autem illis expectantibus, & intuentibus nihil mali illi accidere, mutata mente dicebant illum eſſe deum.

1. Initio capitis triſte illud ſpectaculum deſcribitur, quum tot homines madidi, ſpumis etiam marinis lutoque fœdati, frigore etiam rigidi, ægre ad litus reptarunt. perinde enim id erat, acſi è mari ejecti forent ad diverſum mortis genus. Narrat deinde Lucas humaniter à barbaris fuiſſe exceptos, accenſam fuiſſe pyram ut veſtes ſiccarent, ac membra frigore languida foverent. tandem ab imbre fuiſſe protectos. Itaque hæc officia laudando, ſuam gratitudinem oſtendit Paulus: & merito celebratur tanta erga ignotos liberalitas, cujus rara extant in mundo exempla. Quanquam autem barbaris etiam gentibus in tali neceſſitate aliquem miſericordiæ affectum extorquet communis natura: dubium tamen non eſt quin Melitenſium animos ad clementiam Deus flexerit, ut firma rataque foret ſua promiſſio, quæ mutila videri poterat, ſi cui exitiale fuiſſet naufragium.

3. *Vipera è calore.*] Jam eventus probaverat verum & indubium Dei Prophetam eſſe Paulum. nunc Deus ut eum in terra ſicut nuper in mari nobilitet, ſuperiora oracula novo miraculo obſignat. atque ita ejus Apoſtolatum apud Melitenſes ſancit. Quamvis autem non multi inde profecerint: reſplenduit tamen etiam apud incredulos Euangelii majeſtas. apud vectores etiam, oraculorum quæ non ſatis reveriti fuerant, hæc magna fuit confirmatio. Nec vero caſu erupit ex ſarmentis vipera: ſed Dominus, quod in

Euangelii ſui gloriam fore videbat, eam ad mordendum Paulum arcano ſuo conſilio direxit.

4. *Ut viderunt barbari.*] Paſſim receptum omnibus ſeculis judicium iſtud fuit, Qui gravius aliquid paterentur, atroci aliquo crimine eſſe implicitos. Nec vero de nibilo concepta fuit bæc perſuaſio: quin potius à recto pietatis ſenſu fluxit. Deus enim ut mundum inexcuſabilem redderet, boc omnium animis voluit eſſe infixum, Ærumnas & res adverſas, præcipue vero inſignes clades, iræ ſuæ, & juſtæ in peccata ultionis eſſe documenta. Itaque quoties occurrit memorabilis aliqua calamitas, ſimul in mentem venit, graviter offenſum eſſe Deum, qui tam ſevere & duriter judicium exerceat. Nec vero unquam impietas euſque invaluit, quin hoc principium omnes retinerent: Deum, ut ſe mundi Judicem oſtenderet, notabiles pœnas ſceleratis infligere. Sed hic quoque error fero ſemper graſſatus eſt, quod ſine exceptione, ſceletis damnarunt omnes quos durius videbant tractari. Deus vero, etſi hominum peccata rebus adverſis ſemper caſtigat; non tamen æqualiter quas quiſque meritus eſt pœnas, in præſenti vita exigit: & interdum piorum afflictiones non tam pœnæ ſunt quam probationes fidei, & patientiæ exercitia. ideo falluntur qui ſibi univerſalem regulam conſtituunt, ut ex rebus proſperis vel adverſis unumquemque æſtiment. Hic ſtatus fuit
Job. 4: 7. diſceptationis inter Job & ejus amicos: quum illi reprobum & Deo exoſum hominem eſſe contenderent, quem Deus affligeret: ille vero contra exciperet, Pios interdum cruce bumiliari. Quare ne in hac parte hallucinemur, duo nobis ſunt cavenda. Prius eſt ne ex ſolo eventu, de hominibus ignotis cæcum & præceps feramus judicium. nam quia promiſcue bonos & malos affligit Deus: imo ſæpe reprobis parcens gravius ſuos flagellat: ut rite judicemus, aliunde quam à pœnis incipere convenit: nempe ut de vita & factis quæramus. Si quis adulter, vel blaſphemus, vel perjurus, vel latro, ſiquis in libidines projectus, ſi quis fraudator, ſi ſanguinarius plectitur, Deus quaſi digito ſuum judicium nobis demonſtrat. Si nullum nobis ſcelus apparet, nihil melius eſt quam judicium de pœna ſuſpendere. Altera cautio eſt, ut finem expectemus. neque enim ſimulatque percutere cœperit Deus, manifeſtum nobis eſt ejus conſilium: quin potius diſſimilis exitus tandem declarat, longe diſtare coram Deo qui pœnarum ſimilitudine videntur in bominum oculis conjuncti. Si quis objiciat, non fruſtra in Lege toties repeti, miſerias omnes privatas & publicas Dei eſſe flagella: fateor quidem id eſſe verum: ſed tamen obſtare nego, quin parcat Deus ad tempus quibus velit, quamvis omnium ſint deterrimi: alios autem quorum mediocris eſt culpa, gravius puniat. Noſtrum interea eſt, quod ἐπὶ τὸ πολὺ contingit, non facere perpetuum. Videmus nunc in quo decepti fuerint Melitenſes: nempe quod nulla vitæ habita quæſtione, Paulum judicant eſſe nefarium bominem, tantum propter viperæ morſum. deinde quod fine non expectato, ſententiam præcipitant. Interea notandum eſt, execranda monſtra eſſe qui divini judicii ſenſum ex cordibus ſuis evellere conantur, qui nobis omnibus naturaliter inſitus eſt, & barbaris etiam feriſque hominibus inſidet. Quod cædis potius quam alterius cujuſpiam ſceleris reum faciunt Paulum, hanc rationem ſequuntur, quod homicidium maxime ſemper deteſtabile fuerit.

Ultio non ſinit vivere.] Impium eſſe colligunt, quia emerſum ex mari ultio perſequitur. Fingebant autem ultricem deam Jovis ſolio aſſidere, cui nomen vulgo impoſitum fuit *δίκη*. craſſe id quidem, ut homines puræ religionis ignari: non tamen ſine tolerabili ſignificatione, acſi pinxiſſent Deum mundi Judicem. Cæterum hac voce diſcernitur ira numinis à fortuna. atque ita aſſeritur judicium Dei contra cæcos omnes caſus. Intelligunt enim Melitenſes conſpicuum cæleſtis vindictæ ſignum eſſe, quod Paulus jam ſervatus tamen ſalvus eſſe non poteſt.

5. *Excuſſa vipera.*] Excuſſio viperæ, ſignum eſt compoſiti animi. Scimus enim quantopere hominem perturbet ac debilitet metus. neque tamen omni metu vacuum fuiſſe Paulum intelligas. Non enim fides nos reddit ſtupidos, quemadmodum fanatici in umbra & extra teli jactum imaginantur. Sed quanquam fides ſenſum malorum non adimit, ipſum tamen temperat, ne conſternatio longius abripiat piorum animos quam par ſit: ut fiduciam ſemper retineant. Sic Paulus quom viperam intelligeret noxiam eſſe beſtiam, promiſſione tamen ſibi data fretus, peſtiferum morſum uſque ad perturbationem non timuit. & quia etiam ad mortem, ſi opus fuiſſet, accinctus erat.

6. *Mutata mente dicebant.*] Hæc tam admirabilis & inſperata converſio Melitenſes ſerio tangere debuit, ut Dei miſericordiæ gloriam darent, ſicuti prius vindictæ. Verum ut perperam ſemper ad extrema rapitur humana ratio, repente Paulum ex ſcelerato homicida deum faciunt. atqui ſi alterutrum valere neceſſe fuit, ſatius erat homicidam haberi quam deum. Et certe non ſolum unius ſceleris damnari magis optaſſet Paulus, ſed etiam omni infamiæ genere obrui, adeoque demergi uſque ad inferos quam Dei gloriam ad ſe trahere. idque ſatis notum erat omnibus qui ipſum inter medias procellas concionantem audierant. Fieri tamen poteſt ut poſtea edocti, agnoverint Deum miraculi auctorem. Porro diſcamus ex hac hiſtoria, ſedatis animis & quietis expectare felicem triſtium rerum exitum, quæ in jacturam gloriæ Dei initio tendere videntur. Quis noſtrum non vehementer territus fuiſſet hoc ſpectaculo, quod impios ad vexandam contumeliis, & fœdandam probris quibuslibet Euangelii gloriam armabat? Videmus tamen ut mature Deus occurrerit. ergo non dubitemus quin poſtquam ſuos ſcandalis obnubilari paſſus fuerit, opportunum remedium afferendo, tenebras verſurus ſit in lucem. Interea à carnis judicio nobis cavendum eſſe meminerimus. Et quia ſibi ſemper excidunt bomines, petamus à Domino Spiritum moderationis, qui nos in recto modo contineat. Hinc præterea doceamur quam proclivis in ſuperſtitionem ſit mundus. Imo hæc pravitas fere nobiſcum naſcitur, ut Dei ſpoliis libenter ornemus creaturas. Quare nihil mirum ſi ſeculis omnibus novi ſubinde errores pullularint, quum quiſque noſtrum ab utero matris mirus ſit fingendis idolis artifex. Verum ne inde excuſationis prætextus capretur, teſtis eſt hæc biſtoria, hunc ſuperſtitionum fontem eſſe, quod homines Deo ingrati, ejus gloriam alio transferunt.

7. In illis autem locis erant prædia Primati inſulæ, nomine Publio, qui nos exceptos, triduo benigne tractavit hoſpitio.

8. Contigit autem patrem Publii febribus ac dyſenteriis vexatum decumbere. ad quem Paulus intravit: & quum oraſſet, impoſuiſſetque ei manus, ſanavit eum.

9. Hoc igitur facto, cæteri quoque qui habebant infirmitates in inſula, accedebant & ſanabantur.

10. Qui etiam multis honoribus nos honoraverunt, & ſolventibus impoſuerunt quæ neceſſaria erant.

11. Poſt

11. Poſt menſes autem tres navigavimus in navi Alexandrina, quæ in inſula hyemaverat, cui erat inſigne Gaſtor & Pollux.

12. Et quum veniſſemus Syracuſas, manſimus triduo.

13. Inde circumlegentes, devenimus Rhegium. Et poſt unum diem afflante Auſtro, poſtridie venimus Puteolos:

14. Ubi repertis fratribus, rogati ſumus manere apud eos dies ſeptem: & ſic venimus Romam.

7. *In illis autem locis.*] Quia nomen Publii Romanum eſt, potius ſuſpicor hunc de quo fit mentio, civem Romanum fuiſſe quam inſulanum. non enim ſolebant Græci & alii exteri, niſi mediocres homines, mutuari nomina à Latinis. Fieri autem poteſt, ut quiſpiam ex Romæ proceribus prædia ſua tunc inviſerit, & vocetur inſulæ Princeps: non quod illic habitaret, ſed quod nemo illi par eſſet opibus & poſſeſſionum amplitudine. Vix autem probabile eſt totam Græcorum turbam triduo fuiſſe hoſpitaliter tractatam. magis ſuſpicor, quum Centurionem exciperet, Paulo etiam & ejus comitibus honorem habuiſſe, quod miraculo admonitus, hominem crederet eſſe Deo gratum. Utcunque tamen res habeat, mercede non caruit ejus hoſpitalitas. nam paulo poſt ejus patrem Dominus ex gravi & periculoſo morbo, manu Pauli in ſanitatem reſtituit. atque ita teſtatum eſſe voluit, quantopere ſibi placeat humanitas quæ miſeris & egentibus præſtatur. Quamvis ſæpe ingrati ſint ac beneficii immemores quibus aliquid opis eſt allatum, vel illos deficiat remunerandi facultas: Deus tamen ipſe, quicquid ſuo mandato impenſum fuerit in homines, abunde rependet. verum benignis & hoſpitalibus interdum aliquos ex ſervis ſuis deſtinavit qui ſecum benedictionem afferunt. Hic jam magnus erat honor, quod Publius Chriſtum in Pauli perſona exceperat hoſpitem. Cumulus tamen acceſſit, quod Paulus ſanationis dono inſtructus venit, quo non modo mutuam vicem referre poſſet, ſed etiam multo plus largiri quam acceperat. Neſcitur deinde an fidei rudimenta imbiberit, ut plerumque miracula rudes & incredulos ad docilitatem comparant. Speciem morbi deſignat Lucas, quo melius commendet Dei gratiam. nam quum difficilis & lenta ſit dyſenteriæ curatio, præſertim ubi ſimul graſſatur ſebris: non ſine manifeſta Dei virtute, ſola impoſitione mannum & precibus, tam repente ſeni caduco reddita fuit incolumitas.

8. *Impoſuiſſetque manus.*] Precando declarat Paulus, ſe non eſſe miraculi auctorem, ſed duntaxat miniſtrum: ne ſua gloria fraudetur Deus. Hoc idem externo ſymbolo confirmat. nam ut ſupra aliis locis viſum eſt, nihil aliud fuit manuum impoſitio, quam ſolennis oblationis ritus. Quare Paulus hominem Deo ſuis manibus offerens, illius vitam ſe ab hoc ſuppliciter petere profeſſus eſt. quo exemplo non tantum monentur qui pollent inſignibus Dei gratiis, probe cavendum eſſe ne ſe extollentes Dei gloriam obſcurent: ſed in genere docemur omnes, ſic habendam eſſe gratiam miniſtris gratiæ Dei, ut penes ipſum ſolum maneat gloria. dicitur quidem Paulus ſanaſſe dyſentericum: ſed clare circumſtantiis additis exprimitur, ejus opera divinitus præſtitum fuiſſe hoc beneficium. Quod poſtea dicit Lucas, alios quoque inſulæ ægrotos fuiſſe ſanatos, non extendit ad omnes: ſed tantum intelligit, pluribus documentis Dei virtutem, quæ jam ſatis clare apparuerat, fuiſſe probatam, quæ Pauli Apoſtolatum ſanciret. Nec vero dubium eſt, quin ſanandis animis peræque ac corporibus Paulus incubuerit. quale tamen operæpretium ſequutum ſit, non refert Lucas: niſi quod barbari illum è portu ſolventem & comites, viatico & rebus neceſſariis donarunt. Interea notandum eſt, quum Paulo in manu foret pluribus effugiis ſe ſubducere, Dei tamen voluntatem illi fuiſſe pro voluntariis compedibus: quia cæleſti oraculo ſæpius ad tribunal Neronis citatus erat teſtis. Deinde ſciebat ſi aufugeret, ſibi in poſterum propagandi Euangelii præcluſam fore viam, ut inutilis tota vita in quopiam angulo jaceret.

11. *In navi Alexandrina.*] His verbis ſignificat Lucas vel demerſam fuiſſe piorem navem, vel ita disjectam & laceram, ut poſtea uſui non fuerit. unde naufragii gravitas melius cognoſcitur. Diſerte autem narrat navi Alexandrinæ, qua Romam vecti ſunt, inſigne fuiſſe Caſtoris & Pollucis, ut ſciamus minime datam fuiſſe optionem Paulo ut cum ſui ſimilibus navigaret: ſed coactum fuiſſe ingredi in navem quæ duobus idolis dicata erat. Caſtorem & Pollucem veteres Poëtæ finxerunt ex Jove & Læda fuiſſe genitos: unde & Διόσκουροι Græce vocati ſunt: qua voce hic uſus eſt Lucas: quaſi dicas Jovis filios. Deinde fabulati ſunt, illos eſſe Geminos in Zodiaco. alia quoque ſuperſtitio inter nautas invaluit, exhalationes igneas, quæ in tempeſtatibus ſe oſtendunt, eoſdem eſſe illos. Itaque dii marini olim crediti ſunt & invocati: ſicut hodie Nicolaus & Clemens, & ſimiles. imo ut in Papatu mutatis tantum nominibus retenti ſunt vetuſti errores: hodie exhalationes illas ſub nomine ſancti Hermis, vel ſancti Ermi adorant. Quoniam autem ſi una exhalatio ſolitaria appareat, triſte præſagium eſt: geminæ autem, ut ait Plinius, ſalutares & proſperi curſus prænunciæ: ut Caſtorem & Pollucem Alexandrini nautæ ſibi haberent propitios, utriuſque inſigne in navi poſuerunt. ergo quantum ad ipſos ſpectat, navis impio ſacrilegio polluta erat: ſed quia eam non ſponte ſibi delegit Paulus, nihil inquinamenti inde contrahit. Et certe quum idolum nihil ſit, inficere Dei creaturas non poteſt, quin pure & licite illis utantur fideles. Et omnino ſic habendum eſt, Non aliter quam pura conſcientia elui quaſcunque ſuis præſtigiis ſordes Dei creaturis Satan aſpergere conatur, quum impii & ſcelerati, quæ per ſe pura ſunt, immundo contactu coinquinent. Denique non magis Paulum contaminavit hujus navis ingreſſus, quam conſpectus altarium Athenis: quia omni ſuperſtitione purus & ſolutus, ſatis tenebat meras eſſe illuſiones omnia Gentium ſacra. Deinde nulla apud homines ſuſpicio conſenſus eſſe poterat in profanum illum errorem. nam ſi quis Pollucis & Caſtoris cultus fuiſſet ſimulandus, centum mortes oppetere maluiſſet. Ergo quia nulla metuebatur offenſio, navem libere conſcendit. neque tamen dubium eſt quin dolenter & cum gemitu: quia videbat inanibus figmentis tribui Dei honorem. Ideo inter ejus exercitia hoc enumerandum eſt, quod duces habuit itineris, qui ſe ab idolis gubernari putabant, & navem commiſerant eorum tutelæ ac præſidio.

12. *Quum veniſſemus Syracuſas.*] Reliquum navigationis curſum Lucas perſequitur, quod in Siciliam primum appulerint. deinde oblique propter æſtum maris trajecerint in Italiam. Sicuti autem celeberrimus eſt Siciliæ portus quem hic ponit Lucas: ita longius à litore Italico quam portus Meſſanæ, cui oppoſitum eſt Rhegium, cujus meminit. Eſt autem in agro Brutiorum, ſicuti Puteoli urbs Campaniæ. Cæterum, quum Puteolis Paulum retinuerint fratres per dies ſeptem, hinc colligimus quam benigne & indulgenter egerit cum eo Centurio. Nec vero dubito, quin fidem illi ſanctus vir dediſſet, ſemper ſe ad condictum tempus adfuturum. Sic autem

de

Digitized by Google

de ejus integritate perſuaſus ille erat, ut nihil fraudis timeret. Jam vero colligimus ex hoc loco, ſparſum tunc fuiſſe Euangelii ſemen, quando & Puteolis aliquod erat Eccleſiæ corpus.

15. Et inde quum audiſſent fratres de nobis, prodierunt in occurſum nobis uſque ad Appii forum ac tres Tabernas. Quos quum vidiſſet Paulus, gratiis actis Deo, ſumpſit fiduciam.

16. Quum autem veniſſemus Romam, Centurio tradidit vinctos principi exercitus. Permiſſum autem eſt Paulo ut maneret ſolus cum cuſtodiente ipſum milite.

17. Poſt tertium autem diem convocavit Paulus primarios ex Judæis: quumque veniſſent, dixit eis, Ego, viri fratres, quum nihil fecerim adverſus plebem aut inſtituta majorum, vinctus Jeroſolymis traditus ſum in manus Romanorum.

18. Qui quum examinaſſent, voluerunt me dimittere, eo quod nulla eſſet cauſa mortis in me.

19. Sed contradicentibus Judæis, coactus ſum appellare Cæſarem: non quaſi habeam de quo gentem meam accuſem.

20. Propter hanc igitur cauſam advocavi vos, ut viderem & alloquerer. Propter ſpem enim Iſraëlis, catena hac circumdatus ſum.

15. *Quum audiſſent fratres.*] Fratrum occurſu Deus animum Pauli jam erexit, quo alacrius ad Euangelii defenſionem properaret. Fratrum autem zelus & pia ſollicitudo ſe in eo profert, quod de Pauli adventu inquirunt, & exeunt illi obviam. Tunc enim fidem Chriſtianam profiteri non odioſum modo erat, ſed vitæ etiam periculum illis poterat creare. Nec privatum diſcrimen tantum ſubibant pauci homines: quia in totam Eccleſiam redundabat invidia. ſed nihil illis pluris eſt quam officium, cui ſine turpi ignaviæ & ingratitudinis nota deeſſe non poterant. Tantum Chriſti Apoſtolum negligere, immane fuiſſet, præſertim pro communi ſalute laborantem. Quum vero jam prius ad eos ſcripſiſſet, ultroque illis detuliſſet ſuam operam, non referre viciſſim fraternam benevolentiam indignum fuiſſet. Ergo hoc officio teſtati ſunt fratres ſuam in Chriſtum pietatem: & magis accenſum fuit Pauli ſtudium, quod ſuæ conſtantiæ paratum eſſe fructum cerneret. Quanquam enim invicta fortitudine præditus erat, ut ab humanis ſubſidiis minime penderet: Deus tamen qui ſuos humanitus confirmare ſolet, novum illi vigorem hoc modo ſubjecit. Poſtea quum
2 Tim. 4. verſ. 16. deſtitutus eſſet in carcere, ſicuti alibi conqueritur, tamen animum minime deſpondit: ſed ſub Chriſti auſpiciis non minus fortiter & intrepide militavit, quam ſi ingentes copias ſecum in prælium duxiſſet. Verum tunc quoque ad eum incitandum profuit hujus occurſus memoria, quum reputaret multos eſſe pios fratres Romæ: ſed infirmos, quibus fulciendis miſſus foret. In præſentia vero non eſt quod miremur Paulum viſis fratribus ſumpſiſſe fiduciam, quod fidei confeſſionem ſperaret non parum fructuoſam fore. Quoties enim aliquem ſervis ſuis laboris profectum Deus oſtendit, quaſi admoto ſtimulo eos incitat, ut animoſius in opere pergant.

16. *Centurio tradidit vinctos.*] Significat Lucas plus datum eſſe Paulo quam reliquis. diverſa enim fuit & peculiaris ejus conditio. Permiſſum enim illi fuit cum uno cuſtode adjuncto, in privatis ædibus habitare: quum alii in publicam cuſtodiam incluſi fuerint. Nam ex Feſti relatu cognovit Præfectus Prætorio, nulli maleficio affinem eſſe Paulum. & Centurio, ut probabile eſt, fideliter retulit quæ ad conciliandum illi favorem valerent. Sciamus tamen Deum è cælo moderatum eſſe ſervi ſui vincula: non ſolum ut ejus moleſtias levaret, ſed ut fidelibus liberior foret ad eum acceſſus. Neque enim fidei ejus theſaurum intra carceris anguſtias conſtrictum teneri voluit, ſed palam expoſitum, ut longe lateque multos ditaret. Cæterum non ita laxatus fuit Paulus in liberam cuſtodiam, quin ſemper catenam geſtaret. Στρατοπεδάρχην vocat Lucas Præfectum Prætorio, cujus illud officium fuiſſe ex hiſtoriis ſatis notum eſt.

17. *Poſt tertium autem diem.*] Mira certe Pauli manſuetudo, quod tam atrocibus injuriis vexatus à ſua gente, Judæos tamen qui Romæ ſunt placare ſtudet: ſeque illis excuſat, ne cauſam oderint, propterea quod audiant Sacerdotes illi eſſe infeſtos. Juſta certe apud homines excuſatio non deerat, ſi neglectis illis ad Gentes ſe converteret. Nam quum per annos complures aſſidue in variis locis tentaſſet eos ad Chriſtum adducere, magis ac magis exacerbati fuerant: & tamen nihil omiſerat nec in Aſia, nec in Græcia, nec denique Jeroſolymæ, ad mitigandum eorum furorem. Jure ergo illi omnes veniam dediſſent, ſi quieſcere paſſus eſſet quos deploratæ pervicaciæ toties expertus fuerat. Sed quia Magiſtrum Rom. 15.
ſuum eſſe Judæis miniſtrum datum à Patre ſciebat, verſ. 8.
ad promiſſiones implendas quibus Abrahæ ſemen Deus ſibi in populum adoptaverat: in illam Dei vocationem reſpiciens, nunquam fatigatur. Videbat Romæ ſibi remanendum: quum docendi libertas daretur, privari eos laboris ſui fructu nolebat. Deinde nolebat cauſæ ſuæ odio ad turbandam Eccleſiam impelli: quia minima occaſio magnam perniciem datura erat. Cavere ergo voluit Paulus, ne pro ſolita ſua rabie peſſimi incendii faces eſſent.

Nihil fecerim adverſus populum.] Hæc duo conflare illi poterant invidiam apud Judæos: vel quod publico bono gentis ſuæ nocuiſſet, ſicuti nonnulli transfugæ ſervitutem plus ſatis aſperam ſua perfidia magis augebant: vel quod Dei cultum violaſſet. etſi enim à Patribus degeneres erant Judæi, & religio multis erroribus fœdata & corrupta erat inter ipſos: nomen tamen ipſum Legis, & templi cultus magnam reverentiam habebant. Porro non negat Paulus quin ceremonias, quibus ſuperſtitioſe affixi erant Judæi, libere omiſerit: ſed defectionis crimen, cujus ſuſpectus eſſe poterat, à ſe avertit. Iden inſtituta patria intellige, quibus filios Abrahæ, & Moſis diſcipulos, ſecundum illorum fidem diſtingui à reliquis gentibus oportuit. Et certe Chriſto, qui anima eſt & perfectio Legis, tam ſancte adhærens, adeo patriis inſtitutis nihil derogavit, ut nullus magis integer fuerit eorum obſervator.

19. *Coactus ſum appellare.*] Provocatio hæc ideo plena erat odii, quod jus & libertas gentis Judaicæ durius opprimi videbatur, quibus optabile erat ſuis legibus vivere. deinde quod ejus defenſio cum totius populi infamia & damno conjuncta erat. Ergo hanc quoque objectionem diluit: quia hoſtium pervicacia coactus fuerit ad hoc aſylum confugere. Hæc enim neceſſitas excuſat, quod alia ratio fugiendæ mortis illi relicta non fuerit. Allata autem præteriti temporis excuſatione, in poſterum quoque promittit ſe ita cauſam ſuam acturum, ut Judæos non oppugnet.

20. *Pro-*

Digitized by Google

20. *Propter ſpem Iſraëlis.*] Sub hac una voce multo plus intelligi oportet quam exprimat Lucas: ſicuti ex reſponſione colligitur, ubi Judæi ſectam commemorant: nempe repetentes ejus ſermonem, quod præterit Lucas. Diſſeruit ergo Paulus de Chriſto, ut planum faceret nihil ſine ipſo Judæis prodeſſe nec templum nec Legem: quia in ipſo fundatum eſſet adoptionis fœdus, & rata ſalutis promiſſio. Nec vero dubium illis erat quin à Meſſiæ adventu penderet regni inſtauratio. & tunc ejus ſpem & deſiderium res collapſæ & perditæ magis augebant. Quare merito dicit Paulus ſe propter ſpem Iſraëlis vinctum eſſe catena. quo etiam docemur nullos rite ſperare, niſi qui in Chriſtum & ſpirituale ejus regnum oculos dirigunt. nam certe in Chriſto locans ſpem piorum, alias omnes excludit.

21. At illi dixerunt ad eum, Nos neque literas accepimus de te à Judæa, neque adveniens aliquis fratrum nunciavit aut loquutus eſt aliquid de te mali.

22. Volumus autem ex te audire quæ ſentias. nam de ſecta iſta notum eſt nobis quod ubique ei contradicitur.

23. Quum conſtituiſſent autem illi diem, venerunt ad eum in hoſpitium complures: quibus exponebat teſtificans regnum Dei, ſuadenſque eis de Jeſu ex Lege Moſis & Prophetis, à mane uſque ad veſperam.

24. Et quidam credebant his quæ dicebantur, quidam vero non credebant.

21. *Nos neque literas.*] Non tacuerant Sacerdotes & Scribæ, quod mitiores redditi eſſent in Paulum, vel ut illi parcerent: potius id vel contemptu, vel deſperatione factum erat: quia nec illis in promtu erat ejus tam procul opprimendi ratio, & deportatio in Italiam illis inſtar ſepulchri videri poterat. Non enim ſecure minus quam ſuperbe dominabantur: modo ne quis domi faceret illis negotium. Porro etſi non prorſus integri ad audiendum accedunt, aliquod diſcendi ſtudium oſtendunt Judæi, dum ejus doctrinæ, cui ubique contradicitur, defenſionem audire non recuſant. hoc enim præjudicio viam ſibi claudunt multi, ne audire ſuſtineant quod communi judicio repudiatur: ſed in damnationem incognitæ doctrinæ aliorum opinioni ſubſcribant. Interea vitio non caret, ſicut dixi, quod repugnantiam objiciunt invidiæ conflandæ, vel ſiniſtræ ſuſpicionis inferendæ cauſa: quaſi non prædictum ab Iſaia foret, Deum fore lapidem offenſionis toti populo. Condicto autem die perpetuane diſputatio habita à Paulo fuerit, an ultro citroque diſputaverint, incertum eſt: niſi quod ex temporis circumſtantia conjicere licet, non uno tenore loquutum eſſe Paulum. nam ſermonem à mane uſque ad veſperam vix contexere poterat. Quare non dubito quin Apoſtolus poſt ſummam Euangelii breviter expoſitam, viciſſim auditoribus ſciſcitandi locum dederit, & reſponderit ad objectas ſibi quæſtiones. Cæterum, notandus eſt diſputationis ſtatus, quem Lucas duplicem facit. Primo enim docuit Paulus quale eſſet inter ipſos regnum Dei, & præcipue ſumma felicitas & gloria ipſis promiſſa, quam ubique tantopere celebrant Prophetæ. Nam quum eorum plerique caducum regni Dei ſtatum in mundo ſomniarent, & eum falſo locarent in otio, deliciis, & præſentium bonorum copia: neceſſe fuit rectam definitionem conſtitui, ut ſcirent ſpirituale eſſe regnum Dei: cujus initium eſſet vitæ novitas, finis autem beata immortalitas & cæleſtis gloria. Secundo hortatus eſt illos Paulus, ut Chriſtum reciperent promiſſæ felicitatis auctorem. Atque iterum hoc ſecundum caput rurſus bimembre fuit. neque enim utiliter & ſolide potuit tractari, quin exponeret promiſſi Redemptoris officium, deinde oſtenderet jam exhibitum eſſe: & filium Mariæ, illum eſſe in quem Patres ſperaverant. Receptum quidem inter omnes Judæos axioma erat, venturum eſſe Meſſiam, qui omnia in perfectum ordinem reſtitueret. ſed Paulus in aliam partem, quæ non perinde nota erat, incubuit: promiſſum fuiſſe Meſſiam, qui ſacrificio mortis ſuæ expiaret peccata mundi, qui Deum hominibus placaret, qui æternam juſtitiam acquireret, qui homines Spiritu ſuo regenitos ad imaginem Dei formaret, qui denique fideles ſuos ſecum faceret cæleſtis vitæ hæredes. Hæc autem omnia, impleta fuiſſe in perſona Jeſu Chriſti crucifixi. De his autem rebus agere non potuit, quin Judæos à craſſis ſuis & terrenis figmentis in cælum vocaret, ac ſimul tolleret offendiculum crucis, quum doceret non alium fuiſſe noſtræ cum Deo reconciliationis modum. Notemus autem, quicquid tradidit Paulus de Chriſto, ſumpſiſſe, teſte Luca, ex Lege & Prophetis. In hoc enim differt vera religio ab omnibus fictitiis, quod ſolum Dei verbum pro regula habet. In hoc etiam à profanis omnibus ſectis differt Eccleſia Dei, quod hunc ſolum loquentem audit, ejuſque imperio regitur. Jam vero hinc perſpicitur veteris Teſtamenti cum Euangelio conſenſus ad ſtabiliendam in Chriſto fidem: deinde illa duplex Scripturæ utilitas, quam idem Paulus alibi commendat: nempe quod ſufficiat tam 2 Tim. 3. verſ. 16. & Tit. 1. verſ. 9.
ad dociles erudiendos, quam ad refellendam eorum pervicaciam qui ſe veritati opponunt. Has igitur ſibi metas præfigant, qui ſobrie ſapere, & alios recte docere cupiunt, ne quid proferant niſi ex puro Scripturæ fonte. Aliter Philoſophi, qui rationibus tantum pugnant, quibus nulla apud eos ſolida eſt auctoritas: quos nimis perperam æmulantur Papiſtæ, qui poſthabitis Dei oraculis, tantum in humani cerebri commenta, hoc eſt, meras ſtultitias, recumbunt.

24. *Quidam credebant.*] Hunc tandem diſputationis ſucceſſum fuiſſe Lucas refert, ut nequaquam omnes pariter in eadem doctrina proficerent. Scimus ea Spiritus gratia præditum fuiſſe Apoſtolum, ut lapides flectere debuerit. neque tamen hoc adeptus eſt diu multumque diſſerendo, teſtificando etiam, ut omnes Chriſto lucrifaceret. Quare ne miremur, ſi claræ Euangelii doctrinæ multorum incredulitas hodie reſiſtat, & multi obſtinati maneant, quibus non minus patefacta eſt Chriſti veritas, quam ſol meridie lucet. Adde quod cæci & ſtupidi à Paulo redeunt, qui ſponte, quaſi diſcendi animo acceſſerant. Si in voluntariis auditoribus talis fuit contumacia, quid mirum ſi Chriſtum amarulento animo reſpuant, qui faſtu turgidi & amarulentia, ex profeſſo lucem fugiunt?

25. Quumque inter ſe eſſent diſcordes, diſceſſerunt, poſtquam dixiſſet Paulus verbum unum, Bene Spiritus ſanctus loquutus eſt per Iſaiam ad patres noſtros,

26. Dicens, Vade ad populum iſtum, & dic, Auribus audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perſpicietis.

27. Incraſſatum eſt enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt & oculos

ſuos

ſuos compreſſerunt: nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & ſanem eos.

28. Notum ergo ſit hoc vobis, quod Gentibus miſſum eſt hoc ſalutare Dei, & ipſi audient.

29. Quum hæc dixiſſet, exierunt ab eo Judæi, multam habentes inter ſe diſceptationem.

30. Manſit autem Paulus biennio toto in ſuo conducto & ſuſcipiebat omnes qui ingrediebantur ad ipſum:

31. Prædicans regnum Dei, ac docens quæ ſuæ ſunt de Domino Jeſu cum omni fiducia, nemine prohibente.

25. *Inter ſe diſcordes.*] Hoc efficit infidelium malitia & pravitas, ut Chriſtus, qui pax eſt noſtra & unicum ſanctæ uoitatis vinculum, diſſidii ſit occaſio, & in certamen committat qui prius mutuam inter ſe amicitiam colebant. Ecce enim dum ad Paulum audiendum conveniuut Judæi, idem omnibus ſenſus, eadem vox: profitentur omnes ſe Legem Moſis amplecti. audita reconciliationis doctrina, exoritur inter eos diſſenſio, ut iu diverſas partes ſcindantur. Neque tamen putandum eſt ab Euangelii prædicatione incipere diſcordiam: ſed ſi multas quæ prius in cordibus malignis latebat, tunc demum emergit. ſicuti novos colores non inducit Solis fulgor: ſed diſcrimen quod in tenebris nullam erat, palam aperit. Ergo quum peculiariter electos ſuos Deus illuminet, nec fides omnium ſit communis, meminerimus fieri aliter noo poſſe, quio oblato in medium Chriſto, alii ab aliis diſcedant. Sed tunc in mentem veniant impleri quod de ipſo prædixit Si-
Luc. 2 meon, Contradictionis ſcopum eſſe, ut retegantur
v. 34.35. ex multis cordibus cogitationes: & incredulitatem, quæ Deo rebellis eſt, eſſe diſſidii matrem.

Poſtquam dixiſſet Paulus.] Principio leniter & placide eos allicere conatus eſt: nunc eorum obſtinatione comperta, acrius inſurgit, Deique judicium ſevere denunciat. ſic enim tractandi ſunt rebelles, quorum ſuperbia domari ſimplici doctrina non poteſt. Eadem etiam nobis tenenda eſt ratio, ut dociles & manſuctos blande regamus: præfractos autem citemus ad Dei tribunal. Quod Spiritum ſanctum loquentem inducit potius quam Prophetam, ad fidem oraculi valet: nam quum Deus ſe unum audiri poſtulet, non aliter poteſt conſtare doctrinæ auctoritas, quam ſi ab eo ſciamus profectam eſſe, non in hominum capite natam. deinde ſubindicat non unius tantum ſeculi pervicaciam illic notari, ſed in futurum tempus extendi Spiritus oraculum.

Mat. 13. 26. *Vade ad populum iſtum.*] Celebris eſt hic lo-
verſ. 14. cus, quia ſexies citatur in novo Teſtamento. ſed
Marc. 4. quia alibi in alium finem adducitur, tenendum eſt
verſ. 12. quo conſilio Paulus ad præſentem cauſam accommo-
Luc. 8. det. Nempe voluit hoc quaſi malleo contundere im-
verſ. 10. piorum duritiem: fidelibus autem, qui teneri adhuc
Joan. 12. & debiles erant, addere animos, ne ipſos turbaret
verſ. 40. aliorum incredulitas. Summa igitur eſt, impleri
Rom. 11. quod prædictum fuerat à Propheta: ideoque non
verſ. 8. eſſe cur ſibi rebrobi placeant, vel fideles quaſi re nova & inſolita terreantur. Quanquam autem certum eſt excæcationem, cujus meminit Propheta, jam ejus ætate cœpiſſe: Joannes tamen admonet, proprie ſpectaſſe ad Chriſti regnum. Ideo apte Paulus in illum quem cernebat Euangelii contemptum torquet: acſi dixiſſet, Nihil accidit quod non jam olim prædixerit Spiritus ſanctus per os Jeſaiæ. Quod autem locus hic varie aptatur non tantum ab Euangeliſtis, ſed etiam à Paulo ipſo, facile diluitur repugnantiæ ſpecies. Matth. Marc. & Lucas impletum fuiſſe hoc vaticinium dicunt, dum ænigmatice loquutus eſt Chriſtus ad populum, neque ei cæleſtis regni myſteria patefecit. tunc enim vox Dei verberavit infidelium aures, ex qua nihil proficerent. Joannes ſenſu non longe abſimili dicit, multis miraculis non fuiſſe inductos ut crederent Judæos, ut hoc idem Prophetæ teſtimonium impleretur. Ergo quatuor illi in hoc conſentiunt, juſto Dei judicio factum eſſe, ut reprobi audiendo non audirent, & videndo non viderent. Nunc Paulus iu memoriam revocat quod de Judæis teſtatus eſt Propheta, ne quis eorum cæcitatem miretur. Porro idem 11. ad Rom. cap. altius Rom. 11.
conſcendit, excæcationis cauſam eſſe dicens, quia verſ. 5.7.
Dominus reliquiis tantum quas gratis elegit, fidei lumen donet. & quidem certum eſt, quod reprobi ſalutis doctrinam rejiciunt, hoc fieri eorum malitia, ideoque culpam in ipſis reſidere. Verum hæc propinqua cauſa non obſtat, quominus arcana Dei electio inter homines diſcernat: ut credant qui ordinati ſunt ad vitam, alii autem ſtupidi maneant. In verbis Prophetæ, quoniam alibi ea expoſui, nunc longius non inſiſtam. Nec vero curioſe retulit Paulus quæ apud Prophetam ipſum habentur: ſed potius ejus verba ad inſtitutum ſuum deflexit. Itaque excæcationem quam Propheta tribuit occulto Dei judicio, eorum malitiæ imputat. Jubetur enim Propheta oculos oblinere ſuis auditoribus: Paulus hic ætatis ſuæ incredulos accuſat, quod ſibi oculos compreſſerint. quanquam utrumque diſtincte ponit, Deum illis cæcitatis eſſe auctorem, & tamen ipſos clauſis oculis ſponte cæcutire: ſicuti duo hæc optime inter ſe conveniunt, ut alibi dictum fuit. In poſtremo membro, ubi dicitur, Ne videant oculis, vel auribus audiant, vel corde intelligant: oſtendit Deus quanta ſit doctrinæ ſuæ perſpicuitas: nempe quæ ad illuſtrandos omnes ſenſus abunde ſufficiat, niſi quatenus homines ipſi tenebras ſibi inducunt maligne. quemadmodum Paulus quoque alibi tradit, apertum ſuum
eſſe Euangelium, ut nulli iu ejus luce cæcutiant, 2 Cor. 4.
niſi qui exitio deſtinati ſunt, quibus Satan oculos verſ. 3.
confixit.

27. *Ne convertantur, & ſanem eos.*] Hinc colligimus, non omnibus proponi Dei verbum ut redeant ad ſanam mentem: ſed externam vocem ſine efficacia Spiritus in multorum auribus ſonare, tantum ut reddantur inexcuſabiles. Temere autem hic Deo obſtrepit carnis ſuperbia: ſicuti multos videmus litigare, Fruſtra, imo abſurde vocari homines, niſi penes ipſos obediendi ſit facultas. nam etſi nos latet ratio cur Deus cæcis appareat & ſurdis loquatur: ſola tamen ejus voluntas, quæ omnis juſtitiæ regula eſt, inſtar mille rationum nobis eſſe debet. In clauſula breviter notandum eſt, quis ſit ſalutaris verbi Dei effectus: nempe hominum converſio: quæ non modo ſanitatis principium eſt, ſed reſurrectio quædam à morte in vitam.

28. *Notum ergo ſit.*] Ne poſtea defectionis ipſum accuſent Judæi, quod ſancto Abrahæ genere relicto, ad profanas Gentes ſe conferat: quod toties teſtatum erat à Prophetis denunciat, Salutem, cujus proprii vel ſaltem primarii erant hæredes, ad exteros transferendam. Quod tamen dicit ſalutare miſſum Gentibus, intelligit ſecundo loco: poſtquam ſcilicet re-
pudiatum erat à Judæis: ſicuti ſupra fuſius tractavi- ſupra 13.
mus. Ergo ſenſus eſt, non eſſe cur querantur Judæi verſ. 46.
admitti Gentes in poſſeſſionem vacuam, ubi ab illis deſerta fuerit. Neque etiam quum Gentes dicit audituras, fidem ſingulis ſine exceptione communem facit. Satis enim expertus fuerat, quam multi etiam

ex Gentibus impie Deo reſiſterent. ſed quotquot ex Gentibus credebant, Judæis incredulis opponit, ut hos ad zelotypiam provocet: ſicuti habetur in Can-
Deut. 32. verſ. 21. tico Moſis. Interea ſignificat, doctrinam quæ ab illis reſpuitur, alibi fore non inutilem.

29. *Multam inter ſe diſceptationem.*] Non dubium quin magis impios exaſperaverit, quod in eos protulit vaticinium. adeo enim objurgationibus non miteſcunt, ut ſe acrius ad furorem inflamment. Hæc ratio eſt cur diſceptaverint à Paulo egreſſi, quod major pars acquieſcere nollet. Sed quum hinc inde diſputatum fuerit: apparet quoſdam ita amplexos quæ dicta erant à Paulo, ut non dubitaverint tueri & fortiter aſſerere quod crediderant. Cæterum fruſtra inde quiſpiam objiciet, contentionum ſemen eſſe Euangelium Chriſti, quas non niſi ex hominum pervicacia provenire conſtat. atque omnino, ut pace cum Deo fruamur, cum ejus contemptoribus bellare neceſſe eſt.

30. *Suſcipiebat omnes.*] Inſigne conſtantiæ documentum præbuit ſanctus Apoſtolus, quod ſe omnibus qui audire ipſum cuperent, tam ſimpliciter obtulit. Certe non ignarus erat quantum ſibi invidiæ conflaret: atque hoc optimum eſſe compendium, ſi tacendo adverſæ partis odia placaret. Neque enim id agendum fuit homini provido, qui ſibi privatim cavere vellet. ſed quia meminerat, ſe non minus in carcere eſſe Chriſti Apoſtolum & Euangelii præconem, quam ſi liber ac ſolutus foret, nemini ad diſcendum parato ſe ſubducere fas eſſe duxit, ne occaſionem ſibi divinitus oblatam negligeret. atque ideo pluris illi fuit ſancta Dei vocatio, quam propriæ vitæ cura. Ut autem ſciamus voluntarium diſcrimen ſubiiſſe, Lucas diſerte paulo poſt fiduciam ejus commendat: quaſi diceret poſthabito metu, fideliter paruiſſe Domini mandato, nec ullis difficultatibus fuiſſe territum, quin ſtudium ſuum obviis quibuſque impendere pergeret.

Prædicans regnum Dei.] Regnum Dei & quæ ad Chriſtum pertinent non ſeparat quaſi diverſa: ſed hoc ſecundum potius explicationis vice addit, ut ſciamus regnum Dei in redemptionis per Chriſtum partæ notitia fundatum eſſe & contineri. Docuit igitur Paulus, homines à regno Dei alienos eſſe & exules, donec expiatis peccatis Deo reconciliati, ſpiritu renovantur in vitæ ſanctitatem: ita vero demum erigi inter ipſos Dei regnum & florere, ubi mediator Chriſtus, & gratuita peccatorum remiſſione donatos, & regenitos in juſtitiam Patri conjungit, ut cæleſtem vitam in terra incboantes ad cælum ſemper aſpirent, ubi plena & ſolida gloriæ fruitio illis conſtabit. Singulare etiam Dei beneficium prædicat Lucas, quod tanta Paulo libertas 2 Tim. 4. verſ. 9.
conceſſa fuit. Neque enim connoventia id, vel diſſimulatione eorum qui obſtare poterant, accidit, cum illis deteſtabilis eſſet religio: ſed quia oculos illis Dominus claudebat. Quare non immerito gloriatur Paulus ipſe, verbum Dei non fuiſſe vinculis ſuis alligatum.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

INDEX

Eorum quæ in his in ACTA APOSTOLORUM Commentariis explicantur.

Prior numerus caput: poſterior verſum indicat.

A

Abnegatio Chriſti quam noxia, 24. 10
Abnegatio noſtri præcipitur, 7. 9. & 14. 16. & 20. 21
Abnegatio noſtri veram fidem ſequitur, 2. 12
Abnegatio providentiæ & gratuitæ Dei electionis unde, 20. 26
Abrogatio ceremoniarum, vide Ceremoniæ.
Abraham fidelium pater, 7. 2
Abraham Dei bonitate ac gratia præventus, 7. 2
Abrahæ fides, 7. 4
Abrahæ filii duplices, 3. 25 & 7. 52. & 13. 16. 32. & 26. 7
Abrahæ obedientia ſingulari laude digna, 7. 3. & 10. 14
Abrahæ patientia, 7. 5
Abuſus linguarum, 10. 46
Abuſus miraculorum, 2. 4
Abuſus nominum ſanctorum, 15. 2
Acceptio perſonarum damnatur, 10. 34
Accuſatio aperta & ſevera non omnis damnanda, 21. 2
Adoptionis noſtræ finis, 10. 43
Adorare in templo fidelibus quatenus licebat, 24. 11
Adoratio civilis ab ea quæ fit religionis ergo diſtinguenda, 10. 25. 14
Adramyttium urbs Æoliæ, 27. 2
Adventus Chriſti, vide Chriſti adventus.
Ædificatio Eccleſiæ quam ardua & laborioſa, 28. 21
Ædificatio Eccleſiæ ubi ſita, 20. 21
Ædificationi ſtudendum, 10. 24. & 21. 24. 25. & 14. 13. & 15. 28. & 16. 2. & 20. 20
Ædificiorum forma quæ Judæis, 10. 10
Æneæ fides, 9. 34
Ærumnæ, vide Afflictiones.
Affectus humani ſeu naturales per ſe non vitioſi, 8. 2. & 20. 37
Afflictiones à Deo, 10. 38. & 11. 28
Afflictiones ex peccato, 28. 4
Afflictiones piis & impiis communes, 21. 8. & 27. 24. & 28. 4
Afflictiones pro Chriſto glorioſæ, 15. 41. 42. & 16. 92
Afflictiones electis nocere non poſſunt, 7. 10
Afflictiones æquo animo ferendæ, 14. 22
Afflictionum utilitas, 21. 12. & 14. 22. & 16. 22. 29. & 18. 2. 41
Agabus quo ſenſu Propheta dictus, 11. 27
Agrippa majoris Agrippæ filius, 25. 13
Alacritas commendatur, 11. 29
Alexander apoſtata, 19. 33
Ambitio quam grande vitium, 5. 1
Ambitio, Eccleſiæ valde noxia, 8. 14
Ambitio ſemper invida ac maligna, 21. 23
Ambitio diſſidiorum mater, 15. 0
Ambitio omnium hæreſeon mater, 12. 20
Anabaptiſtæ refutantur, 2. 39. 41
Anabaptiſtarum error de Baptiſmo infantium, 8. 12. 37
Anabaptiſtarum delirium de bonorum communicatione, 4. 34 & 5. 4
Anabaptiſtarum delirium de filiis Abrahæ, 3. 25
Anabaptiſtarum illuſiones, 7. 31
Ananias Pauli doctor, 9. 6. 10
Ananias qui juſſit Paulum percuti, num ſummus Pontifex fuerit, 23. 2. & 24. 1
Ananiæ peccatum quam atrox, 5. 1
Angelus qui Moſi apparuit, Chriſtus fuit, 7. 30
Angeli viri dicti, 10. 30
Angeli ſinguli num ſingulis hominibus attribuți, 12. 15
Angeli internuncii ac teſtes in Lege promulganda, 7. 53
Angeli fidelium miniſtri, 5. 19. & 12. 11. 15
Anima pro vita, 2. 27
Anima pro voluntate, 4. 32
Anima hominis eſſentialis ſpiritus eſt, 7. 59
Animæ poſt mortem ſuperſtites, 7. 32. 59. 60. & 23. 8
Animæ fidelium è corporibus migrantes, ſtatim à Chriſto ſuſcipiuntur, 7. 59
Antichriſti mancipia, 12. 1
Antichriſti miracula falſa, 2. 22
Antichriſti tyrannis, vide Papæ tyrannis.
Antiochiæ decus egregium, 11. 26
Antiocheni primum dicti Chriſtiani, ibid.
Antiochenorum fides, 11. 27
Antiquitati quatenus inſiſtendum, 14. 16. & 17. 30. & 24. 14
Antonia arx ab Herode extructa, 4. 1
Aperire os quid in Scripturis, 8. 35. & 10. 34
Apollos Pauli ſucceſſor apud Corinthios, 18. 24
Apoſtoli nomen late patet, 14. 14
Apoſtoli ſeditionis accuſati, 5. 28
Apoſtoli in congerendis Scripturæ locis minime ambitioſi, 15. 16
Apoſtoli à Chriſti reſurrectione creati, 1. 4
Apoſtoli externo Baptiſmo à Joanne initiati, 1. 5
Apoſtoli cur linguarum varietate inſtructi, 2. 2
Apoſtoli vere externis linguis loquuti, 2. 4
Apoſtoli miraculorum miniſtri, non authores, 3. 6. 12. & 16. 18. & 19. 11. & 29. 8
Apoſtoli cur timide progreſſi in publicando Euangelio, 8. 1
Apoſtoli teſtes Chriſti, 1. 8. & 10. 39
Apoſtoli unorati, 9. 14
Apoſtoli Spiritu directore ac impulſore miracula edebant, 3. 5. & 9. 34. & 14. 9
Apoſtoli novam religionem non induxerunt, 3. 13. & 5. 30
Apoſtoli cur ſtatim à Chriſti reſurrectione aut aſcenſione Euangelium non prædicarunt, 1. 4
Apoſtoli cur Jeroſolymis Euangelii prædicationem auſpicati, ibid.
Apoſtolorum auctoritas, 16. 2
Apoſtolorum conſtantia, 5. 12. 16. 41. & 8. 1
Apoſtolorum curioſitas, 1. 7
Apoſtolorum modeſtia, 3. 12
Apoſtolorum officium, 11. 22. & 15. 4
Apoſtolorum ſtulta opinio de regno Chriſti, 1. 6
Apoſtolorum poteſtas, 13. 11
Apoſtolorum certa vocatio, 1. 2
Apoſtolorum zelus ſincerus, 4. 11. 19
Apoſtolorum & Paſtorum diſcrimen, 2. 39. & 14. 23
Apoſtolorum & Presbyterorum diſcrimen, 14. 23
Apoſtolis ſtatio nulla diſtributa, 9. 32
Aquila Judæus hoſpes Pauli, 18. 2
Arati hemiſtichium, 17. 28
Arbitrium hominis, vide Liberum hominis arbitrium.
Aretas regius præfectus, 9. 25
Ariſtarchus comes Pauli, 27. 2
Ariſtotelis auctoritas apud Sorbonicos doctores, 17. 28
Ariſtotelis locus, 2. 8
Arma geſtare Chriſtianis licitum, 10. 7
Aſcenſus Chriſti in cælum, Euangelicæ hiſtoriæ finis, 1. 2
Aſdod quæ & Azotum, 8. 40
Aſſaron oppidi nomen, 9. 32
Aſſon urbs Troadis, quæ & Apollonia, 20. 13
Aſtrologia utilis ſcientia, 7. 22
Aſtrologia judiciaria damnatur, 19. 19
Athenis diſputat Paulus cum Judæis, 17. 18
Athenienſium ſuperbia, 17. 16
Avaritia damnatur, 3. 2. & 10. 2. & 19. 24. & 20. 33
Auditus fidei exordium, 8. 6
Auguſtinus Pelagianorum calumniis impetitus, 25. 10
Auguſtini locus, 1. 11. & 2. 1. & 7. 56. & 8. 1. 24. & 10. 4. & 13. 33. & 16. 4. & 23. 5
Auguſtini querimonia de nimio traditionum onere, 15. 4
Azotum urbs quæ Hebræis Aſdod, 8. 40

B.

Baptiſmus ſpiritualis gratiæ appendix, 10. 47
Baptiſmus quaſi fidei appendix, 8. 37
Baptiſmus in Chriſto fundatus, ibid.
Baptiſmus ſigillum quo gratiæ promiſſio confirmatur, 2. 38
Baptiſmus novæ vitæ ſymbolum, 8. 16
Baptiſmus pœnitentiæ ſymbolum, 2. 38
Baptiſmus parvulis minime denegandus, 9. 18. & 2. 37
Baptiſmus Spiritus Chriſto mandatus, 1. 5

Baptiſmi nomen improprie uſurpatum, 1. 5
Baptiſmi nomen ad dona Spiritus interdum refertur, 19. 5
Baptiſmi elogia, 1. 5. finis, 8. 37
Baptiſmi forma, 10. 48
Baptiſmi forma cum à Petro mutata, 2. 38
Baptiſmi vis unde pendens, ibid. & 11. 16. & 22. 16
Baptiſmus Joannis pro toto ejus miniſterio, 10. 37. & 13. 25
Baptiſma Joannis, 11. 16
Baptiſmi Joannis & Chriſti collatio, 1. 5
Baptiſmi Joannis & noſtri diſcrimen, 19. 4
Baptizandi ritus quis apud veteres, 8. 38
Barnabas quomodo Apoſtolus, 14. 14
Barnabas Gentium miniſter, 11. 2
Barnabæ conſtantia, 14. 1. 2
Barnabæ elogium, 11. 19
Barnabæ ſimplicitas, 11. 24. 25
Barnabæ zelus, 14. 14. & 15. 28
Barſabas cur ſic dictus, 1. 26
Benedici in ſemine Abrahæ, quid, 3. 25
Benedictio Sacerdotalis efficax, 8. 26
Beneficentia quæ Deo grata, 4. 18
Beneficentia voluntaria eſſe debet, 11. 29
Beneficentia commendatur, 4. 36. & 10. 2. & 28. 7
Beneficentiæ merces, 10. 4
Bernice ſoror germana Agrippæ, 25. 13
Blaſtus muneribus delinitus, 12. 20
Bonitas Dei, vide Dei bonitas.
Bona quomodo inter fideles communia, 2. 45. & 6. 11. 34
Bonus vir quis cenſendus, 11. 24
Boni malis permixti, 4. 1. 5. & 8. 13. & 13. 16. 40. & 15. 12. 24 & 17. 18. & 10. 10. & 27. 24
Bos ab Ægyptiis adoratus, 7. 41
Bruto qualis viſio apparuerit, 16. 10
Budæi locus, 2. 2

C.

לשׁוֹן pro lingua, 2. 5
Cadaverum lavandorum ritus vetuſtus, 9. 37
Caiphas binominis, 4. 5
Candace vocabantur Reginæ Æthiopum, 8. 27
Carnis judicium ſemper cavendum, 28. 6
Ceremoniæ adventu Chriſti abrogatæ, 6. 14. & 8. 27. & 11. 18. & 15. 9. 16. & 16. 3. & 21. 20
Ceremoniarum acervus immenſus apparatu, 16. 3
Ceremoniarum debilitas, 23. 38
Ceremoniarum uſus, 13. 38. & 15. 9. & 17. 25
Ceremoniarum uſus liber, donec clarius innoteſceret Euangelii veritas, 26. 3. & 18. 18
Chaldæa ſub Meſopotamiæ nomine comprehenſa, 7. 2
Charitas commendatur, 4. 32. & 5. 12. vide Beneficentia.
Charitatis gradus, 11. 29
Chriſtus Deus æternus, 5. 31. & 7. 30. 59. & 9. 3. 14. & 10. 28
Chriſtus advocatus, 2. 25
agnus immaculatus, 8. 32. angelus qui Moſi apparuit, 7. 30. legis anima, 7. 38. & 22. 17. electionis noſtræ area, 13. 48. ſpiritualis baptiſmi author, 1. 5. miraculorum author, 26. 18. ſalutis author, 5. 31. unicus vitæ author, 3. 24. & 4. 12. & 8. 33. & 9. 34. & 26. 6. mundo beneficus, 10. 38. Eccleſiæ caput, 2. 25. 36. cordium cognitor, 7. 54. & 13. 30. perpetuus Eccleſiæ cuſtos, 9. 5. Eccleſiæ doctor unicus ac magiſter, 3. 23. & 7. 37. & 9. 16. & 10. 34. & 13. 47. & 15. 2. & 20. 20. Dominus, 2. 36. ſuorum dux, 5. 31. filius Davidis, 2. 30. & 13. 23. Dei filius, 3. 22. & 8. 37. & 9. 20. & 13. 33. & 16. 31. finis & perfectio Legis, 2. 30. & 7. 37. 38. & 13. 38. & 28. 17. ſolus fons & origo benedictionis, 3. 26. fons ſalutis, 4. 22. Eccleſiæ fundamentum, 4. 11. unicum fidei ac pœnitentiæ fundamentum, 2. 38. verus homo, 7. 10. Eccleſiæ inſtaurator, 1. 17. & 15. 16. imago Dei inviſibilis, 10. 4. judex mundi, 1. 11. & 3. 20. & 10. 42. & 17. 31. cur juſtus dicatur, 7. 52. & 22. 14. Mediator, 2. 31. 33. & 7. 50. & 10. 4. 38. 43. & 13. 38. & 17. 3. 18. & 18. 4. & 20. 21. & 26. 6. & 27. 24. & 28. 31
Chriſtus Jeſus verus Meſſias, 4. 10
cur Nazarenus dictus, 10. 38. pax noſtra, 18. 25. vitæ æternæ pignus ac ſubſtantia, 8. 37. primitiæ reſurgentium, 26. 25. prophetarum omnium princeps, 3. 22. Rex æternus, 2. 35. & 10. 38. Baptiſmi ſcopus, 10. 48. Sacerdos, 10. 38. unicus fidei ſcopus, 16. 31. & 20. 21. & 26. 18. ſcopus contradictionis, 28. 22. ſuorum Servator, 5. 31. ſemen benedictum, 3. 25. ſol juſtitiæ, 2. 17. & 8. 18. & 13. 8. & 17. 2. & 18. 2. ſolus audiendus, 9. 6. anno Tiberii XVIII. crucifixus, 4. 5. primum Judæis deſtinatus, 3. 26. in quem finem mundo exhibitus, 10. 38. cur corruptionis expers, 2. 10. morte minime extinctus, 8. 33. à piis invocandus, 9. 14. 21. ad quid mortuus, 10. 17. quomodo à Judæis occiſus, 2. 23. in cœlo minime otioſus, 1. 11. Dei arbitrio ac voluntate paſſus, 3. 13. Davidi peculiariter promiſſus, 2. 20. fide quærendus, 1. 11. in cœlo quærendus, ibid. & 3. 21. & 7. 56. Moſe ſuperior, 7. 26. cur toties Apoſtolis viſus poſt reſurrectionem, 1. 3. unctus, 10. 38. cur diebus feſtis Hieroſolymam aſcenderit, 2. 1. quando Spiritu baptizavit, 1. 5. ovi conſertus, 8. 32. cur non palam à reſurrectione ſe omnibus manifeſtavit, 10. 41. vere ex hoc mundo migravit, 1. 1. quomodo per Spiritum regebatur, ibid. ad quid reſurrexerit, 10. 37. quomodo ſtet vel ſedeat ad Patris dexteram, 7. 56. cur veluti privatus domi vixerit uſque ad 30. ætatis ſuæ annum, 1. 1. 11

Chriſti abnegatio quam periculoſa, 3. 17. & 5. 40. & 26. 10. ejus adventus piis ſolatium, impiis terrorem adfert, 14. 23. afflictiones Eccleſiæ communes, 4. 3. aſcenſus in cœlum Euangelicæ hiſtoriæ finis, 1. 2. aſcenſio unum ex primis Chriſtianæ fidei capitibus, 1. 9. authoritas quanta, 3. 23. corpus minime infinitum, 1. 11. corpus quomodo in cœlo, ibid. & 7. 56. dicta omnia ſcriptis minime prodita, 20. 35. dignitas quanta, 10. 22. & 17. 31. doctrinæ cognitio quam neceſſaria, 5. 1. doctrinæ ſumma, 1. 3. gloria admirabilis, 9. 12. gloria quanti æſtimanda, 21. 25. & 26. 10. gratia ad quoſvis ordines patet, 17. 11. gratia à præſentia minime ſeparanda, 26. 19. gratiæ contemptores quomodo tractandi, 13. 40. erga ſuos indulgentia, 20. 43. innocentia, 13. 28. majeſtas quanta, 2. 34. & 9. 3. & 13. 25. miracula quo ſpectabant, 10. 38. mors ignominioſa, 5. 30. mors prædicta, 8. 32. mors vivifica, ibid. mors voluntaria, ibid. nomen portare quid, 9. 15. officium, 1. 1. 3. & 2. 33. & 3. 21. & 10. 43. & 13. 18. & 17. 3. & 26. 22. regnum olim ſub tropis adumbratum, 21. 7. regnum æternum, 2. 35. & 8. 12. & 13. 34. regnum inexpugnabile, 1. 14. regnum ſpirituale, 17. 7. regnum nunquam in mundo tranquillum, 4. 25. regni natura, 1. 6. regni ornamenta, 22. 9. regni perfectio in diem ultimum differtur, 1. 11. reſurrectio vera, 13. 50. 32. reſurrectio primarium Euangelii caput, 1. 21. reſurrectio veluti Euangelii complementum, 4. 33. reſurrectionis notitia imprimis neceſſaria, 1. 3. reſurrectionis oſor, 13. 30. ſacrificium voluntarium, 8. 32. triumphus in morte, 2. 15. victoria de hoſtibus, ibid. vita perpetua, ibid. vocis efficacia, 9. 40. & Apoſtolorum diſcrimen, 1. 21. & Joannis Baptiſtæ collatio, 1. 5. & Paſtorum ſeu Miniſtrorum Verbi diſcrimen, ibid. & 7. 16. & 11. 19
Chriſto omnia ſubjecta, 7. 59. & 9. 5
Chriſtianiſmus doctrina carere non poteſt, 9. 56
Chriſtianiſmi vera regula, 2. 1
Chriſtianiſmi ſumma, 3. 3. & 2. 38. & 8. 32
Chriſtiani Antiochenі primum nominati, 11. 26
Chriſtiani diſcipuli olim vocabantur, 8. 18. & 14. 21. & 18. 22. & 21. 4
Chriſtiani veri qui, 14. 21. & 18. 22
Chriſtiani quatenus perſecutionem fugere debeant, 11. 20
Chryſoſtomi locus, 8. 11. 16. & 18. 3
Ciceronis locus, 9. 25. & 17. 11
Circumciſio quo ſenſu fœdus æternum vocatur, 15. 9
Circumciſio Judæis gratuitæ adoptionis pignus erat, 7. 8
Circumciſionem cum ſuis appendicibus hodie quoque ſervandam Judæis, unde nonnulli colligant, 15. 21. & 16. 3
Claudus à Petro ſanatus, 3. 7
Claudus à Paulo ſanatus, 14. 10
Cœli nomen varie acceptum, 2. 11
Cœli quomodo Stephano aperti, 7. 16
Cœlorum apertio quid, 10. 11
Cohors quot militibus conſtabat, 16. 1
Cohors auguſta, 27. 1
Communicatio Dei nulla cum hominibus niſi per Chriſtum, 7. 50
Communicatio idiomatum, 20. 58
Commune pro profano, 10. 14
Complere pro advenire, 2. 1
Conciliatio quorundam locorum in ſpeciem inter ſe pugnantium, 7. 2. & 8. 31. & 9. 7. & 10. 14. & 11. 2. 29. 32. & 14. 17. & 15. 19. & 16. 1. 4. 18. & 17. 24. & 18. 25. & 20. 22. & 21. 4. & 22. 9
Conciliorum authoritas quota, 15. 2. 28
Concilii Laodiceniſis decretum de Paſtorum electione, 14. 23
Concilii legitimi viva effigies, 15. 18
Concordia fraterna commendatur, 1. 14. & 4. 32
Confeſſio auricularis Papiſtarum, 19. 19
Conſcientia duabus partibus conſtat, 24. 16
Conſcientiæ ſecuritas imprimis neceſſaria, 10. 20
Conſcientia mala ad furorem homines impellit, 7. 28
Conſcientiæ malæ exempla, 5. 2. & 6. 11
Conſenſor impiorum in opprimendo Chriſti Euangelio, 22. 6
Conſilia media quam infeliciter cedant, 5. 40
Conſolatio Fidelium, vide Fidelium conſolatio.
Conſpiratio in Paulum nefanda, 23. 12
Conſtantia Apoſtolorum, vide Apoſtolorum conſtantia.
Conſtantia Pauli, vide Pauli conſtantia.
Contentiones vitandæ, 23. 6. 10
Conventus Eccleſiaſtici quam utiles, 8. 1. & 5. 18
Converſio Pauli, vide Pauli converſio.
Cor pro mente, 16. 14
Cor pro voluntate, 4. 32
Cor totum pro ſincero & non fucato, 8. 37
Cordis ſimplicitas quam Deo grata, 5. 1
Corinthus urbs populoſa & ſumptuoſa, 18. 5
Corinthii quamdiu Paulus Euangelium prædicarit, 18. 11
Cornelius Centurio qualis fuerit, 10. 1. 2
Cornelius cœlitus ad Chriſti fidem adductus, 10. 3
Cornelius fidelis antequam Petrus ad eum mitteretur, 10. 4
Cornelius in quo peccavit honorem Petro exhibens, 10. 25
Cornelii prompta obedientia, 10. 7
Corpora mortuorum cur olim lavabantur, 9. 37
Creatio mundi quomodo conſideranda, 4. 24
Credulitas nimia fugienda, 21. 17
Criſpus archiſynagogus ad fidem converſus, 18. 7

Cultus quis Deo gratus, 7. 42
Cultus degeneres ac vitioſi quare à probis & ſinceris diſcernantur, 7. 44
Cultus Dei, vide Dei cultus.
Curioſitas hominibus inſita, 1. 7
Curioſitas fere ex otio & diffidentia naſcitur, 1. 8
Curioſitas Apoſtolorum, 1. 7
Curioſitas vitanda, 1. 7. 11. & 10. 41. & 17. 21. 30 & 19. 19
Cuſtos carceris ad Chriſtum converſus, 16. 33

D.

DÆmonium obmuteſcere cur juſſerit Chriſtus & Paulus, 16. 18
Dæmonia pro diis minoribus aut geniis, 17. 18
David typus Chriſti, 1. 16. & 4. 11. 25. & 13. 22. 33
Davidis regnum temporale & caducum, 2. 33
Decreta Apoſtolorum, 16. 4
Demas perfidus deſertor, 8. 13
Demetrius ſeditionis in Paulum author, 19. 28
Demoſthenis locus, 12. 20
Devotio eorum qui in Pauli necem conſpiraverant, 23. 12
Deus unus, 14. 15
Deus perſonarum acceptor non eſt, 2. 36. & 8. 21. & 10. 34. & 26. 22
vitæ & mortis arbiter, 7. 51. fidei author, 15. 9. 18. author mali non eſt, 2. 23. ſolus miraculorum author, 14. 3. & 19. 11. & 28. 8. ſolus ſalutis author, 16. 6. vocationis Gentium author, 15. 13. natura beneficus, 14. 17. cordium cognitor ac ſcrutator, 1. 24. 26. & 5. 9. & 15. 8. & 17. 14. cœli & terræ conditor, 4. 24. & 14. 15. & 17. 24. ſuorum dux, 19. 21. totius mundi judex, 5. 8. & 7. 7. & 10. 15. & 28. 9. incomprehenſibilis, 3. 15. & 7. 22. Eccleſiæ ſuæ liberator, 7. 7. pater Chriſti, 22. 14. ſemper ſui ſimilis, 17. 26. cur Abrahæ, Iſaaci & Jacobi vocetur, 7. 38. ſolus in Chriſto audiendus, 9. 6. ſolus invocandus, 12. 5. in cœlo quærendus, 7. 47. quomodo cum piis agat, 12. 6. & 19. 21. cur mundum ſex diebus creaverit, 12. 10. cur auxilium ſuum interdum differat, 23. 11. peculiarem ſuorum fidelium curam gerit, 2. 25. & 4. 23. & 5. 19. & 7. 34. & 8. 31. & 9. 5. 10. & 12. 2. 7. & 14. 23. & 16. 26. & 20. 1. 6. & 22. 31. 34. & 23. 16. & 25. 2. & 28. 16. cur irruerit, 5. 5. cur juraverit, 2. 30. plus largiri ſolet piis quam poſtulent, 12. 15. quomodo Patribus ſeipſum patefecerit, 2. 17. ſua gratia homines prævenit, 3. 3. cur non ſtatim impios puniat, 27. 14. quomodo in ſuis regnet, 1. 8. cur pauca tantum & ad breve tempus miracula edi voluerit, 14. 11. quomodo impiorum opera utatur, 4. 28. & 13. 21. 27. & 17. 26. & 23. 23. 27
Dei erga ſuos amor gratuitus, 13. 17. & 27. 24. ejus arcana curioſius non inveſtiganda, 14. 16. & 17. 30. & 16. 5. beneficiorum finis, 7. 7. erga ſuos fideles bonitas quanta, 2. 2. 5. 13. & 3. 3. & 7. 38. & 11. 3. & 12. 15. & 17. 27. bonitas cum hominum malitia certare ſolet, 27. 42. Dei veri cognitio quam neceſſaria, 17. 22. cognitionis fructus, 8. 39. conſilium in verbo quærendum, 20. 26. cultus legitimus quis, 14. 15. cultus ſemper ſpiritualis, 7. 44. & 15. 6. & 17. 25. decretum immutabile, 2. 23. donorum uſus, 2. 22. electio libera, 16. 3. electio bonorum omnium cauſa, 13. 18. & 22. 14. fœdus irritum eſſe nequit, 17. 4. gloria quanti facienda, 4. 50. & 8. 20. & 9. 21. & 18. 6. gratia nunquam ceremoniis alligata, 7. 7. gratia Sacramentis non alligata, 22. 16. gratia, prima ſalutis noſtræ cauſa, 2. 47. gratia libera, 26. 5. gratia omnibus neceſſaria, 10. 43. gratia homines prævenit, 5. 31. & 7. 2. & 9. 3. 5. & 10. 4. 3. 31. & 13. 48. & 22. 14. erga ſuos indulgentia, 2. 30. & 3. 19. & 6. 2. & 9. 31. 39. & 10. 4. 30. 45. & 12. 18. 20. & 14. 27. & 15. 10. & 17. 24. & 18. 9. 10. & 22. 19. invocatio præcipuus ejus cultus, 8. 21. invocatio ſemper neceſſaria, 7. 19. immenſa miſericordia, 9. 5. miſericordia omnibus neceſſaria, 10. 43. natura, 1. 26. & 4. 29. & 8. 14. & 13. 21. opera nunquam fructu carent, 2. 12. opera quomodo expendenda, ibid. & 3. 9. & 15. 12. erga populum Iſraeliticum patientia, 7. 16. potentia quomodo conſideranda, 10. 38. potentia ab ejus conſilio non ſeparanda, 15. 10. potentia in Chriſti reſurrectione, 13. 30. potentia quanta, 4. 24. & 9. 1. 40. & 12. 7. & 28. 8. præſcientia quomodo conſideranda, 2. 23. & 17. 26. præſentia formidabilis, 9. 3. & 10. 4. præſentia locum ſanctificat, 7. 33. præſentiæ agnitio optimum piorum ſuſtentaculum, 6. 25. promiſſio Judæis peculiariter deſtinata, 2. 39. promiſſiones fide amplexandæ, 7. 5. promiſſiones in Chriſto, 13. 32. 34. providentia quomodo expendenda, 4. 28. providentia quam reverenter & modeſte conſideranda, 17. 30. providentiæ abnegatio unde, 20. 26. providentiæ loci, 1. 18. 26. & 2. 23. & 4. 21. 24. & 5. 7. & 7. 17. & 8. 4. 35. & 10. 10. & 12. 2. 20. & 13. 18. 27. 37. & 14. 17. & 16. 5. & 17. 26. 28. & 18. 24. & 19. 2. & 23. 11. 33. & 21. 26. 31. & 25. 22. & 28. 3. regnum in quo ſitum, 1. 5. & 28. 31. regnum quomodo in nobis erigitur, 8. 5. regnum ſpirituale, 17. 18. & 18. 18. & 19. 8. & 28. 23. timor qualis in fidelibus, 5. 11. timor piis omnibus neceſſarius, 10. 2. 35. & 13. 16. 41. verbum cui gladio confertur, 2. 37. verbum dupliciter creſcere dicitur, 6. 7. verbum piis terrorem incutit, 10. 4. verbum cur reprobis proponatur, 26. 27. verbi authoritas, 8. 25. & 13. 19. & 30. 21. & 28. 25. verbi contemptus graviter puniendus, 3. 28. & 13. 41. 51. & 14. 16. verbi majeſtas, 12. 52. verbi perſpicuitas, 26. 17.

Digitized by Google

verbi vis ac efficacia, 1. 6. & 55. 33. & 8. 6. 11. & 9. 22. & 19. 6. & 24. 26. verbi uſus multiplex, 14. 20. verbo nec addendum nec detrahendum, 26. 22. veritas quantum apud reprobos proficiat, 26. 24. vocatio libera, 16. 5. vocatio quanti facienda, 17. 1. vocatio ſequenda, 10. 23. & 23. 22 voluntas ſumma lex æquitatis, 14. 16. voluntas rebus omnibus anteferenda, 21. 2. 13. 14. voluntas in lege quærenda, 2. 23. voluntas piis ſufficere debet, 28. 27. vox impiis quam terribilis futura, 5. 1. colendi legitima ratio, 8. 28. & creaturarum omnium diſcrimen, 27. 28. & hominum diſcrimen, 10. 33. & 11. 16. & 15. 8. & idolorum diſcrimen, 7. 2. & mundi diſcrimen, 5. 41

Deo ſtatim obediendum, 10. 20. 11. 29. & 15. 4

Deo in ſolidum gloria tribuenda, 14. 26. & 16. 21. & 28. 8

Deum quærere hominis officium eſt, 17. 27

Deum tentare quid, 3. 9. & 15. 10

Deorum falſa apud gentes opinio, 17. 22

Dextera pro manu aut virtute, 2. 33. & 5. 31

Dexteritas Dei donum, 2. 20

Diabolus quomodo mendacii pater, 18. 16

Diaboli Evangelicæ majeſtati cedere coguntur, 8. 7

Diaconia ſinitris murmuribus obnoxia, 6. 3

Diaconi quo conſilio creati, 6. 1. 3

Diaconi quomodo eligendi, 6. 3

Diaconi presbyteris ſubjecti, 31. 10

Diaconi quales in papatu, 6. 2

Dianæ ſimulacri figmentum, 19. 33

Dies quomodo in certas horas à veteribus diſtributus, 2. 14. & 3. 1. & 10. 3. & 13. 14

Dies Domini magnus totum Chriſti regnum comprehendit, 2. 18

Dies Domini quibus lætus ac optabilis, 2. 20

Dies judicii cur tempus refrigerii vocetur, ibid.

Dies ſabbathorum pro Sabbatho, 16. 13

Dionyſius Areopagita, 17. 34

Diſciplina in Eccleſia neceſſaria, 8. 4

Diſcipuli pro fidelibus, 6. 2

Diſcipulorum officium, 22. 3

Diſcordia fugienda, 15. 2

Diſcordiæ inteſtinæ Evangelio quam noxiæ, 15. 2

Diſſidium inter Paulum & Barnabam, 13. 37

Diſſidia fere ex ambitione oriuntur, 23. 9

Diſputandi vera ratio, 17. 2

Divites pauperum miniſtri eſſe debent, 11. 29

Docendi vera ratio, 2. 38. & 3. 25. & 10. 43. & 20. 26. & 26. 22. 23

Docilitas Dei donum, 9. 5. & 14. 20. & 16. 5. 14

Docilitas in primis neceſſaria, 2. 37. & 8. 6. 31. & 17. 17

Doctores Papiſtici quales, 20. 20

Doctrina veluti Eccleſiæ anima, 2. 42

Doctrina ſine zelo inutilis, 18. 25

Doctrina quomodo tempore Pauli à Judæis tractabatur, 13. 23

Doctrina Evangelii nova non eſt, 3. 23

Doctrinæ ſanæ authoritas ac immortalitas, 7. 38.

Doctrinæ Pauli confirmatio, 9. 8

Doctrinæ examen, 12. 2. 17. profectus ex ſola Dei benedictione, 19. 16. ſanciendæ generalis ratio, 7. 18. Apoſtolicæ ſumma, 6. 14

Dolores mortis qui, 2. 24

Donatiſtæ heretici, 10. 15

Dona Spiritus etiam indignis conferuntur, 3. 24

Donorum Dei uſus ab ipſo Deo eſt, 10. 4

Dorcas quæ & Thabita, 9. 36

Druſilla Felicis uxor & Agrippæ majoris filia, 24. 15

Dynaſtæ promiſcue vocabantur Eunuchi, 8. 27

E.

EBrietas quam fœdum vitium, 2. 14

Eccleſia ſemper in mundo fuit, 23. 6. corpus Chriſti, 1. 18. domus Dei, 9. 31. ædificio confertur, 4. 11. templum Dei, 9. 11. domeſtica, 20. 2. ex Judæis & Gentibus collecta, 15. 14. fere ex gregariis hominibus collecta, 9. 43. Deo quam pretioſa, 20. 28. diſciplina carere non debet, 2. 1. ordinatio miniſterio carere non poteſt, 14. 23. quomodo creverit, 1. 15. & 2. 41. & 4. 32. & 5. 14. & 6. 1. 7. & 9. 32. & 11. 19. & 13. 49. & 16. 5. 16. & 17. 12. & 19. 1. 20. cur tam longo tempore erraverit, 14. 16. in Miniſtrorum electione errare poteſt, 6. 5. ſemper aliquid habet correctione dignum, 6. 1. varias ob cauſas hinc inde impetitur, 12. 3.

Eccleſiæ ædificatio quam ardua & laborioſa, 18. 18. conditio ſtabilis in Chriſti manifeſtatione, 2. 17. conditio, 7. 30. vide Fidelium conditio.

Eccleſiæ vera & proba conſtitutio, 15. 6. perpetua gubernatio Chriſto aſſeritur, 10. 43. hoſtes domeſtici quam noxii, 15. 1. & 20. 30. inſtauratio quomodo perfici debeat, 2. 37. majeſtas, 5. 13. militia nondum completa, 3. 21. notæ quatuor, 2. 42. pax non diuturna, 12. 1. perpetuitas in Chriſti perſona aſſeritur, 8. 33. perſecutores graviter puniendi, 1. 20. & 9. 5. ſtatus qualis apud Judæos tempore Apoſtolorum, 16. 7. Jeroſolymitanæ horrenda diſſipatio tempore Pauli, 23. 2. primariæ ad alias minores retinendas non parum valent, 15. 36

Eccleſiarum exempla quatenus imitanda, 15. 1

Eccleſiarum unitas, quam utilis ac neceſſaria, 8. 14

Electio bonorum omnium cauſa, 13. 17

Electio fide ſuperior, 13. 48

Electio duplex filiorum Abrahæ, 13. 38

Electionis gratuitæ abnegatio unde, 20. 26

Electi ſoli vere credunt, 13. 48. 7. 16. 10. & 18. 21. 26

Electorum & reproborum, fidelium & infidelium, piorum & impiorum diſcrimen, 1. 20. & 5. 11. & 9. 5. 6. 29. & 11. 21. & 14. 22. & 16. 16. 20. 33. & 17. 32

Eleemoſynæ Deo pretioſæ, 5. 5 vide Beneficentia.

Eloquentia donum Dei, 14. 8

Eloquentia omnis non ſpernenda, 18. 24

Eloquentia quatenus Evangelio prodeſt, ibid.

Encratitæ hæretici, 10. 15

Ennii locus, 9. 17

Epicurei ſe credere ſimulant, 8. 13

Epicureorum deliria, 17. 18

Epicureorum & Sadducæorum diſcrimen, 23. 8

Epiſcopi qui & presbyteri, 16. 28

Epiſcopi Papales quam ridiculi, 1. 21. & 6. 2

Epiſcoporum Papalium friuola jactantia, 4. 13. & 20. 28

Epiſcoporum Papalium tyrannis, 15. 10

Error eorum qui aſſerunt Baptiſmum Joannis diverſum fuiſſe à Chriſti Baptiſmo, 1. 5

Error Judæorum de regno Meſſiæ, 1. 6

Erroris comes pervicacia, 31. 8

Errores ſemel concepti non facile evelluntur, 10. 45

Errores veruſti retenti in Papatu mutatis tantum nominibus, 28. 11

Eſſenorum ſecta, 26. 4

Evangeliſtæ inter Apoſtolos & Doctores medii, 21. 8

Evangelium fermento ſimile, 13. 49. quomodo turbarum ſit occaſio, 14. 4. cur vocetur regnum Dei, 20. 25. cur ſermo gratiæ dicatur, 14. 23. ſermo ſalutis, 13. 26. verbum vitæ, 5. 20. Judæis deſtinatum, 3. 25. non temere nobis manifeſtatum, 2. 2. miraculis ſancitum, 14. 3. ex exilibus principiis crevit, 8. 26. quomodo ad Æthiopes uſque pervenerit, ibid. cur prædicetur, 17. 30. cur reprobis etiam proponatur, 24. 25

Evangelii certitudo, 3. 24. authoritas, 17. 30. & 19. 17. commendatio, 3. 22. 23. 24. conditio, 6. 2. & 7. 54. & 13. 27. & 17. 6. libera confeſſio ſingulare Dei donum, 4. 31. confirmatio, 3. 21. contemptus ſevere puniendus, 3. 20. 22. & 4. 26. & 13. 41. 51. & 16. 16. dignitas ac præſtantia, 9. 5. doctrina innumeris calumniis obnoxia, 6. 14. doctrina nova non eſt, 3. 21. & 10. 43. & 13. 27. 32. elogia, 5. 20. gloria ſemper cum cruce & variis moleſtiis conjuncta, 6. 1. finis & ſcopus, 2. 3. & 11. 18. & 26. 18. majeſtas, 26. 22. partes, 2. 38. & 20. 21. prædicatio maximi momenti, 10. 12. prædicatio gratiſſimum Deo obſequium, 6. 2. prædicatio ſalutis cauſa, 13. 1. prædicatio quam efficax, 10. 44. prædicatio ſemper Deo grata, 24. 25. prædicatio validis obteſtationibus ſancita, 10. 42. ſuavitas, 13. 16. ſumma, 1. 1. & 3. 38. & 10. 43. ſumma conſtat ubi Chriſtus cognoſcitur, 8. 34. vis, 12. 9. vide Verbi Dei vis & efficacia.

Evangelio cur non omnes promiſcue credant, 13. 48

Eunica Timothei mater, 16. 3

Eunuchi fides quomodo perfecta, 8. 37

Eunuchi modeſtia inſignis, 8. 31

Euſebii locus, 12. 17. & 15. 13

Eutyches hæreticus, 20. 28

Eutychus ad Pauli preces è morte excitatus, 20. 10

Exemplum pie ſancteque moriendi in morte Stephani, 7. 52

Exhortationes admodum neceſſariæ, 32. 21. & 14. 20. & 19. 8

Exorciſtæ Papiſtarum, 19. 13

F.

FAbula de diſputatione Simonis magi cum Petro, 8. 24

Fabula Juſtini de Moſe, 7. 22

Fabula Poëtarum de Caſtore & Polluce, 28. 11

Fames ſub Claudio Cæſare, 11. 28

Familiæ Chriſtianorum quales eſſe debeant, 10. 2. 7. & 16. 15

Fanatici prætextu Spiritus externam doctrinam reſpuunt, 16. 14

Fanatici refutantur, 1. 2

Fanaticorum allegoria de filiis Abrahæ, 13. 33

Fanaticorum error de Angelis & diabolis, 23. 8

Fanaticorum error de anima, 9. 41

Fanaticorum ſpiritus erraticus, 10. 44

Feſtus Præſes ambitioſus, 25. 9

Felix Præſes avarus, crudelis ac libidinoſus, 24. 26. 27

Felix Præſes ad Pauli prædicationem commotus, 24. 26

Feſtinatio nimia quantopere cavenda, 16. 15

Fideles olim diſcipuli dicebantur, 6. 2. omnes Sacerdotes, 2. 17. & 13. 2. ſpe donorum Dei compotes, 1. 4. uno Chriſto contenti, 28. 20. ſimplici Dei imperio contenti, 1. 26. & 10. 20. ſolo Dei verbo contenti, 23. 31. calumniis expoſiti, 17. 6. & 21. 7. omnes ad reddendam doctrinæ & vitæ rationem ſemper parati eſſe debent, 21. 2. quomodo carnis & ſanguinis Chriſti participes, 1. 11. Deo quam pretioſi, 20. 23. ſemper egent confirmatione, 14. 20. & 15. 36. & 16. 3. & 18. 9. & 20. 32. & 28. 15. morte non extinguuntur, 8. 32. indies proficiunt, 5. 13. & 10. 48. & 14. 21. & 16. 5. & 17. 11. & 20. 32. quotidie Deo reconciliantur, 23. 38. non ſtatim omnes ex patre regenerantur, 10. 45

Fidelium afflictiones honorificæ, 16. 22. afflictiones variæ, 14. 22. afflictiones & Chriſti communes, 22. 7. animæ è corporibus migrantes ſtatim à Chriſto ſuſcipiuntur, 7. 18. cœtus tempore perſecutionis collecti, 12. 12. in hoc mundo conditio, 4. 21. & 5. 17. & 7. 6. 30. & 8. 1. & 12. 1. & 13. 27. & 14. 22. & 17. 6. & 18. 17. & 19. 4. conſcientiæ ſolo Dei verbo regendæ, 16. 4. conſolatio, 3. 20. & 4. 11. & 5. 17. 41. & 7. 55. 38. & 8. 3. & 9. 5. 37. & 12. 9. 13. & 14. 22. & 21 7. conſtantia qualis eſſe debeat, 20. 37. domus quales eſſe debeant, 16. 15. felicitas, 14. 22. fortitudo in ſolo Chriſto, 7. 33. gaudium, 2. 25. 29. 46. & 5. 41. & 8. 8. 39. & 12. 13. & 13. 48. 52. & 16. 32. & 20. 24. gloria qualis, 1. 48. manſuetudo, 26. 29. militia, 4. 23. & 5. 17. & 9. 16. & 12. 1. & 14. 22. & 18. 29. mors placida, 7. 59. mors coram Deo pretioſa, 12. 2. 8. patientia, 26. 29. & 27. 2. perfectio in quo ſita, 20. 37. puritas in fide ſita, 15. 9. ſecuritas ex Dei præſentia, 18. 10. ſimplicitas, 14. 23. ſpes in ſolo Chriſto, 28. 20. timor, 14. 5. triumphus, 16. 22. victoria qualis, 4. 21. omnium communis vocatio in Chriſto depicta, 13. 21. utilitas ſemper gloriæ Dei annexa, 9. 41. zelus, 14. 14. & 17. 16. & infidelium diſcrimen, vide Electorum & reproborum diſcrimen.

Fidelibus noprimis benefaciendum, 11. 29

Fides vera quæ, 10. 43. & 11. 21. & 16. 31. 33

Fides pro Dei verbo & Chriſtianiſmi profeſſione, 6. 7. donum Dei, 15. 9. & 16. 14. ex auditu, 8. 6. & 10. 5. & 14. 9. 17. Eccleſiæ anima, 23. 6. unicum Pietatis fundamentum, 24. 14. & 25. 19. vera nos Deo in ſolidum addicit, 10. 33. in Dei verbo fundata, 13. 9. ſola juſtificat, 13. 37. Chriſti reſurrectione nititur, 1. 3. à Dei electione pendet, 13. 48. quomodo corda purificet, 15. 9. à Chriſti notitia ſeparanda non eſt, 10. 4. Antiochenorum, 21. 37. papiſtarum implicita, 16. 31. piorum. vide Piorum fides.

Fidei certitudo, 1. 4. confirmatio neceſſaria, 8. 23. & 17. 11. externa confeſſio neceſſaria, 8. 36. fructus, 8. 39. orthodoxæ fundamentum, 24. 14. incrementum, 8. 37. & 10. 48. juſtitia quæ, 13. 38. natura, 17. 25. obedientia, 20. 20. officium, 15. 9. probatio, 7. 5. & 10. 40. externa profeſſio neceſſaria, 8. 27. & 10. 2. ſecuritas à ſecordia differt, 1. 14. vis ac efficacia, 3. 16. & 10. 43. & 13. 39. & pœnitentiæ diſtinctio, 20. 21. Chriſtianæ & ſuperſtitionum gentium diſcrimen, 17. 28

Figmentum de diis cujuſque gentis profanum, 12. 15

Figmentum de Mercurio deorum interprete, 14. 12

Figmentum de ſimulacro Dianæ, 19. 35

Filii Abrahæ duplices, vide Abrahæ filii.

Filii Dei qui proprie, 17. 28

Fornicatio, vide Scortatio.

Fractio panis pro Cœna Domini, 2. 42. & 20. 7

Fratres pro fidelibus ad Chriſtum converſis, 14. 2

Fuga tempore perſecutionis licita, 8. 1

G.

GAllio Proconſul Achajæ Paulum in ſua cauſa audire noluit, 18. 17

Gamaliel Phariſæus, 5. 34

Gamaliel vir humanus & moderatus, ibid.

Gamaliel Pauli doctor, 22. 3

Gamalielis conſilium quatenus probandum, 5. 36

Gamalielis ſententia prudenti viro indigna, 5. 34

Gaudium verum ex fide ac Dei notitia, 8. 39. & 16. 34

Gaudium fidelium, vide Fidelium gaudium.

Gaza quæ & Haza, 8. 26

Gentes quomodo olim ad Dei cultum admittebantur, 10. 12

Gentium vocationis locus, 1. 8. & 2. 2. 39. & 3. 25. & 8. 25. & 10. 12. 44. & 11. 1. & 13. 33. 46. & 14. 27. & 15. 7. 12. & 18. 6. & 28. 28

Gentium ac Judæorum æqualitas, 15. 9

Genuflexio per ſe non damnanda, 20. 25

Genuflexio in precibus humilitatis ſymbolum, 9. 40

Gloria ſoli Deo tribuenda, 26. 21

Græcus pro Gentili, 16. 1

Græci pro Judæis diſperſis, 9. 29

Gratia pro fide Evangelii, 13. 43

Gratia pro Spiritus virtute & efficacia, 14. 26

Gratia pro vocatione in ſpem ſalutis, 13. 43

Gratia Chriſti, vide Chriſti gratia.

Gratia Dei, vide Dei gratia.

Gratia Spiritus ſignis nequaquam alligata, 10. 47

Gratiarum actio pro liberatione à morte, 12. 11

Gratitudo commendatur, 10. 23. & 28. 29

Gregorii Nazianzeni querimonia de conciliorum ſucceſſu, 15. 2

H.

HÆreſis nomen olim non infame, 24. 14

Hæretici quomodo confutandi, 9. 22

Herodes Agrippa major, 12. 1

Herodes quo impulſu Eccleſiam perſecutus ſit, 12. 1

Herodis arx Antonia nomine, 4. 1

Herodis cæcitas, 12. 19

Hierarchia Papatus quam ridicula, 20. 28

Hierarchiæ cœleſtis & alii quidam libri inſulſi & impii perperam Dionyſio Areopagitæ attributi, 17. 34

Homicidium maxime ſemper deteſtabile fuit, 28. 4

Homo cur μικρόκοσμος à Philoſophis dictus, 17. 27

Hominis officium Deum quærere, ibid.

Homines in quem finem nati, 17. 26

Homines quid per ſe poſſint, 9. 35

Homines omnes extra Chriſtum maledicti, 3. 25. 26

Hominum cæcitas quanta, 17. 17. converſio in manu Dei, 14. 1. corda in manu Dei, 9. 8. & 16. 14. & 23. 10. 21. & 25. 2. & 28 1. genera quatuor, 13. 50. ingratitudo, 17. 26. merita evertuntur, 7. 35. & 13. 39. 48. natura ad vanitatem propenſa, 14. 11. ſupina ſecuritas, 17. 30.

17. 31. Iocundia quanta, 2. 12. sita id fruatu Dei 3. 19
Hominibus interdum tribuitur quod unius Dei proprium eſt, 7. 30. 19. & 13. 47. & 16. 9. & 26. 18
Horatii locus, 17. 21
Humanitas quanta virtus, 21. 18
Humanitas quatenus erga fratres colenda, 21. 13
Humanitas Magiſtratibus neceſſaria, 23. 18
Humanitas commendatur, 2. 27. & 10. 22. & 28. 7
Humanitas Pauli, vide Pauli humanitas.
Humanitas Petri, 9. 42
Humilitas amplectanda, 9. 5. 6. & 10. 48. & 12. 23
Hypocriſis hominum naturæ ingenita, 8. 23
Hypocriſis cæca, 6. 11
Hypocriſis quomodo deteſtanda, 5. 1. 3. 8
Hypocritæ ambitioſi, 7. 57
Hypocritæ ſanguinarii, 9. 29
Hypocritæ pios perſtringunt, vide Boni malis permixti.
Hypocritæ difficile diſcernuntur, 8. 18
Hypocritæ quomodo tractandi, 7. 53. & 8. 20. 23. vide Impii quomodo tractandi.
Hypocritarum cæcitas, 9. 23
Hypocritarum ſimulatæ modeſtia, 14. 14
Hypocritarum mos, 4. 2. & 5. 4. 21. & 7. 2. & 13. 50. & 14. 14. & 23. 4
Hypocritarum ſupina ſecuritas, 24. 2
Hypocritarum zelus furioſus ac ſanguinarius, 4. 7. & 5. 17. & 8. 18. & 9. 29. & 17. 5. & 19. 23. 37. & 23. 12

I.

Iacobus frater Joannis ab Herode occiſus, 12. 2
Jacobus Alphæi filius, 12. 17. & 21. 15
Jaſoni vis infertur quod Paulum & ejus comites hoſpitio ſuſcepiſſet, 17. 3
Idiomatum communicatio, 20. 28
Idololatrarum cæcitas, 13. 6
Idololatrarum hypocriſis, 17. 17
Idololatria unde initium ſumpſerit, 7. 40
Idololatria admodum fertilis, 7. 42
Idololatria ſecum pugnat, 17. 24
Jehovæ nomen quid notet, 17. 28
Jejunium pro inſolita cibi abſtinentia, 27. 33
Jejunium orationis adminiculum, 13. 3
Jejunii uſus, 14. 23
Jeſus cur Nazarenus dictus, 10. 38
Jeronymi locus, 1. 12. & 7. 14. & 13. 20. 13. & 17. 23. & 19. 6
Ignorantia quatenus excuſanda, 3. 17. & 14. 17. & 17. 30
Illuſores verbi Dei, 2. 12
Imagines & ſtatuæ papiſticæ quam inanes, 7. 41
Impietas Simonis magi, 8. 20
Impii filii diaboli, 13. 10
Impii Satanæ mancipia, 13. 11
Impii Satanæ miniſtri, 21. 12
Impii Deo quam abominabiles, 13. 31
Impii interdum inter ſe committendi, 23. 6
Impii ſemper deteriores efficiuntur, 8. 1. & 9. 6. & 12. 19. & 13. 45. & 19. 9. & 28. 24. & 28. 29
Impii ad Eccleſiæ regimen non evehendi, 4. 17
Impii inexcuſabiles, 2. 23. & 18. 6. & 24. 25. & 28. 27
Impii quomodo tractandi, 4. 12. & 5. 33. & 7. 14. & 8. 20. 23. & 13. 10. 40. & 18. 6. & 19. 9. & 23. 3. & 24. 26. & 28. 25
Impii communibus ſtudiis Euangelium opprimere conantur, 23. 6
Impii, etſi inviti, Euangelium confirmant, 4. 21
Impii ſemper aliquas peccandi cauſas excogitant, 16. 39
Impii non nocent pro libidine, 2. 41. & 3. 18. & 4. 3. 4. 21. 28. & 12. 2. & 13. 10. & 25. 1
Impii quomodo Deo pareant, 2. 23
Impii ſemper ad ingenium redeunt, 24. 27
Impii facile à Satana ſeducuntur, 8. 22
Impii etiam Dei providentiam ſtabiliunt, 27. 26
Impii omnes Dei providentiæ ſubſunt, 33. 27
Impii interdum homines timent, 5. 21
Impiorum afflictiones inferorum atrium, 24. 12
Impiorum cæcitas, 3. 17. & 9. 21
Impiorum conſcientia mala, 5. 33. 37
Impiorum inania conſilia, 4. 5. 25. 27. & 9. 23. & 23. 16
Impiorum exitus, 5. 20. & 8. 20
Impiorum fluxa ac evanida felicitas, 12. 20
Impiorum interitus, 9. 1. & 12. 20
Impiorum judicium merito ſpernendum, 16. 8
Impiorum libido cohibenda, 18. 37
Impiorum malitia tumultuoſæ phreneſi ſimilis, 21. 27
Impiorum metus qualis, 16. 38
Impiorum mos, 9. 23
Impiorum odium adverſus veritatem, ibid.
Impiorum obſtinatio, 5. 25
Impiorum opera quomodo Deus utatur, 4. 28
rabies admota Euangelii luce accenditur, 13. 45
Impiorum ſedulitas in opprimenda veritate, 4. 8
Impiorum ſuperbia pia ſpernenda ac calcanda, 13. 48. 33
Impiorum temeritas, 23. 11
Impiorum zelus qualis, 17. 3
Impoſitio manuum, 6. 6. vide Manuum impoſitio.
Impoſtores ſummo ſtudio evitandi, 15. 24
Incredulitas omnia profanat, 10. 28
Increduli omnes polluti, ibid.
Infantes à Baptiſmo non arcendi, 2. 39. & 10. 47
Infidelitatis pœna, 3. 23
Ingratitudo fugienda, 10. 41
Ingredi & egredi quid Hebræis, 1. 21. & 9. 28
Inſidiæ Paulo ſtructæ, 9. 23
Intelligentia rerum ſpiritualium, peculiare Dei donum, 16. 14
Intrare & exire pro verſari, 1. 21. & 9. 28
Invidia damnatur, 13. 45. 24
Invocatio ſanctorum mortuorum evertitur, 3. 12
Joannis Baptiſtæ officium, 1. 5. & 10. 37. & 13. 24. & 19. 4
Joannis Baptiſtæ & Chriſti collatio, 1. 5
Joannes Marcus Pauli & Barnabæ adjutor, 13. 5
Joannes Marcus à Paulo & Barnaba digreditur, 13. 13
Joannis Marci peccatum gravius quam vulgo putetur, 15. 37
Jonathas ſummus Pontifex cur occiſus, 24. 2
Joſephi locus, 4. 1. 5. & 5. 36. & 3. 5. & 11. 28. & 12. 1. 21. & 13. 13. & 21. 37. & 22. 2. & 24. 2. 3. & 25. 13
Iracundia ſancta, 11. 20. & 14. 14. & 17. 16
Iconia, 4. 9. & 21. 4
Iſraelitarum impietas, 7. 16
Iſraelitarum ingratitudo, 7. 38. 40
Italorum ſuperbia, 10. 1
Judæi Scripturæ corruptores, 17. 3
Judæi provinciales impenſius Euangelio infeſti, 6. 9
Judæi ſola divinæ adoptionis gratia populus Dei, 10. 15
Judæi in Eccleſia primogeniti, 1. 8. & 2. 39. & 3. 26. & 10. 12. & 13. 28. & 18. 3. & 20. 21. & 28. 28
Judæi quomodo Chriſtum crucifixerint, 2. 23. 36 & 4. 10
Judæi cur ad gentes non ingrediebantur, 10. 28. & 11. 3
Judæorum arrogantia, 13. 42. & 22. 22 blaſphemiæ, 13. 45. & 18. 6. cæcitas, 17. 2. 4. & 28. 26. crimen horrendum, 2. 36. & 3. 13. & 4. 10. & 7. 51. deliriu mn in nomine Jehova, 3. 6. diſſipationis utilitas, 17. 4. electio duplex, 13. 21. ſuperba de Patribus jactantia, 7. 9. ignorantia hypocriſi commiſta, 3. 17. prodigioſa incredulitas, 13. 27. ingratitudo, 2. 38. & 7. 26. & 13. 46. hypocriſis, 7. 53. 17 lingua poſt exilium corrupta, 22. 2. patres fratricidæ, 7. 9. pervicacia, 7. 51. prærogativa, 11. 46. rejectio, ibid. religio tempore Apoſtolorum corrupta, 13. 6. religio atratibus Romanorum edictis damnata, 6. 27. & 10. 2. & 16. 20. religio paſſim odioſa, 16. 12. ſectæ tres, 23. 6. cæcus zelus, 2. 17. & 22. 6. ac Gentium æqualitas, 15. 9. & Gentium diſcrimen, 2. 39
Judas ſeditionis author, 5. 36
Judices pro præfectis & gubernatoribus, 13. 20
Judices à Deo excitati, 3. 20
Judicium temerarium ac præceps damnatur, 10. 15. & 28. 4
Judicii divini concio quam neceſſaria, 3. 20. & 17. 31
Juſtificare pro liberare & abſolvere, 13. 38
Juſtini de Moſe fabula, 7. 22
Juſtitia pro probitate & innocentia coram hominibus, 22. 23
Juſtitia fidei quæ, 13. 38

L.

Laodicenſis concilii decretum, de Paſtorum electione, 14. 23
Legio quot militibus conſtabat, 10. 1
Levitas commune ac fere perpetuum omnibus populis vitium, 18. 22
Lex quomodo Chriſti adventu quoad ceremonias abrogata, 6. 27
Lex de animalium delectu abrogata, 10. 13
Lex homini impoſſibilis, 15. 10
Lex duobus modis jugum cenſetur, ibid.
Lex bene vivendi regula, 10. 35
Lex quomodo ſermo vivus appelletur, 7. 38
Lex quomodo vivifica, ibid.
Lex Porcia de Romanorum civium privilegio, 16. 37. & 22. 25
Lex Sempronia de Romanis civibus, ibid.
Legis nomen improprie uſurpatum, 1. 3
Legis authoritas, 7. 53
Legis finis unicus, 15. 18
Legis officium, 15. 1. 10
Legis perpetuitas in Chriſto fundata, 13. 9
Legis & Euangelii diſcrimen, 17. 2
Liberum hominis arbitrium evertitur, 22. 14. & 26. 18
Libri Epheſi palam exuſti, 19. 19
Liberalitas commendatur, 2. 18. 3. & 20. 35. vide Beneficentia.
Linguarum varietas cur Apoſtolis collata, 2. 2
Linguarum varietas fidelibus conceſſa, 10. 46
Litigare ſub judice incredulo num fidelibus liceat, 23. 28
Locus Dei præſentia ſanctificatus, 7. 28
Locus in contextu corrigendus, 7. 18
Lucas Hebraiſmis abundat, tametſi Græce ſcripſerit, 2. 3
Lucianici fidem ſimulant, 8. 13
Luna quomodo in ſanguinem verſa, 2. 18
Lydda quæ & Dioſpolis, 9. 32
Lydia Eccleſiæ Philippenſis primitiæ, 16. 13

M.

Macedonius hæreticus, 15. 2
Magiſtratus officium, 16. 15. 22. & 23. 32
Magiſtratui quatenus obediendum, 5. 29. & 23. 25
Magiſtratuum quorundam perfidia, 12. 17
Mahometiſtæ novum Deum imaginantur, 22. 14
Manichæorum error de animabus, 17. 28
Manus pro potentia ac virtute, 11. 21
Manus pro principatu, 7. 36
Manus cur diaconis imponebantur ab Apoſtolis, 6. 6
Manuum impoſitio, temporalis ceremonia, 8. 12
Manuum impoſitio ſolennis conſecrationis ſymbolum, 6. 6
Manuum impoſitio quid olim notabat, 6. 17. & 13. 3. & 19. 6. & 28. 8
Martyres veri qui, 21. 14
Martyres Chriſti ſolatio juvandi, 20. 23
Martyrum noſtri temporis conſtantia ac animoſitas, 6. 9. & 19. 34
Martyrum & ſceleratorum diſcrimen, 7. 38
Matthias divino judicio creatus Apoſtolus, 1. 23
Media non rejicienda, 27. 30
Melheſes perperam de Paulo judicant, 28. 4
Melitenſium inconſtantia ac levitas, 28. 6
Meletenſium notantur, 8. 19
Metria hominum evertuntur, 7. 35. & 16. 4. & 13. 17. & 15. 9. & 18. 18
Meſſias, vide Chriſtus.
Metus in piis non quovis damnandus, 9. 27
Milites etiam Deo ſervire poſſunt, 10. 7
Miniſtri in Eccleſia quomodo eligendi, 6. 3. vide Paſtores.
Miniſterium Verbi in Eccleſia neceſſarium, 14. 23
Miniſterium Verbi maxime operoſum, 6. 2
Miniſterium Verbi commendatur, 1. 2. & 2. 2. 47. & 8. 31. & 9. 6. & 10. 5. 10. 44. & 11. 30. & 13. 28. & 16. 9. 14. & 17. 30. & 22. 10. & 26. 18
Miracula cur virtutes, ſigna ac prodigia vocentur, 2. 22. & 19. 11
Miracula cur pauca tantum & ad breve tempus edita, 14. 28
Miracula nunquam à Dei verbo ſeparanda, 3. 12. & 14. 3
Miracula quid per ſe in hominibus efficiant, 9. 8
Miracula quibus proſint, 4. 5
Miracula num ad approbationem ſufficiant, 2. 22
Miracula Papiſtarum quid efficiant, 3. 9
Miraculorum abuſus, ibid.
Miraculorum uſus & finis, 2. 6. 13. & 4. 10. & 5. 13. & 8. 6. & 9. 37. 35. 42. & 10. 38. & 14. 3. & 19. 11. 13. & 28. 7
Miſſa Papiſtarum hiſtrionica, 7. 22
Miſſæ ſacrificium quo prætextu defenditur à Papiſtis, 13. 2
Miſſæ horrendum ſacrilegium, 16. 9
Moderatorum quorundam perfidia, 17. 6. & 20. 10
Modeſtia commendatur, 9. 3. 6. & 12. 19
Modeſtia hypocritarum ſimulata, 14. 14
Monachi Judaiſmi imitatores, 9. 37
Monachorum faſtus ac ſuperbia, 2. 23. 8
Monachorum impudentia, 6. 49
Moniales Veſtalibus ſubrogatæ, 24. 15
Montanus hæreticus, 20. 15
Moroſitas in externis ritibus vitanda, 8. 39
Mortis timor etiam in ſanctos cadit, 9. 12
Mortui quatenus lugendi, 8. 2
Mortuorum corpora cur olim lavabantur, 9. 37
Moſes redemptionis miniſter, 7. 24
Moſes quo ſenſu Redemptor dicatur, 7. 36
Moſes Chriſto ſubjicitur, ibid.
Moſis modeſtia, 7. 23
Mulieres à Dei verbo non alienandæ, 13. 26
Multitudini non ſtatim inhærendum, 14. 16. & 19. 37
Mundus à Deo creatus, 14. 15. 17
Mundus cur ſex diebus à Deo creatus, 12. 20
Mundus in ſuperſtitionem quam proclivis, 28. 6
Mundus Dei conſilio regitur, 17. 24. 28
Mundus totus Euangelicæ prædicationi ſubjici debet, 1. 2
Mundi contemptus, 13. 3
Mundi creatio quomodo conſideranda, 4. 24
Mundi ingenium externis laruis addictum, 6. 14
Mundi ingratitudo, 26. 27
Mundi pravitas quanta, 14. 19
Mundi & Dei diſcrimen, 5. 41
Muros violari cur legibus vetatur, 9. 25

N.

Naturæ in Chriſto duæ, 20. 29
Nazaræorum ſecta, 24. 3
Nazarenus cur Jeſus vocetur, 10. 38
Neronis in pios crudelitas, 11. 3
Neſtorius hæreticus, 20. 28
Nicodemitæ quo prætextu ſimulationem ſuam excuſent, 11. 26
Nicolaus diaconus turpis ac flagitioſæ ſectæ author, 6. 5
Nomen pro authoritate, 4. 7
Nomen pro cauſa vel medio, 4. 12
Nomen pro imperio ac virtute, 3. 6
Nomen Domini pro Euangelii profeſſione, 2. 24
Nomen Chriſti portare quid, 9. 15
Nomen Jeſu Nazareni pro tota Euangelii profeſſione, 26. 9
Nonæ vel Moniales Veſtalibus ſubrogatæ, 24. 15
Nota univerſalis non ſemper univerſaliter capitur, 8. 1. & 9. 31. & 10. 2
Nox in quatuor partes diſtributa, 12. 4
Numerus pluralis pro ſingulari, 13. 14

O.

Obedientiæ fructus, 8. 27
Obedientiæ probatio, 2. 26
Occaſio improbis præcidenda, 6. 14
Occaſione utendum, 3. 2. & 10. 48. & 13. 40. & 10. 18. & 21. 4. & 22. 25. & 23. 10
Offenſiones vitandæ, 10. 28. & 13. 27. & 19. 12. & 20. 2. 14. & 21. 17. & 28. 17. [illegible]

Omnes

Digitized by Google

Omnes pro multis, 9. 15
Opera bona num cauſa ſalutis, 10. 35
Opera bona an Dei favorem nobis concilient, ibid.
Opera bona commendantur, 2. 38. & 8. 16
Operum merces, 10. 4
Orandi vera regula, 4. 24. & 18. 13
Orandum ſine intermiſſione, 12. 5. 6
Orandum pro doctrinæ profectu, 20. 36
Orandum pro his potiſſimum qui pro Euangelii teſtimonio ab impiis affliguntur, 12. 5
Oratio ex fide manare debet, 8. 22
Orationes pro mortuis inanes, 25. 10
Ordo in Scripturis non ſemper ſervatus, 7. 2
Orientales ad libidinem propenſi, 15. 19
Os Domini ſemper interrogandum, 12. 10
Os aperire quid in Scripturis, 8. 34. & 10. 34

P.

PÆdobaptiſmus adverſus Anabaptiſtas aſſeritur, 8. 37. & 11. 17
Panis fractio pro Cœna Domini, 2. 42. & 20. 7
Papa Satanæ miniſter, 5. 23
Papa multas ſectas impias in faſciculum collegit, 10. 15
Papæ arrogantia, 18. 3. & 13. 16. & 22. 5
Papatus ridicula Hierarchia, 20. 28
Papæ frivola jactantia, 4. 11. 19. & 5. 28. 29
Papæ impudentia, 15. 28
Papæ jugum fidelibus excutiendum, 22. 25
Papæ lex impia de ciborum delectu, 10. 15
Papæ luſus ſcurriles, 3. 6
Papæ ſpecioſi tituli, 16. 16
Papæ tyrannis maxima, 9. 32. & 10. 25. & 11. 3. & 14. 19. & 15. 16. 28. 30. & 19. 19. & 22. 1
Papiſtæ externis larvis addicti, 6. 14
in Scripturam contumelioſi, 17. 2. 12. 28. & 18. 18. quomodo erroris convincendi, 14. 15. veræ doctrinæ corruptores, 5. 42. & 6. 11. & 12. 15. incorrigibiles, 4. 1. inexcuſabiles, 17. 30. Sacramentorum profanatores, 10. 37. quam ridiculi, 9. 17. miraculis abutuntur, 14. 3. ſuis exorciſmis affigunt gratiæ cauſam, 22. 16. Spiritus gratiam ſignis alligant, 10. 47. unde prætextum licentiæ arripiant in mutandis vel abrogandis Chriſti inſtitutis, 1. 18. unde probare conentur penes Eccleſiam reſidere aliquid propriæ auctoritatis, 15. 28. unde nam Petri primatum deducant, 1. 13. 16. unde vovendi exemplum eliciant, 18. 18. gratiam Dei quomodo extenuent, 2. 5. fruſtra innumeras ſalutis quærendæ rationes ſibi fabricant, 4. 12. novum Deum fingunt, 22. 14. quamlibet vetuſtatem probari fingunt, 24. 14. quo prætextu idololatriam ſuam fucant, 14. 15. Chriſtum in pane & vino includunt, 7. 49. quo prætextu conſcientias ligare auſi ſint, 15. 28. Dei virtutem locant in Sanctis, 3. 12. abortivis tantum conciliis nituntur, 15. 2. quibus nugis Baptiſmi dignitatem ornari putent, 10. 47. doctrinam pœnitentiæ tradere nequeunt, 2. 38. pœnitentiæ nomen fere ad externos ritus transferunt, 2. 36. plus tribuunt Philoſophorum rationibus quam Dei oraculis, 28. 23. vim magicam Sacramentis tribuunt, 8. 13. quo prætextu reliquias ſuas vendirent, 5. 15
Papiſtarum ambitio, 16. 19
arrogantia, 7. 1. avaritia, 16. 19. audacia, 17. 34. blaſphemia adverſus Baptiſmum, 2. 16. cæcitas, 23. 12. calumniæ adverſus veros Dei cultores, 6. 14. & 17. 7. inepta & puerilis cavillatio de imaginibus & ſtatuis, 7. 43. auricularis confeſſio, 19. 19. fictitia confirmatio, 6. 16. defenſio quam ridicula, 17. 24. delirium de corpore Chriſti, 1. 11. delirium de fide acquiſita, 10. 4. delirium de fide implicita, 16. 31. delirium de jejunio, 14. 23. diaconi quales, 2. 3. putida diſtinctio adorationis, 10. 25. doctrina plauſibilis, 20. 36. doctrina de hæſitatione, 2. 22. factiones, 23. 6. vana de antiquitate & hominum multitudine gloriatio, 17. 30. frivola gloriatio de continua ſucceſſione, 20. 30. ſtulta gloriatio de titulis inanibus, 7. 2. ſuperba jactantia de conciliis, 5. 21. inanis jactantia de patribus, 3. 13. & 7. 52. quam craſſa ignorantia, 1. 7. & 13. 19. & 17. 34. in cultores Dei licentia, 23. 4. falſa miracula, 5. 15. miracula quid efficiant, 3. 9. miſſa hiſtrionica, 7. 22. præjudicia, 14. 21. præparationes evertuntur, 22. 14. reliquiæ, 19. 11. ſatisfactiones quam vanæ, 10. 43. & 12. 38. ſtultitia, 18. 4. ſtupor, 23. 18. ſuperſtitiones unde irrepſerint, 14. 11. inanes tituli, 7. 2. & 23. 6. unctio putida, 19. 6. zelus præpoſterus, furioſus ac ſanguinarius, 5. 27. & 6. 11. & 9. 22. & 16. 19. & 18. 25. & 19. 21. 27
Paphus urbs maritima verſus Meridiem, 13. 6
Parentibus quatenus obediendum, 5. 29
Parvuli a Baptiſmo non arcendi, 2. 39
Paſtor qui & Epiſcopus, 20. 26
Paſtori quatenus fugere liceat tempore perſecutionum, 8. 2
Paſtores architecti, 4. 11
Paſtores vitæ miniſtri, 11. 8
Paſtores quo ſenſu Sacerdotes, 13. 6
Paſtores quales eligendi, 18. 8
Paſtores quomodo eligendi, 1. 24
Paſtores honorandi, 16. 9
Paſtores innumeris calumniis obnoxii, 6. 14. & 7. 26. & 16. 20. & 17. 6. & 18. 12. & 19. 23. & 21. 17. & 25. 7
Paſtores non debent ſibi auditores eligere, 18. 12
Paſtores imprimis precari debent, 2. 4
Paſtorum ambitio, Eccleſiæ exitialis, 20. 30. ambitio Euangelii puritatem adulterat, ibid. avaritia damnatur, 20. 33. auctoritas, 6. 5. conciones quomodo temperandæ, 2. 27. conditio, 14. 19. & 15. 1. conſtantia, 4. 20. & 7. 58. & 9. 16. & 18. 9. & 18. 29. creandorum legitima ratio, 14. 23. electio non plebi permittenda, 14. 23. gaudium, 11. 23. ignavia Eccleſiis quam noxia, 13. 36. innocentia qualis eſſe debeat, 25. 10. labor non inanis, 11. 21. invicta magnitudo, 25. 2. militia, 19. 22. munus arduum, 14. 23. munus ac officium, 1. 1. & 1. 40. & 3. 17. 22. & 4. 12. 20. & 5. 8. 32. & 6. 2. & 8. 1. 22. 29. & 9. 12. 16. & 10. 42. & 11. 17. & 13. 15. & 14. 14. 29. & 15. 28. & 16. 9. & 17. 5. 10. 18. 31. 32. & 18. 6. 9. 19. & 20. 18. 20. 14. 26. & 21. 12. 17. & 22. 18. & 23. 27. & 26. 17. 22. patientia, 9. 16. vera probatio, 20. 19. prudentia, 12. 4. & 10. 26. ſedulitas, 6. 4. ſuperbia Eccleſiæ quam noxia, 15. 22. timiditas quam noxia, 18. 9. vehementia non damnanda, 9. 11. & 12. 10. vigilantia, 20. 29. vita piis chara eſſe debet, 12. 5. vocationis certitudo, 16. 5. zelus qualis eſſe debeat, 13. 10. 51. & 14. 14. & Apoſtolorum diſcrimen, 1. 23. & 14. 23
Paſtoribus quatenus obediendum, 4. 19. & 5. 29
Patientia piis quam neceſſaria, 1. 8. & 7. 3. 6 & 8. 31. 33. & 9. 16. & 14. 2. 22
Patres qui & quatenus imitandi, 3. 13
Patres an non promiſſionum compotes fuerint, 13. 32
Patres Judæorum fratricidæ, 7. 9
Patrum conditio in Ægypto quam probroſa, 7. 6
patrum fides ſemper in Chriſto fundata, 15. 11
patrum & fidelium Novi Teſtamenti diſcrimen, 3. 17. 33. & 13. 22. & 15. 11
Paulus Gentium Apoſtolus & doctor, 13. 46
paulus quomodo Gentium doctor ordinatus, 13. 2
paulus Intonitria, 13. 10
paulus non vulgaris Chriſti miniſter, 9. 15
paulus Dei Propheta, 28. 8
paulus tam Gentibus quam Judæis teſtis deſtinatus, 26. 17
paulus lapidatus, 14. 19
paulus quam ſtudioſus pacis, 16. 4
paulus cur Timotheum circumciderit, 16. 3
paulus quo animo Tarſum conceſſerit, 9. 30
paulus cur tantopere laboret in aſſerenda ſua vocatione, 13. 2
paulus manibus operabatur, 18. 3
paulus cur labores ſuos, patientiam, fortitudinem, & reliquas virtutes magnifice prædicet, 20. 18
Pauli invicta conſtantia, 13. 46. & 14. 1. 3. 14. 19. 20. & 17. 1. 10. & 18. 18. & 19. 30. & 21. 1. 10. 12. & 24. 25. & 27. 21. & 28. 30. converſio quam fructuoſa, 9. 20. converſio illuſtris, 8. 3. doctrina ſumma, 20. 21. humanitas, 20. 13. & 21. 26. humilitas, 20. 19. innocentia, 24. 22. & 25. 10. & 26. 4. integritas, 18. 14. ira juſta, 13. 10. & 17. 16. militia, 17. 5. & 18. 11. modeſtia, 19. 30. & 21. 18. patientia, 9. 26. & 16. 23. & 19. 2. prædicatio quam efficax, 17. 11. 12. 14. & 18. 9. 10. provocatio ad Cæſarem cur Judæis exoſa, 28. 19. prudentia, 16. 37. & 18. 4. & 20. 20. & 24. 25. ante converſionem Levitia, 9. 2. vita fidelibus quam pretioſa, 20. 3. & 14. 23. certa vocatio, 14. 27. zelus ſtrenuus, 9. 22. & 13. 40. & 14. 14. & 15. 28. & 17. 16. & 28. 18
Pauperum cura quibus demandanda, 6. 2
pauperum habenda ratio, 9. 39
Pax pro hominum & Dei reconciliatione, 10. 36
pax quæ colenda, 11. 2. & 21. 8
pax Eccleſiarum non diuturna, 9. 31
pax piorum, 8. 15. vide Piorum pax.
Peccatores quomodo expergefaciendi, 3. 20. & 71. 11
Peccatum Dei opus eſſe non poteſt, 2. 23
Peccatum voluntarium non ſemper deſperationem inducit, 3. 17
Peccati confeſſio neceſſaria, 19. 19
Peccatorum remiſſio pars Euangelii, 5. 31
peccatorum remiſſio ſemper annuntianda, 2. 38
peccatorum remiſſio in Chriſto fundata, ibid. & 10. 43
peccatorum remiſſio extra Eccleſiam non eſt, 2. 47
peccatorum remiſſio pœnitentiam conſequitur, 3. 19
Pelagius hæreticus, 10. 34
Perſecutio ab Herode excitata, 12. 1
Perſecutionem fugere quatenus Chriſtianis licitum, 11. 20
Perſecutiones Euangelii curſum adjuvant, 8. 1
Perſecutionum utilitas, 11. 19
Perſecutionibus minime cedendum, 8. 4
Perſecutores Eccleſiæ graviſſime puniendi, 9. 5
Perſeverantia donum Dei, 5. 38
perſeverantia in precibus neceſſaria, 1. 4. & 12. 5
Perſeverandum in Chriſti doctrina, 4. 30. & 7. 8. & 11. 23. & 14. 22. & 15. 36. & 20. 18. & 27. 2
Perſii locus, 27. 25
Perſona pro externo ſtatu vel apparentia, 10. 34
Perſona Spiritus ſancti, 13. 2
Perſonarum acceptio damnatur, 10. 34
Pervicacia erroris comes, 11. 8
Petrus cur Simeon dictus, 15. 14
Petrus quomodo inter Apoſtolos excelluerit, 8. 14
Petri conſtantia, 4. 8. 18
petri humanitas, 9. 43
petri modeſtia, 11. 3
petri obedientia, 12. 9
petri primatum unde Papiſtæ deducant, 1. 13. 16. & 9. 32
petri prudentia, 4. 8
Phariſæi unde dicti, 23. 8
Phariſæorum quantus faſtus, 15. 5
Philippenſium Eccleſia ex tenui ſurculo prodit, 16. 14
Philippus diaconus, 6. 5. & 8. 5
Philippus Euangeliſta, 21. 8
Philippi conſtantia, 8. 31
Philippi ſtrenuitas, 8. 40
Philoſophorum doctrina qualis, 17. 18
Pietas ſincera & integra cur nunquam viguerit in majori orbis parte, 14. 15
Pietas nulla ſine recta inſtitutione, 18. 22
Pietatis fundamentum fides eſt, 24. 14. & 25. 19
Piorum conſolatio, vide Fidelium conſolatio.
piorum fides Chriſto ſubſiſtit, 8. 36
piorum gaudium. vide Fidelium gaudium.
piorum pax, 2. 25
piorum ſecuritas qualis, 2. 25. 46
piorum & impiorum diſcrimen, vide Electorum & reproborum diſcrimen.
Platonis locus, 12. 17. & 17. 18
Plebs ab Eccleſiæ negotiis non arcenda, 15. 30
Plinii locus, 7. 2. & 8. 27. & 17. 1. & 20. 11. & 28. 11
Pœnitentia vera quæ, 2. 37. 38. & 5. 31. & 26. 20. donum Dei, 5. 31. & 11. 18. in hominis facultate minime poſita, 5. 31. pars Euangelii, ibid. à fide non disjungenda, 11. 18
Pœnitentiæ concio ſemper in Eccleſia reſonare debet, 2. 38. & 3. 26. doctrina in Papatu quam frigida, 3. 19. initium, 2. 37. & 5. 31. ſigna, 8. 14. & fidei diſtinctio, 20. 21
Poëtarum fabula de Caſtore & Polluce, 28 11
poëtarum fabula de Pythone ſerpente, 16. 16
Pomponius Mela hallucinatus, 8. 26
Populus in Eccleſiæ negotiis non arcendus, 61. 22
Portare nomen Chriſti quid, 9. 15
Porticus Salomonis, 3. 11
Poſt pro inſuper vel præterea, 5. 36
Poſteritatis habenda ratio, 13. 37
Poteſtas timore Dei vacua quam exitialis, 4. 17
Poteſtas Apoſtolis data, 13. 12
Præfectus templi quis, 5. 22
Præjudicia ſummopere cavenda, 7. 1. & 10. 14. & 21. 28. & 22. 23. & 23. 22
Præparationes Papiſtarum evertuntur, 22. 14
Præſcientia futurorum Deo relinquenda, 1. 7
Presbyterorum & Apoſtolorum diſcrimen, 14. 23
Presbyteri in Eccleſia qui, ibid.
Principum officium, 16. 16
Principibus quatenus parendum, 17. 7. & 21. 22
Priſcillianus hæreticus, 10. 15
Prophetæ nomen varie ſumitur, 11. 27
Prophetam à Deo excitari quid, 3. 26
Prophetæ cur videntes dicti, 6. 30
Prophetæ pro eximiis Scripturæ interpretibus, 13. 2
Prophetæ pro præditis eximia myſteriorum Dei intelligentia, 15. 32
prophetæ à Deo excitati, 5. 30
prophetæ omnes de Chriſto teſtati, 3. 21
prophetæ ex Lege doctrinam ſuam ſcripſerunt, 26. 22
Prophetarum mos, 21. 12
prophetarum conſenſus, 25. 15
Prophetarum doctrinæ uſus, 25. 8
prophetarum officium, 3. 7. & 7. 52
prophetarum vehementia, 13. 20
Prophetia pro raro & ſingulari intelligentiæ dono, 2. 17
Prophetiæ vis quanta, 24. 26
prophetiæ cur à reditu populi ceſſarunt, 3. 22
prophetiæ omnes in unum corpus aut volumen collectæ, 7. 42. & 13. 40. & 15. 15
Proſelytorum modeſtia, 13. 42
Proverbia quædam, 2. 45. & 5. 3. & 6. 2. 3. 4. & 7. 3. 54. & 9. 5. & 13. 41. & 14. 22. & 15. 21. & 16. 9. 16. & 18. 6. 9. & 20. 25
Providentia Dei, vide Dei providentia.
Provocatio Pauli ad Cæſarem cur Judæis exoſa, 28. 19
Providentia Paſtoribus in primis neceſſaria, 8. 33
Pſeudoprophetæ Prophetarum ſimiæ, 21. 11
Pſeudoprophetarum mos, ibid.
Publii hoſpitalitas, 28. 7
Pulveris pedum excuſſio quid notabat, 13. 51
Pythonis ſerpentis fabula, 16. 16

Q.

QUærere Deum hominis officium, 17. 27
Quæſtiones variæ cum earum dilutionibus, 1. 5. 11. 22. & 2. 17. 18. 22. & 3. 1. 5. 17. 20. 22. 25. & 4. 17. & 5. 12. & 6. 5. & 7. 2. 10. 17. 22. 38. 49. 56. 58. 60. & 8. 2. 13. 16. 26. & 9. 15. 38. & 10. 4. 12. 24. 25. 30. 35. 41. & 11. 2. 20. & 12. 5. & 13. 21. 34. 37. & 14. 9. & 15. 2. 9. 10. 16. 28. & 16. 3. 6. 13. 16. 22. 37. & 17. 23. 27. & 18. 10. & 19. 2. 5. & 20. 29. & 21. 4. & 22. 16. 19. & 23. 21. 28. & 24. 6. & 27. 14
Quæſtiones frivolæ mittendæ, 20. 22
Querimonia Auguſtini de nimio traditionum onere, 16. 4
Querimonia Gregorii Nazianzeni de Conciliorum ſucceſſu, 15. 2

R.

RAtionale divinorum officiorum, 7. 22
Regeneratio fidei effectus, 10. 48
Regeneratio regni Dei initium, 1. 3
Regnum Dei pro Euangelii doctrina, 20. 25
Regnum Chriſti, vide Chriſti regnum.
Regni Chriſti exordia quam tenuia, 12. 13
Redemptio adhuc in curſu eſt, 8. 21
Redemptionis finis, 7. 7
Religio rara & paucorum hominum virtus, 2. 12. vera quæ, 7. 19. & 14. 15. & 17. 4. qualis ex humano ſenſu prodeat, 17. 16. Judæorum tempore Apoſtolorum corrupta, 13. 2. Judaica atrocibus Romanorum edictis damnata, 8. 27. & 10. 8. Papiſtis quoniam ſpectet, 20. 10

Rela-

Digitized by Google

INDEX PRIOR.

Religionis veræ & fictitiæ diſcrimen, 22. 23
Remiſſio peccatorum omnibus annuncianda, 8. 22. & 13. 38. vide peccatorum remiſſio.
Reprobi quomodo verbo Dei afficiantur, 7. 54. nunquam emendantur, 5. 33. inexcuſabiles. Vide Impii inexcuſabiles. quomodo tractandi, 5. 33. & 7. 54. vide Impii quomodo tractandi.
Reſurrectio corporum opus potentiæ Dei, 26. 8
Reſurrectio generalis aſſeritur, 24. 15
Revelationes e cælo non expectandæ, 10. 5
Romani quam atrocibus edictis religionem Judaicam damnarunt, 8. 27
Romani Præſides quales, 7. 58
Romanorum ſuperba jactantia, 11. 26
Romanorum civium privilegium, 22. 25
Rubi in quo Dominus Moſi apparuit, allegoria, 7. 30

S.

SAbbathum cur inſtitutum, 13. 14
Sabbathi iter, 1. 12
Sabbathum celebrare Græcis & Romanis olim capitale, 16. 13
Sabellius hæreticus, 13. 2
Sacerdos Legis typus Chriſti, 3. 26
Sacerdotes Papales Simoniaci, 3. 21
Sacerdotum avaritia, 14 13. conſcientia mala, 4. 13. impudentia, ibid. obſtinata malitia, ibid. tyrannis 4. 9. 13. zelus præpoſterus, 4. 2
Sacerdotium Chriſtianum, 13. 2
Sacramenta non ſtatim efficaciam ſuam proferunt, 8. 13. à Dei verbo haud ſeparanda, 7. 8. & 10. 37. & 12. 24
Sacramentorum impia profanatio in Papatu, 10. 32
Sacramentorum vis, 8. 13. verus uſus, 18. 25. & 22. 16
Sacrificiorum abuſus, 14. 12
Sadducæi authoritate inter Judæos præſtantes, 4. 1. 13 & 5. 17
Sadducæorum error, 12. 8
Sadducæorum & Epicureorum diſcrimen, 2. 38
Salus certa in Dei invocatione, 2. 21
Salutis noſtræ materia, 10. 37
Salutis definitio brevis, 16. 31
Samaria quæ & Sebaſte, 8. 5
Sancti mortui minime invocandi, 3. 12. & 12. 37. & 17. 24
Sanctorum exempla quatenus imitanda, 3. 12
Sanctorum integritas quatenus impiis proſit, 27. 24
Sanguinis uſus olim prohibitus, 15. 29
Sapientia vera quæ, 10. 23
Sapphiræ obſtinata malitia, 5. 8
Satan Dei carnifex, 10 38. & 12. 23. hoſtis veritatis acerrimus, 4 1. & 6. 8. & 19. 23. ſimia Dei. 7. 31. & 21. 11. verbi gladio conficitur, 9. 22. non nocet pro arbitrio 4. 4. Dei providentiæ ſubeſt, 13. 27
Satanæ aſtutia, 2. 22. & 3. 9. & 5. 1. 21. & 6. 1. 14. & 7. 30. 31. & 8. 11. & 9. 10. & 11. 12. & 13. 6. 8. & 14. 11 & 15. 1. 37. & 16. 10. 16. & 19. 16. & 21. 37. & 21 6. & 27. 23
Satanæ nequitia, 17. 18
Satanæ præſtigiæ à Dei virtutibus differunt, 2. 22
Satanæ vis quanta in agitandis Verbi adverſariis, 6. 11. & 7. 54. & 8. 1. 11. & 9. 21. & 22. 19. & 13. 45. & 16. 22. & 17. 7. 13. & 18. 9. & 19. 16. 23. 29. & 21. 31. & 23. 2. 12. & 25. 7
Satisfactiones papiſticæ quam inanes, 10. 43
Scandala vitanda, 15. 1. & 20. 33. vide Offenſiones.
Scortandi licentia paſſim graſſata, 15. 19
Scortatio coram Deo maledicta, ibid.
Sententia, zeli moderatio, 22. 25
Scriptura de Deo humano more loquitur, 10. 4
Scriptura bifariam de Sacramentis loqui ſolet, 21 16
Scriptura quomodo legenda, 8. 28
Scripturæ quanta authoritas, 1. 16. & 24. 14. lectio quam utilis, 8. 28. 14. & 13. 27. & 17. 11. partitio, 25. 14. multiplex utilitas, 9. 22. & 14. 20 & 17 2 & 18 28. & 20. 20. & 27. 23
Seceſſus magnum orationis adjumentum, 10. 10
Sectæ tres inter Judæos præcipuæ, 23. 6
Sectarum origo in papatu ex verbi Dei profanatione, ibid.
Securitas piorum. Vide Piorum ſecuritas.
Sedere ad dextram Dei quid, 2. 34
Seditio fugienda, 5. 21
Seniores qui tempore Apoſtolorum, 11. 30. & 20. 16
Sepultura quid proſit, 9. 37
Sepulturæ cur habenda cura, 8. 2
Sergii prudentia, 13. 6
Sermo pro re, 10. 36
Serveti error de Chriſti deitate, 20. 28. de Patrum veteris Teſtamenti conditione, 15. 11
Servitus populi Dei quam miſera tempore Apoſtolorum, 16. 3
Sidon & Tyrus urbes faſtuoſæ, 12. 20
Signa à Dei verbo minime ſeparanda, 7. 8
Signa externa in precibus, 20. 36
Signorum utilitas & efficacia, 8. 17
Silas & Judas Apoſtolorum legati ad Gentes, 15. 22
Simon coriarius hoſpes Pauli, 9. 43
magus à Petro objurgatus num vere reſipuerit, 8. 24
ſacrilegus, 8. 18
Simonis magi ambitio, 8. 18. fides qualis, 8. 13. hypocriſis, 8. 13. impietas, 8. 20
Simonia quid Papiſtis, 8. 21
Simplicitas cordis, 2. 46
Simulacrorum uſus apud Gentes, 17. 29
Simulatio virtutis diuturna eſſe non poteſt, 20. 19
Sobrietas ſervanda, 10. 10
Sobrietas animi commendatur, 1. 7 & 17. 30
Socordia excutienda, 3. 14. & 4. 13 & 5. 20. & 8. 26. 36. & 9. 15. 31. & 10. 8. 7. 17. & 12. 5. & 13. 58. & 14. 22. & 16 5. & 17. 31. 16. 10. 11. & 20. 18. 29. 36. & 27. 30
Sol quomodo in tenebras converſus, 2 18
Somniorum & viſionum diſcrimen, 18. 9
Sophiſtarum præparationes invertuntur, 22. 14
Sortis nomen varie acceptum, 1. 26
Sortis quatenus licitum, ibid.
Soſthenes Pauli ſocius, 18. 17
Spei natura quæ, 1. 4
Spiritus ſanctus, Deus, 1. 4. & 13. 2
S. a Patre promiſſus, 1 4. S. Eccleſiæ peculiariter deſtinatus, 2. 18. eius die à primitiis quinquageſimo in Apoſtolos effuſus, 2. 1. quomodo linguarum nomine appelletur, 2. 3. profanis ac contemptoribus minime datur, 2. 38. miraculorum author, 9. 34.
Spiritus pro dono ipſius, 5. 32. & 6. 5. & 8 16. & 19 2. fidelium dux ac rector, 20. 22. diſcretionis piis neceſſarius, 17. 11. prudentiæ ac fortitudinis fidelibus neceſſarius, 4. 8
Spiritus fanaticorum erraticus, 10 44
Spiritus dona etiam indignis conferuntur, 8. 21. gratia ſignis minime alligata, 10 47. gratia nihil præſtantius hominibus dari poteſt, 2 27
Spiritui reſiſtere qui dicantur, 7. 51
Stephanus blaſphemiæ in Deum & Moſen accuſatus, 6. 14. quomodo ſpiritu & fide plenus, 6. 5. 8. per vim & tumultum lapidibus obrutus, 7. 58
Stephani animoſitas, 6 15. & 7. 56. charitas, 7. 59. 60. mira conſtantia, 7. 60. fides, 7. 59. modeſtia, 7. 2
Stoicorum deliria, 17. 18
Stultitia commune ac fere perpetuum omnibus populis vitium, 16 22
Suetonii locus, 18. 23
Summa prædicationis Pauli, 9. 20
Superbia omnibus hominibus ingenita, 9 5
Superbia quam Deo exoſa, 12. 20
Superbi adverſus Deum belligerantur, 12. 23
Superioribus quatenus obediendum, 4. 19 & 5. 29
Superſtitio ſanguinaria, 9. 29. ſibi contraria, 17. 24. ſemper trepida, 17 22
Superſtitiones unde originem traxerint, 3. 9 & 7 31. 40. & 14. 15. & 28 6
Superſtitioſi admodum liberales, 14. 13
Synagoga Libertinorum unde dicta, 6. 9
Epheſiorum Paulum humaniter ſuſcipit, 19. 8
Synagogæ per diverſa urbis Jeruſalem loca diſpoſitæ, 24. 12
Synodi ſanctæ cur ab initio collectæ, 13. 2
Synodi cogendæ forma & ordo, 15. 6

T.

TAbernaculum Davidis per Chriſtum inſtauratum, 1. 6. & 15. 16
Tarditas hominum quanta, 10. 17
Tatiani hæretici, 20. 15
Tempeſtas magna Paulo navigante excitata, 27 18
Templi præfectus quis, 4. 1. & 5 24
Temporum præſcientia quatenus permiſſa, 1. 7
Terror divinitus immiſſus, 4. 5. & 5. 34
Tertulliani ſententia, de fuga in perſecutione, 8. 2
Tertullus rhetor mendax, 24. 8
Teſtamenti vet. & novi diſcrimen, 2. 17. & 28. 23
Thabita cur à mortuis ſuſcitata, 9. 39
Thabitæ elogia, 9. 36
Theologia Papatus, horribilis labyrinthus, 16. 31
Theologi Papales ſola Martyrum voce proſtrati, 6. 9
Theſſalonicenſium laus, 17. 11
Theudas quis fuerit, 5. 36
Thyatiræ oppidum ubi ſitum, 16 14
Timor puræ & liberæ Evangelii prædicationi maxime contrarius, 18. 19
Timor qualis in fidelibus, 5. 11. & 10 2. 4
Timor mortis etiam in ſanctos cadit, 25. 13
Timotheus cur à Paulo circumciſus, 16. 3
Titus cur minime circumciſus, ibid.
Tonſura clericalis ridicula, 18. 18
Torpor excutiendus. Vide Socordia.
Traditionibus humanis Deus minime colendus, 15 29. & 16. 4
Tribulatio. Vide Afflictiones.
Tumultus à Satana excitati Evangelio maligne imputantur, 17. 6
Turcæ ob multiplices victorias Chriſti Evangelio inſultant, 25. 19
Tyranni ſchola Epheſi, 19. 9
Tyranni a rebus novis ſibi metuunt, 12. 1. non nocent pro libidine. Vide Impii non, &c.
Tyranni ſpirituales quam arrogantes, 5. 28
Tyrus & Sidon urbes faſtuoſæ, 12. 20

V.

VAs electionis pro eximio miniſtro, 9. 15
Vaticinia cur remota ab Eccleſia, 21. 9
Vaticinia Prophetarum fere ſignis confirmata, 21. 11
Verbum pro re, 5. 12. & 10. 36
Verbi majeſtas unde, 10. 33. vide Dei verbum.
Vergilii locus, 16. 35. & 17. 28
Veritas quanti facienda, 25 27
Veritatis firmitas ac certitudo, 11. 17. odium quid faciat, 8. 22. vis quanta, 9. 22. & 15. 12. & 19 9
Veſtes lacerare mos Orientalibus communis, 14. 14
Vetuſtas quæ probanda, 24. 14. vide Antiquitas.
Via pro ſecta, 19. 23
Viæ Domini, 13 10. hominum, 14. 16
Viduæ ad diaconiam delectæ, 6. 1
Viduarum habenda ratio, 9. 39
Vigilantia Paſtorum, 20. 28
Vindicta Deo relinquenda, 7. 7. & 16. 37. & 13. 9
Virtutis ſimulatio diuturna eſſe nequit, 20. 19
Virtutes, prodigia & ſigna pro miraculis, 2. 22. & 4. 30
Virtutes ſuas cur Paulus prædicet, 20. 18
Viſio cur Ananiæ oblata, 9. 10
Viſio Paulo oblata, 18. 9. & 18. 9. & 22. 18. & 27. 23
Viſio Petro oblata, 10. 8. 12
Viſionum uſus, 9. 10
Viſionum & ſomniorum diſcrimen, 18. 9
Vita noſtra quatenus ſervanda vel contemnenda, 20. 24. & 13. 17
Vitæ rite inſtituendæ ratio, 10. 2. patientis abuſus, 17. 32. integritas quibus conſtat, 10. 35. novitas neceſſaria, 2 36. ſanctitati ſtudendum, 20. 21. & mortis meta hominibus præfixa, 13. 37
Unitas Eccleſiarum, vide Eccleſiarum unitas.
Unum pro primo, 20. 7
Vocatio Gentium, vide Gentium vocatio.
Vocationi propriæ ſedulo inſerviendum, 1. 8. & 7 3. & 10 21. & 17. 3 & 28. 17. 30
Vovendi exemplum unde Papiſtæ eliciant, 18. 18
Uſus prudentiæ pater, 6. 2
Vulgi inconſtantia ac levitas, 16. 22. & 28. 30

Z.

ZElus Sadducæorum qualis, 5. 17. hypocritarum ſanguinarius, 17. 5. inconſideratus quid valeat, 5. 17. Judæorum inſanus, 3. 17 & 21. 6. Papiſtarum cæcus ac furioſus, 5. 17. & 6. 11. & 9. 21. Paſtorum, vide Paſtorum zelus.
Zelus Pauli, vide Pauli zelus.
Zona Pauli ab Agabo accepta, 21. 11

INDEX ALTER.

Primi numeri, caput & verſum locorum citatorum denotant: Poſteriores verò caput & verſum Actor. Apoſt. commonſtrant.

GENESIS.

I. 23. ET fuit veſpera fuitque mane dies quintus, 12. 10
27. Creavit itaque hominem ad imaginem ſuum, 17. 28
II. 2. Et perfecit Deus die ſeptimo opus ſuum, 1 2 10
III. 19. Pulvis es & in pulverem redibis, 2. 25
V. 24. Ambulavit Henoch cum Deo: poſtea eſſe deſiit, quia tulit eum Deus, 26. 23
VIII. 21. Cogitatio cordis hominis mala eſt à pueritia ſua, 15. 10
22. Adhuc omnes dies terræ ſementis & meſſis, frigusque & æſtus, nec non æſtas, &c. 1. 7
IX. 4. Veruntamen carnem cum anima ejus, quæ eſt ſanguis ejus, non comedetis, 15. 20
9. Ego ſtatuo pactum meum vobiſcum & cum ſemine veſtro poſt vos. 14. 16
XI. 7. Age, deſcendamus & confundamus ibi labium eorum. diſperſit itaque Dominus eos, 2. 2
31. Tulitque Thare Abram filium ſuum, & Loth filium Haran, &c. egreſſique ſunt cum eis de Ur Chaldæorum, ut, &c. 7. 2
XII. 1. Dixerat autem Dominus ad Abram, Abi è terra tua, 7. 2
XIV. 18. Erat enim Sacerdos Dei altiſſimi, 2 35
XV. 13. Sciendo ſcias quod peregrinum erit ſemen tuum in terra non ſua, 7 6
XVII. 7. Ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te, 2. 39. & 3. 25. & 8. 12. 37. & 13. 35
12. Omnis maſculus octo dies natus circumcidetur in vobis in generationes veſtras, etiamſi non fuerit natus domi ſed emptus argento, 16. 15
13. Eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus perpetuum, 15. 9. & 16. 3
19. Et confirmabo pactum meum cum eo, in pactum perpetuum ſemini ejus poſt eum, 2. 39
XVIII. 2. Ecce tres viri ſtabant juxta eum, 1. 10. & 10. 30
19. Novi enim quod præcipiet filiis ſuis & domui ſuæ poſt ſe ut cuſtodiant viam Domini, 16. 15
22 Et diverterunt inde viri, pergebantque Sodomam, 10. 30
32. Non diſperdam propter decem, 27. 24
XXII. 3. Surrexit Abraham ſummo mane, & ſtravit aſinum ſuum, accepitque duos pueros, 10. 14
18. In ſemine tuo benedicentur omnes gentes, 3. 25
XXIII. 9. Ut det mihi ſpeluncam duplicem, quæ eſt ei in extremo agri ſui, 7. 16
16. Appendit Abraham ipſi Ephron argentum quod dixerat audientibus filiis Heth, 7. 5
XXXV. 7. Ædificavitque illic altare, vocavitque locum Bethel, 7. 33
XXXIX. 5. Factum eſt ex quo præfecit eum domui ſuæ & omnibus quæ erant ei, benediceret Dominus domui Ægyptii propter Joſeph, 27. 24
XLVI. 27. Omnes animæ domus Jacob quæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum fuerunt ſeptuaginta, 7. 14
XLIX. 10. Non auferetur ſceptrum de Jehuda & Legiſlator è pedibus ejus, 13. 23
L. 25. Quum viſitaverit vos Deus, efferte oſſa mea hinc, 7. 16

EXODUS.

I. 16. CUm obſtetricabitis Hebræos, & videbitis ſuper ſedem ſi filius eſt, interficite eum, 7 17
III. 21. Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis, 23. 10
IV. 22. Filius meus, primogenitus meus eſt Iſraël, 1. 3. & 2. 32
VII. 13. Et induratum eſt cor Pharaonis, 9. 16
VIII. 8. Orate Dominum ut auferat ranas à me & à populo meo, & dimittam populum, 1. 43 & 16 30
15. Videns

Digitized by Google

15. Videns Pharao quod eſſet reſpiratio, aggravavit cor ſuum, 8. 43
32. Et induravit Pharao cor ſuum etiam hac vice, 16. 30
X. 14. Aſcenderunt locuſtæ ſuper totam terram Ægypti, 12. 23
XII. 29. Fuit ergo in medio noctis percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, ibid.
37. Profectique ſunt filii Iſraël de Rameſes in Succoth circiter ſexcenta millia, &c. 7. 34
XIII. 19. Tulitque Moſes oſſa Joſeph ſecum, 7. 16
XIV. 31. Crediderunt autem Domino & Moſi ſervo ejus, 15. 28
XVII. 11. Cumque elevaret Moſes manum ſuam, prævalebat Iſraël, 6. 4
XIX. 5. Eritis mihi tanquam theſaurus dilectus præ omnibus populis, 13. 46
6. Vos autem eritis mihi Regnum Sacerdotale & gens ſancta, ibid.
XX. 4. Non facies tibi ſculptile neque omnem ſimilitudinem eorum quæ ſunt in cælo ſurſum, &c. 17. 41
10. Non facies ullum opus neque tu neque filius tuus, 1. 12
11. Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, 12. 30
XXI. 28. Neque Principi in populo tuo maledices, 23. 5
XXIII. 20. Ecce ego mitto Angelum meum ante te, ut cuſtodiat te in via, 12. 15
23. Angelus meus ibit ante te, & introducet te, ibid.
XXV. 22. Conveniamque tecum illinc, & loquar tecum ê propitiatorio, 7. 44
40. Vide autem ut facias juxta ſimilitudinem, ibid.
XXIX. 38. Hoc eſt autem quod facies altari, agnos anniculos duos in dies, &c. 3. 1
XXXII. 4. Et dixerunt, Iſti ſunt dii tui ô Iſraël, qui eduxerunt te de terra Ægypti, 7. 40
6. Sediſque populus ut ederet & biberet, poſteà ſurrexerunt ut luderent, 7. 41
9. Ecce populus duræ cervicis eſt, 7. 51
XXXIII. 3. Nam populus duræ cervicis es, ibid.
5. Vos eſtis populus duræ cervicis, ibid.
9. Quando ingrediebatur Moſes tabernaculum, deſcendebat columna nubis, 1. 9

LEVITICUS.

XI. 2. HÆc ſunt animalia quæ comedere ex omnibus animalibus quæ ſunt ſuper terram, 10. 14
XVI. 29. Menſe ſeptimo decima menſis affligetis animas veſtras, neque opus ullum facietis, 27. 9
XVIII. 5. Qui fecerit hæc, vivet in illis, 7. 38. & 13. 10. 11

NUMERI.

VI. 22. SIc benedicetis filiis Iſraël, 3. 26
27. Et ponent nomen meum ſuper filios Iſraëlis, & ego benedicam eis, ibid.
XII. 6. Si fuerit Propheta vobis, ego Dominus in viſione apparebo illi, &c. 2. 17 & 18 9
XIV. 4. Dixerunt alter ad alterum, Conſtituamus ducem, & revertamur in Ægyptum, 7. 39
XXVIII. 4. Agnum unum facies mane, & agnum alterum facies inter duas veſperas, 3. 8

DEUTERONOMIUM.

IV. 37. QUia dilexit patres tuos, elegit ſemen eorum poſt eum, 13. 17
VII. 2. Non inibis cum illis pactum, neque miſereberis eorum, 10. 28
3. Neque junges te affinitate cum eis, ibid.
8. Sed quia dilexit vos Dominus & cuſtodire volebat juramentum, 13. 17
X. 8. Et ad benedicendum in nomine ipſius, 3. 25
15. Tantummodo in Patribus tuis beneplacitum eſt Domino, ut diligeret eos, 13. 17
22. Cum ſeptuaginta animabus deſcenderunt Patres tui in Ægyptum, 7. 14
XII. 13. Cave tibi ne offeras holocauſta tua in omni loco quem videris: ſed in loco quem, &c. 7. 43
23. Tantum cave ne non comedas ſanguinem, 15. 20
XIII. 3. Non obedies verbis prophetæ illius, 1. 13
5. Propheta autem ille aut ſomniator interficietur, 7. 58
XIV. 2. Te elegit Dominus ut ſis illi in populum peculiarem ex omnibus populis, 13. 17
XVII. 7. Manus teſtium erit prima in illum, 7. 58
12. Qui autem ſuperbierit ut nolit obedire Sacerdotis, 3. 23
18. Quam ſederit ſuper ſolium regni ſui, ſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus in libro, &c. 18. 14
XVIII. 15. Prophetam de medio tui, è fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit Dominus, 3. 22 & 5. 30
18. Prophetam ſuſcitabo illis de medio fratrum ſuorum ſimilem tibi, 3. 22
XXVII. 26. Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus, 15. 10. 11
XXIX. 4. Neque tamen dedit Dominus vobis cor ad intelligendum, 16. 14
18. Ne forte ſit in vobis radix aliqua fructificans fel & abſinthium, 8. 23
XXX. 6. Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, 11. 12
11. Præceptum quod tibi præcipio hodie, non eſt occultum à te neque remotum, 13. 10
12. Ne dicas, Quis aſcendit, &c. 3. 23. & 4. 12
Et referet nobis illud, ut opere compleamus illud, 15. 10
19. Teſtor adverſum vos hodie cælum & terram, quod vitam & mortem propoſuerim, 7. 38
XXXII. 8. Quando dividebat Altiſſimus Gentes, 10. 12
10. Circumduxit eum, inſtruxit eum, cuſtodivit eum ut pupillam oculi ſui, 13. 27
21. Ipſi zelare fecerunt me in eo qui non eſt Deus, irritaverunt me in vanitatibus ſuis, & ego zelare faciam eos, &c. 28. 28
35. Mea eſt ultio & retributio, 7. 7
39. Ego occidam, 23. 11
XXXIV. 10. Nec ſurrexit Propheta ultra in Iſraële ſicut Moſes, 3. 22

JOSUE.

XI. 22. TAntum in Gath & in Aſdod remanſerunt, 8. 40
XXIV. 2. Trans flumen habitaverunt patres veſtri à ſeculo, ut Thare pater Abraham, 7. 2
32. Oſſa autem Joſeph quæ detulerant filii Iſraël ex Ægypto, ſepelierunt in Sichem, 7. 16

JUDICES.

VII. 22. QUum ergo clangerent trecenti illi tubis poſuit Dominus gladium uniuſcujuſque in proximum ejus, 23. 6

I. SAMUEL.

I. 3. AD adorandum & immolandum Domino exercituum in Silo, 7. 45
24. Adduxit eum ad domum Domini in Silo, ibid.
II. 6. Dominus mortificat & vivificat, &c. 7. 17
VIII. 7. Non te ſpreverunt, ſed me ne regnem ſuper eos, 13. 21
XVI. 14. Terruit eum ſpiritus malus à Domino, 12. 23
XXIV. 18. Aſcende, erige Domino altare in area Areunæ Jebuſæi, 7. 45
XXIX. 9. Novi quod bonus es in oculis meis ſicut Angelus Dei, 6. 15

II. SAMUEL.

XI. 4. TUm miſit David nuntios, & tulit eam, 13. 22
XIV. 17. Sicut Angelus Dei, ſic eſt Dominus meus, 6. 15
XIX. 27. Dominus meus Rex eſt ſicut Angelus Dei, ibid.
XXIV. 16. Angelus Domini erat juxta aream Areunæ Jebuſæi, 7. 45

I. REGUM.

V. 5. FIlius tuus quem dabo pro te ſuper ſolium tuum, ipſe ædificabit domum illam nomini meo, ibid.
VIII. 19. Tu non ædificabis domum: ſed filius tuus qui egreſſurus eſt de lumbis tuis, &c. ibid.
27. Ecce cælum & cæli cælorum te non capiunt, 7. 47
XXII. 11. Fecerat autem ſibi Sedechias filius Chanaana cornua ferrea ac dixit, Sic dicit Dominus, His feries Syriam, 21. 11

II. REGUM.

II. 11. AScendit Elias per turbinem in cælum, 26. 23
IV. 33. Quumque ingreſſus eſſet, clauſit oſtium ſuper utrumque, &c. 9. 40
34. Conſcendens incubuit ſuper puerum, poſuitque os ſuum, &c. 20. 10
VI. 17. Et aperuit Dominus oculos pueri, viditque, & ecce mons plenus erat equis, &c. 12. 15
XIX. 15. Domine Deus Iſraël ſedens ſuper Cherubim, 17. 24

II. PARAL.

I. 10. UT egrediar coram populo iſto, & ingrediar, 1. 21

JOB.

II. 7. EXivit Satan à facie Domini, & percuſſit Job ulcere malo, à planta pedis uſque ad verticem ejus, 22. 28

PSALMI.

IV. 7. SIgnatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, dediſti lætitiam in corde meo, 2. 23
XIV. 3. Omnes declinaverunt, ſimul abominabiles facti ſunt, non eſt faciens bonum, &c. 15. 10
XVI. 8. Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem, 2. 23
XVIII. 28. Populum pauperem ſalvum facies, & oculos excelſos humiliabis, 4. 19
XX. 8. Hi in curribus & hi in equis, nos autem in nomine Domini invocabimus, 9. 28
XXIII. 4. Etiamſi ambulavero in medio umbræ mortis, &c. 18. 10
XXVII. 3. Si conſiſtant adverſum me caſtra, 13. 10. & 24. 1
XXXI. 6. In manum tuam commendo ſpiritum meum, 7. 59
13. Confundantur impii, ſileant in inferno, 2. 23
XXXII. 9. Ne ſitis ſicut equus & mulus in quibus non eſt intellectus, in camo & fræno, 9. 5
XXXIII. 12. Beata gens cujus eſt Dominus Deus ejus, populus quem elegit in hæreditatem ſibi, 3. 23
XXXIV. 8. Caſtrametatur Angelus Domini circum timentes eum, & eripit eos, 3. 15. & 12. 19
XLIV. 23. Æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis, 8. 1. & 12. 24
XLVI. 6. Deus in medio ejus non commovebitur, 2. 25. & 7. 30
XLIX. 16. Redimet Deus animam meam e manu inferni, 2. 25
L. 8. Non propter ſacrificia tua arguam, &c. 7. 50
15. Invoca me in die tribulationis, 11. 3
LI. 20. Sacrificium Dei, ſpiritus contritus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies, 2. 37
LV. 16. Deſcendant in infernum viventes, 2. 25
LXV. 3. Tu Deus exaudiens precationem, ad te omnis caro veniet, 2. 21
LXIX. 10. Zelus domus tuæ comedit me, 13. 10 & 14. 14. & 17. 16
LXXIII. 4. Non ſunt ligamina in morte eorum, & ſana eſt fortitudo eorum, 23. 1
LXXVIII. 49. Miſit in eos furorem iræ ſuæ, iram & indignationem & anguſtiam, immiſſionem angelorum malorum, 12. 23
LXXX. 2. Qui ſedes ſuper Cherubim manifeſtare, 17. 24
4. Oſtende nobis faciem tuam, & ſalvi erimus, 2. 28
LXXXI. 11. Aperi os tuum, & implebo illud, 14. 17
LXXXII. 6. Ego dixi, Dei eſtis, & filii excelſi omnes, 13. 58
LXXXIX. 21. Inveni David ſervum meum, 13. 22
XC. 3. Emittis homines & tranſire facis, poſtea dicis, revertimini filii hominum, 13. 37
XCI. 11. Angelis ſuis Deus mandavit de te, &c. 5. 19 & 12. 15
XCV. 7. Hodie ſi vocem ejus audieritis nolite obdurare corda veſtra, 17. 30
CIV. 29. Abſcondes faciem tuam, turbabuntur: auferes ſpiritum eorum, peribunt, 2. 28
CV. 15. Nolite tangere Chriſtos meos, & Prophetas meos nolite affligere, 7. 7
18. Ferrum pertranſivit animam ejus, 7. 9
CX. 1. Dixit Dominus Domino meo, &c. 2. 34
2. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, 8. 1
CXII. 9. Diſperſit, dedit pauperibus, 3. 6
CXV. 3. Deus noſter in cælo, omnia quæcunque voluit fecit, 17. 26
CXVI. 10. Credidi propter quod locutus ſum, 13. 14
CXVIII. 22. Lapis quem reprobaverunt ædificantes, factus eſt in caput anguli, 4. 11. & 13. 29
CXXII. 1. Lætatus ſum in dicentibus mihi, in domum Domini ibimus, &c. 7. 45
CXXX. 4. Apud te eſt venia ut timearis, 3. 17
CXXXII. 3. Si introiero in tabernaculum domus meæ, ſi aſcendero ſuper lectum ſtrati mei, 7. 45
6. Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus illam in campis ſylvæ, ibid.
14. Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hic habitabo quoniam elegi eam, 7. 49 & 17. 24
CXXXVIII. 8. Opera manuum tuarum non deſeres, 20. 32
CXLIV. 15. Beatus populus cui Dominus eſt Deus, 3. 28

PROVERBIA.

XV. 8. VIctimæ impiorum Deo abominabiles, 5. 2
XVI. 18. Calamitatem præcedit ſuperbia, & ante ruinam, &c. 12. 20
33. In ſinum conjiciuntur ſortes, & judicium illarum exit à Domino, 1. 26
XIX. 17. Fœneratur Domino qui largitur pauperi, 20. 35
XXI. 30. Non eſt ſapientia neque prudentia neque conſilium contra Dominum, 23. 16

JESAIAS.

I. 4. SEmen malignorum filii degeneres, 7. 32
II. 3. Venite & aſcendemus in montem Domini, in domum Dei Jacob, 10. 24
3. E Sion prodibit Lex, & verbum Domini ex Jeruſalem, 1. 4
8. Et coram opere manuum ſuarum ſe incurvarunt, coram eo quod finxerunt digiti ipſorum, 7. 41
V. 14. Dilatavit infernus animam ſuam, 2. 27
VIII. 10. Inite conſilium & diſſolvetur, decernite decretum & non ſtabit, 23. 16
IX. 2. Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, 26. 23
X. 22. Si fuerit populus tuus Iſraël inſtar arenæ maris, reliquiæ ejus revertentur, 13. 17
Conſumptio decreta inundans juſtitiam, 11. 19
XI. 1. Prodibit virga ex trunco Iſai, & ſurculus de radicibus ejus, fructus edet, 2. 6. & 15. 16
2. Spiritus ſcientiæ & timoris Domini, 10. 4
4. Et ſpiritu oris ſui interficiet impium, 5. 5
XIV. 13. Atqui tu dicebas in corde tuo, Aſcendam in cælum, in ſupernis juxta ſydera Dei, &c. 12. 23
14. Aſcendam ſuper excelſa nubium, & ero ſimilis altiſſimo, ibid.
XIX. 18. In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti loquentes lingua Chanaan, 2. 2
XX. 2. Vade & ſolve ſaccum de lumbis tuis, & calceamentum tuum extrahe de pede tuo: fecitque ſic, ambulans nudus & diſcalceatus, 21. 11
XXIII. 4. Erubeſce Sidon, quia dixit mare, fortitudo maris dicens, Non parturivi, &c. 12. 20
8. Cujus negociatores ſunt Principes, cujus inſtitores nobiles terræ, ibid.
18. Sed tandem erit negociatio ejus ſancta Domino, &c. 21. 4
XXXVII. 6. Et dixit illis Jeſaias, Sic dicetis domino veſtro, Sic dicit Dominus, Ne timeas à verbis quæ audiſti, &c. 27. 30
14. Accepit Ezechias literas è manu nuntiorum & legit eas, & expandit eas coram Domino, 4. 29
17. Audi cuncta verba Senacherib, qui miſit ad exprobrandum Deo vivo, ibid.
35. Et protegam ego ſuper hanc urbem, ut ſervem eam propter me, 27. 30
XLII. 6. Dedi te in lucem Gentium, 26. 23
XLIII. 22. En non me invocaſti Jacob, 7. 42
23. Non adduxiſti mihi pecus holocauſtorum tuorum, & ſacrificiis tuis non honoraſti me, ibid.
XLVIII. 16. Et nunc Dominus meus miſit me, & Spiritus ejus, 13. 2
XLIX. 6. Conſtitui te in lucem gentium, 13. 47. & 26. 23
13. Laudate cæli & exulta terra, erumpite montes in laudem, &c. 8. 38
LIII. 4. Sane languores noſtros ipſe tulit, &c. 3. 32. & 10. 37. & 13. 29
5. Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, 13. 28
Caſtigatio pacis noſtræ ſuper eum, &c. 27. 8

6. Omnes nos tanquam oves erravimus, quiſque in viam ſuam declinavit, &c. 17. 3
LIV. 13. Omnes filii tui docti à Domino, 6. 2
LV. 3. Dabo vobis ſancta David fidelia, 23. 34
LVIII. 7. Et carnem tuam ne deſpexeris, 10. 2
LIX 20. Et veniet Sion redemptor, & iis qui redierint ab iniquitate in Jacob, 8. 26
LX. 2. Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, 26. 23
LXV. 1. Inventus ſum ab iis qui non quærebant me, 3. 3. & 10. 8
16. Qui benedixerit ſibi in terra, benedicet ſe in Deo veraci, 3. 25
LXVI. 1. Cælum ſedes mea, & terra ſcabellum pedum meorum, 7. 47. & 17. 24
2. Et ad hunc reſpicio qui humilis eſt, ac contritus Spiritu, trementque ad ſermonem meum, 8. 31. & 10. 4
3. Audite verbum Domini qui tremitis ad verbum ejus, 10. 4
21. Adeoque aſſumam ex illis aliquos in Sacerdotes & Levitas, 2. 17

JEREMIAS.

I. 19. PUgnabunt contra te, ſed non prævalebunt, 14. 1
IV. 2. Et benedicent ſeſe in eo gentes, 3. 25
4. Circumcidite vos Domino, 7. 51
V. 3. Domine an non oculi tui ſunt ad veritatem, 15. 8
XVII. 21. Ne portetis onus die Sabbathi, 1. 12
XXVII. 2. Et dixit Dominus ad me. Fac tibi vincula & veſtes & pones ea ſuper collum tuum, 21. 11
XXVIII. 10. Et tulit Ananias Propheta jugum de collo Jeremiæ, & confregit eum. &c. ibid.
XXXI. 34. Non docebit quiſque proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, 2. 17. & 6. 2
XXXII. 7. Eme tibi agrum meum qui eſt in Anathoth, 21. 11
39. Et dabo eis cor unum & viam unam, ut timeant me cunctis diebus, 10. 4

EZECHIEL.

I. 4. ET vidi, & ecce ventus turbinis veniebat, 9. 2
III. 19. Quum dixero ego impio, Morte morieris, & non admonueris eum, nec locutus fueris ut caveat, &c. 18. 6. & 20. 22
XI. 19. Auferamque cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, 5. 31. & 11. 18
XII. 5. In oculis eorum perfode parietem, & educes per eum, 21. 11
XX. 18. In viis patrum veſtrorum ne ambuletis, 1. 13
21. In præceptis meis non ambulaverunt, & judicia mea non cuſtodierunt ut facerent ea, 7. 38
XXXIII. 7. Audies de ore meo verbum, & præmonebis eos ex me, 10. 33
XXXIV. 4. Infirmas non conſolidaſtis, & ægrotam non ſanaſtis, &c. 20. 20
XXXVII. 4. Vaticinare ſuper oſſibus iſtis & dic eis, oſſa arida audite ſermonem Domini, 9. 40

DANIEL.

VI. 22. ET etiam coram te Rex pravitatem non feci, 17. 7
IX. 24. Et ad conſummandum peccatum & expiandam iniquitatem, & ad juſtitiam ſeculorum adducendam, 17. 8
26. Poſt hebdomadas vero ſexaginta duas excidetur Chriſtus, 13. 27
X. 13. Princeps regni Perſarum ſtetit contra me viginti & uno diebus, 12. 15

HOSEAS.

XII. 7. CHanaan in cujus manu ſtatera doloſa, 7. 52
XIV. 3. Et reddemus vitulos labiorum noſtrorum, 13. 2

JOEL.

II. 28. ERit autem poſt hæc, effundam Spiritum meum, 2. 17

AMOS.

V. 25. AN ſacrificia & oblationem obtuliſtis mihi in deſerto quadraginta annis, 7. 42
IX. 11. In die illa ſuſcitabo tabernaculum David, 1. 6

MICHEAS.

IV. 2. VEnite & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit, 10. 34

HABACUC.

II. 5. QUi dilatavit ſicut infernus animam ſuam, 2. 27

ZACHARIAS.

IX. 9. EXulta valde filia Sion, jubila filia Jeruſalem, Ecce Rex tuus venit, 16. 34

MALACHIAS.

III. 1. ECce ego mitto angelum meum & emundabit viam ante faciem meam, 18. 25
IV. 4. Memento legis Moſis ſervi mei, 3. 22
5. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, ibid.

MATTHÆUS.

III. 6. ET baptizabantur in Jordane ab illo, confitentes peccata ſua, 12. 18
8. Facite fructus dignos pœnitentiæ, 26. 20
11. Ego quidem baptizo vos aqua ad pœnitentiam: at iſte qui, &c. ipſe vos baptizabit Spiritu ſancto & igni, 1. 5
15. Reſpondens Jeſus dixit ad illum, Omitte nunc, ſic enim decet nos ut compleamus omnem juſtitiam. Tunc omittit illum, 19. 1
V. 2. Et poſtquam aperuiſſet os ſuum docebat eos, 10. 34
9. Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur, 15. 6
17. Ne exiſtimetis quod venerim ad deſtruendam Legem aut Prophetas, 6. 14
22. Quicunque vero dixerit fratri ſuo, Racha, obnoxius erit concilio, quiſquis autem dixerit Fatue, obnoxius erit gehennæ incendio, 23. 8
39. Quiſquis impegerit alapam in dexteram tuam maxillam, obverte illi & alteram, ibid.
44. Bene precemini devoventibus vos, &c. & orate pro his qui lædunt & inſectantur vos, 7. 60
VI. 3. Quum præſtabis eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quod facit dextera tua, 5. 1
9. Ad hunc modum orate vos, Pater noſter qui es in cælis, &c. 1. 14
VII. 7. Quærite & invenietis, pulſate, & aperietur vobis, 2. 38. & 10. 7. 17. & 16. 17
X. 1. Dedit eis poteſtatem adverſus ſpiritus immundos, ut ejicerent eos, &c. 3. 6
5. In viam Gentium ne abieritis, 10. 28
7. Profecti prædicate dicentes, Appropinquavit regnum cælorum, 1. 4
10. Dignus eſt operarius cibo ſuo, 10. 39
14. Exeuntes ex ædibus aut civitate illa, excutite pulverem pedum veſtrorum, 13. 51
20. Non eſtis vos qui loquimini, ſed Spiritus, &c. 4. 9
XI. 13. Lex & Prophetæ uſque ad Joannem, 3. 22
24. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, 2. 19
30. Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve, 14. 19. & 15. 10
XIII. 12. Quiſquis habet, dabitur illi, 10. 4
14. Auribus audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non cernetis, 28. 26
17. Multi Prophetæ & juſti deſideraverunt videre quæ videtis, & non viderunt, 2. 17
31. Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis, 3. 26
XV. 26. Non eſt bonum ſumere panem filiorum & objicere catellis, 10. 12. & 11. 19
XVII. 2. Veſtimenta autem ejus facta ſunt candida ſicut lumen, 10. 30
XVIII. 10. Angeli eorum ſemper vident faciem Patris, 12. 15
20. Ubi duo aut tres congregati ſunt in nomine meo, &c. 5. 4
XIX. 28. Sedebitis ſuper ſedes XII. judicantes duodecim tribus, 2. 25
XXII. 29. Erratis neſcientes Scripturas neque virtutem Dei, 19. 8
32. Ego ſum Deus Abraham, Iſaac & Jacob. Deus non eſt Deus mortuorum, ſed viventium, 7. 32
XXIII. 13. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia clauditis regnum cælorum ante homines, &c. 18. 5
32. Vos quoque implete menſuram patrum veſtrorum, 7. 52
35. Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſuper terram à ſanguine, &c. ibid.
XXIV. 24. Et dabunt ſigna magna & prodigia, 2. 12
29. Statim autem poſt afflictionem dierum illorum Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo, 2. 19
XXV. 21. Euge ſerve bone & fidelis, 10. 4
29. Habenti dabitur, ibid.
XXVI. 38. Diſcipuli relicto eo omnes fugerunt, 1. 13
61. Hic dixit, Poſſum deſtruere templum Dei, & in triduo ædificare illud, 6. 14
64. Amodo videbitis filium hominis ſedentem, &c. 7. 57
65. Tunc Princeps Sacerdotum diſcidit veſtimenta ſua dicens, Locutus eſt blaſphemiam, ibid.
70. At ille negavit coram omnibus dicens, Neſcio quid dicas, 4. 8
XXVII. 3. Tunc videns Judas qui eum prodiderat quod damnatus, &c. 2. 27
22. Dicunt omnes, Crucifigatur, 2. 23
52. Et multa corpora Sanctorum qui dormierant ſurrexerunt, 22. 29
XXVIII. 1. Veſpera autem Sabbathorum quæ luceſcit, &c. 20. 7
3. Et veſtimentum ejus candidum ſicut nix, 10. 30
11. Ecce quidam à cuſtodibus venerunt in civitatem, &c. 10. 41
20. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, &c. 1. 2. & 13. 10

MARCUS.

I. 15. POEnitentiam agite, 2. 38
25. Et increpavit illum Jeſus dicens, Obmuteſce, &c. 16. 19
IV. 12. Ut videntes videant & non cernant, & audientes, &c. 28. 26
17. Et non habent radicem in ſe, ſed temporarii ſunt, 8. 13
VI. 13. Et ungebant oleo multos ægros & ſanabant, 8. 16
IX. 3. Et veſtimenta ejus facta ſunt ſplendida, &c. 10. 30
XV. 13. At illi rurſus clamaverunt, Crucifige illum, 2. 23
XVI. 15. Ita in mundum univerſum & prædicate, &c. 8. 1 14 & 10. 12. & 11. 1. 19 & 13. 1
16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit, 2. 32
19. Et ſedet à dextris Dei, 7. 56

LUCAS.

I. 16. MUltoſque filios Iſraël convertet ad Dominum Deum ipſorum, 18. 25
17. Et ipſe præcedet ante illum cum ſpiritu & virtute Eliæ, ibid.
Ut paret Domino plebem perfectam, 23. 14
73. Juſjurandum quod juravit Abrahæ patri, &c. 13. 32
76. Et tu puer Propheta, 13. 24 & 12. 23
II. 29. Nunc dimittis ſervum tuum Domine, &c. 22. 14
34. Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem, &c. 28. 25
35. Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes, 7. 54. & 13. 50. & 28. 25
III. 23. Et ipſe Jeſus incipiebat eſſe fermè annorum triginta, 1. 21
IV. 35. Et increpavit illum Jeſus dicens, Obmuteſce & exi ab eo, 12. 12
VIII. 10. Ut videntes non videant, & audientes, &c. 28. 26
13. Hi radices non habent, qui ad tempus credunt, 8. 13
IX. 5. Quicunque non receperint vos exeuntes de civitate, &c. 13. 51
56. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſervare, 5. 12
X. 11. Etiam pulverem qui adhæſit nobis de civitate. &c. 13. 51
16. Qui vos audit me audit, 9. 2
Qui vos ſpernit, me ſpernit, 5. 28
24. Multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, &c. 2. 17
29. Et huic erat ſoror nomine Maria, quæ etiam aſſidens, &c. 22. 3
XII. 47. Ille ſervus qui cognovit voluntatem Domini ſui, nec ſe præparavit, &c. 8. 19
XIII. 21. Simile eſt fermento quod acceptum mulier abſcondit, &c. 13 49
XIV. 28. Quis eſt ex vobis qui velit turrim ædificare, &c. 7. 3
XXI. 3. Vere dico vobis quod vidua hæc pauper plus quam omnes, &c. 5. 1
15. Dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt contradicere neque reſiſtere, &c. 6. 9
18. Et pilus de capite veſtro non perit, 13. 16
19. In patientia veſtra poſſidete animas veſtras, 14 5
25. Erunt ſigna in Sole, Luna & ſtellis, 2. 19
XXII. 44. Et erat ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis, &c. 2. 23
XXIII. 5. At illi invaleſcebant dicentes, Commovet populum docens per univerſam Judæam, &c. 12. 20
21. At illi clamabant dicentes. Crucifige, crucifige eum, 2. 23
46. Pater, in manus tuas commendabo ſpiritum meum, 7 59
XXIV. 1. Uno autem Sabbathorum profundo diluculo, &c. 20. 7
19. Qui fuit vir Propheta, potens opere & ſermone, 2. 8
27. Et exorſus à Moſe & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus, &c. 13. 27
43. Et accepit, & in conſpectu illorum comedit, 10. 41
47. Et prædicari nomine ejus pœnitentiam ac remiſſionem peccatorum, 2. 38
Initio facto ab Jeroſolymis, 8. 2
48. Vos autem eſtis teſtes horum, 3. 15

JOANNES.

I. 4. ET vita erat lux hominum, 17. 28
14. Et vidimus gloriam ejus, gloriam velut unigeniti à Patre, 13. 33
32. Vidi Spiritum deſcendentem ſpecie columbæ, 2. 2. 3
II. 13. In propinquo erat paſcha Judæorum, & aſcendit Jeſus Jeroſolymam, 2 1
19. Deſtruite templum hoc, & in tribus diebus erigam illud, 6. 14
21. At ille dicebat de templo corporis ſui, ibid.
III. 17. Non miſit Deus filium ſuum in mundum, ut judicet mundum: ſed ut ſervetur mundus, &c. 5. 12
30. Illum oportet creſcere, me vero minui, 1. 5. & 3. 13
36. Qui credit Filio, habet vitam æternam, 13. 48
IV. 9. Non coutuntur Judæi Samaritanis, 1. 8
22. Vos adoratis quod neſcitis, 1. 1. & 17 32
24. Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, &c. 17. 24
25. Scio quod Meſſias venturus eſt, qui dicitur Chriſtus, 3 22
V. 1. Poſt hæc erat dies feſtus Judæorum, & aſcendit Jeſus Jeroſolymam, 2. 1
23. Qui non honorat Filium, non honorat Patrem qui miſit illum, 4 26
24. Et in condemnationem non veniet ſed tranſivit à morte in vitam, 2. 38
25. Veniet hora, & nunc eſt, quando mortui audient, 9 40
29. Et prodibunt qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui vero mala, &c. 24. 15
46. Si credidiſſetis Moſi, credidiſſetis utique mihi, 3. 24. & 7. 37
VI. 37. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, &c. 13. 48
39 Hæc eſt voluntas ejus qui miſit me Patris, ne quid perdam, ibid.
44 Nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me traxerit eum, ibid.
VII. 30. Ut aſcenderunt fratres ejus, tunc & ipſe aſcendit ad feſtum, 2 1
16. Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me, 1. 2
18. Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit, 20. 10. & 8 16

39. Nondum

39. Nondum enim erat Spiritus ſanctus, quia Jeſus nondum erat glorificatus, 2. 17. 33
48. An quiſpiam ex Principibus credidit in eum, &c. 8. 7
VIII. 28. Ex meipſo facio nihil: ſed ſicut docuit me Pater, hæc loquor, 1. 2
44. Mendax eſt & quia ejus eſt pater, 6. 14. & 16. 17. & 17. 16
X. 9. Per me ſi quis introierit, ſervabitur: & ingredietur, &c.
11. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus; 8. 1
12. Mercenarius autem & qui non eſt paſtor cujus non ſunt oves, 9. 39
16. Et erit unum ovile & unus paſtor, 15. 16
22. Facta ſunt Encænia Jeroſolymis & hyems erat. &c. 2. 3
XI. 18. Erat autem Bethania juxta Jeroſolymam fere ſtadiis XV. 1. 16
XII. 1. Jeſus ante ſex dies Paſchæ venit Bethaniam, 8. 1
37. Quum autem tam multa ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum, 28. 26
40. Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum ne videant oculis, &c. ibid.
XIV. 16. Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, 1. 4
24. Sermo quem audiſtis non eſt meus, ſed ejus qui miſit me Patris, 1. 2
25. Hæc locutus ſum vobis apud vos manens. Paracletus autem ille qui eſt, &c. 1. 4
XV. 26. Quum venerit Paracletus quem ego mittam vobis a Patre, &c. ibid.
XVI. 7. Si non abiero, Conſolator ille non veniet ad vos, ſin autem abiero, &c. 1. 4. & 1. 34
8. Et quum venerit, arguet mundum, 1. 4. & 5. 9
22. Et gaudium veſtrum nemo tollet a vobis, 2. 26
24. Hactenus non petiſtis quicquam in nomine meo: petite & accipietis, 2. 11
XVII. 3. Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, &c. 23. 47
6. Tui erant, & eos dediſti mihi, 16. 10
13. Ut habeant gaudium meum impletum in ſemetipſis, 2. 16
XVIII. 31. Non licet nobis interficere quenquam, 7. 53
34. Reſpondit Jeſus, A temetipſo tu hoc dicis, &c. 8. 32
36. Reſpondit Jeſus, Regnum meum non eſt ex hoc mundo, ibid.
XIX. 15. Illi autem clamabant, Tolle, tolle, crucifige eum, 2. 23
27. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua, 1. 14
35. Et qui vidit, teſtimonium perhibet, 2. 21
36. Facta ſunt enim hæc ut Scriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo, 2. 23
39. Venit autem & Nicodemus qui venerit ad Jeſum nocte primum, ferens mixturam, &c. 19. 29
XX. 1. Uno vero die Sabbathorum Maria Magdalene venit, 20. 7
22. Hæc quum dixiſſet ſlavit in eos & dicit eis, Accipite Spiritum ſanctum, 8. 2
XXI. 18. Quum ſenueris extendes manus tuas, & alius te cinget & ducet quo tu non vis, 3. 48
25. Sunt autem & alia multa quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſe opinor mundus caperet eos qui ſcriberentur libros, 2. 1

Ad ROMANOS.

I. 2. Quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis, 3. 51
4. Qui declaratus fuit filius Dei cum potentia ſecundum Spiritum ſanctificationis ex eo quod reſurrexit, 15. 33
10. Semper in precibus meis orans ſi quomodo tandem proſperum iter contingat, 6. 4
14. Græcis ſimul & barbaris, eruditis pariter ac rudibus. &c. 26. 22
16. Eſt enim potentia Dei ad ſalutem omni credenti, 2. 47. & 16. 9
17. Juſtitia enim Dei per illud pateſit, 5. 20. & 13. 46
20. Quæ ſunt inviſibilia illius, ex creatione mundi per opera intelliguntur pervidentur, &c. 14. 17. & 17. 27
21. Propterea quod quum Deum cognoverint, non ut Deum glorificaverunt neque gratias egerunt, 16. 17
23. Mutaveruntque gloriam immortalis Dei ſimilitudine imaginis, &c. 17. 29
24. Quapropter tradidit illos Deus per cupiditates cordium ſuorum, &c. 7. 42
25. Qui commutarunt veritatem ejus mendacio, 17. 24
28. Et quemadmodum non probaverunt ut Deum agnoſcerent, ita tradidit eos Deus in reprobam mentem ut facerent quæ non conveniebant, 7. 42. & 13. 6
II. 12. Quicunque ſine Lege peccaverunt, ſine Lege & peribunt, 17. 30
29. Circumciſio cordis quæ Spiritu conſtat non litera, 7. 51
III. 8. Sicut quidam ajunt nos dicere, Faciamus mala ut veniant bona, 6. 14
11. Non eſt qui intelligat, non eſt qui requirat Deum, 15. 10
27. Ubi igitur gloriatio? excluſa eſt. Per quam Legem? operum? non, imo per Legem fidei, 1. 5
29. An Judæorum Deus tantum? an non & Gentium? certe & Gentium, 10. 12
IV. 1. Quid igitur dicemus inveniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundum carnem? &c. 15. 9
11. Et ſignum accepit Circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei quæ fuerat in præputio, 7. 8
Ut eſſet pater omnium credentium, 7. 3. & 16. 15
13. Non per Legem promiſſio contigit Abrahæ aut ſemini ejus illum hæredem fore mundi, 7. 3
16. Qui eſt pater omnium noſtrum, 7. 3
17. Ac vocat ea quæ non ſunt, tanquam ſint, 3. 3
20. Ad promiſſionem Dei non hæſitabat ob incredulitatem, 19. 20
V. 10. Si quum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo, 16. 35
VI. 4. Sepulti ſumus una cum illo per baptiſmum in mortem, 1. 5. & 2. 38 & 8. 16
6. Illud ſcientes, quod vetus ille noſter homo cum illo crucifixus eſt, 8. 16
9. Chriſtus excitatus a mortuis non amplius moritur, mors illi non amplius dominatur, 13. 35
18. Liberati a peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ, 8. 38
VIII. 7. Affectus carnis inimicitia eſt adverſus Deum, 15. 10. & 13. 34
17. Siquidem ſimul cum eo patimur ut & ſimul cum illo glorificemur, 5. 41
23. Non ſolum autem illi ſed & ipſi qui primitias Spiritus habentes & nos ipſi in nobis ipſis gemimus adoptionem, 3. 23
26. Quid oraturi ſimus ut oportet non novimus, verum ipſe Spiritus intercedit, &c. 2. 14
36. Habiti ſumus velut oves mactationi deſtinatæ, 12. 24
IX. 7. Neque quia ſunt ſemen Abrahæ ſtatim omnes filii, 3. 25
X. 4. Finis legis Chriſtus, 2. 30. & 7. 52. & 13. 38
6. Ne dixeris in corde tuo, Quis aſcendet in cælum, 3. 13. & 4. 12
10. Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, 2. 38
12. Non eſt diſtinctio vel Judæi vel Græci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes invocantes ſe, 2. 21
14. Quomodo invocabunt eum in quem non crediderunt, 6. 22
Quomodo credent ei de quo non audierunt, 8. 6
17. Fides ex auditu eſt, ibid. & 10. 3
20. Inventus ſum his qui me non quærebant, 9. 3
XI. 5. Sic igitur & in hoc tempore reliquiæ ſecundum electionem gratiæ fuerunt, 11. 21. & 28. 26
8. Dedit eis Deus ſpiritum compunctionis oculos ut non videant, &c. 28. 26
12. Quod ſi lapſus illorum divitiæ ſunt mundi, &c. 13. 46
16. Et ſi radix ſancta, ſancti erunt & rami, 13. 33
23. Et illi rurſum ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur, 1. 65
24. Si tu ex naturali excîſus es oleaſtro, & præter naturam inſitus es in veterem oleam, 1. 3
33. Quam inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & imperveſtigabiles viæ ejus, 15. 18
XII. 2. Sed transformemini per renovationem mentis veſtræ, 8. 38
19. Non voſmetipſos ulciſcentes dilecti quin potius date locum iræ, 7. 7
XIII. 3. Principes non terrori ſunt bene agentibus, ſed male, 23. 15
4. Non fruſtra gladium geſtat, nam Dei miniſter eſt, ultor ad iram ei qui quod malum eſt fecerit, 5. 34
XIV. 1. Eum qui infirmatur fide aſſumite, 20. 33
2. Qui firmus eſt quibuslibet veſcitur, 16. 4
4. Proprio domino ſtat aut cadit, 10. 13
14. Novi ſiquidem & perſuaſum habeo per Dominum Jeſum, nihil eſſe commune per ſe, 13. 28
17. Regnum Dei non eſt eſca & potus, 16. 4
Sed juſtitia & pax & gaudium in Spiritu S. 13. 52
23. At qui dijudicat ſi ederit, condemnatus eſt, &c. 10. 20
XV. 6. Ut unanimiter uno ore glorificetis Deum, 1. 14. & 2. 2
8. Illud autem dico, Jeſum Chriſtum miniſtrum fuiſſe Circumciſionis pro veritate Dei, &c. 13. 23
9. Ceterum ut gentes pro miſericordia glorificent Deum ſicut ſcriptum eſt, 3. 25. & 15. 16
10. Et iterum, Gaudete gentes cum populo ejus, 13. 16
11. Et rurſum, Laudate Dominum omnes Gentes, ibid.
16. Conſecrans Euangelium Chriſti, ut ſit oblatio Gentium acceptabilis, 2. 37. & 4. 25. & 10. 13. & 11. 2
XVI. 25. Juxta revelationem myſterii temporibus æternis taciti, 3. 21. & 14. 27. & 17. 30

I. CORINTH.

I. 1. Paulus vocatus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, & Soſthenes frater, 18. 7
14. Gratias ago Deo meo quod neminem veſtrum baptizaverim niſi Criſpum & Gajum, 10. 48 & 18. 7
21. Viſum eſt Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes, 17. 18
II. 2. Non me judicavi quicquam ſcire inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum, 3. 6
3. Et ego per infirmitatem & cum timore ac tremore multo apud vos verſatus ſum, 18. 9
8. Quam nemo Principum hujus ſeculi cognovit. nam ſi cognoviſſent haudquaquam, &c. 3. 17 & 13. 27
III. 6. Ego plantavi, Apollo rigavit, 18. 11, 24. & 26. 16
7. Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat: ſed qui dat incrementum Deus, 2. 47. & 6. 4. & 11. 21
11. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, 3. 15
12. Quod ſi quis ſuperſtruit ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, &c. 4. 11
16. An neſcitis quod templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis, 3. 4 & 9. 31. & 16. 16
IV. 6. Hæc autem fratres per figuram transtuli ad meipſum, 18. 24
7. Quis te diſcernit, 9. 15
V. 7. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, 2. 1
VI. 1. Suſtinet aliquis veſtrum negotium habens cum altero judicari ſub injuſtis, &c. 25. 11
9. Neque ſcortatores, neque idololatræ, neque adulteri, neque molles, &c. 8. 10
19. An neſcitis quod corpus veſtrum templum eſt habitantis in vobis Spiritus ſancti, 3. 4. & 9. 31
VII. 14. Alioqui filii veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt, 10. 26
19. Circumciſio nihil eſt, 21. 21
VIII. 8. Eſca nos non commendat Deo, 16. 4
IX. 2. Sigillum Apoſtolatus mei vos eſtis in Domino, 14. 27. & 18. 1
5. An non habemus poteſtatem ſororem mulierem circumducendi, quemadmodum & alii Apoſtoli & fratres Domini, 1. 14
9. In Lege Moſis ſcriptum eſt, Non obligabis os bovi trituranti, 1. 39
11. Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus magnum eſt ſi nos veſtra carnalia meſſuerimus, 11. 29
12. Atqui non uſi ſumus poteſtate iſta, ſed omnia ſuffecimus, 18. 3
14. Dominus ordinavit ut qui Euangelium annuntiant, ex Euangelio vivant, 8. 19. & 20. 34
15. Ego tamen nullo horum uſus ſum, 18. 3. & 20. 35
16. Væ mihi ſi non Euangelizavero, 4. 20
20. Iis qui ſub Lege ſunt quaſi ſim ſub Lege, ut eos qui ſub Lege ſunt lucrifaciam, 18. 18. & 21. 26
X. 4. Bibebant de ſpirituali quæ illos comitabatur petra: petra vero erat Chriſtus, 7. 30
5. Sed plures illorum non approbavit Deus, 5. 8
25. Omne quod in macello venditur edite, 15. 17 & 16. 4. & 21. 21
XI. 19. Oportet hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt manifeſti fiant, 15. 2
XII. 4. Diviſiones donorum ſunt, ſed idem Spiritus, 2. 17
10. Aliæ vero efficacia Prophetiarum, 5. 5
28. Et alios quidem poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos, deinde Prophetas, &c. 13. 1 11
XIII. 1. Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, &c. 10. 46
3. Et ſi inſumam in alimoniam omnes facultates meas, &c. 10. 2
12. Videbimus eum facie ad faciem 20. 16
XIV. 2. Qui loquitur lingua non hominibus loquitur, ſed Deo: nullus enim audit, &c. 10. 46
3. Qui prophetat, hominibus loquitur ædificationem & exhortationem & conſolationem, 15. 32
9. Sic & vos per linguam niſi ſignificantem ſermonem dederitis, quomodo intelligetur quod dicitur, 8. 28
18. Gratias ago Deo meo, quod magis quam omnes vos linguis loquor, 2. 4
23. Quod ſi omnes prophetent, ingrediatur autem incredulus aut indoctus, coarguitur ab omnibus, &c. 24. 16
29. Prophetæ duo aut tres loquantur & cæteri dijudicent, 11. 3. 27. & 13. 1
32. Et ſpiritus Prophetarum Prophetis ſubjiciuntur, 11. 9
XV. 15. Reperimur autem & falſi teſtes Dei, qui teſtificati ſumus de Deo, &c. 10. 39
17. Quod ſi Chriſtus non reſurrexit, ſupervacanea eſt fides veſtra, 1. 22
20. Chriſtus ſurrexit ex mortuis, primitiæ eorum, &c. 2. 28
23. Unuſquiſque autem in proprio ordine, primitiæ Chriſtus, 2. 26. & 17. 31. & 26. 23
25. Oportet eum regnare donec poſuerit omnes inimicos ſub pedes ſuos, 2. 35
42. Seminatur in corruptione, reſurgit in incorruptibilitate, 2. 8
51. Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur, 10. 42
54. Abſorpta eſt mors in victoria, 2. 24
XVI. 2. Unuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat, theſaurizans quod ſucceſſerit, 11. 29

II. CORINTH.

I. 20. Quotquot ſunt promiſſiones Dei per ipſum ſunt Etiam, & per ipſum Amen, 13. 32. 34
II. 15. Chriſti bonus odor ſumus Deo, 24. 25
16. Illis quidem odor mortis in mortem, 5. 5. & 6. 14. & 13. 28. & 14. 6
III. 6. Qui & idoneos fecit nos miniſtros novi Teſtamenti. non Literæ. ſed Spiritus, 10. 44
7. Quod ſi adminiſtratio mortis in literis, deformata in ſaxis, &c. 7. 38
8. Cur non potius adminiſtratio Spiritus erit in gloria, 7. 52
9. Nam ſi adminiſtratio condemnationis gloria, multo magis excedit adminiſtratio juſtitiæ in gloria, ibid.
15. Sed ad hunc uſque diem quum legitur Moſes, velamen cordibus illorum impoſitum eſt, 11. 27. & 17. 6
IV. 3. Quod ſi adhuc opertum eſt Euangelium noſtrum, in his qui pereunt opertum eſt, 26. 24. & 28. 27
6. Deus eſt qui juſſit e tenebris lucem illuceſcere, 8. 4

V. 6. Scimus quod quum domi ſumus in corpore peregrinamur à Deo, 7. 8
19. Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi, non imputans eis peccata ſua, 2. 18
20. Rogamus pro Chriſto reconciliamini Deo, *ibid.*
21. Eum enim qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit, &c. *ibid.* & 15. 38
VI. 5. In plagis, in carceribus, in ſeditionibus, 15. 2. & 19. 29
16. Vos templum eſtis Dei viventis, 9. 31
VII. 5. Foris pugnæ, intus timores, 15. 1
VIII. 12. Etiamſi prius adſit animi promptitudo, ea juxta quicquid illud eſt quod poſſidet aliquis accepta eſt, &c. 11. 29
XI. 2. Æmulor vos Dei æmulatione, 14. 14. & 17. 16
8. Cæteras Eccleſias deprædatus ſum, accepto ab illis ſtipendio quo vobis inſervirem, 20. 34
10. Eſt veritas Chriſti in me, quod hæc gloriatio non interrumpetur contra me, &c. 20. 23
14. Ipſe Satanas transfigurat ſe in angelum lucis, 5. 20. & 15. 1. & 16. 17
25. Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, 14. 19
32. In Damaſci civitate, gentis præfectus nomine Aretæ Regis excubias poſuerat, &c. 9. 23. 25
XII. 1. Veniam enim ad viſiones & revelationes Domini, 26. 16
9. Virtus mea in infirmitate perficitur, 7. 50

Ad GALATAS.

I. 1. PAulus Apoſtolus non ab hominibus neque per hominem, 1. 23. & 13. 1. 2
8. Etiamſi nos aut Angelus è cælo prædicaverit vobis Evangelium præter id quod, &c. 15. 2
15. At ubi Deo, qui ſegregaverat me ab utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam in hoc, &c. 13. 1
17. Abii in Arabiam, ac denuo reverſus ſum Damaſcum, 18. 28
II. 8. Qui efficax fuit in Petro ad Apoſtolatum Circumciſionis, efficax fuit & in me erga Gentes, 13. 1
9. Quumque cognoviſſent gratiam mihi datam Jacobus & Cephas & Joannes, 12. 2. 17. & 15. 13
10. Tantum ut pauperum memores eſſemus, 11. 28
III. 2. Ex operibus Legis Spiritum accepiſtis, an ex auditu fidei? 5. 32. & 10. 44. & 18. 2
16. In ſemine tuo qui eſt Chriſtus, 3. 25
19. Ordinata per Angelos in manu interceſſoris, 7. 53
26. Omnes filii Dei eſtis, eo quod credidetis Chriſto Jeſu, 13. 48. & 17. 28
27. Quicunque baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, 2. 38. & 8. 16
28. Non eſt Judæus neque Græcus, non eſt ſervus, &c. 6. 1
IV. 1. Quamdiu hæres puer eſt, nihil differt à ſervo, &c. 15. 2
4. At ubi venit plenitudo temporis, 14. 16
V. 1. In libertate igitur qua Chriſtus nos liberavit, ſtate, & ne rurſus jugo ſervitutis implicemini, 21. 21
VI. 6. Communicet qui catechizatur ſermone ei qui ſe catechizat in omnibus bonis, 20. 34
9. Bonum faciendo ne defatigemur, 4. 34
17. Ego ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto, 3. 41. & 15. 26. & 26. 23

Ad EPHESIOS.

I. 21. SUpra omnem principatum ac poteſtatem & virtutem, & dominationem, 2. 11. & 2. 34
II. 3. Eramus natura filii iræ ſicut, &c. 10. 35
10. Ipſius ſumus opus, conditi in Chriſto Jeſu, &c. 26. 18
12. Extranei à teſtamentis promiſſionis, ſpem non habentes, 1. 8. & 15. 1. & 17. 4
13. Vos qui quondam eratis longinqui, propinqui facti eſtis per ſanguinem Chriſti, 2. 39
14. Et intermedium maceriæ diruit, 8. 5. & 2. 39. & 8. 1. 25. & 10. 12. 28. 14. 36. & 11. 2. & 13. 2. & 13. 9. 16
17. Veniens Evangelizavit pacem vobis qui procul aberatis, & iis qui prope, 2. 38. & 10. 36
III. 3. Quod ſecundum revelationem notum factum eſt mihi myſterium, &c. 3. 23
4. Ex quibus poteſtis legentes intelligere cognitionem meam in myſterio Chriſti, *ibid.*
6. Ut ſint Gentes cohæredes, & ejuſdem corporis, &c. 10. 12
9. Quod erat abſconditum à ſeculis in Deo, *ibid.* & 12. 1. & 17. 30
IV. 1. Hortor itaque vos ego vinctus in Domino, ut ambuletis ita ut dignum eſt vocatione qua vocati eſtis, 15. 32
5. Unus Deus, una fides, unum Baptiſma, 15. 8
10. Qui etiam aſcendit ſupra omnes cælos, ut impleret omnia, 1. 2. 11. & 2. 34. & 4. 12
11. Et idem dedit alios quidem Apoſtolos, alios vero Prophetas, alios autem Evangeliſtas, &c. 1. 2. & 13. 1. & 21. 8
22. Deponere juxta priorem converſationem veterem hominem, &c. 11. 18
23. Renovari vero ſpiritu mentis veſtræ, 26. 18
V. 5. Nam hoc ſcitis, quod omnis ſcortator aut immundus, aut avarus qui eſt, &c. 8. 20
VI. 17. Et gladium ſpiritus, qui eſt verbum Dei, 2. 37. & 4. 25. & 16. 17
19. Et pro me, ut mihi detur ſermo in apertione oris mei cum libertate, &c. 4. 29

Ad PHILIPP.

I. 6. PErſuaſum habeus hoc ipſum, quod is qui cœpit in vobis bonum, perficiet, &c. 20. 32
18. Attamen quovis modo, ſive per occaſionem, ſive per veritatem, Chriſtus tamen annuntiatur: & in hoc gaudeo, quin etiam gaudebo, 16. 18
21. Mihi vivere Chriſtus, & mori lucrum, 8. 41
II. 7. Exinanivit ſemetipſum, factus obediens, &c. 8. 33. & 15. 13
9. Quapropter & Deus illum exaltavit, & dedit illi nomen, &c. *ibid.*
10. Ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cæleſtium ac terreſtrium ac infernorum, 8. 31
III. 20. Ex quo Servatorem expectamus Dominum Jeſum Chriſtum, 24. 16
21. Qui transfigurabit corpus noſtrum humile, ut conforme reddat corpori ſuo glorioſo, 15. 37. & 26. 8
IV. 6. In omni precatione & obſecratione cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum, 16. 25
7. Pax Dei quæ ſuperat omnem intellectum, &c. 8. 8
10. Gaviſus ſum autem in Domino magnopere, quod jam tandem revigunt veſtra pro me ſolicitudo, 20. 34
16. Noſtis autem & vos Philippenſes, quod in principio Evangelii quum proficiſcerer à Macedonia, nulla mihi Eccleſia communicavit, &c. 19. 34

Ad COLOSS.

I. 24. SUppleo quod deerat afflictionum Chriſti in carne mea, 1. 20. & 9. 5
II. 11. Per quem & circumciſi eſtis Circumciſione quæ fit ſine manibus, 16. 3. & 21. 21
12. Conſepulti ſimul cum illo per baptiſmum, 16. 3
Et vos quum eſſetis mortui per delicta, 13. 38
14. Et illud ſuſtulit è medio affixum cruci, 8. 33. & 13. 38. & 21. 23
15. Expoliatoſque principatus & poteſtates oſtentavit palam triumphans de illis per ſemetipſum, 8. 33
16. Nemo igitur vos judicet in cibo aut potu aut in parte diei feſti, &c. 21. 21
III. 3. Vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo, 6. 3. 59

I. THESS.

II. 13. QUapropter & nos gratias agimus Deo indeſinenter, quod quum accepetitis ſermonem à nobis, &c. 17. 11
IV. 13. Ne doleatis ſicut & cæteri qui ſpem non habent, 8. 2
17. Deinde nos qui vivimus, qui reliqui erimus, &c. 10. 42
V. 6. Qui ebrii ſunt, nocte ebrii ſunt, 2. 14

II. THESS.

II. 9. CUjus eſt adventus ſecundum operationem Satanæ, cum omni potentia & ſignis ac prodigiis mendacibus, 2. 22
11. Propterea mittet illis Deus efficaciam illuſionis ut credant mendacio, 16. 17
12. Ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed approbaverunt injuſtitiam, *ibid.*

I. TIMOTH.

I. 4. NEc attendant fabulis & genealogiis nunquam finiendis, 7. 14
5. Et fide non ficta, 8. 37
13. Miſericordiam adeptus ſum, quod ignorans feceram per incredulitatem, 3. 17
18. Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, juxta prophetias quæ de te præceſſerunt, ut milites in eis, &c. 16. 2
20. Quorum de numero eſt Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanæ, 19. 33
II. 4. Qui vult omnes homines ſalvos fieri, 17. 18
8. Volo igitur orare viros in omni loco levantes puras manus, 24. 11
III. 3. Non vinolentum, non percuſſorem, non turpiter lucri cupidum, 20. 33
7. Oportet autem illum & bonum habere teſtimonium ab extraneis, 16. 1
15. Ut noris quomodo oporteat in domo Dei verſari quæ eſt Eccleſia Dei viventis, 9. 31. & 20. 28
IV. 7. Profanas & aniles fabulas rejice, quin potius exerce teipſum ad pietatem, 30. 20
V. 17. Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni ſunt, 14. 23. & 20. 34

II. TIMOTH.

I. 7. NOn dedit nobis Deus ſpiritum timiditatis, ſed potentiæ, dilectionis & ſobrietatis, 18. 9
12. Scio cui crediderim, 1. 4
II. 9. Verbum Domini non eſt alligatum, 4. 4. & 12. 51
12. Si commortui ſumus & convivemus, 1. 3. & 5. 41
12. Si ſuſtinemus & conregnabimus, 5. 41
24. Servum Domini non oportet pugnare, ſed placidum eſſe, 15. 2
III. 16. Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad doctrinam, ad redarguendum, &c. 19. 32. & 14. 22. & 20. 20. & 17. 23
17. Ut integer ſit homo Dei & ad omne bonum opus perfectus, 20. 27
IV. 2. Prædica ſermonem, inſta tempeſtive intempeſtive, argue, increpa, exhortare, 20. 1. 2
10. Demas me dereliquit, amplexus præſens ſeculum, 8. 13
14. Alexander faber ærarius multis malis me affecit, 19. 33
16. In prima defenſione nemo mihi adfuit, ſed omnes me dereliquerunt, 23. 15

Ad TITUM.

I. 9. TEnacem ejus qui ſecundum doctrinam eſt fidelis ſermonis, ut potens ſit etiam exhortari, &c. 8. 22. & 17. 18. & 18. 23
14. Non attendentes Judaicis fabulis & præceptis hominum, 16. 25
15. Omnia munda mundis, 15. 22. & 16. 4
16. Pollutis & infidelibus nihil eſt purum, ſed polluta eſt illorum & mens & conſcientia, 15 28
III. 5. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus ſancti, 2. 5. & 8. 16. & 11. 16
III. 9. Stultas quæſtiones & genealogias & contentiones ac pugnas legales omitte, 18. 15
10. Hæreticum hominem poſt unam & alteram admonitionem fuge, 19. 9

Ad HEBRÆOS.

I. 1. DEus olim multifariam, multiſque modis locutus Patribus per Prophetas, &c. 3. 22. & 12. 18
3. Conſedit in dextera majeſtatis in excelſis, 7. 36
14. Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi, &c. 5. 19. & 12. 12
II. 16. Non enim videlicet Angelos aſſumit, 7. 59
III. 7. Hodie ſi vocem ejus audietis, nolite obdurate corda veſtra, 17. 30
IV. 12. Vivus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrantior quovis gladio utrinque incidente, 2. 37
V. 4. Nemo ſibiipſi uſurpet honorem, ſed qui vocatur etiam à Deo, 1. 2. & 2. 34
VI. 6. Ab integro crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes, 3. 26
VII. 6. Et habentem benedictiones benedixit, 3. 26
VIII. 5. Qui quidem exemplari & umbræ deſerviunt cæleſtium, 13. 38
Vide ut facias omnia ſecundum exemplar quod oſtenſum eſt tibi in monte, 7. 44
XI. 3. Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei, 14. 17
XIII. 8. Jeſus Chriſtus heri & hodie, idem eſt etiam in ſecula, 15. 11
15. Per ipſum ergo offerimus hoſtiam laudis ſemper Deo, hoc eſt fructum labiorum confitentium nomini ejus, 13. 2

JACOB.

I. 10. COntra, qui dives eſt, in humiliatione ſua, 17. 11
III. 1. Nolite plures magiſtri fieri, fratres mei 10. 24
IV. 6. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, 4. 29. & 12. 20
10. Humiles vos reddite in conſpectu Domini, 11. 26

I. PETRI.

I. 2. PEr ſanctificationem Spiritus, in obedientiam & aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti, 8. 16
5. Qui virtute Dei cuſtodimini per fidem, 20. 32
II. 14. Ad vindictam quidem nocentium, laudem vero recte agentium, 25. 18
21. Siquidem in hoc vocati eſtis, quoniam & Chriſtus afflictus eſt, &c. 8. 32
V. 5. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, 12. 20
6. Humiliemini ſub potenti manu Dei, 13. 26

II. PETRI.

I. 19. CUi dum attenditis ceu lucernæ lucenti in loco caliginoſo, recte facitis, 16. 17
II. 8. Quotidie animam juſtam iniquis illorum operibus excruciabat, 17. 16

I. JOAN.

IV. 1. PRobate ſpiritus num ex Deo ſint, 10. 5

APOCAL.

II. 15. ITa habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum, 6. 5
XIX. 10. Et cecidi ante pedes ejus ut adorarem eum, 10. 25
XXII. 8. Poſtquam audiſſem & vidiſſem, cecidi ut adorarem ante pedes Angeli, &c. 10. 26

AMSTELODAMI,
Ex Typographia BORRITII JANSONII SMIT.
M. DC. LXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

11-2-3

Digitized by Google